HIEROZOICON SIVE BIPERTITUM OPUS DE ANIMALIBUS S...

Samuel Bochart, Johann Philipp Thelott





Neuſtria ſe tanti matrem miratur alumni,
Quem stupet ut rarum Numinis orbis opus.
Quidquid Arabs, Phœnix, Graius docuitque Latin,
Incluſum vaſto pectore ſolus habet.

HIEROZOICON
SIVE BIPERTITUM OPUS
DE
ANIMALIBUS
S. SCRIPTURÆ,
Cuius *PARS PRIOR LIBRIS* IV.
De Animalibus in Genere & de Quadrupedibus, Viviparis & Oviparis:
PARS POSTERIOR LIBRIS VI.
De Avibus, Serpentibus, Insectis, Aquaticis, & Fabulosis Animalibus agit.

CUM INDICE SEPTUPLICI.

I. *Locorum Sac. Scr.* II. *Authorum qui citantur.* III. *Vocum Hebr. Chald. Syriac. Samaritan. & Æthiopici sermonis.* IV. *Vocum Arabicarum.* V. *Græcarum.* VI. *Romanarum quæ passim explicantur.* VII. *Rerum.*

Authore
SAMUELE BOCHARTO,

Revisum atque correctum ab innumeris mendis, quibus Editio Londinensis scatebat,
Opera atque studio
DAVID CLODII *Hamb. Profess. Gisseni.*
Recusum verò



FRANCOFURTI AD MOENUM,
Impensis JOHANNIS DAVIDIS ZUNNERI.
Typis BALTHAS. CHRISTOPHORI WUSTII.
ANNO M DC LXXV.



SERENISSIMO PRINCIPI

CAROLO II.

MAGNÆ BRITANNIÆ &c.

R E G I,

FIDEI DEFENSORI.

Serenissime Rex,



N Scripturæ lectione eum oportet esse planè hospitem, qui ex ea non didicit Reges à Deo constitui, & per eum regnare, nec ullam esse potestatem nisi à Deo. Proinde Saul & David uncti sunt expresso Dei mandato. Et legitimos Reges Deus vocat Reges suos, filios suos, Christos suos, electos suos, pastores suos, servos suos, clypeos suos. Quin iidem Dei oleo leguntur ungi, Dei soliò insidere, aureamque coronam capiti suo impositam à Deo accepisse. Et tum demum timentur, cum in populos incidit Domini pavor. E periculis evadunt, cum Deus dat salutem Regibus, & eos eruit ex gladio maligno. Potentia eminent, cum mittitur Dei Angelus qui eos confirmet & roboret. Magna moliuntur, cum Deus illorum dextram apprehendit, ut coram iis prosternat gentes. Hinc cum in Regem electus est Saul, insiliit in eum Spiritus Domini, & mutatus est in virum alium. Et Davide illi suffecto, Spiritus Domini à Saule recedens Davidem invasit. Cui cum successit Salomon, Deus ei dedit sapientiam & scientiam, atque animum intelligentem ad judicandum populum suum. Neque Ethnicos id latuit, quorum vates antiquissimi, Homerus & Hesiodus, Reges à Jove esse agnoscunt. Quo ipso cæteris Diis Callimachus Jovem præfert, quod cum ex Vulcano sint fabri, ex Marte milites, ex Diana venatores, & ex Apolline poetæ, Reges non sint nisi à Jove, id est, à summo Deo. Edoctus scilicet naturæ lumine aliter fieri non posse ut tanta hominum multitudo unius hominis imperio se subjiciat, & pro eo vitam, fortunas &

a facul-

facultates omnes impendat. Res in iis manifestior est quos per varios casus per mille pericula rerum evexit Deus ad regiæ dignitatis fastigium. Quod MAJESTATI TUÆ evenisse nemo nescit, REX SERENISSIME. Qui postquam aliquot annis vagus, & sine lare & foco oberrasti, domo extorris, regno tuo ejectus, & è solio deturbatus per illos ipsos qui impias & sceleratas manus in SERENISSIMI PARENTIS tui τοῦ μακαρίτου sanguine cruentaverant: Tandem cum minime expectabas, ἀκονιτὶ & ἀναιμακτὶ, in priorem gloriam restitutus es, & ab iis admissus & revocatus qui à te videbantur esse maxime alieni, Deo Spiritus sui vi flexanima illorum mentes ad obsequium inflectente. Ita ut illa ipsa passus quæ David Saule vivo, nunc cum eodem possis dicere, *Lapidem quem reprobaverant ædificantes factum esse in caput anguli. Quod à Domino factum, & mirabile est in oculis nostris.* Quamvis de cætero videaris esse Solomoni similior, qui tria regna in plena pace possides, & summa sapientia gubernas. Et quantum ille insumpsit operæ in templi materialis ædificatione, tantum laboris adhibes in veræ Dei domus, id est Ecclesiæ, restauratione, quam præteriti tumultus non parum deformaverant. In quem finem delegatos ex omnibus regni tui partibus nuperrime convocatos, ad tam pium opus vere Christiana oratione excitasti. Gnarus non alia de causa Deum hæc Tibi otia fecisse, quam ut in Ecclesiæ & Reipublicæ bonum iis utaris. Et spero fore ut qui dedit τὸ θέλειν, Tibi det etiam τὸ ἐνεργεῖν pro benignitate sua. Ita ut dissidiis omnibus, si quæ supersint, in æternum compositis, regni pax in posterum non solum Te vivo duret, quod unum à Deo petiit Ezekias, sed & usque ad seros nepotes in futura sæcula prorogetur. Et inter pacis commoda, studia literarum quæ ubique terrarum neglecta jacent in regnis tuis reflorescant, Teque duce atque auspice pristinum nitorem recuperent. Ego certe, si quem inter τοὺς φιλομούσους nomen habere merear, feci quod alcyon solet, quæ tranquillo mari nidum suum & pullos committit recens exclusos. His enim regni tui alcyoniis invitatus, ingenioli mei fœtus eo edendos amandavi Et in ditionum tuarum urbe metropoli editos MAJESTATI TUÆ offerre audeo. Munus quidem regiis oculis parum dignum, si formam spectes, sed materiæ ratione haud quaquam contemnendum. In eo enim opere de animalibus agitur, quæ non solum ad usum hominis, & perfectionem universi, sed & ad Dei gloriam creata esse docent hæc Psaltis Regii: *Laudate Dominum cete & omnes abyssi, Terra & omne jumentum. Reptile & avis alata, celebrate nomen Domini.* Fallitur enim si quis putat asinæ Balaami hoc fuisse peculiare, quod ad Dei nutum ora resolvit. Cum nullum sit tam mutum animal, quod non celebret creatorem. Nempe ut *Cæli enarrant gloriam Dei: Et quamvis in iis non sit sermo, tamen in totam terram exivit sonus eorum.* Sic bruta animalia, utut muta, tamen hoc ipso Deum laudant quod laudum materiam nobis suggerunt, & ad conditorem suum celebrandum nos aliquo modo provocant. In cujus hymni modulatione præcentor & choragus esse dignatur ipse Deus. Qui argumentis ex suorum operum magnitudine desumptis, potentiam, sapientiam & bonitatem suam Jobo probaturus, postquam cœlum, sydera, meteora, mare & terras, & totam hanc mundi compagem uno capite expedivit, tria capita quæ sequuntur in animalium descriptionem insumpsit. In minimo enim animali, quod non solum est, sed & vivit, sentit, appetit, & pro libito movetur, plus eminet creatoris virtus quam in magnis illis mundi partibus. Itaque primo nostro parenti,

dum

dum beatas in Paradiſo ſedes habuit, hæc pars fuit felicitatis, quod ad illum adducta ſunt animalia omnia quorum dotes & virtutes ſerio meditaretur, ut nomina imponeret ipſorum naturæ congrua. Et Regum imo hominum ſapientiſſimi Solomonis in eo maxime ſe prodidit ſapientia, quod diſſeruit de beſtiis, de volucribus, de reptilibus & de piſcibus. Illoque potentia tanto major Rex Alexander quanto minor ſapientia, naturæ animalium pernoſcendæ cupidus, de iis commentationem Ariſtoteli delegavit. Et ne quid uſquam gentium ab eo ignoraretur, multa hominum millia illi parere juſſit, quotquot nempe venatus, aucupia, piſcatusque alebant: Quique vivaria, armenta, alvearia, piſcinas, aviaria ſuæ curæ commiſſa habebant, ut illis procurantibus animalia omne genus ad præceptorem undecunque mitterentur. Neve neceſſariis ſumptibus ferendis impar eſſet, octingenta talenta, id eſt aureorum millia prope quingenta, Rex maximus illi de ſuo largitus eſt. Merito igitur Ariſtoteles libros de animalium natura, generatione & partibus inſcripſit Alexandro, quo autore & fautore illos ſcripſerat. Quod imitati poſteri Regibus & Imperatoribus dedicarunt ſimilis argumenti libros. Ita Plinius hiſtoriam naturalem, in qua de Animalibus ſex libri ſunt, Tito Veſpaſiano Imperatori conſecravit. Idem quoque fuit animus Oppiano & Nemeſiano: Quorum unus Græce, alter Latine Cynegetica, Ixeutica & Halieutica ſcripſit. Hic enim opus ſuum inſcripſit Numeriano & Carino Cari Imperatoris filiis. Ille Antonino Caracallæ, qui patrem ejus in inſulam Meliten relegatum liberaſſe non contentus, alia præter hanc ratione teſtatus eſt quam ſibi placeret hoc munus. Philes itidem, qui verſus ſuos περὶ ζώων ἰδιότητος Michaeli Imperatori dicaverat, Carolo Quinto, ipſi etiam Imperatori, oblatus eſt ab Arſenio Monembaſiæ Archiepiſcopo, qui illum primus publicavit. Et uni *Tuæ Maiestatis* Anteceſſorum Eduardo Sexto Wottonus dicavit libros decem de Animalium differentiis. Gallorum quoque Regibus Franciſco Primo & Henrico Secundo hoc eodem thure litatum eſt. Illi enim Æliani hiſtoriam Animalium à ſe Latine redditam obtulit Petrus Gillius. Huic Bellonius ſeptem libros de Avibus à ſe vernacula lingua conſcriptos. Geſnerus denique de Piſcibus volumen ingens Ferdinando inſcripſit. Illorum igitur inſiſtens veſtigiis, Rex Maxime, hoc opus noſtrum de Animalibus eo confidentius Tibi conſecro, quod mihi ſum conſcius me his omnibus aliquid majus aut præſtitiſſe, aut ſaltem molitum eſſe. Solius enim naturæ illi ſe præſtant interpretes, ego inſuper Scripturæ. Et quia veritas à veritate diſſentire non poteſt, Philoſophos cum Prophetis conciliare conatus ſum, ut ex utroque cinnus fieret. Quod in hoc argumento ſi qui aggreſſi ſint, illis ideo non ſucceſſit, quia Prophetarum voces cum minus intelligerent, eas in pluribus locis alio detorquentes, ſanctis vatibus ea affingunt, de quibus ne per ſomnium quidem cogitaverant. Neceſſe igitur habuimus à vocum interpretatione inchoare, ut inde ad res progrederemur. In qua molitione quia veremur ne multos habeamus ἀντικειμένους, ad Te confugere auſi ſumus, *Potentissime Monarcha*, ut tuo patrocinio freti, hoc ſaltem obtineamus, ut ne indicta cauſa condemnemur. Prophetæ duo Reges maximos nobis deſcribunt ſub typo magnæ arboris, quæ avium nidos ramis ſuis excipit, & agri beſtias umbra ſua protegit. Arbor illa Tu es, ô *Rex*, ſub qua noſtra animalia ſuffugium atque aſylum inviolabile ſperant ſe repertura. Neque enim hæc Danielis arbor eſt, cui Propheta proximum minatur excidium: Sed Davidis, quæ plantata eſt in domo Dei, & fructum edit tempore ſuo, nec folium ejus unquam deci-

decidit, atque etiam in canitie fertilis & virens erit. Ante annos tredecim in Epiſtola ad Reverendiſſimum Virum Dominum Morlæum, nunc Vintonienſem Epiſcopum meritiſſimum, ſcripta, prædixeram fore ut brevi cum bono Deo evaderes ex illis moleſtiis quibus tum conflictabaris, nec cederes ulli Majorum tam fortunæ quam animi bonis. Idem ille Deus, qui preces exaudiit, quas tum temporis pro *MAIESTATIS TUÆ* ſalute concepimus, nunc quoque Te virtute ſua

Defenſum dabit & magna inter præmia ducet,

Quod toto animo exoptat

Tuæ Majeſtatis

Datum Cadomi pridie Idus Martias
Anno Chriſti M DC LXIII.

Humillimus & addictiſſimus
cliens,

SAMUEL BOCHARTUS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



ANTE aliquot annos egimus de primis terrarum incolis, quorum origines in profundis tenebris mersas, & longâ vetustate obsitas eruere conati sumus, partim ex Mosis scriptis, qui in uno capite Geneseos de hoc argumento plura habet & certiora quam quotquot Græcorum supersunt aut Romanorum monumenta. His antiquas Phœnicum navigationes subjunximus, qui aliquot annorum centuriis ante Jasonem & Argonautas, per totum mare Mediterraneum cœperunt se diffundere, & in multis Europæ, Asiæ & Africæ locis colonias disseminare.

Jam ad alios mundi incolas nos conferimus, qui licet ratione dignitatis cum hominibus nullatenus conferendi sint, eos tamen temporum antiquitate superant & sedium amplitudine. Bruta dico animalia, quæ ante hominem creata sunt: Nec solum loca culta occuparunt; sed & vastissimas solitudines, & altissima maria, & campos aëris patentissimos, ne vacaret pars ulla naturæ rerum.

Et cum species hominum una sit, brutorum animalium species sunt prope innumeræ, quarum singulæ certas notas habent, & propria κριτήρια, quibus à reliquis dignoscantur. Alia enim uni elemento tanquam glebæ addicta sunt, ut pisces solis aquis, pecora & jumenta soli terræ: Aliis assignavit Deus geminum elementum, puta terram & aquam, ut amphibiis omnibus: Aliis triplex, ut anatibus, mergis & catarrhactis, quibus non solum in terra incedere, & natare in aquis, sed etiam in aëre volare datum est, & libero cœlo frui. Rursus alia perfecta sunt, ut quæ valent quinque sensibus, alia imperfecta, ut reptilia & insecta quædam, quæ visu, auditu vel olfactu carent. Alia item vocalia, alia muta: Et in illis fere tot vocum discrimina quot species. Moles quoq; maxime dispar: Quid enim facit statura culicis ad elephantum, aut tipulæ ad cetum? Et externa species, quâ distinguuntur etiam quæ sunt ejusdem staturæ, puta mulus & equus. Sed & alia levi & glabrâ pelle, alia scabrâ, alia pilis, alia pennis, alia conchis, alia squamis, alia corticibus vestiuntur. Nec in feris aut avibus colores minus varii quam in gemmis aut floribus. Pedum etiam dispar numerus: Aliæ enim sunt bipedes, aliæ quadrupedes, sepedes, octipedes: Ut de scolopendra taceam, quam à pedum numero vocant Arabes μητέρα τῶν τεσσαράκοντα τεσσάρων. Varia quoque arma, quibus à naturâ instructa hominum quoque fortissimos audent aggredi, dentes & cornua feris, rostrum avibus, utrisque ungues, reptilibus venenum, insectis aculeus. Neque pastus idem est: Aliis enim pro cibo sunt semina, gramen aliis, aliis terræ fructus, aliis vivæ carnes aut cadavera. Nec similis est partus, cum alia nonnisi ovum generent, alia perfectum animal. Quorum illa Græce ᾠοτόκα, hæc ζῳοτόκα dicuntur. Genio denique & ingenio multum differunt. Proinde bestiarum aliæ dociles sunt, aliæ indociles. Aliæ cicures, aliæ feræ. Aliæ gregales, aliæ solitariæ. Aliæ statariæ ut ita dicam, neque à natali solo longius secedentes, aliæ migratoriæ. Aliæ tenebras amant, aliæ in plena luce versantur. Aliæ in diem vivunt, aliæ de futuro sunt sollicitæ. Aliæ inertes & otiosæ, aliæ sedulæ & industriæ, ut araneæ, formicæ, apes, bombyces, & nonnullæ avium, quæ in fabricandis nidis miram produnt sagacitatem.

Sed non est quod à nobis quisquam expectet ut singula hæc minutatim explicemus. Quia esset opus immensum, cuique unius hominis vires non sufficerent, neque vita quamlibet longa. Neque vero id necesse est, cum hanc scribendi materiam alii jam occupaverint, atque uberrime tractaverint, quamvis non plene exhauserint. Denique in animalium historia multa sunt quæ scrutari penitius nostra nihil attinet. In his igitur accurate persequendis si immorarer, divagari viderer extra oleas, & bonas horas in iis insumere quæ professioni nostræ non essent satis congrua. Itaque intra angustiores limites me continere decrevi, & quod Theologum decet, ea solum edisserere quæ de animalibus tradunt sacri scriptores. Etsi enim hoc argumentum nonnisi obiter attingant, & tanquam aliud agentes, de eo tamen multa habent eximia, neque dum à quoquam pro rei dignitate enucleata.

Hoc autem aggressuro duo explicanda se offerunt, nomina & res. Cum enim qui animalium historiam vel ex αὐτοψίᾳ enarrant, vel ex exoticis scriptoribus, nonnisi de rebus agant, aut in vocibus parum hæreant, quia animalium Græca & Romana nomina, barbara etiam, doctis nota sunt, aut nullo labore possunt addisci: Si quis hoc idem argumentum ex Scriptura tractandum sibi proponat, duplex ei labor incumbet, unus in vocibus, alter in rebus explanandis. Quippe licet in iis quæ ad fidem & bonos mores pertinent Hebræa lingua utatur verbis obviis, quæque nemo non intelligit, aliter res se habet, cum ad animalium, plantarum aut gemmarum species deventum est, in quibus minutiis multa occurrunt quæ lectores etiam peritissimos remorantur. Neque vero id mirum est, cum à Babylonica captivitate Hebræa lingua desierit esse vulgaris, nec post Prophetas eâ linguâ quisquam scripserit, nisi post longum temporum intervallum. Aut si quid jam olim scriptum est, id pridem consumpserit ætas. Itaque in Hebræis animalium nomenclaturis solum eæ certo notæ sunt vulgo doctorum quæ vel in Prophetis sæpius occurrunt, vel ex affinibus Hebrææ linguis explicantur. Puta in domesticis quadrupedibus גמל *gamal* camelus, סוס *sus* equus, חמור *chamor* asinus, בקר *bakar* & שור *sor* & אלוף *alluph* bos, איל *ajil* aries, צאן *tson* & שה *seh* ovis, שעיר *sair* & תיש *thajis* hircus, עז *ez* capra, חזיר *chazir* porcus, כלב *cheleb* canis. In feris ארי *ari* leo, נמר *namer* pardus, דוב *dob* ursus, זאב *zeeb* lupus, שועל *sual* vulpes, איל *ajal* cervus, צבי *tsebi* caprea, עפר *opher* hinnulus, ערוד *arod* & פרא *pere* onager, ארנבת *arnebeth* lepus, עכבר *achbar* mus. In avibus נשר *neser* aquila, עורב *oreb* corvus, יונה *jona* columba, תור *thor* turtur, שלו *selau* coturnix, צפור *tsippor* passer. In serpentibus אפעה *ephe* vipera, פתן *pethen* & עכשוב *achsub* aspis, תנין *thannin* draco. In insectis ארבה *arbe* locusta, זבוב *zebub* musca, דבורה *debora* apis, צרעה *tsira* vespa, פרעוש *paros* pulex, נמלה *nemala* formica, עש *as* & סס *sas* tinea, תולע *thola* & רמה *rimma* vermis, עקרב *akrab* scorpio, צפרדע *tsephardea* rana &c.

b

Hæ &

Hæ & paucæ aliæ animalium nomenclaturæ hodieque notiſſimæ ſunt. Sed Prophetæ longe plura habent vulgo vel ignota prorſus, vel ſaltem valde dubia, de quibus Lexicographos aut Scripturæ interpretes fruſtra conſulas, cum nuſquam magis cæcutiant. Unde eſt quod in Lexicis vocis unius alicubi reperias decem interpretamenta. Et verſiones ſi confe-ras, videbis inter illas miram eſſe diſcordiam, & quot capita fere tot ſenſus.

Quin illa ipſa nomina quæ nota eſſe diximus, nonniſi ex parte ſciuntur, quia ſcire eſt rem per cauſas cognoſcere, nec ſolum ſcire τὸ ὅτι, ſed etiam τὸ διότι. Itaque etſi quis ſciat equum, aſinum, bovem, camelum ab Hebræis ſic appellari, tamen is haberi non poteſt pro vere docto, quamdiu ratio nominis illum latet. Neque enim Hebræi animalium nomina temere impoſuerunt, ut Latini, Græci & barbari, ſed ſapienti conſilio. Nempe ille ipſe Adamus, qui quamprimum à ſomno excitatus eſt, Evam quam nunquam viderat à ſe ſumptam fuiſſe cognovit, atque ideo אשה *iſſa*, id eſt *viram*, appellavit, tanquam à viro ſumptam; Ille, inquam, ipſe Adamus animalibus ad ſe adductis nomina impoſuit illorum naturæ congrua. Partim ab iis ſumpta quæ in ſenſus incurrebant, voce puta, colore, pilo, ſtaturâ, & corporis externâ ſpecie. Partim ab iis quæ intus latebant, & ſoli animo ſe offerebant. Ab indole nimirum & moribus, quos neque uſu didicerat & propria obſervatione, neque ex deceſſorum libris, aut ex aliorum relatione, cum fuerit primus hominum, ſed ſapientiâ quâdam infuſâ & congenitâ pervidebat, Deo ſingulorum animalium arcanas proprietates in illius mentis oculos ingerente. Itaque hæc nomina ſunt egregium antiquitatis monumentum. Et de bonis omnibus optime mereretur quiſquis ignota recte redderet, & tam nota quam ignota ad veras origines revocaret. Quorum utrumque in hoc opere vel præſtitimus, vel præſtare conati ſumus.

In horum porro nominum verſione quandoque peccatur levius. Ut ſi de ſpecie animalis ita conſtet ut in aliqua circumſtantia peccetur. Sic ארי *ari*, שחל *ſachal*, לביא *labi* & ליש *lajis* leonum eſſe nomina apud omnes in confeſſo eſt. Sed errant Talmudici in *Sanhedrin*, dum ſingula reſtringunt ad certos ætatum gradus: Quaſi ארי *ari* dicatur cum plane adolevit, & deſiit eſſe כפיר *chephir* ſeu λεοντίσκος, שחל *ſachal* media ætate, לביא *labi* jam inclinante, ליש *lajis* cum decrepitus eſt, & viribus præ ſenio effœtis. Quin ארי *ari* vel אריה *arjeh* leo dicitur quavis ætate, quia generis nomen eſt. (a) Lib. 8. c. 17. שחל *ſachal* pro שחר *ſachar*, eſt leo niger, de quo Plinius: (a) *Leonum color tantum in Syria niger.* לביא *labi* leænam eſſe conſtat ex Job. 4. 11. Ezek. 19. 2. & Nahum. 2. 12. Denique ליש *lajis* non eſt leo decrepitus, ſed fortiſſimus & in plenis viribus. Itaque de eo Solomon Prov. 30. 30. ליש *lajis fortis eſt in animalibus, nec ab ullius conſpectu retrocedit.* Et radix apud Arabes fortem eſſe ſignificat, & ſtrenue ſe gerere. Leonem igitur intelligo longo & ſimplici villo, quem Ariſtoteles & Plinius fortiorem eſſe ſcribunt, & contemptorem vulnerum. Archoleontem vocat Capitolinus in Gordiano juniore.

Contrario errore peccatur in vocibus בכרה *bicra* & בכרי *bicre.* Nam Jerem. 2. 23. בכרה קלה *bicra kalla* redditur *dromas levis*. Et Eſ. 60. 6. בכרי מדין, *dromades Madianis*, quæ cameli eſt certa ſpecies, cum hæc ſint ætatum nomina. Nam בכרה *bicra* eſt cameli fœmina junior, & בכרי *bicre* ſunt cameli juvenes, quod Arabes diſerte docent. Nempe Arabibus بكر *bacara* eſt *prævertere*. Atque inde nomen trahunt quæ in unaquaque re prima ſunt.

Sequitur aliud erroris genus priore gravius, cum in eodem genere pro ſpecie ponitur ſpecies, ut quadrupes pro quadrupede, avis pro ave, reptile pro reptili, inſectum pro inſecto, aquatile pro aquatili. Sic רכש *reches* Hebræorum alii mulum, alii dromadem, ſed plerique equum exponunt. Quod verum eſſe ſcimus ex Syra paraphraſi, in qua hoc ſignificatu occurrit pluſquam centies, cum alibi ſit rara vox, & à paucis uſurpata.

יחמור *jachmur* Deut. 14. 5. bubalum reddunt Græci & Hieronymus. At Arabes circa Euphratem deſcribunt cervo ſimilem, pilo ſubrubro, ſerratis cornibus, quibus arborum ramos diffindens, iis interdum hæret, & ruditu ſuo ſe prodens in hominum manus incidit. Idem animal *antholops* vocatur in Euſtathii Hexaemero; In Damiano *anthalopus* & *calopus* in Alberto. Nec ab eo multum diſſimilis *urus* Epiphanii. Sed vetus nomen in Græcia uſitatum fruſtra quæratur, cum apud Græcos veteres nulla ſit mentio.

Ibidem Hebræum זמר *zemer* Hieronymus poſt Græcos *Camelopardalin* exponit, quod ſequi mirum eſt recentiores fere quotquot ſunt, cum eo verſu agatur de animalibus cervini & caprini generis Judæis in eſum conceſſis, cum quibus quid commune habeat camelopardalis, jumenti genus in intima Æthiopia latens, Aſiaticis omnibus atque Europæis ignotum uſque ad Ptolomæorum ævum, & à cujus eſu abhorrent ipſi Æthiopes. At זמר *zemer* Arabicum eſſe animal didicimus ex *Porta cœli*, ubi vocatur זמר ערב *zemer Arabiæ*. Et à ſaltu nomen habere nos docent ipſi Arabes quibus زمر *zamara* ſaltare eſt in capreæ aut rupicapræ modum. Et in iis cenſet Moſes quorum eſus Judæis eſt conceſſus Deut. 14. 5. Omnino igitur זמר *zemer* eſt rupicapra, animal ἀλτικώτατον, quodque ob id ipſum Chaldaice דיצא *ditſa* dici putatur, quomodo illud reddunt Jonathan & Onkelos, quia דוץ *duts* eſt exilire.

Addo licet magno conſenſu, magno tamen errore רם *rem* vel ראם *reem* reddi *monocerotem*, quod fabuloſum eſt animal, neque terrarum extat uſpiam, quale à veteribus deſcribitur. Itaque apud Hebræos veteres monoceros non dicitur ראם *reem*, ſed קרש *keras*, nomine ex Græco contracto. At illis ראם *reem* plane aliud eſt, nempe caprea bicornis, quæ utroque cornu ferit obvios. Ita etiam deſcribit ipſe Moſes Deut. 33. 17. ubi cornua ראם *reem*, quæ Joſepho tribuuntur, referuntur ad duas tribus ex illo ortas, nempe Ephraim & Manaſſe. Concinunt Chaldæi & Arabes. Hi maxime, qui caprearum tres recenſent ſpecies, & unam ex iis رِيم *rim* nomine, inter Arabiæ arenas degentem, proceram, ſummi candoris, capite & auribus plerumque ſurſum erectis, tam multâ ſaginâ differtam ut caprearum ovis inde dicatur. Itaque ut in Græcia quidam cæde luporum celebris inde λυκοῤῥαίστης eſt appellatus. Sic in Arabia Zachæus Camili Catienſis filius, qui ante quingentos annos obiit, ab horum animalium frequenti cæde قتيل الريم *Katılorrimi* cognominatur, quaſi *rimicidam* dixeris.

שפן *ſaphan* hodie cuniculum exponunt omnes Scripturæ interpretes, poſteriores Hebræos hac in parte ſequuti. Eſt tamen cur huic verſioni meum calculum non addam. In Moſe שפן *ſaphan* ruminat, cuniculus non ruminat. Juxta Davi- (b) Pſ. 104. 18. dem (b) & Solomonem (c) שפן *ſaphan* in petris habitat, cuniculus in terreno ſolo. Judæis notus fuit שפן *ſaphan* Moſis (c) Prov. 30. 26. & Davidis ævo, ſed cuniculus Hiſpaniæ tum erat peculiaris. Itaque שפן *ſaphan* eſt aliud animal, nempe mus major, quem Herodotus & alii δίποδα vocant, quia bipes graditur, & Hieronymus ob id ipſum ἀρκτόμυν. Nam urſi quoque ſic ſæpe incedunt. Et Seniores χοιρογρύλλιον, quia pinguedinem habet ſuis. De eodem ex Arabum ſcriptis multa prodimus nondum nota, & docemus cur Syriace dicatur ܚܓܣ *chagas*, Chaldaice טפזא *taphza* & Arabice اليربوع *aljerbuo*.

Videtur quoque חלד *choled* Levit. 11. 29. *muſtela* reddi perperam, cum خلد *chold* Arabibus & ܚܘܠܕܐ *chulda* Syris *talpa* ſit (Quomodo etiam uſurpat Talmud Hieroſolymitanum) & à Moſe חלד *choled* ponatur in reptilibus, & muri jungatur tanquam animal congener.

Hæc de viviparis quadrupedibus: Quibus ut oviparæ, lacerti puta, ſalamandræ, ſtelliones, chamæleontes, minus habent commercii cum homine, ita minus notæ ſunt, & in earum nominibus lapſus eſt frequentior. Ita qui primus ſe offert צב *tſab* à novis Scripturæ interpretibus fere quotquot ſunt vel *bufo* vel *teſtudo* redditur. Quorum utrumque eſt plane alienum.

Nam

Nam Arabes, in quorum solo nascitur צב, eum in lacertorum genere ponunt. Quod ne sit cuiquam suspectum, recondita multa profero de hoc animalculo, ex eorum Criticis, Philosophis, Theologis, Medicis & Magis petita. Neque aliter intellexisse veteres interpretes, Chaldæos, Syros, Arabes, Samaritanos, pluribus probo. Quibus adduntur loca de hoc eodem animali, ex Talmude & *Berescith Rabba* nondum satis intellecta. Itaque à Senioribus vocatur idem animal ὁ κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, & ab Hieronymo *crocodilus*, nempe *terrestris*. Falluntur enim quotquot Niloticum intelligunt, qui ab isto est plane diversus.

In versu statim sequente leguntur alia quinque nomina animalium ejusdem generis, in quorum versione varie peccant veteres & novi interpretes. Horum quinque primum est אנקה *anaka*, quod Græci & Hieronymus *mygalen* interpretantur, id est murem araneum: Munsterus *ericium*, Arias *viverram*, Castalio *fibrum*, Junius & Buxtorfius *attelabum*, id est locustæ genus ἄπτερον. Sed Syrus, Samaritanus & Arabes editi duo pro stellione agnoscunt. Quam versionem multis asserimus: sed ex eo maxime quod à clamore nomen habet. Porro in lacertarum genere solus stellio in Plinio legitur stridoris esse acerbi. Quibus similia habent Arabes, sed à Lexicographis multo aliter accepta.

Secundum כח *coach* Græcis & Hieronymo est *chamæleon*. Aliis *lacerta*, *talpa*, *testudo*, *limax*, *sciurus*, *crocodilus*, &c. nobis lacertus aut stellio major, quem Arabes ورل *vvarlon* & barbari interpretes *guarel* vocant. Nempe hoc lacertæ genus viribus plurimum pollet, nec solum reliquas lacertas, & in his crocodilum terrestrem, sed & serpentes luctâ superat, atque eorum lustra per vim invadit. Illi proinde convenit vel maxime nomen כח *coach*, quod à viribus sumptum est.

Tertium לטאה *letaa* videtur esse Arabum وحرة *vvachara*, lacertæ species, quam tria potissimum insigniunt. 1. Quod stellioni similis est. 2. Quod terræ maxime adhæret. 3. Quod veneno suo cibos inficit quoscunque calcat. Hæc autem tria probamus *letaa* convenire. Aut fallor, aut est species salamandræ, quomodo Syrus reddidit, plerique alii stellionem.

Quartum חומט *chomet* recentiores *limacem*, sed veteres lacertam exponunt. Et ipsum nomen docet arenariam esse lacertam, quia חומטת *chometon* est arena Hebræis. Eam igitur intelligo quæ Arabice حلكا *chulca* dicitur, in arenis semper degens, & homine viso in iis statim se immergens, quomodo piscis in aqua.

Quintum & ultimum תנשמת *thinsemeth* talpam reddunt multi veterum, multi etiam recentis ævi. Quæ versio palam est falsa, quia talpa est חולד *choled*, de qua jam actum fuerat versu proxime præcedenti. Aliud igitur est תנשמת *thinsemeth*, chamæleon scilicet, ab aspirando sic appellatus, quia hianti semper est ore. Unde factum est ut crederetur nonnisi solo aëre vesci.

In avium quoque nominibus similis lapsus est frequens, & passim sumitur avis pro ave. Ita cum novi interpretes דרור *deror* hirundinem reddunt, sequuntur Hebræos recentiores. Sed nullâ necessitate coacti veteres omnes deserunt, quibus דרור *deror* vel turtur vel palumbus est. Huc facit quod hoc nomen à libertate sumptum est, ut Arabica الحر *alhorro* & ساق حر *sako-horrin*, quorum illud columbæ aut turturis pullum, hoc palumbum marem sonat.

Aliter peccatum in nominibus סיס *sis* & עגור *agor*, quorum cum illud *hirundinem*, hoc *gruem* sonet Jerem. 8. 7. & Es. 38. 14. סיס *sis* novi interpretes ex Hebræis gruem exponunt, & עגור *agor* hirundinem. Sed Senioribus, Symmacho, Theodotioni, Hieronymo, Arabi interpreti, סיס *sis* est hirundo. Quæ à cantu sic appellata est, ut Italice *zisilla*. Unde est quod iisdem *zisillare*, & veteribus Romanis *zinzilulare*, est canere more hirundinis. Et Isis in Plutarcho mutata fuisse fingitur in hirundinem propter nominis allusionem. Contra עגור *agor* vocem gruis utcunque imitatur, ut Chaldaicum כורכיא *kurkeja*, Arabica كركي *kurki* & غرنوق *gurnouk*, Græcum γέρανος, Germanicum *kran*, Latinum *grus*, unde *gruere*. Et ex Hebræo gruis nomine עגור *agor*, ortum Arabicum عجر *agiara* significat in patriam postliminio reverti, quod grues quotannis faciunt. Et Persicum ἀγγάρων *angarorum* nomen, quos celeritate cursus cum gruibus decertasse scribit Xenophon. Tamen è veteribus solus Chaldæus vocem עגור *agor* recte gruem explicavit, idque ordine præpostero. Unde factum ut qui סיס *sis* gruem, & עגור *agor* hirundinem reddunt, Chaldæum sequi se putent.

Peccatur etiam in voce קרא *kore*, quam post Seniores & Hieronymum Jerem. 17. 11. perdicem reddunt novi interpretes quotquot sunt. Cum sit Arabicæ & Ægyptiæ gallinaginis genus, brevi pede, longo rostro, dorso viridi, quam Arabes libenter vident, quia illius adventum sequuntur imbres, quos in aridis locis avide expectant. Itaque etiam Hebræi in *Berescith Rabba* prælongum illi rostrum tribuunt, à quo ipso Hebraice קרא *kore* dicitur, cum *aleph* pro *he* in fine, ut Græce σκολόπαξ, quia Hebræum קרה *kora* palum significat, ut Græcum σκόλοψ. Sed σκολόπαξ pro gallinagine verbum est infrequens, quod præter Aristotelem, nescio an Græcorum quisquam usurpet. Ab aliis enim gallinago vocatur ἀγρία πέρδιξ, ut Latine *rustica perdix*, quia palato æque grata est. Unde factum ut perdicem appellaverint Græci interpretes. Sed ab iisdem illa ipsa vox redditur νυκτικόραξ 1. Reg. 26. 20. quia pro קרא lectum קרא *daleth* pro *res*.

Nihilo levius errasse videntur Chaldæi interpretes, qui pro שלו vel שלוים habent פסיונין, id est pro coturnicibus phasianos, Exod. 16. 13. & Psal. 105. 40. Sed errori ansam dederunt Talmudici doctores, à quibus שלוים seu coturnicum quatuor species recensentur. Nempe præter coturnicem proprie dictam, שכלי *sicli* (id est συκαλὶς ficedula) קיכלי *kichli* (id est κίχλη turdus) & פסיוני *phisjoni* (id est φασιανὸς phasianus) tam absurde quam si quis vitulum, agnum & hœdum censeret inter leporum species.

Sæpe etiam peccatur in voce צפור *tsippor*, quæ cum sit generalis ad omnes aves (si unum locum excipias, in quo Hebræi passerem esse volunt, (*a*) quod ipsum necesse non est) tamen alii interpretes nomine צפור sæpe passerem intelligunt. Sic Levit. 14. 4. ubi leprosus, qui mundandus est, jubetur accipere *duas* צפורים *tsipporim*, *vivas*, *mundas*, aves in genere significari palam est, quarum aliæ ex lege mundæ, aliæ immundæ fuerunt. Recentiorum tamen vix quisquam est qui non reddat *passeres* cum Hieronymo. Et locus notissimus Psal. 102. 8. *Vigilavi, & fui sicut passer solitarius in tecto*, reddi debuit, *fui sicut avis* non *sicut passer*. Neque enim ibi de passere, sed de bubone res est, ave solitariâ, quæque noctu pervigil ferale carmen suum è tecti culmine occentat. Unde Poeta:

(*a*) *Ps.* 84. 4.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Visa queri, & longas in fletum ducere voces.

Multa hujusmodi loca observo ubi de passere: Et falli Lexicographos qui negant majores aves Hebraice dici צפורים *tsipporim*.

Libro singulari qui partis secundæ secundus est, immundarum avium ex Levitico viginti nomina exposuimus, & ex Deuteronomio unum insuper: Quorum interpretes vix quartam partem unanimi consensu recte exponunt. Et primum quidem נשר *neser* genuinam esse aquilam neminem latet. Secundum quoque פרס *peres*, & tertium עזניה *oznija* in aquilarum esse genere apud multos in confesso est. Sed de specie disputatur. Nobis פרס *peres* est ossifraga, quia פרס vel פרש *parat*

per

per *ſin ſemol* eſt frangere, adeoque oſſa frangere Mich. 3. 3. Et עזניה *oznija*, quæ nomen habet à robore ſumptum, Græcorum *μελαναίετος*, aquila omnium robuſtiſſima & fortiſſima. Quod poſt Homerum, Ariſtoteles, Plinius, & multi alii aſſerunt. Proinde à valendo *valeriam* priſci Romani appellabant.

Quartum ab Hebræis in Levitico דאה *daa*, in Deuteronomio ראה *raa* ſcribitur, *res* & *daleth* permutatis, quia ſunt literæ ſimiles. Quorum illud à volatu, hoc à viſu ſumptum eſt. Sed in Samaritano exemplari utrobique ſcribitur ·ࠄࠀࠃ *daa*, quod probo magis. Quia poſt Hieronymum pars interpretum longe maxima milvum hic intelligunt, qui hodieque apud Arabes حداة *hida* dicitur. Milvus autem in viſu nihil habet notabile ſupra reliquas aves rapaces. Sed volatu eſt eximius. Vix enim ulla eſt avis quæ aut altius aut diutius volet. Et peculiare illi eſt quod quandoque ex ſummo aëre, alis per horam integram immotis, captat prædam. Quod Itali *tendere*, nos *planare* dicimus.

Quintum איה *aja* quid ſit neſcitur. Alii enim vulturem, alii milvum, alii bubonem, alii picam aut cornicem, alii inſularem avem exponunt. Multi vel avem in genere, vel rapacem avem eſſe ſcribunt, de ſpecie non ſolliciti: Nobis videtur eſſe *æſalon*, accipitris genus quem Germani ſmirle appellant, Itali *ſmerle* & *ſmeriglio*, nos *eſmerillon*. Nempe ut clangit aquila, pipat accipiter, jugit milvus, & crocitat corvus: Ita hæc avis يايا *jaja* juxta Arabes: Unde avis يويو *juju* dicitur, & vox ejus اليايا *aljajao*. Quo alludere Hebræum איה *aja* nemo non videt. Præterea hanc eandem avem ab oculi venuſtate & perſpicacia commendant tam philoſophi quam poetæ Arabes, ut ſuo loco probamus. Quod ad hæc Jobi notandum: *Semitam ejus non novit* עיט *avis rapax, neque illam vidit* עין איה *oculus aja*, quantumvis acer & perſpicax cap. 28. v. 7.

Poſt איה *aja* in Deuteronomio ſextum ſequitur דיה *daja*, in Levitico à ſcribis, ut videtur, omiſſum propter τὸ ὁμοιόπτωτον. Plerique alii multo aliter, ſed vulturem reddunt R. Selomo, Caſtalio, Schindlerus, Fullerus, Anglica verſio & Italica. Quam interpretationem non parum confirmant hæc Eſ. 34. 15. de Idumææ deſolatione: *Ibi* דיות *dajoth congregabuntur*. Nam ex conſenſu interpretum hoc ſaltem conſtat, agi de rapaci ave. Porro in rapacibus, gregalis nulla eſt præter vulturem. Nomen à nigredine ductum eſt. Nam דיו *dejo* eſt atramentum, & דיוא *dajava* diabolus Syris &

(a) Lib. 10. c. 6. Perſis. Itaque דיה *daja* non quoſvis vultures ſignificat, ſed ſolum nigros, de quibus Plinius, (a) *Vulturum prævalent nigri*. Illi proinde ſeptimum jungitur עורב *oreb* corvus, tanquam avis concolor.

Octavum eſt בת יענה *bath jaana*, ſeu filia clamoris aut cantus, & nonum תחמס *thachmas*, quorum hoc ſtruthionem marem, illo fœminam ſignificari, mihi perſuaſiſſimum eſt. Non me latet בת יענה *bath jaana* à novis interpretibus ululam aut bubonem reddi. Et noſtro ſæculo Fullerum hanc verſionem magno conatu aſſeruiſſe. Sed iidem veteres habent hac in parte diſſentientes. Seniores enim, Aquila, Symmachus, Theodotio, Chaldæi, Syri, Arabes ſtruthionem interpretantur. Ita etiam Hebræorum vetuſtiſſimi, qui proinde ab omni ævo à ſtruthionis eſu abſtinuerunt, tanquam in Dei Lege ſibi diſerte prohibito. Fruſtra Fullerus objicit non debuiſſe illis prohiberi Æthiopicum animal à Judæa remotiſſimum. Cum Arabiæ quoque deſerta Judææ finitima ſtruthionibus ſcateant. Nec minus futile eſt quod addit, ſtruthioni non convenire nomen à clamore aut cantu factum; Et prophetas *bath-jaana* tribuere ferales planctus, quales ſtruthionem edere nuſquam ſcribi. Nam Arabes, in quorum ſolo naſcuntur ſtruthiones, de illorum cantu & planctu multa habent à nobis ſuo loco citata, quibus hoc abunde refellitur. Rem addidi hactenus prorſus ignotam, nomine תחמס (quod veteres *noctuam aut hirundinem* recentiores *falconem, accipitrem, harpen, harpiam, cymindim* aut *nycticoracem* reddunt) non aliud ſignificari quam *ſtruthionem marem*, ut Arabico ظليم *dalim*. Quippe חמס *chamas*, unde תחמס *thachmas*, eſt inique & impie agere, ut Arabice ظلم *dalama*, unde ظليم *dalim* ſtruthio mas. Itaque in Arabum paraphraſtis Hebræum חמס *chamas* ſolet per *dalama* reddi, quod multis probatur à nobis. Ut igitur à *dalama* ſtruthio mas Arabice *dalim* vocatur, ita Hebraice *thachmas* dictus videtur à verbo חמס *chamas* huic plane ſynonymo. Et merito ab impietate illi avi nomen inditum, quæ duram ſe exhibet erga pullos ſuos, ac ſi non eſſent ſui Job. 39. 19. & Thren. 4. 3. Fœmina autem cur nominetur priore loco, & ejus eſu prohibito mas quoque interdicatur, docemus p. 231. Hic igitur tantum addimus tertium ſtruthionis nomen רננים *renanim* legi Job. 39. 16. Quod ſolus veterum Hieronymus animadvertit, quamvis res ſit valde obvia. Nam graphicæ quæ ſequitur ſtruthionis deſcriptioni nomen avis quæ deſcribitur præfigi oportuit, prout in reliquis factum. Errant igitur toto cœlo qui pavones hic intelligunt. Et huic verſioni repugnat non ſolum textus ſeries, ſed & hiſtoriæ fides: Quia Jobi ævo pavones in India latebant, nec ante Solomonem in Judæam allati ſunt. Si quis roget quorſum ſtruthiones רננים *renanim*, id eſt canori, dicantur: Idem de pavone rogabo, qui vocem habet prorſus abſonam, de qua apud Junonem graviter conqueritur Phædri fab. 57. Quid quod etiam Arabice زمار *zimar*, id eſt cantus, vocatur ejulatus ſtruthionis fœminæ, quam voce רננים *renanim* Job deſignavit. Et eodem pertinere docuimus aliud ejuſdem nomen בת יענה *bath-jaana*.

Decimum nomen שחף *ſachaph* à tabe ſumptum. Nam שחף *ſachaph* verbum tabeſcere eſt, & שחפת *ſachepheth*, tabes ſeu phthiſis. Proinde שחף *ſachaph* Arias reddidit *avem phthiſicam*. Sed Græci & Hieronymus optime λάρον *larum*, cujus totum alimentum fere in plumas abit. Itaque ſcribunt veteres *εἶναι αὐτὸν πολὺν μὲν ἐν τοῖς πτεροῖς, ὀλίγον δὲ ἐν τοῖς κρέαςι, eum plumarum multum habere, ſed parum carnium*. Et ut Bellonius autor eſt, cum ſit gallina craſſior, tantum carnis non habet quantum coturnix. Hoc igitur ſequi quanto ſatius eſt, quam cum recentioribus *cuculum* aut *fulicam* aut *æſalonem* interpretari?

Undecimum נץ *nets* à volando factum accipitri valde convenit, qui volatu maxime præſtat. Proinde, magno veterum & recentiorum conſenſu, referunt ad accipitrem, quem hodieque *niſum* non pauci vocant. Tamen in fabulis Niſus Rex Megarenſium pro accipitre in haliæetum mutatus fuiſſe fingitur. Sed accipitris una ſpecies *lanarius* ad haliæetum tam proxime accedit ut viſu non poſſint dignoſci, ſed ſolo paſtu.

Duodecimum כוס *chos* Symmachus upupam interpretatur, ſi Hieronymo credimus. Sed puto legendum *ululam*. Quia apud omnes veteres כוס *chos* eſt avis nocturnæ ſpecies, puta *nycticorax, bubo, noctua*. Nempe Seniores præiverant, qui pro כוס *chos* videntur legiſſe בום *bum*, quomodo Arabes *nycticoracem* vocant. Licet enim hæ duæ voces ſono valde differant, tamen ſcriptura ſunt ſimillimæ. At כוס *chos* primo poculum ſonat, illudque valde amplum. Unde eſt quod Græci *κόνδυ* reddunt Eſ. 51. 17. Perſici poculi genus, quod continebat decem cotylas. Deinde onocrotalum ſuſpicor ita fuiſſe appellatum, ab amplo illo vaſe quod habet in infima parte roſtri; Romani *truam* vocabant. Unde ipſa avis *truo* dicta eſt. Quo dato, in his Davidis Pſalm. 102. 7. *ſimilis factus ſum pelecano deſerti, & fui* ככוס חרבות, *ut chos ſolitudinum*, optime cohærebunt duo hemiſtichia. Quia pelecanus & onocrotalus ſunt aves ſimillimæ, quaſque à ſcriptoribus paſſim promiſcue ſumi à multis obſervatum eſt.

Decimum tertium שלך *ſalach* Hieronymus & ex eo multi recentiores *mergulum* aut *mergum* reddunt. Sed Seniores *καταῤῥάκτην*, quod probo magis. Quia שלך *ſalach* verbum ſignificat ex alto dejicere. Itaque Græci *καταῤῥάσσειν* reddunt Pſ. 101. 11. Id autem catarrhactæ proprium, qui vel ex ſummo aëre, vel ex vertice rupis in mare cum impetu ſe dejicit, cum videt prædam. At mergus ſolum in aquas quibus innatat demergitur. Sunt qui *pro mergo* aut *catarrhacte, ardeam, larum, gaviam, fulicam, corvum aquaticum* exponunt. Sed Græcorum verſioni ſteterim, quæ videtur omnium optima.

Decimum quartum ינשוף *janſuph* vel *janſoph* Græci & Hieronymus *ibin* reddunt Eſ. 34. 11. ubi de Idumæa dicitur: *Janſuph & corvus in ea habitabunt*. Quæ verſio non poteſt ſtare, quia Ægyptia eſt avis *ibis*, quæque non vivit extra Ægyptum.

Arabes

Arabes in Lege الباشق *albasak*, accipitrem exponunt, & in Esaia الحبارى *albubara*, otidem. Sed Syrus & Chaldæi duo קפופא *kiphupha*, bubonem, longe melius. Cum quia ינשוף *jansuph* à tenebris nomen habet, tum quia ad Idumææ vastationem pertinet magis ut bubones in ea habitent.

Decimum quintum תנשמת *thinsemeth* huic commode jungitur, ut avis buboni simillima, nempe noctua. Itaque Hebræorum doctissimi noctuam sic dici volunt, quia quisquis illam videt שום miratur & obstupescit. Quod de hominibus tam verum non est quam de reliquis avibus. Eas enim insolitâ noctuæ formâ in stuporem rapi asserunt Aristoteles, Timo sillographus, Lucianus, Dio Chrysostomus & alii. Cur Græci porphyrionem, Hieronymus cygnum, Arabes *sahin Sacri* speciem interpretentur mihi non constat. Et his Chaldæos oppono, quorum unus אותיא, *otium*, alter בותא, *bubonem*. Et Syrum qui ܟܘܟܒܐ *cocabi* hîc habet, id est νυκτικόρακα *noctuam*.

Decimum sextum קאת *kaath*, factum ex קאה *kaa* id est vomere, pelecano plane congruit, qui conchas jam absorptas & calore ventris apertas revomit, ut ex iis esculenta legat. Quod post Philosophum tradunt scriptores magno numero. Et ardeæ idem tribuunt Plutarchus & Ælianus. Sed pelecanus ab ardea solo fere rostro differt. Itaque à nonnullis habetur pro ardeæ specie. Et Hebræo nomine designari potuit utraque avis. Tamen de pelecano res certior, quia Græci & Hieronymus ita exponunt. Recentiores *upupam* reddunt, *cuculum*, *onocrotalum*, *ibin*, *phalacrocoracem*, & quid non?

Decimum septimum רחם *racham* vel רחמה *rachama* à רחם *rechem* id est à misericordia sumptum, variis conjecturis locum dedit, quas hic afferre nihil attinet, cum à vero abeant quam longissime. Itaque solos Arabes hic cum fructu consului, quibus tam nota est hæc avis quam aliis prope ignota. Et ab iis hoc ipso nomine vocari didici eam aut aquilæ aut vulturis potius speciem quæ propter varios colores Græce ποικιλόπτερος dicitur & ὀρειπέλαργος. Et ab ambigua specie γυπαίετος *vultur-aquila*. Quam à misericordia nomen habere si quis miratur, (cum plerique vulture non putent quicquam esse immanius) discat is ex Herodoto apud Plutarchum, vulturem omnium sui generis animalium esse δικαιότατον καὶ ἀβλαβέστατον *justissimum & minime noxium*, quod ibidem multis probat. Et ex Cassiodoro, quam fortiter alias aves ab accipitre defendat. Et ex Scaligero, quam pie parentes suos præ senio pennis nudatos foveat, atque etiam alat. Ita ut, inquit, aliud verbum jam Græcis fingendum sit quam ἀντιπελαργεῖν, nempe ἀντιγυπεῖν. Sed quod ad rem maxime facit, quia רחם *rechem* proprie est στοργή, id est tenerrimus ille affectus quo parentes suos liberos prosequuntur; In Homero & Æschylo legat quam graviter afficiatur vultur pullis suis ex nido ereptis. Et in Pisida quomodo femore exsecto illos alat proprio sanguine, cû alii cibi non suppetunt. Et in Hori Hieroglyphicis, Ægyptios ob id ipsum matrem aut misericordiam vulturis imagine pingere.

Decimum octavum חסידה *chasida* sequitur non immerito, cum à pietate & benignitate sit factum. Nempe *chasida* est ciconia, quæ in Ambrosio *avis pia* dicitur, & in Publio *pietaticultrix*, quia parentibus vices rependit, nullâ lege adducta, sed naturæ bonitate. A quâ versione quamvis longe abeant plerique veteres, tamen eam esse verissimam, & ex nomine probamus, & ex Scripturæ locis inter se collatis, & ex Syrorum, Arabum & Hebræorum suffragio.

Decimum nonum אנפה *anapha* ab ira sumptum est, ut à misericordia & pietate illa duo quæ præcesserant. Videndum an sit falco montanus, cujus animum irritabilem & ad iram maxime pronum quam graphice describat Albertus, vide libri nostri parte secundâ pag. 338. Aut aquilæ species quæ Arabice زمج *zummag* ab iracundia dicitur. Ad anaphæ nomen alludit Homeri vox ἀνοπαῖα, pro ave quam aquilini generis esse scribit Eustathius. De cætero vocis אנפה *anapha* solus Pagninus decem habet interpretamenta. Nos multo plura, petita partim ex iis libris quos Pagninus non viderat. Græci qui χαραδριὸν reddunt, videntur legisse אגפה *agapha* pro אנפה *anapha*. Nam אגף *agaph* est ripa fluminis, ubi χαράδραι, unde dictus χαραδριός.

Vigesimum דוכיפת *dukiphath* pro upupa, fortasse est peregrina vox, composita ex דוך *duc* & כיפת *Kephath*. Quorum prius ad ديك *dic* alludit, Arabicum galli nomen, posterius ad Syrum ܟܐܦܐ *Kepha* pro petra. Sic upupa *gallus saxatilis* dicta fuerit, quia cristam habet ad instar galli. Ita Hebræi hodieque upupam *gallum sylvestrem* aut *montanum* vocant, Hesychius ἀλεκτρυὼν ἄγριον, Græcia recens ἀγριόκοκορον. Et jam olim id ipsum fuit Æschylo πετραῖος ὄρνις. Ad Hebræum דוכיפת *dukiphath* nonnihil alludunt upupæ nomen Ægyptium κουκουφά, & Syrum ܩܘܩܘܦܐ *Kikupha*.

Vigesimum primum עטלף *atalleph* est vespertilio. Per literarum trajectionem ita dicitur pro עפטלי *aph* vel *oph tallel* avis tenebricosa. Sic Græce vocatur νυκτερίς, quia est πτηνὸν νυκτερινόν. Et Latine *vespertilio*, quia non nisi vespere volat, unde poeta:

Nocte volant, seroque tenent à vespere nomen.

Nempe vespertilio naturâ suâ est νυκτάλωψ, & propter oculi parvitatem plus videt vesperi, quam interdiu. Quod vitium Arabice dicitur الخفش *alchaphas*: unde ipsa avis الخفاش *alchoppbas*.

Etiam in serpentum nominibus sæpe erratur. Sic cum אפעה *ephe* viperam esse constet ex Aquila & Arabum scriptis, & hoc illi nomen fecerit ἡ ὠδινοτοκία: Tamen à nonnullis אפעה *ephe* pro vipera *draco* redditur, & *aspis* & *regulus*, & *serpens volucer* aut *adurens*. Ut פתן *pethen* pro aspide *draco*, unde factum *Pythonis* nomen. Et צפע *tsepha* pro regulo *cerastes*, *amphisbana*, *hamorrhous*, *vipera* &c. At regulum esse didicimus ex Aquila, Chaldæo, & Hieronymo, qui constanter ita exponunt. Et vero nomen צפע *tsepha* ipso sono videtur horrorem sibili exprimere quo reliqua animalia terret & fugat. Ita in Jacobi verbis, *Dan erit serpens super viam*, שפיפן *sephiphon super semitam*, nomen *sephiphon* pertinere probamus ad duas serpentum species valde similes, *cerasten* & *hamorrhoum*, quos solos è serpentibus χωλεύειν & ἐπισκάζειν, id est claudicare dicit Nicander: Quia cum spinam osseam non habeant, ut reliqui serpentes, sed ex meris cartilaginibus, non possunt recta progredi. Claudicare autem est שפף *saphaph*, unde שפיפן. Et Vulgata hic habet cerasten, quod Arabs uterque sequitur. At alii *acontiam*, *aspidem*, *basiliscum*, *colubrum*, *viperam* &c. שרף *saraph* quoque varie exponitur. Et quia ab urendo nomen habet πρηστῆρα & καύσωνα reddunt nonnulli recentiorum. Nos ex Deut. 8. 15. & Es. 30. 6. volucrem esse serpentem probamus in Arabia & Ægypto, qui adurit flatu vel morsu: Nec nisi soli hydro aut chersydro si mavis convenire has notas.

Insectum quoque pro insecto non raro sumi videas. Sic pro כנים *Kinnim*, id est pediculis, Græci interpretes habent σκνῖπας culicum genus Exod. 8. 16. Et Hieronymus *omne genus muscarum*, & *muscas diversi generis* pro ערוב *arob*, id est κυνόμυια Exod. 8. 21. Quia putavit vir sanctus corruptam esse vocem, & legendum κοινόμυια. Quæ vox non extat uspiam, nec si extaret, id significaret quod ille vult. Rursus Psalm. 38. (Hebr. 39.) 12. Hebræum כעש, *ut tineam* Græci reddunt ὡς ἀράχνην, *ut araneam*. Et in libris Joel (a) & Amos (b) גזם *gazam* illis est κάμπη, *eruca*; Cum sit locustæ species, quæ non solum gramen & segetes & arborum folia, sed & earum cortices tenerosque ramusculos morsu incidit, quod ipso nomine docetur. Denique Ps. 58. 9. שבלול *sabbelul* Aquila & Hieronymus γῆς ἔντερον *vermem* interpretantur. Sed limacem שבלול *sabbelul* dici planum est, quia ישב בלול *jasab belul*, id est habitat in cochlea. Et de impio scribit Psaltes, כמו שבלול תמס יהלך, *sicut limax liquescens ibit*, quia limax est ὑγροκέλευθος, ut apud Athenæum habetur in veteri de cochlea gripho. Et virus suum ubique spargens, videtur paulatim absumi. Itaque etiam in Talmude & *Berescith Rabba*, qui Hebræorum libri sunt vetustissimi, limacem hoc ipso nomine appellari reperiet quisquis harum rerum curiosus est. Pulices pro culicibus passim sumi video etiam à doctissimis. Ita in Giggeio برغوث multoties redditur culex פורטענא itidem in Boderiano & Buxtorfio, cum utrumque pulicem sonet.

(a) Joel. 1. 4. & 2. 25.
(b) Amos 4. 9.

Aqua-

Aquatica supersunt, in quibus cavendum ne cetorum aut cetaceorum species confundantur. Nam cum dicitur Deus *creasse* את התנינם הגדולים, *magna cete* Gen. 1. 21. Et *ceto ponere custodiam* Job. 7. 12. Et *conterere capita cetorum super aquas, & confringere Leviathanis caput, ut det eum in escam populis qui in deserto habitant* Psal. 74. 13. 14. Et *fecisse Leviathanem ut in mari luderet* Ps. 104. 26. Et *cetos in abyssis laudare factorem suum* Ps. 148. 7. Magna cete intelligimus, qualia sunt balæna, pristis, orca, physeter. Et cum leguntur cete *mammam educere ut lactent catulos suos* Thren. 4. 3. præter majora illa cete etiam minora significantur ut phoca, delphin, tursio, quæ mammas suas tanquam è vaginis educunt ad su-
Matth. 12. 40 ctum catulorum emissitias. At magnus ille piscis qui Jonam absorpsit, quamvis cetus vocetur tam à Matthæo quam à
Jon. 2, 1. Græcis interpretibus, tamen cetus non fuit proprie dictus, sed canis carcharias. Qui licet balænâ multo minor, tamen gulæ meatus habet longe vastiores. Unde est quod alio nomine λαμία *lamia* vocatur ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαιμὸν, *à gulæ amplitudine.* Itaque cum balæna, propter œsophagi angustias, non nisi pisciculos deglutiat, in canis carchariæ ventre circa Massiliam capti loricatum hominem integrum repertum fuisse tradunt idonei scriptores. Et in Græcorum fabulis Hercules à cane absorptus in ejus interaneis per triduum latuit. Quam fabulam ex historia sacra de Hebræo vate ortam esse nemo non videt. Rursus cum Es. 27. 1. Deus gladio suo duro, magno & forti animadversurum se minatur in *Leviathanem serpentem vectis*, Judæi verum cetum intelligunt, cumque tantæ molis ut ab uno maris extremo ad alterum attingat, atque ideo vocetur *serpens vectis.* Nos hoc nomine Zygænam significari putamus, quæ caput vectis instar habet è transverso situm. Et quotus quisque est qui non putet ad balænam pertinere quicquid de Leviathane habetur Job. 40. & 41. cum palam agi de crocodilo ex ipsa descriptione multis probemus. Sic Ezek. 29. 3. & 32. 3. תנין seu cetus qui pedes & squamas habet, & Nili aquas conturbat pedibus suis, & in terram inde ascendit, & tandem reti capitur, hamo in maxillas ejus indito, quid aliud sit quam crocodilus, quamvis omnes interpretes in quos incidi, agi putent de vero ceto? Ibidem cum crocodilo Pharaonem à Propheta merito conferri notamus, quia ipso Pharaonis nomine crocodilus significatur, quod nos docent Ægypto vicini Arabes. Tobiæ denique piscem non esse callionymum, ut creditum est hactenus, sed silurum aut glanidem, qui piscis est siluro similis, iis rationibus evincimus quas nemo facile refellet.

Sequitur error tertius prioribus gravior. Cum quis non in sola specie, sed in toto genere errat, ut si quadrupedis vel serpentis nomen ad avem aut ad insectum transferat. Cujus erroris exempla hæc sunt. קפד *Kippod* in Esaia & Sophonia veteres *hericium* optime reddunt: Cum Chaldæi, Syri, Arabes & Æthiopes hericium voce simillima appellent, neque interpretationi receptæ quicquam repugnet. Itaque non possum mirari satis cur ab ea discesserint recentiores, ut hericio lutram, castorem, testudinem aut avem etiam substituerent. Puta noctuam, vulturem, merulam, plancum, cypselum, butaurum &c. Tot enim reperio hujus vocis versiones, quas suo loco refello.

Prov. 30. 31. in animalibus quæ magnifice incedunt censetur זרזיר מתנים *zarzir mothnajim*, ad verbum *accinctus lumbis.* Quod veteres ad gallum cur tanto consensu referant mihi non constat. Quorsum enim dicatur gallus lumbos habere succinctos? Præterea Solomonem patet de quadrupedibus agere, non de avibus. Quippe *accinctus lumbis* inter leonem & arietem medius est. Iis igitur accedo potius qui vel equum vel canem Gallicum intelligunt, quorum ille arte, hic natura succinctus & adstrictus est. Unde Gratius in Cynegetico de hujusmodi canibus:

——— *adstricti succingant ilia ventris.*

Et Ovidius in fabula Actæonis:

Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon.

At equum intelligi malim, qui non solum expedite, sed & superbe & cum pompa quadam incedit: Et lumbos habet cingulâ vel zonâ vere succinctos. Quod an de cane dici possit valde ambigo.

Verba Jeremiæ cap. 12. vers. 9. עיט צבוע vulgus interpretum *avem pictam* exponit, sensu vel nullo vel valde obscuro. Sed Seniores σπήλαιον ὑαίνης *speluncam hyænæ*, quod magis quadrat, ut pluribus docemus. Et vero, quod hactenus latuit Lexicographos, *hyæna* Hebraice dicitur צבוע *tseboa* à variis coloribus qui illam insigniunt. Proinde 1. Sam. 13. 18. pro גי הצבעים, *valle Tseboim* Græcorum interpretum unus habet φάραγγα τῆς ὑαινῶν *vallem hyænarum.* Et in Hebræo libro de Animalibus, quem in Suecia legi manuscriptum, צבוע *tseboa* valere dicitur *ad sepulchrorum effossionem, ad tractionem cadaverum, & ad pugnandum in canes.* Quæ ad hyænæ descriptionem pertinere palam est, unde Sirachides Eccles. 13. 21. Τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα; *Quæ pax hyænæ cum cane?* Arabice denique hyæna dicitur voce facta ex Hebræa צבוע. Illa igitur deinceps Hebraicis lexicis inserenda est.

(a) Es. 13. 21 ציים *Tsijim* & איים *ijim* in Babylonis & Idumææ desertis describunt prophetæ duo Esaias (a) & Jeremias (b). ציים
22. & 34. 14 *tsijim* videntur esse sylvestres feles & איים *ijim* thoes, ab acuto ululatu sic appellati. Huc facit quod feles Arabice ضياون
(b) Jerem. 50 *dsajavvino* appellantur voce non absimili: Et Thoes بنات اوي *filia avvi*, quasi ululatu suo non aliud sonent quam
5. *avvi.* Nec parum confirmatur ex his Es. 13. 22. *Alternis clamabunt ijim in palatiis ejus.* Thoum enim ululatum esse alternum ex Alberto, Bellonio, Scaligero, & Busbequio scimus. Nec temere junguntur in prophetis איים *ijim* & ציים *tsijim*, cum felium in desertis coeuntium dira vox thoum ululatus aliquo modo referat. Proinde cum infantium vagitibus utrumque conferri video. Hæc conjectura nostra est de vocibus jam olim parum notis, quasque Aquila, Symmachus, & Theodotio nude describunt σιεὶμ & σιείν, διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ἑρμηνείας, propter *incertam interpretationem.* Seniores ציים *tsijim*, θηρία, δαιμόνια & ἰνδάλματα reddunt, & איים *ijim*, ὀνοκένταυροι. Hieronymus itidem ציים, *bestias, dæmonia & dracones* habet, & pro איים, *ululas, onocentauros & Faunos Ficarios.* In versione vernacula ציים *tsijim* sunt feræ eremicolæ, & איים *ijim* feræ insulares. Quod non capio, quia si quæ essent feræ insulares, id est insularum propriæ, eæ in Babylonia & Idumæa non habitarent. Tamen Hebræorum multi sic reddunt vocum etymologiâ freti.

Prov. 30. 28. שממית *semamith manibus apprehendere, & in Regum palatiis esse* dicitur. *Semamith*, id est *stellio*, qui à veneno sic appellatur. Ut apud Græcos recentiores σαμιαμίνθι. Et Arabice *Sammabras*, nomine facto partim a veneno, partim à maculis tanquam lepræ. Itaque Græci, Hieronymus, Syrus, Chaldæus, stellionem hic intelligunt. Et Levit. 11. 30. סממיתא *semamitha* pro stellione sumitur tam à Chaldæis quam à Samaritano interprete. Quomodo etiam à Talmudicis. Nec dari potest ulla ratio cur verba Solomonis ad stellionem non pertineant, cum stellio manus habeat hominum manibus persimiles. Et palatia Regum, in quibus est profundior lapidum congeries, illi sint pro domicilio. Proinde non probo novos interpretes, qui pro stellione araneam habent, quæ digitos quidem habet, sed nullas manus: Et in pauperum tabernis tutius degit quam in Regum turribus.

In his Es. 34. 15. de Idumææ vastatione, *Ibi nidificabit* קפוז *Kippoz, & pariet, & excludet, & fovebit in umbra sua*, קפוז *kippoz* esse aconitam seu jaculum ex Avicenna didici, à quo hic serpens قفازة *kipphaza*, quasi ἀλτικὸς vel πηδητικὸς dicitur, quia tam est agilis, ut si sit opus, viginti cubitorum spatium saltu transmittat. At prisci interpretes hericium reddiderant, quasi קפוז *kippoz* idem esset cum קפד *kippod.* Quod cum stare non posse viderent recentiores, quia ex Esaia constat animal esse oviparum, קפוז *kippoz* pro hericio avem esse voluerunt. Itaque alii bubonem, alii scopem, alii merulam, alii cypselum exponunt: Aliqui etiam testudinem. Sed nemini venit in mentem de serpente hic agi, multo minus de acontia. Quod in tractatu de serpentibus planum facimus.

Ibidem

Ibidem docemus כפיר *chephir* & שחל *sachal* & צבוע *tseboa*, non solum quadrupedum, sed & serpentum esse nomina. Nempe כפיר *chephir*, ut leonis, ita etiam draconis catulum sonat. Ut synonymum شبل *sablon* apud Arabes ad utrumque est æquivocum. Itaque כפירים *chephirim* Græci dracones reddunt Job. 4.10. & 38.39. Et iisdem שחל *sachal* est aspis Ps. 90. (Hebr. 91) 13. Quia ut in leonibus שחל *sachal* est leo niger, ut supra observatum, ita etiam aspis in serpentibus niger est, quod ex Æliano, Pausania & Avicenna probare sit obvium. Puto igitur in his Psalmi, *Super sachal & pethen ambulabis, conculcabis chephir & thannin*, censeri perperam שחל *sachal* & כפיר *chephir* inter leonum genera, & ad aspides aut dracones tam pertinere quam פתן *pethen* & תנין *thannin*. Leones enim cum draconibus jungi non solent, nec eodem modo calcantur. Pari ratione צבוע *tseboa* non solum est hyæna quadrupes, sed & hyæna serpens. Ut enim ab Hebræis צבוע *tseboa*, sic à Græcis ἡ ὕαινα ponitur inter serpentum species. Quæ cum hyæna quadrupede legitur duo habere communia, unum quod colore varia est, alterum quod alternat sexum. Proinde 1. Sam. 13. 18. *vallem Tseboim* Hebræi ab hyænis quadrupedibus appellari non putant, sed à viperis ita dictis, quibus hæc vallis fœcunda fuerit. Neque id novum ut serpens cum fera quadrupede commune nomen habeat. Sic enim aspis Æthiopice ተኩላ፡ *tachuola* dicitur, id est lupus. Et cenchrines in Nicandro λέων αἰόλος *leo varius*.

Etiam in toto genere ii peccant qui Job. 40.10. בהמות *behemoth* pro elephante habent. Elephas enim est animal merè terrestre: Sed *behemoth* amphibium & ex parte aquaticum. Quod hæc docent v. 18. *Ecce premat eum fluvius, non trepidabit: Securus erit, quamvis erumpat Jordanes super os ejus.* Quæ licet interpretes alio detorqueant, tamen Hebræa verba nullam aliam versionem admittere liquido constat. In amphibiis porro nullum occurrit animal cui conveniat descriptio τοῦ *behemoth* præter hippopotamum. Qui cum Leviathane seu crocodilo non sine causa jungitur, cum sit animal congener, atque ejusdem amnis incola. Proinde plerique veterum de utroque conjunctim agunt.

Jam cum עכשוב *achsub* aspidem esse Ps. 140. 4. tam doceat ratio nominis quam consensus interpretum, in quorum numero est Paulus Rom. 3. 13. Chaldæus tamen araneam reddit, quasi esset עכביש *acchabis*.

Quartum erroris genus est omnium gravissimum, cum pro animalibus habentur quæ animalia non sunt. In quem sæpe sæpius Scripturæ interpretes incidere sequentia palam facient. Hodie nemo est qui הימים *hajemim* non putet esse mulos, cum legit, Gen. 36. 24. Anam Esavi socerum *in deserto hajemim invenisse, dum pasceret asinos Sibonis patris sui.* Hebræi enim omnes huic Anæ mulorum inventionem tribuunt, quasi primus omnium asinis equas subjecerit, ex quibus muli nati sint. Quod sequuntur omnes omnino interpretes recentis ævi. Id tamen ut ridiculum Magistrorum commentum multis rationibus explodimus. Et defectivum הימים *hajemim* ibi loci probamus idem esse quod plenum האימים *Haemim*, id est Emæos populos, quomodo recte scribunt Samaritani. Ac proinde his Prophetæ verbis non aliud significari, quam Anam Esavi socerum in Emæos populos illis locis vicinos incidisse, aut irruisse, & illis profligatis nominis sui famam ad posteros propagasse. Neque aliud voluit Onkelos, cum pro הימים *Hajemim* habet גבריא *gibbaraja*, id est gigantes. Emæis enim à Mose Gigantæa statura tribuitur Deut. 2. 11. 12.

Tale est quod Jerem. 11. 19. *Fui ut agnus* אלוף *alluph, qui ducitur ad lanienam* nomine אלוף *alluph* Hebræi omnes, & hos sequuti recentiores, *bovem* intelligunt. Itaque conjunctionem supplentes reddunt, *Fui ut agnus & bos.* Sed optime Græci, ἐγὼ δὲ ὡς ἀρνίον ἄκακον. Et Hieronymus: *Et ego quasi agnus mansuetus.* Et Chaldæus *ut agnus* בריר *berir*, id est simplex. Ita enim esse legendum pro בחיר *bechir*, id est electo, patet ex Syro exemplari. Nempe אלוף *alluph* vel *aluph* apud Hebræos id ipsum fuit quod hodieque apud Arabes, agni epithetum, qui tam cicur & mansuetus est ut domini sui vestes lingat. Ita Giauhari & Alcamus in voce رووم *ravvum*, quam explicant per الوف *aluph*.

Ita nomine בזק *bezek* multi agnum intelligunt 1. Sam. 11. 8. ubi legitur Saul Israelitas recensuisse in *Bezek*, id est inquiunt, per Paschales agnos, tanquam ex Talmude & Kimchio. Quin *Bezek* est loci nomen. Et Chaldæis ביזקא *bizka* calculus, ut βιζάκιον Græcis recentioribus. Neque aliter explicant Aruch, Selomo, & ipse Kimchius.

Etiam id falsissimum quod Magistri dictitant, יובל *jobel* vel Hebræis vel Arabibus esse arietem, & jubilæum inde dictum, quia cornu τοῦ *jobel* sive arietis promulgabatur. Neque enim יובל *jobel* pro ariete reperitur uspiam, aut jubilæum per cornu *jobel* fuisse promulgatum. Neque vero ex arietinis, sed ex bubulis cornibus, factæ sunt veterum buccinæ. Arietum enim cornua, quæ nec concavum nec sonorum quicquam habent, ad buccinarum usum essent prorsus inepta.

Nec minus falluntur qui קשיטה *Kesitam* agnum esse statuunt, quibus locis Jacob emisse legitur a filiis Hemor portionem agri centum *Kesitis*, & Job ab amicorum singulis unam *Kesitam* accepisse. Neque enim nomen קשיטה *Kesita* pro agna unquam usurpatum est. Quin apud Hebræos nummi genus est à sinceritate sic dicti. Et Jacobi ævo res rebus permutari jam desierant, & in usu erant veræ emptiones, quæ nummis fiunt vel appensis vel numeratis. Itaque Act. 7. 16. hic ipse ager emptus fuisse legitur τιμῆς ἀργυρίου *argenti pretio*, non agnis permutatus. Sed fefellit interpretes Græca versio, in qua pro ἑκατὸν μνῶν, id est *centum minis*, quomodo illi scripserant, lectum est ἑκατὸν ἀμνῶν *centum agnis*. Gen. 33. 19. Jos. 24. 32. Job 42. 11.

Prov. 7. 22. qui adulteræ lenociniis inescatur & irretitur, duci legitur *ut bos ad lanienam*, καὶ ὥσπερ κύων ἐπὶ δεσμοὺς *& ut canis ad vincula.* Ita habet Græca versio quam sequuntur Chaldæus, Syrus & Arabs. Unde origo proverbio, κύων ἐπὶ δεσμὰ *canis in vincula*, à canibus desumpto, qui cibi lenocinio ultro vinciendos se præbent. Cujus post Hesychium meminerunt Suidas, Zenodotus, Erasmus, quamvis sacrum esse non notent, & à Solomone usurpatum. Tamen pro verbis, *& ut canis*, Hebræa habent וכעכס, *& ut compes.* Unde Græcos colligo scripsisse κύφων, quod mutatum sit in κύων per scribarum imperitiam. Κύφων est catastæ genus, quâ rei vinciuntur. Item reus hâc pœnâ dignus. Quo ipso sensu hic sumitur Hebræum עכס. Jam igitur erroris fontes in Græca versione patent. At Vulgatus qui habet pro וכעכס, *& ut agnus lasciviens*, quid respexerit dicat qui potest. Ego certe nullus video.

Pari errore שחץ *sachats* putatur esse leo, cum nihil quicquam quam *elationem* sonet. Unde בני שחץ *filii elationis* vocantur procera animalia Job. 28. 8. & 41. 26. quomodo in Herodoto τὰ ὑπερέχοντα ζῶα. Si שחץ *sachats* esset leo, in iis locis occurreret in quibus colliguntur leonum synonyma, ut Job. 4. 10. Nahum. 2. 11. &c.

1. Reg. 20. 27. dubitatur an חשפי עזים sint *greges caprarum* quomodo reddunt interpretes, aut *caprearum hinnuli*, quia Arabicum خشف hinnulum sonat, quod probatur ex Arabum Lexicographis, & ex fabula de Christo à Mahumetanis conficta

חוח *choach* R. Selomo & Kimchius animal esse volunt, quia pro Hebræis חוח באהליהם, *choach in tentoriis eorum* Os. 9. 6. Chaldæus habet חתולין בברניתהון, *feles in palatiis eorum.* Elias quoque videtur in eadem esse sententia. Sed ibi חוח *choach* est spina, ut in Scriptura passim. Itaque pro חתולין *chatulin*, id est feles, scribendum in Chaldæo חרולין *charulin*, id est urticæ. Quod magistros fugisse miror, & recentes Lexicographos.

תחש *thachas* coloris genus est. Hinc pro pellibus תחש *thachas* quibus tegebatur tabernaculum, Seniores & Hieronymus in Lege habent *δέρματα ὑακίνθινα, pelles hyacinthinas*, Aquila & Symmachus ἰάνθινα, *janthinas*, Chaldæus & Syrus ססגונא *sasgona* id est *hysginum*, qui color janthino & hyacinthino vicinus est. Sed Hebræi תחש *thachas* pro colore volunt esse animal, quamvis quale illud sit nondum constet. Et Talmudici quidem nugantur unicorne fuisse, insigne sex coloribus, nec alia de causa creatum quam ut ex ejus pellibus tegeretur tabernaculum, quo facto ex hominum conspectu statim fuisse ablatum. At Aruch viverram esse statuit, & R. Selomo *taxum* aut *taxonem*. Quod avide amplexi sunt recentiores, quia ad תחש *thachas* alludit *taxus*. Sed inanis est hæc allusio, quia novum est *taxi* aut *taxonis* nomen. Atque

ipsum

ipsum animal veteribus prorsus ignotum. Aliud enim est melis. Nec ex taxi pellibus in Arabiæ desertis tegi potuit tabernaculum, cum in calidis regionibus hoc animal raro nascatur. Nota imprimis Ezek. 16. 10. inter ornamenta sponsæ cum lineis & sericeis vestibus, & coronâ, & inauribus, & monilibus, & armillis, poni calceamenta תחש *thachas*, quod esset perridiculum, si taxus intelligeretur. Quis enim vel è fæce plebis vellet ita calceari?

Sic disputatur acriter quæ animalia sint אחים *ochim* Es. 13. 21. ubi de Babyloniis dicitur, *& replebuntur domus eorum* אחים *ochim*. Et Hieronymus quidem *dracones* habet. Ex Hebræis alii *feles*, alii *furones*, alii *mustelas*, alii *simias* exponunt. Nostri *manticboras, martes, Faunos, ferales aves, noxia animalia.* At mihi אחים *ochim* aliud non sunt quam ferarum ululatus quibus deserta personant, quomodo acceperunt omnes Scripturæ interpretes ante Hieronymum. Et ex linguis Hebrææ affinibus confirmari videtur hæc versio.

Ex usu Linguæ Syræ גלים *gallim* Græci χελώνας *testudines* interpretantur in his Os. 12. 11. *Aræ eorum sunt* כגלים *ut gallim*. Sed ibi גלים *gallim* esse lapidum acervos docet contextus tota series.

De quadrupedibus hactenus. Nec in avibus minus peccatur. Ita Job. 29. 18. Hebræi ad phœnicem hæc Jobi verba referunt: *Dixeram, in nido meo moriar* וכחול *& sicut chul multiplicabo dies.* Illis enim si creditur, in eo loco חול *chul* est phœnix. Cum חול *chul* idem sit quod חול *chol*, nempe arena: Cujus numero per hyperbolen Job confert numerum dierum quibus victurum se speraverat.

Et 1. Reg. 4. 23. ברברים אבוסים *barburim abusim* Hebræi *gallos* aut *capones saginatos* esse asserunt. Cum hæc verba non aliud sonent quam *electilia* (ad præsepe) *saginata*. Quomodo ex usu Scripturæ non saginantur nisi pecudes.

Job. 38. 36. *Quis posuit in renibus sapientiam, aut dedit* לשכוי τῷ *sechui intelligentiam?* id est *gallo* ut volunt. Ita ex Talmude Chaldæus & multi Hebræorum, quos sequitur Hieronymus. Cum à radice שכה *sacha* cogitare, imaginari, שכוי *sechui* aliud non sit quam cor, cogitationum sedes, juxta illos ipsos Hebræos. Quomodo explicandum est, ut duo hemistichia de more sint ἀντίςροφα.

Quale est quod Cuthæorum idolum נרגל *Nergal*, & Babyloniorum סכות בנות *Succoth Benoth* 2. Reg. 18. 30. *gallum* interpretantur, *& gallinam cum pullis suis*. Quin ut in Syria idolum רמן *Rimmon* à malis Punicis: & in Palæstina דגן *Dagon* à frumento nomen habuit, ita נרגל *Nergal* à palma Indica, quæ hodieque dicitur نارجيل *Neregil*: Et in Assyria quoque describitur à Strabone lib. 16. Et סכות בנות *Succoth Benoth* est sacellum Dearum, quæ *Benoth*, id est filiæ vel fœminæ, vocabantur. Ut Amos 5. 26. nomine *Succoth* significatur sacellum Dei Moloch. Itaque de gallis aut gallinis neutro loco agitur.

Etiam vocem גבר *geber*, quâ vir significatur in aliquot Scripturæ locis, Hebræi ad gallum referunt. Proinde hæc Esaiæ ad Sobnam cap. 22. v. 17. *Dominus deportabit te deportatione, ô vir*, Hieronymus ex mente Judæi illius à quo Hebræas literas didicerat, ita transtulit: *Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Cujus versionis incommoda suo loco aperuimus.

Cum Pleiades sermo Gallicus *Pullicenariam* appellet, quasi gallinam referant, quam undiquaque circumstant pulli sui: Eodem referenda sunt hæc Chaldæi paraphrastæ Job. 38. 32. תרנגלתא, *Et gallinam cum pullis suis deduces?* Gallinam igitur, id est Pleiades. Sed notandum ibi *gallinam* esse pro Hebræo עיש *ajis* quod Job. 9. 9. scribitur עש *as*: Et עש *as* idem esse quod Arabicum *nas*, initiali N exciso, quod sæpe fit in deficientibus *pe nun*. Quâ voce apud Arabes non significantur Pleiades, sed Ursa major aut minor. Nempe نعش *nas* proprie feretrum seu sarcophagum sonat. Et è septem stellis è quibus constant ursæ singulæ, stellæ quatuor in quadrum digestæ feretrum constituunt. Et tres sequentes, quæ nobis sunt cauda ursæ, Arabice vocantur feretri filiæ aut filii, qui comitantur funus. Ad illos igitur pertinent hæc Dei verba ad Jobum: An עיש *ajis* (seu feretrum) *deduces cum filiis suis?*

In Hieronymo צמאון est *dipsas* Deut. 8. 15. id est serpens qui morsu suo sitim excitat inexplebilem. Cum aliis צמאון non sit *dipsas* serpens, sed δίψα, id est sitis, aut vero locus siticulosus. Quam veram esse versionem, tam ex ipso Mose probamus quam ex Prophetis aliis, qui eâdem voce utuntur.

Job. 27. 18. pro Hebræo וכסכה *& sicut tabernaculum*, Græci habent καὶ ὥσπερ ἀράχνη, *& sicut aranea*. Et Psalm. 89. (Hebr. 90.) 10. ὡς ἀράχνη ἐμελέτων, *ut aranea meditabantur*, ubi Hebræa solum כמו הגה *ut meditatio*. Sed videtur prava versio ex prava lectione esse nata. Et in mendoso exemplari quo usi sunt, pro וכסכה scriptum fuisse וכסבה *& ut phalangium*, & כסוי *ut aranea* pro כמו. Nempe phalangium Arabice dicitur شبث & aranea مول vel مولة.

Habacuc propheta in rapaces dominos sic invehitur Hab. 2. 11. 12. *Lapis è pariete clamat*, וכפיס *& chaphis* (id est later) *è ligno respondet ei: Væ ædificanti civitatem ex cædibus &c.* Sermonem ipsis ædibus tribuens, quo perpetrati criminis reos accusent, per elegantem metaphoram, quâ etiam Euripides & Juvenalis usi sunt. Vox כפיס *chaphis* quid significet parum compertum est, quia sacri scriptores illam alibi nusquam usurpant: Nos *laterem* interpretamur, quia Talmudici ea notione adhibent, neque huic loco male convenit. At Seniores κάνθαρον *scarabæum*, quasi pro כפיס *chaphis* חפוש *chaphus* aut חפושית *chaphusith* legerint, quomodo Hebræi scarabæum vocant, à verbo חפש *chaphas* quod scrutari est, quia est animal σκατώρυχον. Et ad Christum id referens Ambrosius: *Bonus*, inquit, *est scarabæus, qui clamavit è ligno.*

In Prophetarum scriptis Hebræi censent decem locustarum nomina, in quibus חנמל *chanamal* & חגב *chagab*. Sed חנמל *chanamal* est plane aliud, nempe πάχνη *pruina*. Quod præter Saadiam & Kimchium docent interpretes vetustissimi. Et Midras חנמל *chanamal* per metathesin pro נחמל *nachamal* dici asserit, quia quiescit & incidit. Quorum utrumque pruinæ maxime convenire suo loco docemus. Et חגב *chagab*, utut alibi pro locustæ specie sumatur, tamen diversissimam habet notionem Eccles. 12. 7. ubi inter senectutis incommoda ingravescit החגב *chagab*, id est caput femoris, ex quo cruris motus incipit. Hoc igitur ingravescente, necesse est ut incessus gravior & tardior fiat. Rem sic se habere probamus ex Arabum anatomicis.

Ita ex Arabismo docemus זרא *zara* esse fastidium Num. 11. 20. ubi de coturnicibus Israelitis dicit Deus: *Usque ad plenum mensem comedetis, donec per nares exeant, & sint vobis* לזרא *in zara*, id est *fastidio*. Cum in *Midbar Rabba* Hebræorum alii *vermem*, alii *ricinos* interpretentur.

Hebræis etiam fere omnibus שמיר *samir* miraculosus est vermis, cujus operâ Moses, Ephodi gemmas & tabulas Legis, & Solomon templi lapides aptasse & dedolasse fertur. Ad quem vel ab Asmodæo rege dæmonum, vel ab aquila ex horto Edenis, vel ab upupa allatus, in arca plumbea servatus est, usque ad templi desolationem. Quin שמיר *samir* est *smiris* lapis, quo utuntur gemmarii ad gemmas expoliendas. Quod omnes Lexicographos & Scripturæ interpretes hactenus fugisse miror.

Nec minus ignotum quod jam sequetur. Ab Arabico verbo علق *alaka*, quod adhærere, pendere & appendere est, factum nomen علقة *alaka* hirundinem significat, non solum apud Arabes, sed & apud Chaldæos, Syros & Talmudicos. Et indidem علوق *aluk* vel علوقة *aluka* est vitæ terminus, seu fatum quod unicuique homini impendet, & Dei decreto appensum est. Quæ duo cum immensum differant, promiscue sumi non debent. Quomodo fecere interpretes Prov. 30. 15. ubi quod legitur לעלוקה, τῇ *aluka duas esse filias, quæ dicunt, affer, affer*, ad sanguisugam referunt, cujus ibi mentio plane esset extra rem. Neque vero dici potest quas filias habeat hirudo, cum nec generetur, sed nascatur ex putredine. Aliud igitur est עלוקה *aluka*, nempe Dei decretum de hominum vitâ & morte, quod

parere

parere legitur Sophon. 2. 2. Et ejus duæ sunt filiæ, שחת ושאול *fossa & inferi*, quarum una corpus, altera animam appetit. Vel ut Ebræi dicunt in Midras, *Hortus Eden & gehenna, quarum illa clamat, date mihi justos, hæc autem, date mihi impios.*

Patuit hactenus in Hebræis animalium nominibus multa esse obscura, quæ quam optime potuimus explicasse non contenti, horum quoque origines vel ex Hebræa lingua eruere conati sumus, vel ex vicinis dialectis, in quibus non dubium est quin veteris Hebraismi multa lateant. Ita brutum docuimus à silendo dici בהמה *behema.* Feram à motu זיז *ziz*, ut Græce κνώδαλον & κινώπετον. Avem עוף *oph* à volatu, & צפור *tsippor* à matutino cantu. Rapacem עיט *ajit* ab irruendo. Reptile שרץ *sherets* à fertili propagatione, & רמש *remes* è repitatione, & זחל *zachal* à tarditate. Serpentem נחש *nachas* ab augurio, vel quia est infausti ominis.

In jumentis & pecore camelum גמל *gamal*, quia est animal μνησίκακον. Equum סוס *sus*, quia docile. Asinum חמור *chamor*, quia in oriente plerumque rubet. Bovem שור *sor* à firmitate gressus. Ovem צאן *tson* vel צנה *tsone* à fœcunditate. Capram in eodem cum ove grege עז *ez* à vigore, quia in minuto pecore, ut notat Philosophus, ἰσχύουσι μᾶλλον αἱ αἶγες τῶν οἰῶν *capræ sunt ovibus robustiores.* Suem חזיר *chazir* ab oculorum angustia. Canem כלב *chéleb* à tenacitate morsus.

In feris Leonem ארי *ari* pro ראי *rai* à visu, quia, ut Plinius autor est, ejus omnis vis constat in oculis. Pardum נמר *namer* à maculis. Ursum דב *dob* ab hirsutie. Lupum זאב *zeeb* pro זהב *zehab* ab aureo colore, qualis luporum est in monte Amano. Hyænam צבוע *tseboa* à pictâ pelle. Vulpem שועל *sual* à tussi. Onagrum ערוד *arod* à ruditu, & פרא *pere* à cursu, qui citatissimus est. In cervino genere cervum איל *ajal* à robore: Damam יחמור *jachmur* à rufo, tragelaphum דישן *dison* à cinereo colore: Ibicem יעל *jaal* ab ascensu: rupicapram זמר *zemer* à saltu: Capream vulgarem צבי *tsebi* à decore; Candidam Arabiæ peculiarem ראם *reem* vel רים *rem* à procera & erecta statura. עופר *opher* hinnulum à molli lanugine quæ cornibus adnascitur. Leporem ארנבת *arnebeth* à carpendo terræ proventu. Hericium & hystricem קפד *kippod* pro קנפוד *kinphod* à spiculis quibus circumvallatur. Chœrogryllium שפן *saphan*, quia in petrarum scrobibus obtectus latet.

Sic in avibus aquilæ nomen נשר *neser* ab adunco rostro. Ossifragæ פרס *peres* à frangendis ossibus. Aquilæ Valeriæ עזניה *oznija* à viribus. Milvo ראה *daa*, & accipitri נץ *nets*, utrique à volatu, qui in illo diuturnior, in hoc velocior est. Corvo עורב *oreb*, & atro vulturi דיה *daja* à colore. Falconi montano אנפה *anapha* ab iracundia. At vario vulturi רחם *racham* à misericordia, & ciconiæ חסידה *chasida* à pietate. Struthioni mari תחמס *thachmas* ab iniquo animo in suos, fœminæ בת יענה *bath jaana*, quia clamosa est avis. Turturi תור *thor*, hirundini סיס *sis*, grui עגור *agor*, æsaloni איה *aja*, à voce. Pelecano קאת *kaath* à vomitu. Catarrhacti שלך *salach* à præcipiti lapsu. Columbæ feræ דרור *deror*, à libertate qua fruitur nulli loco adstricta. A tenebris buboni ינשוף *jansuph*, & vespertilioni עטלף *atalleph*; A mirando noctuæ תנשמת *thinsemeth*, quam mirantur reliquæ aves. A petris upupæ דוכיפת *duchiphath*, quam vocat Æschylus πετραῖον ὄρνιν. A longo rostro pali instar gallinagini קורא *kore.* Ab eodem concavo in vasis modum כוס *chos* onocrotalo, quem ob id ipsum *truonem* appellabant Romani veteres.

In lacertis crocodilus terrestris צב *tsab* dictus est, & salamandra לטאה *letaa*, quia terræ adhærent. Stellio אנקה *anaka* ab acerbo stridore, & שממית *semamith* à veneno. Lacerta major כח *coach* à robore, quo serpentibus quoque prævalet. Arenaria חומט *chomet* ab arenis in quibus degit, & viso homine totam se immergit. Chamæleon תנשמת *thinsemeth* ab aspirando. Testudo גל *gal* vocatur ab orbiculari testa. Rana צפרדע *tsephardea* à limosis ripis in quibus nascitur & pascitur.

In serpentibus vipera אפעה *ephe* vocata est à δυσοσμίᾳ. Aspis עכשוב *acsub* à gyris. Cenchrines צבוע *tseboa*, quia varius. Basiliscus צפע *tsepha* à sibilo. Acontias קפז *kippoz* à saltu. Cerastes & hæmorrhous שפיפון *sephiphon* ab obliquo gressu, quo claudicare videntur. Hydrus vel chersydrus שרף *saraph*, quia morsu & flatu exurit. Draco תנין *thannin* à planctu, & לויתן *leviathan* à multiplici flexu.

In Locustis ארבה *arbe* à copia nomen habet. גוב *gob* ab emersione è terra. גזם *gazam* à morsu quo arborum cortices & ramusculos incidit. צלצל *tselatsal* & חגב ab umbra, quâ solem obvelat quasi. חרגל *chargol* à longo agmine. ילק *jelek* à lingendo. חסיל *chasil* à consumendo, & סלעם *solam* à vorando.

Musca dicitur זבוב *zebub* ab incertis sedibus. Apis דבורה *debora* à ductu & ordine. Vespa צרעה *tsira* pro עצרה *itsra* à premendo, quia valde pressa habet ilia. ערוב *arob* cynomyia à nigredine.

Scorpio עקרב *akrab* pro עקצרב *akatsrab* à magno aculeo. Quippe ut observat Philosophus, *hoc insectorum solum* μακρόκεντρόν ἐστι *magnum habet aculeum.* Limax שבלול *sabbelul*, quia in cochlea degit. Vermis תולע *thola* à voracitate. Formica נמלה *nemala*, quia spicarum capita abscindit. Pediculi כנים *chinnim*, quia φθειρ̃ίζουσι. Pulex פרעש *paros* à præpostero saltu.

Neque Scripturæ solum sed & alia explicamus animalium nomina, Chaldæa scilicet Syriaca & Arabica, & ex Magistris aut Talmudicis desumpta, quoties necesse est, ut sciamus quæ mens fuerit veterum interpretum. Ita nobilem camelum monemus Chaldaice dici הוגן *hogen* & Arabice هجان *hugian*, id est εὐγενῆ, voce ex Græco deducta. In Thargum Psalmorum pro agnis legi פלגיסין *phalgisin*, id est φαγιλὰς, quomodo agnos Græce vocari, cum edules esse incipiunt, scimus ex Aristotele, Plutarcho & Hesychio. Orygem in paraphrastis דיצא *ditsa* appellari pro pleno דיציא *deitsa*, ut scribit Samaritanus, à verbo דעץ *daats*, id est transfigere, transfodere, ut Græcum ὀρύσσειν, unde ὄρυξ. Chœrogryllium à saltu in Jonathane vocari טפזא *taphza*, quia solet saltu progredi, præcipue in fuga, quod veterum & recentiorum multi nos docent. Et eundem in Syris dici ܚܓܣ *chagas*, quia Græcum χοιρογρύλλιος per compendium χγ'ς scribi solebat. Et in Onkelo murem araneum ילא *jala* vocari pro פלא *pala.* Ita enim sonat apud Arabes.

Et in quadrupedibus oviparis Chaldæum חרדונא *chardona* probamus pro bufone & testudine perperam sumi, cum sit idem quod Hebræum צב *tsab*, nempe crocodilus terrestris (itaque hoc animal Arabes utroque nomine appellant, nimirum ضب & حرذون quod Avicenna & alii diserte scribunt.) Et animal in aquis huic congener בן הנפילים non esse nauplium, ut conjectat vir in his literis mire versatus, sed scincum, qui בן נפילים *ben nephilim*, id est *filius gigantum* dicitur, quia ex superfluo majoris crocodili semine nasci creditur.

Rursus idem vir eximius, cum hæc verba *Beresith Rabba* הביא חכינה וזיוג לה חרדון ויצאת מהם חברבר ita interpretatur, *Accepit Deus serpentem, & copulavit cum eo bufonem vel lacertum, & prodiit ex illis bestia noxia*, in tribus animalium nominibus ter labitur. Nam חכינה *chakina* vox est nihili, pro qua scribendum חבינה *chabina*, id est chamæleon fœmina. Et חרדון *chardon* neque bufo neque lacertus est, sed crocodilus terrestris. Denique חברבר *chabarber* non est bestia noxia in genere, sed salamandra à maculis liventibus sic appellata. Mens igitur horum verborum est ex crocodili terrestris coitu cum chamæleonte fœmina natam esse salamandram. Talmudici in *Berachoth* hæc eadem paucioribus contrahentes, pro חברבר habent ערוד, quod eadem notione etiam alias occurrit. Corruptum tamen puto, & levi mutatione pro ערוד legendum עסוד quod est lacerti genus apud Arabes.

Peccatur etiam in voce אקמתא *akmetha* quam Chaldæus habet pro שממית *semamith*, Prov. 30. 28. Scribendum enim אמקתא *amketha* ut in Syro exemplari, id est stellio. Fit enim ex Hebræo אנקה, M & N permutatis. Quod doctos latuit hactenus. Itaque אקמתא pro stellione, *araneam* exposuerunt pari errore quo שממית *semamith.*

Pro

Pro אנקה Levit. 11.30. Jonathan habet מינקת חויא, *nutricem serpentum*: Et Hierosolymitana versio quam citat Aruch פלית חויא, *scrutatricem serpentum*. Quod animal significetur Hebræi plane nesciunt. Itaque has voces Lexicographi secure prætermittunt. Sed commodum succurrunt Arabes, quibus فالية الافاعي *scrutatrix viperarum*, (vel etiam *nutrix* si mavis, nam فلا verbum tam nutrire & educare quam scrutari est) scrutatrix igitur vel nutrix viperarum dicitur quædam scarabæorum species in eodem cum serpentibus latibulo versari solita. Ita ut hi scarabæi cum in aditu apparent, serpentes intus latere non levis sit conjectura.

Pro תנשמת seu noctua in Jonathane est אותיא *otija*, in Onkelo בותא *bavetha*, & in Syro ܟܘܟܒܐ, *caucabi*, quæ tria fere eodem recidunt. Nam אותיא *otija* est Græcum ὦτος, avis in Aristotele noctuæ similis, circa aures habens πτερύγια pinnulas, unde illi nomen. Quamvis à nonnullis alii nycticoracem appellent. בותא *bavetha* etiam est nocturna avis, & à verbo בות *buth* deduci nonnulli putant, quod Chaldæis est pernoctare. Sed puto factum ex בוא *bava*, ut כותא fenestra ex כוא, & עותא iniquitas ex עוא; & בוא *bava* Chaldæis idem esse, quod Græce βύας, Hispanis *bubo*, & Arabice البوم *albubo*, bubonis scilicet species. Syrum denique *caucabi* alludit ad κικκαβαῦ, qua voce Aristophanes noctuarum cantum exprimit. Unde ipsæ κικκαβαὶ dicuntur & κουκοβαὶ. Aliis אותיא *oteja* est vespertilio, & ܟܘܟܒܐ *caucabi* erodius seu ardea, utrumque ni fallor perperam. Nec verius quod נעמה *naama* pro struthione ulula redditur. Et חטופיתא *chatophitha* ab aliis noctua, ab aliis harpyia, aut rapacis avis species, cum hirundo sic vocetur à rapiditate volatus, ut Arabice خطاف *chottaph*.

Deuter. 33, 19. de Zabulonitis dicit Jonathan, qui maris erant accolæ, *in deliciis habebunt* טריתא *taritha*, *& capient* חלזונא *chilzona ex cujus sanguine purpuram tingant*. Nec satis constat quid ibi sint *taritha* & *chilzona*. Nugantur enim qui *taritha* thunnum exponunt, aut pisces quosdam magnos, aut pisciculos sale conditos. Et qui nomine *chilzona* magnum piscem, aut vermem, aut bombycem intelligunt. His igitur rejectis ex Arabica lingua probamus טריתא *taritha* esse pisces recentes, quorum uberrima fuit piscatio in Zabulonitarum littore: Et חלזונא *chilzona* cochleam purpurariam, vel muricem & conchylium, cujus ibidem magnum fuisse proventum notius est quam ut probatione egeat. Constat enim ex Gen. 49. 13. Zabulonitas prope Sidonem habitasse, unde purpura, quâ nulla præstantior, ad oras remotissimas deferebatur.

Ex iis quæ diximus apparet in Hebræis & Chaldaicis Lexicis multa esse supplenda. Quod idem de Arabicis constabit ex iis quæ sequentur. بنات اوي *filias avvi* docemus esse veterum thoes à latratu sic appellatas. اروية *orvvia* fœminam ibicis, بخاتي *bechati* camelos Bactrianos, qui majores sunt & cum duplici gibbo. فهد *phehed* lyncem. يربوع *jorbua* chœrogryllum qui Hieronymo ἀρκόμυς. زبزب *zebzeb* viverram. سمور *simur* hoc ipsum quod in Hesychio, cum dicit σίμωρ ζῷον Πάρθοις καλεῖσθαι μυὸς ἀγρίου εἶδος, ὃ ταῖς φοραῖς χρῶνται πρὸς χιτῶνας. *simur à Parthis vocari muris agrestis quandam speciem, cujus pellibus in tunicarum usum utuntur.* ظربان *darban* mustelæ speciem, quæ *putorius* à putore vulgo vocatur. فرانق *phuransk* tigrim à cursu, prout cursor etiam à Byzantinis πρόδρομος dicebatur. فنك *phenek* murem Finnicum, cujus in pelliciis plurimus usus. Et وبر *vveber* murem montanum, seu *marmottam*, quomodo appellant Itali.

Sic in avibus, quod nescitur, بلشون *balsun* vel بلشوم *balsum* est ardea, quæ aliis مالك الحزين *malich Alhazin* aquator tristis, quia parce bibere creditur, quasi metuens ne deficiat aqua. حوصل *bausal* onocrotalus ab ingluvie sic dictus. رخم *racham* vultur-aquila, non pelecanus ut volunt. زمج *zummag almai* catarrhactes. سنونو *sunounou* hirundo proprie riparia. تنوط *thenavvat* avis cujus nidus ex ramis arborum suspensus est, pici species de qua Plinius lib. 10. cap. 33. *oriolus* vulgo, & vernacule *loriot*. وصع *vvasa* regulus, avium fere minima. In piscibus شبوط *sabut*, Chaldaice שבוט *sabot* est λάβραξ, lupus, qui Gallice *bar*, & Italice *varolo* à varietate colorum; ut שבוט factum ab Hebræo שבץ, id est variis coloribus intertexere.

Nec solum in nominibus animalium, sed & in partibus, actionibus & propriis multa latent quæ explanare necesse habui. Partium aliæ externæ sunt, ut in elephante שנהבים *senhabim*, 1. Reg. 10. 22. id est dentes ex quibus fit ebur, contractâ voce, ut suspicor, ex שנקהבים *senkahabim*, quasi dentem fuscorum dixeris, ut Arabes per اقهبان *akhabani* id est duos fuscos elephantem & bubalum significant. Aut שנהבים *senhabim* dicuntur ipsæ belluæ, tanquam eburneo dente & fusco colore notabiles. Ezek. 27. 15. קרנות שן, *cornua dentis* appellantur hi ipsi dentes, quasi mediam inter dentes & cornua naturam obtineant. Hippopotamus dentes habet similes, exertos, molliter flexos, quibus tanquam falce fruges demetit. Harpen vocat Nicander, cum de hippopotamo dicit in Theriacis.

——— ἀρούρῃσιν δὲ κακὴν ἐπιβάλλεται ἅρπην.
———*harpen damnosam immittit in agros.*

Et Job. cap. 20. v. 14. *Qui fecit eum (Deus) applicavit illi* חרבו *harpen ejus.* Nec multo aliter Nonnus Dionysiac. lib. 26. In asini maxillâ quâ Philistæos percussit Samson, מכתש *mactes* unde manavit aqua, proprie mortarium sonat. Neque aliud intelligo quam dentium capsulas seu alveolos, qui Græce quoque ὁλμίσκοι seu *mortariola* vocantur.

In equo רעמה *raama* vulgus interpretum tonitru, nos *jubam* explicamus, ut Seniores φόβην, quod mutavit in φόβον scribarum imperitia. A celso situ videtur sic appellata, ut Græce λοφιὰ, quia Syre ܪܥܡ *raam* altum esse sonat. Et versu sequente הוד נחרו ab iisdem redditur δόξα στηθέων αὐτοῦ *gloria pectoris ejus.* Arabice nimirum نحر *nachar* est pectoris summa pars, quæ proprie στῆθος dicitur. Quod si scivisset Bootius, in hunc locum non scripsisset נחר *nachar quidvis potius quam pectus denotare.* Malo tamen narium fremitum intelligere, ut Jerem. 8. 16. Quia ad Arabismum confugere nihil est opus, nisi cum ex Hebraismo nullum est subsidium. Interim Chaldæum verbum נחר *nechar* non est quod volunt Lexicographi, mactare oves & boves mactatione à naso inchoata, sed cultro in summum pectus adacto prope jugulum, ut Arabicum نحر *nachara.*

Leonis & ursi יד manus 1. Sam. 17. 37. est pes anterior. A qua phrasi non abhorrent Græci & Romani scriptores. De hippopotamo legitur Job. 40. 12. *Nervi femorum ejus perplexi* vel *cancellati sunt.* Femora sunt Hebraice פחדים *pechadim*, quâ voce alii *testiculos*, alii *territationes* intelligunt. Sed pro femoribus sumi probamus ex Arabibus & Syris. Itaque si in Chaldæa paraphrasi Levit. 21. 20. פחדין *pechadin* sunt testiculi, ita usurpatur hæc vox καταχρηστικῶς, plane ut vulgata ירך *jerech*, quæ cum proprie femur sonet, tamen ab Hebræis passim sumitur pro τῷ γεννητικῷ μορίῳ. Nervos autem femorum perplexos aut cancellatos habere magni roboris indicium est. Sic Tritanum gladiatorem eximiis viribus, filiumque ejus Pompeii militem post Varronem scribit Plinius *rectos & transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos, in brachiis etiam manibusque prodigiosâ virium relatione.* Idem habes apud Solinum. Meminit quoque Vopiscus in Firmo.

Job 41. 14. de Leviathane dictum *tori carnis ejus cohærent*, seu musculorum eminentiæ. Ad verbum מפלי *procidua.* Ita Græce προπετὴς *procidu*us is dicitur cui pars aliqua corporis plus æquo eminet. Vir doctus qui *melandrya* reddidit, videtur nescivisse quid proprie sint melandrya.

Spina

Spina dorsi Hebræis, Chaldæis & Arabibus est שזרה. Et in extrema spina coccyx cui cauda adhæret עצה Levit. 3. 9. Et Arabice عصعص geminatis radicalibus.

Cauda in reliquis animantibus זנב *zanab* dicitur, sed in ove אליה *alja* Levit. 7. 3. Et cauda illa crassior significatur, cui necesse est plostellum subjici, ut ovis trahat quod ferre non potest. Sic lobus auris, qui in homine est תנוך, in ove dicitur בדל *bedal* Amos. 3. 12.

צמר proprie lana est ovis, ut Chald. עמר, *ajin* & *tsade* de more permutatis. Hinc in paraphrasi Ezek. 27. 18. עמר מילת כבינה est *lana Milesi circumligata*, quia Milesii agnos circumligatis pellibus induebant, ut lana esset mundior. Itaque falluntur qui *lanam sericeam subtilem* aut *lanam μαλλώτης* exponunt. Et lanam כלך *calch* vel כולכא *colcha*, quam Talmudici cum lino misceri vetant, quia ovium lanæ est similis, primi indicavimus esse πίννινον ἔριον id est pinnæ seu conchæ margaritiferæ lanam, sic appellatam, quia ex Colchico sinu defertur, quem hodieque *Cochin* vocant. Lanæ vellus גז *gez* dicitur à tondendo, non à vellendo, ut vult Schlindlerus, cujus objectiones pluribus refelluntur.

Nesciunt interpretes quid sit כביר העזים *chebir caprarum* 1. Sam. 19. 13. ubi Mical Davide elapso, simulachrum in lecto ejus collocasse legitur, cui imposuit *chebir caprarum*, ut Saulis servis Davidem ipsum ægrum ibi jacere persuaderet. Et Græci quidem *jecur caprarum* reddunt, quia legerunt כבד pro כביר. Alii *utrem* malunt, alii *pulvinar*, alii *pilorum orbem*, alii *pellem pilosam* &c. Nos *magnum pilum caprarum* exponimus, quia vox כביר tam Hebraice quam Arabice magnum sonat. Et cum de pilo caprarum agunt sacri scriptores, pili vocem fere omittunt. Sic Exod. 25. 4. *byssus & capræ*, id est *byssus & pili caprarum*. Et Exod. 35. 26. *neverunt capras*, id est, *pilos caprarum*. Et Cant. 4. 1. *capillus tuus est ut grex caprarum*, id est *ut pilus gregis caprarum*. Quia in Oriente capræ quædam sunt longiore pilo, cujus flavedo & tenuitas flavum hominis capillitium apprime refert. Quod probant duo loca veterum, unus ex Callisthene, alter ex Apuleio. Itaque cum caprarum pilis conferuntur sponsæ capilli Cant. 4. 1. & 6. 4. Et Rebecca hœdinâ pelle contexit Jacobi collum & manus, ut Esavi hirsutiem ita imitaretur. Quomodo in Martiali quidam galericulo utitur ex hœdina pelle confecto, ut calvitium dissimulet.

In partibus internis יותרת *jotherеth*, neque *jecoris* est *reticulum* ut volunt, neque membrana tenuis quâ jecur integitur, ut contendit Fullerus. Sed magnus jecoris lobus, qui ab augmento יותרת *jothereth* Hebraice vocatur, ut Arabice *zzada*. Nec sine errore Chaldæi duo חצר *chatsar* exponunt Exod. 29. 21. Nam חצר plane aliud est, nempe septum seu diaphragma (ut Arab. حصار) quod ipsum latet Lexicographos. Iisdem ignotum quid sit המכסה, *operiens* Levit. 9. 19. Quamvis ipse Moses alibi plenius edisserens, vocet *adipem intestina operientem* Exod. 29. 13. & Levit. 3. 9. Unde liquido constat omentum significari. Nec τῶν ἰσχαιζόντων quisquam est qui sciat quid differant קבה *keba* Deuter. 18. 3. & כרש *cheres* Jerem. 51. 34. Neque ipsi sciremus, nisi Arabes nos docuissent, illo lactentis adhuc, hoc ablactati animalis ventriculum significari. Græci à perficiendo utrumque vocant ἤνυστρον, quia cibi digestio in prioribus ventriculis solum affecta, in isto completur & perficitur. נוצה nonnullis est avium ventriculus, sed quam vere nescio: Cum videatur ubique pro pluma sumi. Nec constat satis quid proprie sint Hebr. כסלים & Gr. ἰξύες. Nos utraque voce probamus lumbos significari. Et Job. 15. 27. פימה *pima* esse πιμελὴν pinguedinem. Et פדר *peder* passim in Levitico esse victimæ adipem à carne separatum, qui superinjicitur parti nuper abscissæ, ut facilius ardeat. Itaque à פרד *parad* quod separare est, פדר *peder* deduci videtur per metathesim.

In animalium actionibus hoc primum occurrit quod 2. Sam. 6. 6. שמטו *scametu* boves qui arcam Dei plaustro vehebant. Et plane incertum quid sit שמטו *scametu*, quia nusquam alibi occurrit, & inter interpretes nullibi dissensus major est. Cum aliis igitur hic dubius hærerem, nisi ex Arabibus didicissem ثمط *thsamat* esse lutum tenue in quo jumenta detinentur. Id Hebræis esset שמט *scamat*. Nam ث *thse* Arabum fieri ex Hebræo ש *scin* nemo est qui nesciat. Verbum igitur שמט ex eo nomine deductum, ut conjectamus, in hujusmodi luto hærere & detineri significat. Et in textu sacro Uzza legitur arcam Dei extensâ manu prehendisse, quia qui illam vehebant boves in luto hæserant.

Job. 21. 10. Hebræa verba שור עבר ולא יגעל recentiores reddunt, *Bos eorum init*, & semen in cassum *non ejicit* quasi de tauro ageretur; Cum ad bovem fœminam pertineant, adeoque vertenda sint, *Bos fœmina concipit* & semen *non respuit*. Nam שור est epicœni generis. Et עבר inire non est, sed concipere. Nec געל semen in cassum ejicere, sed illud respuere & fastidire. Quæ duo non conveniunt nisi fœminæ. Proinde non Græci solum & Symmachus, & Hieronymus, ad fœminam hæc referunt, sed Chaldæus etiam: Quod fatebitur quisquis illum attente leget, quamvis illum aliter sumpserint novi interpretes; Unde erroris occasio nata est. Denique sequens hemistichium, *parit juvenca ejus, & non abortit*, cum præcedente non esset de more ἀντίστροφον, si prius de tauro ageret, posterius de juvenca.

Jobi loco quem explicavimus ecce alterum non absimilem Ps. 144. 14. *Boves nostræ sint* מסבלים *forda seu gravidæ*: *Ne sit in iis* פרץ *orbitas, nec sit* יוצאת *quæ ejiciat* sup. semen. Quam interpretationem multis asserimus.

Jerem. 50. 11. עגלת דשא non est *vitula herbilis* vel ποηφάγ@ ut volunt, sed *vitula triturans*. Itaque דשה legitur per *he* in fine in optimis exemplaribus. Et huic Jeremiæ loco, *pingues fuistis ut vitula* דשה *triturans*, plane geminus est hic Malach. 4. 2. *pingues eritis ut vituli* מרבק *marbek*. Nam Arabice ربق *rabaka* proprie significat bovis collum devincire, & ربيقة *rabika* bos ita devinctus. Et רבקא *ribka* Talmudicis vinculum quo tres aut quatuor boves collo adstricti grana triturant. Et מרבק *marbek* Hebræis id ipsum est. Id fugit Lexicographos, qui saginarium exponunt.

Job. 39. 23. de equo dicitur התרעישנו כארבה, *An fecisti ut moveretur sicut locusta? Ut moveretur*, id est ut saltaret. Ita Græce σκαίρειν primo moveri, deinde etiam saltare sonat. Unde σκαρθμοὶ à Poetis dicuntur equi pedes, & ipsi equi ἐΰσκαρθμοι & πολύσκαρθμοι, quod alii ad motum, alii ad saltum referunt. Ejusdem capitis versu 27. legitur equus terram absorbere quam cursu emetitur, verba sunt: *Cum motione & concussione* יגמא ארץ, *sorbet terram*. Non me latet alios reddere *fodit terram*. Inter quos Bootius hæc verba negat posse aliter accipi. Quasi campum quem decurrit equus sorbere dici nequeat absque immani ἀκυρολογίᾳ, quamque nemo sanus usurpet. Sed illum fugit ratio, cum hæc sit Arabum notissima phrasis, è quorum numero Job fuit. Nec multo aliter loqui Romanos Poetas aliquot exemplis probamus. Et quod rei caput est גמא *gama* in fodiendi notione nusquam occurrit. Sed sorbere significat tam apud sacros scriptores quam apud paraphrastas & Talmudicos. Unde Afrum *gumia* pro sorbillone extat apud Lucilium, Varronem, Festum, Apuleium & alios.

Jerem. 8. 6. describitur equus שוטף במלחמה *exundans in prælium*, vel qui præceps fertur torrentis instar. Quod Syrum recte reddidisse ex Theodoreto & Hebræis probamus. Sed Syri mentem non assecutus est Gabriel.

2. Sam. 16. 2. *Asini sunt pro familia regis ad equitandum* ולהלחם, *& ad pugnandum* juxta τὸ *Ketib*. Pro quo Hebræi legi volunt והלחם *& panis*, quod sequuntur interpretes, quasi asinos ad pugnam fuisse adhibitos non sit verisimile. Fuisse tamen populos qui ex asinis pugnarent, quomodo nos ex equis, tradunt idonei scriptores.

Cant. 4. 1. & 6. 4. capilli sponsæ cum conferuntur caprarum pilis שגלשו, *quæ galesu ex Galaad* aut *ex monte Galaad*, quæritur quid sit *galesu*. Et גלש aliis *apparere* aut *emicare* est, aliis *aspicere* aut *prospectare*, aliis *detondere*, aliis *poliri & comi*, aliis denique *ascendere*. Quæ vera demum est interpretatio. Quod probamus cum ex Græcis, Syro & Hieronymo, qui

sic

ſic reddunt, tum ex variis hujus notionis veſtigiis in Chaldaiſmo & Arabiſmo. Nec eſt quod quis objiciat capras ex monte Galaad non aſcendere, ſed deſcendere. Manifeſta enim eſt trajectio in Solomonis verbis, quæ hoc ordine legenda ſunt: *Capillitium tuum eſt ut* (pili) *gregis caprarum è monte Galaad, quæ aſcendunt*, ſupple ad illum montem. In quo aſcenſu harum pili longiores ſunt in naturali ſitu, & eminus conſpiciuntur.

Quamvis נדח ſit diſpellere, tamen Ezek. 34. 4. 16. הנדחת de ove non tam *diſpulſam* quam *errantem* ſonat. Ut Eſ. 13. 14. *caprea* מדח, *& ovis*, eſt caprea & ovis errans. Et Deut. 22. 1. Cum videris bovem fratris tui, aut ovem ejus נדחים, *diſpulſos*, id eſt *errantes*. Ut conſtat ex hujus loci collatione cum Exod. 23. 4. Arabice denique تنكب de ove eſt à caula ſua longius aberrare. Sed & de ove נער apud Talmudicos eſt è loco in locum migrare aut errare. Quomodo etiam Arabes ſumunt. Hinc de paſtore ſtulto Zachar. 11. 16. הנער לא יבקש, *errantem non requiret*. Durum enim eſt quod agnum volunt נער, id eſt *puerum* vocari, quia nondum adultus eſt.

Exod. 21. 7. לא יחרץ כלב לשונו, Græci reddunt ὐ γρύξει, *non grunniet canis linguâ ſuâ*, quod potius porcorum eſt. Hieronymus, *non mutiet*. Recentiores, *non movebit*. Malim, *non exacuet canis linguam ſuam*. Quia חרץ propric eſt *exacuere*. *Non exacuet*, id eſt *non hirriet*. Antecedens pro conſequenti. Quia non aliter hirriunt canes quam exerendo linguam, & quaſi exacuendo.

De impiis dicit Pſaltes Pſ. 59. 7. 15. יהמו ככלב, *tumultuabuntur ut canis*. In quibus verbis cum nihil ſit quod lectorem remoretur, quæritur cur Græci interpretes plane aliter reddiderint, λιμώξουσιν ὡς κύων, *eſurient ut canis*. Quod ſequuntur Vulgatus, Æthiops & Apollinaris. Reſpondeo id ſcribis eſſe imputandum, qui λιμώζειν ſcripſerunt pro μαιμάζειν. Sic iidem ſcripſerant Jerem. 4. 19. Τὰ αἰσθητήρια τῆς καρδίας μου μαιμάσσει, *ſenſoria cordis mei tumultuantur*, ut ex Nazianzeno, Hieronymo & Theodoreto ſcimus. Et ibi rurſus μαιμάσσει erat pro Hebræo הומה. Sed nonnullæ editiones mutant μαιμάσσει in μὴ μάσσεις *me premunt*. Et cum de mari dicitur Job. 38. 8. ἐμαιμάσσει, *tumultuabatur ex utero matris ſuæ prodiens*, id mutatum in ἐμαιοῦτο *obſtetricabatur*, ut notat Olympiodorus. Quia μαιμάσσειν vel μαιμάζειν tum erat minus frequens. Et fatetur Hieronymus in Jeremiam ſe ignorare quid hæc vox ſignificet. Fuit tamen Ἀττικωτάτη. Et ex ea Jupiter Μαιμάκτης, & Μαιμακτήρια ſacra, & Μαιμακτηριὼν menſis dictus eſt.

Eſ. 56. 10. ubi cum mutis canibus conferuntur pſeudoprophetæ, dubitatur utri dicantur הוזים *hozim*, & quid ſignificet illa vox, quæ alibi non extat. Ego ad Prophetas refero, *delirantes* expono ex Arabica lingua, quâ هذي *delirare* eſt. Quod ex Hebræis omnibus vidit unus Kimchius. Alii *dormientes* malunt. Et nonnulli veterum videntur legiſſe חוזים *chozim* videntes, id eſt *cheth* pro *he*. Tamen à vera vocis interpretatione non procul abſunt.

Ita cum in domo delenda, Scriptura toties repetit neminem eſſe relinquendum, aut in domo deleta neminem eſſe relictum משתין בקיר, *qui mingat ad parietem*, plerique ad canes referunt, qui vix aliter mingunt quam ad parietem crure ſublato. Sed viros ſignificari pluribus docemus in capite de canum nomine &c.

Laborant interpretes in explicatione vocis יזנק *jezannek*, cum de leone dicitur Deut. 33. 22. יזנק *jezannek ex Baſan*. Syrus *lactentem* reddidit, id eſt ינק. Et Hieronymus *fluet largiter*, quomodo etiam Chaldæi, quia Talmudicis זנק *zanak* fluere eſt. Sed Græci longe melius ἐκπηδήσει *exiliet*, quod ſequuntur plerique Hebræorum. Quia leonum proprium eſt in prædam inſilire: Et ejuſdem notionis verba habent Arabes & Æthiopes, Hebræo non diſſimilia. Merito denique à Moſe Danitæ conferuntur cum leone in prædam eminus inſiliente, quia ab uno Judææ extremo ad alterum tanquam ſaltu progreſſi, Laiſam oppidum invaſerant.

Licet נער rudere ſit aſinorum proprium, tamen Jerem. 51. 38. נערו, rudunt catuli leonum. Sed & Poëta leonum meminit *ſerâ ſub nocte rudentum*. Sic mugire cum ſit boum, tamen Apoc. 10. 3. λέων μυκᾶται, *leo mugit*. Et apud Plutarchum leones catulos ſuos advocant μέχρι μυκήματι τὸ βρύχημα ποιοῦντες ὅμοιον, *rugitum vituli mugitui ſimilem edentes*. Et in Theocriti Bacchis legas μύκημα λεαίνης, *leænæ mugitum*, ut in Seneca *admugit leo*.

Prov. 28. 15. דוב שוקק, Chaldæo, Syro & nonnullis Hebræorum eſt *Urſus voce ſæviens*. Aliis *Urſus diſcurrens*. Sed Hieronymo veriſſime *Urſus eſuriens*, quam verſionem multis aſſerimus.

Cum de Aſſyriorum equis dicitur Habac. 1. 18. וחדו, *& acutiores ſunt lupis veſpertinis*, probatur hanc illorum ὀξύτητα vel ad luporum curſum, qui eſt expeditiſſimus, vel ad oculorum aciem qui noctu in primis ſunt perſpicaciſſimi, vel ad animum poſſe referri, quo quicquid aggrediuntur acriter exequuntur, & ſummâ contentione, unde Poeta, *genus acre luporum*.

Dubitatur an תערג Pſ. 42. 2. cervum rudere ſignificet aquarum deſiderio, quia, uno Syro excepto, veteres omnes aliter interpretantur. Et tam Chaldæus quam Græci *deſiderare* reddunt. Quomodo ſi ſumatur, ad Hebræum ערג *arag* Græcum ὀρέγω alludet.

Pſal. 80. 14. Cum de Dei vite dicitur יכרסמנה *porcus è ſylva*, alii reddunt *eâ ventrem implevit*, alii *vaſtavit eam*, alii *conculcavit*, alii *fregit*, alii *fœdavit*, alii *ſuffodit*, alii *exterminavit*. Sed Syrus ܚܒܠܗ̇ *comedit* aut *conſumpſit eam*. Quod à vero videtur proxime abeſſe, quia Arabibus hoc ipſum verbum *rodere* & *depaſci* ſignificat. Sed de tinea & teredine proprie dicitur quæ rodit ligna. Chaldæi & Talmudici per *Koph* ſcribunt קרסם non כרסם. Et illi ad locuſtas, hi ad formicas referunt, quæ abſumunt agri proventum.

Arabice جزل *giazala* pipire eſt, & الجزل *algezel* vox columbarum, & الجوزل *algiauzal* pipio, ut Hebr. גוזל *gozal*. Et περιστερεὼν ſeu columbaria in Herbario Apuleii, Punice vocatur *Azirgozol*, id eſt חציר גוזל, *herba pipionis*.

Nahum. 2. 7. Reginam Ninives, dum in captivitatem abducitur, comitantur ancillæ מנהגות כקול יונים, *deducentes tanquam voce columbarum*. Senſus eſſet multo planior, ſi unâ literulâ minus legeretur מהגות, *gementes*. Nihil tamen temere mutandum.

Hebræum רחף *rachaph* proprie eſt movere ſe, ut Jerem. 23. 9. רחפו, *commoverunt ſe omnia oſſa mea*. Et Gen. 2. 3. Spiritus Dei מרחפת, *motitabat ſe ſuper faciem aquarum*. Hinc ad aves translatum eſt motitare alas cum pullis ſuis incubant ut Deut. 32. 11. Itaque etiam Arabes & Talmudici רפרף de motu alarum paſſim uſurpant, eliſâ aſpiratione & reliquis geminatis. Et Arabicum رف avibus tribuitur quæ alas extendunt ad incubandum.

Calvitium aquilæ קרחה Mich. 1. 16. eſt ψίλωσις, *pennarum defluvium*. Quæ cum recreſcunt Eſ. 40. 31. & Dan. 4. 33. renovari dicitur Pſ. 103. 5. ut accipiter pluméſcere Job. 39. 29.

Gen. 8. 7. Corvus à Noa emiſſus exiiſſe legitur יצוא ושוב, *egrediendo & redeundo*. Pro quo Græci interpretes, qui rediiſſe negant, legiſſe videntur ולוא ישוב, *& non eſt reverſus*, & merito dubitatur utra lectio ſit aptior, cum Hebraica habeat ſua incommoda, de quibus nos ſuo loco. Et Græcæ faveat Græca fabula vetuſtiſſima de corvo ab Apolline aquatum miſſo, qui non rediit uſque ad ficus maturas. Omnino enim hæc fabula ex ſacra hiſtoria videtur orta. Ut quod Arabum priſci augures corvum البين *albain* vocabant, id eſt *avem ſeparationis*, quia ſeparatus eſt à Noa qui miſit illum ut obſervaret aquas, & abiit, nec reverſus eſt.

Prov. 23. 32. ut ſerpens ישך *mordebit*, & ut regulus יפרש, *punget*. Ibi mordere & pungere verba ſunt ſynonyma. Nam ſolo morſu pungit baſiliſcus, ut reliqui ſerpentes, quorum morſus in Nicandro paſſim νύγμα dicitur, id eſt *punctio*, quia dentes habent acutiſſimos. Et in Varrone *admota aſpis cum pupugerit*. Proinde Arabes tria verba habent, quibus tam ſerpentis morſum quam ſcorpionis punctionem ſignificant.

Pſ. 58

Ps. 58. 5. 6. Aspis surda esse dicitur, & aurem obturare, ne mussitantium vocem audiat, quia, ut rectè Kimchius, in illam non magis proficit incantatio quam si vel surda esset, vel obturaret aurem. Proinde scribit Ælianus aliorum serpentium venenum incantatione mitigari, sed solius aspidis morsum esse insanabilem, & omni auxilio superiorem. Arabes tamen præter aspidem, regulum etiam & cerasten, & hydrum seu chersydrum in surdorum genere censent, ut in quos nihil possit incantatio.

Es. 14. 29. & 30. 6. שרף מעופף est *hydra volans*. Angues enim alati qui ex Libya & Arabia quotannis in Ægyptum volant, sunt in hydrorum specie. Et השרף dicitur ille serpens ab exurendo, quia vim habet maxime igneam.

Prov. 30. 27. *Locusta regem non habet* ויצא חצץ כלו, *tamen exit* (ad bellum) *unaquæque sibi dividens*, nempe spolia bellica. Quod alioqui ducum & imperatorum est. Hanc esse mentem verborum Solomonis non viderunt interpretes, quia nescierunt quid esset חצץ. Tamen חצה verbum simile, quamvis diversi ordinis, de spoliorum divisione usurpatur Num. 31. 27. Et hoc ipsum חצץ Talmudici ad arbitrum referunt qui rem litigiosam inter contendentes dividit. Sed & Arabice حصص partiri & dividere est.

Cum ילק *jelek* in bruchorum aut locustarum esse genere vix quisquam diffiteatur; novis tamen interpretibus aliud est Jerem. 51. 27. ילק סמר *jelek samar*, id est ὀρθόθριξ seu *horripilans*, si verbo datur venia. Neque enim convenire visum est, ut diceretur ὀρθόθριξ locusta quæ depilis est. Itaque nonnulli *erucam* intelligunt, quæ hirsuta quidem est, sed non volat, quomodo ילק *jelek* Nahum. 3. 16. Alii *melolontham*, quæ sententia Fullero maxime arridet. Tamen illa quoque est glabra. At locustas alias glabro, alias hirsuto capite describunt Talmudici tractatu *Cholin*. Itaque mysticis locustis capillos tribuit Joannes Apoc. 9. 8. Et عرفان *orphan* apud Arabes est locusta jubata. Ut الخنتف *alchanthaph locusta quæ coquenda depilatur*. Quin & cornutas describunt quibus instar cornuum pili duo sunt in vertice. Horum autem ratione, quidni dicatur סמר *samer*, id est ὀρθόθριξ, cum eos erigit? De Locusta denique Claudianus, *Horret apex capitis*. Horret id est סמר, ὀρθοτριχεῖ.

Job. 24. 20. quod de impio dicitur מתקו רמה alii reddunt *dulcis est ei vermis*, alii *dulce vermi est ejus* supple *cadaver*. Sed prius nullum habet sensum commodum. Et neutrum ferunt Hebræa verba. Omnino igitur ex Syra lingua, qua ܡܬܩ *methak* est exsugere, hæc verba sunt exponenda, *Exsugit eum vermis*, quod sequuntur Syrus & Arabs.

Quia משחת, *vastatio* aut *corruptio* pro castratione videtur sumi Levit. 22. 25. Eodem Hebræi referunt quod legitur Ps. 78. 45. *Misit ranam* ותשחיתם, *& vastavit eos*, quasi ranæ à Deo immissæ Ægyptios castraverint. Quod est perridiculum. Quippe ranæ dentes non habent, nec quicquam aliud quo in homines sævire possint. Et Ægyptii hâc plagâ mutilati improles periissent, gensque universa sic deleta fuisset & funditus exstirpata. Ranæ igitur Ægyptios devastasse leguntur, id est Ægyptiorum oras, villas, domos & agros, denique quicquid illorum erat.

Jeremias Thren. 4. 3. scribit etiam cete mammam educere ut lactent catulos suos. Quod à mulieribus vir eximius putat esse translatum. Cum cetorum magis sit propria quam mulierum hæc mammarum eductio. Utitur enim voce חלץ, quæ non solum educere, sed & evaginare sonat. Ceti autem papillas non esse ἐπιφανεῖς observat Philosophus, quia in mammis receptæ tanquam in vaginis conduntur. Unde ad suctum catulorum illas promunt, cum necesse est.

Animalium propria quod attinet, quia גלם *galam* est involvere, גולם *golem* Ps. 139. 16. est fœtus in utero & secundinis adhuc involutus. Nam quod in Epiphanii Ebionæis γελμα legitur esse alica, aut similæ granum nondum subactum, nusquam alibi reperitur. שגר *seger* vocatur fœtus ex utero nuper emissus, quia per partum emittitur. Chaldæis enim & Arabibus שגר verbum est emittere. Et huic synonymum שלח in emittendi notione ad partum refertur Job. 21. 11. פטר *peter* cur vocetur primogenitus ex Arabibus didicimus, quibus فطر *phatara* est incipere, & الفطر *alphatro* dicitur quod in unaquaque re primum est. עלות *aloth* sunt fœtæ pecudes. Nec tam gravidas quam lactantes hâc voce significari constat ex 1. Sam. 6. 7. 10. Itaque עיל, עויל & עולל est parvulus lactens.

In grege Labanis Gen. 30. 42. העטפים volunt esse agnos aut hœdos serotinos & autumnales, & הקשרים vernos & primitivos, qui prioribus præferendi sint. Quin autumnales vernis præferunt Plinius & Columella. Unde est quod agni Chaldæum & Arabicum nomen ab autumno & hyeme habent. Itaque vocibus עטפים & קשורים aliud significatur. Et עטפים dicuntur fœtus infirmi & debiles, à verbo עטף quod languere, deficere & labascere significat. Quibus opponuntur קשורים id est *ligati* ad verbum. Sed has linguas ligandi verbis ad corporis & animi vigorem designandum sæpe abuti docemus.

Non minus falli puto interpretes in voce המשנים 1. Sam. 15. 9. ubi Saul pepercisse legitur *optimis gregibus & armentis* המשנים, *& τοῖς misnim & agnis*. Cum enim constet ibi משנים *misnim* pecudum esse epithetum a dualitate vel duplicitate deductum, iis tamen assentiri non possum qui vel *biennes*, vel *secundo partu genitas*, vel *secundarias*, & ab optimis secundas, vel *pingues* oves interpretantur, quasi per pinguedinem duplicem carnem habeant. Sed *bidentes* intelligo, quæ hâc eâdem phrasi Arabice dicuntur ثنيون id est pecudes quibus duo dentes eminent, qui status est pleni roboris. Unde est quod olim bidentes ad sacrificia tantopere exquirebantur, tanquam Diis acceptiores.

Nec levis eorum est error qui pastorem aut multorum gregum dominum ideo נקד *noked* vocari asserunt 2. Reg. 3. 4. & Amos 1. 1. quia pascit oves נקדות *nekudoth* dictas, id est, inquiunt, quæ à pastore certis notis signatæ & compunctæ sunt. Neque enim oves נקדות *nekudoth* seu κατάστικτοι appellantur propter characterem certo loco à pastore impressum, sed propter notas illis ubique à natura sparsas. Cujusmodi oves in magno grege cum sint numero paucissimæ, à paucis illis pastorem vocari נוקד *noked* non est vero consentaneum. Sed Arabice نقد *neked* genus ovium est quæ staturâ quidem parvæ sunt, & specie deformes, sed lanam habent eximiam. Quarum pastorem vel dominum Arabes نقاد *nokkad* vocant. Neque aliud est Hebræum נקד *noked*.

Nemo est qui non aliquid audiverit de hirco *Azazel*, quem summus sacerdos Deo devotum in desertum amandabat, postquam sua & populi peccata confessus erat, manibus in illius caput impositis. Sed nemo est qui sciat cur appelletur hircus *Azazel*. Hebræi enim quicquid de hac voce scribunt, ne speciem quidem habet veri. Nam ex Hebraismo conantur tanquam per fidiculas extorquere vocem quam esse Arabicam ipsa forma palam docet. Arabicâ saltem linguâ nullibi non occurrunt pluralia hujus formæ. Itaque cum apud Arabes verbum عزل *azala* separare & removere sonet, quid aliud intelligamus per plurale nomen عزازل *Azazel* vel *Azazil* potius inde deductum, quam χωρισμοὺς & ἀναχωρήσεις *separationes* & *secessus*? Ad quos cum hircus ille destinatus fuerit, dicitur sors in illum cecidisse *in Azazel*, & dimissus fuisse *ad Azazel*, id est sorte id illi accidisse ut à grege separetur, & ad loca remota dimittatur. Et hircus *Azazel* nihil quicquam est quam hircus τῶν ἀναχωρήσεων, *separationum* aut *remotionum*, id est à reliquo grege separandus & semovendus.

Lanæ vel pecudum colores in Scriptura septem memorantur. 1. לבן *laban* albus. 2. צחר *tsachar* candidus juxta Ebræos, vel juxta Arabes rubro & albo mixtus, quos forte conciliabis, si colorem intelligas ita candidum ut lucis instar ἐρυθρίζειν & rutilare videatur quodam errore visus. 3. חום *chum* niger, ut Arabice احم *achammo*, & Ægyptiis χημία quod nigrum oculi sonat. Et Gen. 30. & 31. varii colores quatuor, 1. נקד *nakod*, 2. טלוא *talu*, quorum illud punctis interstinctum, hoc majoribus maculis aspersum sonat centonum instar qui ex pannis multicoloribus consuti sunt. Nam טלא *tala* proprie est consuere. 3. עקד *akod* in crure fasciatus, albâ vel diversi coloris periscelide. 4. ברוד *barud* Hebræi χαλαζώμενον grandinatum

dinatum explicant, seu respersum maculis albis instar grandinis, quæ Hebr. ברד *barad* dicitur. Sed Syri rubro & albo distinctum, & Arabes nigro & albo per lineas striatum. Quomodo Hebræos usurpasse non puto, quia tales equi nulli sunt. E quibus tamen nonnulli fuere ברודים *barudim*, ut ex Zacharia constat. Is nimirum sex equorum censet colores, quorum tres notissimi, אדום rufus, לבן albus, & שחור niger. Sed tres alii valde ambigui, 1. שרוק *saruk*, quem Selomo & Kimchius sibi ignotum esse fatentur, nos gilvum seu flavum esse conjectamus, quia in Prophetarum scriptis color est equis, vino & lino crudo communis ab albo & rufo diversus. 2. ברוד *barud* de quo jam actum. 3. אמוץ *amuts* idem qui חמוץ *chamuts* seu ὀξὺς, acutus color, id est purpureus vel puniceus, quem in equo *spadicem* vocant. Is à vulgari rubro vel rufo plurimum differt, quia est multo excitatior. Asinos in Oriente plerumque rubere jam monuimus. Debora tamen in Cantico Jud. 5. 10. commendat אתנות צחרות, *asinas candidas*, vel si sequimur Arabes, rubro & albo distinctas. Elephantes quoque observavimus à colore fusco dici שנהבים *senhabim* pro שנקהבים *senkahabim*, qui idem *bubalorum* color est. Et Jerem. 13. 23. pardi maculæ vocantur חברברות *chabarburoth* quia lividæ. Pro quo Chaldæus habet שלטי רקמתיו, *scutula recamationis ejus*, si verbo datur venia. *Scutula* quo sensu veteres *scutulatas vestes* dixerunt & *scutulatos equos*. Et *recamatio* est opus Phrygionicum. Sic Ezek. 17. 3. asterias aquila describitur magnis alis & הרקמה *rekama*, id est Phrygionico opere, interstinctis. Quo sensu Itali & Hispani hodieque hanc vocem usurpant.

Huc quoque referenda quæcunque ex animalibus vere prodeunt, vel prodire creduntur. Ita חלב *chalab* lac & חלב *cheleb* adipem in aliquot Scripturæ locis promiscue sumi probamus, quia iisdem scribuntur literis. חמאה *chemea* butyrum est tam ex ovillo & caprino quam ex bubulo lacte confectum Es. 7. 21. 22. Quod à Dioscoride observatum immerito carpit Galenus. Dicitur autem חמאה *chemea* quia خما *chama* de lacte condensari significat, ut ex Arabibus scimus. In Cyprio vocabatur ἄλφα à Phœnicio bovis nomine *alpha* vel *eleph*. Caseus גבינה *gebina* vocatur Job. 10. 10. quia גבן *gibben* est coagulare. Et ex שפה *sapha* percolare שפות בקר *saphoth bakar* sunt *casei bovis*. 2. Sam. 17. 29. Pro quo Græci σαφὼθ βοῶν, Hebræam vocem nude exscribentes, quia non intellexerunt. At iisdem 1. Sam. 17. 18. חריצי *charitse* sunt τρυφαλίδες, id est Hesychio interprete τὰ τμήματα τοῦ ἁπαλοῦ τυροῦ mollis casei segmenta. Neque aliud חריצי, quia חרץ est exscindere.

Apum opera mel & cera sunt. Illud דבש *debas* æquivoco nomine appellatur, quo dactylos etiam significari Hebræi asserunt, & probant ex Levit. 2. 11. Deut. 8. 8. & 2. Paral. 31. 5. Nempe ex calcatis dactylis plurimum mellis emitti, vulgari melle non multo deterius, Josephus in Jerichuntinæ vallis descriptione diserte asserit. Nec dissimilia tradunt Josephus Indus cap. 138. Et è recentioribus Baumgartenus peregrinationum suarum lib. 2. cap. 11. Arabes autem, quibus vulgare mel est غسل *gaslon*, mel è palmis eductum دبس *dibs* vel *dibis* appellant, nomine ex Hebræo deducto. Cera autem Hebr. est דונג & Chald. שעוא, unde השתעה est ceræ instar mollescere Es. 41. 10.

Sed cum ex animalibus nihil nascatur margaritis pretiosius, eas nusquam præcise nominant Græcæ Vet. Test. versiones: Et Vulgata uno solum loco, eoque alieno. Itaque, si illis stamus, prophetæ omnes de re tam eximiâ credentur omnino siluisse. Quod parum est verisimile, cum auri septem species, & gemmas quasque pretiosissimas sæpe sæpius, nec sine pompâ memorent. Et margaritarum Matthæus, Paulus, Joannes, adeoque Christus ipse non semel meminerit. Proinde nullus dubito quin prophetæ quoque multa habeant de margaritis. Et loca si requirantur, primus se offeret Moses Gen. 2. 12. ubi voce בדלח *bedolach*, cujus proventu celebratur regio Havila, nec videtur *bdellium*, nec *crystallus* significari, quomodo multi exponunt, sed margaritæ, quæ in illis locis fœlicius proveniunt quam terrarum uspiam. Eodem facit quod Num. 11. 7. cum *bedolach* confertur manna, quia erat album & rotundum, quæ duo in margaritis sunt maxime insignia. Hinc est quod nomine בדלח *bedolach* margaritas intelligunt paraphrastæ quatuor Arabes, Talmudici, Calonymus, Benjamin, & Hebræorum nonnulli alii. Et in Samaritano exemplari בדלה *bedolah* per *he* scribitur, quasi fiat a בדל *badal*, quod separare est, ut Arabicum فرد *pharada*. Quo dato Hebræum בדלה *bedolah* idem esset quod Arabicum فريد *pharid*, margarita scilicet non quævis, sed eximia, & præstantiæ ratione à reliquis segregata. Græce μονόκοκκον dixeris, & Latine *unionem*.

Rursus Esther. 1. 6. inter lapides pretiosos quibus stratum fuisse legitur Assueri cœnaculum, Hebræum דר *dar*, & in paraphrasi Chaldæum דורא *dura*, margaritam significat à sphærica forma sic dictam. Unde est quod ibidem interpres eam afferri scribit ex arcibus maris magni, ad quas scilicet est κολύμβησις πινικῶ, *pinici* seu *margaritarum piscatio*. Et Græci quoque πίννινον λίθον *pinninum* seu *pinna lapidem* id est *margaritam* reddunt. Arabice denique در *dur*, vel *dor*, in plurali *dar* est unio, plane ut Hebraice דר *dar*. Et ne quis in ædium ornamentis margaritas adhiberi miretur ut rem insolitam, similis apud Indos, Chaldæos, Arabes, Colchos & Romanos profusionis exempla ex idoneis scriptoribus deprompta proferimus.

Est & margaritarum tertium nomen פנינים *peninim* utroque usitatius, ad quem alludunt πίννα, πίννωσις, πινικὸν, vel πιννικὸν, & πίννιος λίθος pro margarita. Et id ipsum esse פנינים *peninim* vel ex eo constat quod cum in Jobo & Proverbiis inter res pretiosissimas censeantur aliquoties, semper plurali numero occurrunt. Quia margaritæ plures conseri solent in armillis & monilibus. Et ut reliqua taceam, cum משך extractio sapientiæ præfertur extractioni τῶν peninim Job. 28. 18. quis non videt sic alludi ad modum quo margaritæ ex mari extrahuntur? Neque enim gemmas reperias aut ex maris abyssis aut ex terræ penetralibus simili modo extrahi. Sed in re clara interpretes ideo cæcutierunt, quia de Nazaræis dicitur Thren. 4. 7. אדמו עצם מפנינים, *corpore rubuerunt plus quam peninim*. Inde scilicet collegerunt *peninim* non esse margaritas, quæ à candore commendantur, sed rubræ gemmæ aliquod genus, puta carbunculum, sardium, amethystum, alabandicum. At ibi loci אדם rubere non est, sed summe candere. Præcedit enim in eodem versu, *nive puriores fuerunt, & lacte candidiores*; quibus hæc non cohærebunt, *corpore rubuerunt plus quam peninim*, nisi ad candorem referantur. Neque enim potest idem corpus candere nivis & lactis instar, & in modum carbunculi rubere. Et ne putetur novum hoc loquendi genus, Levit. 13. 19. lepra describitur לבנה אדמדמת, *alba ruberrima*, id est summe candida. Et Cant. 5. 10. sponsus legitur esse צח ואדום, *candidus & ruber*, id est eximie candidus. Poetæ quoque purpurea vocant quæ sunt summe candida, puta nivem & cygnos. Denique أدم *adama* Arabice candere est, non rubere ut Hebraice.

Etiam è mari eliciuntur ארגמן *argaman* & תכלת *thecheleth*, quorum illud *purpuram*, hoc hyacinthum reddunt veteres. Prius rubri aut amethystini, posterius est cœrulei coloris. ארגמן *argaman* in ארגון *argavan* mutant Chaldæi, Syri, Persæ & Arabes. Utrumque factum ex ארמגון *aramgavan*, quasi Syriæ colorem dicas. ארגמן *argaman* per metathesin, & ארגון *argavan* per elisionem literæ M. Purpura Syrius color dicitur, quia Tyrus & Babylonia, ubi purpura olim reperta est, vel pars erant Syriæ, vel appendices. Ad ארגמן *argaman* alludere nonnulli putant ἀμόργην herbam flore purpureo quæ insulæ Amorgo nomen fecit. Et ad ארגון *argavan* Græcum ῥῆγος vel ῥίγος pro amictu purpureo.

Hebræi תכלת *thecheleth* elici dicunt ex sanguine τοῦ חלזון *chilzon*. Quod nomen utut ad omnem cochleam generale, hic ad conchylium proprie pertinet, cujus sanguini tribuit Plinius colorem austerum in glauco, & irascenti mari similem. Itaque Hebræis תכלת *thecheleth* color est mari aut cœlo similis, ut hyacinthus Græcis. Et Kimchius *azurum transmarinum*, Arabes in Pentateucho colorem اسمانجون cœlestem seu cœruleum reddunt. Pro תכלת *thecheleth* Chaldæi scribunt תכלא *thichla* vel *thachla*. Unde Græcis κάχλη, κάλχη & χάλκη pro flore purpuræ aut animali quo tingitur. T vel Θ in K vel X mutato ut passim, ut vocis *thachla* prima syllaba sequenti esset similior. Hinc Græci pro Gibliis Βιβλίους dixere

dixere Ezek. 27. 9. τέτορες pro τέσσαρες, πέμπε pro πέντε. Romani *bebrum* pro *fibro*, & *lilium*, *purpuram*, *popam*, pro Græcis λείριον, πορφύραν, φύπλω, quomodo Æoles θύπλω vocabant.

כרמיל *carmil* coccum exponunt plerique interpretes, cum inter purpuræ species ponatur 2. Par. 2. 7. 14. & 3. 14. Proinde כרמל *carmel* & ארגמן *argaman* palam sunt synonyma in his Cant. 7. 5. *Caput tuum* כרמל *sicut carmel, & cincinnus capitis tui* כארגמן *sicut argaman.* Ut res planior fiat, sciendum est Talmudicos in tractatu *de Sabbatho* purpuræ piscationem extendere *à Tyri scalis usque ad Chaipham*, quæ sita est ad Carmeli montis radices; Et à purpuræ piscatione olim *Porphyria* dicta est, ut Guillielmus Tyrius autor est. Ita ut eadem fuerit quæ Phœniciæ urbs Πορφυρέων apud Stephanum ex Polybio. Patet igitur כרמל *carmel* vocari à Solomone & Esdra eam purpuræ speciem cujus magna fuit ubertas prope Chaipham seu Porphyriam ad Carmeli montis radices. Obiter nota Æthiopicum ለይ: *laja* pro cocco, decurtatum esse ex Ægyptio κάλλαϊα, unde καλλάϊνον χρῶμα pro purpureo.

שחלת *secheleth* onychen reddunt plerique interpretes Exod. 30. 34. id est unguem aromaticum. Et à recentioribus intelligitur Dioscoridis & Plinii onyx, id est conchylii operculum in nardiferis Indiæ paludibus reperti, de quo multa etiam Arabes. Id nimirum onyx vocatur, quia feræ aut avis rapacis unguibus non absimile est. Sed Hebræis aliud est *onyx*, nempe aliquid in planta aromatifera, quod lævore & splendore suo unguem humanum refert. Bdellium scilicet ut conjectamus, quod est ὅμοιον ὄνυχι, ac proinde à Galeno & Damocrate βδέλλα ὄνυξ appellatur. Ab atrore dici suspicor שחלת pro שחרת. Ut leo niger שחל dicitur pro שחר. Jonathan plane aliter, nempe כשרת interpretatur, id est nisi fallor κίσθον ex quo ladanum colligitur. Huc facit quod pro כשרת Arabes editi duo لاذن *ladan* habent. Cujus Arabicæ vocis mentio est in Herodoto.

Succino vernaculus sermo nomen *ambari* non alia de causa indidit, quam quia putatur à majore ceto ejici. Æthiopice enim *anbar* vocatur quilibet major cetus. Ut Arabice certa ceti species in cujus ventre fama est succinum reperiri. Nec desunt qui Hebræo חשמל *hasmal* & Græco ἠλέκτρου *electri* nomine apud Ezekielem id ipsum intelligant. Itaque interpres Arabs pro electro habet الكهربا *alcarabe* Ezek. 1. 4. id est succinum. Sed idem sui oblitus reddit المها *almaha*, id est crystallum Ezek. 1. 27. & 8. 1. Nempe ἤλεκτρον apud veteres non solum succinum, sed & crystallum significavit, ut ex Avieno probamus, & Aristophanis scholiaste. Sed ad neutrum pertinet descriptio τοῦ *hasmal* quam habet Ezechiel. *Hasmal* enim in igne lucet Ezek. 1. 4. At succini in ignem conjecti fulgor statim obscuratur. Et quamprimum flammam concipit, tota materies in picem aut resinam lentescit. Crystallum quoque in igne fuliginem contrahit. Itaque ut *hasmal* in Hebræo textu, ita in versionibus electrum aliud significat, auri scilicet mixturam cum diverso metallo. Interim *hasmal* & electrum prorsus idem esse non puto. Nam ἤλεκτρον proprie dicitur, cum auri quatuor partibus miscetur argenti quinta, sive hæc mistio sit naturalis, aut arte fiat. Sed *hasmal* videtur potius ex ære & auro esse conflatum, atque ipsum nomen hoc indicare. Cum æs Chaldaice sit נחש *nehas*, & aurum מלל *melal*, unde primo נחשמלל *nehasmelal*, deinde חשמל *hasmal* factum, voce utrimque decurtatâ. *Hasmal* igitur proprie est χαλκοχρύσιον, metallum ex auro & ære constans. Vel si mavis æs aurum pretio exæquans, aut colore referens, ut χαλκὸς χρυσοειδὴς de quo meminit Diodorus. Hujus sunt quinque species, 1. Æs Persicum seu Indicum ex quo duo vasa Deo consecrata Esdr. 8. 27. Et Darii batiacæ, quæ ab aureis solo olfactu dignoscebantur. 2. Æs coronarium, quod Græci χαλκοστέφον vocant. 3. Pyropum. 4. Corinthium æs. 5. Aurichalcum, si ex auro & ære vere constitit, ut ex Romanis scriptoribus quidam asserunt. Quibus Hesychius fere concinens, ὀρείχαλκος, inquit, χαλκὸς χρυσῷ ἐοικώς.

Obsessâ Samariâ cum gravis fames esset in urbe, legitur 2. Reg. 6. 25. *quartam partem cabi* חריונים *chirjonim*, id est logum seu mensuram sex ovorum, stercoris columbarum, *venisse quinque argenteis*, id est novem circiter libris nostræ monetæ. Ad quem locum quæritur cur mensura tantula rei tam vilis, nempe columbini stercoris, tanti venerit, & in quem usum fuerit comparata. Nos iis confutatis qui columbarum stercus pro cibo fuisse volunt, aut ligni vices præstitisse, aut fimi ad stercorandos agros, aut salis ad condiendos cibos &c. Docemus Arabes columbarum stercus appellasse ciceris aliquod genus, aut pultem ex cicere confectam, & valde esse verisimile tale aliquid intelligi.

Multa alia taceo quæ obiter explicamus, quamvis ad animalia directe non pertineant. Ita in plantis docemus Job. 30. 4. מלוח *mallnach* esse halimum. Of. 10. 4. ראש *ros* herbam amaram in segetibus nascentem, forte melanthium sylvestre. Gen. 38. 25. צרי *tseri* esse *resinam* ut veteres, non balsamum ut recentiores exponunt. 1. Reg. 4. 33. Syrum ܠܘܦܐ *lupha*, id est ἀείζωον, ab aliquo semidocto pro ܙܘܦܐ *zupha* seu hyssopo fuisse scriptum. In Talmudicis & paraphrastis הירדופנין *hirdophnin* esse rhododaphnen, אספסתא *isaphsatha* herbam Medicam, צתרי *tsithri* origanum, עכביתא *accobitha* sillybum, קקולי *kakuli* ciceris genus, תמכא *thamca* parthenium, מרור *meror* cichorium, עולשא *ulsa* intubum, quæ vel plane ignorantur, vel inter alias interpretationes ab his diversissimas cunctanter afferuntur. In lapidibus שמיר *samir* esse *smirin*, & סנדלכין *sandalchin* sardonyches. In armis כידון *chidon* esse παλτὸν pilum Jos. 8. 18. &c. שכות *sicchoth* missilia Job. 40. 26. מסע *massa* iter alibi, sed hastile Job. 41. 17. שריה *sirja* ibidem spiculum, non thoracem aut loricam, quomodo alii reddunt, quasi sit idem quod שריון *sirjon*; cum ibi agatur de armis quæ oppugnant, non quæ propugnant. Et vero tam hoc ultimum quam duo quæ præcedunt ex Arabica lingua explicamus.

Arabice etiam ورط *vvarata* de via intricatum, occultum, profundum esse sonat, unde se extricare & explicare non sit facile. Idem Hebræis ירט *jarat*, quod declinare perperam reddunt. Sic Num. 22. 13. Angelus dicit Balaamo, ירט, *intricata est via tua coram me.* Et Job. 16. 11. viri sancti de Deo querela hæc est, *inter manus impiorum* ירטני, *implicavit me.* Sic رنن *ranana* stridere, cum de sagittis dicatur quæ ex arcu excutiuntur, idem est Hebr. רנה *rana*. Et Job. 39. 26. תרנה אשפה, *stridet pharetra*, id est strident sagittæ ex pharetra emissæ, per metonymiam continentis pro contento. Æthiopice በለስ: *balas* ficus est aut sycaminus. Ita etiam Arabice. Hinc Hebr. verbum בלס *balas* est συκάζειν, θεσάζειν, ἱερουργεῖν, ἐλλυνδιάζειν. Unde Amos. 7. 14. בולס שקמים ad verbum est ὁ συκάζων τὰ συκάμινα, id est κνίζων vellicans, ut recte Græci & Hieronymus. Arabibus item ابل *ibil* est camelus, & ابيل *abil* camelis præfectus: Inde אוביל *Obil* vocatur Ismaëlita quem David camelis suis præfecerat. 1. Par. 27. 30. Rursus Arabice رصف *ratsapha* pavire est, & lapidibus sternere. Sed cum puncto super *tsad* رضف lapide ignito assare & coquere. Unde رضفة lapis quo candente lac aut carnes excoquunt. Eâdem homonymiâ laborasse puto Hebræum רצף *ratsaph*, atque inde רצפה *ritspha* deductum modo pavimentum significasse, modo lapidem in igne candefactum. Neque aliud intelligo Es. 6. 6. ubi unus è Seraphim ad Esaiam volat, habens in manu רצפה *ritspha*, id est lapidem candentem quem ex altari sumpserat. Seniores quidem ἄνθρακα *carbonem* habent, quod Hebræi recentiores & ex illis novi interpretes sequuntur magno consensu. Sed ut habet Hieronymus Epist. 143. ad Damasum, *in Hebræo pro carbone calculus legitur, cæteris quoque super hoc consonantibus*, id est Aquilâ, Symmacho, Theodotione. Itaque ipse etiam *calculum* reddidit. Quin putat Seniores idem quod cæteros sensisse, quia ἄνθραξ genus est lapidis, carbunculus scilicet. Ὀβὶς Ægyptiis est serpens; & οὐβαῖος basiliscus in Horo Apolline. Huc alludere verosimile est quod אוב *ob* Mosi est Python. אריאל *Ariel*, id est leo Dei, virorum fortium cognomen fuit in terra Moab 2. Sam. 23. 20. Quod apud Arabes hodieque obtinere multis exemplis probamus. Apud eosdem usu receptissimum est ut locustæ vocentur جند الله الاكبر *exercitus Dei maximi.* Quomodo illas

vocat

vocat Deus ipse *exercitum suum magnum* Joel 2. 25. Arabum quoque vocabulum est كيوان *Caivvan* pro Saturno, ut Hebræorum כין *Cijun* iisdem fere litteris Amos. 5. 26. Et Cophtitis in Ægypto Ρηφὰν vel Ραιφὰν id ipsum est. Proinde Græci interpretes qui versionem suam in Ægypto ediderunt Hebræum כין *Cijun* recte omnino Ræphan interpretati sunt.

In Geographicis quoque Arabes sæpe cum fructu consuluntur. Ita Job. 9. 26. cum vir sanctus dies suos præteriisse conqueritur ut naves אבה *Ebe*, R. Selomo recte conjicit *Ebe* fluvii nomen esse. Sed situm indicant soli Arabes, qui de Jobo interpretando non solliciti, tamen duos amnes hujus nominis in Babylonia describunt, unum prope Cupham, alterum in Wasit, id est in media regione inter duo Tigridis ostia, quam Græci Μεσήνην vocant. Basanis nomen quid significet Hebræi nusquam nos docent. Sed Arabibus بثنة *Bathsana*, quomodo ab illis scribitur, est *terra facilis, mollis & fertilis.* Nec multo aliter Hieronymus in Esaiam: *Basan interpretatur uberrima & pinguis.* Et in locis: *Basan pinguedo.* Ita in capite Jordanis lacum *Samachonitin*, vel etiam *Semechonitin*, à piscibus nomen habere facile credet, qui piscem sciet Arabice dici سمك *samachon* vel *semechon*. Iisdem خضيض vel خضخض locus est multis aquis affluens. Unde Enguedi alio nomine dicta videtur חצצן תמר *Hatsatsonthamar* 2. Par. 20. 2. propter palmas in locis irriguis ibi consitas. Et priscum Antipatridis nomen apud Josephum *Capharsaba* vel *Capharzaba* Syriace scribebatur ܟܦܪܬܣܒܐ *Caphartsaba*, id est urbs crocodili terrestris. Itaque circa illa loca Crocodilorum oppidum describunt Strabo & Plinius.

Nec solum singula verba, sed & integras periodos sæpe cogimur aliter interpretari quam vulgus solet. Ut Jacobi verba de Nephthalitis Gen. 49. 21. Quæ interpretes sic fere reddunt: *Nephthali est ut cerva emissa, dans eloquia pulchritudinis,* nullo sensu aut valde obscuro. Quippe non constat satis quid sit *cerva emissa*, cum cerva semel capta non soleat emitti. Nec posterius hemistichium cum priore cohæret. Denique dici non potest quid vel Nephthali, unus è Jacobi filiis, vel ex eo orti Nephthalitæ commune habuerint cum cervâ, eâque emissâ. Nec quæ sint pulchra illa eloquia propter quæ meruerit supra fratres commendari. Cum ex illa tribu nullus doctor aut propheta legatur ortus. Et vulgus Nephthalitarum tam impuri sermonis fuerit, ut reliquis Israelitis hoc nomine risum moverit. Sed si vocales abessent, quas plus duobus annorum millibus post Jacobum Masorethæ adscripserunt, posset ex illis verbis plane alius sensus elici, hic nimirum: *Nephthali est ut arbor surculosa, edens ramos pulchritudinis*, id est eximios & speciosos. Quibus verbis significaverit hanc tribum fore fœcundissimam. Nec eventum prædictioni defuisse multis probamus.

Exod. 23. 5. lex quâ jubemur etiam inimico adesse, cujus asinus in via oneri succubuerit, iis verbis concipitur quæ interpretes plurimum torquent, quia videntur id ipsum jubere quod diserte vetant. Illa enim ita habent: *Cum videbis asinum inimici tui sub onere suo jacentem*, וחדלת מעזב לו עזב תעזב עמו, *desines a relinquendo ipsi: Relinquendo relinques cum eo.* Quæ in speciem contraria sunt. Legislator enim cum dicit, *desines a relinquendo ipsi*, plane vetat ne asinum ita jacentem cum domino deseras, antequam erexeris. Sed videtur idipsum quod prohibuerat vel jubere, vel concedere, cum addit continuo post, *relinquendo relinques cum eo.* Itaque ut sensui consulatur, pro לו *lo* per *vau*, legi velim לא *lo* per *aleph*, ut verba legis sic sonent: *Desine à relinquendo: ne* (inquam) *relinquendo relinquas cum eo.* Et mandatum idem bis repetitur, ne legatur perfunctorie. Aut pro עזב תעזב, *relinquendo relinques*, legerim עזר תעזר *auxiliando auxiliaberis.* Sed prætulerim prius, quia non desunt alia loca, in quibus לו pro לא scriptum, & vicissim לא pro לו.

Exod. 32. 4. cum Israelitæ Aaroni inaures suas obtulissent, ut ex iis conflaretur vitulus; is aurum accepit ויצר אתו בחרט, *& ligavit* (seu recondidit) *illud in marsupio*: Vel *& formavit illud stylo.* Utramque interpretationem Hebræa verba admittunt. Sed priorem nemo sequitur præter Chaldæum Jonathanem. Nam inter illas hæret dubius R. Selomo. Et reliqui interpretes vel ab utraque recedunt, vel posteriori mordicus hærent, cum tamen illi prior sit longe præferenda. Sequitur enim, *& fecit ex eo vitulum fusilem.* Hæc autem sunt ἀσύςατα, ut fusile id esse dicatur quod cælo formatum est. Et si Aaronem cælo solum expolivisse dicas quod fusione formaverat, hæc referuntur ordine præpostero, *cælo formavit illud aurum, & fecit ex eo vitulum fusilem.* Præterea quæ fusa sunt non lævigantur stylo, sed limâ, ut habet Chaldæus Deut. 9. 21. Denique si accepto hoc auro, vitulum stylo formavit Aaron, aut saltem lævigavit, quomodo postridie mane festum indixit, ut à populo coleretur? An potuit unâ nocte vitulus stylo formari & expoliri, idque ab homine harum artium rudi? Itaque verba Mosis omnino sic reddenda sunt: *Et è manu eorum acceptum illud aurum in marsupio recondidit, & fecit ex eo fusilem vitulum.* Quam interpretationem plane confirmant loci similes Jud. 8. 24. 2. Reg. 5. 23. & Es. 46. 6.

Vix sine horrore legimus quod omnes omnino Scripturæ versiones asserunt 1. Sam. 6. 19. Deum è Bethsemitis qui arcam introspexerant, percussisse quinquaginta hominum millia & septuaginta. Quia verisimile non est Deum Optimum Maximum tantam eorum stragem edidisse qui redeuntem arcam cum gaudio exceperant, & multa sacrificia in gratiarum actionem obtulerant. Aut in extrema Judæa obscurum oppidum, vel pagum verius ut à Josepho vocatur, habuisse tot incolarum millia. Josepho igitur accedo qui cæsos fuisse non censet supra homines septuaginta. Quod hæc Hebræa significabunt, si commode reddantur, ויך בעם שבעים איש חמשים אלף איש, id est, ut quidem sentimus: *Et percussit in populo septuaginta homines, quinquaginta* scilicet ex *mille hominibus*, hoc est vicesimam partem, quod suo loco pluribus explicatur.

Ex Hebræo קוה *kava* factum est Chaldæum גבא *geba*, & cum illo convenit in colligendi notione. Itaque ut Chald. מגביתא *magbitha* primo collectionem, deinde etiam tributum & vectigal sonat, ita etiam Hebr. מקוה *mikve*, cum alibi pro collectione occurrat, nos pro vectigali sumimus 1. Reg. 10. 28. Quo posito, loci alioqui valde obscuri, quique hactenus interpretibus crucem fixit, sensus erit obvius. Ita enim interpretabimur: *Et educebantur equi Solomonis ex Ægypto. Et vectigal* quod attinet, *mercatores regis Solomonis vectigal* illud *accipiebant pretio* redemptum ab Ægypti rege, quotquot aliter explicant, ipsi se mire implicant, quod illorum pace dixerim.

Filii Heman à Deo constituuntur להרים קרן *ad attollendum cornu* 1. Par. 25. 5. Id est ut statis temporibus corneis tubis altâ voce buccinent. Ut cum de iisdem dicitur 2. Par. 8. 13. *Cum attollerent vocem in tubis.* Apud alios interpretes elatio cornu ibi sumitur pro roboris exaltatione, quod videtur alienum.

Job. 40. 18. novi interpretes de *Behemoth*, quem volunt esse elephantem, hæc fere habent: *Premet fluvium ita ut non festinet: Confidet quod Jordanem educet in os suum.* Ac si dicatur elephas objectu corporis sui flumen integrum premere & sistere, & unico haustu sorbere. Quod de universo Xerxis agmine vix credimus. Sed Hebræa hoc solum sonant. *Premat eum fluvius, non trepidabit: Securus erit, quamvis erumpat Jordanes super os ejus.* Quæ quidem elephanto non conveniunt. Sed nomine *behemoth* hippopotamum intelligimus, qui sub aqua degit intrepidus, nec superfusi fluminis eruptione quicquam movetur.

Quia quoquo te vertas, nullum sanum sensum elicies ex verbis יונת אלם רחוקים, quomodo leguntur in titulo Psalmi 56. Nos אֵלֶם mutato in אֵלִם *elim*, id est *segol* in *hiric*, iis significari putamus *columbam nemorum remotorum.* Nempe initium id fuit sacræ alicujus cantionis, cujus modulos in illo Psalmo sequitur David. Hæc solum pro specimine. Innumera enim hujus commatis per totum librum sparsa sunt, quæ si vellem hic congerere, describenda esset magna libri pars.

Itaque pro corollario solum hîc addam ex historia fabulari à nobis multa proferri, quæ meris ad Hebræas Scripturæ voces allusionibus nituntur. Ut quæ habet Abydenus de avibus in diluvio emissis, quæ lutosis pedibus redierunt. Et poëtæ de corvo qui aquatum missus moras nexuit. Quod Amalthea capra Jovem aluisse fertur, & à columbis ambrosiam illi afferri.

afferri. Quod gregibus & armentis præest Astarte Dea Phœnicum, & partubus Assyriorum Dea Militta. Quod Isis in hirundinem, & Arge in cervam mutata fuisse fingitur. Quod Anubis pingebatur κυνοκέφαλος. Quod Æsculapius canino lacte nutritus fuisse narratur. Quod canis Herculis purpuram reperisse, & ipse Hercules in ventre ceti per triduum latuisse jactatur. Quod Atydi hircinum nomen Phryges tribuunt. Quod argolæ in Ægypto dicuntur serpentibus esse infestæ. Quod Hispanos docuit Rex antiquissimus Habides boves aratro domare, frumentaque sulco serere. Ut fabulam Typhonis taceam, quæ tota palam deprompta est ex sacra Mosis historia. Et figmentum Apionis de asino à Judæis culto. Et vetus oraculum de lupis Byzantium & Bithyniam invasuris, de quibus agitur suis locis.


Jam ut ad res deveniamus, primo à Mose discimus à quo & quando & ex qua materia creata fuerint animalia. Deum scilicet solum huic operi incubuisse. Et in sextiduo creationis, cum primo biduo magnas mundi partes, id est cœlum & terram condidisset; Et sequenti biduo illum supellectile sua instruxisset, astris in cœlo, & plantis in terra creatis; tertio demum biduo incolas addidisse, nempe aves, pisces, bestias. Ut in homine desineret, qui totius operis esset colophon & complementum. Quod apud Diodorum Euripides fere secutus, ita habet:

Ὁ δ' οὐρανός τε γαῖα τ' ἦν μορφὴ μία,
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
Τίκτουσι πάντα, κἀνέδωκαν ἐς φάος,
Τὰ δένδρα, πετεινά, θῆρας, οὓς θ' ἅλμη τρέφει
Γένος τε θνητῶν.

Et pisces quidem ex aquis eduxit Deus Gen. 1. 30. Sed ex terra bestias & aves Gen. 2. 19. Ut singulæ species ex eo elemento ortum haberent, unde illis quies & victus.

Eadem à creatione statim ad hominem adducta sunt, ut eum pro domino sic agnoscerent. Proinde Adam omnibus nomina imposuit, ut domini servis solent. Quale fuit quod ante diluvium rursus ad Noam convenerunt, cujus opera erepti sunt ab imminenti clade. Ut iis ita servatis, homini accederet novum dominii jus in bruta animalia. Itaque quod primis parentibus dixerat Deus, *Dominamini in pisces maris, & in volucres cœli, & in omnes bestias reptantes super terram* Gen. 1. 28. statim à diluvio, Noæ repetitum est Gen. 9. 2. *Timor vester sit super omnes quadrupedes terræ, & super omnes volucres cœli. Et omnia quæ calcant humum, & omnes pisces maris in manum vestram traditi sunt.* Et ne Pythagoræus aliquis ad usum quidem, sed non ad esum sibi fingat boves & reliquas bestias homini fuisse concessas, ibidem diserte additur: *Omne quod movetur & vivit vobis erit in cibum, omnia illa dedi vobis ut herbam agri.*

Animalium in Scriptura quatuor sunt summa genera, בהמה, quadrupes, עוף, avis, רמש, reptile, דג, piscis, quæ præcipue distinguit motus. Graditur enim quadrupes, avis volat, reptile serpit, & piscis natat. Itaque hæc quatuor homini subjiciuntur Gen. 1. 26. & 9. 2. Jac. 4. 7. In his quatuor munda Moses distinguit ab immundis Levit. 11. 46. 47. Horum quatuor imagines Judæis interdicuntur Deut. 4. 16. 17. 18. De his quatuor Solomon disseruisse legitur 1. Reg. 4. 33. Et in hæc quatuor Deus judicia sua exercuisse Ezek. 38. 20. Sed in Scriptura reptilium nomen, præter vere reptilia, complectitur insecta quævis, ut locustas, muscas, formicas, araneas &c. Et minima quadrupedum, puta mures & talpas. Et quæcunque sunt ὠοτόκα, ut crocodilos terrestres, lacertas, salamandras, stelliones, chamæleontes, testudines. Referre igitur potuissemus ad quatuor hæc genera omnes animalium species. Sed quia Græcorum divisioni plures assueverunt, illam secuti animalia distinximus in vera & fabulosa. Vera vel in genere vel in specie consideramus. In genere primo libro, in specie in sequentibus. Vera nempe animalia dividuntur in quadrupedes, aves, serpentes, insecta & aquatica. Quadrupedes in viviparas & oviparas. Viviparæ in domesticas & feras. Aves in mundas & immundas ex Lege Mosis. De quadrupedibus domesticis agitur libro secundo. De feris libro tertio. De quadrupedibus oviparis libro quarto. His quatuor libris constat totius operis pars prior. In posterioris libro primo agitur de mundis avibus. In secundo de immundis. In tertio de serpentibus. In quarto de insectis. In quinto de aquaticis. Quibus sextus additur de fabulosis animalibus, quorum mentio est vel in Scripturæ paraphrastis, vel in scriptis Arabum. Horum hæc est ὑποτύπωσις



Itaque in primo libro docetur vitam plantis ita esse communem, ut sæpe tribuatur animalibus tanquam propria, quia vita in illis longe nobilior est, & supra plantæ vitam multis gradibus assurgit. Unde est quod à Pythagoræis solum animal dicitur esse ἔμψυχον *animatum*. Et ab Hebræis חיה *chaja* vocatur, à Græcis ζῶον, à Romanis *animal*, quasi vitâ & animâ solum esset præditum. Additur in quem finem bruta creaverit Deus, & horum summa genera inter se conferuntur.

Ibidem observatur quadrupedes in Scriptura distingui ratione loci, molis, partium, colorum, vocis, ætatis, sexus, dotum corporis, puta formæ, roboris, agilitatis, vigoris sensuum. Et ratione morum animi, victus & usus, qui describitur multiplex.

Aves quoque non solum à quadrupedibus sed & inter se non parum differre. Cum sint indigenæ vel peregrinæ: Statariæ ut ita dicam, vel migratoriæ: Montium incolæ aut vallium, fontium aut arenarum, ædium aut solitudinum. Et valde dissimiles vocibus, plumis, volatu, visu, moribus, cibis. Ibidem agitur de avibus in Lege concessis vel prohibitis. De iis item quæ ad lusum conquiruntur. Aut in vestium usum, ubi de plumario opere. Aut ad auguria adhibentur, quod fuit inventum Arabum.

Reptilia distinguuntur in ἔναιμα vel ἄναιμα, id est sanguine prædita vel exanguia. Prioris generis est serpens, mus item & talpa juxta Hebræos, qui pro reptilibus habent. Posterioris insecta omnia. Serpentis describitur venter, ἀποδία, saltus, volatus, caput, cor, venenum, lingua bifida vel trifida, aculeus quandoque geminus, victus, ἀσιτία, prudentia & vafrities, & natura insidiosa. Quæritur ibidem cur Deus serpenti maledixerit. Lacertorum quæ sint genera. Quid Petro μυωπάζων. Ubi reptilia in cibis. Et contra Epicurum probatur reptilia non fuisse creata in cassum.

Ad reptilia exanguia referuntur locustarum species, muscarum item & vermium. In his inenarrabilis est diversitas. Et

 cum

cum ſint valde imperfecta, nemo tamen eſt qui non miretur araneæ, formicæ & apis induſtriam. Et locuſtarum ordinem, quas merito Deus vocat exercitum ſuum magnum. Horum nonnulla Romæ ad ganeam pertinuiſſe probatur, quæ in Lege erant prohibita, ſolo mellis & locuſtarum eſu conceſſo. Et in iiſdem ἐθελοθρησκείας materiam reperiſſe idololatras.

Aquatilia quoque Hebræi repere dicunt. Horum numerus docetur quam ſit immenſus, & quot ſumma genera. In iis piſcis propriæ partes pinnæ, ſquamæ, & branchiæ, quas pro pulmone habet. Cum ſit ἔλλοψ & plane ἄφωνος, tamen loqui dicitur Job. 12. 8. Ejuſdem tangitur fertilitas, ſtoliditas, victus varius, variæ quoque ſedes in mari, fluviis & lacubus. Quorum alii plane ſteriles, alii mire fœcundi. Et cur vocetur ὄψον vel ὀψάριον. Item piſcium alios pinnas & ſquamas habere, alios utroque carere, vel alterutro, qui in Lege immundi. Sic Lege Numæ piſces non ſquamoſos pollucere vetitum. Et diu poſt Numam è ſquamoſis ſcarus exceptus, non tanquam immundus, ſed ut ſumptibus parceretur. Ibidem de ſcaro emendantur loca veterum. Et multa afferuntur de luxu in delectu piſcium. Et de Syris agitur, qui in Aſtartes aut Dercetus gratiam à piſcibus abſtinuere.

Cete Scriptura ſeparat à reliquis aquatilibus ut aliquid ἐξαίρετον, quia in illis magna elucent Dei potentiæ argumenta. In majoribus ſunt priſtis, balæna, & orca. In minoribus phoca & delphin. Phocæ Homero νέποδες, quod varie explicatur. Cete papillas tanquam è vaginis expromere obſervatur ad Thren. 4. 3. Et quandoque graviter ingemiſcere ad Mich. 1. 8. Et de horum magnitudine veteres multa mentiri, licet re verà ſint multo maxima. In cetis vel cetaceis cenſentur *ſerpens vectis* ſeu zygæna Eſ. 27. 1. *Behemoth* & *Leviathan* Job. 40. & 41. Id eſt hippopotamus & crocodilus, qui etiam *thannin* vocatur Ezek. 29. 3. & 32. 3. Et carcharias canis, qui prophetam Jonam abſorpſit. Et Tobiæ piſcis, qui ſilurus aut glanis fuit.

Sunt etiam ex aquatilium genere teſtacea nonnulla, ut conchæ unde margaritæ, & cochleæ unde purpura elicitur, de quibus paſſim meminere ſacri Scriptores. Sed falluntur qui in inſectis teſtaceis onychen ponunt ex Exod. 30. 4. Et teſtudines ex Oſ. 12. 12. & in inſectis aquaticis hirudinem ex Proverb. 30. 15. Et in zoophytis ſpongiam ex tribus Evangeliis.

Omnia hæc animalia ad hominem adducta ſunt præter bigenera quæ nondum erant, & aquatica quæ ſunt diverſi elementi. Quod arcano Dei impulſu factum, aut Angelis procurantibus. Ut ita homini in Edenis horto omnes naturæ opes uno intuitu exhiberentur. Vel ut ex tot animalibus ſciret ſibi nullum eſſe ſimile. Vel ut conjugium paulo poſt inter primos parentes incundum per hunc conventum fieret ſolemnius. Vel denique ut bruta ſic Adamo ſe ſubjicerent, & ab illo nomina ſua tanquam à domino acciperent. Nec ſine numine Adamum illa impoſuiſſe ex eo liquet quod horum nominum vix ullum eſt quod non certâ ratione conſtet. Nec eſt quod ſuſpicentur Hebrææ linguæ ignari hæc à nobis temere aſſeri. Cum rem à multis ſæpe jactatam, nondum tamen à quoquam probatam; longa inductione demonſtrare conati ſimus. Hæc fere primi libri ſumma eſt.

In ſecundo agitur de domeſticis quadrupedibus, quæ ſunt omnino decem. Neque enim plures memorant ſacri Scriptores. Et in his jumenta quinque ſunt, camelus, equus, aſinus, mulus, elephas. Et pecorum quatuor ſpecies, bos ſcilicet, ovis, capra, ſus. Et qui decadem abſolvit canis, minuto pecori cuſtos additus.

Camelum, utut mite animal & felle carens, tamen valde μνησίκακον eſſe probamus, ut conſtet ratio Hebræi nominis, quod à rependendo factum eſt. Quoſdam in Aſia notat Philoſophus camelos ter mille poſſidere, qui camelorum Jobi fuit numerus. Nempe hoc animal fuit olim, & hodieque eſt maximi uſus in Judæa & vicinis locis. Alii enim dorſo vehunt. Alii junguntur curribus. Alii ſunt in bello utiles. Quæ ſingula tam ex ſacris quam ex profanis Scriptoribus patent. Pili quoque in veſtibus, lac & caro in cibis adhibentur, quamvis ejus uſum lex prohibeat. Itaque camelos ornant Arabes miris elogiis, & naves terreſtres vocant.

Camelorum tres ſpecies cenſet Leo Africanus. Horum primi Arabibus هجين *hugiun* dicti (ut Chaldæis הוגני *hogene*) id eſt ἰογγυνεῖς, quorum onus ſunt mille libræ. Secundi بختاني *bechati*, id eſt Bactriani, duplici gibbo, oneribus geſtandis & equitationi pariter accommodi. Tertii رواحل *ragnahil* ſeu clitellarii. Græce δρομάδες, mole & ſtaturâ graciles, ſed curſu tam celeres ut uno die conficiant paſſuum centum millia. Quos puto vocari כרכרות *kirkaroth* Eſ. 66. 20. Sed aliud eſſe בכרים *bicrim*, nempe camelos juniores, Arabes diſerte docent.

In Proverbio de camelo per foramen acus, cameli nomine rudentem ſignificari tam ex Syris probamus, quam ex Arabibus & Alcorano. Sed verus camelus intelligitur in alio Chriſti Proverbio de excolante culicem, & camelum glutiente. Et refellitur Cajetanus, qui cameli nomine ſignificari putat genus aliquod muſcæ majoris. Sequuntur undecim alia de camelo Proverbia, partim Hebraica, partim Arabica.

Equi Hebraica ſeptem nomina, & ex Zacharia ſex colores explicamus. Et inſignem ejus ex Jobo deſcriptionem, quæ ex noſtra interpretatione ſic habet: *An dediſti equo fortitudinem? An collum ejus juba inanisti? An feciſti ut ſaltaret inſtar locuſtæ? Terrori eſt vehementia fremitus ejus. Fodit in valle. Robore ſuo exultat. Armis prodit obviam. Ridet pavorem, nec conſternatur, nec retrograditur metu gladii, & pharetra in eum ſonantis, & mucronis, haſtæ & pili. Cum motione & concuſſione ſorbet terram: Neque conſiſtit firmus, cum auditur tuba ſonus. Ad tubæ clangorem dicit evax: Et pugnam eminus præſagit ex clamore ducum & jubilatione militum.* Quæ ſingula equo quam conveniant docemus ex ſcriptoribus omne genus.

Inde ad Solomonis equitatum devenimus, qui in alta pace habuit equitum duodecim millia, currus mille quadringentos, curules equos quater mille, & in ſtabulis aut præſepibus loculos totidem his deſtinatos. Id colligere eſt ex 2. Paral. 1. 14. & 9. 25. Scio cenſeri loculorum quadraginta millia 1. Reg. 4. 26. Sed cum hi duo numeri ſimul ſtare non poſſint, majorem rejicimus, quia magis eſt παράδοξος, nec cum numero curruum ullam habet proportionem. Patet igitur in Regum libris ſcribas numerum corrupiſſe, quod etiam alibi factum. Errorem errore cumulant qui pro quater mille loculis, præſepium aut ſtabulorum quadraginta millia numerant, in quibus nonnulli Patrum, & Scriptores Talmudici. Equos porro tum temporis in Judæa nondum vulgares ſibi comparabat Solomon ex Ægypto, & ex omnibus terris 2. Paral. 9. 28. Iis ſcilicet unde in Judæam mercatoribus liber erat acceſſus. In his porro Scriptura Thogarmæos, id eſt Cappadoces celebrat Ezek. 27. 14. ut omnium nobiliſſimos. Aſſyrios quoque paſſim, id eſt Niſæos ut interpretor, in campo Niſæo natos, inter Perſidem & Mediam. Sed ut Ægyptus Judææ propior fuit, ita Ægyptios equos Scriptura commendat ſæpius. Nec Ariſtoteli mirum eſt illos eſſe prorſus ignotos, & aliis qui poſt Alexandrum de animalibus ſcripſerunt. Paulatim enim apud Ægyptios deferbuit equos alendi ſtudium, poſtquam à Perſis & Macedonibus ſervili jugo preſſi ſunt. Et Ægyptus propter incilium copiam equitabilis eſſe deſiit. Sed eandem olim equis fuiſſe fœcundiſſimam, non ex Scriptura ſolum, ſed ex Homero, Xenagora, Diodoro & Plutarcho colligere eſt. Itaque Solomonis equi ex Ægypto potiſſimum arceſſiti ſunt 1. Reg. 10. 28. Quâ in parte ſi quid peccavit Rex ſapientiſſimus in Legem quæ habetur Deut. 17. 16. docemus hoc peccatum non fuiſſe prorſus ἀναπολόγητον.

At aliud longe gravius ab iis Judææ Regibus admiſſum eſt qui in ipſo templi atrio Soli currus & equos conſecraſſe leguntur 2. Reg. 23. 11. Sic enim ſervierunt creaturæ, prætérito creatore qui in ſæcula benedictus eſt. Et idolomaniæ

Gentium

Gentium æmulos se præbuerunt. Nam apud Spartanos, Rhodios, Æthiopes, Armenos, Persas & Massagetas equos offerre Soli tralatitium fuit. Merito igitur à pio Rege Josia superstitio hæc abolita est.

Quærimus pro corollario quid sit equos subnervare Jos. 11. 6. 9. Et iisdem splenem abscindere, & plantam pedis excavare in Chaldæo paraphraste Esther. 8. 10. Quorum uno equos inhabiles, altero habiliores ad cursum fieri docent veteres.

Inde ab equis ad asinos transeuntes, primo de nomine, postea de usu agimus, qui est multiplex. Asini enim alii sunt ἀχθοφόροι. Alii non solum plebeios sed & nobilissimos vehebant. Ita Mosem, Christum, Chrysostomum jam Patriarcham, primores Arabum, Romanas olim matronas, & Ægyptias hodieque. Alii curules erant Es. 21. 7. Alii aratores, modo ne cum bove jungerentur, quod Lege Mosis cur vetitum. Molitores quoque & πολυμιστai. Et in cibis etiam apud Judæos in summa fame. Hinc asini caput Samariæ, venit octoginta siclis, ut apud Cadusios sexaginta drachmis. Romæ aselli in deliciis.

Inde explicantur miracula in asinis à Deo facta. In quo censu primum illud est quod *subjugis asina muta, humanâ voce locuta, prohibuit prophetæ dementiam* 2. Pet. 2. 16. Quo miraculo, ut Hebræi volunt, Balaamum docuit Deus os & linguam penes se esse, adeoque os Balaami ipsius, si quæreret Israeli maledicere. Quod ex eventu patuit. Balaam enim iis ipsis invitus benedixit quibus maledicturus tanto apparatu venerat, non minore miraculo, vel etiam majore, quam cum asina locuta est. Asina enim erat mere patiens. Sed Balaam moventi Deo pro virili obsistebat.

Sequitur duplex miraculum per maxillam asini factum. Unum quod tam imbelli telo Samson mille percussit Philistæos. Alterum quod ex ejusdem maxillæ mortariolo manavit liquor saluberrimus, ex quo Samson siti languens & prope enectus bibit ad satietatem.

Nec caruit miraculo quod prophetæ cadaveri adstabant asinus & leo, nec leo comedebat cadaver, nec lacerabat asinum 1. Reg. 13. 28. Nam præter naturam leonis id fuit, quod cadaver non attigit, & asinum non invasit, & abstinuit à præda tam obvia & parabili. Et præter asini naturam, quod leone viso non territus est, nec fugâ sibi prospexit. Dei nempe virtute id factum, qui ut prophetam eum honoravit quem puniverat ut transgressorem. Quin asino quoque Hebræi volunt suam fuisse mercedem, in honorem prophetæ qui illum equitaverat. Itaque ad hunc locum Hebræi disputant quæ præmia & pœnæ cadant in bruta animalia.

Sed & in eo asino quo Hierosolymam Christus vectus est, varie se prodidit virtus ejus θαυματουργική. Duobus enim discipulis quos in proximum pagum miserat ut asinum adducerent, non solum prædixerat fore ut asinum reperirent, sed & asinum cum matre, cumque nondum subactum, & ligatum, & in aditu pagi, & quo momento ingrederentur; Et tum cum solveretur, dominos primo reclamaturos, sed postmodum assensuros. Neque id casu obtigit, sed Deo sic disponente, ut injugis asinus eo loco & momento reperiretur quem Christus prædixerat, & a dominis suis tam facile dimitteretur. Et à Christo sic impletum est Zachariæ vaticinium cap. 9. v. 9. *Ecce venit tibi Rex tuus, justus & servator, pauper & sedens super asinum* &c. In quo Judæi veteres agi de Messia summo consensu agnoscunt. Recentiores etiam, præter duos celeberrimos, qui ut hoc Christi manifestationis argumentum nobis eripiant, Zachariæ prophetiam alio referunt, unus ad Nehemiam, alter ad Judam Macchabæum, quorum neuter Rex fuit, nec asino vectus, nec pauper &c. Eædem rationes in Zorobabelem valent, quem vult Cl. Grotius eo oraculo designari, & hæc insuper, quod non potuit Zacharias de Zorobabele vaticinari, quia illo posterior fuit.

Ibidem ad quæstionem unde nata sit fabula de aureo asini capite in Hierosolymitani templi adytis collocato & culto, aliter atque aliter respondent viri doctissimi duo, Daniel Heinsius ὁ μακαρίτης, & Tanaquillus Faber. Nos quia Ægyptius fuit fabulæ architectus Apion, putamus huic commento occasionem dedisse asini Ægyptium nomen ΠΙΕΩ. Quasi alluserit ad פי יהוה πὶ ιαώ, id est *os Domini*. Quod in Scriptura tam frequens est, ut quandoque in uno versu bis vel ter repetatur. Itaque cum profani homines vel in prophetis legerent, vel à Judæis passim audirent, Sacerdotem in loco sancto *pi iao* consuluisse, & *pi iao* hoc vel illud dixisse aut edixisse, & aliquid contigisse prout prædixerat *pi iao*: Inde absurde & impie collegerunt *pieo*, id est asinum à Judæis pro Deo haberi.

Mulorum in Judæa vestigia nulla apparent ante Davidis tempora. Horum alii hominum, alii onerum geruli, alii rhedarii. Rhedæ mulares Græcis ἀπῆναι, λαπῆναι, λαμπῆναι, eæque bigæ, trigæ, quadrigæ, quas hybridâ voce Hebræi vocabant כשראמפלין *tetramulin*. Muli in Scythia nulli sunt, sed in Thogarma seu Cappadocia præstantissimi, neque Homero ignoti. Illorum explicatur Hebræum, Persicum & Græcum nomen.

Mulorum multæ species. Fœcundi olim in Syria, Phrygia, Cappadocia & Africa fuerunt. Ex asino & equâ optimi. Sed ex equi, onagri vel muli cum asina coitu degeneres, *hinni, ginni* & *burdones* dicti. De his loca veterum corrupta restituuntur. Mulorum Olympiæ certamen antiquissimum.

Mulorum primam originem Græci ad Henetos referunt. Arabes ad Karonem, qui Mosi Kore. Hebræi ad Anam Esavi socerum, qui omnes refelluntur. De mulis Abrahami, Isaaci, Josephi & Saulis quæ jactantur falsa esse docetur vel incerta. Heterogenea cur כלאים *kelaim* dicantur ex Æthiopismo colligitur. Illa copulare Judæis nefas, mulorum tamen usus licitus. Hujus interdicti ratio disquiritur.

Elephantis varia nomina excutiuntur. Eboris item, cujus usus pervetustus. Et materia proxima elephantis ossa duo, quæ alii pro dentibus, alii pro cornibus habent, quia mediæ inter utrumque naturæ sunt. Proinde misto nomine vocat Ezechiel *cornua dentis*. Elephantorum in bello usus apud Indos perpetuus, & ab omni ævo receptus. Alibi nonnisi post Alexandrum, & duravit pauca sæcula. Quia experientia docuit illos communi periculo produci, & in bellis sæpius obesse quam prodesse. Proinde bellicis elephantis bellum inexpiabile Romani indixerunt. Et eos Alexander plane contempsit.

Explicantur quæcunque de elephantis habent tres libri Macchabæorum. In his de eorum natura & historia multa. Elephantos vino efferari vel poto, vel solum conspecto. Hordei succo mitigari tradunt Plinius & Solinus, ad animal transferentes quod de dente scripserant vetustiores. Genua rigida habere fabulosum, cum illa sæpe flectant, & iis homines obterant. Horum magistrum Indum dici, undecunque sit ortus. Turritos vocari & turrigeros, à turribus quas dorso gerunt. Paradoxum esse quod habetur 1. Macchab. 6. 37. in singulis turribus pugnasse milites triginta duos, & numerum de mendo suspectum. Primarium elephantem appellari qui ætatis, molis aut virium ratione cæteris præit. Elephantum maximis quanta sit proceritas. Indicos Africanis longe præstare. Olim in bello fuisse loricatos & auro tectos. Durissimum dorso tergus habere, sed ventri molle, ac proinde circa umbilicum facile lædi. Elephantarches ab elephantiste quid differat.

Bovis explicantur septem nomina. In his מריא *meri* ex Arabismo: Unde ad naturam transitur. Et de cornibus, ungulis, mugitu, robore, formâ agitur. Docetur vitulum animal esse ἀλτικόν. Bovem nosse possessorem suum, ut asinum præsepe domini sui. Et quam levi fundamento nitatur quod veteres Christum scribunt inter bovem & asinum in præsepi jacuisse. Bovem ad lanienam duci, fati sui prorsus ignarum. In boum coloribus rufum esse vulgatissimum, quem in sacrificio vaccæ rufæ ita perfectum esse volebant prisci Judæi, ut ne unus quidem pilus diversi coloris esset. Et Ægyptios in Plutarcho fuisse imbutos hâc eâdem superstitione. Inde explicantur obscura Scripturæ loca de vaccarum libidine, prægnatione, partu, abortu, & vitulorum lactatione. Alia item de boum pabulo, herbâ, ramis arborum,

fœno,

fœno, paleis, farragine, herbâ Medicâ quæ Gallis *sainfoin*. Alia rursus de saginatione in tritura, & ad præsepe. Et de Basane, Sarone & valle Achor, quæ tria Judææ loca fuere bobus compascua.

Boves ad aratrum imprimis utiles. Olim etiam ad trituram, cujus è quatuor modis tres boum operâ peracti. Iidem plaustra trahebant, & feretro se submittebant. Sed & in conviviis recepti, quamvis à boum esu quidam per superstitionem abstinuerint. Lac quoque utilissimum, ex quo butyrum & casei fiunt. Et bubula cornua in buccinarum usum inserviunt. Taurea denique facta ex corio bubulo Hebraice קשורה dicebatur.

Neque omissus bovis usus in Judæorum sacrificiis, quorum multa fuere genera, holocausta, pacifica, propitiatoria. Item sacrificia temporum, ut in neomeniis, festo Paschatis, tubarum, propitiationum. Et sacrificia personarum, ut initiandi sacerdotis, aut in sancta sanctorum ingressuri; Aut Levitæ cum ad sacrum munus admittebatur. Et votiva sacrificia, & sacrificia mundationum. Et extraordinaria, ut in consecratione templi aut altaris, aut in restitutione divini cultus. In quibus omnibus bos fuit major hostia. His adde sacrificium juvencæ rufæ, cujus cinere ii mundabantur quos cadaveris contactus polluerat. Et juvencæ injugis, quâ in vallem asperam deductâ & decollatâ expiabatur cædes cujus autor ignotus. Quorum rituum Ægyptios, Græcos & Romanos in plerisque fuisse æmulos longa inductione probatur.

Rursus ut Jerem. 34. 18. Israelitæ transeunt inter partes dissecti vituli, ita Bœoti & Macedones inter partes dissecti canis. Xerxis copiæ inter partes dissecti hominis. Græci & Trojani heroes inter partes dissecti porci. Et Molossi fœdus iciebant dissecto bove. Et inter Scythas ejusdem conjurationis participes mutuam fidem firmabant esu carnium tosti bovis, & frustulatim concisi. Quale quid à Saule præstitum 1. Sam. 11. 7. Mystica etiam de causa bubulo stercore panem suum coquere jubetur propheta Ezek. 4. 13.

Bovis esum sequitur abusus. Hujus criminis rei fuerunt Aaron & Jeroboam, qui *gloriam suam* (id est Deum in quo gloriamur) *mutaverunt in similitudinem bovis comedentis herbam* Pf. 106. 20. Nempe vitulorum cultum in Ægypto uterque didicerat. Ibi enim natus erat Aaron. Et degerat Jeroboam per multos annos sub Ægypti Rege Sesaco 1. Reg. 11. 40. Brutorum porro adeoque boum cultus jam in Ægypto invaluerat, antequam inde excederent Israelitæ. Unde est quod boves & oves timebant ibi mactare & offerre Deo, ne lapidibus obruerentur, si coram Ægyptiis eorum abominationem immolarent Exod. 8 26. id est eorum idola, vel potius hostias ipsis abominabiles. Neque verum esse, quod multi asserunt, Ægyptios viva solum animalia, non eorum effigies coluisse, probamus ex Herodoto, Strabone, Mela & Stephano. Judæos autem Ægyptiis servientes eorum quoque Diis serviisse, Josue & Ezekiel diserte docent. Quin post excessum ex Ægypto, inquit Ezekiel, *stercoreos Ægypti Deos non reliquerunt* cap. 20. v. 8. Quo eodem pertinent hæc Stephani protomartyris Act. 7. 39. *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum* &c. *Et vitulum fecerunt*. Sed hæc alibi pluribus.

Hæc excipiunt miracula in bobus aut per boves à Deo præstita. In quibus agmen ducunt boum sacrificia ab Aarone, Davide, Solomone & Elia oblata, quæ incendit & consumpsit ignis è cœlo delapsus. Quo alludi volunt Pf. 20. 4. Servabatur autem ille ignis inextinctus, nec ullo alio suffire licuit. Proinde Aaronis filii coram Deo exanimati sunt, eo quod igni sacro alienum substituissent. Neque is unquam periit usque ad Babylonicam captivitatem. Cujus miraculi Satan æmulus ignem quandoque immittit cœlitus, ut Job. 1. 16. Apoc. 13. 13. & passim in historiis. Secundum fuit miraculum in duabus vaccis, quæ nullo duce captivam arcam è Palæstina in Judæam reduxerunt. Ubi actum obiter de morbis Philistæorum, & de plaga Bethsemitarum, qua pro tot millibus docemus solum septuaginta fuisse cæsos. Tertium de bobus qui cum eandem arcam vehentes in luto hæsissent, Uza illam attingere ausus à Deo lethaliter percussus est. Quartum de boum sacrificio in Araunæ area oblato; Quod ipso momento sedavit pestem à Deo immissam, in Davidem juste concitato, quia populum recensuerat. In qua historia conciliantur duo ἐναντιοφανῆ, unum de censu populi, alterum de pretio areæ.

Quamvis in Judæis Patriarchæ, & in Græcis viri principes boum olim curam gesserint, tamen bubulcos tandem evi-luisse, & in magnum contemptum venisse, etiam inter Judæos, probatur ex Sirach. 38. 36. & Amos. 7. 14. 19. quæ duo loca enucleantur. Ibidem inseruntur nonnulla de boum stimulo, quo Samgar instructus Jud. 3. 31. ut Lycurgus βουπλῆγι in Homero & Nonno, magnam hostium stragem edidit. Et docetur dicta sapientum cum stimulis merito conferri Eccles. 12. 3. Et Christi Proverbium, *contra stimulos calcitrare*, à Græcis & Romanis fuisse jam olim usurpatum, sed multo ante à Prophetis, in quibus fuit Christi spiritus.

Sequuntur variæ leges de bobus. Ut de bove cornupetâ qui hominem lethaliter percussit Exod. 21. 18. &c. De eo qui cisternam aperuit in quam cecidit bos aut asinus alienus, ibid. v. 33. De bove qui bovem alium feriit, ib. v. 35. De bove abacto, pro quo quintuplum, & de ove abactâ, pro qua quadruplum restituendum, cum reliqua furta non nisi dupli restitutione lex puniat Exod. 22. 1. De pecude quæ in agro pauperiem fecerit, ibid. v. 5. De bove alteri credito aut deposito, si ab ignoto surripiatur, aut moriatur, aut à feris discerpatur, aut ab hoste abigatur, ib. v. 7. &c. De bove & asino vel fratris vel inimici reducendis si errent, & sublevandis ac erigendis, si sub onere fatiscant & lapsi jaceant Exod. 23. 4. 5. & Deut. 22. 1. 4. Item leges quæ bove & asino simul arare vetant Deut. 22. 10. Et bovem triturantem capistrare Deut. 25. 4. Et jumentis quietem indicunt die Sabbathi Exod. 23. 12. In quibus obscura explanare, & quæ in dubium revocantur confirmare conati sumus.

Explicamus denique similitudines & parabolas à bobus sumptas, quæ magno numero occurrunt. Ut in somnio Pharaonis, quod septem vaccæ pingues & macræ septem fertiles & steriles annos totidem significant Gen. 41. 26. 27. Quod primogeniti bovis decor Josepho tribuitur Deut. 33. 17. Quod suspicatur Samson Philistæos cum vitulâ suâ, id est cum uxore Dalilâ, arasse Jud. 14. 18. Quod Job se cum bove confert qui non mugit juxta pabulum, quia non querebatur, quamdiu bonis abundabat Job. 6. 5. Quod herbam ut bos comedere leguntur *behemoth* Job. 40. 15. leo Es. 11. 7. & Nebucadnetsar Dan. 4. 32. Unde sumitur occasio explicandi duo loca Sirachidis obscurissima. Quod cum tauris conferuntur homines stolide feroces, qui alios tanquam cornibus impetunt Pf. 22. 12. & passim. Quod ad Dei vocem cedri ut vitulus exiliunt Pf. 29. 5. 6. Quod juvenis ab adultera seductus est instar bovis qui inscius ducitur ad lanienam Prov. 7. 22. Quod Israel bovi dissimilis est, qui possessorem suum agnoscit Es. 1. 3. Quod vitulus & leo, vaccaque & ursa degentes simul, Judæos referunt cum Gentibus in eandem Ecclesiam coalescentes Es. 11. 6 7. Quod clamare se dicit Esaias *ut vitulam trimam*, quâ ætate tauro vocalior est Es. 15. 5. Quod se castigatum fuisse scribit Jeremias, *ut vitulum nondum edoctum*, qui scilicet pluribus plagis ad jugum ferendum instituitur Jerem. 31. 18. Quod ab eodem Ægyptus vitulæ speciosissimæ, & Ægyptii milites comparantur vitulis triturantibus Jerem. 46. 20. 21. Chaldæi quoque Jerem. 50. 11. Et Dei cultores Malach. 4. 2. Quod uni è quatuor animalibus modo vituli, modo Cherubi species tribuitur Ezek. 1. 10. & 10. 14. Quod cum juvencâ refractariâ confertur refractarius Israel Os. 4. 16. Et Ephraim cum vitulâ edoctâ, quæque amat triturare. Et cur transiisse dicatur Deus super pulchritudinem colli ejus Os. 10. 11. Quid sit *reddere juvencos* aut *fructus labiorum* Os. 14. 2. *In petra* negari *equos currere, aut arari bobus* Amos 4. 12. Quia inter homines quibus cor est lapideum prophetæ frustra currunt, & laborant in cassum, ut tam dura corda proscindant verbi vomere. Sic 1. Cor. 9. 9. ad pastores refertur lex quæ bovem triturantem capistrare prohibet.

Inde ad minuta pecora devenientes, oves & capras docemus Hebraice communi nomine contineri, quia multa habent communia. Et cum Hebræis ovium nominibus Chaldaica quædam explicamus ex Daniele & Esdra. Et quæ habet Stephanus protomartyr Act. 7. 16. de sepulchri emptione à filiis Emmor, cum Mose & Josua conciliamus.

Ibidem de gregum paſtoribus diſſeritur, paſtoritiam artem, quam Patriarchæ profeſſi ſunt, agriculturæ præferimus, tanquam ad plura utilem, Eccleſiaſticique non minus quam politici regiminis imaginem. Et poſt nonnulla paſtorum nomina ex Chaldaiſmo aut Arabiſmo deducta, illos in dominos gregis & mercenarios diſtinguimus. Hos rurſus in primarios, qui dicuntur *principes gregis* & ſecundarios, qui Talmudicis כרזלים *carzilim*. Utrique mali vel boni, quorum amplæ deſcriptiones ex Scriptura afferuntur & explicantur. Obiter docetur quid ſit ἀγραυλεῖν, & quo anni tempore Chriſtus eſt natus. Et deſcribuntur vaſa paſtorum, veſtes, pera, arma, muſica, tabernacula. Et ne quis inter ἄπιστα & paradoxa rejiciat quod David cithara ſua Saulis furorem compeſcuiſſe narratur, multa proferuntur ex hiſtoriis de muſicæ mira vi ad animos deliniendos.

In ovibus ſpectatur balatus, qui etiam ad alia transfertur. Adeps, cujus eſus Judæis ſub pœna mortis erat prohibitus, ſed non ſine exceptione. Medulla, à qua agni pingues מחים quaſi medullati dicuntur. Lac, unde agnus ſubrumus Hebraice dicitur *agnus lactis*. Et ex eodem fit butyrum fere tam pingue quam ex bubulo. Lana, in qua obſervanda color, tonſio, uſus & corruptio. Color in Scriptura albus, candidus. Item Gen. 30. & 31. niger, compunctus, maculoſus, λευκόπυς, grandinatus, quæ ſingula explicantur. Tonſionem male Schindlerus pro vulſione ſumpſit, à qua dicta vellera. Lanæ primarius uſus eſt in veſtibus. Sed & ex lana primitiæ, eleemoſynæ, tributa, commercia, & variæ mulierum ταλασιουργίαι in Scriptura memorantur. In lanæ uſu lex prohibet שעטנז, id eſt lanæ cum lino mixtionem. Id Magiſtri intelligunt non ſolum de lana ovis, ſed & de lana pinnæ margaritiferæ, de qua docemus quædam ignota. Laneæ quoque veſtes interdicuntur ſacerdotibus, cum in atrium interius ingrediuntur. Lanæ corruptio vel eſt ex externa vi, ut ſi ſit σητόβρωτος, vel ex interno morbo, ut cum laneæ veſti lepra adnaſcitur, de qua obiter diſputatur. Lobus auris in ove eſt בדל *bedal*. Cauda Hebraice אליה *alja*, in Oriente gravis & magni pretii, & ploſtello vehi ſolita. עצה *atsa* coccyx. יותרת *jothereth* maximus jecoris lobus, non reticulum aut membrana tenuis qua jecur obtegi dicitur, quomodo alii reddunt. חצר *chatsar* diaphragma. מכסה *mecasse* omentum. כליות *kelajoth* & טוחות *tuchoth* renes, qui in ovibus ſunt pinguiſſimi, unde illis σφακελισμὸς gangrenæ ſpecies. קבה *keba* lactentis agni ventriculus, ut כרש *cheres*, jam ablactati. כסלים *chesalim* ἰξύες lumbi, &c.

Ovium in Judæa & vicinis locis mirabilis eſt fœcunditas. Quod indicant nomina צאן *tson* & צנה *tsone* à fœcunditate facta. Proinde fœtificare dicuntur per chiliades & myriades Pſ. 144. 13. Et illis indui paſcua tanquam veſte quâ obtegantur Pſ. 65. 14. Hinc in Scriptura paſſim occurrunt prodigioſæ ovium enumerationes. Erant ſcilicet gemelliparæ, ut habetur Cant. 4. 2. & 6. 5. ut quæ Græce διδυματόκα πρόβατα dicuntur, & Latine *ambegnæ oves*. Alicubi etiam creditæ bis in anno parere, ut in grege Labanis, quamvis id aſſeratur ſine certâ probatione.

Tam Hebræi quam Arabes ovium ætates & ſexus certis nominibus diſtinguunt. Agnus octavo die ad ſacrificium jam erat aptus Exod. 22. 30. & Levit. 22. 27. ut apud Plinium lib. 8. c. 15. Sed trimus in pleno robore Gen. 15. 9.

Agnus deſcribitur ut ζῶον σκιρτητικὸν Pſ. 114. 6. Proinde ut כר *kar* eſt agnus, ita כרכר *kirker* ſaltare 2. Sam. 6. 14. nempe in agni modum. Et ab agni Græco nomine ἀρνευτὴς dicitur *urinator*, qui pronus in mare deſilit. Et hippurus piſcis *ἀρνευτὴς, διὰ τὸ συνεχὲς ἐξάλλεσθαι, quia perpetuo ſalit.*

Montibus gaudere ovillum pecus colligitur ex Exod. 3. 1. & Ezek. 34. 12. 13. Idem teſtantur poëtæ omnes. Unde verveci apud nos *montonis* nomen, ut apud Italos arieti.

Oves Homero ἀγχιστῖναι dicuntur, quia in metu ſe colligunt & mutuo premunt. Hinc Deus minatur fore ut Iſraelitæ, præ metu hoſtium ingruentium & terram devaſtantium, colligantur intra urbes, ut oves Boſræ in caulis ſuis, cum lupus aut leo gregem infeſtant Mich. 2. 12. Græci habent πρόβατα ἐν θλίψει, quia pro בָּצְרָה *Botſra* legerunt בַּצָּרָה *betſara* id eſt in anguſtia.

Vulgaris ovium paſtus herba eſt Pſ. 23. 1. 2. Sed in deſerto Iſraelitarum oves manna paſtæ ſunt, ut in Praſiis apud Ælianum paſcebantur rore ſacchari, quod mannæ ſpecies fuit. Et apud nos roſcidis herbis mane paſcuntur, ſed non niſi æſtivis menſibus. Vere enim & hyeme pruinoſa iis herba gravedinem creat, qui morbus ثرز *tharz* Arabice dicitur.

Poſt matutinum paſtum, oves hora diei quarta, quæ nobis eſt decima, deducebantur ad aquas, deinde ad umbram & quietem meridianam, unde rurſus ad aquas. Quo facto iterum paſcebantur uſque ad occaſum Solis. Ad quem paſcendi morem alluditur Pſ. 23. 1. 2. Cant. 1. 7. Eſ. 49. 10. Ezek. 34. 13. Apoc. 7, 16. 17. Itaque Meſopotamiæ paſtores merito coarguit Jacob, quia cum greges ſuos circa Meridiem adaquaverant, ad paſcua non reducebant pomeridianis horis Gen. 29. 7.

Ovis Syriace ܢܩܝܐ *nekja* id eſt innocua, dicitur, quia mitiſſimum eſt animal. Et Fabius Maximus *Ovicula* cognomen habuit à clementia morum. Hinc Jerem. 11. 19. Propheta ſe fuiſſe ſcribit *inſtar agni* אלוף *manſueti, qui ducitur ad lanienam.* Et de Jeſu Chriſto dicitur Eſ. 53. 7. *Ductus eſt ad lanienam ut agnus, & ut ovis muta coram tondente.* Sed paſtori imprimis oves morigeras ſe præbent, & quod ait Chriſtus Joh. 10. 4. *eum ſequuntur, & vocem ejus audiunt.* Quaſi omnium injuriis ſe patere ſentiant, cum à paſtore deſeruntur, nec poſſe aliter ſe tueri quam ſi illi ſint morigeræ. Proinde nihil eſt tam miſerum quam oves ſine paſtore. Quod Scriptura toties repetit, ut Num. 27. 17. 1. Reg. 22. 17. &c.

Levit. 22. 22. &c. enumerantur corporis vitia duodecim quæ pecudem ab aris excludunt. Quibus additur claudicatio ex Deut. 15. 20. & Malach. 1. 8. Sunt etiam animi vitia in ove. Puta ſi à grege aberret, ut in fine Pſ. 119. Eſ. 53. 6. & 1. Pet. 2. 25. Quo vitio ovis affecta Arabice vocatur كنوف *chanuph*, & morbus ipſe ثول *thſavval*. Aliud in pecore vitium eſt, cum præ pinguedine laſcivit, petulanſque & petulcum eſt Ezek. 34. 16. 21. Arabice دیص *daiſa* de ove eſt hoc vitio laborare, quæ vox eſt maxime propria, & fugit Lexicographos. Aries qui cornu ferit Græce κορύπτειν & κυρηβάζεσθαι, Latine *coniſcare* & *arietare* dicitur. Et paſſim in Hieronymo *ventilare cornibus*, quod ex Zacharia ſumptum eſt. In Daniele aries & hircus qui cornibus ſe mutuo impetunt Darium & Alexandrum ſignificant. Viſio ſimilis Syllæ obtigit, & Tarquinio Superbo.

Quamvis leones & urſi gregibus infeſti ſint 1. Sam. 17. 34. Jerem. 50. 17. Mich. 5. 8. Amos. 3. 12. Ovis tamen nullum habet hoſtem lupo immaniorem, qui cum illâ perpetuas exercet inimicitias, eique terrarum ubivis bellum indicit implacabile. Unde Sirach. 13. 19. *Quid commune habeat lupus cum agno?* Et agni lupis opponuntur Matth. 7. 15. & 10. 16. Luc. 10. 3. Joh. 10. 12. Act. 20. 29. Hinc ut magna rerum converſio ſignificetur, ſimul habitare & paſci dicuntur agnus & lupus Eſ. 11. 6. & 65. 25.

Loca ovium proventu celebria Prophetæ in Judæa memorant Baſanem & Saronem, de quibus ſupra. Et Carmelum montem, non παραθαλάσσιον, qui ad Aquilonem eſt prope Ptolemaidem, ubi olim antrum Eliæ, & poſtmodum Jovis templum. Sed alium μεσόγειον ad meridiem prope Hebronem, in quo degebat Nabal, qui mille habuit capras, & ovium tria millia 1. Sam. 25. 2. Proinde ad hunc Carmelum referuntur quæcunque habent Prophetæ de Carmeli paſcuis, ut Jer. 50. 19. Amos. 1. 2. Mich. 7. 14. Extra Judæam Scriptura Mich. 2. 12. memorat *oves Boſræ* (quæ Idumæorum aut Moabitarum urbs & regio fuit valde pecoroſa.) Et *Kedar* & *Nebajoth* Ezek. 27. 21. & Eſ. 60. 7. unde Cedrei & Nabatæi, quorum Plinius & alii meminerunt. Diodorus imprimis, qui Nabatæorum opes docet ſolis camelis atque ovibus conſtitiſſe.

Quod unum explicandum ſupereſt, ut in aſinis & bobus, ita etiam in ovibus quædam facta ſunt, quæ vel vere miracula fuerunt, aut habuerunt miraculi ſpeciem. Ut quod Abele de gregis ſui primogenitis offerente, cujus juſtitia patuit, *ipſo*

Deo muneribus testimonium perhibente Hebr. 11. 4. Nam sive Abelis sacrificium ab igne cœlitus delapso consumptum fuerit, ut multi volunt; Aut cœlesti miraculo, aut Angelo misso è cœlis, aut alio visibili signo Deus Abelem Caino prætulerit, miraculo res non caruit. Nec quod Isaaco in monte Morija jamjam immolando substitutus fuit aries in proximo vepreto hærens. Fuit etiam id θαυμαλῶσι, quod tam constanter Jacobi oves agnos objectis virgis concolores concipiebant. Nec sine miraculo celebre illud vellus, pro Gedeonis voto, modo siccum fuit, modo roscidum.

Sed illustrius miraculum nullum est quam quod Israelitarum primogeniti, per agni sanguinem ædium postibus aut superliminari affusum ab Ægyptiorum clade exempti sunt. Illud enim ad singulos, ut priora, non pertinuit, sed ad universam gentem. Neque unicum fuit, sed multiplex. Tot enim fuere miracula quot agnorum millia cæsa. Denique nullibi habetur Christi typus tam expressius quam in agno Paschali. Unde est quod a Johanne Christus toties vocatur *agnus*, & a Paulo *Pascha nostrum*. Et ad eum refertur quod de agno lex edixerat, *non confringetur ullum os ipsius*. Proinde visum est de Judaico Paschate tractare accuratius: Et ejus nomen, tempus, locum, ministros, convivas, ritus & mysterium edisserere.

In capris, post aliquot vocabula explicata quæ lectores suspensos tenent, de lana caprina disputatur, & de caprino lacte. Neque de lana caprina tam futilis est concertatio quam poeta credidit. Capris enim lanam tribuit totus Oriens, quæ Syriace ܥܡܪ ܥܙܐ *amar izze*, id est lana caprarum dicitur. Unde Arabice مرعزي *marizza*, vel *merhazi*, ut vulgo scribunt. Ita scilicet vocatur capræ lanugo tenuissima sub crassioribus pilis latens, ex qua texuntur panni subtilissimi. Cum hujusmodi pilis conferuntur sponsæ capilli Cant. 4. 1. & 6. 4. Et Michal iisdem flavam Davidis cæsariem imitata est 1. Sam. 19 13. Ut in Apuleio Photis dominæ suæ, pro flavis juvenis quem deperibat capillis, flavos caprarum pilos attulit.

Ibidem occasione sumpta ex capris montis Galaad, de quibus in Cantico Solomon, docetur in eo monte provenisse arbores resiniferas, quarum frondibus pasci capras habetur in Dioscoride. Ac proinde à Mose & Jeremia celebrari צרי *tseri* seu resinam ex terra Galaad. Quam novi interpretes in balsamum mutarunt contra historiæ fidem. Cum balsamum non provenerit trans Jordanem in terra Galaad, sed cis Jordanem in valle Hierichuntina, ut scribunt Trogus, Strabo, Diodorus, Josephus, Hegesippus, Gorjonides, Levi, Kimchius, alii.

Et quia lac caprarum maxime commendat Solomon Prov. 27. 27. Agitur de caprini lactis usu & præstantia, quem aliis longe præferunt medicorum filii. Proinde apud Poetas Jovem aluit capra, quam *Amaltheam*, id est nutricem ex argumento vocant, deflexâ voce ex Phœnicia אמנתא *amantha*.

Subjungitur caput de hœdo qui Hebr. גדי *guedi*, unde nomen vico *Enguedi*, & vineis *Enguedi* Cant. 1. 14. quibus vicina balsameta significari statuunt multi veterum, quia vinearum speciem habuerint. Ibidem hœdina caro docetur fuisse olim in deliciis, & ab Isaaco pro ferina potuisse haberi, quia capreoli carnem sapore refert. Et accurate exponitur lex quæ hœdum vetat coquere in lacte matris Exod. 23. 19. Et quatuor illius interpretationibus rejectis, quinta asseritur & confirmatur.

Ad locum Levit. 17. 7. docetur hircos in Ægypto fuisse impense cultos, iisque mulieres fœde se submisisse, tanquam religione adductas. Panemque & Satyros pingi τραγοπροσώπους, atque inde traxisse nomen. Et in eadem specie dæmones sibi placere. Nec frustra Atydi hirquinum nomen ab Arnobio tribui. Item quod juxta Varronem hircus unus denis capris sufficit Mosem subindicare Gen. 32. 14. Denique magnificum hirci incessum, cum barbæ & sexus fiduciâ gregem præit, tam ab Æliano describi quam à Solomone Prov. 30. 31. De Janne & Jambre quædam obiter inseruntur, & de magia Ægyptiorum.

In capite de *Azazele* rejiciuntur qui *Azazelem* putant esse montis nomen, aut sic appellari hircum in desertum abiturum, aut averruncum dæmonem, cui hircus ille sit oblatus. Cum *Azazel* sit plurale Arabicum quo significantur remota loca ad quæ deductus hircus à grege seponebatur. Ritus quo id fiebat plenius edisseritur, & mysterium explicatur. Notandum imprimis quod Hebræi referunt, frustum panni coccineum hirci capiti imponi solitum plerumque exalbuisse in signum propitiationis. Sed annis quadraginta ante excidium Templi Hierosolymitani desiisse hoc miraculum. Quia scilicet tum Christi morte legalibus sacrificiis omnis virtus adempta est. Neque ulla propitiatio facta, post Christum ab illis rejectum, & ignominiosæ morti traditum. Quod recutitos doctores non lateret, nisi velum haberent non corporis sed animi oculis oppansum, ut notat Paulus 2. Cor. 3. 14. 15.

Cum canis Hebræo nomine כלב *keleb*, conferuntur *kileab*, nomen unius è Davidis filiis. Et quod Nabal *Kalebi* dicitur, id est κυνικὸς si Græcos sequimur. Et Ἀσκληπιὸς vel *Æsculapius*, quo nomine Phœnices Deum vocarunt canis lacte nutritum. Canem latrare legitur Es. 56. 10. fremere aut tumultuari Ps. 59. 7. hirrire Exod. 11. 7. Canum cibus sunt micæ seu frustula quæ ex mensa cadunt Matth. 15. 27. Caro Exod. 22. 30. Cadavera 1. Reg. 4. 11. Σκύβαλα Phil. 3. 8. Proprius vomitus Prov. 26. 11. Lingit idem tam aliena vulnera quam propria Luc. 16. 21. Potus est aqua, quam lambendo bibit Jud. 7. 5. Obiter cur exclusi fuerint Gedeonis milites, qui aquam non lambebant more canum. Quamvis ad parietem canes crure sublato mingant, non tamen ad canes sed ad viros pertinere probatur quod in Prophetis toties legitur, neminem superfuturum aut superfuisse qui mingat ad parietem. Nempe etiam in atroci bello soli viri cædebantur Gen. 34. 25. Num. 31. 7. &c. Neque enim in hostes ulterius grassari lex permittebat Deut. 20. 13. 14.

Canum vigilantia laudatur. Et nocturna divagatio Ps. 59. 7. 15. Et rara in dominos fides, quibus se viæ comites præstant, & caudâ abblandiuntur Tob. 5. 23. & 11. 3. in Vulgata. Ibidem obiter actum de canum somno & somniis. Et quæritur an κυνάρια sint Melitæi catelli, Matth. 15. 27. Et זרזיר מתנים, canis vertagus Prov. 30. 31. Canes pecoris custodes describuntur Job. 30. 1. Cum canibus conferuntur pastores Es. 56. 10. Ut in Horo Apolline sacri scribæ. *Caput canis* dicitur qui præficitur canibus 2. Sam. 3. 8. quod munus est vilissimum. Quia canis ipse vile est animal Eccles. 9. 4. & 1. Sam. 24. 15. &c.

Multis vitiis laborant canes. Hinc est quod canum nomine profani significantur Matth. 7. 6. infideles Matth. 15. 26. piorum hostes Ps. 22. 17. 21. impuri homines Apoc. 22. 15. pastores mercenarii Es. 56. 10. Multi canes pigri sunt & somniculosi, quales ibi describuntur. Et horum proprium τὸ λοίδορον. Proinde viatoribus plerumque infesti sunt, qui baculis coguntur in eos se tueri 1. Sam. 17. 43. Hyperbolicum igitur est, aut prorsus miraculosum, si verbo datur venia, quod legitur Exod. 11. 7. nullum canem hirrivisse in Israelitas ex Ægypto excedentes. Quæritur quid sit canem auribus tenere Prov. 26. 17. Et docetur quanta sit canum impudentia & voracitas in Es. 56. 11. Et propter immunditiam canes & sues in Scriptura sæpe jungi. Nec licuisse canem vel pretium canis offerre Deut. 23. 18. & Es. 66. 3. Tamen in Ægypto canes fuere in magno cultu, & alibi in sacrificiis admissi. Hyæna cani quam adversa sit Sirach. 13. 20. *Canis ad vincula* Proverbium ex Græca Versione petitum, sed corruptâ Prov. 7. 24. quæ à nobis restituitur.

Suum vitium est μυωπία, unde illis Hebræum nomen. Judæa neque sues neque subulcos ullos habuit. Quod Porphyrius quoque asserit. Hinc in Christi parabola filius acolastus porcos in Judæa non pavit, sed in remota regione. Et Gadara urbs in cujus agro pascebantur porcorum duo millia, Græca fuit non Judaica. Incolas pro Gadarenis Gergesenos vocat Matthæus tanquam à Gergesæis oriundos. Nisi quis malit Gerasenos cum Hieronymo legere, quia Gadara & Gerasa vicina erant oppida. Et tot porcorum domini potuerunt utriusque esse incolæ.

Sues autem ideo Judæa non habuit, quia sus vulgo hominum non nisi mortuus prodest. Judæis autem ne mortuus quidem.

quidem. Cum eum tam ad esum quam ad sacrificia adhiberi lex prohibeat. Cujus prohibitionis causæ commentitiæ refelluntur, veræ afferuntur. Et observantur hæc quinque. 1. Legem quæ porcinam vetat fuisse valde præcisam. 2. Judæorum hostibus inde natam esse occasionem illos acriter insectandi. 3. Non tamen ideo vere pios ab exacta ejus observatione potuisse deterreri. 4. Vicinas quoque gentes non paucas à sue abstinuisse. 5. Has leges à Christo & Apostolis fuisse antiquatas.

Explicantur parabolæ à suibus desumptæ. *Ut annulus aureus in naso suis, ita formosa mulier, & perversi animi* Prov. 11. 21. Quia forma corporis pravæ mulieri tam male convenit quam sui annulus aureus. *Ne projicite margaritas vestras coram porcis, ne conculcent eas pedibus, & vos conversi lacerent,* Matth. 7. 6. id est Evangelii mysteria profanis ne prædicate, qui non solum ea despiciunt, sed etiam in vos concitantur, & ex verbi contemptoribus fiunt acerrimi persecutores. Neque porcorum nomine hic opus est apros intelligere. Homines enim lacerari etiam à domesticis porcis ex Strabone, Plinio & Polluce probamus. *Sus lota rediens ad volutabrum cœni* 2. Pet. 2. 22. De iis dicitur qui flagitia jam expiata iterant.

Sues linxisse Nabothi & Achabi sanguinem perperam habet Græca versio 3. Reg. 21. 19. & 22. 38. cum nihil tale Hebræa referant, nec in Judæa sues ulli fuerint, ut jam diximus. Iisdem Job. 5. 4. κολαβρισθείησαν de impiorum posteris, id est summe vilescant, & in maximo contemptu sint, ut apud Judæos κόλαβροι seu porcelli, quibus nihil fuit despectius. Et subulci quoque vilissimi. Unde est quod acolastum Christus ad pascendos porcos tradit rus fuisse amandatum, ut ad extremas incitas sciatur fuisse redactus. In Ægyptii subulcos tanquam profanos homines à templorum aditu arcebant. Nec illos in Græcia multo meliore loco fuisse, vel ex eo colligas quod in Bucolicis locum non habent.

Κεράτια *siliqua*, porcorum cibus Luc. 15. 16. non sunt leguminum λοβοὶ, ut putarunt novi interpretes, sed fructus arboris ceroniæ vel ceratoniæ, qui Hebræis & Syris חרוב *charub* dicitur, & Arabibus quoque خروب *charub* vel خرنوب *charnub.* Hujus varias species enumeramus, maxime ex Arabum scriptis. Tenuiorum est cibus in Horatio, Persio & Juvenali: Et porcorum cibus in Columella.

Hæc de pecore & jumentis libro secundo. Sequitur tertius de feris. Quæ licet majore numero, nos tamen minus detinent, quia cum homine minus habent commercii, ac proinde minus notæ sunt. In his agmen ducit leo, qui rex ferarum est. Hujus diversa nomina postquam multo aliter explicavimus quam vulgus solet, Judæam & vicina loca docemus scatere leonibus, & inde esse quod Prophetæ illorum tam sæpe meminerunt. Naturam quod attinet, leonem esse ferarum fortissimum Jud. 14. 8. Nihil timere Nahum. 2. 12. Limis non intueri. Dormire ubivis, quasi sciat neminem esse qui se excitare audeat Gen. 49. 9. & Num. 24. 9. Metu non retrocedere, etiamsi multi ingruant Prov. 30. 30. Es. 31. 4. Aut si tandem numero cedat, sæpe converti & restitare. Scriptura in leone quinque notat terribilia. Primo faciem 1. Par. 13. 8. Id est virilem illam speciem de qua tam egregie Philosophus in Physiognomonicis. Secundo magnificum incessum Prov. 30. 30. quem post Aristotelem Arabes accurate describunt. Tertio rugitum Amos 3. 8. &c. Quem pugnaturi Parthi imitantur, & cum Gange confert Oppianus. A quo statim sequitur cædes & dilaceratio Ezek. 22. 35. Unde est quod rugitu leonis desolari terra dicitur. Ezek. 19. 7. Antecedens pro consequente. Quarto passim os & dentes, quorum illud vastissimum, hi ferrei & durissimi. Quinto manum 1. Sam. 17. 37. id est pedes anteriores, quinque digitis armatos, & unguibus fortissimis, longissimis, acutissimis, quos magnâ curâ servat. Inde natum Proverbium, *cognosce ex ungue leonem.*

Leones Prophetæ describunt sylvicolas & monticolas. Proinde leguntur à præda ascendere Gen. 49. 9. Et à leonibus vehi fingitur montana Dea Cybele. Ad urbes cur quandoque accedant disquiritur ad Jerem. 5. 6. Horum lustra variis nominibus vocant Hebræi & Arabes pro varietate situs.

Leo noctu venatur Ps. 104. 20. 21. Insidiosum esse animal perperam negat Philosophus, cum contrarium Prophetæ afferant, & alii scriptores omne genus. In prædam insilit Deut. 33. 22. Lingit sanguinem Num. 23. 24. Ossa frangit Es. 38. 13. Carnes discerpit Ps. 7. 3. Cor præcipue appetit Os. 13. 8. Quæ singula multis explicamus. Loca à leonibus vastata memorantur in Jerem. 2. 15. & 4. 7. &c.

Leæna marem æquat robore & feritate, aut etiam superat. Proinde à Prophetis leæna sæpe censetur inter leones ferocissimos. Illam tantum semel parere, nec nisi unum catulum, qui matris vulvam discerpat fabulosum est. Cum numerosam illi prolem tam Philosophus quam Prophetæ tribuant Ezek. 19. 2. & Nahum. 2. 12.

Quod afferit Græca versio Job. 6. 7. fœtere leonis halitum, verum quidem est, sed in Hebræo non extat. Fons erroris aperitur.

Deus judicia sua per leones sæpe exercuit, quandoque in populos integros, ut in Moabitas Es. 15. 9. & in Cuthæos 2. Reg. 17. 25. Quandoque in privatos homines, ut cum à leone interemptus est Propheta Judæus qui Bethele rediit aliâ viâ quam jussus fuerat, & cum Bethelensi propheta contra vetitum convivatus est 1. Reg. 13. 24. Item alius qui Dei nomine jussus sodalem suum percutere, mandato parere renuit 1. Reg. 20. 35. 36. Et quam in Danielem mites fuerant Babylonici leones, tam truces se præstiterunt in ejus obtrectatores. Sed innocentiæ Danielis accessit fides, per quam obstruxit ora leonum Dan. 6. 23. & Hebr. 11. 33. Ita in Actis Martyrum qui sub Diocletiano passi sunt, cum Ciliciæ Proconsul Numerius Maximus feras immitti jussisset in pios viros Andronicum & Tharacum, illi immanis ursus, huic leæna pepercit, licet ab ipso provocata. Non tamen id perpetuum. Quia non solum potentiam suam in piis liberandis Deus eminere vult, sed & illorum patientiam in suppliciis ferendis pro causa veritatis. Proinde fidissimus Christi servus Ignatius propter Christi nomen à leonibus sub Trajano discerptus est. Neque dubium est quin piorum multi alii eodem lethi genere occubuerint. Populi enim ab Ethnicis sacerdotibus proritati summa votorum hæc fuit tum temporis, ut in amphitheatris Christiani leonibus objicerentur. Itaque quamprimum Polycarpus Smyrnæ Episcopus apud Proconsulem professus est se Christianum esse, & per præconem res innotuit, populus magna voce rogavit Aliæ præfectum Philippum, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα, *ut in Polycarpum leonem immitteret.* Et hæc Tertulliani nota sunt Apologet. cap. 40. *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.*

Leones vel aperta vi, vel venatorum technis & dolis subjici etiam ex Scriptura patet. Prioris exemplum esto quod Samson prope Timnatham leunculum cum rugitu in se irruentem, laceravit ut hœdum, cum nihil haberet in manu Jud. 14. 5. Et cum patris sui pecora pascebat David, sive ursus, sive leo ovem è grege auferebat, is pecudem ex ore ejus eruebat, & in se insurgentem barbâ vel mento arreptum percutiebat & necabat 1. Sam. 17. 34. Ita enim accipienda esse Davidis verba non dubitabit quisquis rationes nostras perpendet. Rursus idem ille Banaja quem prætorianis militibus præfecit David, leonem die nivoso in media fossa percussisse legitur 2. Sam. 23. 20.

In venatorum artibus sunt foveæ in quas leones spe prædæ illecti incidunt imprudentes. Item retia in quæ clypeorum collisione & facium multo lumine territi se conjiciunt. Unci denique ferrei quibus trahuntur in caveas ad id paratas. Quæ omnia tangit Ezekiel cap. 19. vers. 4. 8. 9. Neque audiendus Julius Pollux qui leonem negat retibus posse capi. Oppianus enim multis describit quibus artibus in illa impellatur, idque circa Euphratem, ubi scripsit Ezekiel, quod maxime notandum est.

Cum leone in laudem Scriptura confert 1. Deum, sive suos castiget, aut in impios animadvertat. 2. Christum, qui piis agnus, impiis est leo de tribu Judæ. 3. Angelos in Ezekiele & Johanne. 4. Justos qui instar leonum confidunt, conscientiæ suæ theatro tuti. 5. Viros fortes, quibus tribuitur cor, facies & fortitudo leonis. 6. Reges qui hominibus imperant, ut leo-

ut leones feris. 7. Judæos olim, roboris & potentiæ nomine. 8. Speciatim tribus Judæ, Gadis & Danis. Ibi obiter multa docentur. Loca quæ Deo videntur ferinos aut belluinos affectus tribuere θεοπρεπῶς esse intelligenda. Prophetarum minas cum leonis rugitu recte conferri. Iis Prophetas non delectari, sed ad munus suum exequendum vel invitos adigi, nec posse Deum excutere. Rugitum quoq; appellari Evangelii prædicationem, & quorsum. Quatuor animalia Ezek. 1. 10. & Apoc. 4. 7. quatuor esse Archangelos terrarum orbi præfectos. Judæos hostium sanguinem proprie non bibisse, nec in eo pedes lavisse aut immersisse, prout habetur in Prophetis, sed hæc aliud significare. Animalia quatuor in Judæorum vexillis picta fuisse falso tradi, cum ob alias causas, tum quia Judæi nullas imagines habebant. De his animalibus non agi Psal. 68. 11. דודאים *dodaim* Gen 30. 14. non esse mandragoras, nec mandragoras esse ἀνθρωπομόρφους ut multi volunt.

Cum leone in malam partem conferuntur 1. Diabolus. 2. Impii & Dei hostes, & Antichristum. 3. Tyranni, & quicunque potentiâ suâ in aliorum perniciem abutuntur. 4. Gentes bellicosæ & rapaces, ut Ægyptii, Chaldæi, Ninivitæ. Et Babylonicum imperium in Daniele. 5. Judæi in Deum rebelles. 6. Morosi, contentiosi & facile irritabiles. 7. Quicquid noxium, ut peccatum, ultio, mala lingua, gladius. Leonis etiam partes, ut dentes, maxillæ, os, caput, in malam partem sumuntur. Docetur obiter quomodo diabolus rugire dicatur, obambulare, & homines vorare. Quo sensu lupus, pardus, leo & ursus scribantur in Ecclesia degere Es. 11. 6. 7. Qui super leonem & aspidem etiam ad literam incesserint. Quid sit φαντασιοκοπεῖν Sirach. 4. 34.

Pro mantissa asseritur vera lectio loci πολυθρύλλητου Ps. 22. 23. כארו (*caru*) *foderunt manus meas & pedes meos.* Pro quo abhinc aliquot sæculis Judæi perperam scribunt כארי (*caari*) *sicut leo.* Cum כארו *caru* legerint Seniores, Aquila, Hieronymus, Syrus, Arabs, Æthiops, ipsi etiam Masorethæ, Et novæ lectioni hodieque repugnent quædam exemplaria, quod Judæi quoque agnoscunt. Nec ullus sensus commodus ex illa potest erui. Non tamen inde sequitur Judæos Hebræum textum malitiose corrupisse.

Pardo dant Arabes secundum à leone locum. Eundem cum leone sæpe jungunt sacri scriptores. נמר *namer* dicitur à maculis, ut panthera Latine *Varia.* Ad Hebræum פרדס *pardes*, quo significatur hortus, alludunt πάρδαλις & παρδαλίς, quia ut hortus floribus, ita pardus maculis distinguitur. Hæ maculæ Hebr. חברברות *chabarburoth* dicuntur quia lividæ, & Chald. שלש *scutula*, quia pardus illis est scutulatus. Hab. 1. 8. Assyriorum equi leguntur esse pardis leviores, nempe saltu & cursu. Utroque enim pardi pollent, non solum saltu ut nonnullis placet. Idem animal insidiosum Os. 13. 7. & in Judæorum urbes vigilat Jerem 5. 6. Pardum cum hœdo cubare quam sit insolens notatur in Es. 11. 6. Alexandrum & Græcorum monarchiam in multis pardo fuisse similem docetur in Dan. 7. 6. A pardis loca dicta Num. 32. 3. &c. Locum Os. 13. 7. Veteres reddunt, *ut pardus in via Assyria,* Recentiores, *ut pardus in via speculabor.* Prius tuetur Liveleius non contemnendis rationibus.

Cum pardo conferuntur feræ similes tigris, lynx, panthera, panther, leopardus. Tigris Aristoteli animal κυνῶδες, aliis leonis, aliis pardi, aliis thois species. Sed exceptis maculis leoni est similior. Romæ primum sub Augusto visus est, exinde ex Parthis sæpe allatus. Animal animo, robore & velocitate insigne. Pellis in pardo per maculas, in tigri per longas tænias distincta est, unde virgata dicta. In Orbibus equis, alii pardo, alii tigri similes. Et in mensis ex cedro aliæ tigrinæ, aliæ pantherinæ. Tigris Arabice & Persice *babr, bered* & *phuranik* vocatur. *Bered* quasi *veredus*: Et *phuranik* quasi φρύνιος celer cursor. Matrem ex vento concipere fabulosum est. Per vitreas sphæras deludi etiam tradunt Arabes. Non tamen quo modo narrant Ambrosius & Claudianus.

Lynx animal est Indicum, Baccho sacrum, maculosum, pardo simile, sed magis simum, summis auribus hirsutum, acerrimi visus, saltu maxime valens, prædam tenacissime retinens, δύσερως, timidum, imbelle & fugax, cujus urina in lapidem lyncurium concrescit. Ita describunt veteres. Sic apud Arabes الفهد *alphehed* ad pardum maxime accedit, & ad venationem cum illo instituitur, & à nasi depressione alio nomine خشم *chisim* dicitur. Idem igitur lynx & *alphehed*, quamvis descriptiones in omnibus non conveniunt, quia lyncis historiæ multa fabulosa assuta sunt. Puta lacerari vulvam in partu, quod alii de leæna tradunt. Et clarissime cernere, quod de Lynceo heroe scripserant vetustiores, non de lynce quadrupede. Et ex ejus urina creari lyncurium, cum lapis lyncurius a lynce dictus nullus sit, sed Ligurius a Liguria, qui non alius quam succinum. Interim Græcos latuit lyncem esse animal somniculosum, capitis gravedini & oscedini obnoxium, & ita iracundum ut si prædam non assequatur, in venatorem irruat. Quod de τῷ *phehed* habent Arabes.

Pantheram & πάρδαλιν seu pardum specie diversa esse imo diversissima animalia nonnulli magno nisu contendunt. Quod tamen falsum imo falsissimum esse probant hæ rationes. Romani scriptores camelopardalin ex camelo & panthera componi docent. Et a panthera dici παρδαλιον gemmam. Et pantheras aconito pardalianche necari. Et Cæcilio nullas à Cicerone pantheras Plutarchus vocat παρδάλεις. Et quod Græci scribunt παρδάλεις magno esse corde, timidas, maleficas, solas animalium odoratas, quaternis mammis, fœminam mari prævalere, & hyænæ pelle admotâ earum pilos decidere, ad pantheras refert Plinius. Idem denique a pardis pantheras solo sexu & candore distinguit.

Sed an specie differant ὁ πάνθηρ & ἡ πάρδαλις videbitur merito posse dubitari, cum scriptores sæpe distinguant. Et pantherem describat Oppianus ut minutum & imbecille animal. Nonnullis tamen ὁ πάνθηρ fera magna est & terribilis, maculosa, odorata, catulos cæcos pariens, quæ τῆς παρδάλεως seu pantheræ propria sunt. Omnino igitur πάνθηρ vox est æquivoca, & pro ratione subjecti varie exponenda. Oppiano enim πάνθηρ videtur esse thos, qui aliis πανθήριον & λυκοπάνθηρ. Sed in majoribus feris τὸν πάνθηρα & τὴν πάρδαλιν non puto aliter distingui quam solo sexu, ut Latine *pantheram & pardum.*

Leopardi vocabulum Romanorum nullus usurpat ante Constantini tempora. Itaque Ignatii ad Romanos epistola, quæ meminit leopardorum, hoc ipso nomine mihi suspecta est. Et locum in Beresčith Rabba de leone παρδάλεως corruptum esse docemus, atque aliter legendum. Cum autem leopardi nomine proprie significetur animal ex pardo & leæna natum, leoni simile, nisi quod maculosum est & jubâ caret; Tamen pro simplici pardo palam usurpant Lampridius, Vopiscus, Julius Capitolinus, Symmachus, Hieronymus, atque alii recentiores.

Hebræo ursi nomini דוב *dob* ab hirsutie facto alludunt Æthiopicum ደብብ: *dabub* pro Arctica plaga. Et in Hesychio Chaldæum δαβελα aut עילאה דוב *dob ilaa* potius pro ursa cœlesti. In 1. Sam. 17. 34. notatur ursos ovibus esse maxime infestos: Et in Davidem insurrexisse, ut eum amplexu necarent: Et quanto is periculo

Fumantem nasum vivi tentaverit ursi.

Et ibidem urso manus vere & proprie tribui. Et quam tetrica sit urso facies in Sirach. 25. 24. De voce agitur in Es. 59. 11. *Sæviemus aut gememus ut ursi nos omnes.* Item de Romano & Græco nomine, & ejus pigritia & φωλεία hybernis mensibus. Ad proverbium Amos 5. 19. *leonem fugienti occurrit ursus* proferuntur Arabum historiæ aut fabulæ Patrumque ac Hebræorum variæ conjecturæ. Ad Thren. 3. 10. *Ursus insidians est mihi*, docetur insidiosum esse animal, neque unquam illi esse fidendum. Et ad tria Scripturæ loca ursâ orbatâ nihil esse ferocius; Nec urso esuriente ad Prov. 28 15. Ex Aristotele, Plinio, Solino & Æliano cruenta describuntur ursorum cum tauris prælia, qui tamen pascuntur simul Es. 11. 7. Cur Persarum monarchia cum urso conferatur Dan. 7. 5. Talmudici quatuor causas afferunt, alii scriptores quinque insuper. Quartæ bestiæ, quæ Romani imperii typus fuit, ursini pedes firmiorem significant sed & tardiorem progressum Apoc. 13. 2.

Quia

Quia Bethele vitulum erexerat Jeroboam, & in idololatras Elisæus acrius invehebatur, Bethelenses, ut videtur, pueros suos in eum provocarunt. In quos duæ ursæ ex proxima sylva à Propheta immissæ magnam illorum stragem ediderunt 2. Reg. 2. 23. Quod à viro sancto factum non est, ut privatas injurias ulcisceretur, sed quia Deum ipsum sciebat in persona sua despici, seque non tam ut calvum traduci quam ut prophetam veri Dei. Sequuntur ejusdem historiæ expositiones allegoricæ.

Ab aureo colore lupus Hebr. זאב *zeeb* dictus, Chald. דיבא *deba*, & Phrygum sermone *Davus*, unde lux oraculo Sibyllino de lupis Bithyniam & Byzantium invasuris. Indidem Lycus Assyriæ amnis *Zaba* vel *Diabas* vocatus, & Assyria ipsa *Adiabene*. Lupos Scriptura describit I. Rapaces Gen. 49. 27. Matth. 7. 15. &c. II. Vastatores & sanguinarios Jer. 5. 6. Ezek. 22. 27. &c. III. Voraces, avidos, insatiabiles, vespere & mane comedentes Soph 3. 3. Gen. 49. 27. IV. Lupos Arabiæ memorat Græca versio Jerem. 5. 6. Sophon. 3. 3. &c. Pro quo alii melius lupos habent vesperæ aut vespertinos, quia sub vesperam prædatum se conferunt: unde *irpi* Samnitibus dicti. Horum alii solitarii, qui Græcis μονιοὶ, μονόλυκοι & μονόπειραι. Alii gemini aut etiam turmatim eunt. Et mane prædam dividunt Gen. 49 27. Ad domos etiam accedunt juxta Græcam versionem Jerem. 5. 6. quod Romæ fuit in prodigiis. V. Et cum Assyriorum equi describuntur Hab. 1. 8. ὀξύτεροι ὑπὲρ τοὺς λύκους, dubium an propheta lupos acres esse velit visu vel cursu: Utroque enim mire pollent. Aut etiam acres animo, juxta illud poetæ, *genus acre luporum*. VI. Lupi, utut ovibus infesti, tamen in Ecclesia cum iis simul pascuntur & degunt Es. 11. 6. & 65. 25. VII. Docetur lupis esse similes falsos doctores, etsi habeant ovium indumenta, id est μηλωτὰς Matth. 7. 15. & Act. 20. 29. VIII. Tyrannos etiam & Ecclesiæ persecutores Ezek. 22. 27. Sophon. 3. 3. Matth. 10. 16. Quorum metu fugiunt pastores mercenarii Joh. 10. 12. IX. Benjamin cur vocetur lupus rapax Gen. 49. 27. non constat satis. An quia in ea tribu fuit altare? Aut propter virginum raptum, de quo Jud. 21. 21. Aut ad Saulem, Mardochæum, vel Paulum id referendum? Potius respici puto lupi fortitudinem: Benjamitæ enim erant fortissimi.

Probatur Hebræâ voce צבעים *tseboim* non solum in genere rapaces feras, sed & hyænas significari. Neque aliud Arabum ضبع *dsabuon*, feræ species quam lupo similem esse tradunt, canibus maxime infestam; In Arabia, Syria & Africa nasci: Sepulchra effodere; quia humanæ carnis est avidissima: Sexum alternare, ita ut uno anno mas, altero sit fœmina: Nec humani sermonis prorsus esse ignaram, & quodam carmine mulceri & capi. Quæ alii hyænæ tribuunt. Taceo felli & pelli easdem assignari vires medicas, & singulis fere partibus magicos usus non absimiles. Hyæna porro צבוע *tseboa*, id est picta dicitur, propter varios colores tam in pelle quam in oculis, in quibus mille varietates & mutationes describit Plinius. Locum igitur Jerem. 12. 9. quem alii de nescio quâ ave pictâ, nos cum Græcis de hyæna intelligimus & uberius explicamus. Sed & in Lucano docemus quid sit *nodus hyænæ*, quod doctissimos interpretes latuisse video, in his virum maximum in notis ad Solinum. Obiter etiam agitur de hyænæ claudicatione.

At qui sequuntur איים *ijim* videntur esse thoes, qui de lupo & hyæna aliquid habent, quamvis illis staturâ & viribus impares. Arabes à latratu vocant بنات اوي *filias avvi*. Persæ شغال *sciagal*, Græcia vetus θῶας, media πανθήεια & λυκοπανθήεια, recens σκυλάκια, barbari scriptores *babuinos* & *papiones*. Quamvis enim magni scriptores aliter pronuncient, tamen hæc unius animalis varia esse nomina iis constabit, ut speramus, qui rationes nostras attente legent.

His congener est vulpes, cui Hebræum à tussi nomen est שועל *sual*. Animal πάμφαγον, cadaveribus vescens Ps. 63. 11. & uvis Cant. 2. 15. In desertis & desolatis locis degens Ezek. 13. 4. & Lam. 5. 18. Quoque lateat tutius, in ipsis terræ visceribus lustra habens sua Matth. 8. 20. Quæ Thebarum instar fere sunt ἑπτάπυλα, ut alicunde obsesso semper pateat fugæ locus. Et scillæ folia ostiis superinjicere dicitur ut lupum fuget, qui hujus herbæ contactu moritur aut convellitur.

In historia vulpium Samsonis Jud. 15. 4. post explicata verba, quæritur unde Samson trecentas vulpes nancisci potuerit, cum vulpium venatio sit perardua; & quadruplex est responsio. Item cur Samson vulpes potius quam aliud animal delegerit ad fruges hostium comburendas, & respondetur vulpes, cum fere per amfractus eant, latius incendium sic excitasse. In rei memoriam Romæ vulpes in Circo cum tædis ardentibus medio Aprili emittebantur. Quod ad Curseolanam vulpem, quæ fœno & stipulâ involuta segetes incenderat, Ovidium perperam referre probatur duplici argumento. Eodem pertinet quod Bœoti à Phœnicibus ex parte oriundi se per facem vulpi affixam quidvis incendere posse jactabant. Et quod à Lycophrone, qui Cilix erat, vulpes vocatur λαμπουρὶς, tanquam à lucente caudâ, vel à lampade caudæ alligatâ.

Quædam adduntur de vulpis suspenso gradu in Nehem. 4. 3. Et de ejusdem vafritie in Cant. 2. 15. & Ezek. 13. 4. ubi falsi doctores cum vulpibus conferuntur, propter strophas & versutias quibus credulæ plebi facile imponunt. Ut Luc. 13. 32. vulpes à Christo vocatur Herodes tetrarcha, qui re vera fuit callidissimus.

Feles ut Arabice ضيباون *dsajauvino*, ita Hebraice ציים *tsijim* dici putamus iisdem radicalibus, licet sono hæ duæ voces & terminatione differant. Itaque cum in Babyloniæ & Idumææ desertis Esaias & Jeremias ציים *tsijim* jungunt τοῖς איים *ijim* seu thoibus, sylvestres feles intelligimus, quales in illis ipsis locis describit Chaldæus interpres, & Diodorus circa Miltinem oppidum Africæ. Et alii in Indiæ provincia Malabar, quos membranaceis alis aut tunicis volare tradunt vespertilionum instar.

Onager, licet asino domestico valde similis, specie tamen differt, non sola educatione. Proinde cursu longe præcellit, unde פרא *pere* dictus est. Syris enim ܦܪܐ *pera* est currere. Est & plerumque pulchrior, statura etiam procerior. Ad Job. 6. 5. de ejus ruditu agitur, à quo aliud illi nomen [illegible] *arod*. Quamvis sit gregarium animal, tamen בודד *solitarius* vocatur Os. 9. 8. quia est eremicola. Hinc Job. 24. [illegible] *Ecce onagri in deserto*. Et Jerem. 2. 14. *Onager assuetus deserto*. Unde in Græca versione vocatur ὄνος ἐρημίτης [illegible] 12. Et de Nabucadnetsare scribitur Dan. 5. 21. *Cum onagris fuit habitatio ejus*, id est in locis ab hominum consortio remotissimis. Sed de onagro maxime insignis est locus Job. 39. 8. ubi Deus servum suum sic alloquitur: *Quis dimisit* פרא *onagrum liberum? Et vincula* ערוד *asini sylvestris quis solvit? Cui assignavi solitudinem pro domo, & pro habitaculo salsuginem. Ridet tumultum civitatis, clamores exactoris non audit. Exploratio montium pascuum ejus, & sectatur quicquid viret.* Et his verbis sylvestrem asinum domestico Deus opponit, qui vere est ὑποζύγιον, cum in jumentis non aliud sit quod hominis jugo magis prematur, & duriorem servitutem serviat. At onager in solitudine degens liber est & sui juris, neque ex ullius arbitrio pendet. Interim non concesserim quod scribunt multi veteres, nec pauciores recentiorum, onagrum esse animal ἀδάμαστον καὶ ἀνυπότακτον, *indomitum & indocile, quodque, si millies coneris, non egeris sub manum tuam.* Illud enim hominum industria facile cicurari & mansuefieri certum est, & mansuefactum iisdem addici laboribus quibus vulgares asini. Neque vero id negatur in verbis quæ citavimus. Sed solum docetur onagrum natura sua esse liberum. Et dum in eo statu manet, habitare in solitudine, nec curare tumultum civitatis, nec pastore opus habere, quia montes illi pastum subministrant, ut fontes potum Psal. 104. 10. 11. Si tamen excipias tempus famis & siccitatis, quo *onagri stant in*

clivis,

clivis, ventum trahentes tanquam dracones, & deficiunt oculi eorum (quamvis alioqui sint acerrimi) *quia nulla est herba* Jerem. 14.16.

Ab onagris ducuntur variæ similitudines. Sic ratione feritatis homines vocantur onagri Gen. 16.12. & Job. 11.12. quasi æque feri sint, aut rudes & indociles. Et de prædonibus dicitur Job. 24.5.6. *Sunt onagri in deserto, surgunt mane ad rapinam, solitudo eis panis & filiis*: Quia ut onagris ita prædonibus victus ex solitudine suppetit. Jerem. 2.24. cum asinâ ferâ quæ ardet in libidinem confertur Judæorum synagoga εἰδωλομανίας ratione, quæ habetur à Prophetis pro specie scortationis. Os. 8.9. eosdem monet Propheta ad Assyrium frustra ascendere, cum sit *onager solitarius sibi*, id est Assyrii opem in cassum implorare, cum onagri instar sibi soli serviat & prospiciat. Sirach. 13.21. *Ut præda leonum sunt onagri in deserto, ita pastus divitum sunt pauperes.*

Cervus Hebraicè איל *ajal* à robore dicitur, voce fœminini generis Psal. 42.2. quamvis præcise marem sonet. Nam cerva est אילת *ajeleth*. Ita Græce ἡ ἔλαφος quandoque pro mare sumitur. Ut cum Philosophus cornutas describit τὰς ἐλάφους. Idem enim cervi fœminam cornua habere negat. Ad gressus firmitatem hæc pertinent Ps. 18.34. *Disponet pedes meos ut cervarum, & in excelsis statuet me.* במות *bamoth* excelsa vocat prærupta & confragosa loca quæ Philosophus cervas habere dicit pro refugio, & eo hinnulos suos deducere, ne facile reperiantur. Davidis huic loco parallelus alter est Hab. 3.19. Cervi agilitas in cursu commendatur Cant. 8.14. & in saltu Es. 35.16. In titulo Psal. 22. אילת השחר *cerva Auroræ* seu matutina vocari videtur quæ summo mane surgit, ut catulos lactet & eis cubile sternat, quales describit Xenophon in Cynegetico. Ab his nempe vocibus incœpisse puto sacrum Canticum ad cujus numeros David Psalmum illum scripsit. Initium Psalmi 42. sive cum veteribus reddas, *ut cervus desiderat*, vel cum recentioribus, *ut cervus glocitat ad fontes aquarum*, res eodem recidet: Cum aliam glocitationem, aut, ut purius loquamur, cum alium cervi ruditum recentiores non intelligant, quam qui fit aquarum appetitu. Cervum autem aquas appetere Hebræi dicunt tribus de causis. Aut cum in siccis locis degit: Aut cum serpentum esu incaluit: Aut ut à venatorum & canum insectatione se liberet, & saltem longo cursu defessus recreetur.

Ad Dei verba Job. 39.1. *An nosti tempus quo pariunt ibices rupicolæ? An parturitionem cervarum observasti? Numeravistine menses quibus conceptum adimplent? Novistine tempus partus earum?* videtur posse regeri in hac quæstione nihil esse arduum, quodque non queat facile solvi: Cum quo tempore pariant cervæ & ibices possit à quovis observari. Et vero Xenophon, Aristoteles, Plinius, & Julius Pollux illud penficulate notant. Verum enimvero hic agitur de cognitione Deo propriâ, quâ res omnes non solum novit, sed & dirigit, & providentia sua gubernat, quæ hic non parum se prodit. Cervarum enim partus est difficilis. Et serpentes illis obstetricari Hebræorum meræ nugæ sunt. Sed verius est quod Philosophi tradunt, naturæ quodam instinctu se ipsas ante partum herbulæ esu purgare, quæ dicitur *seselis*, & sic uterum faciliorem reddere. Quin partum illarum quandoque Deum promovere terrore vocis suæ, docent hæc Psaltis regii Ps. 29.9. *Vox domini facit parturire cervas.* Itaque *incurvantur, fœtus suos pariunt, dolores suos emittunt* (id est cum dolore catulos suos) *Et valent catuli earum, crescunt in agro, exeunt, nec revertuntur ad ipsas* Job. 39.3.4. Quam porro curam adhibeant in iis educandis disce ex Aristotele, Plinio & Æliano. Summæ igitur famis indicium est, cum *cerva hinnulum quem peperit in agro deserit, quia nulla est herba* Jerem. 14.5. Ut quod habetur Thren. 1.6. *cervos pascuum non invenire, & abire sine viribus, ante faciem insequentis.*

Cervinæ carnis esus in Lege commendatur Deut. 12.15. & 14.4.5. & 15.22. Proinde in quotidiano victu Solomonis censentur cervi & capræ 1. Reg. 4.23. Et in fabulis Telephus lacte cervæ, Achilles cervorum medullis nutriti fuisse leguntur. Quin continuo cervinæ carnis usu febres amoveri scribunt Plinius & Solinus, quia ipsi nunquam febricitant. Aliter tamen tradunt medicorum filii.

Frequentes fuisse cervos in Judæa & vicinis locis, non solum ex sacro Cantico & Jeremia scimus, sed etiam ex Æliano, qui in fine libri quinti, peculiari capite *de Syriæ cervis*, eos in altissimis Syrorum montibus, Amano, Libano & Carmelo progenerari docet.

Inter symbolicos Scripturæ cervos primus se offert Nephthali, de quo Jacob, *Nephthali cerva emissa* &c. Gen. 49.21. Et Chaldæi interpretes illum cum cervâ emissâ conferri volunt ratione velocitatis. Quod ut probent duas fabulas comminiscuntur. Unam Nephthalim ex Ægypto cum fratribus redeuntem, illos cursu antecessisse, ut patri nuntiaret Josephum adhuc esse in vivis. Alteram, cum Jacobus à filiis prope Hebronem in caverna Macpela esset sepeliendus, tam pio consilio se opposuisse Esavum, hanc cavernam suam esse causatum. Quem ut refellerent, Nephthalim in Ægyptum misisse, ut emptionis instrumentum ocyus inde afferret: Idque ab eo mirâ diligentiâ fuisse præstitum. Quas fabulas facile esset ex Scriptura confutare. Sed & Hebræa Jacobi verba docemus aliter potuisse legi.

Prov. 5.19. Uxor viro suo grata vocatur *cerva amorum, & ibex gratiæ.* Amorum & gratiæ, id est amabilis, gratiosa, venusta. Ita in Anacreonte cerva est ἱμερόεσσα *amabilis*, in Oppiano bubalus huic congener ἱμερτὸς χροιὰ, φαιδρὸς ἰδέσθαι, *colore amabilis, pulcher aspectu.* In Virgilio: *Cervus erat formâ præstanti, & cornibus ingens.* In Silio: *Cerva fuit raro terris spectata colore.* Et Hebraice caprea צבי *tsebi* à decore dicitur, ut Arabice ab amore غزال *gazal*. Et Arabico proverbio vocatur *ibice pulchrior* quisquis habetur pro pulcherrimo.

Caprea ut Hebr. צבי *tsebi*, ita Arab. ظبي *dabi* & Chald. טביא *tabja* dicitur. Unde fœmininum טביתא *Tabjetha* vel *Tabitha* puellæ nomen quam suscitavit Petrus Act. 9.36. Hinc Græce redditur Δορκάς. Cujusmodi nomina in Oriente esse frequentia multis exemplis probamus. Δορκὰς dicitur ἀπὸ τοῦ δέρκω à visu, quia caprea non solum venustos, sed & alacres vividosque habet oculos, & inter dormiendum apertos, ut Græci scribunt, aut ut Chaldæi, unum clausum, alterum apertum. Itaque Patres Sponsum in sacro Cantico, id est Christum, cum capreâ toties conferri volunt, propter summam perspicaciam. Nos propter alacritatem & exequendi celeritatem, quia de Sponsi saltibus, aut fugâ, aut reditu iis locis agitur quibus cum capreâ confertur, Cant. 2.8.9.17. & 8.14. Et Scriptura in caprea non laudat oculorum acumen, sed pedum pernicitatem. Vide imprimis 2. Sam. 2.18. 1. Par. 12.8. Caprea tamen sæpe incidit in venatorum manus. Et quibus modis capiatur, aut venatorum artes eludat, dicimus ad Prov. 6.5. *Eruere ut caprea è manu, aut ut avis è manu aucupis.* In quæ verba, quia videntur esse hiulca, varias conjecturas afferimus. Et ea conferimus cum his Sirach. 27.21. (al. 22.) *Effugit quasi caprea de laqueo.* Ibidem Esaiæ verba capite decimo tertio versu decimo quarto. *Erit ut caprea expulsa*, explicamus ex Arabico proverbio, *caprea reliquit umbram suam*, id est latibulum suum, unde semel expulsa, nunquam eo revertitur. Docetur denique ad varia Scripturæ loca quam sit salubris esus capreæ.

Tam cervæ quam capreæ hinnulus Hebr. עופר *opher* dicitur, ut Arabice الغفر *algophro*, quia *Ajin* γαμμαλίζει, ut in vocibus *Gaza* & *Gomorrha*. Nomine facto ex lanugine quæ cornibus adnascitur. Quâ ipsâ de causâ hinnulos Græci vocant ἐσχάδαιας & ἀχαΐνας. Cant. 2.17. & 8.14. de Sponso optat Sponsa ut in fuga & in reditu capreæ sit similis & hinnulo cervarum, id est ut eadem celeritate fugiat & revertatur. Hinnulos enim docet Xenophon in primo cursu matribus ipsis esse perniciores. Sed in secundo aut tertio satisfacere, aut facile capi, quia cum sint adhuc teneri laborem sustinere non possunt.

possunt. Cant. 4. 5. duo sponsæ ubera, id est duæ uberum papillæ, conferuntur cum geminis capreæ hinnulis qui pascuntur inter lilia. Turgentia scilicet ubera liliorum areolæ candore & tumore referunt. Et gemini capreæ hinnuli inter lilia eminent ut papillæ in uberibus. Nec solum duo hinnuli dicuntur, sed gemini duo hinnuli, quia inter hinnulos; qui uno partu editi sunt, major est similitudo. Cervos autem, capras & capreas quandoque esse διδυμοτόκους asserunt multi scriptores. Nec novum id videri debet, quod inter lilia pascuntur hinnuli, cum in Oriente lilia passim in agris proveniant Matth. 6. 28. Proinde

Candida qui medius cubat inter lilia cervum

describit Calphurnius in Litigio.

Deut. 14. 5. cum cervo & caprea junguntur, ut ejusdem generis animalia, יחמור *jachmur*, אקו *akko*, דישון *dison*, תאו *theo* & זמר *zemer*, de quibus alibi nulla mentio, nisi quod 1. Reg. 4. 23. censetur *jachmur* in Solomonis cibis. Et Es. 51. 20. Judæi qui animo defecti in viarum compitis jacent leguntur esse כתוא מכמר, *ut tho irretitus*. Et תוא *tho* eo loco putatur idem esse quod in Mose תאו *theo*. Ex quibus locis vix quicquam lucis affulget. Tantum ex Esaiæ verbis colligitur *tho* vel *theo* non esse bubalum, aut bovem ferum, ut reddunt recentiores, quia bubalus reti aut laqueo non potest capi. Validius enim est animal quam ut ullis retibus detineatur. Itaque non aliter capitur quam effossâ foveâ, quod scriptores omnis generis magno consensu tradunt. Præterea censetur תאו *theo* in Judæorum cibis, cum bubali esum omnes execrentur. Ut & camelopardalis, quam voce זמר *zemer* significari volunt. Ne dicam ævo Mosis hoc animal Judæis fuisse prorsus ignotum. Itaque nihil fuit opus ut ejus esum Deus Judæis vel vetaret vel concederet. Proinde ut *jachmur* & *akko* & *dison* omnes interpretes in cervino aut caprino genere ponunt, eodem pertinent *theo* & *zemer*.

Et *jachmur* quidem est ibicis aut cervi species serratis cornibus circa Euphratem, quibus inter arbores ludens, quandoque implicatur, & clamore suo se prodens, in venatorum manus incidit. Ita docent Arabes, à quibus etiam يامور *jamur* vocatur. Antholopem appellat Eustathius in Hexaemeron: Et barbari scriptores Anthalopum & calopum. Ejus adipem, pellem & carnem Arabes ad certa remedia adhibent. Hebræi fœminam τῦ *jachmur* à cervo quandoque iniri tradunt, & semen ejus in ovi speciem coalitum una cum excrementis è vulva ejicere; vocari autem ejusmodi grumos חלי דיחמורתא, *ova jachmura*, de quibus anxie disputant impuri homines, an possint edi licite.

אקו *akko* alii tragelaphum, alii ibicem, alii capream reddunt. Nos ignotæ significationis vocabulum putamus אקו *akko* scribi pro אנקו *anko* literâ N, quod sæpe fit, latente in puncto *Daghès*. Et ab אנק *anak*, quod clamare sonat, ita dici capreæ genus præ cæteris clamosum, ut Talmudicis אקא *akka* hircum aut capram vulgarem, & Arabibus capram عناق *anak*, *aleph* & *ajin* permutatis.

Theo vel *tho* cum Senioribus, Aquilâ, Symmacho, Theodotione, Hieronymo, Syro etiam interprete, cur non orygem explicemus causam non video; cum eos falli sciam qui bovem ferum interpretantur.

Zemer denique, Hebræis Arabicum, non Æthiopicum animal, cum non videatur quicquam habere commune cum camelopardali, malo rupicapram reddere, cum à saltu sic nominari didicerim ex Arabibus.

A עלה quod scandere est, ibices dicti יעלים, qui ad summas rupes nituntur, adeoque in præruptis locis scandunt multo altius quam rupicapræ. Hinc 1. Sam. 24. 3. rupes editissimæ vocantur צורי יעלים, *rupes ibicum*, tanquam iis solis perviæ. Et ipsi dicuntur יעלי סלע, *ibices rupium*, Job. 39. 3. tanquam earum soli incolæ. Et Psal. 104. 18. *Excelsi montes* pro refugio ipsis assignantur. Cornua habent vastissima, & ad nates usque protensa, quæ propter multiplicem usum censet Chaldæus interpres inter merces pretiosissimas Ezek. 27. 15. In hæc cornua in petras se librare, ut tormento aliquo rotatos: Et per illorum foramina respirare nonnulli asserunt. Et fœminas hoc incommodo maxime laborare, quod facile excæcantur. Laudatur ibicum in catulos στοργὴ, & in parentes pietas. Atque ut cerva Telephum, capra Ægistum, bubalis Macarium, ita ibex Jonam prophetam infantem lactasse fertur.

His pertractatis, nos accingimus ad quæstionem an ראם *reem* vel רים *rem* vere sit monoceros. Et postquam in unum congessimus quæcunque scripserunt veteres & recentiores de animalibus unicornibus; Docemus ex Scriptura colligi ראם *reem* procerum esse animal, cum de Israele dicat Balaam, *Tanquam altitudines Reem ipsi sunt* Num. 23. 22. & 24. 8. ἁλτικὸν quoque & πηδητικὸν, cum de voce Dei canat Psaltes. *Facit ut exiliant cedri sicut vitulus, Libanus & Sirjon ut catulus reemim*, Psal. 29. 6. Validum insuper, ferum & indomitum esse probant Dei verba ad Jobum: *An voles rem servire tibi? An ad præsepe tuum pernoctabit? Anne rem in sulco ligabis loro tuo? An occabit valles post te? Num fides ei, quia magnum est robur ejus? & committes ei laborem tuum? Num credes ei quod reddat semen tuum, & in aream tuam congreges*: Job. 39. 9. &c. Cornutum denique esse animal, & celso cornu terribile docent hæc Mosis de Josepho: *Cornua reem sunt cornua ejus, quibus populos feriet ad terminos terræ*, Deuter. 33. 17. Et hæc Davidis Psal. 22. 22. *A cornibus reemim exaudies me.* Et Psal. 92. 11. *Et attolles ut* (cornu) *reem cornu meum.* Inde *reemim* vocantur Idumæorum principes Es. 34. 7. Quæ cum Indico monoceroti tribuerint Græci veteres, illum nomine *reem* significari putaverunt Septuaginta interpretes. Cui sententiæ ideo non accedimus, quia nobis suspecta sunt quæ de monocerote traduntur. Cum qui de eo scribunt sibi non constent. Nec solum diversi diversa scribant. Sed & singulæ descriptiones multa habeant ἀσύστατα. Ut cum jungunt cervi caput & equi corpus, cum elephantis pedibus; Et his pedibus tribuunt cursum citatissimum. Et hoc animal negant vivum unquam esse captum, aut vero posse capi. Nec è Græcis aut Romanis quisquam est qui illud se vidisse scribat. Imo nec ex Arabibus qui Indiæ partem diu tenuerunt. Et de eo nihil certi afferunt Garcias ab Horto & Linschotius, qui in India vixerunt per multos annos. Nec veri erant monocerotes, sed Oryges, quos Vartomannus in Arabia se vidisse jactat. Quale est quod ceti dentes ostentant pro monocerotum cornibus, quod jam neminem latet. *Reem* denique à Mose bicornis describitur Deuter. 33. 17. Et à Davide Psalm. 22. 22. Et ab Hebræis doctoribus in Talmudico tractatu *Zebachim*, & in capitulis Rabbi Eliezeris verbis disertissimis.

Aliis *reem* est rhinoceros, cujus sententiæ auctorem Aquilam sequuntur Oleaster, Steukus, Forerius & Mariana. Et inter utrumque fluctuant Hieronymus, Isidorus & Pagninus, qui pro *reem* modo monocerotem habent, modo rhinocerotem. Et rhinoceros quidem verum est animal, sed Hebræis ita ignotum, ut in eorum scriptis ne semel quidem nominetur, quod quidem sciam. Neque illi conveniunt hæc Davidis: *Attolles ut* (cornu) *reem cornu meum.* Nemo enim dixerit in sublime attolli cornu rhinocerotis, quod tam ratione situs quam molis est depressissimum.

Sed nec Bootio accesserim, qui *reem* esse urum magno molimine contendit. Cum urus sit Germanicum animal, non solum Judæis ignotum, sed & Romanis ante Cæsarem, & Græcis hodieque. Feris enim bobus quos in India & Arachotis aut in Troglodytis describunt cum uris nihil commune est. Nec si veri uri fuissent, sequeretur eos Jobi, Mosis & Davidis ævo Judæis fuisse notos, quod erat illi probandum.

Sed quod rei caput est, *reem* in caprearum esse censu communi Arabum, Chaldæorum & Hebræorum suffragio probamus. Numerant enim Arabes tres caprearum species, quarum una *rim* nomine ab illis describitur sinceræ albedinis, in Arabiæ arenis degens, adipe distenta & differta, caput & aures sursum erigens, unde *rim* vel *reem* dicta est. Itaque

Hebræum

Hebræum דישון *dison*, inter caprearum genera, *rem* vel *rim* reddunt Chaldæi, Syri & Arabes paraphrastæ. Et his additur Talmudicorum & Aben-Ezræ suffragium, qui in eadem sententia sunt.

His si quis objiciat caprearum parvitatem, debilitatem & imbelliam; Respondebo damas in hoc genere cervis proceritate pares aut suppares Romæ quandoque esse visas, quæ fortia attentaverint prælia. Arabicam gazellam longa & acuta habere cornua, quibus impetit adversas sibi bestias. In Segestana & Bulgaria rupicapras unicornes reperiri pugnacissimas. Alicubi etiam capras & oves cum apris se committere, & ad mortem usque pugnare, ut Oppianus autor est. Et eundem inter capreas Orygum vires atque animos ita commendare, ut belluarum fortissimis, leonibus nimirum, pardis, ursis, tauris & apris non conferat solum, sed & præferat. Unde Martialis de oryge, *Sævus oryx constat quot mihi morte canum?* Neque fortasse virtute illi cedere *reem* vel *rim*. Ac proinde Zachæum Camili Catiensis filium ab his quingentis annis frequenti hujus feræ venatione tantam sibi fortitudinis famam comparasse inter Arabes, ut inde ab historicis vocetur *Katilorrimi*, quasi Rimicidam dixeris. Sed hoc animal nobis ideo parum notum est, quia extra Arabiæ solitudines non reperitur uspiam. Itaq; ejus potissimum meminerunt Job, Moses, Balaam & David, quorum ille fuit Arabs, hi in Arabiæ intima penetraverant.

Ut Judæorum respublica Ps. 80. cum vite ab ipso Deo consita & exculta confertur, ita illius subversores proponuntur tanquam apri per quos sacra illa vitis corrupta est & devastata. *Vastavit eam porcus e sylva*, inquit Psaltes v. 14. *& agri fera depasta est eam.* Porcus è sylva dicitur aper διακριτικῶς, quia in sylvis degit. Ut Syris *porcus agri*, & Arabibus *porcus montanus*, unde Hispanis *javali*. Nam جبلي *giavali* montanum sonat. *E sylva* Hebraice est מיער: In qua voce cur *ajin* sit suspensum tres causas alii afferunt, quibus quartam addimus, nempe *ajin* in numeris valere septuaginta. Sic igitur designari annos septuaginta quibus duravit captivitas Babylonica. Pro *agri fera* Græce est μονιὸς ἄγριος, & in Vulgata, *Singularis ferus*. Et in Cyrillo ὄνος ἄγριος, quod Hesychium non fugit. Sed Hebræum זיז *ziz* feram quamvis significat à motu sic appellatam, ut Græce κνώδαλον & κινώπετον. *Vastavit eam*, aut potius *corrosit eam*. Id enim est proprie כרסם *kirsem*, quæ vox aliunde ignota ex Arabismo explicatur. Apros autem ut frugibus, ita etiam vitibus esse infestos docent historiæ πολυθρύλλητοι de apro Calydonio, Samio, Erymanthio, Lycio, Clazomenio, Olympio, Norico &c. Et Sues olim ut Cereri ita & Baccho oblati, ὡς λυμαντικοὶ τῶν θεοῖν δωρημάτων, *ut qui utriusque Numinis dona deperdant.* Sed hic ut allegoricam vitem, aprum quoque allegoricum intelligi probatur, cumque Nebucadnetsarem. In his Ps. 68. 31. *Increpa feram calami*, dubitatur an fera calami sit aper aut hippopotamus.

Cum pellibus תחש *tachas* legitur operiri tabernaculum, Exod. 26. 14. Et sponsam calceari Ezek. 16. 10. Probatur voce *tachas* neque viverram significari. Neque animal unicorne, quod tabernaculo confecto statim evanuerit. Neque *taxum* aut *taxonem*; Sed colorem hyacinthinum aut hysginum, qui Chaldæis & Syris *sasgona* dicitur. Patet enim non esse animal, sed colorem ex his Syri interpretis Exod. 26. 14. *Fac operimentum tabernaculo ex pellibus arietum Hispanicis* (seu rubris) *& ex pellibus arietum sasgona*, id est coloris hysgini. Neque enim dixeris *pelles arietum taxonis*. Valeant igitur Hebræi, qui tam *sasgona* quam *tachas* pro animali habent. Obiter probatur in certis locis oves nasci rubras & purpureas.

Inter animalia quæ Solomonis classis in Judæam advexit, censentur קופים *kophim* 1. Reg. 10. 22. qui aliis sunt simiæ, nobis *cephi*, Animal Troglodyticum, cui Agatharchides, Artemidorus & Diodorus faciem leonis tribuunt, pantheræ corpus, & capreæ magnitudinem. Sed Strabo lib. 17. Satyri vultum, & reliqua canis & ursi. Et Plinius pedes posteriores pedibus humanis & cruribus, priores manibus similes. Quibus tutius creditur, quia ante illorum ævum cephos Romæ ostenderant Pompeii Ludi. Et *koph* vel *keph* potuisse dici idem animal ex analogia probatur. Additur Hetruscos à Phœnicibus edoctos simiam חרים *Arim*, id est simum vocasse. Et inde Inarimen insulam quæ Pithecusa Græce, & Latine *Enaria* dicta est, propter simias per contumeliam eo missas.

Hebræum ארנבת *arnebeth* alii leporem, alii cuniculum, alii dasypodem interpretantur, quem ex Plinio probant tertium esse genus ab utroque diversum. Sed *arnebeth* Hebraice leporem esse certum est, ut Arabice *arneb*. Alioqui lepus in Lege Judæis non esset prohibitus, quem tamen constat fuisse prohibitum, tam ex Hebræorum consensu & perpetua praxi, quam ex Plutarcho, Clemente Alexandrino, Novatiano & aliis. *Arnebeth* à carpendo terræ proventu merito nominari docent insulæ Leros, Astypalæa, Carpathus à leporibus vastatæ, ut Baleares à cuniculis. Fœmininâ terminatione lepus *arnebeth* dicitur, quia sexus differentias in hoc animali secernere difficile est. Ita Kimchius. Quod Hebræorum alii asserunt omnes lepores esse fœminas, aut in iis sexum alternari meræ nugæ sunt. Cur ejus esus Judæis vetitus fuerit Patres aliquot rationes verisimiles afferunt: Plutarchus unam perridiculam. Græcos *arnebeth* δασύποδα ideo interpretari docetur, quia δασύπους & λαγὼς idem sunt, quod asserimus contra Plinium & omnes Lexicographos. Aliud Judæi comminiscuntur in historia Templi secundi.

Post esum τοῦ *arnebeth* seu leporis, in Lege vetatur esus השפן τοῦ *saphan*, tanquam animalis congeneris, ut quidem volunt. Quo pertinere creditur quod in Psalmis *sephanim* λαγωοὺς reddiderant Græci veteres, & Vulgatus in Proverbiis *lepusculos*. Proinde Hebræi omnes abhinc quingentis annis *saphan* cuniculum exponunt. Nec recentiorum interpretum ullus est qui aliter reddat: Quæ interpretatio suspecta est tribus de causis. Prima quod cuniculum ruminare non constat, quod Lex de *saphan* diserte asserit Levit. 11. 5. Secunda quod cuniculus in terreno solo degit, *saphan* in petris Ps. 104. 18. & Prov. 30. 26. Tertia quod ævo Mosis cuniculus Judæis fuit ignotus, & Hispaniæ peculiaris. Refelluntur etiam ii Arabum quibus *saphan* est الوبر *avvebro*, id est *mus montanus* vulgo *marmotta*, aut الفنك *alphenec*, id est mus Finnicus, nobis *petigris*. Et ii Græcorum qui *hyænam*, item qui *hericium* reddunt.

Sed à Græcorum vetustissimis optime redditur χοιρογρύλλιος, qui Hieronymo est ἀρκτόμυς, & Arabibus اليربوع *aljerbuo*, ut ex Coptico Lexico constat. Et illum murem esse probamus in Libya & Ægypto frequentem, quem post Herodotum Aristoteles, Theophrastus, Plinius, Ælianus, Photius bipedem vocant, quia sæpe bipes incedit. Pedes posteriores habere longiores, ut montes scandat facilius. In planis saltu progredi. *Durromchi* ab Arabibus, id est hastatum, appellari, quia caudam habet hastæ similem, quam sursum fere tollit. Ducem sibi deligere, cujus negligentia morte mulctatur. Domum habere subterraneam, quæ ad quatuor ventos patet. Sed ejus foramina terra obrui, ne pateant extrinsecus, & proinde hypocritas cum his conferri. Latibulorum vias sinuosas esse & intricatas. In petrosis locis hæc latibula effodi, ut ab aquarum alluvionibus tuta sint, & ab equorum ungulis. Et in tumulis ac prope arbores, ut eminus conspiciantur, nec eo redeuntes aberrent. In terra molli leporum instar suspenso gradu incedere, ne notentur vestigia. Rumen habere & ruminare, quamvis utrimque dentatos. Eorum saltum *bachdal* vocari; *Gianadib* serpentes qui cum illis in eodem latibulo nidificant. Marem *achbar*, fœminam *tinta*, *pharnab* aut *phirmib* musculum ex eorum coitu cum vulgari mure natum. Hunc solum murium esse edulem, & Mahumetis lege concessum. Nec tantum ipsos mures sed & eorum latibula certo pretio comparari, id est jus illa in alieno solo rimandi & perscrutandi. Et in muribus hoc genus, *Sapharienſem* magni fieri, quia tenerâ est & pingui carne. Et *Israeliticum* quem vocant ad ventum exsiccatum, quia multi est nutrimenti, & mollit ventrem. Hujus muris meminisse paraphrastem Arabem Es. 66. 17. Teixeiram item & Olearium. Hebraice cur dicatur שפן *saphan*, Arabice اليربوع *aljerbuo*, Chaldaice טפזא *taphza*, Syriace ܚܓܣ *chagas*, Græce olim δίπους, Senioribus χοιρογρύλλιος, & Hieronymo ἀρκτόμυς. Et quid commune habeat *saphan* cum cuniculis. Unde factum ut Hispaniæ cuniculos hoc eodem nomine Pœni appellaverint, adeoque ex illis ipsam Hispaniam שפנים id

est

est τραυλαν. Hæc & multo plura de animalculo docemus, cujus natura hactenus Europæis hominibus fuerat prorsus ignota. Quamvis illius præter Mosem, David & Solomon cum elogio meminerint.

עכבר *achbar* proprie mus agrestis dicitur, quasi עכלבר *achelbar*, id est consumptor agri, quia agrorum est certa pestis. Ita mures in Philistæis 1. Sam. 5. 6. & 6. 5. in Hispaniæ Cantabris, in Italiæ Cosanis, & in Thraciæ Abderitis nihil intactum reliquerunt. Et historiæ mures ferrivoros in Chalcidensibus memorant, & in Gyaro insula, in Troade, Mysia & Æolide. Muris esus Lege interdictus Levit. 11. 29. & Es. 66. 17. permissus tamen fuit in summa fame. In Lege tres murium colores habet Jonathan, in quibus albus est rarissimus. Quæritur cur illud animal immundum esse Lex pronunciet. Et Sennacheribi cladem quam Angelo tribuunt sacri scriptores, cur ad agrestes mures Ægyptii referant, historiâ Cretensium, qui Hamaxitum in Troade condiderunt, interpolatâ.

Omnes omnino Scripturæ interpretes חלד *choled* mustelam reddunt Levit. 11. 29. Tamen Syris ܚܘܠܕܐ *chulda* est talpa Prov. 24. 21. Arabibus quoque خلد *chold* id ipsum est. Neque aliud חולדה *cholda* in Talmude Hierosolymitano. Et Mosi quoque חלד *choled* non esse mustelam, sed talpam, ex eo colligere est quod illam cum mure jungit, tanquam animal congener, & utrumque vocat שרץ השרץ על הארץ, *reptile super terram reptitans* aut *in immensum sobolescens*. Quod in talpam longe melius quam in mustelam quadrare nemo est qui non agnoscat. Eodem facit quod verbum חלד *chalad*, ex quo חלד *choled*, subire, suffodere, & in intima penetrare significat. Hinc in Syra paraphrasi 2. Tim. 3. 6. ܕܡܚܠܕܝܢ, ii sunt qui in domos penetrant, Græce οἱ ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας. Unde חלדיא *Chaldii* vel Chaldæi dicti illi Chalybes qui ferrum creduntur ex terræ penetralibus primi eruisse. Et aliæ voces indidem ortæ rubiginem, gangrænam, & profundam cultri in victimam immersionem significant. Proinde talparum quoque nomen ejusdem esse originis valde verisimile est. Cum ad id natæ videantur, ut terram subruant & suffodiant, & in ejus intima penetrent, quod ipsa rostri & crurum species aperte docet. Itaque etiam alterum talparum nomen חפרפרה, à fossione sumptum est. Ut Græcum σπάλαξ pro Attico σκάλοψ ἀπὸ τοῦ σκάλλειν ἢ σκαλεύειν, id est fodere. Fatendum interim Talmudicos voce חלד *choled* vel חולדה *cholda* mustelam plerumque significasse. Sed hic de Mose res est, non de Talmudicis, qui sæpe falluntur & fallunt. Ut cum Psal. 58. 9. voces נפל אשת, reddunt *abortivum & talpam*, cum aliud non significent quam *abortivum mulieris*. Obiter docetur cur ad talpas & vespertiliones projici dicantur idola Es. 2. 20. Et quam recte ibi jungantur duo hæc animalcula. Et quorsum in libro Nominum *talpa* explicetur fluvii Damasceni nomen *Farfar* 2. Reg. 5. 12. Cur denique vel talpa, vel etiam mustela, pro immundis habeantur. Et mustelam ore parere aut concipere falso credi. Et quæ sit origo fabulæ quam Philosophus non nisi ex parte vidit. Graviterque eos errare qui horribile fellatorum crimen in mustelam impingunt.

Superest hujus libri caput ultimum, in quo tria elementa certant de animali קפד *kippod*, quem terræ adscribunt Græci & Hieronymus, qui hericium reddunt. Alii aquaticum animal esse inferunt ex his Es. 14. 23. de Babylone, *Ponam eam in possessionem hæreditariam τοῦ kippod, & stagna aquarum.* Quorum pars lutram, pars castorem, pars testudinem esse vult. Alii denique in aerem cum volucribus relegant, quia pelecano jungitur Es. 34. 11. & Soph. 2. 14. Sed hericium aut hystricem hac voce significari probant veterum testimonia, Hebræorum perpetuus usus, vicinæ linguæ Chaldaica, Arabica & Æthiopica, variæ denique voces ex nomine *kippod* deductæ. Et refelluntur eorum objectiones qui in diversa sunt sententia.

Jam quartus sequitur liber de quadrupedibus oviparis, qui omnium est brevissimus, sed maxime necessarius. Novi enim interpretes, qui in aliis multa vident, hic ubique cæcutiunt, & in meris tenebris palpant. Et è sex lacertorum speciebus quas censet Moses Levit. 11. 29. 30. ne unum quidem satis norunt. Proinde in eorum interpretatione plures faciunt metamorphoses quam Græcorum mythologi in toto cyclo Epico. Ita צב *tsab*, qui crocodilus est terrestris, mutant in bufonem, testudinem, & testaceorum genera. אנקה *anaka*, id est stellionem, in mygalem, araneam, reptile volans, castorem & fibrum. כח *coach*, id est majorem lacertum, in chamæleontem, testudinem, limacem, sciurum, crocodilum. לטאה *letaa*, salamandræ speciem, in lataccem, murem araneum, stellionem, lacertam. חומט *chomet* seu lacertam arenariam, in limacem. תנשמת *thinsemeth* denique, id est chamæleontem, in talpam. Rursus שממית *semamith* qui vere est stellio Prov. 30. 28. ab iisdem mutatur in araneam.

Nos singula hæc animalia in veterem figuram restituere non contenti, argumentis aut plane certis, aut quæ magnam habent veri speciem; Etiam eorum naturam plenius introspeximus cum opus fuit, Arabum vestigiis insistentes, quibus illa sunt intus & in cute nota. Quia pleræque hæ pestes, à nobis ne de nomine quidem cognitæ, in eorum solo nascuntur.

Pro specimine hic proferam crocodilum terrestrem, quem Hebræi צב *tsab* vocant, & Arabes ضب *dab*, iisdem literis, sed quarum prior aliter sonat propter punctum adscriptum. De illo vix quicquam sciremus absque Medicis esset, qui cum scinco promiscue sumunt, & de stercore plura habent quam de ipso animali. Et postquam illius vires medicas observarunt, reliqua prætereunt, & securo saltu transmittunt, tanquam ad se nihil pertinentia. Quæ quantula erunt, si conferantur cum Arabum diligentia? In illis enim præter Medicos, qui multo accuratius quam Græci docent quid τοῦ *dab* seu crocodili terrestris sanguis & caro & stercus, & quomodo adhibita, prosint ad amovendas faciei maculas, lentigines, vitiligines, oculorum suffusiones & albugines, & ad visum acuendum & roborandum, Grammatici reperiuntur qui observant cur vocetur ضب *dab*, & quæ voces inde deducantur: Et varia ejusdem animalis nomina, si mas, si pinguis, si annosus, si pravæ sit indolis, si fœmina, si fœta, si catulus nuper exclusus, si maturior, si ex prima fœtura: Item nomina partium, adipis in genere, adipis circa ventrem & caudam, veretri, vulvæ, latibuli, operose congerunt. Et verba quædam propria quæ hoc animal in latibulum suum ingredi significant, aut in illud impelli, aut aquâ effusâ ex eo ejici, aut venari, aut capere, aut adipe suo spoliare. Nam singula hæc propriis efferuntur vocibus, quæque alium usum non habent.

De eodem Philosophi & naturæ consulti observant ضب *dab* in lacertorum esse genere, magno stellioni similem, quamvis capite, caudâ & trunco corporis differat. In cauda habere nodos viginti unum. Dentes continuos, qui nunquam decidant. Mari bifidum esse veretrum, & fœminæ vulvam duplicem. In siccissimis desertis semper degere. Ab aqua abhorrere. Nunquam bibere, raro mingere. Visum naturâ hebetem illi ad solem inclarescere (quod de Solari lacerta refert Epiphanius.) Vitam esse prælongam, adeoque in plura secula prorogari. Vitis radicibus vesci, & fructu spinosarum arborum. A Scorpionis morsu sanari esu herbæ quam auriculam muris appellant. Ut chœrogryllium in petrosis & arduis locis latibulum sibi deligere, & in celsa rupe aut prope arborem, quam pro indice habeat, cum ab illa procul excedit. Ac proinde ungues habere ut plurimum ex ejus effossione detritos atque obtusos. Naturalem ipsi oblivionem & ἀβλεψίαν in proverbium cedere. Ova octoginta habere, columbarum ovis similia, quæ in pulvere defossa quadragesimo die excluduntur. Catulos ut primum exclusi sunt, hinc inde discurrentes, à parentibus plusquam Cyclopicâ immanitate devorari, ita ut pauci evadant. Canum instar ad vomitum suum redire. Totâ hyeme φωλεύειν, & ex latibulo suo non excedere. Jugulatum & capite fracto & obtrito adhuc tota nocte vivere. Ita ut in ignem postridie conjectus, adhuc moveatur aliquantisper. In eodem secum antro scorpiones & serpentes in vitæ societatem admittere, qui venatorem pungant & mordeant, cum eum quæsiturus manum immittit. Sed hostes habere infensissimos τὸ *guaril*, seu stellionem majorem, & serpentem nigrum, & mustelæ genus quæ *putorius* vulgo dicitur. Quorum illi aperto marte debellant frustra obnitentem; Hæc tergo in antrum obverso fœtidissimis ventris flatibus illi tam infesta est, ut in deliquium incidens nullo negotio cædatur. Taceo fabulosa multa quæ Mahumetani Theologi, Historici & Magi de eodem animali afferunt. Ex quibus hoc saltem patet nihil apud illos esse notius.

De cæ-

De cæteris quoque ejusdem generis animalibus quædam observamus nondum vulgata. Scincum Hebraice appellari בן נפילים, *filium gigantum*, quia putatur natus è semine majoris crocodili. Arabice scilicet Gigantum nomen majoribus belluis esse commune cum hominibus quorum statura est procerior. Chamæleontem ut Hebraice תנשמת *thinsemeth* ab aspirando, ita Chaldaice dici חבינא *chabina*, quia tumet in hydropici modum. Stellionem dici אנקה *anaka* propter stridorem vocis, de quo præter Plinium etiam Arabes scribunt, & Chaldæus Paraphrastes libri Ester. Item à veneno שממית *semamith*, & Arabice سام ابرص *sammabras* tam à veneno quam à maculis instar lepræ. Ut salamandram חברבר *chabarber* à liventibus maculis quales pardi habent. Et לטאה *letaah*, quia terræ adhæret. Nam ut ضب *dabba*, unde ضب *dab*, terræ adhærere significat, ita etiam لطي *latia*, unde לטאה *letaa*. Et חומט *chomet* arenariam lacertam ab arena, quæ Hebr. est חומטון *chometon*. Arenaria enim lacerta hîc dicitur quæ non solum in arenis nascitur & perpetuo degit; Sed etiam viso homine in eas immergitur, quomodo piscis in aquam. Quorum pleraque ex Arabibus magistris didicimus. Hæc de quadrupedibus in prima parte hujus operis.

Sequitur operis altera pars sex libris comprehensa, cujus duo primi ad aves pertinent, prior ad aves mundas, posterior ad immundas. Ille à columba incipit, cujus Hebræum nomen יונה *jona*, neque à ינה *jana*, id est ab opprimendo, neque à יין *jajin*, id est vino, deducitur, ut Græcum ἰωνὰς ἀπὸ τῦ ἴου. Sed à יון *javan* seu Jonia, id est Græcia. Ubi columbas jam olim frequentes fuisse probant septem historiæ aut fabulæ vetustissimæ. Et urbes quædam in Homero πολυτρήρωνες. Et insulæ Περιςεριάδες seu *Columbaria*. Contra Theophrastus apud Plinium tradit invectitias esse in Asia columbas. Columbas igitur post diluvium primo in Græciam & vicina loca contendisse putamus, atque inde paulatim in reliquum orbem esse dispersas. Objicies columbam ab Abrahamo oblatam Gen. 15. 9. & Sacrificia in Lege ex columbis. Et columbas Semiramidis, à quibus ipsa dicta est. Et in Assyriæ regis vexillo. Et à Syris cultas ab omni ævo. Et illarum esum vetitum. Et Cuthæorum idolum fuisse columbæ imaginem in monte Garizim repertam. Respondeo ævo Mosis oblatos fuisse בני יונה, *pullos columbarum*, ut Lex diserte præcipit. Sed an Abraham idem obtulerit in quæstionem posse vocari. Solum enim obtulisse legitur תור וגוזל, *turturem & gozal*, id est pullum sive columbæ, sive turturis, palumbi, liviæ &c. Nam *gozal* eo usque potest extendi, ut diserte scribunt Arabes. Ita columbæ feræ Semiramidem aluisse traduntur. Et ipsa dicta Semiramis, id est περιςερὰ ὄρειος, *columba montana* seu fera, Hesychio interprete, quod verissimum. Additur Semiramidem esse longe recentiorem quam putat vulgus doctorum. Et Assyrios pro signo militari columbam non habuisse, sed aquilam. Et Cuthæos columbam coluisse nullo argumento probari. Neque id potuisse consistere cum Lege Mosis, quæ columbas offerri jubet, & antequam Legi adhæsissent alia habuisse idola 2. Reg. 18. 30. 31.

Ps. 68. 14. *alas columbæ* describit Psaltes *argento obductas, & pennas ejus pallore auri*. Argento obductas, id est argenti instar summe albas, quales in Græcia primum visæ, cum Xerxis copiæ in Atho monte profligatæ sunt. *Et pennas ejus pallore auri*, id est auro pallido, quod ወርቅ፡ *vvark* Æthiopice à pallore dicitur. Ex pennarum aureo colore judicatur quando turtures aptæ sint, & columbæ ad sacrificia ineptæ. Etiam in columbæ collo Soli opposito aurei & alii colores, sed solum apparentes. Quo argumento ἀκαταληψίαν adstruxerunt Arcesilas & Carneades. Pullos etiam in ovo pingi posse docetur.

Oculi columbarum Sponsæ tribuuntur Cant. 1. 15. & 4. 1. id est puri, venusti, simplices, casti. Quia columba solum conjugem respicit, neque oculos in ullum alium conjicit. At Cant. 5. 12. Sponsi oculi *ut columbarum ad decursus aquarum, lotarum in lacte, manentium ad plenitudinem*. Columbæ enim ad aquas oculos habent excitatiores, quia ad eas libentius degunt, maxime si sint *ad plenitudinem*, id est si alveum impleant, ut sint potu faciles. *Lacte lota*, id est candidæ, ac si alba fierent quæ lacte lavantur, ut Job. 9. 30. *Si lavero me aquis nivalibus*. Hebræis *ad plenitudinem* plane aliud sonat.

De columbæ gemitu agitur Es. 38. 14. *Gemebam ut columba*. Et Es. 59. 11. *Ut columba gemendo gemimus*. Et Nahum. 2. 7. ubi מנהגות, *deducentes* videtur esse pro מהגות, *gementes tanquam voce columbarum*. Tamen nihil mutandum & recepta lectio defenditur.

De volatu Es. 60. 8. *convolant ut columbæ ad fenestras suas*, id est ad columbaria sua, quo revolant citius, cum ad nidos revertuntur. Et Os. 11. 11. *Trepidabunt* (id est summa festinatione fugient) *ut avicula ex Ægypto, & ut columba ex terrâ Assyria*. Quia columbæ volatus est pernicissimus. Ideo Ps. 55. 7. alas columbæ optat David, quibus celeri fugâ se subducat ex imminenti periculo. Ibi obiter de columbis internunciis, & quot parasangas unâ die volent.

Columbæ in columbariis degunt Es. 60. 8. in fossis Jerem. 48. 28. in fissuris petræ Cant. 2. 14. imprimis in metu accipitris. Et in vallibus Ezek. 7. 16. Et in montibus, unde dicta Semiramis. Arboribus etiam insidere columbas proprie dictas ex variis scriptoribus probatur, & ex titulo Psalmi 56. qui non satis intelligitur.

Mire laudatur columbæ castitas quæ conjugii fidem non violat, communemque servat domum, nec nisi cœlebs aut vidua nidum relinquit. Quin columba nigra post cònjugis obitum vidua permanere dicitur, ac proinde apud Ægyptios symbolum fuisse mulieris quæ à secundis nuptiis abhorret. Ita habetur in Horo. Proinde Tertullianus monogamiam suam columbæ exemplo stabilire conatur. At id ipsum in turtures cur tanto consensu transtulerint patres posteriores me prorsus latet. Unde factum ut non satis intellexerint quorsum Sponsam toties Solomon columbæ suæ nomine indigitet Cant. 2. 14. & 5. 2. & 6. 8. Ita nimirum significat hanc à se unice diligi, seque illi vicissim unice charum esse, quomodo in columbis inter conjuges summus est amor, & conjugii lex firmissima.

Ad columbæ timiditatem pertinent hæc Ezek. 7. 16. *Erunt in montibus quasi columbæ omnes trepidi*. Et Os. 11. 11. *Trepidabunt sicut columba*. Quæ propter timorem illis naturalem summa loca in tectis captant. Nihil enim columbâ timidius. Unde τρήρων toties ab Homero dicitur.

Columbas & turtures ad sacrificia cæteris avibus prætulit Deus, propter puritatem, castitatem, simplicitatem, mansuetudinem, & reliquas virtutum umbras quæ in his observantur. Et turtures quidem adultos, sed columbarum nonnisi pullos offerri voluit Deus, quia turtures in matura, columbæ in tenera ætate maxime præstant. Sed nonnisi tenuiorum fuerunt hæc sacrificia Levit. 5. 7. & 12. 6. In quo numero sancta virgo Luc. 2. 24. Et jam ante Legem offerri cœpta, ut patet in Abrahamo, qui cum juvencâ, caprâ & ariete trimis, turturem & גוזל *gozal*, id est columbini generis pullum offerre jussus est Gen. 15. 9. Ut hoc sacrificium omnia sacrificiorum genera complecteretur quæ postmodum Lex constituit. Varia hic ab aliis mysteria quæri scio, sed quæ videntur longe petita. Hæc columbarum sacrificia pravâ quâdam κακοζηλίᾳ Ethnici quoque usurparunt. Quo ritu, turtures & columbas Judæi mactaverint Moses breviter docet Levit. 1. 15. 16. 17. & 5. 8. Sed Talmudici multo pluribus. Additur cur in templo, & in qua parte, & à quibus venditæ fuerint columbæ. Et cur quæstum ex eo captantes Christus è Templo pepulerit.

Noe cum ex corvo non didicisset quod scire avebat, an aquæ multum decrevissent, columbam emisit, avem homini morigeram. Et humi pasci solitam, quia est σπερμολόγος: Quæque in volatu diu perseverat, & undiquaque redit ad nidum. Proinde hanc emisit Noe. Sed columba paulo post redit, quia in terra adhuc stagnante non reperit ubi pedem tuto figeret. At eadem septiduo post rursus emissa, redit sub vesperam, olivæ ramum in ore gerens, qui nec in terra Chanaan nec in horto Edenis decerptus fuerat. Refelluntur enim Hebræi qui utrumque à diluvio eximunt. Sed ut videtur in

Assyria

Assyria montibus Ararat vicinâ, in quibus arca subsederat, & oleis valde fœcundâ 2. Reg. 8. 32. Oleam scilicet & alias arbores oleæ similes sub aquis diu servari multis probatur. Et in collibus provenire, non in celsissimis montibus. Hujus historiæ non obscura vestigia in Abydeno, Plutarcho & Arabibus reperiuntur. Sed hi pro columba palumbum hîc habent. Cujus erroris fons aperitur. Olivam ubique gentium docetur esse pacis symbolum, etiam in America. Et columbæ triplex emissio quid significet. Et extra arcam, id est extra veram Ecclesiam, nullam esse salutem. Et Noam Christi typum esse in multis. Et columbam Sancti Spiritus, qui in Baptismo Christi sub specie columbæ apparuit, non in vera columba, ut volunt nonnulli veterum. In quo Tertulliani error fuit gravissimus, sed Augustini multo levior. Turtur etiam Sancti Spiritus cur sit typus juxta Hebræos & Origenem.

A partibus animalium Græcum nomen habent herbæ plurimæ. A facie γαλίοψις. Ab oculo αἰγίλωψ & βούφθαλμος. Ab auribus μυὸς ὦτις, Hesychio uno verbo μυόσωτον. A cornibus βούκερας & αἰγόκερας. A labiis ὀνόχειλος vel ὀνοχειλής. A lingua βούγλωσσον, ἀγρόγλωσσον, κυνόγλωσσον, ὀφιόγλωσσον. A barba τραγοπώγων. A cauda ἵππουρις, ὄνουρις, ἀλώπουρος, μυόσουρος, σκορπίουρος. A testiculis κυνὸς ὄρχις. A pedibus λαγώπους, κορωνόπους, λεοντοπόδιον, λυκοπόδιον, γερανοπόδιον. Idem in usu est apud Arabes, qui pruna vocant *oculos bovis*, plantaginem *aures leporis*, aut *gazellæ* seu capreæ, colocasiam *aures elephantis*, verbascum *aures ursi*, & sic plura alia.

Sed & ab iisdem *stercus passerum* aut *columbarum* appellatur ciceris certâ species. Quidni Hebræis חריונים *chirjonim* id ipsum sint 2. Reg. 6 25. Nam vera columbarum stercora non intelligi suadet ipsa vocis compositio. Neque enim βούγλωσσον idem est quod βοὸς γλῶσσα, aut λαγώπους idem quod ποὺς λαγωοῦ. Quod hic ideo magis notandum est, quod Hebræa lingua compositiones non facile admittit. Præterea קב *kabus* non est mensura stercorum, sed granorum aut leguminum. Itaque plane necesse est tale aliquid intelligi, cum in obsessa Samaria quinque drachmis venisse legitur quarta pars cabi *chirjonim*. Sed de hoc loco jam ante egimus.

Cur voce דרור *deror* palumbum aut turturem significari putemus potius quam hirundinem supra indicavimus. Hanc porro avem, quæcunque sit, ad altare Dei nidificasse legitur Ps. 84. 4. id est in Tabernaculo, si David, aut in Templo, si quis alius loquitur post Davidem. Utrumque scilicet magnis trabibus nitebatur cedrinis & ἀρκευθίναις. In quo cedri genere palumbum nidos facere docet Theocritus Idyll. 5. Sed & liviam columbam sæpe in templis nidulari observat Turnerus post Albertum. Scio in secundo Templo à Nehemia & Esdra, & in tertio ab Herode extructo προβασκάνιον tecto Templi impositum aves ab illo arcuisse. Hebræi vocant מלה עורב, quia corvos abigebat. Sed in Solomonis Templo nihil tale describunt libri Regum & Paralipomenon. Et Hebræi negant primum illud Templum eguisse προβασκανίῳ, quia Divina majestas illud sartum tectum servabat.

Ut Romanum *turturis* nomen, ita Hebræum תור *thor*, & Græcum τρυγὼν sunt ὀνοματοποιητικά. Nempe turturis garritum imitantur, qui Græce dicitur τρυσμὸς à verbo τρύζειν. Is porro utut inconditus & auri ingratus, placet tamen, quia veris est prænuntius. Cant. 2. 11. 12. *Hyems transiit* &c. *Et vox turturis audita est in terra nostra.* Et Jerem 8. 7. *Turtur, & hirundo, & grus observarunt tempus adventus sui.* Nam ut hirundo & grus, ita etiam turtur est avis migratoria. Quod post Philosophum asserunt Varro, Cicero, & Gregorius Nyssenus. Illis autem quis non malit credere quam uni Plinio, qui turturem hyeme solum occultari scribit, pennasque amittere.

Cant. 1, 10. in Græca & Vulgata versione genæ sponsæ pulchræ sunt ut turturis. Ad quem locum veteres de castitate turturis multa habent, & de sede pudoris in genis. Quæ vere quidem, sed præter rem afferuntur, cum turtur non habeat genas, & Hebræa aliter sonent. Sed Ps. 74. 19. Ecclesia merito vocatur turtur, cum turtur nonnisi unum conjugem admittat. At illo mortuo dubitatur an vidua permaneat, ut tradunt plerique Patrum. Neque opus est eo usque descendere. Cum constet turturem vivo conjuge cum altero non commisceri. Ad quod exemplum Ecclesia si se conformaverit, alios Deos nunquam colet, quia Deus quem colit semper vivus est.

Supra monuimus סיס *sis* esse hirundinem non gruem, & עגור *agor* gruem non hirundinem, contra quam statuunt novi interpretes. Ezekias in morbo dicit se ut hirundinem pipivisse Es. 38. 14. quia vox hirundinis videtur habere aliquid querulum & luctuosum, quod uno ore clamant Græci & Romani poetæ. Tamen vere negat Plato eam præ mœrore sic canere. Proinde Proclus ferre non potest ut hirundo ab Hesiodo vocetur ὀρθογόη, *mane gemens.* Et legi vult ὀρθοβόη, *mane clamans*, ne à Platone videatur dissentire. Et respondet Tzetzes hirundini luctuosum gemitum non aliâ de causâ tribui quam propter fabulam de Pandionis filia. At Pausanias rectius statuit fabulam de Pandionis filiarum unâ in lusciniam, alterâ in hirundinem mutatâ, ex eo esse natam, quod avis utraque videtur miserabiles & lugubres cantus edere. Itaque in Hesiodo nihil mutandum. Neque hirundo recte diceretur ὀρθοβόη, cum non sit avis clamosa, sed ψιθυρίζουσα, *minuriens.*

Hirundo observare legitur tempus adventus sui Jerem. 8. 7. quia è migratoriis avibus una est. Abit hybernis mensibus, & redit circa Calendas Martias cum primo Favonio, qui Chelidonias inde dicitur. Quo eodem nomine piscis Borealis appellatur, & cum hirundinis capite à Græcis pingebatur, quia illo ipso tempore exoritur, & veris initium ortu suo significat. Ut Chelidonistæ vocati sunt qui veris & hirundinis reditum ostiatim canebant. Quo pertinent veterum Proverbia, *nova hirundo*, & *una hirundo non facit ver.* Abeunt Arcturo oriente circa Autumni æquinoctium post moram sex mensium. Trans maria in Africam volant. Æthiopicæ hirundines inde non migrant. Apud eas agmen deserere est grande nefas & morte piandum. Et manentibus à frigore periculum est. Manent tamen quædam in apricis locis, maxime si migrationis locus sit remotior. Hyeme nudæ & implumes sunt. Hinc illis Eutropii, Eunuchi jam effœti, depile caput confert Claudianus.

Tob. 2. 11. τὰ στρουθία, *avicula* in Tobiæ oculos stercus egessisse leguntur, quod ad hirundines pertinere recte vidit Hieronymus. Quibus id peculiare est quod pullorum stercora aut ipsa mater ex nido ejicit, cum parvuli sunt, aut eos docet ex nido egerere, cum sunt grandiusculi. Id ex Philosopho habet Plinius, & ex utroque Arabes. Et celebre est Gorgiæ dictum, cum idem illi accidisset quod Tobiæ.

Es. 38. 14. Ezekias in morbo ejulans cum grue confertur, qua nulla avis est vocalior. Notandum plerasque linguas ipso avis nomine vocem ejus utcunque imitari. Sed ne putetur semper sonorâ voce clangere, Arabes illam demissâ voce solum murmurare monent, cum est in custodia.

De gruum migratione agitur Jerem. 8. 7. Ex ultimis in ultima terrarum migrant, id est ex Scythia in intimam Æthiopiam ad Nili fontes. In Thracia quæ nascuntur, inde discessuræ ad Hebrum fluvium conveniunt. Scythicæ Pontum transvolant, inter Criu Metopon & Carambin, ubi est angustissimus. Trajecturæ saburrâ stabiliuntur, & lapillos pedibus vel ore ferunt, aut etiam vorant. Mira est inter profecturas concordia. Ab illis congruere dictum, & ingruere. Alte volant quatuor de causis, & agmine in trianguli formam, cujus basim impellat ventus. Literas quasdam volatu suo imitantur. Noto flante vel aquila visa turbatur ordo. Duces in primo agmine, οὐραγοὶ in extremo, plebs in medio. Additur quomodo inter volandum se mutuo juvent, & in quo situ dormiant. Ducibus interim per vices vigilantibus, qui lapidem pede ferunt, cujus casu excitentur, si forte somnus obrepat. Et de Pygmæorum cum gruibus pugna quid referant Arabes. Mæmacterione mense migrant, id est medio autumno. Vere & æstate redeunt. A Jeremia & aliis proponuntur in exemplum prudentiæ. Quæritur cur in avibus mundis grus sit potius quam ciconia. Voce עגור *agor* gruem significari vidit Chaldæus, sed reddidit ordine præpostero, quod fefellit recentiores. Reliqui veterum prorsus

ignora-

ignorarunt quid esset עגור *agor*. Inde Arabice عجر *agiara* est ad suos gruum instar postliminio reverti. Et Persarum ἄγγαρα indidem dicti.

Magno errore, ut jam dictum est, קרא *kore* creditur esse perdix, cum sit genus gallinaginis, columbâ minor, dorso viridis, brevi pede, rostro prælongo, grata Arabibus, quia est boni ominis, & pluviæ prænuntia, de cætero non magnæ rei. Proinde *David* de se ipso dicit κατ' ἐξουθένησιν 1. Sam. 26. 20. *Egressus est Rex Israelis ad quærendum pulicem unum, ac si quis persequeretur avem kore in montibus.* Ex quo ipso apparet de perdice non agi, sed de ave minoris pretii, & in cujus aucupio male operam insumat auceps.

De eadem ave dicitur Jerem. 17. 11. *kore collegit & non peperit.* Id est aliena collegit ova, & à se non parta, quæ umbra sua foveret. Unde constat hanc avem ex illarum esse numero quæ alienis ovis incubant. Quod à Philosopho & Græcorum aliis non observari nemo miretur, cum ipsam avem non descripserint. Gallinaginis enim est species à nostra non parum diversa. Oleum igitur & operam perdunt qui veterum consensu freti, ad perdicem hæc referunt, cui nihil tale tribuitur ab iis qui naturam ejus plenius introspexerunt.

Sed ad perdicem vere pertinent hæc Sirach. 11. 31. *Ut perdix venator in cavea* (Græce πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ) *ita cor superbi, qui ut speculator observat casum.* Quæ hominem superbum altero in ruinam impulso, in illum insultare significant, ut perdicem venatorem in sui generis aves, quas in laqueum induxit. Ibi enim πέρδιξ θηρευτὴς est perdix cicur qui feros perdices suis artibus in caveam aut laqueos allicit. De qua venatione consulendi sunt Aristoteles, Athenæus, Plinius, Ælianus, Theodoretus, Eustathius Antiochenus: Et ex Arabibus Damir, ut taceam recentiores.

Coturnicum miraculum refertur Exod. 16. 13. Num. 11. 31. Ps. 78. 26. & 105. 40. Sap. 16. 2. & 19. 12. Nomen Hebræum שלו *selau* factum videtur ἀπὸ τῆς εὐθηνίας, Arabicum سماني *summa* à pinguedine, Æthiopicum ፍርፍርት፡ *phorphorath* à deliciis, nomine generis ad speciem translato. Nam apud Talmudicos פרפרות *parperoth* aut *pharphe-roth* sunt cupediæ quævis ex minutis avibus &c. Græci reddunt ὀρτυγομήτραν, quam à coturnice distinguunt Aristoteles, Alexander Myndius & Augustinus in Exodum. Hesychio tamen ortygometra nihil quicquam est quam ὄρτυξ ὑπερμεγέθης, *coturnix prægmagna*, quod verissimum. Talmudicis quatuor sunt coturnicum species 1. שכלי *sicli*, συκαλὶς ficedula. 2. קיכלי *kichli*, κίχλη turdus. 3. פסיוני *phisjoni*, phasianus. 4. שלו *selau*, vera coturnix. Quod est ineptissimum, cum hæ quatuor aves nihil inter se commune habeant, nisi quod omnes palato mire placent.

Coturnices Israelitis Deus dedit semel in deserto Sin una cum Manna Exod. 16. 13. Et rursus in Kibroth Thaava, cum populus Mannam fastidiisset Num. 11, 6. 31. Et Moses, qui prius miraculum viderat, tamen de isto dubitavit. Ut cum petram iterum percutere jussus est, ut aquas ex ea eliceret. Refelluntur communibus Medicorum suffragiis qui coturnices ideo negant cibum esse salubrem, quod venenis vescantur. Et explicatur fabula vetus de Hercule à Typhone interempto, & nidore coturnicis in vitam revocato. E mari venisse leguntur Num. 11. 31. Non quod in mari natæ fuissent, ut Arabibus placet, sed quod eo trajecto venerunt in castra Israelitarum. Quod ad eas advehendas Deus Eurum excitasse legitur Ps. 78. 26. non videbitur posse stare, cum Ægyptus unde venerunt coturnices, sit ad occasum Arabiæ, ubi tum erant Judæi. Sed multis probatur Eurum ibi pro Austro sumi. Solvitur quod objiciunt Austro flante non volare coturnices. Docetur qui sint venti Ornithiæ, & unde spirent, & coturnices aves esse migratorias, & ex Ægypto venisse quo tempore migrare solent. Hoc etiam exquiritur, quantâ copiâ venerint? David ut pulverem & arenam, id est affatim pluisse dicit Ps. 78. 26. Hujusmodi pluviarum exempla proferuntur. Ex Mose probatur nubes coturnicum patuisse plus XLM. passuum, & duobus cubitis supra terram eminuisse, quod tribus modis explicatur. Nec singulos collegisse decem coros, ut vulgo reddunt, sed decem acervos, id est plures. Et coturnicum in Græcia & Italia magnam esse copiam; sed in Libya & Ægypto longe maximam, ubi *chennia*, coturnicum species, sale condiuntur. Nec eo sensu quo creditur *novam creaturam* vocari Sap. 19. 11. Et atrocem pœnam iis à Deo juste fuisse inflictam, quos paverat coturnicibus, cum gravissime peccaverint. Quod in Talmude habetur de Diis pavonum, phasianorum aut coturnicum specie cultis, esse valde dubium.

Sequuntur Prophetarum loca duodecim quæ ad gallos referunt nonnulli interpretes conjecturis parum certis. I. ὀρνίθια δύο quæ leprosus jubetur offerre Levit. 14. 4. Origenes & alius sub Hieronymi nomine, volunt esse gallinas duas, cum sint aviculæ duæ. II. ברברים *barburim* in mensa Solomonis 1. Reg. 4. 23. Hebræorum nonnulli gallos, capones, aut gallinas altiles interpretantur. Nos suo loco multo aliter. III. *Succoth-benoth* Hebræis est gallina cum pullis suis, & *Nergal* gallus, 2. Reg. 17. 30. Quin *Succoth-benoth* sunt sacella puellarum seu Dearum hujus nominis. Et *Nergal* palmæ species, à qua Deus dici potuit, ut *Dagon* à frumento, & *Rimmon* à malis Punicis. IV. Pro verbis Job. 3. 7. de nocte in qua Job natus est. *Ne veniat* רננה *cantus in ea* Chaldæus habet perabsurde, *Ne veniat cantus galli sylvestris*, de quo Hebræi multa garriunt. V. Hebræa *An deduces* עיש *feretrum cum filiis suis* Job. 38. 39. quæ ad sidus Ursæ pertinent, Chaldæus reddit, *An gallinam cum pullis suis deduces?* de gallina cœlesti intelligens, quæ Græcis Πλειάς. VI. *Quis dedit* לשכוי *cordi intelligentiam?* Job. 38. 36. Hieronymus *Quis dedit gallo* &c. ex Hebræorum lacunis. VII. *Ala* רננים *struthionum exultat* Job. 39. 13. pro quo Chaldæus, *Ala galli qui laudat & celebrat.* VIII. Hebr. זיז & ζιζ, id est, *Et fera agri mecum est.* Chald. *Et gallus sylvestris, qui capite attingit cœlos.* IX. Rursus Hebr. זיז & ζιζ, seu *fera agri pascetur ex ea* Psal. 80. 14. Chald. *Et gallus agri.* X. זרזיר מתנים *zarzir mothnajim*, id est *accinctus lumbis* Prov. 30. 31. nobis est equus, sed Græcis, Syro, Chaldæo, & Arabi, *gallus inter fœminas superbe incedens.* XI. *Exsurgetur ad avis vocem* Eccles. 12. 4. alii de gallicinio, alii de matutinis avicularum cantibus intelligunt. XII. *Dominus deportabit te deportatione, ô vir* Es. 22. 17. Alii male *deportatione viri.* Alii pejus *deportatione galli.* Quasi גבר *geber* sit gallus. Quale est quod Esjongaber paraphrastis est *arx galli.* Ibi obiter quomodo Balaam sit gallus. Et cur Hebræi gallum offerant festo expiationis.

Gallicinium est duplex, unum mediâ nocte, alterum medio tempore inter mediam noctem & mane, de quo Marc. 13. 35. Secundum gallicinium vocant Aristophanes, Juvenalis, Heliodorus, Ammianus, Synesius, & vetus Adagium, Πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρύων ἐφθέγξατο, id est summo mane. Sed hoc idem gallicinium plerique simpliciter gallicinium appellant, aut quia tum galli acrius & alacrius canunt, aut quia posterior ille cantus hominibus utilior est, cum ad diurnos labores eos excitet. Aut denique quia prioris gallicinii tempus alio nomine vocatur μεσονύκτιον. Cum igitur eadem pars noctis modo appelletur secundum gallicinium, modo gallicinium simpliciter. Marci verba cap. 14. v. 72. Πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, & idem significant quod Matth. 26. 34. Πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, & ad idem tempus referuntur. Quâ ratione facile conciliamus loca in speciem ἐναντιοφανῆ, de tempore quo Petrus Christum abnegavit. Ibidem solvimus objectiones. Et in galli cantu observamus duo mirabilia. Unum quod tantulum animal tam contentâ voce canit, ut noctu audiatur ad mille passus & amplius. Alterum quod statis horis canit, atque illo ipso tempore quo reliquæ aves somno indulgent.

In verba Christi quibus Jerusalem ita compellat Matth. 23. 37. & Luc. 13. 34. *Quoties volui congregare filios tuos, quomodo congregat* ὄρνις *gallina pullos suos sub alas, & noluisti?* Probatur voce ὄρνις non avem in genere, sed gallinam significari: Et jam inde à Platonis & Aristophanis ævo sic usurpari cœpisse. Et peculiare esse gallinæ quod non solum ovis incubat ut reliquæ aves, sed & pullos jam editos congregat sub alis suis, ut materno calore foveat. Unde est quod Arabes gallinam vocant *matrem congregationis.* Hujus gallinæ φιλοστοργίας illustre exemplum affertur ex Alphæo Mitylenæo. Nec

minus

minus insignis est ejusdem descriptio in Plutarcho & Augustino. In Euripide denique Megara pullos suos, id est liberos quos ex Hercule pepererat, se sub alis servare dicit, ut gallinam incubantem.

In cibis Solomonis censentur ברברים אבוסים *barburim abusim*. Et voce אבוסים *abusim* illa animalia significari quæ ad præsepe saginantur nemo nescit. Sed de voce ברברים *barburim* major est contentio. Alii enim ea intelligunt quæ aluntur בבברים *bebibarim* id est in vivariis, quæ vox cum Romana sit, & Solomonis ævo multis sæculis recentior, *barburim* inde dici non potuisse planum est. Alius *barburim* sunt volucres in genere, quasi אברברים *eberberim* geminatis radicalibus, quia אבר *eber* est ala. Alius *barburim* est pro *barbarim*, & sonat aves è Barbariâ allatas, nempe Troglodyticâ, in qua meleagrides præter Agatharchidem describunt Diodorus & Artemidorus apud Strabonem. Nobis ut à חרר *charar* ardere חרחור *charchur* est summus ardor, sic à ברר *barar* eligere ברבור *barbur* dicitur quod maxime electum est. Itaque *barburim* in cibariis sunt electissima quæque. Eaque in pecudibus potius quam in avibus, quod docet adjunctum אבוסים *abusim*. Eo enim proprie significantur quæ ad præsepe saginata sunt. Quomodo in Scriptura non saginantur nisi pecudes. Huic loco parallelus est alius Nehem. 5. 18.

1. Reg. 10. 22. & 2. Paral. 9. 21. pavonès תכיים *thucijim* pro כותיים *cuthijim* per inversionem dicti sunt. Quomodo *Algumim* pro *Almugim*, *Timnath serach* pro *Timnath cheres*, *Samias* pro *Salmas* &c. Pavones autem vere כותיים *cuthijim*, id est Cuthæos vocari potuisse planum est, cum ex terra Cuth, id est ex Perside advecti sint. Quamvis enim pavonum veri natales sint in India, tamen quia ex India primo in Persidem & Mediam, & inde in Judæam, Ægyptum, Græciam, Italiam atque alias orbis partes transvecti & dispersi sunt, Persici & Medici potuerunt jure vocari. Et vero Græci scriptores utroque nomine passim appellant, ut ex Aristophane, Clemente, & Suida probamus. Sequuntur ejus descriptiones ex Tertulliano & Arabibus. Et observatur tempus quo primum Athenis visi sunt. Et quam immane horum pretium fuerit in Græcia & Romæ. Quamvis caro parum sapiat & mali succi sit: Et à pavone Arabes abhorreant, tanquam ab ave mali ominis, & cujus sanguine vitis à diabolo aspersa fuerit.

Novi interpretes voce רננים *renanim* pavones intelligunt Job. 39. 16. Et Chaldæus voce הבנים *hobnim* Ezek. 27. 15. Sed utrique magno errore. Cum in Jobo *renanim* sint struthiones ut pluribus docebitur. Et *hobnim* in Ezekiele ebenus. Proinde à Propheta ebori jungitur, quia ebur in multis refert. Et æque pretiosus est. Et ex iisdem affertur locis. Et in eosdem usus adhibetur. Plurali numero Hebraice הבנים *hobnim* dicuntur, ut שטים *sittim*, & אלמוגים *almugim*, & reliqua pretiosa ligna. Refelluntur qui alio referunt hæc pluralia. Apud Arabes lignum *sasem* est ebenino simile, ut in Dioscoride & Arriano τὰ σησάμινα ξύλα, quæ vera & certa est lectio, & perperam sollicitatur.

Ut צפר *tsephar* mane significat, ita צפור *tsippor* avis dicta est, quia illi solenne est summo mane surgere, cum feræ tum altum dormiant, postquam noctem duxerunt insomnem Ps. 104. 20. Merceri & aliorum error est vocem צפור *tsippor* nonnisi minutiores aves significare, cum ad omnes palam extendatur Deut. 4. 17. & 14. 11. Psal. 8. 9. & 148. 10. Ezek. 39. 4. Dan. 4. 12. 21. 33. &c. Tamen pro passere videtur usurpari Ps. 84. 4. ut passim apud paraphrastas. Ita στρουθὸς & *passer* sunt voces ambiguæ. Nam struthio quoque στρουθὸς vocatur & passer marinus.

Apud Arabes in passerum specie sunt hirundo, carduelis, corydalus, philomela, alauda, picus &c. Passerem domesticum egregie describit Damir. צפצף *tsiphtseph* garrire & pipire est more avicularum Es. 8. 20. & 29. 4. Græce τρίζειν & στρουθίζειν dixeris.

Singulari capite examini subjiciuntur loca novem, in quibus voce צפור *tsippor* passerem intelligunt interpretes celeberrimi, cum uno aut altero exceptis, ad aves in genere illa pertinere palam sit.

Matth. 10. 29. dicit Christus duos passeres assario vendi, nec tamen eorum ullum in terram cadere sine Deo, & Luc. 12. 6. quinque passeres duobus assariis venire, nec tamen eorum ullum in oblivione esse apud Deum. Itaque singuli passeres semisse vendebantur, aut paulo minus. Assarium enim idem est quòd as. Et nostræ monetæ valuit quatuor denariolos, Hispanicæ tres *maravedis*. Proinde passim in scriptis veterum pro vilissimis habentur, quæcunque asse veneunt. In Aristophanis avibus septem fringilli venduntur uno obolo, id est duobus assariis quæ in Luca sunt pretium quinque passerum. Fringillus autem avicula est passeri similis. Passerem in oblivione esse coram Deo, Lucæ phrasis est petita ex Psal. 9. 19. Quod negat Hieronymus Deum minutula hæc nosse, durius videri poterit, nisi benignâ interpretatione molliatur. Nam Dei providentiam ad minima quæque extendi variis probatur rationibus ex Scriptura petitis. Neque Talmudicos solum, sed & Græcorum Philosophos id diserte docuisse. Hæc fere tractantur libro primo secundæ partis.

Agitur in secundo de Avibus ex Lege Mosis immundis, quas proponimus eodem ordine quo Moses Levit. 11. 13. & Deut. 14. 2. Prima omnium est aquila, quam pro rege avium habent Græci, Romani, Ægyptii, Arabes, Hebræi, Patres. Aquilæ Hebræum nomen est נשר *nesher*. Cujus falsas origines rejicimus, & veram aperimus. Ejusdem rostrum, & ungues, plumas quoque describimus, ex Ezek. 17. 3. ubi agitur de aquila *plena* aut *multa plumis*. Quibus aquilæ calvitium opponitur, id est pennarum defluvium Mich. 1. 6. Id Græce hodie μαδοῦσαι, olim μαδίζειν, πτερορρυεῖν & ἀποβάλλειν τὰ πτερὰ dicebatur, ut Arabice *curiza*. At Ps. 103. 5 aquila renovari dicitur, cum pennæ renascuntur. Et Es. 40. 31. *Ascendent penna sicut aquilarum*, Græce πτεροφυήσουσιν. Et Daniel. 4. 33. *Pili ipsius ut aquilarum creverunt*, male Græca versio ὡς λεόντων, pro ὡς ἀετῶν. Quod imputandum scribis, qui non putarunt pilos aquilæ convenire. Sed futili scrupulo, ut pluribus probamus. His junge Jobi locum de accipitre, cap. 39. v. 29. *Nunquid ex intelligentia tua plumescet accipiter, alis ad Austrum expansis?* Sequuntur veterum fabulæ de aquilæ renovatione. Aquilis nonnullis a colore nomen est. In his asteriæ, quæ describitur in Ezekiele ubi supra. Sed quod alius nemo dixit, Syrus interpres Apoc. 8. 13. aquilæ caudam tribuit sanguineam errore perridiculo, cujus fontes aperiuntur.

Aquila magnas alas habet Ezek. 17. 3. in Homero januæ pares, in Gesnero extensas ad septem ulnas. His rapidissime fertur, & summo cum impetu, maxime cum in prædam ruit. Proinde Aquilo ab aquila nomen habet, & ἀετὸς ab עיט *ajit*, quod rursus factum ab העיט, id est ab irruendo & involando. Inde Deut. 28. 49. furiosis hostibus, quos in pœnam immittit Deus, tribuitur ὅρμημα ἀετοῦ, *impetus aquilæ*. Et loci similes in Prophetis passim occurrunt. Sic quia constanter volat aquila, & in loca remotissima, aquilæ alas Scriptura iis accommodat qui procul amoventur: Ut Apoc. 12. 14. & Ps. 139. 9. in Syro, Arabe & Æthiope, ubi tamen Hebræi *alas aquilæ* non habent, sed *Auroræ*. Et Prov. 23. 5. fluxæ opes aquilæ alas assumunt, quibus in cœlum avolent, quia velocissime elabuntur, & procul à te amandantur, nec sunt amplius tui juris. Et Job. 9. 26. vir sanctus conqueritur, quod dies sui *præterierint ut naves Ebe, & ut aquila volat ad escam*. Non solum quia par est utrobique celeritas. Sed & quia temporis semel elapsi nihil remanet, ut aquila in aere & navis in mari nullum sui vestigium relinquunt, quod observat Solomon Prov. 30. 19. Ex Hebræorum sententia aquila una hora conficit CXXM passuum. Neque ulla est avium quæ sublimius se efferat. Proinde usque ad ignem elementarem efferri, & ad radios Solis exuri, & Cæsarum animas è rogo in cœlum usque vehere, & in ipso Jovis sinu quiescere & nidulari credebatur.

Job. 39. 31. 32. aquila *in petra habitat & in prærupto scopulo* tanquam *in arce degit. Unde rimatur cibum oculis procul intuentibus*. Duæ scilicet causæ sunt cur in ardua hæc loca se conferat, quæque homini sunt impervia & inaccessa. Una ut ibi tutius degat: Altera ut inde cuncta despiciat. Aquilâ enim nullum est animal perspicacius. Itaque nomen illi est ab

acumine

acumine visus. Et sola intuetur Solem inconniventibus oculis. Sequitur v. 33. *Pulli ejus sorbent sanguinem*, eumque solum. Nam à potu aquæ prorsus abstinent. Et *ubi sunt confossi, ibi est*. Confossi, id est confossorum vel occisorum cadavera. Itaque ad hunc locum alludunt Christi verba Matth. 24. 28. *Ubicunque est cadaver, ibi congregantur aquilæ.* Sed cadaveris oculis maxime inhiant, Prov. 30. 17. Quod proprie ad percnopterum seu gypætum pertinet, aquilæ genus vulturinâ specie, quodque vulturum generi multi adscribunt. Alioqui enim aquila cadavera non attingit.

Aquilæ affectum erga pullos suos esse tenerrimum indicant hæc verba Mosis Deut. 32. 11. *Ut aquila excitat nidum suum, & super pullos suos volitat extensis alis, & eos acceptos gestat super pennas suas.* Cujus loci prima verba, *excitat nidum suum*, explicantur per sequentia, *super pullos suos volitat extensis alis*, nempe ut eos ad volatum provocet. Ergo *nidum suum*, id est pullos suos, quos exemplo suo excitat, alas motitans & extendens. Utitur voce רחף *rachaph* quæ ad motum alarum proprie pertinet. Hinc in historia creationis Dei Spiritus describitur מרחפת *merachepheth*, motitans se quasi alis super aquas. Et tam Hebræis quam Arabibus רפרף *raphraph* id ipsum est, elisâ gutturali, & geminatis radicalibus. *Pullos suos* dicit plurali numero. Quamvis enim in aquilæ nido plerumque sint singuli, tamen quandoque plures adeoque septem traduntur esse reperti. Ibi obiter edisseritur quâ ratione aquila pullos alis aut humeris suis gestet. Mosi ex Philosopho objicitur aquilam esse ἄστοργον, & pullos suos ante tempus è nido ejicere, quos ossifraga suscipit. Sed in Æliano, Oppiano & Hieronymo leguntur contraria omnia. Et ipsa pæne Mosis verba citat Suidas ex Philostrato. Nec nisi pullorum unum, eumque tanquam alienum aquila ejicit, aut quia non potest alere. Quid quod etiam in aquilarum specie est ossifraga, quæ non solum proprios pullos, sed & alienos alit.

Propter mirabiles dotes quas in aquila descripsimus, quicquid in cœlo sublime est, aut in terris maxime eximium, Deus Angeli, fideles, imperia & maximi Reges cum aquilis conferri videas. Sic Exod. 19. 14. Deus Israelitas ex Ægypto exeuntes sustulisse se dicit *super alas aquilarum*. Plerique interpretes hic habent *tanquam super alas aquilarum*. Sed illud *tanquam* suppressit Deus, ut similitudo esset expressior, atque animum feriret magis. Hujus afferuntur veræ rationes, & falsæ rejiciuntur. Quod Deus amavit Jacobum, & Esavum odio habuit, ad aquilam multi referunt, quæ è duobus pullis unum alit, alterum rejicit. Ut aquila clangore pullos, ita Deus Israelitas verbo suo excitavit, super eos Spiritu suo se motitavit, providentiæ alas expandit, & iisdem alis populum suum in deserto gestavit Deut. 32. 11. Ibidem observatur Deum in Lege cum aquila, sed in Evangelio cum gallina conferri, & sic adumbrari diversam administrationem sub utroque Testamento.

Angelos quoque per aquilas significari docet quatuor animalium descriptio Ezek. 1. 10. & Apoc. 4. 7. Hinc Apoc. 8. 13. ubi dicit Joannes se unum Angelum vidisse in medio cœlo volantem, quædam exemplaria optimæ notæ pro Angelo aquilam habent, ἑνὸς ἀετοῦ pro ἑνὸς ἀγγέλου, ut Angelum illum sciamus habuisse aquilæ speciem, quæ Angelo maxime convenit, propter velocitatem, robur, longævitatem, τὸ ὀξυδερκές, τὸ ὑψιπετές, & quicquid aliud cum aquila commune habet natura Angelica.

Etiam aquilarum nomine fideles significantur in Christi verbis: *Ubi cadaver, ibi congregantur aquilæ.* Nec frustra aquilæ vocantur qui aggregantur Christo. Nemo enim cum Christo in unum coalescit, qui non ejus carne & sanguine vere vescatur, quamvis modo Spirituali. Proinde Hieronymus per πτῶμα seu cadaver passionem Christi vult intelligi. Et Chrysostomus Christi corpus πτῶμα vocari dicit propter mortem, & ad Eucharisticam cum Christo communionem hæc transferens, vult ut ad hoc corpus accessuri, tanquam spirituales aquilæ ad alta contendamus, & nihil cum terra commune habeamus.

Ezek. 17. Babylonis & Ægypti Reges cum aquilis conferuntur, quia cum impetu in prædam objectam ruebant, & magnâ celeritate bella conficiebant. Sed Babylonio pennæ longiores attribuuntur, & plurium colorum, quia ditio illi fuit major, & in plures populos. Quæ eadem metaphora in aliis Prophetis frequens. Sic de Assyrio dicitur Jerem. 48. 40. *Ut aquila involabit.* Et 49. 22. *Ascendet ut aquila, involabit, extendet alas suas.* Et Dan. 7. 4. prima bestia, quæ Babylonicum imperium adumbrabat, alas habebat aquilæ. Et ad Nebucadnetsarem hæc pertinent Os. 8. 1. *Quasi aquila involat super domum Dei.* Ad quæ Prophetarum loca notandum est Persicos Reges aquilam auream pennis extensis pro regali signo habuisse. Neque vero est absimile etiam Assyriæ Regibus hoc idem fuisse signum, & eo Scripturam alludere, quoties aquilarum nomine illos designat.

Nec solum Reges, sed & ipsa gens (Chaldæi inquam & Assyrii qui Nebucadnetsare duce Judæam devastarunt) instar aquilarum fuit ad escam properantium Jerem. 4. 13. Thren. 4. 19. Hab. 1. 8. Itaque ad eandem pertinent minæ Legis de gente remota, quæ ab extremis terrarum finibus sicut aquila in Judæos involabit Deut. 28. 40. Et falluntur Cabalistæ qui ad Alexandrum hæc referunt joculari de causa. Quomodo aquilinæ illæ pennæ post mortem Nebucadnetsaris paulatim avulsæ fuerint disce ex Dan. 7. 4.

In immundarum avium censu post genuinam aquilam, secunda sequitur פרס *peres*, id est aquila ossifraga, ut ipsum nomen indicat. Nam פרס aut פרש cum *sin semol* est ossa frangere Mich. 3. 3. Tertia est עזניה *oznija*, id est aquila valeria, cujus tam Hebræum quam Romanum nomen est à viribus deductum. Græce ossifraga φήνη dicitur, & valeria μελαναίετος, quæ Homero & Aristoteli est avium robustissima. Quarta ראה *raa* vel דאה *daa* potius milvus est, Hebraice sic dictus ab eximio volatu. Et Arabice حداة *hida*, voce quæ palam ad Hebræam alludit. Quinta איה *aja* minoris accipitris species à sono vocis ita vocata, ut Arab. يويو *juju*, quia vox ejus iisdem est يايا *jaja*, Germanice smirle dicitur, Gallice *esmerillon*, & Græce ut putatur αἰσάλων. Sexta דיה *daja* vultur niger à colore sic nominatus. Quarum avium satis habuimus nomina interpretari, quia de plerisque Scriptura præter nudum nomen nihil habet.

Tantum quia Job commendat oculum τοῦ איה *aja* cap. 28. v. 7. à nobis citatur poeta Arabs anonymus, cujus Arabica verba sic sonant: *Juju celer & pernix, cujus oculi vere suaves, & pupillæ tanquam torno expolitæ plusquam sapphirus.* Et Poeta alius Abu Navvas nomine, cujus Arabicos versus de hac eadem ave in libro de aucupiis sic reddimus pæne ad verbum.

> *Cassius, atque oculis nunquam fallentibus usus:*
> *Et quæ venator non videt, ille videt.*

Rursus Es. 34. 15. *Ibi* דיות *dajoth inter se convenerunt*, cum voce *dajoth* rapacium avium speciem aliquam significari in confesso sit, de vulturibus agi colligo, quia ut vere asserit Gesnerus, soli vultures τῶν γαμψωνύχων gregatim degunt, ita ut aliquando in uno grege quinquaginta se in Ægypto observasse scribat Bellonius. Itaque magnos exercitus solent turmatim sequi. Et vultures duodecim à Romulo visi sunt, tum cum Romam condidit. Unde collegit Vectius augur Romano imperio post exacta totidem sæcula finem fore. Neque defuit eventus huic vaticinio. Cæsari quoque & Augusto totidem apparuere vultures, veluti Romuli auspiciis novam urbem condituris. Frustra objeceris etiam aquilas ad cadaver congregari Matth. 24. 28. & Luc. 17. 37. Jam enim notavimus eo loco non agi de genuinis aquilis, sed de percnopteris aut gypætis, quæ sunt aquilæ degeneres, & vulturinâ specie: Et ex aquilæ cum vulture coitu putantur ortæ.

Avis Sexta corvus est. Is duo habet quæ in sensus maxime incurrunt, crocitationem & nigredinem. Ab illa Syriace ܢܥܒ *neab* dicitur, Æthiopice ቋዕ: *Koe*, & Græca κόραξ & κρώζω, Romana *crocire* & *crocitare* indidem nata sunt. Ab hac

hac Hebræum עורב *oreb* & Arabicum غراب *gorab.* Nam ערב *ereb* Hebr. vespera & ערב *arab* advesperascere & obtenebrescere est. Tamen albi corvi visi sunt. Et color coracinus aliquid habet luminis, contra quam pullus. Et corvina nigredo in capillis laudatur Cant. 5. 11. Ubi sub Solomonis typo Christus ipse significatur. Cujus ibi nigræ sunt comæ ut corvus, alibi canæ, sed diverso respectu. Corvi nigredo Arabice propriâ voce dicitur. Corvus amat solitudines. Proinde ἐκκορακίζειν Hesychio est εἰς ἔρημον πέμπειν, & alicui imprecari ut in solitudinem relegetur. Es. 34. 11. corvus in desertis degit. Ita etiam Sophon. 2. 14. juxta Græcos. Sed Hebr. aliter. *Oculum qui subsannat patrem*, inquit Solomon, *eruant corvi vallis*: Vallis scilicet quæ Jerem. 31. 49. vocatur *vallis cadaverum*, eo quod damnatorum cadavera in illam conjecta corvos undecunque allicerent. Eandem Es. 15. 7. dici putarem נחל הערבים, *vallem corvorum*, nisi per Masorethas staret, qui legunt *vallem salicum*. Utut sit cum minatur Solomon fore ut oculum qui subsannat patrem eruant corvi vallis, vult reum tanti criminis, infami supplicio affectum, in vallem cadaverum conjiciendum, ut à corvis ibi absumatur. Et oculorum meminit, quia oculos corvi maxime appetunt, neque cadaverum solum sed & vivorum hominum, boum item atque ovium, quod tradunt multi scriptores. Sed *corvus corvi oculum non eruit*, ut Proverbio dicitur. Sacris scriptoribus docetur ἐκκορακίζειν aliud esse quam supra. Et quæ sint corvi species juxta Arabes. Et *Oreb* esse nomen hominis, ut Græce Κόραξ, unde *Petra Oreb* Jud. 7. ut Homero Κόρακος πέτρη.

Corvis speciali curâ Deum prospicere Prophetæ docent Job. 39. 3. *Quis corvo præparat escam suam, cum pulli ejus ad Deum clamant, errantes inopiâ cibi?* Et Psal. 147. 9. *Qui dat jumentis escam suam, & pullis corvorum qui clamant.* Et Christus ipse Luc. 12. 24. *Considerate corvos, qui neque serunt, neque metunt, neque cellam, neque horreum habent, & tamen Deus alit illos.* Refelluntur Hilarius, Augustinus & alius sub Hieronymi nomine, qui negant hæc ad literam posse sumi. Illis videtur maxime alienum quod Psal. 147. pulli corvorum dicuntur Deum invocare; Sed in textu Hebræo solum habetur clamare pullos corvorum. Diserte tamen in Jobo leguntur ad Deum clamare. Sed quo sensu de leonibus idem dicitur Psal. 105. 11. Et de reliquis animalibus Psal. 145. 15. & Joel. 1. 20. Quia clamor à necessitate extortus petitionem imitatur, ut ait Theodoretus. Quod corvo potius tribuitur quam cæteris avibus, quia vocem habet clamosam & obstreperam, ut importuni flagitatoris. Proinde Ægyptii corvi, si Æliano credimus, videntur ab iis stipem rogare qui in Nilo navigant. Et Κοράξαι, id est obnixe rogare, vox est à corvis sumpta. Quæ Hebræi, Arabes, & Patrum nonnulli dictitant pullos corvorum à parentibus deseri, quamprimum editi sunt, & Deum illis culices vel alias bestiolas procreare quibus vescantur, nec rationi nec Scripturæ consentaneum est. Corvi quidem pullos suos ex nido pellunt, sed jam enutritos & volandi peritos. Et Lucas corvis in genere id tribuit quod Job & David corvorum pullis. Fabulam de corvis tanquam ex Plinio refert Servius, quæ nec in Plinio legitur, nec in eorum ullo alio qui de animalibus scripserunt.

Gen. 8. 7. Noe *corvum emisit, & is exivit exeundo & redeundo, donec aquæ exaruissent à superficie terræ.* Ad quæ verba docetur quorsum & quando à Noa fuerit emissus. Et referuntur Hebræorum de illo nugæ, & fabulosa Noæ cum corvo colloquia. Corvus juxta Hebræos *reversus est*, juxta Græcos *non reversus est.* Quos sequuntur Syrus, & Arabes manuscripti duo, & omnes veteres præter Procopium. Refelluntur duæ rationes Hebræos cum Græcis conciliandi. Nec habetur verissimile Hebræos negationem exemisse, aut Græcos addidisse. Sed pro יצוא ושוב, *exeundo & redeundo* Græci legisse videntur ולא ישוב, & *non reversus est*: Quæ lectio magis perspicua est. Nec necesse est ut perierit corvorum species, etiamsi corvus non redierit. Nec dicit Moses quod quidam volunt, columbam fuisse emissam septiduo post corvum: Qui simul cum columba vel paulo post emissus, potuit in aquis morari diutius quam columba, quia siccioris est naturæ, & aquis maxime gaudet. Quo fortasse pertinet Græca fabula de corvo ab Apolline aquatum misso, qui non rediit nisi post ficus maturas. Et quod tradit Servius corvos esse obliviosos, neque ad nidos suos reverti. Ex Hebræis verbis, prout leguntur, non facile est se expedire.

Eliæ latenti ad torrentem Kerith prope Jordanem corvi à Deo jussi panem & carnes bis afferebant in die 1. Reg. 17. 3. &c. In qua historia הערבים neque sunt mercatores, neque Arabes, neque incolæ urbis Arabo, ut quidam volunt, sed corvi. Quibus præcepit Deus, eos ad obsequium inflectendo. Quomodo locustæ præcipit 2. Paral. 7. 13. Et serpenti Amos 9. 3. Et pisci Jon. 1. 10. Præcepit autem pluribus corvis, quia unus non suffecisset. Præcepitque non solum ut panes, sed etiam ut carnes afferrent, quo plenum esset convivium. Idque bis in die, id est prandii & cœnæ horis apud Judæos usitatis Luc. 14. 12. Quæritur unde hæ dapes allatæ sint, & cur à corvis, & quomodo eorum contactu pollutæ non fuerint. Corvi culpam in diluvio admissam tum repararunt. Et Deus id ab illis eo justius exegit, quo specialius eis prospicit, ut supra docuimus. Agitur de situ torrentis Kerith, qui Josepho fuit ignotus, & videtur idem esse cum torrente Kana Jos. 16. 8. & 17. 9.

Cum in corvino genere sint cornices, huc pertinere videbitur quod habet Græca versio Jerem. 3. 2. Ἐπὶ ταῖς ὁδοῖς ἐκάθισας αὐτοῖς, ὡσεὶ κορώνη ἐρημωμένη. *In viis assidebas iis quasi cornix deserta.* Sed in Hebræo habetur כערבי במדבר, *quasi Arabs in deserto*, quia prædones Arabes per vias grassari solent, ut ex deprædationibus vivant. Tamen Græcum sequuntur Syrus & Arabs. Et Hieronymus inter utrumque ambiguus: *Quasi latro*, inquit, *in solitudine, sive quasi cornix deserta.* Et eadem verba Theodoretus sic παραφράζει· Ταῖς κορώναις παραπλησίως προσήδρευες ταῖς ὁδοῖς, *cornicum instar viis assidebas.* Quod non capio satis, cum cornices viis assidere, aut viatoribus insidiari non soleant. Quâ notione προσεδρεύειν sæpe occurrit. Nec placet quod in Epistola Jeremiæ quam vocant, de gentium Diis dicitur, id est de idolis: Ἀδύνατοι γάρ εἰσιν· ὥσπερ γὰρ κορῶναι ἀναμέσον τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς. *Nihil possunt. Sunt enim ut cornices inter cœlum & terram.* Certe hoc ipso quod cornices inter cœlum & terram volant, idolis se plus posse docent. Sed quid voluerit Scriptor spurius ὁ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Octava immundarum avium בת יענה *bath jaana*, neque est Siren, neque luscinia, neque alcyon, quod volunt multi veteres. Multo minus noctua, bubo, stryx, ulula, quod nostro ævo Fullerus tanto conatu asseruit. Sed est struthio. Itaque à Græcis στρουθὸς redditur, id est στρουθοκάμηλος. Quam vocem Græci interpretes non usurparunt, quia nondum erat in usu, cum Græca versio edita est. Neque aliud נעמא *naama* apud Orientales paraphrastas. Hæc qui negant velim doceant in quo alio Legis loco struthionis esus prohibeatur. Prohibitum enim fuisse nemo est qui nesciat, cum ita statuant Judæi omnes. Neque latent causæ prohibitionis, cum struthio non solum humi nidificet, sed & sola avium nunquam attollatur è terra: Et quodcunque offertur sine delectu voret. Ut carnem & ova taceam crassissimi esse alimenti, & difficillime digeri. Struthioni convenire addimus quicquid *bath jaana* tribuitur. *Bath jaana* enim est φιλέρημος Es. 13. 21. & 34. 13. & 43. 20. Jerem. 50. 39. In pullos suos dura & crudelis est Thren. 4. 3. Luctuosa est avis Mich. 1. 8. & Job. 30. 29. Quas totidem esse struthionis notas characteristicas fatebitur quisquis struthionem noverit. Nam quod Fullerus asserit struthionem esse ἄφωνον, diserte refellunt Arabes, qui acrem ejulatum illi tribuunt. Neque verum est hanc avem Judæis fuisse ignotam, cum in Syria sit frequens, & in Arabiæ parte quæ Euphrati vicina est. Ad quæstionem cur struthio dicatur *bath jaana*, id est *filia clamoris*, Judæi inepte respondent omnes struthiones esse fœminas, aut in Lege solas filias prohiberi, quia solæ sunt edules, aut per filias ova intelligi, quæ falsa & absurda sunt. Sed filii aut filiæ vocabulum avium nominibus sæpe præfigitur, sine respectu ad ætatem. Et sexum quod attinet, *filia jaana* nonnisi struthionem fœminam sonat. Sed ne quis putet solam fœminam in Lege prohiberi, quod nondum à quoquam

fuerat animadversum, nomen תחמס *thachmas* statim sequens struthionem marem sonat: quod supra probavimus. Et tam marem quam fœminam distinctè prohiberi necesse fuit, quia in illo genere Hebræi nullum habent ad utrumque sexum commune nomen. Fœmina autem prior nominatur, quia mari præfertur propter ova, quæ non solum ad esum sed & ad usum exquiruntur. Ex illis enim potoria vasa in Arabia & Africa magni fiunt. Præterea fœminæ sæpius & facilius capiuntur quam mares, sive sint ovis graves, aut pullis suis incubent. Nidi quoque fœminarum conspiciuntur eminus, propter arenam undiquaque oppansam. Itaque cum Arabice struthio mas ظليم *dalim* & fœmina نعام *naam* vocetur, apud Historicos & Geographos struthio fere *naam* vocatur, raro *dalim*.

Ut alterum struthionis nomen תחמס *thachmas* Mosi peculiare est, ita Jobo tertium רננים *renanim*, quo pavones hodie nemo non intelligit. Sed falsitatis à nobis arguitur hæc versio, tam ex historia sacra, quæ docet pavones ante Solomonem in Judæa fuisse ignotos, quam ex sermonis serie. In sequentibus enim cum struthiones describi constet, nomen avis quæ describitur præmitti necesse fuit. Hoc autem aliud esse non potest quam רננים *renanim*. Quod multis à nobis probatur, & eos graviter falli quibus in sequenti hemistichio חסידה *chasida* aut נוצה *notsa* est struthio.

Fatendum interim in struthionis descriptione apud Jobum primum versum esse valde obscurum Job. 39.16. Unde est quod interpretes in tam varia abeunt, neque illius mentem priorum ullus videtur esse assequutus, quæ ex nostra sententia hæc est: *Ala struthionum exultat, vere ala ciconiæ & pluma.* Ala struthionum exultare dicitur, quia alarum maxime ratione struthiones exultant. Earum scilicet specie aut pernicitate gloriantur, quæ currentes mire adjuvat. In primis cum velorum instar illas implet & impellit ventus. Additur hæc esse vere ala & pluma ciconiæ, quia cum struthio multa habeat quadrupedis, adeoque inter quadrupedes hic censeatur, hoc valde paradoxum videri potest, quod veram plumam & veras alas habeat, adeoque plumam & alas ciconiæ. Id est nigras & albas, quomodo in ciconiis; quod à Leone, Marmolio & Scaligero observatur.

Quæ sequuntur in Jobo sic explicamus: *Relinquit* (struthio) *in terra ova sua, quæ super pulverem calefiunt. Et obliviscitur fore ut illa pes comprimat, & agri fera conterat. Duriter tractat pullos suos, ac si non essent sui. Frustra laboravit, absque timore est. Quia privavit eam Deus sapientiâ, nec prudentiam ei impertitus est. Quo tempore in altum se attollit, ridet equum & sessorem ejus.* Ex quibus agi de struthione liquido constat, cum præter struthionem avis nulla sit quæ ova aut pullos suos negligat. Et idem de cygno, meleagride, otide, columbâ, corvo, aquilâ falso tradatur. At struthionem ova deserere diserte docent Arabes, quibus hæc avis est notissima. Unde est quod stultam vocant, & voces habent peculiares quibus ova illa deserta significantur. Calefieri autem dicuntur super pulverem, non calore qui vivificat, sed qui corrumpit. Idem igitur est ac si dixisset sacer scriptor ova illa corrumpi seu putrescere. Additur eandem duriter tractare filios suos, quo pertinent hæc Jeremiæ Thren. 4.3. *Filia populi mei crudelis est, ut struthiones in deserto.* Frustra laborare sequitur, ut Es. 65.23. dicuntur frustra laborare qui filios non victuros generant. *Absque timore est*, non quod sit expers omnis metus. Est enim animal timidissimum. Sed quia provido illo timore caret quo impelluntur parentes ad prospiciendum suis. *Quia privavit eam Deus sapientiâ*: Quæ brutis etiam suo modo tribuitur Prov. 6.6. & 30.24. Matth. 10.16. &c. Sed hoc animal esse stupidissimum probatur quinque argumentis. *Cum in altum se attollit*, ut est animal procerissimum, *Ridet equum & sessorem ejus*, id est despicit & spernit, non virium fiduciâ, sed celeritatis in fuga. Paucissimi enim equi sunt qui illam cursu assequantur. Nec desunt Arabibus propriæ voces quibus efferant hanc struthionis pernicitatem.

Avem decimam שחף *sachaph*, id est larum seu cepphum, docuimus à tabe nomen habere, quia tam macra & exsucca est, ut qui implumem vident, illam putent tabescere. Neque id mirum, cum maris spumâ inescetur atque alatur. Itaque ab hâc ave sumptâ metaphorâ κεπφοῦσθαι dicitur qui vanis rerum imaginibus deludi se patitur. Et Prov. 7.22. in Græca versione incautus juvenis quem lenociniis suis demulcet adultera, eam sequitur κεπφωθεὶς, id est cepphi instar facile actus, aut facile deceptus. In Hesychio κεπφωθεὶς est ἐπαρθεὶς, ut suo loco notavi. Sed quod me fugerat, in ea voce grave mendum est. Et legendum ἐπαχθεὶς, *actus*. Dicitur enim, ut habet idem Hesychius, ἐπὶ τῶν ἀλόγων δίκην ἀνοήτως συναγομένων, *de iis qui bruti instar stulte ducuntur.* Sed hoc mendum in Hesychio jam pridem inolevisse suadet quod ex eo Suidas etiam habet, κεπφωθεὶς, ἐπαρθεὶς &c.

Undecimam נץ *nets* accipitrem dici à pernicitate volatus fere in confesso est. Quia volatu maxime valet, quod Homerus & alii docent. Proinde apud Ægyptios ventorum & ignis fuit symbolum. Nec desunt qui ob id ipsum velint Soli fuisse consecratum, & propterea dici ἱέρακα, qui Poetæ est *sacer ales.* Quamvis Arabibus صقر *sacer* aliud sit, nempe avis acuti visus, quo hoc genus maxime pollet. A voce נץ *nets* vocatur *nisus* accipiter fringillarius, potius quam à Niso Rege Megaræ, qui mutatus est in haliæetum. De accipitre sic Deus Job. 39.26. *An per prudentiam tuam plumescet accipiter, alis suis ad Austrum expansis?* Plumescet, Hebr. יאבר, id est πτεροφυήσει. Ut Jerem. 51.11. הברו החצים, πληρώσατε τὰ βέλη, Gallice dixeris, *empennes les fleches.* Et *alis versus Austrum expansis*, cujus tepore novæ pennæ facilius succrescant. Proinde accipitrariæ artis ἐπόπτας, accipitris caveam post pennarum defluvium ad Australem plagam obvertere didicimus ex Petro Crescentiensi. Disputatur obiter de sæculo quo repertum est hoc aucupii genus. Et refellitur R. Selomo, cui Jobi accipiter non est vera avis, sed Angelus Australi vento præfectus.

Duodecima avis כוס *chos*, aliis nycticorax, bubo, noctua. Nobis onocrotalus sic dictus, ut Latine *truo*, ab amplo vase quod in rostro habet. Proinde pelecano aut butauro jungitur ut avis similis Psal. 102.7. Et utrique se confert David propter vocem gemitus sui, ut docet versus præcedens. Utraque avis scilicet mœstam habet vocem atque horribilem. Itaque butaurus à bove & tauro, onocrotalus ab asino nomen habet, quasi ille tauri mugitum, hic asini ruditum imitetur. Arabes onocrotalum vocant *camelum aquæ*, quasi blateret cameli more. Eundem dicit Albertus ut cornu sonans horribilem vocem emittere. Olaus magnum clamorem emittere, instar butauri avis.

Decima tertia שלך *salach* Hieronymo & recentioribus est mergus. Sed Græcis melius καταῤῥάκτης, quia שלך *salach* verbum est καταῤῥάσσειν ex alto cum impetu se dejicere Psal. 102.11. &c. Quod catarrhacti quam sit proprium docemus ex Ixeuticorum Oppiani paraphraste Dionysio Characeno, ubi catarrhactes altius volat, & pennis omnino contractis in mare tanquam delapsus, per medium intervallum quovis telo citius fertur, & ad ulnæ spatium immergitur, donec comprehensum piscem extraxerit. Ibidem describitur hæc avis ova quoque illo motu calefaciens. Et pullos suos pari impetu in mare demittens, & subinde extrahens, ut formentur à teneris ad hoc genus exercitii. Et cum oculorum acies præ senio hebescit, scopulis se allidens, & miserabili fato ita occumbens.

Decimam quartam ינשוף *jansuph*, neque ibin, neque accipitrem, neque otidem, sed bubonem esse probamus (ut à Syro redditur, & utroque Chaldæo) quia à tenebris nomen habet. Proinde Esaias Idumææ vastitatem describens Es. 34.11. *Jansuph*, inquit, *& corvus in ea habitabunt.* Quia utraque avis feralis & inauspicata est. Et in voce dirum aliquid habet & ominosum. Proinde Plinius caput habet, cui titulus est *de inauspicatis avibus, cornice, corvo & bubone, qui funebris*, inquit, *est, & maxime abominatus publicis auspiciis. Itaque in tenebris aut omnino in luce visus, dirum ostentum est.*

Decima quinta sequitur תנשמת *thinsemeth*, id est noctua, avis buboni persimilis. Nec est quod quis chamæleontem miretur hâc ipsâ voce significari Levit. 11.30. Nam ejusdem vocis quandoque diversæ sunt origines, & pro diversa origine diversæ quoque notiones. Ita vocis תנשמת *thinsemeth* origo est à נשם *nasam*, quod spirare vel aspirare est, cum chamæleontem

mæleontem sonat. Et à שמם *samam*, quod est obstupescere, cum pro noctua sumitur. Noctua scilicet stupenda est avis, quâ visâ reliquæ aves mirantur & obstupescunt. Hinc Aristoteles: Τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν, *Reliquæ aviculæ noctuam circumvolant, quod mirari vocatur.* Et Dio Chrysostomus: θαυμάζει τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα, *Noctuam mirantur aves.* Et Timo Sillographus de Arcesilao:

Οἱ δέ μιν ἠΰτε γλαῦκα πέριξ σπίζαι τερατεῦντο,

Illum autem mirabantur ut aviculæ quæ noctuam circumstant. Ut in Servio *Nyctimene Deorum voluntate conversa in avem* (noctuam) *omnibus avibus est admirationi.* Quomodo à שמם fiat תנשמת vide sis suo loco.

Decimam sextam קאת *kaath*, id est pelecanum, à vomitu dici probavimus, quia conchas jam absorptas & calore ventris apertas revomit, ut ex iis esculenta legat. Ita scribunt Aristoteles, Antigonus Carystius (in quo triplex mendum eluimus) Cicero, Plinius, Ælianus, Phile, Pisidas, Eustathius in Hexaemeron, Apostolius. Quod idem de ardea scribit Plutarchus, stellari scilicet quæ est butaurus. Eam autem cum τῷ כוס *chos*, id est onocrotalo, jungi notavimus Ps. 102.7. quia tam voce quam totâ specie corporis est illi similis.

Decima septima רחם *racham*, neque Chaldæorum est avis שרקרקא *serakreka* (quam Hebræi Messiæ adventum sibilo suo significaturam inepte probant ex Zach. 10. 8.) nec struthio, nec cygnus, nec porphyrio, nec Ariæ *philostorgos* (cujus nominis avis nulla est) nec pelecanus (quem se ipsum rostro vulnerare, ut aspersione sanguinis sui pullos triduo ante mortuos ad vitam revocet, fabulosum est, quamvis ex aliorum relatione multi veteres ita asserant) Nec merops, qui in parentes est misericors. At רחם *racham* proprie φιλότεκνον sonat. Aliud igitur est רחם *racham* vel רחמה *rachama*, avis scilicet varii coloris, ad aquilæ naturam proxime accedens, cujus amplas descriptiones exhibemus ex Damire, Alkazuinio & Alcamus, ubi decem ejus propria recensentur. Alcorani interpretes, qui surdam & mutam describunt, refelluntur à Zamachsari. Rachamæ stercus, pluma, fel, jecur, caro apud Arabes, easdem quas vulturis in medicina vires habet apud Græcos & Romanos. Nidus est in locis inaccessis, & nonnisi raro videtur. Unicum ovum edit, aut ad summum geminum. Cadaveribus vescitur. Sequitur exercitus diu ante conflictum, ut futuræ cladis præscius. Ex quibus colligitur רחם *racham* esse vulturem, aut vero vulturaquilam. Observatur pro רחם *racham*, quod in Levitico legitur, in Deuteronomio scribi רחמה *rachama* fœmininâ terminatione, ut passim apud Arabes. Et in Horo ἡ γὺψ pro ὁ γὺψ, quia credebant Ægyptii, omnes vultures esse fœminas.

Objicies primo רחם *racham* à nonnullis Arabum poni in aquilarum genere. 2. Dici ex India lapidem afferre quo sublevatur partus. Qui cum sit lapis aetites sive aquilinus, ipsam avem aquilam esse videri. 3. Cum in hoc eodem censu דיה *daja* vulturem esse docuerimus, רחם *racham* avem esse ab illa diversam. 4. Denique רחם *racham*, cui à misericordia nomen est, non posse esse vulturem, quo non est quicquam immanius. Sed hæc solvimus nullo negotio. Ad primam enim objectionem respondemus, *racham* Damiri non esse aquilam, sed avem aquilæ similem. Alios tamen Arabum aquilam vocare, quia mediæ naturæ est inter aquilam & vulturem, nempe αἰγυπιὸν seu γυπαίετον, qui ex utroque aliquid habet. Et inde esse quod sæpe Arabes vulturem & aquilam promiscue sumunt. Ut Theophylacto aquilæ circa cadaver sunt vultures. Et è Græcis quoque Promethei jecur alii ab aquila, alii à vulture exesum fuisse tradunt. Ad secundam respondemus lapidem ὠκυτόκιον vel ὠκυτόκιον veteres soli aquilæ, sed abhinc aliquot sæculis recentiores etiam vulturi tribuisse. In quibus autor epistolæ de Cereo Paschali sub Hieronymi nomine, Harpocratio Alexandrinus, Eustathius in Hexaemeron, &c. Ad tertiam respondemus tam רחם *racham* quam דיה *daja* esse vulturem, tamen à Mose distingui, quia diversæ sunt vulturum species. Nam דיה *daja* est vultur niger, רחם vultur albus & niger. Inde περκνόπτερος Græce vocatur, quia nigras habet alas. Et ὀρειπέλαργος ciconia montana, quia ciconiæ instar partim niger partim albus est. Itaque apud Arabes ut رخم *racham* est vultur varius, ita ارخم *archam* equum varium & رخما *rachma* ovem variam sonat.

Decima octava חסידה *hasida* à variis varie redditur, ardea, fulica, ciconia, cygnus, milvus, vultur albus, aquila, hirundo, accipiter, noctua, grus, pica, otus, upupa, avis Indica, avis Arabica, & quid non? Sed cum חסידה *hasida* piam & benignam sonet, nulla est avis cui hoc nomen competat magis quam ciconiæ. Cum eam parentes senio confectos alere & alis vehere constet. Itaque in veterum scriptis ἀντιπελαργεῖν idem est quod Paulo ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, *mutuas parentibus vices rependere* 1. Tim. 5. 4. Et illam legem Comicus scriptam esse tradit ἐν τοῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν, *in ciconiarum tabulis.* Proinde è septem Sapientibus nonnulli interrogati quod esset animal fœlicissimum, ciconias responderunt, quia naturâ & sine lege justitiam observant. Et illas ob id ipsum adorarunt Ægyptii. Et Celsus ciconias hominibus magis pias esse pronunciavit. Ideo hæc interpretatio multos habet suffragatores. In his Græcorum illos quos rationibus nihili refellit Olympiodorus, Syrum, Arabes Prophetarum interpretes, omnes Hebræos abhinc sexcentis circiter annis, & novos Scripturæ interpretes fere quotquot sunt. Hoc potissimum quod ex Scriptura non potest huic versioni quicquam opponi. A Mose censetur חסידה *hasida* inter aves immundas, quarum esum Judæis prohibuit Deus. Id in ciconiam apprime quadrat, quæ serpentibus vescitur, & venenosis animalibus, neque in nido pullos suos aliis alit cibis. Job. 39. 16. struthio cum *hasida* confertur ratione pennæ & plumæ. Quomodo in Africa sua Marmolius: *In alis & in cauda magnas habet pennas nigras & albas, ut pennas ciconiæ.* Et Scaliger: *Fusco & albo picti sunt* (struthiones) *ut mihi dixerunt multi mercatores Africani, quod ut melius intelligerem, ciconiæ colori comparabant.* Psal. 104. 13. *Hasida domus sunt abietes.* Ita in Jobum Olympiodorus: *Humi ciconia ova non ponit,* ἀλλ' εἰς τὰ ὑψηλὰ τῶν δένδρων, *sed in celsis arboribus.* Ita etiam Alkazuinius, Heldelinus, alii. Jerem. 8. 7. *Etiam hasida in cœlo cognovit tempora sua.* Migratoria enim est avis ciconia quod nemo nescit. Zachar. 5. 9. Propheta duas videt mulieres in versione Propheticâ, volantes inter cœlum & terram, *quæ ventum habebant in alis; Et alæ earum erant alæ hasidæ.* Id est ciconiæ, quæ alas habet ad volandum instructissimas, & iis migrat etiam ad loca remotissima.

Avis decima nona est אנפה *anapha*, quæ cum ab ira nomen habeat, forte est aquilæ species quæ Arabice زمج *zummag* dicitur, quia illa quoque ab iracundia sic appellatur. Tamen cum aquilæ non soleant cum aliis aquilis ullam inire societatem, hæc venationis socium semper habet. Unde est quod دو برادران *du bradran*, id est duos fratres, Persia appellat. Et recentior Græcia φιλάδελφος. Convenit quoque idem nomen falconi montano, qui ita iracundus est, ut si præda evaserit, quandoque aucupem se revocantem per iracundiam invadat. Et illius caput aut faciem dilaniet, aut equi cui insidet. Et si immoderate incaluerit, in mortem se præcipitet. Quin iræ ita indulget, ut occidendis avibus occupatus cibi obliviscatur. Hæc & plura alia ejusdem generis Albertus apud Gesnerum.

Avis vigesima דוכיפת *dukiphath*, gallinam Sadducæis, Eliæ urogallum (qui est Plinii tetraon) Junio attagenem, Græcis, Hieronymo & plerisque recentiorum upupam sonat. Quomodo recte reddi jam probavimus. Hæc avis, si Hebræis credimus, ad Solomonem vermiculum שמיר *samir* attulit, cujus vi fissi sunt templi lapides. Cui fabulæ similem habet Ælianus. Ejusdem upupæ cum Solomone colloquia, & legationem ad Reginam Sabæorum, & fontes ab illa revelatos refert Mahometes in Alcorano. Probatur gallinam & attagenem fuisse in Judæorum cibis, sed upupam propter spurcitiem vetitam, & quia in sterquiliniis degit.

Avis vigesima prima עטלף *atalleph*, id est vespertilio, unde vocetur diximus, & quid commune habeat cum talpâ cui jungi-

jungitur Es. 2. 20. Refelluntur Mahumetani, quæ præter vespertilionem Christum quicquam creasse negant, & inde patere nugantur quantum differant opera creaturæ ab operibus creatoris, qui est summus Deus.

Postquam immundæ aves recensitæ sunt, docetur harum nomina nec Maimonidem, nec Hebræos aut Chaldæos Scripturæ interpretes, nec Talmudicos, nec Græcos Seniores satis intellexisse. Et frustra esse quod Magistri suos ad traditionem amandant, quæ nusquam extat, aut ad peritos aucupes, qui hâc in parte nullibi sunt. Item pro immundis haberi rapaces omnes. In aliis tria signa requiri, aut saltem horum unum, ut inter mundas locum teneant. Et prohibitionis immundarum avium rationes plerasque esse mysticas. Qua de re multa Patres, Thomas etiam acute admodum, quamvis alicubi fallat, ut in iis quæ habet de porphyrione, herodione, caladrione &c.

Libro tertio secundæ partis è volucribus ad reptilia & serpentes devolvimur, in quibus אפעה *ephe* seu vipera ordine alphabetico prima est. Sunt qui regulum, draconem, volucrem anguem, anguiculum, serpentem glabrum & cenchrinem explicant. Sed viperam esse probatur ex Arabibus, qui illam plene describunt. Marem scilicet tradunt habere duos dentes, fœminam plures. Utrique latum esse caput, collum tenue, caudam mutilam, colorem flavum. Tam carnem ejus coctam quam sal ex ea factum visum acuere asserunt. Ejus esu mundari lepram. Ipsam cæcutientem fœniculo sanari. Ore coire, & in ardore coitus fœminam maris caput aut genitalia abscindere. Hæc omnia de *ephe* Arabes, ut de vipera Græci. Itaque Græcum ἔχιδνα in Evangelio & Actis constanter أفعى *ephe* redditur ab illorum paraphrastis. Neque obscura ratio nominis. Huic enim claros sibilos tribuit Avicenna. Quos ad ictum unius lapidis audiri scribit Maslarius, cum divexatur. Unde ipsum animal Italice vocatur *suffilo*. Hebræis porro פעה clamare est, maxime in dolore partus Es. 42. 14. Inde אפעה est serpens cui dolores partus extorquent vehementiorem sibilum. Quod viperæ maximè convenit. Non quod crosâ matris ab alvo catuli exeant, aut in ipso partu dirumpatur uterus. Hæc enim sunt fabulosa. Sed quia est vivipara, cum reliquæ serpentes sint solum oviparæ. Itaque vipera dici creditur, aut quasi vipara, aut quasi vivipara. Job. 20. 16. *occidat eum lingua viperæ*, id est morsus, mira catachresi, sed quali usus Seneca in Medea de serpente dixit: *Trifidamque linguam exertat, & quærens quibus mortifera veniat*. Es. 30. 6. inter Ægyptios serpentes mentio fit viperæ, ut Ammiani lib. 22. Et Bellonius illi tribuit aliquid peculiare. Es. 59. 5. agitur de ovis viperæ, quia ita est ζωοτόκος, ut simul sit ᾠοτόκος. Parit enim vivum animal, sed ex ovo, quod diserte Philosophus, & Plinius obiter docet. Theophrastus etiam, si Gazæ fides. Sed illum aliter explicamus. Viperarum apud Arabes & Græcos multa esse genera docemus, maxime in Epiphanio.

In Statyllio Flacco, quidam naufragio facto, cum in Libyam salvus evasisset, mox in littore à vipera morsus interiisse narratur. Ita Paulum naufragio facto vipera statim aggressa est, sed eventu valde dispari. In illius historiæ explicatione docetur serpentes ex virgultis & sarmentis sæpe erumpere, & calore recreatos vel irritatos mordere. Et Act. 28. 3. quid proprie sit συστρέψαντος, quid φρύγανα, quid καθῆψε. Hoc ultimum alii *momordit*, alii *invasit*, alii *pependit* reddunt. Sed καθάπτειν est *illigare*, quod serpenti prorsus convenit. Manui autem & brachio Pauli se alligavit vipera. In quo plus fuit periculi quam si pectori se applicasset, quia in brachio venæ sunt & arteriæ magnæ, quæ cordi venenum cito & rectâ viâ communicant, cum in pectore & mammis vasa sint exilia, quæ tantum per varias ambages ad cor deducunt. Proinde Cleopatra non in mammis sed in brachio ab aspide morderi voluit, ut moreretur citius. Hoc nuper à me lectum in doctissimo Jacobi Primirosii libro de vulgi erroribus, nolui hîc prætermittere. Vers. 4. Melitenses barbari, id est Pœni, à quibus Africæ pars quam incolebant tandem Barbaria dicta. Ibidem θηρίον serpens, unde derivata multa. Ita חיה Hebr. *fera*, Arab. *serpens*, quorum unum Chald. חיותא, alterum חויא. Homicida creditur Paulus, id est gravis sceleris reus. Ἡ δίκη eodem loco est Dea Nemesis de qua multa. Barbari in quibusdam recte judicant, in aliis graviter peccant. Vers. 5. Paulus illæsus serpentem excussit, quasi manui ejus se alligasset, non ut læderet, sed ut ornaret, ut ὄφις ἐπικάρπιος. Vipera non sponte decidit, nec in aerem, sed in ignem à Paulo conjecta est. Ex Lucæ verbis de Paulo, *nihil mali passus est*, concluditur illum à vipera non fuisse morsum, ut multi putant. Hæc vipera est diaboli typus. Vers. 6. Πίμπρασθαι duo significat, ardere & intumescere. Utro modo hic sumas parum refert, cum pars à vipera demorsa ardeat & intumescat. Ex quo morsu quæritur an sequatur mors repentina. Et in utramque partem nonnulla proferuntur. Paulus primo homicida, deinde Deus esse creditur, quorum hoc in fidem peccat, illud in charitatem. Ita Lystrenses Act. 14. 10, 19. Pharisæos Joannes Baptista & Christus vocant progeniem viperarum Matth. 3. 7. & 12. 34. id est *mali corvi malum ovum*. Aliud in Sophocle ἐχίδνης θρέμμα, quod perperam huc refert vir doctissimus.

Probatur leonis nomen apud Græcos multis animalibus esse commune à leone diversissimis. In his serpenti cenchrini, qui à Nicandro vocatur λέων αἰόλος *leo varius*. Ita כפיר *chephir* leunculus, & שחל *sachal* leo niger pro serpentibus à Davide sumi videntur Ps. 91. 13. *Super sachal & basiliscum ambulabis, conculcabis chephir & draconem*. Alioqui enim feræ jungerentur naturæ prorsus diversæ. Nec facile dici posset quid sit super leonem ambulare, aut conculcare leunculum. Cum nemo sit qui leonem ambulando calcet, quomodo serpentes solemus. Itaque pro שחל *sachal* aspidem non leonem habent Seniores quos sequuntur multi veterum. Et iisdem כפיר *chephir* non est leunculus sed draco Job. 4. 10. & 38. 39. Sic Arabice شبل *sablon* non solum leonis sed & draconis catulum sonat in Arabico paraphraste Thren. 4. 3. Et שחל *sachal* ut leo niger, ita serpens niger esse videtur. Nempe serpentes multi nigri sunt, vel maculis nigris aspersi. Sed unus præ cæteris, quem serpentem nigrum vocant Arabes, quia est nigredinis intensissimæ. Videtur esse genus aspidis. Nigerrimas enim esse aspides multi docent. Sequitur Arabum fabula de Christo & serpente nigro.

עכשוב *achsub* Ps. 140. 4. non esse araneam, ut à Chaldæo redditur, sed aspidem probant reliqui interpretes, in quibus Paulus Rom. 3. 13. Et origo vocis ex Arabismo aperitur.

Aspis aliter פתן *pethen* vocatur. Ita enim hanc vocem plerique reddunt. Quæ versio confirmatur ex locis de veneno *pethen* vel *pethanim*. Ut Deut. 32. 33. *Et venenum pethanim crudele*, pro quo Græci ἀνίατον habent, id est immedicabile. Vide etiam Job. 20. 14. 16. Aspidis scilicet venenum omnium est acutissimum, nec ulli remedio cedit, & paucis horis perimit, nisi demorsa pars statim amputetur. Proinde Ægypti Reges in diademate pictas aspides ferebant, ut sic significarent invictum imperii robur. Aspides igitur pede calcare, aut eorum foramini manum admovere maxime periculosum est. Psaltes tamen ut virum bonum etiam inter hostes infensissimos a Deo servari significet, eum pollicetur aspides & dracones impune calcaturum, Ps. 91. 13. Et Esaias ut doceat magnam fore sub Christo rerum conversionem: *Tum*, inquit, *ludet infans super foramen aspidis* &c. Es. 11. 8. Id est Judæi cum Gentibus in unam Ecclesiam coalescent. Et tutus patebit accessus ad eos qui fidelibus olim erant tam terribiles. Quin ad literam quoque hoc aliquando impletum est. Aspides in Ægypto sunt πενταπήχεις, quæ draconum est magnitudo. Inde פתן *pethen* non solum aspidem, sed & draconem sonat. Quomodo sæpe sumunt Græci, Syri atque Arabes interpretes. Et פתן *pethen* & תנין *thannin* habentur pro synonymis Ps. 91. 13. & Deuter. 32. 33. Ubi Jonathan habet פיתונא *pithunja*, id est Pythones. Obiter docetur quis fuerit Python ab Apolline occisus. Et Lucæ πνεῦμα Πύθωνος Act. 16. 16. Et Hebræis פיתום *pithom*, Græcis Εὐρυκλῆς, Babyloniis Σαχχούρας in Jamblichi Babylonicis.

De aspidum incantatione nota sunt hæc Davidis Ps. 58. 5 6. *Venenum est ipsis simile veneno serpentis: Sicut aspidis surdæ obturantis aurem suam, ne mussitantium vocem audiat, & divini incantationum periti*. *Periti* Hebr. est מחכם & Gr. σεσοφισμένου *sapientis*. Et ibi Theodoretus: Σοφὸν ἐνταῦθα καταχρηστικῶς τὸν θηριεπῳδὸν προσηγόρευσεν, ὡς τὸ σοφοί εἰσι τοῦ κακοποιῆσαι, *sapientem hic improprie vocat serpentum incantatorem, ut cum* (dicitur Jerem. 4. 20.) *sapientes sunt ad malefaciendum*. Hinc

Suidas

Suidas Σοφὸς, θηρευτὴς. *Sapiens, serpentum incantator*, quod ut probet citat Davidis & Theodoreti verba. Quorum ignoratione Æmilius Portus θηρευτὴν vertit *venatorem epodorum, captatorem carminum*, quod esset ἐπῳδοθήρας. Nec sequentia reddidit multo fœlicius. Sed hæc obiter, quia suo loco fuerant prætermissa. A Davide autem Bustamantinus aspidem surdam dici vult, quod ut acutissimi visus, ita sit auditus hebetissimi cum Nicander & Plinius contra statuant, illam auditu multo plus valere quam visu. Alii surdam dici volunt, quod unam aurem terræ applicet, alteram caudâ obturet, ne incantatorem audiat: Quæ prioribus nihilo sunt veriora.

Sed ut tota res clarior fiat, docemus serpentem incantationi esse maxime obnoxium: Et hoc fascini genere olim infames fuisse Marsos, Psyllos & Ægyptios, hodie idem objici Indis, Melindensibus, Nigritis & Peruanis. Et eo usum esse Orpheum, ad cujus verba Paulus alludit Ephes. 6. 16. Medeam etiam & Jasonem. Et ejusdem meminisse Aristotelem, Nearchum, Theophrastum & Antigonum. Hujusque adeo esse multa genera. Alios enim manu & tactu fascinare. Alios orbem describere, loca sulphure & igne lustrare medicamina adhibere, & barbara verba, lapides, laminas, ligna peregrina, figuras *Talismanicas*. Qualibus urbs Emesa fertur fuisse τετελεσμένη, ne serpentes & scorpiones in eam ingrederentur. Et illos voce OS vel OSO, hos voce DUO cohiberi. Sed præcipua vis in cantu & carminibus, de quibus Psaltes. His 1. Serpentes è cavernis elici, quos qui evocat & consociat Hebr. חובר *chober* dicitur, id est consociator. 2. Fugari. 3. Sopiri, deliniri, stupefieri. 4. A veneno expurgari, ne morsu noceant, ut factum in Andinorum montibus. 5. Eos sanari quos morsu vel tactu læsit serpens. 6. Serpentes rumpi & crepare medios.

Tamen quosdam serpentes incantari non posse hic & Jerem. 8. 17. & Ecclesf. 10. 11. Incantatori enim serpentem resistere, vel cum ἀϊσσῃ, id est recanit, vel cum ad cantum obsurdescit. Priorem Arabice سل *sil*, id est stridulum, posteriorem اصم *asammo*, id est surdum dici, cum cantu non magis afficitur quam si surdus esset. Et Hebr. *obturare aurem*, est verbis alicujus non affici: Quo sensu in Virgilio dicitur, *placidasque viri Deus obstruit aures*. Mago creari periculum, cum incantationi obsistit serpens. In aspidem nihil posse incantationem, doceri ab Æliano. Et ab Arabibus, nullâ arte curari morsus serpentum surdorum & stridulorum. In quo censu numerant basiliscos, aspides, cerastas, hydros & chersydros. Si objicias nullam esse causam cur in hos quoque Magi non idem possint quod in reliquos serpentes, & ab aliis scriptoribus aspides quoque & cerastas & hydros & chersydros Marsis ac Psyllis subjici. Respondebitur Deum nolle ut Diabolo omnia in mundo liceant. Et Psyllos Marsosque, & prope Hellespontum Ophiogenes, non vi Magicâ sed naturali, à serpentibus fuisse immunes, vel audaciâ quâdam usu confirmatâ. Denique in Scriptura non doceri ullam esse serpentum speciem in quam incantatio nihil unquam possit.

Voce צבוע *tseboa* probamus non solum hyænam quadrupedem, sed & hyænam serpentem significari; de qua scripserat Ælianus: Τὴν ὕαιναν ὄφιν τῆτες μὲν ἄῤῥενα εἰ θεάσαιο, τὴν αὐτὴν ἐς νέωτα ἴδῃ θῆλυν ἢ *Hyænam serpentem hoc anno si marem videris, illam ipsam anno altero fœminam videbis*. Et Horus: *Ut instabilem pingant, nec in eodem statu permanentem*, ὕαιναν ὄφιν ζωγραφοῦσι· αὕτη γὰρ ὁτὲ μὲν ἄῤῥην γίνεται, ὁτὲ δὲ θήλεια *hyænam serpentem pingunt. Hæc enim nonnunquam mas est, nonnunquam fœmina*. Sed recentes editiones vocem ὄφιν *serpentem* ex utroque loco tanquam superfluam eraserunt, ut putentur hæc dici de hyæna quadrupede. Quæ quidem creditur huic ipsi sexuum vicissitudini esse obnoxia. Sed serpenti nomen hyænæ non alia de causa inditum est, quam quod pariter sexum alternare dicitur, nec varietate colorum minus esse notabilis. Proinde sunt ex Hebræis qui tot colores illi tribuunt quot in anno sunt dies. Et quoties mutatur sexus, tradunt marem dici צבוע *tseboa*, fœminam נפרזא *nephreza*, sed utrique genericum nomen esse ברדלס *bardales*. Quorum illud ex *nebrissa*, hoc ex *pardali* videtur factum. Ab hoc porro serpente Hebræi dictam volunt גיא הצבעים, *vallem Tseboim* 1. Sam. 13. 18.

Hebræum צפע *tsepha* vel צפעני *tsiphoni*, Aquilæ est βασιλίσκος, Hieronymo *regulus*. Chaldæis חורמן *burman*. Is est Arabum حرمانا *barmene*, longus trium palmorum, cujus non solum morsus, sed flatus quoque, visus & auditus putatur esse lethifer. Nomen Chaldæum & Arabicum devastationem sonat. Hebræum *tsepha* ipso sono videtur exprimere horrorem sibili quo reliqua animalia fugat aut necat. A quo ipso vocatur *sibilus* in Isidoro. Alludit Arabicum سفع *saphaa*, id est flatu adurere, quod basilisci maxime proprium. In Libya & Cyrene est frequens, & in Ægypto, ubi dictus οὐραῖος, & variarum rerum fuit symbolum.

Prov. 23. 32. *vinum mordere* dicitur & *pungere ut basiliscus*. Non in gratiam hæreticorum, qui vinum vocabant *fel draconis*. Est enim natura bonum, sed propter ebrietatis mala. Aliter legit Hieronymus. Et Chaldæus rursus aliter. Sed asseritur recepta lectio. Es. 11. 8. *Super cavernam basilisci puer manum mittet*. Alii *super cubile*: Alii *super pupillam*. Primæ interpretationi favet Arabismus. Es. 14. 29. *E radice serpentis exibit basiliscus*, id est ex Oziæ genere Ezekias, qui Philistæos male mulctabit. In Hieronymi versione docetur quid sit, *semen ejus absorbens volucrem*. Et nullam avem basilisci foramen impune transvolare. Et hæc versio unde nata sit. Et serpentem esse Regis symbolum, maxime basiliscum seu regulum, qui regium nomen habet, & diademate insignis est. Et erecto capite serpit. Et sibilo reliquos serpentes fugat. Messiæ denique typus est. Jesse aliter נחש *Naas* dictus, id est serpens Es. 59. 5. *Ova basilisci excluserunt*, id est crimina quæ cogitatione concepta, per opera excluduntur. Probatur in Scriptura per varias serpentum species sæpe idem significari. Et eos falli qui ex urino aspidis ovo basiliscum edi colligunt ex Esaia. Jerem. 8. 17. *per Basiliscos in quos nulla est incantatio*, nec hostes in genere, nec dæmones intelligi, sed Assyrios.

Es. 34. 15. קפוז *kippoz* non est hericius, cum ova pariat, excludat & foveat umbrâ sua. Nec testudo, nec avis cypselus quæ non saltant, cum *kippoz* à saltu nomen habeat. Nec merula quæ in cultis locis degit, cum describatur in Idumææ desertis. Neque scops, quæ est ὀρχηστικὴ, non ἀλτικὴ. Sed Hebr. *kippoz*, ut Arab. قفازة *kipphaza*, est acontias seu jaculus, serpens trium palmorum, qui tantum saltu valet, ut viginti cubitorum spatium transiliat. Missili volare tormento dicunt veteres, & ex arboribus vi maximâ turbinatum, penetrare animal quodcunque obvium fortuna fecerit. Et morsum esse insanabilem, cum supra ilia sauciat. Natales in Libya, Ægypto & Arabia. Nec avem esse sequitur ex eo quod propheta eum dicit nidulari. Nidus enim tribuitur homini, leoni, sui, hystrici, hericio, phycidi pisci, crocodilo, vermibus, culici, muscæ, api, vespæ, crabroni, formicis, muribus, stellionibus, blattis, locustis, ipsis denique serpentibus. Serpentes ova parere, fovere & excludere dicunt naturæ scriptores, eaque simul connecti & congregari ut mulierum monilia. Additur etiam serpentes de ovis suis esse valde sollicitos.

Quæritur quod serpentis genus sit שפיפון *sephiphon* in his Jacobi Gen. 49. 17. *Dan erit serpens super viam, sephiphon super semitam, quo mordente calces equi, sessor cadit retrorsum*. An سف *sipphon* serpentis genus perniciosissimum, & homini infensissimum, qui alio nomine vocatur ارقم *arkamo*, id est varius, quia nigro & albo distinctus est? Aut cerastes, quomodo reddunt Hieronymus & uterque Arabs? Hoc ultimum valde arridet, quia cerastes in arenis & rotarum orbitis solet viatoribus insidiari. Et morsus ejus hominibus & brutis est lethifer. Nec facile vitatur, quia arenæ est concolor. Tamen ad Hebræum *sephiphon* proxime alludit Arabum *sipphon*, quem describunt albo & nigro distinctum. Unde hæmorrhoum esse colligas, qui aspersus est maculis nigris & albis: Sed cerastes & hæmorrhous sunt forma tam similes, ut possit haberi hæmorrhous pro cerastis specie. Mensura utrique eadem est. Utrique sunt cornicula duo cochleæ cornibus similia.

similia. Et flexuosus incessus, quia spinam osseam non habent, sed solum cartilagineam, & utrimque flexilem. Hinc utrosque χωλεύειν & ἐπισκάζειν, id est claudicare dicit Nicander, & causam arcessit ex poëtarum fabulis. Utrisque igitur putamus commune esse nomen שפיפון *sephiphon* quod à claudicatione sumptum est. Hebræis enim שפף *saphaph* est claudicare. Ad Samsonem magistri referunt quæ de hoc serpente dicuntur. Nos ad Danitarum tribum, quæ potius astu, quam aperto marte res gessit, ut constat ex Jud. 18. 27. Videtur ἀσύςαλον quod hæc nonnulli & ad Samsonem Christi typum, & ad Antichristum referunt.

Serpens שרף *saraph* Christi typus est Num. 21. 9. Joh. 3. 14. Et Seraphinis cognominis Es. 6. 2. Idem serpentum solus est volucer Es. 14. 29. & 30. 6. In Arabia & Ægypto degit Deut. 8. 15. & Es. 30. 6. Nomen habet ab ustione, ut Angeli Seraphim, id est ἐμπρησταὶ dicti. Non tamen est prester, sed hydrus, qui æstate fit chersydrus, cum aquam consumpsit æstus, & infestante siti virus habet multo acrius, & morsu suo exurit quicquid attingit. Quo igne consumptus est Hercules. Es. 30. 6. in Ægypto describitur *saraph volans*. Serpentes enim alati quos ex Libya & Arabia quotannis in Ægyptum volare scribunt multi veteres, hydros fuisse, vel hydrorum habuisse speciem, Herodotus diserte scribit. Eosdem Hebræi describunt gravis odoris, ut hydros Ælianus, & Poeta summus, *graviter spirantibus hydris*. Si hydros objicias in aquis nasci, quibus caruit locus in quo Israelitæ ab his serpentibus morsi sunt. Respondebo non sequi defuisse palustres aquas, etsi poculentæ defecerint. Aut si palustres etiam defuerint, hydros ob id ipsum factos fuisse chersydros. Et convenire tempus, quia tum erant dies caniculares. Et aquosa loca in vicinia fuisse probamus, unde hydros venisse vero consentaneum est. Plagæ hujus causæ referuntur ex Hebræorum sententia. Et nostrorum allegoriæ. Docetur in quorum gratiam erectus fuerit serpens *saraph*. Et Christi fuisse typum. 1. Quia serpentis figuram habuit, non venenum. 2. Æreus fuit, non aureus. 3. Ex metallo firmissimo. 4 Et maxime sonoro. 5. Et in altum subvectus, זקף, quod & crucifixum sonat. 6. Solo denique aspectu sanavit. Sed veritatem multis gradibus supra figuram assurgere. Phunon, locus in quo fuit erectus, æris fodinas habuit, ex quo conflatus, ut videtur, serpens æneus, & quorsum. De illo loco plura.

Hebræum תנין *thannin* proprie draconem sonat, licet de serpente quovis quandoque usurpetur. Draco vel cœlestis est, vel terrestris vel marinus. Terrestris descriptio in Avicenna, & corrupta ibidem draconum nomina explicantur. Agitur de vera & fabulosa draconum magnitudine ex Græcis, Romanis & Arabicis scriptoribus. Dracones bipedes, cristatos & volucres falso describi probatur. Et alas iis perperam tribuere Strabonis interpretem, cum aliud sit in Græco textu. Mysticumque draconem Apoc. 12. esse ἄπτερον: Et poëtarum dracones alatos, quibus Cererem, Triptolemum, Medeam & Circen vehunt, esse naves quæ draconem pro insigni habuerunt. Dracones à serpentibus distinguit vasta moles, barba, palearia. dentium ordo triplex, color niger, aut rufus seu fulvus & cinereus, rictus oris ingens, quo non solum aerem, sed & aves supervolantes aspirando attrahunt, sibilus terribilis, & aliquo modo lugubris. Unde Hebræis תנין *thannin* dicitur. In Græcia veneno carent. In Africa, Æthiopia & Arabia non item. Venenum illud vini potu fit acrius. In locis vastis & desolatis degunt. Fons draconis prope Jerusalem Nehem. 2. 13. unde nomen habuerit. Diabolus serpens antiquus & magnus draco dictus Apoc. 12. & à Philone & Hebræis. Quia serpentis habuit speciem, & est insidiosus, callidus, venenosus, & homini maxime infensus.

Serpentibus insecta succedunt libro quarto partis secundæ. Et à locusta fit initium, quæ cum sit πολυώνυμος, in variis nominibus multa latent quæ ad ejus naturam pertinent. A copia dicitur ארבה *arbeh*, quia nullum est animal locusta fœcundius. Hinc in Ægypto locustæ terræ superficiem ita tegebant ut non posset videri terra Exod. 10. 5. Neque harum erat numerus Psal. 105. 34. ut neque in Judæa Joel. 1. 6. Itaque cum locustis copiæ ratione conferuntur sylvæ arbores Jer. 46. 23. Madianitæ Jud. 6. 5. Medi Jerem. 51. 14. Ninivitæ Nahum. 3. 15. Assyrii Judith. 2. 12. Dicitur etiam גוב *gob* vel גובי *gobai*, quia è terra emergit. Nam è locustis cum pepererunt, vermes fieri scribit Philosophus, qui terrà quadam prætenui ambiuntur, unde locustæ emergunt. Et גזם *gazam*, quia amputat arbores, nec solum gramen & segetes & arborum folia, sed & arborum cortices tenerosque ramusculos ita erodit ac si amputaret. חגב *chagab* & צלצל *tselatsal*, quia Soli velum obtendit, eumque obumbrat, nempe cum turmatim locustæ volant. חרגל *chargol*, quia longo agmine fertur, sæpe aliquot milliarium. חסיל *chasil*, quia absumit. ילק *jelek*, quia delingit. סלעם *solam*, quia vorat terræ proventum. Quæ locustarum nomina non sunt plane synonyma. Has enim specie differre docent Joel & Moses. Ita etiam Damir & Marcellus Vergilius. Et diversa sunt apud Arabes locustarum nomina ratione formæ, coloris, natalium, sexus, ætatis. Antequam volet Arabice دبا *daba* vocatur. Cum volitare incipit غوغا *gauga*. Cum plenus est volatus جراد *girad*. Quomodo Latini Patres *bruchum, attelabum, & locustam* distinguunt. Bruchus enim illis est idem quod Arabibus *daba*, attelabus idem quod *gauga*, & locusta idem quod *girad*. Sed apud plerosque Græcos βροῦχος & ἀττέλαβος specie differunt, non sola ætate. Tamen attelabus proprie est locusta minor quæ nondum volat. Et videtur à saltu dicta. Ita etiam attacus. Ophiomachus autem locustæ genus est serpentibus vere infestum. Hebræis dicitur *chargol* vel *argol*, unde nata est fabula de argolis ophiomachis, quos pro locustis serpentes fuisse nugantur, eosque ex Argo Pelasgico in Ægyptum ab Alexandro translatos. Est & ἀκρὶς certa locustæ species, vox incertæ originis. Multa alia sequuntur locustarum nomina in usu apud Græcos. In his ἀσίρακος Talmudicis אסקרא. Et ὄρπας locustæ fœtus ex quo fit garum. De quo Hesychii locus corruptissimus emendatur.

De locustarum speciebus multa obscure Talmudici. Tamen hæc clara, quasdam gibbum & caudam habere, ut חרגל *chargol*, quasdam neutrum, ut ארבה *arbe*, quasdam solum gibbum, ut סלעם *solam*, quasdam solum caudam, ut חגב *chagab*. Et locustas mundas quatuor notas habere, nempe quatuor pedes, alas totidem, crura longiora, & quod alæ tegunt totum corpus. Sed gryllum qui habet has quatuor notas, non tamen esse mundum, quia quinta deest, nempe caput longius. Interim R. Selomo, qui hæc non solum legit, sed & notis illustravit, fatetur locustarum species sibi esse ignotas. Notæ quidem erant Judæis ætate Christi, sed paulo post ignoratæ. Quod satius est agnoscere, quam in devia ferri cum celebri interprete, qui verba Mosis de locustis explicaturus, affirmativam mutat in negativam: Et inter locustas Lege concessas, bombycem & cantharum censet. Mundæ locustæ sunt volucres, & quatuor alas habent, quæ Græce τετραπτερυλλίδες. Eædem Græcis sunt ἑξάποδες, sed Mosi solum quadrupedes. Posteriora crura scilicet non habet pro pedibus, quia ad gressum, non ad saltum pertinent. Absit tamen ut eo referam quod πηδάλια vocantur. Cum sic appellari constet, quia sunt πηδαλιώδη, id est gubernaculorum instar. Prout olim navibus duo fuere gubernacula. De his cruribus citatur Pisidæ locus insignis ab interprete male acceptus.

Non capiunt interpretes quorsum ילק *jelek* locustæ species סמר *samar* vocetur, id est ὀρθόθριξ *horripilans* Jerem. 51. 27. Quæ affectio non videtur in locustam posse cadere, cum sit glabra & depilis. Itaque aliis ילק *jelek* est eruca hirsutum animal. Male, nam ילק *jelek* volat Nahum. 3. 16. at eruca non volat. Aliis *jelek* est μηλολόνθη vel χρυσοκάνθαρος, Gall. *haneton*, quam versionem Fullerus adstruere frustra conatur. Nam Scriptura ילק *jelek* aperte ponit inter locustarum genera, quod agnoscunt omnes veteres. Nec mirum est quod horrere dicitur ratione pilorum capitis: Cum aliæ locustæ calvo, aliæ hirsuto sint capite, etiam in Talmude. Et Arab. عرفان *orphan* sit bruchi genus jubatum. Et الخنتف *alchantapho* locusta depilata. Græci & Chaldæus pro סמר *samar* aliud legerunt. Et Syrus hanc vocem omisit.

Equi ut locustæ saltant Job. 39. 23. & Jerem. 51. 27. in Chaldæo interprete. Psal. 109. 23. dicit David, *excussus sum sicut locusta*,

locusta, quæ vaga est cum nido caret. Docetur cur Ninivitæ locustis comparentur quæ orto Sole sepem deserunt Nahum. 3. 15. 16. Quod uno verbo efferunt Arabes. Ibi התכבד de locustis non esse converrere ut vult R. Selomo, sed multiplicari, quod probatur ex Exod. 10. 14.

Prov. 30. 27. *Locusta Regem non habet: tamen exit* ad bellum, *unaquaque sibi dividens*, nempe spolia. Quod alioqui Regum & Imperatorum est. Exire Hebræis est ad bellum proficisci. Similis est locus Es. 33 4. חצה dividere de præda dicitur Num. 31. 27. Et חצץ id ipsum est: Verbum in Talmude frequens, nec Arabibus ignotum. Refelluntur qui hunc locum aliter reddunt. Arabes qui locustas ducem habere scribunt, cum Solomone conciliantur. Iidem locustam in agro diversari dicunt. ut Sirach. 43. 19.

Locustæ totius anni proventum paucis horis absumentes dominis famem indicunt. Earum voracitatem quomodo efferant Arabes. Non solo morsu nocent, sed & contactu adurunt. Saliva earum omnia perdit. Nec raro plus damni mortuæ quam vivæ afferunt. Denique nullum animal est perniciosius. Tamen Ægyptiæ locustæ solito fuere longe graviores. Quia numero superarunt quicquid unquam fuit locustarum in uno loco, & magis noxiæ fuerunt. Nemo poterat videre terram. Absumpserunt quicquid residuum fecerat grando, id est Triticum & Zeam, quæ grando non læserat, quia in Ægypto sunt serotina. 2. Herbas, ramos & fructus arborum qui grandinis impetum evaserant. Refelluntur qui annum intercessisse volunt inter plagam grandinis & plagam locustarum. Quæritur an Locustæ hominibus fuerint perniciosæ, ut habetur Sap. 16. 9. Et quo sensu hæc plaga mors vocetur Exod. 16. 17. Et quibus ventis locustæ fuerint adductæ vel abductæ, & in mare projectæ. Et probatur ventum *Kadim* non solum Orientalem sed & Australem esse. Quo vento potissimum locustæ in Ægyptum adductæ fuerant, nempe ex Æthiopia ubi magnâ copiâ sunt.

Ex Ægyptiis locustis devenitur ad Joelis locustas, quales nullas fuisse dicit, quæ conciliantur cum Mosis verbis Exod. 10. 14. Quæritur cur idem senes compellet, & hæc filiis narrari velit cap. 1. 2. 3. Docetur in versum sequentem quatuor locustarum species in Joele Judæam devastasse, non singulas singulis annis, sed omnes simul, quomodo etiam in Ægypto. Et hæc ad literam sumenda, contra quam sentiunt nonnulli Patrum, & ex Judæis Abarbanel. Et hostes cum locustis non conferri nisi ratione numeri, neque homines in genere, nisi κατ' ἐξουθενισμόν. Et Ebrii cur excitentur.

Joel. 1. 6. Cur locustæ vocentur gens valida. Hæc metaphora quam sit frequens. Iisdem cur leonini dentes assignentur. Cur Arabice كاشر vocetur quod ab illis demorsum est. Vers. 7. bruchi vitibus & locustæ ficubus quam infestæ. קצפה à Græcis συγκλασμὸν *confractionem* recte reddi probatur ex Arabismo. Locustas arbores decorticare & nudare etiam sine decorticatione. Fruticum quoque truncos exscindere. Et vers. 12. ipsis arboribus esse noxias.

Joel. 1. 9. Locustas Joelis Judæam devastasse templo nondum exciso. v. 10. quomodo dicatur terra lugere, mustum erubescere, oleum languere. His opponuntur lætus ager & lætæ segetes. Χιασμὸς observatur Joel. 1. 11. 12. & Cant. 1. 5.

Joel. 1. 15. dies Domini pro judicio, Cilicum phrasis, ut 1. Cor. 4. 3. Ibidem paronomasia elegans. v. 16. Exultatio in sacrificiis. v. 17. Tria verba quæ nusquam alibi sunt accurate explicantur. Variæ de his sententiæ. Non solum ex pluviis sed etiam ex nimia siccitate sata putrescere probatur, aut vanescere verius. Et sicco vere locustarum majorem esse proventum.

Joel. 2. 2. Futura mala cur conferantur cum Aurorâ super montes expansâ. v. 3. Summa in Judæa siccitas describitur ante & post locustas. Falluntur qui cum igne conferri volunt ipsas locustas, aut eas dici à locis ustis, cum non habeant aliunde nomen quam à loquacitate, de qua obiter.

Joel. 2. 4. Locustis caput equinum. In iisdem natura decem magnorum animalium. Joelem de Centauris egisse nugatur Abarbanel. Ad v. 5. Sonitus locustarum ut curruum, ad sextum milliare auditur. Is fit alis cum volant, & dentibus cum comedunt. Est & illis propria vox, de cujus origine disputatur. Earum cantum poetæ laudant, æque ac cicadarum. v. 7. 8. 9. Locustæ inexpugnabiles. Ordo earum in acie mirabilis. Agmen quomodo Arabice. Neque urbes, neque domus his inaccessæ. Per fenestras ingrediuntur. Etiam in mensas decidunt. Gressus quam firmus. Per medios enses illæsæ ruunt, nec viso homine fugiunt. Sunt quasi loricatæ. Talis hostis quam terribilis. v. 10. Suâ multitudine Solem obumbrant, unde locusta dicta חגב & צלצל. Lunam etiam obscurant, cum noctu volant. Falsum enim eas nonnisi interdiu volare. Os. 13. 3. *Ut fumus* מארבה *ex fumario*, al. *ex locustis*, quia eædem sunt literæ.

Vers. 20, Per *Septentrionalem* &c. nec Assyrii nec Romani significantur, sed locustæ ad Aquilonem urbis in Arabiam desertam, & in utrumque mare impellendæ. Mortuarum fœtor Hebr. צחנה, Gr. βρῶμος aut βρόμος potius, quod pro sonitu perperam sumunt. Qui fœtor maxime pestifer, & multas hominum myriadas quandoque absumpsit. Locustæ etiam Arabibus dicuntur Dei exercitus. Objicies; Si hæc ad literam contigissent, Scriptura non tacuisset. Resp. in Scriptura historias famis nonnisi paucas referri, & solum ex occasione.

Amos c. 4. & 7. non agit de iis locustis de quibus Joel. Quin alias duas clades refert per locustas illatas. Unam cap. 4. quæ præcessit messem, & cum siccitate & uredine conjuncta fuit, Gr. ἀνεμοφθορίαν dictam, quia facta est à vento קדים *kadim*, & omnes fructus consumpsit. Alteram cap. 7. quæ autumno post fœnisecia accidit, cum locustæ pariunt. Ibi multa observantur de partu locustarum ex Aristotele, Plinio & Arabibus. Et quomodo Arabice vocentur locustæ ovum, & fœmina, vel ante vel post partum, & fœtus nuper editus. Et cur propheta Deum dicat formare locustas. Et Arabum ineptiæ, Deum locustas ex eo luto formasse ex quo formatus est Adam. Et Dei providentia specialis in locustarum multiplicatione. Quod etiam ab Ethnicis agnitum. Tamen Arnobius hujusmodi animalcula negat esse Dei opus, quod ex Marcionitarum lacunis haustum. Locustæ cap. 7. neque segetibus neque arboribus noxiæ, sed solis herbis, & Prophetæ precibus amotæ.

Johannis cibus Ebionæis non ἀκρίδες, id est locustæ fuerunt, sed ἐγκρίδες, id est liba cum melle & oleo. Aliis ἀκρόδρυα vel ἀκρέμονες, arborum & plantarum extremitates. Aliis ἀκρίδες vel μιλάγχα herbæ genus, blitum vel rapunculus. Aliis aviculæ ἐρυθρόποδες. Aliis locustæ marinæ, id est οἱ κάραβοι. Aliis καρίδες squillæ. Aliis ἀχράδες pira sylvestria. Sed hic nihil mutandum, cum locustarum esus in Oriente & Austro sit receptissimus. Acridophagi inde dicti. Iisdem Parthi victitant, & Mauritaniæ confines populi, Nasamones, Libes ad Leptim. Exercitus in Libya his sustentatus. In Græcia quoque in cibis αἱ ἀκρίδες, τετραπτερυλλίδες, τίττιγες, κέρκωπες. Quatuor locustarum species in Lege concessæ Levit. 11. 21. 22. Locustæ ab Ægyptiis sale conditæ in cibi usum Exod. 10. 19. in Jonathane. Arabes quoque & Judææ incolæ eas in cibis hodieque recipiunt. Ergo Johanni non fuit peculiare quod locustis & agresti melle vixit, sed quod his solum cibis vescebatur, iisque forte oblatis, ut Judæi Johannem scirent extraordinarium habere munus. Isidorus Pelusiota imperitiæ perperam accusat sic sentientes, qui & magno numero, & celeberrimi sunt, & nituntur disertis S. Scripturæ verbis.

Eccles. 12. 7. de sene dicitur: *Et ingravescet locusta*, al. *crescet*, al. *impinguabitur*. Ibi docetur varia quæri mysteria, sed longius petita. Et quid fabulentur Hebræi de statua Nebucadnetsaris. Kimchii etiam & recentiorum quæ sint explica-

explicationes. Et cur credatur senex esse locustæ similis. Et fingatur Tithonus in cicadam esse mutatus. Et senes cum cicadis Homerus cur conferat, חגב *chagab* nonnullis pro cicada pudendum est. Aliis talus, ut crus, aut malleolus pedis. Quin חגב *chagab* est *caput femoris*, quod Arabes nos docuerunt, quæ pars senibus ingravescit, unde incessus tardior.

Apoc. 9. locustæ mysticæ multa habent ex veræ locustæ descriptione petita. Ut quod ex fumo prodeunt (Quomodo per fumum locustas venentur Acridophagi) Quod nocent per quinque menses. Et equis sunt similes, ut Joel. 2. 4. Et dentes habent leonum ut Joel. 1. 6. Et loricas ferreas. Et sonum alarum ut curruum, ut Joel. 1. 5. Sed septem illis notæ sunt peculiares, quæ pertinent ad mysterium.

Aut in ipsa Scriptura, aut in Scripturæ versionibus, septem occurrunt muscarum species: Musca proprie dicta, apis, vespa, œstrum, cynomyia, culex, sciniphes. Musca Hebr. זבוב *zebub*, & Arab. ذباب *djebab* dicta est ab incertis sedibus. Quo facit Luciani locus, & Arabum Proverbium, *musca inconstantior*. Nonnullis Arabum musca munda est, sed immunda ex Lege Mosis. Eadem Græcis ἑξάπους, sed Hebræis solum quadrupes, quia duo pedes anteriores manuum potius vices gerunt. His oculos abstergunt, cibos sumunt, quicquid tollendum est evehunt, quod Philosopho est χαρακτηρίζειν.

Eccles. 10. 1. *Muscarum mortuarum una facit ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii.* Ut in Paulo *parum fermenti totam massam corrumpit*. Nam multo facilius corrumpitur quod bonum est, quam emendatur quod malum. Vide Ag. 2. 12. 13. Cum muscis conferuntur Ægyptii Es. 7. 18. cum aliis de causis, tum propter multitudinem, ut in Homero & Plauto.

Accaronitarum Deus Beelzebub dicitur 2. Reg. 1. 2. id est *Dominus musca* vel *Dominus muscæ* potius. Quales Dii apud Græcos Μυιάγρος, Μυίαγρος, Ἀπόμυιος. Quorum fana creduntur post certa sacrificia muscis fuisse inaccessa. Id ipsum Judæi scribunt de Jerosolymitano templo. *Beelzebub* mutatum in *Beelzebul*, ut *Babelmandab* in *Babelmandel*, & *rebab* in *rabel*. Idem Beelzebub creditus esse princeps dæmonum, & dominus Acherontis, quia Deus erat Accaronis, quasi *Accaron* & *Acheron* idem essent. Hebræos enim posteriores multas suæ linguæ voces ex Græca deduxisse probatur aliquot exemplis.

Apis Hebr. דבורה *debora* dicta à mirabili ductu & ordine. Apes non solum ex apibus, sed & ex bove nascuntur, & quomodo id fiat. Et qui factum ut apes Samson repererit in leonis cadavere, cum inde non nascantur, & à carne abstineant, & graves odores fugiant. Unde est quod apes in alveari mortuas superstites efferunt, ne tetrum odorem exhalent. Resp. 1. Apes ibi repertas fuisse, non natas. Apes enim quasdam esse λεοντογενεῖς leoninâ ferociâ sunt meræ nugæ. Quin in Æthiopia ubi sunt leones, apes sunt mitissimæ. At asperrimæ in Scythia, quæ leonibus vacat. Eas enim è Scythia perperam excludit Herodotus, ut animal δύσριγον. 2. Cadaver leonis, in quo apes, fuit σκελετόν. Mel enim ibi repertum est non statim à cæde, sed post dies, id est post annum Hebræâ phrasi. Sic apes mellificæ Amathunte visæ sunt in Onesili capite, & in sepulchro Hippocratis, & in aliis Veronæ.

Apes audire quidam negant. Tamen ad Es. 7. 18. eas sibilo vocari ait Cyrillus, ut alii tinnitu æris, & testis collisis terreri. Aristoteles hic ambiguus. Deut. 1. 44. apes fumo irritari leguntur in interprete Syro & Chaldæo qui emendatur. Id Græce βλίττειν & καπνίζειν, & Arabice جلا *giala*. Hebraice מרף *maddaph* dicitur vas quo fumigantur. Ex apum fumigatione, ut à Mose, sic à poetis ducuntur similitudines. Ps. 118. 12. & Es. 7. 18. hostes infensissimi cum apibus merito conferuntur, quia apes sunt fortissimæ, nec animalia vastissima infestis aculeis aggredi timent. Eædem in bello quandoque hosti objectæ. Et inaccessa fuere quædam loca propter apum multitudinem. Et adulteri à Judæis hodieque dicuntur nudi apibus exponi.

Apes commendat imprimis mellis conficiendi artificium, de quo in Hebræorum sacro textu hoc solum reperias Jud. 14. 8 *Et ecce examen apum in corpore leonis, & mel.* Examen apum & mel, id est examen apum mellificarum, per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Sed Græci Patres è penu suo tres alios textus proferunt. Primus est Psal. 117. (Hebr. 118.) 12. *Circumdederunt me, ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον, ut apes favum.* Ita etiam Æthiopes. Et Arabum unus habet *favum*, alter *ceram*. Sed probatur Græcos vocem κηρίον perperam addidisse.

Secundus est Prov. 6. 8. ubi post locum de formica πολυθρύλητον, de ape quædam adduntur, quæ citant multi Patres, transtulit Arabs, & Castalio quoque his verbis: *Aut apem adi, & disce quam operosa sit, quamque augustum opus exerceat: Cujus laboribus & Reges & privati vescuntur salubriter. Eaque omnibus est amabilis & illustris. Et quamvis viribus infirma sit, tamen sapientiæ studio promovit.* Ad quem locum notamus, 1. apem cum formicâ sæpe jungi. 2. Ex brutis peti exempla vitæ, ut in Scriptura passim. 3. Apem imitandam sæpe proponi. Hinc mulierem frugi ex ape natam esse fingunt Simonides & Phocylides, & cum ape confert Xenophon. Et illustrissimæ fœminæ Deboræ & Melissæ, id est apis nomine appellari non dedignatæ sunt. 4. Apem ἐργάτιν seu opificem dici, ut in Aristotele, Varrone, Luciano, Antiphilo, Pisidâ. 5. Et ejus ἐργασίαν σεμνὴν *opus augustum* aut *venerandum* vocari. Nisi quis legi malit πῶς τε ἐργασίαν σμήνων ὡς ποιεῖται, & *alvearium opus quomodo faciat.* Quod ut introspiceret Aristoteles, fecit alveare vitreum, si Arabibus creditur. 6. Apis labores, id est mel, ad sanitatem & longævitatem conferre, quod Pythagoræ, Glauci, Democriti & Pollionis Romuli exempla abunde probant. 7. Apem apud omnes esse amabilem & claram. Mel enim ubique nascitur, & ubique est in pretio, ab ultimâ Scythiâ usque ad Afros & Æthiopes. Et apum amore captus Aristomachus Solensis duodesexaginta annis huic uni curæ incubuit. Et Philiscus Thasius in desertis apes colens ἄγριος cognominatus est. 8. Commendari apis sapientiam, quia naturæ instinctu id facit quæ si facerent homines, sapientum catalogo merito inscriberentur. Quin nonnulli apud Poetam *esse apibus partem divinæ mentis & haustus æthereos dixere.*

Tertius locus Sirach. 11. 3. *Parva in volucribus est apis, & principium dulcedinum*, id est summe dulcis est *fructus ejus.* De cujus loci scopo disputatur.

Mel Hebr. דבש *debas* dicitur, quo appellantur etiam dactyli, & succus qui vel ex dactylis, vel ex ipsa palma elicitur. At hic agitur de melle apum, quod sylvestre vel domesticum. Sylvestre à Samsone in agro, & à Jonathane in sylva repertum. Hinc Solomon, *reperisti mel?* Prov. 25. 16. Et *mel è petra manat* Deuter. 32. 13. Quæ ideo dicitur *rupes mellis* Psal. 81. 17. Fluxus mellis Chaldæis est בריז *brez* vel *briz*. Unde *Bressæus* vel *Brisæus* dictus Bacchus mellis repertor. Et *Brisæ* nymphæ quæ Aristæum docuerunt mellis conficiendi rationem. Sylvestre illud mel Joh. Baptistæ cibus fuit Matth. 3. 4. Et in bonis terræ Chanaan. Quæ proinde vocatur terra mellis, & melle fluens. Sed maxime in pretio fuit mel Jerichuntinum & Thecoense. Unde est quod mel è Judæa in Ægyptum deferebatur Gen. 43. 12. Et ad Tyriorum nundinas Ezek. 27. 17. Tamen in Johanne Baptista magnæ id fuit abstinentiæ, quod solis locustis & melle vixit. In melle enim parum est alimenti. Aristoxeni & Pythagoræ abstinentia huic fuit ex parte similis, sed multo minor.

Mel à dulcedine commendatur Eccles. 11. 3. & Jud. 14. 14. Ad quem locum agitur de gripho Samsonis, & de griphis apud veteres inter epulas proponi solitis, & ab ænigmate quid differant: Et quæ præmia vel pœnæ fuerint. Dulcia omnia sacri Scriptores cum melle conferunt ut mannam, sacrum volumen, sapientiam, Josiæ memoriam, verba sponsi & sponsæ. Ita poetæ passim.

Mel inter necessaria ponunt Hebræi veteres Sirach. 39. 31. quia ad multa fuit utile, ad esum, ad potum, ad medicinam, ad conservanda cadavera. Melle denique in sacris usi sunt superstitiosi homines. De esu sic Jonathan Levit. 11. 20. *Species apum abominatio erunt vobis, tamen mel apum comedetur.* Quod illustrant Arabes humani lactis exemplo, qui permit-

permittitur, licet caro humana sit prohibita. Itaque mellis esus in Lege, Psalmis, Proverbiis & Prophetis passim laudatur. Et eo usi sunt Samson, Jonathan, Solomon, Christi præcursor, & Christus ipse. Infantili etiam ætati id convenire probatur ex celebri loco de Emmanuele Es. 7.15. *Butyrum & mel comedet* &c. Proinde in Baptismo, in quo fideles renascuntur, lac & mel prægustandum dabant veteres. Et fertur ipse Jupiter nutritus fuisse lacte & melle. Sed mellis quoque fastidium vitandum monet Solomon Prov. 25.16. & 27.7. De mellis potu hæc proferunt ex Vulgata Nehem. 8.10. *Bibite mulsum*, id est οἰνόμελι, de quo nos multa. Tamen Hebræa solum habent, *Bibite dulcia*. Jonathanis oculi mellis esu aperti 1. Sam. 14.27. quia propter inediam caligo ei erat oborta. Id Arab. أسدف *asdapha* dicitur. Quod ajunt mel illitum caliginem discutere, ad rem non facit. Nec Hieronymo assentior, cui mel Jonathanis meretrix fuit. Quæritur cur tuber camelorum דבשת dicatur, tanquam à melle. Item an Jacobus melle fuerit pollinctus, ut in Ægypto fiebat. Democritus quoque corpora sic asservari voluit in spem resurrectionis. In primitiis mel oblatum, non tamen super altare Levit. 2.11.12. Cujus prohibitionis Patres pias causas plures afferunt, sed Plutarchus unam ridiculam, quæ refellitur. Mel Baccho & aliis Diis oblatum. Mellis usus etiam in mortuorum inferiis. In Virgilio legendum, *Melle soporatam* &c. non *saporatam*, ut contendit Turnebus. Saporandi enim vox ignota fuit ævo Augusti. Et in melle est soporandi vis.

Alius apis labor est cera, melle non minus utilis. Ex cera enim cerei fiunt quibus tenebræ fugantur. Eadem præstat usum glutinis. Et tam cerâ quam melle cadavera condiebantur, quod Græcis est κατακηρῶσαι. Itaque *mumia* vox notissima deduci videtur ex מום *mum*. Persæ ceram & Arabes σφοντιλιν sic appellant. Hinc à Græcis מים κηρὸς redditum Es. 64.2. quia legerunt מום pro מים. Ceræ etiam multus fuit usus in Scriptura, pugillaribus, pictura, fuco & sigillis, qui hodieque durat. Cum cerâ ad ignem liquescente multa conferunt sacri & profani scriptores. Es. 41.10, השתעה est ceræ instar mollescere. Cor Jacobi sic fuisse emollitum, cum pro Esavo patri se obtulit, Judæi fabulantur. Gen. 37.25. probatur נכאת nec ceram esse, nec myxaria, sed styracem.

Ab apibus itur ad vespas seu crabrones, per quos Deus Chananæos percussisse, & è sedibus suis pepulisse legitur Exod. 23.28. Deut. 7.20. & Jos. 24.12. Ad quæ loca duo quæruntur. 1. An Hebræum צרעה *tsira* vere vespa aut crabro sit. 2. Utrum literali sensu an metaphorico vespæ dicantur Chananæos expulisse. De primo dubitatur, quia צרעת *tsaraath* est lepra. Itaque צרעה *tsira* ex eadem radice Aben-Ezræ est morbi genus quo debilitantur vires corporis, quod sequuntur nonnulli Arabum. Sed morbus ægros detinet potius quam è sedibus suis pellit. Itaque omnes alii צרעה *tsira* vespam aut crabronem reddunt, quæ promiscue sumuntur, quia sunt simillimæ. Vespæ ampla descriptio sequitur ex Arabibus. Et docetur quale sit crabronis aut vespæ mel. Et βλίττειν quid significet. Et vespam oculos impetere, pungere, fodicare, & venenum in eos spargere. Et cur dicatur צרעה *tsira*.

Ad secundam quæstionem, non pauci Chananæos pulsos fuisse negant à vespis proprie dictis, quia id fidem prope superat. Nec in sacra historia narratur quo loco & tempore factum fuerit. Itaque Eusebius Cæsariensis, Augustinus, unus Arabum, multi recentiorum vesparum nomine terroris aculeos intelligunt, qui pluribus refelluntur. Docetur sacros Scriptores multa obiter referre, circumstantiis plane suppressis. Loca non pauca fuisse ab animalculis desolata, & gentes pulsas vel excisas. A ranis Autariatas, & quosdam Gallos. A muribus Abderitas, Troes, in Italia quasdam gentes, Megarenses, Chalcidenses, Gyarenses. Neuris, Amyclis, Rhodo, Chio, Teno, Salamini serpentes fuisse infestos. A scorpionibus & solpugis vel phalangiis deletam gentem Æthiopicam citra Cynamolgos. Culices Myusiis fuisse molestos, & Persis prope Nisibin. Loca esse trans Istrum propter apes inaccessa: Easdem fuisse Lucullo adversas, & Rhauciis Cretæ populis. Et quod maxime ad rem facit Phaselitas à vespis fuisse pulsos, id est Phœnices seu Chananæos, qui ex Phœnice profecti Phaselidis montana occupaverunt.

Vespæ apibus & hominibus molestissimæ. Earum in pullos amor. Illis proprium τὸ ἀμυντικόν. In somnis visæ quid significent. Et Proverbia σφηκῶν δριμύτεροι & σφηκιὰν ἐρεθίζειν. His cur similis Antisthenes. Cur Archilochi & Hipponactis tumulis vespæ insculptæ. Vespæ quæ sint acerbiores, & quomodo faciant ictus lethiferos. Cur Cyprus olim Σφήκεια dicta. Vespa ex crocodilo iracundior, ex equo animosior. Vespæ ex equis & asinis, crabrones ex mulis nascuntur. Crabronum ictus lethiferi. Crabro ἀνθρήνη Græce unde dictus. Crabro juvencis, hominibus, apibus, aviculis quam sit infestus. Chaldæa paraphrasis Ps. 101.5. explicata. Cur leprâ percutiatur qui proximo detrahit. Linguâ tertiâ loqui, quid sit Chaldæis & Arabibus.

Οἶστρος *asilus*, licet ex vetustis poetarum fabulis de Bellerophonte, Ampelo & Jo οἰστροπλῆγι celeberrimus, tamen hodie paucis notus. Ore pungit non caudâ. Οἶστρος fit ab οἴω fero, ut ὀϊστὸς sagitta. Latina vox *asilus* ævo Senecæ jam usurpari desierat. Hebr. נתש *nathas* vellicare etiam carnem. Inde יתוש *jathus* pro ינתוש *janthus* asilus dictus. Οἶστρος *asilus* & μύωψ *tabanus* à gravissimis & vetustissimis auctoribus pro synonymis habentur. Tamen distinguit Philosophus. Et re vera differunt origine, mole, aculeo, bombo, & quia *asilus* solis bobus, *tabanus* etiam aliis quadrupedibus infestus est. Ita est in Hesychio. Tamen alii camelos quoque & equos ab œstro, chelydros à tabano agitari volunt. Sed uterque boves ut plurimum invadit, idque maxime in ilibus, non in oculis ἐν λαγόσι, non ἐν λογάσι, ut mendose legitur in Apollonii Scholiaste. Boves hoc vulnere læsi quam graviter afficiantur, docetur 1. ex Poetis, 2. ex Patribus.

Ezek. 2.6. παροιστρήσουσι est pro Hebr. סרבים *sarabim*, id est rebelles. Quæ vox Hebræis aliunde ignota, non solum Chaldæis familiaris fuit, sed etiam Ægyptiis, apud quos *Sarabaita* monachi, aliis *Renuita* à renuendo dict. sunt, quia omnis disciplinæ jugo excusso, suo arbitratu vivebant. Os. 4.16. δάμαλις παροιστρῶσα, Hebr. סררה *surera* refractaria, id est quæ jugo obnititur. Sed Græcis παροιστρῶσα, quia Arab. شران *sarran* est culicis genus. Quo סררה pertinere creditum.

Canis & musca duo animalia sunt maxime impudentia. Ex utroque conflatum κυνόμυια, quo nomine in Homero Minerva per convitium vocatur. Et Nicion meretricula in Athenæo. Est & musca tabano similis, mordax, insidiosa, in teli morem cum impetu ruens, & cuti maxime hærens. Nonnulli canem vocant. Refelluntur qui scribunt κοινάμυιαν & κοινόμυιαν. Dicitur κυνόμυια, quia canibus infesta est, & eorum aures lancinat. Hujus Arabica nomina explicantur. Non est idem quod κρότων ricinus, quamvis ricinus sit canibus æque infestus, unde vocatur κυνοραϊστής. Hebræum ערוב *arob*, uni Arabum est حرقوس *hurkous* pediculi inguinalis genus. Aliis variorum animalium colluvies, quod sequuntur recentiores. Sed veteribus est κυνόμυια. Probatur neque ferarum, neque serpentum, neque muscarum esse colluviem, sed certi animalis genus. Nec sequi ערוב *arob* esse animalium colluviem seu mistionem, quia ערב *arab* miscere sonat. Verbum enim ערב *arab* est πολύσημον, & multa significat quæ in muscam caninam quadrant. Et constat ex ipso textu ad certam animalis speciem ערוב *arob* restringi. Proinde causa nulla est cur à veteri & jam olim receptâ versione discedamus.

Exod. 8.20. Pharaoni ad aquas egredienti, Dei nomine denuntiat Moses fore, ut nisi dimitteret Israelitas, Deus crastinâ die cynomyias immitteret. Egressus autem est ad aquas Pharao hic & Exod. 7.15. non quod magus fuerit aut ὑδρομάντις, ut Hebræi volunt, sed vel animi causâ, vel ut Nilum coleret, quem Ægyptii pro Deo habebant. Porro muscarum copia ideo maxime timetur quia sæpe est pestifera. Et caninam Ægyptiis verisimile est magis odiosam fuisse, quia colebant canes. Ab hac plaga, ut à reliquis, immunis fuit terra Gosen. Quæ distinctio docetur jure vocari mirabilis. Et cur esse dicatur Deus in illius terræ medio. Et cynomyiam gravem dici pro multa. Et terram perdere, id est perdere terræ incolas, ut Psal. 78.45. & Sap. 16.9. Et hæc plaga quam fuerit gravis. Ibidem docetur quid sit abominationem

Ægyptiorum sacrificare. Bovesque, oves & hircos ab iis mirâ superstitione fuisse cultos. Quos si mactassent Israelitæ, periculum fuisse ne Ægyptii illos lapidibus obruerent, quæ sunt arma consueta in populari seditione. Nec mentiri Mosem cum nullam discessus sui causam prætexit quam sacrificandi necessitatem. Quæritur an Mosi licuerit Pharaonem in os imposturæ arguere. Et quomodo muscæ omnes ex Ægypto amotæ fuerint, quæ iis maxime scatet.

Culicis generale nomen Græci non habent. Nam κώνωψ, quo passim utuntur, est certa culicis species. Et βάτζα nomen recens factum ex Arabico بعوضة *baudsa*. Culicis encomia proferuntur ex Plinio & Alkazuinio. Alii culici elephantem opponunt: Sed Christus camelum ut notiorem Matth. 23. 24. Culex pro re minima passim sumitur. Κώνωψ in Matthæo proprie est culex vinarius. Quæ significatio est retinenda, quia agitur de culice qui percolatur, id est qui in vinum delapsus, ex eo percolato eximitur. Judæi enim vinum percolabant, ne quid immundum incauti absorberent, quod tam ex Talmude constat quam ex Græca versione Amos 6. 6. Illum culicem Hebræi יבחוש *jabchus* vocant, quia vino immiscetur. Nam בחש *bachas* est immiscere. In loco Matthæi, quem citavimus, insigne mendum eluitur à scribis Arabicæ versionis admissum.

Ἐμπὶς aliud est culicis genus in aquosis locis nascens, ut prope Athenas ἐμπὶς Τετραγυρία. Hebraice dicitur יתוש *jatthus*. Sanguinem exsugit. Elephantem terret. In ejus aures & promuscidem ingreditur. Exemplum illustre circa Nisibin. Eadem bubalis & bobus infesta. Aliter בק *bak* dicitur, & βύτυπος, & *mulio*. Non tamen mulos, sed apes impugnare legitur. Ζῶον est ἐφήμερον. Hujus species מפגיע *maphgia* leonem invadit. Maxime in Mesopotamia & Rhizophagis. Qui & ipsi per culices è regione sua pulsi, ut Myusii prope Mæandrum, & infra Pergamum Atarnitæ. Ægyptii, ut hoc incommodum vitent, dormiunt in summis turribus, ad quas ne culices provolent ventus prohibet. Alii conopæis reticulati operis eos arcent. Ibi obiter de Cleopatræ conopæis. Tiberiadenses unguento quodam infantes à culicibus liberant. Fabulam Judaicam de culice, qui in Titi nares ingressus, cerebrum ejus toto septennio convulsit, explodunt ipsi Judæi. Arabes de Nimrodis culice *socainâ* tale aliquid narrant.

Ex palma & caprifico oritur ὁ ψὴν, aliud culicis genus, per quem eorum fructus ad maturitatem perducitur. Sed alii culices κνῖπες vel σκνῖπες nomine, in ulmo, robore & ficu nati hos psenes vorant. Ψὴν Arabibus est بقة *bakka*. Hinc *arbor albak* illis est arbor culicum, non cimicum. Licet البق *albak* quandoque sit cimex. In Galeno vermes vitibus infesti male vocantur σκνῖπες pro ἶπες. Græca versio σκνῖφας habet pro Hebr. כנם.

Scnipes seu ciniphes à Patribus sic describuntur, ut videantur potius ἐμπίδες intelligi, seu palustres culices. Sic Nisibeni ciniphes nati videntur ex eluvie amnis Mygdonii prope Nisibin. Horum Arabes meminerunt. Talmudici quoque, cum culicis malleum dicunt libras sexaginta pendere. Probatur Hebræo nomine כנים *kinnim* pediculos potius quam hos culices significari. 1. Quia in Ægypto non orti sunt ex aquis, sed ex terra. 2. Quia erant in hominibus & jumentis, quod de culice non dicitur. 3. Quia nomen כנים *kinnim*, à firmitate & stabilitate ductum, non convenit culici, sed pediculo. 4. Quia hujus singulare כנה *kinna* Talmudicis est pediculus. 5. Quo alludunt κόνις pro lende, & κονία pro minoribus pediculis 6. Ut ad כנם alludunt Samaritanum [illegible], Chaldæum קלמ, & Arabicum قمل pro pediculo. 7. Josephus, Chaldæi, Syri & Arabes Scripturæ interpretes magno consensu sic reddunt. 8. Alcoranus etiam & Mahumetanorum doctissimi.

Cur Exod. 8. 16. 17. ad pediculos procreandos terra potius ab Aarone quam à Mose sit percussa, Hebræorum commentum, quod refellitur. Vera ratio adducitur, cur Ægyptios Deus modo immediate, modo per servos suos percusserit. Quæritur quomodo pediculi ex pulvere sint procreati. Docetur pediculos tam bestiis quam hominibus esse infestos, & herbis etiam, & vitibus. Et in solo homine plures haberi species, nempe pediculos inguinales, lendes, acaros seu *sirones*, alatos in Rizophagis, ricinos. Cur hujusmodi bestiolis Deus usus sit in Ægyptiorum perniciem. Et à pediculis quanto studio sibi caverint Sacerdotes Ægyptii, tanquam in hujus plagæ memoriam.

Quia חרטמים *hartumim* dicuntur pediculos procreare non potuisse, docetur obiter cur Magi sic appellentur. Et quæ sint vocis origines ab aliis allatæ. Et sententia auctoris, eos à magico murmure sic nominari. Et חרטם *hartum* proprie esse ἐπαοιδὸν. Iidem Arabibus علما *ulama*, unde Elymas Act. 13. 8. Ad חרטם *hartum* alludit Ἄγριμα, id est Diana seu Hecate, quam Magi invocabant. Magorum in Ægypto principes fuerunt Jannes & Jambres 2. Tim. 3. 9. Magi ita fecerunt, id est facere conati sunt, Scripturæ est phrasis. Quæritur cur pediculos procreare non potuerint. Et Hebræorum futili ratione rejectâ, affertur alia verior. Magi tribus quasi gradibus dejecti, hic digitum Dei agnoscunt, & sic fatentur se esse θεομάχους. Digitus Dei manui non opponitur, ut vult Tertullianus, sed sumitur pro ipsa manu. Pediculi in tota Ægypto fuere, præterquam in terra Gosen. Citantur alia Scripturæ loca quæ nonnulli perperam ad pediculos referunt. Et Arabica versio emendatur Ps. 77. 51. Et Græca Jer. 43. 12. Antiochum & Herodem non eroserunt pediculi, sed vermes.

Ab Hebræo pulicis nomine פרעש *paros* fit Arabicum برغوث *borguths*, & Syrum ܦܘܪܬܥܢܐ *purtaana* vel ܦܘܪܬܚܢܐ *purthaana* potius, quod pro pulice male redditur culex à viro his doctissimo. In Plinio & Augustino culex pro pulice legitur, & in Giggeio multoties. Arabes pulicem quomodo describant, & cur vocent *patrem saltus*. David cur se vocet pulicem 1. Sam. 24. 15. & 26. 20. Sic in Homero pediculus est pro homine vili. Et tenuiores Claudius pulices vocavit. Et copiæ imbelles dicuntur esse ψύλλων νέφος *pulicum nubes*, & ψύλλων ἱππικὸν *pulicum equitatus*. Nec ignotum est Proverbium, *in pulicis morsu Deum invocat*. Item, *Excoriat pulicem, ut pellem habeat*, de viro sordido dictum. Socratem pulicum saltus metitum esse, præter Aristophanem, Xenophon etiam scripsit. Ad cerastis morsum observatur non adhiberi ψύλλαν pulicem, ut putat Phile, sed ψύλλον Psyllum hominem qui virus exsugat. Vir illustris in Esdra פרעש *Paros*, id est pulex vocatur. Ut Psyllus Græcis viri nomen, Psylla vel Psyllium urbis, unde Psyllici canes. Psylli populi unde dicti. Ager quidam Siciliæ *terra di Pulici* dicitur, non à pulicibus, sed à Polluce qui olim templum ibi habuit.

Formicam Græci μύρμηκα, & variante dialecto βύρμακα & φόρμυγγα vocarunt, unde Latinum *formica*. Hebræi נמלה à נמל *namal*, id est spicæ caput abscindere Job. 24. 24. Quia spicarum capita abscindit, ne germinent, ut multi scribunt, vel potius ut grana ex iis eximat. De quo citatur & explicatur insignis Æliani locus, non satis intellectus. Probatur ἀθέρας esse spicarum capita, & his opponi νέαγας, imo νεῤῥυγκας, quia infimam spicam Varro *urruncum* vocat, Chaldæum formicæ nomen שומשמנא *sumsemana* cur ab odoratu sit sumptum.

Formicam Ælianus in exemplum pigris proponit, ut multo ante Solomon Prov. 6. 6. *Vade*, inquit, *ad formicam*, quomodo ad doctores itur. *Aspice vias ejus*, etiam proprie dictas, quomodo apud Aristophanem Agathon poeta Tragicus cecinit Μύρμηκος ἀτραπούς, *Formicæ vias*. Eâdem viâ semper incedunt. Vacuæ cedunt onustis. Onera partiuntur. Succumbentes adjuvant. Egrediens ingredienti non obstat. Tamen hic aliud viæ formicæ, nempe vivendi ratio, de qua citatur ex Hebræo scriptore locus insignis. *Aspice vias ejus & sape*, non solum ut doctior fias, sed & sapientior, & referas ad vitæ praxin. Ita Horatius & Juvenalis. *Ducem non habet*. Sic Aristoteli formica est ἄναρχος. Pro duce Græci γεώργιον, & Syrus *messem* habet, quia aliter legerunt. *Parat tamen æstate cibum, colligit in messe escam*. Æstas & messis sunt synonyma. Sed æstas ibi pro vere est, quo in Judæa fit messis. E multis hoc unum profert Solomon, hic & Prov. 30. 6. quia huc refertur fere quicquid in formica miramur. Cryptas magnâ arte effodiunt, & ab aquarum alluvione defendunt. Variæ in iis mansiones. Commune stabulum, penu, cœmeterium in quo patria monumenta. Apothecas subterraneas Ælianus σιροὺς appellat voce maxime propriâ. Variæ mansiones sepibus distinguuntur. Viæ ad illas flexuosæ. Inde hyeme non prodeunt

sed

ſed circà meſſem. Onera ore vel humeris ferunt, & partiuntur inter ſe, & ſemina dividunt, ſi meatus ſit anguſtior. Et madefacta ſudo cœlo proferunt, ut exſiccent. Noctu in pleniluniis laborant, interluniis ceſſant. Sabbatha quoque ſeptima & trigeſima ab iis obſervari nugatur Tzetzes. Sed origo fabulæ aperitur.

Huic parallelus alter eſt de formica locus Prov. 30.25. *Quatuor iſta ſunt minima terræ, ſed ſapientia tamen, & ſapientiam edocta. Formicæ populus debilis, quæ æſtate parant cibum ſuum.* Formicas merito cenſet inter minima terræ. Cum harum una ſit ſpecies, ذر *dſar*, id eſt atomus dicta, cujus centum non pendunt niſi unum granum hordei. Majores enim illæ in India fabuloſæ ſunt. Sapiens etiam dicitur, ut in Horatio, *utitur ante quæſitis ſapiens.* Et in Epiphanio θυμόσοφος, voce ex Æliano mutuata. Qui illam addit σοφίᾳ τινὶ ἀποῤῥήτῳ, *ineffabili quâdam ſapientiâ effodere Ægyptias ſeranges, & Creticos labyrinthos.* Semiphœniciis enim nominibus flexuoſas formicæ cryptas ita appellat. Eadem cognitionis & ſolertiæ fuit ſymbolum apud Arabes & Ægyptios. Et à ſcientiâ Græce vocatur ἴδρις in Heſiodo & aliis. Proinde politicos homines Plato in formicas migrare ſcribit. Et quærit Ariſtoteles cur ingenio formicæ reliquis animalibus plus valeant. Cleanthes *rationem* illis tribuit, Celſus *colloquii ſpeciem*, Cicero *mentem*, Plutarchus *omnium virtutum ſemina.* Illarum reſpublica Solomoni *populus*, aliis *claſſis, concio, exercitus.* Et populus *debilis* quidem, tamen ſuo modo potens. Nihil enim neque infirmius, neque fortius. Gentem memorant Arabes *Gerham* nomine à formicis exciſam. Ab iiſdem Indi maxime ſibi cavent, aquarum alveis circa penuaria deductis, ut formicis ſint inacceſſa. Quamvis ne ſic quidem omnes arceant. Nonnullæ enim glumas pro cymbis adhibentes, navigant quocunque volunt. Docetur iis animalibus quæ cibos in futurum recondunt formicam longe præſtare. Arabes Solomonem dictitant formicarum myſteria intellexiſſe, & ejus cum formica Tachia nomine colloquia referunt.

Aranea ut Hebr. עכביש *acchabis* dicitur, ſic Chald. עכבישא *acchubitha*, & Arab. عنكبوت *anchabuths*, fortaſſe à שבך inverſis radicalibus, propter retia & caſſes quas texit. Pſal. 140. 4. עכשוב *achſub* non eſt aranea, ut à Chaldæo, ſed aſpis ut à Paulo redditur Rom.3.13. Sic Prov. 30. 24. שממית *ſemamith, quæ capiat manibus, & in Regum palatiis degit*, eſt ſtellio, non aranea, ut volunt recentiores. Arabica tria nomina شبث & عكاش & مول aut his ſimilia, veteres in ſacro textu legiſſe ſuſpicamur: primum Job. 27.18. ſecundum Pſal. 38. tertium Pſal. 89. 10. Chaldæum עכובית׳א *acchubitha* æquivocum eſt, nec ſolum araneam ſonat, ſed & herbæ ſpinoſæ & edulis genus in Chaldæo paraphraſte Jerem. 17. 6. id eſt σίλυβον ſilybum vel ſillybum, quod probatur ex Arabibus.

Telæ aranearum Eſ. 59. 5. קורי vocantur, non quia à trabibus pendent, ſed quaſi חורי id eſt retia; probatur enim *cheth* & *koph* eſſe literas permutabiles. Oſ. 8. 6. שבבים non ſunt fila aranearum, ut Hebræus quidam Hieronymo perſuaſit, ſed fragmenta. A Talmudicis eadem vocantur חוט של בוכיא, id eſt *filum perplexitatis.* Ut araneæ opera, ſic impiorum molimina fluxa ſunt & evanida Eſ. 59. 5. 6. Patrum quidam ad Hæreticos id referunt. Obiter agitur de telis aranearum quæ magnâ copiâ deciderunt, cum Monothelitas damnavit ſexta Synodus. Alii referunt ad Aſtrologos, ut ad Sophiſtas Ariſto Chius. Alii melius ad peccatores in genere. Job. 8. 14. *domus araneæ* eſt ipſa tela, quia ibi degit & parit. Phraſis eſt in Oriente frequens. Pſal. 57. 3. in Thargum narratur fabula de aranea quæ telam ſuam texuit in ore ſpeluncæ in qua latebat David. Quod ipſum de Fœlice jactatur, Nolano Epiſcopo.

Poetæ ſæpe vocem tribuunt iis ædibus in quibus crimen eſt perpetratum. Ita etiam Prophetæ, ut Hab. 2. 11. *Lapis è pariete clamat, & chaphis è ligno reſpondet ei: Væ ædificanti civitatem ex cædibus &c.* In his verbis neſcitur quid ſit כפיס *chaphis.* Pleriſque eſt pars ædificii. Aquilæ μάζα. Symmacho & Theodotioni σύνδεσμος. Hieronymo *lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt*, ἱμάντωσις ſeu *loramentum* ut Sirach. 22. 18. Heſychio ϛιγάνωμα, Chaldæo *fruſtum*, Syro *clavus.* Arabi *paxillus.* At Græcis κάνθαρος *ſcarabæus*, aut σκώληξ *vermis.* Quod alii alio, Ambroſius ad Chriſtum refert. *Bonus ſcarabæus*, inquit, *qui clamavit è ligno*, id eſt è cruce. Cyrillo & Theophylacto κάνθαρος ibi non eſt ſcarabæus, ſed ligni compages, quod eſt ſine exemplo. Κανθὸς quidem eſt in rota ferreum ligni vinculum. Sed κάνθαρος plane aliud, ſcarabæus ſcilicet. Itaque Seniores non puto quicquam præter ſcarabæum intellexiſſe. Et videtur hæc verſio ex eo nata, quod כפיס *chaphis* ſumptum pro חפושית *chaphuſith*, quomodo Hebræi ſcarabæum appellant, quia ſtercus ſcrutatur. Nam חפש eſt ſcrutari. At כפיס *chaphis* Talmudicis eſt later ſeſquipalmi, ut à menſura quidam lateres beſſales vocantur, & didori, tetradori, pentadori. Quæ ſignificatio hic omnino quadrat: *Lapis è pariete clamat, & later è ligno reſpondet ei, &c.*

Quia φθίνειν eſt conſumi vel tabeſcere, tineæ nomen inde deduci valde veriſſimile eſt. Tinea Hebraice עש *as* dicitur, Item סס *ſas* Eſ. 50. 9. quarum vocum origines Hebræis plane ignotæ ex Arabica lingua patent. Ex Hebræo סס *ſas* factum Græce σὴς, cui ſynonymum βρῶσις Matth. 6. 19. & βρῶμα Baruch. 6. 11. Blattas Romani poetæ cum tineis ſæpe jungunt. Tamen blattas ponit Plinius inter ſcarabæorum ſpecies. Et apud ſequentis ævi ſcriptores blatta eſt purpura, aut purpuræ pars. Tineæ proprium laneas & lineas veſtes conſumere, quæ proinde vocantur ἱμάτια σητόβρωτα Job. 13. 28. & Jac. 5. 2. Quæritur quid ſit conteri coram tinea Job. 4. 19. Et an cum tinea conferatur Deus Pſ. 39. 12. & Oſ. 5. 12. Et quomodo tinea dicatur theſauros corrumpere Matth. 6. 20. An quia veſtes olim in theſauris fuerunt. Et qu[illegible] ſit *tinea domus* Job. 27. 18. De tineis quatuor loca ex Græca verſione citantur, quæ Hebræi non agnoſcunt. In primo & u[l]timo male lectum eſt. In ſecundo רקב *rakab*, id eſt caries oſſium pro tinea ſumptum, ut & Sirach. 19. 3. Tertius locus Prov. 23. 20. in Hebræo prorſus deeſt. In Chaldæa paraphraſi corriguntur multa errata.

Vermis nec à vertendo dictus, nec à verrendo, nec à vere, ut quidam volunt, ſed à Græco ἕλμινς, præfixo digamma Æolico. Et ἕλμινς quaſi εἵλμινς, ἀπὸ τοῦ εἱλεῖσθαι, quia varie torquetur & convolvitur. Σκώληξ, ut σκέλετον, ἀπὸ τοῦ σκέλλειν, exareſcere in modum cadaveris, cum carne conſumptâ prorſus, ſolum oſſa ſuperſunt. Hebr. רמה *rimma* & תולע, quorum prius Arabice tineam ſonat, animalculum vermi non abſimile: In poſteriore *thau* ſervile eſt, & radix eſt לוע vorare. Cujuſmodi ſunt multæ voces, in quibus ſervile *thau* ſpeciem habet radicalis. Vermes non ſolum cadavera ſed & vivos homines vorant Job. 7. 5. Ita Herodes Agrippa σκωληκόβρωτος Act. 12. 23. Et Antiochus Epiphanes 2. Macchab. 9. 9. Pheretima quoque, Caſſander, Herodes Aſcalonita, Alexander impoſtor in Luciani Pſeudomante, Galerius Maximianus, Julianus Juliani Apoſtatæ patruus, Diocletianus, Neſtorius, Dodo qui Lambertum Tungrenſem Epiſcopum interfecerat. Vermes mortuo ſubſternuntur Eſ. 14. 11. Gloria hominis in ſtercus & vermes abitura eſt 1. Macchab. 2. 62. Cadaveris hæreditas vermes. Et contra vermis hæreditas cadaver Sirach. 10. 13. & 19. 3. Vermis Jobi mater & ſoror Job. 17. 14. Quæ ſors omnibus communis Job. 21. 26. Et de impio dicitur *exſuget eum vermis* Job. 24. 20. Pro quo alii male, *Dulcis eſt ei vermis.*

Vermes vitium Deut. 28. 39. Græce vocantur ἶπες vel ἶκες, unde Hercules ἰποκτόνος. Ἶπες dicti ἀπὸ τοῦ ἴπτειν à lædendo. Hic vermis Latine *involvulus, convolvulus, volvox.*

Vermis percuſſit *kikajon* Jon. 4. 7. Ergo *kikajon* non fuit κολόκυνθα cucurbita ut Græci reddunt: Eam enim vermes non tangunt. Inde Proverbium, ὑγιέστερος κολοκύνθης, *cucurbitâ ſanior.* Sed *kikajon* eſt κρότων *ricinus*, ut alibi docemus. Nam ſimile Proverbium, Κρότωνος ὑγιέστερος, neque de planta dicitur, neque de animali, ſed de Crotone urbe.

In Scriptura ſæpe memoratur תולעת שני, *vermis dibaphi* (ſup. cocci.) Nam ut purpura dibapha, ita & coccus. Coccus in Dioſcoride frutex eſt parvus, ſurculoſus, cui grana adhærent. *Cuſculia* vocat Plinius. In illis granis vermiculi ſunt ex quorum ſanie fit coccineus color. Inde κόκκος Latine *vermiculus.* Græce etiam σκώληξ & σκωλήκιον. *Emblemate vermiculatum.* Lucilio, id eſt coccineo colore tinctum. Ut Hieronymus pelles coccineas *vermiculatas* vocat. Et Arabice قرمز *kermez*

tam

tam est vermis quam color, qui à recentioribus dicitur *carmesinus*. Ibi multa afferuntur ex Arabibus de verme & colore *kermez*. Color is Chald. זהורי *zehori* à luce & splendore dicitur. Pro *he* Syri *cheth* scribunt, & Samaritani *ajin*. Æthiopibus idem est ለሳ: *lasa* pro Ægyptio κάλλαϊς, unde *Callainus* color.

Tria loca de verme ligni in Græca aut Vulgata versione habentur Hebræis prorsus ignota. Primus 2. Reg. 23. 8. in Vulgata, *quasi tenerrimus ligni vermiculus*. Nunquid legendum potius, *quasi tenerrimi ligni vermiculus*. Nam in tenerrimo ligno nascitur. Hæc versio unde sit nata docetur. Secundus in Græca Prov. 12. 4. *Sicut in ligno vermis*. Hebr. *ut caries in ossibus*. Aperitur fons erroris. Tertius in utraque Prov. 25. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi*. Quæ Hebræi non habent, sed omnes veterum versiones, & multi Patrum.

Vermis ligni plura sunt genera. In his θρὶψ *thrips*, à quo ligna erosa pro sigillo apud Lacones. Ῥόμοξ & ἴψ ligni vermes, unde sylva Hesiodo ἀϊδηλοτάτη. *Teredo* in mari & navibus. *Cossus* vel *cusus* unde *Gusano* Hispanice pro ligni verme. *Termes* idem. Ejusdem vermis tria nomina Arabica.

Mannam cur in crastinum servari prohibuerit Deus, & cur in crastinum servata vermes produxerit. Id fuisse miraculosum. In qua historia רמה & תולע promiscue sumuntur, ut in Jobo & Esaia.

Num. 11. 20. Coturnices לזרא id est *in vermes* nonnullis. Sed id incertum. Conferuntur hujus vocis variæ versiones. Et vera asseritur, & ex Arabismo probatur.

Homo vermis Job. 25. 6. Ps. 22. 7. Es. 4. 14. ὡς σκώληξ ἐπὶ γαίῃ κεῖτο ταθείς, ut in Homero Harpalion jacet ut vermis super terram. In verme duo contemnuntur 1. Origo. 2. ipsa natura. Animal est cæcum, surdum, informe, inerme, sine pedibus, omnibus injuriis expositum, rudimentum animalis potius quam verum animal. Tria loca quæ allata sunt non parum inter se differunt. Primus est de homine in genere, *Homo vermis & filius hominis vermiculus* Job. 25. 6. Secundus de Christo, *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & contemptus à populo* Psal. 22. 7. Tertius de Ecclesia, *Noli timere vermis Jacob*. Et pro ratione personarum varie intelliguntur. Homo in se vere ut vermis. Christus & Ecclesia vermes in hominum opinione. De Christi similitudine cum verme multa præter rem afferuntur.

Cur pœnæ inferorum cum immortali verme conferantur. Vermis est peccati conscientia, quæ reos perpetuo mordet. Vermem etiam ad corpus pertinere probat Augustinus ex Sirach. 7. 17. sed falsâ versione deceptus. Tityi vultur in fabulis idem significavit quod ille vermis.

Nepa Plauti non est cancer ut quidam volunt, sed scorpio, cujus incessus tam obliquus quam cancri. De eo Nonni locus emendatus & explicatus. *Nepa* in Cicerone & Manilio pro scorpione cœlesti. *Nepa* Festo vox Afrorum, id est Punica. Fortasse נב *neb* vel נבא *nebba*, à caudæ internodiis. Indidem *Ambubaja*.

Quæritur an Hebraicæ vel Græcæ originis sit vox Σκορπίος. Et Hebr. עקרב *akrab* dici per compendium pro עקצרב *akatsrab* à magno aculeo, quia μόνον τῶν ἐντόμων τοῦτο μακρόκεντρόν ἐστι, *hoc insectorum solum magnum habet aculeum*. Nam עקץ *akats* pungere de scorpione passim usurpatur.

Apoc. 9. 3. *Scorpii terræ* opponuntur volucribus de quibus multa. Est & marinus scorpio. Itaque qui pressius loquuntur scorpionem terrestrem dicunt, non scorpionem simpliciter. A numero pedum ὀκτάπους vocatur. Scorpionem poetæ à cauda maxime describunt, in qua venenum & aculeus. Vide Apoc. 9. 10. Scorpionis cauda πολυσφόνδυλος. Avicenna sex vertebras illi tribuit. Alii septem, quæ Arabibus خرزات *charazath*, & Talmudicis חומרי *chomare*. Nicandro scorpionis σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι, id est πολύδεσμοι, non præcise novem juncturis connexi. Cujus locutionis multa exempla. Scorpiones sæpe δίκεντροι. Aculeus tenui fistulâ perforatus, quæ Nicandro quorsum ὀπαῖον. Foramen non videtur. Galenus ullum esse negat. Tam tenui aculeo maximas belluas interimunt. Cauda semper erecta, & in ictum intenta est. Tamen à trahendo Arabibus جرارة *gerrara* dicitur parvi scorpionis species, quæ caudam humi trahit, cujus sequuntur natales & descriptio. Explicatur de eo locus Avicennæ ἀνεμιαῖος. Dolor ex punctura qualis in Apoc. 9. 5. Ἐξέχιψε & ἐγχρίμψῃ de scorpione quid sit fugit Lexicographos. Plura ex medicis & poetis, de eorum gravi dolore qui à scorpione puncti sunt. Cur locustæ scorpionum caudis Apoc. 9. 5. noceant solum quinque menses. Scorpio hyeme torpet, æstivis mensibus caudam erigit. Scorpiones cum serpentibus Scriptura sæpe jungit, & pro serpentibus nonnulli habent. Scorpio pro ovo Luc. 11. 12. quia scorpio magnus & albus, quales sunt in Judæa, ovo est utcunque similis.

Loca à scorpionibus dicta aut iis infesta. Ascensus *Akrabim*. *Akrabatene* duplex. *Acrabene* prope Nisibim. Ptolemæo male *Acabene*. Et prope *Sabaruz* in *Aderbigian*, quæ olim *Atropatia*. In Æthiopia *Arrhabatan* Æliano, fortasse pro *Akrabatan*. In Aria regio Σκορπιοφόρος. Qui sint Σκορπιανοί Stephano.

Ezek. 2. 6. *cum scorpionibus habitas*, id est cum hominibus sævis & truculentis. Quæ phrasis quam sit usitata. Apoc. 9. 3. 10. scorpionum nomine alii Patrum dæmones, alii hæreticos intelligunt. Ignatii de eo locus emendatus. Etiam ad dæmones multi referunt potestatem datam Apostolis calcandi super serpentes & scorpiones Luc. 10. 19. Sed ad literam id sumi probatur ex Marc. 16. 18. & Act. 28. 5.

Scorpiones flagri genus 1. Reg. 12. 11. مقرعا Syro & מרגנן Chaldæo. Sic μαράγνα pro flagro est Græca vox vetus. Et in Glossario *marrugina* paliuri genus. Scorpio genus machinæ bellicæ 1. Macchab. 6. 51. Quæritur an ea lapides vel spicula conjiciantur.

Ps 58. 9. שבלול *sabbelul* alii *ceram* explicant, alii *vermem*, alii *secundinas*, alii *limacem*, alii *fluentum aquæ*. Nos *limacem* præferimus cum auctore *Bereschith Rabba*, cujus verba corrupta emendantur. Limax Græce non solum κοχλίας dictus est, sed & σίαλος, σέσιλος, σελάτης, σισιλίτης, σέμελος. Solitanæ cochleæ olim erant magni nominis. Cochlea est vermis genus. Ab Hesiodo dicitur φερέοικος, & à Cicerone *domiporta*. Unde Proverbium ἀπιστότερος τῶν κοχλιῶν. Probatur ex Talmude שבלול *sabbelul* esse limacem. Hujus usus ad tumores. Non totus contabescit, ut Hebræi volunt: Sed ut habet Chaldæus interpres *humectat viam suam*. Unde Græcis ὑγροκέλευθος. Vir summus notatur, qui hoc alio refert perperam. Μύξα κοχλίου quid sit, & cur dicatur suo sibi succo vivere. Et impius esse ut limax liquescens. Et an vocetur שבלול *sabbelul*, quasi semitator, quia שביל *sebil*, id est semitam, signat. Aut voce compositâ ex שב *jasab* & לול *lul*, quia habitat in testâ in κοχλίου modum inflexa? Aliæ interpretationes refelluntur. Cur Symmachus *secundinas* reddiderit, & Aquila *vermem*. Quis sit sensus verborum, *liquescent ut aqua*. Limax à limo dicitur. Quid à cochlea differat.

Libro quinto agitur de aquaticis animalibus, quæ in scriptura pauca sunt, licet in natura plurima. A ranis fit initium, quæ Græce βάτραχος dicitur quasi βοάτραχος, quia vocem habet asperam & inconditam. Hebraice צפרדע *tsephardea*, non quod matutinum tempus præsentiat & clamore suo indicet, ut creditum est hactenus, sed quia in limosis ripis degit, ut ex Arabismo probatur. Reliqua ranæ nomina, Romanum, Æthiopicum, Talmudicum, Arabicum, Ægyptium, Punicum fere sunt ὀνοματοποιημένα. In Erpeniana Pentateuchi paraphrasi جران *geran* vocantur, quasi γυρῖνοι. Quâ tamen voce nonnisi ranunculi designantur adhuc informes, quia sunt γυροὶ τὸ σχῆμα antequam pedes habeant.

Exod. 8. 2. Deus Ægyptios percussurus plagâ ranarum, minatur antequam feriat. *Si nolueris dimittere populum meum, Ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis*, ut sciat Pharao hæc casu non accidere, & si non obsequatur fiat ἀναπολόγητος. Verbum נגף *nagaph* quo Deus hic utitur, aut ad mortem percutere significat, aut saltem gravi plagâ. Nonnulli Hebræorum refelluntur pluribus, qui voce צפרדעים *tsephardeim* pro ranis crocodilos, aut pro ranis aquaticis terrestres, id est bufones signifi-

significari volunt. Probatur totam Ægyptum ranis fuisse percussam. Falsum tamen est quod Hebræi volunt, hanc plagam controversos Ægyptiorum & Æthiopum limites distinxisse. Non solum fluvium, sed stagna quoque & paludes, imo qualvis Ægypti aquas ranas produxisse constat ex vers. 5. & 6 Et Nilo quamlibet sit naturalis ranarum productio, tamen hæc fuit multis de causis miraculosa. Ranæ autem è fluvio ascenderunt, quia sunt amphibiæ. Ranas procerissimas Pharaonis palatio fuisse destinatas Hebræi inepte probant. Nec minus stultum quod eas in intima ædium irrepsisse nonnulli volunt per penetrationem dimensionum. Falsum quoque est ranas in hominum corpora penetrasse, aut in iis fuisse productas: Et Pharaonem primum omnium sic fuisse mulctatum. Sed Israelitas ab hoc malo fuisse immunes, recte colligit Rabbi Japheth ex verbis Mosis. Notantur Samaritani qui de suo hic multa infulciunt. Docetur quomodo Moses fuerit Aaroni Deus. Et cur aquas per se non percusserit, sed per Aaronem. Et quomodo percusserit Aaron omnes Ægypti aquas.

Vers. 6. *Ascendit rana*, id est ascenderunt ranæ per numeri enallagen Scripturæ familiarem. Tamen si Hebræis credimus, una præcise rana ad Aaronis nutum ex amne ascendit, quæ reliquas aut peperit aut coaxatione sua evocavit. Rana scilicet qualis in Talmude describitur, major pago Hagaroniæ, qui fuit sexaginta domorum. Observatur hanc plagam Ægyptiorum peccatis fuisse prorsus analogam, & omnes sensus corporis graviter affecisse, quod Philo & Josephus uberius docent. Et alios quoque populos hâc eadem plagâ fuisse afflictos, maxime circa Pæoniam & Dardaniam.

In hac calamitate Pharao primo ad Magos suos recurrit, qui ranis vel in speciem vel reapse productis, malum quod avertere debuerant visi sunt auxisse in majus. Itaque ad Deum confugit Pharao, Mose vocato, cujus explicantur subobscura hæc verba vers. 9. *Gloriare supra me, quando precabor pro te.* Ibidem quæritur cur temporis optionem Pharaoni dederit Moses. Et hâc illi optione data, cur liberationem petat Pharao, non in præsens, sed in crastinum. Et quomodo Moses Pharaoni liberationem certo promiserit, Deo non prius consulto. Vers. 12. *Ad Deum clamavit Moses super verbum ranarum*, id est propter ranas, phrasi Hebræâ notissimâ. Hic tamen impingentes Hebræi Mosem clamasse intelligunt propter ranarum vocem, quæ in Ægyptiorum ventre coaxaverint. Ranæ nimirum poetis loquaces & loculeiæ dicuntur. Et in Cicerone ῥητορεύουσι. Quin eas pro disertis habent Arabes. Quæritur an Deus ranas fulmine percusserit, ut vult Alcimus. Et cur eas super terram mortuas jacere voluerit *in acervos, acervos*, id est in multos acervos. Qualis repetitio alibi passim occurrit. Et quam multi fuerint ranarum acervi juxta Hebræos. Cur denique iis mortuis terram Ægypti fœtere voluerit Deus. Pharao liberatus promissorum fuit immemor.

Psal. 78. 45. *Rana vastavit eos*, id est corrupit quicquid Ægyptiorum erat. At Hebræis *vastavit*, id est *castravit*. Quod probare se putant ex Lev. 22. 25. sed refelluntur. Ps. 105 30. *Produxit terra eorum ranas.* At Exod. 8. 3. *Produxit illas fluvius.* Quæ duo conciliantur. Ibid. *In Regum conclavia penetraverunt*, per numeri enallagen. Unus enim erat Rex Pharao. Refelluntur qui Regum nomine volunt intelligi principes, quia de Ægypto dicitur Es. 19. 2. *regnum in regnum pugnabit*, id est, inquiunt, principatus in principatum. Quin varia tum in Ægypto fuisse regna probatur.

Ad Apoc. 16. 13. ubi describuntur tres impuri spiritus ranis similes, docetur in rana multa esse odiosa. Primo enim ranis est vox rudis & incondita. Itaque iis conferuntur clamosi & obstreperi. 2. Ranæ convitiari videntur, quia radunt aures mordaci quâdam vocis acrimoniâ. Unde in columella *convitia ranæ* vocantur ranarum coaxationes. Et Ulubrenses sibi obloquentes Cicero ranunculos appellat. Neque aliâ de causa finguntur Lycii in ranas fuisse mutati, quam quia convitiis Latonam prosciderant. Cujus fabulæ ignoratio Plutarchum in devia traxit. 3. Poetæ à Patribus cum ranis collati sunt, propter inanem loquacitatem. 4. Iisdem Hæretici & Sophistæ similes. 5. Item impii, qui in peccatorum sordibus tanquam in luto permanent. 6. Et Monachi boni & mali apud Epiphanium. 7. Ii etiam qui perpetuo potu se ingurgitant. 8. Rana propter oculos sanguineos est impudentiæ symbolum. 9. Et superbiæ, propter inflatas buccas. Hinc ranæ dictæ παφυσίδες. Et de rana & bove fabulam nemo nescit. Ex his constat quibus virtutibus polleant spiritus immundi ranis similes. Et homines garrulos, molestos, importunos, in fœdissimis vitiis tanquam in luto se volutantes, nihil minus quam quod profitentur re atque opere præstantes, gurgites, ventres, impudentes, superbos hoc typo adumbrari. Iidem clamoribus suis Reges ad bella concitant Apoc. 16. 14. non sine ad id allusione quod ranæ ultra solitum vocales inter tempestatis signa sunt. Rana tamen qualis est apud Mahumetanos in pretio est: Et unum ex quinque animalibus quæ nefas est occidere. Quia Deum scilicet ranæ laudant suis ὀλολυγόσι. Et Abrahami rogum in Babylonia, si credimus, multis aquis asperserunt. Proinde ranas miris ornant elogiis, iis hæreticis non absimiles quos Philastrius ranas coluisse refert.

In Novo Testamento de margaritis multa loca sunt. In veteri tres voces quæ margaritas sonant, sed aliter redditæ à veteribus. Prima בדלח *bedolach* Gen. 2. 12. & Num. 11. 7. quam alii crystallum, alii bdellium reddunt. Sed priores fefellit prava lectio, posteriores sonus vocis quæ ad bdellium accedit. Terra Havila, ubi *bedolach*, est Arabiæ pars margaritifera circa *Catipham* & *Baharain*, unde margarita Æthiopice ባሕርይ: *bahrio*. *Katar* ibidem olim Θαρὶ. Manna cum margaritis confertur, quia album & rotundum. Quod Talmudicis non fuit plane ignotum. Hebraica est fabula margaritas cum manna simul pluisse. Nec paucis Hebræorum atque Arabum בדלח *bedolach* est margarita. Forte בדלח, habet *cheth* pro *he* (quod confirmant Samaritani) & sit à בדל *badal* separare, segregare. Ut à synonymo פרד *parad* unio Arabice vocatur فريدة *pharida*. בדלח *bedolach* neque bdellium esse, neque crystallum, neque gemmarum ullam probatur.

Vox פנינים *peninim* in Prophetis aliquoties occurrit, ut Job. 28. 18. *Extractio sapientiæ præ* extractione τῶν *peninim*, sup. quærenda. Et de eadem Prov. 3 15. *Est pretiosior* τοῖς *peninim*. Prov 8. 11. *Melior est sapientia* τοῖς *peninim*. Prov. 20. 15. *Aurum & peninim abunde sunt.* Prov. 31. 10. de muliere strenua, *Remotior est* τοῖς *peninim comparatio ejus.* Thren. 4. 7. *Nazaræi ejus erant nive puriores, lacte candidiores, corpore rutili ut peninim.* His locis, ut asserimus, *peninim* sunt margaritæ. Primo enim alludunt πίννα, πιννικὸν, πίννινος λίθος. Pinnæ species est *perna*, unde *perle* vernaculum. 2. Gemmarum nomina in Scriptura fere extant singulari numero, quia in annulis &c. solent esse singulæ: At *peninim* semper plurali, quia in torquibus & armillis conferuntur margaritæ plures. 3. Job. 28. *extractio peninim* est piscatio margaritarum de qua multa. 4. Scriptura censet *peninim* inter res pretiosissimas. Margaritis autem, præter adamantem, nihil est pretiosius. 5. Tamen *magna est copia* τῶν *peninim* Prov. 20. 15 id est margaritarum. Puta circa *Baharain*, in India &c. 6. Remota est comparatio τῶν *peninim*, Prov. 31. 10. nempe nullibi Judææ propior quam in intima Arabia. Sic Jerem. 6. 20. calamus aromaticus *venit è longinqua terra*, id est ex Arabia. Fallitur Salmasius qui alibi provenisse non putat quam in India. Arabici enim multa est mentio. Fuit etiam prope Judæam in Aulone, sed post Prophetarum tempora.

Objicitur de Nazaræis dici Thren. 4. 7. אדמו *rubuerunt corpore ut peninim.* At margaritæ nonnisi per vitium rubent. Resp. Rubere ibi splendere est, ut Latine, *rutilare, rutilus, purpureus.* Candidus & λευκὸς unde dicantur. Chaldæis פנינן primo minium, deinde quemvis colorem sonat. אדם Hebræis vulgo rubere, sed Arabibus candere est. Levit. 13. 19. lepra alba dicitur אדמדמת, quod neque *subrubram* sonat, neque *impense rubram*, neque rubrum albo fuisse mistum, sed lepram fuisse lucidam. Itaque בהרת ibidem vocatur à בהר quod lucere est. Ita Cant. 5. 20. Sponsus est *candidus* אדום *& lucidus*, id est summe candidus. Quomodo hic *Nazaræi*, qui in eodem versu lacti & nivi comparantur propter summum candorem, Nazaræi, inquam, non voto sed dignitate, id est viri principes. Margaritis Græcum & Arabicum à splendore nomen est. Fortasse indidem *berberi* pro concha margaritifera. In margaritis color exaluminatus quis sit. Quo sensu margarita lapis διαφανὴς vocetur à Theophrasto. Refellitur Clariss. Salmasius, qui legi vult ἢ διαφανής.

Confutatur longa Bootii diatribe quâ *peninim* vult in Scriptura pro corallio haberi. Hebræum אדם ad rubrum pertinet,

cum

cum albo opponitur, cum componitur non item, ut Levit. 13. 19. Cant. 5. 10. Thren. 4. 7. Bootius ut certa tria supponit, quæ vel falsa sunt, vel incerta. Labra quidem corallina sunt, non reliquum corpus, ne genæ quidem. Rubor in facie non est color bene se habentis, sed ægri potius aut ebriosi. Formosi à candore, non à rubore commendantur. Tamen si Propheta Nazaræos à rubore commendavit, cur Bootius non accedit Syro interpreti, qui *peninim* exponit *sardium*, rubram gemmam, neque à Sardibus, neque à Sardinia dictam, ut volunt, sed ab Hebræo שרד *sered*, id est a fabrorum rubricâ. Hac proinde veteres significari volunt ignem ultimi judicii Apoc. 4. 3. Respondet sardii ruborem nihil habere commune cum rubore carnis. Cum tamen à carne vulgus *carneolum* vocet, aut corrupte *corneolum*, Gallice *cornaline*. Addit sardam Solino esse gemmarum *vilissimam*, cum Plinius utilissimam esse dixerit. Ibi multa habentur de pretio sardæ & sardonychis qui est nonnullis sardæ species. Sardius lapidum duodecim primus Exod. 28. 17. & Ezech. 28. 13. In Aaronis humerali duo fuere sardonyches. Et sardonyx in corona Regis Ammonitarum, qui à Deo Moloch dictus *moloches*. De eadem corona quid Hebræi fabulentur. Gemma Polycratis Plinio est sardonyx, sed Herodoto smaragdus. Sardonyches Romæ & in Syria quam pretiosi fuerint. Sardonyches in Indiæ monte Sardonyche multi, & prope Euphratem in monte Drimylo, cujus montis nomen explicatur. Sardonyx lapis pretiosissimus Job. 28. 16. Sardonyches in Arabia. Chald סנדלכין *sandalchin* dicti.

Corallium non est gemma, sed λιθόδενδρον, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, à tonsione dictum. Quo sensu Basilius illud vocet πολυτίμητον. Arianos è terra effodisse fabula est, & unde orta. Ariæ vicina est Margiana, cujus nomen alludit ad مرجان *margian*. Arabes corallium sic vocant, ut Romani *margellam*. Probatur in Luciano τὰ κουράλια vocem esse corruptam, quam in alienum sensum detorquet Bootius. In illam conjecturæ. Nonnisi Regulus fuit Nisus ille cujus regia corallio dives fuit. Corallium in India fuit magni pretii, non tamen in Judæa. Cur in mari Persico dictum fuerit *Jace*. Aurum olim apud Casandres metallorum fuit vilissimum. Veterum nugæ de virtute corallii in Orphei Libro de lapidibus. Ejus interpres quam sit ineptus. Plinii locum de Gorgonia docetur à Salmasio frustra sollicitari. Et corallii quanta fuerit vilitas præ margaritis. Bootio Medico alius Bootius opponitur item Medicus.

Margaritarum tertium nomen est דר *dar*, unus è quatuor lapidibus quibus stratum fuit Assueri cœnaculum Esther. 1. 6. Probatur דר *dar* eo loco non esse habitationem, sed lapidis genus. דרא *dara* lapis Talmudicis qui lucem infert cœnaculo, non est carbunculus, ut Fullero visum, sed lychnis vel lychnites. Lychnis fuit in templo Syriæ Deæ. In cœlo lychnitæ duo. Lychnites in nido ciconiæ. Idem Tyri Regi pro face fuit. Et in corona Imperatorum Orientis. Recentiores *orphanum* vocant. Tamen in libro Esther דר *dar* non est lychnis, sed margarita. In Midras ita sumitur. In Chaldæa paraphrasi דורא *dura* id ipsum sonat. Arabice دور est circumire. Unde multæ voces etiam Hebraicæ deductæ. In his כדור *caddur*, id est *sicut pila* vel *sicut orbis* Es. 22. 18. & 29. 3. Et margarita Hebræis דר *dar*, Chaldæis דורא *dura* dicta, quia rotunda. Arabibus quoque در *dor* vel *dur*, plur. *dar* est unio. Hebræum דר *dar* probamus in Græca versione non reddi πέλεσσον λίθον, ut putant, sed πίννινον. Lapis autem *pinninus* est margarita. Jurisconsultus margaritam è censu lapidum eximit. Tamen alii aliter. In animalibus multi sunt lapides. Margarita conchæ nucleus, callus, verruca, officulus non vocatur nisi improprie. Lapidem vocant Hebræi, Arabes, Græci, Romani Poetæ, Historici & Philosophi, Græcia recentior λιθομάργαρον.

Margaritas in pavimento sterni res videbitur sine exemplo, & propior fabulis Milesiis de palatio Psyches. Neque enim in pavimento sed in socculis margaritas calcabant Romanæ mulieres. Sed Assueri pavimentum quidni tam potuerit margaritis ornari quam smaragdis aut carbunculis, quod interpretes alii volunt? Cogitandum quantus fuerit Persarum luxus, quam profusæ divitiæ. Et Susarum hic describi Regiam, quam admirabilem fuisse tradunt Aristoteles & Apulejus. Afferuntur aliunde multa exempla similis luxus. Sic in India templum Solis margaritis fuit stratum. Babylone Beli regia auro tecta & strata. In privatorum ædibus in Arabia smaragdi parietibus agglutinati. In Colchide Ebusopis Regis aureæ cameræ, & argenteæ trabes, columnæ atque parastatæ. Romæ mulæa & cubicula ex margaritis. Terra scobe auri & aurosa arena strata. Basilii Macedonis templa argento, auro, gemmis & margaritis distincta.

Prov. 25. 12. חלי *chali* non est margaritum, ut ab Hieronymo redditur. Sed quicquid ad muliebrem mundum pertinet, etiam Arabice. Quandoque latius sumitur pro quovis ornatu in vestibus. Interpretes quam hic fluctuent.

Sapientia margaritis in Scriptura sæpe confertur aut præfertur. Regnum cœlorum, id est Evangelium, quomodo margaritæ simile. Margaritæ ex remotis locis afferuntur. Et eas commendant candor, lævor, soliditas, vires abditæ, splendor, ornatus, pretium, quæ omnia in Evangelio. Margaritarum pretium barbaris ignotum. Porcis etiam, quibus non sunt objiciendæ.

Secundum margaritas nihil in mari purpurâ & hyacintho pretiosius, de quibus sæpe sacri Scriptores. Nos primo de cochleis agimus, ex quibus eliciuntur tam eximii colores, quas Hebræi vocant חלזונים *chilzonim*. Hinc Deut. 33. 19. de Zabulonitis dicit Jonathan in paraphrasi Deut. 33. 19. *Quia habitant ad littus maris magni* (seu Mediterranei) *in deliciis habebunt taritha*: *Et chilzona capient, cujus sanguine hyacinthum tingent ad fila vestium suarum.* Ibi טריתא *taritha* neque magnus piscis est, neque piscis salitus, ut Hebræi volunt, sed recens, ut ex Arabismo constat. Et חלזונא *chilzona* cochlea ex qua vel purpureus vel hyacinthinus color elicitur, quod plerosque interpretes latuisse mirum est, cum id sequentia palam doceant. Neq; verum est quod volunt, morbi oculum, Levit. 21. 20. à paraphrastis dici חלזון propter similitudinem. Nam חלזון pro oculi morbo Græcum est χάλαζα vel χαλάζιον. Neque huic synonymum est Hebræum שפן Deut. 33. 19. ut multi scribunt. Zabulonitæ ex littore tria habuere beneficia. 1. pisces edules, 2. purpuram, 3. vitrum ex arena Beli fluminis conflatum. Quæ tria notat Jonathan. 2. Reg. 25. 12. Hebræi כורמים *coremim*, *vinitores* dici volunt qui balsamum colligunt, (& in Cantico per vineas Engadi balsameta significari, quia balsamum est viti simile) Et יוגבים *jogebim* vocari purpurarios, quasi יוקבים *jokebim*, quia cochleam purpurariam tanquam in prælo contundunt. Purpurarium Judææ littus fuit à Tyri scalis usque ad Chaipham ad Carmeli radices. Unde purpura Hebr. *Carmel*, & Chaipha oppidum olim Porphyria. Laus terræ Chanaan Gen. 43. 11. Sita *in purpura & vino & balsamo & myrrha & oliva*. Ita in Beresceith Rabba. Sed pro ומר & myrrha, quæ in Judæa nulla fuit, legendum ותמר, *& palma*. Quod dicit Midras in Cantica, vestes Israelitarum in deserto crevisse cum ipsis, ut concham חלזון *chilzon*, ex Aristotele explicatur. In Talmude disputatur an qui חלזון purpuram piscatus die Sabbathi, eam statim contundit, violati Sabbathi sit bis reus. Illam ex Aristotele & aliis docetur statim contundi, ne florem evomat, idque uno ictu. Et purpuræ tres esse partes, quarum superior τράχηλος, media μήκων, ima dicitur πύθμην. Florem inter primam & mediam. Colorem qui ex illo fit Hebr. תכלת *thecheleth*, Chald. תכלא *thichla* vel *thachla*. Color ille quâ arte fiat docet Maimonides, in quo notatur crassum σφῆλμα.

Hebræum תכלת *thecheleth* veteres magno consensu hyacinthum vel hyacinthinum reddunt. De quo colore dubitatur sitne purpureus an cœruleus. Hyacinthi flos multis est purpureus. In Gallia fuit cocci vice. Et idem creditur cum vaccinio. Lapidi quoque hyacintho violaceus vel purpureus est color, sed dilutior. *Rubinus* Arabibus ياقوت quasi hyacinthus dicitur. Hesychio & Suidæ *hyacinthinum* πορφυρίζον. Græcis tamen poetis & Columellæ hyacinthus flos est cœruleus. Lapis quoque est cœruleus Solino & Martiano & multis Patrum. Ab iisdem hyacinthinus color cum cœlo confertur sexcentis locis. Hebræis quoque תכלת *thecheleth* color est cœlo & mari similis. Sed & Arabes idem sentiunt. At purpura non à cœruleo sed à rubro colore commendatur. Itaque purpuræ colorem poetæ sanguini tribuunt. Item Soli, Auroræ, vino, uvis moris, narcisso, rosæ, papaveri, violæ, puellarum labris & genis, maxime in pudore: Sed in primis amethysto.

Proinde

Proinde purpureus, coccineus & puniceus color promiscue sumuntur tam à sacris quam à profanis Scriptoribus. Contra hyacinthinum à purpureo iidem sæpe distinguunt, & diversa est materia.

Purpura fiebat olim ex tribus concharum generibus, & purpura proprie dicta, conchylio & murice seu buccino. Conchylium & purpuram veteres sæpe promiscue sumunt, sæpe etiam distinguunt. Purpuræ proprie dictæ color ruber est, conchylii glaucus & irascenti mari similis. Videtur fuisse medius inter purpureum & cœruleum, ut in purpurisso Indico & pantherarum oculis. Chalcanthum, cujus color est cœruleus perquam spectabili nitore, à purpura dici asserit Salmasius, non ab ære, ut vulgus putat. χάλκη scilicet vel κάλχη est purpuræ flos, quem cœruleum esse oportuit, si chalcanthum inde dictum est. Neque aliud תכלת *thecheleth*, qui hyacinthinus dictus est non à materia sed a colore. At ארגמן *argaman* vel ארגון *argavan* est rubra purpura, non ex conchylio facta, sed ex illius cochleæ sanie quæ proprie purpura dicitur. Itaque Græci & Hieronymus semper purpuram reddunt. Hebræi rubram esse dicunt & *carmesinam*, id est coccineam, & laccæ concolorem. Cujus quatuor species, omnes rubræ, 1. Arabica, 2. Talmudica. 3. Græciæ recentioris. 4. Lusitanorum. Tertia cur olim ἄγχουσα, πορφυρὶς, ἀνακάδιον & κάλυξ dicta fuerit aperitur. Præter purpuram marinam, purpuræ factitiæ variæ fuerunt species, puta ex vacciniis, ex alga Cretica, ex amorge herbâ, ex herba purpurea in Abasenis, ex Ibera ferrugine, ex flore purpureo ad fontes Hyparchi fluminis, & Indica sandice, quæ fuit divini fulgoris. Proinde *purpura marina θαλασσία* sæpe dicitur. Docetur quid differant ἁλιπόρφυρος & πορφυροῦς. Item πορφυροῦ & ἁλουργοῦς. Et harum vocum interpretes notantur. Marinæ purpuræ diversæ species תכלת *thecheleth* & ארגמן *argaman*. Utraque in insulis Elisæ seu Græciæ Ezek. 27.7. Ex תכלא *tachla* vel *thachla* κάλχη & κάχλη. T & K cognatæ literæ & permutabiles. Probatur aliquot exemplis sæpe permutari literas, ut conjunctis syllabis ab eâdem aut simili literâ fiat initium. Docetur cur Herculis cani purpuræ inventionem Phœnices tribuerint. Et multos colores à locis denominari. In his ארגמן *argaman* vel ארגון *argavan*. Facta enim utraque vox ab גון ארם *aram gavan*, quasi Syriæ colorem dixeris. Ad has voces variæ allusiones. Arboris Persicæ ارجوان *argiavan* descriptio. An purpura inde dicta sit, ut quidam volunt.

Cetus Jonæ non fuit cetus proprie dictus. Cete enim & quotquot animalia pulmone spirant gulæ meatus habent angustiores quam ut possint solidum hominem deglutire. Sed fuit piscis magnus, ut à Jona vocatur. Nempe canis carcharias, qui & lamia dicitur à gulæ vastitate. His non solum Oceanus & mare Rubrum abundat, sed & Mediterraneum. In horum ventre reperti homines loricati. Hercules ab hujusmodi monstro absorptus, in ejus ventre latuisse fertur toto triduo, ac proinde à Lycophrone dici τριέσπερος λέων. Quæ fabula ex Jonæ historia palam sumpta est. Cetus in Euxino mari Jonam non revomuit, ut vult Josephus. Tantum enim iter triduo confici non potuisset. Et mare illud cetis est inaccessum. Nec ibi fuisset Jonas Ninivæ propior. Sulpicius Geographiæ quam fuerit imperitus. Arabes Jonam per dies quadraginta in ceti ventre hæsisse fingunt. At Seniores quadraginta dies Ninivitis assignatos in triduum mutant. Dubitat Augustinus uter sit verior numerus, cui dubio satisfit.

Job. 26. 13. נחש בריח *nachas beriach*, ad verbum *serpens vectis*, videtur esse sideris nomen. Sed eodem nomine Es. 27. 1. cetus significatur, aut cetaceus piscis potius. Sic Amos 9. 3. *Serpens* dicitur magnus piscis. In cetaceis autem piscibus nomen à vecte sumptum zygænæ maxime convenit, quæ caput transversum habet in vectis modum. Itaque ζύγαινα vocatur à jugo vel boum vel bilancium, quod imitatur formâ capitis. Italis *balista* & *martello*, & Massiliensibus *barretella* idem sonant. Loca veterum & recentiorum de zygæna. In Brasilia zygænæ similis est *panapana* piscis.

Piscis Tobiæ non est callionymus, ut volunt Vallesius & alii. Marinus enim est callionymus, & parvus, nec nisi pisciculis infestus. Sed piscis Tobiæ fluviatilis, magnus & anthropophagus. Et ex amne quidem emersit, non tamen in terram se contulit, ut supponit Vallesius. Idem in viaticum sufficit duobus viris in plures dies cum callionymus ne ad horam quidem uni sufficiat, imo non sit edulis. Tobiæ igitur piscis à callionymo videtur esse plane diversus. Silurus scilicet qui piscis est magnæ molis, robore & audacia insignis, & in quodcunque animal grassatur, etiam in homines. Idem in Euphrate, adeoque in Tigri nascitur. Et branchia potuit attrahi, & in viaticum sale condiri. Judæis quidem immundus, æque ac callionymus, sed alius cibi penuriâ licitus. Fel ad oculorum albugines extergendas utile. *Sillnarium* Vegetio. Huic glanis est simillimus, cujus suffitu pelli dæmones à superstitiosis creditur. Et idem tribuunt Arabes pisci الجري *algiri*, quem silurum esse volunt, cum sit anguilla. Silurum barbari scriptores *Solarem* vocant, quasi à Sole nomen habeat. Cum Græce σίλουρος pro ψίλουρος à tenui cauda dicatur. Aliis silurus idem qui שבוט *sabot*. Quin שבוט est λάβραξ lupus, piscis mugili similis, qui retia lacerat, cerebrum habet eximii saporis, & à varietate colorum Chaldaice dicitur שבוט, ut Italice *varolo* & Gallice *bar*.

Job. 40. & 41. *behemoth* & *leviathan*, id est hippopotamus & crocodilus, conjunctim à Jobo describuntur, quia multa habent communia. Hippopotamus quam vastum sit animal. Græce θηρίον dicitur, & Latine *bellua*, ut Hebraice בהמות *behemoth*. Maxime accedit ad formam terrestrium. *Behemoth* plurale non est, sed singulare Ægyptium, cujus formæ multa sunt. Cap. 40. v. 10. *Behemoth quem feci tecum*. Imo *juxta te*, in vicinia Arabiæ, vel in Ægypto Arabiæ tuæ vicina. *Fœnum ut bos comedit*. Quamvis aquaticum animal, tamen ex amne egressus κατανέμεται τὸν χόρτον, *fœnum depascitur*, ut est in Diodoro. Vers. 11. *Potentia ejus est in lumbis, etiam robur ei est in umbilico ventris*. Hippopotamus enim toto corpore tectus est impenetrabili corio tantæ soliditatis & spissitudinis ut in hastas & missilia tornari dicat Herodotus. Et Achilles Tatius cutis esse tam asperæ ut neque ferro cedat, neque ab eo vulneretur. Et Ptolemæus telis posse trajici neget. Quale corium si esset elephantis, quos alii nomine *behemoth* significari volunt, cur eos thoracatos veteres in bellum producere necesse fuit? Hoc saltem certum elephanti robur non esse in umbilico ventris, quem culices quoque graviter pungunt. Vers. 12. *Retorquet caudam suam*, quæ est *ut cedrus*. Suum enim caudam habet, quorum est retorquere caudam. Illa autem cum cedro confertur ratione glabritiei, rotunditatis, spissitudinis & firmitatis, quam summam esse oportet in ea quam diximus tergoris soliditate. *Nervi femorum ejus perplexi sunt*, id est decussati aut cancellati. Quod de Tritano gladiatore referunt Plinius & Solinus, ut summi roboris indicium. Tale hujus animalis robur, quod uno pede navem ajunt aut quassatam diffringere, aut inclinatam demergere. Vers. 13. *Ossa ejus ut æs fusile & vectis ferrea*, id est durissima, firmissima, validissima. Scaliger de ejus dentibus. *Materiam ebore firmiorem tradunt*. Et Odoardus Barbosa. *E migliore averio di quello degli elefanti, è più bianco, è più forte* &c. Vers. 14. *Ille est principium viarum Dei*, id est Dei opus in hoc genere eximium. Ut ut enim sit perniciosum animal, tamen multa habet quæ admirationem excitant, vastam molem corporis, robur immane, tergus impenetrabile, stupendum oris hiatum, portentosam voracitatem, candorem dentium & firmitatem, terræ & aquis vitam communem. Et in tanta corii duritie ingenium ultra animalia cuncta ratione carentia sagacissimum, ut est in Ammiano. Hinc apud Papremitanos sacrum fuisse animal Herodotus & Plutarchus scribunt. *Qui fecit eum applicavit ei* חרבו *harpen ejus*, id est dentes exertos molliter flexos, acutos, prælongos, quibus tanquam harpe vel ense curvato in modum falcis fruges demetit & corrumpit. Proinde Nicander quoq; ἅρπην vocat, & Nonnus μυμάλλην δρεπανηΐδα tanquam in falcis modum effictam. Vers. 15. *Quia proventum ei montes proferunt, etiam illi montes ubi ludit omnis agri bestia*. Hæc enim est vera ratio cur falcatis dentibus hippopotamū instrui oportuerit, quia non tam in aquis quam in terra pascitur, in qua fœnū & segetes falce metuntur. Et montium meminit in quibus ludunt agri bestiæ, quia valde paradoxum est aquaticū animal cum pecore & jumentis pasci. Vers. 16. *Sub umbrosis cubat in latibulo arundinis & cœni*, ubi jacere non solet elephas, & vix latere possit. Sed de hippopotamo sic Ammianus:

Inter

Inter arundines celsas & squallentes nimiâ densitate hæc bellua cubilibus positis. Itaque hæc Ps. 68.31. *increpa feram arundinis* ad hippopotamum pertinere, tanquam populi Ægyptii figuram, vero non est absimile. Vers. 17. *Tegunt eum umbrosæ arbores*, unaquæque *umbrâ suâ*. *Circumdant eum salices torrentis*, vel etiam Nili, quem prophetæ passim נחל *naal* id est torrentem vocant, unde Nili nomen deductum. Idem Homero διιπετής, id est à Jove delapsus, Lucano quoque *torrens* & Valerio Flacco, quia non aliunde augetur quam ex æstivis imbribus. Hic Græci interpretes πάπυρον *papyrum* habent & κλῶνας ἄῖτυ, *ramos viticis*, quibus fœcundas esse Nili ripas probamus. Vers. 18. *Ecce premat eum fluvius, non trepidabit, securus erit, quamvis erumpat Jordanes super os ejus.* Quæ vera est hujus loci versio, etiamsi illum interpretes multo aliter accipiant, quia si sic vertissent, palam fuisset agi de aquatica bellua, qualis est hippopotamus, quem in fundo Nili totos dies degere legitur in Diodoro, donec appetente nocte pabulatum exeat. Et eundem ait Bellonius Nili fundum inhabitare, & passim in imo flumine divagari. Vers. 19. *In oculis ejus quis capiet eum, & hamus perforabit nasum?* In oculis ejus, id est aperta vi & manifesta quia vix aliter capitur quam per dolum. De quo vide Achillem Tatium, & Eustathium in Hexaemeron. Hippopotamos Scaurus ædilis in temporario Euripo primus Romæ ostendit. Exinde in amphitheatris sæpe visi sunt. Sed ætate Juliani Apostatæ in Ægypto jam defecerant, & ad Blemmyas migraverant.

Leviathan Hebraice dicitur draco à multiplici flexu, quod probatur ex Arabismo. Sed & eadem vox tam crocodilos quam cete significat. Quod ex Jobo patet in fine capitis 40. & cap. 41. fere toto. Job. 40. 20. *An extrahes Leviathanem hamo, & in fune demerges linguam ejus?* Id est in lingua ejus demerges funem vel hamum infiges fune appensum. Hypallage. Utut enim crocodilum elinguem esse nonnulli scribant, tamen linguam habet, sed immobilem, & inferiori maxillæ adhærentem. Quod post Aristotelem & Plinium notant Hebræi & Arabes, & multi recentiorum. Vers. 21. *Nunquid applicabis juncum naribus ejus?* id est funem junceum, qui Hebr. dicitur חבל אגמון & Græce σχοῖνος. *Et spinâ perforabis maxillam ejus?* id est hamo spinæ instar acuto. Nam Hebrææ voces multæ sunt hamo & spinæ communes. Vers. 22. *An multiplicabit ad te preces? An te alloquetur verbis mollibus?* Ut significet hanc belluam homini non ultro subjici. Vers. 23. *An feriet fœdus tecum, & eum accipies in servum perpetuum?* Quomodo victi à victoribus vitam redimunt libertatis pretio. Unde *mancipia* dicta. Vers. 24. *An ludes eo tanquam ave, & ligabis eum pro puellis tuis?* Ut illo se oblectent, ut passere Catulli Lesbia. Ægyptiæ quidem mulieri, ut Maximus Tyrius auctor est, crocodili catulus fuit, cum filiolo ejus συναθύρων καὶ συντρεφόμενος, *ludens & educatus*, qui mitis fuit dum vires erant infirmæ. Sed cum statura auctus est, ingenium detexit, & puerum occidit. Cujusmodi historias multas afferimus. Vers. 25. *An epulabuntur socii super eo?* id est piscatores qui societate initâ ad belluarum piscationem se conferunt. *An distribuent eum inter Chananæos* seu mercatores. Nam in Scriptura Chananæus pro mercatore sæpe sumitur, quia illa gens mercaturæ maxime fuit dedita. Vers. 26. *An implebis pellem ejus missilibus, & caput ejus telis piscatoriis?* Quidni, si de balæna agitur, quæ telorum nimbo obruitur à nautis circumstantibus? At crocodili corticosam cutem telis esse impenetrabilem docebimus in caput sequens. Ibi fabulæ monstrum in Græca versione observatur. Vers. 27. *Impone manum tuam super illum, non perges meminisse prælii.* Nam de fuga cogitabis potius quam de pugna. Vers. 28. Ecce *spes illius* qui manum in illum injecerit, *frustrata est. Nonne etiam ad aspectum illius prosternetur?* Sic in Cœlii Aureliani Chroniis, Artemidorus Grammaticus nitente gressu crocodilum in arena jacentem expavit, atque ejus motu percussa mente, credidit sibi sinistrum crus atque manum à serpente comestam, & literarum memoriâ caruit oblivione possessus. Si objicias leviathanem non esse crocodilum, cum describatur ut bellua quæ nec capi potest, nec domari, nec cicurari, cum crocodilus sæpe captus & domitus sit. Respondeo idem de cetis objici posse, & de quovis animali. Neque enim ullum est animal quod non subeat hominis jugum. Tamen crocodilus non facile vincitur, quia & mole vastus est, & viribus tremendus. Docetur quanta sit moles, & venatio quam ardua. In Augusti nummo crocodilus ad palmam revinctus pingitur, qui forte est Hesychii ἀνδρείτης ὁ κροκόδειλος. De Tentyritis quod ajunt vix credibile est. Crocodilus omnia animalia feritate superat.

Jobi c. 41. v. 1. *Non est ita ferox ullus ut excitet eum.* Nempe cum satur in littore dormit. Idem de leone dicitur Gen. 49.9. Vers. 3. *Illius membra non silebo, nec statum virium, nec structuræ gratiam.* His verbis se accingit ad crocodili descriptionem, quæ habetur in sequentibus. Vers. 4. *Quis retexit superficiem vestimenti ejus?* Id est corticosam cutem, quam crocodilus nunquam exuit, longe aliter atque serpentes qui deponunt fere quotannis, ut notat Suidas in Φολιδωτόν. *In duplex frænum ejus quis ingredietur.* Labia frænum vocari notat R. Selomo. Ut Græce χαλινοὶ fræna sunt pars labiorum apud Pollucem. Vers. 5. *Valvas faciei ejus quis aperiet?* Nam in crocodilo rictus oris est valvarum instar. Magno hiatu aperitur. Fit totum os. Buculam integram vorat. Fauces sunt septem pedum. *In gyro dentium ejus terror.* Dentes ei sexaginta, vel exerti, vel serrati, & pectinatim coeuntes. Morsus tenax, & ita perniciosus ut non curetur aliter quam morsus rabidi canis. Vers. 6. *Tergum est ut lamina scutorum, quarum unaquæque clausa est arcto sigillo.* Vers. 7. *Una alteri tam vicina est ut ventus non ingrediatur.* Vers. 8. *Unaquæque proximæ suæ cohæret, ita continentes se ut non separentur.* Hâc periphrasi squamarum aut corticum commissura describitur, quibus ut scutorum laminis cohærentibus totum dorsum est obductum. In balæna nihil tale est. Cetum quidem squamatum describit Nearchus, sed solus, & ex aliorum fide, & mendacissimus scriptor. Itaque hic hæret calculus Bootio, cui Leviathan est cetus. Vers. 9. *Sternutationibus ejus splendet lux.* Cum sternutat, per nares ejus confertim actus spiritus tanto prorumpit impetu, ut scintillare videatur, & flammas emittere. Sternutat autem frequentius, quia ore hiante & oculis ad Solem obversis apricatur, quod omnes scribunt. Eos porro qui oculos ad Solem obvertunt magis sternutare observat Philosophus. *Et oculi ejus ut palpebræ Auroræ*, perspicacissimos habet oculos, quique ex fundo aquarum apparent ante corpus animalis. Hinc apud Ægyptios crocodili oculi erant Auroræ hieroglyphicon, ut in Horo scribitur. At balæna prope cæca est. Vers. 10. *Ex ore ejus velut lampades exeunt, scintillæ ignis excluduntur.* Vers. 11. *Ex naribus ejus egreditur fumus, ut ollæ ferventis & aheni.* Vers. 12. *Halitus ejus carbones incendit, & ex ore illius flamma prodit.* Ita hippopotamum ignitum fumum tanquam ex fornace aut ex ignis scaturigine spirare scribunt Achilles Tatius & Eustathius Antiochenus. Nempe cognata duo hæc animalia, quæque in respirandi modo inter se confert Philosophus. Quo diutius spiritum continuere, dum sub aquis latebant, eo spirant acrius cum emergunt, & spiritus erumpit tam violenter, ut flammas ore & naribus videantur emittere. At balæna pro ignibus, in sublime nimbos efflat, ut in Plinio habetur. Vers. 13. *In collo ejus moratur robur.* Quod balæna nullum habet. At crocodilus habet. Id nonnulli perperam negant. Nam caput resupinat ad morsum, & colli motu trochilum excutit. *Ante eum mæror insultat*, id est præcedit, tanquam metator & comes, ut eos statim invadat, quibus crocodilus fit obviam. Ut in Apuleii pompa Minervæ comites erant Terror & Metus, nudis insultantes gladiis. Vers. 14. *Tori carnis ejus cohærent, unusquisque compactus est, in eo non dimovetur.* Quod de squamis ante dixerat, jam asserit de ipsa carne quæ in crocodilo tam compacta & torosa est quam in balæna laxa & porosa, si verbo sit venia. Vers. 15. *Cor ejus firmum & ut lapis, firmum*, inquam, *ut fragmen metæ.* Potest ad animum referri, ut Græce vocatur λιθοκάρδιος, qui est immisericos. Aut etiam ad viscus cordis, quod in omnibus animalibus firmissimum esse oportuit, ut ibi fons caloris esset in tuto. Sed apud Arabes illud habere solito firmius & compactius, & durum instar lapidis, fortitudinis signum est. Proinde tale describunt cor Sabibi, qui vir fortissimus fuit. Vers. 16. *Ab elatione ejus timent fortes, præ metu aberrant.* Tanquam consilii inopes, & nescii quo se vertant. Elatio belluæ est supra aquas emersio. Vers. 17. *Appetentis eum gladius non consistet, neque lancea, telum aut spiculum.* Vers. 18. *Reputat ferrum ut paleam, æs ut lignum putridum.* Vers. 19. *Non fugat eum sagitta: In stipulam ei vertuntur lapides fundæ.* Vers. 20. *Sicut*

stipula

stipula reputatur fustis, & ridet ad vibrationem hastæ. Crocodili nempe cutis contra omnem ictum invicta est & impenetrabilis. Contra balænæ corium omnibus telis pervium. Vers. 21. *Pro eo sunt acumina testæ, sternit se ut tribulam in luto*, id est, pro eo nihil feries quam testarum eminentias, seu squamas tam forma quam duritie testis similes. Ut jam non animalis corpus sed tribulam in luto jacere putes, quæ lapidibus & ferro exasperata quosvis ictus repercutiat. Ita crocodilum squamis & corticibus obsepiri & armari dicit Ælianus, quæ *testis validis sunt similes.* Alii hæc aliter explicant. Sed Jobi verbis hæremus mordicus. Vers. 22. *Fervere facit tanquam ollam profundum: Mare reddit ut mortarium unguenti.* Cum in mari se jactat, & aquas uligine vel cœno commotis ita inficit, ut unguenti speciem præ se ferant. Huc adde crocodilos, cum aquis immerguntur, odorem musco suaviorem emittere. Quod veteres fugisse miror, cum recentiores omnes id magno consensu scribant. Cæterum Ebræo more Nili eluvies & adjacentes lacus profundum & mare nuncupantur. Quomodo Es. 11. 15. & Zachar. 10. 11. Plinio scilicet teste, Nili aqua est mari similis. Et certis temporibus per totum Ægypti Delta Nilus maris instar diffunditur. Unde est quod in historiis Arabum maris nomen illi passim inditur. Et hippopotamus à Damire vocatur *equus maris.* Et crocodilum distinguit Etymologus in χερσαῖον & θαλάσσιον. Vers. 23. *Pone se lucidam reddit semitam, habuerit quisquam abyssum pro canicie.* Abyssum enim non solum de magnis amnibus, qualis est Nilus, sed & de fontibus, rivis, & aquarum alveis usurpari reperias Deut. 8. 7. Psal. 78. 15. Ezek. 31. 4. &c. Nec solum mare sed & amnes spuma excitatâ canescunt. Vers. 24. *Non est ei similis super pulverem, ita factum ut non atteratur.* Sic animalibus quæ sunt super pulverem, id est reptilibus, accensetur, propter brevitatem pedum. In his autem crocodilus ita factus esse dicitur, ut non possit atteri (quomodo reliqua reptilia) propter robur insitum & squamarum duritiem. Hæc ad balænam non pertinere nemo non videt. Vers. 25. *Et quicquid altum est despicit: Rex est supra omnes filios elationis*: Utut humi pæne reptitans, ea tamen animalia quæ corpus habent procerius, & longiora crura, quibus in sublime evehuntur, non spernit modo, sed & in iis dominatur majorum virium fiduciâ. Quæ quam merito dicantur docet nostra commentatio.

Talmudicis quoque Leviathan est crocodilus. Ut cum in quinque paribus animalium in quibus terror debilioris est super fortius, id est in quibus fortiori debilius terrori est, censentur כלבית *calbith*, & לויתן *leviathan*, quia, ut ajunt, אימת כלבית על לויתן, *terror τῦ calbith est super leviathanem.* Aruch scribit perperam כלכית *calcith*, *caph* pro *beth.* Sed idem recte definit *piscem parvum immundum qui ingreditur in os leviathanis.* Hæc descriptio scilicet pertinet ad ichneumonem, qui in hiantis crocodili fauces irrumpens, populatisque vitalibus, erosâ excedit alvo. Is autem כלבית *calbith*, id est canicula dicitur, quia auctore Diodoro *ad parvi canis formam accedit.* Hinc idem à Talmudicis nuncupatur כלבא טינא *canis luti*, ab Arabibus كلب الما *canis aquæ*, à Græcis ἰχνευτὴς & ἰχνεύμων, quia indagat more canum, quorum proprium τὸ ἰχνεύειν. Sic in eodem genere lutra κύων ποτάμιος, & castor dicitur *canis Ponticus.*

Rursus ut in Jobo לויתן *leviathan*, ita synonymum תנין *thannin* pro crocodilo occurrit Ezek. 29. 4. & 32. 2. 3. Est & crocodili nomen *Pharaon*, ut Arabes nos docuere. Et in Herodoto χάμψα. Et in Strabone σοῦχος, & in Dorothæi synopsi Μεμφῖθ, melius quam in Epiphanio νεφῖθ. Videtur enim à Memphi factum, quæ Arabibus est *Menph* vel *Meneph.* Χάμψα alludit ad Arabicum تمساح *thamsach* vel *thimsach.* Σοῦχος ad Copticum σουχι, hodieque in usu. Fit autem ab urinando.

Sanguisuga *hirudo* dicta videtur quasi *hiludo*, ut ἰρωδιὸς quasi ἑλωδιὸς à paludosis locis. Et βδέλλα ἀπὸ τῦ βδάλλειν, ab exsugendo. Et Arabice علقة *alaka*, quia pendet à corpore cui adhæret. Nam علق verbum pendere est. Ps. 12. 9. Chaldæus impios ambulare dicit in circuitum, ut sanguisugam. Cujus scilicet gressus species est volutationis, Græce ἰλύσπασις. Sed Davidem de sanguisuga nihil habere docetur, & aperitur fons erroris. Alter est apud interpretes de sanguisuga locus Prov. 30. 15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, quæ dicunt *affer, affer*, mihi tam suspectus quam prior. Quia sanguisuga non generat, neque ullas habet filias. Et absurde hæc referuntur ad bifurcatam ejus linguam, cum sanguisuga sit plane elinguis. Neque hæc verba cohærent, vel cum iis quæ sequuntur, vel cum iis quæ antecedunt. Præterea sanguisugæ verum nomen עלקה *alaka* differt ab עלוקה *aluka* quo hic utitur Solomon. Et Arabibus aliud est *aluk* vel *aluka*, nempe fatum, & quod Dei decreto unicuique appensum est, ut Sap. 11. 21. & in Daniele *Mene thekel* &c. Sic lances in manu Jovis apud Poetas. Hoc Dei decretum parit Sophon. 2. 2. Et duas habet filias, fossam & שאול *seol*, quarum una corpus, altera animam appetit: Aut si mavis, duæ illæ filiæ sunt Paradisus & Inferi. Cujus sententiæ vestigia sunt in Midras seu commentario mystico in Psalmos, & in Selomone ex R. Menachem.

Exod. 30. 34. שחלת *secheleth* unum est ex quatuor aromatibus ex quibus sacrum thymiama factum. A Jonathane redditur כשת *ceseth*, quod perperam *costum* exponunt, cum sit κίσθος *cisthus* ex quo ladanum. Itaque Arabes لاذن *ladan* hic habent, quæ vox est Arabica vetus in Herodoto. Nempe שחל *sachal* est trahere. Hinc שחלת *secheleth* pro ladano sumptum, quia ex cistho funibus trahebatur. Plerisque aliis *secheleth* est onyx seu unguis aromaticus. Quod sequitur Sirachides cap. 24. 21. Onyx Dioscoridi est conchylii operculum, in nardiferis Indiæ paludibus reperti, de quo multa Arabes. Unguis vocatur, quia ferarum unguibus est formâ simile. Sed Hebræis onyx aliud, nempe aliquid in planta quod lævore & splendore suo humanum unguem refert, id est bdellium, quod Græcis βδέλλα ὄνυξ, Dioscoridi lachryma arboris Saracenicæ. שחלת *secheleth* est aroma nigrum, ut שחל *sachal* leo niger. Oleastro שחל *sachal* est Zibethi felis, & שחלת *secheleth* ejus sudor, quod ut absurdum rejicitur.

Superest liber ultimus de dubiis aut fabulosis animalibus. Cujus generis cum nullum habeant sacri Scriptores, tamen in versionibus nonnulla reperiuntur. Ut in Lege *tragelaphus*, *gryphes* & *ixos.* In Jobo *myrmecoleon* & *phœnix.* In Esaia & Jeremia *Sirenes, Lamiæ, Striges, Fauni ficarii, Pilosi, Onocentauri.* In Ezekiele vermis *samir*, qui durissimos lapides fiderit & dedolaverit. Et passim *monoceros*, qui hodie nusquam comparet. Itaque de singulis pauca dicimus, ne cuiquam hæc sint scandalo.

Etsi *tragelaphum* pro mero figmento multi habeant, ac proinde Origenes secundum literam intelligi neget, quod eum Moses ut purum offerri jubet, quia tragelaphus est ex iis animalibus quæ consistere non possunt. Tamen de tragelapho ut vero animali agunt Aristoteles, Diodorus, Plinius, Solinus, Lucianus & Isidorus. Idem in Germania frequens, & Lutetiæ à multis visus.

Gryphes in Indis aut Arimaspis auri custodes cunctanter proponit Herodotus, sed plane rejiciunt Plinius, Arrianus & Pausanias. Tamen si Græcos sequimur gryphem comedere Lex vetat. Quod Origenem ita perculit ut in manus hominum unquam venisse neget gryphem, quem Legislator edi prohibet. Proinde hoc quoq; contendit esse allegoricum. Sed γρὺψ gryphus Senioribus idem fuit qui Æschylo & Aristophani γρυπαίετος, id est aquila quæ rostrum habet insigniter aduncum.

Sic cum Arabum عنقا *anka* tam fabulosa sit avis quam γρὺψ Græcorum, tamen in Arabica Saadiæ paraphrasi legitur pro Hebræo עזניה *oznija.* Quocirca Saadiæ succensens Aben-Ezra eum errare asserit, cum sic interpretatur, *quia anca Arabice est nomen rei quæ nusquam reperitur, nec unquam fuit creata* &c. *At non convenit ut Deus usum rei prohibeat quæ nunquam extitit.* Respondeo non omnem *anka* pro fabulosa esse habendam. Nam in Damire aquilæ species عقاب *okab* alio nomine vocatur *anka megareb* seu Occidentis. Et Ibnocholean historicus *Ancam* describit ardeâ non multo majorem ex Thebaide allatam. Cum *anka* fabulosa tantæ sit molis ut elephantem rapiat, quomodo milvus murem.

Ixos Græce est viscus. Tamen pro ave ראה *raa* vel דאה *daa* ponitur in Vulgata Deut. 14. 13. Alii *xyon* aut *ixion* scribunt

 voces

voces æque ignotas. Potius *axyn* scripserim, id est ὀξύπτερον, quomodo citat Clemens Alexandrinus. Videtur esse accipiter, quem ξυπῆτερον vocat Græcia recentior.

Μυρμηκολέων, *myrmecoleon* vel *formicoleon* Job. 4. 11. aliis est animalculum formicis infestum, aliis animal ex formica & leone compositum, aliis Diabolus, aliis scarabæi species. Imo leonis genus (Hebr. ליש) cujus diserte meminit Agatharchides. Strabo & Ælianus *μύρμηκα* vocant. Hunc cum formicis Indicis confundunt Solinus & Heliodorus. At quorsum leo *μύρμηξ* aut formica cognominatur? An quia ut ursus formicis vescitur, aut à Marmacibus populis, aut ab هرماس *hirmas* leonis specie apud Arabes? Pauca adduntur de formicis majoribus in India, qualem Persarum Rex ad Solimannum misisse fertur anno 1559.

Ut Tertullianus & Epiphanius pro phœnice citant hæc Ps. 91. 13. Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, *Justus ut phœnix florebit.* Ita Beda & Hebræorum plerique hæc Job. 29. 18. *In nido meo expirabo* וכחול, *& ut phœnix multiplicabo dies.* Ac si Job significet se phœnicis annos victurum, cujus vitâ magni anni fit conversio. Illa autem esse creditur annorum MCCCCLXI. Hebræi tamen vitæ phœnicis solum mille annos assignant. Evam scilicet fructum vetitum fabulantur non soli viro, sed & omnibus animalibus obtulisse. Nec nisi solum phœnicem ab eo abstinuisse, qui proinde vivat mille annos. Et iis exactis non tam moriatur quam renovetur per ignem. Ita multi poetæ phœnicis vitam ad millesimum annum prorogant. Phœnicis autem nomen in Jobo חול *chul*, in Talmude est אורשינא *orsina* pro אורניסא *ornisa*, ex Græco ὄρνις. Cui fabulæ multi Patres videntur assentiri, ut ævo nostro Turrianus, Pamelius & Patritius. Patent tamen fontes erroris. Patribus enim imposuit ambigua vox φοῖνιξ Ps. 91. 13. quâ non phœnicem sed palmam significari docet Hebræum תמר *thamar*, & quod eodem versu sequitur, ὡσεὶ κέδρος πληθυνθήσεται, *ut cedrus multiplicabitur.* Et in Jobo חול (sive *chol* legas, aut *chul* ut Hebræi volunt) nil nisi arenam sonat. Itaque Jobi verba reddenda sunt, *& ut arenam multiplicabo dies.* Ibi tamen pro arena Græci, quâ de causâ incertum, habent στέλεχος φοίνικος, *truncum palmæ.* Et rursus Beda & Hebræi ex palma phœnicem fecerunt. Quamvis στέλεχος non dicatur nisi de arbore. Itaque Græca necessario sonant, *ut truncus palmæ multiplicabo dies.* Palma enim est arbor valde longæva. Pari errore ἑβδομήκοντα στελέχη φοινίκων, *septuaginta truncos palmarum* in Elim repertos mutavit Judæorum tragœdus Ezekiel in unicum phœnicem. Et vir doctus nostro sæculo ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος palmæ cerebrum seu medullam mutavit in phœnicis cerebrum. Contra in Clemente phœnici, qui apud Ægyptios est astrologiæ symbolum, palmam substituit interpres. Quin palma in Syagris ex se renascens occasionem dedit fabulæ de phœnice.

Jam historiæ si consulantur, phœnix unus sub Tiberio, alter sub Claudio in Ægypto visus est. Sed uterque suspectus, unus Tacito, alter Plinio. Heliogabalus convivis cum phœnicem promisisset, voti reus obiit. Æthiopiæ Rex in literis ad Romanum Pontificem, phœnicem in suo regno nasci jactitat. Et Clemens VIII. ad Hibernos plumam phœnicis misisse fertur. Avis *semenda*, quæ in India ex cinere renasci creditur, pro phœnice habita est etiam à Cardano & Scaligero. Sed Indorum avis *semenda* eadem quæ Arabum *semend*, *sendal*, *semendal*, *semendar*. Id est Græcorum salamandra, cui Philes alas tribuit. Et eandem Arabes tradunt in igne vivere, & ex illa fieri telam ἄσβεστον. Variæ Arabū de ea sententiæ. Hebræorum etiam, qui Ezechiam salamandrâ unctum ignem evasisse tradunt. Docetur paucos Patres fabulæ de phœnice assensum præbuisse, eosq; æquivocâ Psalmi voce deceptos. Plerosque hanc tradere tanquam incertam, nonnullos etiam refellere.

Fauni etiam *Fatui* & *Fatuelli* dicti sunt, & *Fauni* uxor *Fauna* & *Fatua*. Jerem. 50. 39. אים à terrore dici putavit Hieronymus. Proinde *Faunos* reddidit, quia *Fauno* terrores Panici tribuuntur. *Faunus* enim idem qui Pan. *Fauni* autem ibidem *ficarii* dicuntur, non *sicarii*, ut legi vult Emanuel Sa. Sed unde *ficarii* vocentur est perincertum. Neque enim id nominis illis à ficu obtigit, quæ Baccho sacra, ut *Fauno* pinus. Neque à *ficatis* vel *picatis* pedibus, id est in modum Sphingum. Faunis enim caprini pedes erant, at Sphingi leonini. Sed *ficarii* potuere à ficis dici seu tuberculis, maxime in facie, quales σατυριασμοὶ qui Satyris tribuuntur.

Hircus Hebræis שעיר *sair* & Græcis τράγος à pilorum asperitate dictus. Et in Festo *hircipili* densorum pilorum homines. Sed & שעירים *seirim* sunt idola vel dæmones Levit. 17. 7. & 2. Par. 11. 5. Propter Ægyptios, qui non solum hircum ἀπεθέωσαν, sed & sacerdotes omnes huic Deo voluerunt primum initiari. Et multi Dii hâc specie culti, ut Pan, Fauni, Sileni, Sylvani, Satyri. Eâdem specie dæmones se videndos sæpe exhibuerunt. Hinc Es. 13. 21. & 34. 14. שעירים *seirim* Hieronymo sunt *pilosi*, id est spectra pilosâ aut hircinâ specie. Græce τριχιῶντες aut ὀρθοτριχιῶντες. Recentiores Satyros reddunt. Judicium de Satyro qui Antonio apparuit.

Hebræis שיר *sir* cantio, unde *Sirenes* dictæ. Eas in maris littore poetæ ponunt, sed Græci interpretes procul à mari. *Sirenum* enim vocem usurpant pro Hebræis draconum & struthionum nominibus. An quia dracones & struthiones describuntur ut θρηνητικὰ ζῶα Job. 38. 29. & Mich. 1. 8. At *Sirenum* cantus funesti quidem & ferales, non tamen lugubres erant. Syrus quoque eandem vocem adhibet pro Hebr. אים *ijim*.

Es. 34. 14. לילית *lilith* nomen est à nocte factum. Nonnullis est avis nocturna. Aliis lemures, Erynnis, Furia, Lamia, الغول *Algol*, שידה *Seda*, id est dæmonissa. Kimchio inepte *Chamæleon avis*. In Talmude *lilith* est monstrum capillatum. Hebræi quatuor censent matres dæmonum, quarum una *Lilith*, olim Adami uxor, sed desertrix, de qua longam fabulam habet Ben Sira. Est monstrum muliebre noctu apparens, ut Striges & Lamiæ veterum. Est & *Lilith* nomen Reginæ Zmargad in Sabæis, quam cum valido exercitu in Jobi greges irruisse tradit Chaldæus interpres Job. 1. 15. In Dione Lamiarum est fabulosa descriptio, quæ mammas illis tribuit. Inde videtur sumptum quod habet vulgata versio Thren. 4. 3. *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* Sed ibi Hebr. תנין *thannin* non sunt lamiæ, sed cete. Veris enim lamiis mammæ nullæ sunt.

Onocentauri & *Hippocentauri* sunt in *Centaurorum* specie. An hi unquam extiterint magna quæstio est inter scriptores. In Thessalia & in Cypro Centauri describuntur. Et in Italia inter Ausones Mares Centaurus. Onocentauram accurate describit Pythagoras. Philes etiam tanquam αὐτόπτης. In convivio septem Sapientum Centaurus Periandro est exhibitus. Centauri duo sub Claudio visi sunt, unus in Thessalia, alter in Ægypto. Hippocentaurum in Arabiæ urbe Saunâ vel Sauni repertum à Rege Arabum ad Cæsarem esse missum & inter cimelia servari, refert Phlegon Trallianus. Hippocentaurus Antonio eremitæ est oblatus. Et Onocentauros vere nasci Hieronymus ex Scriptura probat. Tamen Centauros pro fabulosis habent è Græcis Aristoteles, Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Heraclitus, Agatharchides, Palæphatus, Artemidorus, Lucianus, Galenus &c. E Romanis Lucretius, Cicero, Ovidius, Lucanus, Seneca, Celsus Jurisconsultus. E Patribus Basilius, Augustinus, ipse etiam Hieronymus. Quæ ut concilientur statuendum. 1. In Thessalia Centauros fuisse κέντορας ἵππων, qui Græcorum primi equos domuerunt. Mares quoque in Italia Centaurus equorum domitor, unde dictus, & cur fingatur ter mortuus revixisse. 2. Centauros in Cypro cornutos, natos è Jovis semine in terram sparso, esse naves quibus Centauri appicti. Cornua sunt antennæ. Semen Jovis glandes & quercus Jovi sacræ ex quibus naves fabricatæ. 3. Pythagoræ non magni illius, sed alterius recentioris Onocentauram esse fabulosam, quam Philes se vidisse cur dicat. 4. Si equi fœtus quid humanum, aut muliebris quid equinum habeat, monstrum esse, & ex qua causa. 5. Antonii Hippocentaurum fuisse spectrum. Eodem sensu Onocentauros à Senioribus & Hieronymo sumi. Onocentauri dæmonum genus & quale. Cur Græci lapides vertant in Onocentauros Es. 34. 12. Onocentauri Cyrillo onagri, & Gregorio ὀνελάγροι.

Vermis

Vermis שמיר *samir*, cujus tactu lapides findi & dissilire crediti, quando creatus. Ejus operâ Moses, Ephodi gemmas & tabulas Legis, Solomon Templi lapides aptavit. Ad quem vel ab Asmodæo Rege dæmonum, vel ab aquilâ ex horto Edenis, vel ab upupâ allatus, in arca plumbea servatus est usque ad templi desolationem. Barbari scriptores vermem illum *thamur* vocant, & à struthione allatum scribunt. Probant hæc ex 1. Reg. 6. 7. & Ezek. 3. 9. Ubi tamen שמיר *samir* non est vermis, ut volunt, sed durissimus lapis, nempe σμιρίτης, quo veteres etiam usi sunt ad gemmas expoliendas, quod probamus contra Cardanum. In sagittis Æthiopum idem lapis pro ferro fuit, isque veneno tinctus. Quale fuerit illud venenum. Et cur fingatur *samir* ab upupa fuisse allatus.

Græci Monoceroti vel asino Indico eadem fere tribuunt quæ Scriptura τῷ ראם *reem*. 1. Insignem proceritatem. 2. Cornu elatum. 3. Naturam feram & prorsus indomitam. 4. Robur magnum. Unde vetustissimi interpretes perperam collegerunt *reem* esse monocerotem. Cum ראם *reem* sit verum animal, & monoceros fabulosum, ut supra monuimus.

His ita explicatis, Arabum quoque fabulosas aliquot animalium descriptiones explodimus, ne illorum omnia sine delectu admittantur. Et occasione natâ ex iis quæ nugantur de electri origine, plenius disquirimus quid in Ezekiele sit חשמל *hasmal*, in Senioribus ἤλεκτρον, & in Johanne χαλκολίβανον. Quæ voces, dum ἀνερμήνευτοι manent, non satis intelliguntur illustrissimæ visiones in quibus insertæ sunt. Itaque ad eas explicandas non piguit bene longam dissertationem elucubrare, quâ clauditur totum hoc opus.

Vides, Lector benevole quisquis es, ex hac operis nostri διατυπώσει, quale pensum susceperim, & in quo campo mihi fuerit decurrendum. Nec tam leve & facile fuisse quam multi putant, ea interpretari quæ de animalibus passim habent S. Scriptores. Quamvis nondum omnia oculis tuis sese offerant. Nam ut hæc explicarentur, multa obiter attingere necesse habui, in quibus tantum operæ fuit insumendum, ut sæpe τὸ πάρεργον ipsum opus æquet aut etiam superet. In quo censu (ut præteream amplos tractatus de pastoribus & bubulcis, de sacrificiis, de aureis Aaronis & Jeroboami vitulis, de agno Paschali, & illa ipsa capita quæ jam modo citavi de fabulosis Arabum animalibus, & de *hasmal* & chalcolibano) ponenda omnino sunt à nobis restituta sexcenta loca quæ vel in Sacri textus versionibus, vel in veterum doctorum scriptis, vel in aliis etiam scriptoribus omne genus temporum injuria & scriptorum incuria corruperat.

A qua calamitate reliquis libris communi, Dei providentia sacros codices ita sartos tectos servavit ut in illos nullus unquam irrepserit error contra fidem & bonos mores. At in minutulis amanuenses potuisse peccare quis neget, cum homines fuerint, nec Prophetarum instar θεόπνευστοι, & prorsus ἀναμάρτητοι. Itaque exemplaria in minutulis illis non per omnia consentiunt. Et quandoque priscos interpretes in Hebraico textu, hoc vel illud vocale punctum, aut hanc vel illam literulam aliter legisse constat, quam hodie legitur in nostris exemplaribus. In quem dissensum cum incidimus, nostrum est probare omnia, & quod bonum est retinere. Exempli causa cum eadem avis in Levitico vocatur דאה *daa*, & in Deuteronomio ראה *raa*, juxta Hebræum exemplar, sed utrobique דאה *daa* juxta Samaritanum. Cum Gen. 36. 24. illud habet הימם *hajemim*, vocem aliunde ignotam, quamvis multi *mulos* explicent, hoc האימים, id est *Emæos*, quod sequitur Onkelos. Cum 1. Reg. 4. 26. curulibus Solomonis equis attribuuntur stabulorum aut loculorum saltem *quadraginta millia*, sed 2. Par. 9. 25. nonnisi *quatuor millia*; Alterutrum mendosum esse oportet, cum hæc duo sint ἀσύστατα. Prudentis igitur est interpretis, in hujusmodi rebus quæ ad fidem sunt ἀδιάφορα, è duabus lectionibus eam præferre quæ ad textus circumstantias melius quadrat. Et à vocalibus punctis, quæ ab ipsis Prophetis apposita fuisse multi contendunt, nemo probavit hactenus, interpretem minore cum periculo recedere posse credimus, si res requirat. Ut cum recepta lectio nullum commodum sensum admittit, puta Gen. 49. 21. & Psal. 56. 1. Tamen in utroque sobrie agendum est, & videndum ne quid nimis. Quædam enim ignorare præstat, quam in divinum verbum temere quicquam attentare. Cujus regulæ memores, si quid in ipso Scripturæ textu olim aliter lectum fuisse suspicamur, eâ modestiâ id proponimus, ut appareat nos divina hæc volumina multo aliter tractare quam libros mere humanos. Non puto igitur ullum esse tam scrupulosum ut hoc nomine mihi dicam scribat.

Sed vereor ne audaciæ & nimiæ αὐθαδείᾳ nonnulli imputent quod tam in verborum quam rerum interpretatione, à receptis opinionibus discedens,

Avia Pieridum peragro loca nullius ante
Culta solo.

Sciunt tamen ii quibus notus sum, me nec φιλονεικίας, nec καινοτομίας amore duci. Et quam sim alienus à studio partium probat hic ipse liber, in quo Vulgatum sæpe tueor contra nostros interpretes. Neque enim in hoc opere in ullius verba juravi, sed soli veritati litavi, quam quisquis interpretum proxime sequitur meus est, &

Tros Rutulusve fuat nullo discrimine habetur.

Quin cæteris paribus, veteres Scripturæ interpretes, sicubi consentiant, novis præfero, & ab iis raro recedo, nisi magnæ causæ subsint. Proinde cum veterum versiones defendi possunt, nullum lapidem non moveo ut eorum interpretamenta asseram. Et cum illa deserere, & novis posthabere, res ipsa cogit, plerumque tamen veterum excuso peccata, digito in fontes erroris intento, ut lapsos esse pateat, vel pravâ lectione, vel ambiguâ voce deceptos, & habuisse causas cur hoc vel illo modo verterent. Non diffitebor tamen me nonnunquam, utrisque valere jussis, plane diversas vocum, quæ vel ignotæ vel dubiæ sunt, interpretationes magno molimine stabilire. Sed quisquis hunc librum leget, videbit me quoties tale aliquid aggredior, iis niti rationibus quæ etiam ab invitis assensum extorqueant. Itaque hoc solum ab æquis lectoribus obnixe peto, ne me præjudiciis obruant, nec indictâ causâ condemnent. Neque enim tam suffenus sum ut mihi quicquam arrogem supra vulgus hominum, aut me plus sapere putem reliquis mortalibus qui in hac eadem palæstra cum tanta laude sudarunt. Sed mea defensio hæc est τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσιν, me prorsus imparatum & illotis quod ajunt manibus ad hæc sacra non accedere. Cum enim à teneris unguiculis Hebraicas literas ardentissimo studio amplexus sim, ut ex ipso fonte biberem, & sacros vates consulerem propriâ linguâ loquentes, tantum in iis brevi profeci quantum erat necesse, ut non solum Prophetarum textum, sed & magistrorum in illum commentaria magnâ ex parte intelligerem. Sed cum linguæ ab annis bis mille intermortuæ multas voces ab ipsis Hebræorum magistris ignorari deprehendissem, Syriacæ quoque, Chaldaicæ & Arabicæ linguæ notitiam adhuc adolescens mihi comparare conatus sum, celeberrimis usus magistris, *Capello* Salmurii, & *Erpenio* Lugduni Batavorum. Quibus abhinc aliquot annis accessit etiam Æthiopica, *Ludolfo* duce, non Germanorum modo sed & Europæorum omnium in ea lingua longe eruditissimo. His præsidiis instructus, non solum veteres Scripturæ versiones in locis difficilibus diligenter contuli, sed & ipsas inter se linguas, ut ex hac collatione aliqua lux oboriretur. Et quod Hebræos fugerat, in Babylonia, Syria aut Arabia quærerem, aut inter extremos Æthiopes, qui sub sidere Cancri degunt. Nec mihi inutilis fuit ille labor. Quasdam enim voces Hebraicas tanquam ex Babylonica captivitate in Judæam postliminio reduxi. Quasdam etiam ex intima Æthiopia accersivi, ut cum Eunucho Candaces Hierosolymam venirent adoratum.

Sed ut dicam quod res est, nihil mihi tam profuit quam Arabicæ linguæ qualiscunque cognitio. Cum enim in reliquis Hebraicæ linguæ dialectis, præter aliquot Scripturæ versiones aut paraphrases, vix quicquam habeatur quod sit alicujus momenti. Arabes abhinc annis fere nongentis omnes omnino scientias magna cura excoluerunt. Et de singulis multa scripserunt, iis plerumque verbis quæ vel mere Ebraica sunt, vel cum mere Ebraicis magnam habent affinitatem. Itaq; si quis Arabum scrinia sedulo compilaret, plura ex iis eliceret ad solidam sacræ linguæ cognitionem pertinentia, quam vel ex vasta illa

Talmu-

Talmudicorum farragine, vel ex magistrorum commentariis omnibus. Quod sum expertus in hoc ipso libro quem de animalibus scripsi. Quamvis enim Arabicos libros paucos habeam, & pauciores legerim, tamen ex paucis illis mihi multum lucis affulsit.

In his fuere *Pentateuchi quatuor paraphrases*, quarum duas legi editas, & duas manuscriptas reperi im amplissima *Serenissimæ* Suecorum *Reginæ* bibliotheca. *Psalteria duo manuscripta* à præstantissimo viro *D. Sarravio* mihi jam olim dono data, quæ licet in plerisque cum editis conveniant, tamen in nonnullis differunt. *Alcoranus Arabs* quem mecum benigne communicavit vir Amplissimus, Doctissimus, Humanissimus, Dominus *de la Motte*, urbis nostræ præfectus, mihi amicitiâ atq; affinitate conjunctissimus. *Alkazuinius* de Mirabilibus creaturarum ante annos fere quingentos scriptus, quem *Serenissimæ Christinæ* liberalitati debeo. *Abenbitaris Medici Malacensis* de Plantis accuratum opus, in quo de Animalibus hinc inde multa inserta. Id ex magno *Salmasio* habui, *Salmasius* ex Amplissimo *Peirescio*, qui ex Ægypto advehendum curaverat. Obiit autem is *Abenbitar* anno Hegiræ 646. *Muhammedis Addamirii*, qui vulgo *Damir* dicitur, volumen ingens de Animalibus, collectum ex viginti minimum scriptoribus, qui in toto opere passim citantur. Hujus duo exemplaria fœlicissime nactus sum, quæ singula aliquid proprium habent, quod in altero frustra quæras. Is cum scripsisset anno Hegiræ 773. fato functus est ejusdem Hegiræ anno 808. *Alcamus*, id est Oceanus, quo titulo vastum linguæ Arabicæ Lexicon in ipsa Arabia circa hoc idem tempus scripsit *Mahometes Jacobi Phiruzabadensis* filius. Illud Holmiæ totum percurri, ut ex magno opere excerperem quæ in rem meam erant. His addi potest *Abulfapha* Arabis de Animalibus liber ingeniosissimus, a me etiam Holmiæ lectus, sed ex Arabica lingua in Hebraicam à Calonymo translatus anno Christi 1316. Partim igitur ex libris quos diximus, qui nondum lucem viderunt, partim ex aliis qui jam editi sunt (in quibus primas tenent varii in totam Scripturam paraphrastæ, *Avicenna*, *Nubiensis Geographus*, Arabica *Giggeii* & *Golii* Lexica, & *Coptoarabicus Kircheri* Nomenclator) multa didici quorum ignoratione viri in cæteris doctissimi non poterant non impingere.

Nota obiter Geographum Arabem à me cum vulgo doctorum *Nubiensem* vocari, cum re vera *Siculus* fuerit natus in oppido Mazarâ, ut didici ex manuscripto Leonis Africani libro de viris illustribus, quem mihi dono dedit vir eximius *D. Isaacus Vossius*. Ut communi errore *Phile* à me appellatus est muliebri nomine Græcus poeta Philes, qui suum de animalibus opus ex Æliano fere excerptum Michaeli Imperatori inscripserat. Sed quoto non satis scimus. Hujus enim nominis Imperatores novem fuerunt temporibus diversissimis.

Arabicis paraphrasibus, *Chaldaas Jonathanis, Onkelosi*, & ejus cui ab urbe nomen est, *Syram*, *Samaritanam*, *Æthiopicam*, *Græcas Seniorum*, *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis*, *Romanam* denique *Hieronymi* subjunximus cum opus fuit. Multa etiam hinc inde *Talmudis* loca. Et ex ejusdem epitome titulo יד חזקה *jad chazaka* ante annos quingentos ordine mirabili à *Maimonide* scripta, quam habemus ex dono Amplissimi *Sarravii* τοῦ μακαρίτου. Nec pauca ex *Rabboth* quas vocant, id est mysticis in Legem & alios Scripturæ libros commentariis, post pauca à Christo secula editis, quæ mutua habui ab Amicissimo viro & in his literis versatissimo *D. Stephano Morino*. His addidi Hebræa recentiorum ad literam commentaria in Scripturam elucubrata, à *Saadia*, *Selomone*, *Kimchio*, *R. Levi*, *Abarbanele*, & Cabbalisticum quod vocant commentarium *Baal Hatturim*. Sæpe etiam usus sum Hebræis aut Chaldæis Lexicis *R. Nathanis*, *Kimchii*, *Eliæ*, *Aquinatis*. Et *Rabbi Mardochai* concordantiis. Et historiis *Josephi filii Gorion*. Et *Porta cœli* libro Physico cujus autor *R. Gersom*, & mythologico *Masal Kadmoni*, in quo fabulas Æsopicis similes stricta oratione scripsit *R. Isaac Solomonis filius*, & quod mirere animalium picturas adhibuit.

Patres quoque *Græcos* aut *Latinos* sæpe consuluimus, sed eos potissimum qui in Hexaëmeron scripserunt, ut *Basilium*, *Ambrosium* & *Eustathium Antiochenum*. Aut in reliquam Scripturam, ut præter illos ipsos, *Basilium* inquam & *Ambrosium*, *Origenem*, *Apollinarem*, *Gregorium Nyssenum*, *Philonem Carpathium*, *Hieronymum*, *Augustinum*, *Chrysostomum*, *Sedulium*, *Cyrillum Alexandrinum*, *Theodoretum*, *Salonium*, *Primasium*, *Cassiodorum*, *Procopium Gazæum*, *Gregorium Magnum*, *Olympiodorum*, *Oecumenium*, *Theophylactum*.

Et cum agitur de natura animalium, *Philosophos* sæpe consulo, in his eorum κορυφαῖον *Aristotelem*, qui de natura, generatione & partibus animalium libros scripsit mirabiles. Quibus licet quæ *Plinius*, *Plutarchus*, *Ælianus* & *Oppianus* de eodem argumento scripserunt, haud quaquam conferenda sint, ea tamen suum momentum habent, & à nobis sunt observata quibus locis oportuit. *Historicos* quoque & *Geographos* non neglexímus, qui referunt quibus locis hæc vel illa nascantur animalia, & quid singulare habeant. Nec *Poetas* quorum est graphice depingere quicquid sensibus aut animo obversatur, & animalia maxime, quibus secundum hominem nihil est in natura rerum mirabilius. Nec piguit ipsa autorum verba citare αὐτολεξεί, & quicquid peregrinum est Latino sermone reddere, in eorum gratiam qui alias linguas ignorant. Quæ citationes fecerunt ut hoc opus in magnam molem excresceret. Sed quantum moli operis, tantum accessit ejus utilitati & auctoritati. Nec dubito quin piis suave sit videre omnium temporum, gentium & linguarum homines, Judæos, Christianos, Ethnicos, Mahumetanos, in descriptione animalium cum Prophetis nostris concinere. Qui prius atheorum sannis & sarcasmis erant obnoxii. Quia non quadrabat descriptio, cum animalis nomen de quo res erat in aliud transferebatur: Puta hippopotami in elephantem, crocodili in balænam, gallinaginis in perdicem, bubonis in passerem, chœrogryllii vel arctomyis in cuniculum, stellionis in araneam. Ut taceam pro veris animalibus fabulosa substituta, & quæ nusquam sunt, ut Sirenes, Faunos, Onocentauros, Monocerotes, & Lamias quæ mammas nudant ut lactent catulos suos. Si qui sint qui citationibus se querantur obrui, eas præterire licet. In convivio sufficit si quisque sumat quantum sibi sit satis. Nec quisquam absumere tenetur quicquid illi apponitur. E copia quod nimium est demere facilius est quam inopiæ subvenire.

Stylum quod attinet, nemo à nobis expectet mellitos verborum globulos, & dicta quasi sesamo & papavere sparsa. Quæ nec genio nostro nec ætati conveniunt, nec vitæ conditioni quam elegimus, nec materiæ quam suscepimus tractandam.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Nobis igitur sufficit si intelligamur, quod non assequuntur ii omnes qui in hujusmodi rebus versantur. Quas cum pauci capiant, pauciores iis capiuntur.

Editionem procuravit vir optimus *D. Jacobus Allestryus* Londinensis Bibliopola, cui plurimum me debere agnosco. Cum nullis pepercerit sumptibus, ut in ea nihil desideraretur. Chartam optimam ex his oris advectam magno pretio comparavit. Iis ipsis characteribus usus est, quibus ante triennium Londini edita fuerunt Biblia illa πολύγλωττα. Nec solum Latina, Græca & Hebræa, sed & Syra, Samaritana & Æthiopica singula proprio charactere edi voluit. Effigiem nostram Parisiis ab artifice peritissimo sculptam fronti operis præfigi curavit. Quasdam etiam tabulas in ipso opere inseruit, quæ rem ponerent ob oculos. Et volumini jam per se satis spisso septem indices accuratissimos addi passus est, quibus libri moles non parum aucta est. Correctores quoque quos putavit esse idoneos amplâ mercede conduxit. Sed horum unus quid in nostro opere attentaverit disce, Lector, ex admonitione sequenti, quâ perlectâ nihil jam amplius te morabitur: Qui fortasse diu nimis in primo limine detentus, jamdudum tot morarum impatiens, admitti petis in ædium penetralia.

Erudi-

Erudito atque Benevolo Lectori S. & O.

POsteaquam Anno superiori, Dn. BOCHARTI *Geographia sacra* prodierat, institit de novo vir Eximius Dominus ZUNNER, ut promissum meum, publice dicti libri Præfatione divulgatum, sibi, tibique *Benevole Lector*, exsolverem, ejusdemque Auctoris, nunquam laudati satis HIEROZOICON, emendatum ut excudere posset, accurarem; Quod cum vi promissi in debitum cecidisse sentirem, non potui, quin rogatis locum darem, & promissa ejus meaque ut apparerent, facerem. Accinxi itaque me vasto illi operi, atque petito ejus satisfacere, laborans, in relegendo eo, corrigendo & emendando, in hunc usque diem desudavi, quo, Deo dante, ultimam imponere manum, summaque, qua fieri potuit, fide atque diligentia, ab erroribus purgatum, Typographo in universum tradere licuit. Hoc ipsum verò, an exspectationi tuæ responsurum sit ignoro: Spero tamen & pæne confido, cum quanta cura, quanto studio, quantaque sollicitudine rem omnem egerim, mea sit mihi testis conscientia: sperabam equidem initio, me indicem illum erratorum, quem Auctor ipse editioni priori addiderat, fidum habiturum Achatem, qui in emendando viam digito monstraret, certam satis imò infallibilem, ut hunc secuto de reliquis ad viam, securum esse liceret; Sed spes illa vana fuit & in universum fallax! Namque ipse sæpius mendi fuit reus, ut pag. 136. l. 32. pag. 408. l. 29. p. 214. l. 29. intuenti patebit: Nonnunquam alio modo in frontispicio atque in Indice vult corrigendum, uti hoc qui p. 157. l. 29. p. 449. l. 16. in erratis, cum Præfatione ultimâ conferet, deprehendet ὀφθαλμοφανῶς: Sæpe lineam, sæpe paginam vel falso citat vel omittit plane, quod multis probare possem, si res necessitasque postularet; Et ut hujusmodi taceam, non sufficiebat quoque idem Index, sed adhuc in ipso textu, & majora sæpe & plura certe sphalmata remanserant; Præter illa enim, quæ memoratus sæpe Catalogus enarrabat, me ultra tria millia correxisse, liquidò jurare possum, adeo ut ipsâ messe spicilegium dici posset fœcundiùs. Non a. temere sollicitavi receptam lectionem, nec mutavi quicquam nisi de mente Auctoris certo constaret certiùs. Itaque si opus prodierit, uti spero atque exhibeo Typographo, nullus dubito, quin Exemplar simus habituri quàm accuratissimum. Illud equidem diffiteri nequeo, in primis duabus pagellis, sæpe *Re* finale pro mediano & vice versa, sæpius & *Mim* medianum per finali, & *Fatha* Æthiopicum liberiori ductu superno, apparere, quæ tamen meo monito in subsequentibus observata sunt diligentius: Sin verò alia de novo irrepserunt menda, quæ tamen levissima fore confido (hactenus enim nondum vidi omnia) venia danda atque excusanda ea erant, quin corrigenda benevole, ab omni enim errore immunem esse supra sortem nostram esse, nemo erit qui ignoret. Vale Benevole Lector & fave.

Dabam è Musæo Anno Chr. M. DC. LXXV. Cal. Febr.

DAVID CLODIUS P.P.

Itera-

Iteratæ Editionis Editor
L. S.



N Tibi, *Benevole Lector*, BOCHARTI HIEROZOICON revisum & recusum, uti Anno superiore sum pollicitus. Hujusque ego formam antiquam retinere volui, tum ut illam gravitatem, quâ, in *Folio* (sic vulgo vocamus) qui exstant Auctores, sunt conspicui, obtineret, tum verò, ne, minori aliquâ assumptâ, justo vel minutior evaderet typus, vel moles libri gravior; Atque hâc de causa, singula singulis columnis, eo ordine, nexu atque numero, quo pristinus codex erat, exhibere curæ fuit, quod & observatum deprehendes quam accuratissime; Addere Auctori quicquam indignum ejus dignitate visum est, quare nihil hic mutatum, nisi quod mendosum vel erroneum erat; In hoc autem secutus sum judicium Viri Clarissimi atque Doctissimi Domini DAVIDIS CLODII, cui revidendum atque corrigendum, uti proximè præmissâ Præfatione testatus est, commisi: Illa ergo quæ vir laudatus corrigenda monuit, (quorum omnino multitudo fuit incredibilis) ut observarentur, summa fide, cura, studio atque contentione, accurasse me, sancte contestor. Itaque hanc nostram Editionem priori multo accuratiorem esse certus sum, certusque ut sis suadeo, quin jubeo. Si quæ tamen remanserunt παρεράματα, quæ vel nulla vel certe levissima esse persuasus sum, ea ut benevole excuses, corrigas, cogitesve, opere in tam longo tamque vario facile esse obrepere somnum, humanissime rogito. Quibus vale Lector Benevole, atque labori nostro fave.

T.

J. D. ZUNNER.

HIERO-

HIEROZOICI,

Sive bipartiti operis

De

ANIMALIBUS SCRIPTURÆ,

PARS PRIOR.

In qua agitur libris quatuor

DE

ANIMALIBUS

in genere, & in ſpecie

De

QVADRUPEDIBUS, VIVIPARIS

& OVIPARIS.

CUM INDICIBUS.

i



INDEX CAPITUM OPERIS De Animalibus Scripturæ, PARS PRIOR.

LIBER I.

De Animalibus in genere.

LIBER II.

De domesticis Quadrupedibus.

CAP.

LIBER III.

De Feris Quadrupedibus.

LIBER IV.

De Quadrupedibus oviparis.

DE



DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS

PARS PRIMA.

Liber Primus,

De Animalibus in Genere.

CAPUT PRIMUM.

De Animalium nomine, usu, & generali divisione,

Animal Græce *&* Hebraice *à vita nomen habere. Quamvis etiam plantæ vivant ex* Hebræorum *sententia, tamen animalibus vitam esse magis propriam. Proinde sola animalia ἔμψυχα dici à* Pythagoræis. *Animal λογικὸν, vel ἄλογον. Bruta cur à Deo creata. Brutorum juxta* Hebræos *quatuor summa genera.*



NIMAL ut *Græce ζῶον*, ita *Hebraice* חיה *chaja* ratione vitæ dicitur. Non quod ex *Hebræorum* sententia vita sit animalis propria, ut docti putant. Plantis enim inesse vitam agnoscunt *Aben-Ezra* & *Ramban* in primum caput *Geneseos*. Atque id ex Scriptura clarum, cum pollicetur homines victuros ut frumentum, *Os.* 14, 7. Quo allusum ab Apostolo, 1. Cor. 15, 36. Proinde occidi dicuntur arbores & emori, id est, vita privari. Sic *Psal.* 78, 47. *Occidit grandine vites eorum.* Ad quæ verba *Kimchius*, גם יתכן בצומח מיתה אחר אשר בו נפש הצומחת *Etiam plantæ mors convenit, quia in ea est anima vegetativa.* Hinc *Horatius*, lib. 1. *Epist.* 12.

Verùm, seu pisces, seu porrum, & cape trucidas.

Et *Seneca*, Epist. 58. *Placet enim satis & arbustis animam inesse: itaque & vivere illa & mori dicimus.* Eodem faciunt hæc *Jobi* de arbore *cap.* 14. *vers.* 8. *Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere mortuus fuerit truncus ejus.* Et *Ægyptiorum* ad *Josephum* quiritatio, *Gen.* 47, 19. *Cur moreremur coram te, tam nos, quam terra nostra?* Nempe mori terra dicitur, cum inculta jacet & desolata, quia in proventu suo vivit aliquo modo. Hinc *Martialis*, lib. 13. *Epigr.* 12.

------ suburbanus ne moriatur ager.

Et *Statius*, lib. 5. *Theb.* ubi de eo serpente, à quo occisus est *Archemorus*,

------ percussa calidis afflatibus herba
Qua tulit ora cadunt, moriturque ad sibila campus.

Quocirca plantam vivere etiam apud *Hebræos* in confesso est. Sed quia solum animal sentit, appetit, & movetur, interdum illi vita tribuitur tanquam propria, ut quæ multis gradibus supra plantæ vitam assurgat. Itaque ἔμψυχον *animatum* Græcis sæpe idem quod animal. Ut cum *Athenæi* lib. 7. mugilem ideo νῆστιν quasi *jejunum*, appellari tradit *Ulpianus*, ὅτι οὐδὲν δέλεαρ ἐσθίει ἔμψυχον, καὶ ἀνελκυσθεὶς δ' οὐ δελεάζεται, ὅτι ζῷον, οὔτ' ἄλλῳ τινὶ ἐμψύχῳ· *quia animata esca nulla vescitur, neque, cum è mari captus extrahitur, inescatur carne aut ulla re animata*, id est, carne ullius animalis. Quo ipso sensu *Pythagoras*, apud *Laertium*, & alios, τῶν ἐμψύχων ἀπηγόρευεν ἅπτεσθαι, *animata degustare prohibuit.* Et hujus *Pythagorici* dogmatis apud *Comicos* frequens mentio. *Antiphanes* in *Coryco*, apud *Athen.* lib. 4.

Πρῶτον μὲν, ὥσπερ Πυθαγορίζων, ἐσθίει
Ἔμψυχον οὐδέν.

Primum quidem, ut Pythagoræ *sectator, nihil edit animatum.* Et ibidem *Alexis* in *Tarentinis*,

Οἱ Πυθαγορίζοντες γὰρ, ὡς ἀκούομεν,
Οὔτ' ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτ' ἄλλ' οὐδὲ ἓν
Ἔμψυχον.

Pythagoræ *enim discipuli, ut accipimus, neque piscem comedunt, neque aliud quicquam animatum.* Et in *Atthide* idem apud *Athenæum*, lib. 9.

Ὁ πρῶτος εἰπὼν ὅτι σοφιστὴς οὐδὲ εἷς
Ἔμψυχον οὐδὲν ἐσθίει, σοφός τις ἦν.
Ἐγὼ γὰρ ἥκω νῦν ἀγοράσας οὐδὲ ἓν
Ἔμψυχον. Ἰχθῦς ἐπριάμην τεθνηκότας.

Qui primus dixit Philosophum neminem animatum quicquam comesse, sapiens quidam fuit. Ego etiam è foro venio nihil animatum mercatus. Emi enim pisces mortuos. Quo alludens *Laertius*, *Epigrammate* in *Pythagoram*,

Οὐ μόνος ἐμψύχων ἀπέχεις χέρας, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς·
Τίς γὰρ ὃς ἐμψύχων ἥψατο, Πυθαγόρα;

Non solus ab animatis manus continuisti, sed nos quoque. Quis enim est, O Pythagora, qui animata degustaverit? Et, idem sequutus, *Porphyrius* scripsit Περὶ ἀποχῆς ἐμψύ-

χων, *De abstinentia ab animatis*, id est, ab animalibus. Quippe εἰ, ὥς φασι, καὶ τὰ φυτὰ ψυχὴν ἔχει, τίς ἂν εἴη ὁ βίος, μήτε ζώων, μήτε φυτῶν ἡμῶν ἀπτομένων: *Si, ut ajunt, etiam plantæ animam haberent, qualis esset hominum victus, cum neque animalia, neque plantas cæderemus?*

Animal est λογικὸν, vel ἄλογον, 2. *Pet.* 2, 12. Prius *Hebræi* appellant חיה מדברת *animal loquens*, quia ratio est sermo mentis. Tale nullum est præter hominem, cui Deus in creatione imaginem suam indidit, & inspiravit נשמת חיים *halitum vitæ duplicis*, mortalis & immortalis. Unde est quod morientis spiritus sursum ascendit ad Deum qui dederat, *Eccles.* 3, 21. & 12, 9. At bruta è terra tantum & terræ nata נדמו *succiduntur* in morte, *Psal.* 49, 13. 21. & funditus intereunt, atque illorum spiritus deorsum vadit, atque evanescit. In illorum creatione Deus hæc tria videtur respexisse: Primo gloriam suam; *Psal.* 148, 7. 10. 13. *Laudate Dominum cete & omnes abyssi: Feræ & omne jumentum: Reptile & avis alata laudent nomen Domini.* Secundo usum hominis, cujus pedibus omnia subjecit, *greges & armenta quotquot sunt, etiam bestias agrestes, aves cœli, & pisces maris, quicquid permeat semitas marium*, Psal. 8. vers. 7. 8. 9. Tertio perfectionem universi, in quo quædam entia habent simplex esse, ut lapides; quædam vitam sine sensu, ut plantæ; quædam vitam & sensum, ut bruta; quædam denique vitam & sensum & rationem, ut homo.

Brutum בעיר *Hebræi* dividunt in quatuor summa genera: nempe בהמה *animal quadrupes*, עוף *avem*, רמש *reptile*, & דג *piscem*. Hinc *Gen.* 1, 26. *Dominentur in pisces maris, & in volucres cœli, & in quadrupedes, & in omnem terram* (id est, in omnem quadrupedem terræ) *& in omnia reptilia reptantia super terram.* Et Gen. 9, 2. *Timor vester sit super omnes quadrupedes terræ, & super omnes volucres cœli, & super omnia quæ repunt in terram, & super omnes pisces maris.* Et Levit. 11, 46. *Hæc est lex de quadrupede, & volucri, & omni anima vivente quæ repit in aquis, & omni anima quæ repit super terram.* Et Deut. 4. v. 16. 17. 18. *Ne faciatis vobis similitudinem omnis quadrupedis quæ est in terra, similitudinem omnis avis alatæ quæ volat in cœlis, similitudinem omnis repentis in terra, similitudinem omnis piscis qui est in aquis sub terra.* Et 1. Reg. 4, 33. *Disseruit* Solomon *de quadrupedibus, de volucribus, de reptilibus, & piscibus.* Et Ezek. 38, 20. *Et concutientur à facie mea pisces maris, & volucres cœli, & bestiæ agri, & omnia reptilia reptantia super terram.* Et Jacob. 3, 7. *Omnis natura bestiarum & volucrium, serpentiumque, & marinorum, domatur, & domita est à natura humana.* Addi queat ex *Os.* 4. v. 3. juxta *Græcam* & *Arabicam* versionem, *Ideo lugebit terra, & imminuetur, cum omnibus qui inhabitant eam, cum bestiis agri, & cum reptilibus terræ, & cum volatilibus cœli, & pisces maris deficient.* Sed verba: *Et cum reptilibus terræ*, Græcè Καὶ σὺν τοῖς ἑρπετοῖς τῆς γῆς, & *Arabicè* ومع دبابات الارض in *Hebræo* textu non sunt, nec in *Chaldæo Paraphraste*, nec in *Vulgato*, nec in *Syro*, nec in versione *Græca Complutensis* editionis. Nempe ad maledictionem terræ id non pertinet, ut reptilia deficiant, quæ plus homini obsunt, quam prosunt.

Quatuor hæc genera præcipuè distinguit motus. Graditur enim quadrupes, avis volat, reptile serpit, piscis natat. *Algazaud*, Scriptor *Arabs*, الحيوان علي اربعة اقسام قسم يمشي وقسم يطير وقسم يعوم وقسم يناج في الارض الان كل شي يطير يمشي وليس كل شي يمشي يطير *Sunt quatuor genera animalium. Pars ambulat, pars volat, pars natat, pars repit super terram. Porro quodcunque volat, ambulat; at non vicissim quodcunque ambulat, volat.* Et *Cicero*, lib. 5. Tuscul. *Alias bestias nantes aquarum incolas esse* (Natura) *voluit; alias volucres cœlo frui libero: serpentes quasdam, quasdam esse gradientes.* Et *De Nat. Deor.* lib. 2. *Alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando.* Sunt & aliæ notæ διαιρετικαί. Reptile & quadrupes in terra vivunt, avis in äere, piscis in aqua. Quadrupes animal plerumque est viviparum, cætera ferè ovipara. Avis reptili & pisce, ave quadrupes perfectior est; quia plura habet organa, & disciplinæ capacior est, & propius accedit ad hominem.

CAPUT SECUNDUM.

De Quadrupedibus in Genere.

Quatuor significata vocis בהמה behema: 1. *brutum quodvis*; 2. *terrestre quadrupes viviparum aliquantæ molis*; 3. *jumenta & domesticum pecus*, *ut* חיה chaja, & זיז ziz *fera*; 4. behemoth *in* Jobo, *aliis* elephas, *nobis* hippopotamus. *Ignota origo vocis* בהמה behema *ex* Æthiopica *&* Arabica *lingua eruta*. *Quadrupes in Scriptura distinguitur ratione loci, molis, partium, colorum, vocis, ætatis, sexus, dotium corporis; puta formæ, roboris, agilitatis, vigoris sensuum; & ratione morum animi: item ratione victus: (obiter quomodo carnivora in arca* Noæ *sustentaverit) denique ratione usûs, ad vescendum, ad sacrificia, ad cultus agrorum, ad vehendum, ad corpora vestienda.* *A* pecore, pecunia, *&* peculium. *Usus opponitur abusui.*

Hebræum nomen בהמה *behema* sumitur quadrifariam; Primo pro bruto quovis, puta cum soli homini opponitur, ut *Psal.* 36, 7. Unde est, quod etiam serpens recensetur inter בהמה *Gen.* 3, 14. Quod obiter observo, ne quis inde colligat, quod multi perperam faciunt, serpentem ante peccatum hominis fuisse quadrupedem.

Secundo sumitur בהמה pro *quovis terrestri quadrupede viviparo aliquantæ molis.* Ideo *terrestre* dicimus, ut excludantur aquatica & amphibia, puta crocodili, hippopotami, *&c.* & ex avibus vespertilio, qui quidem est quadrupes, sed non terrestre animal. *Viviparum*, ut excludantur ovipara, quales, præter crocodilum, testudines, lacertæ, stelliones, salamandræ, chamæleontes, & cætera id genus. Et *aliquantæ molis*; quia lepores quidem & chœrogrylli computantur inter בהמות *Levit.* 11, 5. 6. Sed quadrupedes viviparæ, quæ sunt infra hanc molem, puta mures, & talpæ, censentur in reptilibus, *Levit.* 11. *vers.* 29. 30. propter exiguitatem pedum, quibus repere videntur potius quam incedere. Eo sensu, quem diximus, usurpatur בהמה, quoties volucribus, reptilibus, & aquatilibus opponitur, ut in Scriptura passim.

At ubicunque בהמה *behema* & חיה *chaja* opponuntur, ut *Gen.* 1. *vers.* 25. tum בהמה jumenta & greges & omne domesticum pecus, חיה significat agrestes feras. Quibus aliud nomen זיז *ziz*, *Psal.* 50, 11. & 80, *vers.* 14. videtur à motu factum: quia זוז *zuz* *Hebræis*, & هزز *hazaza Arabibus* est *movere*, vel *movere se*. Nempe cum cicuribus & mansuetis animalibus fixæ sint apud dominos suos sedes, & pastus domi paratus: feræ contra quoquoversum prædabundæ discurrunt, estque earum ὁ βίος νομαδικὸς, καὶ διὰ τὴν τροφὴν ἀναγκαῖον ἐκτοπίζειν. Ita

Fullerus

Fullerus ex Philosopho. *Mudras* & *R. Selomo* in 1. *Sam.* 17, 44. *Goliathum* impropriè loqui observant, cum minatur se carnem *Davidis* daturum in cibum *avibus cœli*, ולבהמת השדה *& jumentis agri*, cum jumenta non sint carnivora. Ac proinde *vers.* 46. *Davidem*, paribus minis illi retaliantem, non dixisse ולבהמה sed ולחית הארץ *& feris terræ*. Sed feras quoque sub nomine בהמה *behemoth* non raro contineri probat *Kimchius* ex variis Scripturæ locis. Ita dicitur *Es.* 18, 6. de occisorum cadaveribus, *Derelinquentur pariter volucribus montium*, ולבהמת הארץ *& bestiis terræ*. Et *Jerem.* 7, 33. *Erunt cadavera populi istius in escam volatilibus cœli*, ולבהמת הארץ *& bestiis terræ*. Proinde *Deut.* 14, 6. 7. inter species בהמות *behemoth*, quorum esus ex Lege licitus est, censentur cervi, capreæ, bubali, *&c.*

Denique *Job* 40. 10. nomen בהמות *behemoth* terminatione plurale, sed singulare sensu, certa est animalis species. Vulgus interpretum *elephantem* esse putat, qui dicatur *behemoth* plurali terminatione, quia terrestrium belluarum est maxima. Spurius *Esdras*, lib. 4. cap. 6. v. 49. & 51. & *Talmudici Doctores* in *Bava Bathra* cap. 5. monstrum horrendum, informe, ingens intelligunt, quod depascatur mille montes, tanquam ex *Ps.* 50. 10. & in *Messiæ* convivio piis *Judæis* sit apponendum. Nos suo loco probamus in illo *Jobi* loco *behemoth* esse *hippopotamum*.

Origo vocis בהמה *behema* non patet satis. *Hebræi* putant vocabulum esse primigenium. *Arias* deducere conatur à verbo המה *strepere*; quia בה המיה *in ea est strepitus*: quod non videtur consonum; cum quia talis appellatio rei naturæ parum convenit; tum quia compositionis hujusmodi in *Hebræa* lingua nullum est exemplum. Sed *Æthiopicè* በሃም ፡ *baham* est (a) *mutus*. Et *Arabicè* ابهم *abhamo* id ipsum sonat, & بهيم *bahim* silentium, & استبهم *isthebahama* mutum esse, *vel* barbarè, & inarticulatè loqui. Quo sensu non soli pisces, sed & bruta omnia muta dici merito possint, quia carent usu sermonis. Hinc ὑποζύγιον ἄφωνον, 2. *Pet.* 2, 12. & paulo ante ἄλογα ζῶα, ubi *Æthiops* እንስሳ ፡ ዘአልቦ ፡ ቃል ፡ *animalia, in quibus non est sermo.* Et *Syrus* ܚܝܘܬܐ ܕܠܐ ܡܠܬܐ & *Arabs* البهايم الخرس *animantia muta*. Neque aliter Vulgatus Interpres, *Judæ* 10. Sic in Oratore legas, (b) *Qui mutis pecudibus præsunt.* Item, (c) *Si muta etiam bestiæ pene loquuntur.* Et in *Horatio*, (d)

— *mutum & turpe pecus.*

Et in *Catilina Salustii*, *Ne vitam silentio transigant veluti pecora.* Et apud *Juvenalem* Sat. 8.

— *animalia muta*

Quis generosa putet, nisi fortia?

Et *Sat.* 15. de anima rationali,

— *separat hæc nos*

A grege mutorum.

Et *Arnobius* lib. 2. *Rationales nos sumus, & intelligentia vincimus genus omne mutorum.* Et *Lactantius* lib. 3 cap. 8. *Corporis bona, id est, incolumitas, indolentia, valetudo, non minus sunt mutis quam homini necessaria, ac nescio an etiam magis, quia homo & medelis & ministeriis sublevari potest, muta non possunt.* Et *Glossæ* veteres; *Muta bestia*, ζῶον ἄλογον.

a) *Ps. Æthiop.* 37. 14. & *Mar.* 7, 32. 37. & 9. 17, 25. *Luc.* 1, 20. 22. & 11, 14.

b) *Lib.* 1. *ad Quintum Fratr. Epist.* 1.

c) *Lib.* 1. *de fin.*

d) *Lib.* 1. *Sat.* 3.

In Scriptura בהמה *quadrupes*, qua notione hic usurpamus, distinguitur multifariam, ratione loci, molis, partium, coloris, vocis, ætatis, sexus, dotum corporis, morum animi, victus, & usus. Quæ singula strictim duntaxat attingemus, quia nobis non est animus in his in præsens immorari.

Ratione loci, quadrupes vel in urbibus & pagis cum homine degit, ut pecus, *Num* 35, 3. & canes, 1. *Reg.* 14. *vers.* 11. & *Psal.* 59, 7. 15. vel procul ab hominibus atque habitatis locis, ut feræ, quarum pars in agris degit, *Job.* 39, 9. & *Psal.* 104, 11. pars in sylvis, *Psal.* 50, 10. pars in arundinetis, *Psal.* 68, 31. pars in excellis montibus, *Psal.* 104, 18. pars in petrarum scrobibus, & foveis *ibid.* & *Matth.* 8, 20. pars in desolatarum urbium ruinis & maceriis, *Es.* 34. v. 14. & *Lam.* 5, 18.

Ratione molis, alia vocatur קטני ארץ *animalcula terræ*, ut chœrogryllus, *Prov.* 30, 24, 26. Alia בני שחץ *filii elationis*, ut bestiæ proceriores, *Job.* 41, 25. Magistri vocant בהמה גסה, in quibus elephas, camelus, equus, bos, &c.

Ratione partium, aliud est μώνυχον *solidipes*, ut equus mulus, asinus; aliud δίχηλον *bifidum*, ut bos, cervus, capra, ovis; aliud πολυσχιδὲς *multifidum*, ut canis, leo, lupus, felis. Multifidum dicit *Moses* ambulare על כפיו *super plantas, aut manus suas*, *Levit.* 11, 27. cum quia caret ungula, tum quia pedes habet manuum instar digitatos. Hoc subtilius, quod distinguit *Moses* inter שסע שסע *fissionem* & פרסה *divisionem ungulæ*. Ita ut quædam scribat ungulam simul dividere & findere, ex quorum numero est porcus: alia ungulam dividere quidem, sed non findere, *Levit.* 11, 7. 26. quia cohæret adhuc vel à parte superiori, vel ab inferiori, ut *Hebræi* explicant. Exemplo sit camelus, cujus ungula supernè divisa est, & inferne cohæret. Ita *R. Selomo*, & quidem verè, ut ex *Aristotele* discere est, *Hist. Animal.* lib. 2. cap. 1. & *Plinio*, lib. 11. cap. 45. Itaque *Levit.* 11, 4. *Moses* non negat simpliciter, ut prima fronte videtur, cameli ungulam esse divisam: neque enim id esset verum, sed divisam & fissam simul esse negat, quod ex præcedenti versu repetendum est.

Capite undecimo Levitici ita scriptum est (inquit *Franciscus Vallesius* Sacræ Philosophiæ *cap.* 17.) *Sus cum ungulam non dividat, quatuordecimo autem* Deuteronomii, *Sus quoniam dividit ungulam: quod quidem multum diuque me torsit, non intelligentem qui fieri posset, ut sus dividere & non dividere ungulam diceretur.* Sed non erat cur se torqueret in debellando monstro, quod ipse sibi finxit. Quippe tam in (f) *Levitico*, quam in (g) *Deuteronomio* suem ungulam dividere scribit *Moses*. Neque in *Vulgato* legitur quod ille vult, *Sus cum ungulam non dividat*, sed absque ulla negatione, *Sus cum ungulam dividat*. Nec patitur series orationis, ut aliter legatur. Nec diversam esse hujus loci lectionem ii observant, qui varias Vulgatæ Versionis editiones inter se contulerunt. Itaque id ex ἀβλεψίᾳ mera scripsisse videtur *Vallesius*.

f) *Levit.* 11, 7.

g) *Deut.* 14, 8.

Etiam ad partium discrimen id pertinet, quod alii frons cornuta est, alii glabra. Et è cornutis aliud est, בעל קרנים *bicorne*, *Dan.* 8, 6. aliud *unicorne*, ut ראם *reem*, si verè ראם est μονοκέρως, ut volunt, de quo nos suo loco. Elephanti peculiares שנהבים 1. *Reg.* 10, 22. & 2. *Par.* 9, 21. id est, dentes exerti duo in maxilla superiori, ex quibus constat ebur. Alii cornua esse malunt, quo jure alibi discutiemus, & *Ezechielem* docebimus mixto nomine קרנות שן *cornua dentis* appellasse *cap.* 27. *vers.* 15. quia inter cornua & dentes mediam naturam obtinent. Solus camelus habet דבשת *Es.* 30, 6. id est gibbum in dorso, qui *Arabicè* dicitur سنام *Chaldaicè* חטרת, *Syriacè* ܚܛܪܬܐ, *Græcè* ὕβος, κύρτωμα, τύλος. Unde cameli, quibus bina sunt tubera, *Diodoro* δίτυλοι. Iidem *Arabibus* القراميل *Alkaramilo*. Sola ovis habet גזת צמר *lanæ vellus*. Sola item אליה *Exod.* 29, 22. id est, caudæ genus, in *Syria*, *Ægypto*, & *Arabia* longè crassius quam in his locis. In *Arabia* vidit *Vartomanus*, (h) qui caudam haberent XL, vel XLV librarum. Et in *Ægypti* urbe اسيوط *Asiut* caudas arietum LXXX pondo à se visas memorat *Jo. Leo*, (i) & quasdam esse addit, quæ CL pondo æquent.

h) *Vart. Navig. lib.* 2. *c.* 5. & 9.

i) *Leo lib.* 9.

Neque quadrupedum colores Scriptura prorsus omisit. Ut enim in præsens taceam *Labanis* & *Jacobi* greges, & *Zachariæ* vatis multicolores equos, de quibus infra multis; Vaccæ rufæ meminit *Moses*, *Num.* 19, 2. Et

Et *Jeremias, cap.* 13. *verf.* 23. חברברותיו, id eft, macularum in pelle pardi, quæ *Chaldæo* Interpreti שלטי רקמתיה *fcuta ejus operis Phrygionici.* Et *Debora* אתונות צחורות *afinarum rutilarum*, Jud. 5, 10. Qui id in colorlanæ tribuitur *Ezek.* 27, 18. ubi quod habet *Chaldæus* עמר מילת, non eft lana μηλωτὴς, ut docti putant, fed lana è *Mileto*, feu *Milefia*. Nam *Græca* verfio habet ἔρια ἐκ Μιλήτου.

Vocum difcrimina multa funt. Sic צהל (k) *hinnire* eft equorum, נחרה (l) *ronchus* quem è naribus emittunt, נהק (m) *rudere* afinorum, געה (n) *mugire* boum פעה (o) *balare* ovium נבח (p) *latrare* canum, ערג (q) *glocitare* cervorum juxta Scriptores barbaros; שאג (r) *rugire*, & נהם (s) *fremere* leonum, שקק (t) *fævire*, vel המה (v) *muc̄are* urforum, ענה (u) *alternis clamare* thoum. Addo ex *Rabbinorum* fide צרח (x) *ululare* luporum, & נער (y) — camelorum, & טים (z) Gall. *miauler* felium effe propria. Ita Græcè apud *Phavorinum*, Χρεμετίζειν ἐπὶ ἵππου. ὀγκᾶσθαι ἐπὶ ὄνου, καὶ βρωμᾶσθαι. βρυχᾶσθαι ἐπὶ λέοντος. μυκᾶσθαι ἐπὶ βοὸς καὶ μηκᾶσθαι. μυκᾶσθαι δὲ (lege μηκᾶσθαι) ἐπὶ αἰγῶν ἀφ' οὗ μηκάδες αἶγες παρ' Ὁμήρῳ. καὶ φριμάττεσθαι ἐπὶ τῶν αὐτῶν, καὶ φριμαγμός. γρυλλίζειν ἐπὶ χοίρου. ὑλακτεῖν ἐπὶ κυνός. βαΰζειν ἐπὶ τῶν σκυλακίων. βληχᾶσθαι ἐπὶ οἰῶν. ὠρύεσθαι ἐπὶ λύκου. ἐφ' ὧν δὲ οὐκ ἔστιν ἴδιον ὄνομα τῆς φωνῆς, οἷον ἄρκτου, παρδάλεως, καὶ τῶν τοιούτων τὸ βρυχᾶσθαι λέγουσιν. ἐπὶ τῶν μικροτέρων, οἷον ἀλωπέκων, καὶ ζώων (lege θώων) τὸ ὑλακτεῖν. καὶ δὲ κνυζᾶσθαι. Et apud *Nonnum*, lib. 2. *Dionyfiac. Typhone Jovem* inclamante,

Ὠρυγὴ κελάδησε λύκων, βρύχημα λεόντων,
Ἆσθμα συῶν, μύκημα βοῶν, σύριγμα δρακόντων,
Παρδαλίων θρασὺ χάσμα, κορυσσομένων γένυν ἄρκτων,
Λύσσα κυνῶν.

k) Ierem. 50. 11.
l) Iob. 39, 23. & Ierem. 8, 16
m) Iob 6, 5.
n, o) Ibid. & 1. Sam. 6, 12.
p) Ef. 56, 10.
q) Pf. 42, 2.
r) Amos 3, 8.
s) Prov. 28. 15
t) Ibid.
v) Ef. 59. 11.
u) Ef. 14, 22.
x, y) Drusi Obferv lib. 7. c. 5.
z) Tharg. 2. in Efther. 1, 2.

Et *Spartianus* de *Geta* Imperatore, *Familiare illi fuit has quæftiones Grammaticis proponere, ut dicerent fingula animalia quomodo vocem emitterent, velut agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, urfi fæviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, afini rudunt, tauri mugiunt, eafque de veteribus approbare.* Et *Apuleius Florid.* lib. 3. *Mitto dicere multorum animalium immeditatos fonos, diftinctis proprietatibus admirandos; ut eft taurorum gravis mugitus, luporum acutus ululatus, elephantum triftis barritus, equorum hilaris hinnitus, nec non avium inftigati angores, necnon leonum indignati fremores, cæteraque id genus voces animalium truces ac liquida, quas infefta rabies vel propitia voluptas cient.* Sed de hoc argumento plura qui volet, præter *Arabes*, qui hic maxime copiofi funt, & libri *Efther* fecundum Paraphraften *cap.* 1. *verf.* 2. legat *Ariftotelem*, *Hift.* lib. 4. cap. 9. & *Ælianum*, lib. 5. cap. 51. & *Pollucem*, lib. 5. cap. 13. & carmen de *Philomela Ovidio* falfo adfcriptum, quod emendavit *Andreas Schottus*, *Obfervationum Poeticarum* cap. 52.

Sunt & vocabula, quæ notant ætatum differentias. *Exod.* 13, 12. שגר eft animalis fœtus nuper emiffus; ut גלם *golem*, *Pfal.* 139, 16. eft embryon in utero adhuc involutum, à verbo גלם id eft, *involvere. Symmachus* ἀμόρφωτον *informe* reddit, & *Aquila* ἀκατέργαστον *imperfectum*. Ita etiam Seniores, & Vulgatus Interpres. *Syrus* ܦܘܪܥܢܝ, & *Arabs Romanæ* editionis مجرانتي *retributionem meam*: quia inverfis literis pro גלמי legerunt גמלי. Sed *Epiphanius* quid vidit, cum ad hunc locum fcripfit in *Heref.* 30. cap. 31. Τὸ ἀκατέργαστον (Ἑβραῖοι) γολμὴν ἐκάλεσαν, ὅ τις ἑρμηνεύεται χόνδρος, ἢ σεμιδάλιος κόκκος, δῆθεν τὸ μηδέπω εἰς ἄρτον συντεθὲν καὶ φυραθέν. *Imperfectum* Hebræi golmi *appellarunt, quod explicatur alica, feu granum fimile, quod nondum in panem coaluit, & fubactum eft?* An, ut *Hebrai* fermonis non fuit valde peritus, גלם illi fuit idem quod גלוסקא, maffa ex qua placentæ fiunt?

Feræ cujusvis catulus eft גור fed plerumque leonis, בכרה *cameli pullus*, עיר, *afellus*, vel *lalifio*, עגל *vitulus*, פר *juvencus*, גדי *hœdus*, טלה, *agnus*, ספיר *hinnulus*, כפיר *leunculus*. Etiam alia quinque leonum nomina Grammatici referunt ad diverfos ætatis gradus. Sed illa nos fuo loco multo aliter interpretamur. (a) *Græcis* ἔμβρυον eft fœtus latens: nuper editus ψάκαλον· Catuli ferarum ὀμβρεῖα· Leonum, lyncum, thoum, tigridum σκύμνοι· Pantherarum ἄρκηλοι, aliis ἄρκυλοι, & ἄρκιλοι· Bubalidum, & orygum πῶλοι· Canum, & luporum σκύλακες· Cervorum νεβροί· Hyftricum ὀβρίκαλα· Aprorum μολόβρια· Suum κολαβροί, animalia *Judæis* viliffima. Unde Seniores *Job.* 5, 4. κολαβρισθείησαν pro ἐπιτριβείησαν, ἐξουδενωθείησαν, *conterantur, vilipendantur*. Ita *Olympiodorus*. Et *Suidas*, Κολαβρισθῆναι, χλευασθῆναι, ἐκτιναχθῆναι, ἀτιμασθῆναι· Κόλαβρος γάρ, καὶ κάλαβρος, ὁ μικρὸς χοῖρος. ἀντὶ τοῦ οὐδενὸς λόγου ἄξιος νομισθῆναι. *Derideatur, excutiatur, defpiciatur: nam Colabros, vel Calabros eft porcellus. Pro nullius pretii effe cenfeatur.* *Hefychius* in uno loco legit per ω, κωλαβρισθείησαν, in altero per α, καλαβρισθείησαν, & reddit χλευασθείησαν.

a) Ælian. Animal. lib. 7. cap. 47. Pollux lib. 5. cap. 1.

Sexuum differentias *Hebræi* fignificant vel diverfa terminatione, ut videre eft in fœmininis אילה *cerva*, פרה *juvenca*, פרדה *mula*, עגלה *vitula*, שעירה, *capra*; quæ addito ה formantur ex mafculinis: vel voce plane diverfa; fic סוס *equus*, & רמך *equa*; חמור *afinus*, & אתון *afina*; אריה *leo*, & לביא *leana*; איל *aries*, & רחל *ovis*; שעיר *caper*, & עז *capra*, nihil habent commune: vel addito epitheto, ut *Levit.* 4, 23. שעיר עזים זכר *hircus caprarum mafculus*, & verf. 28. שעירת עזים נקבה *capra è capris fœmina.* Porro *Hebræorum* linguæ cum cæteris id commune eft, quod animalium nomina quædam, ut גמל *camelus*, דב *urfus*, צאן *ovis*, שה *pecus*, illi funt communis generis. Et hoc infuper, quod nonnulla, quæ funt fœminina tantum, ut ארנבת *lepus*, vel mafculina tantum, ut חזיר *fus*, בקר *bos*, כלב *canis*, pertinent ad utrumque fexum. At hoc peculiare, quod איל *cervus* eft fœminini generis, & רמך *equa* mafculini, ut & לביא *leana* plerumque.

In dotibus corporis funt forma, robur, agilitas, vigor fenfuum. Formæ decor in cervo, caprea, & ibice præcipuè commendatur. Quo refpiciens *Solomon* de illa uxore dicit, quæ viri fui oculis accepta eft, *Prov.* 5, 19. *Cerva amorum eft, & ibex gratiæ.* Et de fponfo, *Cant.* 2, 9. *Similis eft dilectus meus capreæ, & ibici cervorum.* Proinde *Seneca*, *De Benef.* lib. 2. cap. 29. *Queruntur, quod folidior fit cutis belluis, decentior damis.* In leone virilis eft habitus, quique marem maximè decet. Philofophus in *Phyfiognomicis*, Φαίνεται τῶν ζώων ἁπάντων λέων τελεώτατα μετειληφέναι τῆς τοῦ ἄρρενος ἰδέας. Ideo Scriptura de viris fortibus, 1. *Par.* 12, 8. *Facies eorum tanquam facies leonum.* In tauro probatur quædam in afpectu generofitas, torvæque decorus frontis honos. Hinc eft, quod *Jofepho Mofes* his verbis benedicit, *Deut.* 33, 17. *Decor (aut majeftas) illi eft primogeniti bovis.* Etiam juvenca nitore placet & pinguedine. *Virgilius*,

Pafcitur in magnis fylvis formofa juvenca.

Ideo de juvenca dictum, quacum confertur *Ephraim*, Of. 10, 11. *Tranfivi fuper pulchritudinem colli ejus.* At urfo nil tetrius, nil morofius. Unde *Statius Achill. lib.* 2.

— triftes turbare cubilibus urfos.

Et *Sirachides* de muliere nequam *Ecclef.* 25, 24. *Nequitia mulieris faciem ejus immutat*, καὶ σκοτοῖ τὸ πρόσωπον αὐτῆς ὡς ἄρκτου, *& obfcurat vultum illius, ficut urfi.*

Roboris nomine laudantur (b) taurus, (c) equus, (d) afinus, (e) monoceros, (prout accipiunt interpretes) fed præ cæteris leo his verbis, *Quid leone robuftius?* Jud. 14, 18. Item, *Leo robuftiffimus inter beftias*, *Prov.* 30, 24. Et *Damir* de eodem وهو شديد البطش ولا يالف

b) Pf. 22, 13. & 50, 13. &c.
c) Iob. 39, 24. Pf 147, 10. Ierem. 8, 16.
d) Gen. 49, 14
e) Iob. 39, 14.

يالف شي من السباع لانه ما يري فيها ما يكافيه *Virium est summarum, nec ferarum ullam in societatem admittit, quia nullam in iis videt, quæ secum possit conferri.* De robore elephantorum paradoxum est, quod habetur 1. *Macchab.* 6. *v.* 30. 37. *Antiochum Eupatorem, Beth-suram* obsidentem, habuisse in copiis suis XXXII. elephantos, quorum singuli præter *Indum* suum milites XXXII. in turri lignea gestaverint. Sed mendum esse in numeris suo loco docebo.

In cursu velocitas magna pantheræ, *Habac.* 1. *v.* 8. dromadi, *Jer.* 2. *v.* 23. capreæ, 2. *Sam.* 2. *v.* 18. cervo, *Ps.* 18. *v.* 34. qui idem saltu plurimum valet, *Esa.* 35. *v.* 6. At leo, hircus, & equus magnificè & cum pompa leguntur incedere, *Prov.* 30. *v.* 29.

Vigorem sensuum in lupis *Habacuc Propheta* laudat his verbis *cap.* 1. *v.* 8. *Acutiores sunt lupis vespera*, nempe visu. Nam & *Arabicâ* phrasi حديد *acutus* dicitur, qui visu pollet. Quo modo *acutas* aures, & nares, pro *acribus* dici docti observant. Et lupum vesperè, id est, sub noctem, è latibulo prodeuntem acutissimè cernere suo loco probabimus. Unde crepusculum λυκόφως, & in *Homero* nox sublustris ἀμφιλύκη νὺξ, quia lupus tum solus lucis usurâ fruitur.

Jam si mores respicias, & naturales quadrupedum inclinationes: Aliud est animosum, ut leo, 2. *Sam.* 17. *v.* 10. Aliud insidiosum, ut pardus, *Jer.* 5. *v.* 6. Aliud ferox, ut ursa, maximè si catulis orbata sit, *Os.* 13. *v.* 8. Aliud rapax, ut lupus, *Gen.* 49. *v.* 27. hyæna item, *Jer.* 12. *v.* 9. Aliud vafrum, ut vulpes, *Ezech.* 13. *v.* 4. Aliud inverecundum, ut canis, *Esa.* 56. *v.* 10. Aliud lutulentum, ut porcus, 2. *Pet.* 2. *v.* 22. Aliud liberum, & vagum, ut onager, *Job.* 39. *v.* 8. Aliud bellicosum, ut equus, *Job.* 39. *v.* 24. Aliud salax, ut asinus, equus item, *Ezech.* 23. *v.* 20. Aliud refractarium, ut juvenca, *Os.* 4. *v.* 16. Aliud petulcum, ut hircus, & aries, *Dan.* 8, 4. 7. Aliud ita mansuetum, ut duci se patiatur ad lanienam, ut bos, *Prov.* 7, 22. & ovis, *Esa.* 53. 7.

Ratione victûs quædam sunt σαρκοφάγα, ut leo, *Ezech.* 19, 6. lupus, *Ezech* 22, 27 canis 1. *Reg.* 14. *v.* 11. Quædam χορτοφάγα, ut bos, *Num* 22. 4. camelus, *Gen.* 24. *v.* 25. equus, & mulus, 1. *Reg.* 18, 5. asinus, *Gen.* 43. 24. Quædam παμφάγα, ut vulpes, qui & carne vescitur, *Psal.* 63, 11. & fructibus, *Cant.* 2, 15. Pleraque sorptu bibunt: sed canis solùm lambit, *Jud* 7, 5. id Gallis *laper*, ut *Græcè* λάπτειν. Quod illi commune est cum omnibus animalibus καρχαρόδουσι, id est, qui dentes habent serratos, ut docet *Philosophus*, *Hist.* lib. 8. cap 6.

Anxiè multi quærunt quo pabulo *Noachus* in arca bestias carnivoras sustentaverit. Si fœno dixeris, & farragine, videberis rerum naturam invertere, &, quod in Adagio dicitur, Κινεῖν δὲ λίθον ἀκίνητα, ἄνω δ' ὅσια. Si carnem illis ingessisse *Noachum* responderis quoties fuit necesse, quæretur rursus, unde potuerit illi tantum carnis suppetere, cùm animalium certus numerus in arcam sit intromissus, & pleraq; bina tantùm, quæ occidere fuit nefas, ne species aboleretur. Ne dicam parùm videri verisimile *Noachum* tamdiu tam assiduo & fœdo ministerio fuisse mancipatum. Proinde malim dicere, quo miraculo factum, ut leones, pantheræ, tigrides, &c. feritate depositâ mansuescerent, atque homini se subjicerent, eodem factum, ut ad tempus neglectâ carne, fœnum, & fruges depascerentur, contenti scilicet obvio cibo, & parabili. In ea fere sunt sententia *Basilius*, & *Augustinus*, & ex *Hebræis Kimchius* in *Esaiam*. Quem alludere consentaneum est ad diluvii tempora, cum futuram sub *Messia* rerum omnium conversionem

e) *Esa.* 11, 6. 7. & 65, 25.

Propheticis verbis ita describit, (*e*) *Lupus habitabit cum agno, & pardus cum hœdo recubabit*, &c. *Et vacca & ursa pascentur simul*, &c. *Et leo sicut bos comedet stramen.* Quale quod nescio cui Prophetæ tribuit *Damir* cap. *De leone* ينزل عيسي بن مريم الي الارض كان راسه يقطر ولم يصبه بلل وانه يكسر الصليب ويقتل الخنزير ويفيض المال وتقع الامنة في الارض حتي يرعي الاسد مع الابل والنمر مع البقر والذيب مع الغنم وتلعب الصبيان بالحيات ولا يضر بعضهم بعضا *Descendet* Jesus Mariæ *filius in terram, & stillabit caput ejus, quamvis nulla aspersione perfusum, & franget crucem, & occîdet porcum, & effundet opes, & securitas in terram incidet; ita ut leo cum camelo pascatur, & pardus cum bove, & lupus cum ovibus, & ludat infans cum serpentibus, nec sibi mutuò noceant.* Ut *Sibylla Cumæa in Virgilio*:

- - nec magnos metuent armenta leones,
Nec lupus insidias pecori, &c.

Et *Erythræa*, si credimus, lib. 3. *Orac. Sibyll.*

Ἐν δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν οὔρεσιν ἄμμιξ ἔδονται
Χόρτον, παρδάλιές τ' ἐρίφοις ἅμα βοσκήσονται,
Ἄρκτοι σὺν μόσχοις νομάδες αὐλισθήσονται,
Σαρκοβόρος τε λέων ἄχυρον φάγεται ἐπὶ φάτνης
Ὡς βοῦς.

Quæ nos olim sic reddidimus,

Cumq; lupus agni per montes gramina carpent,
Permixtiq; simul pardi pascentur & hœdi,
Cum vitulis ursi degent armenta sequentes,
Carnivorusq; leo, plenus præsepibus adstans,
Cum bove stramen edet.

Ut *Martialis* de leone & ariete, *lib* 9 *Epigr.* 71.

Massyli *leo fama jugi, pecorisq; maritus*
Lanigeri, mirum, quâ coiêre fide.
Ipse licet, videas: cavea stabulantur in una,
Et pariter socias carpit uterq; dapes.

Philostratus quoque, *Apollonii* sui *lib.* 5. *cap.* 15. leonis meminit in *Ægypto*, qui templa sic ingrediebatur, ut à cædibus se purum conservaret. Οὐ γὰρ, inquit, τὸ τῶν θυομένων αἷμα ἀπελιχμᾶτο, οὐδ' ἐπὶ τὰ δερόμενά τε, καὶ ῥαχιζόμενα τῶν ἱερείων ἵετο, ἀλλὰ μελιτώταις διῃτᾶτο, καὶ ἄρτοις, καὶ τραγήμασι· *Neq; enim hostiarum sanguinem lambebat, nec excoriatas, & in frusta divisas carnes delibabat: sed mellitis placentis, & pane, & bellariis vescebatur.* Hujus leonis *Tzetzes* meminit *Chil.* 5 *Hist.* 9. Quale est, quod habet *Sulpitius Severus* de quodam Monacho *Thebaidis*, *Dial.* 1. cap. 7. *Cumque plenam* (palmulis) *manum leoni obtulisset, accurrit bestia, accepitq; tam liberè quàm nullum* (lege *ullum*) *animal domesticum: & cùm comedisset, abscessit.* Nec dissimile, quod refert *Jo. Phocas*, *Descriptionis Terræ Sanctæ* cap. 23. de leonibus circa *Jordanem*, quibus victum subministrabat *Iberus* Anachoreta. Τούτων δύο τῷ γέροντος ἐγκλειστηρίῳ * τῆς ἑβδομάδος εἰς παραγίνονται. καὶ τῷ στύλῳ τὰς κεφαλὰς προσερείδοντες τῇ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπινεύσει τροφὴν ᾔτουν, ἧς ἐπιτυγχάνοντες, εὐμαρῶς πρὸς τὰς συνήθεις δίνας τοῦ ποταμοῦ ἀπίασι χαίροντες. ἡ δὲ ἦν ὄσπρια βραχέντα ἐν ὕδατι, καὶ ὀλυρίτης ἴσως, ἢ κρίθινος κλάσματος ἄρτος. *Horum leonum duo ad senis claustrum* * *hebdomadis* (supplendum πρώτῃ *primâ*, aut tale quid) *se conferebant, & capitibus columnæ innixis, nutu oculorum pabulum petebant, quod consequuti, ad consuetos fluminis vortices alacres & læti redibant. Pro pabulo autem erant aquâ madefacta legumina, aut fortè olyrites, aut panis hordeacei frusta.*

Quadrupedum usus quadruplex juxta *Tullium* lib. 1. *Tuscul.* *Videmus, ait, multitudinem pecudum, partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehen-*

bendum, partim ad corpora vestienda. Ad vescendum utiles mundæ omnes ex Lege, id est, quotquot ruminant, ungulamque divisam & fissam habent; putà, bos, ovis, capra. Cæteræ à mensis semotæ tanquam immundæ, *Levit.* 11. Cujus distinctionis usus non fuit modo ante Legem, sed & ante diluvium, *Gen.* 7. *v.* 2. Ea tamen tandem sublata est, *Actor.* 10. *v.* 15. ut umbra rerum futurarum, quarum corpus erat in *Christo*, *Col.* 2. *v.* 17. Ex mundis præter carnem etiam lac comedebatur, & butyrum, & adeps, *Deuter.* 32. *v.* 14. & medulla, *Psal.* 66. *v.* 15. Sed sanguinem attingere nefas, *Genes.* 9. *v.* 4. cùm quia in sanguine est anima, id est, vita pecudis, tum quia Deus sanguinem destinaverat ad expiationem faciendam in altari pro animabus nostris, *Lev.* 17. *v.* 11. Quod cùm merè sit ceremoniale, nihil quicquam causæ fuit, cur Apostoli gentibus sanguinem ad tempus prohiberent, *Actor.* 15. *v.* 20. quàm spes *Judæos* infirmos hac ratione lucrifaciendi, qui ab esu sanguinis tantopere abhorrebant, ut eos omnes populos gladio destruendos, & ad internecionem delendos scribant, qui renuunt huic mandato se subjicere. Vide *Maimonidem* in Tractatu *De Regibus*, cap. 9. Ideò hoc observatum, quamdiu visum est *Judæos* in his ritibus educatos posse ad *Christum* allici. At postquam de illorum conversione desperari jam cœptum, etiam hoc interdictum, ut partem Legis ceremonialis, abrogavit *Apostolus*, 1. *Corinth.* 10. *vers.* 25. & alibi non rarò. Itaque *Augustini* ævo, si qui putarent ab esu sanguinis ea lege se prohiberi, à cæteris irridebantur, ut docet *Contra Faustum* lib. 32. cap. 13. *Græci* tamen hodieque tenentur eo scrupulo.

Eædem pecudes, quæ ad esum, etiam ad sacrificia à *Noacho* adhibitæ; scilicet mundæ quotquot erant, *Genes.* 8. *v.* 20. Hic sacrificiorum usus cùm diluvio sit antiquior, idem de pecudum esu nobis persuasum, contra quàm multi sentiunt. Neque enim *Abel* in sacrificium id obtulisset Deo, quo vesci nefas credidisset, & frustrà pavisset agnos, quibus non licuisset uti. Quin ipsa distinctio animalium in munda & immunda docet alia permissa fuisse, alia prohibita. Neque enim in animalibus naturâ suâ quicquam immundum. Sed immundum id est, ex Lege, cujus usus interdicitur. Itaq; illud, *Gen.* 1. *v.* 29. *Vobis id erit in cibum*, non solùm ad plantas referimus, sed etiam ad animalia, de quibus præcedenti versu actum fuerat.

Insuper ad cultus agrorum jumenta necessaria. Qua in parte bovis opera maximè requiritur. Unde *Solomon*, Prov. 14. v. 4. *Cùm desunt boves, horreum est vacuum; & copia frugum est in fortitudine bovis.* Et *Hesiodus* inter necessaria rei familiaris commendat

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα,

Domum primum, uxoremq;, & bovem aratorem. Huc & trituram refero, *Ose.* 10. *v.* 11. Cujus etiam in Lege Deus rationem habuit, quà bovi trituranti os obligari vetat, *Deuter.* 25. *v.* 4. quò faciliùs in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur. Ita *Tertullianus* in *Marcionem*, lib. 2. cap. 17. Sed *Paulus* interpretatur de justa *Apostolorum* mercede; *Quoniam sub spe debet is, qui arat arare, & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse, & operarius dignus est mercede suâ*, 1. Cor. 9. v. 10. & 1. Tim. 5. v. 18. Etiam ad humanitatem in jumenta exercendam plerique Legem referunt de non arando cum bove & asino simul, *Deut.* 22. *v.* 10. Asinus enim, inquiunt, bovi junctus plus æquo gravaretur, cùm viribus sit inferior. At mihi videtur potior *Judæorum* sententia, qui quamvis mundi animalis cum immundo copulationem ea lege prohiberi asserunt. Bos scilicet in mundis, asinus in immundis animalibus computabatur. Quò respiciens *Apostolus* fideles vetat ἑτεροζυγεῖν ἀπίστοις, 2. Cor. 6. v. 14. Propriè enim ἑτεροζυγεῖν est *sub alieno jugo copulari*, quod docetur infra pluribus.

Sed & ad vecturas utilem operam equi præstant, *Esa.* 66, 20. Asini item, & cameli, & muli, & boves, 1. *Par.* 12 *v.* 40. Equus ad bellum aptior, *Prov.* 21. *v.* 31. *Equus aptatur ad diem prælii.* Asinus ad pacis artes, Zach. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus venit mansuetus, sedens super asinum.* Itaq;, 2. *Sam* 16. *v.* 2. ubi secundùm τὸ *Chetib* sic habetur, *Asini isti sunt pro Regis familia, ad equitandum*, ולהלחם *& ad pugnandum*, τὸ *Keri* habet והלחם *& panis*; quasi cohæreat cum sequentibus, *Et fructus æstivi sunt ad esum adolescentum.* Quod sequuntur omnes Interpretes, *Græci*, *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabs*, *Vulgatus*, recentiores, quia videtur absurdum, ut asinus bellicis usibus inserviat. Tamen prior lectio non debet planè rejici, ut suo loco dicemus.

Jam, ut dicam de vestibus, quæ fiunt ex quadrupedum spoliis, lanea vestis olim fuit, ut hodieque est, in usu promiscuo, *Ezech.* 34. *v.* 3. *Adipem comeditis, & lanam induitis.* Job. 31. v. 20. *De vellere agnorum meorum incaluit.* Prov. 27. v. 26. *Agni erunt ad vestitum tuum.* Sed villosa, seu cilicina videtur Prophetarum fuisse propria. Putà, Eliæ, 2. *Reg.* 1. *v.* 8. Esaiæ, *Esa.* 20. *v.* 2. Pseudo-Prophetarum, *Zach.* 13. *v.* 4. Hoc exemplo *Johannis Baptistæ* vestis fuit ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην, *Matth.* 3. *v.* 4. Auctor Epistolæ ad *Hebræos* μηλωταῖς vocat, & αἰγείοις δέρμασι, cap. 11. v. 37. Quod vestimenti genus ut est simplicissimum, ita etiam antiquissimum. Inde prisci *Græcorum* Heroës apri, aut tigridis, aut leonis exuviis induebantur, aut pelle *Libystidis* ursæ; ut *Bacchæ* nebride, id est, hinnuli; aut bassari, id est, vulpis pelle, qui *Coptis* etiamnum ΒΑΣΩΡ. Et, apud *Salustium*, *Germani* rhenonibus corpus tegebant. *Romæ* etiam,

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Et

Verbera pellitus setosa movebat arator.

Inde *Lucretius* de mortalium primis agens, *lib.* 5. *vers.* 951.

Nec dum res igni scibant tractare, neq; uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Nempe utut nudis hominibus videatur obvium ferarum & pecudum pelle vestiri, tamen ille pellium usus latuit primos mortales, donec à Deo edocerentur. Quod sibi volunt hæc verba *Mosis*, Gen. 3. 21. *Fecit Dominus Deus* Adamo *& uxori ejus tunicas pelliceas, quibus vestivit eos.*

Non possum non addere *Columellæ* conjecturam in Præfatione lib. 7. *Nomina Pecuniæ & Peculii tracta videri à Pecore, quòd non solùm veteres possederunt, sed adhuc apud quasdam gentes unum usurpatur divitiarum genus.* Ut enim nos pecuniâ, ita pecore veteres utebantur in permutatione rerum. *Prov.* 27. *v* 26. *Agni erunt ad vestitum tuum, & pretium agri sunt hirci.* Quod ibi de hircis dicitur ad quodvis pecus pertinet. Proinde *Græcum* verbum ὠνεῖσθαι, *emere*, ductum putatur ἀπὸ τῶν ὄνων, ab asinis: ut & πωλεῖν, *vendere*, ἀπὸ τῶν πώλων, ab equuleis; & ἄρνυσθαι, *consequi, permutare*, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν, ab agnis. Quò nonnulli referunt, quòd *Gen.* 33. *v.* 19. *Jacob* emisse legitur partem agri filiorum *Hemor* במאה קשיטה ἑκατὸν ἀμνῶν *centum agnis*. Quod præter *Græcos* sequuntur *Chaldæus*, *Syrus*, *Samaritanus*, *Arabs* uterque, & *Vulgatus* Interpres. Alii tamen ἑκατὸν μνῶν, id est, *centum minis*, legunt, *alpha* extrito: aut pro agnis nummos intelligunt agni effigie signatos, quales cudisse legitur *Servius* Rex *Romanorum*; quia in narratione *Stephani* proto-Martyris, *Act.* 7. 16. ager ille dicitur emptus τιμῆς ἀργυρίου, *argenti pretio*. Quamvis possit regeri, argenti, vel pecuniæ nomine eo loco censeri quicquid illâ ætate præstabat pecuniæ vices. Quod *Arabs Actorum* Interpres egregiè expressit vocabulo بالورق quippe الورق tam ad pecudes refertur, quam ad nummos. *Alcamus*, الورق الحي

من

صب كل حيوان والمال من ابل ودراهم وغيرها Alvvarko, *animal quodvis, & opes ex camelis, & nummis, & aliis.* Sed hic ſolùm ad ea præludimus, quæ dicentur de קשטה.

Hæc de quadrupedum uſu: de abuſu taceo, qui in Scriptura damnatur, ſeu (*f*) per ſuperſtitionem, aut (*g*) per libidinem, aut (*h*) per immanitatem, quis illis abutatur. De quibus vide loca, quæ ad marginem rejecimus, ne videamur tempus terere in rebus non neceſſariis.

f) *Exod.* 32.4. & *Pſal.* 106. 19 20.
g. *Exod.* 22.19 *Levit.* 18.23 & 20.16.
h) *Exod.* 23.19 & 34.26 *Deut.* 14.21. & 22.0. & 25 4. *Prov.* 12.10

CAPUT TERTIUM.

De Avibus in Genere.

Avium apud Hebræos *triplex appellatio. Aves à quadrupedibus quid differant. Avium in Scriptura partes, & actiones propriæ; unde variæ Metaphoræ. Aves indigenæ, vel peregrinæ: ſtatariæ, vel migratoriæ: in montibus degentes, aut in convallibus, fontibus, aridis locis, rupibus, maceriis, arboribus, petræ fiſſuris, templis, &c. Avium voces. Ἡ ἀλεκτοροφωνία. Avium pluma quàm varia. Aves quando calveſcere, renovari, & plumeſcere dicantur. Avium volatus, viſus, mores. Rapaces, & rapinæ obviæ: ſolitariæ, & gregariæ: ingenioſæ, & fatuæ. Obiter quid* νυκτίβοας. *Quædam de pullis ſuis ſollicitæ, quædam etiam de alienis, quædam proprios negligunt. Aves oblivioſæ. Quàm diverſus avium victus. Quædam ab aqua potu abſtinent, & ſolum ſanguinem ſorbent. Quànam aquilæ cadaveribus inhient. De avibus per Legem conceſſis, aut prohibitis. Aves ad luſum exquiſitæ. Avium uſus in aucupiis.* In avibus cœli ludere *quid ſit* Baruch. 3.v.17. *Veſtes ex avium plumis. Plumarium opus aliud. Aves etiam ad auguria, & auſpicia, ſed per ſuperſtitionem, adhibitæ.* Chaldæis *augurari cur* טיר. Arabes *augurior um peritiſſimi. De auguriis quid* Hebræi. Hebræum *augurandi verbum* נחש *cur a ſerpente ductum. Multa de* ὀιωνομαντείᾳ.

AVis *Hebræum* nomen eſt triplex. Primum עוף eſt *à volando:* Secundum צפור *ab aurora:* Tertium עיט *ab involando*, vel *irruendo*. Sed horum ultimum ſolis rapacibus tribuitur, quos à *calcando* דורסים vocant *Hebræi* recentiores, & *Græci* ab uncis unguibus γαμψώνυχας. Priora duo toti avium generi conveniunt. Falluntur enim, qui ſolas aviculas צפורים dici putant, ut docebitur in capite *De Paſſere*.

Avis eſt animal bipes, alatum, & plumigerum. A quadrupede plurimum differt, cùm neque pilos habeat, neque labra, neque dentes, neque cornua, neque pedes anteriores: ſed נצה *plumam* pro pilis, & מוקר *roſtrum* pro labris & dentibus, & כנפים *alas* pro pedibus anterioribus, & pro cornibus nonnulla כרבלת *criſtam*. Etiam avibus cilia deſunt, & ſupercilia, & nares, & auriculæ. Buboni, & otidi plumæ ſunt velut aures; cæteris cavernæ ad auditum. Intus neque renes habent, neque veſicam; adeoque lotium, & ſtercus unico meatu excernunt. Quod in pecude eſt קבה *rumen*, vel ἠνυστρον, *gula*, *Deuter.* 18. v. 3. id in ave eſt מראה πρόλοβος, *ingluvies*, *Lev.* 1. v.16. Ibidem נוצה, ut quidam volunt, eſt avis ventriculus, quem in aliis animalibus *Hebræi* vocant כרש ex *Jerem.* 51. *verſ.* 34. De partibus avium Scriptura plura non habet. Neque enim iis aſſentior, qui *Levit.* 11. v.19. דוכיפת exponunt avem δίλοφον, ſive *duplici criſta*; & *Jerem.* 12. *verſ.* 9. עיט צבוע *avem digitatam*.

Avium actiones propriæ ſunt עוף *volare*, *Gen.* 1. v.20. פרש *volare* item, *Job.* 9. v.26. ſed ex uſu linguæ *Chaldeæ*; נדד *volitare, divagari*, Prov. 26. v. 2. נצה *avolare*, Jerem. 48. v. 9. דאה *volare cum impetu*, Deut. 28. v. 49. העיט *involare, irruere*, 1. Sam. 14. v. 32. נדד כנף *alam movere*. Eſ. 10. v. 14. האביר *plumeſcere*, Job. 39. v. 29. נקר *roſtro perfodere*, Prov. 30. v. 17. קנן *nidificare*, Pſal. 104. v. 17. דגר *ova fovenda congregare*, Jerem. 17. v. 11. בקע *excludere*, Eſ. 34. 15. העיר קנו *pullitiem ſuam excitare*, Deut. 32. 11. על גוזליו רחף *ſuper pullos ſuos motitare ſe*, פרש כנפיו *alas expandere*, לקח ונשא על אברותיו *accipere & portare ſuper alas ſuas*, ibidem. Unde variæ Metaphoræ, ut cùm dicitur *Deus volâſſe ſuper alis venti*, Pſal. 58. v. 11. & *ſuſtuliſſe* Iſraëlem *tanquam alis aquilarum*, Exod. 19. v. 4. Et Chriſtus *voluiſſe congregare* Judæos *quemadmodum gallina pullitiem ſuam ſub alis*, Luc. 13, 34. Et, in Creatione, Dei Spiritus *motitâſſe ſe ſuper faciem aquarum*, Gen. 1. v. 2. nempe ut incubatione ſuâ vim vivificam aquis inderet, ut ex iis cætera emergerent.

Avium eadem ferè diſcrimina, quæ quadrupedum. Ratione loci, vel indigenæ ſunt, vel peregrinæ. Sic 1. *Reg.* 10. v. 22. in *Palæſtinam* תוכיים *pavones* deferebantur ex *Tharſis*. Et 1. *Reg.* 4. v.23. ברברים *barburim* ex *Barbaria*, ut multis placet; quibus tamen ſuffragium noſtrum non addimus.

Rurſus aliæ aves ſtatariæ ſunt, ut ita dicam, quæ non longè recedunt à nido ſuo, *Proverb.* 27. v. 8. Aliæ migratoriæ, quæ conferto agmine ſedes mutant certâ anni tempeſtate; ut ciconia, & grus, & turtur, & hirundo, *Jerem.* 8. v. 7. & *Cant.* 2. v. 12. Item aliæ montibus gaudent, *Pſal* 50. v. 11. aliæ convallibus, *Ezech.* 7. v. 16. Quædam ſectantur fontes, *Pſal.* 104. v. 12. aliæ in aridis locis libentiùs commorantur, *Sophon.* 2. v. 13. 14. Aquila in arduis, atque inacceſſis rupibus, *Job.* 39. v. 31. Pelecanus in deſerto, nycticorax in maceriis degit, bubo in tectis ululat, *Pſalm.* 107. v. 7. 8. Ciconiæ domus ſunt abietes, *Pſal.* 104. v. 17. Columba nidificat in fiſſuris petræ, *Cant.* 2. v. 14. aut in lateribus hiatûs cavi, *Jerem.* 48. v. 28. דרור columba fera in templis, & circum altaria, *Pſal.* 84. v. 4.

Voces avium propè ſunt innumeræ, quas edi dicit *Pſaltes* מבין עפאים *Pſal.* 104. v. 12. id eſt, ἀνὰ μέσον ἀμφιλαφοῦς κλάδους, *circa condenſos ramos*, ut interpretatur auctor libri *Sapientiæ* cap. 17. v. 18. Sic columbæ proprium הגה *Eſa.* 59. *verſ.* 11. gruis, & hirundinis, צפצף *Eſa.* 38. v. 14. & ſtruthionis אבל *Mich.* 1. v. 8. *Romani* columbam *gemere* dicunt, gruem *gruere*, *fritinnire* hirundinem. De ſtruthionis voce apud illos nil quicquam legi. In *Eccleſiaſte* narratur ſenex ſurgere *ad vocem avis*, ſive aviculas intelligas, quæ ſummo manè cantillant, aut matutinam avem, id eſt, gallum, qui ante lucem cantu homines ad laborem excitat: unde vocatur tempus illud ἡ ἀλεκτοροφωνία, *gallicinium*, Marc. 13. v. 35. Quo referunt hæc *Jobi* cap. 38. v. 36. מי נתן לשכוי בינה *Quis gallo dedit intelligentiam?* Ita enim reddit *Hieronymus* poſt veteres *Hebræos*: ſed quàm verè neſcio.

Plumis, & coloribus avium nihil eſt diverſius. In corvo laudatur nigredo, *Cant.* 5. v. 11. In ſtruthionibus ala נעלסה læta, & quaſi exultabunda, *Job.* 39. *verſ.* 16. In columbis alæ tectæ argento, & pennæ fulvo auro, *Pſ.* 68. v. 14. In aquila plumæ copia, & colores interſtincti tanquam opere *Phrygionico*, Ezech. 17. v. 3. Sed hæc deſcriptio propriè pertinet ad majorem illam aquilam, quam ab auri fulgore, & maculis aſperſis, *Chryſaeton*, & ſtellarem *Græci* appellant. *Ælianus*, *Hiſt.* lib. 2. cap. 39. Ὄνομα αὐτῷ Χρυσάετον εἶναι, ἄλλοι δὲ ἀστερίαν, μέγιστος δὲ αἰετῶν εἶναι πεπίστευται. Et *Propheta* quo loco diximus, *Aquila grandis, magnis alis, longis pennis, plenâ plumâ, in qua* הרקמה Phrygionicum *opus*.

Aves *Hebræis* calveſcere dicuntur, cùm deplumes fiunt; & renovari, vel plumeſcere, cùm plumæ redintegrantur. Hinc, *Mich.* 1. v. 16. *Dilata calvitium tuum ſicut aquila.* Et *Pſal.* 103. v. 5. *Renovabitur, ut aquilæ,*

ju-

juventus tua: id est, ut aquila renovatur, cùm post ψίλωσιν novæ plumæ succrescunt. Eodem pertinet illud Esa. 40. 31. *Sperantibus in Dominum instaurabuntur vires: Ascendent* (succrescent) *penna sicut aquilis.* Et Job. 39. 29. *Nunquid ex intelligentia tua* יאבר *plumescet accipiter?*

In avibus præcipuè spectatur volatûs celeritas. Hæc in columba magna est, *Psal.* 55. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columba, ut volem?* Sed in aquila multò maxima. Quò hæc Scripturæ loca pertinent; *Leviores erant aquilis*, de *Saule*, & *Jonathane*, 2. Sam. 1. 23. *Aquilis cœli leviores sunt, qui persequuntur nos*, de *Assyriis*, *Thren.* 4. 19. *Volabunt, ut aquila, quæ festinat ad cibum*, de iisdem, *Hab.* 1. 8. Ita *Job.* 9. 26. rapidè decurrentis ævi spatia, & *Proverb.* 23. 5. fluxæ opes & instabiles cum aquila volante conferuntur. Proinde cursori, qui somniaverat se aquilam esse factum, respondit interpres, *Vicisti, istâ enim ave volat nulla vehementiùs.* Ita ex *Chrysippo Cicero* lib. 2. *de Divinatione.* Tamen *Arabes* hic immodici, apud quos aquila est اشد الطير طيرانا واقوي جناحا حتي انه ليطير ما بين المشرق والمغرب في يوم واحد *avis, quæ volatu maximè præstat, & alis valet plurimum, ita ut locorum quicquid est inter ortum & occasum uno die pervolet.* Ita habetur in *Damiro*.

Eadem avis non minus visu quàm volatu pollet, quod suo loco probamus ex *Homero*, & aliis. Itaque aquila dici putatur ab acumine visûs. Et *Job.* 39. 32. è summa rupe cibum explorare legitur oculis procul prospicientibus. A quo ipso scriptore ab oculorum præstantia sic commendatur avis איה *aja*, Job. 28. 7. *Semita, quam non novit avis, neq; contuitus est* עין איה *oculus aja.* Et alii *vulturem*, alii *milvum*, nos *æsalonem* intelligimus, avem perspicacissimam, nisi nos fallant Poetæ *Arabum*, quos alibi citabimus. Aliud respexit *Solomon*, cùm columbarum oculos sponsæ tribuit, *Cantic.* 1. 15. nempe blandos illi esse oculos, & castos, & simplices: neque enim columbas quisquam laudavit ab oculorum acumine.

Ad avium mores pertinet, quòd alia est עיט, *rapax*, *Esa.* 18. 6. alia rapinæ patet. Alia solitaria est, *Ps.* 102. 8. alia ad sui similes divertit, *Eccles.* 27. 10. Alia ingenio pollet, ut gallus, *Job.* 38. 36. (si verè de gallo ibi res est) alia fatua est, & simplex, ut columba, *Ose.* 7. 11. *Matth.* 10. 16. & κέπφος, *cepphus*, lari species, avis stolidissima, quæ spumæ aviditate nullo negotio capitur. Unde ὦ κέπφε, idem quod *ô fatue*, apud *Aristophanem* in *Pluto*: & in *Græca* versione, *Prov.* 7. 22. κεπφωθεὶς *seductus, inescatus, infatuatus*, ut ab *Hesychio* rectè explicatur.

Sobolis curam quod attinet, nonnullæ aves de pullis suis valde sunt sollicitæ, ùt aquila, *Deut.* 32. 11. & gallina, *Matth.* 23, 37. Quædam etiam de alienis, ut קרא gallinaginis species in *Arabia*, quæ *fovet quæ non peperit*, *Jer.* 17, 11. Aliis contra tanta est crudelitas insita, ut vel proprios fœtus negligant. Quod de struthione legere est *Job.* 39, 17. Unde est, quòd *Jeremias Thren.* 4, 3. matres immisericordes confert cum struthionibus. *Etiam*, inquit, *cete mammam denudant, ut lactent catulos suos: sed filia populi mei crudelis est ut struthiones deserti.* Neque *Arabes* id latuit. *Damir*, فمتي وجدت بيضا نعامة اخري تحضنه وتنسي بيضها ولعلها ان تصاب فلا ترجع اليه ولهذا توصف بالحمق ويضرب بها المثل في ذلك *Cùm reperit ovum struthionis alterius, fovet illud, & proprii obliviscitur. Quin si quis eam venetur, ad illud non regreditur amplius, unde est, quòd stulta describitur, atq; illam fert de eo Proverbium*: nempe احمق من النعامة *Struthione stultior.* Ibidem enim id legitur inter Adagia de struthione. Quibus mirè illustratur *Jobi* locus, quem indicavi; *Derelinquit in terra ova sua, & super pulverem calefacit ea: Et obliviscitur, quod pes illa comprimet, & fera agri ea conculcabit. Dura est erga pullos suos, ac si non essent sui. Frustra laborat, absq; timore est: Quia privavit eam Deus sapientiâ, nec impertitum est ei intelligentiam.* Quòd corvus à *Noacho* emissus in arcam non est reversus, corvum etiam suadet avem esse obliviosam, ut à *Servio* est observatum, cujus verba sunt in lib. 1. *Georg.* Plinius *in* Naturali Historia *dicit corvos obliviosos esse, & plerumq; minimè ad nidos suos reverti;* Sed hæc in *Plinio* frustra quæras.

Non eadem est victûs ratio. Quædam enim carne vescuntur, ut עיט, id est, *rapaces aves*, *Gen.* 15, 11. Quædam pane, *Gen.* 40, 17. vel frugibus, *Matth.* 13, 4. Quædam sunt omnivoræ, ut corvus, cui & caro cibus est, *Prov.* 30, 17. & fruges terræ, *Luc.* 12, 24. *Macrobius* lib. 7. *Saturnal. Corvos videmus omnibus inhiare cadaveribus, universisq; seminibus insidiari.* Inter aves carnivoras cadaver aquila non attingit, si *Oppiano* & *Tzetzi* fides. Et eandem esse πάμπαν ἄποτον omnino potûs expertem asserit *Aristoteles histor.* lib. 8. cap. 3. & 18. Ita etiam plures alii. Tamen *Job.* 39, 33. *Pulli ejus sorbent sanguinem, & ubi sunt cadavera illic est.* Et *Christus*, Matth. 24, 28. *Ubicunq; fuerit cadaver, illic congregabuntur aquilæ.* Sed utut ab aquæ potu aquilæ abstineant, gaudent tamen sorptu sanguinis, quod *Oppianum* non fugit. Neque à cadaveribus omnes abhorrent: cùm in aquilarum genere percnopterus à *Philosopho* describatur κακόβιος, καὶ τὰ τεθνεῶτα φέρων, *mali victûs, & exanima ferens corpora*; *Histor.* lib. 9. cap. 32. Itaque in *Arabum* scriptis nihil tam frequens, quàm aquilas carne morticina vesci, ut alibi docebitur. Et *Leo Africanus* disertis verbis, *Nesir* (id est, *aquila*) *inter volandum adeò excelsè in aerem se attollit, ut conspici nequeat, & si quod animal mortuum videat, subitò se demittit.*

Superest ut de avium usu dicamus, qui est multiplex. Quædam enim est avis אשר יאכל, *quæ comeditur*, Lev. 17, 13. nempe *licitè*, ut *Jonathan*, & *Vulgatus*, & *Arabs Parisiensis* editionis, rectè explicant. Immundarum enim avium esus in Lege prohibebatur, *Deuter.* 14, 12. In quo numero computat *Moses*, 1. Rapaces & carnivoras, ut aquilam, ossifragam, melanæetum, accipitrem, milvum, vulturem, corvum. 2. Nocturnas, ut bubonem, noctuam, vespertilionem. 3. Lacustres, & riparias, ut larum, ardeam, catarrhactem, pelecanum, onocrotalum. 4. Struthiocamelos, qui à terra non extolluntur. 5. Et upupam, quæ in sepulchris, & stercore jugiter manet. At mundæ, putà gallinæ, 1. *Reg.* 4, 23. columbæ, turtures, passeres, coturnices, *Num.* 11, 31. nō in cibis modò, sed & in sacrificiis concessæ, *Gen.* 8, 20. Ingluvie tamen & ventriculo priùs ablatis, ut oblatio esset purior, *Levit.* 1, 14, 16. In cibos porrò præter carnem, *Num.* 11. v. 18. & ova, *Job.* 6. v. 6. etiam stercora expetita fuisse in extrema fame colligitur ex 2. *Regum* 6. v. 25. ubi quarta pars cabi חריונים seu stercoris columbarum in obsessa *Samaria* venisse legitur quinque siclis. Sed nos ibi loci חריונים multò aliter interpretamur.

Aves quoque ad lusum & oblectationem exquiruntur, à pueris maximè, & à puellis. Quò respiciens divinus vates de crocodilo dicit, *Job.* 40. v. 24. *An ludes eo tanquam passere, & ligabis cum puellis tuis?* Nempe ut eo sese oblectent, quomodo si passerculus esset ad manum. Quale illud *Catullianum*,

Passer, deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, &c.

Et *Plauti* in *Captivis*,

— Quasi patriciis pueris aut monedula,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent.

Proferentur alibi loci similes ex *Arnobio*, *Plinio*, & *Arabum* Poëtis.

Alius avium usus est in aucupiis: quam ad rem *Sirachidis* insignis locus est, *Eccles.* 11, 31. *Ut perdix venator in cavea, πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ, ita cor superbi, qui ut speculator observat casum. Perdix venator*, id est, perdix cicur, qui feros perdices suis artibus in caveam, aut laqueos illicit. Sic *Aristoteles*, *Hist.* lib. 9. cap. 8. τὸ θηρευτὴν πέρδικα ἐν ταῖς παγίσι venatorem perdicem in caveis captum feros perdices subagitare, pulsare, & contumelia afficere observat: quod suo loco pluribus explicabimus.

Sunt qui ad artificium venandi, vel aucupandi per accipitres, referunt hæc verba libri *Baruch* 3, 16. 17. *Ubi sunt principes gentium, qui dominantur super bestias? qui in avibus cœli ludunt?* Ac si ludere in avibus sit idem, quod iis uti ad venationem, & aucupium. Quod mihi minimè probatur, quia eo loco *ludere* est *illudere*. *Græcè* enim est ἐμπαίζοντες, quod ad ludum non pertinet, sed ad contumeliam. Nempe *dominari super bestias*, & *illudere avibus*, eo loco sunt parallela. Quia tyrannicum imperium, quale in bruta exercemus, adjunctam habet illusionem. Ideo *Vulgatus* interpres, *Exod.* 1, 13. *Affligebant illudentes*. pro eo quod est in *Hebræo*, *Servire fecerunt in duritia*. Contra, *Hab.* 1, 10. *De regibus triumphabit*, ubi *Hebræa* habent במלכים יתקלס *Regibus illudet*, quasi hæc sint ἰσοδύναμα. Taceo illud aucupii genus aliquot demum à *Christo* nato sæculis usurpari cœpisse, ut docemus in Accipitre.

Addo etiam avium plumas in vestium usum texi. *Seneca* Epist. 90. *Non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? Non avium plumæ in usum vestis conseruntur?* Nonnius, *Plumatile, aut clavatum, aut ex plumis factum.* Hujus texturæ primus inventor traditur esse *Philoctetes*, qui in insula *Lemno* diu versatus in summa rerum omnium inopia, avium quas configebat carnibus vescebatur, & plumis induebatur. *Q. Smyrnæus*, lib. 9. vers. 356.

— ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ
Οἰωνῶν πτερὰ πολλὰ ἀεὶ λεχέεσσι κέ, ντο·
Ἄλλα δ' ἐν ευνῇ γαπτὰ εἰ ἑοῖ χροΐ, χείματος ἄλκαρ
Λευγαλέου.

— Plurima circum
Pluma avium strata in thalamis hinc inde jacebat:
Pars consuta grave à pallenti corpore frigus
Arcebat.

Accius Poëta Tragicus in *Philoctete*, (*a*)
Pro veste pennis membra textis contegit.

Item, (*b*)
— ingemiscimus,
Quod hac pennigero, non armigero in corpore
Exerceantur tela.

Quem *Accii* locum citat *Cicero*, *Epist.* 33. lib. 7. Et ad priorem sic idem alludit lib. 5. *De Finibus*, Philoctetes, *ut apud Accium est, pennarum contextu corpori tegumenta faciebat.* Hanc industriam aucupes imitati, teste *Plutarcho*, (*c*) πτεροῖς ἀμπίσχοντες χιτωνίσκους, ἀγρεύουσι χηνοφόρους ὄρνιθας· *Plumeis integuntur vestibus, cum avium venationes aggrediuntur*, ut aves hac specie delusæ incautius accedant. Idem referunt (*d*) *Diodorus*, & (*e*) *Strabo* quo loco agunt de struthionum aucupio. Sed & res cessit in luxum, quo pertinent hæc *Prudentii*, (*f*)

— hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

Et vero vix quicquam est hoc artificio mirabilius, quod multis abhinc sæculis intermortuum *Americanorum* opera incipit reviviscere, apud quos reperire est vestes ex avium plumis contextas incredibili solertia; ut multis probat *Fullerus* ex *Cortesio*, & aliis, *Miscellan.* lib. 1. cap. 20.

a) Censorin. De die Nat. cap. 28.
b) Varro De ling. Lat. lib. 5.
c) Lib. 1. De fort. vel virt. Alex.
d) Lib. 3.
e) Lib. 16.
f) Hamartig. vers. 358.

An harum vestium artifices à *Vulgato* Interprete designantur, quoties *plumariorum*, aut *plumarii operis* in *Exodo* meminit? Ita definiunt *Fullerus*, & *Scaliger* in *Varronem*. Nos *plumarii* vocem putamus patere latius; quia respondet *Hebræis* רקם & חשב quarum prior *acupictorem* propriè significat, posterior *polymitarium*, neutra *plumarum textorem*. Itaque alibi *Vulgatus* חשב *polymitarium* explicat, & רקמה *polymitaria*, *scutulata*, *discoloria*, *multicoloria*, nusquam *plumea*, aut *ex plumis contexta* vestimenta. Quod si *plumarius* is sit, qui aulæa, aut vestes texit ex plumis, cur *Exod.* 35, 35. opera plumarii texi dicuntur non de pluma, sed *de hyacintho, ac purpura, coccoque, & bysso?* Cui simile est, quod *Exod.* 39, 29. fit *Aaroni* cingulum *de bysso retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto arte plumaria.* Ut artem plumariam versari palam sit in textura byssi, purpuræ, *&c.* non plumarum. Cur ergo plumaria dicta? Quia, ut rectè (*g*) *Turnebus*, species quædam est solerter acupingendi, cum clavi, aut patagia, aut segmenta, aut scutulæ, aut tessellæ, sic aliæ aliis in veste super assuuntur, ut plumam avium referant, *&c.* Aut cum, sine assumento, acupingendo plumæ avium referuntur. Neque aliud in *Plauti* Epidico *cumatile*, *aut plumatile*. Unde *Nonnius*, *Vestis plumatilis est clavata, aut ex clavis facta.* Et *Vopiscus* in *Carino*, *Quid lineas petitas Ægypto loquar? Quid Tyro, & Sidone, tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate nobiles?* Et in *Glossario plumarius* est ποικιλτής, qua voce *Hebræum* רקם *rokem* (unde *Hisp.* recamar, & *Ital.* ricamare) Seniores ubique reddunt. Et apud *Theodoretum* in 2. *Reg. Quæst.* 28. כתנת פסים ὁ μὲν Ἀκύλας χιτῶνα καρπωτὸν ἡρμήνευσεν ἀντὶ τοῦ καρποὺς συνυφασμένους ἔχοντα, οὓς νῦν αὐτὸν καλοῦσι πλυμαρικόν· *Aquila quidem tunicam carpotam interpretatus est, tanquam fructus habentem intertextos, quod hodie Plumaticum vocant.*

Quin bracteolis aureis, quibus arma, vel vestes interspersæ, *plumarum* nomen inditum propter similitudinem. *Græci recentiores* πλυμμία vocant. *Procopius* lib. 3. *De ædificiis Justiniani*, Χιτὼν ἐκ μετάξης ἐγκαλλωπίσμασι χρυσοῖς πανταχόθεν ὡραϊσμένος (lege ἀραϊσμένος) ἃ δὴ νενομίκασι πλυμμία καλεῖν· *Tunica ex serico aureis bracteis undique exornata, quas Plumas vocare solent.* Fasti Siculi, Στιχάριον ἔχον χρυσᾶ πλυμμία βασιλικά· *Tunica regio more* (*plumas* sive *bracteas*) *aureas habens.* Unde *Lucanus* lib. 10.

Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis *miscendi licia telis.*

Et *Virgilius Æn.* lib. 11.

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auroque inserta tegebat.

Nota *ahenis in plumam squamis*, id est, æreis bracteis in plumarum, aut squamarum similitudinem. Ad quem locum *Servius* ex *Sallustio*, *Equi paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Tales loricæ plumatæ, de quibus *Justinus* lib. 41. ubi de *Parthis*, *Munimentum ipsis, equisque loricæ plumatæ sunt: quæ utrumque toto corpore tegunt.* Et *Ammianus*, ubi de iisdem *lib.* 24. Romani *hostem undique laminis ferreis in modum tenuis plumæ contectum*, &c. *lacessebant.* Quomodo de *Sarmatis*, & *Quadis* idem habet lib. 17. *Lorica ex cornibus rasis, & levigatis plumarum in speciem, indumentis innexa.* Inde lux *Statio* lib. 4. *Theb.* vers. 268.

— aspera plumis
Terga Cydonæa *corythos arundine pulsat.*

Et lib. 11. vers. 543.

— altè ensem germani in corpore pressit,
Quà male jam plumis imum tegit inguina thorax.

Non tam avium usus est, quam turpissimus abusus ex superstitione invectus, tota augurum disciplina, qui vel ex garritu oscinum, vel ex volatu præpetum, vel

g) Advers. lib. 4. cap. 25.

ex pullorum pastu, & tripudio, futura conjectabant. Sive credas avibus id à natura fuisse inditum, ut futura prænoscant: quomodo augur *Amphiaraus* apud *Statium*, lib. 3. *Theb.* verſ. 482.

— mirum unde, ſedolim
Hic honor alitibus: ſuperæ ſeu conditor aulæ
Sic dedit, effuſum Chaos in nova ſemina texens:
Seu quia mutatæ, noſtraque ab origine verſis
Corporibus ſubiêre Notos, ſeu purior axis,
Amotumque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent.

Sive putentur aves, licet futuri neſciæ, tamen à Deo ſic dirigi, ut per illas admoneamur. Quo faciunt hæc *Ovidii* lib. 6. *Faſt.* verſ. 763.

Sint tibi Flaminius, Traſimenaque *littora teſtes*
Per volucres æquum multa monere Deum.

Et *Quinti Ciceronis* apud *Tullium* lib. 1. *De Divinat.* *Eademq; efficit in avibus divina mens: ut tum huc, tum illuc volent alites; tum in hac tum in illa parte ſe occultent; tum à dextra, tum à ſiniſtra parte canant oſcines.* Et *Ammian.* lib. 21. *Auguria, & auſpicia non volucrium arbitrio futura neſcientium colliguntur (nec enim hoc vel inſipiens quiſquam diceret) ſed volatus avium dirigit Deus, ut roſtrum ſonans, aut prætervolans pinna turbido meatu, vel leni, futura præmonſtret.* Sed utramque ſententiam merito refellit *Cicero, De Divinat.* lib. 2.

Augurium nemo eſt, qui neſciat ab *avium garritu* dici, & *Auſpicium* ab *avibus ſpeciendis*, quia priſci augures dicebantur *avem ſpecere*, id eſt, aſpicere, & contemplari, ut habetur apud (h) *Varronem*. Ita *Græcis* οἰωνισμὸς, ὀρνιθοσκοπικὴ, ὀρνιθομαντεία ſunt voces notiſſimæ originis. At quorſum טָיַר eſt *augurari*, & טַיָּר *augurium* paſſim apud *Hebræos*, & in *Chaldæis* Paraphraſibus *Jonathanis* & *Jeruſalem*? *R. Selomo*, *Kimchius*, *Nathan*, & *Elias* rectè obſervant ex *Arabiſmo* id eſſe ſumptum. طير eſt *avis*. Unde in *Arabico* *Arabicè* nimirum *Pentateucho Pariſiis* nuper edito طيرة (i) eſt *augurium*, تطير (k) *augurari*, & متطير (l) *augur*. Cum enim, *Cicerone* teſte lib. 1. *De Divinat.* Arabes *avium ſignificationibus plurimum obtemperent, &, quod paſtu pecudum maximè utuntur, campos, & montes, hyeme, & æſtate peragrantes, propterea facilius cantus avium, & volatus notaverint.* Inde factum, ut artis vocabula ſimul cum ipſa arte ad vicinos populos ab iis ſint propagata. Huc facit quod in *Philoſtrato* (m) *Apollonius* τὸν Ἄραβα τρόπον ἐς ξύνεσιν τῆς τῶν ζώων φωνῆς ἐλθεῖν· ἔμαθε δὲ τοῦτο διὰ τουτωνὶ τῶν Ἀραβίων πορευόμενος, ἄριστα γιγνωσκόντων τε αὐτὸ, καὶ πραττόντων. ἔστι γὰρ τῶν Ἀραβίων ἤδη κοινὸν, καὶ τῶν ὀρνίθων ἀκούειν μαντευομένων, ὁπόσα οἱ χρησμοί. *Arabum more voces brutorum animalium cognoſcere aſſuevit, hoc edoctus cum* Arabiam *peragraret. Apud* Arabes *enim id receptum eſt, ut ab avibus, non ſecus atque ab oraculis, addiſcant quæ futura ſunt.* Et in *Porphyrio* lib. 3. *De abſtin. anim.* Ἄραβες κοράκων ἀκούουσι Arabes *corvos intelligunt*. Proinde *Damir*, ubi de corvo.

h) De ling. Lat. lib. 5.

i) Num. 23. 23

k) Levit. 19, 26.

l) Deut. 18, 10

m) Lib. 1. c. 14.

العرب تتشام به ولذلك اشتقوا من
اسمه الغربة والاغتراب والغريب

Arabes *eum habent pro ave inauſpicata, atque ideo ex ejus nomine voces derivârunt, quæ calamitatem, & exilium, & peregrinum ſonant.* Item, قال صاحب المجالسة

سمي غراب البين لانه بان من
نوح عليه السلام لما وجهه لينظر
الي السما فذهب ولم يرجع ولذلك
تشاموا به

Dixit auctor libri, cui titulus eſt Mugialiſa (id eſt, *Conſeſſus*) *corvum alio nomine vocari Albain* (id eſt, *avem ſeparationis*) *quia ſeparatus eſt a* Noa, *ſuper quem pax, cum miſit illum, ut obſervaret aquas, & abiit, &* non reverſus eſt. *Unde eſt, quod illum habent pro ave infauſti ominis.* Ibidem,

اذا صاح الغراب مرتين هو شر واذا
صاح ثلاث مرات فهو خير علي قدر
وعدد الحروف

Cum corvus bis crocitat, malum eſt omen; ſed, cum ter crocitat, bonum eſt omen, pro literarum proportione, & numero. Nempe شر, id eſt, *malum*, vox eſt bilitera, ſed خير id eſt, *bonum*, trilitera. Ibidem,

التطير اصله من الطير
انا من سانح وبارح وقعيد وناطح

Vox تطير (id eſt, *augurium*) *derivatur à voce* طير (quæ eſt *avis*) *prout & Sanich, & Barich, & Kaid, & Natich.* Hæ voces ſunt augurales, quarum *Sanich* eſt avis, quæ venit à parte ſiniſtra; alii سانح *Sacchin* vocant, quod boni eſt ominis: At mali ominis eſt *Barich*, id eſt, quæ volat à dextra parte. *Kaid* dicitur, quæ eſt retro: & *Natich*, quæ eſt obvia. Quæ obiter huc attulimus, tanquam veteris artis reliquias, ſcriptis *Arabum* hodieque interſperſas

In *Hebræo* Scripturæ textu etiam vocem נחש ad auguria referunt plerique Interpretes. Hinc *Levit.* 19, 26. לא תנחשו *Græci* reddunt Οὐκ οἰωνιεῖσθε, Vulgatus *Non augurabimini*, Arabs لا تطيروا, & *Syrus* ἐπεξηγητικῶς ܠܐ ܬܢܚܫܘܢ ܒܦܪܚܬܐ *Non augurabimini in animali alato:* omnes eodem ſenſu. Neque aliter *Jonathan* & *Jeroſolymitanus* Interpres. Et *Selomo* in hunc locum ait de iis agi, qui augurantur בעוף פתו נפלה מפיו *per avem, ex cujus ore cibus decidit*, id eſt per avium tripudium. Ita enim *Cicero* lib. 2. *De Divinat.* *Quia, cum paſcuntur aves, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pavire, Terripavium primò, poſt Terripudium dictum eſt, hoc quidem jam Tripudium dicitur. Cum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſoliſtimum nuntiant.* Itaque in *Baal Hatturim*, Commentatore *Cabaliſtico* מנחש *Deut.* 18 v. 10. per *Notaricon* ſignificat מפי נפלה חתיכה שלי *ex ore meo cecidit fruſtum meum.* Et in *Gerundenſi* מנחש eſt *qui conſiderat aves in alis, aut in garritu, ſicut ſcriptum eſt*, Eccleſ. 10. verſ. 20. *Avis cœli proferet vocem, & ales indicabit rem.* Quod ſumptum eſt ex *Vajekra Rabba*, cap. 32. ubi quidam *R. Jeremias Eleazari* filius locum illum *Eccleſiaſtis* abſurdè refert להכמת טיירין *ad ſcientiam auguriorum.* Tale eſt, quod de *Selomone* Rege ſcribit *R. Selomo* in 2. *Chron.* 9. v. 4. חכם היה בטייר כך כתוב בפסיקתא *Etiam auguriorum erat peritus, ita ſcribitur in* Peſiktha. Et in 2. *Reg.* 3. v. 15. שומע עוף מצפצף ומבין לשונו *Audiens garrientem avem, intelligebat linguam ejus.* Nempe 1. *Reg.* 4, 30. *Solomon* legitur fuiſſe doctus ſupra omnes filios *Kedem*, ſeu *Orientis*. Porro *in verbis Patrum ſcriptum habetur: Quæ fuit ſcientia filiorum* Kedem? *Quod erant periti ſiderum,*

rum בפייר ועוסים *& versari in auguriis*, id est, בלשון העופות *in lingua avium*. Ita in eum locum *Kimchius*: sine dubio ex *Midbar Rabba* cap. 19. ubi hæc leguntur ferè totidem verbis.

Interim nullus capio, cur *Hebræum* verbum נחש, quod à serpentibus duci palàm est, potiùs ad ὀρνιθομαντείαν referant Interpretes, quàm ad ὀφιομαντείαν, cujus exempla passim extant. Sic *Iliad.* lib. 2. *Calchas*, viso dracone, qui octo passeres cum matre devoravit, belli *Trojani* annos auguratus est. *Æneidos* etiam lib. 5. anguis, qui ad *Anchisæ* tumulum

Septem ingens gyros, septena volumina traxit,

septem illis gyris, auctore *Servio*, *Æneæ* sui erroris omen ostendit. Erroris enim finis fuit illi septimus annus. Et ex *Historiis* (n) notum est, quid *Tiberio Graccho* in *Lucanis* sacrificanti portenderint angues duo ex occulto prolapsi, qui repentè, hostiæ quam immolaverat adeso jecinore, in easdem latebras se retulerunt: & alii duo angues domi comprehensi, quorum fœminam ille emisit, occiso mare. *Sylla* item in agro *Nolano* ante Prætorium immolanti quid significaverit, ab infima ara subitò anguis emersus. Et quid de *Roscio* puero responderint consulti Haruspices, cum dormientem illum reperisset nutrix serpentis amplexu circumplicatum. Atque in genere fuit ominosum, anguem in tecto conspici, aut per impluvium decidere de tegulis. *Suidas* de *Telegono*, Πρῶτος ἐφεῦρε τὴν οἰωνιστικήν, ὅταν εἰ ἐν τῷ στέγει φανῇ γαλῆ ἢ ὄφις, τὸ δεῖ τι σημαίνει. *Primus invenit artem augurandi, cujusmodi est, si in tecto mustela, vel serpens apparuit, quid hoc significet.* *Terentius* in *Phormione*,

- - - - *monstra evenerunt mihi:*
Introïit in ædes ater alienus canis.
Anguis per impluvium decidit de tegulis.

Aut viam, qua quis iter facturus esset, occursu suo quasi dissecare, & interrumpere. *Horatius*, lib. 3. *Ode* 27.

Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos.

Ut apud *Heliodorum Calasiris* κώλυμά τι τῆς καθ' ὁδὸν ἀνωμαλίας προὔλεγεν, *impedimentum aliquod in itinere futurum significari prædicebat*, cum crocodilum vidisset ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐπὶ θάτερα διερπύσαντα. *à dextra parte in alteram reptantem*. Itaque in pedestribus auspiciis serpentem recenset *Festus*. *Pedestria*, inquit, *auspicia nominabantur, quæ dabantur à vulpe, lupo, serpente*, &c. Et apud *Hesychium* οἰωνοὶ non modo sunt eæ aves, à quibus petuntur auspicia; sed & ὄφεις *serpentes*; & οἰωνὸς est ὄφις *serpens*: Ἐπειδὴ γὰρ λέγεται εἰς τὰς μαντείας τοὺς ὄφεις ἔχειν, οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον. *Serpentes enim ad auguria habere rectè dicitur, quos etiam οἰωνοὺς vocabant.* *Suidas* quoque auguria de serpente refert ad οἰωνιστικήν. Quin serpentes à veteribus crediti sunt inspirare vaticinandi peritiam. Unde Fabula nata est de *Priami* liberis, *Heleno* & *Cassandra*, quos, in *Thymbræi Apollinis* fano dormientes, referunt, ταῖς τῶν ὄφεων γλώτταις τοὺς πόρους τῶν αἰσθητηρίων καθαιρομένους, τῆς μαντικῆς οὕτως μεταλαβεῖν *cum illis angues meatus sensuum linguis suis expurgassent, divinandi scientiam esse consequutos.* Ita refert *Anticlides* apud *Homeri Scholiastem* in *Iliad.* 6. Et de iisdem *Euripidis Scholiastes* in *Hecubam*, Ἐλθόντες ὄφεις καὶ τὰ ὦτα τῶν παίδων ἐκλείξαντες, οὕτως ὀξυηκόους (malim ὀξυηκόους) εἰργάσαντο, ὡς μόνους τὰς τῶν Θεῶν ἀκούειν βουλὰς, καὶ μάντεις ἄκρους εἶναι. *Serpentes, cum accessissent, & eorum aures circumlinxissent, auditum ita exacuerunt, ut Deorum consilia soli audirent, & vates essent, præstantissimi.* Cui simile est, quod de *Melampode* referunt multi Scriptores, dracones, ejus aures lambendo, sermonis avium intellectum illi dedisse. Vide imprimis *Plinium* lib. 10. c. 49. *Apollodorum* lib. 1. *Biblioth.* *Scholiastem Apollonii* in lib. 1. *Argonaut.* & *Pindari* in *Pythiam* quartam, ubi de dracone in *Alcmaonis* clypeo. Pari superstitione crediti sunt idem consequi qui draconis carnes ederent. وقيل ان الهنود seu *De Damir*, cap. تنين *de dracone*, ياكلون لحم التنين فيعلمون بذلك ما تتكلم به الدواب *Etiam dicuntur Indi draconis carnes edere, atque ea ratione brutorum sermones intelligere.* Nempe id sumptum ex *Philostrato* de vita *Apollonii* lib. 3. cap. 3. ubi *Paracæ* in *India* urbis incolæ leguntur ζώων ξυνιέναι φθεγγομένων, καὶ βουλομένων, σιτούμενοι δράκοντος οἱ μὲν καρδίαν, οἱ δὲ ἧπαρ, *animalium voces, & mentem intelligere, postquam alii cor draconis, alii hepar comederint.* Quod ipsum de *Arabibus* idem asserit lib. 1. cap. 14. Unde *Eusebius* in *Hieroclem* lib. 1. Συμβάλλεσθαι δὲ τῶν ἀλόγων, σιτούμενοι τῶν δρακόντων οἱ μὲν καρδίαν, φασὶν, οἱ δὲ ἧπαρ· *Bruta intelligunt, draconum alii cor, alii jecur depasti.* Atque hinc colligit *Apollonium*, quamvis, ut *Pythagoreus*, ab esu carnium abstinuerit, δρακόντων καρδίας ἢ ἥπατος, ἀπογεύσασθαι, ὡς ἂν καὶ τῆς τοιαύτης κοινωνὸς σοφίας, *draconum cor, & hepar alicubi degustasse, ut eorum sapientiæ particeps ita fieret.* An eodem referendum quod vatum antiquissimus *Ophion* (o) dictus est, id est מנחש *Augur?* Unde est, quod Poëta *Nonnus*, *Dionys.* lib. 4. septem tabularum meminit septem Planetis cognominum,

Τοῖς ἔνι ποικίλα πάντα μεμορμένα θέσφατα κόσμου
Γράμματι φοινικόεντι γέρων ἐχάραξεν Ὀφίων·
Quis mundi eventus, & ineluctabile fatum
Purpureis sculpsisse notis memoratur Ophion.

Quin auguriorum præsidem Deum crediderunt *Græci* veteres serpentis forma coluisse, ac proinde *Pythium*, & *Pythonem* dictum; quia פתן *pethen Hebræis* est serpentis species. Quid? quod *Python Mosi* est אוב *Ob*, voce ab *Ægyptiis* sumpta, quibus *obion* hodieque *serpentem* sonat. Ita habet *Kircheri Nomenclator* cap. 15. *Horus Apollo* scribit οὐβαῖον *Hierogl.* lib. 1. Nempe diabolus eâ forma maximè coli voluit, qua seduxit primos homines. Sed de serpente plura dicentur capite statim sequenti.

(n) Cicero lib. 1. De Divinat. Val. Max. l. 1. cap. 6.

(o) De Ophione vide Apollon. Argonaut. l. 1. v. 503. Nonn. Dionys. lib. 12 v. 44 Claudian. De raptu lib. 3. v. 348.

CAPUT QUARTUM.

De Serpentibus, & cæteris reptilibus, quæ sanguinem habent.

Reptilis Hebraica *tria nomina*. *Reptilis* Hebræum *nomen quàm latè pateat*. Mosis *reptilia* ἑρπετά *vel* ἄποδα. *In illis serpens: ejus definitio.* גחון *gachon*, *propriè serpentis venter*. *Serpens non fuit olim quadrupes, ut volunt*. *Necessaria est in serpente* ἡ ἄποδία. *Serpentes quidam saltu, alii volatu valent*. *Caput serpentis longè potissima pars*. *Cor capiti vicinum propè in gutture*. *Serpens quam sedulò caput servet*. Caput *serpentis pro veneno in* Sirachide. *Lingua extrema quam tenuis*. *Cur serpens dicatur* bilinguis? *An propter celerem linguæ vibrationem, vel quia linguam habet bifidam*; *quanquam* Poëtæ *trisulcam malint*? *An hinc maledici lingua triplex in* Sirachide? *Serpentes quidam gemino aculeo, nempe in ore, & in cauda*. *Sibilus serpentis quam exilis*. *Ejusdem serpentis fragor*. *Antiqui serpentis clamor per totum orbem auditus*. *Serpentes ubi degant*. *Iidem* παμφάγοι. *Pulvis eorum cibus, ut multorum animalium*. *Serpentis* ᾠοτοκία. *Serpens quomodo* φρόνιμος *aut* πανοῦργος. Hebræum ערום *utrumque significat*. Lacrtius *emendatus*. *Serpens quam insidiosus*. *Prudentia serpentis quatuor*

tuor exempla ex Epiphanio. *Aliud ex* Plinio, *&* Arabibus. *Item aliud ex* Psal. 58, 7. *Serpentis agilitas, & insinuatio eâdem refertur à nonnullis, sed præter rem. Cur Deus non solum Diabolo, sed & serpenti maledixerit. Serpens homini quam odiosus. Lacertorum genera. Talpa, & mus in reptilibus. Quid sit μυωπάζων, 2. Pet. 1, 9. Alii à muribus, alii à talpis deducunt, alii ab iis qui nonnisi proxima vident, qui* Græcè *dicuntur* μύωπες· *sed μυωπάζειν est* oculis nictare, *& connivere, ut* μύειν, *&* καμμύειν. *Reptilia in cibis.* Candiæ Ophiophagi. Lacedæmones ὀφιοφάγοι. Comedentes murem, *Es.* 66, 7. Hieronymus glires *intelligit. Sed* Jarboa, *seu chœrogryllus, muris species, est in* Arabum *cibis. Reptilia non frustra, contra* Epicurum. *Deus reptilibus ad pœnam utitur, vetitus reprimendus virtutem suam exerit.*

REptile *Hebrais* רמש *à calcando terram*, & שרץ dicitur *à copia*, & זחלי *à tarditate motus*, ut alibi demonstrabitur. Reptilis nomen, *Gen.* 9, 3. atque alibi non rarò sumitur pro quovis gressili. Quandoque quadrupedibus, atque avibus opponitur, ita ut pisces includat, ut *Levit.* 11, 46. & *Rom.* 1, 23. Nos hic reptile sumimus, ut in Scriptura plerumque, pro quovis animali, quod neque בהמה quadrupes aliquantæ molis, neque avis, neque piscis est. Sic reptilibus accenset *Moses* minima quadrupedum, puta mures, & talpas, *Levit.* 11, 29. & exsanguia omnia: sive super ventrem serpant, ut vermes; sive quadrupeda sint, ut locusta; sive multipeda, ut scolopendra, *Lev.* 11, 42. His adde volucria ex versu 20. quales sunt, præter locustarum nonnullas, muscæ, papiliones, *&c.* Itaque ex doctrina *Mosis* reptilium genera duo sunt: ἔναιμα, sanguine prædita, ut serpentes, mures, & talpæ; & ἄναιμα, exsanguia, ut vermes, & insecta omnia. In hoc capite de iis solùm agemus, quæ sanguinem habent, & de serpente maximè.

Serpens est ζῶον ἑρπυστικὸν, ἔναιμον, φολιδωτὸν, *animal reptile, sanguine præditum, cortice tectum.* Hujus propria pars גחון *gachon*, *Gen.* 3, 14. id est, venter oblongus, in quem serpit. *Philosophus*, (a) τὴν δὲ κοιλίαν ὁ ὄφις ἔχει, ὅμοιον ἔντερον εὐρυχωρέστερον. Sunt, qui serpentem in Creatione quadrupedem fuisse putant, aut saltem, draconum instar, bipedem, & pertinere ad pœnam, quod hodie serpit in ventrem. At mihi non fit verisimile propter peccatum hominis Deum in natura serpentis quidquam mutasse. Tantum quod erat naturæ cessit in pœnam, ut in homine nuditas, & in muliere partus. Neque verò id satis certum, draconem ullum esse bipedem, aut, quod ait (b) *Plinius*, visos esse serpentes pedibus anserinis. *Augustinus* lib. 3. *De Gen. ad lit.* disertè asserit dracones esse sine pedibus. Et *Philosophus*, in libro *De incessu animalium*, multis probat, neque duos neque quatuor pedes posse serpenti sufficere propter enormem corporis longitudinem, neque posse plures haberi, quia τῶν ἐναίμων μηδὲν δυνατὸν εἶναι πλείοσι σημείοις κινεῖσθαι, ἢ τέτταρσιν. Unde necessariam esse concludit in serpente τὴν ἀποδίαν.

a) *Hist. An. l.* 2, *c.* 17.

b) *Lib.* 11. *c.* 47.

Serpentum quidam saltu valent, ut acontias, quem *Es.* 34, 15. designari nomine קפוז *kippoz* primi animadvertimus, cum eo loco Interpretes quidvis aliud intelligerent. Quidam etiam volatu, ut *Es.* 14, 29. שרף מעופף *hydra volans*, quæ vespertilionum instar membranaceas habet alas. שרף cur *hydram* interpreter, suo loco edisseram.

In maledictione serpentis meritò dictum de semine mulieris, *Illud conteret tibi caput*, Gen. 3. 15. quia caput est in serpente longè potissima pars, quæ illæsa rarò succumbit. *Isidorus*, *Orig.* lib. 12. cap. 4. *Dicit autem* Plinius, *si credetur, quod serpentis caput, etiamsi cum duobus evaserit digitis, nihilominus vivit.* Æliano teste scilicet, (c) τὴν καρδίαν κεκλήρωται ἐπὶ τῷ φάρυγγι, *cor in gutture sortitus est*, in vicinia capitis, cum in cæteris animalibus medium pectus occupet. Unde est, quod *Epaminondas*, ut *Thebanos* rectà in *Lacedæmoniorum* agmen impelleret, (d) Μέγιστον ἔχιν συλλαβὼν ἔδειξεν αὐτοῖς, καὶ πάντων ἐναντίον τὴν κεφαλὴν τοῦ θηρίου συντρίψας, Ὁρᾶτε, ἔφη, ὅτι τὸ λοιπὸν σῶμα ἄχρηστον, τῆς κεφαλῆς ἀπολωλυίας. οὕτω δ' ἂν τὰς τῶν πολεμίων κεφαλὰς, τὸ Λακωνικὸν τοῦτο συντρίψωμεν, τὸ λοιπὸν σῶμα τῶν συμμάχων ἄχρηστον. *Maximum serpentem arreptum ostendit ipsis, & ejus capite attrito in conspectu omnium, Videtis, inquit, capite adempto, reliquum corpus esse inutile. Ita si hostium capita, nempe Laconicum hoc contriverimus, reliquum corpus sociorum nullius erit usus.* Quapropter serpens in pugna ferè in eo totus est, ut caput periculo eximat, *Epiphanius in Physiologo* cap. 15. Ὅλον τὸ σῶμα παραδίδωσι, τὴν κεφαλὴν μόνην φυλάττει. Et in Ophitas, *Hær.* 37. Ἐν τῷ διώκεσθαι, γινώσκων ὅτι ἐν τῇ κεφαλῇ πᾶσα αὐτοῦ ἡ πᾶσα ζωὴ αὐτοῦ τυγχάνει, ὅλον τὸ σῶμα ἑλίξας ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ κρύπτει μὲν τὸ κρανίον ἑαυτοῦ, παραδίδωσι δὲ τὸ ἄλλο σῶμα· *Ab aliquo appetitus, cum in capite vitam omnem suam residere sentiat, toto in caput complicato corpore, cranium quidem suum occultat, tradit autem reliquum corpus.* Chrysostomus *in* Psal. 113. Ὁ ὄφις τὸ λοιπὸν σῶμα προΐεται, ὥστε τὴν κεφαλὴν διασῶσαι. *Serpens reliquum corpus exponit, ut caput conservet.* Cæsarius, *Dialogo* 4. Quæst. 192. Ὁ γὰρ ὄφις ὑπὸ ἔξωθεν δυνάμεως καταληφθεὶς, ὅλον μὲν τῷ παίοντι τὸ σῶμα προΐεται, τὴν δὲ κεφαλὴν ἄτρωτον φρουρεῖν μηχανᾶται. *Serpens enim, ab homine vi correptus, totum quidem corpus percutienti objicit, caput autem illæsum servare conatur.* Isidorus Pelusiota, *lib.* 1. *Epist.* 126. Ὅσαις γὰρ ἂν περιστάσεσι καὶ πληγαῖς ὁ ὄφις συνέχηται, τὴν ἑαυτοῦ φυλάττει κεφαλὴν ἀβλαβῆ. *Quibuscunque enim casibus, & plagis serpens prematur, caput suum servat illæsum.* Et *Isidorus* alius, nempe *Hispalensis*, Orig. lib. 12. cap. 4. *Totum corpus objicit pro capite ferientibus.* Tzetzes *Chil.* 9. cap. 263.

τυπτόμενος ὡς ὄφιον,
Παντοιοτρόπως τὴν κεφαλὴν τὴν ἑαυτοῦ συγκρύπτει.

c) *Hist. An. l.* 5. *c.* 31.

d) *Polyæn. l.* 2. *Stratag.*

An huc pertinet quod scribit *Sirachides*, Οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως· *Non est caput supra caput serpentis?* Non puto, quia sic sensus esset subobscurus. Haud dubiè igitur auctor libri *Hebraicè* scripserat לא ראש על ראש הנחש, quod vertendum, *Non est venenum supra venenum serpentis.* Nempe ראש tam *venenum* significat, quam *caput*. Sic *Deut.* 32, 33. *Vinum eorum*, ראש פתנים *venenum aspidum.* Toto cœlo aberraret, qui redderet *caput aspidum.* Venenum illud partim in felle est, *Job.* 20, 14. *Fel aspidum in interiori ejus.* Plinius *lib.* 11. cap. 37. *Ne quis miretur fel venenum esse serpentium.* Et lib. 29. cap. 6. *Non aliud hoc esse quam fel serpentium, & inde venis sub spina ad os pervenire diligentissimi auctores scribunt.* Partim etiam in dentibus, *Eccles.* 39, 35. & in vesicula quadam sub lingua; ideò *Job.* 20, 16. *Occidet eum lingua viperæ.*

e) *Eccles.* 21. 16. *al.* 18. *al.* 22.

Linguæ extrema, λεπτὰ ὥσπερ τρίχες (f) *capillamenti tenuitate.* Quò *David* respiciens, *Psal.* 140, 3. *Acuerunt*, inquit, *linguas suas, sicut serpentes.* Plautus *bilingues* non semel vocat. Ita in *Persa*, *Tanquam proserpens bestia, est bilinguis, & scelestus.* Et in *Asinaria Libanius Philenium* ad osculum ita invitat, *Fac proserpentem bestiam, duplicem ut habeam linguam.* Nempe, si *Salmasio* credimus, serpentes tam tremulo motu linguam crispant, ut non una sed gemina videatur esse. Quomodo *sarissam duplicare* dicebantur, qui vibrabant eam, & crispabant, quasi duplicem quatiendo facerent. Unde *Hesychius*, Πτύσσει, κραδαίνει, τὰ δόρατα διπλοῖ, id est, *vibrat hastas, & duplicat.* Et in *Apuleii Apologia Lælius* ἴυγγας vocat *inlices bicodulas*, quod caudæ assidua vibratione quadamtenus duplicem eam faciunt, & sic duas videntur caudas

f) *Arist. Hist. l.* 2, *c.* 17.

caudas habere. A quo caudæ motu Jynx *σεισοπυγίς*, & *motacilla* dicta. In qua ipsa sententia fuisse nonnullos veterum docent hæc *Isidori* de serpente, *Orig.* lib. 12. cap. 4. *Nullum animal tantâ celeritate linguam movet, adeout triplicem linguam habere videatur, cum una sit.* Sed hæc, utut speciosa, tamen haudquaquam vera sunt. Neque enim propter celerem linguæ vibrationem *bilinguis* à *Plauto* dicitur serpens, sed quia eam habet bisulcam; ut ipse in *Pœnulo* testatur, *Bisulci linguâ, quasi proserpens bestia.* Proinde *Philosophus* asserit, ubi suprà *δικρόαν αὐτῶν εἶναι τὴν γλῶτταν ἄκραν*, *summam eorum linguam esse bifidam.* Unde *Arabes* in *Damire*, capite الحية seu *De serpente*, لسانها مشقوق ولذلك يظن بعض الناس ان لها لسانين *Lingua ejus divisa est, propterea nonnulli putant eum habere duas linguas.* Et in *capite* الضب seu *De crocodilo terrestri*, ولما سال الامام ابو حنيفة عن دكر الضب فقال انه كلسان الحية اصل واحد له فرعان *Et postquam inquisivisset Sacerdos* Abuchanipha *de virga crocodili terrestris, dixit eam esse ut linguam serpentis, quæ radicem unam habet, sed bifida est.* Alii trisulcam esse asserunt. Ita *Plinius*, (g) *Lingua tenuissima serpentibus, & trisulca est.* Quod *Poetæ* ferè sequuntur. *Virgilius*, *Georg.* lib. 3. & *Æn.* lib. 2.

g) Lib. 11. c. 37

Arduus ad Solem, & linguis micat ore trisulcis.

Ovidius de dracone à *Cadmo* cæso, *Metam.* lib. 3.

- - - - - *corpus tamen omne veneno,*
Tresq; micant linguæ.

Et de dracone in *Colchis* velleris aurei custode, *Metam.* lib. 7.

Qui cristâ, linguisq; tribus præsignis.

Seneca in *Medea*, versu 686.

Hic sera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamq; linguam exertat.

Silius lib. 6. versu 222.

- - - - - *trifido vibrata per auras*
Lingua micat motu, atq; assultans æthera lambit.

Et versu 264.

- - - - *jamjamq; extrema trisulcâ*
Lambebat linguâ fessi certamine terga
Quadrupedis.

Statius de *Pythone*, lib. 1. *Thebaidis* versu 565.

- - *Castaliis dum fontibus ore trisulco*
Fusus hiat.

Et de serpente, à quo cæsus est *Archemorus*, lib. 5. vers 580.

- *volat hasta tremens, & biantia monstri*
Ora subit, linguaq; secat fera vincla trisulca.

An eò referendum, quod maledico, qui linguam in quoscunque exerit, & vibrat more serpentis, *lingua triplex* tribuitur in *Chaldea Paraphrasi*, *Job.* 36. *v.* 33. *Ps.* 101. *v.* 5. & 140. *v.* 12. *Eccles.* 10. *v.* 11. *&c.* Omnino ita videtur: Neque aliter interpretor hæc *Sirachidis* c. 28. vers. 15. Γλῶσσα τρίτη πολλοὺς ἐσάλευσεν, & vers. 17. Γλῶσσα τρίτη γυναῖκας ἀνδρείας ἐξέβαλε. Alii aliter explicant, ut infra observabimus.

Sed hanc interpretationem valde confirmant verba *Psaltis*, quibus cum lingua serpentis maledici lingua confertur.

Addo, ex *Arabum* fide, rem à *Romanis*, & *Græcis* scriptoribus prætermissam, serpentes alios non modò acutam, sed & aculeatam habere linguam, aut verò rostrum, & nasum; alios, scorpionum instar, etiam caudâ ferire; alios gemino aculeo ex utraque parte pungere. *Alcamus*, النكاز حية لا ينكز الا بانغه ليس له فم لا يعرف دنبه من راسه لدقته من اخبث الحيات Nicchaz, *serpens, qui nonnisi naso pungit, ac si ore careat, cujus caput ita tenue est, ut a cauda non secernatur. Deterrimum est serpentis genus.* Nempe نكز *nachaza* de serpente, est *naso*, vel *rostro pungere.* Ibidem دو الطرفين من الحيات لها ابرتان احدهما في انفها والاخرى في دنبها Dultaraphina, *serpentis genus gemino aculeo, quorum unus in naso, alter in cauda est.* Unde est, quòd serpentis punctionem à morsu ita distinguit *Solomon*, Prov. 23. v. 32. *Velut serpens mordebit, & ut basiliscus* יפרש *punget.* Ita in *Jucatana*, *Novæ Hispaniæ* contermina, serpens ex eo *Polpoch* dictus, quòd sibilus ejus videatur hunc ferè sonum referre, scribitur (h) & ore mordere, & caudæ aculeo pungere. Et in *Australi America*, apud *Chiribichenses*, *Petrus Martyr* (i) aspidum meminit, quæ scorpionum instar caudâ feriunt.

h) Vide Io. Eus. Nieremb. Hist. Nat. lib. 12 cap. 48.
i) De Orbe Novo Dec. 8. cap 7. & 8.

Sibilus serpentum terribilis, *Sap.* 17, 9. exilis tamen, ut observatur à *Philosopho* (k)? Quocirca *Jeremias*, cap. 46. versu 22. de *Ægypto* disserens à *Chaldæis* opprimenda, *Vox illius*, inquit, *quasi serpentis ibit*; quia servitute pressa vix audebit hiscere, & mussitare. Tale illud, *Esa.* 29, 4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & è pulvere humile erit eloquium tuum.* At *Jeremiæ* locum ita reddit *Syrus* Interpres ܩܠܗ ܐܝܟ ܕܚܘܝܐ ܢܗܠܟ *Vox exercitûs erit ut serpentis repitantis.* Et *Chaldæus*, קל נחוש זיניהון כחיון זחלין *Fragor collisionis armorum eorum erit ut serpentium repentium.* Ac si fragorem armorum in *Chaldæorum* copiis conferat cum strepitu, quem inter rependum edunt quorundam serpentum cortices, cerastæ putà, vel hæmorrhoi, de quo *Nicander* in *Theriacis*,

k) Hist. lib. 4. cap. 9.

- - - - - φολίσιν δ᾽, καὶ οἶμον
Παῦρον ὑποτρύζει καλάμης χύσιν οἷα διέρπει·
- - - - - *dum serpit debile murmur*
Squamarum attritu, calcatæ ut arundinis, edit.

Et *Ælianus*, *De animalibus* lib. 15. cap. 13. Ἕρπει δὲ ἠσυχῆ ἐπιθλίβων τὰς τοῦ νηδύος φολίδας, λοξὸν δὲ οἶμον πρόεισιν· ἠρέμα γοῦν ὑπηχεῖ. *Lente serpit ventris squamas premens, tortuosâ autem viâ progreditur, & leniter substrepit.* Et de ceraste *Aetius*, (l) *In serpendo sonum sibilo similem edit.* *Avicenna* (m) etiam planè ut *Nicander*, ceraste, & hæmorrhoo reptantibus, sonum edi scribit parvi stridoris, ut خشخشة القصبا *fragoris arundinum.* Jam *Rabbinorum* audi nugas. *Eliezer* in *Capitulis*, & *R. Selomo* in *Jeremiam*, cum agere putant de antiquo illo serpente, qui, cùm in peccati pœnam pedibus truncaretur, tam horrendum exclamaverit, ut ab uno orbis extremo ad alterum auditus fuerit. Sic *Jonathan*, *Exod.* 7. *v.* 9. ait omnes terræ fines clamorem serpentis audivisse, cùm nudatus est à fundatione mundi.

l) Tetrab. 4. Serm. 1. c. 28.
m) Tom. 2. p. 138.

Serpentes aut in aquis degunt, *Amos* 9. *v.* 3. aut in aridis locis, *Deut.* 8. *v.* 15. putà, in petris, *Prov.* 30. *v.* 19. in sepibus, *Eccles.* 10. *v.* 8. in terræ latibulis, *Esa.* 11, 8. Quæ tria uno versu complectitur *Nicander*, de cervis agens, qui, ut serpentem pervestigent,

Τρηχαλέας θ᾽ αἱμασιάς τε καὶ εἰλύας ἰχνεύοντες,
Saxa petunt, sepesq;, cavernarumq; latebras.

n) Arist. Hist. lib. 8. cap. 4. Serpentes censentur in παμφάγοις· nam & carnem edunt, & herbam, & sunt (n) λιχνόταται τῶν ζώων, *cupedia dediti præ cæteris animantibus.* Itaque serpenti pulvis assignatur in cibum, *Genes.* 3. *v.* 14. *Esa.* 65. *v.* 25. & *Mich.* 7. *vers.* 17. non quòd vescatur solo pulvere, sed quia, cùm humi repat, non potest quin pulverem in os cum aliis cibis simul ingerat. Ita *David* in luctu queritur se comedisse cinerem sicut panem, *Psal.* 102. *v.* 10. quia pronus in cinere jacens pane in terram projecto vescebatur. *Talmudici* tamen in Tractatu *De Sabbatho*; טועמין את הארץ כחויא *Terram comedebant ut serpens.* Et *Nicander*, de chersydro, (o) cùm exsiccata prorsus illum defecit aqua, νέμεται διψηρὰς ὄγμους, *aridos sulcos depascitur.* Et *Phile*, cap. 59. de serpente quodam *Indiæ*, qui videtur esse sepis species,

o) Theriac. vers. 372.

> Νωδὸς γάρ ἐστι, καὶ ψιλὸν χοῦν ἐσθίει.
> *Soloq; vivit pulvere, estq; edentulus.*

Sed & eodem cibo vesci alia putantur animalia. In his lumbrici, & vermes. *Plautus* in *Casina*, Act. I.

> *Post autem nisi ruri ervum tu comederis,*
> *Aut, quasi lumbricus, terram.*

Et الحباحب cicindela, de qua *Algiahid*, غذاوها التراب لـــم تشبع منه قـــط خوق ان يفني تراب الارض فتهلك جوعا *Alimentum ejus est pulvis, quo nunquam saturatur, ideò solùm, quia timet, ne deficiat terræ pulvis, atq; ita fame pereat.* Quomodo in avibus aquaticis مالـــك الحزين *malich albazin*, aliis البلشون *balseun*, id est, *ardea*, quam aquâ parciùs uti, adeoq; à potu tamdiu abstinere scribunt *Arabes*, ut præ siti moriatur, ne aqua deficiat, si biberet paulò largiùs. Quod symbolum est avari divitis, qui inopiæ metu suum defraudat genium. Dicuntur & scorpiones terram habere pro cibo. *Bardisanes* in *Eusebio*, *De Præpar.* lib. 6. Σκορπίος γῆν ἐσθίει. *Plinius* lib. 10. cap. 72 *Scorpiones terrâ vivunt.* Et talpa in *Porta cæli*, fol. 22. c. ומן היסוד העפרי יתהוה באשות הנקרא טלפא אשר מזונה העפר *Et ex elemento terræ facta est talpa, cujus alimentum est pulvis.* Ut de eadem *Vincentius*, (p) *In terra habitat, vermium escâ vivit, in fame quoq; terram comedit.* Quin & aves terrâ vescentes se vidisse ait (q) *Cardanus.* Sed dubitat utrum id factum sit fame adigente, an ut aliquid eruerent, vel salsedine, vel alio nomine suæ naturæ conveniens. Sic, auctore *Philosopho*, (r) Τοὺς λύκους φασὶν, ὅταν πεινῶσιν, ἐσθίειν τινὰ γῆν *Lupi esurientes dicuntur quoddam terræ genus edere.* Et apud *Pisidam* in *Hexaëmero*,

p) Doctrinalis lib. 16 cap. 103

q) De variet. lib. 7. cap. 35.

r) Hist. Anim. lib. 8. c. 5.

> Λύκοι δὲ τὴν γῆν, οἱ λαγοὶ δὲ κανθάρους.
> *Lupiq; terram, & canthatos lepores edunt:*

sed in morbis duntaxat pro medicina. At elephantos *Vincentius* (s) mori tradit, si terram comederint, nonnullos tamen huic cibo ita assuefieri, ut illis consuetudo sit pro altera natura.

s) Doctrin. lib. 16. cap. 84.

Serpentes ᾠοτοκεῖν ova foris edere, & εἰς τὴν γῆν ἐπῳάζειν, in terra fovere, quæ anno sequente excluduntur, scribunt (t) *Aristoteles*, & (u) *Plinius.* Ita etiam *Esaias* cap. 34. v. 15. *Ibi nidificabit* קפוז *aconitas, & pariet, & excludet ova, quæ fovebit sub umbra sua:* & 59, 5. *Ova basilisci excluserunt.*

t) Hist. Anim lib. 5. in fine.

u) Lib. 10. c. 62

Genes. 3. *v.* 1. serpens legitur fuisse ערום supra omnem terræ bestiam. ערום alii rectè πανοῦργον, *callidum, vafrum, astutum, versutum, versipellem*, soli LXX. φρόνιμον, *prudentem* interpretantur. Quibus tamen haudquaquam velim hoc nomine dicam scribi, cum etiam alibi ערום *prudentem* sonet, ut passim in (x) *Proverbiis.* Et videatur ipse *Christus* hanc interpretationem confirmare, cùm cohortatur discipulos, ut sint prudentes tanquam serpentes, *Matth.* 10. *v.* 16. eodem verbo, ni fallor, usus quo *Moses.* Quamvis ad alteram alludant hæc *Apostoli*, 2. *Cor.* 11. *v.* 3. Ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, *Serpens* Evam *seduxit calliditate suâ.* Brutis animantibus quo sensu tribuatur vel πανουργία, vel φρόνησις, alibi dicam. Hîc solum observabo perperàm hanc phrasin ex *Theophrasto* confirmari, cujus librum citat *Laërtius* (y) Περὶ τῶν ζώων, ὅσα λέγεται φρονεῖν. Ibi enim pro φρονεῖν legendum esse φθονεῖν ex *Photio* scimus, qui hujus libri compendium nobis exhibet Auctore 178.

x) Prov. 1, 4. & 8, 5. 12. & 14, 15. 18. & 22, 3.

y) Lib. 5.

Ad serpentis calliditatem refero, quòd in via stans cerastes, vel ammodytes, & in iis quibus concolor est arenis latens, ungulas equi mordet, *Genes.* 49. *v.* 17. & calcaneo hominis insidiatur, *Gen.* 3. *v* 15. & solis exertis corniculis, quæ frumenti granis similia sunt, aviculas quasi ad escam advolantes intercipit. Item quòd, auctore (z) *Luciano*, ad struthionum ova, quæ *Garamantes* maximè expetunt, dipsades sunt in insidiis, accedentes demorsuræ. Proinde serpentes *Philosophus* tradit (a) esse μάλιστα ἐπιβούλους, *maxime insidiosos.* Et apud *Æsopum* cancer, societate cum serpente initâ, cum hortabatur μεταβαλέσθαι τῆς πανουργίας, *ut mutaret calliditatem suam:* ὁ δὲ οὐδ' ὁτιοῦν ἑαυτὸν παρεῖχε πειθόμενον, *ille autem minimè se præbebat obsequentem.*

z) In Dipsad.

a) Hist. l. 1. c. 1

Prudentiæ serpentis quatuor argumenta profert *Epiphanii Physiologus.* Primum, quòd, cùm senium præsensit, quærit petram, & ῥαγάδα στενήν, στενώσας δὲ διὰ τῆς ὀπῆς ὠθεῖται περᾶσαι, καὶ ἐκβάλλει τὸ γῆρας, *in rimam se insinuat, pronusq; per foramen transire nititur, & senectutem exuit.* Atque id uno ore omnes asserunt. Secundum, quòd, cùm ab homine vestito fugiat, cùm eundem nudum videt, καταθαρρεῖ αὐτοῦ, *illum aggreditur confidenter.* Atque hoc quoque videri possit rationi consonum: tamen contrarium alii disertè docent. *Eusthatius* in *Hexaëmero*, Ἐὰν δὲ γυμνὸν θεάσηται ἄνθρωπον οὐ προσέρχεται· εἰ δὲ ἐνδεδυμένον, ἐφάλλεται· *Hominem nudum si aspexerit, non adit; sed, si vestitum viderit, aggreditur. Hieronymus*, vel quisquis auctor est Epistolæ ad *Præsidium* sub *Hieronymi* nomine; *Coluber nudum hominem timet, vestitum prosequitur. Isidorus* lib. 12. cap. 4. *Fertur autem, quòd serpens hominem nudum non sit ausus attingere.* Damir, ومن عجيب امره انـــــــه تهرب من الرجل العريان *E mirabilibus naturæ ejus est, quod fugit ab homine nudo.* Et id se non rarò expertum scribit *Olaus. Favorabile*, inquit, *verbum* Isidorus *de natura serpentum profert, quòd hominem nudum, & dormientem nunquam lædant: idq; mihi, in pueritia, & adolescentia, serpentibus sine læsione sæpissimè congredienti, contigit.* Tertium serpentis prudentiæ argumentum idem profert, quod ab homine appetitus solum caput servat illæsum, & reliquum corpus objicit. De quo cùm jam plura dixerim, hoc solum addam ex *Cæsario*, *Dial.* 4. *Quæst.* 190. Κατευναζόμενος δὲ, καὶ καθεύδων (ὁ ὄφις) προχίζων ἑαυτὸν, μέσην ὅλου τοῦ σώματος κεφαλὴν ἀσφαλίζεται, οἱονεὶ τειχίῳ τῷ ἐφεπομένῳ ὁλκῷ περιοχυρῶν αὐτήν· *Cum quieti se tradit ut dormiat serpens, sese contorquens, medium intra totum corpus caput communit, consequente tractu, ut muro, illud circumvallans.* Quartum, quòd, cùm ad fontem venit, ut bibat, οὐ φέρει τὸν ἰὸν, ἀλλ' ἀφεὶς αὐτὸν ἐν τῇ φωλεᾷ, οὕτω καθαρὸς πορεύεται, *virus non defert, sed illud in nido dimittens, ita purus accedit.* Quod *Hor.* 37. idem ita edisserit, Οὐ συμπαραλαμβάνει τὸν ἰὸν μεθ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐν τῷ φωλεῷ καταλιμπάνει, καὶ οὕτως ἐλθὼν λαμβάνει τὸ πόμα τοῦ ὕδατος· *Virus non effert secum, sed in latibulo relinquit, & sic accedens aquarum potum sumit.* Et *Eusthatius* in *Hexaëmero*, Ὅταν δὲ διψήσῃ τὸν ἰὸν πρότερον ἀποτίθεται, καὶ οὕτως ἐκπίνει τὸ ὕδωρ ἐκ τῆς πηγῆς· *Cùm sitit, virus ante deponit, atq; ita aquam ex fonte bibit:* nempe *ne cum veneno aquâ*

concretum occidat, ut addit auctor Epistolæ ad *Præsidium*. Non absimile est, quod multi scribunt, viperam, cum murænа coituram, virus suum priùs evomere, tanquam *αἰδυμένlω τὸν γάμον*, *nuptias reveritam*, ut ait *Basilius* Hom. 7 in *Hexaem*. Sed ut fabulosum id rejicit (b) *Andreas* in libro Περὶ τῆς ψευδῶς πεπιςευμένων. Quamvis præter *Basilium*, (c) & *Ambrosium*, auctores habeat (d) *Nicandrum*, (e) *Ælianum*, (f) *Oppianum*, (g) *Licinium Macrum*, (h) *Achillem Tatium*, (i) *Philen* in *Jambis*, & (k) *Isidorum*, aliosque non parvo numero.

His ex *Plinio* addi queat serpentem, hyberna latebrâ visu obscurato, oculos marathro inungere, ac refovere. Si verò squamæ obtorpuerunt, spinis juniperi scabere, & draconem vernam nauseam lactucæ succo restinguere. Quæ naturali solertiâ fieri verisimilius, quàm vi quâdam θεηλάτῳ, prout *Arabes* sibi fingunt. In his الزمخشري *Azzammachsari* Scriptor præ cæteris fabulosus, cujus verba sunt, حكي ان الافعي اذا اتت عليها
الف سنة عميت وقد الهمها الله ان
تمسح عينيها بورق الرازيانج الرطب
فير اليها بصرها وربما كان في برية
بينها وبين الريف مسيرة ثلثة ايام
فتطوي تلك المسافة علي طولها وعلي
عماها حتي تهجم في بعض البساتين
علي شجر الرازيانج لاتخطيه فتحك
به عينها فترجع باصرة باذن الله تعالي

Viperam ajunt, cùm vixit mille annis, excæcari, & inspirare illi Deum, ut ungat oculos suos recentis fæniculi folio, & recuperare visum. Quin nonnunquam est in deserto; & inter eam & locum cultum trium dierum iter intercedit. Quod spatium, quantum quantum est, illa emetitur, donec in aliquem hortum ingressa in fæniculi plantam incidat, à qua haudquaquam aberrat, & eâ confricat oculos, & cum bono Deo redit illi visus. Non dissimilem fabulam narrat *Abugiani Thaugidani* الشمسية, id est, *Solarem* dici serpentis genus, qui, cùm oculi debilitari incipiunt, septem diebus continuis eos per horæ spatium ad Solem obvertit, atq; eâ ratione visum illius acui, & intendi.

Etiam huc referunt quod aspidem dicit *Psaltes aures obturare ad cantum*, Psal. 58, 7. Quasi mirâ quadam sagacitate, cùm primùm aspis audit incantatorem, aurium unam terræ applicet, alteram caudâ obturet, ne incantationi via pateat. Sed suo loco *Arabes* nos docebunt hæc multò aliter accipi.

Consalus Pontius de Leon in Notis ad *Epiphanii Physiologum* serpentis solertiam sitam esse vult in agilitate corporis, quam in dracone potissimùm commendat antiquissimus ille *Taautus*, cùm apud *Eusebium* lib. 1. *Præparat.* draconem tradit esse πνευματικώτατον τὸ ζῶον πάντων τῶν ἑρπετῶν καὶ πυρῶδες. παρ᾽ ὃ καὶ τάχος ἀνυπέρβλητον διὰ τοῦ πνεύματος παρίςησι, χωρὶς ποδῶν τε, καὶ χειρῶν. ἢ ἄλλου τινὸς τῶν ἔξωθεν, ἐξ ὧν τὰ λοιπὰ ζῶα τὰς κινήσεις ποιεῖται. καὶ ποικίλων σχημάτων τύπους ἀποτελεῖ, καὶ κατὰ τὴν πορείαν ἑλικοειδεῖς ἔχει τὰς ὁρμὰς, ἐφ᾽ ὃ βούλεται τάχος· *Omnium reptilium maximè spiritalis, & igneæ naturæ, unde est, quod per solos spiritus eximiam celeritatem consequitur, absq; manuum, aut pedum, aut exterioris ullius organi adjumento, per quæ reliqua moventur animalia; & in varias figuras se conformat, adeoque inter gradiendum flexuoso fertur impetu quamlibet citissimè.* A qua sententia parùm recedit *Laurentius Ramirez Pentecontarchi* sui capite primo, ubi serpentem contendit non alia de causa dici φρόνιμον, *Gen.* 3. & *Matth.* 10. quàm quia nullum est animal, quod se insinuet magis. Unde ortum vult habere, quòd angues in *Mercurii* caduceo impliciti finguntur; quia summi Oratoris, qualis credebatur *Mercurius*, munus vel præcipuum est insinuatio. Addit *Evam* lusitare solitam cum serpente, eoq; sinus ornare, & collum, ac brachia: ideoq; monilia hodieq; fieri ad serpentum similitudinem, quæ Græci ὄφεις appellant. Quod præter *Nicostratum* & *Athenæum* testatur etiam *Clemens* lib. 2. *Pædagogi*. Sed hæ illius conjecturæ longiùs petitæ sunt, quàm ut me in assensum trahant. Maximè cùm ערום aut φρόνιμον, vel pro corporis agilitate, vel pro insinuatione sumi nusquam legerim: &, ut demus alibi sic usurpari, tamen in *Christi* verbis, *Este* φρόνιμοι *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, ratio oppositionis docet vocem φρόνιμοι intelligendam esse ut sonat. Neque enim corporis agilitas, aut insinuatio, sed prudentia simplicitati opponitur. Unde *Martialis* lib. 10. *Epigr.* 47.

- - - *Prudens simplicitas, pares amici.*

Et *Paulus* Rom. 16. v. 9. *Volo vos sapientes*, id est, prudentes, *esse in bono, & simplices in malo.* Itaq; serpens verè ערום id est, φρόνιμος, *prudens*, vel πανοῦργος, *callidus* est, quantum in brutum cadere possunt calliditas, aut prudentia.

Quod ipsum in causa fuit cur hoc organo Diabolus uteretur ad seducendum hominem. Quasi fuerit vero similius à tam vafro animali tam vafra consilia proficisci, ne fraudem suboleret *Eva*. Id verò cùm *Satanæ* successisset ex voto, Deus non illi solùm, sed & serpenti maledixit, tanquam instrumento seductionis. Ita judex falsarium unà cum calamo damnat, & sicarium cum suo telo. Et si quis cum jumento rem habuerit, divina lex jumentum etiam morte mulctari jubet, *Lev.* 20. v. 15. Et bovem cornupetam Deus unà cum domino occidi voluit, si quem feriisset per domini negligentiam, *Exod.* 21. v. 28. 29.

In parte maledictionis est mutuum inter serpentem & hominem odium. *Ponam inimicitias inter te & mulierem*, Gen. 3. v. 15. Cujus odii ratione scribebat *Hyperides* (l) in Oratione contra *Demadem*, τοὺς ὄφεις μισητοὺς εἶναι πάντας, *odio dignos esse serpentes omnes*; & *Theocritus*, Idyll. 15.

Ἐκ παιδὸς τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιςα δέδοικα,
A teneris fuit horrori mihi frigidus anguis.

Plautus etiam in *Mercatore*, Act. 4. *Nempe uxori est uxor tua, quam dudum dixeras te odisse æquè atq; angues.* Hinc *Artemidorus*, *Onirocrit.* lib. 2. Ὄφις ἔχθραν ἐπάγει· ὅπως δ᾽ ἂν διαθῇ τινα, οὕτως καὶ ὁ ἐχθρὸς τὸν ἰδόντα διαθήσει. *Serpens* in somnis visus *inimicitias conciliat: quomodocunq; igitur aliquem* (in somnis) *divexaverit, eodem modo quisquis viderit ab hoste infestabitur.*

E quadrupedum genere reptilibus à *Mose* (m) accensentur quædam animalia propter exiguitatem pedum, quibus repere videntur potiùs, quàm ingredi. In his lacertorum genera, כח *coach*, lacerta major, *à viribus*, & חמט *chomet* lacerta minor, *ab arenis*, in quibus ferè degit, sic appellata; & צב *tsab* crocodilus terrestris, qui *Arabicè* hodieque ضب dicitur. Et לטאה *letaa*, salamandra, quæ terræ maximè adhæret: quod hæc ipsa vox palàm facit. Et תנשמת *thinsemeth* chamæleon, ex eo dictus, quòd aërem perpetuò aspirat. Et אנקה *anaka* stellio, cui à stridore suo nomen est. Vocatur etiam שממית *sema-*

b) Apud Athen. lib. 7.
c) Hexaem. lib. 5. cap. 7.
d) Theriac. v. 826.
e) Hist. lib. 1. c. 50. & lib. 9. cap. ult.
f) De Venat. lib. 1. v. 380. & Halieut. lib. 1. v. 555.
g) Apud Plin. lib. 32. c. 2.
h) Lib. 1.
i) Cap. 63.
k) Lib. 12. c. 6.
l) Suidas in Περὶ τῶν ὄφεων.
m) Lev. 29. 30

semamith à veneno, *Prov.* 30, 28. ubi *Solomon* solertiam ejus mirè depraedicat. Quæ singula, quia Lexicographos, & novos inprimis Scripturæ interpretes prorsus fugerunt, libro singulari probamus.

n) Lev. 11. 29. *Mosi* etiam reptilia sunt חולד *choled*, & עכבר (n) *achbar*: quorum hoc *mus* rectè redditur, illud *mustela* perperam, cùm sit *talpa*, quod in capite *De talpa* planum facimus.

Mentio murium obiter facta nos monet, ut explicemus quid sit propriè μυωπάζων, 2. *Pet.* 1, 9. quia plerique à muribus putant deductum esse verbum. Ipsa sermonis series apertè docet μυωπάζων ferè idem esse, quod τυφλὸς *cæcus*. Sic enim habet locus, ᾧ γὰρ μὴ πάρεστι ταῦτα, τυφλός ἐστι μυωπάζων. Quadruplex est Interpretatio: Prima *Vulgati* Interpretis, in quo μυωπάζων est *manu tentans*. Id sequi videtur *Æthiops*, qui hic habet nullo sensu የሐውር፡ በመርሰ፡ sed haud dubiè legendum የሐውር፡ በመ ዳሠሠ፡ *qui it palpando*. *Erasmus* etiam, qui reddit, *manu viam tentans*, deductâ, inquit, à muribus Metaphora. qui parietem, aut tabulam, aut si quid aliud obvium fuerit, sequi solent, donec cavum nacti fuerint. Hujus sententiæ auctores, contra veterum exemplarium fidem, μυωπάζων per *o* μικρὸν scribunt, quasi ἀπὸ τῆς ὀπῆς τῶν μυῶν, *à murium latibulo*.

Secunda interpretatio eorum esto, quibus μυωπάζων est *cæcutiens*, vel *planè cæcus*, ut vox præcedens τυφλός. In qua fuere sententia *Syrus* & *Arabs Parisiensis* editionis, quorum ille habet ܠܐ ܚܙܐ *qui non videt*; hic مكفوف البصر *à visu cohibitus*, id est, cæcus, lumine luscus. *Suidas* etiam, & *Phavorinus*, in quibus pro Μυωπάζω, τὸ φυλάττω, repono Μυωπάζω, τυφλώττω. Quomodo scribendum esse docet *Oecumenii* nota in hunc locum: Μυωπάζειν δὲ τὸ τυφλώττειν εἴρηται, ἀπὸ τῶν ὑπὸ τὴν γῆν μυῶν τυφλῶν εἰς ἅπαν διατελούντων. Ubi per mures cæcos qui sub terra degunt, à quibus dici vult τὸ μυωπάζειν, talpas significari palam est, quas & alii muribus adscribunt. Sic *Aristophanis Scholiastes* in *Acharn.* σκάλοπας dicit esse μύας τινάς, οὓς φαμὲν ἀσπάλακας, *mures quosdam, quos talpas vocamus*. Et *Hesychio* λῶτ est ἀσπάλαξ, *talpa*, vel μῦς τυφλὸς ὁ τὴν γῆν τρυπῶν, *mus cæcus terram excavans*. Et in *Damire* الخلد talpam quidam *Arabes* definiunt فار اعمي *murem cæcum*. Quin ejus esum ideò vetitum esse statuunt, لانه من نوع الفار *quia est ex genere murium*. *Albertus* etiam talpam dicit murem esse terrenum, & cæcum. Unde factum suspicor, quòd eâdem voce, *topo*, *Itali* murem, & *Hispani* talpam appellant Planè ut עכבר *achbar* mus est *Hebræis*, & *Arabibus* talpa masculus. Re verâ tamen talpa & mus multum differunt.

Interpretatio tertia eorum esto, quibus μυωπάζων idem qui μύωψ. Porro μύωψ neque est μείωψ, *minus videns*, ut vult *Varro*, neque νυκτάλωψ, *luscitiosus*, aut qui vesperi parùm videt, ut *Gellius* (o) perperam interpretatur, sed qui proxima tantùm videt, & quæ ferè sunt sub oculis. Ita *Beza*, & *Budæus* ex *Philosopho* (p) à quo dicuntur μυωπάζειν οἱ ἐκ γενετῆς τὰ μὲν ἐγγὺς βλέποντες, τὰ δὲ ἐξ ἀποστάσεως οὐχ ὁρῶντες, *qui ab ortu primo proxima quidem vident, remota verò non item*. Tamen viri docti judicant eo loco mendum esse in verbo μυωπάζειν, & legendum μυωπιάζειν. Et paulò post, Ἐναντία δὲ πάσχουσιν οἱ γέροντες τοῖς μυωπιάζουσι. Quia vitium illud oculorum μυωπίαν & μυωπίασιν vocant Medicorum filii. Unde ἐμυωπίασεν apud *Suidam*, quamvis ille aliter sumat. Nec satis cohærerent in *Petro* τυφλὸς μυωπάζων, si sic redderentur, *cæcus qui solùm proxima videt*. Neque enim cæcus dici potest is, cui saltem proxima patent.

o) Lib. 4. c. 1.

p) Problem. sect. 11.

Proinde, omnibus expensis, præfero quartam interpretationem eorum, quibus μυωπάζειν apud *Petrum* est *oculos claudere, nictare, connivere*. Quo ferè modo accipiunt *Grammatici* veteres. *Hesychius*, Μυωπιζόμενος, μυωπάζων, συγκαμμύων. *Suidas* in Ἐμυωπίασεν, Μυωπάζω γὰρ τὸ καμμύω. Καμμύω pro καταμύω per Poëticam Syncopen, frequentem tamen in Sacris Scriptoribus. Sic *Esa.* 6. v. 10. *Matth.* 13. v. 15. *Actor.* 28. v. 27. Τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, *oculos suos clauserunt*, vel, ut *Beza*, *oculis suis conniverunt*. *Esa.* 19. v. 10. Καμμύσει τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, *oculos eorum claudet*, *Esa.* 33. v. 15. Καμμύων τοὺς ὀφθαλμούς, *claudens oculos*. Thren 3. v. 44. Ἐπεσκίασας νεφέλην καμμύσαι με· *Operuisti nube, ut oculos mihi clauderes*. Sed & simplex μύειν eo sensu passim occurrit; ut apud *Alexandrum Aphrodisæum* lib. 1. *Problem.* Μύουσι τοὺς ὀφθαλμούς, *connivent oculis*. Et in *S. Lucæ* vita apud *Metaphrasten*, Πρὸς δὲ τὴν ἀληθινὴν διδασκαλίαν τὰ τῆς διανοίας ἔμυον ὄμματα· *Ad veram autem doctrinam mentis oculos claudebant*. Jam μυωπάζειν id ipsum esse etiam origo verbi docet. Quid enim aliud μυωπάζειν, quàm μύειν τὰς ὦπας, *oculos claudere*. *Hebraicè* עצם *firmare* dixeris, phrasi planè *Gallicâ*, quâ *fermer* firmare est *claudere*. Sic *Esa.* 29. v. 10. ויעצם את עיניכם *& firmavit oculos vestros*, id est, *clausit*. Et *Esa.* 33. v. 15. עצם עיניו *firmans oculos suos*, id est, *claudens*. Cui simile id *Apuleji* lib. 7. *Perticâ, quâ stabuli fores affirmari solebant*, id est, *claudi*. Pro עצם per Metathesin *Syri* dicunt ܥܡܨ & *Arabes* غمض. Ita pro עצם καμμύων, *Esa.* 33. v. 15. *Syrus* habet ܡܥܡܨ & *Arabs* يغمض. Et *Matth.* 13. v. 15. pro ἐκάμμυσαν *Syrus* ܥܡܨܘ & *Arabs* غمضوا. Adeoque in hoc ipso *Petri* loco pro μυωπάζων in *Arabe Herpenii* est مغمض *nictans, connivens, claudens*, nempe *oculos*. Sic apud *Avicennam*, capite *De anatomia musculorum palpebræ*, (q) تغميض est *oculorum nictatio*. Et capite *De anatomia nervorum, qui ex cerebro prodeunt*, (r) غمض الاخري. *Clauditur alter oculus*. Ut idem alibi (s) ponit inter signa morsûs aspidis انغماض اجفان *nictationem palpebrarum*.

q. r) Tom. 1. pag. 19. & 26.

s) Tom. 2. pag. 137.

Ergo τυφλὸς μυωπάζων is dicitur, qui ideò cœcus est, quia sponte claudit oculos, ut ne videat, aut qui videre se dissimulat quod vel invitus cernit. Quales à *Jobo* (t) vocantur מורדי אור *rebelles in lucem*, quia cùm lux venit in mundum, eam non (u) cognoverunt, imò lucem oderunt, neque venerunt ad lucem, ne opera eorum (x) arguerentur. Et verò verbum μυωπάζειν sic usurpari à *Dionysio Areopagita* post *Budæum* observavit *Stephanus*, licet neuter locum indicet. Is autem occurrit in *Eccles. Hier.* Theoriâ capitis secundi. Ibi, postquam Deum dixit beneficos lucis suæ radios largè diffundere ἐπὶ πάσας τὰς νοερὰς ὄψεις, *in omnes oculos intelligibiles*, id est, in omnes omnium hominum mentes, hæc addit, Εἴτ' οὖν ἀποσταίη τοῦ νοητοῦ φωτὸς ἡ τῶν νοερῶν αὐθαίρετος αὐτεξουσιότης, κακίας ἔρωτι συμμύσασα τὰς φυσικῶς ἐναποκειμένας αὐτῇ πρὸς τὸ φωτίζεσθαι δυνάμεις, ἀπέστηται τοῦ παρόντος αὐτῇ φωτός, οὐκ ἀποστάντος, ἀλλ' ἐπιλάμποντος αὐτῇ μυωπαζούσῃ· *Si igitur ab intelligibili lumine recedat eorum, qui intelligentiâ præditi sunt, libera potestas, vitii amore repressis iis facultatibus, quæ ei à natura insitæ sunt, ut sic illustretur, à præsenti lumine divulsa est, quod ab ea non recessit, sed ei claudenti oculos illucet.* Malè reddidit *Perionius*, *Sed ei cæcutienti illucet.* Neque enim vult *Pseudo-Dionysius* malos ideo non videre, quia cæci sunt, sed quia lumini se offerenti oculos sponte occludunt. Et ob id ipsum μύωπες *Græcè* vocantur, qui ἀσθενῆ ἔχοντες τὴν ὄψιν συνάγουσι τὰ βλέφαρα εἰς μικρόν· ἀθρόα γὰρ ἐξιοῦσα ἡ ὄψις μᾶλλον ὁρᾷ, ἀναπεπταμένου δὲ τοῦ ὄμματος διασπᾶται, *cùm visu infirmi sint, palpebras in angustum cogunt; visus enim cùm prodit confertus, magis videt; at diducto oculo dis-*

t) Iob. 24. 13.

u) Ioh. 1. 10.

x) Ioh. 3. 20.

distrahitur. Ita *Philosophus* ubi supra. Et asilus, culicis genus, quo boves infestantur (οἶστρον, & βάτυπον, & *tabanum* alii vocant) μύωψ nonnullis ab effectu dicitur, quia in boum oculos involans μύειν συνεχῶς τούτους ποιεῖ, ad continuas oculorum nictationes eos adigit, ut observat *Etymologus.* Jam è diverticulo in viam.

Reptilibus, quæ diximus, qui vescantur, paucissimi sunt. Tamen apud *Herodotum* (x) Σιγύνται ἐν τρωγλοδύταις ὄφις, ἢ σαύρας, καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ἑρπετῶν. Et in *Plinio* (y) *Candæi*, quos *Ophiophagos* vocant, serpentibus vesci assueti. Quin & *Lacedæmonas* à *Pythia* dici ὀφιοβόρους scribit (z) *Plutarchus*, eo quod serpentes avidè vorâssent famis tempore. Et de muris esu legitur, *Es.* 66,17. *Comedentes carnem porci, & abominationem, & murem, pariter consumentur.* Ubi muris nomine μυόξους glires *Hieronymus* vult intelligi, qui olim apud *Romanos* fuère in deliciis, adeò ut his saginandis gliraria instituta sint, quorum formam, & fabricam præscribit *Varro*, *Rust.* lib. 3. cap. 15. Donec *Lege Censoria* (a) glires *Romanorum* mensis adempti sint, quo modo conchylia, aut ex alio orbe convectæ aves. Ad quam interpretationem ideò confugisse videtur sanctus Doctor, quia mures edules nullos noverat. At *Arabes* intercedunt, quibus in loco *Esaiæ* עכבר *mus*, est, اليربوع *aljarbuo*, muris agrestis genus, quo vesci solent, ut suo loco dicetur. Sunt & alia reptilia, quorum esum concedunt nonnulli *Arabum*. *Damir*, capite الحشرات seu De *reptilibus*; قال الغزالي في الوسيط لايوكل من الحشرات الا الضب وقد استدرك عليه اليربوع وابن عرس وام حبين والقنفد والدلدل *Dixit* Algazeli *in libro, cui titulus* Alvvasit, *seu* Mediator, *non comedi è reptilibus nisi crocodilum terrestrem. Sed huic additur Aljarbuo* (muris agrestis species) *& mustela, & Ummo hubani* (i.e. *mater hydropici*, chamæleontis species sic dicti à tumore ventris) *& hericius, & hystrix.* Quem in reptilibus censeri valde mirum est. Hæc ideò nos afferimus, ne quis putet frustrà interdici, *Levit.* 11, 29. 30. ea animalia, à quorum esu ipsa natura videtur abhorrere; cum, *Judæis* vicini, *Arabes* illorum esum concesserint.

x) Lib. 4. c. 183.
y) Lib. 6. c. 29.
z) De oracul. Pyth.
a) Plin. lib. 8. c. 57. & lib. 36 cap. 1.

Quin utut ad esum vix utilia, non tamen in cassum creata sunt, ut objecit *Epicurus.* Talpæ ad vestium usum inserviunt. Viperæ sanguis ad theriacam. Scincus ad antidotum *Mithridatium.* Stellio ad morsum scorpionis, *&c.* Quod idem de iis statuendum, quorum usus nos latet. Aut si quæ sunt animalia solum noxia, saltem iis utitur Deus ad improborum supplicia. Ut cum serpentes urentes in eos immisit, qui *Christum* in deserto tentaverant, 1. *Cor.* 10, 9. Et mures in *Philistæos*, 1. *Sam.* 6, 5. Quo referenda hæc *Sirachidis*, Eccles. 39, 30. *Ferarum dentes, & scorpii, & vipera, & gladius ulciscens ad internecionem impios.* *Syrus* & *Arabs* legerunt *sunt gladius*, &c. Ac si Deus tanquam gladio iis ad ultionem utatur.

Sed & virtutem suam exerit Deus in horum animalium veneno reprimendo, quo minus suis noceant. Unde illud *Psal.* 91, 13. *Super leonem*, (aut, ut veteres, *super aspidem*) *& basiliscum ambulabis, & conculcabis leunculum, & draconem.* Et Es. 11, 8. *Oblectabit se lactens super foramen aspidis, & super specum basilisci depulsus à lacte manum mittet.* Exemplo sint *Apostoli*, de quibus, *Marc.* 16, 18. ὄφεις ἀροῦσι, vel, ut *Arabs*, حملون بايديهم الحيات الا تؤذيهم, *Tollent manibus suis serpentes, qui iis non nocebunt.* *Paulus* imprimis, cujus manui innoxio conatu vipera καθῆψεν, *se alligavit*, *Act.* 28, 3. Ita reddendum verbum καθῆψεν monet *Stephanus*, potiùs quam cum aliis *invasit*, aut *momordit*. Sic apud *Basilium*, Τῷ Παύλῳ ἡ ἔχις ἐξῆψε, *cum Paulo vipera se alligâsset.* In *Ægypti* urbe *Copto* Diabolus, Dei simia, hoc miraculum æmulabatur. Ibi enim in fano *Isidis* versabantur magni scorpiones, valde noxii morsus, & planè lethiferi. *Tamen quæ mulieres apud Deam lugebant, & humi cubabant, & pedibus nudis incedebant, & eos scorpiones solùm non calcabant, prorsus illæsæ manebant.* Ita narrat *Ælianus Hist.* lib. 10. cap. 23.

CAPUT QUINTUM.

De Reptilibus exsanguibus.

Reptilium exsanguium definitio, & genera. Locustarum in Scriptura species; muscarum item, & vermium. In his animalculis quanta diversitas. Quàm sint imperfecta. Araneæ, formicæ, & apis industria. In locustis mirus ordo. His, tanquam copiis, Deus in rebelles animadvertit. In cibis alicubi recepti fuci, pediculi, formicæ, vermes, limaces. Judæis *mel, & locustæ concessæ: & his* Johannes *victitavit. Materia* θεολογουμένας *in his animalculis reperta.*

REptilia exsanguia cum *Hebræis* vocamus terrestria animalcula, quibus pro sanguine est alius humor sanguini analogus. Horum genera, quantum memini, in Scriptura hæc recensentur, locusta, musca, vermis, formica, aranea, scorpio, pulex, & pediculus.

Locustarum mundas species *Moses* quatuor numerat ארבה & סלעם & חרגל & חגב. Atque immundas totidem גזם & חסיל & צלצל & ילק. Utrarumque numerum *Hebræi* multum augent, nullibi copiosiores. Sed hæc referre sit superfluum.

Ad muscarum genus pertinet primò זבוב *musca* propriè dicta, secundo דבורה *apis*, tertio צרעה *vespa*, vel *crabro*, quarto ערב κυνόμυια, *musca canina.* Ità *Græci Seniores*, & ex iis *Philo*, & *Origenes*. Tamen *Hieronymus* putavit esse mendum, & legendum κοινόμυιαν, *communem muscam*, quo sensu *Aquila* παμμυῖαν reddit, id est, *omnimodam muscam.* Sed hoc commentum suo loco nos refellimus. His addi queant ex *Græca* versione σκνίψ, & οἶστρος, unde δάμαλις παροιστρῶσα, *Os.* 4,16. Et ex Evangelio κώνωψ, *culex*, de quibus agimus in libro de Insectis.

In vermium genere sunt רמה *vermis* propriè *terrestris*, תולעת *vermis* propriè *fructuum*, quanquam hæ species confundantur, רקב *teredo*, vermis ligni, עש, vel סס *tinea*, vermis lanarum, & vestium.

Scorpio עקרב alius est terrestris, alius volucer, alius etiam marinus. Proinde *Joannes* θεολογικῶς dixit σκορπίους τῆς γῆς, *scorpios terræ*, Apoc. 9, 3. Sed נמלה *formicam*, עכביש *araneam*, שבלול *limacem*, פרעש *pulicem*, כנים *pediculos*, Scriptura non subdividit in species inferiores.

In his animalculis diversitas quædam est inenarrabilis. Alia enim repunt, ut limaces, & vermes; alia quatuor pedibus insistunt, ut locustæ, *Levit.* 11, 22. alia pluribus, ut formicæ, & araneæ; alia volant, ut muscæ, & apes, & locustarum nonnullæ, *Nahum.* 3, 16. Atque ex volucribus alia binas tantùm, alia quaternas habent alas: quorum illa sunt δίπτερα, hæc τετράπτερα.

Rursus quædam mollia, & insecta sunt, ut apes, formicæ, vermes, quæ incisuras habent parte sui supera,

vel prona, vel utraque: quædam crustacea, ut locustæ; quædam testacea, ut cochleæ.

Aliis caro cibus est, ut muscæ, & pediculo; aliis sanguis, ut pulici; aliis grana, ut formicæ; aliis herbæ, & fructus, ut locustæ; aliis succus florum; ut api; aliis animalcula, sic aranea muscis vescitur, quo modo stellio araneis.

De cætero hæc animalia maximè sunt imperfecta, quippe quæ nec venas habeant, neque sanguinem, neque cor, neque jecur, neque pulmonem, neque vesicam, neque ossa, neque spinas, neque adipem. Taceo, quod in plerisque visus, auditus, olfactus, aut nullus est, aut hebetior.

In his tamen est, quod mireris: in aranea texendi industriam; in formica sedulitatem, qua *comparat æstate cibum suum, & congregat in messe escam suam*, Prov. 6, 6. & 30, 25. In ape, quod cum sit (a) μικρὰ ἐν πετεινοῖς, *parva (aut vilis) in volucribus*, tamen ἀρχὴ γλυκασμάτων ὁ καρπὸς αὐτῆς, *primas tenet inter dulcia fructus ejus*. Itaque *Prov.* 6, 6. post locum de formica notissimum in *Castalione* hæc leguntur, ex *Græca* versione expressa, *Apem adi, & disce quàm operosa sit, quamque augustum opus exerceat, cujus laboribus & reges & privati vescuntur, salubriter: Eaque omnibus est amabilis, & illustris: Et quamvis viribus infirma sit, tamen sapientiæ studio promovit.* Quorum, cum in *Hebræo* textu, nec in *Chaldæa*, nec in *Syra*, nec in *Romana* versione quicquam occurrat, tamen meminêre multi veterum, ut *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Basilius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Antiochus Abbas Saba*, *Joannes Damascenus*, &c.

a) *Sirach.* 11, 3.

In locustis observa ordinem, quodque *regem cum non habeant, tamen egrediuntur universæ per turmas suas*, Prov. 30, 27. *Tanquam potentes current, ut viri belli ascendunt murum: unusquisque per vias suas procedit: Non pervertunt semitas suas, & una non premit alteram, unaquaque eunte per aggerem suum*; Joel. 2, 7, 8. Ut meritò locustas appellet Deus *exercitum suum magnum*, ibid. versu 25. Quapropter nonnulli *Arabum* has interficere non audent, quasi *Propheta* id vetuerit, فانها جند الله الاعظم *quia illæ sunt magnus Dei exercitus*. Quin inter ejus manus quasdam cecidisse fabulantur cum alis ita inscriptis, نحن جند الله الاكبر *Magnus Dei exercitus nos sumus*.

Et vero hujusmodi copiis Deus afflixit *Ægyptios*, postquam ranas sprevissent, & muscas, & pediculos: quomodo crabronum opera fugasse legitur *Hevæos*, & *Hetthæos*, & *Chananæos*, & duos reges *Amorrhæorum*; & mures immisisse in *Philistæos*, & serpentes in *Israëlitas*, quod jam ante est observatum. Quibus exemplis apud Scriptores exoticos nil frequentius, ut in hoc opere passim docetur.

Ex terrestribus exsanguibus in cibis alicubi recepti fuci, & formicæ, & pediculi, & vermes, & limaces, sive cochleæ, quorum vivaria *Roma* instituit (b) *Fulvius Hirpinus*, distinctis earum generibus, separatim ut essent *Albulæ*, & *Illyricæ*, & *Africanæ*, & *Solitanæ*. Quin & saginam earum commentus est sapa, & farre, aliisque generibus, ut cochleæ altiles ganeam implerent. Sed hæc omnia *Judæis* lex prohibuit, ut immunda: nec nisi mellis, & locustarum usus illis in cibis fuit concessus. De melle res notissima, cum tenuerit principem locum inter delicias terræ *Chanaan*. Quamvis in sacris fuerit vetitum, *Levit.* 2, 11. peculiari de causa, de qua nos suo loco. In locustis autem quasdam species ex Lege fuisse permissas patet ex *Levit.* 11, 22. ubi locustarum mundæ species ab immundis distinguuntur. Itaque *Joannem Baptistam* in eremo locustis victitâsse nihil est novum. Neque quicquam causæ fuit cur ἀκρίδας in *Matthæo* & *Marco* alii mutarent in ἐγκρίδας, id est, *dulciaria*, quod *Ebionæorum* commentum fuit, *alii in καρίδας, seu squillas*; alii in *ἀχράδας, seu pyra sylvestria*; alii denique in ἀκρόδρυα vel ἄκρα δρυῶν, vel ἀκρέμονας, vel ἀκρέσματα, id est, *arborum, vel herbarum summitates*. In quam sententiam è veteribus propendisse video (c) *Athanasium*, (d) *Isidorum Pelusiotam*, (e) *Pantaleontem*, (f) *Euthymium*, (g) *Nicephorum*, atque alios apud (h) *Theophylactum*. Cujus commenti novitas *Mahumetanis* ita placuit, ut *Joanni Baptistæ* utrumque cibum assignaverint, ἀκρίδας, inquam, & ἀκρέσματα. Ita in libro, cui titulus الحلية *Monile*, scribit auctor anonymus, كان طعام يحيى عليه السلام الجراد وقلوب الشجر Joannis, *cui sit pax, cibus erant locustæ, & corda arborum*. Et *corda arborum* definit Commentator, الذي ينبت في وسطها غضا طريا قبل ان يقوى ويصلب *Quod in medio earum crescit tenerum, & recens, antequam roboretur, & obdurescat*. Itaque *corda arborum* illis sunt arborum ἀκρέσματα, vel ἀκρέμονες. Sed hæc obiter solùm attingimus; quia infrà suo loco tractantur accuratius.

b) *Varro. De re Rust.* l. 3. c. 14. *Plin.* l. 9. c. 59.

c) *In Schol.*
d) *Epist.* 133.
e) *Serm. εἰς τὰ ἅγια φῶτα.*
f) *In hunc locum.*
g) *Hist. lib.* 1. *cap.* 14.
h) *In hunc locum.*

Non possum non addere etiam in his animalculis reperiisse Idololatras materiam ἐθελοθρησκείας. Ut enim ab occisis muribus colebatur *Apollo* Σμινθεὺς, & Μυοκτόνος· ita *Hercules* Ἰποκτόνος dictus ab occisis vermibus, qui vites infestabant; & Κορνοπίων à fugatis locustis, & Ἀπόμυιος, quia muscas arcere credebatur. Quanquam alios ipsum *Jovem* non puduit hoc epitheto insignire. *Clemens* in *Protreptico*, Ἀπομυίῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ. *Pausanias* in *Eliacis* prioribus, Λέγονται δὲ καὶ ταῦτα, δὲ Ἠλεῖοι θύειν τῷ Ἀπομυίῳ Διὶ, ἐξελαύνοντι τῆς Ἠλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας. Eum ipsum Deum *Myodem* vocat *Plinius* lib. 29. cap. 6. Sed *Salmasius* legi vult μυῶν Δία. Alibi (i) cum *Myiagro* Deo eundem faciens, *Invocant Elei*, inquit, *Myiagron Deum, muscarum multitudine pestilentiam adferente: quæ protinùs intereunt, postquam litatum est ei Deo*. *Myagrus* tamen Heros fuit, non Deus; nec in *Elide* cultus, sed *Alipheris Arcadiæ* urbe, ut disertè docet *Pausanias* in *Arcadicis*. Videntur translata fuisse hæc sacra ex *Accarone Philistæorum*, ubi colebatur בעלזבוב *Beel-zebub*, seu *Deus muscæ*. Neque enim aliam puto fuisse causam nominis, quàm quod abigeret muscas ab æde sua, quod & *Herculi* quidam tribuunt. *Plinius* lib. 10. cap. 29. Romæ *in æde* Herculis *in foro Boario nec muscæ, nec canes intrant*. *Solinus* cap. 1. *Divinitùs illo neque canibus, neque muscis ingressus est*. An hac in parte fuit Diabolus Dei veri simia, in cujus templum muscis nullus aditus, si creditur *Talmudicis*? *In domo mactationis*, inquiunt, *non conspecta est musca*; *Pirke Aboth*, cap. 5, 8, 6, & 7.

i) *Lib.* 10. c. 28

CAPUT SEXTUM.

De Aquatilibus in Genere, & in Specie de Piscibus.

Aquatilia Hebræi *cur repere dicant. In mari nasci quicquid uspiam, & multa quæ nusquam alibi. Animalium in aquis viventium quantus numerus. Variæ sententiæ. Aquatilium summa genera. Piscis* Hebr. דג. *Hujus propriæ partes, pinna, squama, & branchia. Pinna cur* Hebr. סנפיר, *& squama cur* קשקשת. *Branchiæ interna, & externa; pro pulmone sunt. Piscis planè ἄφωνος, unde* ἰχθῦς. *Quorsum*

Quorsum loqui dicatur, Job.12, 8. *Piscium mira fœcunditas.* דגה daga *more piscium sobolescere, quod de* Jacobi *filiis dictum*, Gen. 48, 16. *Piscis animal stolidissimum, ac proinde captu facile*, Hab.1, 14. 15. Eccles. 9, 12. *Duces sunt in piscibus via, non militia. Minuti pisces majoribus pro cibo. Pisces anthropophagi. Pisces æquorei, lacustres, fluviatiles. Lacus steriles, ut in* Armenia Canudan, *in* Arcadia Pheneus, *in* Judæa Asphaltites. *Spurius* Esdras *notatus. Lacus* Tiberiadis *fœcundissimus. Ita &* Samachonitis, *unde illi nomen*, Josephus *emendatus. Pisces, parvi, vel magni. Illi in* Evangelio ἰχθύδια, *ut* ὀψάρια *dicti.* Glossarium *emendatum.* Ὀψὸν pro pisce. *Piscium alii pinnas, & squamas habent; alii utroque carent, vel alterutro, qui ex Lege immundi. Etiam Lege* Numæ *pisces non squamosos pollucere vetitum. Et è squamosis scarus exceptus. Scari ex* Troade *advecti circa* Campaniæ *littora disseminati.* Archestratus, Antigonus, Athenæus, Eustathius, Ælianus, *&* Oppianus *emendati.* Isidorus *notatus. Scarus piscium solus ruminat. Scaro unde nomen. Luxûs olim præcipua pars in delectu piscium.* Ἀντάζειν, indulgere genio. *Pisces Dii dicti, &* θεόπαιδες. Romæ *piscem plus vendisse, quam bovem. In unius mulli pretium integra latifundia.* Syri *cur olim à piscibus abstinuerint.* Astarte *habuit inferiora piscis. Alius ab* Astarte Dagon.

AQuaticum animal *Hebræa* phrasi dicitur חיה רומשת במים *animal repens in aquis.* Quamvis enim שחה *natare* sit proprium aquatilium, unde est quod νηκτὰ dicuntur, *Sap.*19, 8. Illa tamen *repere in aquis* Scriptura dicit (*a*) passim, *natare* nusquam. *Omne scilicet, quod natat*, (ut est in *Ambrosio Hexaem.* lib 5. cap. 1.) *reptantis habet speciem, vel naturam. Nam etsi in profundum cum se demerserint, aquam videantur findere, tamen cum supra innatant, repunt toto corpore, quod trahunt super quadam dorsa aquarum. Etiam amphibia, quæ pedes habent, & ambulandi usum, tamen cum in alto aquarum sunt, non ambulant, sed natant, nec vestigio utuntur pedis ad incedendum, sed tanquam remo ad reptandum.*

a) Gen. 1, 26. Ps. 69, 35. &c.

In aquatilium speciebus magna est diversitas. *Hoc mare magnum est, & spatiosum*, inquit regius *Psaltes*, (b) *ibi reptilia sunt sine numero, animalia parva cum magnis*: id est, interprete (*c*) *Sirachide*, ποικιλία παντὸς ζώου. Aquarum enim immensa moles, quo amplius quam telluris patet, eo plura & majora in iis haberi par est animalium miracula. Maximè cum in mari mutetur humoris luxuries, in tot simulachra rerum, flatu, fluctuque perplexis, atque in semet aliter atque aliter convolutis seminibus, & principiis, ut pridem apud vulgus invaluerit hæc opinio, in eo reperiri quicquid uspiam nascatur, & multa insuper, quæ nusquam alibi.

b) Ps. 104. 25. c) Eccles. 43, 30.

Animalium omnium in aquis viventium nomina esse CXLIV. vult (*d*) *Isidorus.* At (*e*) *Hieronymus* CLIII. atque id ab iis affirmari qui scripserunt Ἁλιευτικά, in quibus est *Oppianus Cilix*: Itaque illo jactu *Petri*, quo totidem pisces pertraxit in rete suum, *Joh.* 21, 6. significari omne genus hominum *Apostolorum* prædicatione de mari hujus sæculi ad salutem extrahendum. Egregiè, modò verè. Sed nullum legi hactenus, qui in hunc præcisè numerum inciderit. Ante *Oppianum* (*f*) *Plinius* recensuerat CLXXVI. species animalium in mari viventium. Et *Plinii* catalogum in immensum auxerunt, qui de hoc argumento nostra ætate scripserunt. Fateor ab *Oppiano* aquatilia nominari centum & quinquaginta circiter in illo censu, quem instituit lib. 1. *Halieut.* Quo *Hieronymum* respexisse putaverim. Sed in eo censu desiderantur quotquot aquatilium nomina respuit versus Hexameter, ut χλωρὸς κυρτὶς, χελιδόνιας, ὀξύρυγχος, χλωροπίταλος, ἀντακαῖος, de quo Poëta *Archestratus* in *Athenæo*, ἐν δὲ μέτρῳ ὁ θέμις εἰπεῖν. Desunt & alia quædam, quorum ipse *Oppianus* meminit in sequentibus libris, ut βάτραχος, ἀσπὶς, ἀδμης, σπίζος, λάειμος, ἐγχέλυς, &c. Addo, quod idem addit (*g*) in mari multa latere,

— τά κεν οὔτις ἀΐδηλα μυθήσαιτο
Θνητὸς ἐών.

d) Orig. l. 12. cap 6. e) Lib. 14. f) Lib. 32. c. 11. g) Halieut. l. 1.

Quin si *Mahumeti* credimus apud *Damirem* in capite *De locustis*, الله خلق الف امة منها ستماية في البحر واربعماية في البر *Deus creavit mille species animantium, è quibus in mari sexcenta sunt, & quadringenta in terra.* Et Pseudo-Propheta liberaliores *Talmudici* in Tract. תענית cap. 4. solùm mundorum piscium species septingentas esse statuunt: in quibus nulla esset hyperbole, si pro mundis piscibus *aquatilia* in genere dixissent. *Gesnerus* enim aquatilium animantium nomina & icones plus quam septingentas exhibet. Nobis hic indicasse sufficiet summa genera.

Horum quædam in mari, quædam in dulcibus aquis degunt. Quædam merè aquatilia, quædam amphibia sunt. In quo genere צפרדע *rana*, in *Exodo*, & in *Psalmis*; בהמות *hippopotamus*, & לויתן *crocodilus* in *Jobo* memorantur. Sunt, qui aquatilium septem genera recenseant, pisces propriè dictos, cete, mollia, crustacea, testacea, insecta, zoophyta.

Piscis nomen *Hebræis* דג *dag*, quandoque usurpatur pro quovis aquatili. Nos hic propriè sumimus pro *aquatico animali sanguineo, & oviparo.* Piscium propriæ sunt partes pinna & squama, *Levit.* 11, 9. & branchia, *Tob.* 6, 4. Pinna *Hebr.* סנפיר cur dicatur non satis scio. An per sermonis compendium quasi סנה חפיר *spina fossoria*, quia his, quasi spinis, aquam fodit piscis, & sulcat? *Cheth* ex חפר abesse non erit novum, si verè פרות *Es.* 2, 20. habeatur pro חפרות ut multi volunt. At ut *pinnæ Romanum* nomen, ita *Græcum* πτερύγιον, & *Chaldæum* ציץ & *Talmudicum* שיצא & *Syrum* ܓܦܐ & *Æthiopicum* ክንፍ: & *Arabicum* جناح ducitur ab alarum similitudine. Nam ut pulsu aëris feruntur alæ, & ferunt, ita promovent pisces, secta & pulsa aqua pinnulis, adeoque his volant, si qui latiores habent, ut in (*h*) *Oppiano*,

Τινθίδες, ἰχθύων τι γένος, βυθίοντι χελιδών.

h) Halieut. l. 1. vers. 428.

Squamæ nomen קשקשת est ab asperitate. Radix enim est קשה, quamvis hoc per *scin*, illud per *sin* scribatur. Per quandam analogiam *lorica squamata* dicitur, 1. *Sam.* 17, 5. quæ ferreis lamellis tanquam squamis erat conserta. Sic λεπίδα Græcè *squamam* pro lamina sumens (*i*) *Donatus*, *Lepidus*, inquit, *qui politus est, ut* λεπὶς, *id est, lamina.* Squama *Chaldæis* est קליפא & גלבא. *Clibanarios* equites indè dici alibi pluribus (*k*) probo.

i) In Eunucho, Act. 3. Sc. 1. k) Phaleg. l. 3. cap. 13.

Branchiæ in piscibus pulmonum vicem præstant. Eæ vel internæ sunt vel externæ. Internæ sunt carunculæ quædam ponè maxillas rubræ, fibrosæ, semicirculares, ambitu serrato ad fauces, quorum motu pisces aquam in aqua, aërem in aëre reddunt. Has in mugile, & nonnullis aliis tegunt externæ branchiæ corio duro, & propè osseo, quod à *Talmudicis* אזניא vocari nonnulli asserunt. Tali vagina includuntur alæ tenuiores in insectis κολεοπτέροις.

Piscis non modò mutus est, ut bruta omnia, id est, loquelæ expers, sed & plane ἄφωνος. Inde ἔλλοψ est *piscis* ἀπὸ τοῦ ἴλλεσθαι τὴν ὄπα. Κρῆτες δὲ καὶ τοὺς ἀφώνους ἔλλοπας λέγουσιν. Vide *Magnum Etymologum*, & *Theocriti Scholiastem.* Strident quidem nonnulli pisces: at is stridor non est vera vox, cum non edatur naturalibus vocis organis, sed vel attritu branchiarum, vel compressione

ſione ventris. Omnino igitur creſcit oratio in his *Job.* 12, 7. 8. *Interroga nunc jumenta, & docebunt te; & volatile cœli, & indicabit tibi: Etiam narrabunt tibi pisces maris.* Id eſt, hoc apertè clamant etiam ex animalibus quæ maximè ſunt elinguia.

Piſce nullum animal eſt fœcundius. Cyprinus parit anno ſexies. Atque è muſtelorum genere qui dicitur ἀστερίας bis parit ſingulis menſibus. Et ſinguli uteri,

l) Lib. 9. c. 50. ut *Plinius* (l) auctor eſt, ova innumera concipiunt, Sed in tanta multitudine mares non omnibus aſpergunt vitale virus. Alioqui, inquit, replerentur ma-

m) Hiſt. lib. 6. cap. 3. ria, & ſtagna. Neque aliter *Philoſophus* (m), Εἰ γὰρ πάντα ἐσώζετο, παμπληθές τι γένος ἦν ἂν ἑκάστων. Ut non immeritò à nomine דג *dag, piſcis*, verbum דגה *daga* apud *Hebræos* ſignificet *in immenſum ſobuleſcere*, quomodo piſces ſolent. Vide *Gen.* 48, 16. ubi pro וידגו לרב *Vulgatus* habet, *Creſcant in multitudinem.* Sed expreſſius *Onkelos*, וכנוני ימא יסגון *Ut piſces maris multiplicentur:* & *Jonathan*, והיכמא דכוורא דימא סני מסתני במיא כדין בנוי דיוסף יתקפון לסגי בגו ארעא *Et ut piſces maris in aquis in immenſum multiplicantur, ita filii* Joſeph *in medio terræ multitudine invaleſcant.* Eodem facit *Plutarchi* locus in *Sympoſiacis* in fine libri quinti, Αὐτῶν δὲ τῶν ζώων οὐδὲν ἂν χερσαῖον, ἢ πτηνὸν, εἰπεῖν ἔχοις οὕτω γόνιμον, ὡς πάντα θαλάττια· πρὸς ὃ καὶ πεποίηκεν ὁ Ἐμπεδοκλῆς,

Φῦλον ἄμουσον ἄγουσα πολυσπερέων καμασήνων.

Animalium neque terreſtre, neque volucre ullum eſt tam fœcundum, quàm æquorea omnia: quo faciunt hæc Empedoclis. *Turpe agmen ducens piſcium multi-ſeminis.* Piſces *Empedocli* καμασῆνες, vel καμασῖνες, ut legitur in *Heſychio*, fortè ex *Phœnicio* כמסן *camaſin*, pro quo *Arabes*, inverſis radicalibus, سمكون *ſamacuna.*

Quicquid obtendat idem *Plutarchus* de quorumdam piſcium induſtria, tamen in genere piſcis eſt animal ſtolidiſſimum, quodque facilè ineſcatur, adeò ut, ipſo teſte, rudes, & ſtolidi homines per convitium, aut ludibrium, *piſces* dicti ſint. Quo reſpiciens *Habacuc*, ubi agit de *Nebucadnetſare*, qui nullo negotio plurimas gentes ſub poteſtatem ſuam erat redacturus,

n) Hab. 1. 14. 15. (n) *Faciet*, inquit, *homines ut piſces maris, ſicut reptile* (aquarum) *cui non eſt dominator: Omnes hamo extrahet, congregabit eos ſagena ſua, colliget eos reti ſuo.*

o) Eccleſ. 9, 12. Tale eſt, quod *Solomon* (o) hominem ſcribit *neſcire tempus ſuum, ſicut piſces, qui capiuntur reti malo.* Obiter nota in *Habacuc Syro* pro ܪܚܫܐ id eſt, *reptili*, perperam legi ܪܟܫܐ id eſt, *veredum.*

Dices quod *Propheta* negat reptili maris ullum eſſe

p) Hiſt. l. 8. c. 13. q) Lib. 9. c. 15. dominatorem adverſari his *Philoſophi* de piſcibus, (p) Εἰσὶ δὲ οἱ πλεῖστοι ἀγελαῖοι, ἔχουσι δὲ οἱ ἀγελαῖοι ἡγεμόνα· & his *Plinii* de amiis, (q) *Cum thunnis hæ, & pelamydes, in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim, cum ſuis quæque ducibus.* Sed alius eſt viæ dux, alius militiæ. Viæ ducem habent piſces, quod hi aſſerunt: Militiæ ducem non habent, cujus ductu, & auſpiciis ſe tueantur; quod negavit *Propheta.*

Sunt, qui homines à *Nebucadnetſare* ſubjiciendos, & necandos, aut ſpoliandos, ideò cum piſcibus conferri volunt; quia ut minuti piſces majoribus pro cibo ſunt, ita homines infirmi à potentioribus opprimuntur. Quod ut notiſſimum eſt, ita occurrit paſſim apud Scriptores. *Ariſtoteles* de piſcibus, *Hiſt.* lib. 9. cap. 15. Ὁ δὲ πόλεμός ἐστι τοῖς κρείττοσι πρὸς τοὺς ἥττους· κατεσθίει γὰρ ὁ κρείττων. *Polybius* lib. 15. de tyrannis, Ὥστε προσοφλεῖν τὸν λεγόμενον τῶν ἰχθύων βίον, ἐν οἷς φασιν ὁμοφύλοις οὖσι τὴν τοῦ μείονος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίνεσθαι, καὶ βίον. *Varro, Margopoli,* (r)

r) Apud Nonn. in Comeſt.

Qui pote plus urget, piſces ut ſæpe minutos
Magnus comeſt, ut aves enecat accipiter.

Oppianus, Halieut. lib. 2.

Ἰχθύσι δ' οὔτε δίκη μεταρίθμιος, οὔτε τις αἰδὼς,
Οὐ φιλότης· πάντες γὰρ ἀνάρσιοι ἀλλήλοισι
Δυσμενέες πλώουσιν, ὁ δὲ κρατερώτερος αἰεὶ
Δάμνατ' ἀφαυροτέρους· ἄλλῳ δ' ἐπιείχετ' ἄλλος
Πέτυσιν ἄγων· ἕτερος δ' ἑτέρῳ πορσύνει ἐδωδήν.

Piſcibus haud pudor ullus ineſt, nec juris, & æqui
Cura, nec ullus amor. Cuncti ſibi bella minantur
Mutua, & in ſocios inſtructo Marte feruntur.
Imminet hic illi; & ſemper ſunt præda minores
Majorum; alterius menſis apponitur alter.

Irenæus lib. 5. cap. 20. *Non ſe alterutrum homines vice piſcium conſumant.* *Baſilius* in *Hexaem.* Homil. 7. Ἀλληλοφάγοι δὲ τῶν ἰχθύων οἱ πλεῖστοι, καὶ ὁ μικρότερος παρ' ἐκείνοις βρῶμά ἐστι τοῦ μείζονος. *Ambroſius* in *Hexaem.* lib. 5. cap. 5. *Minor apud illos eſca majoris eſt. Rurſus ipſe major à validiore invaditur, & fit eſca alterius prædator alieni.* *Juſtinus* Imperator apud *Cedrenum* pag. 388. Τὴν ἀδικεῖν τοὺς πτωχοὺς παύσασθε. Μόνοις γὰρ ἰχθύσι τοῦτο νενόμισται, τὸ τὸν δυνατώτερον, καὶ μείζονα κατεσθίειν τὸν ἐλάσσονα. *Porta cœli* fol. 33. 2. והדגים הגדולים אוכלים את הקטנים לצורך פרנסתם *Piſces magni ad victus ſui neceſſitatem minores vorant.* Quod de polypis ſpeciatim ſcribit *Ælianus Varia Hiſtoria* ferè initio, Πολλάκις οὖν οὐδὲ ἀλλήλων ἀπέχονται, ἀλλὰ τῷ μείζονι ὁ βραχύτερος ἁλοὺς, καὶ ἐμπεσὼν τοῖς ἀνδρειοτέροις θηράτροις, τοῖς καλουμένοις τῶν ἰχθύων πλοκάμοις, εἶτα αὐτοῖς γίνεται δεῖπνον. Proinde apud *Horum Apollinem* lib. 1. cap. 42. *Ægyptii* piſcem execrati ſunt, ejusque uſum in ſacris interdixerunt. Et, ut rem nefariam ſignificarent, piſcem pingebant: Μισοποιὸς γὰρ ὁ ἰχθὺς πᾶς, καὶ ἀλληλοφάγος. *Devaſtator enim eſt piſcis omnis, & ſui generis vorax.*

Etiam in piſcibus nonnulli ſunt ἀνθρωποφάγοι, ut qui *Jonam* deglutiit. Et is, de quo *Tobias*, cap. 6. *Piſcis immanis exivit ad devorandum eum.* Tales piſces quotquot magni ſunt, ſi *Antiphani* credimus, qui in *Butalione* dicit, Τοὺς γὰρ μεγάλους τούτους ἅπαντας νενόμικα ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς. *Serpentis* nomine hujuſmodi piſcem intellige, *Amos* 9, 3. *Si abſconderent ſe à conſpectu oculorum meorum in fundo maris, inde mandabo ſerpenti, ut mordeat eos.*

Piſces ratione loci, vel ſunt æquorei, *Num.* 11, 22. vel lacuſtres, *Luc.* 5, 1. 6. vel fluviatiles, *Ezech.* 29, 4. Sed, ut aër hominibus alicubi eſt inſalubris, ita etiam aqua piſcibus. Sic in *Armenia* lacus *Canudan*, qui *Ptolemæo* Thoſpitis, وهي بحيرة مالحة الماليس فيها دابة ولا سمكة *Lacus eſt aquæ ſalſæ, in quo nullum eſt reptile, nec piſcis ullus.* Ita *Geographus Nubienſis* clim. 4. part. 6. Indè nomen كنودان *Canoudan.* Nam *Arabibus* كنود *Canoud* ἄγονον, ſeu *ſterilem* ſonat. Fuit & ejusmodi lacus in *Arcadia Pheneo.* *Ælianus, Hiſt. Animal.* lib. 3. cap. 38. Ἐν δὲ Φενεῷ λίμνη ἰχθύων ἄγονός ἐστιν. Quo eodem ſenſu ἄγονος à *Joſepho* appellatur *Judææ* lacus *Aſphaltites*, *De Bell. Jud.* lib. 5. cap. 4. eo quod piſcibus careat. Hinc *Diodorus* lib. 19. Τὸ δὲ ὕδωρ ἔχει διάπικρον, καὶ καθ' ὑπερβολὴν δυσῶδες, ὥστε μήτ' ἰχθὺν δύνασθαι τρέφειν, μήτ' ἄλλο τῶν καθ' ὕδατος εἰωθότων ζώων. *Tacitus* lib. 5. *Neque piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur.* Hieronymus *in* Ezechielem, lib. 14. *Si* Jordanes *auctus imbribus piſces illuc influens rapuerit, ſtatim moriuntur, & pinguibus aquis ſupernatant.* Itinerarium Hieroſolymitanum, *Ibi in totum nullius generis piſcis eſt.* Geographus Nubienſis *clim.* 3. part. 5. وسميت البحيرة الميتة لان ما فيها شي لا روح لا حوت ولا دابة ولا

ولا شي مما شانه ان يتكون في ساير المياه الراكدة والمتحركة *Et vocatur* Mare Mortuum, *quia in eo nihil est animatum, non pisces, neq; reptile, neq; aliud quicquam eorum, quæ generari moris est in aquis stagnantibus, aut currentibus.* Quod *Propheta* non obscurè innuit, *Ezech.* 47. *vers.* 8. cùm, *Evangelii* vim vivificam figuratis verbis adumbraturus, prædicit fore, ut aliquando hæ aquæ salubres, & piscosæ fiant. Quorsum igitur Spurius *Esdras* inter prodigia ultimum *Christi* adventum præcessura, *Mare Sodomiticum*, inquit, (s) *pisces rejiciet*: quasi non rejecisset priùs? Certè hic antiquum obtinet, & suo more nugatur.

s) Esdr. 5. 7.

Quam salsus, & sterilis lacus *Asphaltites*, tam dulcis est, & fœcundus *Tiberiadensis*, quem *Evangelia* vocant Mare (t) *Tiberiadis*, & (u) *Galilææ*, & (x) lacum *Genezareth*. *Josephus* de *Jordane*, (y) Λίμνας ἔχει τήν τε Ἀσφαλτῖτιν, καὶ τὴν Τιβεριέων, φύσιν ἐναντίας· ἡ μὲν γὰρ ἁλμυρὰ, καὶ ἄγονος· ἡ Τιβεριέων δὲ γλυκεῖα, καὶ γόνιμος. Itaque ad oram illius lacus *Bethsaida* piscatione fuit celebris: quod & ipsum urbis nomen, & *Apostolorum* historia palàm indicat. Quin & ad *Jordanis* fontes tertius fuit lacus, longus sexaginta stadia, latus triginta, quem a situ *Josue* (z) appellat מי מרום *aquas Merom*, q. d. *aquas superiores*: & *Josephus* (a) Σαμαχωνῖτιδα, vel Σεμεχωνῖτιδα λίμνην, q. d. *piscosum lacum*; haud dubiè ab ubertate piscium. Nempe سمك *samachon*, vel *semechon*, Arabicè est *piscis*. Indidem *Semechonitæ* populi *Bell. Jud.* lib. 4. cap. 1. & regio *Semechonitis* lib. 3. cap. 2. ubi *Peræam* ad ortum terminari dicit *Josephus* Ἀραβίᾳ τε, καὶ Σεμεχωνίτιδι. Sed in exemplaribus nostris perperam legitur Σεμωνίτιδι, nec in Versione meliùs *Silbonitide*. Eodem pertinet, quòd *Arabia* nomen *Chaldæus* Interpres passim reddit סומכותא *Sumchuatha*. Vide 1. *Reg.* 10. *v.* 15 & *Jer* 25. *v.* 20. & *Ezech.* 30. *v.* 15. Sed & huc referendum, quod à *Kimchio* in *Psalm.* 24 septem marium terræ *Chanaan* unum vocatur ימא דסוכני *Mare Sochni*: omnino enim legendum סמכני, id est, *Semechonitæ*. Quod ex ipso ordine colligas ואלו הם שבעה ימים ימא רבא ימא דסוכני ימא דטבריא ימא דמלחא *Et hæc sunt septem maria, mare Magnum, mare Sochni, mare Tiberiadis, mare Salsum*, &c. *Mare Magnum*, id est, *Mediterraneum*: *Mare Sochni*, vel סמכני *Semechonitæ*, ut diximus, est lacus *Samachonites* in ipsis *Jordanis* fontibus, ut mare *Tiberiadis* in medio, & mare *Salsum*, id est, lacus *Asphaltites*, est in extremo *Jordane*.

t) Joh. 6. 1. & 21. 1.
u) Matth. 4. 18 & 15. 29.
x) Luc. 5. 1.
y) Bell. Jud. lib. 3. cap. 4.
z) Jos. 11. 5. 7.
a) Antiq. lib. 5. cap. 4. Bell. lib. 3. cap. 18.

Ratione molis, pisces alii parvi sunt, alii magni, *Psal.* 104. *v.* 25. Illi à *Matthæo* (b) & *Marco* (c) vocantur ἰχθύδια, à *Joanne* (d) ὀψάρια. Quæ vox *Athenæi* lib. 9. cap. 8. cum *Ulpiano* displiceret, ut barbara, & obsoleta, congerronum unus *Myrtilus* loca protulit ex *Platone*, *Pherecrate*, *Philemone*, *Menandro*, & Comicorum aliis, in quibus ὀψάριον de pisce usurpari palam est. Nempe cùm ὄψον propriè sit *obsonium*, piscis ab *Hippocrate*, & *Polybio* passim vocatur ὄψον θαλάττιον, & à Senioribus, *Num.* 11. *v.* 22. ὄψον τῆς θαλάττης. Sed, ut observant (e) *Myrtilus*, (f) *Plutarchus*, & (g) *Eustathius*, tandem id obtinuit piscis διὰ τὴν ἐξαίρετον ἐδωδὴν, ut ex omnibus obsoniis solus ὄψον nominaretur, unde ὀψάριον ὑποκοριστικῶς. Rectè igitur *Suidas*, Ὀψάριον, τὸ ἰχθύδιον. Et in *Glossario*, Ὀψάριον.... *ciculus*, rescribe, *Pisciculus*. Et *Eustathio* ὀψοφάγοι sunt οἱ περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναστρεφόμενοι. Ut in *Anaxandrida*, & (h) *Timocle* ἰχθυόπωλος ἀγορὰ est *forum piscibus abundans*. Quin utut *Græci* vetustiores ὄψον simpliciter dictum pro *pisce* non usurpent, tamen quo loco dicit (i) *Thucydides*, *Magnesiam Themistocli* panem suppeditâsse, *Lampsacum* vinum, Μυοῦντα δὲ ὄψον, *Myuntem* verò obsonium; *obsonii* nomine *Diodorus* lib. 11. *piscem* intelligit. *Myuntem* enim ait illi cessisse εἰς ὄψον, ἔχουσαν θάλατταν εὔιχθυν, *in obsonium, quia mare piscosum habet.* Sic *Terentius* in *Andria*, Act. 2. Sc. 2. *Paululum obsonii* & *pisciculos minutos* pro eodem sumit.

b) Matt. 15. 34
c) Marc. 8. 7.
d) Joh. 6. 9, 11 & 21. 9, 10, 13
e) Athen. lib. 7
f) Sympos. lib. 4. cap. 4.
g) In Iliad. λ'.
h) Athen. lib. 6. cap. 3.
i) Lib. 1.

Pisciculis opponuntur *magni pisces*, sive cetaceos intelligas, ut *Jonæ* 2. *v.* 1. aut eos, qui sunt mediæ magnitudinis inter cetaceos & ἰχθύδια, ut *Joh.* 21. *v.* 11. ubi CLIII. magni pisces uno jactu retis inclusi non potuerunt esse cetacei. *Cetaceos* appello, qui quamvis cete non sint, tamen ad cetorum magnitudinem accedunt. De his habeo multa dicenda, quæ malo rejicere in caput sequens, ubi de Cetis agetur.

Ratione partium, alii pisces pinnas, & squamas habent; alii utroque carent, vel alterutro. Utrumque habent ארם *mullus*, שבוט λάβραξ, seu *lupus*, חפורית *cantharus*, atque alii sine numero. Utroque carent è longis muræna, & *lampreda*; è latis raia, & pastinaca: quarum illæ sine pinnis corporis flexu natant; hæ ipsâ latitudine. Cæteri pinnas habent, etiamsi desint squamæ. Horum alii lævi cute teguntur, ut צלופח *anguilla*; alii asperâ, ut rhombus. Hinc oboritur piscium distinctio legalis (k) in mundos & immundos. Illi scilicet in Lege habentur pro immundis, quibus squamæ, vel pinnæ desunt. Sed è squamosis *Judæi* חפורית *cantharum* rejiciunt, quia stercore vescitur, & versatur in luto, planè ut terrestris cantharus, quamvis cætera dissimilimus.

k) Lev. 11, 9, 10.

Etiam apud *Romanos* nonnisi squamosos pisces pollucere fas erat. *Pollucitum* vocabant sacrificium, vel sacrum epulum, in Deorum honorem institutum. Legem ex *Cassio Hemina* ita citat *Plinius* lib. 32. cap. 2, Numa *constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ne pollucerent.* Eam legem his verbis latam fuisse putat *Scaliger*, PISCES QUEI SQUAMOSEI NON SUNT NEI POLLUCETO. SQUAMOSOS OMNEIS PRÆTER SCARUM POLLUCETO. Hanc exceptionem ex *Festo* petit, qui in verbo *Pollucere*, in iis, quæ licet pollucere, recenset *pisces, quibus est squama, præter scarum.* Nempe scarum ex squamosis solùm exceperunt veteres, ut sumptibus parcerent, quia ob raritatem magno venibat. Sed verè observat magnus *Vossius* hanc exceptionem *Numâ* multò fuisse recentiorem, quia scarus *Romanis* nonnisi serò fuit cognitus. *Macrobius Saturnal.* lib. 3. cap. 16. Octavius, *Præfectus classis, sciens scarum adeò* Italicis *littoribus ignotum, ut nec nomen* Latinum *ejus piscis habeamus, incredibilem scarorum multitudinem, in variis navibus huc advectam, inter* Ostiam & Campaniæ *littus in mare sparsit, miroq; ac novo exemplo pisces in mari, tanquam in terra fruges aliquas, seminavit. Octavius* ille *Plinio* (l) est *Optatus*, *Tiberii* libertus. *Scarus*, inquit, *promontorium* Troadis Lecton *sponte nunquam transit. Inde advectos*, Tiberio Claudio *principe*, Optatus, *è libertis ejus. Præfectus classis, inter* Ostiensem & Campaniæ *oram sparsos disseminavit.* De veteri scarorum loco *Plinio* convenit cum *Ennio*, è cujus *Phagesiis* hæc citat *Apulejus* in prima *Apologia*,

l) Lib. 9. c. 17.

Scarum præterii, cerebrum Jovi' *penè supremi:*
Hectoris *ad patriam hic capitur, magnusque, bonusque.*

Itaque in his *Archestrati* apud *Athenæum* lib. 7.

Καὶ σκάρον ἐν παράλῳ Καρχηδόνι τὸν μέγαν ὄπτα·
Ingentemq; scarum ad littus Carthaginis *assa.*

Omnino pro Καρχηδόνι legendum Χαλκηδόνι. Neque enim *Troadi* vicina erat *Carthago*; sed *Chalcedon* in *Ponti* faucibus, cui opposita erat *Byzantium*. Proinde sequitur,

- - ἴσχεστον δὲ καὶ ἐν Βυζαντίῳ ὄψει,
Καὶ μέγεθος κυκλίᾳ ἴσον ἀσπίδι νῶτα φοροῦντα·
- - *eximium* Byzantii *in urbe videbis,*
Argolicis *tergum clypeis æquale ferentem.*

Aliud de scaro mendum obiter corrige in his *An-*

m) Mirab. cap. 79. *Antigoni* (m), Τῶν δ' ἰχθύων τὸ κλειὸν * μόνον μὴ ξυγχάζειν. ubi *Xylander* Interpres, *Piscium * solum non habere os acutum.* Nempe virum doctum fugit hæc ad scarum pertinere, adeoq; legendum esse, Τῶν δ' ἰχθύων τὸν σκάρον μόνον μηρυκάζειν, *piscium scarum solum* n) Hist. l. 8. c. 2 *ruminare.* Ita enim de scaro (n) *Philosophus*, Δοκεῖ δὲ τῶν ἰχθύων καὶ ὁ καλούμενος σκάρος μηρυκάζειν, ὥσπερ τὰ τετράποδα, μόνος· *Solus piscium scarus quadrupedum instar ruminare videtur.* Nempe vel quia ventris formâ prorsus est diversâ, ut idem observat *Hist.* lib. 2. cap. 17. Vel quia non est καρχαρόδους *serratis dentibus*, quomodo cæteri pisces, ut habet lib. 3. *De partibus* cap. 14 Proinde his *Athenæi*, Σκάρον Ἀριστοτέλης καρχαρόδοντα εἶναί φησι, negatio necessario est addenda, cùm scarum solum è piscibus neget *Aristoteles* dentes habere serratos, atque ideò solum ruminare asserat. Quod etiam alii tradunt. *Athenæus* lib. 7. Μόνος δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἰχθύων μηρυκάζει. *Plinius* lib. 9. cap. 17. *Solus piscium dicitur ruminare.* *Basilius* in *Hexameron*, Οὐδὲ γὰρ μηρυκάζειν τι παρ' αὐτοῖς, εἰ μὴ τὸν σκάρον μόνον ἱστοροῦσί τινες. Et *Eustathius*, Μυρικίζει δὲ (lege μηρυκίζει δὲ) εἰ μὴ ὁ σκάρος. Ambrosius, *Solus tamen scarus in his ruminare perhibetur.* Et è Poëtis *Ovidius* in *Halieut.*

Ut scarus, egestas solus qui ruminat herbas.

Oppianus, *Halieut.* lib. 1.

μοῦνος ἰδωδὴν
Ἄψορρον προΐησιν ἀνὰ στόμα δεύτερον αὖθις
Δαιτύμενος, μήλοισιν ἀναπλύων ἴσα φορβήν.
- - - - - - - - *pabula solus.*
Rursus in os revocat, novaq; his convivia rursus
Instituit, pecudis ritu quæ ruminat herbas.

Quæ sumpta ex his *Æliani Histor.* lib. 2. cap. 54. Τὸν θαλάττιον πυνθάνομαι μόνον τὸν σκάρον τὴν τροφὴν ἀναπλεύσαντα ἐσθίειν· ὥσπερ καὶ τὰ βληχητά, ἃ δὴ καὶ μηρυκάσθαι λέγουσι. Sed utrobique insigne mendum est, quibus locis minimè oportuit. Nam in *Oppiano* pro ἀναπλύων *exspuens*, ut versus constet, legendum ἀναπλώσας, *replicans*, id est, *ruminans*. Et in *Æliano* pro τὴν τροφὴν ἀναπλεύσαντα ἐσθίειν, *cibum emergentem edere*, rescribo τὴν τροφὴν ἀναπολεῖν καὶ ἐσθίειν, *cibum revolvere*, id est, *ruminare*, *& exedere.* Res ex *Suida* certa, qui voce Σκάρος *Ælianum* ita citat, Μόνος ὁ θαλάσσιος σκάρος τὴν τροφὴν ἀναπολεῖ, ὥσπερ καὶ τὰ βληχητά, ἃ δὴ μηρυκᾶται. Nota ἀναπολεῖ, non ἀναπλεῖ. Itaque statim addit, ἀναπολεῖ οὖν, ἀναπλώσας, μηρυκίζεται. Ubi vides utrumq; verbum ἀναπολεῖν, & ἀναπλώσαι, quorum unum in *Æliano*, alterum in *Oppiano* corruptum est, sumi pro μηρυκάζειν *ruminare.* Proinde in *Hesychio* quoque Ἀναπολεῖ, & ἀναπλώσας sunt synonyma. *Isidorus* ex *Hispana* dialecto, quâ E præponitur ante SC, pro *scaro escarum* scribit, & *ab esca* ineptè deducit. *Escarus*, inquit, *dictus, eò quòd solus escam ruminare perhibetur.* Rectiùs *Macrobius Latinum* nomen esse negat. Et *Scarum* dici observant *Athenæus*, & *Eustathius* ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, *à saltando.* Nempe saltu è nassa erumpit: &, cùm deglutivit hamum, *ei παρόντες σκάροι προσαλλόμενοι τὴν ὁρμιὰν ἀποτρώγουσι*, *scari, qui adsunt, assilientes funiculum arrodunt : ita Plutarchus.* *Saltare Hebræis* est זקר *zakar*, & סקר *sakar*, ut *Græcis σκαίρειν.* Sed utri ab utris sumpserint, non satis certum. Neque enim in Prophetis legitur hoc vocabulum.

Luxus olim præcipua pars fuit in delectu piscium. Unde est, quòd ex omnibus obsoniis piscis solus id obtinuit, ut κατ' ἐξοχὴν appellaretur ὄψον, & lurcones ὀψοφάγοι, & ὀψοφάγοι. Proinde ὀψοφαγεῖν est *indulgere genio, lautè, & opiparè epulari*; quia pisces *in' ἀκτῆς in littore.* Quid quòd nonnulli piscium, διὰ τὸ πολυτίμον, *Deorum*, & θεοπρεπεῖς nomine digni ab iis habiti sunt, quorum Deus est venter. Itaque hoc genus hominum hîc fuêre maximè profusi. Adeò ut *Cato* questus sit etiam vulgò *Romæ* piscem plus venire, quàm bovem. Et *Juvenalis* Sat. 4.

- - - - - - *potuit fortasse minoris*
Piscator, quàm piscis emi.

Quod ipsum leve videbitur præ eorum prodigo luxu, à quibus impensa leguntur integra latifundia in unius mulli pretium. De his vide (o) *Plutarchum*, (p) *Athenæum*, (q) *Plinium*, (r) *Senecam* (s) *Macrobium* (t) *Juvenalem*, & alios. Proinde toto *Oriente* hodieque pisces carni præferri notat *Bellonius*, *Observationum* suarum lib. 1. cap. 72.

o) Sympos. lib. 4. qu. 4
p) Lib. 7. & 8.
q) Lib. 9. c. 17.
r) Epist. 96. & Nat. Qu. lib. 3. cap. 17.
s) Saturnal. lib. 3. c. 16.
t) Ubi suprà.

Syri olim à piscium esu ideo abstinebant, quia *Venerem* credebant *Typhonis* metu in mare prosilientem, aut in figura piscis, aut piscium tergo exceptam periculo se exemisse. *Ovidius* lib. 2. Fast.

Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis;
Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Hinc *Phœnicum Astarte* (sic illi *Venerem* vocabant, alii *Dercen* scribunt, & *Derceto*, & *Atergatin*) superiora mulieris habuit, inferiora piscis. *Diodorus* lib. 2. de *Ascalonia Derceto*, Αὕτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικός, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. Neq; aliter *Lucianus*, testis αὐτόπτης, in *Syria Dea.* Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθεησάμην, θέημα ξένον. ἡμισείη μὲν γυνή· τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. Non absimilem figuram *Hebræi* assignant idolo *Dagon*, quod *Azoti* colebatur. *R. Selomo* de Dagone צלם עשוי בדמות דג *Imago facta fuit ad piscis similitudinē.* Unde igitur illi manus 1. *Sam.* 5. *v.* 4? Respondet *Kimchius*,
כי דגן מטבורו ולמטה היה צורת דג ומטבורו למעלה צורת אדם כמו שאומר ושתי כפות ידיו כרותות Dagonem *ab umbilico, & infrà piscis habuisse figuram, sed supra umbilicum figuram habuisse hominis : unde est quod dicitur, Et duæ palmæ manuum ejus succisæ fuerant.* Nempe *Hebræi* conjecturam faciunt ex nomine, quia *Dagon* deduci videtur ex voce דג *dag*, quâ *piscem* significari diximus. Inde docti colligunt *Dagonem*, & *Atergatin* idem fuisse numen; adeoq; *Atergatin* idem corruptè scribi pro אדיר דג *addir dag*, *magnifico pisce*, vel אדיר דגן *addir-Dagon*, *magnifico Dagone.* Sed meo judicio potior est veterum sententia, quâ *Dagon*, & *Atergatis*, vel *Astarte* planè diversa sunt numina. Quod planum ex Theologia *Phœnicum* apud *Philonem Byblium*, ubi *Dagon* frater est, & *Astarte Saturni* uxor. Ibidem *Dagon Græcè* redditur Σίτων *frumentarius*, quia דגן *dagan Hebræis* est *frumentum.* Et additur causa nominis, Ἐπειδὴ εὗρε σῖτον, καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς ἀρότριος. Itaque nomen à forma non habuit, sed ab inventione frugum. Ita *Philo* ex *Sanchoniathone*, qui, *Eusebio* teste, *Phœnicum* Historiam scripsit ante *Trojani* belli tempora, nempe circa ætatem *Jephthæ*, ut nos alibi probamus. Quidni tam vetusto Scriptori de gente sua plus credam, quàm *Hebræorum* Magistris heri, & hodie natis, quique adeò sibi non constant : *Dagoni* quippe figuram hominis tribuit *R. Levi*, *R. Selomo* figuram piscis, *R. David* figuram ex utroque mixtam? *Seniores* non modò manuum volas, sed & ἴχνη τῶν ποδῶν, *vestigia pedum* idoli in limen cecidisse dicunt. Proinde *Philistæos Theodoretus* idolum invenisse scribit τῶν ἄκρων πάντων ἐστερημένον, *extremis omnibus partibus*, id est, tam pedibus, quàm manibus, *privatum*, & *mutilatum.* Quod quidem *Græci* de suo addiderunt; sed id nunquam addituri, si *Dagonem* credidissent in piscem desiisse. Pisces enim *Græcè* ἄποδες ideò dicuntur, quia carent usu pedum. Hoc præcipuum, quòd *Tyrus Nehemiæ* tempore non fuit religio pisces venales deferre *Hierosolymam.* Igitur undecunq; sumpserit originem hæc *Syrorum* superstitio, quâ piscem attingere nefas putabant, *Nehemia* recentior est, quo cultum idoli *Dagon* multò fuisse antiquiorem nemo est, qui nesciat. Hæc de piscibus propriè dictis.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Cetus cur Hebraicè תנין *&* לויתן. *Cete in Scriptura proponuntur, ut aliquid ἐξαίρετον. In cetis magna elucere Dei potentiæ argumenta. Cetus quid differat à pisce propriè dicto. Minora, & majora cete. Phoca cur* Homero νέποδες. *Ceti papillæ tanquam in vaginis condita, undè ad catulorum suctum promuntur,* Thren. 4. v. 3. *Multa de cetorum lacte, & mammis. De cetorum luctu* ad Mich. 1. v. 8. Arabibus تنين thenin, & كوسج causeg, *cetorum species.* Behemoth *hippopotamus.* Jobi *de eo verborum paraphrasis. De cetorum magnitudine quid* Græci *veteres*, Patres, Hebræi *Doctores, Spurius* Esdras, *&* Græca *Versio. De iisdem* Arabum Theologi, & Philosophi. *Cetorum vera magnitudo. Ceti impropriè dicti* lamia, maltha, zygæna, & thynnus. *Zygena* serpens vectis, *Esa.* 27. *v.* 1 תנין thannin *pro crocodilo*, Ezech. 29. v. 3. & 32. v. 3. Leviathan *pro crocodilo*, Job. 40. & 41. *Cetus* Jonæ, Matth. 12. vers. 40. *id est, carcharias canis.*

CEtum *Hebræi* iisdem nominibus appellant, quibus draconem, nempe תנין *thannin* & לויתן, *leviathan*: aut ob formæ similitudinem, aut ratione molis, & quia cetus in aquatilibus tantum præstat.

a) Opplan. Halieut. lib. 1.

(a) Ὅσσον ἀειστεύουσιν ἐν ἑρπηστῆσι δράκοντες,
Quantum in reptilibus præstant virtute dracones.

Ideò Scriptura cete proponit tanquam aliquid in suo genere ἐξαίρετον, & singulare. Huc facit, quòd cetorum speciatim meminit Moses in productione aquatilium: *Dixit Deus, Aquæ producant omne reptile*, &c. *Et creavit magna cete*, Gen. 1. v. 20. 21. Neque aliter *David*, Psal. 104. v. 25. 26. *Hoc mare magnum, & spatiosum est, in quo reptilia sine numero*, &c. *Et Leviathan* (cetus) *quem fecisti, ut luderet in eo.* Quâ phrasi dicitur, *Psal.* 18. *v.* 1. *Liberavit eum Deus à manu hostium, & è manu Saulis.* Et Act. 1. v. 14. *cum mulieribus & Maria*: quia *Saul* hostium *Davidis* potentissimus, & *Maria* in mulieribus eximia. Ita cetus in aquaticis.

Porrò Scriptura sæpe repetit *Deum creâsse cetos magnos*, Genes. 1. v. 21. Et *fecisse* Leviathanem, *ut in mari luderet*, Psal. 104. vers. 26. Et *manu suâ formasse serpentem vectis*, id est, *zygenam*, Job. 26. vers. 13. Et *ceto posuisse custodiam*, Job. 7. v. 12. Et *in ceti maxillis hamos indere*, Ezech. 29. v. 4. Et *conterere capita cetorum super aquas, & confringere* Leviathanis *caput, ut det eum in escam populis, qui in deserto habitant*, Psal. 74. vers. 13. 14. Et *animadvertere gladio suo durissimo, maximo, validissimo in* Leviathanem, *serpentem tortuosum, & in cetum, qui in mari est*, Esa. 27. v. 1. Et *cetos in abyssis laudare factorem suum*, Psal. 148. v. 7. Quia in tam vastis belluis, quas & formavit Deus, & pro libito coërcet, ac moderatur, maximè elucet Dei virtus. Fateor alicubi cetorum nomine reges, & magnates intelligi: sed hoc ipsum argumento est cetos in brutis animalibus tenere principem locum.

Cetus vel propriè dicitur, vel impropriè. Cetus propriè dictus est viviparus, non oviparus, ut piscis. Hinc *Ælianus* lib. 11. cap. 37. Δελφὶς δὲ, καὶ φάλαινά ἐστι κήτη. Ταῦτα δὲ ἄρα μόνα τῶν ἐνύδρων ζωοτοκεῖ. Quo loco non dicit *Ælianus*, quod putavit vir maximus, qui hoc nomine eum exagitat, solum delphinum, & balænam, sed sola cete ζωοτοκεῖν, cujusmodi sunt balæna, & delphin. In ceto insuper corium durum est, caro firma, & compacta, ossa solidissima, pulmo etiam, & guttur, & vera vox, virga deniq; maribus, & lac & mammæ fœminis, quibus omnibus caret piscis. *Porta cæli*, fol. 33. 6. יש מיני תנים שמתעברים כשאר מיני בח בלא ביצים ויצאו התנים מתוכם ויש להם שדים להניק וכלי ההולדה וזה נכר בדלפין לעין יותר מכלם *Et sunt species piscium, quæ concipiunt, ut cætera animalia, sine ovis; & è medio eorum pisces exeunt; & sunt ipsis mammæ, quibus fœtus suos lactant, & vasa generationis: quod in delphine patet oculis plusquam in ullo alio.*

Sed & inter se cete multum differunt. Minora sunt phoca, delphin, hippopotamus. Majora, pristis, orca, balæna. Rursus phoca, & hippopotamus pilos, pedesque, & collum habent: at balænæ, & delphini corium glabrum, & pinnæ pro pedibus, & pro collo fistula in fronte, quâ de superiori parte trahunt aërem. Anxiè quærunt Interpretes cur in his *Poetæ*, *Odyss.* 4.

Ἀμφὶ δέ μιν φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης,

phocæ dicantur νέποδες, *sine pedibus*, cùm phocas esse quadrupedes nemo nesciat. Neque *Poetam* id latuisse arguit versus sequens, quo describuntur πολιῆς ἁλὸς ἐξαναδῦσαι, *è cano mari egressæ* in proximum littus, pedibus nempe insistentes, quibus pisces qui carent, in terram haudquaquam migrant. Proinde aliis νέποδες in hoc loco sunt νηξίποδες, *pedibus nantes*, tanquam à νέω *nato*. Aliis νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης sunt *nepotes*, seu *liberi pulchræ Halosydnæ*; quia quâdam dialecto νέπους est (b) ἀπόγονος, unde *Romanum*, *nepos*. Rursus aliis νέποδες hic idem, quod ἰχθύες, quomodo pisces dici volunt, quia pleriq; carent usu pedum. Mihi *phocæ* νέποδες ideò vocari videntur, non quòd nullos omnino pedes, sed quòd valde exiguos habent. Ita in avibus *cypseli* ἄποδες dicti sunt à brevitate pedum.

b) Vide Apollon. Argonaut. lib 4 v. 1748. Theocrit. in Encomio Ptol. Idyl. 17. Eustath. in Odyss. 5.

Ceti papillas non esse ἐπιφανεῖς rectè observat *Philosophus*, *Hist.* lib. 2. cap. 13. Quippe in mammis receptæ tanquam in vaginis conduntur. Unde illas ad usum promi dicit *Scaliger* (c) ad suctum catulorum emissitias. Quòd non dubium quin *Jeremias* his verbis respexerit, *Thren.* 4. *v.* 3. גם תנין חלצו שד היניקו גוריהן *Etiam cete mammam educunt, ut lactent catulos suos.* Nihil causæ fuit, cur pro *cetis* Junius *phocas* scriberet, id est, speciem pro genere, cùm lac habere, & mammas, phocis non sit peculiare, sed commune cetis omnibus propriè dictis. *Philosophus*, *Hist.* lib. 3. c. 20. Τὰ κήτη, οἷον δελφὶς, καὶ φώκη, καὶ φάλαινα, μαστὸν ἔχει, καὶ γάλα. Sed neque id probo, quòd in notis idem asserit translatum esse à mulieribus, quod Propheta dicit cetos mammam educere. Neque enim mulieribus tam propriè, quàm cetis tribuitur mammarum, aut papillarum saltem eductio. Nec *Græcos* sequor Interpretes, qui *dracones*; nec *Vulgatum*, qui *lamiam* interpretatur: quia draco mammas non habet, ut neque lamia piscis; lamia autem fera, vel fœmina, fabulosa est. At de cetorum lacte, & mammis, quibus lactant catulos suos, passim meminêre Scriptores. Ut *Philosophus* ubi suprà, & rursus, lib. 6. cap. 12. Ἔχει δὲ ὁ δελφὶν, καὶ ἡ φώκαινα γάλα, καὶ θηλάζονται, *Lac habent delphin, & tursio, & sugguntur.* Et paulò infrà de phoca, Τὸ γάλα προΐεται, ὥσπερ πρόβατον, *Lac emittit, ut ovis.* Item. Μαστοὺς δὲ ἔχει δύο, καὶ θηλάζεται ὑπὸ τῶν τέκνων, καθάπερ τὰ τετράποδα, *Duas habet mammas, & à catulis mulgetur, ut quadrupedes.* *Solinus* de delphinis, *Uberibus fœtus alunt.* Et *Plinius* lib. 9. cap. 8. *Nutriunt uberibus sicut balæna.* Et cap. 13. idem de vitulo marino, *Educat mammis fœtum.* *Ælianus*, *Histor.* lib. 5. cap. 4. Ἡ φάλαινα ὅμοιον δελφῖνι ζῷόν ἐστιν· ἔχει δὲ γάλα καὶ αὐτή. *Balæna delphini simile animal, etiam ipsa lac habet.* Et lib. 10. cap. 8. Ὁ δελφὶς ὁ θῆλυς μαζοὺς ἔχει κατὰ τὰς γυναῖκας, καὶ θηλάζει τὰ βρέφη πάνυ ἀφθόνῳ καὶ πίονι τῷ γάλακτι· *Delphin fœmina mammas habet instar mulierum, & uberrimo lacte catulos suos lactat.* Quod sequutus *Oppianus* de delphino sic habet,

c) Exerc. 104. S. 10.

post-

postquam geminos parere dixit libro primo *Halieut.*

Μαζὸν δ' ἀμφοτέροισι παρίσχεται, οἷον ἑκάστῳ
Θήσασθαι γάλα λαρόν· ἐπεί ῥα οἱ ὤπασε δαίμων
Καὶ γάλα, καὶ μαζῶν ἰκέλην φύσιν, οἷα γυναικῶν.
Admovet uberibus catulos, & lactis utriq;
Fundit in os latices: namq; huic æqualia Divi
Ubera fœmineis, manantia lacte, dederunt.

Et aliquanto infra de phoca,

Ναὶ μὴν καὶ φώκη τομίη γόνῳ οὔτι χέρειον,
Καὶ γὰρ τῇ μαζοί τε, καὶ ἐν μαζοῖσι γαλακτὸς
Εἰσὶ ῥοαί.
Nec minor est, quem phoca pio sub pectore versat,
Prolis amor, mammæq; pares, & lactis in illis
Flumen habet.

Rursus de delphine *Phile* cap. 65.

Τρέφει δὲ καὶ γάλακτι λευκῷ τοὺς τόκους,
Προσθεῖσα μαζοὺς, ὡς λεχὼ παιδοτρόφος.
Nutritq; fœtus lacte, præbens ubera
Lactantis infantem in modum puerpera.

Damir in capite دلفين *Delphin*, qui aliter dicitur دخس *Dux*, & خنزير البحر *Porcus maris* وهو بلد ويرضع اولاده وهي تتبعه حيث ذهب *Et, postquam peperit, lactat catulos suos, qui sequuntur eam quocunq; proficiscatur.* Et de iisdem *Porta cæli*, fol. 34. c. והולכים אחריה זמן רב כי אוהבת אותם יותר מכל מיני הדגים *Et diu sequuntur eam* (matrem) *quia catulos amat impensiùs quàm reliquæ piscium species.* Quam tamen erga fœtus suos amoris vehementiam in cæteris quoque cetis *Philostratus* ita commendat *Apollonii* sui lib. 2. c. 7. Κἂν τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ σκοπῶμεν, τοὺς δὲ δελφῖνας ἐῶ ἂν θαυμάσαιμεν, εἰ χρηστοὶ ὄντες φιλοτεκνοῦσι. φαλαίνας δὲ, καὶ φώκας, καὶ τὰ ζωοτόκα ἔθνη, πῶς οὐ θαυμασόμεθα; εἰ φώκη μὲν, ἣν εἶδον ἐγὼ ἐν Αἰγαῖς καθειργμένην ἐς κυνήγια, οὕτως ἐπένθησεν ἀποθανόντα τὸν σκύμνον, ὃν ἐν τῷ οἰκίσκῳ ἀπεκύησεν, ὡς μὴ προσδέξασθαι τριῶν ἡμερῶν σῖτον, καί τοι βορωτάτη θηρίων οὖσα. φάλαινα δὲ ἐς τοὺς χηραμοὺς τοῦ φάρυγγος ἀναλαμβάνει τοὺς σκύμνους, ἐπειδὰν φεύγῃ τι ἑαυτῆς μεῖζον. *Quòd si maritimas etiam bellu as consideremus, nunquid delphinas admirabimur, qui cùm benigni sint prolem suam amant. Sed & balænas, & phocas, & reliqua vivipara quomodo non admiremur? Cùm phoca, quam Ægis ad venationes inclusam vidi, mortuum catulum, quem in carcere pepererat, ità luxerit, ut per triduum à cibis abstinuerit, licèt omnium belluarum voracissima. Balæna autem in faucibus catulos abscondit, si quando fugiat belluam se majorem.* Pro φάλαινα legendum φώκαινα, ut in *Aristotele Hist.* lib. 6. cap. 12. & lib. 8. c. 13. id est, *phocæna*, seu *tursio*, bellua delphino minor. Nam si de balæna hîc res est, quomodo catulos suos in faucibus abscondere dicitur majoris belluæ metu?

Fortasse etiam תנים *thannim* non sunt *dracones*, sed *cete* in his, *Mich.* 1. v. 8. אעשה מספד כתנים *luctum edam sicut thannim.* Quia draconum sibilus vix quicquam commune habet cum luctu. At è cetis alia boant, & mugiunt, ut *phoca*, sive *boca*, cui nomen esse à *boatu* scribit *Festus*; & balæna, quam *Rondeletius* tam magno, & contento sono mugire tradit, ut ab iis audiri possit, qui binis leucis absunt. Alia verè & propriè gemunt; ut delphin, cui pro voce *gemitum humano similem* tribuunt (d) *Plinius* (e) *Solinus* (f) *Vincentius*, alii. In eam rem insignis est *Petri Gyllii* locus, quem non possum non exscribere, quia maximè ad rem facit. *A captis delphinis*, inquit, *tanti fletus gemitusq; fiunt, ut cùm in navi ubi permulti delphini tenebantur pernoctarem, mihi acerbissimum dolorem intulerint: adeò eos animadverti humano gemitu, & lamentatione, & magnâ lacrymarum vi, suam conditionem deplorare, ut ego hujusmodi piscium misericordiâ lacrymas tenere non potuerim, & proximum, quem magis gemere sentiebam, dormiente piscatore, in mare abjecerim. Sed nihil promovi hoc abjecto. Reliqui enim magis magisq; gemitum auxerunt, ut non obscuris signis mihi petere viderentur similem liberationem. Itaq; totam noctem in acerbissimo luctu versatus sum.* Quantò verisimilius est *Michæam* cum tali gemitu luctum suum contulisse quàm cum sibilo draconum? Obiter observa in *Syro* Interprete perperàm hic haberi ܐܘܐ pro ܐܘܐ (*res* pro *daleth* in ultima vocis syllaba) Quæ voces utut scripturâ parùm, tamen significatione multum differunt. Hæc enim *dracones* sonat, illa *boes*.

(d) Lib. 9. c. 8.
(e) Cap. 12.
(f) Doctrin. lib. 16. cap. 38.

Porrò תנין *thannin*, ut *Hebraicè*, ita etiam *Chaldaicè*, *Syriacè*, & *Arabicè*, tam pro *ceto*, quàm pro *dracone* sumitur. Quin apud *Arabes* التنين est certa ceti species, quem ita describit *Alkazuinius* in libro valde fabuloso, cui titulus est, عجايب المخلوقات *Miracula rerum creatarum.* شر من الكوسج في فمه انياب مثل اسنة الرماح وهو طويل كالنخلة السحوق احمر عينين مثل الدم واسع الفم والجوف براق العينين يتبلع كثيرا من الحيوانات يخافه حيوان البر والبحر اذا تحرك يموج البحر لشدة قوته *Pessimus est ex Alcausegis. In ore habet dentes instar cuspidum hastæ: Longus est, ut palma procera, oculis rubentibus instar sanguinis, latus ore, & ventre, aspectu fulgurante. Vorat animalia multa, ita ut tam terræ, quam maris animalibus sit terribilis. Cùm movetur, mare fluctuat præ roboris ejus vehementia.* Quicquid sequitur ineptum est, hunc cetum anteà serpentem fuisse terræ animalibus infensissimum; & eorum editâ magnâ strage in mare ab angelo projici, ut marinis etiam se ingurgitet. Quo facto, postquam abdomen multâ arvinâ refertum est, ab eodem Angelo deferri ad populos *Gog*, & *Magog*, qui illo lautè epulentur. Si roges quid sit الكوسج *Alcausog* (in quo genere dicitur esse *thanin*) is in *Damire* definitur *piscis serrato rostro, quo medios homines secat.* Et in *Alkazuinio* est *animal in mari infestius, quàm in terra leo, quod aquatica animalia scindit dentibus suis, ut* السيف الماضي *ensis egregiè cedens.* *Gimel* finale est pro *cheth*, quæ mutatio non est infrequens. Nempe כסח *Hebraicè*, *Chaldaicè*, & *Arabicè*, est *succidere.* Proinde, ut *Damir* auctor est, idem piscis alio nomine vocatur القرش *alkorscho*, vel *alkirscho*, quia ut *Hebraicum* קרץ *karats*, sic *Arabicum* قرس est *exscindere.* Nonnullis item اللخم *allochmo*, à mole, & obesitate carnis. In *Lexico Copto-Arabico* القرش *alkorscho Copticè* redditur ΠΙΔΟΤΧΕΛΟΝΗ, legendum ἈΣΠΙΔΟΧΕΛΏΝΗ, quomodo cetum vocant *Græci* recentiores. Vide *Eustathium in Hexaëm.* pag. 19. & *Gesnerum*, *De Aquatilibus* pag. 240. In *Damire* القرش *Alkorscho* cetus est ingens, qui naves subvertit, & frangit.

git. *Zamachsjari* scribit se *Mecchæ* mercatores audivisse, qui dicerent, *Nos sedebamus ad portam Prophetæ* Schaiba, *& is descripsit* القرش *Alkersch* his verbis, *Is est formæ rotundæ, & tantus, quantum est intervallum à loco in quo stamus ad* Chaabam, *id est* ad templum *Mecchense*. Quod intervallum ii demetiantur, quibus *Meccha* notior est. Sequitur, hoc monstrum, in naves irruens, non aliter fugari, quam vibratis facibus in modum fulguris, & frequens esse in mari *Kelzem*, in quo submersus est *Pharao*. *Almutarriz* eandem belluam omnium maris belluarum dicit esse dominam, & longè pessimam. Orcam puto significari, infestam balænis belluam, cujus imago, inquit *Plinius*, nulla repræsentatione exprimi possit alia, quam carnis immensæ dentibus truculentæ. Aliud vult *Alkazuinius*, cum الكوسج *Alchauseg* definit *piscem bicubitalem, dentibus propè humanis, reliquos pisces fugantem, frequentem certa anni tempestate* بدجلة البصرة *circa Tigrim Basora:* nempe cetaceum aliquem piscem, cujusmodi multos è mari in *Tigrim* ferri circa Canis exortum testatur *Diodorus* lib. 19. Sed & alio pertinet apud eundem *Alkazuinium* descriptio piscis المنشار id est, *serra*, qui in mari *Zingitano* magnus est instar montis, & habet à capite ad caudam tanquam serræ dentes bicubitales ex ossibus nigris in modum ebeni, & in capite duo ossa, singula cubitorum decem, quibus mare utrinque verberat, vocis sonum terribilem; & ex ore, & naribus, aquarum nimbum erumpentem, quo naves obruuntur. Hæc ille: sed vereor ne fabulosè, ut solet.

Neque id prætereundum, *Job.* 40, 10. *&c.* describi sub nomine בהמות, *behemoth*, ceti speciem, hippopotamum, quod alibi pluribus probo. Hic sufficiet subjicere brevem loci totius Paraphrasim. Ea sic habet. 10 Ecce hippopotamum, inquit Deus, quem feci juxta te, id est, in *Ægypto*, *Arabiæ* tuæ vicinâ, quis non miretur? E cetorum est numero, fœnum tamen, ut bos, pascitur. 11. Neque solum in lumbis, sed & in umbilico veneris, qua parte cætera animalia debiliora sunt, robur ei summum est. 12. Caudam, cedro rigidiorem, tamen suum more retorquet, & flectit ad libitum. Nervi femorum tam sunt frequentes, ut decussentur, & implicentur, quod summi roboris est indicium. 13. Neque habet, ut vulgus piscium, spinas, aut cartilagines; sed ossa tam solida, quam sunt ærei vectes aut etiam virga ferrea. 14. Atque, ut in hoc animali scias Deum exstare voluisse insigne potentiæ suæ argumentum, qui fecit eum, applicavit ei harpen, id est, messorios dentes indidit, exertos, & recurvos in modum falcati ensis, quibus fœnum, & segetes, tanquam ferrea falce metit. 15. Huic scilicet proventum, & pabulum etiam montes proferunt; illi, inquam, ipsi montes, in quibus ludunt agri bestiæ. 16. Utut sit aquatica bellua, quæ non solum in cœno cubat, & palustri uligine inter celsas arundines; 17. Aut sub umbra salicum, quæ sunt in *Nili* ripis: 17. Sed & in imo gurgite securè degit, adeò ut superfusi fluminis eruptione non terreatur. 19. Quis tale animal aggredi audeat apertâ vi? Aut nares illius quis hamo perforare posse se speret? Suo loco docebimus hæc nullo modo in elephantem, sed in equum fluviatilem quadrare ad amussim. Ut de *Leviathane* quæ sequuntur balænæ non conveniunt, sed *Ægyptio* crocodilo.

Obiter, ne quenquam lateat quam meritò cete *grandia Moses* appellet, *Gen.* 1, 21. libet hic referre paucis quæ tradita sunt à veteribus de cetorum magnitudine. *Theocles* (*g*) cete dicit majora esse triremibus. *Ælianus* (*h*) ad elephantem vel maximum proportione quintupla. *Eratosthenes* (*i*) longa quinquaginta cubitorum. *Nearchus* (*k*) viginti quinque orgyiarum, id est, cubitorum centum. *Onesicritus*, atque *Orthagoras* (*l*) dimidii stadii, hoc est, pedum plus quam trecentum. *Juba* (*m*) pedum sexcentorum. *Plinius* (*n*) quaternûm jugerum: quantum terræ spatium quædam oppida non occupant; quatuor quippe jugerum longitudo est ferè millenûm pedum, latitudo dimidia. Hos secuti Sancti Doctores tradunt quædam hyperbolica de cetorum ingenti mole. *Basilius in Hexaëm.* Homil. 7. Τοῖς μεγίστοις ὄρεσι τῷ ὄγκῳ τοῦ σώματος παρισάζεται· ἅ γε νήσων πολλάκις φαντασίαν παρέχεται. Ambrosius, *Si quando supernatant fluctibus, innare insulas putes, montes altissimos summis ad cœlum verticibus eminere.* Quæ ferè eadem legas in (*o*) *Isidoro*, & (*p*) *Eustathio Antiocheno*.

g) Apud Ælian. Hist. lib. 17. cap. 6.
h) Ibid. l. 16. c. 12.
i) Strab. l. 16.
k) Arrian. in Indic.
l) Ælian. lib. 17. cap. 6.
m) Plin. lib. 32. cap. 1.
n) Id. l. 9. c. 1.
o) Orig. l. 12. cap. 6.
p) In Hexaëm. pag. 19.

At *Hebræi*, sæpe mendaces, in hoc argumento potissimum mentiuntur liberalissimè. In illis modestissimi cetis quingentorum stadiorum longitudinem assignant, hoc est, milliarium plus sexaginta. Balænam multi volunt ideo dici נחש ברוח *serpentem vectis. Es.* 27, 1. quod ab uno maris extremo ad alterum vectis instar attingat. In Tractatu *Talmudico Bava Bathra*, fol. 73. col. 2. navis quædam in dorso ceti navigans iter ab una pinna ad alteram tertio demum die confecit. Quale est, quod Spurius *Esdras* (*q*) in creatione fingit ex aquis emersisse duo vastissima animalia, *Behemoth*, & *Leviathan*; quorum unumquodque occupet septimam partem terreni orbis. Taceo Magistrorum nugas de cetorum uno castrato, altero occiso, & sale condito in adventum *Messiæ*, quem talibus epulis, lauto scilicet atque opiparo convivio, suos excepturum sperant. Huic fabulam non absimilem legas in *Ephippi Geryone* apud *Athenæum* lib. 8. de sacro pisce *Geryoni* apposito, qui tota *Creta* major fuerit, cuique adeo coquendo, & saliendo multæ sylvæ cædantur, multi lacus in unum confluant, & salem plaustra centum convehant per octo menses. Quin ex iisdem lacunis hausta fuisse crediderim, & ex margine in textum intrusa, quæ de *Leviathane* habentur in *Græca* versione, *Job.* 40, 26. Πᾶν δὲ πλωτὸν συνελθὸν οὐ μὴ ἐνέγκωσι βύρσαν μίαν οὐρᾶς αὐτοῦ· *Omne quod navigat si conveniat, non feras caudæ ejus pellem unam*, id est, μίαν λεπίδα, *squamam unam*, ut exponit *Olympiodorus*. Et ad versum præcedentem, quo *Leviathane* pasci dicuntur gentes, & *Phœnices* eum dividere, hæc habet *Chrysostomus*, Τοσοῦτον αὐτοῦ τοῦ σώματος ὄγκος ἐστὶν, ὡς δύνασθαι ὁλοκλήρῳ ἔθνει ἀρκέσαι. *Corporis ejus tanta est moles, ut genti universæ sufficere possit.*

q) Lib. 4. c. 6. v. 49.

Sed hæc levia præ commentis *Arabum*, quæ *Prophetæ* suo tribuunt, totam terræ molem in piscis unius dorsum incumbere, qui eam quatiat motu suo. *Damir* capite النون quomodo hunc piscem appellat voce *Syra*, aut *Chaldæa*, potius quam *Arabica*, ثم خلق النون فبسطت الارض عليه فاضطرب النون فمادت الارض *Tum creatus fuit piscis, & extensa est terra super eum, & pisce moto terra tremuit.* Ibidem fabulatur *Chabolagiari* Diabolum his verbis piscem illum compellasse, Excute gentes, bruta, montes, arbores, & quæcunque alia dorso tuo nituntur, ut hoc onere levatus quiescas à laboribus. Et jam obsequi paratum Deum graviter afflixisse, reptili quodam per nares in cerebrum ejus immisso. A quo malo liberari cum petiisset obnixissimis precibus, ea lege fuisse liberatum, ut ne quid tale deinceps moliretur. Sequitur hunc piscem vocari ليوبا *Liuba* (imò *Leviathan*) & بهموت *Behemoth*, & بلهوت *Balahoth*.

Hæc *Arabum* Theologi, quo genere hominum nil nuga-

nugacius. At Philosophi sunt saniores. Quanquam in *Alcazuinio* non ferendum, quod τῷ البلة *albala*, id est, balænæ, tribuit quingentorum cubitorum longitudinem, & طرف جناحها كالشراع العظيم *extrema pinnarum ut velum magnum.* Et *Damir* multò modestior, cui البالة سمكة في البحر الاعظم يبلغ طولها خمسين ذراعا يقال لها العنبر *Albala* (seu *balana*) *piscis aliter dictus* alambar, *omnium marinorum est maximus, longitudine superans cubitos quinquaginta.* Aliud exemplar habet سبعين ذراعا *septuaginta cubitos.* Quod posse ferri patebit ex sequentibus.

Nam, ut dicamus quod res est, nobis est compertissimum tam ex maritimarum urbium Annalibus, quam ex eorum relatione, qui ad balænarum piscationem quotidie se conferunt, majores illos cetos plerumque quinquaginta, rarò admodum centum pedum mensuram excedere. Unum tamen in *Oceano Britannico* captum refert *Scaliger* longitudinis pedum CXX. altitudinis tantæ, ut obequitantium non solum conspectus adimeretur, sed voces inter se tanquam trans collem editæ viderentur. Et in *Narbonensi* littore visam à patre suo belluam narrat *Rondeletius* centum passuum longitudinis. Et in mari *Balthico* longissimis *Zieglerus* centum cubitos, *Olaus* centum ulnas assignat, eâdem (nisi fallor) utrobique mensura.

Cetus impropriè dictus est è cetaceis piscibus quisquis in vastiorem excrescit molem. Ut enim in vulgo piscium, qui sunt reliquis majores, ut silurus, esox, attilus, *&c. cetacei* dicuntur: ita in cetaceis, qui sunt multò maximi, lamia puta, & maltha, & zygæna, & thynnus, *cetis* non rarò adscribuntur. Quatuor has species nominatim recenseo, ut quas sæpe legerim *cetorum* nomine appellari propter immensitatem, quamvis cætera sint verè pisces. De lamia, maltha, & zygæna res patet ex (r) *Oppiano*, (s) *Galeno*, (t) *Ægineta*, & (u) *Æliano*, ex quo *Suidas*, Κῆτος θαλάσσιον θηρίον πολυειδές· ἔστι γὰρ λέων, ζύγαινα, πάρδαλις, φύσαλος, πρῆστις, ἡ λεγομένη μάλθη. Ita legendum, non μάλλη, ut *Æmilius Portus* edidit. Sed thynnum imprimis cetis accenseri, collige ex his (x) *Archestrati*,

r) Halieut. l. 1.
s) De alim. fac. lib. 1.
t) Lib. 1. c. 94
u) Anim. lib. 9 cap. 49.
x) Apud Athen. l. 7.

> Θύννων ἀλισκόμενον σπουδῇ μέγαν, ὃν καλέουσιν
> Ὄρκυνον, ἄλλοι δ' αὖ κῆτος·

nempe postquam in eximiam magnitudinem excrevit, ut testatur *Sostratus* in libro Περὶ ζώων. Hinc apud *Varronem* (y) *cetarii* sunt thynnorum piscatores. Et κητία (z) *Siculis* olim thynnorum piscatio. Et in *Horatio* (a) *cetaria* loca thynnis conferta. Et in *Æliano* (b) κητοθηρεία piscatoriæ casæ, reponendis retibus, & reliqua suppellectile, thynnorum piscationi destinatæ. Denique ipsum thynnorum nomen factum videtur ex *Hebræo* תנין *thannin*, quo *cetus* significatur. Ut valde sit verisimile hanc illis appellationem venisse à *Phœnicibus*, quos thynnorum piscatione celebres fuisse cum alii testantur, tum maximè *Aristoteles* in libro *Mirabilium*. Itaque *Oppianus* in hoc versu,

y) Nonn. in Cetarii.
z) Ælian. Hist. l. 13. c. 16
a) 1. Serm. l. 2. Sat. 5.
b) Ubi supra.

> Θύννοι μὲν θύνοντες ἐν ἰχθύσιν ἔξοχοι ὁρμῇ.

alludit quidem ad *thynnorum* nomen, sed veram vocabuli originem non aperit.

Hoc non observo de nihilo, cum cetaceos pisces majores etiam Scriptura cetis adscribat. Ita *Esa.* 27, 1. *Visitabit Dominus gladio suo durissimo*, &c. *Leviathanem serpentem vectis*: id est, *Zygænam*, quæ caput ζύγῳ, *jugi*, aut, quod idem est, vectis instar habet ex transverso situm. *Leviathan* ergò dicitur non propriè, sed impropriè, quomodo *cetus* à *Græcis*.

Itidem *Ezech.* 29, 3. & 32, 3. תנין *thannin* non est *balæna*, ut volunt. Neque enim balæna pedes habet, nec squamas, nec versatur in *Ægypti* rivis, nec indè ascendit in terram, neque retium indagine cingitur. Quæ tamen omnia eo loco adhibet *Ezechiel* in *Ægyptii thannin*, seu *ceti* descriptione. Unde vel cæco planum fiat, *balænam* non intelligi, sed *crocodilum*, quem cetaceis piscibus accenseri scribit *Scaliger*. Itaque etiam à *Jobo* vocatur *Leviathan* in ampla & accurata ejus descriptione, *capp.* 40. & 41. A *Talmudicis* denique patet id ipsum significari, quo loco scribunt τὴν כלבית *calbith*, id est, *caniculam*, seu *ichneumonem*, terrori esse τῷ *Leviathan*, in Tractatu *De Sabbatho* fol. 77. b.

Rursus *Matth.* 12, 40. cum *Jonas* fuisse legitur ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, *in ventre ceti*; cave, ne cetum intelligas propriè dictum, quales balæna, pristis, aut physeter, quæ, utut vastæ belluæ, tamen gulæ meatus habent angustiores, quam ut possint solidum hominem transglutire. Itaque eo loco *cetus* est דג גדול *piscis magnus*, ut habetur, *Jon.* 2, 1. Nempe is fuit verus piscis, sed ita ingens, ut ratione molis suæ cetis adscribi meruerit. Nos *lamiam*, seu *carchariam* intelligimus; ut suo loco dicetur.

CAPUT OCTAVUM.

De reliquis Aquatilibus.

Superesse 1. *Mollia.* 2. *Crustata.* 3. *Testacea.* 4. *Insecta.* 5. *Zoophyta. In mollibus est* nautilus, *vel* nauplius, *polypi species, quem ab* Hebræis *significari voce* נפילים *falso credidit* Buxtorfius. צב tsab *esse* crocodilum terrestrem, *&* בן נפילים scincum. *In crustatis sunt locustæ maris, & καρίδες*, squillæ. *Neutrum* Joannem *vixisse, ut nonnullis placet. In testaceis sunt* 1. *Concha margaritifera.* 2. *Cochlea purpuraria.* 3. *Onyches, seu ungues aromatiferi*, Exod. 30, 34. *His adduntur testudines, de quibus* Os. 12, 12. *in* Græca *versione. In insectis aquaticis est hirudo, de qua* Chaldæus, Psal. 12, 9. *&* Solomon, Proverb. 30, 15. *Sed est ratio dubitandi. In Zoophytis spongiam multi censent, de qua* Evangelia. *Horum animalium usus ad cibum, ad ornatum, ad suffitum, & medicinam.*

Postquam de veris piscibus, & cetis actum est, jam supersunt Mollia, ut sepiæ, lolligines, polypi, nautili, lepores, & urticæ marinæ; Crustata, ut cancer, pagurus, maja, locusta, astacus, leo, squilla; Testacea, ut lepas, ostrea, conchæ, cochleæ; Insecta, ut hirudo, hippocampus, eruca, scolopendra; Zoophyta denique, ut spongia, cucumis, uva, manus, penna. Sed de plerisque altum est in Scripturâ silentium.

Tamen è mollibus *nauplium*, polypi speciem, à *Mose* prohiberi ex *Hebræorum* sententia statuit Cl. *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico*, voce נפילים *nephilim.* Nam *Levit.* 11, 29. *Moses* prohibet eum τὸ צב *tsab juxta speciem suam.* Quod Hebræi sic intelligunt, ac si cum τῷ *tsab Moses* prohibuisset species illi similes. In his autem volunt esse *salamandram*, & בן נפילים *filium nephilim*, id est, *nauplium*, seu *nautilum*, ut ex vocum affinitate, & animalium similitudine conjectat *Buxtorfius*. Quod tali viro excidisse non possum mirari satis: cum צב *tsab Buxtorfio* vel *bufo*, vel *testudo* sit; à quibus toto genere differt *nautilus*. Nos suo loco docemus צב *tsab* neque *bufonem* esse, nec *testu-*

testudinem, sed *crocodilum terrestrem*, ut *Graci* rectè exponunt. Et crocodilo terrestri similes esse tam salamandram, quam scincum, qui ab *Hebræis* dictus est בן נפלים *ben nephilim*, id est, *filius Gigantum*, quia ex majoris crocodili semine oriri credebatur.

E crustatis sunt locustæ maris, quibus qui *Joannem* in deserto vixisse volunt, abundè refelluntur *Græco* ἀκρίδων vocabulo, quo utuntur *Evangelistæ*. Neque enim locustæ maris *Græcè* dicuntur ἀκρίδες, sed κάραβοι. Neque his vesci potuit *Joannes* in deserto à mari non parum dissito: ut neque marinis squillis, quæ & ipsæ sunt in crustatorum genere. Quod in eos observo, qui ἀκρίδας in καρίδας, id est, *squillas*, mutari volunt.

E testaceis est *berberi*, concha margaritifera, ex qua margarita educitur, *Hebraicè* dicta בדלח, & דר, & plurali voce פנינים. 2. חלזון *chilzon*, seu *cochlea purpuraria*, ex cujus sanguine fit תכלת *thecheleth*, seu *purpura*, in *Prophetarum* scriptis toties memorata. 3. *Conchylium*, cujus operculum, *Hebraicè* שחלת *schecheleth*, & *Græcè* ὄνυξ, censetur inter aromatum species, *Exod.* 30, 34. & *Eccles.* 24, 21.

Ex insectis aquaticis est *non missura cutem nisi plena cruoris*, *hirudo*; Arabicè علقة *alaka*, & *Hebraicè* עלוקה *aluka*, ut quidem volunt; *Quæ filiorum hominis sanguinem exsugit*, inquit *Chaldæus* Paraphrastes, *Ps.* 12, 9. Hujus aviditas inexplebilis à *Solomone* perstringi creditur his verbis, *Prov.* 30, 15. *Hirudini duæ sunt filiæ*, quæ dicunt *Affer, affer*: id est, inquiunt, linguæ bisulcæ rami duo, quos penitus infigit cuti. Sed hirudini lingua nulla est: tantum in ore tres esse dentes, contrario occursu se collidentes, ex ejus morsu colligitur. Itaque *filiarum* nomine malim duas hirudinum species intelligi, puta palustres, & æquoreas. quanquam neque hoc satisfaciat, quia hirudo marina, utut palustri forma similis, nusquam tamen legitur sanguinis esse avida. Quid si eo loco עלוקה non sit *hirudo*, sed vitæ privatio, vel terminus unicuique à Deo præstitutus, ut alibi disputamus?

a) Matth. 27, 48. Marc. 15, 36. Ioh. 19, 29.

Ex zoophytis solam spongiam (a) *Evangelia* nominant, si verè spongia est zoophytum, ut voluere veteres: quam litem non facio meam.

De usu nihil dicendum, cum nemini non pateat horum aquatilium alia esse ad cibum, ut polypos, sepias, cancros, ostrea, musculos, astacos, locustas, squillas, *&c.* alia ad ornatum, ut conchylia, & murices, unde purpura; & pinnas, unde margaritæ eruuntur: alia ad suffitum, ut onychem: alia ad medicinam, ut hirudines ad eliciendum, & spongias ad abstergendum sanguinem; in quem usum jacebat spongia prope crucem: sed ea *Romani* milites per ludibrium abusi sunt. Vide Cl. *Heinsium* in *Joannem*.

CAPUT NONUM.

De nominibus animalium ab *Adamo* impositis

Hebræi *animalia dividunt in quatuor summa genera*: Græci *paulò aliter, quorum divisionem sequi necesse habemus, quia illi plures assueverunt. Totius operis partes, & libri. Locus de animalibus ad* Adamum *adductis, ut illis nomina imponeret*, Gen. 2, 19. 20. Gabriel *notatus*, & Græci *Interpretes. Deum aves ex aquis non eduxisse, sed ex terra. Insecta etiam ad hominem adducta; omnia denique animalia præter bigenera, & aquatica, eaque bina. Quomodo lupi cum ovibus*, &c. *& accipitres cum columbis pacatè degerint. Qua ratione tot animalia a Deo adducta fuerint. Deum unius præstitisse, quod* Alexander *annis pluribus per multa hominum millia non potuit exsequi. Hujus conventus diversæ causæ.* 1. *Deum in* Edene *homini omnes naturæ opes exhibere voluisse*: 2. *Eidem omnia stitisse animalia; ut, illis visis, sciret nullum esse simile*: 3. *Conjugium inter primos parentes statim initum per hunc conventum factum fuisse solennius*: 4. *Bruta sic homini se subjecisse, & nomina sua, tanquam a domino, accepisse. Pisces, etsi eo non convenerint, quia diversi sunt elementi, æquè homini subesse. Hominis in bruta dominium ante lapsum fuisse majus: illius tamen superesse non obscura vestigia.* Lucretius *frustra objicit, non potuisse unum hominem nomina rebus imponere. Quid de eo* Plato *in* Cratylo. Hebræa *animalium nomina pleraque certa ratione niti. Bruta in genere, bestia domestica & fera, aves in genere & rapaces, reptilia & serpentes unde dicantur* Hebraicè. *In bestiis cicuribus explicantur* Hebræa *cameli, equi, asini, bovis, ovis, capræ, suis, & canis nomina. In feris, leonis, pardi, ursi, lupi, hyænæ, thois, vulpis, cervi, capreæ, ibicis, rupicapræ, tragelaphi, damæ, hinnuli, onagri, leporis, simiæ, vel cebi, hericii, chœrogrylli, muris, & talpæ. In avibus, aquilæ, ossifragæ, anopæ, milvi, accipitris, utriusque vulturis, ciconiæ, struthionis maris & fœminæ, turturis, gruis, hirundinis, asalonis, pelicani, catarrhactis, pavonis, columbæ domesticæ & feræ, noctuæ, bubonis, vespertilionis, lari & cepphi, coturnicis, upupæ, gallinaginis, onocrotali, corvi. In quadrupedibus oviparis, crocodili terrestris, stellionis, lacerti majoris, qui* Arab. guaril. *alius lacerti, qui iisdem* vvachara, *lacertæ arenariæ, chamæleonis, testudinis, ranæ. In serpentibus, viperæ, aspidis, cenchrini, basilisci, jaculi, cerastis, & hæmorrhoi, hydri, & chersydri, draconis. In locustis novem species. In insectis, muscæ, apis, vespæ, & crabronis, cynomyiæ, culicis vinarii, qui* Græcè κώνωψ, *& palustris, qui* ἐμπίς; *scorpionis, araneæ, cochleæ, vermis, tineæ, hirudinis, scarabæi, formicæ, pediculi, & pulicis. Ex animalium nominibus colligi eorum naturam* Adamo *fuisse perspectissimam. Quomodo* Hebrææ *voces ad* Syras *&* Arabicas *origines revocentur.*

HEbræos patet hactenus omnes animalium species ad quatuor summa genera revocasse, nempe quadrupeda, volucria, reptilia, & aquatilia. Reptilibus enim adscribunt non solum animalia, quæ verè repunt, sed & insecta omnia, & minima quadrupedum, puta mures, talpas, mustelas, hericios, & si quæ alia sunt hujus generis. Itaque, si *Hebræos* sequi esset animus, his quatuor speciebus omnia complecteremur. Sed, quamvis parum referat quo ordine hæc proponantur, tamen quia *Hebræorum* divisioni pauci assueverunt, nos, *Græcorum* vestigiis insistentes, à reptilibus tam quadrupeda, quamlibet parva, quam insecta distinximus. Et totũ hoc opus divisimus in duas partes: quarũ prior, quatuor libris comprehensa, post animalia in genere, de quibus in primo hoc libro, in reliquis tribus agit de quadrupedibus domesticis, & feris; item de oviparis, ut sunt lacertæ, & testudines. Posterior sex habet libros, primum de mundis avibus, secundum de immundis ex lege *Mosis*, tertium de serpentibus, quartum de insectis, quintum de aquaticis, sextum denique de fabulosis animalibus, quorum nomina non quidem in Sacro Textu, sed in Versionibus occurrunt. Et jam primi libri hic esset finis, nisi quædam haberemus dicenda de animalibus ad primum hominem adductis, ut illis nomina imponeret, *Gen.* 2, 19. 20.

Verba *Mosis* sic habent, *Et formavit Dominus Deus è terra omnem agri bestiam, & omnem avem cæli, & ad hominem adduxit, ut videret, quomodo illa vocaret; & omnis anima viventis, cui nomen homo imponeret, id nomen ejus esset. Et nomen imposuit homo omni bestiæ, & volucri cæli, & omni feræ agri.* Pro *Et formavit*, Hebr.

Hebr. וייצר, in *Arabica* Paraphrasi *Saadias* habet فحشر & ibi *Gabriel*, *Et collegit*, planè extra rem. Cum enim *Arabicum* حشر tam *formare*, quam *colligere* significet, prius retinendum fuit, tanquam *Hebraeo* synonymum. *Graeca* Versio reddit, Καὶ ἔπλασεν ὁ Θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς πάντα τὰ θηρία· rectè; nisi quod vocula ἔτι *adhuc* perperam huc est intrusa, ac si, praeter animalia, quae creaverat Deus diebus quinto & sexto, ut capite primo narratur, Deus insuper alia creâsset, quae ad hominem adduceret. Quin ea ipsa quae creaverat adduxit Deus, aut ex singulis paria (nempe marem, & foeminam) quae inspiceret, & nominaret *Adam*. Itaque verba *Mosis*, *Et formavit animalia*, &c. *& ad hominem adduxit*, sic se habent, ac si dixisset, *Cum formâsset animalia*, vel, *quae formaverat animalia ad hominem adduxit*: ut paulò ante, *Et plantavit hortum*, &c. *& posuit in eo hominem*; id est, posuit hominem in horto, quem plantaverat, nempe creationis die tertio, quo creaverat arbores, & omne terrae germen. Neque enim credendus est Deus hunc hortum de novo plantavisse, post sex dierum opus peractum: sed in illo jam tum consito hominem, sexto die creatum, collocavit. Quippe, ut res intelligatur, sciendum est primo biduo creationis Deum magnas mundi partes fecisse,

Et maria, & terras, &, quod tegit omnia, coelum:

Secundo biduo mundum sua suppellectile instruxisse, atque exornâsse, cum creavit in terra plantas, & in coelo sydera: Tertio denique biduo incolas addidisse, nempe aves, pisces, bestias, & postremo ipsum hominem.

Si quis *Mosem Mosi* opponere posse se putet, eo quod aves, quas *Gen.* 1, 20. ex aquis eduxerat, Deum hoc loco doceat è terra formavisse, aequè ac agri bestias: respondebo *Gen.* 1, 20. non haberi quod multi volunt, aves ex aquis emersisse, quod patebit legenti locum, *Et dixit Deus, Producant aquae reptile animarum: Et volucres volent super terram in facie expansi coelorum.* Quibus verbis aquae pisces jubentur producere, aves non item. Quin cum jubentur aves volare super terram, inde sequatur potiùs eas ex terra prodiisse: nam, si ex aquis emersissent, eas in primo illo ortu jussisset Deus evolare super aquas, non super terram. *Hebraei* aliter respondent, nempe aves ex utroque elemento prodiisse, cum factae sint ex רקק *rakak*, id est, ex molli luto ex utroque temperato. Quod idem statuunt de ranis *Aegyptiis*, ut *Mosem* cum *Davide* concilient: quorum ille (*a*) fluvium, hic (*b*) terram scribit ranas illas produxisse. Sed in capite de Ranis duo haec Scripturae loca nos aliter conciliamus. *Chizkuni* aves aquaticas ex aquis, reliquas è terra vult prodiisse, & *Mosem* de prioribus *Gen.* 1, 20. hic de posterioribus egisse. Frustrà: cum utrobiq; appareat illum egisse de toto genere avium. Alii in his verbis, *Et formavit Deus è terra omnes agri bestias, & omnes coeli aves*, volunt illud *è terra* solùm ad bestias pertinere, non item ad aves, quae interpretatio Sacro Textui vim manifestam facit. Maneat igitur id, quod diximus, ex *Prophetae* mente, tam aves, quam quadrupedes terrae debere suam originem. Quidni enim aves credamus ex illo elemento esse ortas, in quo potissimum illis & quies & victus est?

a) Exod 8, 3.
b) Ps. 105, 30.

Homini igitur è terra facto quaecunque animantia è terra fecerat adduxit Deus, id est, aves, & agri bestias. Quo nomine nō solùm quadrupedes, sed & reptilia intelligim': quia ipse *Moses* serpentē accenset agri bestiis, cum eum dicit bestiarū agri fuisse callidissimum, *Gen.* 3, 1. Neq; insecta excipimus, quae sub genere reptiliū cum serpente continentur. Frustrà objiciunt, horū pleraque viliora, & abjectiora esse, quam ut homini adduci debuerint, & contēplanda exhiberi. Quidni enim hominis cōsideratione digna sint, quaecunq; Deus creare, & conservare nō dedignatur? Nec minus est, quod in ape, aut formica miremur, quam in ceto, aut elephante; cum hoc ipsum sit imprimis mirabile, quod in tantillo corpore tot animi dotes emineant. Omnia igitur animaliū genera credimus ad *Adamū* fuisse adducta, si duo solùm excipias. Primò bigenera, seu ambigena, de quibus *Festus*, *Bigenera dicuntur animalia ex diverso genere nata, ut leopardus ex leone & panthera, sicut sus* (*c*) *ex apro & scropha domestica, mulus ex equa & asino.* Et *Isidorus* lib. 12. cap. 1. *In animantibus Bigenera dicuntur, quae ex diversis nascuntur, ut mulus ex equa & asino, burdo ex equo & asina, hibridae ex apris & porcis, tityrus ex ove & hirco, musino ex capra & ariete.* Et *Epigramma* vetus,

c) Al. libris.

Hae sunt ambigena, quae nutu dispare constant,
Burdonem generat sonipes commixtus asella,
Mulus ab Arcadicis *& equina matre creatus,*
Tityrus ex ovibus oritur hircoque parente.
Musinonem capra ex vervegno semine gignit.
Apris atque sue setosum nascitur ibris.
At lupus & catula formant, coëundo, lycisca.

Quae animalia ad *Adamum* ideo non sunt adducta, quia non creata sunt immediatè ex manu Dei, sed ex mistione specierum postmodum edita quodam naturae adulterio. Secundò, merè aquatica etiam excipienda, quae non potuerunt *Adamum* convenire, quia degunt in diverso elemento. Amphibiis tamen, ut ranis, fibris, phocis, crocodilis, hippopotamis, liberum fuit ex aquis excedere, ut tam solenni concilio interessent. E singulis autem speciebus bina solùm huc convenisse verisimile est, quomodo in arcam *Noe*, ut vitaretur confusio, si convenissent omnia omnino animalia, quae Deus in diversis mundi partibus creaverat. Neq; licuisset illis per tempus è remotis venire locis; cum aves postridie creationis, quadrupedes & reptilia illo ipso die quo creata fuerant, ad hominem confluxerint.

Non sine Deo factum est, quod tam hic, quam in arca, lupus cum ove, canis cum lepore, felis cum mure, accipiter cum columba, simul pacatè degebant; creatore illorum rabiem, & horum trepidationem, & fugam, ad tempus reprimente, ne intempestivis tam diversae naturae animalium dissidiis conventus turbaretur.

Nihil opus est hic quaerere, quomodo animalium tam multae species in unum locum deductae sint. An ventis impellentibus, ut in deserto coturnices? An per Angelos, ut cum *Philippus Azotum*, & *Habacuc Babylonem* transvectus fuisse legitur? Aut arcano Dei impulsu, ut in *Aegyptum* ranae, & cynomyia, & ursi duo, qui ad *Elisei* verbum è sylva prodeuntes in *Bethelitarum* pueros irruerunt: & leones in *Samaritanos* Dei nominis contemptores immissi, & animalia, quae bina ex omni carne ad *Noam* convenerunt? Sufficit enim, ut sciamus, Deo, qui absolutum habet in creaturas dominium, non deesse rationes, quibus eas pro arbitrio suo impellat quocunque decrevit, & destinavit. Illos igitur, qui movent quaestiones tam superfluas, libens interrogaverim, quo impulsore ciconiae, & grues ex *Boreali* plaga in *Aegyptum*, & *Aethiopiam* certa anni tempestate volent, & post aliquot menses eo revolent, unde discesserant. Item, cur haleces, & thunni quotannis ingenti turba sedes mutent, & in aliud mare transeant. Si dicant, has migrationes illis esse naturales: rogabo rursus, annon idem Deus, qui hanc iis naturam indidit, reliquis quoque animalibus possit id inspirare, ut, cum res ita postulat, in certum locum confluant, tanquam si voce praeconis citata essent, & convocata. Aliquid simile attentavit Regum maximus *Alexander*, qui, naturae animalium pernoscendae cupidus, de iis commentationem *Aristoteli* delegavit. Et ne quid usquam gentium ab eo ignoraretur, per *Graeciam*, atque *Asiam* universam, multa hominum millia illi parere jussit, quotquot nempe venatus, aucupia, piscatusque alebant, quique vivaria, armenta, alvearia, piscinas, aviaria suae curae commissa habebant; ut, illis procurantibus, animalia omne genus ad praeceptorem suum undecunq; mitterentur. Néve necessariis

riis sumptibus ferendis esset impar, octingenta talenta Rex illi largitus est, id est, ex *Budæi* supputatione, aureorum nostri temporis quadringenta & octoginta millia. Hæc partim ex (d) *Plinio*, partim ex (e) *Athenæo* scimus. Sed & in *Æliani Variis* (f) legas, *Alexandri* patrem, *Philippum* jam hoc habuisse in animo, & πλοῦτον ἀνενδεῆ, *immensas opes* ad id exsequendum de suo liberalissimè suppeditâsse. Sed quicquid uterque egerit; tamen *Aristotelem* multa latuerunt animalia, de quibus in eximio opere ne γρῦ quidem habet: multa etiam illi ex auditu solùm, non ex visu fuêre cognita. Unde scias quantò hominibus sit potentior Deus, qui uno momento exsequitur quod per plures annos, tantis sumptibus, & tot adjutorum operâ, præstare nequiverunt Reges duo potentissimi.

d) Lib.8.c.16
e) Lib.9.
f) Lib.4.c.19.

Ita igitur animalium conventus habitus est, qualis deinceps nullus alius, præterquam in arca *Noæ*, ad quam pariter convenerunt, sed longè diversa de causa. Ibi enim de propria salute, hîc de hominis cultu agebatur. Scio alias quoque causas hujus concursûs posse proferri vero non absimiles. Primò enim videtur Deus in hoc deliciarum horto, in quo hominem collocaverat, omnes naturæ opes uno intuitu videndas illi exhibere voluisse. Et, cùm ex plantis, & arboribus in eo conseruisset quicquid aut visu pulchrum est, aut sapore jucundum; cùm (g) gemmas, & margaritas, fodinas que auri præstantissimi, aut in ipso horto, aut in vicinia procreâsset: sola deerant animalia; quæ jam undecunque convocat, ut tam vario spectaculo hominem recreet, & ad creatoris sui laudes invitet. Secundò, cùm bestiæ, & aves homini per paria exhibitæ sunt, ita ut unusquisque mas sociam haberet ejusdem speciei fœminam, sensit *Adam* quid sibi deesset, cùm in illis omnibus nullum reperit adjutorem sibi similem. Quamvis enim bestiæ nobis auxilio sint, unde est quòd *jumenta* vocantur: tamen illarum natura prorsus à nostra diversa est. Nam, si externam corporis nostri speciem harum nonnullæ ex parte referant, ut

g) Gen.2,11.12. Ezech.28,13.

Simia quàm similis turpissima bestia nobis:

tamen omnibus deest quod in nobis est eximium, ratio nempe, & oratio, quæ sola est mentis interpres, & unicum societatis inter homines vinculum. Tertiò, convocata hæc animalia nonnisi post *Evam* creatam discessisse valde verisimile est, ut illa hoc eodem spectaculo cum viro frueretur, & conjugium inter illos statim initum tam extraordinario conventu solennius fieret. Proinde utrisque dixit, *Dominamini*, &c.

Sed in brutorum convocatione hoc præcipuum, quòd eorum ad hominem concursus statim à creatione fuit voluntariæ subjectionis professio, quasi se domino suo sisterent, & in ejus clientelam se reciperent. Itaque in servitutis notam *Adam* illis omnibus nomina imposuit, nempe ut domini servis solent. Ita (h) *Josephi* à *Pharaone*, (i) *Danielis* & sociorum à *Nebucadnetsare*, (k) *Eliakimi* à *Necone* nomina mutata sunt, ut ex novis nominibus discerent se novos habere dominos. Neque hoc dominium usurpavit homo, sed accepit à Deo his verbis sibi concessum, (l) *Dominamini in pisces maris, & volucres cœli, & omnia animantia, quæ moventur super terram.* Et post diluvium ita renovatum, (m) *Timor vestri, terrorq́, vestri sit super omnes terræ bestias, omnesq́, terræ volucres*, &c. Unde *David* Psal.8.v.7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, greges, & armenta, quotquot sunt, etiam feras agri, aves cœli, & pisces maris*, &c. Et *Jacobus*, Epist.3.v.7. *Omnis natura ferarum, & volucrium, serpentiumq́, & marinorum domatur, & domita est à natura humana.* In quibus locis hoc notandum est tam fieri mentionem piscium, & marinorum, quàm ferarum, & volucrium; ne quis ideò pisces putet homini minùs subesse, quòd neque huic brutorum conventui interfuisse leguntur, neque ab homine nomen accepisse. Quamvis enim elementi diversitas, in quo habitant, in causa sit, cur cum homine minus habeant commercii: tamen ut homines tam in maria, quàm in terras dominantur; sic aquaticis, & terrestribus animantibus ex æquo imperant. Alioqui piscatio, & piscium esus esset illicitus: nec mundos pisces in Lege Deus *Judæis* concessisset; neque *Apostolos* jussisset *Christus* retia in mare projicere. Fatendum interim hominis in bruta dominium ante *Adami* lapsum fuisse magis absolutum quàm nunc est. Nam, si homo in Deum non fuisset rebellis, bestiæ jugum hominis nunquam excussissent, nec solùm jumenta, & pecudes, sed & feræ nobis se ultrò submisissent; quia in homine perfecto imago Dei tam clara elucebat, ut bruta etiam perciperet. Et idem ille Deus, qui in *Propheta* gratiam leonum occlusit ora, *Christumque*, in deserto cum feris per quadraginta dies degentem, sartum tectum ab omni discrimine servavit, & *Paulum* à morsu viperæ, reliquosque *Apostolos* à serpentum invasione defendit; idem, inquam, ille Deus nostræ omnium saluti ita invigilasset, ut sine periculo potuissemus super aspidem, & basiliscum ambulare, & conculcare leonem, & draconem. Sed, per peccatum primi hominis hoc culmine dejecti, prioris imperii habenas nonnisi ægrè retinemus, & bruta in nos insurgunt, quomodo nos in Deum, injuriam creatori suo factam sic ulciscentes. Nec solùm feræ nos invadunt, & venenato morsu angues appetunt: sed minima quæque animalcula, ut pulices, cimices, & pediculi, pungunt, & somnos avertunt. Supersunt tamen pristini imperii non obscura vestigia in canum & equorum obsequiis, & cùm puer armentum boum ducit ad lanienam, aut ad vocem hominis etiam feræ consternantur, & interdiu in cryptis suis latent, quasi ab ejus occursu sibi caveant.

h) Gen 41 45.
i) Dan.1,7.
k) 2 Par 36,4.
l) Gen.1,28.
m) Gen.9,2.

Poëta *Lucretius*, quem jure merito vocaveris *Epicuri de grege porcum*, lib.5. multis contendit absurdè credi unum hominem nomina rebus imposuisse; quia homo ille, quisquis fuerit, alios in assensum trahere non potuisset, & eò adigere, ut voces à se confictas magno labore addiscerent, cùm iis quoque liberum fuisset idem sibi jus arrogare. Verba sunt,

Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, & inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est: nam cur hic posset cuncta notare
Vocibus, & varios sonitus emittere linguæ,
Tempore eodem alii facere id non quîsse putantur?
Præterea, si non alii quoq́, vocibus usi
Inter se fuerant, unde insita notities est
Utilitatis? & unde data est huic prima potestas
Quid vellet facere ut scirent, animoq́, viderent?
Cogere item plures unus, victosq́, domare
Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent,
Nec ratione docere ullâ, suaderéq́, surdis
Quid sit opus facto: faciles neq́, enim paterentur,
Nec ratione ullâ sibi ferrent ampliùs aureis
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.

Sed hæ objectiones concidunt, cùm de *Adamo* res est, ex quo nati sunt omnes homines. Itaque facile illi fuit vocabula, quæ excogitaverat, per liberos suos propagare. Nam hodieque nemo est, qui non loquatur quomodo infans edoctus est à parentibus. Proinde nomina, quæ brutis imposuerat *Adam*, à posteris conservata sunt. Quod docet *Propheta*, cùm dicit omnis animæ viventis, cui nomen imposuit *Adam*, id esse nomen ejus; *Hebræâ* scilicet linguâ, quam fuisse primigeniam abundè alibi probavimus. Atque hîc maximè apparet non frustra esse quod in *Cratylo* scribit *Plato*, Οὐ φαῦλον εἶναι τὴν τῶν ὀνομάτων θέσιν, οὐδὲ φαύλων ἀνδρῶν, οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων. *Non futile quid esse nominum impositionem, neq́, futilium, aut quorumvis hominum opus:* cùm *Hebræa* animalium nomina pleraque certâ ratione nitantur ex natura rei petita. Quod licet de singulis doceamus suis locis; tamen hîc probare visum est per exemplorum congeriem, ut primi nostri parentis sapientia clariùs elucescat.

Ut à generalibus incipiamus, brutum בעיר *beir* vocatur

catur, & בהמה *behema.* Quorum prius à *stupore*, posterius à *silentio* sumptum est; quia bruta cum homine collata, & *stupida* esse, & *muta* constat: proinde illa vitam cum silentio transigere scribit non obscurus auctor. Quandoque בהמה *behema* sumitur pro *domestico pecore*, cui opponitur חיה *chaja*, id est, *fera*, à *vivacitate* sic appellata; quia ut feræ liberiori fruuntur aëre, ita pleræq; diutiùs vivunt. Sic in *Hesiodo* cervus est τετρακόρωνος· in *Aristotele* leones ἔτη ζῶσι πολλά· in *Alberto*, & aliis, lupi quoque valde longævi sunt: at bubus, ovibus, capris, canibus vita est brevis. Aliud feræ nomen זיז *ziz* à *motu* fit, ut *Græca* κνώδαλον, & κινώπετον. *Hebræis* enim זוז *zuz*, *moveri* est, ut *Arabicè* زازا *zaza*, & ازّ *azza*, & هزّ *hazza*, & نزّ *nazza*, & وزوز *vuazvuaza.* Avis à *volatu* עוף *oph* dicitur, & צפור *tsippor*, quia *manè surgit.* Rapacis avis proprium nomen est עיט *ajit* ab *involando*, & *irruendo* sumptum. Ad עיט *ajit* alludit aquilæ *Græcum* vocabulum αἰετός. Reptile à *rependo* רמש *remes*, & à fœcunda *propagatione* שרץ *serets* dicitur. Et à *tardo motu*, זוחל *zochel.* Nam *Hebraicè* זחל *zachal*, *moras nectere*, & *cunctari* est. Sic *Job.* 32. v. 6. זחלתי ואירא *cunctatus sum, quia timui.* Ita optimè *R. Jona*, tanquam ex *Arabica* linguâ. Quâ scilicet زحل *zachala* non solùm *recedere*, sed & *morari* sonat. *Alcamus*, زحلت الناقة تاخرت في سيرها *In incessu suo moratus est* (vel *postremus fuit*) *camelus fœmina.* Proinde *Saturnus* Arabicè زحل *zachal* vocatur, quia fertur multò tardiùs quàm reliqui Planetæ. In *Talmudicis* מים זוחלים sunt *aquæ sensim fluentes*: & מזחילא *suggrunda*, super quam aqua de tecto fluens leniter fertur. Sic 1. Reg. 1. v. 9. *lapis* זוחלת *Zocheleth prope fontem fullonis*, lapis fuit, super quem è pannis, in vicino fonte lotis, fullones fustibus aquas guttatim stillantes exprimebant. Hæc obiter de voce זחל non satis nota. Serpens נחש *nachas* à *conjectando*, vel *augurando* dici putatur. Id enim est *Hebræis* נחש *niches.* Sed *Arabibus* نحس nachasa, *infaustum esse*, & *mali ominis* significat. Hinc est, quòd نحسان *nachsani* vocantur *Saturnus*, & *Mars*; quia infausti Planetæ. Quidni serpens indidem נחש *nachas* dictus fuerit? cùm ut ejus occursus primis parentibus infelix fuit, ita etiam à posteris pro ominoso, & infausto habeatur. Unde *Terentianum* illud,

- - - - - - *Monstra evenerunt mihi:*
Anguis per impluvium decidit de tegula.

Et *Horatius*,

- - - *Rumpat & serpens iter institutum.*

Hæc de nominibus generum; jam ad singulas species.

Hebraicè גמל *gamal* est *rependere*, *retribuere*, *referre*, aut *bonum*, aut *malum.* Itaq; *Græci* μνησικακεῖν reddunt *Joel.* 3. v. 4. Inde camelus גמל *gamal*, quia, cætera mitissimum animal, acceptæ tamen injuriæ diu memor est. *Basilius* in *Hexaëm.* Homil. 8. Τὸ δὲ τῆς καμήλου (ζῶον) μνησίκακον. *Chrysostomus* in Serm. (n) Περὶ αὐχμοῦ, Μνησικακοῦντες ὡς κάμηλοι. *Isidorus Pelusiota* lib. 2. Epist. 135. Μνησικακίᾳ τῇ ὡς κάμηλος. *Eustathius* in *Hexaem.* Μνησίκακον κάμηλος. Hinc *Arabes* حقدت الناقة *Camelus iram suam diu servavit.* Vide & *Gregorium* Jamb. 21. *Leon. Afric.* lib. 9. *Marmolium*, *Africæ* suæ lib. 1. cap. 23. Et apud *Aristotelem*, *Ælianum*, & *Damirem*, Historiam de Camelo, qui, cùm matrem inscius iniisset, scelere agnito, progigam pedibus obtrivit. Cameli *Græcum*, & *Romanum* nomen ex *Syro* factum, quod *Varronem* non latuit.

n) Edit. Savil. tom. 7. p. 353.

Arabicâ linguâ, quæ *Hebraicæ* dialectus est, ساس *sasa* est *regere*, & *moderari*, Alcamus, ساس الراكب دابة *Eques jumentum moderatus est.* سايس Sais, *equiso*, سياس الخيل ἱππηλάτης, *equorum moderator.* Inde iisdem radicalibus סוס *sus*, *equus*, docile imprimis animal, quodque non solùm fræno, sed & simplici virgâ regitur. Aliud equi nomen פרש *paras* in (o) *Samuele*, & (p) *Esaia*, (ut *Arab.* فرس *pharas*) Critici *Arabes* deducunt à فرس *pharasa*, quod *rapere* est, propter gressûs rapiditatem. Hinc *rapientem Poëtæ* vocant. *Martialis*,

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo.

Persarum nomen inde deduci alibi docuimus: jam addo etiam *Persei*, quem equos peritè tractâsse docent talaria à *Poëtis* illi annexa.

Asinus חמור *chamor* à *rubro*, vel *rufo* colore dictus; quia in Oriente asini plerique rubri. Proinde asinum execrati sunt *Ægyptii*, ut *Typhoni* concolorem, qui rufus fuisse credebatur. Ita *Plutarchus* in *Iside.* Asinæ nomen est אתון *athon* à *robore*; quia majori par est oneri, quàm ullum animal similis molis. Hinc *Gen.* 49. v. 14. Issachar *est asinus robustus.* Asellus עיר *ajir* vocatur ab *excitando*; quia parentibus multò est excitatior, Gallicè, *Plus esueille, plus esmeu.* De onagri nomine dicetur ubi de Feris.

Ut מור *mor*, myrrha, fit à מרר *marar*, amarum esse, חור *chor*, liber, à חרר *charar*, liberum efficere, & בור *bor*, sapo, à ברר *barar*, expurgare: ita שור *sor*, bos, à שרר *sarar*, firmum & stabilem esse *Syris*, *Talmudicis*, & *Æthiopibus*; quia vix ullum est animal bove firmius. Pro שור, *sor*, *Chaldæi*, de more ש & ת permutatis, תור *thor* dicunt & *Arabes* ثور *thaur*, unde *Ægyptium* θὼρ pro *bove* in *Hesychio*, *Græcè* ταῦρος, & *Rom.* *taurus.* Idem בקר *bakar* dicitur, quia *Arabicè* بقر est (*terram vomere*) *proscindere.* Sic boves à *terendo* *Triones* dicti; vel à *terra*, quasi *Terriones*; aut quasi *striones*, ut vult *Scaliger*, à *stria*, quam faciunt, dum sulcos vomere proscindunt. אלוף *alluph*, id est, *edoctus*, appellatur, cùm ad aratrum est docilis. Inde *Jonathan*, *Eccles.* 12. v. 11. דמאלף לתורתא *qui edocet boves.* Et *Jerem.* 31. v. 18. *vitulus* לא מליף *non edoctus.* Juvencus פר *par* vocatur, cùm ejus ætas ex dentibus cognosci incipit, quod *Arabicè* est فر *pharra.* עגול *agol rotundum* significat, unde עגל egel *vitulus*, qui formæ est maximè teretis, cùm saginatur.

Aries איל *ajil* à *viribus* dictus, agno opponitur, qui *Græcè* ἀμνὸς vocatur, quasi ἄμῃνος, id est, *sine viribus*: & *Arabicè* سخلة *sachla*, quia *infirmus.* Nam *Arab.* سخل *sachala*, ut *Hebr.* חשל *chashal*, & חלש *chalas*, *infirmum esse* sonat. Ovis צאן *tson* dicitur, & (q) צנא & (r) צנה *tsoneh*, à *copia.* Nam *Arabicè* ضني *sobolescere*, & *fœcundum esse* significat. Itaq; *Mich.* 1. v. 11. ישבת צאנן *Symmacho* fuit *habitatio abundans*, ut auctor est *Hieronymus.* *Abundans* est εὐθηνοῦσαν, pro quo *Cyrillus* perperam habet ἐνθηνοῦσαν. Nihil est opus monere quàm ovibus conveniat hoc nomen, quæ usque adeò fœcundæ sunt, ut his, tanquam vestibus, indui dicantur pascua, *Psal.* 64. v. 14. & in *Judæa* vicis describantur per chiliades, & myriades fœtificantes, *Psal.* 144. v. 13. טלה *tale*, Arabicè طلا *tala*, non solùm est *agnus*, sed & *hædus*, & *capreolus*, à *maculis.* Nam טלוא *talu*, *maculosum* sonat. Et apud *Poëtam* describuntur

Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo.

Ad quæ verba *Servius*; *Qui habent adhuc maculas à* *prima*

o) 1. Sam. 8, 11. 2. Sam. 1. 6.
p) Esa. 21. 7, 9. & 28, 28.
q) Num. 32. 24.
r) Ps. 8. 8.

prima ætate venientes. Accessu enim temporis mutatur color.

Hircus שעיר *saïr*, id est, *villosus, pilosus, hirsutus*, appellatus est, ut *Græcè* τράγος, quasi τραχὺς, *à pilorum asperitate*: & *Latinè hircus*, quasi *hirtus*, ut multis placet. Aliud nomen צפיר *tsaphir*, *matutinus*, quia summo manè ad pastum educitur, juxta *Varronem*, *primâ luce*, & apud Poetam *Luciferi primo cum sydere*. Hircus anniculus עתוד *athud* dicitur, quasi עתיד *athid*, id est, *paratus* putà ad sacrificia, commercia, lanienam, & coitum, & ad præcedendum gregem. Inde *Aiyde* nomen, quod *Arnobius hirquinum* vocat. Capra עז ez à *viribus*: quia in minuto pecore capra est ove robustior. *Aristoteles Hist.* lib. 8. cap. 10. Ἰσχύουσι δὲ μᾶλλον αἱ αἶγες τῶν οἰῶν.

Sus ab angustis oculis vocatur חזיר *chazir*: nempe *Arab.* خزر *chazira* est *angustos habere oculos*; qualis qui est اخزر *achzar* dicitur, & *oculorum exilitas* الخزر *alchazaro*. Scribit porrò *Plutarchus Sympos.* lib. 4. cap. 5. Τὰ ὄμματα τῶν ὑῶν οὕτως ἐκκεκλάσθαι καὶ κατεσπάσθαι ταῖς ὄψεσιν, *Suum oculos tam refracto & retracto esse visu, ut eorum quæ supra sunt nihil videre possint, neq; cælum intueri, nisi cum supini jacent. Gesnerus* quoque sues scribit ita cavos & profundos habere oculos, ut non sine vitæ periculo eximi possint.

Amos 8. v. 1. 2. *Hebræum* כלוב, club, *uncinum* reddit *Hieronymus*: ut *Arabicè* كلوب *calub* est *harpago*, & كلابات *cullabath*, *forcipes*, quæ *Chaldaicè* כלביא *culbaja*. Et inversis literis כבל *cebel*, *Hebraicè* est *compes*. *Canis* indidem כלב *celeb* dictus à *firmitate dentium*, quibus morsûs tenacitas tanta est, ut harpaginum, & forcipum instar videri queant, & ferreorum compedum. Sic *Isidoro canicula* est *ferreus harpax*. Et *Festo*, *Catulus genus quoddam vinculi, quod interdum Canis appellatur.* Unde in *Plauti Casina*, *Hodie canem, & furcam feres.* Hæc de bestiis cicuribus.

In feris leo *Manethoni Ægyptio* est ὀξυδερκέστατον θηρῶν, *fera visûs acutissimi*,

Καὶ πυρὸς ἀστράπτουσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγὲς,

& scintillæ ignis ab oculis ejus fulgurant, ut *Oppianus* auctor est. Proinde *Homerus* χαροποὺς *ravos* vocat. Et de iisdem sic *Plinius*, *Omnis vis constat in oculis*. Huc facit quod à *visu Arabicè* dicitur مبصر *mabsir*, ut *Græcè*, λέων ἀπὸ τοῦ λεύσσω, vel λάω, *video*, unde ἀλαὸς *cæcus*. Eodem referendum *Hebræum* leonis nomen ארי *ari*. Nam ארי *ari* est pro ראי *rai*, à ראה *raa*, quod *videre est*. Sic *gemere* נאק *naak*, & אנק *anak*; *dolere* דאב *daab*, & ארב *adab*; *labrusca* באושים *beüsim*, & אובשים *ubesim*. *Leo*, aliter ליש *lajis* dicitur ut *Græcè* λῖς, & *Arabicè* ليث *lajsths* à *fortitudine*, quæ *Arabicè* ليس *lajas*, & ليث *lajaths*, unde الليث alaithso, *fortis*, *strenuus*. שחל *sachal*, pro שחר *sachar*, L & R permutatis, est *leo niger*, qui Arabicè ادلم *adlamo*, quales in *Syria* nonnulli. Plinius, *Leonum color tantùm in Syria niger*. לביא *labi*, *Arabicè* لبوة *lebua*, *leæna* est propriè ἡ τοὺς σκύμνους θηλάζουσα, *quæ catulos lactat*. An quia lac ejus crassius est, & colostri instar, quod *Arabicè* est لبا *liba*? Leunculus λεόντιδευς, כפיר *cephir*, pro כביר *cebir*, propriè *leo adolescens*, qui *Arabicè* شبل *siblon*. Nam كبر *cabara*, & شبل *sabala* synonyma verba sunt, quorum utrumq; *adolescere* sonat. גור *gur* (*Arabicè* جرو *garu*) non solum *leonis*, sed & *feræ* cujusvis est *catulus*. Nempe גור *gur* verbum (ut אגר *agar*, & *Græcè* ἀγείρειν) est *congregare*. Inde igitur catuli dicti, quia circa matrem congregantur.

Chaldaicè נמור nemor *varium*, & *Syriacè* ܢܡܪ nammer *varii coloris esse* sonat, ut *Arabicè* نمر *namora* & نمرة nomra *maculam*. Hinc *Alcamus*,

النمر سبع سمي النمرة التي فيه

Namir, *fera sic dicta à maculis, quas habet.* Pardum, vel *pantheram* intellige, quæ & *Hebræis* נמר *namer* dicitur, & *Latinè Varia* in *Plinio*, & aliis. De pardo, *Jer.* 13. v. 23. *An mutare potest* Chusæus *pellem suam, aut pardus maculas suas?*

Ex *Arabico* زب *zabba*, vel دب dabba, *pilosum esse*, & *hirsutum*, urso nomen aptissimum דב *dob*, qui *Græcè* quoque δασύπους dicitur à *densitate pilorum*, ut *Etymologus* auctor est. Hinc de ursis *Oppianus*,

Λάχνῃ μὲν πυκινῇ δυσαήταί τ' ἀμφιέσαντο,

villo quidem denso, & aspero vestiti sunt. Et in *Aristotele*, *De partibus* lib. 2. cap. 14. habent τὸ σῶμα δασὺ λίαν, *corpus valde hirsutum*. Quò pertinet, quòd *villosos Poetæ* vocant.

Ad זהב *zahab*, id est, *aurum*, alludit זאב *zeeb*, Hebræum *lupi* nomen. Id primùm convenisse puto aureo lupo circa montem *Amanum* prope *Syriam*, de quo *Oppianus*,

- - - - - - - - - - ὅντε καλοῦσι

Χρύσεον, ἀστράπτοντα πολυτριχέεσσιν ἐθείραις,

quem aureum vocant, valde comantibus pilis lucentem.

Hyena ut *Arabicè* ضبع *dhabu*, sic *Hebraicè* צבוע *tsabua*, id est, *picta*, dicitur à *colorum varietate*. Unde *Oppiano* γλάνις, & Poëtis *Arabum* البالقع *bicolor*. Vel צבוע est *hypocrita*, quomodo vocari potuit à *fucatis moribus*. Dicitur enim imitatione vocis humanæ hominem excire, in quem sæviat, vomitus quoque humanos mentiri, falsisque singultibus sollicitatos canes strangulare, & devorare. Huic non dissimiles *thoes*, sed minores, & minùs noxii, ut *Arabicè* vocantur بنات اوي *filiæ avvi*, ita *Hebraicè* איים *ijim* ab *acuto ululatu*, quo personant agros *Syriæ*, cùm noctu turmatim cursitant. *Vulpes*, animal congener, שועל *sual* à *tussi* dicitur. Nam שעל, *saal*, *Hebræis* est *tussire*, & שעל *siul*, vel *seol*, *tussis*, cui maximè est obnoxius. Unde *Gallorum* Proverbium de sene tussiente, *Hæc est vulpina tussis, quæ in foveam illum deducet.*

In cervino genere, ipsi *cervo* nomen est איל *ajal* à *vigore* corporis; *vulgari capreæ* צבי *tsebi* à *decore*, & *specie*; *alba capreæ* רים *rem*, & ראם *reem*, & *Arabicè* ريم *rim* ab *attollendo*, quia caput, & aures solet sursum erigere, quod *Arabes* vocant ايقاف *elationem* τοῦ *rim*. Ibici יעל *jaal* ab *ascensu*; quia scandit in summa rupium. *Rupicapra* זמר *zemer* à *saltu*, nam *Arabicè* زمر *zamara saltire* est, non saltu quovis, sed capreæ. *Tragelapho* דישון *dison* à *colore cinereo*: ut damæ generi serratis cornibus יחמור *jacha-*

jachmur, quia *rufa* est. Videndum an sit κεμάς, quam ξυθὴν vocat (s) *Herodicus Babylonius*, & (t) *Ælianus* πυῤῥότριχα. *Lanugo mollis*, quæ hinnulorum cornibus innascitur. *Arabicè* غفر *ghapharon* dicitur, unde غفر *ghiphron* vel *ghaphron* ipsum animal, & *Hebraicè* עופר *opher* iisdem radicalibus, nisi quod illud per *ghain* scribitur, hoc per *ajin*. Sic quia σπάθη Græcis radium textoris lanâ involutum, & ἄχαια in *Hesychio* ἔρια μαλακά, *lanas molles* significat, *hinnuli* Græcè σπαθίναι dicti sunt, & ἀχαΐναι, ut qui cornua habeant lanam mollitie referentia.

s) Apud Athen. lib. 9.
t) Hist. lib. 14. cap. 14.

Onager ערוד *aroda voce* dicitur, quæ Latinè *ruditus*: & פרא *pere* à *cursu*. Nam *Chaldaicè* פרא *para* est *currere*. Et, cùm vulgaris asinus sit tarditatis indomitæ, ferum describit *Oppianus*.

Κραιπνόν, ἀελλοπόδην, κρατερώνυχον, ὀξύτατον θεῖν.
Velocem, rapidum, validis ungulis, cursu expeditissimum.

Et in *Aristotele* (u) onagri sunt τὴν ταχυτῆτα διαφέροντες, *celeritate eximii*; in *Æliano* (x) ὠκύτατοι δραμεῖν, *cursu velocissimi*; in *Xenophonte* (y) πολὺ τοῦ ἵππου θᾶττον ἔτρεχον, *equo currebant multò velociùs*; & in *Leone Africano*, (z) *Equis tantùm Barbaricis cedunt*. Ut *asellus*, ita & *lalisio* עיר *ajir* dicitur, & ratio vocis supra explicata est.

u) Hist. lib. 6. cap. 36.
x) Hist. lib. 14. cap. 10.
y) Cyr. Min. lib. 1.
z) Lib. 9.

Lepori nomen ארנבת *arnebeth*, voce compositâ ex ארה *ara*, *carpere*, & ניב *nib*, id est, *terræ proventus*. Cui quantam perniciem creet ex veteribus discere est, quorum alii *Leron* (a) insulam, alii *Astypalæam* (b) alii denique *Carpathum* (c) à leporibus desolatas fuisse tradunt. Ut, leporum genus, cuniculos taceam qui λυμαίνονται φυτὰ, καὶ σπέρματα, ῥιζοφαγοῦντες, *stirpes, & semina lædunt, & usque ad radices vorant*: idque per totam *Hispaniam*, & vicinas insulas, ut *Strabo* auctor est lib. 3. Proinde *Balearicos* adversus proventum eorum auxilium militare à *Divo Augusto* petiisse, scribit *Plinius* lib. 8. cap. 55.

a) Hygin. lib. 2. Astronom.
b) Athen. lib. 9.
c) Pollux, Hesych. Suid. Eustath. in Dionys.

Simia קוף *koph* multis videtur à *circumeundo* dici, quia קוף *kuph*, vel נקף *jakaph*, *ambire* est, & *circum ire*. Sed קוף *koph* potius est *cephus*, *cebus*, vel *cibus* animal *Æthiopicum* inter simiarum species. *Hericius Hebraicè* קפוד *kippod*, & *Arabicè* قنفذ *kunphud*, ex קנה *kane*, & אפוד *aphud*, quia spiculis cinctus, & circumvallatus est: hinc *Syris* ܩܦܕ est ὀρθοτριχεῖν, *horripilare*, Gallicè, *herisser*. Et קפדן *kaphdan* Talmudicis *vir morosus*, & *iracundus*, quasi totus spinis horreat. Quo sensu *Hieronymus hystricosæ mentis hominem* dixit in *Ruffinum* lib. 1.

Ad ספן *saphan*, *tegere*, & צפן *tsaphan*, *abscondere*, alludit chœrogryllorum nomen *Hebræum* שפנים *sephanim*, qui in petrarum scrobibus tecti latent, *Psal.* 104. *v.* 18. & *Proverb.* 30. *v.* 26. *Mus* contractè עכבר *achbar* dicitur pro עכלבר *achalbar*, quia consumit agros, vel quia consumit frumentum. Nempe עכבר propriè est *mus agrestis*, 1. *Sam.* 6. *v.* 5. & *Hebrais* עכל *achal*, *consumere*, בר *bar ager*, item *frumentum*. *Talpæ* à *fodiendo* dicuntur חפרפרות *Esa.* 2. *vers.* 20. Quo eodem pertinet aliud talpæ nomen חולד *choled*, *Levit.* 11. *v.* 29. *Syris* quoque, & *Arabibus* notum Nam חלד *chalad*, *subire*, & *penetrare*, & *effodere*. Sic talpa *Græcè* σκάλοψ, & σκαλώπιζα dicitur ἀπὸ τοῦ σκάλλειν, & σκαλεύειν.

Hæc de bestiis domesticis, & feris. In avibus נשר, *neser*, *aquila*, dicitur ab *adunco rostro*; quo carnem *carpit*, & *vellicat*. Quod *Arabicè* est نسر *nasara*, rapacium proprium, ut reliquarum نقر *nakara*. Itaque, servili præfixâ, illarum rostrum est منسر *minsar*, harum منقار *minkar*. *Ossifraga* nomen פרס *peres*, à *frangendis ossibus*. Id enim ipsum est פרס *paras*, vel פרש, per *sin semel*. Sic *Mich.* 3. *v.* 3. *Et ossa eorum ruperunt*, ופרשו *& fregerunt*. A *viribus* עזניה *oznija* dicta μελανάετος, id est, *aquila nigra*, Homero καρτίστη τε, καὶ ὠκύστατος πετεηνῶν, *avium validissima, & velocissima*. Proinde *Philosophus*, ubi de aquilarum speciebus, lib. 9. cap. 32. Ἕτερος δὲ μέλας τὴν χρόαν, καὶ μέγεθος ἐλάχιστος, καὶ κράτιστος τούτων· & *Plinius*, Melanæetos *à* Græcis *dicta*, *eademque VALERIA* (à valendo) *minima magnitudine, viribus præcipua*. Est & aquilæ genus אנפה *anapha*, & δύσπαια Græcè. Nomen est ab *ira* factum. *Irasci* enim est אנף *anaph*. Sic *Arabicè* زمج *zamigia*, *irasci*, & زمج *zammeg*, aquilæ genus est, quam suo loco accuratè describimus.

Milvus in *Levitico* דאה *daa* dicitur, in *Deuteronomio* ראה *raa*; illud à *volatu*, hoc à *visu* est. Quod ultimum posse ferri suadebunt hæc *Apuleji* lib. 6. *Metam. Nec tamen astutulæ anûs milvinos oculos effugere potui*: quibus laudatur milvus à præstantia visûs. Tamen magis arridet prior lectio, quâ à *volatu* דאה *daa* vocatur; quia in milvi volatu multa sunt singularia;

1. Quòd altissimè volat. *Martialis* (d)
Hinc propè summa rapax milvus in astra volat.
2. Quòd diu volat. *Persius* (e)
- *arat Curibus quantum non milvus oberret.*
Et *Juvenalis* (f)
- - *tot milvos intra tua pascua lassos.*
3. Quòd quandoque per horam integram volat alis propè immotis: id *Galli planare* vocant.

d) Lib. 9. Epigram. 55.
e) Sat. 4.
f) Sat. 9.

Volare etiam est נצה *natsa*, unde נץ *nets*, *accipiter*, cujus volatus est velocissimus. Itaque ab *Hesiodo* (g) vocatur ὠκυπέτης, ut ab *Homero*, (h) ὠκύς, & (i) ἐλαφρότατος πετεηνῶν. Et in *Aristophanis Avibus* Sycophanta instrui petit ταχέσι καὶ κούφοις πτεροῖς ἱέραξ, *circis, & levibus aliis accipitris*.

g) In Operib. vers. 210.
h) Iliad. vers. 237.
i) Odyss. vers. 86.

Vulturum alius est totus ater, qui דיה *daja* vocatur, ut *atramentum* דיו *dejo*; alius solis pennis niger, cætera albus, qui à *misericordia*, & φιλοστοργίᾳ dicitur רחם *racham*, id est, *misericors*. Quia in illo genere mater, τὸν ἑαυτῆς μηρὸν ἀνατεμοῦσα, *proprio exsecto femore, pullis suis præbet sanguinem exsugendum, ne cibi penuriâ conficiantur*. Ita ex *Ægyptiorum* doctrina *Horus Hierogl.* lib. 1. cap. 11. Et de iisdem *Pisidas* versu 1066.

Τὸν μηρὸν ἐκτέμνοντες, ἡματωμένοις
Γάλακτος ὁλκοῖς ζωπυροῦσι τὰ βρέφη.

Femore exsecto, sanguineo lactis defluxu suos fœtus resocillant. Proinde apud *Homerum Odyss.* π΄. tenerrimè flent

- - αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, οἷσί τε τέκνα
Ἀγρόται ἐξείλοντο, πάρος πετεηνὰ γενέσθαι,

vultures curvis unguibus, quibus pullos rustici exemerunt, antequam volucres essent. Et in *Vincentio* (k) vultur pro pullis *se periculo exponit, dum etiam fortiorem se, volentem eos dirspere, suis unguibus vulnerat, & alis percutit*. Et in *Cassiodoro* (l) reliquas quoque aves ab accipitre pari affectu tuetur: *Vultur*, inquit, *accipitrem, vitam plumigerarum avium persequentem, alis cædit, ore dilaniat, totoque suo pondere periclitantibus nititur subvenire*. Et in *Scaligero* (m) vultur *Africanus* in senectute, *nudus pennis, à suis pullis alitur*. Proinde *Ægyptii*, *ut matrem significent*, ἢ ἐλεήμονα *aut misericordem*, *vulturem pingunt*; ut auctor est *Horus*, ubi supra.

k) Doctrin. lib. 16. cap. 170.
l) Lib. 2. Ep. 19.
m) In Cardan. Exercit. 231.

Tale est, quod חסידה *chasida*, id est, *pia*, & *benigna*, vocatur *ciconia* propter ἀντιπελαργίαν illam erga parentes tam decantatam, & vulgò etiam tam notam, quàm ignotum, quod de vulturis misericordia diximus: proinde in illa explicanda prolixiores fuimus, quàm patitur in hoc capite nostri instituti ratio.

Contra *struthio* Hebraicè תחמס *thachmas* dicitur,

tur & *Arabicè* ظليم *dalim*, id est *iniquus*, & *impius*; quia prolem suam negligit. Cùm enim aves reliquæ ova foveant, & pullos cum cura educent: *Hæc ova sua derelinquit in terra*, &c. *Nec cogitat futurum, ut illa pes conterat, & agri bestia comprimat. Duram se exhibet erga pullos suos, ac si non essent sui*, Job. 39, 17. &c. Proinde *Jeremias*, Thren. 4, 3. *Filia populi mei crudelis est, ut struthiones deserti.* *Israëlitas* intelligit, qui in extrema fame parvulos suos neglexerant, de se solis solliciti. Nota in struthione marem appellari תחמס *thachmas*, & fœminam יענה *jaana*, vel בת יענה *bath jaana*; quasi *clamosam* dicas, aut *filiam clamoris*. Clamosum enim est animal. (n) In *Brasiliæ* mediterraneis tam altum clamant, ut ad dimidiam *leucam* audiantur. *Arabicè* struthionis clamor in utroque sexu رغا *rogha* dicitur, in mare عرار *irar*, in fœmina زمار *zimar*, & cum posuit ova نقنقة *naknaka*. Unde ipsa avis نقنقة *niknika*: cujusmodi voces ὀνοματοποιητικὰς etiam in avium nominibus *Hebræi* nonnullas habent, quæ illarum cantum exprimunt. In his sunt תור *thor* pro turture, עגור *agor* pro grue, סיס *sis* pro hirundine, quæ *Italis* circa *Venetiam* zisilla, & cantus ejus *zisillare*, ut *Latinè zinzilulare*, in *Poëmatio* de *Philomela*. Eodem pertinet, quod *æsalon* (Gallis *esmerillon*) *Hebr.* vocatur איה *aja*, ut *Arab.* يويو *juju*, & *cantus* يايا *jaja*.

n) *Io. de Laet. Americ. lib. 15. cap. 7.*

Pelicano nomen קאת *kaath* est à *vomitu* sumptum; quia conchas jam absorptas revomit, postquam calore ventris apertæ sunt, ut ex iis esculenta legat. Quod è *Græcis* testantur (o, p) *Aristoteles*, (q) *Antigonus Carystius*, (r) *Ælianus*, (s) *Phile*, (t) *Pisidas*, (u) *Eustathius Antiochenus*, (x) *Michael Apostolius*: ut è *Romanis*, (y) *Cicero*, (z) *Plinius*, alii.

o) *Hist.* 9, 10. p) *Et in Mirab.* q) *Hist.* 47. r) *Hist. lib.* 3. *cap.* 20. s) *De Anim. cap.* 8. t) *In Opif. mundi.* u) *In Hexaem.* x) *Cent.* 15. *Prov.* 93. y) *De Nat. Deor. lib.* 2. z) *Lib.* 10. *cap.* 40.

Ut שלך *salach* verbum est καταῤῥάσσειν, *præcipitare, cum impetu projicere, & deturbare*, (ut Ps. 102, 11. ubi pro *Hebræo* השליכני *Græci* habent κατέῤῥαξάς με, *dejecisti me*) ita nomine שלך *salach* significatur avis *catarrhactes*, quæ vel è summis scopulis, vel è sublimi aëre, quovis telo celerius, in mare se præcipitem dejicit, & ad orgyiæ mensuram immersa pisces captat, quos emersa statim devorat: eadem, ova sua, unguibus comprehensa, subinde immergens, & mox educens, hoc motu concalefacit, donec pulli excludantur. Et pullos editos in mare sæpe demissos illico extrahit, ut huic exercitio à teneris sic assuefiant. Sed in senio, cum deficit visus, scopulis illiditur, aut tabulis, in quibus pictæ sunt piscium imagines, qua arte nonnunquam capitur. Hæc, ex *Oppiani Ixeuticis*, *Dionysius Characenus*. Ex quibus abundè constat, quam huic avi conveniat nomen שלך, seu *catarrhactes*.

Quædam aves à locis dictæ sunt, quas consulto prætereo, quia ad rem nostram non faciunt. Cum avium nomina inde desumpta, non solum *Adamo* sint, sed & *Noacho* recentiora. Ita *pavones* תוכיים *thuchijim* pro כותיים *chuthijim*, dicti videntur per Metathesin; quia ex *Cuth*, seu *Perside*, in *Judæam* primo allati sunt, quomodo etiam in *Græciam*. Proinde Περσικὸν, & Μηδικὸν ὄρνιν veteres appellârunt: ut *domesticis columbis* nomen יונים *jonim* ab *Jonibus*, seu *Græcis*. Nam in *Græcia* fuisse ab omni ævo docent fabulæ vetustissimæ de *Dodonæa* columba, de columba *Deucalionis*, de columbis quæ *Jovem* in cunis vagientem Ambrosia dicuntur aluisse, &c. cum *Theophrastus* columbas tradat in *Asiam* esse invectitias. His quæ videntur posse objici diluere conatus sum in Tractatu de Columbis. At *columba fera* דרור *deror* nomē est à *libertate*; quia plena libertate fruitur, nec ulli loco adstricta, & tanquam glebæ affixa. Itaque hujusmodi columbarum gregem αὐτόνομον ἀγέλην vocat *Basilius* Epist. 175. ad *Julittam*; id est, *gregem liberi pastûs*, aut *suis legibus utentem*.

Noctua vocatur תנשמת *thinsemeth*; quia quisquis videt illam שומם *miratur*, & *obstupescit*. Ita *Hebræi*. Quod de aliis avibus maximè intelligendum. *Aristoteles*, *Hist.* lib. 9. cap. 1. *Cæteræ aviculæ noctuam circumvolant, ὃ καλεῖται θαυμάζειν, quod mirari vocatur.* *Timo Sillographus* de *Arcesilao*,

Οἱ δὲ μιν ὥστε γλαῦκα πέριξ σπῖζαι τεθάλυντο,

Illum autem mirabantur, ut aviculæ, quæ noctuam circumstant. Vide etiam *Dionem* Orat. 12. & *Lucianum* in *Harmonide*. Alii huc fabulam trahunt de *Nyctimene*, quæ, postquam cum patre concubuisset, in noctuam conversa, *tanto scelere*, inquiunt, *omnibus avibus est admirationi*. Ita *Servius* in lib. 1. *Georg.*

Aliæ sunt aves nocturnæ, quæ ab argumento nomen habent. Sic quia נשף *neseph* idem est, quod σκότος, *caligo*, ינשוף *jansuph* est bubonis species. Et *vespertilio* trajectis literis, עטלף *atalleph* dicitur pro עף טלל *aph tallel*, vel *oph tallel*, quasi *avem tenebrosam*, aut *tenebrarum* dixeris.

Phthisis, Hebr. שחפת *sachepheth*, morbus est, quo corpus extenuatur, & contabescit. Et שחף *sachaph*, *larus* vel *cepphus*, quem dicit *Aristophanis Scholiastes* in *Pace* ἔχειν πολὺ μὲν ἐν τοῖς πτεροῖς, ὀλίγον δ᾽ ἐν τοῖς κρέασι, *plumarum quidem multùm habere, sed parùm carnium*, quasi laboraret phthisi. Proinde levissimus est, & fluctibus innatat. *Hesychius*, Κέπφος, εἶδος ὀρνέου κουφοτάτου. *Suidas*, Κέπφος, εἶδος ὀρνέου ὁ λεγόμενος λάρος, ἔστι δὲ κοῦφον, καὶ ἐπιπλεῖον τοῖς κύμασιν. Contra, *coturnix* Arabicè سماني *sumana* vocatur à *pinguedine*. At *Hebræum* שלו *selau*, ab *ubertate* deduxerim, vel invitis *Masorethis*, qui שלו, id est, *coturnices*, puncto sinistro notant, & שלוה *ioshluian*, vel *ubertatem*, dextro. Huic etymo favet coturnicum immanis numerus in *Ægypto*, & *Palæstina*; de quo nos suo loco.

Upupam vocat *Æschylus* πετραῖον ὄρνιν, *saxatilem avem*, aut *gallinam*, & *Græcorum* vulgus hodie ἀγριόκουρον, ut *Hesychius* (a) ἀλεκτρυόνα ἄγριον, *gallum sylvestrem*. Quo fortasse pertinet, quod *Hebraicè* דוכיפת *duchiphath* appellatur. Alludunt enim ديك *dic*, & כף *cheph*: quorum illud *Arabicè gallum*; hoc *Hebræis*, & *Syris*, *petram* sonat.

a) E'πωπα pro ἔποπα.

Gallinago Græcè σκολόπαξ dicitur à longo rostro instar σκόλοπος, id est, *pali*. Eodem redit *Hebræum* nomen קורא *kore*, unde *Arabicum* قارية *karia*. Fit enim à קורה *kora*, quâ voce non solùm *trabem*, sed & *palum* significari constat, quem reparandæ sepi adhibent. Hinc *Talmudici* in *Moed Katon*, מקרין את הפריצה בהוצא ודפני *Sepis rupturam reparant palis ex palma & lauro.*

Onocrotalum Romani veteres *truonem* appellabant; quia tanquam *truam* habet è rostro dependentem, id est, vas magnum, cujus *trulla* diminutivum. Vide *Festum*, *Varronem*, & *Nonnum*, in *truo*, *trua*, vel *trulla*. Eadem avis כוס *chos* dici videtur, *Ps.* 102, 7. id est, *trua*, seu *vas*, ut *Arabicè* الحوصل *alhausal*, id est, *ingluvies*; quasi tota nihil quicquam sit quam trua, & ingluvies.

Græca voces ὀρφνός, & ὄρφνιος, vel ὄρφνιος, à *tenebris* ad nigredinem significandam transferuntur. Sic ab *Hebræis* ערב *ereb vespera*, & ערב *arab advesperascere*, & *obtenebrascere*, corvus, qui nigredine insignis est, *Hebraicè* עורב *oreb* dictus est, & *Arabicè* غراب *gorab*: quia ut albus lumini, ita tenebris niger videtur esse color.

Lacertorum plura sunt genera in *Mose*, Levit. 11, 29. 30. צב *tsab*, אנקה *anaka*, כח *coach*, לטאה *letaa*, חומט *chomet*, תנשמת *thinsemeth*, & *Prov.* 30, 24. שממית *semamith*, *quæ manibus apprehenditur, & est in regum palatiis.*

I. צב *tsab*, *Arabicè* ضب *dhab* (*Tsade* mutato in *Dhad*, propter punctum appositum) est *crocodilus terrestris*, majoris lacerti species, *Arabiæ* peculiaris, quem ex *Arabum* monimentis suo loco pluribus describimus. Radix ضب *dhabba*, significat *hæsit e terra*, planè ut لطا *lataa*, de quo mox. II. אנקה, *anaka*, est *stellio*, quem *stridoris acerbi* describit *Plinius* lib. 29. cap. 4. unde illi nomen: *Hebræis* enim אנקה, *anaka*, *gemitum & clamorem acutum* sonat. III. כח, *coach*, *lacertus* à *robore* sic appellatus, omnino est *Arabum* ورل *guarl*. Ejus enim robur eminet in pugna contra serpentes, & crocodilum terrestrem, quorum lustra invadit. Itaque de illo dicunt *Arabes*,

هو اظلم من ظالم *Is est violento violentior*, id est, serpente, qui reliquis lacertis superior est. IV. לטאה, *letaa*, videtur esse *Arabum* وحرة vvachara; *lacertæ genus*, inquiunt, *stellioni simile*, TERRÆ ADHÆRENS, *& veneno suo inficiens quicquid contingit*. De quo vulgatum Proverbium in dolosos homines, *Dolus ipsis adhæret* كما تلزق الوحرة بالارض *ut* vvachara *adhæret terræ*. Itaque ob id ipsum לטאה *letaa*, dicitur. Nam *Arabicè* لطا *lataa*, ut jam diximus, est *adhærere terræ*. Et in *Mose* לטאה scribitur per *Lamed* majusculum, ut sciamus ab ejus veneno vel maximè esse cavendum. Ita monet *Buxtorfius* in *Commentario Masorethico*, cap. 14. Videndum an *Hebræorum letaa*, & *Arabum vvachara*, sit *salamandra Græcorum*, quod mihi fit verisimile. V. חומט, *chomet*, est *arenaria lacerta*, ut docet nomen. *Hebræis* enim חומטון, *chometon*, est *arena*, ut *Græcè* ἄμαθος. Ita igitur vocari puto lacertæ genus, quæ, viso homine تغوص في الرمل *in arena mergitur, quomodo piscis in aqua*. *Arabicum* nomen est حلكا *chulaca*, vel لحكا *luchaca*. Sunt & qui vocent بنات النقا *filias tumuli arenæ*, quod ibi perpetuo degant. VI. תנשמת, *thinsemeth*, mihi est *chamæleon*; qui à נשם, *nasam*, id est, à *spirando*, vel ab *aspirando* sic appelletur, quia ore semper diducto aërem attrahit, ac proinde à multis eo solo vesci creditur. VII. שממית, *semamith*, in *Solomone* idem est, quod in *Mose* אנקה *anaka*, nempe *stellio*. Itaque in Lege pro אנקה, *anaka*, *Samaritanus* habet [illegible] *semamitha*; & *Syrus* utrobique ܐܡܩܪܒܐ *amkerba*, ex quo, per Metathesim, factum in *Chaldæo* אקמתא *Prov.* 30. *v.* 24. Sed rectius est אמקתא ex *Hebræo* אנקה, *Mem* & *Nun* permutatis. Itaque *Græcus* quoque, & *Romanus* Interpres, in *Proverbiis*, *stellionem* interpretantur. Quin *Talmudicis* שממית *semamith*, & *Græcis* hodie σαμιάμιθος est *stellio*: ut *Arabibus* سام ابرص *sammabras*. Cujus nominis pars prior, *samma*, *veneno infectum* sonat, planè ut *Hebræum semamith*: & posterior, *abras*, *leprosum*; quia tanquam lepræ maculis interstinctus est.

In his *Os.* 12, 12. *Altaria eorum* כגלים *ut acervi super porcas agri*; pro, *ut acervus*, *Græci* habent ὡς χελῶναι, *ut testudines*. Inde colligas voce גל, *gal*, *Hebræos* non solùm *acervum*, sed & *testudinem* significâsse: ut *Syris* hodieque ܓܠܐ *galla* est *testudo*; quomodo dicta videtur à *testæ* forma, quæ fere est orbicularis. Nam גלל, *galal*, est *in orbem volvere*, גלות *gulloth*, & גלילים *gelilim*, *orbes*, &, geminatis radicalibus, גלגלת *gulgoleth*, *cranium*, גלגל *galgal*, *rota & sphæra*, גלגלי *galgali*, *sphæricus*. Aut pro ὡς χελῶναι legendum ὡς κολῶναι, ut suo loco monemus.

Rana non dicitur צפרדע *tsephardea*, quod *matutinum* tempus noverit, ut hactenus creditum, sed à *limosis ripis*, in quibus degit. Nempe *Arabicè* ضفة *ripam*, & ردغ *limum* sonat; inde compositum צפרדע. pro quo *Arabes* olim ضفردع, deinde eliso *Re* ضفدع dixerunt.

In serpentibus dubitant, an *vipera* dicatur quasi *vipara*, aut quasi *vivipara*: sed res ferè eodem redit; quia necesse est, ut vi pariat, si catulos vivos parit, cum ζωοτοκία, multo sit difficilior, quam simplex ᾠοτοκία. Neque absurdè huc referatur *Hebræum viperæ* nomen אפעה, tanquam à פעה factum, id est, *clamare contentâ voce*, idque propriè *in partu*, *Es.* 42, 14. Ut כרכוב, *carcub*, *ambitus* est, ex כרך *carac*, *ambire*, *Beth* in fine adscito: ita עכשוב *acsub*, *aspis*, ex עכש *acas*.

Nempe *Arabibus* عكس *acasa* est *ad principium suum rem reflectere, & retorquere*: sive id fiat rectâ lineâ, ut in repercussu Solis; aut per circulos, & gyros, ut cum, capite ad caudam obverso, serpens in spiram se colligit. Id aspidi maximè convenit, qui *Græcè dicitur* ἀσπίς, quia in gyros se torquet in *clypei* modum. Serpens *cenchrius*, vel κεγχρίδιας, à maculis *milii* magnitudine & colore sic appellatus, *Hebr.* vocatur צבוע *tseboa*, id est, *pictus*. Inde *vallis Tseboim*, 1. *Sam.* 13, 18. si *Hebræis* credimus, ubi frequens hoc serpentis genus. *Basilisci* nomen צפע *tsephaa*, vel צפעוני *tsiphoni*, videtur ipso sono horrendum illum sibilum exprimere, quo reliqua animalia vel fugat, vel interficit. *Acontias*, seu *jaculus*, *Es.* 34, 15. vocatur à *saltu* קפוז *kippoz* ut *Arabicè* قفازة *kipphaza*; quia saltu vel in arbores, vel in viatores irruit. Nam *Arabicum* قفز *kaphaza*, ut *Hebraicum* קפז *kaphaz*, propriè *in altum exsilire* significat. *Cerasti* & *hæmorrhoo*, præter cornua, hoc est peculiare, quod dorsi spinas non habent osseas, ut reliqui serpentes, sed solùm cartilagineas, & in utramque partem ita flexiles, ut in incessu nulla possit esse firmitas. Unde *Lucanus*,

— spinaque vagi torquente cerastæ:

& *Nicander* in *Theriacis* de hæmorrhoo,

Δοχμὰ δ' ἐπισκάζει ὀλίγον δέμας, οἷα κεράστης.

Oblique claudicat parvum corpus ejus, more cerastæ. Et infra de utrisque,

Ἔξοθεν αἱμορρόος σκολιοπλανέες τε κεράσται
Οἷοι χωλεύουσι.

Exinde hæmorrhoi, & obliquè errantes cerastæ, serpentum *soli claudicant*. Itaque à verbo שפף *saphaph*, quod *Hebræis claudicare* est, utrique apprimè convenit nomen שפיפון *sephiphon*, à *claudicatione* factum. Eorum meminit *Jacob* in benedictione *Danis*, *Gen.* 49, 17.

Angues alati, qui ex *Libya*, & *Arabia*, quotannis in *Ægyptum* volant, sunt in hydrorum specie. Ita *Herodotus* lib. 3. Τὸ δ' εἶδος ἡ μορφὴ ὅμοιος τῶν ὕδρων. Nomen *Hebræum* esse שרף, *saraph*, docet, quod *Es.* 30, 6. in *Ægypto* describitur *vipera* מעופף שרף *& saraph volans*. Dicitur autem *saraph* ab *exurendo*: nam verbum שרף, *saraph*, est *exurere*. Nempe hydrum, vel, quod idem est, chersydrum, vim habere igneam, & morsu suo exurere tradunt quotquot de illo scripserunt. Proinde etiam in virgâ ejus ori admotâ fellei coloris vesicæ excitantur, & gladius à mucrone usque ad capulum tetro ac cæruleo colore tingitur, ac si flammâ violentâ corriperetur: vellus quoque, hoc veneno infectum, tanquam igne lento carpi, & consumi legitur. Quocirca apud *Nicandrum* ex illius morsu consequuntur

Ἄλγεα πυρπολέοντα, θοαὶ δ' ἐπὶ γυῖα χέονται
Πεμφῖγες·

dolores tanquam incendiis depopulantes, & pustulas urentes, statim per membra sparguntur. Et serpentes שרפים *seraphim*, à quibus *Israelitæ* in deserto morsi sunt, *Hebræi*, non tantùm veneno dentium, sed & solo halitu ussisse, & flammas ex ore suo sparsisse scribunt. Draconum nomen תנים *thannim* alludit ad תנות *thanneth*, quod θρηνεῖν *plangere* explicant vetustissimi Interpretes, *Jud.* 11, 40. Et iidem describuntur ut θρηνητικὰ ζῶα, *Job.* 30, 29. & *Mich.* 1, 8. Quia cum capite erecto, & diductis faucibus, sursum aspirare sæpe visi sint, id ita accepisse putantur *Hebræorum* antiquissimi, ac si ore in cœlum obverso per suspiria, & gemitus ad Deum de sorte sua conquererentur, quodque omnibus odiosi, desertisque, ac feralibus addicti locis, longam quidem, sed miseram vitam ægrè traherent. Draconis aliud nomen לויתן *leviathan*, à *multiplici flexu* sumptum est. Nam *Arabicè* in *Alcamus* لوا الحيـة sunt *serpentis spira*: & de serpente لوي vel تلوي vel التلوي *in spiras se convolvit.*

E multis locustarum nominibus, quæ in *Mose*, & Prophetarum aliis reperire est, ne unum quidem est, quod non certa ratione nitatur. Vulgatissimum ארבה, *arbe*, à *copia* sumptum; quia locustis nihil fœcundius. Hinc Scriptura toties *Veniebant ut locusta multitudine*, & *diffusi ut locusta*, Jud. 6, 5. & 7, 12. *Venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus*, Ps. 105, 34. Vide & *Jerem.* 46, 23. & 51, 14. *Joel.* 1, 6. *Nahum.* 3, 15. Locustæ etiam גב, *gob*, vocatur, &c. & גבי *gobai*, ut *Arabicè* جاب *gab*, & جابي *gabai*; quia è terra emergit: id enim *Arabibus* جبا *gaba*. Et גזם *gazam*, quia non solum herbas, sed & arborum ramos teneriores abscindit; quod verbo *Chaldæis*, *Arabibus*, & *Æthiopibus* notissimo גזם dicitur. *Leo Africanus* lib. 9. de Locustis, *Arbores ipsas pariter cum frondibus, ac fructu esitant.* A *velo* fit nomen חגב *chagab*, & צלצל *tselatsal* ab *umbra*; quia locustarum nubes, cum volant, Solem obumbrant, & illi velum obtendunt. A *consumendo* est חסיל *chasil*, & à *lingendo* ילק *jelek*, & à *vorando* סלעם *solam*, & à *longo agmine* חרגל *chargol*. Nam *Arabicè* حرجل *chargala* est *longo agmine ferri*: unde حرجلة *chargala*, *locustarum agmen*, quod quandoque est multorum millium.

In muscarum generibus *musca* propriè dicta *Hebræis* est זבוב *zebub*, Chaldæis דבובא *debuba*, Arabibus ذباب *dsebab*: & his ذب *dsabba* est *incertis sedibus divagari*, quod muscæ maximè proprium. Neque enim musca nidum uni loco affigit, sed πλάνητα τὴν πτῆσιν κατὰ τοὺς Σκύθας ἐπανῃρημένη, Scytharum *in more*, *vago volatu sublata*, *ubicunque à nocte fuerit deprehensa, ibi domum, & cubile facit.* Quod in *Encomio Muscæ* à *Luciano* non est omissum. Proinde *Arabico* Proverbio اطيش من ذبابة *muscâ inconstantior* dicitur esse, qui vagus est, & inquies. *Api* nomen aptissimum דבורה, *debora*, est à mirabili *ductu*, & *ordine*; cum politicum sit animalculum, Reges habens, & populos, & urbes, & prætoria. *Vespa*, vel *crabroni* commune nomen צרעה *tsira* pro עצרה *itsra* à *premendo*; quia mirè pressa & constricta habet ilia. Sic *crabronis* nomen fit à *cracere*, quod, apud *Ennium*, *gracilem esse* sonat. Glossæ *grabronem* scribunt, tanquam à *gracere*, unde *gracilis*. *Græci* etiam ut *vespa* σφὴξ, ita σφῆκες, & σφήκισκοι dicuntur parva ligna in acutum collecta: & in hominibus σφηκώδεις, qui sunt corpore *graciles*, nec ventricosi. Ut *corvus* עורב *oreb*, sic *cynomyia* ערוב *arob*, à *nigredine* dicta est, si verè *Muffetus* (b) asserit cynomyiæ nomen nulli muscarum generi magis convenire *quam NIGRIS illis grandioribus*, &c. Ne dicam aliud ejusdem vocis etymon posse elici ex his *Ps.* 78, 45. *Misit in illos* ערוב *arob*, *& comedit eos*. Arabicè enim عرب *araba*, *comedere* est, planè ut اكل *achala*. *Culex vinarius* (Græcè σκνίψ) à *miscendo* dicitur יבחוש *jabchus*; quia vino immixtus est: & *palustris* (Græcè ἐμπὶς) יתוש *jattus*, pro ינתוש *jantus*, à *vellicando*; quia hominibus, & jumentis molestissimum se exhibet, eorum carnes appetendo, & vellicando.

(b) Theat. Insect. lib. 1. c. 18.

Scorpio עקרב *akrab* dicitur pro עקץ־רב *akatsrab*, à *magno aculeo*; quia μόνον τῶν ἐντόμων τοῦτο μακρόκεντρόν ἐστι, *solum insectorum magnum habet aculeum*, ut tradit *Aristoteles*, *Hist.* lib. 4. cap. 7.

Aranea עכביש *accabis*, inverso nomine ex שבך *sabach*, quod *implexum esse* sonat: unde *rete* Arabicè شبكة *sabecha*, & Hispanicè *xabega*. Ejus opus ארג *arag*, *texere*, unde *Græcis* ἀράχνη.

Cochlea, seu *limax* שבלול *sabbelul*, vel à שביל *sebil*, id est, *via*, seu *semita*, quam succo suo signat; vel potius quia ישב בלול *jasab belul*, habitat ἐν κοχλίᾳ. Nam *Hebraicè* לול *lul*, *Græcè* κοχλίας, est ἕλικτη ἀνάβασις, vernaculâ linguâ *un escalier*.

Vermis רמה *rimma*, & תולע *thola*. Prius *Arabicè*, *cariem*, & *teredinem* significat, & رم *ramma*, *cariosum esse*, ut *Hebraicè* רמם *ramam*, σκωληκιᾶν, *verminare*. Posterius est à לוע *vorare*, *deglutire*. Tinea עש *es*, à verbo עשש *asas*, *consumi*, *tabescere*. Item סס *sas*, Chaldaicè סססא, *sasa* Græcè σὴς, Arabicè سوس *sus*, à verbo ساس *sasa*, quod *tineosum*, & *cariosum esse* sonat. *Hirundo* עלוקה *aluka*, vel עלקה *alaka* potius, ut *Arabicè*, à *pendendo*, & *adhærendo*.

Scarabæus חפושית *chaphusith*, à *scrutando stercore*. *Scrutari* enim est חפש *chaphas*. Sed aliud est כפיס *caphis*, quod *Græci* perperam κάνθαρον reddunt, *Hab.* 2, 11.

Formica נמלה *nemala*; quia נמלה *namla*, id est, *abscindit* spicarum capita, ut grana eliciat è glumis suis. *Ælianus* de formicis, *Hist.* lib 6. cap. 43. Τοὺς μὲν ἀθέρας ἀποκόπτουσι, ἐκλέπουσι δὲ τὰς τῶν πυρῶν στελέχας τε, καὶ ἀμφιμπίσχουσας θυλακίδας, *spicarum capita abscindunt, & glumas, quibus granum induitur, & includitur, deglubunt.* In quo ipso argumento adhibetur verbum נמל *namal*, cum de impiis dicitur, *Job.* 24, 24. *Ut spica caput* ימלו *abscindentur.* Itaque hoc sequi malo, quam quod post *Plinium* tradunt innumeri Scriptores, formicam ipsius grani caput arrodere antequam recondat, ne rursus in fruges è terra exeat.

Ut כן *chen*, *basis*, ita & כנים *chinnim*, *pediculi*, nomen habent à verbo כונן *chonen*, quod *firmare*, & *stabilire* est; quia pediculus firmum, & stabile est animal, & à corpore δυσαφαίρετον, ut tradit *Philosophus*, *Hist.* lib. 5. cap. 31.

Nescio unde accesserit finale ש *Hebræis* pulicis nomini פרעש *paros*, quod alioqui alluderet ad verbum פרע *para*. Illud enim inter cætera *retrocedere* significat. Sic *Prov.* 8, 33. *Audite eruditionem, & sapientes estote*, ואל תפרעו *nec retrocedite.* Et *Ezech* 24, 14. *Ego Dominus dixi, Eveniet, faciam*, לא אפרע *non retrocedam.* Et in Doctorum libris, *Qui legit librum*, למפרע *retrorsum.* Pulici autem id est proprium, ut retrorsum saliat. *Arabes* in *Damire*, من لطف الله به

انه يثب الي ورايه ليري من يصيده لانه لو وثب الي امامه لكان اسرع الي حمامه *Benignè illi indulsit Deus, ut saliat retrorsum, ut venatorem suum videat. Quia, si saliret antrorsum, properaret ad mortem suam.* Ubi nota elegantem Paronomasiam inter امامه *imamahi*, & حمامه *himamahi*. Fallor, an פרעש *paros* contractum ex verbis פרע־רעש *para-raes*: quorum illud *retrorsum*, hoc *motum* sonat; quia saliens retrorsum movetur? Notandum est *Hebraeum* רעש non solum ad motum in genere, sed & ad saltum pertinere, planè ut *Graecum σκαίρειν*. Sic cum de equo dicitur, *Job.* 39. vers. 20. התרעישנו כארבה *An fecisti, ut moveretur sicut locusta?* Ut *moveretur*, id est, ut saltaret, ut exiliret. Quâ notione si sumas, pulex rectè omnino פרעש *paros* dictus fuerit ex פרע, & רעש, quia *retrorsum salit.*

Pleraque hæc in sequentibus multò accuratius explicantur. Sed illa visum est hic congerere, ut videantur uno intuitu, & sic lectorem magis feriant. Atque hinc discamus quam exacta fuerit animalium notitia in primo illo humani generis conditore, quem hæc illis nomina imposuisse refert *Moses*. Nempe in ejus animum Deus multa infuderat, quæ nonnisi gravi labore, & longa experientia nos addiscimus. Ita ut non solam superficiem, ut nos hodie, sed & ipsam rerum naturam introspiceret. Si quis miretur etymorum, quæ adduximus, pleraque hactenus ignorata fuisse à viris *Hebraismi* longè peritissimis, sciat illos magno errore omnium vocum origines ex sola Scriptura eruere; cum *Hebraicæ* linguæ veteris pars non contemnenda lateat tam in aliis *Hebraeorum* libris, quam in *Chaldaicâ*, *Syriacâ*, & *Æthiopicâ* linguâ, quæ *Hebraicæ* dialecti sunt. Illas proinde consulere non sum dedignatus, ne quicquam negligerem, quod esset in rem nostram.



DE



DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS, PRIMÆ PARTIS

Liber Secundus:

DE *Domesticis quadrupedibus.*

CAPUT PRIMUM.

De *Cameli* nomine.

Cameli *nomen absurdè* Græcos *ex sua lingua deducere: fieri ex* Hebræo, *&* Syro גמל gamal. *Quod* Varronem *&* Hesychium *non latuit.* Gamale *urbs unde dicta.* Pseudo-Egesippus *notatus.* Gaugamela *non significat* domum, *sed* tributum cameli. *Verbum* גמל gamal, *&* ablactare, *&* retribuere *significat. Cameli nomen* גמל gamal, *non deduci, ut volunt, ex priore significatu, sed ex posteriore. Apud* Arabes *varia cameli nomina juxta ætates. Camelus animal μνησίκακον, tamen cætera mite, & felle carens. Cur dicatur* Abu-Job. *Aliquid in cameli jecore felli analogum. Mira* Adami sapientia.



Evenus, in *Eroticis* ad *Eunomum*, & *Græcorum* plures alii, *camelum* dici volunt quasi κάμμηρον, quia μέσους κάμπτει τοὺς μηρούς, *media femora* inter incedendum *inflectit*. Proinde somnianti se in fuga exceptum fuisse à quodam hospite, cui nomen erat *Camelo*, *Artemidorus* hoc somnio significatam fuisse ait crurum debilitatem. Et (a) *Ægyptii*, ut tardum hominem designarent, camelum pingebant; quia ἐκείνη μόνη τῶν ἄλλων ζώων τὸν μηρὸν κάμπτει, *omnium animalium solus camelus femur inflectit*. Nempe, ut observat (b) *Herodotus*, & ex illo (c) *Ælianus*, Κάμηλος ἐν τοῖσι ὀπισθίοισι σκέλεσι ἔχει τέσσαρας μηρούς, καὶ γούνατα τέσσαρα. *Camelus in posterioribus cruribus quatuor habet femora, & genua quatuor*: id est, quatuor articulos, cum totidem ossibus interjectis: Per eos articulos, quos in femore habet solus camelus, medium femur illi flectitur. Tamen inde κάμηλον dici, quasi κάμμηρον, tam falsum est, quam quod asserit *Etymologus*, sic appellari, ὅτι χαμαὶ καθημένη αἴρει τὸ φορτίον, *eo quod humi sedens onus attollit*. Camelus enim est *Hebrais* גמל *gamal*. Quâ voce usi sunt *Job* & *Moses*, antequam camelus *Græcis* vel de nomine notus esset. Neque enim *Græcum* animal est camelus, sed *Asiaticum*, & *Africanum*. Ex *Hebræis* nomen æmulantur *Samaritani*, *Syri*, *Chaldæi*, *Arabes*, *Ægyptii*, & *Æthiopes*. Rectè igitur *Varro*, *De lingua Lat.* lib. 4. *Camelus suo nomine* Syriaco *in* Latium *venit*. Et *Hesychius*, Γαμάλη, κάμηλος παρὰ Χαλδαίοις. Et *Josephus*, *lib.* 4. *De Bello*, *Gamalon* urbem, & montem dicit εἰκάζεσθαι καμήλῳ τὸ σχῆμα, παρ᾽ ὃ ὠνόμασται, *cameli speciem habere, unde nominatur*. Neque audiendi in *Egesippo*, aut *Ambrosio* veriùs, qui (d) à *superioribus* Camalam *vocitatam putant, quòd formam cameli præferat, sed corrupto incolarum usu* Gamalæ *nomen urbi inhæsisse*. Neque enim in *Gamala* nomine quicquam corruptum, cum à *Græco*, aut *Romano* cameli nomine non fiat, sed ab *Hebræo* גמל *gamal*. *Plutarchus*, in *Alexandro*, *Gaugamela* ex *Assyria* lingua interpretatur *cameli domum*. Sed quia *gau* pro *domo*, *Assyria* linguâ nusquam occurrit, alibi observavi *Gaugamela* contractum esse ex גבי גמלא *gave gamala*, quomodo divisis vocibus in *Plinio* se legisse testatur *Hermolaus*: & *Chaldæis gave gamela* esse *cameli vectigalia*. Nempe *Plutarchus* ipse auctor est, priscum aliquem Regem è prælio fugâ elapsum camelo dromadi, quâ tum vehebatur, τινὰς φορούς, certa vectigalia pro alimento ibi attribuisse.

Verbum גמל *gamal*, *Hebrais* duo significat diversissima, *ablactare*, & *retribuere*, vel *rependere*. A prima significatione camelum גמל *gamal*, dici volunt *Schindlerus*, & alii, & sic propriè significari camelum nuper ablactatum. Quin apud *Hebræos* גמל *gamal*, est camelus quivis, non qui nuper est ablactatus. Et apud

(a) Horus lib. 2. cap. 95.

(b) Lib. 3. c. 103.

(c) Hist. l. 10. c. 3.

(d) De excid. Hierosol. lib. 4. cap. 1.

apud *Arabes*, qui hac in parte mirè curiosi sunt, جمل *gemel* est *camelus in flore ætatis*. *Abuabida*, in camelis *algemel* id esse dicit, quod in hominibus الرجل *vir*. Nempe مجر appellatur *cameli fœtus in utero*, جوار *camelus lactens*, & سبق si sit mas, & خديج si ante tempus, & ربع si primo partu natus, & هبع si ultimo, & راشح cum ambulare incipit, & تلو cum sequitur matrem, & cum ablactatur, فصيل & قعود si sit mas, & قلوص si fœmina, & لطيم si ablactatur, cum oritur stella, سهيل *sohail*, seu *Canopus*, in fine *Augusti* mensis, & شارق cum dentire incipit, & جلدة cum est anniculus, & جلة cum duorum annorum est, & بكر vel عقال cum genua flectere incipit ad sarcinam, & ثني cum duales dentes abjecit, & جمل vel رباع *mas*, ut ناقة vel صلغة fœmina, cum quatuor molares dentes prodeunt anno quinto, vel sexto, & ضغيط cum molarium ultimus prodit, & بازل vel خف, vel مرتع, vel مرتدع, cum dentes omnes orti sunt anno septimo, vel octavo. Sed hæc obiter de camelorum iis nominibus, quæ designant ætatum discrimina usque ad plenum vigorem. Neque enim hîc omnia describere est animus, cùm forte sint plura quàm sexcenta. Et ex his abundè constet camelum non dici جمل quamprimum est ablactatus.

Camelum igitur ab *ablactando* גמל *gamal* vocari non puto, sed à *retribuendo*, quæ altera est verbi גמל notio apud *Hebreos*. Causa scilicet cur sic appellatus sit tam est obvia, ut non possim non mirari doctos id fugisse hactenus. *Hebraicè* גמל quandoq; est *bonum*, quandoque est *malum rependere*, uno verbo *μνησικακεῖν*, ut *Græci* reddunt, *Joël.3.v.4.* Inde camelus meritò גמל *gamal* dictus est; quia nullum est animal, quod vel acceptæ injuriæ memoriam conservet tenacius, vel ultionem persequatur acrius. Unde *Basilius* Homil. 8. in *Hexaëmeron*, quo loco animalia terrestria marinis confert, & præfert, Τὸ δὲ τῆς καμήλου μνησίκακον, καὶ βαρύμηνι, καὶ διαρκὲς πρὸς ὀργὴν τί ἂν μιμήσασθαι τῶν θαλαττίων δύναιτο; *Camelorum autem animum injuriarum memorem, & gravem, & diuturnam iram quis marinorum imitari queat?* Item, Πάλαι ποτὲ πληγεὶς κάμηλος, μακρῷ χρόνῳ ταμιευσαμένη τὴν μῆνιν, ἐπειδὰν εὐκαιρίας λάβηται, τὸ κακὸν ἀντιδίδωσιν· *Olim verberibus cæsus camelus, irâ longo post tempore reconditâ, cum commodum tempus nactus fuerit, malum rependit.* Malum rependit, *Hebraicè* esset גמל הרעה *gamal haraa*. *Chrysostomus* in *Sermone* Περὶ αἰχμῶν, edit. *Savil.* Tom. 7. pag. 353. Ἵπποι θηλυμανεῖς γεγονότες, ὥς φησιν ἡ γραφή, καὶ λύκοι ἅρπαγες, καὶ μνησικακοῦντες ὡς κάμηλοι· *Facti ut equi furentes in fœminas, juxta Scripturam, & lupi rapaces, & injuriarum memores ut cameli.* Isidorus Pelusiota *lib.* 2. Epist. 135. Ὅταν γὰρ τις σκιρτᾷ μὲν ὡς ταῦρος, λακτίζῃ δὲ ὡς ὄνος, χρεμετίζῃ δὲ ἐπὶ γυναιξὶν ὡς ἵππος θηλυμανής, καὶ γαστριμαργῇ ὡς ἄρκτος, πιαίνῃ δὲ τὸ σῶμα ὡς ἡμίονος, μνησικακῇ δὲ ὡς κάμηλος· *Cum quis ut taurus subsultat, ut asinus calcitrat, ut salax equus in fœminas hinnit, ut ursus ventri indulget, ut mulus corpus saginat, & ut camelus memor est injuriarum.* *Eustathius* in *Hexaem.* pag. 39. Θερμὸς ὁ ἵππος πρὸς ἐπιθυμίαν τῆς θηλείας, νωθὸς ὁ ὄνος, καὶ ὀξυήκοον, καὶ μνήμων· μνησίκακον κάμηλος. *Equus in fœminam libidine ardet, tardus est asinus, & acris auditûs, & memor: camelus accepta injuria meminit.* *Damir* in elephante, يقال ان الفيل يحقد كالجمل فربما قتل سايسه حقدا عليه *Dicitur elephas iram animo recondere, ut camelus, & quandoque rectorem suum interficere irascendo in illum*: irâ scilicet inveteratâ, quæque diu altâ mente repôsta mansit; id enim est propriè حقد. Unde *Alcamus*, حقدت الناقة *Camelus fœmina iram diu servavit*; *Giggeius* reddit *adipe plena fuit*; quia legit in *Alcamus* امتلات شحما, quomodo nos quoque legimus. Sed pro شحما *sachma* scribendum شحنا *sachna*. Arabes *odium vehemens*, atque *inveteratum* ita nominant. *Leo Africanus* lib. 9. *Sub veris initium in Venerem propensi, non modò se mutuo offendunt, verùm homines, à quibus injuriâ olim affecti fuêre, leviorum etiam ictuum reminiscentes, capitaliter insectantur.* Ita etiam *Marmolius*, *Africa* sua lib. 1. cap. 23. *En aquel tiempo se acuerdan de qualquier pequeño golpe que les ayan dado.* Doctissimus *Olearius*, *Itinerar. Persici* lib. 5. *Cameli in ultionem valde proni sunt, & accepta injuria memoriam diutissimè servant. Ita ut in* Perside *ira cameli in Proverbium abierit, cum de odio implacabili res est.* Quo œstro percitum camelum ita describit *Nazianzenus Jambico* 23.

Τί δ᾽ ἂν κάμηλος φυσικῆς ἐξ ὕβρεως
Βρυχῶσα λαιμῷ κ᾽ αὐχέν᾽ ἐκτείνουσά σοι;

Quid si camelus ad injuriam inferendam naturâ suâ proclivis, gutture intonans, & cervicem in te extendens? Huc facit historia notissima de camelo, qui, cum matrem velo contectam inscius inivisset, scelere agnito, aurigam, quo procurante id admiserat, aliquanto post dentibus, & calcibus obtrivit. Rem referunt (e) *Aristoteles*, (f) *Ælianus*, (g) *Damir*, alii. Quale est, quod narrat *Olearius* de camelo non ita pridem à servo quodam plagis excepto, qui post aliquot menses eundem inter multos alios in diversorio jacentem elegit, & pedibus obtrivit. Quæ ideo magis mira sunt, quod alioqui camelus est animal mitissimum, adeoq;, ut ajunt, felle carens, quamvis aliquid habeat felli analogum. Ita camelum *Philosophus* asserit (h) non habere ἀποκεχωρισμένην χολήν, ἀλλὰ χολώδη φλέβια μᾶλλον, *fel discretum, sed potius venas felleas.* Et animalia quædam ideo esse μακρόβια *longæva*, ὅτι οὐκ ἔχει χολήν, οἷον δελφὶς, καὶ κάμηλος, *quia fel non habent, ut delphin & camelus.* Hinc *Plinius*, (i) *Cameli & delphini fel non habent.* Et *Damir*, وكل الحيوان له مرارة سواه ولذلك كثر صبره وانقاده وكني بابي ايوب وانما يوجد علي كبده شي يشبه المرارة وهي جليدة فيها لعاب

e) *In Mirab.* & *Hist. lib.* 9. *cap.* 47.
f) *Lib.* 4. *c.* 47.
g) *In Camelo.*
h) *Hist. l.* 4. *c.* 1.
i) *Lib.* 11. *c.* 37.

لعاب يكتحل به ينفع من الغشاء العتيق *Et omne animal fel habet, præter illud: Proinde patientissimum est, & maximè docile, & cognominatur* Abu-Job, (*seu Jobi pater*, quasi patientiam Jobi æmuletur.) *Sed in illius jecore aliquid reperitur felli simile, pellicula nimirum, & in ea saliva, ex qua fit collyrium ad amovendas veteres caligines.* Hæc de cameli *Hebræo* nomine, cujus rationem accuratius disquirere operæ pretium ideo duxi; quia in eo vel maximè elucet primi Patris sapientia, qui, quod nos nonnisi experti scimus, viso camelo statim animadvertit hoc illius esse genium, ut iram diu servet, & malum pro malo tandem rependat, ac proinde גמל *gamal* vocavit, appellatione ad animalis naturam ita accommodata, ut nulla potuerit esse aptior.

CAPUT SECUNDUM.

De Camelorum usu.

Cameli multi in Judæa, *& vicinis locis. Uni homini quot millia.* Davidis *camelis præfectus cur* Obil *dictus. Cameli ad vecturas quam utiles. Cameli, biga & quadriga. Camelorum in bello usus. Camelorum pili in vestibus. Cameli lac, & caro, in cibis. Cur ejus usus* Judæis *prohibitus.* Arabum *de eo fabula. Cameli elogia.*

CAmelos olim in *Judæa*, & vicinis locis fuisse frequentissimos, ex Scriptura manifestum est. Ita *Job* primo tria millia, deinde sex millia camelorum habuit, *Job.* 1. *v.* 3. & 42. *v.* 12. Ut non immerito dixerit *Philosophus*, *Hist.* lib. 9. cap. 50. Κέκτηνται δ' ἔνιοι τῶν ἀνθρώπων καμήλους καὶ τρισχιλίας. *Nonnulli itaq; ad tria millia camelorum possident.* Sed & *Patriarcharum* opes, partim camelis constitisse, *Moses* non semel (*a*) docet: ut in *Africa*, hodieque *Arabum*. *Leo Africanus* lib. 9. *Ex iis* Arabes *suas divitias, ac possessiones æstimant: & si quando de divitiis Principis, aut Nobilis cujusquam sermo fiat, possidere eum ajunt tot camelorum, non aureorum millia.* Jud. 7. v. 12. *Madianitæ*, & *Amalekitæ* camelos habent sine numero, instar arenæ, quæ jacet in littore maris; in quibus nonnulli torques, & השהרונים (*b*) *lunulas*, id est, bullas aureas in lunularum modum concinnatas, collis gestant. Ut *Parthenopæi* equus, de quo *Statius* lib. 9. *Thebaidos*,

- - *nemorisq; nota sub pectore primo*
Jactantur, niveo lunata monilia dente.

Alibi etiam (*c*) *Ægyptiis*, (*d*) *Sabæis*, (*e*) *Chusæis*, (*f*) *Ismaelitis*, (*g*) *Cedarenis*, (*h*) *Asoræis*, (*i*) *Gesuræis*, (*k*) *Gerziis*, & (*l*) *Damascenis* camelos tribui videas. Et 1. *Paral.* 27. *v.* 30. *Davidis* camelis præficitur אובל *Obil Ismaelita*. Cui haud dubiè nomen ex argumento fuit inditum. *Arabicè* siquidem, ut ابل, *ibil camelum*, ita ابال *ibal*, ابل *ábil*, & ابيل *abil camelorum præfectum* sonat.

Camelis porrò, modò (*m*) homines, modò (*n*) sarcinæ, (*o*) cibi, (*p*) merces, & (*q*) res pretiosæ, vehebantur. Quandoque jungebantur curribus, ut colligere est ex *Esa.* 21. *v.* 7. ubi רכב גמל est *currus quem cameli vehunt*, ut *Symmachus* rectè reddidit, non *qui camelum equitat*, quomodo intelligunt veterum alii. Ita *Nero* in *Circensibus* (*r*) *commisit camelorum quadrigas.* Et *Heliogabalus* junxisse fertur (*s*) *camelos quaternos ad currus in Circo, privato spectaculo.*

Nec in bello fuisse inutiles apparet ex libro *Judicum*, & 1. *Sam.* 30. *vers.* 17. Hinc de camelis *Plinius*, lib. 8. cap. 18. *Etiam equitantur in præliis.* *Strabo* de iisdem, lib. 16. Πολεμοῦσιν ἀπ' αὐτῶν, *Ex iis præliantur* (Arabes). *Diodorus* lib. 2. pag. 96. Αἱ δ' αὐταὶ καὶ κατὰ τοὺς πολέμους, εἰς τὰς μάχας ἰσχύουσι τοξότας, ἄγουσαι δύο ἀντικαθημένους ἀλλήλοις ἀντινώτους· τούτων δὲ ὁ μὲν τοὺς κατὰ πρόσωπον ἀπαντῶντας, ὁ δὲ τοὺς ἐπιδιώκοντας ἀμύνεται. *Ipsi etiam cameli* (in Arabia) *ad pugnam in bella deducuntur, duos habentes sagittarios tergis oppositis insidentes; quorum unus obvios, & alter insequentes repellit.* Et lib. 3. pag. 125. de *Debarum* dromadibus in *Arabia Felici*, Πρὸς μὲν γὰρ τοὺς πολεμίους ἀπὸ τούτων μάχονται, *In hostes enim ex iis pugnant.* Sic in *Xerxis* exercitu *Arabes* ἤλαυνον πάντες καμήλους, ταχυτῆτι οὐ λειπομένας ἵππων, *camelos omnes equitabant, equis pernicitate non inferiores*: Ita *Herodotus* lib. 7. Neque id *Arabibus* peculiare est: nam apud *Pollucem* lib. 10. cap. 8. Βάκτριοι δὲ καὶ μάχονται ἐπὶ τῶν καμήλων, Bactriani *etiam camelis pugnant.* Et, Ἀχρεῖον τὸ Κροίσου ἱππικὸν ἀπέφηνε Κῦρος, προτάξας τῶν ἱππικῶν ὁπλιτῶν καμήλους πολλάς· Crœsi *equitatum* Cyrus *inutilem reddidit, collocatis adversus equites armatos multis camelis*: quia camelorum aspectum, & odorem equi ferre non possunt. Quod refert ex *Herodoto Polyænus* lib. 7. *Stratagem.* Quale est, quod in *Artabani Parthorum* Regis copiis, in prælio adversus *Macrinum*, barbari cataphracti *Romanos* sagittis, & contis graviter affligebant, ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ καμήλων τιτρώσκοντες αὐτούς, *ab equis, & camelis eos vulnerantes*; ut habet *Herodianus* lib. 4. In *Africa* etiam idem usurpatum ex *Vegetio* scimus, cujus verba sunt lib. 3. cap. 23. *Camelos aliquæ nationes in aciem produxerunt, ut* Urciliani *in* Africa; Mahetes *hodie quoq; producunt.*

Camelorum pilos in vestium usum cessisse docet historia *Joannis Baptistæ*, Matth. 3. v. 4. & Marc. 1. v. 6. *Hebræi* vocant צמר גמלים *lanam camelorum*: ut cum quærunt, an, ut lanam ovium, ita lanam camelorum cum lino miscere, Lex vetet, *Levit.* 19. *v.* 19. & *Deut.* 22. *v.* 11. Item, an lepra inficiat vestes ex lana camelorum, quomodo inficit vestes ex lana ovium, *Lev.* 13. *v.* 47. 48. 52. 59. Vide *Talmudicum* Tractatum *Kelaim*, cap. 9. statim initio: & *Maimonidem* in *Kelaim* cap. 10. §. 6. & in Tractatu *De lepra*, cap. 13. §. 3. Pili camelorum in *Caspiis* olim fuêre mollissimi, & ex iis confectæ vestes ad delicias pertinebant. *Ælianus*, *Hist.* lib. 17. cap. 34. Κάμηλοι δὲ ἀριθμοῦνται πλείους, αἱ μέγισται κατὰ τοὺς ἵππους τοὺς μεγίστους, εὔτριχες ἄγαν· ἁπαλαὶ γάρ εἰσι σφόδρα αἱ τούτων τρίχες, ὡς καὶ τοῖς Μιλησίοις ἐρίοις ἀντικεῖσθαι τὴν μαλακότητα. οὐκοῦν ἐκ τούτων οἱ ἱερεῖς ἐσθῆτα ἀμφιέννυνται, καὶ οἱ τῶν Κασπίων πλουσιώτατοί τε, καὶ δυνατώτατοι. *Cameli etiam* (apud *Caspios*) *plures numerantur, quorum maximi maximis equis sunt magnitudine pares, pilis magni pretii: ii enim ita molles sunt, ut cum* Milesiis *lanis mollitie comparari possint. Ex illis porro Sacerdotes induuntur, &* Caspiorum *ditissimi quiq;, & opulentissimi.* Quod illum habere ex *Ctesia* docent hæc *Apollonii*, *Mirab.* cap. 20. Κτησίας δὲ ἐν τῇ δεκάτῃ Περσικῶν, καμήλους τινὰς ἐν τῇ χώρᾳ γίγνεσθαι, ἃς ἔχειν τρίχας πρὸς Μιλήσια ἔρια τῇ μαλακότητι· ἐκ δὲ τούτων τοὺς ἱερὰς (lege ἱερεῖς) καὶ τοὺς ἄλλους δυνάστας τὰς ἐσθῆτας φορεῖν· Ctesias Persicorum *lib.* 10. (refert) *in ea regione esse camelos, quorum pili mollitie lanas* Milesias *æquent, Sacerdotesq;, & alios Proceres, vestes ex iis confectas gestare.* Ita in imperio Magni *Cham*, in urbe *Calacia*, Metropoli Provinciæ *Tanguth*, *inveniuntur panni, quos* Zambilotte *vocant, de lana alba, & camelorum pilis contexti, quibus vix pulchriores in mundo inveniuntur.* Hæc *Paulus Venetus* lib. 1. cap. 63. Et rursus capite sequenti, ubi de terra *Gog*, & *Magog*; *Fiunt ibi* Zambilotti *optimi de pilis camelorum.* Cujusmodi pannos propriè significat vox vernacula *camelot*,

quamvis

a) Gen. 12, 16. & 30. 44. & 32, 7. &c.
b) Jud. 8. 21. 26.
c) Exod 9, 3.
d) 1. Reg. 10, 2. Esa. 60, 6.
e) 2. Par. 14, 14.
f) Gen 37, 25.
g) Jer 49. 29.
h) Jer 49, 32.
i, k) 1. Sam. 27, 9.
l) 2. Reg. 8, 9.
m) Genes. 24, 10, 16. & 31, 17. 1. Sam. 30. 17.
n) Esa. 30, 6.
o) 1. Par. 12, 40.
p) Gen. 37, 25.
q) 1. Reg. 10, 2. 2. Par. 9, 1. 2. Reg. 8, 9.
r) Suet. in Ner. cap. 11.
s) Lamprid. in Heliogab.

quamvis sumatur hodie latius. Sed camelorum, in *Caspiis*, aut in *Tartaria*, villi quam sunt tenues, tam sunt asperi vulgares, quibus *Joannes* induebatur.

Camelorum etiam lac, & carnem, inter cibos multi commendant. *Philosophus*, *Hist.* lib. 6. cap. 26. Ἔχει δὲ καὶ τὰ κρέα, καὶ τὸ γάλα, μέχρις οὗ ἂν ἐν γαστρὶ λάβῃ, ἥδιστα πάντων· *Carnem habet, & lac camelus, donec concipiat, omnium suavissima.* *Plinius* lib. 11. cap. 41. *Cameli lac habent, donec iterum gravescant: suavissimum hoc existimatur, ad unam mensuram tribus aquæ additis.* Et lib. 28. cap. 9. *Dulcissimum ab hominis* (lac) *camelinum.* *Diodorus* ubi supra; Αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι, καὶ κρεοφαγούμεναι πολλὴν παρέχονται τοῖς ἐγχωρίοις ὠφέλειαν· *Camelorum aliæ lac prabentes, & caro earum comesa, lautum incolis cibũ suppeditant.* *Hieron.* in *Jovinianum* l. 2. cap. 6. Arabes, & Saraceni & *omnis eremi Barbaria camelorum lacte, & carnibus vivit.* *Herodotus* in *Clio*, ubi de *Persarum* die natali, Ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βοῦν, καὶ ἵππον, καὶ κάμηλον, καὶ ὄνον προτιθέαται ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι· *Qua, qui in iis sunt locupletes bovem, & equum, & camelum, & asinum solidos apponunt in furnis coctos.* Quin ipsis quandoq; Regibus oblatus est hic cibus. *Antiphanes* (t) in *Oenomao*, aut *Pelope*,

t) Apud Athenæum lib. 4.

- - - - - - - - ὁ μάγειρος ὅλον
Τέρας ὀπτήσας, μεγάλῳ βασιλεῖ θερμὸν παρέθηκε κάμηλον.

Coquus solidum monstrum coquens, magno Regi calidum camelum apposuit. Lampridius *in* Heliogabalo; *Comedit sæpius, ad imitationem* Apicii, *calcanea camelorum.* Item, *Struthiones, & camelos exhibuit in cœnis aliquoties, dicens præceptum* Judæis, *ut ederent.* Imo utrumq; *Judæis* interdicit Legislator disertissimis verbis. Quod vix latere poterat *Heliogabalum*, qui in urbe *Phœniciæ*, *Emesa*, Solis fuerat Sacerdos. Neque, si *Judæis* præceptum id fuisset, ut struthiones, & camelos ederent, ideo sequebatur à *Romano Cæsare* in cœnis esse exhibendos. Itaque locus est mihi de mendo suspectus: & legendum puto, *dicens præceptum esse Dei sui, ut ederent.* Quod explicabo pluribus in Tractatu de Struthione. Cur cameli esus à Deo fuerit interdictus, jam antea diximus, & ex *Mose* res notissima est: At *Arabes*, *Jacobum* volunt hunc cibum posteris suis ideo prohibuisse, quod illius usu frequentiore ischiadicum morbum contraxisset. *Damir* capite الابل seu *De camelo*,

قال الله تعالي احللت لكم بهيمة
الانعام واما تحريم اسرايل وهو يعقوب
عليه السلام علي نفسه اكل لحومها
وشرب البانها فكان باجتهاد منه
علي الصحيح والسبب في ذلك انه
كان يسكن البدو فاشتكي عرق
النسا فلم يجد شيا يلايمه الا
لحوم الابل والبانها فلذلك حرمها

Dixit Deus summus, è jumentis camelorum esum concessi vobis. Quod ad prohibitionem ejus factam ab Israële, id est, à Jacobo, *cui sit pax; Is ipse comedit ex carne, & bibit ex lacte eorum; & ejus rei, quamdiu valuit, maximè fuit studiosus: sed causa cur prohiberet hac suis, quòd, dum in deserto degebat, ischiadico morbo laboravit, nec quicquam aliud reperit, cui morbum imputaret, præter carnem, & lac cameli: ac proinde esum eorum interdixit.* Fabellæ putidissimæ dedit occasionem lucta *Jacobi*, in qua vir sanctus ab Angelo percussus est in ischio; unde, luxato nervo, claudicavit aliquamdiu.

Inter multa camelorum elogia, quæ apud Scriptores passim occurrunt, unum è *Græco* Scriptore afferam. (u) Εἰσὶν ἵππων μὲν ὠκύτεροι τὸ τάχος, ἐκπληκτικώτεροι δὲ μέγεθος, καὶ δασύτεροι· ἐνεργότεροι δὲ τὸ διψῆν, καὶ μᾶλλον δύνασθαι πονεῖν. *Sunt equis velociores, terribiliores magnitudine, & hirsutiores: strenuiores etiam, quia sitim diutius tolerant, & ad labores tolerandos sunt magis idonei.* Alterum ex *Arabico*, priore longè uberius,

u) Jul. Pollux. lib. 1. cap. x.

الابل من الحيوان العجيب وان
كان عجبها سقط من اعين الناس
لكثرة رويتهم لها وهو انه حيوان
عظيم الجسم شديد الانقياد ينهض
بالحمل الثقيل ويبرك به وتاخذ
زمامه فارة فتذهب به حيث شاءت
ويتخذ علي ظهره بيت يقعد به
الانسان مع ماكوله ومشروبه وملبوسه
وظروفه ووسايده ويتخذ للبيت سقف
وهو يمشي بكل ذلك ولذلك قال
تعالي افلا ينظرون الي الابل كيف
خلقت وحين اراد الله ان تكون
سفاين البر جعلها طويلة الاعناق
لتنوء بالاوقار وصبرها علي احتمال
العطش حتي ان ظماها يرتفع الي
العشر وجعلها ترعي كل شي نابت
في البراري والمفاوز مما لا يرعاها ساير
البهايم

Camelus est animal mirabile: (quamvis ideò non mirentur homines, quia frequenter vident,) Est enim animal magni corporis, valde docile, surgens cum onere gravi, & cum eo flectens genu. Ejus capistrum, si mus caperet, duceret illum quocunq; vellet. Dorso suo gestat domum, in qua degit homo cum cibo, & potu, & vestibus, & vasis, & pulvinaribus suis; & supra domum, tectum, & his omnibus onustus iter facit. Proinde dixit Deus: Nunquid camelos contemplantur, quâ ratione creavi? Cùm scilicet voluerit Deus, ut navium terrestrium instar essent, dedit eis prælonga colla, ut cum sarcinis surgerent, & induravit eos ad sitis patientiam, ita ut usq; ad decimum diem eam ferant, & fecit, ut ea omnia

omnia depascerentur, quæ in desertis, & solitudine crescunt, quibus cætera jumenta non vescuntur. In quibus id maximè probo, quod cameli vocantur سفاين البر *naves terræ*, vel propter ventris saburram, & dorsi tuber, & colli proceritatem, quæ navium carinam, & malos utcunque referunt: vel quia graviora quam quis credat onera tergo suo sustinent, & in oras remotissimas vehunt: vel denique, quia ut mare invium esset absque navibus, sic *Asia*, atque *Africa* vastæ solitudines prorsus essent inaccessæ, nisi camelos creâsset Deus, quorum ope locorum incolæ illarum intima pervaderent. *Leo Africanus* lib. 9. *Qui camelos possident* Arabes, *heriliter vivunt, ac liberè, utpote cum quibus in desertis agere possint, ad quæ propter ariditatem, nec Reges, nec Principes pervenire valent.*

CAPUT TERTIUM.

Qui Cameli dicantur בכרים *bicrim.* Multa alia.

Prophetia de muneribus Christo *offerendis* Es. 60, 6. *juxta* Hebræos. *Turma camelorum quomodo* Chaldaicè *vocetur*, & Syriacè. Madian & Epha *ubi*. Epha *quomodo* Græcè, Arabicè, & Chaldaicè. *Cameli in* Madianitide *quam frequentes. Camelus junior* בכרה bicra, *Jer.* 2, 23. *Plur.* בכרי bicre, *Es.* 60, 6. *Ita explicant multi* Arabes, & Baal Aruch. *Opponitur* camelus الصدقة *id est*, perfectæ ætatis. *Proverbia quædam de* bicra. Aben Ezræ, & Kimchii *errores in hujus vocis interpretatione.* Chaldæus *emendatus*, & Græci *tres Interpretes.* Hieronymus *notatus*, Chaldæus *item*, & Syrus. *Cur camelus junior dicatur* בכרה bicra. Seniorum *versio quam aliena hoc loco.* *Vespere, & mane, dies partes oppositæ, cur quandoque sumantur promiscue, ut* Matth. 28, 1. *De eo* Gellii *locus insignis.*

Concursum gentium in Ecclesiam ab *Esaia* his verbis significari plerique volunt, *Es.* 60, v. 6. *Turma camelorum operiet te, cameli juniores* Madian, & Epha; *omnes è* Seba *venient, aurum, & thus offerent, laudesque Domini prædicabunt.* Alii ad *Christum* ipsum piè referunt, quasi hæc Prophetia jam tum impleri cœperit, cum *Magi* ex illis partibus, nisi conjectura fallit, *Christo* adhuc infanti thus, & aurum obtulerunt. Quo mirè faciunt hæc *Kimchii*: *Propheta id sibi vult, mercatores camelis thus, & aurum, venalia, convecturos, atque etiam* למנחה למלך המשיח *in oblationem Regi* Christo. *Magos* tamen potius fuisse *Persas*, cum ex ipso *Magorum* nomine colligitur, quod *Persicum* est, tum ex locorum situ, quia ex Oriente venerunt, ubi *Persis*, cum *Sabes* sint ad Austrum. Sed hæc sunt alterius loci.

Turma camelorum simul iter facientium *Hebraicè* est שפעת גמלים. *Chaldæus* habet שירת, id est, سيارة *Caravanam* sic vocant *Arabes*, quia سير est *iter facere*. *Syrus* ܐܘܚܠܐ voce deducta ex ابل id est, *camelo*. *Arabs* قطارات quod propriè seriem significat camelorum مقطرين *pice signatorum*, ut nimirum internoscantur.

a) Antiq. l. 2. cap. 5. b) In locis. c) In locis. d Clim. 3. part. 5.

Cameli juniores Madian, & Epha] *Madian* urbs notissima fuit in littore *maris Rubri*, ut (a) *Josephus*, (b) *Eusebius*, (c) *Hieronymus*, (d) *Geographus Nubiensis*, alii docent. Huic *Epha* עיפה vicina fuit in Provincia *Madianitide*, quod tam ex hoc loco colligere est, quam ex *Gen.* 25, 4. & 1. *Paral.* 1, 33. ubi עיפה *Epha*, hujus conditor, legitur fuisse filius *Madianis* primogenitus. Nempe עיפה *Epha*, vel *Hipha*, est *Græcorum* Ἵππ(ος). *Ptolemæus* montem, & pagum hujus nominis describit in eodem littore paulo infra *Modianem*, quomodo *Madian* appellat. *Epha* עיפה *Arabicè* erit غيفة *Ghaipha*, quomodo scribit *Alcamus*. Ita *Græci* Γαιφὰ, vel corruptè Γαιφάς. *Chaldæus* הולד *Holad*. An quia ut *Hebræis* עיף, unde עיפה, ita *Arabibus* هلد *halada* est *æstu, & siti laborare?* Utut sit, meritò camelos *Propheta* describit venientes ex *Madian*, & *Epha*, cum nullibi sint frequentiores, quam in *Madianitide*. Vide *Jud.* 6, 5. & 7, 12.

Porro, hi cameli בכרי *bicre* vocantur, id est, *cameli juniores*, à singulari בכר, cujus Fœmininum בכרה. Hinc *Jerem.* 2, 23. בכרה קלה משרכת דרכיה *Cita camela junior, implicans vias suas.* Ita interpretor ex *Arabismo* vocem, quæ tam veteres, quam nostros Interpretes non parum torsit hactenus. *Damir*, البكر الفتي من الابل والانثي بكرة والجمع بكار مثل فرخ وفراخ وقد تجمع في القلة علي ابكر Albecro, *junior est camelus*, *Fœmininum est* bicra, & *Plurale* bicar: *quomodo* pherch (*pullus*) *in Plurali habet* phirach. *Sed & Plurale paucitatis est* abchar. *Abnabida*, البكر من الابل بمنزلة الفتي من الناس والبكرة بمنزلة الفتاة والقلوص بمنزلة الجارية والبعير بمنزلة الانسان والجمل بمنزلة الرجل والناقة بمنزلة المراة Albecro, *in camelis id est, quod in hominibus Adolescens*, & albicra *idem quod Puella*, & alkalus *idem, quod Puellula*, & albeir *idem, quod Homo*; & algemel *idem, quod Vir*, & annaka (*vel* alnaka) *idem, quod Mulier*. Alcamus, البُكر والبَكر ولد الناقة والفتي منها او الثني الي ان يجذع اوابن المخاض الي ان يثني او ابن اللبون او الذي ينزل Albocro, & albecro, *cameli pullus, & qui junior est, aut à biennio ad quinquennium, aut camela fœta pullus usque quo ejecerit primores dentes* (jam sexennis;) *aut pullus lactens, aut qui jam ad iter accingitur.* *Baal Aruch* rem ita definit in נקה, ab *Arabibus* alicunde edoctus, לגמל ג' שמות בלשון ערבי כשנולד קורין לו אלקעוד וכשגדל קורין לזכר בכר ולנקבה בכרה כשראויה למשאר קורין לזכר גמל ולנקבה נאקה *Camelo tria sunt nomina lingua* Arabicâ: *cum nascitur* (imo, cum ablactatur) *vocatur* alkaut (imo القعود *alkaüd*, id est, *ad insessum idoneus*) *Et, cum adolevit, mas dicitur* becron, & *fœmina* bicra: & , *cum oneri ferendo par est*, *vocatur* gemel, & *fœmina* naka. His accedat usus *Arabum*, qui بكر *becron* sæpe usurpant pro *camelo juniore*, & oppo-

& opponunt camelo الصدقة id eſt, *perfectæ ætatis*. Sic *Aſſaphius* in *Damire*, بكران من ابل الصدقة تخلفا *Bicrani* (id eſt, cameli duo juniores) *à camelo perfectæ ætatis retro relicti ſunt*. Et apud *Muſallimum Aburaphius*, النبي صلي الله عليه وسلم استلف من رجل بكرا فلما جات ابل الصدقه امرني ان اقضي للرجل بكرا فقلت لم اجد في الابل الاجملا خيار رباعي فقال صلي الله عليه وسلم اعطه فانه خياركم احسنكم قضا *Propheta, cui Deus ſit propitius, & pacem indulgeat, mutuo ſumpſit à quodam* bechran (*id eſt, camelum juniorem*) *Et, cum veniſſet camelus perfectæ ætatis, juſſit me*, ut bechran *illi redderem: cum reſpondiſſem, inter camelos me nullum reperiſſe præter camelum eximium, cui molares dentes quatuor jam creviſſent, regeſſit Propheta, cui Deus*, &c. *Illum dato, quippe benefacta veſtra majori mercede penſabo*. Quale eſt, quod apud *Hachimum* narrat *Alurbad, Sariæ* filius, cum *Prophetæ* vendidiſſet بكرا *becran*, ſibi pro mercede datum fuiſſe بعيرا مسنا *camelum dentatum*, id eſt, qui omnes dentes jam emiſerat. Camelum enim jam dentire, quâ ætate بكر *becr*, aut بكرة *bicra* dicitur, etſi dentes omnes nondum emiſerit, docet Proverbium apud *Arabes* uſu receptum de re, quam veram eſſe certo argumento conſtat, صدقني سن بكره *Me certum facit dens bichra*: id eſt, ex camelæ junioris dentibus eam colligo tot annos agere, quot affirmâſti. Sed & ad vecturas jam eſſe utilem docet aliud Proverbium, priore non minus tritum, جاوا علي بكرة ابيهم *Venerunt ſuper* bicram *patris ſui*, id eſt, patris veſtigiis inſiſtunt. Quamvis alii dici malint in contemptum paupertatis, cum tota familia uno jumento vehitur. Idem colligere eſt ex Fabella, quam habet *Alhaphidh, Jâli* filius, in libro, cui titulus اسناد *Aſnad*, id eſt, *fulcra* (ſic ille vocat *Mahumetis* Traditiones) *Prophetam* in trajectu amnis, qui *Mecchæ* vicinus eſt, cum didiciſſet hunc amnem عسفان *Oſphan* appellari, *Abubecro* dixiſſe, لقد مر هذا الوادي نوح وهود فابرهيم علي بكرات لهم حمر خطمهم الليف وازرهم العبم وارديتهم النمار يحجون البيت العتيق *Hunc utique amnem trajecerunt* Noe, *&* Hud, *&* Abraham *ſuper* bichrath, (*cameli juniores*) *quibus roſtri rubra pars erat villoſa, & cingula ſericea, & ſtragula varia, peregrinatum ituri in domum antiquam*, id eſt, in *Meccheuſe* fanum.

Cum ex iis quæ citavimus, abundè conſtet, quid ſint בכרי in *Eſaia*, & בכרה in *Jeremia*: *Aben Ezra* non audiendus eſt, qui *Beth* in בכרי *bicre* ſervile eſſe vult. Sed neque id placet, quod *Kimchio* בכרי ſunt *cameli lactentes*, & בכרה *camela lactens*; cum utrumque uſurpetur de camelis viatorum ad iter accinctis, in quem uſum cameli non adhibentur, antequam ablactati ſint. Sed, præterquam quod nonnulli *Arabum* pronunciant بكر & بكرة quandoque eo ſenſu ſumi, puto me aliud videre, quod fefellit *Kimchium*. In *Jeremia* pro בכרה *bicra*, *Chaldæus* habet ינקא *lactentem*. Ita legere eſt in *Kimchio*, & codicibus excuſis, in quos incidi, ſed errore manifeſto. Omnino enim pro ינקא ſcribendum נקא, *Jod* initiali omiſſo. Camela ſic nominatur in *Megillath* איכה *Talmudici* ſcribunt נקה, vel נאקה, ut *Arabes* ناقة *naka*. *Miſna* in Tractatu de *Sabbatho* cap. 5. במה בהמה יוצאה ובמה אינה יוצאה הגמל באפסר ונאקה בחטם *Cum quo egreditur jumentum* (*die Sabbathi*) *& cum quo non egreditur? Camelus* σὺν τῷ ψαλίῳ, *cum fræno; & naka* (camelus fœmina) *cum annulo narium*. In ſcriptis *Arabum* nulla vox eſt frequentior. Sed imperiti ſcribæ vocem, quam ignorabant, corruperunt, & ex נקא *naka*, fecerunt ינקא *janka*.

Non abſimili de cauſa hoc ipſo loco, in *Græcis* exemplaribus *Aquilæ, Symmachi, Theodotionis*, pro δρομάδας κα[illegible], mendosè ſcriptum δρομεῖς κα[illegible], quod Grammatica non patitur, quia δρομεὺς *curſor* nuſquam eſt generis fœminini. Hinc tamen *Vulgatus* Interpres pro *dromade curſorem* habet, & *Hieronymus capream*; quaſi *caprea* dicatur δρομὰς ab *agilitate curſûs*, quod nuſquam legi.

Sed iiſdem in *Eſaia* בכרי ſunt *dromedarii*, & *Chaldæo* הוגני *hogne*, quæ ſunt camelorum ſpecies, ut proximo capite dicetur. Quæ quidem verſio commodior eſt, non tamen ſatis expreſſa. Neque enim בכר certam ſpeciem, ſed certam cameli ætatem ſignificat, ut docuimus. *Syrus* habet ܒܘܟܪ̈ܝܐ *primogenitos*, quaſi legerit in *Hebræo* בכורי, *Arabs* جمال ut *Græcus*, quem ſequitur, κάμηλοι. Sic *Ezech*. XXVII. 21. *Græci* habent καμήλοις pro *Hebræo* בְּכָרִים *becarim*, id eſt, *in agnis*; quia aliis vocalibus legerunt בִּכְרִים *bicrim*.

De cætero planum eſt cur *camelus junior* dicatur בכר. Verbum بكر *bacara Arabicè* propriè eſt *prævertere*. Inde nomen pleraque trahunt, quæ in unaquaque re prima ſunt. Ut *Hebraicè* בכור *primogenitus*, & בכורה *fructus præcox*, & בכורים *primitiæ*. Et *Syriacè* ܒܟܘܪܐ *tempeſtiva pluvia*. Et *Arabicè* بكار *virginitas* & بكرة *matutinum tempus*, quod *Hebræi* בקר ſcribunt levi mutatione.

Itaque minus mirarer, ſi *Seniores* (quos *Jerem*. 2, 23. multum ab *Hebraica* veritate diſcordare rectè obſervat *Hieronymus*) vocem בכרה retuliſſent ad *matutinum tempus*. Sed eam cur ὀψὲ *ſero, veſperi*, planè contrario ſenſu verterint, nullus capio. An quia, cùm veſpera *Hebræis* ſumatur pro tota nocte, veſperæ terminus incidit in matutini temporis initia, ita ut τὸ λυκόφως ad utrumque referri poſſit, quia eſt in utriuſque temporis confinio? Nempe cum noſtro ſermone *veſpera*, & *mane* nihil ſint, quam extrema diei artificialis a ſe invicem multum diſſita: *veſpera*, & *mane*, Gen. 1, 5. proponuntur ut integrantes naturalis diei partes, quæ totam conficiunt: *Et fuit veſpera, & fuit mane, dies primus*. Hinc totum τὸ νυχθήμερον *Dan*. 8, 14. vocatur *Hebr*. ערבבקר & *Syr*. ܪܡܫܐ ܘܨܦܪܐ *veſpera mane*. Et eadem vox נשף, ὀψὲ, *veſpere* redditur *Eſ*. 5, 11. & πρωΐ, *mane*, Job. 7, 4. Ex iis quæ diximus, *Matthæus* (e) & cum (f) aliis *Evangeliſtis*, & ipſe ſecum videtur poſſe

(e) Matth. 28, 1. Ioh. 20. 1.
(f) Marc. 16, 2.

posse conciliari, quo loco ὀψὲ, *vesperam*, appellat τὴν ἐπιφώσκουσαν, *diem illucescentem*. Ibi enim ὀψὲ non præcise *vesperam*, sed *noctem* in genere significat, eamque jam recedentem, ut illucescenti auroræ locum faciat. Huc facit *Gellii* locus lib. 7. cap. 21. *Tempora duo, cum inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis locus ipse confinis demonstretur.* Hunc nodum aliter solvit *Dilherrus* in Dissertatione *De Passione, Sepultura, & Resurrectione Dominica*, Sect. 15. illum consule, si vacat.

CAPUT QVARTUM.

De tribus Camelorum speciebus,

Primi, clitellarii, & sagmarii, vel ἀχθοφόροι, *quorum onus* Leoni *sunt mille libræ*, Marmolio *quadraginta arrobæ*, Diodoro *decem tritici medimni, aut quinque homines in lectis*, Alcamuso الوسق alvvasco, *vel sexaginta* صاعا sahæ, *quæ inter se conferuntur. Cur hujusmodi camelus* Arabicè *dicatur* هجين hegin. *Vocis variæ versiones. Origo* Græca *ex* εὐγενής. *Secundò* بخت bechth, *id est*, Bactrus, *seu* Bactrianus, *dicitur camelus duplici gibbo, tam ad onera commodus, quàm ad equitationem. Is* Græcè δίτυλος *dicitur*, Arabicè *est* πολυώνυμος. *Tertiò* رواحل raguahil, *cameli parvi, graciles, citissimi, quos equitant nobiliores* Arabum. *Indi* bacambal *vocant*, Græci δρομάδας. Diodori *locus de iis explicatus.* Hebr. פרחא גמלא camelus volans. *Quot milliaria conficiat in diem. Cur dicatur* rahul, *& Fœmin. termin.* rahila. *Hoc pertinere ad* emphasin, *ut* Hebráicè. *Activa vox cur pro Passiva. Eadem Hypallage* Hebr. *Alia dromadum nomina: in his* كره *&* وكري. *Quibus confertur vox* כרכרות *pro* camelis *Es.* 66, 20. כר car *pro* camelo *nusquam sumi, ut contendit* Aben Ezra.

CAmelorum tres species à *Leone Africano*, & *Marmolio* recensentur, nempe *huguin*, *becheti*, & *raguahil*: de quorum singulis dicere non erit planè extra rem. De primis ita *Leo*; *Primi* hugiun *nuncupati, crassi sunt, ac procera statura, clitellisque gerendis aptissimi, verum ante quadriennium inutiles. Quo exacto, mediocris quisque camelus mille libras* Italici *ponderis gestat. Cum sarcinis oneratur, genibus, & collo, virgulâ ictus, in solo recubans. Et, cum pondus sufficiens agnoscit, seipsum erigit.* Eadem in *Marmolio* reperias de Camelis *elhegin* dictis, nisi quod addit, *Mientres los cargan, estan siempre ruminando, y quando son nuevos, braman, y en sentiendo que tienen la carga puesta, y que el camellero le quita una manija de cuerda, con que les haze estar doblada la mano, se levantan luego con la cuerda.* "Dum onerantur semper ruminant, &, cum sunt "juniores, boant: atque impositum esse onus cum sentiunt, & camelarium armillam è fune dimisisse, qua "duplicata manu illos sistat, se cum fune statim erigunt. Idem cameli onus definit arrobis quadraginta, quæ sunt *Leonis* mille libræ. *Hispanica* enim arroba est xxv librarum: ac proinde quatuor *arrobæ* librarum centum, & arrobæ quadraginta mille librarum pondus æquant. At *Arabica* الربة *arroba*, vel sine articulo ربة *roba*, & ربوة *ribua*, pondus est plus triplo gravius, nempe decies mille drachmarum, ut *Hebraicè* רבוא *ribbo* est μυριάς. Drachmæ porrò decies mille, libræ sunt LXXVIII, cum duabus unciis. Apud *Diodorum* lib. 3. Αἱ τῶν καμήλων πρὸς τοῦτο φορεῖαν ἠσκημέναι, τυχὸν μὲν ἀνὰ δέκα μεδίμνους τοῦ πυροῦ φοροῦσιν, ἀνθρώπους δὲ κατακειμένους ἐπὶ κλίνης πέντε βαστάζουσιν. *Quæ camelorum ad vecturas assueverunt, singuli tergo vehunt tritici decem medimnos: homines autem in lecto jacentes quinque ferunt.* *Cornelius Nepos* in *Pomponio Attico*, *Ausonius* in *Gripho Ternarii*, *Fannius*, & *Suidas* medimnum sex modiis definiunt. Et tritici modius alibi non excedit vicenas libras, alibi vicenas quinas, aut senas etiam pendit, prout in certis locis triticum aut levius, aut gravius est. Ita *Plinius* asserit lib. 18. cap. 7. Jam si tritici modium viginti libris definias, tritici medimni decem erunt libræ mille ducentæ; si libris viginti sex, addentur ponderi libræ trecentum & sexaginta. Sed libræ, de quibus *Plinius*, solum erant duodecim unciarum, nostræ sexdecim. Itaque tritici medimni decem, si gravissimum erat triticum, libras nostras pendebant CIↃ C LXX; si levissimum, solùm nongentas. Inter hæc extrema medium numerum si sumpseris, reperies in camelorum justo onere definiendo, à *Leone*, & *Marmolio* non multum dissentire *Diodorum*. In *Alcamuso*, الوسق ستون صاعا او حمل بعير Alvvasko, *seu* LX. *sahi sunt cameli onus solitum.* الصاع *Sahus* continet اربعة امداد *quatuor amdad*, à singulari مد *moddon*: quæ mensura ab aliis unâ librâ cum triente, ab aliis duabus libris definitur: quorum prius si sequaris, cameli onus solùm esset librarum CCCXX; si posterius, librarum CCCCXX. Sed ibi *onus cameli Arabicè* est حمل بعير. Et بعير non semper *camelum* sonat, sed in genere *jumentum onerarium*, ut *Hebraicum* בעיר.

Hi porrò cameli sagmarii, & ἀχθοφόροι, cur *Arabicè* dicantur *huginn*, vel *begin*, non capio satis, cum alii hæc eadem vocabula multo aliter accipiant. In *Damire* هجين *hegin* in equis, & hominibus est الذي ابوه عربي وامه غير عربية *cujus pater est* Arabs, *sed mater non est* Arabs. Et in camelis هجان *hugian* dicitur البيض يستوي فيه المذكر والمونث *qui albus est, atque id de masculino, & fœminino æquè usurpatur.* Itidem in *Alcamuso*, الهجان الخيار من الابل البيض والبيضا Alhugian, *camelus eximius albus; mas, & fœmina.* At in *Chaldæa* Paraphrasi *Es.* 60, 6. הוגני *hogene*, *Elias* interpretatur גמלים קטנים *camelos parvos.* Et in *Talmudico* Proverbio נפישי גמלי סבי דטעוני משכי דהוגני *Multi sunt cameli senes, qui ferunt pelles τῶν hogene:* nomen *hogene* videtur de junioribus usurpari, quia senibus opponitur. Mihi tam *Chaldæum* הוגן *hogen*, quam *Arabicum* هجان *hugian*, facta videntur ex *Græco* εὐγενής, atque indè sic

sic dici camelus quacunque de causa nobilis; puta, qui pollet viribus, aut ætate floret, aut colore eminet. Et vir, aut equus هجين *hegin*, qui patrem habet *Arabem*; quia saltem à patre nobilem esse illum putant. Ut de muliere هجان *hugian*, in *Damire* est كريمة *honorabilis*. Et *Chaldaicè* præfixo מ formativo, מהוגן *mehugan*, pro *viro nobili* passim occurrit: ut הוגנים *hogenim*, id ipsum est in libro *Jalkut*.

Secundum camelorum genus (inquit *Leo*) Bechetos *vocant. Hi duos habent gibbos, oneribus gestandis, & equitationi pariter accommodos, cujusmodi* Asia *saltem producit.* Qua mente *Marmolius*, *Otros ay llamados* Bechet, *que tienen dos corcobas, y entramas* (lege *entrambas*) *aprovechan para cargar, y para andar a cavallo: Mas no ay destos sino en Asia.* Bechet *Arabicè* scribitur بخت *Becht*, vel بختي *Bechti*, & Fœmin. بختية *Bechtia* & Plur. بخاتي *Bechati*. *Bactrianos* camelos intelligo, de quibus *Philosophus*, *Hist.* lib. 2. cap. 1. Διαφέρουσι δ' αἱ Βακτριαναὶ τῶν Ἀραβίων· αἱ μὲν γὰρ δύο ἔχουσιν ὕβους, αἱ δ' ἕνα μόνον· *Differunt autem* Bactriani *cameli ab* Arabicis: *Illi enim duos habent gibbos, hi unum solum.* Et *Plinius* lib. 8. cap. 18. Bactriani *&* Arabici *differunt, quod illi bina habent tubera in dorso, hi singula.* Quod *Solinus* perperam invertens, *Arabici*, inquit, *bina tubera in dorso habent, singula Bactriani.* Quamvis *Diodorus* etiam, ubi de *Arabia* lib. 3. Πλεῖστα δ' ἐστὶ διαφορώτατα γένη καμήλων τρέφει, τῶν τε ψιλῶν, καὶ δασέων, καὶ διπλῶν ἀνατεταχότων τὸ κατὰ τὴν ῥάχιν κύρτωμα, καὶ διὰ τοῦτο διτύλων ὀνομαζομένων· *Multa camelorum alit, & diversissima genera, quorum alii depiles, alii hirsuti sunt, alis tuber duplex supra dorsum eminet, unde vocantur Dityli.* Nempe τύλη in *Hesychio* est τῆς καμήλου ὑπὸ (lege ἐπὶ) τῆς ῥάχεως τὸ ἄκρον δέρμα, *cameli super dorsum suprema cutis.* Itaque falluntur, qui in *Diodoro* διύγρων rescribunt pro διτύλων. Nascitur etiam hoc cameli genus in *Sindica* regione prope fluvium *Indum*. *Alcamus*,

الفالج الجمل الضخم ذوا السنامين يحمل من السند للعجلة Alphalig, *camelus obesus duplici gibbo, quod è regione* Sindica *ad currus adducitur.* *Pullus* vocatur قرمل *Kirmal*. Damir, القرمل ولد البختي *Kirmal, pullus Albechti*. Item Plur. القرامل الابل ذوات السنامين Alkaramilo, *cameli duplici gibbo.* In *Camus* idem cameli genus vocari videas دهامج *duhamig*, & عصفوري *usphuri*, & قرعوس *kirus*. Quin ut עלל *Hebraicè* est *racemare*, & *Arabicè*, *iterum fructus legere*, & in genere *iterare*: ita تعلول de colore dicitur de pluvia, posteriorem illam significat, quæ *Hebraicè* dicitur מלקוש; & de camelo, illum, cui duplex est, & quasi repetitus gibbus.

Tertium genus (ait *Leo*) *patriâ linguâ* raguahil *dictum, gracilibus exiguaque statura camelis constat, qui, sarcinis gerendis inferiores, reliquos tanta sui pernicitate superant, ut diei unius spatio ampliùs centum passuum millia conficiant, iter modico viatico ad dies octo, vel decem, per deserta perpetuantes: quibus nobiliores* Numidiæ Arabes, *&* Afri Libyci *uti solent. Cùm Rex* Tombuti *magnâ celeritate alicujus momenti negotium* Numidis *mercatoribus indicare cupit, nuntium, camelo istiusmodi insidens*, Tombuto, Daram, *vel* Segelmessam *nongentis passuum millibus dissitam, ollidus ad summum spatio procurrit.* Et Marmolius, *Tambien ay otros, que llaman raguahil o elmahars: Estos son pequeños de estatura, y delicados de miembros, y no sirven sino para caminar, y es tanta su ligereza, que ay muchos, que caminan, en una dia treinta, y cynco, y quarenta leguas, continuando estas jornadas ocho y diez dias por los desiertos, con muy poco mantenimiento.* Hi sunt *Indorum Bacambal*, de quibus *Vincentius le Blanc* in *Historia peregrinationum* suarum part. 2. cap. 22. *Leucas quinquaginta in diem facilè conficiunt, cum domino camelarium ferentes, & viaticum necessarium.* Et *Joannes Maria Angiolellus* in vita *Usuncassani*, cap. 6. *In sei hore havevan corso nonanta miglia.* Item, *Sparissero dinanzi à gli occhi nostri, si maravigliosa è la velocita de quegli animali.* *Græci* à cursu δρομάδας appellabant. *Diodorus* lib. 3. Αἱ δ' ἀνάχυλοι, καὶ λαγαραὶ ταῖς συστάσεσι δρομάδες εἰσὶ, καὶ διατείνουσι πλεῖστον ὁδοῦ μῆκος. *Breves autem, & constitutione graciles sunt dromades, & longiorem viam emetiuntur.* Hæc verba sic vertenda; non, ut *Diodori* interpres perridiculè, *Anacoli verò, lagarique, qui dromadum sunt formâ*, &c. Idem alibi, in eodem libro de *Debis Arabibus*, Τὴν ὅλην χώραν περιπολοῦσιν ἐπὶ τῶν δρομάδων καμήλων· *Totam regionem circumeunt super camelos dromades.* Et lib. 19. Διαλείπει τὸ ζῶον τοῦτο σταδίους ἐν πολὺ ἐλάττους χιλίων πεντακοσίων· *Hoc animal per diem conficit ferè mille & quingenta stadia.* Zosimus lib. 1. Αἱ δὲ κάμηλοι εἰσὶ τάχισται, καὶ ἵππους ὑπεραίρουσαι τάχει· *Hæ camelorum, sunt velocissima, & equos celeritate superant.* *Philostratus* lib. 2. cap. 3. Καὶ καμήλους δ' ἐπήγοντο, αἷς χρῶνται Ἰνδοὶ εἰς τὰ δρομικά· τρέχουσι δ' χίλια στάδια τῆς ἡμέρας· *Camelos adducebant, quibus ad expeditiones utuntur* Indi; *hi singulis diebus mille stadia conficiunt.* Isidorus, *Orig.* lib. 12, cap. 1. *Dromeda genus est camelorum, minoris quidem statura, sed velocioris, unde & nomen habet: centum, & amplius, milliaria uno die pergere solet.* Tam eximiæ velocitatis exemplum illustre affert *Strabo* lib. 15. ubi eos legas, quos è *Drangis Ecbatana* misit *Alexander*, ad *Parmenionem* conficiendum, ἐπὶ δρομάδων καμήλων, *camelis dromadibus vectos iter dierum triginta, aut quadraginta, etiam ἐν ἕνδεκα ταῖς διανύσαι, undecim diebus peregisse.* Meritò igitur dromas in *Talmudis* Tractatu *Maccoth* vocatur גמלא פרחא *camelus volans*; quia est cursu velox, instar avium volantium, ut ibi habet *Glossa*. *Arabicè* dicuntur رواحل *ravvahil*, vel *raguahil*, ut scribunt *Leo* & *Marmolius*, à *clitellis*, quæ imponuntur. *Damir*,

الراحلة قال الجوهري هي الناقة التي تصلح ان ترحل كذلك الرحول ويقال الراحلة المركب من الابل ذكرا كان او انثي والها فيها للمبالغة كالتي في داهية وراوية وعلامة Alrahila, *ut dicit* Giauhari, *est camelus, qui clitellis ferendis aptus est. Et idem est* rahul, (unde Plur. رواحل *ravvahil*.) *Dicitur porro* rahila (Fœminina terminatione) *camelus quicunque equitatur, sive mas, sive fœmina. Nempe he littera in fine vocis est emphatica, ut he in vocibus* داهية *dahia*, id est, *infelix* (de viro) راوية *ravvia*, id est, *enarrator*, *factorum*, & *dictorum* Mahomedis; علامة *ulama*, *doctor*. *Eodem exemplo Hebrais* קהלת *coheleth*, *concionator*, de Solomone, *Eccles.*

*Eccles.*1. *v.*1. & סופרת, *sophereth*, scriba, *Esdr.*11.*v.*54. quamvis significatione Masculina sint, Fœmininam habent terminationem. Ibidem observatur vocem رحالة *rahila*, formam habere Participii Activi, quasi sit ὁ ἐπισάττων, *clitellas imponens*, cum significet المرحول τὸ ἐπισεσαγμένον, *eum cui clitellæ imponuntur*. Quomodo in *Alcorano* dicitur في عيشة راضية *in victu amante*, pro مرضية *amato*, id est, accepto & grato. Item لا عاصم *non est defendens*, pro لا معصوم من امر الله *non est, qui defendatur à Lege Dei*. Et ما دافق *aqua effundens*, id est, مدفوق *effusa*. Contra, Participium Passivum pro Activo occurrit, cum ibidem dicitur حجاب مستور *velum absconditum*, id est, ساتر *abscondens*: & كان وعده ماتيا *promissum ejus est adductum*, id est, اتيا *veniens*. Eadem est Hypallage in *Hebrais* nominibus *Mosis* & *Jesu*. Nam prius formam habet Activam, ac si pro *educto* ex aquis *educentem* sonet: posterius Passivam, ac si pro *servante*, vel *servatore*, *servatum* dicas. Sed hæc obiter.

Sunt & alia dromadum nomina quamplurima in usu apud *Arabes*. In his دمشق *damascus*, à loco est: درور *derur*, & خيطف *chaitaph*, ab *avibus*, videntur ducta, quia, דרור *deror* palumbus *Hebrais*, & خطاف *chitaph hirundo*, sunt aves citissimi volatûs. دروع à motu دراع id est, *cruris anterioris*, quod in obviis camelis maximè conspicuum est. عصوف *procella*, & زفيان quasi *sagitta* ex arcu excussæ, aut venti sævientis impetum imitetur. Utrumque enim verbo زفي *Arabes* passim efferunt; مورا, quasi *fluat* potiùs, quàm gradiatur. Nam مور *fluere* est. دفاق quia دفق id est, *praceps fertur instar torrentis*. Proinde *Heb.* etiam דפק est *accelerare*, Gen. 33. v. 13. وكريب à *saltu*, & *cursu*: *Arabicè* scilicet وكر *saltare*, & *currere* est. Et, permutato verborum ordine, كريب id ipsum significat: fortasse etiam كرة, unde كرة dicitur pro *camelo strenuo*.

Hoc non observo de nihilo. *Esa.* 66. *v.* 20. prædicitur fore, ut *Jerosolymam* Gentes undequaque confluant *in equis*, & *in curribus*, & *in lecticis*, & *in mulis*, ובכרכרות & *in circaroth*. Quæ vox valde est ambigua, & incertæ significationis. *Græcorum* enim alii σκιάδια *umbracula*, alii φορεῖα *vehicula* explicant; Hieronymus *carrucas*; *Syrus* omisit; *Arabs* ظلالات σκιάδια, *Græcos* sequutus; *Chaldæus* תשבחן *laudes* reddidit; R. *Selomo*, *cantica ludentium* & מכרכרין *saltantium*; R. *Menachem* כבשים *agnos*: sed *Hebræorum* reliqui, quotquot videre contigit, *Aben Ezra*, *Kimchius*, *Mardochæus*, *Pomarius*, *Aquinas*, *camelos*, aut *dromades* interpretantur. His accedo libentius; quia series orationis propè requirit, ut de camelis agatur; Cum scilicet alios in curribus, alios in lecticis, alios in equis & mulis dicat *Esaias* *Jerosolymam* confluxuros, reliquum erat, ut adderet, alios item in camelis, vel dromadibus venturos. Neque enim verisimile est *Prophetam* hîc prætermisisse tam nobile jumenti genus, & in *Oriente* tam receptum. Sed origo vocis non constat. *Kimchius* deducit à verbo כרכר, *circer*, *saltare*, 2. Sam. 6. v. 14. *quia*, inquit, *cursus dromadum tantæ est agilitatis*, *ut saltum mentiatur*. At, secundùm *Aben Ezram* geminatum est vocabulum à simplici כר *car*, quo cameli præstans genus significari asserit. Quin כר *car*, *Hebrais* est *aries*, aut *agnus*. *Amos* expressè dicit כרים esse מצאן ex ovillo genere, cap. 6. v. 4. Atque ab *Hebrais* ad fines transiisse hoc vocabulum ex his *Hesychii* colligas; Κάρ, πρόβατον. Κάρα, Ἴωνες τὰ πρόβατα. Unde videtur *Caria* dicta. *Cicero*, lib. 1. *De Divinat.* Arabes *autem*, & Phryges, & Cilices, *quod pastu pecudum maximè utuntur*, &c. *Tum* Caria *tota*, &c. Et Καρὶς alterum nomen insulæ *Co* apud *Stephanum*, & *Eustathium* in *Iliad.* β΄. quia, eodem auctore insula erat πολυθρέμμων, & celebris δι' εὐβοσίαν. Hinc *Callimachus*, Hymno in *Delum* illam cum *Delo* conferens.

Νῆσος ἐπεὶ λιπαρή τε, καὶ εὔβοτος, εἴ νύ τις ἄλλη,
Pascua, *si qua alia*, *est*, *atque uberius insula gleba*.

Objicit quidem *Aben Ezra* כר *car* pro *camelo* sumi, vel pro *cameli pullo*, *Gen.* 31. *v.* 34. *Esa.* 16. *v* 1. & 60. *v.* 6. Sed ubique fallitur. *Esa.* 60. *v.* 6. jam docuimus *Beth* initiale in voce בכרי *bicre* radicale esse, non servile, ut ille putat. In *Genesi* כר הגמל non est *cameli pullus*, sed *cameli stramentum*, vel *clitella*. *Hebræi* summo consensu עביט, & מרדעת, explicant, pro quo *Arabes* scribunt برذعة, *Beth* pro *Mem* initio vocis. Denique *Esa.* 16. *v.* 1. כר *car*, *agnum* esse, vel *arietem*, patebit legenti locum. In eo *Moabitas* alloquitur *Propheta*, qui olim *Davidi*, & *Salomoni*, &, post divisum regnum, *Israelitarum* Regibus certum agnorum, & arietum numerum pro tributo solverant; (vide 2. *Sam.* 8. *v.* 2. & 2. *Reg.* 3. *v.* 4.) sed cum, sub *Achabo*, *Mesa*, Rex *Moab*, excusso jugo, se, & suos ab hoc tributo liberâsset, 2. *Reg.* 1. *v.* 11. & 3. *v.* 5. nunc eos *Propheta* monet, ne *Judæorum* jugum amplius detrectent, si sibi consultum velint, in brevi futura suorum clade. *Mittite*, inquit, *agnum* (imperatum agnorum numerum) *dominatori terræ* (Regi *Judæorum*) *à Petra deserti*, (ab *Aroër*, seu *Rabbath-Moab*, metropoli *Moabitarum* in petra sita) *ad montem filiæ* Sion, (id est, *Hierosolymam*.)

Itaque כר, *car*, pro *camelo* Scriptura nusquam usurpat. Sed *Arabicè* in *Alcamus* كرة *carb* est الجمل الشديد *camelus strenuus*. Et كريب *caria* verbum, id est, *vehementer cucurrit*, *vehementer saltavit*, ad camelos sæpe transfertur: ut cum dicunt de cameli fœmina كريت برجليها *cariath pedibus suis*, id est, قلبتها في العدو, *invertit eos in cursu suo*. Item, كرات الناقة *carath camelus f.* id est, سرعت, *properavit*. Et vicinum huic verbum وكرت الناقة idem sonat: & وكريب ناقة est *camela velox* سريعة. Et وكر de caprea est *insilire*. Et وكار, *cursus*, & *saltus*. Quo videntur alludere *Hebræa* כרכר, & כרכרות, quorum hoc *camelos dromades*, illud *saltare* significat.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

De Camelo Proverbia, ut *Camelus per foramen acûs; Deglutire camelum*, &c.

Quæritur an in Proverbio de camelo per foramen acûs camelus *ſit* funis nauticus? *Multi* κάμιλον *legi volunt:* Druſius κάβιλον. *Unde fiat vernaculum* cable, *cùm ſit* Hebr. חבל chebel. Camelus *Arab.* gemel, *&* rudens giomal, *ut* Syr. gamol; *inde vernaculum* gomena. *In* Alcorano *legi* giommal, *id eſt*, rudentem; *& in Alcamus. Utramq; lectionem poſſe ferri probatur. Quid ſit* deglutire camelum. Cajetani *ſuſpicio locum eſſe corruptum, ab* Ambroſio Catharino *refellitur.* Arabs *Interpres emendatus.* Trabs in oculo, *ſimile Adagium in* Talmude. Eraſmus *notatus. Alia undecim de camelo Proverbia, partim* Arabica, *partim* Hebraica.

F*Acilius eſt, ut camelus pertranſeat foramen acûs, quam ut dives in Dei regnum ingrediatur.* Evangelis (a) verba ſunt, in quibus multis viſum eſt non agi de *camelo animali*, ſed de *camelo*, vel *camilo*, *fune nautico*. Nam κάμιλον vocari τὸ παχὺ σχοινίον, ᾧ χρῶνται οἱ ναῦται πρὸς τὸ ῥίπτειν τὰς ἀγκύρας, *craſſum rudentem, quo nautæ utuntur ad jaciendas anchoras*, habemus apud *Theophylactum*, *Euthymium*, & *Phavorinum*. Scholiaſtes *Ariſtophanis*, & *Suidas* idem docent, niſi quod pro καμήλῳ κάμιλον ſcribunt. Fruſtra ſuſpicatur *Druſius* eos non ſcripſiſſe κάμιλον, ſed κάβιλον, ut *Græca* vox conveniat cum *Belgico*, *cabel*. Uterque enim affirmat hoc ſolo differre κάμιλον à *camelo*, quod habeat I loco E. Neque opus erat *Græcam* vocem cudere, unde *Belgica* oriretur, cum *Hebræi*, *Chaldæi*, *Syri*, *Æthiopes*, *Arabes* funem nauticum חבל *chebel*, vel *chabal* vocent. Sic *Actor.* 27. *verſ.* 32. in exemplari *Syro* ܚܒ̈ܠܐ ܕܐܣܩܦܐ in *Arabico Erpenii* حبال القارب in *Pariſienſi* وحبال المركب in *Æthiopico* አሕባለት: ፆአት: ሐመር: ſunt τὰ σχοινία τῆς σκάφης. Et *Proverb.* 23. *verſ.* 24. חבל *chibbel* aſſerit *R. Jonas* eſſe aliquid מחבלים id eſt, *ex rudentibus factum, mari innatans, cum navis anchora jacitur, ut ſciatur quo loco ſit anchora.* Neque alia ratio aſſignatur, cur *Jonas*, & *Ezechiel* nautas appellent חובלים *chobelim*; quam quia tractant חבלי הספינה, *chable haſſephina*, *rudentes navis*. Ergò nullum dubium, quin *chebel*, & *chabal*, ſit *rudens*, ut Belg. *cabel*, & Gall. *chable*. Quam vocem barbaros crediderim didiciſſe à *Phœnicibus*, qui diu ante *Romanos*, & *Græcos*, maria noſtra perluſtrârunt, ut alibi probavimus.

a) Matt. 19, 24. Marc. 10, 25. Luc. 18, 25.

Sed, quod fidem faciat inter *Judæos* Ἑλληνίζοντας κάμιλον tam *rudentem*, quàm animal ſignificâſſe, vox *Arabica* جمل ad utrumque eſt ambigua, niſi quod vocales differunt. Nam pro animali ſcribitur جَمَل *gemel*; pro *rudente* جُمَّل *giomal*, & جُمَّل *giommal*, & جُمْل *gioml*, & جَمْل *geml*, & جِمَل *gimal*. Et in Plurali Fœm. جُمَالات, *giomalath*, ſunt *rudentes ſimul in ſpiras contracti*. Hinc Hiſpanis *gumena*, Italis *gomena*, Gallis *gomeine* eſt *rudens*. L in N eſt permutatum, ut in ϛίνταπος pro ϛίλατος, νάρναξ pro λάρναξ, *grunnio* ex γρυλλίζω, *magnus* pro *maglo* ex τοῦ μεγάλου. Sed & *Syris* ܓܡܠܐ *gamol*, tam *rudentem* ſignificat, quàm *camelum* animal. Ita ſtatuunt *Novaria* (b) in *Nomenclatore Arabico-Syro-Latino*, & *Baptiſta Ferrarius* (c) in *Lexico-Syriaco*, qui ex mente *Syrorum* ܓܡܠܐ Matth. 19. v. 24. *funem nauticum* eſſe vult, *quo anchoræ religantur*. Nempe, cum *Syrum* ܓܡܠܐ utrumque ſonet, *Syris* id amplecti liberum eſt, quod videtur commodiſſimum.

b) Tract. 9. 81. c) In voce גמל

In *Alcorani* Surata اعراف id eſt, *De limbis*, ſic ad eundem locum alludit *Pſeudo-Propheta*, ان الذين كذبوا باياتنا واستكبروا عنها لا تفتح لهم ابواب السما ولا يدخلون الجنة حتى يلج الجمل في سم الخياط *Quoniam qui mandata noſtra inficiantur, & in ea ſe efferunt, non aperientur ipſis portæ cœlorum, neq; in Paradiſum ingredientur, donec ingrediatur rudens in foramen acûs. Camelum* intelligunt tam *Latinus* Interpres vetus *Petrus Cluniacenſis*, quam *Gallicus* nuperus: ſed uterque perperam. Neque enim in *Arabico* textu, in quo vocales ſemper adduntur, habetur الجَمَلُ *algemelo camelus*; ſed الجُمَّلُ *algiommalo*, *rudens*. Unde eſt, quod *Alcamus* etiam legit حتى يلج الجُمَّلُ & explicat حبل السفينة *rudentem navis*.

Lectori tamen eſto liberum illud utrovis ſenſu ſumere. Nempe animal intelligendum ſuadet vocis acceptio uſitatior, & *Talmudicorum* Proverbium à *Canino* pridem obſervatum, de eo, qui rem impoſſibilem effecturum ſe profitetur, דיל מא דפומבדיתא את דמעילין פילא בקופא דמחטא *Fortè ex urbe* Pombeditha *es, ubi immittunt elephantem per foramen acûs.* Ita habetur in *Bava Metſia*. Nec multò aliter in *Beracoth*, לא מחוו ליה לאיניש דקלא דדהבא ולא פילא דעייל בקופא דמחטא *Non oſtendunt homini* (res inſolitas, puta) *neq; palmam auream, neq; elephantem, qui intret per foramen acûs.* Cui ſimile aliud extat *Hebræorum* Adagium apud doctiſſimum *Buxtorfium* (d) אין נקב המחט צר לשני אוהבים ואין רוחב העולם די לשני שונאים *Non eſt foramen acûs anguſtum nimis duobus amicis, neq; tota mundi amplitudo ſufficit duobus inimicis.* Quo fere ſenſu *Talmudici* dicunt in Tractatu *Sanhedrin*, quamvis aliunde ſumptâ Metaphorâ, כי רחימתן הוה עזיזא אפותיא דספסירא שכיבן השתא דלא עזיזא רחימתן פוריא בר שיתין גרמידי לא סגי לן *Quamdiu amicitia noſtra invaluit, in latitudine* (e) *ſampſeræ decumbebamus: nunc, cum amicitia noſtra deferbuit, lectus ſexaginta cubitorum non ſufficit nobis.* Itaque, ut eo revertamur unde digreſſi ſumus, ut *Talmudicus* elephas, ita *Chriſto* camelus per foramen acûs ingrediens, videri poteſt fuiſſe ſymbolum rei impoſſibilis; quaſi pro *elephante camelum* uſurpaverit, ut animal *Judæis* notius.

d) Lex. Tal. voce נקב. e) Suidas, Σκιμψίπους, κλινάριον, ſive σκίμπους.

Sed agi de rudente potius ſuadet analogia major inter rudentem, & filum, quod ſolet per foramen acûs induci. Tum quod גמל, & κάμηλος tam à *Syris*, & *Helleniſtis*, quam ab *Arabibus* potuit pro rudente uſurpari. Itaque *Syros*, & *Arabes* non animal, ſed rudentem hîc intelligere jam docuimus. Et *Talmudicos*

ne quis objiciat, habent & ipsi Adagium de rudente per foramen angustum, quod est foramen acûs. Citat Doctissimus *Buxtorfius* in פיטורין ex *Abkat Rochel* in fine, קשה יציאת נשמה מן הגוף כפיטורי בפי וישט *Gravis est exitus animæ ex corpore, ut rudentum per foramen angustum.*

Ecce aliud de camelo Proverbium, *Matth.* 23. v. 24. Οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὸν δὲ κάμηλον καταπίνοντες *excolantes culicem, & camelum glutientes.* Quo *Pharisæos*, & *Scribas* ferit *Christus*, eo quod, cum in minimis essent superstitiosi, & anxii, ea negligebant, quæ majoris erant momenti. Quod eos dicit culicem excolâsse, etiam ad literam fuisse verum, suo loco docebimus: at *Pharisæos* camelum deglutiisse, quomodo culicem excolabant, ad literam verum esse nequit. Ac proinde *Cajetanus* suspicatur hunc locum esse corruptum, & pro camelo *Christum* nominasse muscæ majoris aliquod genus, quod in potu sorberi possit, alioqui constare negans rationem oppositionis. *Nihil, inquit, commune est camelo, & glutitioni, nulláq; consonantiâ respondet excolationi culicis glutitio cameli. Propter quæ crediderim ego tam* Græcum, *quam* Latinum *textum corruptum haberi in nomine proprio ipsius animalis. Contextus Metaphoræ exigit, ut animal aliquod magnum significetur, quod deglutiri bibendo potest: alioqui non quadrat Metaphora. Sonat enim Parabola hæc, quòd bibendo hinc evitatis tantâ diligentiâ minimam culicis immunditiam, ita ut excoletis eum; inde autem glutitis (procul dubio bibendo) animal magnum immundum, puta muscam magnam, quam vulgariter dicimus* musconem. *Si diceretur æstrum.* &c. *sensum clarum haberemus.* Sed nihil hic esse corruptum docet consensus exemplarium: & quod Versiones omnes, *Syra, Arabica, Æthiopica, Vulgata*, vernaculæ quotquot habentur, cum *Græco* textu bellè conspirant: nisi quòd in *Arabica*, ubi legitur الذين ينترتون البعوضة *qui omittunt culicem*, pro نيرتون scribendum يروقون *excolant*, id enim propriè est روق in secunda conjugatione. Unde *Amos* 6,6 الخمر المروقة ὁ οἶνος διυλισμένος, *vinum excolatum.* Vocem, quam ignorabant, scribæ imperiti corruperunt. De cætero, *Cajetani* objectio magni momenti non est. Et malo eam refellere *Ambrosii Catharini* (f) verbis, quam meis. *Vere*, ait, *non solet deglutiri camelus; sed nec solet* Asinus ad lyram: *& tamen etiam jucunde dicitur, asinus ad lyram, congrua certè Metaphorâ, cum hominem ad rem quampiam ineptum volumus significare. Verum, ut per Scripturas confutetur, nonne dixit Dominus*. Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? *Nunquid ergo solet esse trabs in oculo?* Item, *Sciebat Dominus, qui novit omnia, non solere deglutiri camelum; sed ob hoc ipsum conveniebat Parabola. Talia enim erant* Pharisæorum *crimina, quale illud animal, nempe immanitate ingentia, iniquitate tortuosa, ac per hoc suapte naturâ ingluttibilia: quæ tamen illi faciliè admittentes tanquam glutiebant, cum nihilominus vitarent parva.* Uno verbo, *Christi* mens non est, camelum posse deglutiri; sed, minutias illas Legis, putà decumare mentham, & anethum, & cuminum, & omne olus, in quibus erant tam accurati, gravioribus, quæ negligebant, tanto minores fuisse, quanto camelo minor est culex. Itaque appositè omnino à *Catharino* hæc *Christi* locutio cum altera illa confertur, *Vides festucam in oculo fratris tui, & in tuo trabem non vides*, quà *Christus* non significat trabem in oculo posse latere; sed vitia illa, quorum alios arguunt hypocritæ, iis criminibus, quæ in seipsis securè prætereunt, tanto esse minora, quanto festuca minor est trabe. De cætero etiam hoc Adagium de festuca, vel trabe in oculo sumpsit *Christus* ex usu vulgi. Ita enim habetur in *Hebræorum Sententiis*, quas collegit *Seidelius*, num. 271. איך תאמר טול מבין עיניך קיסם השבורה ועל עפעפיך כעובי הקורה *Quomodo dicis: Ejice ex medio oculorum tuorum festucam fractam (id est, festucæ fragmentum) tum super palpebris tuis est tanquam trabs ingens?* Et in *Talmudico* Tractatu *Erachin* cap. 3. fol. 166. mirari se dicit *R. Tarphon*, si quis in hac generatione patiatur se redargui, cum, si quis dicat: טול קסם מבין עיניך *Tolle festucam ex oculis tuis*, illi dicatur, id est, regeri possit: טול קורה מבין עיניך *Tu vero ex oculis tuis trabem exime.* Cujus Adagii partem citat *Elias* in *Thisbi* radice נטל. Sed mendosè habet בין pro מבין. Huic Adagio affine est illud *Horatii*, *Serm.* lib. 1. Sat. 3.

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius: æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Sed hæc obiter.

Aliud agebat magnus *Erasmus*, cùm observavit *Christi* Proverbium de culice, & camelo, a *Græco* illo non abhorrere, Ἀνδριάντα γαργαλίζειν, id est, *Statuam colare gutture.* Ita enim interpretatur. At γαργαλίζειν non est *colare*, sed *titillare*. Neque gutture, sed panno, vel linteo liquores excolantur. Itaque tam nescivit quid sit *colare*, quàm quid sit γαργαλίζειν. An putavit γαργαλίζειν idem esse, quod γαργαρίζειν? Quomodo *Cebetis Arabs* Interpres pag. 20. ubi يغرغر *gargarizat enim* respondet *Græco* γαργαλίζει τὸν ἀνδριάντα.

His addi queunt multò plura de camelis Proverbia. I. Quale illud est *Arabum*, & *Pseudo-Prophetæ* ipsius, ut volunt, الناس كابل ماية ليس فيها راحلة *Homines sunt ut cameli, quorum ne quidem centesimus quisq; est dromas.* Ut doceant rarum esse virum الراضي *gratum*, & *acceptum* Deo (Hic enim Activa vox significationem habet Passivam) Aut paucos esse, qui mundum hunc serio contemnant, & futurum avidè expetant. II. Item اشبعتهم سبا وراحوا بالابل *Saturavi eos vino, & delectati sunt camelis*, id est, lacte camelorum. Quod de iis intelligo, qui, repertis frugibus, malunt glandibus vesci, quamvis ipsi aliò referunt. III. Item هما كركبتي البعير *Sunt ut cameli genua*; de iis, qui æqualiter procedunt in negotio. IV. Item الجمل من جوفه يجتر *Camelus è ventre suo ruminat*; de eo, qui propriâ arte victum sibi comparat. Aliud exemplar pro من جوفه *è ventre suo* perperàm habet من خوفه *præ metu suo.* V. اخلف من بول الجمل *Magis præposterus, quam urina cameli*; qui scilicet mingit retrorsum, quia εἰς τὸ ὄπισθεν ἐστὶ τὸ αἰδοῖον, ut observat *Philosophus*, *Histor. animal.* lib. 2. cap. 1. VI. وقع القوم في سلا جمل *Incidit aliquis in cameli secundinam*; de eo, qui se reperisse jactitat quod nusquam est, quia camelus non habet secundinam. Puto hanc veram esse Adagii mentem, quamvis *Arabes* alia multa comminiscantur. VII. التمر في البير وعلي ظهر

(f) In Annot. ad Cajetani dogmata p. 76

ظهر الجمل *Fructus est in puteo, & super cameli dorsum.* Pro التمر id est, *palmâ*, unico puncto addito, scripsi الثمر *fructum*, quia sensus ita postulat. Nempe, ut in Exegesi habetur, من سقي ما البير علي ظهر الجمل بالسانية وجد عاقبة سقية في ثمرة *Qui agros suos putealibus aquis rigat dorso cameli vectus, illius nempe, quem* السانية (id est) *rigatorem*) *vocant, mercedem rigationis suæ in fructu consequitur.* Pro السانية aliud exemplar habet السافية, *Kaph* pro *Nun* minus proprie. Nam سقي *saka* in genere *rigare* est; سني. *sana*, *rigare terram ope cameli.* Unde *Alcamus*, السانية الناقة يسقي عليها Sania, *camela. super quam rigatur*, id est, quâ quis vectus agros irrigat.

Sunt & *Hebræis* sua de camelo Proverbia, quæ observavit Cl. *Buxtorfius.* Ut I. לפום גמלא שיחנא *Pro camelo sarcina.* II. נפישי גמלי סבי דמטעני משכי דהוגני *Multi sunt cameli senes, qui portant pelles juniorum*, nempe ad forum, ut vendantur. III. גמלא במדי אקבא רקדא *Camelus in* Media *saltat in cabo*; in eos, qui incredibilia jactitant. Cui simile id *Hieronymi* adversus *Helvidium*: *Risimus in te Proverbium, Camelum vidimus saltitantem.* IV. גמלא אזלא למיבעי קרני אודני דהוו ליה גזין מניה: *Camelus ivit quæsitum cornua, & aures, quas habebat, absciderunt ipsi.* Id ipsũ Adagium *Græci* ita efferunt, Ἡ κάμηλος, ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν. *Talmudici* de *Balaamo* usurpant, qui, cum majora affectaret, amisit donum Prophetiæ.

CAPUT SEXTUM.

De *Hebræis* Equi nominibus.

Hebræa *equi septem nomina.* I. סוס sus. Susa *inde non dici, sed à* liliis. *Equus* סוס *neq; ab* alacritate, *neque ab* elatione *dicitur; sed quia docile est animal, & facile regitur.* II. אביר abbir, *id est*, potens, *quæ vox* πολύσημος. *Ob ter quid sit in equo* דהרה dahara. Epirus *unde dicta. Equi & boves ibi præstantissimi.* III. פרש paras, *ut Arab.* pharas, *à* rapiendo, *propter cursus rapiditatem, ut* Arabes *volunt: vel, ut* Hebræi, *à* calcaribus, *quæ* Hebr. פרשים perisim. *Ad* فرس pharas *alludit* ferus, Latinum *equi nomen in Poëtis.* Persæ, Perseus, Pegasus, Bellerophon, *& tres* Solymorum *duces unde dicti.* Kenthippe *locus ubi.* IV. רכב recheb, equus curulis, *propriè* currus. *Sed & in* Virgilio currus *pro* equo. V. רכש reches, *equus cursor expeditissimus.* רתם *quid propriè, & Arab.* مركض. VI. רמך *ramach*, equa, *vox Arabicæ originis.* فرس pharas *etiam pro* equa. Marc *equus* Britannis *à* ramach. VII. Accinctus lumbis, *equi periphrasis* Prov. 30, 31. *Ratio hujus nominis. Aliorum interpretamenta.*

HEbræa equi nomina septem hic recensebimus. I. Primum, & vulgatissimum est סוס *sus*, *Chaldæis & Syris* סוסא *susa*, vel ܣܘܣܝܐ *susja.* Unde *Phavorinus*, Σουσίας, ὁ ἵππος κατὰ Σύρους· Susias, *equus Syris.* Et Etymologus *Susa* dici vult ἀπὸ τῆς ἱππασίμου εἶναι, σουσίαν γὰρ ὑπὸ Σύρων τὸν ἵππον λέγεσθαι, *eò quod equis sit apta*, susiam *enim equum à* Syris *dici.* Sed quod ibidem habetur ex aliorum sententia, *Susis* à *lilio* nomen esse, multo verius. Ita enim disertè asserunt ex veteribus *Aristobulus*, *Chares*, *Athenæus*, *Stephanus.* Et *Susorum Hebræum* nomen שושן *Susan*, in libro *Esther*, id apertè indicat. Quippe שושן *susan*, est *lilium.* Et סוס *sus*, equus, *Hebraicè* multo aliter scribitur: illud per *Scin*, hoc per *Samech.* Quod tamen insuper habens *R. Bechai* equum סוס dici putat quasi שוש. ab *alacritate*, & *lætitia*; quia שוש est *lætari.* Aliis סוס *sus*, à נסס *nasas*, deduci placet, ut בול *Bul*, id est, *October* mensis, à נבל *nabal.* Sed בול *Bul*, à נבל deduci non valde certum est; cum ex deficientibus *Pe-Nun* nullum aliud nomen deducatur hujus formæ. Itaque alii aliò referunt. Hoc præcipuum, quod cur סוס *sus*, deducatur à נסס *nasas*, idonea causa nulla occurrit. Equus, inquiunt, staturam habet proceram, & cervicem maximè elatam, & saltu plurimum attollitur: rectè igitur à נסס deducitur, quod *sursum attollere* significat. At נסס non simpliciter *tollere* est, sed *vexillum tollere*, & *erigere*, uno verbo σημειοφορεῖν. Itaque נסס cum סוס nihil habet commune. Sed סוס verbum apud *Arabes*, est *regere*, & *moderari.* Exempla vide *Gal.* 5. *v.* 18. & *Judæ* 12. item *Ephes.* 3. *v.* 2. ubi سياسة est *œconomia*, in Novo Test. *Arabico* edit. *Erpeniana.* Hinc in *Alcamus*, ساس الراكب دابة *Eques jumentum rectè moderatus est.* Et in *Lexico Coptico*, pag. 136. سياس الخيل est *curator equorum.* Equum inde סוס rectè dici nemo non videt, cum sit animal docile admodum, & ad omnia flexile, quodque non solum fræno, sed & simplici virgâ regi se sinit. Ita *Massæsylos*, & *Libes* scribit *Strabo* lib. 17. equis uti ὀξέσι, καὶ εὐπειθέσιν, ὥς τ' ἀπὸ ῥαβδίου οἰακίζεσθαι, *velocibus, & docilibus, ita ut solâ virgula gubernentur.* Hinc *Martial.* lib. 9. *Epigr.* 23.

Et Massylæum *virga gubernet equum.*

Et de vicinis *Numidis Silius* lib. 1. vers. 215.

Hic passim exultant Numidæ, *gens inscia fræni,*
Queis, inter geminas per ludum mobilis aures,
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

Et de *Mazacum* equis *Nemesianus*, in *Cynegetico* versu 266.

Nam flecti facilis, lascivaq; colla sequutus,
Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ;
Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera fræni.

II. Secundò אבירים *abbirim*, pro *equis* occurrit aliquoties. Nempe אביר *abir*, vel *abbir*, propriè *robustum*, & *potentem* (a) sonat. Proinde à potentia voce a) *Iob.* 14, 20.
ad *potestatem* translatâ, 1. *Sam.* 21. *v.* 7. אביר הרעים *Ier.* 46, 11. &c.
potens pastorum dicitur, qui *Petro* (b) ἀρχιποίμην, *prin-* b) 1. *Pet.* 5, 4.
ceps, seu *præfectus pastorum.* Et Deus passim vocatur
אביר יעקב (c) *potens Jacobi*, aut אביר ישראל (d) *potens* c) *Gen.* 49, 24.
Israelis, id est, *Israelitarum* Dominus. Sic in *Statio* *Psal.* 132, 2, 5.
lib. 9. *Thebaid.* *Esa.* 49, 26.
& 60, 16.

Virgo potens nemorum, - - - - d) *Esa.* 1, 24.

id est, domina. Et *Æn.* lib. 3.

Dii maris, & terræ, tempestatumq; potentes,

id est, præsides, & domini. In Plurali eos אבירים
abbirim (e) Scriptura vocat, qui inter homines pluri- e) *Iob.* 24, 22.
mùm possunt. Et אבירי לב, ad verbum, *robusti corde* *Lam.* 1, 15.
appellantur, aut (f) *animosi*, aut (g) *superbi.* Trans- f) *Psal.* 76, 6.
fertur idem ad Angelos. *Psal.* 78. *v.* 25. לחם אבירים g) *Esa.* 46, 12.
panis potentum est panis Angelorum. Ita *Græci* intelligunt, & *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabs*, *Æthiops*, & ex *Hebræis* R. *Selomo.* Tauri quoque roboris nomine quandoque vocantur אבירים, *abbirim*, ut *Esa.* 34, 7.

פרים

פרים עם אבירים juvenci cum robustis, id est, cum tauris. Et Psal. 22. v. 13. אבירי בשן robusti Basan, id est, tauri Basan. Et Psal. 50, 13. An comedo carnem אבירים robustorum, id est, taurorum? Et Ps. 68. v. 31. עדת אבירים cœtus robustorum, id est, taurorum. Denique אבירים pro equis sumi docent loca, quæ jam sequuntur. Jud. 5, 22. Tunc attritæ sunt ungulæ equorum, מדהרות דהרות אביריו cursibus, cursibus, inquam, robustorum ejus, id est, equorum ejus. Latinè potius dixeris, Equorum ungulæ cursibus illorum attritæ sunt. Sed Hebræâ Phrasi Nomen ipsum Pronominis loco sæpe ponitur. Jerem. 8. v. 16. A Dane auditus est נחרת סוסיו fremitus equorum ejus: Tota terra contremuit מקול מצהלות אביריו strepitu hinnitûs robustorum ejus. Et Jerem. 47. vers. 2. 3. Clamabunt homines, & ululabunt omnes incolæ terræ, מקול שעטת פרסות אביריו propter sonitum incessûs ungularum robustorum ejus: robustorum, id est equorum. Et Jerem. 50. v. 11. Hinnivistis כאבירים ut robusti, id est, ut equi. Equos enim intelligi docet, Primò, quòd סוסים equi, & אבירים robusti, ponuntur, ut synonyma: Secundò, quòd illis tribuuntur מצהלות hinnitus: Tertiò, & פרסות ungulæ: Quartò & דהרות cursus, aut saltus, aut incessûs species equis peculiaris. Ita ferè Hebræi. R. Selomo exponit: דהרות רקידת הסוס שהיו מרקידים את הסוסים במלחמה quia equos in prælio ad saltum provocabant. R. Levi cursum intensissimum, quo terra validè feritur, & concutitur. Contritæ sunt, inquit, & fractæ ungulæ equorum Sisaræ, ita ut nihil valuerint amplius, מחוזק מרוצתם הכותם בהם בארץ quia summâ contentione currebant, & terram iis feriebant. Kimchius in Lexico, ריצת הסוס בכח הליכתו תקרא דהרה Calcatio equi, cùm cito gradu fertur, vocatur dahara. Radix est דהר dahar, unde Nahum 3, 2. סוס דוהר equus saltans, vel currens. Arabs, الفرس الراكض equus καλπάζων. Syrus, equus subsultans (ma'e Gabriel, equus anhelans: Syrum enim ܢܦܚ naphar idem est, quod Arabicum نفز naphaza, R & Z permutatis, quod in illis linguis frequens) Chaldæus סוסן מפנכן equi saltantes, ut Jerem. 51. v. 27. Equi eorum מפנכן salientes instar locustæ. Et Jud. v. 22. Illorum equorum ungulæ excussæ sunt מפיגבא דהוא מפניך propter saltum, ad quem is eos excitabat. Fallor, an, radicalium ordine permutato, pro דהר dictum רדה, unde Arabicum ردي? Alcamus, ردي الفرس رجمت الارض جوافرها او هو بين العدو والمشي Equus ungulis terram verberavit, aut medius fuit inter saltum & incessum.

Insulas circa Epirum olim tenuisse Phœnices alibi docuimus; Ab iisdem fortasse dicta fuit Epirus: non quia ἤπειρος terra continens, nihil enim hic singulare; sed quia terra אבירים abirim, id est, equorum, & boum. De equis notum illud Poetæ libro primo Georg.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum.

Et libro tertio Georg.

Et patriam Epirum referat ——

Et Gratii, ferè in fine Cynegetici,

— Quis Chaonias contendere contra
Ausit, vix meritâ quas signat Achaia palmâ?

Chaonias (equas) id est, Epiroticas, Chaonia enim est pars Epiri. Vegetius, libro tertio; Epirotas, ac Siculos (equos) non despexeris, si mores pulchritudo non deserit. Jam de Epiri bobus quis non meminit? ubi, teste Pindaro, Nemeâ 4. Βουβόται πρώνες ἔξοχοι κατάκειν-ται, Δωδώναθεν ἀρχόμενοι πρὸς Ἰόνιον πόρον, celsa cacumina posita sunt, quæ boves pascunt, à Dodona incipientia ad Jonium mare. Sed observanda inprimis hæc Philosophi, Hist. lib. 3. cap. 21. Αἱ δὲ Ἠπειρωτικαὶ βόες αἱ μεγάλαι βδάλλεται ἑκάστη ἀμφορέα, καὶ τούτου τὸ ἥμισυ ἀπὸ τοῖν δύο μαστοῖν· ὁ δὲ βδάλλων ὀρθὸς ἵσταται, ἢ μικρὸν ἐπικύπτων, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἂν ἐφικέσθαι καθήμενος: Epiroticæ boves magnæ singulæ mulgentur ex utraque mamma lactis amphoram cum dimidia dantes: rectus stat, qui mulget, aut parùm inclinatus; quia sedens ad ubera non posset attingere. Proinde Hecatæus apud Arrianum, lib. 2. Anabaseως, asserit circa Epiri Ambraciam, & Amphilochum regnâsse Geryonem, & inde Herculem boves abegisse. Quo pertinet, quod in Epiro boves prægrandes, Λαρινοὶ dicti, credebantur ex illorum esse genere, quos abegerat Hercules, & à bubulco Larino, Herculis abigeo, traxisse nomen. De his vide Athenæum libro nono, & Suidam in Λαρινοὶ βόες, ubi citatur Poeta vetus Lycus Rheginus, Lycophronis pater. Vide item Aristophanis Scholiastem in Aves, (h) Tzetzem, (i) Apostolium, &c. Nec enim vacat his immorari.

(h) Chil. 8. Hist. 186.
(i) Adag. 107. 6.

III. Tertiò, quamvis Hebræum nomen פרש paras, equitem ubique reddant Interpretes ferè quotquot sunt, tamen valde verisimile est, quod observavit Ludovicus de Dieu, ὁ μακαρίτης, etiam פרש paras, alicubi pro equo sumi, ut Arabicum فرس pharas, quo Æthiopes quoque utuntur. Sic 1. Sam. 8, 11. Filios vestros capiet, & ponet sibi במרכבתו ובפרשיו in curribus, & equis ejus. Ita melius cohæret, quam si dicas, & equitibus. Et 2. Sam. 1, 6. Et ecce currus, ובעלי הפרשים & domini equorum assequuti sunt eum. Domini equorum, id est, equites; quomodo Vulgatus, & Syrus, & Arabs hic rectè habent. At domini equitum essent ἵππαρχοι, ut Seniores exponunt, quod videtur alienum. Rursus Es. 21, 7. רכב צמד פרשים currus est duorum equorum, id est, biga, non duorum equitum. Res clarior ex versu nono, ubi רכב איש צמד פרשים ad verbum significat currum viri duorum equorum, id est, bigam virilem. Neque enim dixeris currum viri duorum equitum. Et Es. 28. 28. ubi de tritura frumenti sic Propheta, ופרשיו לא ידקנו Et equis suis agricola non conteret illud: equis, inquam, non equitibus. Alludit enim ad morem triturandi, de quo Varro, De re rust. lib. 1. cap. 52. E spicis in aream (oportet) excuti grana, quod fit apud alios jumentis junctis, & tribulo, &c. Apud alios exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod ungulis è spica exteruntur grana. Equum Arabes فرس pharas dici volunt من الافتراس à rapiendo كانها تفترس الارض بسرعة مشيها quasi terram rapiat velocitate incessûs sui. Ita habetur in libro Damir. Neque verò equus incommodè dicitur rapere terram. Ita enim Martialis ad Priscum,

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo.

Et Poeta lib. 5. Æn.

—— signoque, repente
Corripiunt spatia, audito ——

Itaque vel à rapiendo equus Arab. dictus est فرس pharas, vel ab Hebræo פרש paras, quod primò equitem, deinde etiam equum significaverit καταχρηστικῶς, ut in illo Poëta lib. 3. Georg.

—— equitem docuêre sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Ad quem locum Servius; Equitem, id est, equum: nam pro equo rectorem posuit. Et Macrobius, Saturnal. lib. 6. cap. 9. Omnes antiqui Scriptores, ut hominem equo insidentem, ita & equum, cum portaret hominem, equitem vocaverunt: & equitare non hominem tantum, sed equum quoque dixerunt. Ennius libro Annalium 7. ait,

Denique vi magnâ quadrupes eques, atque elephanti
Projiciunt sese.

Quæ ille sumpsit ex *Gellio* lib. 18. cap. 5. *Eques* porrò פרש *paras*, *Hebrais* dici potuit בעבור הפרשים אשר ברגליו *à calcaribus, quæ sunt in pedibus ejus*; ut conjectat *Aben Ezra* in *Prov.* 23, 22. *ubi* פרש *paras* verbum est *pungere*, & inde *Chaldæis* פרש peras, *calcar*, *stimulus*. Ad *Arabicum* فرس *pharas* alludit *Romanum ferus* pro *equo*: *Virgilius* lib. 2.

—*inque feri curvam compagibus alvum*:

feri, id est, *equi*. Unde centauros *semiferos* dici notat *Servius*, quasi *medios equos*. *Manilius* lib. 5.

Exagitare feros, pronumque anteire volantes.
Item,
Ille tenet medicas artes ad membra ferorum.

Et *Germanicus* in *Phænomenis*, capite *Equus dimidius*,

Spumanti mandit sed quæ ferus ore lupato.

Et alibi notavimus ad *Hebræum* פרשים *parasim*, pro *equitibus*, *Persarum* nomen alludere; qui jam inde ab anno quinto equitare discebant, ut habetur in *Herodoto*. Et, cum ante *Cyrum* in *Perside* rari essent equi, quia montosa est regio, is *Persas* equis sic assuefecit, ut post illius ætatem paulo honestioris sortis sine equo nemo sit visus: Quin legem sanxit, ut turpe esset, si quis illorum, quos equis instruxerat, uspiam iret pedes. Hæc habentur in *Xenophonte* libro primo *Cyropædiæ*. Unde est, quòd, qui ante *Cyrum Cuthæi*, & *Elymæi* dicebantur, post *Cyrum* פרשים, *Persæ*, seu *equites* dici cœperunt. Proinde, cum neque *Moses*, nec libri *Regum*, nec *Esaias*, nec *Jeremias*, nec quisquam eorum, qui *Cyri* ætatem præcesserunt, *Persarum* uspiam meminerint; in *Daniele*, & *Ezechiele*, *Cyro* coævis, & in libris *Paralipomenωn*, *Esdræ*, *Nehemiæ*, & *Ester*, qui post *Cyrum* scripti sunt, frequens illorum est mentio.

Sed & *Persem*, vel *Perseum*, *equitem* interpretor, quo nomine dici potuit, postquam equitandi artem didicisset à *Phœnicibus*, quos secum adduxerat *Cadmus*. Eodem talaria pertinent, quorum ope per aërem volâsse fertur. Talaria enim sunt calcaria, quibus equum impellens, & ad cursum concitans, avium volatum æmulabatur. Et *Pegasus*, cujus originem ad *Perseum* referunt, equus fuit fræno assuetus. *Hebræis* enim, & *Syris* פג *pag*, vel ܦܓܐ *pega*, *frænum* est, & סוס *sus*, *equus*. Inde compositum פגא־סוס *Pegasus*, fuit ἵππος χαλιναγωγούμενος. *Pegasi* conscensor *Bellerophon*, quem telis *Chimæram* eminus confixisse fabulantur, est בעל־הרובין *Baal harovim*, *magister*, vel *præfectus jaculatorum*. *Chimæra*, monstrum tricorpor,

Antè leo, retroque draco, medioque capella,

tres *Solymorum* duces significat, *Aryum*, *Arsalum*, & *Tosibin*, quos debellavit *Bellerophon*: nempe *Aryum* ארי *ari*, id est, *leonem*, *Phœnices* appellabant; *Arsalum* ארזל *arzal*, vel ארזיל *arzil*, id est, *capream hinnulum*; & *Tosibin* ثعبان *tsoban*, id est, *draconem*. *Phœnicia* hæc sunt nomina; quia *Solymi Pisidiæ Phœnicum* erant coloni, de quibus nos suo loco. Quod pene omiseram, locum *Argivæ* regionis, in quo *Pegasum* primo conscendit, & stimulavit *Bellerophon*, Κενθιππίαν dici volunt ab argumento.

IV. Quartò, ut פרש *paras*, *equitem*, pro *equo*, qui equitatur; ita רכב *recheb*, id est, *currum*, *Hebræi* quandoque sumunt pro *equis curulibus*. Sic 2. *Sam.* 8, 4. & 1. *Par.* 18, 4. ויעקר דוד את כל הרכב *Subnervavit David omnem currum*, id est, omnes jugales, vel *omnes equos curruum*, ut *Vulgatus* rectè exponit. Et 2. *Sam.* 10, 18. *Occidit David ex Aram* שבע מאות רכב *septingentos currus*, id est, equos septingentorum curruum. Et *Ps.* 68, 18. pro רכב אלהים רבתים *currus Dei sunt duæ myriades*, *Genevenses* habent, *Equitatus Dei*, &c. Et *Psal.* 76, 7. נרדם ורכב וסוס *Dormiit & currus*, & *equus*, id est, tam equi curules, quam qui equitantur. LXX. ἐνύσταξαν οἱ ἐπιβεβηκότες τοῖς ἵπποις. Ita etiam *Syrus*, & *Arabs*, quasi legerint רוכבי רכבי סוס. Et *Ezech.* 39, 20. *Saturabimini super mensam meam* סוס ורכב *equo, & curru*, id est, equis, & jumentis curulibus. Nisi pro רֶכֶב *recheb*, legatur רַכָּב, id est, *eques pro curru*, vel *equo curuli*, quod sequuntur *Græci*, *Vulgatus*, *Syrus*, & *Arabs*. Ad *Hebræum* רכב *recheb*, accedunt *Arabica* ركاب *richab*, & ركوبة *rechuba*, pro *jumento*, & *Punicum* רכבה *recabe*. Unde כרכבה *carrecabe*, *caput equi*, & contractè כרכבה *carcabe*, vel כככבה *caccabe*; ut alibi docuimus. Priscum id fuit *Carthaginis* nomen ab *equi capite* ibi reperto. Sed & *Poëta* videtur quandoque *currum* pro *equo* sumere: ut *Æn.* lib. 12.

Infrænant alii currus: —

currus, id est, *equos*, ut rectè observat *Servius*; neque enim frænantur currus. Et lib. 1. *Georg.*

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Ad quem locum rursus *Servius*, *Currus*, *id est*, *equi*. Et libro tertio, ubi fit census equorum, quos fabulosa antiquitas maximè commendavit,

Talis Amyclæi *domitus* Pollucis *habenis*
Cyllarus, *& quorum* Græci *meminere Poëtæ*,
Martis *equi bijuges, & magni currus* Achillis.

Ubi idem *Servius*; *Currus Achillis Baliarchus*, & *Xanthus*: lege *Balius equus*, & *Xanthus*, quomodo *Achillis* equos *Homerus* nominat lib. 16. *Iliad.*

V. Quintum *equi* nomen est רכש *reches*. Quod quidem *Elias dromadem*, alii apud *Kimchium mulum*, ipse *Kimchius ignotum jumenti genus ab equo diversum*, nos *equum* interpretamur, aut *equi velocis speciem*, his argumentis freti. 1. In Bibliorum *Syra* Paraphrasi ܪܟܫܐ *rechsa* pro *equo*, vel *equitatu* minimum centies usurpatur. Loca citare sit superfluum, cum nihil sit magis obvium. 2. *Græci* Interpretes, *Esth* 8, 14. ἱππεῖς *equites*, habent pro *Hebræis*, רכבי הרכש *equitantes* τῷ *reches*: & ἵππον *equum*, *Gen.* 14, 11. & 16, 21. pro רכש *reches*; quia mutatis vocalibus legerunt רכש *reches*. 3. In eandem versionem consentiunt plerique *Hebræorum*. *David de Pomis*, רכש מין הסוס Reches, *equi species*. *Mardochæus* in *Concordantiis*, רכש שם למין מה ממיני הסוסים Reches, *nomen speciei cujusdam è speciebus equorum*. Kimchius, *Scripsit Rabbi* Jonas *esse* הסוסים הטובים שאין עברו עליהם שנים רבות *bonos equos nondum ætate provectos*. Unde *Aquinas*, *Sunt qui interpretantur equos*, *dum sunt adhuc* במעוט שנים *paucorum annorum*. R. *Levi* in 1. *Reg* 4. 28. *Novimus* reches *esse in equorum speciebus*: *nempe*, *ut quidem sentio*, הם היותר קלי המרוץ והם אשר ירכבו בהם במלחמה *equi sunt ad cursum maximè leves*, & *quos in bello equitabant*. Quod mihi plurimum probatur; quia Propheta *Michæas* civitatem *Lakis* à *Chaldæis* propediem obsidendam ad concitatam fugam Propheticis verbis ita hortatur cap. 1. versu 13. רתום המרכבה לרכש *Liga currum* τῷ *reches*, nempe, ut, celeri fugâ te proripiens, mala impendentia vites. (רתם *ratham*, quod *Hebræi* nesciunt, propriè est *ligare fune sparteo*; quia רותם *rothem*, est *spartum*, vel *genista*, ut alibi multis docemus.) Rursus *Esther*. 8. 10. diplomata sua mittit *Assuerus* ביד הרצים בסוסים רכבי הרכש *per manum cursorum in equis*, *equitantium* τῷ *reches*. Quod videtur addi ἐπεξηγητικῶς, ut regios tabellarios equis expeditissimis vectos fuisse significetur. Ac proinde versu decimo quarto, ubi de iisdem cursoribus rursus agitur, omittitur vox לסוסים, & הרכש utramque supplet. Et 1. *Reg.* 4. *vers.* 28. ubi de equitatu *Solomonis*, *Hordeum & paleam afferebant* לסוסים ולרכש *equis & τῷ reches*. E vulgo equorum

equorum eximitur *reches*, ut equi genus præstantissimum. Quâ figurâ *Act.* 1, 14. *Apostoli* leguntur in precibus perseverasse *cum mulieribus*, & Mariâ. Et *David*, in titulo *Psalmi* decimi octavi, liberatus fuisse dicitur *de manu hostium*, & *de manu* Saulis. Itaque τὸν *reches* ab *equo* diversum esse animal *Kimchius* ex illo loco tam ineptè colligit, quam si ex *Actis* quis colligeret *Mariam* non fuisse mulierem, aut ex *Psalmo Saulem* non fuisse *Davidis* hostem. Alibi רכש *reches*, pro *equo* in Scriptura non occurrit. Radix רָכַשׁ *rachas*, est κτᾶσθαι, *acquirere*, *comparare*: unde רכוש *rechus*, κτῆσις, κτῆμα, *acquisitio*, *possessio*; & רכש *reches*, primò *pecus*, vel *jumentum* quodvis, ut Græcè κτῆνος ἀπὸ τῆς κτήσεως, quia pecore, & jumentis veterum opes præcipue constabant; deinde, jumentorum nobilissimum, *equus*, adeoque in equis qui *nobilissimus* est, & ad bellum, aut ad vecturas maximè idoneus. *Aben Ezra*, in librum *Esther*, *equos* interpretatur מרכש המלך שאין כמוהם *è censu Regis, quales alii nulli sunt*. *Basilica*, & *Divina animalia* hos equos vocâsse veteres alibi probavimus. Literis ש & צ permutatis, quod in *Arabismo* frequens, à nomine רכש *reches*, factum videtur *Arabicum* ركض de equi pleno cursu, qui κάλπη *Græcis*, & nobis *galop*. Hinc *Arabica* Paraphrasis *Nahum* 3, 2. الفرس الراكض *Equus pleno cursu currens*.

VI. Sextum *equi* nomen רמך *ramach*, quamvis terminatione Masculinum, tamen *equam* propriè sonat. Hujus Plurale est *Esther*. 8, 10. ubi *muli* vocantur בני הרמכים *equarum filii*. Alibi non occurrit. Tamen significatio certa est ex *Arabicâ* lingua, quâ رمكة *ramacha* est *equa*. Damir, الرمكة بالتحريك الانثي من البراذين والجمع رماك ورمكات وارامك *Alramacha* (vel, ut efferunt, *Arramacha*) *cum motione*, (id est, cum puncto *Fata* super R, & M) *fœmina est in equino genere. Plurale est* rimach, & ramachath, & aramich. Hinc 1. *Reg.* 4, 28. verba *Syri* Interpretis ܠܣܘܣܘܬܐ ܘܠܪܡܟܐ, *Equis*, & *equabus*, reddit *Arabs* للخيل والرماك. Et in libro Juridico, cui titulus الوسيط *Mediator*, cap. 2. البيع لو قال بعتك هذه النعجة فاذا هي رمكة *Venditor si dicat: Vendo tibi hanc ovem; &, ecce! equa est animal, quod designat*, &c. Ad quæ verba Commentator *Ibnossélach* monet pro النعجة id est, *ove*, legendum esse البغلة *mulam*; quia ovis cum equa nihil habet simile. Sic in *Alcamus* الرمكة *ramacha* redditur الفرس والبرذونة تتخذ النسل *equa, equi fœmina, quæ ad sobolem procreandam adhibetur*. Neque *Hebræos* latuit vocem esse *Arabicam*. *Aben Ezra* in *Esther*, הרמכים *ramachim* sunt הסוסיות *equæ, quomodo lingua* Ismaëliticâ, *quæ maxima ex parte est* Hebræa. *Kimchius* in *Lexico*, בני הרמכים *Scripsit* Aben Ezra *beatæ memoriæ esse filios equarum: Equa scilicet* Arabicè *vocatur* ramacha. Proinde *Locmani* Fabulâ decimâ octavâ miratur *Erpenius* ἐν παρέργοις فرس *pharas* Fœmininè usurpari, cum alioqui رمك *ramach*, *Arabibus* propriè *equam* significet. Nempe doctissimum virum fugerat فرس *pharas* utroque genere dici. Sic *Cant.* 1. *vers.* 9. Arabs, *Comparavi te, ô cognata mea*, بفرسي *equæ meæ*: *Hebræus*, & *Syrus*, ܠܪܟܫܝ, *Græcus* τῇ ἵππῳ μου. Hinc *Damir*, ubi de فرس *pharas* الذكر والانثي في ذلك سوا واصله التانيث *Masculinum, & Fœmininum in eo sunt ex æquo, sed radix ejus est fœmineitas*. Sensus est, primam vocis significationem esse Fœmininam. Et *Giauhari*, كان تسمي الانثي من الخيل فرسا وهو اسم يقع علي الذكر والانثي *Etiam equi fœminam vocant* pharas; *commune enim est nomen mari, & fœminæ*. Et *Alcamus*, الفرس للذكر والانثي Pharas *mari, & fœminæ* convenit. Ex *Hebræa* voce ramach pro *equa*, literis trajectis, facta est *Germanica* merch ejusdem notionis, & vetus *Gallica* mare, quâ *equam* hodieque *Britanni* appellant.

VII. Septimò, inter animalia, quæ magnificè incedunt, *Prov.* 30, 31. ponitur זרזיר מתנים, *accinctus lumbis*, id est, *equus*, si *Junio*, & *Tremellio* credimus: sive ita dicatur propter *cingulam* (Gall. *la sangle*) aut à consequenti, roboris nomine; quia jumenta lumbis adstricta firmiora sunt. Hinc *Martialis* lib. 14. *Epigr.* 86.

Stragula succincti, venator, sume veredi.

Cingula vox in *Ovidio* est lib. 1. *De Remedio Amoris*, versu 236.

Et nova velocem cingula lædat equum.

Zonam vocat *Claudianus* in Epigrammate *De zona equi* Arcadii,

Hâc uterum zonâ cinge frementis equi.

Id ipsum est *balteus* in eodem Epigrammate,

Stamine resplendens, & mira textilis arte,
Balteus alipedis regia terga ligat.
Hoc latus adstringi velox optaret (k) Arion;
Hoc proprium vellet cingere Castor *equum*.

(k) *Adrasti equus, de quo Iliad.* ψ'. *versu* 346. *Propert. lib.* 2. *Stat. Sylv.* 1. & *Theb.* 6. *Apollod. l.* 3. *Strab. lib.* 9. *Pausan. Arcad.*

Hebræi חבק vocant ab *amplectendo*, & *Arabes* per Metathesin حقب aut per *Caph* حبك Unde in *Alcamus* محبوك est الفرس القوي *equus fortis*. Sed propriè *adstrictum* sonat. Fortasse id ipsum est *Hebræum* זרזיר, quod à *Chaldæo* זרז alii deducunt: ego potius ab *Hebræis* זור, & זרה, quæ cum אזר conveniunt in significatione *cingendi*, & *constringendi*. Sic *Ps.* 139, 3. *Iter meum, & accubitum meum* זרית *cinxisti*, vel *obsepsisti*. Ita *Hebræi* omnes. Et *Esa.* 1, 6. לא זרו *Non sunt constricti*. Inde זר, στεφάνη σπεῖρα, *coronamentum* à cingendo sic dictum. Et in *Schindlero* זירא Chald. *genus phalerarum* (imo *cingulorum*) *quo cameli ligabantur*. Et in *Lexico Alcamus*, الزوار حبل يجعل بين التصدير والحقب Zivvar, *funis medius inter (jumenti) pectorale, & posterius cingulum*. زورت البعير *Camelum tali fune constrinxi*. زور الشي *Rem firmam reddidit*. الزور *Fortis, validus*: quia, ut jam dictum est, jumenta sic adstricta, firmiora, & fortiora sunt.

Non dissimulandum, veteres verba זרזיר מתנים longè aliter exposuisse. Pro *gallo* sumunt *Græci*, *Chaldæi*,

daus, Syrus, Arabs, & *Vulgatus* Interpres: pro *venatico cane*, *Kimchius*, & *R. Levi*. Ita etiam *R. Guerson* in *Porta cœli*, fol. 19. a. & 21. d. & 26. d. ubi canum genus esse dicit, qui vulgo vocantur לבריש, *leuriers*, id est, *leporarii*. At apud *Kimchium*, & *Aben Ezram*, alii *pardum* reddunt, alii *apem*, alii *aquilam*, alii *sturnum*. Sed de his vide *Fullerum*, *Miscellan.* lib. 5. cap. 12. ubi plerasque has versiones ita inter se confert, ut propè videatur omnes ex æquo probare.

CAPUT SEPTIMUM.

De sex Equorum coloribus in Zacharia.

I. אדום rufus (*non igneus, ut quidam volunt*) *Arab.* ascar. *Gr. vulg.* ὀσκάειος, *&* ξάειος, *Lat.* russeus. *Gr. olim*, πάρωος, *&* πυῤῥὸς, *unde* burrus, burricus. *Gr. vulg.* βύερχος, *&* βυερχάλια, strata equorum. II. לבן albus, *Arab.* ashab. *Virg.* color deterrimus. *Tamen alii albos equos commendant, tanquam velocissimos; &* Æsoni, Rheso, Turno, Amphiarao *albos equos* Poëtæ *assignant: item* Castori, *&* Polluci, Proserpinæ, Auroræ, Soli, *ipsi etiam* Jovi; *indè* Camillo *crimini datum, quod in albis equis triumphaverit, tanquam* Jovis *æmulus: tamen idem alii fecêre. Albedinis duæ species; quarum una in equo vitiosa, altera probatissima. De priore actum in* Virgilio. *Idem aliter explicatur.* Christus, *&* *Angeli in albis equis.* Argippæi *in* Scythia *ab* albis equis *dicti, qui ibi multi, ut hodieque in* Tartaria. III. שחור niger, *Arab.* adham, *intensè niger. Palladio* niger pressus, *Gr.* κατακόρως μέλας, *&* Homero πηγὸς, *quia firmior, & compactior.* Æthiopes, *&* Mauri *cur tales equos affectent.* IV. שרוק saruk, *quod Græci, & alii* ποικίλον *varium reddunt*, Chald. סוק rubrum, *nuperus Scriptor* fulvum, *Arias* nigrum; *qui omnes refelluntur.* Hebræorum *doctissimi colorem confitentur sibi ignotum. Color est equo, vino, & lino communis, ab albo, rubro, nigro, & vario diversus: id est*, ὠχρὸς, gilvus, *flavo proximus, sed dilutior*, Gall. fauue. V. ברוד barud, *quasi* grandinatus, *id est, respersus maculis albis instar grandinis, aut etiam cineris.* ܒܪܘܕ Syris *id ipsum.* Borda *Arab.* vestis varia. *Barrada*, nigro & albo distingui. Rabada, *idem in capris, & ovibus.* Ψαρὸς *idem Græcè, quia* ψὰρ, sturnus, *est avis varia. Unde* ὑποψαρὸς, λευκοψαρὸς, psaronium. *Græcos olim sic reddidisse, sed locum à scribis esse corruptum.* Κνηκὸς *idem, quod* ψαρὸς, *à* cneco *sumptâ voce. Unde* κνηκίας equi, κνήκων hirci *nomen est. Sic* Arab. قرطم *hartama*, varios colores intexere; *quia* kartom *est* cnecus. Scutulatus, guttatus, *&* λευκόςικτος, *equorum colores.* VI. אמצים amuts, *plerisque Interpretum* validus, *&* fortis, *cum sit equi color.* Græcorum *nonnullis*, Syro, *&* Arabi *ruber*. אמץ amuts, *in* Zacharia *idem, quod* חמוץ hamuts, *Es.* 63, 1. *nempe* ruber; א *&* ה *permutatis. Origo vocis altius repetitur. In octo saporum generibus* חמץ, ὀξὺς, acidus. *Unde* 1. חמץ *hamats*, fermentare. 2. חומץ *homets*, acetum. 3. חימץ *humats*, omphacium. 4. *In* Esaia בליל חמיץ farrago subacida, *quâ jumentorum fastidiis subvenitur.* 5. *Ps.* 73. *vers.* 21. התחמץ, *de corde, & animo*, παροξύνεσθαι, exacerbari, *quod* Act. 17. vers. 16. Lucas *imitatus est.* 6. Psal. 71, 8. חומץ *homets*, nebulo, *qui* Gr. ὄξιν, *Lat.* vappa. 7. Es. 1, 17. חמוץ corruptum, *de moribus*. 8. חמוץ *de coloribus*, ὀξὺς, *id est*, intensæ rubedinis. *Hujus in equis tres gradus*; *Arab.* chumeith, vvard, *&* askar. *Intensus ille gradus in equo* spadix *dicitur, &* phœniceus. *Talis equus* Sejani. Badius *unde dicatur.*

SEX equorum colores in *Zacharia* recensentur. In his tres notissimi.

I. Primus est אדום *adom*, πυῤῥὸς, *rufus*, Zach. 1, 8. *Ecce vir ascendens* על סוס אדום *super equum rufum.* Et paulo post, *Et post eum equi* אדומים *rufi.* Et Zach. 6, 2. *In quadriga prima equi* אדמים *rufi.* Et Apoc. 6, 4. *Et exivit alius equus* πυῤῥὸς *rufus.* *Chaldæus* reddit סמוק, *Syrus* ܣܘܡܩܐ, *Arabs in Zacharia* احمر *rubrum*: at in *Apocalypsi Arabs Erpenianus* habet فرس بلون النار *equus coloris ignei*: & Paris. فرس ناري ورد *equus ex igneo roseus*: & Æthiops ፈረስ: ቀይሕ: ስለ መዓለ: እሳት: *equus ruber instar ignis.* Quasi πυῤῥὸς fiat ἀπὸ τ πυρὸς, & sit idem, quod πύρινος, aut πυροειδὴς, equi Epithetum in *Oppiano.* Quod vertendi genus contentiosum est, & Etymologias potius, quam verba respicit. *Rufus* in equo *Arabicè* est اشقر *askar* apud *Nasrium*, lib. 3. Tract. 21. cap. 6. Is est Scriptor ἱπποιατρικὸς, qui habetur manuscriptus in *Oxoniensi* Bibliotheca. Unde *Zachar.* 1, 8. خيل حمر وشقر *equi rubri, & rufi*; quod natum ex gemina versione *Hebrææ* vocis אדמים. Et *Zach.* 6, 3. شقر rursus occurrit pro *Hebræo* אמצים, de quo deinceps. Ex اشقر *askar* factum ὀσκάειος *Græca* linguâ vulgari. *Theocriti Scholiastes* in *Idyll.* 4. Τὸ γδ καὶ ἡμᾶς πύῤῥιχον ὀσκάειος. Aliis iidem ξάειος. *Leontius* de Sphæra *Arati*, Γράφομεν τι λευκῷ τινι, εἰ τύχοι, καὶ ξαϑῷ χρώματι, id est, *colore albo*, vel *rufo*, seu *rubro*. Is color in equo *Latinè russeus* dicitur potius, quam *rufus*. *Palladius* lib. 4. cap. 13. *Colores* (equorum) *hi præcipui, badius, aureus, albineus* (al. *albineus*) *russeus*, &c. Inde *roux*, vernaculum. *Roseum Isidorus* perperam scribit Orig. lib. 12. cap. 1. Idem *Gr.* πάρωος. *Hesychius*, Πάρωος, εἶδός τι πυῤῥ χρώματ© ἵππου. Inde equus παρωὰς. Idem, Παρωαὶ λίγονται ἵπποι τινὲς τὸ χρῶμα πυῤῥοί. Eo verbo utitur *Philosophus*, cum de bonaso scribit *Hist.* lib. 9. cap. 45. Τὸ ἢ χρῶμα ἔχει μέσον τι τεφρῶ καὶ πυῤῥῶ, ὐχ ἔων αἱ παρωαὶ ἵπποι καλύμβροι. *Colorem habet medium inter cinereum & rufum, non qualem equi paroæ dicti.* Sed πυῤῥὸς magis in usu. Sic, in *Theocriti Syracusiis*, *Praxinoe* de equo rufo in posteriores pedes assurgente,

Ὀρϑὸς ἀνέςα ὁ πυῤῥὸς, ἴδ᾽ ὡς ἄγριος, κυνοϑαρσὴς.

Burrius ut erigitur, quamq; est ferus, atq; protervus. Burrus idem, quod πυῤῥὸς. Glossa, *Burrum*, ξανϑὸν, πυῤῥόν. Festus, *Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum.* Et ut πύῤῥιχος ex πυῤῥὸς, ita ex *burrus burrichus, burricus.* Pro *mappo* passim occurrit apud medii ævi Scriptores. *Hieronymus* ad *Pammachium*, *Ubi ferventes burricos*, &c. *Vegetius*, lib. 4. cap. 2. post multa de partium equi proportione legitima, *Non dubitatur in burricis minora ista, & in prima forma equis esse majora.* Inde βύερχος, *equus*, Gr. vulg. & βυερχάλια, *strata equorum.* Vide *Meursii Gloss.* & doctissimi *Menagii Gallicas Originationes.*

II. Secundus equi color notissimus est לבן *albus.* Unde *equi* לבנים *albi*, Zach. 1. vers. 8. Et rursus *Zach.* 6. *vers.* 3. *Et in quadriga tertia equi albi.* Et versu 6. *Et equi albi egressi sunt post eos.* Et *Apoc.* 6. *vers.* 2. & 19, 11. *Et ecce equus albus.* Et 19 *vers.* 14. *Sequebantur eum in equis albis.* Ubi *Arabs Erpenii* non habet

bet بيض ut vulgo, sed شهب, ut in *Zacharia* constanter. Nempe اشهب est equi color in *Nasreo*. ubi supra. *Cinereum* reddit *Gabriel*, Giggeius *nigrum albo admixtum*; Golius *bicolorem emicante albedine*. Quidni potius *flammeum*? quia شهاب est *flamma*, Ps. 82, 13. edit. *Savar.* Proximè accedit اصهب *flavus*, ut *Hebraeum* צהב *Levit.* 13, 30. Colorem album in equis atro carbone *Poeta* sic notat lib. 3. *Georg.*

——— *honesti,*
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo. ———

Tamen inter praecipuos equi colores *album* recenset *Palladius*. Et equos albos reliquis celeritate praestare haec *Horatii* subinnuunt lib. 1. *Sat.* 1.

Sisennas Barros *ut equis praecurreret albis.*

In *Plutarcho Sylla* habuit λευκὸν ἵππον, θυμοειδῆ, καὶ ποδωκέστατον, *album equum, animosum, & pernicissimum.* *Pindarus Pythi.* quartâ *Jason Jalcenses* sic alloquitur,

——— λευκίππων δὲ δόμων πατέρων,
Κεδνοὶ πολῖται, φράσατέ μοι σαφέως·
Domos albis equis insidentium parentum, honorandi cives, indicate mihi aperte.

(a) In *Rheso*, vers. 618. & 303. In *Euripide* (a) *Rhesi* equi albi
Στίλβοντ᾽ ὥστε ποταμίου κύκνου πτερόν,
Pennarum ad instar amnici cygni nitent.
Χρυσῇ δὲ πλάστιγξ αὐχένα ζυγηφόρον
Πώλων ἔκλῃε, χιόνος ἐξαυγέστερον,
Jugalium que colla, qui superant nives
Candore, equorum bulla cingit aurea.

(b) *Iliad.* κ'. versu 437. Quod ex *Homero* (b) sumptum, ubi iidem equi describuntur

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ᾽ ἀνέμοισιν ὁμοῖοι,
Nive candidiores, & cursu ventis similes.

Ut in ipso *Virgilio Turnus*, cum *Aenea* dimicaturus, poscit equos, *Pilumno* avo datos ab *Orithyia*, *Boreae* uxore,

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Et *Aeneas*, in *Italiam* appellens, quatuor equos in gramine vidit

Tondentes campum latè candore nivali.

Apud *Statium* lib. 6. *Thebaidos*,

——— *rapidum* Danaëius *Augur*
Ascheton *increpitat, meritumque vocabula* Cygnum,

id est, equum ab insigni candore *Cygnum* merito appellatum. Ita *Castor*, & *Pollux*, in *Pindaro* (c) sunt λευκόπωλοι & *Proserpina* (d) λευκίππος, quia, post raptum à matre reperta, λευκοπώλων ἁρμάτων ἀνήχθη εἰς τὸν Ὄλυμπον πρὸς τὸν Δία, *curru albis equis instructo in coelum ad Jovem est reducta*; ut ibi *Scholiastes*. *Solem* etiam, & *Auroram* albis equis passim *Poetae vehunt.* Et λευκόπωλον ἡμέραν vocat *Sophocles* in *Ajace Mastigophoro* (e.) Quin Deorum summus, ipse *Jupiter*, fertur albis quadrigis vehi. Unde *Camillo* crimini datum, quod, de *Veiis* cum triumpharet, curru equis albis juncto urbi invectus est. *Et Jovis, Solisque equis aequiparatum Dictatorem* (inquit *Livius* libro quinto) *in religionem etiam trahebant; triumphusque ob eam unam maximè rem clarior, quàm gratior fuit.* Et *Plutarchus* in *Camillo*, Τέθριππον ὑποζευξάμενος λευκόπωλον ἐπέβη, καὶ διεξήλασε τῆς Ῥώμης· οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον, οὐδ᾽ ὕστερον· ἱερὸν γὰρ ἡγοῦνται τὸ τοιοῦτον ὄχημα, τῷ βασιλεῖ, καὶ πατρὶ τῶν θεῶν ἐπιπεφημισμένον. *Curru equis albis quatuor juncto* Romam *ingressus, & invectus est; quod neque priorum, neque sequentium Imperatorum quisquam praestitit: sacrum enim eum currum habent, tanquam Deorum Regi, & Patri dicatum.* Tamen, si *Propertio* (f) fides multo ante *Camillum* in triumpho

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

(c) *Pyth.* 1. *Vide Val. Max.* lib. 1. cap. 6.
(d) *Olymp.* 6.
(e) *Versu* 683.
(f) *Lib.* 4. *Eleg.* 1.

Nec post *Camillum* exempla desunt hujusmodi triumphorum. Sic apud *Claudianum* (g) *Stilicho*,

Deposito mitis clypeo, candentibus urbem
Ingreditur trabeatus equis. ———

Et *Roma Honorium* jam sextò Consulem sic alloquitur,

Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires,
Electi candoris equos.

Nempe *Africâ* per *Stilichonem* socerum subactâ. Et *Ovidius*, *Augustum* brevi de *Parthis* triumphaturum auguratus, haec (h) habet,

Ergo erit illa dies, quâ tu, Pulcherrime rerum,
Quattuor in niveis aureus ibis equis.

Itaque inter equi colores in pretio maximè est albus. Sed in equo duplex est albedo: alia pallori propior, qui color in equo deterrimus; alia candens, & perfusa luce quâdam, qui color est probatissimus. Proinde ad haec *Poetae* verba,

——— *Color deterrimus albis,*
Et gilvo, ———

ita habet *Servius*; *Atqui albis ait,*

"Qui candore nives anteirent ———

Sed aliud est candidum esse, id est, quâdam nitenti luce perfusum; aliud album, quod pallori constat esse vicinum. Hinc est, quod in *Geoponicis* color albus in equis non aliter probatur, quam si sit in extremis, idque auctore *Platone*. Verba sunt lib. 16. cap. 2. Πλάτων δὲ τοὺς λευκοὺς ἀποδέχεται, ὡς ἐν τῷ λευκῷ, καὶ τῷ μέλανι τὰ ἀκρότατα ἐπαινέσας. *Plato albos probat, tanquam in albo, & nigro summa laus consistat.* Alii nodum aliter solvunt: volunt nempe haec conjunctim legi,

——— *Color deterrimus albis*
Et gilvo: ———

quasi singulos colores *Poeta* non rejiciat, sed utrosque in eodem equo conjunctim concurrentes. Idem *Servius*, *Multi ita legunt*, Albis & gilvo, *ut non album, vel gilvum, sed albogilvum vituperet.* Haec nos ideo pluribus; quia ad albedinis in equo commendationem pertinet, quod in libro *Apocalypseos* (i) tam *Christus* ipse, quam coelestes exercitus *equis albis* insident. Hinc *Onirocriticus Poeta*, quem *Suidas* passim citat,

Ἵππους μελαίνας οὐ καλὸν πάντως βλέπειν,
Ἵππων δὲ λευκῶν ὄψις ἀγγέλων φάσις·
Equos nigros videre pessimum omen est,
Sed candidorum visio Angelos notat.

Ab *equis albis* dici puto *Scythiae* populos *Argippaeos*, de quibus *Herodotus* in *Melpomene*; quia, ut idem ibidem auctor est, circa *Scythiae* paludem, *Hypanin*, νέμονται ἵπποι ἄγριοι λευκοί, *feri equi albi pascuntur.* Sed & apud *Tartaros* equos in magno esse honore scribit *Paulus Venetus* lib. 1. cap. 65. & horum armenta Regem habere, quae putantur excedere numerum decem millium. Neque id mirum, si verum est, quod idem refert lib. 2. cap. 15. Calendis *Februariis*, quod anni est initium, magno illi Regi à Magnatibus quandoque in xenia offerri alborum equorum centum millia.

III. Equorum color tertius valde notus est *niger*, de quo *Zachar.* 6, 2. *Et in quadriga secunda equi* שחרים *nigri.* Et versu sexto, *Quae quadriga nigros habet equos,* &c. Et Apoc. 6, 5. *Et ecce!* ἵππος μέλας *equus niger.* Is *Aethiopico* Interpreti est ጸሊም: quod propriè *obscurum* sonat. *Arabs Erpen.* اسود, & *Parisi.* ادهم Unde Plur. دهم pro *nigris*, *Zach.* 6, 2. Vox prior, *nigrum* in genere, posterior significat *intensè nigrum*. *Nigrum pressum* dicit *Palladius*, ubi de coloribus equorum: *Colores hi praecipui, badius, aureus, albineus, russeus, mureus (al. myrteus) cervinus, gilvus, scutulatus, albus, guttatus, candidissimus, niger pressus:* ut in *Geoponicis*, ἵππος ἀκριβῶς χροιὰν κατακόρως μέλας. E-quum ادهم scribit *Nasrinus*, ubi suprà, esse عزا في سفر robustum

(g) *Lib.* 2. *De laudibus Stilichonis.*
(h) *Lib.* 1. *De arte.*
(i) *Apoc.* 6, 2. & 19, 14.

robustum in itinere, id est, laboris maximè patientem. Inde πηγὸς veteribus, quasi *firmus*, & *bene compactus*, dicebatur *equus niger*. Itaque ad illud *Homeri*, *Iliad.* l. versu 123.

—— δώδεκα δ' ἵππους
Πηγούς, ἀεθλοφόρους, ——

observat *Eustathius* πηγοὺς, quod propriè significat εὐπαγεῖς, καὶ στιβαρούς, veteres accepisse pro μέλανας, quòd *nigri* equi censerentur *firmissimi*. Proinde *Hesychius* πηγὸν inter cætera μέλαν exponit. Tales equos in *Nubia* valde frequentes esse oportet; si verè scribit *Elmacinus*, *Historia Saracenica* lib. 1. cap. 17. Anno Æræ *Diocletiani* CCCCLXI. *Cyriacum*, *Nubiæ*, seu *Abyssinorum* Regem, ut *Christianos*, *Christi* nomine gravia in *Ægypto* perpessos, à persecutione liberaret, eo nigrorum equitum deduxisse centum millia علي ماية الف فرس اسود *super centum mille equis nigris*. Nempe *Æthiopes*, & *Mauri* in bellis student habere equos concolores, ut tam fœdo spectaculo plus horroris, & formidinis hostibus incutiant. *Silius* libro 7.

Terrificus nigris prorumpit Maurus *in armis*,
Nigra viro membra, *&* (k) *fulvi juga celsa trahebant.*
Cornipedes, totusque, nova formidinis arte,
Concolor æquabat liventia currus equorum
Terga, nec erectis similes imponere cristis
Cessârat pennas, aterque tegebat amictus.
Ceu quondam æternæ regnator noctis ad imos
Cùm fugeret thalamos, (l) Aetneâ *virgine raptâ*,
Egit nigrantem Stygiâ *caligine currum.*

(k) Lege *furvi*.
(l) Lege *Ennaa*.

IV. Jam tres equorum sequentur colores minùs noti, שרקים *Zachar.* 1, 8. & ברדים, & אמצים *Zachar.* 6. *vers.* 3, 7. De primo *Zacharias* hoc solùm, *Et, ecce! vir equitans super equum rufum*, &c. *Et post eum equi rufi*, שרקים *serukim*, *&* *albi*. Ex quibus hoc saltem constat, eos falli, qui שרקים *serukim*, *pexos* reddunt; quia *Talmudicis* סרק *sarak*, est *pectere*. Neque enim hæc cohærerent, *Equi rufi, pexi & albi*. Et series orationis planè requirit, ut quomodo *rufi*, *&* *albi*, ita etiam שרקים *serukim*, à certo colore equi dicantur. At colorem illum definire hoc opus, hic labor est. *Græca* Versio hic habet ποικίλοι, *Vulgata* varii, *Syra* ܦܪܘܫܐ, *Arabica* بلق, quæ eòdem recidunt: & in Lexico *Kimchius*, מצוירים *figurati, quasi dicat*, *quorum color est rufus, albus, & niger*, *ac si essent* נקודים או טלואים *guttati, aut maculosi*. *Græcos*, à quibus hæc Versio nata est, putaverim רקשים *rekusim*, legisse pro שרקים *serukim*, iisdem litteris, sed in diverso ordine. Nempe *Arabicè* رقش est *color varius*. Unde in *Avicenna* (m) رقشا dicitur *serpens cenchris*, qui, *Nicandro* auctore, est

(m) Part. 2. pag. 139.

—— κεγχρίνῳ φολίδεσσι.

Unde *Lucanus* lib. 9.

Pluribus ille notis variatam tingitur alvum,
Quàm parvis tinctus maculis Thebanus *Ophites.*

Chaldæus quomodo *serukim* reddiderit, hactenus fuit planè incertum; quia vox, quâ hic utitur, corrupta est, & ignota. Illam *R. Selomo* legit קוחין. Ita etiam in uno exemplari *Kimchius*, sed in altero סחוחין, *Aruch* & *Elias* קוחין, *Veneta* editio קוחין, & *Buxtorfiana* קוחין. Mihi קוחין, vel קווחין, vel קוקין, ad quæ cætera revocanda, facta videntur ex *Græco* κόκκος, quod, quia notissimum erat, plures linguæ usurpârunt. Quippe, ut *Romanos* taceam, *Britannis* (n) etiam *coch*, & *Cophtitis* in *Ægypto* (o) ΚΟΚΚΟΣ, & *Abyssinis* in *Æthiopia* (p) ቀይሕ *rubrum* sonat. Unde geminatum verbum አቀየሕየሐ: *rubere* est in *Evangelio Æthiopico*, Matth. 16, 2. 3. Itaque, ex mente *Chaldæi* Interpretis, equi *serukim* sunt equi *rubri*. In qua eadem sententia *Pomarium* esse video, cujus verba sunt

(n) Camden. Brit. pag. 14.
(o) Lexicon Copt. pag. 206.
(p) Æthiop. Paraphr. Can. 4, 3 & 5. 10. & 6, 5. Apoc. 6, 4 & 12, 3. & 17, 3.

שרוק צבוע מצבע תולעת שני Saruk, *coloratum esse coccineo colore*, *Zachar.* 1. Nempe סירקון *sircon*, *Talmudicis* idipsum est, quod *Græcis* συρικὸν, *color* scilicet *factitius ex sinopide, & sandice mixtus*, ut habetur in *Plinio* lib. 35. cap. 6. atque inde סרק, vel שרק *sarak*, est *syrico tingere*, & סרוק, *syrico tinctus*.

Sequitur nova versio, cujus auctor *Ludovicus de Dieu*, ὁ μακαρίτης, in *Notis* ad *Esaiam* cap. 19. vers. 9. סוסים שרקים *In* Zacharia (inquit) *verterem* equos *orientis Solis colorem imitantes*, *quem* fulvum *dicere queas*. Quia סרק, ut quidem ille vult, *Æthiopicè*, *splendere* est, *Luc.* 2, 9. & de orientis Solis splendore usurpatur *Matth.* 13, 6. At utrobique fallitur vir doctissimus. Neque enim ሠረቀ: *splendere*, sed *oriri* est *Æthiopibus*; quomodo *Arabibus* شرق & *Hebræis* זרח, ex quo utrumque est factum. Exempla passim obvia; ut *Æthiop. Ps.* 96. *vers.* 12. & 103. *vers.* 23. & 111, 4. *Matth.* 4. *vers.* 16. & 13. *vers.* 6. quem locum ipse citat, *Marc.* 4, 6. & 16, 2. *Jac.* 1, 11. 2. *Pet.* 1, 19. Inde in *Aphal* አሥረቀ: *oriri fecit*, Matth. 5, 45. & *Liturg.* pag. 166. b. Et nomen ሠርቅ:, *ortus*, *Ps.* 80, 3. & 102, 12. & *Liturg.* 161. a. Et ዘ ሠራቂ: *oriens*, *Psal.* 99. *vers.* 2. *Matth.* 2. *vers.* 2. *Apoc.* 6, 12. &c. Itaque, etsi *Luc.* 2, 9. *Græca* habeant, *Gloria Domini* περιέλαμψεν αὐτούς, *circumfulsit eos*, non tamen id significat *Æthiopicum* ሠረቀ: ላዕሌሆሙ:; ut nec *Arabicum* اشرق عليهم, sed *orta est super eos*. Ex qua significatione quomodo deduci possit coloris nomen nullus video. Ne dicam *fulvos equos* nuspiam legi, quod meminerim.

Nunc, si quæras quorsum *Arias* שרקים *serukim*, *nigros* interpretetur, ratio petenda ex *Kimchio*, qui observat in *Zachariæ* quadrigis, cap. 6. versu 2. equos שחורים *nigros* in eodem ordine, quo hic equi שרקים, nempe inter rufos & albos. Sed hæc ratio nihil me movet; quia visio capitis sexti planè diversa est à visione capitis primi. Itaque nihil necesse est, ut in utraque equorum colores recenseantur eodem ordine; maximè, cum hic solùm triga, ibi quadriga describatur, aut verò quadrigæ quatuor. Merito igitur *Kimchius*, inter tot interpretationes ambiguus. Notas ad hoc verbum ita orditur, שרוקים מין צבע שלא נתברר אצלינו מה הוא Serukim *est coloris genus*, *de quo qualis sit nobis non constat*. Nec minus ingenuè *Rabbi Selomo*, לא ידעתי מה צבע הוא *Nescio quis sit color*. Hæc *Hebræorum* duo doctissimi. His igitur in præsens missis, aliâ viâ rem aggrediar.

Ut *Zacharias* equos à colore שרקים *serukim*, hîc appellat; Sic in *Esaia* (q) שרקים *serukim*, dicuntur vites, & *lina Ægyptia* (r) פשתים שריקות, *lina serikoth*: quorum hoc ad lini, illud ad uvarum, aut vini colorem pertinet. Itaque שרוק *saruk* vel שריק *sarik*, colorem esse oportet, qui lino, vino, vel uvis, & equis possit esse communis; cujus generis paucissimi sunt. Primùm occurrit *albus*: sed שרוק *saruk*, colorem ab albo diversum esse constat. Equorum enim *Zachar.* 1, 8. alii *rufi* sunt, alii *serukim*, alii *albi*. Ergo equi *serukim* neque *rufi* sunt, neque *albi*. Quid igitur? Ποικίλοι, *varii*, quomodo reddunt multi veteres. In equis certè varius color maximè placet. Talis, qui *Palladio* scutulatus *pommelé*, & guttatus *tacheté*, & qui ex nigro, vel abineo, vel badio mixtus est, & qui *Græcis* dicitur ψαρός, tanquam à colore *sturni*, ut mox dicemus. Sunt & uvæ varii coloris, de quibus *Plinius* lib. 14. cap. 2. *Insignes jam colore inter purpureas nigrasque medio*, *Helvola*, *sæpius variantes*, *& ob id* Varianæ *à quibusdam appellatæ*. Et *Columella* lib. 4. cap. 2. *Sunt & Helvola*, *quas nonnulli* varias *appellant*, *neque purpurea*, *neque nigra*, *ab helvo*, *nisi fallor*, *colore vocitata*. Ex iis uvis conficitur vinum dubii coloris *Gallicè* dictum *vin paillet*. Sed & alibi (s) docet *Columella* quâ arte palmites diversi generis ita inter se coçant, ut ex iis nascantur uvæ, in quibus

(q) Es. 16, 8.
(r) Es. 19, 9.
(s) Lib. 3. cap. 9.

varii

varii generis, colorisque reperiantur acini, puta alius niger, alius albus in una eademque uvâ. Has uvas idem asserit sine vinaceis creari: & *Plinius* (t) illarum acinos nihil intus ligni habere. Quod idem scripsit *Aben Ezrah* de vite *sarek*, vel *sorek*, quod idem est, מין הטוב מן הגפנים שהענבים לא יוצא בהן הרצן *Vitis genus est præstantissimum, in cujus acinis nulla sunt vinacea.* Sic in *Lexico* citat *Kimchius*. Itaque hæc versio valde esset verissimilis, si tam lino, quam vino, & equis varius color conveniret. Sed in *Esaia* lina שריקות *serikoth*, non possunt esse lina *varii coloris*; quia ibi agitur de crudo lino, quali utuntur piscatores ad texturam retium. Sic enim habent verba Sacri Textûs: *Mærebunt piscatores, & lugebunt quotquot hamum projiciunt in flumen, & languebunt qui rete expandunt in superficiem aquarum: Et erubescent opifices linorum* serikoth, *& artifices operum foraminosorum*, id est, *retium*. Omnino igitur *lina serikoth* sunt *lina nativi coloris*, id est, *flavi*, vel *subflavi*. Plinius, (u) *Maturitas ejus* (lini) *duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, aut colore flavescente.* Color ille, in vino, & equis propriè *gilvus* vocatur. De vino *Gellium* audi lib. 13. cap. 29. *Non vides apud* Mnestheum *scribi tria genera esse vini, nigrum, album, medium* (al. *melinum*) *quod vocant* κιῤῥὸν, *id est, gilvum.* Ita *Galenus*, Τῶν κατὰ τόπους lib. 3. vini tria genera recenset, Οἶνον κιῤῥὸν, λευκὸν, μέλανα. Et *Plinius* lib. 14. cap. 9. colores vino quatuor tribuit, *album, fulvum, sanguineum, nigrum.* Ut illi *fulvus* idem sit color, qui aliis κιῤῥὸς, & *gilvus*. Galenus, *De sanitate tuenda* lib. 5. his verbis *gilvum* videtur cum *flavo* confundere, Κατὰ δὲ τὴν χρόαν, ὃν ὁ Ἱπποκράτης εἴωθε κιῤῥὸν καλεῖν, δύναιο δ' ἂν καὶ ξανθὸν ὀνομάζειν αὐτόν· *Colorem autem* (vini) *quem solet* Hippocrates *gilvum vocare, possis etiam appellare flavum.* Tamen idem apertè docet gilvum esse flavo dilutius, vinum album alibi (x) tradens, cum veterascit, semper fieri κιῤῥότερον, *gilvius*, & tandem etiam ξανθὸν, *flavum*. Eundem colorem in equis veteres sæpe memorant. *Varro* apud *Nonnum* in *Badius*,

Equi colore dispares ita dati,
Hic badius, iste gilvus, ille murinus.

Palladius ubi supra; *Colores hi præcipui, badius, aureus, albineus, russeus, mureus, cervinus, gilvus*, &c. Virgilius,

— color deterrimus albis
Et gilvo. —

Ubi *Servius*, *Gilvus est melinus color, quem vulgo fulvum vocant*: imò *flavum*. Isidorus, *Gilvus autem melinus color est subalbidus.* *Melinus* dici videtur ἀπὸ τῶν μήλων, à colore *malorum*. Germanicè *falb* vocatur, & Gallicè *fauve*; quia ad *flavum* maximè accedit. Cujus coloris ajunt fuisse *Nisæos* in *Media* equos, apud *Persas* tanti nominis. *Phavorinus*, Νισαῖοι ἵπποι ὁ ἐστι ξανθοὶ· ἡ γὰρ Νίσα πάσας τὰς ἵππους ξανθὰς ἔχει. Sed, ut in vino, ita in equis gilvus a flavo differt; quia in gilvo color est aliquanto dilutior. Itaque *Apoc.* 6, 18. ἵππος χλωρὸς videtur esse *gilvus equus*. Ibi enim χλωρὸς, ut passim, pro ὠχρῷ sumitur. Porrò ὠχρὸν χρῶμα conflatur λευκοῦ ξανθῷ μεμιγμένου, *cum flavo miscetur album*, ut in *Timæo* docet *Plato*. *Syrus* Interpres reddit *equum* ܡܘܪܩ *pallidum*. Nam ירקן est *icterus*. Ita equus ille erat equiti suo, id est, morti, concolor, quæ *pallida* est. Hinc collige ירק *pallidum*, & שרק, *gilvum*, colores esse vicinos. Quo forasse pertinet, quòd *Levit.* 11, 18. & *Deut.* 14, 17. eadem avis in *Onkelo* vocatur ירקרקא, & in *Jonathane* שרקרקא.

V. Hâc voce enucleatâ, in iis quæ sequuntur minùs erit laborandum. Equi ברדים *berudim*, id est, χαλαζώμενοι, *grandinati* dicuntur *Zachar.* 6. *vers.* 4. 6. qui respersi sunt maculis albis instar grandinis. Ita optimè *Kimchius*. Proinde etiam ברדים appellat *Moses* hircos *Jacobi* maculosos *Gen.* 31. *vers.* 10. 12. ubi *Syrus*, solùm terminatione mutatâ, pro ברדים habet ܒܪܘܕܐ, quod *Lexicon Syrum* explicat *distinctos albo & rubro*. An hinc *Arabicè* البردة *alborda* dicitur *nigra vestis flavo colore intexta, vestis variis lineis contexta, & variegata?* Ita describunt *Arabes* apud *Giggeium*. In *Alcamus* definitur ثوب مخطط *vestis per lineas striata*. Et eidem مبرد *mubarrid* est ملمع بسواد وبياض *nigro & albo variegatus*. Et, per Metathesim, الربداء من المعز السوداء المنقطة بحمرة rabda *in capris dicitur, quæ nigra est, rubris punctis aspersa.* *Giggeius* exponit *capram*, vel *ovem nigro & albo distinctam*: & ربد *rabada*, vel اربد *arbada*, verbum, *his coloribus distingui*. Sed & اربد *arbada* quandoque est τεφρίζειν, vel σποδίζειν, *in cinereum colorem vergere*: & ربدة *robda* est لون الى الغبرة *color ad pulvereum vergens*. Quâ eâdem homonymiâ laborâsse *Hebræum* ברדים, ex eo colligas, quod, in *Geneseos Græca* versione, gemino vocabulo explicatur, nempe σποδοειδεῖς, ῥαντοὶ, *cineres, respersi*, supple *maculis instar grandinis*. Quin & *Græcum* ψαρὸν *Hesychius* & ποικίλον *varium* interpretatur, & σποδοειδῆ *cinereum*. Nempe, ut jam in unum conflectur utraque interpretatio, ut *Hebraicè* ברד *barud*, & *Arabicè* اربد *arbad*, ita *Græcè* ψαρὸν rectè dixeris aut equum, aut aliud animal quodvis, cujus pili maculis respersi sunt, iisque albis, & cinereis, aut quæ ex albo vergunt in cinereum. Quâ voce inter equi Epitheta multi usi sunt. Sed omnium, qui extant, Scriptorum primus, quòd meminerim, *Aristophanes* (y) his verbis,

Τὰς δώδεκα μνᾶς, ἃς ἔλαβες αἰτούμενος
Τὸν ψαρὸν ἵππον. —

Duodecim minis, quas fœneratus es, cùm varium equum emisti. Ubi *Scholiastes* τὸν ψαρὸν exponit τὸν ταχὺν, ἀπὸ τοῦ ψαίρειν, ὅθεν καὶ αἰψηρὸς, ἢ τὸ χρῶμα τοιοῦτον, *pernicem equum à verbo* ψαίρειν (quod est *accelerare*) *unde &* αἰψηρὸς (velox) *aut equum, qui colore talis est.* Ita etiam *Suidas*, & *Lexicon* vetus, τὸν ψαρὸν, τὸν ταχὺν, *velocem*; & τὸν ποικίλον, καὶ κατάστικτον, *varium, & guttatum.* Quæ sunt ejusdem vocis notiones diversissimæ. Sed priorem, ut commentitiam, merito suppressit *Hesychius*. Neque enim à *velocitate*, sed à *colore* ψαρὸν equum dici certo est certius. Sic in *Zacharia* quadriga quarta cap. 6. versu 3.) sunt ἵπποι ποικίλοι, καὶ ψαροί. Quæ *Hesychius* pro eodem accipiens, Ψαροὶ, inquit, ποικίλοι, εἶδος χρώματος. Et lib. 3. *Strabonis* tradit *Posidonius* τοὺς ἵππους τῶν Κελτιβήρων ὑποψαροὺς ὄντας, ἐπειδὰν εἰς τὴν ἔξω μεταχθῶσιν Ἰβηρίαν, μεταβάλλειν τὴν χρόαν· Celtiberorum *equos colore subvarios* (si verbo detur venia) *cum in exteriorem* Iberiam *acti sunt, mutare colorem.* Et *Absyrtus* cap. 14. λευκοψαρους, seu μύρινας, eos asinos appellat, quorum color ex candido in cinereum vergit. Ut apud *Plinium* lib. 36. cap. 22. aliqui *psaronium* vocant lapidem *Thebaicum* circa *Syenem*, qui alio nomine dicitur πυῤῥοποίκιλος *à varietate colorum*. Nempe *sturni Græcum* nomen est ψὰρ, vel ψᾶρος, quam avem esse variam nemo nescit. Hinc *Philosophus*, *Hist.* lib. 9. cap. 26. ὁ δὲ ψᾶρος ἐστι ποικίλος· & ibi *Gaza*, *Sturnus niger albis distinctus maculis est*: & *Albertus*, *Nigra est avis in cinereo pallescens.* Itaque ψαροὶ ἵπποι equi sunt *sturnorum maculis insignes*, albis scilicet, vel cinereis. *Hieronymus* in *Zachariam*, *sturninos* vocat. Hoc etymon ita confirmat *Eustathius* sub finem lib. 17. *Iliad.* Ὅτι δὲ ἐκ τοῦ ψὰρ ψαρὸς γίνεται ψαρὸς ἵππος, ὁ κατὰ τὸν ψᾶρα ποικίλος, καὶ, ὡς εἰπεῖν, βαλιὸς, οὐκ ἔστιν ἀμφίβολον εἰπεῖν· *A sturni nomine* ψὰρ, *equum vocari* ψαρὸν, *qui sturni in morem varius est, & maculosus, nullum est dubium.*

Cùm

(t) Lib. 17. cap. 21.

(u) Lib. 18. cap. 1.

(x) Comment. 3. in Hippocr. De victu in Morb. acut. Method. Medic. lib. 12.

(y) In Nub. Act. 4. Sc. 4.

Cum ex his conſtet ψαρὸν planè idem eſſe, quod ברוד *barud*, eſt, quod miretur aliquis, cur in *Seniorum* verſione *Græcâ* vox ψαροὶ non reſpondeat *Hebrææ* ברדים *berudim*, ſed ſequenti אמצים *amutſim*, quâ equos non *varios*, ſed *rubros* ſignificari ſtatim dicetur. Ita enim habent *Hebræa* Zach. 6, 3. ובמרכבה הרביעית סוסים ברדים אמצים Et *Græca* è regione, Καὶ ἐν τῷ ἅρματι τῷ τετάρτῳ ἵπποι ποικίλοι, ψαροί. Et rurſus verſ. 6, & 7. ubi הברדים in *Auſtrum* eunt, & האמצים terram perambulant; priores *Græcè* dicuntur οἱ ποικίλοι, poſteriores οἱ ψαροί. In quo inſuper id abſurdum eſt, quod ἀπὸ τῶν ποικίλων diſtinguuntur οἱ ψαροὶ, cum voces ſunt ἰσοδυναμεῖ, niſi quod prior magis patet. Sed ex *Hieronymo* diſcere eſt, quædam exemplaria habuiſſe πυῤῥὰς, non ψαρὰς. quæ vera erat lectio, quamvis ille mendoſam putet. *Græcorum* nempe Interpretum alii, ni fallor, ſcripſerant ἵπποι ποικίλοι, πυῤῥοί· alii ἵπποι ψαροὶ, πυῤῥοί & ſcribæ, utrumque inſerentes, ſcripſerant ἵπποι ποικίλοι, ψαροὶ, πυῤῥοί. Unde tandem factum eſt, ut alterum loco cederet. Ita *Zachar.* 1, 8. Καὶ ὀπίσω αὐτοῦ ἵπποι πυῤῥοί, καὶ ψαροὶ, καὶ ποικίλοι, καὶ λευκοί. Vides utrumque, ψαροὶ, & ποικίλοι, pro *Hebræo* שרקים, geminâ vocis unius verſione in textum ita intruſâ. Ψαρὸς aliter κνακὸς dicitur. *Heſychius*, Κνακός, ψαρὸς ἵππος. Unde Κνακίας equi nomen in *Eliacis Pauſaniæ*. Et Κνάκων hirci in *Theocrito Idyll.* 3. Nempe capras etiam interdum varias procreari autor eſt *Philoſophus*. Proinde ברדים, *varii*, in Scriptura tam hircorum (z) quam equorum eſt Epithetum. Porrò κνακὸς color à *cneco* nomen habet, cardui genere, cujus σπέρμα λευκὸν, καὶ πυῤῥὸν, *ſemen album eſt, & rufum*; ita *Dioſcorides*: aut flos croceus, & fructus albus. *Heſychius*, Κνηκὸν, τὸ κροκίζον χρῶμα ἐπὶ τοῦ ἄνθους, ὅτε δὲ ἐπὶ τοῦ καρποῦ τὸ λευκόν. Inde factum, ut κνακὸς diceretur *colore varius*. Sic ab *Arabico cneci* nomine قرطم *cartam*, verbum قرطم *cartama*, idem eſt quod رقم rakama, *varios colores intexere* tanquam opere *Phrygio*. Ita aſſerit *Alcamus*, eos erroris arguens, qui per *phe* ſcribunt فرطم *phartama*. Equum ψαρὸν, vel κνακὸν Romani *guttatum* appellabant, & *ſcutulatum*. Utrumque eſt in *Palladio*. *Scutulatum* vocari dicit *Iſidorus*, *propter orbes, quos habet candidos inter purpureos, ſcutularum ſcilicet formâ.* Idem *guttatum* definit *album equum nigris intervenientibus punctis.* Mallem *nigrum* dixiſſet *albis punctis reſperſum*; quales ſunt gallinæ *Numidicæ*, de quibus *Martialis*,

Et picta perdix, Numidicæque *guttata.*

Ita *guttatus* planè exprimeret *Hebræum* ברוד *barud*. Et *Græcè* idem eſſet λευκόστικτος etiam de equis uſurpatum. Ut cum *Eumeli* equos deſcribit *Euripides* (a) λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιὰς πώλους, *pilo albis maculis guttato varios.* Contra, μελανόστικτοι ſunt *Admeti* equæ apud (b) *Statium*, quæ

——*noctemque, diemque*,
Aſſimulant, maculis internigrantibus alba.

(z) Gen. 31, 10.

(a) Iphigen. in Aulide, verſu 221.

(b) Theb. lib. 6. verſu 335.

VI. Soli ſuperſunt equi אמצים *amutſim*, Zachar. 6. 4. 7. *Aquila* κραταιοὶ, *Græcorum* aliis apud *Cyrillum* ἰσχυροὶ, *Hieronymo*, *Pagnino*, *Ariæ* fortes, & *Caſtalioni* validi, ac ſi אמוץ *amuts*, idem ſit, quod אמיץ *amits*, à verbo אמץ *amats*, quod *valere* eſt. Quin locum attentè legenti conſtabit nomen eſſe coloris. Atque in id conſentiunt plerique Interpretes, quamvis aliter atque aliter reddant; *Chaldæus* קטמנין *cinereos*, *Græci* (ut hodiè leguntur) ψαρὰς, *varios*, quod ad proximè antecedens ברדים pertinere docuimus. *Græca* quædam exemplaria in *Hieronymo* πυῤῥὰς, *rufos*, aut *rubros*; ut *Syrus* ܣܘܡܩܐ, & *Arabs* شقر eodem ſenſu, cui verſioni ſuffragium noſtrum addimus. Nempe, ut obſervat *Kimchius*, אמוץ *amuts*, idem, quod חמוץ *hamuts*, gutturalibus א & ח permutatis, quod in illis linguis frequens, quamvis ח ſonet multo fortius. Sic 2. *Reg.* 17, 21. וידא ſcriptum pro וידח, *& expulit.* Et inter *Saülis* Regis nepotes ex *Jonathane* unus modò (c) תארע *Tharea*, per *Aleph*; modò (d) תחרע *Thahrea*, per *Heth* nominatur. Et *Chaldæum* אטמותא, *caligo*, etiam ſcribitur חוטמא *Gen.* 15, 17. in *Jonathanis* Paraphraſi. Ita hic equi אמצים *amutſim*, iidem, qui חמוצים *hamutſim*. Porrò חמוץ *hamuts*, *rubrum* ſignificat in his *Eſ.* 63, 1. *Quis iſte eſt, qui venit ex* Edom חמוץ בגדים *ruber veſtibus?* Ita explicant *Kimchius*, *Mardochæus*, *Pomarius*, *Aquinas*, &c. *Græci* etiam, ἐρύθημα ἱματίων αὐτοῦ, *rubor veſtium ejus*, id eſt (*Cyrillo* interprete) πεφοινιγμένος τὸ ἄμφιον, *rubefactus veſte*; abſtractum pro concreto. Et *Syrus* ܣܘܡܩܝܢ ܠܒܘܫܘܗܝ *rubra veſtes ejus.* Quam interpretationem ſequentia planè confirmant, *Cur* אדום *rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantis in torculari?*

(c) 1. Par. 8, 35.

(d) 1. Par. 9, 41.

Jam vocis hujus natales *Hebræis* haudquaquam notos libet arceſſere paulo altius. (e) *Ariſtotelem*, & (f) *Theophraſtum* ſequutus *Avicenna* Tom. 1. pag. 117. octo ſaporum genera ſic enumerat. 1. الحلاوة τὴν γλυκύτητα, *dulcedinem*. 2. المرارة τὴν πικρότητα, *amaritudinem*. 3. الحرافة τὴν δριμύτητα, *acrimoniam*. 4. الملوحة τὴν ἁλμυρότητα, *ſalſedinem*. 5. الحموضة τὴν ὀξύτητα, *aciditatem*. 6. العفوصة τὴν στρυφνότητα, *acerbitatem*. 7. القبض τὸ αὐστηρὸν, *auſterum*. 8. الدسومة τὴν λιπαρότητα, *pinguedinem*. Ibidem addit الحريف والحامض τὸ δριμὺ καὶ τὸ ὀξὺ, *acre*, & *acidum*, in eo differre, quòd *acre* linguam mordicat vehementius, & cum calefactione; *acidum* moderatius, & ſine calefactione. Ergo حمض *Arabibus* propriè eſt ὀξύνειν, *aceſcere*, quod *Normani* mei *ſeurir* dicunt, voce ab *Anglis* mutuatâ, quibus *ſovver* eſt *acidus*. Hinc in eodem *Avicenna*, pag. 60. جشا حامض eſt ὀξυρεγμία, *acidus ructus*: & pag. 176. حماض ὀξαλίς, Gall. *ozeille*, Norman. *ſurelle*: & pag. 123. Tomi ſecundi تفاح حامض ὀξύμηλον, *pomum acidum*.

(e) De Anima, lib. 2. cap. 10.

(f) De cauſis Plant. lib. 6. cap. 4.

Verbi *Hebræi* חמץ ut eædem ſunt radicales, ita eadem eſt ſignificatio, propria, & primaria, ex qua cæteræ ortæ ſunt. Quod facilè apparebit omnia Scripturæ loca excutienti, quibus aut ipſa radix, aut derivata occurrunt. I. Plerumque חמץ eſt *fermentari*, quia farina fermentatione aceſcit. *Plutarchus*, *Rom. Quæſt.* 109. Ζύμωσις ἀποξύνει παντάπασι, καὶ φθείρει τὸ ἄλευρον· *Fermentatio planè acidam reddit, & corrumpit farinam.* II. חומץ *homets*, eſt ὄξος, *acetum*; quod in *Etymologico* definitur ὁ εἰς ὀξὺ καταβεβλημένος οἶνος, *vinum in acidum mutatum.* Et acetum cum fermento magnam habere naturæ cognationem his verbis docet *Galenus*, *Comment.* 2. in *Prorrh.* Ὅταν τοίνυν κατὰ τῆς γῆς ὄξος ἐκχυθῇ δριμὺ, πνευματούμενον αὐτίκα συναναφέρει τινὰ τῆς γῆς αὐτῆς μόρια· *Cùm per terram acetum acre funditur, protinus intumeſcens, quaſdam terræ illius partes ſimul attollit.* Et paulo poſt, Ὅμοιον δὲ τούτοις κἀπὶ τῶν ζυμουμένων ἄρτων ἑκάστης ἡμέρας φαίνεται γινόμενον· *His veroſimile in panibus fermentatis quotidie fieri videtur.* III. Pro חומץ *homets*, id eſt, *aceto*, Prov. 10, 27. legitur in *Græca* Verſione ὄμφαξ, & in *Syra* ܚܘܡܨܐ & in *Arabica*, الحصرم quod id ipſum eſt. Quia aliis vocalibus legerunt חומץ *humats*, id eſt, ὄμφακα, quam *Baal Aruch* definit ענב קטן חומץ, *uvam parvam, & acidam*: *Dioſcorides* eodẽ ſenſu σταφυλὴ ὅτι ὀξίζουσα. Hinc *Athenæus* τὸ ὀμφάκιον uſum

usum æstate præscribit ἀντὶ τοῦ ὄξους, *pro aceto.* Et in *Hesychio* ὀμφακες sunt πάντα τὰ αὐστηρὰ, καὶ ὀξέα, *omnia austera, & acida.* IV. בליל חמיץ *Es.* 30, 24. est *farrago subacida*, quâ jumentorum fastidienti stomacho subvenitur. *Arabes* quoque الحمض vocant, cui opponitur الخُلّة *dulce pabulum*: quorum hoc camelo est كخبزه *tanquam panis ejus*, illud verò كفاكهة *pro bellariis.* Et camelus iis vescens حميض vel حامض dicitur. Et احمض est tale pabulum illi apponere. Quod obiter moneo; quia hic hæret calculus Magistris *Hebræorum*; quorum alius חמיץ in *Esaia* explicat *pingue*; alius, *fermento mixtum*; alius, *bene compactum*; alius, tanquam ex *Arabica* linguâ, *purum, & merum*, quod merum est figmentum. V. A rebus corporeis ad animum translatum, התחמץ est *irritari, exacerbari*, ut *Gr.* παροξύνεσθαι. Sic *Ps.* 73, 21. יתחמץ לבי, ad verbum παροξύνεται ἡ καρδία μου. Quam phrasim *Lucas* æmulari videtur, de *Paulo* scribens *Act.* 17, 16. παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ. Alioqui nemo veterum hujus Metaphoræ gratiam est assequutus. Ea tamen in *Chaldaismo* est frequens. Sic *Prov.* 10, 1. in *Thargum* מחמץ לאמיה, παροξύνων τὴν μητέρα αὐτοῦ. Et *Prov.* 25, 1. בר יחמץ יתך חברך *Cum te exacerbaverit*, παροξύνῃ: *socius tuus* & *Prov.* 28, 7. *Qui pascit comessatores* מחמיץ אבוי, παροξύνει, *exacerbat patrem suum.* VI. Quia pleræque res acescendo corrumpuntur, חומץ *homets*, de homine dictum, est *homo nequam*, & *nebulo.* Ps. 71, 4. *Deus mi, libera me de manu improbi, è manu perversi*, וחומץ *& viri nequam. Hebræi* volunt חומץ *homets*, ibi esse pro חומס *homes. Tsade* pro *Samech.* Quorsum, si ex recepta lectione commodus sensus potest elici? Nec est, quod quis rem novam me afferre hic putet, cum etiam apud *Arabes* حامض eodem sensu usurpetur. *Alcamus*, رجل حامض الفواد متغيره فاسده *Vir acidus corde, id est, commutatus, & corruptus.* Eâdem figurâ *nebulonem* Græci ὀξίνην, Romani *vappam* appellant. *Plinius* lib. 14. cap. 20. *Deperit sapor* (vini) *vappæque accipit nomen, probrosum, etiam homini cum degeneraverit animus.* Hinc *Horatius*, *Sat.* 1.

- - - - - - - - *non ego avarum*
Cum veto te fieri, vappam jubeo, aut nebulonem.

Et *Sat.* 2.

Fufidius *vappæ famam timet, ac nebulonis.*

Et *Aristophanes*, in *Equitibus*, *Hyperbolum* suggillat, tanquam ἄνδρα μοχθηρὸν, καὶ πολίτην ὀξίνην, *virum malum, & civem vappam.* VII. Eodem hæc pertinent *Es.* 1, 17. *Discite benefacere, quærite jus*, אשרו חמוץ *dirigite*, vel *emendate quod corruptum est.* Ridiculum enim est, quod a Magistris scribitur חמוץ eum ibi dici, *qui fermentat judicium*, id est, qui moram facit in judicando. Sed neque id probo, quod alii חמוץ *oppressum* explicant, quasi sit loco חמוס. Neque enim in his litteris quiddam est temere mutandum. Præterea חמוס nusquam occurrit pro eo, *qui opprimitur, & vim patitur.* De quo sublevando si ageretur, *Propheta* non diceret אשרו, *dirigite*; sed הצילו, *liberate*: ut *Jerem.* 21, *vers.* 12. & 22. *v.* 3. הצילו גזול מיד עשוק *Liberate oppressum è manu opprimentis.* VIII. Denique in coloribus חמוץ *hamuts*, ut habet *Esaias*, vel אמוץ *amuts*, ut *Zacharias*, idem videtur esse, quod ὀξύς. Id nempe tralatitium est, ut saporum nomina transferantur ad colores. Ergo, ut pinguis est color, & acer, & amarus, & austerus; ita etiam acutus. Ὀξὺ in coloribus Vir Magnus in *Solinum* censet opponi τῷ βαρεῖ, id est, *austero*: adeoque ut τὸ βαρὺ *maximè pressum* est, & *saturum*, & *quâdam coloris tristitiâ profundum*; ita ὀξὺ dici, quod *clarum* est, & *vegetum*, & *multo lumine excitatum*, quales sunt læti omnes, & floridi colores, quos ἀνθηροὺς *Græci* appellant, & ab austeris distinguunt. In his, quia claræ purpuræ color facile principatum obtinet, ὀξὺ ferè dicitur de *purpureo.* Inde *oxyblatteum, oxyporphyron, oxyphœniceum*, & similia. Et ῥόδα *Charemon* in *Thyeste* (g) appellat ὀξυφεγγῆ. Apud *Suidam* in *Sardinia* fieri dicuntur πορφύραι διάφοροι, καὶ ὀξύτεραι. In *Codino* (h) *Despota* calcei χρώματος ὀξέως, καὶ λευκοῦ, *coloris acuti, & albi. Acuti*, id est, *purpurei*, vel *coccinei*. Idem enim alibi (i) ὀξὺ explicat per κόκκινον. Ita in *Esaia* חמוץ בגדים est ὀξὺς τὰ ἱμάτια, vel πεφοινιγμένος τὸ ἄμφιον, *punicatus vestem*, id est, *puniceâ veste insignis*, ut hic habet *Cyrillus.* Hinc ipse *Esaias* paulo post *rubrum* explicat. Et in quarta *Zachariæ* quadriga סוסים אמצים sunt equi non quidem purpurei, quales nulli sunt; sed quorum rubor est ὀξύτερος *excitatior*, & plus habet vigoris, atque luminis. Quo ipso distinguuntur ab equis primæ quadrigæ. Illos enim simpliciter אדמים id est, *rubros, Propheta* descripserat. Ita *Hieronymi* objectioni occurritur, qui equos אמצים *amutsim*, ideo *rubros* esse negat, quia sic colorum, & regnorum, quæ per illos significantur, differentiæ confunderentur. Nam אדום, & אמוץ, varii sunt rubedinis gradus, quorum unus est altero intensior, ut *Kimchius* rectè observat. Proinde etiam *Arabes* equos aliter atq; aliter rubere notant, & diversas rubedinis species diversis nominibus insigniunt. *Damir*,

الكميت الفرس الشديد الحمرة ولا يقال كميت حتى تكون غرته وذنبه اسودين فان كانا احمرين فهو اشقر والورد فيما بين الكميت والاشقر

Alchumeith *est equus rubedinis intensæ. Non tamen dicitur* chumeith, *nisi nota in fronte & cauda, nigra fuerint. Nam, si rubra sunt, vocatur* askar. *Et* vvard *est color medius inter* alchumeith, *&* askar. Idem alibi, postquam leonem *vvard*, id est, *rosam*, dici notavit; quia rosei coloris est, addit continuo post, ولذلك قيل الفرس ورد وهو بين الكميت والاشقر *Atque ob id ipsum equus* vvard *appellatur, qui color est medius inter* alchumeith, *&* alaskar. Itaque *vvard* color idem est, qui *Italis leonato*; quasi *leoninum* dixeris. Et illi proximi colores *chumeith*, & *askar*. *Spadicem* Poeta vocat. *Honesti*, inquit, *spadices, glaucique.* Ad quem locum *Servius*; *Spadices phœniciatos vocant, id est, pressos myrteos, ipsi sunt badii.* Σπάδιξ *Polluci* est ῥάβδος φοίνικος; & Gellio *avulsus à palma termes cum fructu.* Inde *spadix*, & *phœniciatus*, vel *phœniceus* color in equo. Idem *Gellius*: (k) *Rutilus, & spadix phœnicei συνώνυμα, exuberantiam, splendoremque significant ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris nondum Sole incocti, unde spadicis, & phœnicei nomen est.* Ita in curuli certamine *Iliad.* ψ. versu 454. insignis equus describitur,

g) Athen. l. 13.
h) De Offic. c. 3.
i) Cap. 18.
k) Lib. 2. c. 26.

Ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
Λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο, περίτροχον ἠΰτε μήνη.
Corpore phœniceus reliquo, sed cui nota fronti
Alba impressa fuit, Lunæque imitata figuram.

Ubi vetus *Scholiastes*, φοῖνιξ, φοινικοῦς τὸ χρῶμα, ὅ ἐστι πυρρός· *Phœnix, colore phœniceus, id est, rufus.* Et *Eustathius*, φοῖνιξ δὲ νῦν ὁ πυρρὸς, ὅθεν καὶ φοίνικες οἱ σπάδικες

διὰ τὸ ἐνερεύθειν· *Phœnix color, qui nunc rufus, unde & palmæ fructus Phœnices dicuntur, quia sunt ejusdem coloris.* Reliqua ibi vide. Sed &, in *Eliacis Pausaniæ*, *Cleosthenis* equorum unus *Phœnix* à colore dictus est. Et de *Sejani* equo ita *Gellius* lib. 3, cap. 9. *Eum equum fuisse dicunt magnitudine invisitata, cervice ardua, colore phœniceo.* Item, *Hunc equum* C. Bassus *vidisse se* Argis *refert, haud credibili pulchritudine, vigoreque, & colore exuberantissimo. Quem colorem nos, sicuti dixi, puniceum, Græci partim φοίνικα, alii σπάδικα appellant; quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu avulsus* spadix *dicitur.* Et fortasse indidem *badius*, pro *baidius*. Nam BAI (l) *Ægyptiis* hodieque est palmæ ramus, unde βαΐς, & βαΐον *Græcè*. Prius est in *Hesychio*: posterius *Joh.* 12, 13. & 1. *Macchab.* 13, 51.

l) Lex. Copt. pag. 263.

Ne porro mirum videatur equos ejusdem quadrigæ à *Zacharia* describi ברדים, *varios*, & אמצים, *rubros*, vel *phœniceos*: etiam in *Eumeli* quadriga *Euripides* (m) describit τοὺς μὲν μέσους ζυγίους λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιούς, τοὺς δ' ἔξω σειραφόρους, ἀντήρεις καμπαῖσι δρόμων, πυρσότριχας, *medios quidem jugales equos pilo albis maculis distincto varios, funales vero, extra jugum oppositos flexibus cursuum, rufis pilis insignes.* Neque enim ut hodie, in curru quadrijugo funales equi præcedebant subsequentibus jugalibus: sed in medio duo jugales ibant, & ad latera duo funales utrimque erant loro adnexi, ita ut equi quatuor æquata fronte procederent. Olim quidem omnes jugarii erant. *Sed primus* Cleosthenes Sicyonius *tantum medios jugavit, utque singulos ex utraque parte simplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρους, Latini* funarios *vocant.* Hæc *Isidorus*, *Orig.* lib. 18. cap. 35. Equis igitur in *Eumeli* curru sic dispositis, medii quidem varii erant, extremi verò rufi. At *Cleosthenis*, de quo modò, (vicit is *Olympiacis Olympiade* LXVI) funalium equorum unus erat phœniceus, alter niger; & jugalium unus varius: quod ex illorum nominibus colligere est, ut apud *Pausaniam* extant. Ἐπιγέγραπται δὲ καὶ τῶν ἵππων τὰ ὀνόματα, Φοῖνιξ, καὶ Κόραξ, ἑκατέρωθεν δὲ οἱ παρὰ ζυγόν, κατὰ μὲν δεξιὰ Κνακίας, ἐν δὲ τῷ ἀριστερᾷ Σάμος. Vides è quatuor equis in eadem quadriga unum à *Samo* patriâ nomen traxisse, reliquos à coloribus, iisque diversissimus.

m) Iphig. in Aulide.

CAPUT OCTAVUM.

Explicatur insignis Equi descriptio *Job.* XXXIX.

Quid Job *de equo. Robur, & fortitudo, quid differant. Equus* fortis *dicitur potius quam* robustus. *Juba* Hebraicè רעמה raama. *Vox ex gutture educi dicitur, non ex collo, nisi impropriè. Nec equi collum hinnitu indui dicitur, nisi per Hypallagen. Hinnitus equi vix quicquam habet commune cum tonitru, cum sit acutus. Juba equo à Deo data. Equi collum eâ vestitur. Barbati vesticipes.* Velari, *id est*, vestiri. *Juba* רעמה *dicta à situ, ut λοφιά. In Græca versione pro φόβον lege φόβην, & in Syra* ܟܡܠܐ *pro* ܐܡܠܐ. *Equi Epitheta multa ex juba. Inter nobilis equi notas jubæ densitas, quæ amoris incentivum est. Eâ gloriantur equi. Eadem equæ spoliatæ mœrore conficiuntur: & libido extinguitur. Et quæ prius erant feroces, tonsæ asinis se submittunt. In Æliani vocem,* ἀποθραύσαντες, *variæ conjecturæ.* Hesychius *emendatus. Equi locustis saltu similes. Moveri* רעש, *id est*, saltare, *ut* Græcum σκαλεύειν. *Equus quomodo solo insultet. Equi saltus, alii ad usum, alii ad pompam. Generosi equi pede graviùs strepunt. Cur cavum ungulæ* Græcè *dicatur* χελιδών. הוד *aliquando pro* robore. נחר *plerisque* naris. *Naris in equo patula, ira, aut animi indicium.* נחר Arab. [Arabic], *id est*, pectoris summa pars. ثفة thupha, *quale animal.* נחירה nechira, *quod mactationis genus. Quale pectus in equo nobili.* Absyrtus *emendatus. Naris* Hebraicè נחיר, *non* נחר. *In* Jobo *cur quadam* Arabica. נחרה, equi fremitus, *unde dictus.* נחר stertere. נחרו, succensuerunt, *non* fremuerunt. נחרה *cur Græci reddant* ὀξύτητα. Hebræa *Masculina, addito* He, *sæpe fieri Fœminina. Equi fremitus ut hostibus terribilis, ita amicis jucundus. Equos bellicos* Poetæ *ferè frementes describunt. Enallage numeri quando sit frequens. Equi animosi terram fodiunt ungula crebro motu.* Coppatiæ *equi, &* samphoræ. *Equus stare loco nesciens quomodo* Arabicè. *Equi campestribus gaudent. In* Græco *malè legitur* ἐν πεδί, *pro* ἐν πεδίῳ. כח *pro* dotibus, & habilitate. Syrus *Interpres emendatus. In* Græca *versione vocum ordo perturbatus.* Γαυριᾶν *de equis*, exultare cum aliquo sensu gloriæ. ששון, Arab. سرور *Lat.* exultatio, *equo quam conveniat.* Hebraicum *equi nomen nonnullos inde deducere.* ששון *non est* gaudium in corde reconditum. *Ut* Job *equum dicit prodire armis obvium, ita* Oppianus ὅπλοις ἀντιάαν. *Nullus interpretum tam bene* Jobi *mentem expressit. Cur* Syrus, *&* Arabs פחד, *pro* pavore, tossam *reddant. Risus alius lætitiæ; alius derisionis, qui equo tribuitur* καταχρηστικῶς. A facie gladii *quam multa significet. Faciem, os, & manus gladio tribui.* Pharetram sonare *dicit* Job, *ita etiam* Poëtæ. רנה, *&* רנן *propriè de arcûs, vel sagittæ ex arcu excussæ sono. Hastas, & lanceas stridere* Boötius *perperam negat. Mucro cur* Hebraicè להב flamma *dicatur. Vox* כידון chidon, *accuratè explicatur. De eâ loca Scripturæ, & variæ versiones.* Arabs, *&* Syrus 1. *Sam.* 17, 6. *emendati, & explicati.* כידון chidon, *quod* Josue *jubetur tollere, fuisse teli genus.* Γαῖσος *non est* clypeus, *sed telum quoddam.* Josephus clypeum *non reddidit, ut vult* Theodoretus. *Verba* Josephi *quomodo is legerit.* Goliathi chidon *à clypeo distinguitur. Humerale non fuit. Ensis olim, & tela, ex humeris appensa: & arma dicta ab armis, id est, humeris. In* Jobo, chidon *mucronem habet, & vibratur; ergo est telum. In* Jeremia, Persarum *arma, hasta, &* chidon. Chidon, *id est*, ζιβύνη, *vel* πελτόν. *Unde dicantur* σιβύνη, spiculum, *Gall.* pique, כידון chidon, *& area* chidon, 1. *Par.* 13, 9. *&* acinaces *sica* Persica. *Equos bellicos armorum strepitu, & fulgore, non terreri.* Κυδοιμίζειν *quid sit. Quomodo equi fiant audaciores. In* Olympicis *ludis* Taraxippus *Deus terrorem equis immittere creditus. Deus ille quis fuerit.* Ptolemæus Hephæstion *emendatus. Alius in* Isthmo Taraxippus. *In* Nemeæis *ludis rutilum saxum equos terrebat. Ibidem spectrum ab* Apolline, *ut volunt*, Polynicis *equis objectum.* רעש, *&* רגז, *conjuncta de motu terræ. Equus ungula terram quatit.* גמא, sorbere, *non* fodere. *R.* Aquinatis *error.* גמע, *per* Ajin, *idem, quod* גמא, *per* Aleph. *Pocula ex foliis colocasiæ. Ex* גמא gama, *fit* גומא gome, *id est*, juncus, papyrus; *&* gumia, *id est*, lurco; & degumiare. *Equus rapiditate cursûs sui dicitur* sorbere terram, *quæ* Jobi *phrasis est* Arabica. *Sic, equo currente, Poëtæ* campum consumi, carpi, rapi, decrescere *dictitant. Equos in hostes cursim ferri negat* Bootius. *Contrarium probatur multis exemplis, & concurrendi, incurrendi, occurrendi, & succurrendi vocibus. Item ex* Arabismo. *Hinc equi bellici ad pugnam currere leguntur*

guntur Apoc. 9, 9. *Et Prophetæ passim in iis pernicitatem commendant. Quid sit equus* שוטף Jerem. 8, 6. *Explicatur hujus loci* Syra *versio.* Gabriel Sionita, & Buxtorfius, *notati.* חפר fodere *non significat, quod probatur septem rationibus. Quæ maximè optamus, cum fiunt, vix credimus.* אמן, *tam in* Hiphil, *quam in* Niphal, firmum esse *significat. Equus ad tubæ sonum pugnæ amore accenditur.* ה *in* בדי *syllabica adjectio* Chaldæus, & Arabs, *notati,* & Maronita Gabriel. *In Jobo* equus dicit Evax, *ut in* Æthiopica *versione Jacob.* 3, 4. equus dicit Oho. *Equus* ad lituos hilaris *in* Statio. Pugnam præsagit *in* Plinio. Odorari *Hebr.* præsentiscere, *ut* Ciceroni. *Hebr.* מרחוק è longinquo, *vel loco, vel tempore.* Tonitru Ducum, *vel est oratio, vel murmur inconditum.* Germanorum *ante pugnam murmur olim quam terribile,* & Romanorum *ululatus,* & Parthorum *ἰωὴν ἴσα instar tonitru. Militum ululatus inter* Judæos, *de quo* Exod. 32. v. 17. 18. *ubi* Samaritanus, & Syrus *vocem* ענות, peccatorum, *legerunt, pro* ענות, canentium. Jobi *locus à* Græcis, & Syro *aliter lectus.*

INter varia potentiæ suę argumenta ex creaturis desumpta, Deus equum ita describit *Job.* 39. *vers.* 22. *An dedisti equo fortitudinem? An collum ejus induisti jubâ? An fecisti, ut moveretur instar locustæ? Terrori est vehementia fremitûs ejus. Fodit in valle. Robore suo exultat. Armis prodit obviam. Ridet pavorem, nec consternatur, nec retrograditur metu gladii, & pharetra in eum sonantis, & mucronis hastæ, ac lanceæ. Motu, & agitatione suâ vorat terram: neque consistit firmus, cum auditur tubæ sonus. Ad tubæ* clangorem *dicit Evax, & pugnam eminus præsagit* ex *clamore Ducum, & jubilatione* militum. Hæc in *Jobo* hactenus: nunc singula sunt explicanda.

An dedisti equo fortitudinem?) vel *robur?* quorum hoc est corporis, illud animi virtus. Et *Hebræum* גבורה utrumque sonat. Tamen pro *fortitudine* sumitur frequentius. quæ in equo bellico, de quo hic agi manifestum est, maximè commendatur. Unde est, quod in *Poëtis fortes equos* sæpe legas, non *validos,* aut *robustos;* quæ potius taurorum sunt Epitheta. *Lucretius* lib. 3 ferè initio,

- - *quidnam tremulis facere artubus hædi*
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis.

Et lib. 4. versu 984.

Quippe videbis equos fortes, cum membra jacebunt,
In somnis sudare tamen. - - -

Cicero in *Phænomenis,*

- - - *clinata est ungula* - -
Fortis equi propter pennati corporis alam.

Virgilius, *Æn.* lib. 11.

- - - *quid tam egregium, si fœmina forti*
Fidis equo? - - - -

Propertius, *Eleg.* 2. lib. 3.

Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.

Ausonius de equo *Augusti* in *Heroum Epitaphiis,*

Improperanter agens primos à carcere cursus,
Fortis prægressis ut potereris equis.

Hinc apud *Ægyptios* leo quidem symbolum fuit ἀλκῆς, καὶ ῥώμης, *roboris, & virium:* equus verò ἀνδρείας τι, καὶ παῤῥησίας, *fortitudinis, & fiduciæ.* Ita *Clemens* lib. 5. *Stromatum.* Sed & *David,* Psal. 147, 10. *Equi fortitudine non delectatur.* Et Ps. 33. v. 17. *Fallax est equus ad salutem,* וברב חילו *& virtutis suæ copiâ non liberat.* Tamen ut tauros, ita etiam equos אבירים, id est, *robustos,* appellari jam docuimus.

An collum ejus induisti jubâ?) Id est, quomodo equi robur, & fortitudo est à me solo, ita etiam ornatus, & decor naturalis, quodque collum ejus jubâ, tanquam pretiosa veste, tectum est. Neque enim equus à te id habet, neque ab alio quocunque hominum. *Juba* hic *Hebraicè* est רעמה *raama,* quam vocem plerique alii *tonitru* explicant, id est, רעם *raam,* & hinnitum intelligi volunt, quasi tonitrûs fragorem imitetur. Hæc igitur verba sic reddunt, *An collum ejus induisti tonitru,* vel *hinnitu,* aut *fremitu?* quasi dicatur equi collum eo sono indui, qui erumpit ex imo gutture. Sed qui omnium accuratissimè totum hunc locum explicavit Cl. *Bootius, Sacrarum Animadversionum* libro tertio, receptam interpretationem duobus refellit argumentis. Quorum primum ex eo ducitur, quod non צואר, *collum,* sed גרון, *guttur,* propriè vocis instrumentum est. Hinc Ps. 5, 10. *Sepulchrum est patens* גרונם *guttur eorum, linguâ suâ blandiuntur.* Psal. 69, 4. *Fatigatus sum clamando, exaruit* גרוני *guttur meum.* Psal. 115, 7. *Non loquentur* בגרונם *gutture suo.* Psal. 149, 6. *Exaltationes Dei* בגרונם *in gutture eorum.* Es. 58. v. 1. קרא בגרון *clama gutture.* At quenquam loqui, vel clamare בצוארו *collo suo,* nusquam in Scriptura legas, præterquam *Ps.* 75, v. 6. ubi, cum impii loqui vetantur בצואר עתק *duro, præfracto,* aut *feroci collo, colli* voce non significatur vocis instrumentum, sed loquentium fastus, & superbia. Alterum *Bootii* argumentum ducitur ex voce התלביש *An induisti?* quæ non videtur ad *hinnitum* posse accommodari. *Ut enim vel hinnitu,* inquit, *vel quâcunque aliâ voce, quæ per guttur emittitur, collum dicatur indui, immanis est Catachresis, nec usquam usu recepta: quia vox cum vestimento nihil habet analogum, neque collo vestis instar circumponitur, sed in medio gutture latet, donec per fauces erumpat. Itaque collum vocem circumdat, non vox collum.* Quæ argumenta, licet pondus suum habeant, non tamen sunt necessaria. Ad primum enim potest regeri, vocem, etsi ex gutture, non ex collo emittatur, tamen *Poëtas* præstantissimos ex collo educere. Ut *Æschylus* in *Agamemnone,* versu 321.

- - οὐκετ' ἐξ ἐλευθέρου
Δέρης ἀποιμώζουσι φιλτάτων μόρον,
- - *libero non amplius*
Collo suorum fata deflere his datur.

Et *Virgilius* de cygnis, *Æn.* lib. 7. versu 700.

Cum sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, - - - -

Et ad alterum, *Virgilium* quoque dixisse *Æn.* lib. 10. versu 671.

An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat? - - - - - - - - -

cum tamen ferrum, quo quis sibi mortem consciscit, non circumponatur corpori vestis instar, sed in mediis visceribus lateat. Itaque in *Poëta* verbis manifesta est Hypallage, quâ hominem eo *mucrone indui* dixit, qui induitur potius, atque ambitur corpore, in cujus intima penetrat. Præterea sæpe in Scripturis, *justitiâ, sanctitate, fortitudine, novo homine indui* dicimur, quæ tamen intus latent. Sed duobus *Bootii* argumentis tertium potest addi, in quo fortasse plus est virium, nempe *tonitrûs* vocabulo equi hinnitum à Sacro Scriptore exprimi parum esse verissimile. *Alexandri* quidem molossus in *Plinio* (a) *ingenti latratu intonuit.* a) *Lib.* 8. *c.* 40.
Et in *Catullo* (b) *Cybele* leonem sic alloquitur, b) *In Berec.*

Fac cuncta mugienti fremitu loca retonent.

Et apud *Silium* (c) equorum *Reguli,* denso agmine incedentium, ungula c) *Lib.* 6. *versu* 216.

- - - *strepitu circumtonat aulam.*

Sed & molossi latrantes, & leones rugientes, & equorum agminatim incedentium ungulæ gravi sono tonitrûs fragorem utcunque referunt. At hinnitus cum tonitru commune vix quidquam habet, quia hinnientis equi vox acuta est. Proinde apud *Hesiodum* equi (d) ὀξεῖα χρέμισαν, *acutè hinniverunt.* Et in *Virgilio Saturnus,* in equum mutatus, d) *In Clypeo Herc. vers.* 347

Pelion *hinnitu fugiens implevit acuto.*

Præterea verborum series postulare videtur, ut רעמה *raama*

raama, *jubam* reddamus. Illud enim, quo equi collum non induit homo, sed Deus, quid aliud erit, quam juba? de qua etiam *Ethnicus* Scriptor, (e) Δέδοται δ᾽ ἵππῳ θεῶν, ἀγλαΐας ἕνεκα, ἵππῳ χαίτη, καὶ προκόμιον· *Donata sunt equo à Diis, ornatus causa, juba, & caprona.* Et, vel me tacente, nemo non videt, quam rectè dicatur *equi collum juba vestiri*, quomodo barba mentum, & malæ. Unde est, quod barbati *vestlicipes*, & qui sunt adhuc imberbes *investes* appellantur. Quo pertinent hæc *Ovidii*, *Metam.* lib. 13. Fab. 8.

Turpis equus, nisi colla jubæ flaventia velent.

Velent, id est, *vestiant*; quomodo passim sumitur. *Virgilius*, *Æn.* 3.

- - *Phrygio velamur amictu.*

Ovidius lib. 3. *De Arte*,

- - *croceo velatur amictu.*

Festus, *Velati*, appellabantur *vestiti*. Neque obscurum est, cur *juba* dicatur רעמה *raama*. Verbum enim רעם *raam*, *Syris* non solum *tonare*, sed & *altum esse* significat, ut vulgare רום, &, in *Aphel*, *extollere*; &, in *Ethpael*, *efferre se*. Hinc *Hierosolymitana* Paraphrasis *Gen.* 39, 15. כד ארעמית קלי *Cum sustuli vocem meam.* Et *Exod.* 14. *vers.* 16. ארעים ית חוטרך *Extolle virgam tuam.* Et *Num.* 20. *vers.* 11. וארעים משה ית ידיה *Et sustulit Moses manus suas.* Sed & *Prov.* 24. *v.* 7. מתרעם שטיא בחכמתא *Extollit se stultus in sapientia.* Proinde *juba* רעמה dicta est à situ, quomodo *Græcè* λόφιὴ, quia est ἐν τῷ λόφῳ, *in vertice*, id est, in summa parte colli, & capitis. Hinc in *Herodoto* (f) pro *equi juba* λοφιὴν ἵππου legas. Et *Græcos* quidem Interpretes sic accepisse *Jobi* locum vero consentaneum est. Habent enim: Ἐνέδυσας τραχήλῳ αὐτοῦ φόβον; *Induistine collo ejus timorem?* Quæ versio cum sit absona, neque vox φόβον ullo modo *Hebræam* exprimat neque ad sensum quidquam faciat: alterutrum statuendum est, aut pro רעמה *Græcos* legisse רעדה, id est, *tremorem*, vel *timorem*; aut versionem esse corruptam, &, levi mutatiuncula, pro φόβον, legendum φόβην, id est, *jubam*. Nempe etiam φόβη equi, vel leonis, est *juba*, & in genere *coma* quævis, ἀπὸ τοῦ φοβεῖν τοὺς κομῶντας, *quia comati sunt terribiliores*, si creditur *Etymologo*. Unde etiam φόβη dicitur jubatus culmus in milio, panico, oryza, &c. *Theophrastus*, (g) Τὰ μὲν χεδροπὰ λοβὸν ἔχει, τὰ δὲ κεγχρώδη φόβην· *Leguminа quidem siliquam ferunt; quæ vero sunt miliaces generis, jubam.* *Lobam* reddit *Plinius* lib. 18. cap. 7. & docti *fobam* emendant. Quidni potius *jubam*, cum *foba* vox *Latina* non sit? Sed & in *Syro* Interprete ܐܠܒܫܬܗ ܠܨܘܪܗ ܙܝܢܐ *Et induisne in collum ejus armis?* Cum ܙܝܢܐ id est, *armorum*, mentio ibi sit ἀπροσδιόνυσος, fallor, aut unius literæ mutatione pro ܙܝܢܐ scribendum ܣܥܪܐ, id est, *coma*. Nempe בינא pro *pilo*, vel *coma*, usurpatur à *Chaldæo* Paraphraste *Jud.* 20. *v.* 16 *Job.* 9. *v.* 17. *Psal.* 40 13. & in *Talmude* passim. Denique parum est verisimile, *Jobum* in tam graphica insignis equi descriptione jubæ non meminisse, cum & res sit valde obvia, & vix unquam à *Poetis* omissa, qui in hoc argumento versantur. Nam, ut à juba taceam equos passim vocari καλλίτριχας, & ἐΰτριχας & κυανότριχας, & πυῤῥότριχας, & βαθύτριχας, & βαθυπλοκάμους, & κυανοχαίτας. & χαιτήεντας, quoties equum describunt, jubæ meminere per collum, aut humeros luxuriantis, & flatu ventorum excussæ, ac agitatæ. Si dubitas, consule, è *Græcis*, (h) *Homerum*, (i) *Apollonium*, (k) *Smyrnæum*, (l) *Nonnum*, (m) *Oppianum*, (n) *Tryphiodorum*: &, è *Romanis*, (o) *Virgilium*, (p) *Propertium*, (q) *Silium*, (r) *Statium*, (s) *Claudianum*, (t) *Sidonium Apollinarem*: quorum loca describere nobis non vacat. Nempe inter equi generosi notas censetur jubæ densitas, vel, ut *Varro* habet *De re rustica* lib. 2. cap. 7. *non angusta juba, crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis implicata in dexteriorem partem.* Et ex illo *Poeta*,

(u) *Densa juba, & dextro jactata recumbit in armo.*

Et *Columella*, (x) *Densa juba, & in dextram partem profusa.* Et *Palladius*, (y) *Coma, & cauda profusior.* Et *Isidorus* (z) *Coma densa, & cauda.* Et, è *Græcis*, (a) *Oppianus*,

Αἱ μὲν πυκναὶ ἐπὶ τρίχες πυκνῇσι σείοιντο κόρυμβοι,

Ut latâ densa ludant in fronte caprona.

Item,

Γυρὸς δ᾽ ἐκ δειρῆς τηλίθοι λασιαύχενος ἵππου,

Ὠς ὅτε χαιτήεσσα λόφον νεύουσα τρυφάλεια.

Et teres pendens collo juba plurima crescat,

Ut galea summo cristata vertice nutet.

Quæ *Bodini* est versio. Et *Julius Pollux*, (b) Χαίτη εὔθριξ, προκόμιον εὐπρεπές· *juba pulchrè comata, caprona decora.* Quibus, in equi vitiis, opponit χαίτην ψιλήν, *jubam tenuem*, sive *depilem*. Itaque ipsos equos ajunt jubæ densitate gloriari. Idem *Pollux*, (c) Ἀγλαΐα γὰρ καὶ ἐν τοῖς ἵπποις ἡ χαίτη, καὶ γαυροῦνται, καὶ καλλωπίζονται ἐπ᾽ αὐτῇ. *Illustris etiam est in equis juba, qua proinde superbiunt, & sibi placent.* Et ὑψαύχενες nonnullis sunt ὑψαύχενες ἵπποι, καὶ γαυροῦντες τὴν χαίτην, *equi elata cervice, quique ob comam superbiunt.* Quin *Æliano* si credimus *Hist.* lib. 2. cap. 10. Μάλιστα δὲ κομῶσα ἵππος ἁβροτάτη τέ ἐστι, καὶ θρυπτικωτάτη. *Equa imprimis jubâ insignis maximè mollis est, & fracta deliciis.* Atque id unum esse ex amoris incentivis his verbis docet *Anatolius Hippiatricῶν* lib. 1, cap. 14. Τινὲς δὲ ἱππικοὶ ἐρωτικοὺς τοὺς ἵππους πρὸς τὰς θηλείας ποιῆσαι, καὶ κοσμοῦσιν αὐτὰς κόσμῳ τῷ ἀπὸ τῶν οἰκείων τριχῶν, καὶ ἄλλοις ποικίλοις πυκάσμασι (lege πυκάσμασι) καὶ εἴ τι ἄλλο πρὸς ἐπιθυμίας ἑλκτικόν· *Quidam autem equorum libidinem student erga fœminas accendere, & eas propriis crinibus, atque aliis ornamentis exornant, & si qua alia est cupiditatis illecebra.* Quocirca nobiles equas, hoc ornatu spoliatas, mœrore confici scribit *Sophocles* in *Tyro*. Verba sic habent ex *Grotii* emendatione,

(d) Κόμην δ᾽ ἀχαρὴς τ᾽ ἄγθος ἀπόλωλεν δίκην

Ἥτις συναρπασθεῖσα βουκόλων ὕπο

Μάνδρας ἐν αἰθῷ χερσὶν ἀγρίᾳ χειρί·

Ἐκ τοῦ θέρους ξανθὸν αὐχένων ἄπο.

Σπασθεῖσα δ᾽ ἐν λειμῶνι, ποταμίων ποτῶν

Εἰδεν σκιᾶς εἴδωλον, ἀγαθεῖς ὕπο

Κουρᾶς ἀτίμως ἐξητελισμένης φόβης.

Τὴν δ᾽ ἵππον οἰκτίσειεν τις οἰκτείρειν ἄν,

Ἰδὼν νιν αἰσχύνῃσιν ὡς μαίνεται,

Πενθοῦσα, καὶ κλαίουσα τὴν πάρος φόβην.

At flos capilli periit ita ut herba solent:

Nam rapuit illum sæva pastorum manus

Stabulis in ipsis, atque, cervicis decus

Populata, flavam corporis messem abstulit.

At ipsa, prato sparsa, simulacrum sui

In amne vidit, & videns exhorruit

Sine honore collum, & damna desecta coma.

Equa misericors aliquis ingemeret vicem,

Cernens ut illa præ pudore insaniat,

Frustraque mœrens perditam quærat jubam.

Inde est, quod *equarum libido extenguitur juba tonsa.* Ita *Plinius* (e) ex his *Aristotelis*, (f) Αἱ μὲν οὖν ἵπποι, ὅταν ἀποκείρωνται, ἀποσβέννυνται τῆς ὁρμῆς μᾶλλον, καὶ γίνονται κατηφέστεραι· *Equæ etiam, cum attondentur, earum impetus cohibetur, & fronte tristiores fiunt.* Et *Ælianus*, (g) Θήλειαν δὲ ἵππον εἰς ἀφροδίσια λυττῶσαν πάνυ σφόδρα παῦσαι ῥᾴδιόν ἐστιν, εἴ τις αὐτῆς ἀποκείρῃ τὰς κατὰ τοῦ τένοντος τρίχας· αἰδεῖται γάρ, καὶ οὐκ ἀγαυριάσει, καὶ παύσεται τῆς ὕβρεως, καὶ τοῦ σκιρτήματος τοῦ πολλοῦ, κατηφήσασα ἐπὶ τῇ αἰσχύνῃ. *Equam in venerem plus nimio insanientem sedare facile est, si quis cervicis ejus jubam detondeat. Tum enim pudibunda est, nec facilè irritabilis, petulansque esse desinit, & multo saltu lascivire, caput præ pudore demittens.* Sed & tondentur equæ, ut asinis se submittant; comantes enim ajunt gloria superbire, nec

e) *Xenoph. De re equestr.*
f) *Lib.* 2. *c.* 17
g) *Hist. Plant. lib.* 8. *c.* 3.
h) *Iliad.* ι. & ς. & ψ.
i) *Argonaut. lib* 4.
k) *Lib* 7. & 12
l) *Lib* 1. & 37.
m) *Lib.* 1. *Cyneg.*
n) *In Ilii excid. ver.* 65.
o) *Lib.* 3. *Georg.*
p) *Lib.* 4.
q) *Lib.* 16.
r) *Theb. l.* 6. & 9.
s) *De quarto Consul. & Nupt. Honor. & Epigr. De equis Honor. & Arcad.*
t) *Carm.* 23.
u) *Lib.* 3. *Georg.*
x) *Lib.* 7. *c.* 28.
y) *Lib.* 4. *c.* 13.
z) *Orig. l.* 12. *c.* 1.
a) *Cyneg. lib.* 1.
b) *Lib.* 1. *c.* 11. *sect.* 5. & 6.
c) *Ubi supra. sect.* 16.
d) *Vide Ælian. Hist. l.* 11. *c.* 18.
e) *Lib.* 8. *c.* 42.
(f) *Hist. l.* 6. *c.* 18.
g) *Hist. lib.* 11. *cap.* 18.

nec asinorum in coitu pati humilitatem. Ideoque detonsæ ad fontes deducuntur, ut ibi, tanquam in speculo, corporis sui deformitatem intuitæ, tractabiliores fiant, & ignobilis mariti congressum patiantur. Quod præter *Plinium* (b) testantur *Xenophon* in *Hippico*, *Plutarchus* in *Erotico*, & *Pollux* ubi supra, & *Ælianus* *Hist.* lib. 2. cap. 10. ubi nemo facile dixerit quid sit ἀποσραιζούσαις τ̃ ἵππῳ τὴν χαίτην; neque melius, quod alii rescribunt, ἀποσμίζουσαι. Legerim ἀποσριζούσαις, pro ἀποθριζούσαις, *demetentes*, vel ἀποθρίξασαις, *depilantes*. Sic in *Oreste Euripidis* versu 128.

b) Lib. 10. c. 63

Εἴδετε παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθρισεν τρίχας;
Videte summas quomodo demessuit comas.

Ita vetus *Scholiastes*: sed alii ἀπέθρισεν, *depilavit*, *totondit*, *abscidit*. Hinc *Hesychius*, ἀπέθρισεν, ἀπέκειρεν, ἀπέκοψεν. Priori lectioni favet quod ex *Sophocle* nuper citabamus.

Θρὶξ ἀπεθρίσθη ξανθὴ αὐχένων ἄπο,

ubi cum messe confertur equarum jubæ detonsio. Aut *Ælianus* scripsit ἀποθριαζούσαις, id est, *pilos evellentes*, Metaphorâ sumptâ ἀπὸ τῶν θρίων, *à fici foliis*, quæ decerpuntur, ut ficus citius maturescant. *Aristophanes* in *Acharnens.* Act. 1. Sc. 4.

Τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτεθρίακεν;

id est, *depilavit*, pilis avulsis instar foliorum è ficu. *Hesychius*, ἀποτεθρίακεν, ἀποπεφύλλακεν (lege ἀποπεφύλλακεν) ἀπεκάθαιρεν ἢ μεταφορὰ ἀπὸ τῆς συκῆς ὑλῶν. Et alibi, ἀποθριάζειν, τὸ ἀφαιρεῖν φύλλα συκῆς· καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὸ ἐκτίλλειν. Et *Suidas* ex *Scholiaste*, ἀποτεθρίακεν, ἀντὶ τοῦ ἔτιλεν, ψιλὸν εἰργάσατο, &c. De cætero uterque ineptè ad circumcisionem hoc refert, ac si *Odomantes* in *Thracia* à *Judæis* sint oriundi.

An fecisti, ut moveretur sicut locusta?) id est, ut saltaret locustæ ad instar. Sic *Chaldæus* Paraphrastes, *Jer.* 51. v. 27. דיהון סלקין סוסותהון מסבנין הא כחלא *Quorum equi ascendant saltantes ut locustæ.* Id *Arabicè* حرجل *chargiala* uno verbo dixeris, eoque maximè proprio. Nam *Hebr.* חרגל, hargol, *locusta* est, & *Arab.* حرجلة hargiala, *locustarum agmen*. Unde حرجل الفرس *saltavit equus*, scilicet more locustæ, quam animal esse ἁπαλόν, & à saltu *salterellam* linguâ vernaculâ dici, etiam vulgo notum est. Neque videri debet insolens, quod generali motûs nomine saltus equi significatur. Nam & *Græcè* σκαίρειν dicitur equus, qui solo insultat; unde σκαρθμὸς, *pes equi*. Ecce utrumque apud *Aratum*, vers. 281, & 282.

Λαιῇ δὲ πτέρυγι σκαρθμοὺς παρακέκλιται ἵππου·
Τὸν δὲ μετασκαίροντα δύ' ἰχθύες ἀμφινέμονται
Ἵππον - - - - - - - -

Sinistra autem alæ pes inclinatus est equi; saltantem autem equum duo pisces circumdant. Neque aliud est σκαρθμὸς in his *Apollonii*, *Argonaut.* lib. 3. versu 257.

Ὡς δ' ὅτ' Ἀρήϊος ἵππος, ἐελδόμενος πολέμοιο,
Σκαρθμῷ ἐπιχρεμέθων κροτέει πέδον.

Quæ ad verbum sic sonant, *Ut cum Martius equus, pugnæ avidus, hinniens, solum pede pulsat.* Proinde ibi *Scholiastes*, Σκαρθμῷ, τῷ ποδί. Atque hinc εὐσκάρθμοι *Neptuni* equorum est Epithetum *Iliad.* ν. [illegible] σκαρθμοὶ propriè *mobiles* sonat, & σκαρθμὸς *motus*, & σκαίρειν *moveri*. Itaque in utroque *Homeri Scholiaste* εὐσκάρθμοι redditur εὐκίνητοι. Et in *Hesychio*, εὐσκάρθμοι, εὔποδες, εὐκίνητοι, ταχεῖς· σκαρθμὸς γὰρ ἡ κίνησις, καὶ σκαίρειν τὸ κινεῖσθαι. Et, in navium catalogo, [illegible] *Amazonis* Epithetum πολυσκάρθμοιο exponitur πολυ[illegible]. Ut igitur σκαίρειν primò *moveri*, deinde etiam *saltare* significat, idque de equo; ita etiam *Hebræum* רעש, ut ex hoc loco apparet. Et *R. Sel*[illegible] rectè omnino hic habet תרלג ותקפץ כארבה *inju*[illegible]

tat, & salit, ut locusta. Quæ similitudo docet non agi solùm de equi erectione in pedes posteriores, quod *Xenophonti* est μετεωρίζειν, sed de pleno saltu, quo totus equus, locustæ instar, in sublime fertur. *Græcè* ἀναπηδᾷν, & σκιρτᾷν, & ἀνασκιρτᾷν, *Latinè insultare* dixeris. *Ælianus Hist.* lib. 6. cap. 10. Ἵππος δὲ ἄρα, ὅταν ἀκούσῃ ψαλλίων κρότον, καὶ χαλινῶν κτύπον, καὶ προστερνίδια τε, καὶ προμετωπίδια θεάσηται φριμάττεται ἐνταῦθα, καὶ ἐπ' ἐδάφους σκιρτῶν ἐπικροτεῖ. *Equus, cum habenarum sonum, & frænorum strepitum audit, & pectoralia videt, & frontalia, tum fremit, &* solo *insultans ungulis obstrepit.* Virgilius, *Æn.* lib. 11.

- - - - - - - *fremit æquore toto*
Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis.

Et lib. 3. *Georg.*

- - - - - *equitem docuere sub armis*
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Equitem, id est, *equum*, ut jam ante docuimus. Tamen de vero equite usurpatur in his *Silii* lib. 10. versu 467.

Milite non illo quisquam felicius acri
Insultaret equo. - - - - - -

Ut *Jobi* scopus sit clarior, notandum est respectu finis equi saltum esse geminum. Alius enim ad usum est comparatus, cum equus inter eundum fossam, aut rivum, aut vallum obvium saltu transilit. Alius nonnisi ad pompam pertinet, cum plano solo ideo insultat, ut agilitatis suæ specimen edat, & detineat spectantium oculos, & mereatur vulgi applausum. Quomodo apud *Xenophontem*, Οὕτω ἐστὶν ὁ μετεωρίζων ἑαυτὸν ἵππος σφόδρα, ἢ καλὸν ἢ θαυμαστὸν, ἢ ἀγαθὸν ὡς πάντων ὁρώντων, καὶ νέων, καὶ γεραιτέρων, τὰ ὄμματα κατίσχει· οὐδεὶς γοῦν ὅτι ἀπολείπει αὐτὸν, οὔτι ἀπαγορεύει θεώμενος, ἕως ἂν περ ἐπιδεικνύηται τὴν λαμπρότητα. *Equus seipsum multum attollens, res tam pulchra, aut mirabilis, aut jucunda est, ut spectantium omnium, tam juvenum, quam seniorum, oculos detineat: proinde eum nemo deserit, nec spectando fatigatur, quamdiu magnificentiam illam ostentat.* Idem de equo, qui totus in sublime sese efferens, volatum avium pene imitatur, majori jure dixeris. Atque id omnino respexit Sacer Scriptor. Alii reddunt, *Nunquid terrebis eum sicut locustam?* Alii item, *An facies, ut strepat sicut locusta?* Sed utrosque merito rejicit *Bootius*. Illos, quia הרעיש nusquam est *terrere*, sed *quatere*, & *commovere*, quod verissimum. Hos, quia utut nomen רעש quandoque *strepitum* sonet, & verbum ירעש *strepet*, *Psal.* 72. v. 16. tamen hæc significatio præsenti loco non quadrat. Locustas enim licet *Plinius tanto pennarum stridore volare* dicat, *ut aliæ alites credantur*: illarum tamen stridor haudquaquam conferri potest cum eo sono, quem excitant equi quadrupedantes. Præterea non confertur hic equorum agmen cum nube locustarum gregatim volantium: sed comparatur unus equus uni locustæ, nempe motus ratione, non soni, quem singulæ non excitant, nisi valde exilem. Accedit & tertia ratio, nimirum hic agi de equo generoso, cui peculiaris non est ille pedum κτύπος, & ψόφος, quia vilissimis etiam equis idem obtingit, ut inter currendum pedibus strepant. Sed hanc ideo minus probo; quia generosis equis id saltem peculiare sit, quod pede solo alliso gravius strepunt. Hinc *Poeta* lib. 3. *Georg.* ubi de nobilis equi notis;

- - - - *solido graviter strepit ungula cornu.*

Quâ ipsâ de causa bellicos equos dici à *Græcis* χαλκόποδας, καναχήποδας, & ὑψηχέας nonnulli volunt: & in *Homero* ἀερσίποδας ἵππους. Sed nihil manifestius his *Xenophontis*, Καὶ τῷ ψόφῳ δὲ φησὶ Σίμων δήλους εἶναι τοὺς εὔποδας, καλῶς λέγων· ὥσπερ γὰρ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή. *Etiam sono rectè dicit Simon deprehendi qui equi pedibus boni sint: solo enim allisa, cava ungula resonat ut cymbalum.* Nempe ungula illis est cava magis: neque pes tam facilè læditur, quia profundior est ἡ χελιδών.

Cæterum

Cavum ungulæ Græci sic vocant, qua de causa non satis scio. Neque enim cum *hirundine* commune quidquam habet. Fortasse vox est *Phœnicia*: nam *Syris* مقدم chalid, *cavum* sonat. Nobilissimus *D. de Grentemesnil* aliud affert, nempe cavum equinæ ungulæ bifurcatam hirundinis caudam aliquo modo referre.

Terrori est vehementia fremitûs ejus) Hebr. הוד נחרו אימה. Ubi duæ voces ambiguæ, הוד, & נחר. Prior ferè redditur *decor, dignitas, majestas*; quomodo passim sumi non diffiteor. Sed & pro *vigore*, & *robore* usurpatur in his *Dan.* 10. v. 8. והודי נהפך עלי למשחית, quæ omnino sic reddenda: *Et vigor meus in me versus est in corruptionem*, id est, in tabem, & languorem. Et *Prov.* 5, 9. *Ne des alienis* (id est, *meretricibus*) הודך *vigorem tuum*: cui parallelus est locus *Prov.* 31. v. 3. *Ne des mulieribus* חילך *robur tuum*. Quin de vehementia vocis *Bootius* accipi notat, cùm de Deo dicitur *Esa.* 30. v. 30. *Audire faciet Dominus* את הוד קולו *vehementiam vocis suæ.* Ita hic הוד נחרו est *vehementia fremitûs ejus.*

Sed & נחר an sit *fremitus* merito potest ambigi; quia *Chaldæus* Interpres, *Hieronymus*, *Pagninus*, *Arias*, *Munsterus*, *Mercerus*, *Castalio*, *Drusius*, *Tigurini*, *Genevenses*, atque alii magno numero, qui in his literis primas tenent, *nares* interpretantur. Atque ipsa vox *Hebræa* נחר *nahar*, vel (aspiratione, ut fit, omissâ) *naar*, ad *Latinam* narium proximè accedit. Sed & *Arabicè* نخرة *nahara* est pars narium. *Giggeius*, نخرة الانف *Narium prior pars, foramen narium.* Et, servili M præpositâ, المنخر est *naris.* *Avicenna*, pag. 12. يفصل الانف الي منخرين *Nasus dividitur in duas nares.* Abi Ubid, Prov. 101. نقك في المنخر حب الفلفل *Pungis te in nare granum piperis.* *Arabs* Interpres *Job.* 27. v. 3. *Spiritus Dei* في منخري *in nare mea.* Et *Job.* 41. v. 11. ومن مناخره *Et è naribus ejus procedit fumus.* Quid quod videtur hic sensus esse aptissimus, si de generoso equo dicatur, *Decor naris ejus* (id est, *decora naris ejus*) *terrori est* ! Decora naris in equo est naris patula, quæ habet aliquid terribile. *Xenophon*, Μυκτῆρές γε οἱ ἀναπεπταμένοι τῶν συμπεπτωκότων εὐπνοώτεροί τε ἅμα εἰσὶ, καὶ γοργότερον τὸν ἵππον ἀποδεικνύουσι· καὶ γὰρ ὅταν ὀργίζηται ἵππος ἵππῳ, καὶ ἐν ἱππασίᾳ θυμωθῇ, εὐρύνει μᾶλλον τοὺς μυκτῆρας. *Et nares patulæ compressis ad spirandum sunt faciliores, & equum terribiliorem exhibent: equus enim equo cum irascitur, & in equitatione excandescit, nares diducit magis.* Hinc *Lucretius* lib. 5.

Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma.

Virgilius lib. 3. Georg.

Collectumq; premens volvit sub naribus ignem.

Silius lib. 17.

Prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
Naribus hasta volans. - - -

Nemesianus in *Cynegetico*,

Fumant humentes calidæ de nare vapores.

Claudianus in quarto Consulatu *Honorii*,

Ignescunt patulæ nares - - - - -

Et *Gregorius Nazianzenus* Epist. 194. cum generoso equo se conferens, Δακνῶ τὰ χαλινὰ, καὶ τὸ οὖς ὀρθιάζω, πνέω τι θυμὸν ἐκ μυκτήρων. *Frænum exedo, & aures arrigo, & furorem è naribus spiro.*

Est & ejusdem vocis tertia interpretatio, *Græcorum* nempe, qui hic habent, Δόξα δὲ στηθέων αὐτοῦ τόλμα, *Gloria autem pectoris ejus audacia*. vel, juxta *Londinensem* editionem, Καὶ δόξῃ στηθέων αὐτοῦ τόλμαν, *Et gloriæ pectoris ejus audaciam*, supple περιέθηκας, *circumposuisti*? Quod repetendum ex præcedenti hemistichio. In quibus verbis vocem στηθέων, *pectorum*, vel *pectoris*, respondere apparet *Hebrææ* נחר. Neque id tam absurdum est, quam putavit *Bootius*; cujus hæc sunt, נחר *quidvis potius*, *quam pectora denotat.* *Arabicè* enim hæc ipsa vox supremam pectoris partem significat, quæ jugulo est proxima. *Alcamus*, النحر والمنحور الصدر الصدر اعلاه او موضع الترقوة Nahar, & manhur *pectoris, pars pectoris superior, aut locus, in quo monile est.* Quod ita se habere docent hæc *Avicenna*, الترقوة عظم موضوع علي كل واحد من جانبين اعلي الصدر يتخلي عند النحر *Clavicula, est os positum super unumquodq; latus summi pectoris, quod residet super* alnahar (vel, ut *Arabicè* sonat, *annahar*) unde *anhar* barbaris scriptoribus. *Avicenna* vetus Interpres, *Furcula, est os positum super unamquamq; duarum partium ejus, quod in thorace est supremum, curvatum coram* anhar, *id est, loco, qui est in inferiore parte gulæ.* Unde *Arabs Pandectarius*; Anhar, *id est, locus, qui est in inferiori parte gulæ.* Poëta *Arabs*, quem citat *Damir* in descriptione التفة *tupha*, (id est animal carnivorum pardo simile, sed nonnisi felis, aut catelli staturâ, cujus pellis apud *Arabes* & *Persas* est in pretio) له من الليث نابان ومخلبه ومن غرير الظبا النحر والجيد *Habet ex leone maxillares dentes, & ungues, & ex caprearum pulchritudine* nahar, *& collum.* *Nahar*, id est, *summum pectus*, ut docuimus. Atque id ipsum est στῆθος. Neque enim στῆθος est totum pectus, sed pars pectoris superior prope claviculam, ut στέρνον pars inferior, in qua mammæ. *Pollux*, Καί τοι μὲν αὐχένος τὸ μὲν σύμπαν ἕως ἰσχίων θώραξ, καὶ ὅλμος· τὸ δὲ ὑπὸ τὰς κλεῖδας, στῆθος. Et paulo post, Τὸ δὲ ὑποκάτω τούτων, στέρνον. Item, Τὰ δὲ ἐπὶ τοῖς στέρνοις, μαστοί. Ita ut στῆθος à *Græcis* plane eodem modo definiatur, quo نخر *nahar* ab *Arabibus*. Atque inde verbum نحر *nahara* est *jugulare*. Alcamus, نحره *percussit illius jugulum, & pectus.* نحر البعير طعنه حيث يبدوا الحلقوم احلي الصدر *Camelum percussit quâ parte guttur incipit, id est, in summo pectore.* جمل نحير *camelus ea parte confossus.* يوم النحر عشر ذي الحجة *Dies* nahar (seu, *confossionis*) *id est, decima mensis Dulhaga, quâ Meccha solent cameli sic jugulari.* *Damir*, capite النعم postquam docuit liberam dimitti camelam, quæ peperit quinquies, & usum ejus esse interdictum, de pullo quinto addit, *Si sit mas*, نحروه *jugulant eum, & comedunt viri, & mulieres.* Sed & *Num.* 22. *vers.* 40. ubi *Balak* sacrificâsse legitur boves, & oves, pro *Hebræo* ויזבח, *& sacrificavit*, *Jonathan* habet ונחר. Sed *Hebræi* non usurpant de legitimis sacrificiis. Proinde ibi *Scholiastes*, נחירה קרא בל׳ רז״ל ושחיטה שאינו הגוה

Ma-

Mactatio, quæ non est conveniens, vocatur nehira *linguâ Magistrorum nostrorum beatæ memoriæ.* Etiam in Talmude occurrit. Sed doctissimos latuit hactenus vera vocis origo. Nam quod *mactationem illegitimam* נחירה dici volunt, eo quod mactationis exordium esset à naso, meræ nugæ sunt. Quin נחירה *nehira*, est *mactatio, quâ jugulum percutitur, & summum pectus*, quæ pars non solùm *Arabicè*, sed & *Hebraicè* vocatur נחר *nahar*, si hoc verbum in *Jobo Seniores* rectè στῆθ@ interpretentur. Quo admisso, verba *Hebræa* הוד נחרו אימה *Latinè* sic sonabunt, *Decus* (vel, *robur*) *pectoris ejus terrori est*. Neque in ea versione quidquam erit incommodum. Quippe etiam è pectore petuntur generosioris equi notæ. Nempe, si pectus sit latum, si plenum, si torosum, & musculosum, & pulpis eminens, & formosior erit equus, & hostibus terribilior; quia hæc virtutis, & roboris certissima sunt indicia. Inde *Xenophon* in *Hippico*, Καὶ μὴν στέρνα πλατύτερα ὄντα, καὶ πρὸς κάλλ@, καὶ πρὸς ἰσχὺν, καὶ πρὸς τὸ μὴ ἐπαλλάξ, ἀλλὰ διὰ πολλοῦ τὰ σκέλη φέρειν εὐφυέστερα· *Et pectora quidem latiora, & ad formam, & ad robur magis idonea sunt, & ut ne implicatis gressibus, sed magno intervallo crura ferantur.* Et *Virgilius*, (i)

Luxuriatq́; toris animosum pectus.

Varro (k) etiam in equo laudat *pectus latum, & plenum*: Columella (l) *latum & musculorum toris numerosum pectus*: Palladius (m) *pectus late patens, & musculorum densitate nodosum*: Pollux (n) στέρνα πλατέα· Absyrtus (o) στῆθ@ μεμιγμένον, nullo sensu: sed legendum, μεμυωμένον vel μεμυωμένον, id est, *musculosum pectus*. Itaque *Græcorum* versio, quæ נחר exponit στῆθ@, tam est verisimilis, quam præcedens, quæ *nasum* reddit.

i) Lib. 3. Georg.
k) De re rust. lib. 2. cap. 7.
l) Lib. 7. c. 28.
m) Lib. 4. c. 13.
n) Lib. 1. c. 11.
o) Geopon. lib. 16, cap. 1.

At in utraque est, quod desiderem. In priore, quod promiscuè sumuntur נחר *nahar*, & נחיר *nehir*. Neque enim נחר *nahar*, sed נחיר *nehir*, *narem* sonat. Ita in hoc ipso libro cap. 41. vers. 11. מנחיריו *E naribus ejus prodit fumus*. In *Hebræo* Scripturæ textu alibi non occurrit. Sed in *Chaldæa*, & *Syra* Paraphrasi vox est frequentissima. Sic *Gen. 2. v. 7.* in *Jonathane Et inspiravit* בנחירוהי *in naribus ejus spiritum vitæ* Et *Num. 11. v. 20. Donec fœtor exeat* מנחיריכון *è naribus vestris*: quomodo etiam *Syrus*. *Chaldæum* vide insuper *Job. 39. v. 20.* & *40. v. 19. 21.* & *Psal. 135. v. 17.* & *138. v. 7.* Et *Syrum*, *2. Reg. 19. v. 28.* *Job. 4. v. 11.* *Cant. 7. v. 4.* *Esa. 2. v. 22.* & *37. v. 29.* *Ezech 8. v. 18* & *23. v. 25.* *Sap. 2. v. 2.* & *15. vers. 15.* Et utrumque, *Job. 27. v. 3.* *Psal. 115. v. 6.* *Proverb. 11. vers. 22.* &c. Ubique *narem* reperias נחיר dici, non נחר. Et in *Talmudico* Tractatu *Jevamoth*, capite ultimo, מאן דבעי דלא מתחכמא יהיב איספלני על נחיריו *Qui volet esse ignotus*, ἐμπλάστρον (id est, *emplastrum*) *imponat naribus suis.*

Jam in altera versione, quâ נחר exponitur στῆθ@, non probo, quod ex *Arabismo* petitur significatio vocis *Hebrææ*. Quod quidem non sine fructu passim fieri video, maximè in *Jobi* libro, qui *Arabem* habet auctorem, aut saltem *Arabes* collocutores. *Jobum* enim, & amicos ejus, *Arabes* fuisse nemo nescit. Unde est, quod *Arabica* verba in eo libro sunt intersperfa. Neque id latuit *Hieronymum*, qui in sua translatione professus se nullum sequi veterum, addit *ex ipso* Hebraico, Arabicoq́; *sermone, & interdum* Syro, *nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumq; resonare.* Tamen ad linguam *Arabicam* confugere nihil est opus, nisi cùm ex *Hebræa* nullum est subsidium. Frustra enim de iis vocibus peregrini consuluntur, quibus sensum commodum *Hebraismus* ipse suggerit. E quo numero hanc esse vocem patebit hunc locum conferenti cum altero *Jerem. 8 v. 16.* ubi נחרה *nahara*, haud dubiè est *equi fremitus*. Verba sunt, *E* Dane *auditur* נחרת סוסיו *fremitus equorum ejus*; *voce hinnituum fortium* equorum ejus *concutitur universa terra*. Ibi certè נחרת סוסיו *equorum* esse *nasum*, aut *pectus* nemo dixerit. Quin aliquem esse equi sonum docet adjunctum נשמע, *auditur*, & ἀντίστοιχα קול מצהלות, *vox hinnituum*, in altero hemistichio. Jam ille equi sonus, aut ungularum fuit, qui *Italis calpestio*; aut gutturis, id est, hinnitus, χρεμετισμός· aut narium, id est, fremitus. *Sophocles* in *Electra* (p) vocat φρύαγμα τ' ἱππικά. Et *Lycophron* in *Cassandra* ἵππων φριμαγμόν. Unde *Suidas*, Φρύαγμα, ἡ τῶν ἵππων, καὶ ἡμιόνων διὰ μυκτήρων ἠχὴ, ἀγρίῳ φυσήματι ἐκπίπτουσα· *Fremitus est sonus, qui ex equorum & mulorum naribus cum feroce flatu procedit.* Et *Tzetzes* in *Lycophronem*, Οὐκ ἔστι δὲ φριμαγμὸς ὁ χρεμετισμὸς, ἀλλ' ὁ διὰ τῶν ῥινῶν τῶν ἵππων ἐκπεμπόμεν@ ἦχ@, ὅταν γαυριῶσιν. *Fremitus non est hinnitus, sed sonus, qui per nares equorum emittitur, cum exultant.* Id autem esse נחר *naar*, aut נחרה *naara*, potius quam hinnitum, aut ungularum sonitum ex eo colligo, quod נחיר *naris*, & נחרה sunt conjugatæ voces, atque ejusdem originis. Omnino igitur נחרה est sonus, qui בנחירי הסוס in naribus equi formatur. Huc facit, quod *Chaldæum*, & *Syrum* verbum, נחר, & *Arabicum* نخر ῥέγχειν, *stertere* significant, & *naribus sonum edere*. Ita vocem explicant in *Talmudico* Lexico *Buxtorfius*, in *Syriaco Ferrarius*, & in *Arabico Giggeius*, cujus hæc sunt, نخر الحمار *Vocem protraxit asinus eam emittendo per nares.* Ut *Alcamus*, مد الصوت في خياشيمه Item النخير *Vox per nares emissa, sed prolixior.* Nomenclatoris *Copto-Arabici* à *Kirchero* editi pag. 160. & 234. vocibus نخر & نخير synonymæ sunt شجر & شجير, Et in *Alcamus*, الشجر صوت من الحلق والانف وصهيل الفرس est *vox ex gutture, & naribus, & hinnitus equi.* In *Concordantiis Hebraicis Mardochæus* eodem refert illud *Cant. 1. v. 6. Filii matris meæ* נחרו בי *mihi succensuerunt*, quasi sit *fremuerunt in me.* Et in Tractatu *Kiddusim* vir in his literis longè doctissimus *Talmudicum* נחרו ביה reddit *ronchum ediderunt in eum*, cum ibi נחרו sit *Niphal* verbi חרה, vel חרר, ut in loco *Cantici*, cui *Talmudicus* est planè geminus. Alio errore *Græci* in *Jeremia* נחרת סוסיו reddunt φωνὴν ὀξύτητ@ ἵππων αὐτοῦ, quia legerunt נחדת pro נחרת, *Daleth* pro *Res*, quasi à verbo חדד, *acui*, fiat נחדה, ὀξύτης, formæ נְסִבָּה. Quæ lectio multa habet incommoda, nec cum recepta conferenda est. Itaque priorem constanter sequuntur *Hebræi* omnes, & *Syrus*, & *Hieronymus*. Porro *Jeremiæ* נחרת, & *Jobi* נחר non differunt, nisi solâ terminatione, quæ in hoc Masculina est, in illo Fœminina; quomodo Masculina nomina *Hebræi* solent θηλύνειν addito *He* in fine. Sic *ala* dicitur אבר, & אברה; *amor* אהב, & אהבה; *lux* אור, & אורה; *cibus* אכל, & אכלה; *fides* אמן, & אמונה; *robur* אמץ, & אמצה; *navis* אני, & אניה; *collectio* אסף, & אספה; *amictus* אפוד, & אפודה; *reatus* אשם, & אשמה. Eodem exemplo putamus ex נחר factum נחרה, & hæc duo vocabula solo genere differre.

Itaque mens *Jobi* verborum est, equum bellicum, de quo ibi agitur, vehementiâ fremitûs sui audientibus esse terrori. Quo hæc veteris Scriptoris pertinent apud *Suidam*, Κτύπῳ τῶν ὅπλων, καὶ φρυαγμῷ (lege φριμαγμῷ) τῶν ἵππων κατακούοντες ἐξεπλήττοντο. *Strepitu armorum, & fremitu equorum audientes percellebantur.* Unde est, quod à *Poëtis* equi bellici ferè frementes describuntur. Tales equi *Palladis*, de

de quibus *Callimachus* in *Hymno*, Τᾶν ἵππων ἄρτι φρυασσομενᾶν τᾶν ἱερᾶν ἐσάκουσα· *Sacros equos frementes audivi modo.* Et in *Statio* lib. 3. *Theb.* equi *Martis*, qui *Venerem* ita compellat,

- - - - - soli cui tanta potestas
Divorumque, hominumque, meis occurrere telis,
Impune &, mediâ quamvis in cæde frementes,
Hos assistere equos. - - - - - - -

Et equus à *Neptuno* editus, de quo *Poeta* lib. 1. *Georg.*

- - - tuque ô, cui prima frementem
Fudit equum tellus, magno percussa tridente.

Ita in apparatu belli lib. 7. *Æn.*

Hic galeam tectis trepidus rapit, ille frementes
Ad juga cogit equos. - - - - - - -

Et *Æn.* lib. 11. in ipsa pugna equus

Emicat, arrectisque fremit cervicibus. - -

Item,

- - - - - - - - tremit æquore toto
Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis.

Item,

Adventuque virûm, fremituque ardescit equorum.

Et rursus,

- - - subito erumpunt clamore, frementesque -
Exhortantur equos.

Et lib. 12. *Turnus*, pugnaturus,

Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes.

Silii lib. 5. in clade *Romanorum* ad lacum *Thrasymenum*,

- - - - - tumulique, & concava saxa
Armorum sonitus, flatusque imitantur equorum.

Flatus, id est, *fremitus.* Et in *Lycophrone*,

Ἵππων φρυαγμὸν ἠϊόνες δεδεγμέναι,
Fremitus equorum littora excipientia.

Et apud *Æschylum Eteocles*, unus è septem ad *Thebas*, circumagit

Ἵππους ἐν ἀμπυκτῆρσιν ἐμβριμωμένας,
Vittâ frementes aureâ insignes equos. - -

Lucani lib. 4. *Cæsare* in *Pompejanos* bellum gerente prope *Ilerdam*, *Sicoris*, & *Cinga* amnium insolita exundatio

- - - - - hausit, subitisque frementes
Verticibus contorsit equos.

In *Actiaco* bello *Gallos* equites quater mille, qui ab *Antonio* ad *Augustum* desciverunt, ita describit *Horatius Epod.* 9.

Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli *canentes* Cæsarem.

Idem *Tiberium* laudat his verbis lib. 4. *Od.* 14.

- - - - Impiger hostium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ignes.

Apud *Lucretium* lib. 5. hinnit equus.

Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma.

In *Cæsare*, lib. 3. *De bello Civili*, *Scipionis* tum *Pompejani* equites circa *Haliacmonem*, *Macedoniæ* fluvium, missi ad explorandum iter *Domitii*, senserunt in insidias se incidisse, *ex fremitu equorum illatâ suspicione.* Frementes autem equi quam hostibus sunt terribiles, tam jucundum amicis exhibent spectaculum. Ac proinde præfectum equitum docet *Xenophon*, quomodo agmen in pompa sit deducendum, ut ἀθρόον τὸ φρύαγμα, καὶ τὸ φύσημα τῶν ἵππων συμπαρέποιτο, ὡς τι οὐ μόνον αὐτός, ἀλλὰ πάντες ὅσοι συμπαρεπόμενοι ἀξιοθέατοι ἂν φαίνοιντο, *frequens equorum fremitus, & flatus consequatur, ita ut non ipse solus, sed & comites, quotquot sunt, maximè visendos se præbeant.*

Fodit in valle) Hebr. *Fodiunt in valle* יחפרו בעמק. Quæ numeri est Enallage *Hebræis* familiaris. Maximè, cum quod de uno dicitur, extenditur ad plures, ut hic *equi* nomine significantur equi nobiles, & bellicosi, quotquot sunt. Sic *Psal.* 14. *v.* 1. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt*, &c. Ideo mutatur numerus; quia de singulari homine res non est, sed de pluribus. Alii *fodiunt in valle*, supple *pedes ejus.* Ita *R. Levi*, *Aben Ezra*, *Munsterus*, *Mercerus*, *Junius*, alii, sed sine exemplo paris ἰδιώσεως. *R. Selomo* יחפרו *fodiunt*, id est, explorant, quomodo sumitur *Deut.* 1. *v.* 22. & ad equites refert, qui in vallibus insidiantur; quod videtur longè petitum. Omnino de equis agitur, qui, si sunt animosi, ungulæ crebro motu terram fodiunt, atque atterunt. *Chrysostomus*, Τῷ ποδὶ κατακροαίνων τὴν γῆν, γαυριᾷ, καὶ φρυάττεται· *Pede terram feriens, exultat, & fremit.* Κατακροαίνων pro κατακρούων, ut in *Homero* κροαίνων *Iliad.* ζ'. & ο'. sed de equo currente,

Δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
Currit, & abruptis campum ferit ungula vinclis.

Quod *Oppianus* imitatus sic habet lib. 1. *Cyneg.*

Ὠκυτέροισι πόδεσσι κροαίνοντες πεδίοισιν.
Immensum feriens velocior ungula campum.

At *Job* currentem equum non describit, sed stantem; qui, quietis impatiens, vel unius, vel plurium pedum jugi motu campum ferit. Quomodo *Apollonius* lib. 3. *Argonaut.*

Ὡς δ' ὅτ' ἀρήϊος ἵππος, ἐελδόμενος πολέμοιο,
Σκαρθμῷ ἐπιχρεμέθων κρούει πέδον· ——
Ut bellator equus, pugnæ succensus amore,
Hinnit, humumque gravi pulsat pede. - -

Et *Smyrnæus* lib. 2.

- - - - ποδώκεες ἵσταντο ἵπποι,
Γαῖαν ἐπιστείβοντες ἀναιδέα. - - -
- - - - - - equi pede multa gementes
Putre solum fodiunt. - - - - -

Et lib. 4.

- - - οἱ δὲ χαλινὰ γενειάσιν ἀφρίζοντες
Δάπτον, καὶ ποσὶ γαῖαν ἐπέκτυπον, ἐγκονέοντες
Ἐκθορέειν. - - - - - - -
- illi autem mandunt spumante lupatum
Maxillâ, pulsantque solum pede, & ardor eundi
Præcipites rapit. - - - - - -

Et lib. 7.

- - οὐδ' ἵσταντ' ἐελδόμενοι πόδες οἴμης.
Πηλὸς δ' ἂν πεδίοιο ἐλαφροτάτοις ὑπὸ ποσσὶ
Ταρφέα γινομένοισι πέδῳ κτύπος. - - -
- - currendi avidus pes nescit in uno
Stare loco, crebroque gravis ferit ungula campum,
Et percussa sonat tellus. - - - - -

Virgilius lib. 3. *Georg.*

- - - - - - - - - - - - cavatque
Tellurem & solido graviter sonat ungula cornu.

Ovidius in *Halieutico*,

Concucitatque solum, generoso concita pulsu,
Ungula. - - - - - - -

Pro voce corrupta, *compescatque*, reposui *conculcatque*, dum quid melius occurrat. *Statius* lib. 6. *Thebaidos*,

Stare adeo miserum est, pereunt vestigia mille
Ante fugam, absentemque ferit gravis ungula campum.

Nemesianus in *Cynegetico*,

Nec pes officium standi tenet, ungula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.

Dio Chrysostomus Orat. 12. Καθάπερ ἵππους ἀγωνιστὰς ἐπὶ τῇ ὕσπληγγι, οὐκ ἀνεχομένους τὸν χρόνον, ὑπὸ σπουδῆς τε, καὶ προθυμίας κόπτοντας τὸ ἔδαφος ταῖς ὁπλαῖς· *Ut equos certatores, qui, ad carceres moram non ferentes, præ ardore, & alacritate solum ungulis pulsant.* Gregorius Nazianzenus *Epist.* 194. Κόπτω μὲν οὖν οἷον τὸ ἔδαφος τοῖς ποσί, κατὰ τοὺς θυμικωτάτους τῶν ἵππων. *Solum igitur tanquam pedibus ferio, ut equorum maximè alacres.* Et in carmine *De vita sua*,

Ἐγὼ τέως μὲν ὥσπερ ἵππος δέσμιος,
Καί περ κακοῖς τε, καὶ νόσῳ τετρυμμένος,
Ἔνδον κροαίνων οὐκ ἐπαυσάμην πόδας.
Interim ego, ut equus captivus, licet malis, & morbo confectus, intus pedibus solum pulsare non cessabam.

Heliodorus

Heliodorus lib. 3. *Æthiop.* Εὐήνιά τε προπεδίζων, καὶ ἐφ' ἑκάτερον ὤμον ἑαυτὸν ἐν μέρει ταλαντεύων, ἄκραν τε τῶν ὁπλῶν τῇ γῇ λεπτῶς ἐπικροτῶν. *Prout habenæ laxabantur alacriter progrediens, & in utrumque humerum alternis se librans, terramque summa ungula leviter feriens.* Nec defuêre, qui putarent equum ideo κοππατίας dici à *Græcis*, quia terram ungula κόπτει κ. κοιλαίνει, *pulsat, & cavat.* Scholiastes *Aristophanis* in *Nubes*, Τινὲς κοππατίας ἐξηγήσαντο τοὺς κόπτοντας, καὶ κοιλαίνοντας ταῖς ὁπλαῖς τὸ ἔδαφος. Quod tamen is jure rejicit, cum equi *coppatiæ*, & *samphoræ* non alia de causâ dicti sint, quam propter literas, *coppa*, vel *san*, femori impressas. Equus, moræ impatiens, quique loco stare nesciat, *Arabicè* نميل *namil* dicitur, & de eodem نبا *naba*, & نكت *nacbatha*, *in perpetuo motu esse* significat. De cætero בעמק *in valle* fodere legitur equus, id est, in campo; quia planis, & campestribus locis equi maximè gaudent. *Nemesianus*,

> *Quin & promissi spatiosa per æquora campi*
> *Cursibus acquirunt commoto sanguine vires.*

Strabo lib. 11. Ἡ δ' ἐπὶ ταῖς Κασπίαις πύλαις ἐν ταπεινοῖς ἐδάφεσι, καὶ κοίλοις οὖσα, &c. ἱπποβοτὸς δ' ἐστὶ διαφερόντως. *Ad Caspias portas regio, cum in locis depressis, & concavis sit, &c. equis alendis est maximè idonea.* Inde nimirum erant *equi Nisæi* apud veteres tam celebrati. Rectè igitur hic *Septuaginta*, ἀνορύσσων ἐν πεδίῳ, *fodiens in campo.* Ita habet *Londinensis* editio ex vetustissimo illo Manuscripto expressa: sed reliquæ perperam, ἀνορύσσων ἐν ποδί, *fodiens pede.* Verè observat *Bootius* falli *Castalionem*, *Mercerum*, & *Piscatorem*, qui hic *vallis* nomine *scrobem* intelligunt, quam ungula sua fodit equus, cum quia *Hebr.* עמק, *vallis*, eâ notione nusquam occurrit, tum quia, si *vallis* pro *scrobe* hic esset, eorum *Job* dixisset fodere עמק *vallem*, non fodere בעמק *in valle.*

Robore suo exultat) vel, si mavis, *dotibus suis.* Licet enim *Hebræum* כח sæpiusunc *vires*, & *robur* significet; tamen extenditur latius ad alias quascunque animi, aut corporis dotes, quæ nos faciunt idoneos ad id peragendum, quod aggredimur. *Habilitatem Latinè* dixeris, aut *facultatem.* Sic *Dan.* 1. v. 4. Rex *Babylonis* pueros è proceribus *Israelis* jubet ad se deduci, *quibus inesset* כח *robur* (id est *facultas*, & *habilitas requisita*, & *necessariæ dotes*) *ad standum in palatio Regis.* Ita in generosis equis est כח, id est, virtus quædam, & facultas à natura insita, qua ad munia sua facilè, & alacriter obeunda fiunt habiles. *Hieronymus*, qui hic habet *exultat audacter*, pro בכח, *in robore*, videtur legisse בטח, id est, *securè confidenter.* At *Syrus* quorsum reddidit ܒܚܝܠܐ & *Arabs* بالوادي *in torrente*? *Arabs Syrum* sequitur, & *Syrus* scripserat ܒܚܝܠܐ *in robore*, planè ut *Chaldæus* sed per scribarum imperitiam ex ܒܚܝܠܐ factum est ܒܢܚܠܐ, quæ in charactere *Syrô* differunt parum admodum. In *Græca* versione vocum ordo est perturbatus. Sic enim habet totum comma, Ἀνορύσσων ἐν πεδίῳ γαυριᾷ, ἐκπορεύεται δ' εἰς πεδίον ἐν ἰσχύϊ. συναντῶν βέλει. Sed, ut *Hebræo* conveniat; debet illud ita digeri; Ἀνορύσσων ἐν πεδίῳ vel εἰς πεδίον, quæ est gemina versio) γαυριᾷ ἐν ἰσχύϊ, ἐκπορεύεται δ' συναντῆσαι βέλει. Interim in ea maximè placet, quod *Hebræum* ישיש, *exultat*, redditur γαυριᾷ, voce, qua non potuit aptior, quamque *Græci* Scriptores in hoc argumento passim usurpant. Ita in *Demosthene* legitur, γαυριῶν ἵππος in *Xenophonte*, ἵππος γαῦρος μὲν τὸ σχῆματι, ὑγροὶ δὲ τοῖν σκελοῖν γαυρούμενος· in *Æliano*, Ἐστὶ μὲν καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις ὁ ἵππος γαῦρον· in *Apollonio*, Ὁ δ' ἐπ' αὐχένι γαῦρος ἀείρεται· in *Heliodoro*, Ἐφρίξε τε, καὶ ἐφρίττε γαυρούμενος· in *Chrysostomo*, Παῖς γαῦρον, πῶς ἄνισχνος, πῶς ἄφρος πολέμιον ἐπιτήδειον in *Polluce*, inter equi Epitheta, γαῦρος, γαυρούμενος, γαυριῶν μένος in Scholiaste *Aristophanis* in *Pace*, Ἀβρύνεται, καὶ γαυριᾷ αὐτὸν, ὃ μάλιστα τοῖς καλλιστεύουσι τῶν ἵππων ἴδιός ἐστιν. Nempe γαυριᾷν est *exultare cum aliquo sensu gloriæ*; quod equorum est maximè proprium. *Ovidius* in *Halieutico*,

> *Hic generosus honos, & gloria major equorum;*
> *Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho,*
> *Seu septem spatiis circo meruere coronam.*
> *Nonne vides victor quanto sublimius altum*
> *Attollat caput, & vulgi se venditet auræ?*

Et lib. 3. *De Ponto* Eleg. 11. ad *Rufum*,

> *Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,*
> *Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

Virgilius ubi supra,

> - - - - *animos, ævumque notabis.*
> *Præcipuè hinc alias artes, prolemque parentum,*
> *Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.*

Sequitur equorum in stadio pro palma decertantium graphica descriptio, quam claudit hoc Epiphonemate,

> *Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ!*

Hinc *Plinius* lib. 8. cap. 42. *In Circo ad currus junctis non dubie intellectum adhortationis, & gloriæ fatentur.* Et *Lactantius* lib. 3. cap. 8. *In equis gloriæ cupiditas experimento deprehenditur: victores enim exultant, victi dolent.* Et *Ælianus*, *Hist.* lib. 2. cap. 11. Καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὸ τάχος αὐτοῦ, καὶ τοῦ αὐχένος τὸ ὑψηλὸν, καὶ ἡ τῶν σκελῶν ὑγρότης, καὶ ἡ τῶν ὁπλῶν κροῦσις, πάντα εἰς φρύαγμα, καὶ τῦφον ἀνάγει *Et magnitudo, & celeritas, & cervicis eminentia, & mollis crurum flexio, & ungularum sonitus, illa, inquam, omnia equum ad gloriationem, & fastum induunt.* Et lib. 3. cap. 2. de *Medorum* equis, Φαίης ἂν αὐτοὺς τρυφᾶν σὺν τοῖς δεσπόταις, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ σώματος, καὶ τῷ κάλλει, ἤδη δὲ καὶ τῇ χλιδῇ, καὶ τῇ θεραπείᾳ τῇ ἔξωθεν, καὶ τῇ θρύψει *Illos magnitudine, & specie corporis, adeoque ornatu etiam, & cultu externo, & deliciis cum dominis delectari diceres.* Item, Ἐοίκασιν αἰσθανομένοις μεγέθους τε τοῦ σφετέρου, καὶ κάλλους, καὶ ὅτι χλιδῶσι τῷ κόσμῳ· *Sentire videntur magnitudinem, & pulchritudinem suam, & se magnificè esse exornatos.* Et *Heliodorus* lib. 3. Εἴποις ἂν καὶ τὸν ἵππον αὐτὸν συνιέναι τοῦ ὡραιότητος τοῦ δεσπότου, καὶ ὡς καλὸν κάλλιστον φέρειν τὸν ἡνίοχον αἰσθάνεσθαι· *Dixisses & equum ipsum intelligere formam domini, & quod pulcher ipse pulcherrimum gestaret rectorem sentire.* Et *Damir*, Scriptor *Arabs*, jam sæpe vocatus ad partes, الفرس اشبه الحيوان بالانسان لما يوجد فيه من الكرم وشرف النفس وعلو الهمة *Equus animal est instar hominis; quia in eo reperitur honor, & nobilitas animæ, & eminentia studii*, id est, magnanimitas, & ambitio, Item, وفي طبع الفرس الزهو والخيلا والسرور بنفسه *Etiam è natura equi est fastus, & superbia, & exultatio in seipso.* Vocem السرور, quæ deest in uno exemplari, ex altero libenter supplevi; quia *Hebræum* שיש, qua *Job* utitur, planè exprimit. Nam שוש *Hebræum* est *exultare*, unde ששון *exultatio*, quæ *Arabicè* est سرور Sic *Ps.* 50, 9. (*Hebræis* 51, 10.) *Arabs* habet أسمعني سروم *Audire me fac exultationem*, pro *Hebræo* תשמיעני ששון. Sed & *exultandi* vox, qua hic utitur *Hieronymus*, est aptissima, & in hoc negotio valde recepta. *Cicero* lib. 1. *De officiis*; *Sicut equos, propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus*

bus tradere solent. Et *Lactantius* nuper citatus, *Victores enim exultant.* Et *Horatius* lib. 3. *Od.* 11.

Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi.

Ludit exultim, id est, σκιρτῶσα παίζει. Ita enim *Anacreon*, ex quo hæc sumpta. Nempe, ut *gestire* est gestu testari gaudium intus latens: ita *exultare* propriè est saltare præ gaudio; quod equo familiare est. Hic non possum non repetere, quod jam ante attigi, exultationem in equis ita esse insignem, ut eos putet *R. Bechai Hebræum* nomen inde traxisse. Nempe סוס pro שוש dici contendit, *Schin* & *Samech* permutatis. Et nonnullis videbitur id ex eo posse firmari, quod etiam *Arabicè* خيل *chail*, *equus*, & خيلا *chila*, vel خيلا *choila*, γαυρίαμα, *superba exultatio*, quam equo *Damir* nuper tribuit, iisdem scribuntur literis radicalibus, tanquam conjugatæ voces. Et verò ille ipse *Damir* hæc habet in capite الخيل *alchail*, quod est inter *Arabica* equi nomina plurimum in usu, سميت الخيل خيلا لاختيالها في مشيتها *Equus vocatur* chail *propter fastum, quem in incessu præ se fert.* Quod multò est vero similius, quam quod idem ex aliorum sententia scribit capite الجواد equum vocari *chail* à loco hujus nominis propè *Meccham.* Tamen *Hebræum* equi nomen alio pertinere, suo loco docuimus. Sunt, qui verbo שוש *gaudium in corde reconditum* significari volunt, *quodque nullo gestu se prodit*; quia *David* dicit *Psal.* 119, 111 ששון לבי *Possideo testimonia tua in æternum, quia sunt exultatio cordis mei.* Et *Jeremias*, Thren. 5, 15. *Defecit* משוש לבנו *exultatio cordis nostri.* Tam absurde, quam si concluderem exultationem etiam latere totam intus, quia *Poeta* (q) dixit,

- - - *exultantiaque haurit*
Corda pavor pulsans. - - -

Quin, ut ששון, vel משוש, *gaudium* esse scias *quod multis modis se aperit*, in Scriptura legitur קול ששון (r) *vox exultationis*, & שמן ששון (s) *oleum exultationis*, & משוש כנור (t) *exultatio citharæ.* Itaque tantum abest, ut in animo lateat quod lætitiæ genus his vocibus significatur, ut & se prodat verbis, & unctione, & musica. Nec latet cursoris alacritas, de quo *David* Psal. 19, 6. *Exultat* ישיש *ut vir potens ad decurrendum stadium:* Sed nec equi, de quo hoc loco, ישיש בכח *robore suo exultat.* Quin ea maximè se prodit, adeoque tum maximè fertur equus, (u) Κυδιόων, ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ὤμοις ἀΐσσονται· ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς·
Exultans, capite elato, luduntque per armos,
Vento agitante, jubæ, & formæ sibi conscius ille est.

Hinc *Xenophon*, Κυδρῷ μὲν τῷ σχήματι, ὑγροῖς δὲ τοῖς σκέλεσι γαυρούμενος φέρεται, παντάπασιν ἐκμιμούμενος τὸν πρὸς ἵππους καλλωπισμόν· *Superbo quidem habitu, mollibusque cruribus fertur, decus equis conveniens omnimode exprimens.* Τὸν πρὸς ἵππους καλλωπισμὸν male reddit doctissimus *Camerarius*, *pulchritudinem, quâ componere se equi solent festinantes ad alios equos.* Illud πρὸς convenientiam denotat, ut in *Aristotele*, *Polit.* lib. 7. cap. 11. Ubi de urbis situ commodo, Αὐτῆς δὲ πρὸς αὐτὴν εἶναι τὴν θέσιν εὔχεσθαι δεῖ κατατυγχάνειν· *Optandum est eveniat, ut situs ejus sit juxta ipsam*, id est, ipsi commodus, & conveniens. Itaque per τὸν πρὸς ἵππους καλλωπισμὸν intellige ἅπασαν ἀγλαΐαν ἵππῳ προσήκουσαν, *omnem decorem equo congruam*, quomodo loquitur *Synesius* Epist. 10.

Prodit armis obviam) vel *adversus arma*, ut *Seneca* Epist. 85. *Cum fortiter eundum erit adversus tela*, &c. vel *adversis armis se infert*; ut *Ovidius* in *Halieutico*,

- - *adversis infert sua pectora telis:*

vel *armis occursat*; ut *Oppianus* hac in parte *Jobo* mirè concinens, equos ὅπλοις ἀντιάαν, *armis occursare* scribit. Verba sunt libro primo *Cynegeticων*, versu 202.

Κεινοὺς εἰς πόλεμον μεγαλήτορας ὁπλίζεσθαι,
Αἴθωνας τ' ἐπὶ θῆρας, ἐπεὶ μάλα θαρσήεντες
Ὅπλοις ἀντιάαν, πυκινοὺς ῥῆξαί τε φάλαγγας·

Illos ne pigeat duri ad certamina Martis,
Inque truces armare feras; quia cominus audent
Occursare armis, mediosque irrumpere in hostes.

Ubi illud ὅπλοις ἀντιάαν, *armis occursare*, *Jobi* non solùm mentem, sed & ipsa verba melius exprimit, quam factum est à quoquam veterum interpretum, quorum plerique cespitarunt in re facili. *Syrus* hic habet ܢܦܩ ܠܐܘܪܚܐ ܥܡ ܙܝܢܐ Et ex eo *Arabs* مخرج الي الطريق بالسلاح *Exit in viam cum armis.* Quæ portentosa est versio, & à textu dissidet δὶς διὰ πασῶν. Sed geminus est error: unus in scriba, qui ex ܠܐܘܪܥܐ, *in occursum*, fecit ܠܐܘܪܚܐ, *in viam*; proinde hoc corrigendum: ut in eodem versu ܥܡ ܙܝܢܐ, pro ܥܡ ܙܝܢܐ, quod jam monui. Alter est error in interprete, qui equum prodire dixit *in occursum cum armis*; quasi agatur de armis equi, cum *Job* equum prodire dicat *in occursum armorum*, quæ scilicet illi opponuntur. Itaque ex לקראת נשק, *in occursum armorum*, fecit לקראת בנשק, *in occursum cum armis.* Chaldæus, *Egreditur in occursum* קרבא זיני *armorum belli*, seu *bellicorum*; superfluè, cum nulla sint arma nisi bellica. Sed natus videtur error ex duplici versione: quarum una rectè reddiderat, *in occursum* זיני *armorum*; altera minùs bene, *in occursum* קרבא *belli*. Quomodo נשק sumitur in loco *Ps.* 140. *vers.* 8. סכותה לראשי ביום נשק. Itaque tam veteres, quam recentiores reddunt, *Obtexisti caput meum in die belli*, aut *in die pugnæ:* nempe sensu sic postulante. Quid enim aliud sit *dies armorum*, quam *dies belli*, aut *pugna*? Sed hic nihil est, quod nos cogat נשק aliter interpretari, quam vulgo, & ab armorum recepta significatione discedere. *Septuaginta*, (verborum ordine ut supra restituto,) Ἐκπορεύεται δὲ συναντῶν βέλει, *Egreditur autem occurrens telo*; Phrasi non satis commoda, ut taceam נשק multo latius patere, quam βέλος. Nam complectitur *arma quævis*, βέλος sola *missilia*. Itaque alii *Græcorum* interpretes ab hac versione recesserunt. Et unus reddidit, Ἐκπορεύεται εἰς πόλεμον, *Proficiscitur in bellum*, ut *Chaldæus*, de quo supra. Alius, Εἰς ἀπάντησιν καταφράκτων, quomodo etiam *Hieronymus*, *In occursum pergit armatis:* ubi *armatis* est pro *armis*; concretum pro abstracto. Alius item, Εἰς ἀπάντησιν ὅπλοις, sed melius dixisset ὅπλων. Nam utut *Hebræum* נשק sit semper Singulare, contra quam *Latinum arma*, tamen significatio ubique Pluralis est. In *Græcæ* versionis plerisque editionibus pro συναντῶν βέλει, *occurrens telo*, legitur συναντῶν βασιλεῖ, *occurrens Regi.* Qui librariorum error, in nonnulla exemplaria jam obrepserat ætate *Chrysostomi*, cujus verba sunt, Κατὰ ἕτερα δὲ τῶν ἀντιγράφων, Συναντῶν βασιλεῖ καταγελᾷ· οὐ γὰρ οἶδε διακρίνειν ἀξίαν· *Secundum alia exemplaria*, Regi occurrens irridet; *nescit enim dignitatem discernere.*

Ridet pavorem) Hic quoque in multis impingunt veteres Interpretes. *Septuaginta* solum habent καταγελᾷ, *deridet*, verbo sequenti planè omisso. *Syrus* ܘܡܓܚܟ ܥܠ ܙܘܥܐ *deridet fossam:* *Arabs* item,

q) Lib. 3. Georg. & lib. 5. Æn.
r) Jerem. 7, 34 & 16, 9 & 25, 10.
s) Ps. 45, 8. Es. 61, 3.
t) Es. 24, 8.
u) Iliad. ζ' & ο'.

item, يضحك علي الغور quia pro פחד, *pavore*, legerunt פחת, *foveam*. Chaldæus יחדי לדלוחא, *gaudet ad pavorem*; quasi hic sit risus שמחה, *letitiæ*, cum sit risus לעג, *derisionis*: quæ duo generis *Kimchius* rectè distinguit in hujus loci explicatione; Et de postremo hic agi res ipsa docet: Dicitur enim *ridere pavorem*; quia, quæ nobis metum incutiunt, ille deridet, & spernit, & pro nihilo habet. Rectè igitur hic *Hieronymus*, *Contemnit pavorem*. Interim equo risus tribuitur καταχρηστικῶς, ut supra de onagro dictum, (x) *Deridet tumultum civitatis*: & de struthione, (y) *Deridet equum, & equitem*: & infra (z) de *Leviathane*, seu crocodilo, *Ridet ad vibrationem hastæ*.

x) Job. 40,7. al. 10.
y) Job 40,18. al. 21
z) Job. 41,20. al. 21.

Neque consternatur) Hebr. ולא יחת. Hoc prorsus intactum prætererunt *Græci*, & *Hieronymus*; quod tamen à Sacro Vate additum est ἐξηγητικῶς, ut sciamus quo sensu dixerit equum *ridere pavorem*. Proinde à *Chaldæo*, *Syro*, & *Arabe* non est omissum: Et *Selomo* explicat ולא ירא, *Non timebit*. Et *Aben Ezra* docet hic sumi quomodo *Jos.* 1,9. אל תחת *Ne consterneris*.

Nec retrograditur metu gladii) Hebr. מפני חרב, *à faciebus gladii*. quod quandoque reddendum, *à gladio*; ut *Job.* 19,29. *Timete vobis* מפני חרב *à faciebus gladii*, id est, à gladio. Quandoque *propter*, vel *per gladium*; ut *Jerem.* 14,16. *Projecti erunt in plateis* Jerusalem מפני הרעב והחרב *à faciebus famis, & gladii*, id est, propter, vel per famem, & gladium passim in eos grassantem. Et *Jerem.* 25,16. *Et bibent, & concutientur, & insanient* מפני החרב *à faciebus gladii* (id est, propter, vel per gladium) *quem ego missurus sum inter eos*. Sed & quandoque reddendum *metu gladii*, ut *Levit.* 26. *vers.* 37. *Et impingent alter in alterum* כמפני חרב *tanquam à faciebus gladii*, (id est, tanquam metu gladii) *nemine persequente*. Es. 21. v. 15. *Quia à faciebus* (id est, metu) *gladiorum divagati sunt*. Es. 31. v. 18. *Et fugiet à faciebus* (idest, metu) *gladii*. Jerem. 46. v. 16. *Revertamur ad populum nostrum, & ad solum natale nostrum, à faciebus* (id est, metu) *gladii opprimentis*. Et rursus *Jerem.* 50,16. *A faciebus* (seu, metu) *gladii opprimentis quisque ad populum suum revertatur*. Ita hoc loco, *Et non retrograditur à faciebus* (id est, metu) *gladii*: quomodo de leone dicitur *Prov.* 30. v. 30. *Et non retrograditur* מפני כל *à faciebus* (id est, metu) *cujusquam*. De cætero, *facies* gladio tribuitur, ut passim (a) *os*, & (b) *manus*, per speciem Prosopopœiæ. Et *Ezech.* 21,16. (al. 21.) Deus gladium sic alloquitur, *Pete dextram, vel sinistram*, אנה פניך מעדות *quocunque facies tua constituta erunt*. Et *Amos* 9,4 *Mandabo*, inquit, *gladio*. Et alibi (c) gladius *venire* dicitur, & (d) *volare*, & (e) *residere in urbibus*, & (f) *reverti*, & (g) *recedere*, & (h) *comedere carnem*, & (i) *inebriari*, & (k) *sanguine repleri*, & (l) *adipe pinguescere*; quasi agatur de animali.

a) Exod. 17,13. Num. 21,25. &c.
b) Job. 5,20. Ps. 63,11. Ierem. 18,21. Ezech. 35,5.
c) Ezech. 33,3. 4. 6.
d) Ezech. 32, 10.
e) Os. 11, 5.
f) 2. Sam. 1. 22. Ezech. 21, 5.
g) 2. Sam. 12. 10.
h) Os. 11, 5.
i.k.l.) Es. 34. 5. 6.

Et pharetra in eum sonantis) Hebr. עליו תרנה אשפה *In eum sonat pharetra*, alii *super eum*; quasi res sit de pharetra, quam gestat eques illi insidens. Et *Hebræum* עליו utrumque admittit. Sed prius malo; quia equum armorum equitis sui stridore non percelli tanti non esset. At, quod hostilium strepitu non terretur, hoc demum est veræ fortitudinis indicium. Pharetram, vel, quod idem est, corytum *sonare*, & *stridere* etiam *Poetæ* dicunt. *Virgilius* lib. 6. *Æn.*

- - - *pharetramque fugâ sensêre sonantem.*

Et *Silius* lib. 12.

- - - *plena tenet, & resonante pharetra.*

Et lib. 15.

Coryti intereà strident - - -

Et alibi, quo loco jam non succurrit,

Turba ruunt, stridentque sagittiferi coryti.

Nempe, quia pharetra est מלאה חצים מקשקשות זו בזו *plena sagittis se mutuò collidentibus*, ut hic habet *R. Selomo*. Quo pertinent hæc *Homeri* de *Apolline* Iliad. α.

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην,
Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο·
Arcum humeris, tectamq; gerens utrimq; pharetram,
Iratique super tergum sonuêre sagittæ.

Itaque pharetra *sonare*, vel *stridere* dicitur per Metonymiam continentis pro contento. Et per pharetram *sagittæ* significantur, quas בני אשפתו *filios pharetræ* vocat *Jeremias*, *Thren.* 3. v. 13. quia pharetra continentur. Neque id restringi velim ad sagittas se collidentes quamdiu in pharetra latent: Quin puto maximè agi de sagittarum stridore, postquam ex pharetra eductæ sunt, & ex arcu excussæ. Et pharetram à *Jobo stridentem* dici; quia vomit stridentia tela, ut loquitur *Statius* lib. 10 *Theb.*

Aurataque vomunt stridentia tela pharetræ.

(Malè nonnulli legunt, *Armataque v. st. t. fenestra.*) Nempe, cum dicit Sacer Vates, *In eum* (id est, adversus eum) *sonat pharetra*, vix aliter potest id intelligi, quam de sagittis ex pharetra exprompts, atque in hostem emissis. Neque enim in hostes oppositos sagittæ sonant, quamdiu sunt in pharetra. Præterea verbum תרנה, quo *Job* utitur, per vicinum רנן explicant *Hebræi* omnes. *Arabicè* porro رنّ vel رنم (utroque enim modo scribunt) præterquam quod *clamare*, & *canere* significat, ut *Hebraicè*, usurpatur etiam de stridore jaculationis, qui fit sagitta ex arcu excussa. *Alcamus*, رنت القوس صوتت *Stridorem edidit arcus*. Et in quarta, ارنت القوس اذا رميت منها *Stridet arcus, cum illo jaculor*. Idem etiam in رنم legas. Itaque, quod Interpretes latuerat hactenus, verbum תרנה hoc loco est maximè proprium. Septuaginta reddunt γαυριᾷ, *exultat*: & *Syrus* ܡܫܒܚܐ *laudans*, ex vulgari significatione *Hebræi* רנן, sed quæ hic est planè aliena. *Arabs* يحمل *portat*, quasi in *Syro*, quem sequitur, legerit ܡܫܩܠܐ pro ܡܫܒܚܐ. *Chaldæus* תשחרי, *mittitur* tanquam jaculando, ac si תרנה sit idem, quod תרמה, *Nun* pro *Mem*. Pariter erratum in voce אשפה, quæ à *Chaldæo* exponitur זינה ὅπλον, à *Græcis* τόξον *arcus*, ab *Arabe* الترس *clypeus*. Nempe, *Arabs* putavit *Syrum* ܩܛܪܩܐ *katirka*, idem esse, quod طرقة *tarka*, id est, *clypeum*, unde nobis *targe*. Et *Chaldæo*, cui רנה est *jaculari*, ut רמה, necesse fuit אשפה aliud esse, quam *pharetram*. Neque enim pharetras, sed tela jaculamur.

Mucronis hastæ, & lanceæ) in eum stridentis metu non retrograditur. Quæ repetenda sunt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Quod cum fateatur *Bootius*, negat tamen stridorem, aut strepitum, sonitumve, hastæ, & lanceæ competere. Ac proinde in ista locutione eam figuram agnosci vult, quam in *Poetæ* verbis,

Ille Quirinali *lituo, parvaque sedebat*
Succinctus trabeâ. - - -

Quin stridorem, sonum, strepitum, hastæ, & lanceæ tam rectè tribui, quam pharetræ, & sagittis, certissimum est. Itaque in *Poëtis* nihil frequentius, quod palam facient pauca hæc exempla è multò pluribus. *Ennius Annal.* lib. 11.

Missaque per pectus, dum transit, striderat hasta.

Virgilius Æn. lib. 9.

- - *it hasta* Tago *per tempus utrumque*
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.

Et lib. 10.

- - - *stridentemque eminus hastam*
Conjicit. - - - - -

Et lib. 12.

- - stridentque hastilibus auræ.

Statius lib. 4. *Theb.* de *Bellona*,

Hastam intorsit agens, liquido quæ stridula cœlo
Fugit & adversæ celso stetit aggere Dirces.

Et lib. 8.

- - sed stridula cornus in hostem
It, referens mandata Ducis. - -

Cornus, id est, hasta ex corno arbore. *Silius* lib. 4.

It stridens per utrumque latus Maurusia *taxus*.

Et lib. 7.

Et Morinum *pugnas arcu stridore cientem.*

Et lib. 9.

Quæ dextra veniant stridentis sibila teli.

Et lib. 10.

Stridentem gelidis vibravit viribus hastam.

Et lib. 12.

- - nullis fusa stridoribus hasta.

Item de *Marcello*,

Terrificis sævam fudit stridoribus hastam.

Et lib. 13. de *Scipione*,

Effundis lacrymas pariter, cornumque sonantem.

Et lib. 15.

Audax Scipiadæ *stridentem* Sabbura *cornum*
Excepit. - - -

Valerius Flaccus, Argonaut. lib. 3.

Tunc gravis, & certo tendens stridore, per umbras
Æsonii *venit hasta Ducis. - -*

Et lib. 6.

Stridentesque viri circum caput amovet hastas.

Et lib. 7.

Lancea cœruleas circumstrepit incita vittas.

Seneca in *Hercule Oetæo*,

- - nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis. - - -

Claudianus in *Eutropium* lib. 2.

Nec Dea præmissæ stridorem segnius hasta
Consequitur. - - - -

Prudentius Psychomachia sect. 6.

- - nec stridula lancea torto
Emicat amento. - - - -

Mucro Hebræis להב, aut להבה, id est, *flamma*, dicitur hic, & *Jud.* 3, 22. & 1. *Sam.* 17, 7. & *Nahum* 3, 3. vel propter fulgorem igneum, vel quia tenuatur ut flamma, & in acumen definit. Inde est, quod pro *mucrone flammam* hic habent *Syrus*, & *Arabs*. At *Chaldæus* חרבא שננא *gladium acutum*, & *Græci* μάχαιραν, nempe ὀξεῖαν, *macheram acutam*, ut in iisdem legitur *Psal.* 56, 6. & *Es.* 49, 2. Quamvis ipsa *machæra* vox id per se significet, si *Polybium*, & *Suidam* sequimur. Aliis להב est verbum, quod *vibrare, micare, splendere* explicant. Hinc להב חנית Hieronymo *vibrabit hasta*, & Tigurinis *micat*, & Junio *splendente hastâ*. Quod ideo minus probo, quia puncta vocalia, quæ non sunt temerè solicitanda, hanc interpretationem non ferunt. Ut taceam hoc verbum ab *Hebræis* non usurpari, quamvis sit frequens apud *Arabes*. Adderem etiam apud *Chaldæos*, nisi quod hi non usurpant sine Prosthesi literarum ש, aut צ.

Lancea *Hebr.* est כידן *chidon*, cujus vocis ignoratio peperit versionum examen, quarum auctores neque cum aliis consentiunt, neque ipsi secum. Occurrit in quatuor Scripturæ libris. Primò in *Josua*, cui dixit Deus *Jos.* 8 *v.* 18. *Extende* chidon, *quod est in manu tua, versus urbem* Hai, *quoniam eam tibi traditurus sum: Et* Josue *extendit* chidon, *&c.* Et versu 26. Josue *non retraxit manum, qua extenderat* chidon, *donec omnes incolas urbis* Hai *ad internecionem delevisset.* Secundò gigas *Goliath* 1. *Sam.* 17. *v.* 6. inter armorum plura genera habuisse legitur *chidon æreum inter humeros.* Unde illi *David* versu 45. *Tu in me venis cum gladio, hasta, &* chidon. Tertio in hoc *Jobi* loco de equo dicitur, *In eum sonat pharetra, mucro hastæ, &* chidon. Et cap. 41. versu 20. (al. 21.) de *Leviathane*, seu crocodilo, *Ridebit* לרעש כידן *ad concussionem τοῦ chidon.* Quarto denique de *Chaldæis* habetur *Jerem.* 6, 23. & de *Persis* Jerem. 50. v. 42. *Arcum, & chidon arripient.* Alibi in Scriptura non reperitur. Jam versionum quidquid est ad tria capita revocatur. Alii enim ἀσπίδα *clypeum*, aut θυρεὸν *scutum* reddunt, *Syr.* ܬܪܣܐ, id est, *Arab.* ترس & *Chald.* תרים; ut in *Josua Josephus*, si *Theodoreto* credimus, & *Symmachus*, & liber nominum *Jesu Nave*; in *Samuelis* utroque loco *Septuaginta*, in posteriore *Syrus*, & *Arabs*; Job. 41. *Aquila*, & *Symmachus*; in *Jeremia Chaldæus*, & *Hieronymus* ferè ubique. Sed & iisdem alibi כידן *chidon*, est teli species. *Græci* in *Josua* γαῖσον, *gæsum*, explicant *Job.* 41. πυρφόρον *igniferum* (supple *missile*, ac si fiat à יקד) in *Jeremia* ζιβύνην, *sibynam*, & ἐγχειρίδιον, *sicam*. Et *Arabs* ibidem سكين *sekin*, gladii, aut cultri genus, qui fortasse *Festo scena*, vel *sacena*. Et alibi passim مزراق, & نيزك ut *Syrus* ܢܝܙܟܐ *hastile* & *Chaldæus* רומחא, *lanceam*, quod sequuntur *Kimchius*, R. *Levi*, & *Pomarius*. R. *Selomo* in *Josuam* שפידו, *spedo*, id est, *verutum*. Nec desunt, quibus chidon æreus inter *Goliathi* humeros 1. *Sam.* 17, 6. est ἐπωμίδιον, *humeralis* species, aut ferreum περιτραχήλιον, quo vel humeri, vel collum ab ictibus defenduntur. *Kimchius* in *Lexico*, אינו רומח כי הוא כלי מגן לכפתיו *Non erat lancea, sed* ὅπλον σκεπαστήριον ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτοῦ, *armatura, quæ pro clypeo illi erat super humeros.* R. Selomo, כמין חנית נחשת בולטת מן הכובע ונמשכת בין כתפיו להגין על צוארו מן החרב *Cuspis erat ærea in hastæ modum ex galea eminens, & inter humeros protensa, quæ collum ejus à gladio tueretur.* R. Levi, אחשוב שהוא גורגירא עשויה מפלטאש סביב צוארו *Puto fuisse* περιτραχήλιον, *vulgo gorgeram argenteam factam circa collum ejus.* R. *Esaias*, in quo nonnulla desunt, כעין טבלאות של נחשת העומדת בין כתפיו *Species fuit tabula ex ære inter humeros ejus posita.* Addit non esse lanceam, ut in *Josua*, והם שוין במבטא ומתחלפין בפתרון *Et hæc, etsi sono conveniant, tamen significatione differre.* Præiverat *Chaldæus* Interpres, cui *Goliathi chidon* erat מחפא דנחשא נפיק מן קולסא ומטי בין כתפוהי, *integumentum æreum prominens ex casside, elatum inter humeros ejus.* Pro מחפא male legitur מסחפא, & in *Kimchio* מחצפא, voces nihili, in quibus explicandis *Lexicographi* frustra laborant. A *Chaldæo* non longè abeunt hæc *Arabis* Interpretis, وعلي راسه مغفرة من نحاس تنزل الي اسفل كتفه *Et super caput ejus cassis erat ærea usque ad extremos humeros demissa.* Arabicè غفر primò *tegere* est, deinde *condonare*; quia remissio tegit peccata *Psal.* 32, 1. & 85, 3. *Nehem.* 4, 5. Inde مغفرة est *galea*, seu *cassis*, qua caput tegitur. Itaque non probo, quod pro *galea tegmen* hic reddit *Gabriel*, ut neque quod معفرة per *Ain* scribit pro *Gain*. Sed longè gravius mendum est in his *Syri* ܘܦܣܩܐ ܕܢܚܫܐ ܥܠ ܟܬܦܬܗ: Legendum enim ܘܦܬܘܪܐ *& τράπεζα ænea erat inter humeros ejus.* Nempe illi τράπεζα id ipsum est, quod supra *R. Esaiæ* כעין טבלאות, tabulæ species, lamina ænea in mensæ formam. Quanquam aliud succurrit. Quomodo pars jecoris à *Nicandro* in *Theriacis* τράπεζα, & à *Talmudicis* טרפשא nominatur. Ita in *Polluce* τῆς ὠμοπλάτης τὰ περὶ τὰ νῶτα πλατυνόμενα τράπεζαι καλοῦνται, *Scapularum partes circa dorsum latè extensæ trapezæ, seu mensæ, appellantur.* Inde τράπεζα dici potuit armatura, qua teguntur hæ ipsæ partes, ut lorica *thorax* dicta est, quia τὸν θώρακα, seu *pectus*

lum ambit: & *galea* κράνος, à tegendo τῷ κράνῳ, id est, *capite*.

Hæc veteres de voce כידון *chidon*, quâ tamen mihi persuasissimum est neque *clypeum*, aut *scutum*, neque *humerale*, aut ἀσπιδοταχίλιον, sed *hastile*, aut *lanceam*, aut simile aliud teli genus significari, ubicunque in Scriptura extat. In *Josua* res aperta est: jubetur enim *Josue chidon*, quod in manu habebat, tollere versus urbem, nempe, ut id signum esset, quo monerentur & fugientes, & qui erant in insidiis: illi, ut in hostem se converterent, hi, ut prodirent ex insidiis, *Hai* urbem incensuri; quod ex Sacra Historia colligere est. Hoc porrò signum vel clypeo, vel ἀσπιδοταχίλιον in altum sublato fuisse editum, nulli fiat verisimile: cum hæc neque in altum evehantur, neque possint conspici eminus, & graviora ferè sint, quam ut illa quis diu elata sustineat extensâ manu. *Hastile* igitur intelligo, sive nudum fuerit, aut vexillum habuerit, vel lemniscos in summo annexos, in qua sententia sunt *Kimchius*, & *R. Levi*. Sed & *Hebræi* alii, quotquot sunt, *Chaldæus* quoque, *Syrus*, & *Arabs chidon* hoc loco *hastile*, aut *lanceam* explicant. Et *Seniores* γαῖσον, *gæsum*, quod qui pro *clypeo* habent, ut qui nuperæ præfuerunt editioni *Parisiensi*, docent se in his literis non multum profecisse; cum *gæsum* omnes sciant esse *Gallici* teli genus. Proinde *Augustinus* (lib. 6. *Locutionum*) *hastam*, *vel lanceam Gallicanam* interpretatur. Et, in *Eusebii Emisseni* Notis ad hunc ipsum locum, *Diogenianus Lexicographus* γαῖσον esse ait ἀκόντιον ὁλοσίδηρον, *missile* (*seu telum*) *totum ferreum*: alii autem κοντόν, *contum*, malim ἀκόντιον, *jaculum*, quamvis etiam *Suidas* κοντόν, *contum*, exponat. His adde *Sirachidem*, cujus de *Josua* verba sunt *Ecclesi.* 46. *v.* 4. Ὡς ἐδοξάσθη ἐν τῷ ἐπᾶραι χεῖρας αὐτοῦ, καὶ τὸ ἐκκλῖναι, (vel, ut alii, ἐκτεῖναι) ῥομφαίαν ἐπὶ πόλεις. *Quantam gloriam adeptus est extollendo manus suas, & vibrando, (vel extendendo) romphæam in civitates? Romphæam*, id est, *chidon*: palàm enim est ad hanc Historiam alludi. Proinde *Syrus*, iisdem ferè verbis usus, quibus in *Josua*, hunc locum ita reddidit, *Quam decorus ille fuit*, ܟܕ ܐܪܝܡ ܐܝܕܗ *cum attollebat hastile, quod habebat in manu, & illud vibrabat super urbes!* *Romphæa* Gellio *genus est teli* Thracæ *nationis*: & *Hesychio* Θράκιον, ὃ μαχαίριον, μάχαιρα, ξίφος, ἢ ἀκόντιον μακρόν. Media pars erat lignea, nempe capulus; media ferrea, nempe acies. *Valerius* lib. 6. *Argonaut.*

Æquaq; , nec ferro brevior, nec romphea ligno.

In *Græca* versione ῥομφαία ferè est pro חרב *gladio*: sed & pro חנית, *hasta*, 1. *Par.* 11. *v.* 11. 20. & *Psal.* 34. *v.* 3. & pro *Græco* ῥομφαία *Luc.* 2. *v.* 35. *Syrus* habet ܪܘܡܚܐ, & *Arabs* رمح *lanceam*, & *Æthiops*, ኲናት: quod pro *lancea* est, *Matth.* 27. *v.* 49. & *Joh.* 19. *v.* 34. Tot numero Interpretibus, quibus *chidon* in *Josua* teli genus est, si quis *Josephum*, & *Symmachum* opponat, de quibus *Theodoretus* in *Josuam* Quæst. 11. Τὸ μέν τοι γαῖσον, ᾧ τοὺς λοχῶντας διήγειρεν Ἰησοῦς, ἀσπίδα ἡρμήνευσεν ὁ Ἰώσηπος, ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ Σύμμαχος. *Gæsum quidem, quo latentes in insidiis excitavit* Josue, *clypeum interpretatus est* Josephus, *quomodo etiam* Symmachus: Ajo *Symmachum* non esse tanti, & in *Josepho* de clypeo à *Josua* sublato nil quidquam legi. Tantùm *Josuam* dicit signis, de quibus cum iis convenerat, qui erant in insidiis, illos ad pugnam excitâsse. Σημεῖα δὲ, ἃ πρὸς τοὺς ἐν ταῖς ἐνέδραις συνετέτακτο, κἀκείνους ἐπὶ τὴν μάχην ἐξανίστησιν. Sed illa signa quæ fuerint, clypeusne, an telum in sublime erectum, in *Josepho* nusquam habetur. Et *Augustinus* hic meminit solùm *Symmachi*. *Quid dicat* gæson (inquit) *non facilè intelligitur. Hoc Interpres* Symmachus scutum *appellâsse perhibetur.* Itaque aut hic memoriâ lapsus est *Theodoretus*, aut, quod facilè suspicor, in verbis, quæ proximè præcedunt, pro ἐπειδὴ ἀνασπάσας, pravè legerat ἀσπίδα ἄνω στρέψας, *cum clypeum sursum obvertisset*.

Sequitur *Goliathi* כידון *chidon*, quod cur *Græci*, & *Hieronymus* ἀσπίδα, *clypeum*, esse voluerint, nullus capio, cum disertè distinguatur à *Goliathi* clypeo, de quo dicitur versu sequente, *Et qui ferebat* הצנה *clypeum, antecedebat eum*. Ne hoc statim appareret, *Græci* reddiderunt, ὁ αἴρων τὰ ὅπλα αὐτοῦ, & Hieronymus *armiger ejus*. Sed *Chaldæus*, *Syrus*, & *Arabs* disertè, *ferens clypeum*. Nihilo plus rationis in iis, qui *chidon* humerale fuisse ex eo colligunt, quod illud ferebat *Goliath* בין כתפיו, *inter humeros suos*: cùm ex illis ipsis verbis concludatur potius non fuisse *humerale*. Neque enim *inter* humeros, sed *super* humeros est humerale. Ne dicam *Goliatho* humerali non fuisse opus; quia loricatus erat 1. *Sam.* 17. *v.* 5. lorica autem tegit humeros. Unde est, quod *Iliad.* ε'. *Diomedem* vulnerat *Pandarus*.

- - - - - - τύχων κατὰ δεξιὸν ὦμον
Θώρηκος γύαλον. - - - - - -

assecutus ad dextrum humerum loricæ concavitatem.
Et *Hector* de eodem, *Iliad.* θ'.

Αὐτὰρ ἀπ' ὤμοιιν Διομήδεος ἱπποδάμοιο
Δαιδάλεον θώρηκα. - - - - - -

Sed variam loricam à Diomedis *equorum domitoris humeris* detrahamus. Denique ex verbis *Davidis* versu 45. *Tu in me venis cum gladio, hasta, & chidon*, omnino colligitur *Goliathi chidon* fuisse aliquod teli genus, æque ac gladium, & hastam. Quod his verbis notat *Kimchius*, לפי הפסוק הכתוב למטה שאמר לו דוד לגלית אתה בא אלי בחרב ובחנית ובכידון נראה כי כידון זהו רמח כמו נטה בכידון והוא עשוי להכות בו לא להגן *Et quod ad versum, qui infra habetur, in quo David Goliatho dicit, Tu in me venis cum gladio, hasta, & chidon, videtur ibi chidon esse lancea, ut cum* Josue *dicitur*, Tolle chidon: *& factum fuisse hoc armorum genus ad percutiendum, non ad tegendum*. Vult fuisse ὅπλον ἀμυντήριον, non verò σκεπαστήριον, ad vim inferendam, non propulsandam. Proinde *Goliathum* conjectat, cùm manu dextrâ teneret hastam, & sinistrâ telum aliud, etsi id Scriptura taceat, coactum fuisse τὸ *chidon* à tergo rejicere inter humeros, quo nimirum uteretur post confectum hastæ certamen. Sed nihil opus erat eò descendere, nec sibi fingere *Goliathum* utraque manu fuisse armatum. Hastatis enim non vacat sinistra manus, quia utraque manu pugnant, & hastam vibrant. Sed & sæpe, manibus vacuis, arma gestantur circa humeros ex balteo suspensa. De ense res notissima est. Hinc in *Homero* toties,

(*m*) Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον, m) *Iliad.* β'. 45
Circa humeros posuit ensem argenteis clavis. Item, γ'. 334. λ'. 29. π'. 135 τ'. 372 Odyss. θ'. 416.
(*n*) Πρῶτον μὲν ξίφος ὀξὺ περὶ στιβαροῖς βάλετ' ὤμοις, κ'. 261.
Primum quidem acutum ensem robustis humeris circumposuit. Item, n) *Odyss.* ξ'. 528
(*o*) Παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων, καὶ καμπύλα τόξα, o) *Iliad.* γ'. 17.
Καὶ ξίφος, - - - - - - -

Pardi pellem humeris habens, & curvos arcus, & ensem. Et (*p*) περὶ δὲ, vel (*q*) ἀπὸ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ, p) *Odyss.* β'. 3. & δ'. 308. & υ'. 125.
acutum ensem humero imposuit, vel deposuit. Et (*r*) φάσγανα, id est, *gladii*, q) *Odyss.* φ'. 119
r) *Iliad.* ο'. 714

Ἄλλα μὲν ἐκ χειρῶν χαμάδις πέσον, ἄλλα δ' ἀπ' ὤμων,
alii quidem è manibus in terram decidebant, alii verò ex humeris. Virgilius quoque de *Evandro* dixit, lib. 8. *Æneid.*

Tum lateri, atq; humeris, Tegeæum subligat ensem:
& de *Ascanio* lib. 9.

- - - - - - *humero simul exuit ensem.*

Quidni eâdem ratione jaculum, vel hastile, potuerit inter gigantis humeros ex balteo appendi. Huc pertinet, quod *Festus arma* dici vult *ab armis*, id est, humeris, unde pendent. *Arma*, inquit, *propriè dicuntur ab armis, id est, humeris dependentia, ut scutum, gladius, pugio, sica, & ea, quibus propè præliatur, sicut tela*,

tela, quibus procul. Et rursus in voce *Armillas*; *Antiqui humeros cum brachiis armos vocabant: unde arma ab his dependentia sunt vocata.* Hic *Josepho* (s) כידון *chidon*, est δόρυ, *hasta*, & sequens חנית, λόγχη, *lancea*, & בין כתפיו, *inter humeros ejus*, idem, quod ἐπὶ τῶν ὤμων, *super humeros.* Proinde hunc locum ita expressit, Δόρυ δὲ ἦν οὐ κοῦφον βάσταγμα δεξιᾶς, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτὸ αἴρων ἔφερεν· εἶχε δὲ καὶ λόγχην ἑξακοσίων σίκλων· *Hasta autem erat non leve, dextræ gestamen, sed eam humeris tollens ferebat; quin & lanceam habebat sexcentorum siclorum.* Sed חנית *plenam* esse *hastam* convenit inter interpretes; & *chidon* fuisse *telum brevius*, ex eo ipso colligere est, quod ferebatur inter humeros appensum. Ita enim habent *Hebræa* verba, וכידון נחשת בין כתפיו, *& chidon ex ære inter humeros ejus*, ex quibus nempe pendebat.

s) Antiq. lib. 6. cap. 10.

In locis quæ supersunt minus erit operæ. Cum enim hoc *Jobi* loco dicitur in equum stridere *pharetra*, *& mucro lanceæ, & τ chidon*, nemo non videt *chidon* esse in telorum genere, quia hastæ jungitur, & est æquè mucronatum. Et *Job.* 41. ubi ridet *Leviathan* לרעש כידון *ad vibrationem τ chidon*, nihil verosimilius est, quàm *hastam*, aut *hastile* significari, cujus vibrari tam proprium est, ut *Pallas* dicta putetur ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, *à vibranda hasta*: unde etiam παλτὸν *hastilis*, aut *pili genus.* Ideo *Hieronymus*, qui, sequutus *Aquilam*, & *Symmachum*, *chidon* alibi *clypeum*, aut *scutum* interpretatur, eos deserere coactus, ibi habet, *deridebit vibrantem hastam.*

Denique cum dicitur *Jer.* 6. v. 23. & 50, 42. *hastam, & chidon arripient*, malim *chidon* cum *Græcis* ζιβύνην, *sibynam*, aut ἐγχειρίδιον, *sicam* reddere, aut cum *Hebræis* רומח, *lanceam*, & cum *Syro* ܢܝܙܟܐ, *hastile*, & cum *Arabe*, مزراق quod id ipsum est, quàm cũ *Chaldæo* תריסין θυρεὸς, & cum *Hieronymo scutum.* Cum quia semper alibi *chidon* esse teli speciem abundè probavimus, tum quia sic melius cohæret cum sequentibus, *Crudelis est ille populus, neq; miserebuntur.* Quia in bello crudelitas per tela exercetur, non per clypeos. Quin ex duobus *Jeremiæ* locis videtur posse colligi, quod teli genus sit *chidon.* In priore enim agitur de *Babyloniis*, seu *Chaldæis*, *Jerosolymam*; in posteriore de *Persis Babylonem* invasuris. Eorum autem arma erant τόξα, καὶ αἰχμὴ βραχεῖα, *arcus*, *& hasta brevis.* Ita asserit *Aristagoras* apud *Herodotum* lib. 5. Et ipse *Herodotus* lib. 7. *Xerxis* exercitum describens, αἰχμὰς βραχείας, τόξα δὲ μεγάλα, *hastas breves*, & *magnos arcus Persis* tribuit. Inde est, quod apud *Athenæum* lib. 12. *Alexandrum* scribit *Ephippus* cum *Persica* stola gestâsse τό τε τόξον, καὶ τὴν σιβύνην, *arcum etiam*, *& sibynam.* Planè ut *Græca Jeremiæ* versio cap. 6. v. 23. Τόξον, καὶ ζιβύνην, κρατήσουσιν, *Arcum & zibynam tenebunt.* Nempe *zibyna*, vel *sibyna*, *Ephippo*, & *Græcis* Interpretibus id ipsum est, quod *Aristagoræ*, & *Herodoto* αἰχμὴ βραχεῖα *hasta brevis.* Ea *Græcè* σιβύνη dicta videtur pro שבולא σιβόλη, N & L ut passim permutatis. שבולא propriè est *spica.* Inde ad *hastile* translatum nomen. Quomodo *spicula Isidoro* (t) sunt *sagittæ, vel lanceæ breves à spicarum specie nuncupata.* Arabicè etiam سبلة *subla*, est *spica*, & سبل *sebil*, *hasta*, aut hastæ pars. Sed & *Gallicè* hastam *Turnebus picam*, quasi *spicam*, vocari putat, quod ferro *spicata* sit exiguo: ego potius à forma spicæ; unde & *spicandi* verbum in *Gratii Cynegetico*,

t) Orig. lib. 17. cap. 8.

Quid Macetum *immensos liceat si dicere contos,*
Quàm longa exigui spicant hastilia dentes?

Id ipsum *Persarum* telum ab aliis παλτὸν, *pilum*, vocatur. Ita passim in *Xenophonte*, ut initio lib. 7. *Cyrop.* ubi *Persæ* armantur παλτῷ κρανείνῳ ἑνὶ ἕκαστος, quisque pilo corneo uno, id est, ex corno arbore. Et in fine lib. 8. Ἐν παλτὸν ἑκάστῳ δοὺς εἰς χεῖρα, ὁμόθεν τὴν μάχην ἐποιεῖτο, *Cum Persarum unicuiq; Cyrus unum pilum dedisset in manum, cominus pugnam faciebat.* Alibi tamen singulis bina παλτὰ assignantur, quomodo *Gallis* duo gæsa, ut lib. 1. *Cyrop.* ubi, præter arcum, & pharetram, *Persas* habere scribit singulos παλτὰ δύο, ὥστε τὸ μὲν ἀφεῖναι, τῷ δ', ἂν δέῃ, ἐκ χειρὸς χρῆσθαι, *pila duo, quorum unum quidem emittant, altero vero, si opus sit, manu* cominus *utantur.* Et lib. 4. in *Cyri* concione, Παλτὰ δέ, οἷς καὶ μαθόντες, καὶ ἔχοντες χρώμεθ' ἄν, *pila, quibus vel jaciendo, vel tenendo utamur.* Proinde eodem auctore *Hellen.* lib. 3. cum *Agesilai*, & *Tissaphernis* speculatores prope *Dascylium* oppidum sibi mutuo occurrissent, & ad manus ventum esset, quicunque ex *Græcis* hostes ferierunt, hastas suas obtriverunt, οἱ δὲ Πέρσαι, κράνεια παλτὰ ἔχοντες, ταχὺ δώδεκα μὲν ἱππεῖς, δύο δ' ἵππους ἀπέκτειναν. *Persæ autem, qui cornea pila habebant, statim equites duodecim, & duos equos confecerunt.* Et *Arrianus* lib. 1. in *Alexandri* prælio cum *Persis* ad *Granicum*, παλτοῖς ἀπὸ μὲν τῶν Περσῶν πολλὰ ἀφιεῖσι, οἱ Μακεδόνες δὲ σὺν τοῖς δόρασιν ἐμάχοντο. *Persæ quidem pila confertim mittebant, sed Macedones hastis confligebant.* Et ex eodem *Suidas*, Ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ ἔχων παλτὸν ὡς ἑξάπηχυ, ἔμπροσθεν μὲν λόγχην ἔχον, ὄπισθεν δὲ αὐτὸ τοῦ ξύλου (lege τὸ ξύλον) σφαιροειδές. *In dextra autem pilum habens sex ferè cubitorum, in cujus anteriore parte lancea erat,* (seu *cuspis ferrea*) *in postersore autem lignum globosum.* Unde colligere est quid propriè sit τὸ παλτὸν, seu, quod idem est, *sibyna*, & כידון *chidon.* Παλτὸν dici putatur ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *à vibrando.* At *Hebraicè* כידון *chidon*, est *telum exitiale.* Nempe כיד chid, *cladem* sonat, *exitium, contritionem.* Job. 21. v. 20. *Videbunt oculi ejus* כידו (chido) *cladem suam.* Sed & כידון *chidon*, id ipsum esse conjectat *R. Selomo*, & aream *Nachon*, in qua *Uzam* lethaliter percussit Deus, eò quod arcam attigerat, 2. *Sam.* 6. v. 6. 7. ob eum ipsum casum vocari גורן כידון *aream Chidon*, 1. *Paral.* 13. v. 9. quasi *aream cladis*, atque *exitii* esse dixeris. Porro ut à *clade, & pernicie* כידון vocatur *telum*, quod descripsimus; ita *gladius* חרב vocatur *a vastando*, *sagitta* חץ *ab exscindendo*, *balista* מחי *à delendo*, & *Chald.* פגרה, vel פגוש potius, *à diffringendo*: id enim est *Arabicè* فجش.

Obiter docendum, cur eadem *Jeremiæ* verba, quæ *Græci* cap. 6. rectè reddiderant, Τόξον, καὶ ζιβύνην κρατήσουσιν, *Arcum, & zibynam tenebunt*, cap. 50. ita exponant, Τόξον, καὶ ἐγχειρίδιον ἔχοντες, *Arcum, & sicam habentes*; ac si *chidon* ibi sit *sica.* Inter arma *Persarum*, de quibus ibi res est, fuêre etiam ἐγχειρίδια, *sicæ. Herodotus* lib. 7. ubi supra, Αἰχμὰς δὲ βραχείας εἶχον, τόξα δὲ μεγάλα, ὀϊστοὺς δὲ καλαμίνους, πρὸς δὲ ἐγχειρίδια παρὰ τὸν δεξιὸν μηρὸν παραιωρευμένα ἐκ τῆς ζώνης. *Hastas breves habebant, & magnos arcus, & sagittas arundineas, & sicas insuper ad dextrum femur è zona suspensas. Acinaces* vocabant. *Pollux* (u) Ἀκινάκης, Περσικόν ξιφίδιόν τι τῷ μηρῷ προσηρτημένον *Acinaces*, Persicus *gladius è femore appensus. Oecumenius* in *Acta* cap. 32. qui nobis est 21. Σικάριοι δὲ λέγονται λῃσταὶ ξιφιδίοις χρώμενοι παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις. *Sicarii dicuntur latrones, qui gladiolis utuntur, ejusdem ferè magnitudinis, cujus* Persarum *acinaces.* Quæ sumpta sunt ex *Josepho Antiq.* lib. 20. cap. 7. *Acinaces* erat *Persicum* خنجر *chinger.* Ita barbaram vocem *Græci* emolliverunt. Saltem *Arabibus* hodieque الخنجر *alchingér* est *sica.* Hos *Persarum acinaces* significant *Græci* interpretes *Jer.* 50, 42. ubi *Persas* describunt tanquam τόξον, καὶ ἐγχειρίδιον ἔχοντας. Sed *Hebræa* vox *chidon* potius *zibynam* sonat,

u) Lib. 1. cap. 10. sect. 7.

sonat, quomodo rectè reddunt *Jerem.* 6. v. 23. *Josue* signum non dedit iis, qui in valle latebant, simplici pugione, sed hastili sursum elato. Nec pugionem *Goliath*, sed hastile ferebat suspensum inter humeros. Nec vibratur pugio, quomodo *chidon* Job. 41. Id longioris teli proprium est, qualis est hasta, aut hastile.

Jam, ut è diverticulo redeamus in viam, quod equos, nempe bellicos, armorum strepitu, aut fulgore terreri negat Sacer Scriptor, & experientiâ notum est, & multorum veterum testimonio comprobatum. Ita *Oppianus* jam nos docuit illos intrepidè

Ὅπλοις ἀντιάαν, πυκινήν ῥῆξαί τε φάλαγγα,
Occursare armis, densosq́ irrumpere in hostes.

Ejusdem de equo ista sunt maximè ad rem,

Ἢ πῶς ἀνασχέσθαι ἀσκαρδαμύκτοισιν ὀπωπαῖς
Αἰζηοῖσι λόχον πεπυκασμένον ὁπλιτῆσι,
Καὶ χαλκὸν σμαραγεῦντα, καὶ ἀστράπτοντα σίδηρον;
Qui fit, ut intrepidas acies nunquamq́ retortis
Luminibus videat densatas milite multo,
Nec timeat fulgorem æris, ferriq́ coruscı?

x) L. 3. Georg. Sed (x) *Poëta* hoc solum,

Nec vanos horret strepitus. - - - -

y) Lib. 7. c. 28. Et *Columella* (y) nobilis equi notas recensens, *Si hilaris, si intrepidus, neq́ aspectu novæ rei terretur.* Itaque moris olim erat equos *κωδωνίζειν*, id est, *τῷ τῶν κώδωνος ψόφῳ*, *tintinnabuli sono* explorare, an strepitus bellicos ferre possent. Unde est, quod *κωδωνίζειν*, & *διακωδωνίζειν*, in genere *probare*, & *explorare* est. Hinc ad verbum *κωδωνίσω*, quo utitur *Aristophanes* in *Ranis*, ita habet *Scholiastes*, *Τὸ δὲ κωδωνίσω, ὅτι τινὰ τῶν ὀρνέων δοκιμάζεται τῷ τοῦ κώδωνος ψόφῳ· καὶ τοὺς ἵππους οὕτω ἐδοκίμαζον εἰ ψοφοδεεῖς εἶεν, ἢ εἰ θόρυβον ὑπομένειν δύνανται, μή πως ἐν πολέμῳ εἰς κίνδυνον ὑπ' αὐτῶν ἔλθωσιν.* Et *Etymologus*, explicans verbum *διακωδωνίσαντες*, quo pro *διαπειράσαντες*, *periculum facientes*, alicubi utitur *Lysias*; *Ἀπὸ τῶν ἵππων μετήνεκται· εἰώθασι γὰρ οὕτω δοκιμάζειν τοὺς πολεμικοὺς ἵππους. οἱ μὴ καταπλήσσονται τὸν ἐν τῷ πολέμῳ θόρυβον, τοὺς κώδωνας ψοφοῦντες.* Quamvis equi plerique non sint naturâ tales, sed curâ, & institutione fiant. Hinc *Poëta*, ubi de equo ad bellum instituendo,

Primus equi labor est, animos, atq́ arma videre
Bellantûm, lituosq́ pati, tractuq́ gementem
Ferre rotam, & stabulis frænos audire sonantes.

Philostratus lib. 2. cap. 5. *Μὴ ἐὰν ἐκπλήττεσθαι τὸν ἵππον, ὅτε δουπήσειεν ἀσπὶς, ἢ ἀστράψειαν αἱ κόρυθες, καὶ παιανιζόντων τε, καὶ ἀλαλαζόντων βοὴ γένοιτο·* *Ne permittat* (qui equum instituit) *ut percellatur cum sonat clypeus, aut galea fulgent, aut Pæana canentium, aut ululantium fit clamor.* Ælianus, *Hist.* lib. 16. cap. 25. *Οἱ Πέρσαι, ἵνα μὴ ὦσιν αὐτοῖς οἱ ἵπποι καταπλῆγες, ψόφοις αὐτοὺς καὶ ἤχοις χαλκοῖς προσεθίζουσιν, καὶ κωμῳδοῦσιν* (lege *κωδωνοῦσι*) *ὡς μήποτε ἐκ τοῦ πολέμου δείσωσι τοὺς τῶν πανοπλιῶν ἀραβους, καὶ τῶν ξιφῶν τὸν πρὸς τὰς ἀσπίδας δοῦπον·* Persæ, *ne timidos habeant equos, eos ad æris sonitum & strepitum assuefaciunt, tintinnabula pulsant, ne armorum in bello fremitum, & gladiorum ad clypeos resonantium crepitum extimescant.* Gregorius Nazianzenus *Epist.* 242. *Οἱ πωλοδάμναι τοὺς πώλους γυμνάζουσι πρὸς τὰ χρώματα, καὶ τοὺς φόβους* (lege *ψόφους*) *οὐχ ἵνα πτοήσωσιν, ἀλλ' ἵνα μὴ πτοεῖσθαι διδάξωσι·* *Equorum domitores pullos equinos exercent ad colores, & strepitus, non ut expavescant, sed ut non expavescere discant.* Et *Epist.* 213. *Μὴ ταὐτὰ πάσχωμεν τοῖς πώλοις· οἱ τῷ μὴ συνειθίσθαι τὰς πληγὰς, καὶ τοὺς ψόφους ἐξαγριαίνοντες, τοὺς ἐπιβάτας ἑαυτῶν καταβάλλουσιν·* *Ne eadem patiamur, quæ equini pulli, qui, quod terroribus assuefacti non sint, ad quosvis strepitus efferati, sessores suos dejiciunt.* Sic apud *Statium* lib. 9. Parthenopæum

Nescius armorum, & primas tunc passus habenas
Venator raptabat equus. - - - - -

Proinde in ipsa pugna

- - - - - - - *ferri lumine diro*
Turbatus sonipes sese, dominumq́ retorsit
In latus, atq́ avidam transmisit devius hastam.

Et in *Philostrati* Heroicis *Ajax*, *βαίνων σοβαρὸν μετὰ τῆς αἰχμῆς, πρὸς τὴν ἀσπίδα ἐδούπησε, ταραχῆς ἕνεκα τῶν ἵππων· οἱ δὲ ἵπποι ἔκφρονές τε αὐτίκα ἐγένοντο, καὶ ὀρθοὶ ἀνεσκίρτησαν*, *superbè cum hasta incedens, strepitum ad perturbandos equos clypeo edidit: equi autem amentes repentè facti sunt, & erecti resultârunt.* In *Olympicis* ludis *Taraxippum* quendam Deum sacrificiis placabant, ne hujusmodi terrores equis stadium decursuris immitteret. *Pausanias* in *Eliacis* posterioribus, *Ad eam aram Deus colitur, quem* Taraxippum *ab incutiendo equis pavore nuncupant: solent enim injecto terrore circa aram hanc equi tam vehementer consternari, ut, incertum unde coortâ trepidatione, sæpe illisis cruribus affligantur auriga. Quo igitur æquo, & propitio utantur* Taraxippo, *ad eam aram auriga vota nuncupant.* Ibi nempe sepultus creditur quidam *Ischenus* Gigas, qui ad famem sedandam oraculi jussu immolatus est. *Lycophron* versu 42.

Κρόνου παρ' αἰπὺν ὄχθον, ἔνθα γηγενὴς
Ἵππων ταρακτὴς ὄσιν Ἰσχένου τάφος·

Ad Saturni *celsum clivum, ubi terrigenæ* Ischeni *tumulus est equos perturbans.* Ubi *Scholiastes*, *Λέγουσι δὲ αὐτὸν Ταράξιππον, ἐπειδὴ ἐκεῖ ταράσσει, καὶ θορυβεῖ τοὺς ἵππους ἀγωνιζομένους·* *Eum* Taraxippum *vocant; quia decertantes equos perturbat, & percellit.* Alii hunc *Taraxippum Myrtili* patrem, aut filium esse volunt: Itaque apud *Photium Ptolemæus Hephæstion* inter cætera egisse legitur *περὶ τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ Ταραξίππου τοῦ Μυρτίλλου πατρὸς, καὶ παιδὸς*, lege *τοῦ Μυρτίλου πατρὸς, ἢ παιδός·* Alii *Myrtilum* ipsum, cui *Pelops* cenotaphium ibi erexerit, ut à se perempto parentaret, & in mare conjecto, eò quod ejus dolo *Oenomai* equæ consternatæ fuissent. Alii ab *Oenomao* hos terrores equis, & aurigis, immissos fuisse volunt. Alii denique *Pelopem* tradunt aliquid ab *Amphione* acceptum eo in loco defodisse, cujus arcanâ vi cum conterriti fuissent *Oenomai* equi, alii quoque equi postmodum eodem modo consternarentur. Alius quoque fuit in *Isthmo Taraxippus*, *Glaucus* scilicet *Sisyphi* filius, ab equabus discerptus in funebribus ludis, quos patri suo fecit *Acastus*. Et in *Nemea* pro Heroë *Taraxippo* rutilum fuit saxum in ipso curriculi flexu, cujus fulgore equi non aliter concitabantur, quam si objectis ignibus orta fuisset trepidatio. Quæ omnia in *Pausania*. Tamen in *Nemeæis* quoque ludis *Apollinem* fingit *Statius* (z) ut *Polynicis* equos turbaret, & sic dominum è curru dejiceret, spectrum quoddam illis objecisse, quod z) L. 6. Theb.

- - - - - - - *flavus* Arion
Ut vidit, saliêre jubæ, atq́ erectus in armos
Stat, sociumq́ jugi, comitesq́ utrimq́ laboris
Secum altè suspendit equos. Ruit ilicet exul
Aonius, nexusq́ diu per terga volutus
Exuit, abripitur longè moderamine liber
Currus, &c.

Ita Diis imputabant superstitiosi homines, quæ vel propriâ, vel equorum imperitiâ sibi acciderant.

Cum motione, & concussione sorbet terram) Hebr. ברעש ורגז יגמא ארץ, id est, terram movendo, & quatiendo, deglutit quasi, celeritate cursûs sui. Motionem enim, & concussionem hic intelligo, non quâ movetur equus, sed quâ movetur & quatitur terra sub equi currentis pedibus. Nempe רעש, & רגז, ut hoc loco simul juncta, ferè de motu terræ usurpantur, ut *Psal.* 77. v. 19. רגזה ותרעש הארץ *Concussa est, & se movit terra*; & *Esa.* 14. v. 16. הזה האיש מרגיז הארץ מרעיש ממלכות *Hic est vir, qui concutiebat terram, & commovebat regna.* Vel de motu cœli, & terræ; ut 2. *Sam.* 22. v. 8. *Es.* 13. v. 13. *Joel.* 2. v. 10. &c. Et equorum ungulas *terram quatere* etiam *Poëtæ* dicunt, *ut Ennius* lib. 6. *Annalium*,

Ex-

Explorant Numidæ, *totam quatit ungula terram.*

Et lib. 8.

Cum sequitur, summo sonitu quatit ungula terram.

Et lib. 17.

It eques, & plausu cava concutit ungula terram.

Virgilius lib. 8. *Æn.*

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campū.

Statius lib. 4. *Thebaidos.*

Tænariis hic celsus equis, *quam dispare cœtu*
Cyllarus *ignaro generárat* Castore *prolem,*
Quassat humum. - - - - - -

Sorbet humum) *Sorbet* Hebr. est גמא, de cujus verbi significatione hoc loco certant tam veteres, quam novi interpretes, &

- - - - - - - *adhuc sub judice lis est.*

Multi enim *fodere* reddunt; quia alludit *Chaldeum* גומא, *fovea.* Itaque, pro *vorat terram*, *Pagninus*, *Tigurini*, & *Junius* hic habent, *effodiet*, vel *fodit terram*; & *Munsterus*, *foveam facit in terra*; ut *Chaldeus*, qui his præivit, עָבִיד גומתא בארעא. Et *R. Selomo*, עושה גומות ברגליו, *fossas faciens pedibus suis.* At *Hieronymus*, *sorbet terram*; & *Symmachus*, ὡς καταπίνων, tanquam deglutiens. Et *Mercerus*, *Piscator*, *Drusius*, *Buxtorfius*, *Schindlerus*, absorbet. Quod sequuntur vernaculæ versiones pleræque omnes. Sed & eodem referendum, quod *Seniores* hîc habent, ἀφανιεῖ τὴν γῆν, *il fera disparoistre la terre*; quia quæ absorbemus è conspectu eximimus: Consequens pro Antecedente. Et *Syrus*, ܪܗܛ, *currit*; & *Arabi*, يعدوا, *currunt super terram*; quia, quod equus *terram sorbere* dicitur, pertinet ad cursûs pernicitatem. *Terram* enim *vorare* dicitur, כאילו מרוב קלותו ומהירותו ישתה הארץ *ac si summâ velocitate, & pernicitate suâ terram ebiberet.* Ita *Kimchius* in *Lexico.* Et *R. Levi* in hunc locum, ירוץ עד שיִראה כאילו הוא מגמא את הארץ ובולעה מחוזק המרוצה *Ita currit, ut videatur sorbere, & deglutire terram præ cursûs vehementia.* Quæ interpretatio tam vera est, quam prior commentitia, quidquid obtendat *Bootius*, qui magno molimine conatur hanc asserere. Etsi enim גמא *gama*, verbum sono alludat ad nomen גומא *guma*, quo *fossa* significatur; tamen *fodere* nusquam significat. Quin גמא *gama*, & גומא *guma*, sunt voces diversæ linguæ, notionis, & originis. Verbum גמא *gama*, merè *Hebraum* est; sed nomen גומא *guma*, merè *Chaldaum.* *Aleph* in גמא radicale est, sed in גומא servile, & pertinet ad formam nominis, sive radix sit גום *gum*, aut גמם *gamam*; quod ultimum puto verius, quia *Arabicè* جمة *giumma* est *lacuna*, & verbum جم *giamma*, de aquis; *in unum colligi.* At גמא *gama*, est *sorbere.* Extat in *Hiphil* Gen. 24. v. 17. ubi *Abrahæ* servus *Rebeccæ* dicit, הגמיאיני *Fac me sorbere*, vel *Da mihi sorbendum aliquantum aquæ ex hydria tua.* Etsi alibi non reperiatur in Sacris libris; tamen significatio certa est, cum quia sermonis series docet ita reddendum, tum quia servus ipse suamet verba repetens versu 43. pro הגמיאיני habet השקיני, *Fac me bibere*, vel *Da mihi bibendum.* Nugatur *R. Aquinas*, cum exponit הגמיאיני *Cibum injice in os meum*, tanquam ex sententia *R. Selomonis*; *quia*, inquit, עשו היה כל כך עיף ויגע שלא יכול למשוך ידו להאכיל עצמו Esau *erat ita fessus, & fatigatus, ut non posset manum extendere, ut cibaret seipsum.* Nugatur, inquam; quia *Esau* non dixit הגמיאיני, sed הלעיטני, *Gen.* 25. v. 30. quæ vox est diversissima, ad quam hæc nota pertinet. *Aleph*, & *Ajin* permutatis, *Chaldæi* pro גמא scribunt גמע. Sic *Job.* 39. v. 30. (al. 33.) in *Thargum*, ubi de aquila, אפרוחוהי גמעין דמא *Pulli ejus sorbent sanguinem.* Et *Talmudici*, Tractatûs *De Sabbatho* cap. 14. *Qui dolet dentibus*, לא יגמע בהן את החומץ *iis acetum non sorbebit.* Et in *Vaikra Rabba* Sect. 22. *Leviathan* גומרה אחת *unico haustu* sorbere dicitur quidquid colligit *Jordanes* mensibus duodecim. Sed & per *Aleph* scribi docent exemplis ex *Talmude* allatis *Buxtorfius* & *Bootius*; quibus liceat hoc addere ex *Talmudis Jerosolymitani* Tractatu שביעית in fine capitis secundi, כאילין עלי קולוקסיא שאסור לגמות בהם מים מפני שצבאין אוכלין אותן *Ut ista folia colocasiæ, quibus sorbere aquam non licet, quia capreæ illas decerpunt.* Nempe folia colocasiæ, seu, quod idem est, fabæ *Ægyptiæ*, ἐςὶ σφόδρα μεγάλα, ὥςε καὶ αὐτὶ ποτηρίων, καὶ τρυβλίων χρῆσθαι· ἔχει γὰρ τινα κοιλότητα ἐπιτηδείαν πρὸς τοῦτο· καὶ δὴ ἡ Ἀλεξάνδρεια μεςὴ τούτων ἐςὶ, κἀν τὰ ἐργαςήρια ὡς σκεύεσι χρωμένων. *Sunt valde magna, ita ut poculorum, & catinorum usum præbeant; nonnulla enim habent cavitatem ad id idoneam: Et verò* Alexandria *iis plena est, quibus pro vasis utuntur per officinas.* Ita *Strabo* lib. 17. A verbo גמא *gama*, fit גומא *gome*, pro *Ægyptia papyro*, quæ crescit in paludosis locis, & aquam semper imbibit: unde Job. 8. vers. 11. היגאה גמא בלא בצה *An crescet papyrus sine limo?* Et *Africanâ* voce *gumiæ* dicebantur gulosi, quasi גומאים gomeim, *sorbentes*, vel *sorbillones.* Festus, *Ingluvies à gula dicta: hinc & Ingluviosus, & Gluto, Gulo, Gumia*, &c. Nonnus, *Gumia* (ita *Scaliger*, in *Varronem*, pro *Genua*) *gulosi. Lucilius* lib. 30.

Illo quid fiat Lamia, & Pytho *oxyodentes,*
Quo z ... illa gumiæ, vetula, improba, inepta.

Et alibi,

- - *compellans gumias ex ordine nostros.*

Apulejus Apologiâ primâ, *Testimonium ex libello legi audisti gumiæ cujusdam, & desperati lurconis* Junii Crassi. Inde apud *Festum degumiare*, id est, *devorare, degustare*, perperam legunt *degunere.*

Cum asserta sit hactenus vera, & perpetua significatio verbi גמא *gama*; jam videndum, an ea possit huic *Jobi* loco competere: quod si semel obtineamus, quorsum altera illi verbo significatio assignabitur omnino nova, & non solùm *Hebræis*, sed & *Chaldæis*, *Syris*, *Arabibus*, *Æthiopibus* ignota prorsus, atque inaudita? Objicit Clar. *Bootius* non posse ferri, ut currens equus dicatur *sorbere terram*, & *Phrasin illam non modo esse Metaphoram Hyperbolicam, quâ appellatione* Piscator *eam excusat, sed insolentissimam, atq; immanem ἀκυρολογίαν, cujusmodi ex nullo sani styli Scriptore produci queat.* A quibus verbis, si quid in his video, abstinere præstitisset, ne in re non satis certa per eorum latus, qui hanc interpretationem asserunt, etiam Sacer Scriptor peteretur. Quod, utut ab ipsius animo maximè alienum, tamen vitare non potest, si hæc phrasis, quam rejicit, ut insolentissimam, atque immanem ἀκυρολογίαν, quâque nemo sani styli Scriptor utatur, reperiatur esse *Jobi* phrasis ipsissima. Verum enimvero phrasis illa non tam est insolens, quam *Bootius* credi voluit. *Arabes* enim, in quorum solo *Job* natus est, atque educatus, eâ hodieque utuntur. *Giggeius*, ex illorum *Lexicis*, لهم *Illud deglutivit*, تلهم & التهم *idem.* اللهم *cum quid deglutitur*, *cum quid citò voratur.* رجل لاهم & لهم *helluo*, *vorax.* لهوم & رجل ملهم *idem.* التهم ما في الضرع *ubera prorsus exhausit lactando.* Hæc de propria, & primaria significatione verbi *lahama*, ex quo alibi deduximus *Lamis* nomen, & *Lamiarum.* Jam sequitur Metaphorica: التهم الفرس الارض *Equus celer fuit, quasi terram vorans.* Nempe التهم الفرس الارض ad verbum sonat, *Equus voravit terram*, quæ est ipsissima *Jobi* phrasis. Hinc in *Golio*

لهم

لهام liham, & لهيم lahim, *velox, & acer equus, quasi deglutiens terram:* quod ille habet ex *Giauhari.* Neque hic loquendi modus tam est peculiaris *Arabibus*, ut non illius etiam alibi vestigia saltem occurrant. Quippe nos quoque phrasi vernacula equum expeditum dicimus *multum via comedere.* Et in *Nemesiano* de equis legas, quibus jam ætate provectis per sanguinis emissionem vires redintegrantur,

Mox sanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latumque fugâ consumere campum.

Et *Virgilius* lib. 3. *Georg.* equas ait

- - - *acri*
Carpere prata fugâ. - - -

Et *Statius* lib. 8. *Theb.* de equis utrimque ad pugnam properantibus,

- - *spatiis utrimque æqualibus acti*
Adventant, mediumque vident decrescere campum.

Quod imitatur celeberrimus *Poëta* nostras, cum de equo currente dicit,

Fait decroistre la plaine, & ne pouuant plus estre
Suiui de l'oeil, se perd dans la nue champestre.

Et *Silius* lib. 3.

- - - *campumque volatu*
Cum rapuêre, pedum frustra vestigia quæras.

Quæ quidem locutiones non sunt *Jobi* locutioni omni ex parte similes; tamen, quod nobis sufficit, hoc cum illa commune habent, quod, ut *Job terram* (id est, agrum decurrendum) ab equo *vorari*, aut *sorberi* dicit, quæ revera non sorbetur, sed à currentis conspectu ferè tam cito adimitur, quam si revera sorberetur unico haustu; ita *Poetæ*, quos citavimus, *campum consumi* ajunt, & *carpi*, & *rapi*, & *decrescere*, non quod revera id fiat; sed quia, si id fieret, vix eriperetur citius ex oculis intuentium.

Aliud objicit *Bootius*, "Sermonem hic esse de eo quo in prælium, atque in adversos hostes vadente, quod cursu fieri minimè solet, ac proinde intempestivam hic esse cursus mentionem: Quo nihil dici potuit à vero alienius: cum probare sit obvium, ex sexcentis exemplis maximorum etiam Ducum, nihil in bello esse frequentius, quam pugnas cursu aggredi. Ita, *Cyro Majore* in *Assyrios* dimicaturo, δρόμῳ τινὲς ἤρξαντο· συνεφείπετο δὲ καὶ πᾶσα ἡ φάλαγξ δρόμῳ· καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Κῦρος, ἐπιλαθόμενος τοῦ βάδην, δρόμῳ ἡγεῖτο· *Quidam* (Persarum) *cœperunt currere, quos universa phalanx cursim sequebatur: quin & ipse Cyrus, omisso lento gradu, cursim ferebatur.* Hæc *Xenophon* lib. 3. *Cyrop.* Et lib. 1. *Anabaseos* in prælio *Cyri Minoris* in fratrem *Artaxerxem*, primò pars quædam *Græca* phalangis, *Clearcho* Duce, ἤρξατο δρόμῳ θεῖν, *cursim ferri cœpit:* quo exemplo reliqui statim incitati, οἷον περ τῷ Ἐνυαλίῳ ἐλελίζουσι, καὶ πάντες δὲ ἔθεον, *tanquam* Marti Enyalio *canentes, pariter omnes currebant* Et lib. 4. *Carduchis* eos infestantibus, οἱ Ἕλληνες παιανίζοντες ὁρμήσαντες δρόμῳ ἐπ᾽ αὐτοὺς, Græci *Pæana canentes, cursim in eos irruerunt.* Rursus in eodem libro, Οἱ πελτασταὶ ἀνακραγόντες ἔθεον ἐπὶ τὸ στρατόπεδον, *Peltatæ clamantes currebant in* (Tiribazi) *castra.* Et, in *Colchos* dimicaturi, ἀνακραγόντες ἔθεον, *totis viribus currebant.* Lib. 5. *Mosynœci*, civili bello inter se divisi, in populares suos ἐκδραμόντες τρέπονται αὐτοὺς, *incurrentes eos in fugam vertunt:* &, *hostium expeditissimi*, καταστρέχοντες τοῖς λίθοις ἔβαλλον, *procurrentes lapidibus impetebant.* Libro sexto, cum in *Bithynia* pugnatum est in *Pharnabazum*, Græci *peltati cum clamore* ἔθεον ἐπὶ τοὺς πολεμίους, *in hostes incurrerunt.* Ita cum *Agesilaus Thebanos* aggressus est, & duo exercitus stadio solùm abessent, *Thebani* primi δρόμῳ ἐφέροντο, *cursim ad pugnam ferebantur*, & ἀντεξέδραμον ἀπὸ τῆς Ἀγησιλάου φάλαγγος, Agesilai *copiæ vicissim incurrebant*; ut *Xenophon* auctor est in vita *Agesilai.* In *Marathonio* prælio *magna currentibus in pugnam* (Græcis) *alacritas animorum fuit, adeò ut cum mille passus inter duas acies essent, citato cursu ante jactus sagittarum ad hostem venirent.* Ita *Justinus* lib. 2. *Herodotus* etiam, Δρόμῳ ἵεντο ἐς τοὺς βαρβάρους· *Cursu ibant in barbaros.* In prælio ad *Granicum*, lib. 1. Arriani, *cum intra teli jactum fuerunt, primi qui circa* Alexandrum *erant, & ipse Alexander, in dextro cornu constitutus*, δρόμῳ ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλλον, *cursu in flumen ferebantur, ut & invasionis celeritate* Persas *percellerent, & citius ad manum venientes parum a sagittariis læderentur.* Proinde, cum in *Pharsalica* pugna *Pompeius* suos in vestigio stantes jussisset hostium impetum sustinere, Καῖσαρ καὶ περὶ τοῦτο διαμαρτεῖν φησιν αὐτὸν, ἀγνοήσαντα τὴν μετὰ δρόμου καὶ φορᾶς ἐν ἀρχῇ γινομένην σύῤῥαξιν, ὡς ἔν τε τῇ πληγῇ βίαν προστίθησι, καὶ συνεκκαίει τὸν θυμὸν ἐκ πάντων ἀναῤῥιπιζόμενον· Cæsar *etiam in eo illum peccâsse dixit, ut qui nescierit invasionem, quæ cum cursu fit, atque initio est terribilis, cum ictibus vim addere, tum animum incendere ex omni parte excitatum.* Hæc *Plutarchus* ex *Cæsare*, cujus verba sunt lib. 3. *Civil.* Pompeius *suis prædixerat, ut* Cæsaris *impetum exciperent, neve se loco moverent, aciemque ejus distrahi paterentur. Idque admonitu* C. Triarii *fecisse dicebatur, ut primus excursus, visque militum infringeretur*, &c. *& duplicato cursu* Cæsaris *milites exanimarentur, & lassitudine conficerentur. Quod nobis quidem nulla ratione factum à* Pompeio *videtur. Propterea quod est quædam animi incitatio, atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ accenditur. Hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent.* Hinc apud *Cæsarem* milites ferè cursim in pugnam ruunt. Sic *Belli Gall.* lib. 1. *Nostri acriter in hostes, signo dato, impetum fecerunt; itaque hostes repentè celeriterque procurrerunt.* Et lib. 2. *Subito omnibus copiis provolàrunt*, &c. Item, *Incredibili celeritate ad flumen decurrerunt*, &c. *Eâdem autem celeritate adverso colle ad nostra castra contenderunt.* Et lib. 3. *Hostes ex omnibus partibus, signo dato, decurrere*, &c. Item, *Hac magno cursu contenderunt, ut quam minimum spatii ad se colligendos, armandosque*, Romanis *daretur.* Et lib. 5. *Quoties quæque cohors procurrerat, ab ea parte magnus hostium numerus cadebat.* Et lib. 6. Germani *equites eodem illo, quo venerant, cursu ab decumana porta in castra irrumpere conantur.* Et *Civil.* lib. 1. *Genus erat pugnæ militum illorum, ut magno impetu primo procurrerent.* Et lib. 2. *Concurrunt equites inter se.* Et lib. 3. *Primus ex dextro cornu procurrit.* Item, *Nostri milites, dato signo, cum infestis pilis procurrissent.* Item, *Renovato cursu pila miserunt.* Item, *Equites à sinistro* Pompeii *cornu, ut erat imperatum, universi procurrerunt.* Item, *Illi celeriter procurrerunt.* Item, *Tertiam aciem* Cæsar *procurrere jussit.* Et lib. 4. *In præliis quotidianis procurrentibus, & erumpentibus* Alexandrinis Et lib. 5. Numidæ *levis armaturæ cum equitibus procurrunt.* Item, *Dum equites rursus, concursu renovato, pedibus suis accurrerent.* Item, *Magno incursu cum omni equitatu, levique armatura*, Juba, Scipio, Labienus *in legionarios impetum fecerunt.* Item, *cum equis concitatis* Juliani *impetum fecissent.* Item Cæsar, *equo admisso, in hostem contra principes ire contendit.* Sed hæc frustra congerimus, cum ipsæ *concurrendi, incurrendi, occurrendi*, & *succurrendi* voces quod volumus apertè doceant. Neque enim acies *concurrisse* diceremus, aut hostes *incurrisse*, aut illis esse *occurrendum*, aut auxiliares copias commodum *succurrisse*, si aliena hic esset atque intempestiva *cursus* mentio. Nec aliunde natæ sunt hæ locutiones, quam ex eo, quod hostes solent mutuo incursu se provocare. Sic *Arabicè* عدا *currere*, & عدو *hostem* significat à *currendo* sic dictum, & عوادي vel عاديان *pedites*, vel *equites ad pugnam* pra-

procurrentes. Et اغار de equitibus est *in hostem incurrere:* qualis incursus غارة dicitur, & equitatus sic incurrens مغيرة. Proinde etiam in equis bellicis pernicitas requiritur, eamque illustribus verbis *Prophetæ* passim prædicant. Ita *Jerem.* 4, 13 ubi de Rege *Babylonis Jerosolymam* obsessuro, *Ecce! tanquam nubes ascendit, & turbinis instar est currus ejus. & equi ejus aquilis leviores.* Et de illo ipso *Hab.* 1, 8. *Leviores erunt pardis equi ejus.* Item, *Equites ejus, è longinquo venientes, involabunt, ut aquila celer ad escam.* Sed &, quod à *Jobo Bootius* debuisse fieri negat, equos ad prælium currentes quandoque describunt Sacri Scriptores: Ut *Joannes* Apoc. 9, 9. *Sonitus alarum ipsis est ut sonitus curruum, ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον, multis equis ad bellum currentibus,* id est, *ad prælium*, ut paulo ante versu 7. quomodo reddunt Interpretes ferè quotquot sunt. Et *Jerem.* 8, 6. *Unusquisque conversus est ad cursum suum, ut equus in prælium ruens. Ruens* Hebr. est שוטף, quod propriè dicitur de torrente, qui exundat, & præceps fertur: unde *Kimchius* in hunc locum לרוב המרוצה אמר שוטף שהוא כמו נחל שוטף במרוצתו במלחמה (Propheta de equo) *dicit* שוטף *propter impetum cursus ejus; quia est ut torrens exundans, cum currit ad prælium.* R. *Selomo Gallica* voce veteri reddit אישברי"ן esbridès, *quasi effrænes equos, vel habenis remissis.* Unde *Genevenses, Comme le cheval, qui se rue à bride avallée parmi la bataille.* Et *Deodatius, Qui court à toute bride dans la bataille.* Sed *Pagninus* in *Kimchio, Tanquam equus impetu irruens in prælium.* Et *Junius, Præceps ruens.* Quamvis multo ante *Hieronymus*, *Quasi equus impetu vadens in prælium.* Quomodo etiam *Syra* versio apud *Theodoretum*, sic ἵππος ὁρμῶν εἰς πόλεμον in qua tamen hodie legitur, ܐܝܟ ܣܘܣܝܐ ܕܪܕܐ ܒܩܪܒܐ quod à *Gabriele Maronita* redditum multò aliter, *Velut equus abiiciens* (hominem) *in prælio.* Nempe ܪܕܐ est *deducere*: sed &, quod *Gabrielem* videtur latuisse, ܪܕܐ est ὁρμᾶν, *cum impetu ruere, & festinare*, ut exposuit *Theodoretus.* Ita in *Bava Bathra* ut observatum à doctissimo *Buxtorfio*, אמר ליה לשמעיה נגד, *Dixit ipsi, servo suo scilicet, Festina.* Et in *Echa Rabba* cap. 1. אמר ליה נגד דנמטי לריתא *Dixit ipsi, Propera, ut assequamur comitatum.* נגד est pro ננגד, prima excisa. Extant hæc verba in paragrapho, cujus initium חד מן תנים אתא לירושלם *Aliquis è Thanis venit Jerosolymam.* Sed pro מן תנים legendum, ut in sequente, & sex præcedentibus, מאיתנים, id est, ἐξ ἐθνῶν, *ex gentibus.* Quod obiter moneo, quia Cl. *Buxtorfius* putavit איתנים, vel איתונים ἔθνος, esse urbem non procul *Hierosolymis.* Certè איתנים ἔθνος, non magis est urbs in illis paragraphis, quam כותאי in sequentibus, quibus initium, חד כותאי, *unus Cuthæorum*, sive *Samaritanorum.*

Ex iis, quæ dicta sunt, puto jam constare liquido nihil obstare quo minus hæc *Jobi* verba, ברעש ורגז יגמא ארץ commodè reddi possint, *Cum motione & concussione sorbet terram*; ut intelligantur de cursu equi, qui, cum impetu in prælium ruens, campum interjectum quatit, & vorat quasi, id est, pernicitate suâ tam rapidè decurrit, atque emetitur, ut devorâsse videatur, & uno haustu absorpsisse. At in altera expositione, *Jactatione, & agitatione sua fodit terram*, aut *facit foveam in terra*, multa sunt, quæ meritò desideres. Primò enim de equis jam dixerat *Job* יחפרו בעמק, *fodiunt in valle.* Itaque non video quorsum hic repeteretur equum *fodere terram.* Neque enim satisfacit *Bootii* responsio, *illic sermonem esse de scrobiculo, quem equus luxurians uno pede terram scalpendo efficere solet; hic de iis foveis, quas omnibus pedibus equi faciunt in terra, sua vestigia altius in ipsum imprimendo, dum pugnæ desiderio ardentes impatienter prælii signum expectant.* Nam vel equi saltu terram vult excavari, cum præ ardore solo insultat vel pedum singulorum irrequieto motu, cum non detur alius modus, quo equus terram fodiat. At de saltu tam actum fuerat, quam de motu singulorum pedum; ut sic licet verbis, quibus *moveri* dicitur equus *instar locustæ.* Proinde, quidquid sequaris, *Job* ea repetierit, quæ jam dixerat, si admittatur hæc versio. Præterea cum רעש, & רגז, simul juncta, ferè sumantur de motu terræ, aut cœli, ut ex allatis exemplis jam probatum est, verbis ברעש ורגז videtur significari potius terræ concussio sub equi pedibus trementis & gementis, quam equi agitatio, de qua jam actum fuerat. Maximè, cum ad equum hæc referri non possint, nisi affixum suppleas, ברעשו ורגזו, *agitatione sua, & jactatione sua.* Tertio cum גמא tam in Scriptura, quam in *Chaldæo* Paraphraste, & *Talmude*, & *Rabboth* (qui sunt libri *Judæorum* secundum Scripturam vetustissimi) nihil quidquam significet, quam *sorbere*, & *deglutire*; à certa, & recepta, & perpetua verbi significatione non discedendum est, ut huic altera substituatur, nova, & ignota prorsus, cujusque adeo ne unum quidem exemplum proferri potest, nec ex *Hebræo* sermone, nec ex linguis affinibus. Neque *Chaldæi Jobi* Paraphrastæ, qui unus est è novissimis, auctoritas tanta est, ut potuerit

Signatum præsente notâ procudere verbum,

atque illud *Judaica* civitate donare, annis fortasse mille, aut amplius, postquam *Hebræa* lingua desiit esse in usu, & post *Jobi* ævum plusquam bis mille. Quartò, fovea, seu scrobiculus verius, qui ab equo excavatur, non diceretur גומא *guma*, sed חפירה *chaphira*: neque enim גומא est *fossa* quævis, sed *lacuna*, vel *cisterna*, vel *sentina*, vel *ima putei pars, in qua aquæ colliguntur*, vel *quodvis aliud aquarum conceptaculum.* Proinde vocem בורות, id est, *cisternas*, R. *Selomo* exponit גומות 1. *Sam.* 13, 6. Quintò, in גומא *Vau Schurech* est loco *Kibbuts*, sequente *Daghes*, quomodo in גובא, & aliis, ut supra observatum. Itaque radix non est גאם sed גמם quod jam monuimus. Sextò, illud ipsum גמם, unde fit גומא, neque *Hebræum*, neque *Chaldæum*, aut *Syrum* est, sed *Arabicum.* Septimò, etiam *Arabicè* جم *gjamma* non est *fodere*, aut *excavare*, sed *abundare.* Et in *Alcamus*, الكثير من كل الجم *algiammo* est *copia rei cujusvis.* Sic جم المال *Multæ fuerunt opes.* جم ماوه *Illius aqua abundavit.* الجم vel الجمة من السيل *Aquæ abundantia*, item, *locus, in quo putei aqua cogitur, & in navi sentina.*

Neque consistit firmus, cum auditur tubæ sonus) Hebr. ולא יאמין, *& non credit*, ut plerique alii reddunt, quasi velit Sacer Scriptor equum bellicum ad tubæ clangorem ita affici, ut præ gaudio non credat tubam sonare. Ita *R. Selomo*, לא יאמין מרוב שמחה שהוא מתאוה למלחמה *Non credit præ gaudio, quia pugnæ est summè avidus.* Et *Aben Ezra* כל כך ישמח ללכת אל מקום המלחמה שלא יאמין כי קול השופר הוא אמת *Ita exultat, cum ad locum prælii ventum est, ut tubæ clangorem verum esse non credat.* Nempe quæ maximè exoptamus, ea, cum fiunt, verè fieri vix credimus: unde in hoc ipso libro, cap. 29. versu 24. *Si arridebam illis*, לא יאמינו *non credebant.* Et *Gen.* 45. v. 26. cum *Jacobo* filii narraverunt, filium *Josephum* adhuc esse in vivis, & toti Ægypto præesse, ויפג לבו כי לא האמין להם *defecit illi animus*, rei novitate perculsus, *quia non credebat illis. Apostoli* quoque, cum *Christum* viderunt redivivum, etiam post ipsius manus, & pedes contrectatos, aliquandiu fuère ἀπιστοῦντες

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *præ gaudio increduli*, Luc. 24, 41. *Petrus* etiam, cum per Angelum ex carcere liberatus est, *verum esse nesciebat, quod ab Angelo fiebat, sed visionem se videre putabat*, Act. 12, 9. Et *Israëlitæ*, cum redierunt ex captivitate *Babylonica*; erant כחלמים, *ut illi, qui somniant*, Psal. 126, 1. id est, videbantur sibi somniare, quia gaudium tam improvisum omnem superabat fidem. Quomodo, cum *Græcos liberos, immunes, suis legibus esse, Flamininus* per præconem pronunciavit, *Audita voce præconis* (inquit *Livius* lib. 33.) *majus gaudium fuit, quam quod universum homines caperent. Vix satis credere se quisque audisse. Alii alios intueri mirabundi, velut somnii vanam speciem, quod ad quemque pertineret, suarum aurium fidei minimum credentes, proximos interrogabant.* Et de *Juliano Ammianus* lib. 22. *Somnio enim propius videbatur, aduitum* (lege *vix adultum*) *adhuc juvenem, exiguo corpore, factis præstantem ingentibus, post cruentos exitus Regum, & gentium*, &c. Reliqua ibi vide.

Tamen, quia lætos eventus tum demum non credimus, cum sunt ex eorum numero, quæ raro accidunt, & in se aliquid *Νέμεσις* habent, qualis in bello haudquaquam est tubæ sonus, videtur simplicius, si *Jobi* verba, ולא יאמין כי קול שופר ita reddantur, *Et non consistit firmus, cum tubæ sonus* supple *auditur*. Quod sequuntur *Junius, Piscator, Bootius*, & in *Italica* versione *Deodatius*. Nempe יאמין in *Hiphil* videtur hic id ipsum esse, quod נאמן in *Niphal, consistet, firmus aut stabilis erit* Neque id est sine exemplo. Nam ejusdem libri cap. 15. versu 31. de impio dicitur אל־יאמן, *non stabilis erit, non firmus erit*. Et *Chaldæis Syrisque* מהימן non modò *fidelem*, sed & *stabilem* sonat, ut *Hebraicum* נאמן. Sic *Deut.* 28. *versu* 59. *plagæ* מהימנן *stabiles*, & *morbi* מהימנין *stabiles*, in *Onkelo, Jonathane*, & *Syro*, pro *Hebræis* נאמנות, & נאמנים. Et 1. *Sam.* 2. *vers.* 35 ܒܝܬܐ ܡܗܝܡܢܐ in *Syro* est *domus firma*, Hebr. בית נאמן. Ita hoc loco ולא יאמין reddi potest, *non firmus erit, non stabit, non consistet*. Et sensus erit, equum bellicum, audito classico, ita accendi, ut cohiberi non possit amplius, quo minus in pugnam ruat. Qua mente de *Tydeo* dixit *Æschylus* in Tragœdia *Septem ad Thebas*,

> Βοᾷ παρ' ὄχθαις ποταμίαις μάχης ἐρῶν,
> Ἵππος χαλινῶν δ' ὡς καταθμαίνων μένει,
> Ὅς τις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει μένων·

> *Amore pugnæ ad fluminis ripas boat,*
> *In fræna anhelans ut equus impetu ruit,*
> *Clangentis acrem vix sonum expectans tubæ.*

Et *Poeta* summus lib. 3. *Georg.*

> - - - *tum si qua sonum procul arma dedêre*
> *Stare loco nescit.* - - -

Et *Ovidius Metam.* lib. 3. Fabula ultimâ,

> *Ut fremit acer equus, cum bellicus ære canoro*
> *Signa dedit tubicen, pugnæque assumit amorem.*

Et *Silius* lib. 13. ubi de *Taurea*;

> *Intrepido altisonum tinnitu, & stare neganti*
> *Imperitans violenter equo.* - - -

Et *Valerius Flaccus Argonaut.* lib. 2.

> *Haud secus Æsonides, monitis accensus amaris,*
> *Quam bellator equus, longa quem frigida pace*
> *Terra juvat brevis, in lævos piger angitur orbes,*
> *Fræna tamen, dominumque velit, si Martius aures*
> *Clamor, & oblitis rursus fragor impleat armis.*

Contra, *Lucanus* lib. 4. cum *Curionis* equites labore confecti essent propter nocturnum iter, & prælium,

> - - - *non sonipes, motus clangore tubarum,*
> *Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frænos*
> *Ora terens, spargitque jubas, & surrigit aures,*
> *Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.*

His ita explicatis, duo *Jobi* hemistichia de more erunt ἀντίστοιχα, & quod in priore dictum fuerat verbis affirmantibus, *Cum motu & concussione sorbet terram*, nempe præcipiti cursu suo, in posteriore verbis negativis dicitur, *Et non consistit, audito classico.* Quale cap. 3. vers. 4. *Dies ille sit tenebrosus, nec illuceat ei splendor.* Et vers. 7. *Nox illa sit solitaria, neque veniat cantus in ea.* Hæc illustrant sequentia.

Ad tubæ clangorem *dicit Evax*) Hebr. בדי שופר *in tuba*, vel *ad tubam*: sed ibi שופר, *tuba*, est pro קול שופר, *sono*, vel *clangore tubæ*; quod ex præcedente versu repetendum est. Rectè igitur *Syrus*, ܒܩܠܐ ܕܩܪܢܐ *ad vocem tubæ*. Ita citat *Bootius* ex exemplari Manuscripto *Usserii* τοῦ μακαρίτου. Sed in edito tantum habetur ܒܩܠܐ, & in *Arabe* hoc sequuto بصوت *ad vocem*, vocabulo *tubæ* prorsus omisso. *Chaldæus* pro בדי שופר habet במסת שופרא, *in sufficientia tubæ*, acsi די hic *sufficientiam*, aut verò *copiam* sonet, quomodo *Es.* 40, 16. & passim. Quod sequuntur *Selomo, Aben Ezra, Arias, Mercerus, Genevenses*, alii. Sed די in בדי potius est syllabica adjectio, *ut Jerem.* 51, 58. Tale כדי, & מדי pro simplicibus כְּ, & מִן. *Evax* Hebr. est האח, quæ passim est insultantis Interjectio, ut *Psal.* 35, 21. 25. sed & dolentis, ut *Ezech.* 6, 11. & lætantis, ut *Es.* 44, 16. *Calefactus est, & dixit* האח חמותי *Evax, calefactus sum.* Ita hoc loco. Ex *Hebræo* האח vel אח, quomodo scribitur *Ezech.* 6, 11. *Syri* fecerunt ܐܘܚ, vel ܐܘܚܘ quod *Arabs* hic absurdè reddidit احييني *Vivifica me*, & *Gabriel, Serva me.* Et *Ezech.* 26, 2. *Quia dixit* Tyrus de Jerusalem, *Vivifica nos.* Imo, *Quia dixit Evax.* Ibi enim *Syrum* ܐܘܚ est pro *Hebræo* האח. Neque aliud hic ܐܘܚܘ Porrò *equus dicit Evax*, id est, gestit, & exultat, audito tubæ sono, quomodo homines, cum dicunt *Evax*. Metonymia est signi pro re significata. Quale est, quod in *Æthiopica* versione legitur *Jac.* 3, 3. equis fræna injici, ለመ: እሁ: ይበሉነ: *ut Oho dicant nobis*, vel *ut Etiam dicant nobis*, pro *Græcis* πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν, *ut nobis obsequantur.* Nam እሁ: oho, *Æthiopicè*, est affirmantis, vel assentientis, ut nobis *etiam, ita, maximè*. Sic *Matth.* 27, 20. እሁ: አበሉ: *Oho dixerunt*, id est, assensi sunt, Gr. ἔπεισαν. Quamvis eo loco ἔπεισαν non sit *assensi sunt*, sed *persuaserunt*. Et *Jac.* 3, 17. እሁ: በሃሊት: *Oho dicendo*, pro Gr. εὐπειθής, *tractabilis*, vel *docilis*, de sapientia cœlesti. Et *Jac.* 5, 6. እሁ: ኢይብሉክሙ: *Oho, non dicit vobis*, οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν, *non subjicitur vobis*; contra quam *Græce*, οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν *non resistit vobis*. Huic *oho* oppositum est እንብየ: *onbia*, id est, *non, nequaquam*; ut *Jac* 4, 7. እሁ: በሉ: ለእግዚአብሔር: እንብየ: በሉ: ለሰይጣን: Oho *dicite Domino*, & onbia *dicite Diabolo*, pro Gr. Ὑποτάγητε τῷ Θεῷ, ἀντίστητε τῷ διαβόλῳ, *Subditi estote Deo, resistite Diabolo.* Et *Matth.* 21, 29. ወአውሥአ: ወይቤ: እንብየ: *Et respondit, & dixit, Onbia*, id est, *nequaquam*, Gr οὐ θέλω. Et statim sequenti versu, *Et respondit, & dixit*, እሁ: እግዚእየ: *Oho, domine mi*, Gr. Ναὶ, κύριε. Itaque, ut in *Jacobi Æthiopica* versione equus *Æthiopum* phrasi legitur *Oho dicere*, vel *Etiam dicere*, cum fræno morigerum se præbet: sic *Hebræorum* phrasi in *Jobo* legitur dicere האח *heaoh*, seu *Evax*, cum, classico audito, gestit. qualis equus in *Polluce* dicitur ὑπὸ σάλπιγγος ἐξορμῶν, *ad tubam exiliens*, & in *Statio, ad lituos hilaris*. Verba sunt lib. 11. *Thebaidos*,

> - - *ad lituos hilarem, intrepidumque tubarum*
> *Prospiciebat equum* - - -

Quos versus cum scripsit *Statius*, videtur habuisse in animo hunc *Columellæ* locum de generosi equi notis, lib. 7. cap. 28. *Si hilaris, si intrepidus, neque aspectu novæ rei terretur.*

Et pugnam eminus præsagit) Hic utor *Plinii* verbo, qui de equis idem habet lib. 8. cap. 42. *Iidem præsagiunt pugnam.* Quæ vox valde affinis est *He-*

Vide Psal. 40, 16 & 70, 4 Ezech. 25, 3. & 26, 2 & 36, 2.

braa יריח *odoratur*, qua utitur Sacer Scriptor. Sagire *enim* (inquit *Tullius* lib. I. *De Divinat.*) *sentire acute est, ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt; & sagaces dicti canes.* Nempe, quia, odoris ductu, venatores ad ferarum cubilia perducunt. Etiam *odorandi* verbum potest hic adhiberi, cum *Cicero* in *Epist. ad Atticum* dixerit, *odorari quid futurum sit.* Itaque *pugnam odoratur*, id est, futuram præsagit. Neque ii rejiciendi, quibus hic *odorari* est *sentire.* In quo numero *Kimchius.* Is enim יריח sumit דרך ההרחבה כלומר ירגיש *latiore sensu, quasi dictum esset, Sentit.* Nempe *odorem* pro sensu in genere *Hebræi* passim usurpant; ut cum de arbore dicitur *Job.* 14. *vers.* 9. מריח מים יפרח *ex odore aquæ germinat*, duplici Tropo: nam & *odor* ibi pro *sensu*, & sensus arbori tribuitur κατα χρηστικῶς, cum sit proprium animalis. Ita *Jud.* 16, 9. *Ut frangitur filum stupeum*, בהריחו אש *cum odoratum est ignem*, id est, *cum sensit ignem.* Et *Dan.* 3, 27. וריח נור לא עדת בהון, *Et odor ignis non transivit in eos*, id est, *sensus ignis.* Et *Es.* 11, 3. ubi de *Christo*, והריחו ביראת יהוה, *Et odoratus ejus erit in timore Domini. Odoratus*, id est, *sensus*, *judicium.* Proinde sequitur, *Non secundum aspectum oculorum judicabit*, &c. Eo igitur sensu dici potuit equus *prælium odorari*, id est, *sentire*, vel *præsentiscere.*

Eminus) Hebr. מרחוק, *è longinquo*, supple vel *loco*, vel *tempore.* Nam ad utrumque refertur, ut *Gr.* πόρρωθεν, quamvis ad *locum* frequentius. Itaque ad locum referunt plerique interpretes: ut in his *Jobi*, *è longinquo pugnam præsagit*, sit idem, quod *procul* in his *Poetæ*,

— quum si qua sonum procul arma dedêre, &c.

Qui sensus cum sit aptissimus, non capio quorsum *Bootius* peccâsse velit eos omnes, qui sic interpretati sunt. Putat, si de *tempore* accipias, duo hemistichia melius cohæsura. Quod ipsum non video satis. Hæc enim optime cohærent, *Ad tubæ sonum dicit Evax, & eminus sentit pugnam:* id est, per locorum intervalla non stat, quo minus jam sentiat pugnam. quamvis res eodem recidat. Quamdiu enim distat locus, distat etiam tempus pugnæ. Itaque pugnam sentit ante tempus, quisquis illam sentit eminus.

Ex clamore Ducum, & jubilatione militum) Alii, *Prælium sentit eminus, & clamorem Ducum*, &c. Quod potest ferri: sed melius hæc cohærebunt, si Præpositio suppleatur, *Prælium sentit ex clamore*, &c. quod *Hebræi* sæpe faciunt. *Clamor* Hebr. est רעם, quod propriè *tonitru* sonat. Et Ducum tonitru vel est clamor edi solitus ante pugnam; vel armorum fragor, puta cum hastæ & clypei complodunter, vel Ducum cohortationes, eorum maxime, qui dicendo plus pollent, *Periclis* (a) puta, quem inter orandum dicebant βροντᾶν μὲν καὶ ἀστράπτειν, δεινὸν δὲ κεραυνὸν ἐν γλώσσῃ φέρειν, *tonare & fulgurare, & terribile fulmen in lingua gerere:* quod ad *Ciceronem* suum *Romani* transtulerunt. Sed clamorem potius intelligo, quo plus afficitur equus, quam ulla oratione; aut murmur aliud inconditum, quo Barbaris erat in more tam animum suis addere, quam hostibus incutere terrorem. Sic à *Germanis*, inquit *Tacitus*, *affectatur præcipuè asperitas soni, & fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intumescat. Romanorum* quoque ululatum maximè fuisse terribilem ex *Josepho* colligere est, qui *Jotapatenses* jussit πρὸς τὸ ἀλαλαγμὸν τῶν ταγμάτων ἐπιφράξαι τὰς ἀκοάς, ὡς μὴ καταπλαγεῖεν, *ad legionum ululatum aures obturare, ne metu percellerentur.* Et, apud *Plutarchum* in *Crasso*, *Parthi* neque cornibus, neque tubis ad pugnam sese excitant, ἀλλὰ ῥόπτρα βυρσοπαγῆ καὶ κοῖλα, περιτείναντες ἠχείοις χαλκοῖς, ἅμα πολλαχόθεν ἐπιδουποῦσι· τὰ δὲ φθέγγεται βύθιόν τι καὶ δεινόν, ὠρυγῇ θηριώδει καὶ τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον. *Sed clavas ex corio compactas, & concavas, sonoris æramentis circumtensas simul undique verberant: ea autem profundum & gravem sonum emittunt, ex rugitu ferarum & tonitrûs asperitate mistum.* Itaque רעם *tonitru* id dici poterat, utpote tonitruum æmulum: atque etiam Ducibus tribui, quia Ducum imperio pulsabantur illa ῥόπτρα. Denique *tonitru Ducum* vocari queat quodvis futuri prælii vocale signum; quia præcedit pugnam, ut tonitru est in nubibus ante fulminis ictum. Et hujusmodi Ducum signa etiam ab equis intelligi docent hæc *Oppiani* de equo lib. I. *Cyneg.*

Καὶ μαθεῖν εἰσάϊειν κρατερῶν συνθήματα λοχαγῶν,

Atque audire Ducum discit vocalia signa.

Sequitur תרועה, id est, ἀλάλαγμα, *barritus*, *ululatus*, *jubilatio*, sive Ducum, sive militum, qui vel ante pugnam, atque in ipsa pugna exultant, vel post victoriam adeptam. *Apollonius Argonaut.* lib. 2. versu 1079.

Οἵη δὲ κλαγγὴ δήιῳ πέλει ἐξ ὀρυμαγδοῦ
Ἀνδρῶν κινυμένων, ὁπότε ξυνίωσι φάλαγγες.

Qualisque clangor est ex bellico tumultu militum incitatorum, cum committuntur phalanges. Et fortasse תרועה id ipsum est, quod prius רעם; nisi quod hoc Ducibus tribuitur, quia sunt veluti præcentores: at תרועה est ululatus universi exercitus. Hunc militum ululatum etiam inter *Judæos* aliquid habuisse peculiare, colligere est ex *Exod.* 32, 17. 18. ubi *Josue*, cum *Mose* descendens ex monte *Sinai*, auditis populi cantibus coram vitulo exultantis, *Mosi* dixit, קול מלחמה במחנה: *Clamor bellicus est in castris.* Sed *Moses*, cum hos ipsos cantus auscultavisset attentius, servo regessit, *Non est hæc vox* ענות גבורה *canendi fortitudinem*, *neque hæc est vox* ענות חלושה *canendi debilitatem*, sed קול ענות *vocem canendi ego audio.* Ita habetur ad verbum. Sensus est, neque eum ululatum audiri quem victores, neque quem victi in pugna edunt, adeoque non esse bellicum ululatum sed clamorem, aut cantum quemvis alium. Codex *Samaritanus* in fine commatis pro קול ענות, *vocem canendi*, vel *canentium*, una literula inserta scripsit ΛΥΣΥΥ·ΣΥΡ *vocem peccatorum ego audio.* Et pridem notaverant *Græca Scholia* sic in *Samaritano* legi, φωνὴν ἁμαρτιῶν ἐγὼ ἀκούω. *Syrus* quoque, idem sequutus, habet ܩܠܐ ܕܚܛܗܐ *vocem peccati.* Sed & *Jobi* locum, in quo versamur, aliter atque aliter fuisse lectum suadent priscæ versiones: *Græci* nempe, qui hic habent σὺν ἅλματι καὶ κραυγῇ, legerunt עם, *cum*, pro רעם, *tonitru*; & ἅλματι reddiderunt, tanquam à *Chaldæo* שור, *saltare*: aut pro ἅλματι scripserant ψάλματι, vel ᾄσματι, quod esset שירים, non שרים. *Syrus* quoque nihilo melius legit רעש שרים בתרועה unde nata hæc versio, ܡܙܝܥ ܪ̈ܘܪܒܢܐ ܒܨܗܠܬܗ *Duces percellens hinnitu suo*, aut *jubilatione sua.* Nam ܨܗܠ etiam *jubilare* est, ut *Hebræum* הריע.

(a) *Plut. in Pericle.*

CAPUT NONUM.

De SOLOMONIS Equitatu, & locis, quæ ab Equorum præstantia laudant Sacri Scriptores.

Josephus Solomoni *tribuit equitum millia viginti, Scriptura solùm duodecim. Unde error* Josephi. Solomonis *currus mille quadringenti* 1. Reg. 10, 26. *quibus equi curules circiter quater mille. His igitur cur assignantur stabulorum quadraginta millia* 1. Reg. 4. v. 26. Resp. *Primo*, ארות *non sunt* stabula, *sed in* stabulis loculi *singulis equis destinati*,

destinati, quod probatur ex 2. Paral. 32. vers. 28. Quamvis Talmudici *pro stabulis usurpent. Secundo,* Solomonē *currus electos habuisse* M CCCC, *sed alios multo plures. Quare nihil in Scriptura. Et hunc curruum numerum fuisse multo maximum probatur ex Historiis. Tertio, Mendosi aliquando sunt curruum numeri, ut* 1. Sam. 13. v. 5. *&* 1 Paral. 19. v. 7. 18. *ita hoc loco, & pro* XL M. *legendum* IV M, *ut* 2. Par. 9. v. 25. *Quarto,* ארבעים *alibi* quadraginta, *hic solum* quatuor *sonat. Exempla hujusmodi. Quinto,* R. Levi *vult equos fuisse* XL M *in stabulis* IV M, *per decurias divisos: quod refellitur. Nugæ* Talmudicæ. *Currus, & equites à* Solomone *oppidatim dispersi.* Arabs *Interpres ridiculè binos solum equites in singulis oppidis censet. Fons erroris. Aliud ejusdem error. Pro* civitatibus curruum *cur scripserit* Hieronymus civitates munitas. *Curruum, & equitum oppida, quænam fuerint.* Gamala *cur, & à quo dicta sit* urbs equitum. Seniorum *duo errores: unus ex prava lectione, alter ex ambigua voce. Ordeum olim equorum pabulum.* Solomonis *equi ex Ægypto, & omnibus terris* 2. Par. 9. v. 28. *iis nimirum, unde in* Judæam *mercatoribus liber accessus. Scriptura agit* 1. *de equis ex* Thogarma, *id est*, Cappadocia, Ezech. 27. v. 14. *qui omnium nobilissimi. Horum elogia. Quot à* Persis *tributi nomine exacti.* Divina animalia *cur dicta, &* grex dominicus. Eutropio *cremium datum, quod hic sit ulius. Cur* Cappadocum *equos è vento nasci scripserit* Augustinus, *quod de* Hispanicis *alii tradunt.* Henetici *equi alii in* Paphlagonia, *alii circa* Adriam. *De iis* Euripidis *anachronismus. II.* Assyriorum *equi laudati à* Prophetis, 1. *ab ungula firmitate, unde equi* χαλκόποδες, *&* κρατερώνυχες, &c. *quibus oppositi* μαλακόποδες, *quod vitium* Hispanicis *fabi tribuunt.* 2 *A cursu, & impetu instar turbinis, unde* ἀελλόποδες, ventosi, *&c. & e vento concipi creduti.* 3. Volare *dicuntur, unde* alites, aëripedes *&c.* 4. *Ut aquila, quod de* Hispanicis Oppianus. 5. *Ut aquila, quæ properat ad escam, ut* Iliad. φ'. *Aquila impetus* ῥεῦμα *Pindaro.* 6. *Pardis conferuntur, quæ sunt* πηδητικὰ ζῶα. 7. *Acutiores lupis vespertinis, quod duobus modis explicatur. Equi* Assyriorum *in campo* Nisæo *nati, ubi equi maximi, validissimi, velocissimi, formosissimi, flavi, aut albi.* Nisa *unde dicta: &* Catastigona. Medicam *herbam ibi abundasse. Magi,* ostanæ, *&* istaguin. *Quot equorum myriades in campo* Nisæo. *Campus ille ubi fuerit.* Ragau *urbs unde appellata. Eadem* Europum, *&* Arsacia. *De locorum illorum situ sententiæ in speciem pugnantes conciliantur.* Hesychius *emendatus. Equi* Nisæis *similes in* Parthia, *&* Armenia. Gratius *emendatus.* Parthi *equorum gressus arte molliunt.* Susa *non dicitur* ab equis, *sed à* liliis. *III.* Jerem. 5. v. 8. [illegible] *juxta* Aben Ezram *equi* Tyrrheni, *qui quidem olim magni nominis; sed* Prophetæ *verba aliud sonant.* Chaldæus *emendatus. Equi* ἰλλοντες, *id est*, refractarii, *ut* Arabicè جرور. *Equites* Pharaonis *quot numero. De iis fauni Arabum. Currus, & equi* Selac 2. *Paralip.* 12. *v.* 3. *&* Neconis *Jerem.* 46. 4. 9. Ægyptus *juxta* Prophetas *olim equis fœcunda. Idem probatur ex* Homero, Diodoro, Xenagora, Plutarcho, *&c. Tamen Ægyptii equi iis ignoti, qui de animalibus scripserunt; quia equos alendi studium tandem apud Ægyptios refrixit, postquam à* Persis, *&* Macedonibus *servili jugo pressi sunt, &* Ægyptus *propter ancilium copiam equitabilis esse desiit. Id à quibus, & quando factum. Tamen* Ptolemæo Philadelpho *numerosus fuit equitatus. Pluribus explicatur locus* 1. Reg. 10. v. 28. 29. *de equis ad* Solomonem *ex* Ægypto *adductis. Cur hunc locum interpretes minus intellexerint.* Coa, Ægypti *urbs quæ? Quid Aphelia?* מקוה tributum *sonat.* Pharaonis *triga, aut* τεισάται Exod. 14. v. 7. *Regi per Legem prohibitum equos multiplicare* Deut. 17. v. 16. Judæi *quam hic rigidi. Causa hujus prohibitionis. Equo etiam alieno superbire nonnullos.* Platonis *fastus. Equis non fidendum,* Psal. 20, 8. *&c. Regis equi populo sæpe graves. Hinc fabula de* Diomedis *equis anthropophagis. Periculum, ne populus in* Ægyptum *reduceretur. In hanc Legem peccavit* Solomon. Desultorii *Græcè* ἀμφιπποι. *Scriptor* τακτικῶν *in* Suida, *&* Pollux, *emendati. Qui populi paribus equis pugnaverint. Currus, aut equus secundarius* Gen. 41. v. 43. *&* 2. Par. 35. v. 24. Solomon, *etsi equis abundaverit, non tamen iis fidit.*

SOlomonis equos *Josephus* ita describit *Antiq.* lib. 8. cap. 2. Ὑπῆρχον αὐτῷ δισμύριοι ἵπποι· ἦσαν δὲ οὗτοι πρός τε εὐμορφίαν, καὶ τάχος, ὡς μήτ' εὐπρεπεστέρους ἄλλους τούτοις συμβαλεῖν αὐτοῖς, μήτε ὠκυτέρους, ἀλλὰ καλλίστους τε πάντων ὁρᾶσθαι, καὶ ἀπαραμίλλητον αὐτῶν εἶναι τὴν ὀξύτητα. *Equorum habuit viginti millia, qui tam pulchritudinis, quam celeritatis ratione sic comparati erant, ut iis collati nulli alii aut formosiores essent, aut velociores: quin hi specie, & pernicitate supra omnes, sine controversia, eminebant.* Ibidem equites his insidentes magno verborum apparatu sic depinguntur, Ἐπεκόσμουν δ' αὐτοὺς καὶ οἱ ἀναβαίνοντες, νεότητι μὲν πρῶτον ἀνθοῦντες ἐπιτερπεστάτῃ, τὸ δ' ὕψος ὄντες περίοπτοι, καὶ πολὺ τῶν ἄλλων ὑπερέχοντες, μηκίστας μὲν καθειμένοι χαίτας, ἐνδεδυμένοι δὲ χιτῶνας τῆς Τυρίας πορφύρας, ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. *His autem decus addebant equites primum quidem jucundissima juventute florentes, deinde statura spectabiles, & supra reliquos multum eminentes, longissimis crinibus promissis, tunicas ex* Tyria *purpura induti, & auri ramenta quotidie capillis inspergentes, ita ut capita ipsis radiarent aureo fulgore ad Solem reflexo.* Nempe fuit id usu receptum ævo *Josephi*, & sequentibus. Ita *Verus* Imperator capiti legitur (a) auri ramenta inspersisse. Et *Commodus* (b) fuisse capillo semper fucato, & auri ramentis illuminato. Quamvis tantum in comis fulgorem illum à natura habuisse asserat (c) *Herodianus*, ut, cum in Sole ambularet, τοὺς μὲν οἴεσθαι ψῆγμα χρυσοῦ προσιόντι ἐπιπάττεσθαι, *quidam auri ramentis euntem conspergi putarent. Galienus* (d) quoque crinibus suis auri scobem aspersit. Itaque rem suorum temporum videtur *Josephus* ad *Solomonis* ætatem transtulisse. Utut sit, quam compti fuerint *Solomonis* equites Scriptura non dicit uspiam, contenta numerum definivisse. In quo ipso *Josephus* errat, cum viginti millia censet. Neque enim fuerunt supra duodecim millia, ut Historia Sacra diserte tradit in quatuor (e) diversis locis. Illum igitur peccasse reor, vel sola libidine res suæ gentis augendi in majus, vel *Hebraismi* ignoratione. Ex qua factum, ut [illegible] עשר אלף פרשים, pro *duodecim millibus equitum*, reddiderit *bis decies mille equites*, seu, quod idem est, *equitum myriadas duas*. Aut pro δισμύριοι ἵπποι legendum δισχίλιοι καὶ μύριοι ἵπποι: ut in eodem capite circa initia, *Solomoni sine jugalibus equis*, inquit, ἦσαν ἱππεῖς δισχίλιοι καὶ μύριοι, *equitum erant duodecim millia.*

a) In Capitolino.
b) In Lampridio.
c) Lib. 1.
d) In Trebellio.
e) 1. Reg. 4, 26. & 10, 26. 2. Par. 1, 14. & 9, 25.

Et hæc quidem satis clara sunt: sed de numero curruum *Solomonis* non levis est controversia; quia quæ de iis habet Scriptura videntur planè ἀσύστατα. Nempe 1. *Reg.* 10. *v.* 26. & 2. *Paral.* 1. *v.* 14. currus illi tribuuntur mille duntaxat & quadringenti. Atque id ipsum *Josephus* suffragio suo comprobans scribit illi quadringentos ex Regum & Principum donis accessisse

fisse, cum antea nonnisi mille haberet. Ἔπεμπον δὲ αὐτῷ ἵππους, καὶ ἅρματα, &c. ὥς τε τοῖς οὖσιν αὐτῷ πρότερον ἅρμασι, καὶ ἵπποις, ἐκ τῶν πεμπομένων προστεθῆναι τὸν τῶν ἁρμάτων ἀριθμὸν τετρακοσίοις περισσότερον· ἦν γὰρ αὐτῷ πρότερον χίλια· *Mittebant autem illi equos, & currus, &c. unde præter equos, & currus, quos prius habuit, ab illis, qui dono mittebantur, curruum numerus auctior quadringentis factus: illi autem mille erant prius.* Hos porro currus verisimile est partim fuisse bigas, partim trigas, aut quadrigas pro more illorum temporum. Et, si bigæ omnes fuissent, curules equos habuisset *Solomon* bis mille octingentos: si omnes quadrigæ, quinquies mille & sexcentos. Inter quæ extrema ferè medius est numerus quatuor millium. Curules igitur equi *Solomonis* parum fuerunt infra, aut supra hunc numerum. Quorsum igitur illis equis assignantur stabulorum quadraginta millia? 1. *Reg.* 4, 26. Solomoni *fuerunt*, inquit Sacer Scriptor, ארבעים אלף ארות סוסים למרכבו *quadraginta millia stabulorum equorum ad currus suos.* Unde etiam *Josephus*, Τοσοῦτον δὲ πλῆθος ἦν ἁρμάτων Σολομῶνι, ὡς τέσσαρας εἶναι μυριάδας φατνῶν τῶν ὑποζυγίων ἵππων· *Tanta curruum erat copia* Solomoni, *ut quatuor essent myriades* (id est, quadraginta millia) *præsepium equorum jugalium*. At, cùm in regiis ædibus præsepium & stabulorum sit multo minus, quàm equorum, quia in uno præsepi, aut stabulo, plures equos stabulare moris est; hic, contra, pro uno equo stabula sunt octo, vel decem: ac proinde inter hos numeros non videtur ulla servari proportio. Ut solvatur hic nodus, ajunt ארות hoc loco non esse *stabula*, vel *præsepia*, sed in *stabulis* aut *præsepibus loculos* singulis equis destinatos, quomodo appellat *Vegetius* lib. 1. cap. 56. *Patena*, inquit, *quæ appellatur* φάτνη *hoc est, alveus ad ordeum ministrandum, sit munda semper, ne sordes aliqua cibariis admisceantur, & noceant. Loculi præterea vel marmore, vel lapide, vel ligno facti, distinguendi sunt, ut singula jumenta ordeum suum nullo præripiente consumant. Nam sunt animalia ad edendum avidissima, quæ, cum celeriter propria devoraverint, partem consortis invadunt. Alia vero naturali fastidio tardius comedunt, &, nisi separatim acceperint, vicinis rapientibus macrescunt.* Atque id puto verissimum, nempe à verbo ארה quod *carpere* est, ארות propriè esse *loculos in stabulis distinctos*, ex quibus singula jumenta carpunt pabulum sibi destinatum. Unde est, quod 2. *Paral.* 32. v. 28. Rex *Ezechias* struxisse legitur ארות לכל בהמה ובהמה *loculos omni jumento & jumento*, id est, singulis jumentis, vel unicuique jumento: ita enim reddenda est *Hebræa* phrasis. Sic *Esther* 9. v. 21. בכל שנה ושנה, *In omni anno & anno*, id est, singulis annis. Et ibidem v. 28. בכל דור ודור *In omni ætate & ætate*, id est, singulis ætatibus, vel unaquaque ætate. Scio *Talmudicos* ארות interpretari אצטבלאות, *stabula*, in *Gemara*, Tractat. *Sanhedrin* cap. 2. sect. 10. & sic sumi in *Paraphrastis*, ut cum *Assuerus Hamani* dicit *Esth.* 6, 10. in secundo *Tharg.* זפוק לאוריא דמלכא ודבר מתמן סוסיא דמלכא דקאים ברישיה דאוריא Quæ necessario sic vertenda, *Ito ad stabulum Regis, & inde sume Regis equum, qui stat in principio* (id est, in ingressu) *stabuli*. At jam non quæro quomodo hâc voce *Paraphrastæ* abutantur, sed quæ illius sit propria, & primaria significatio in *Hebræo* Scripturæ textu. In quo cum palam fecerimus ארות non tam esse *stabula*, quam *loculos in præsepibus* singulis equis proprios, non jam dicendum est *Solomonem* habuisse quadragies mille stabula, vel præsepia, sed quadragies mille loculos in stabulorum, aut præsepium, numero longè minori. At ne sic quidem res est confecta, quia quæretur iterum, quorsum curulibus equis circiter quater mille, ut probavimus, loculos habuerit in stabulis decuplo plures. Respondet *R. Levi* in 1. *Reg.* 10. v. 26. & cum sequuti multi nostrorum, in quibus locis *Solomoni* currus tribuuntur mille solùm & quadringenti, currus intelligi selectos, & præcipuos. Quæ distinctio petita est ex *Exod.* 14. v. 7. ubi *Pharao Israelitas* insequuturus, cepisse legitur sexcentos currus electos, & omnes currus *Ægypti*. Itaque *Pharaoni* fuerunt duo genera curruum; nempe selecti sexcenti currus, & promiscui alii, quorum numerus subticetur. Sic *Solomonem* asserunt, præter illos mille quadringentos currus, qui selectiores erant, alios habuisse magno numero, ac proinde etiam equos multò plures, quibus curulia, quæ diximus, stabula replerentur. Sed hæc illi de suo dicunt, nec præeunte Scripturâ, cujus verba sunt tam 1. *Reg.* 10. v. 26. quàm 2. *Paral.* 1. v. 14. *Collegit* Solomon *currus, & equites: & fuerunt ei mille & quadringenti currus, & equitum duodecim millia.* Quibus verbis qui sibi fingunt solùm currus electos recenseri, necesse habebunt idem dicere de equitibus, atque ut alios currus, ita etiam alios equites comminisci minus electos: quod non patiuntur loca 1. *Reg.* 4. v. 26 & 2. *Par.* 9. v. 25. ubi numerus semper est idem. Proinde ut equitum, ita curruum numerus debet omnino esse immotus, nec ulla ratione potest augeri. Neque verò parum id fuit, quod bellicos currus habuit *Solomon* mille, & quadringentos. In immensis exercitibus *Mithridates* (f) falcatos currus solum centum habuit, *Darius* (g) ducentos. *Antiochus Eupator* trecentos 2. *Macchab.* 13. v. 2. *Zera* etiam *Chusæo* fuère trecenti currus 2. *Par.* 14. v. 9. *Pharaoni* sexcenti electi *Exod.* 14. v. 7. id est, bellici, ut interpretor, cum sarcinarii essent reliqui. *Syris trans-Euphratensibus* septingenti 2. *Sam.* 10. v. 18. *Sisaræ* nongenti *Jud.* 4. v. 3. 13. non ter mille, ut perperam habet *Josephus Antiq.* lib. 5. c. 6. *Sobæorum* Regi *Adarezero* milleni 1. *Paral.* 18. v. 4. *Sesaco*, quem *Sesostrim* fuisse putant *Ægypti* Regem longè maximum, mille duceni 2. *Par.* 12. v. 3. Atq; his omnibus curruum numerus minor fuit quam *Solomonis*. Et, sicubi major fuit, audeo dicere loca esse de mendo suspecta, quod in numeris passim accidere nemo negaverit, qui non sit idem harum literarum planè rudis atque imperitus. Puta, cùm 1. *Sam.* 13. v. 5. censentur in castris *Philistæorum* curruum triginta millia, res omnino est παράδοξος. Itaq; pro triginta millibus *Syrus* Interpres habet ܬܠܬܐ ܐܠܦܝܢ ܡܪܟܒܬܐ, & *Arabs* ثلاثة الف مركب *tria millia curruum*, quomodo illos legisse par est in *Hebræis*, quibus usi sunt, exemplaribus, id est, שלשת אלפים, pro שלשים אלף, quod ipsum valde multum est. Sed in his tribus millibus fortasse plerique currus fuerunt sarcinarii. Et 1. *Paral.* 19. v. 7. ubi *Ammonitæ* præter *Maacæos* conduxisse leguntur שנים ושלשים אלף רכב, *triginta duo millia curruum*, *Syrus* habet ܬܠܬܝܢ ܘܬܪܝܢ ܐܠܦܝܢ ܦܪܫܐ *triginta duo millia equitum*, quia aliis vocalibus legit רַכָּב *racchab*, pro רֶכֶב *recheb*. Et utrumque sequutus *Arabs*, مراكب وفرسانا اثنينا وثلاثين الفا *curruum & equitum triginta duo millia.* Quod natum est ex gemina versione: quarum una ex רֶכֶב *recheb*; altera ex רַכָּב *racchab*, expressa. Et horum prius *currus*, posterius *equites* sonat. Sed 2. *Sam.* 10, 6. nec equitum est, nec curruum ulla mentio. Tantùm præter *Maacæos Ammonitæ* conducunt ex *Syris Bethrehob*, & *Soba*, viginti millia peditum, & ex *Istobæis* millia duodecim. Qui numeri simul collecti non curruum, sed virorum faciunt triginta duo millia. Et 1. *Paral.* 19. v. 18. pro septem millibus curruum legendum esse currus septingentos patet ex 2. *Sam.* 10. v. 18. Sed & in loco, in quo versamur, pro ארבעים אלף *quadragies mille*, leguntur solùm ארבעת אלפים, *quater mille* 2. Par. 9, 25. Atque id omnino quadrat, ut

f) Plut. in Lucullo.
g) Arrian. l. 3.

ut curulibus equis circiter quater mille, *Solomon* in præsepibus totidem loculos instruxerit. Itaque vel corrupti sunt numeri 1. *Reg.* 4. *v.* 26. & pro ארבעים אלף legendum, ut in *Paralipomenis*, ארבעת אלפים vel (ut contendit Cl. *Jacobus Cappellus*, affinis meus, ὁ μακαρίτης) ארבעים eo loco *quatuor* significat, non *quadraginta*, ut Singulare ארבע. Neque, si illi credimus, res est sine exemplo. Nam שמנים שנה, quibus terra quievisse legitur *Jud.* 3. *v.* 30. vult esse *annos octo*, non *octoginta*. Et in *Talmudico* Tractatu *Jebamoth* c. 4. fol. 48. ubi legitur תשעים יום ירח שלושים res ipsa clamat reddendum esse, *dies nonaginta sunt menses tres*, non *triginta*. Item in *Berescith Rabba* cap. 53. ejici legitur *Ismael* בן עשרים ושבע שנים, id est, *natus annos decem & septem*, non *viginti & septem*. Ejectus enim est *Ismael* cum *Sara Isaacum* ablactavit, quo tempore *Ismaël* annum agebat decimum sextum aut septimum. *R. Levi* conatur hæc aliter conciliare. Ait enim *Solomonem* curules equos quadragies mille habuisse in quater mille stabulis per decurias divisos: equos porrò censeri 1. *Reg.* 4. *v.* 26. & stabula 2. *Paral.* 9. *v.* 25. Sed legenti fit palam utrobique ארות censeri, id est, *stabula*, aut *loculos* potius. Et curribus mille quadringentis sic assignantur curulium equorum quadraginta millia: quod absurdum esse nemo non videt. *Talmudici*, de more ridiculi, duo hæc loca sic inter se conciliant in Tractatu *Sanhedrin* cap. 2. par. 10. in *Gemara*, ut vel ארות & *stabula* significare, & *præsepia*, & in uno loco doceri quot stabula *Solomon* habuerit, in altero quot præsepia in singulis stabulis. Verba sunt, אם ארבעים אלף אצטבלאות היו כל אחד ואחד היו בו ארבעת אלפים ארות ואם ארבעת אלפים אצטבלאות היו כל אחד ואחד היו בו ארבעים אלף ארות *Si quadraginta millia stabulorum fuerunt, tum in unoquoq; fuerunt quatuor millia præsepiorum. at, si fuerunt quatuor millia stabulorum, tum in unoquoq; stabulo præsepiorum fuerunt quadraginta millia.* Ex qua supputatione *Solomoni* fuerint curulium præsepiorum, & in his equorum centum & sexaginta milliones: quot equi vix censeantur in universo terrarum orbe. In *Græca* versione ארות, vel ארות סוסים, absurdè redditur θήλειαι. & τοκάδες ἵπποι, quasi הרות & הריות legerint, quod *fœtas* significaret.

Ne porro tot currus, & equites urbi regiæ essent oneri, horum partem per *Judææ* oppida distribuit *Solomon*. Hinc de equitibus dicitur ינחם (h) *deduci jussit eos*, vel ויניחם (i) *collocavit eos* partim *in urbibus curruum*, & partim *cum Rege Hierosolymis*. Quota pars, sive curruum, sive equitum, in urbe sit relicta, Scriptura nusquam docet: sed, si *Josepho* credimus, τῶν ἱππέων οἱ μὲν ἡμίσεις τῷ βασιλεῖ παρεδρεύοντες ἐν Ἱεροσολύμοις, *equitum dimidia pars* Hierosolymis *cum Rege commorabatur*. At τῶν ἁρμάτων περὶ αὐτὸν ἐτήρησεν ὀλίγα, *prope se servavit curruum paucos*. Quod de equitibus habet *Arabs* 2. *Par.* 1. *v.* 14. اقامهم علي الضياع اثنين اثنين *Eos per oppida binos Solomon collocavit*, futile est, & perabsurdum. Sic enim equitum millia duodecim distribuenda fuissent in oppidorum sex millia; id est, longè plura quam unquam fuerint sub ditione *Solomonis*. Et concisæ copiæ in tam minutas partes planè dissolverentur, nec maturè possent colligi, cum res ita postularet. Sed video fontem erroris. Cum eadem verba *Syrus* ita reddidisset, ܘܐܫܪܝ ܐܢܘܢ ܒܩܘܪܝܐ ܕܙܘܓܐ, *Et collocavit eos* πρὸς τὰ ζεύγη, *ad bigas in oppidis*; *Arabs*, qui versionem suam ex *Syra* expressit, illud ܠܙܘܓܐ, *ad bigas*, sic accepit, quasi significaret equites *per paria*, seu binos, oppidatim fuisse distributos, quia ܙܘܓ *zug*, *Syris* non solùm *bigam*, sed & *par* quodvis significat, ut *Græcum* ζεῦγος, ex quo deductum est. Idem, errore non absimili, 2. *Paral.* 8. *vers.* 6. ex *Syro* ܩܘܪܝܐ ܕܙܘܓܐ ܘܩܘܪܝܐ ܕܦܪܫܐ *oppida bigarum, & oppida equitum*, reddit, ضياع مزوجة وضياع مفرقة *oppida conjuncta, & oppida separata*; quia *Syris* ܙܘܓ (unde ܙܘܓܐ, *biga*) *conjungere* significat, & ܦܪܫ (unde ܦܪܫܐ, *eques*) *separare*. Quin oppida bigarū, seu curruum, & oppida equitum, oppida erant *Solomonis* curribus, & equis destinata. Unde *Josephus*, Τὰς δὲ πόλεις ταύτας ἁρμάτων προσηγόρευσε, *Has autem curruum urbes appellavit* Solomon: adde etiam *equitum*. Pro *urbibus curruum* 1. Reg. 10. v. 26. *Hieronymus* habet *civitates munitas*; quasi pro ערי הרכב legerit ערי הרכב, *civitates roboris*. Putaverit aliquis in his fuisse *Beth-mercaboth*, & *Hatsar-susa*, vel *Hatsar-susim*, vicina oppida in tribu *Simeonis*, *Jos.* 19. *v.* 5. & 1. *Par.* 4. *v.* 31. Quia illud *domum curruum*; hoc *equitatûs*, vel *equorum oppidum* sonat, ut *Græca*, *Harmatus*, *Harmaxitps*, & *Hippon*. Sed & *Gamala*, urbs prope *Carmelum*, alio nomine dicta est πόλις ἱππέων, *urbs equitum*. Quod tamen ad *Solomonis* curulia, & equestria oppida nihil attinet. *Gamala* enim id nomen obtigit multis sæculis post *Solomonem*, διὰ τὸ τοὺς ὑφ' Ἡρώδου τοῦ βασιλέως ἀπολυομένους ἱππεῖς ἐν αὐτῇ κατοικεῖν, *quia equites ab* Herode *Rege dimissi in ea diversabantur*. Ita *Josephus De bell.* lib. 3. cap. 2. Contra, *Beth-mercaboth*, & *Hatsar-susim* patet fuisse *Solomone* multo antiquiora; quia *Simeonitis* obtigerunt, tum cum à *Josua* sorte divisa est terra *Chanaan*. At oppida, per quæ currus suos, & equos dispersit *Solomon*, nova fuisse, & in id ipsum ab eo condita Scriptura disertè asserit 1. *Reg.* 9. *v.* 19. & 2. *Par.* 8. *v.* 6. in hæc oppida pabulum equis, quantum erat necesse, fuisse comportatum Sacer Scriptor his verbis docet 1. *Reg.* 4. *v.* 28. *Ordeum, & stramen, equis, & veredis ferebant, quocunq; locorum erant, unicuiq; demensum suum.* Septuaginta, Τὰς κριθὰς, καὶ τὸ ἄχυρον, τοῖς ἵπποις, καὶ τοῖς ἅρμασιν ἦρον. *Ordeum, & paleam equis ferebant, & curribus*: perabsurdè. Equis enim affertur pabulum, non curribus. Sed pro לרכש, *veredis*, legerunt לרכב, *curribus*. Nec meliora, quæ sequuntur: *Ordeum*, &c. *ferebant* εἰς τὸν τόπον, οὗ ἂν ᾖ ὁ βασιλεὺς, *in locum, in quo erat Rex*. Imo in locum, in quo erant equi; sive adesset Rex, aut abesset. Nam *Hebræa*, אל המקום אשר יהיה שם *in locum in quo erat*, non referuntur ad Regem, de quo in eo versu nullum verbum, sed ad proximum antecedens לרכש, *veredo*, quod Singulare nomen est pro Plurali. Sed error ille *Græcis* non est pecularis. Nam *Hieronymus* quoque, in eundem lapidem impingens, *Ordeum*, &c. *deferebant*, inquit, *in locum ubi erat Rex*. Et *Arabs*, الي الموضع الذي يكون فيه سليمان *in locum, in quo erat Solomon*. Et *Josephus*, Συγκομίζων εἰς ὃν ὁ βασιλεὺς διατρίβει τόπον, *Eum in locum convehens, in quo Rex diversabatur*. Interim vel ex hoc loco colligere est ordeum apud veteres equorum fuisse pabulum vulgatissimum. Sic in *Homero* (k) sæpissime describuntur equi κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι, *album ordeum comedentes*. Et in *Polluce* (l) τροφαὶ ἵππων κριθαὶ, *equorum pabulum est ordeum*. Et *Nemesianus* (m) in *Cynegetico*, ubi de cura equorum,

Ordea tum, paleasq; leves præbere memento.

Et in *Plauti Asinaria* servus herum adolescentem, quem per jocum inequitabat, sic alloquitur,

Demam

(h) 1. Reg. 10, 26.
(i) 2. Par. 1, 14 & 9, 25.
(k) Iliad. ε', 195 & θ', 560. Odyss. δ', 41.
(l) Lib. 1. cap. 11. § 2.
(m) Versu 193.

Demum hercle jam de ordeo, tolutim ut badizas.
Juvenalis item *Sat.* 8.
- - *infundet jumentis ordea lassis.*
Ut *Lucianus*, in *Lucio*, hospitis sui ancillæ dat κριθιδίων τιμὴν εἰς τὸν ἵππον, *ordei equo apponendi pretium.* Et rursus, Τοῖς κτήνεσι παρέβαλον κριθίδια, *jumentis hordeum objecerunt.* Proinde in asinum mutatus, ἡ γραῦς, inquit, ἐμοὶ, καὶ τῷ ἵππῳ κριθὰς παρέθηκεν, *anus mihi, & equo ordeum apposuit.* Itaque *cantherinum* à rusticis ordeum appellari testis est (n) *Columella*; quia cantherios, & alia animalia, quæ ruri sunt, melius pascit, quam triticum. Et κριθιῶντα, vel, ut *Pollux* (o) scribit, κριθιῶντα πῶλον vocat *Æschylus* (p) equum nimio ordei pastu lascivientem. Et κριθίας, vel κριθίασις, equi morbus est ex intempestivo ordei esu contractus: de quo multa *Absyrtus*, & *Hierocles* (q) in *Hippiatricis*, *Philosophus* (r) quoq; obiter inter equorum morbos. *Gaza* reddit *hordeationem*.

n) Lib. 2. c. 9.
o) Lib. 7. c. 5.
p) In Agam. versu 1637.
q) Lib. 1. c. 8.
r) Hist. lib. 8. cap. 24.

Jam si roges, unde tot equos sibi comparaverit *Solomon*, cum ante illum in *Judæa* vix ulli fuerint; respondebimus cum *Esdra* 2. *Paral.* 9. v. 28. *Educebant equos* Solomoni *ex Ægypto, & ex omnibus terris.* Iis scilicet, unde in *Judæam* mercatoribus liber erat accessus, quos fama tanti Principis, & summum in equos studium eò potuit allicere etiam ex locis remotissimis. Sed hæc equorum genera Scriptura maximè celebrat. Ad Septentrionem *Judææ*, *Thogarmæos*; ad Orientem *Assyrios*; ad Occasum *Italos*, si *Kimchio* creditur, & *Syro* Paraphrasti; & ad Meridiem *Ægyptios.* De *Thogarmæis* hæc *Ezechiel*, *Tyrum* compellans, cap. 27. v. 14. *De domo* Thogarmæ *equos, & equites, & mulos adduxerunt ad nundinas tuas.* *De domo Thogarma*, id est, è *Cappadocia*, ut multis probamus in nostro *Phaleg*, lib. 3. cap. 11. Nempe *Cappadocum* equorum summa semper fuit nobilitas.

Illis ampla satis lævi sunt æquora dorso,
Immodicumq; latus, parvæq; ingentibus alvi,
Ardua frons, auresq; agiles, capitisq; decoro
Altius honos, oculiq; vago splendore micantes,
Plurima se validos cervix resupinat in armos.
Fumant humentes calidâ de nare vapores.
Nec pes officium standi tenet, ungula terram
Crebra ferit, virtusq; artus animosa fatigat.

Ita illos describit *Nemesianus*. Et *Oppianus* de iisdem lib. 1. *Cynegeticῶν*,

Καρτερώτεροι δὲ φίλωσιν ὅσω μάλα γηράσκωσι,
Κείνους εἰς πόλεμον μεγαλήτορα θωρήσσοιο,
Αἴθωνας τ' ἐπὶ θῆρας· ἐπεὶ μάλα θαρσήεντες
Ὅπλοις ἀντιάαν, τυκτὴν ῥῆξαί τε φάλαγγα,
Θηρσί τ' ἐναλίοισιν ἐναντία δηριάασθαι.

Quæ nos ex parte, supra paulo pressius, sed *Bodinus* ita reddidit,

At virtus, animusq; virent ætate virili,
Nec nisi decrepito senio vis illa fatiscit.
Hos in sanguineis fulgentia prælia Martis.
Intrepidè armato inq; ferocia bella ferarum.
Haud equidem sævis terrentur ab hostibus unquam,
Quin acies nitidas rumpant, densasq; phalanges,
Immanesq; feras infracto pectore vincant.

Eosdem equos celebrant (s) *Dionysius Periegetes*, (t) *Solinus*, (u) *Claudianus* aliquoties, (x) *Isidorus*, (y) *Absyrtus*. Et ex *Strabone* (z) constat *Persas* ex *Cappadocibus* tributi nomine exegisse quotannis mille quingentos equos. Quin eorum nonnullos *Geographus* Anonymus sub *Constantio* (a) *divina* vocat *animalia*. Et lex *Theodosii* (b) *gregem dominicum*, quia *Cæsarum* usibus servabantur, nec eos factionibus dividere licebat, nisi permittentibus Imperatoribus. Unde illud *Capitolini* in *Gordianis* de *Gordiano* primo; *Cappadoces* equos *centum permittentibus Imperatoribus factionibus divisit.* Quocirca *Eutropio* crimini datum est, quod, Consul cum esset, *κτήμασιν ἀπηγορευμένοις*, *animalibus præter fas usus esset*, quibus nulli alii præter Imperatorem uti licebat. Atque ob id ipsum ab *Arcadio* capite mulctatus est, ut refert *Philostorgius* (c) vetus Scriptor, gente *Cappadox*. Sed hæc alibi citata, & explicata pluribus, nonnisi obiter hic attingimus, ne videamur actum agere. Tantùm, quod nos fugerat, *Gregorium* etiam *Nazianzenum* ab equorum fœcunditate *Cappadociam* suam laudâsse his verbis reperio *Orat.* 20. in *Basilium*, Τὸ ἡμέτερον ἔδαφος τοῦτο, οἱ σταιεῖς Καππαδόκαι, τὸ μηδὲν ἧττον κυρτοτρόφον, ἢ ἱπποτρόφον *Hoc meum solum, O venerandi* Cappadoces, *non minus juvenibus, quam bonis equis fœcundum.* Et, quod de *Hispania* tradunt veteres (d) (quamvis omnino fabulosè; ut à *Justino* (e) agnitum) in *Cappadocia* etiam scribit *Augustinus* (f) equas vento concipere. Sed viro Sancto *Solinus* imposuit, qui, in capite *De Cappadocia*, equabus id ipsum tribuit, suppresso loci nomine hoc miraculo celebrati.

s) Versu 973.
t) Cap. de Cappad.
u) In Ruffin. lib. 2. & in laudem Serenæ & in Equo Arcad.
x) Orig. lib. 14. cap. 3.
y) Cap. 115.
z) Lib. 11.
a) Cap. 21.
b) Lex 7. Cod. Theod. De grege dom.
c) Lib. 11. c. 8.
d) Varro, Rust. lib. 2. c. 1. Virg. lib. 3. Georg. Silius lib. 3. v. 381. Colum. lib. 7. cap. 26. Plin. lib. 4. cap. 22. & lib. 8. cap. 42.
e) Lib. 44.
f) De Civ. Dei lib. 21. c. 5.

Huc etiam referri posse videbitur, quod equi *Henetici* fuêre olim in pretio, quia *Homeri Heneti* sunt *Paphlagones* in ora *Cappadociæ.* *Phædra* in *Euripidis Hippolyto*, versu 230.

Εἴθε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις
Πώλους Ἐνετὰς δαμαζομένα·

Utinam essem in tuis campis Equas Henetas *domans.* Et Chorus, versu 1131. de *Hippolyto* jam fato functo,

Οὐκ ἔτι συζυγίαν
Πώλων Ἐνετᾶν ἐπιβάσῃ.

Non amplius jugum Equarum Henetarum *conscendes.* Ubi *Scholiastes*, Ἐνετᾶν, Παφλαγονικῶν· Ἐνετοὶ γὰρ ἔθνος Παφλαγονίας. Et *Stephanus*, λέγονται καὶ Ἐνετίδες ἵπποι nimirum ab *Henetis Paphlagoniæ*, de quibus ante egerat. At *Hesychius* aliter, Ἐνετίδας, πώλους στεφανηφόρους, ἀπὸ τῆς περὶ τὸν Ἀδρίαν Ἐνετίδος, ὅσα ἵπποι γὰρ ἐκεῖ· Henetidas, *equas coronatas, ab* Henetide, *quæ est circa* Adriam, (id est, *Venetia*) *ibi enim excellunt.* Quibus concinunt hæc *Strabonis* lib. 5. ubi de *Italiæ Venetis*, Διονύσιος, ὁ τῆς Σικελίας τύραννος, ἐντεῦθεν τὸ ἱπποτροφεῖον συνεστήσατο τῶν ἀθλητῶν ἵππων· ὥστε καὶ ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλησι γενέσθαι τῆς Ἐνετικῆς πωλείας, καὶ πολὺν χρόνον εὐδοκιμῆσαι τὸ γένος· Dionysius, Siciliæ *Tyrannus*, *inde equorum ad certamina educandorum armentum instituit: unde factum, ut apud* Græcos Veneticæ *equariæ fama innotuerit, atque inclaruerit id genus per longum tempus.* Proinde etiam *Euripidis Scholiastes* docet, Πώλους Ἐνετὰς equas esse eorum *Henetorum*, οἱ Παφλαγονίαν πρότερον οἰκοῦντες, ὕστερον ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν ᾤκησαν, *qui, cum* Paphlagoniam *prius tenuissent, in* Adriam *postea trajecerunt.* Et anachronismi *Poetam* accusat in eo, quod *Phædram*, *Thesei* uxorem, loquentem inducit de *Veneticis* equabus, quibus, multis post sæculis, primus omnium vicit quidam *Leo Lacedæmonius*, *Anticlidæ* pater; ut traditum est à *Palæmone.*

Sed & de *Assyriorum* equis *Prophetæ* quædam habent non temerè prætereunda. Sic *Esaias Judæam* ab *Assyrio* vastandam interminatus cap. 5. v. 28. *Ungulæ equorum ejus ut petra, & rotæ curruum ejus tui* [illegible] *instar.* Et Jerem. 4. v. 13. *Ecce! tanquam nubes ascendit, & ut turbo sunt currus ejus. Leviores sunt aquilis equi ejus.* Et Habac. 1. v. 8. *Leviores sunt pardis equi ejus, & acutiores lupis vespera. Et abundabunt equites ejus, & è longinquo venient, & volabunt ut aquila, quæ properat ad escam.* Quæ verba in his equis multa commendant; 1. *Ungulas firmas* כצר *ut petra*; *Græci*, Epitheto addito, ὡς στερεὰ πέτρα, *Chaldæus* itidem כשנרא תקיפא. Et *Arabs*, مثل الصخرة الصلبة *ut petra dura*: ne scilicet viæ asperitate, & longitudine atterantur. Equos hujusmodi *Homerus* χαλκόποδας appellat *Iliad.* Θ.

- ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω,

Currus adaptavit aripedes equos. Et *Odyss.* Φ'. κρατερώνυχας,

Ἵππους δ' αὐτὸς ἔχει κρατερώνυχας ἐν μεγάροισι.

Equos autem ille tenuit fortes-ungulis in domibus. Iidem *Absyrto* cap. 106. ὑπόποδας, & στερεόποδας, quibus opponit

opponit μαλακόποδας. Ibidem Theomnestus multa præscribit εἰς τὸ σκληρῦναι ὁπλὴν ad indurandam equorum ungulam. Et in Hippico Xenophon vult, ut in equo de his duobus maximè soliciti simus, περὶ τῆς ὁπλῆς ὅπως καρτεραὶ ἔσονται, καὶ περὶ τῶν στομάτων ὅπως μαλακὰ ἔσται, de ungula ut firma sit, & de ore ut sit tenerum. Proinde equos Hispanicos, postquam à forma commendavit Oppianus, in illis hoc desiderat, quod habent

Ὁπλὴν οὐ κρατερήν, πηλοτρόφον, εὐρυτένεδον,

Ungulam male-firmam, luti-alumnam, latam. Sed Scaliger contra contendit paucos equos meliore ungula fulciri, quam Hispanicos, totamque Hispaniam scrupeam, sabulosam, asperam, siticulosam esse: tantum abest, ut limo, lutove ungulæ corrumpantur. 2. Assyriorum equis ab Esaia, & Jeremia tribuitur impetus, qualis turbinis; quod idem est, ac si vocentur ἀελλόδες, & ἀελλόποδες, & ἀελλοδρόμοι, ut a Poëtis passim. Homerus Hymnicus, de Troe, Hymno in Venerem,

Γηθόσυνος δ' ἵπποισιν ἀελλοπόδεσσιν ὀχεῖτο,

Lætus vehebatur equis, quorum pedes erant instar turbinis. Simonides (g) carmine ἐπινικίῳ in Anaxilam Rheginorum Tyrannum, cum mulabus Olympia vicisset,

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων,

Salvete, equarum filia, quarum pedes turbinis in modum feruntur. Sophocles in Oedipo Tyranno, versu 475.

Ὥρα νιν ἀελλοπόδων ἵππων
Σθεναρώτερον φυγᾷ πόδα νωμᾶν.

Tempus nunc est in fuga pedem movere citiùs equis, qui feruntur instar turbinis. Alii ἀελλάδων legunt. Hesychius, Ἀελλάδων, ἵππων ταχέων. Sed fœdè (vide) ποδὶ τυχόντος. Malim ἀελλάδων, ut in Suida, Ἀελλάδες ἵπποι, αἱ ταχεῖαι· καὶ τὰ τε πραγμάτ. Baccylides in Prolegomenis in Pindarum, Ξανθότριχα μὲν Φερένικον Ἀλφεὸν παρ' εὐρυδίναν πῶλον ἀελλοδρόμαν, νικάσαντα, Flavipilum equum Pherenicum prope Alpheum latifluum, procellas cursu æquantem, victoriam consequutum. Archias Poeta in Epigr. Anthol. lib. 1. cap 32.

Ὁ πρὶν ἀελλοπόδων λάμψας πλέον αἰετὸς ἵππων,

Qui prius multum inclaruit, aquila equorum, qui pedes habent instar turbinis. Smyrnæus lib. 1. versu 610.

- - - συμπεπήγει ἀελλοπόδος δέμας ἵππου,

Simul transfixit equi corpus turbinis in modum velocis. Eodem pertinet, quod equi passim ventos æquare, aut anteire dicuntur. Sic in Apollonio Argonaut. lib. 4. Sol Æeta dat equos

- - - πνοιῇσιν ἐειδομένους ἀνέμοιο,

venti flatibus similes. Et apud Q. Calabrum lib. 8. Achillis equi

- - - ἶσον δ' ἀνέμοισι φέροντο,

ventorum instar feruntur. Ut in Homero Iliad. κ'. Rhesi equi sunt

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι,

nive candidiores, & cursu ventis similes. Quod imitatur Poeta summus Æn. lib. 12. ubi Turnus poscit equos,

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Cujusmodi equos ventosos vocant Ovidius lib. 4. Fast.

Primaque ventosis palma petetur equis.

Oppianus lib. 1. Cynegeticῶν,

Τόσσον Ἴβηρες ἔασι θοοὶ πόδας ἠνεμόεντες,

Adeò ventosis pedibus sunt celeres Iberi equi. Neque aliud sibi voluerunt, qui equas in Lusitania ex vento concipere primi finxerunt, quam equos ex iis nasci miræ pernicitatis: quod à Trogo est observatum. 3. Eosdem equos volare dicit Habacuc: Volabunt ut aquila, &c. Ita Homerus passim de equis,

- - - (h) Τὼ δ' οὐκ ἀέκοντε πετέσθην,

Illi verò non inviti volabant.

Et

- - - (i) Τὼ δ' ἐσσυμένω πετέσθην,

Illi vero properantes volabant.

Et Virgilius lib. 12. Æn.

Aligedumque fugam cursu tentavit equorum.

Et Ovidius lib. 3. Amorum Eleg. 11.

Victor Abantiades alite fertur equo.

4. Nec volare solùm dicit Habacuc, sed volare ut aquila, quæ, ut in hunc locum observat Kimchius, קל לעוף משאר עופות ועף בגובה האויר יותר מכלם וכן אמר כאשר ידאה הנשר reliquis avibus ad volatum levior est, & in aerem fertur sublimius omnibus illis: unde est, quod dicitur Deut. 28. v. 49. Sicut volat aquila. Itaque etiam Oppianus de Hispanicis equis lib. 1. Cynegeticῶν,

Κείνοισιν τάχα μῦθος ἐναντίον ἰσοφαρίζοι
Αἰετὸς, αἰθερίοισι διαθύνων πτερύγεσσιν·

His aquila audaci certaverit una volatu,
Quæ secat æthereas penitus pernicibus auras.

Et ab Archia supra velox equus vocatur αἰετὸς ἵππων, aquila equorum. 5. Quin volare addit Propheta ut aquila, quæ properat ad escam. Ut Homero, Iliad. φ'. describitur Achilles,

Αἰετοῦ οἴματ' ἔχων μέλανος τοῦ θηρητῆρος,

Impetum habens aquilæ nigræ properantis ad escam.

Et Statius de Tydeo dicit lib. 8. Thebaid.

- - - nec segnius ardens
Accurrit, niveo quam flammiger ales olori
Imminet, & magna trepidum circumligat umbra.

Nempe aquila magno impetu ruit in prædam. Xenophon lib. 2. Cyrop. Αἰετὸς δ' ἐπιφανεὶς αἴσιος, ὡς κατείδε τινὰ λαγὼ φεύγοντα, ἐπιφερόμενος ἔπαισέ τ' αὐτὸν, καὶ συναρπάσας ἐξῇρε. Dextra autem aquila involans, ut vidit leporem fugientem, irruens percussit illum, & correptum extulit. Hunc aquilæ impetum ῥόμβον appellat Pindarus Isthmia quarta, ubi Melissum dicit vulpis prudentiam imitari,

- - - αἰετοῦ ἅτ' ἀναπιτναμένα
Ῥόμβον ἴσχει, - - -

quæ aquila rhombum resupinata cohibet. Ut Olymp. 13. ἀκόντων ῥόμβον, telorum rhombum dixerat, quod Scholiastes δίνησιν, καὶ βολὴν, rotationem, & vibrationem exponit. 6. Pardis etiam idem equi conferuntur, quod quidem est animal velox. Proinde Oppianus lib. 3. Cynegeticῶν,

Παρδάλιές τε θοαί· - - -

Pantheræque veloces, &c. Et Lucanus lib. 6. celerem pardum dixit: ubi tamen saltu potius quam cursu pollere docet. Verba sunt,

- - - non segnior extulit illum
Saltus, & in medias jecit super arma catervas,
Quam per summa rapit celerem venabula pardum.

Et Plinius lib. 10. cap. 73. Insidunt in eadem Assyria pardi condensa arborum, occultatique earum ramis in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur. Et Damir pardum asserit esse بعيد الوثبة قريبا وثب اربعين ذراعا صعدا animal longinqui saltus, ita ut quadraginta cubitos in altum exiliat. (Ita unum exemplar: sed alterum omittit vocem صعدا in altum, quæ melior est lectio) Inde Martialis (k) volucrem vocat: & Aristophanis Scholiastes in Plutum ὁρμητικὸν ζῶον. Et Pollux lib. 5. cap. 15. Ἐπὶ τοῖς δ' ἂν ἔλαφον θεῖν, λαγὼν φεύγειν, σῦν καὶ κάπρον συῤῥῆξαι, λέοντα ἐφορμᾶν, πάρδαλιν πηδᾶν. Dices cervum currere, leporem fugere, suem & aprum irrumpere, leonem irruere, pardum insilire. Quo respicientes Græci verterunt, Ἐξαλοῦνται ὑπὲρ παρδάλεις οἱ ἵπποι αὐτῶν, Exilient supra pardos (id est, plus quam pardi) equi eorum. 7. Denique de his equis dicitur וחדו מזאבי ערב Et acutiores erunt lupis vesperæ, quod ad visum referri potest, quia Arab. حدّ acutum esse etiam de visu dicitur. Et lupum sub vesperam acutissimè

g) Apud Herod. De polit. & Arist. Rhetor. lib. 3. c. 2.

h) Iliad. ε'. 366, 768. θ'. 45. ν'. 530. &c.

i Iliad. ψ'. 506.

k) Spectac. Epigr. 15.

mè videre docent *Ælianus* & *Phile*. Unde *crepusculum* λυκόφως, & *Homero* ἀμφιλύκη νύξ, *Iliad.* η. Quamvis quomodo ad equum id pertineat non satis liquet: nisi quod ad illud *Virgilii* de equis,

Spadices glaucique, - - -

Servius habet, *Glauci sunt felineis oculis, id est, quodam splendore perfusis*. Quod explicans *Gesnerus*. *Nostri*, inquit, *appellant* glaloug, *id est, vitreis oculos, & noctu etiam videre putant.* Et *Damirius* de equo, ووصف بحدة البصر *Describitur etiam acutie visus.* Unde Proverbium apud *Arabes*, quod idem citat, ابصر من فرس *Oculatior equo*. Sed, quia res non satis certa est, videndum an *acutus* ibi sit pro *veloci*, quomodo *Græcum* ὀξὺς *acutus* sæpe sumitur: ut in *Plutarchi Romulo* de quodam *Celere*, a quo *Romuli* frater, *Remus* cæsus est, Καὶ τὸ ἐκείνου τοὺς ταχεῖς οἱ Ῥωμαῖοι καὶ ὀξεῖς κέλερας ὀνομάζουσι, *Et ab eo Romani veloces, & acutos, celeres vocant*. *Acutus* etiam quandoque est *acer*, & ad animum pertinet: ut in *Aristotelis Ethicis* lib. 3. cap. 7. Οἱ δ' ἀνδρεῖοι ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, *Fortes autem in agendo sunt acuti*, id est, acres, & animosi. Quod vespertinis lupis valde convenit, quos longa inedia divexat, ut alibi probamus ex *Statio Achilleidos* lib. 2. & *Thebaidos* lib. 10. Sic *Arabice* الحدة *acumen* quandoque pro *alacritate* sumitur, & *acri contentione* rei exequendæ, quandoque etiam pro *excandescentia*, quæ *Græcis* est ὀξυθυμία. Quomodo *Prov.* 27, 17. חדד, *acuere*, est *irritare*, si credimus *Aben Ezræ*, qui locum illum ita reddidit, *Ut ferrum ferro acuitur, ita vir acuitur facie*, id est, irritatur ira *socii sui*. *Faciem* enim ab *Hebræis* sæpe pro *ira* usurpari nemo est qui nesciat.

Equi porrò *Assyriorum*, quos *Prophetæ* ita celebrant, nati non erant in ipsa *Assyria*, quam ab equorum præstantia nemo commendat, quod meminerim; sed in vicinis regionibus, *Armenia* puta, *Media*, & *Perside*. In his *Nisæi* eminebant, in *Mediæ* campo *Nisæo*, qui valde proceri erant corporis. Ita habetur in *Suida* voce Νισαῖον, & in *Eustathio* ad *Dionysium*, *Herodotum* sequutis, cujus verba sunt in *Polyhymnia*; Ἔστι πεδίον μέγα τῆς Μηδικῆς, τῷ οὔνομά ἐστι Νισαῖον· τοὺς ὦν δὴ ἵππους τοὺς μεγάλους φέρει τὸ πεδίον τοῦτο. *Mediæ campus est magnus*, Nisæus *nomine: magnos porro equos fert campus ille*. Proinde idem *Herodotus* in *Thalia* asserit *Indica* animalia esse cæteris multo majora, παρὲξ τῶν ἵππων· οὗτοι γὰρ ἑσσοῦνται ὑπὸ τῶν Μηδικῶν, Νισαίων δὲ καλευμένων ἵππων, *præter equos: illi enim Medicis equis sunt inferiores, qui* Nisæi *vocantur*. Et *Strabo* lib. 11. Τοὺς δὲ Νισαίους ἵππους, οἷς ἐχρῶντο οἱ βασιλεῖς ἀρίστους οὖσι καὶ μεγίστους· *Nisæos equos, quibus utuntur Reges, cum sint optimi, & maximi*. *Lucanus* lib. 8. de *Parthorum* equis, & arcubus,

Celsior in campis sonipes, & fortior arcus.

Hinc in iis equis summa vis fuit. *Ammianus*, ubi de *Media* lib. 23. *Sunt apud eos prata virentia, fœtus equorum nobilium, quibus (ut Scriptores antiqui docent, nosque vidimus) ineuntes prælia viri summa vi vehi exultantes solent, quos* Nisæos *appellant*. Nec minor velocitas. *Suidas*, Νίσαιον, τὸ τῆς Περσίδος, ἔνθα ἵπποι ὤκιστοι γίνονται, Νισαῖοι λεγόμενοι· Nisæum, *locus Persidis, ubi equi sunt velocissimi*, Nisæi *dicti*. Unde est, quod camelos (dromadas videlicet) esse pernicissimos eo argumento probat *Philosophus*, *Hist. anim.* lib. 9 cap. 50. quod θέουσι θᾶττον τῶν Νισαίων ἵππων πολύ, *Nisæis etiam equis multo citius currunt*: quod idem est, ac si dixisset, equis expeditissimis. Sed & decorem fuisse eximium colligas ex *Synesii* Epist. 40. ad *Uranium*, ubi postquam multis laudavit ἵππον ἐκ φύσεως ἅπασαν ἀρετὴν ἱππικὴν ἐσχηκότα, *equum apprime a natura factum ad omnem dotem equo congruam*, unum excipit, quod Νισαίων ἵππων εἰδεῖ τὴν ἀειδέστερος, ὅτι θᾶττον ἐστὶ τὸ χρώμα, καὶ λειπόσαρκος ὁ ἵππος· *Nisæis equis specie sit deformior, cum & capite sit prominentis, & circa lumbos carne modica*. Forma tamen his peculiaris, quæque à nostris plurimum distat. *Strabo*, Ἰδίῳ μορφὴ ἐστὶν ᾗ ὁποίας καὶ οἱ Παρθικοὶ λεγόμενοι παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς παρ' ἡμῖν. *Formæ sunt peculiaris, ut & qui Parthici nominantur, a Græcanicis, atque à aliis quos habemus diversæ*. Descriptio petenda est ex his *Oppiani* lib. 1. *Cynegeticῶν*,

Κάλλει δ' ἐν πάντεσσι πέλει πανυπείροχος ἵππος
Νισαῖος, τὸν ἄγουσιν ἐϋσκήπτροι βασιλῆες,
Καλὸς ἰδεῖν, ἀταλός τε ῥέειν ὑποπειθεῖ δεσμῷ,
Βαιὸς μὲν κεφαλήν, πολλὸς δ' ἀναθύνεται δειρήν,
Κυδιόων ἐκάτερθε μελιχρύσοισιν ἐθείραις.
Quem tumidi Reges equitant, longè omnibus antiit
Nisææ telluris equus, cui gratia formæ est,
Et gressus facilis, cedentiaque ora lupatis,
Angustum caput, atque jubæ per colla profusæ
Luxuriant utrimque, auri fulgore micantes.

Græcè — μελιχρύσοισιν ἐθείραις, id est, *jubis melli & auro concoloribus*, aut *melli* simpliciter; nam alii legunt μελιχλοίοισιν. Nempe flavi plerumque erant equi *Nisæi*. Quin apud *Suidam*, in Ἵππος Νισαῖος, *Grammatici Nisæas* equas asserunt τὰς ξανθὰς πάσας, *omnes esse flavas*. Proinde *Polemon* ibidem arguitur, quod *Nisæum* equum album vocaverit: Ὁ δὲ Πολέμων κακῶς φησι λευκὸν ἵππον Νισαῖον· Polemon *autem malè eum* dicit equum Nisæum *esse album*. Et *Phavorino* si credimus, Νισαῖος ἵππος, ὁ ξανθός· ἡ γὰρ Νίσα πάσας τὰς ἵππους ξανθὰς ἔχει· Nisæus *equus, id est, flavus: Nisa enim omnes equas flavas habet*. Tamen præter *Polemonem*, *Philostratus* etiam, *Apollonii* sui libro primo, memorat λευκὸν ἵππον, ἐκ σφόδρα Νισαίων, *Nisæum equum maxime candidum*. Et in *Rhodogunæ* Icone apud eundem, Πρόσεστι ἡ στρατιᾷ αὐτῇ καὶ Νισαῖα ἵππος μέλαινα, ἐπὶ λευκοῖς τοῖς σκέλεσι, καὶ τὰ στέρνα λευκά· *Appicta est ei* Nisæa *equa nigra, cui, ad candida crura, nivea in pectora*. Neque verò *flavum* sonat *Nisæus*, sed è *Nisa*. Et *Nisa*, vel *Nesa*, si mavis (nam Νέσαιον scribunt *Phlegon*, *Arrianus*, *Stephanus*, & *Hesychius*) est *Chaldæum* נצא *netsa*, vel נציא *netsia*. Prius legitur in *Talmudico* Tractatu *Bava bathra*: posterius in *Hebræorum* Lexicographis. *Aruch* explicat מקום מנומך, *locum depressum*; *Pomarius* מקום שהולך בשיפוע, *locum in declive vergentem*. In *Talmud.* opponitur גוליא, *tumulus*. Cur inde nomen habuerit *Nisæus* campus ex *Strabone* manifestum est, ubi *Media* describitur ἡ πολλὴ μὲν ὑψηλή, καὶ ψυχρά, *celsa plerumque, & frigida*, &c. ἡ δ' ὑπὸ ταῖς Κασπίαις πύλαις, ἐν ταπεινοῖς ἰδάφεσι καὶ κοίλοις οὖσα, εὐδαίμων σφόδρα, *sed beata admodum quæ pars est sub Caspiis portis, ut quæ sit in loco depresso, & concavo*. Idem situs fuit prati *Hippoboti*, in quo pascebantur equi *Nisæi*. A situ igitur illa regio נצא dicta est, vel נציא, unde *Græcis* Νῖσα, Νίσαι, Νῆσος, Νισαῖον, & Νήσαιον: ita enim diversè scribitur. Ab aliis is ipse locus vocari traditur *Catastegona*, vel *Catastigona*. *Hesychius* in Νισαῖοι ἵπποι, Μεταξὺ τῆς Σουσιανῆς καὶ τῆς Βακτριανῆς τόπος, ὃν Κατασήγονα, ὅπερ Ἑλλάδι γλώσσῃ Νέσος. Ἐνταῦθα ἵπποι διάφοροι γίνονται. *Inter Susianam & Bactrianam locus est* Catastegona, *qui Græcè* Nesos *dicitur. Ibi sunt præstantes equi*. Ita etiam *Phlegontis* Scholiastes, & *Phavorinus*. *Suidas*, in ἵππος Νισαῖος, Κατασίγονα scribit, & Νῖσος. *Catastigona* hodiè diceretur قتستان *Kotisthan*, id est, *herba Media Regio*. Nempe ستان *stan*, *regionem* designare in compositione nominum *Persicorum* omnes sciunt. Sic هندستان *Hindostan* est *India*, عربستان *Arabistan* Arabia, خوزستان *Chuzistan* Susiana, كوهستان *Chuhistan* montana regio

regio, كورستان *Churistan* sepulchrorum regio, sepulchretum. Ita قتستان *Kotistan* locus est herba *Medica* fœcundus, quam قت *Kot* appellari testantur *Avicenna, Serapio, Abenbitar, Pandectarius, Bellonius*, &c. Porro *Medicam* herbam ibi abundasse, & locorum incolas equos suos eâ saginasse, disertè testatur *Strabo*, Τὴν βοτάνην δ', inquit, ἣν μάλιστα τρέφουσι τοὺς ἵππους, ἀπὸ τοῦ πλεονάζειν ἐνταῦθα, ἰδίως Μηδικὴν καλοῦμεν· *Herbam, quæ maximè equos alit, ex eo quod ibi abundat, propriè* Medicam *appellamus*. Variante dialecto idem esse puto *Catastigon*, & *Cotestan*: quomodo אסטגנין, *istaginin*, & ὀστάνας, quorum utrumque occurrit pro *Mago*, vel *Astrologo*. Illud in *Talmude* passim, & in *Chaldæis* Paraphrastis: hoc in *Græcorum* scriptis, tanquam à *Persis* deductum. Vide in *Laertii* præfatione locum ex *Xantho Lydo*, & *Suidam* in Ὀστᾶναι. Quam late patuerit *Nisæus* campus nemo tradidit. At latissimè patuisse oportet, si de illo vera sunt hæc *Diodori*, Ἐν ᾗ (χώρᾳ) τὸ παλαιὸν ἔφασαν ἑκκαίδεκα μυριάδας ἵππων γεγονέναι φορβάδων· κατὰ δὲ τὴν Ἀλεξάνδρου παρουσίαν ἓξ μόνας μυριάδας εὑρεθῆναι· *In quo loco fuisse olim ajunt equorum armentalium centum & sexaginta millia, sed, cum* Alexander *eo se contulit, non nisi sexaginta millia numerata fuisse*. E quo numero *Arrianus* myriadem unam eximens de iisdem equis hæc habet, Εἶναι δὲ (λέγεται) πάλαι μὲν ἐς πεντεκαίδεκα μυριάδας τῶν ἵππων· τότε δὲ Ἀλέξανδρον οὐ πολὺ πλείονας τῶν πέντε καταλαβεῖν, πρὸς λῃστῶν γὰρ διαρπαγῆναι τὰς πολλὰς αὐτῶν. *Fuisse olim ajunt equarum ad* CLM; *tum vero* Alexandrum *non multo plures* LM *reperisse, pleras que enim à prædonibus furto sublatas*. *Strabonis* tamen ævo non pascebantur ibi *Persarum* Regibus supra equarum quinque myriades; nisi sit error in numero, & pro πέντε legendum sit [illegible]. De vero situ hippoboti tam celebris *Geographi* certant, & — *adhuc sub judice lis est*. Quidam apud *Strabonem* in *Armenia* ponunt. *Plinius*, & *Isidorus Characenus* in *Parthyene*. *Ptolemeus Nisæam* urbem in *Margiana*, & *Nisæos* populos in *Aria*, *Sariphis* montibus interjectis. *Hesychius*, *Suidas*, *Phlegontis* Scholiastes, *Phavorinus*, *Nisæum* μεταξὺ τῆς Σουσιανῆς καὶ τῆς Βακτριανῆς, *inter Susianam & Bactrianam*: quod valde absurdum est, cum *Susiana*, & *Bactriana* distent immensum quantum. Itaque pro Σουσιανῆς Vir maximus legi vult Σογδιανῆς, quia *Sogdiana Bactrianæ* vicina est. Alii apud *Suidam Nisæos* equos deducunt ἀπὸ Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, *ex ora Maris Rubri*: atque hujus sententiæ citatur auctor ἐν Δικτύι Ὀρφεύς, pro quo lege Εὐριπίδης. Neque enim Δίκτυν scripsit *Orpheus*, sed *Euripides*, quam *Stobæus* non semel citat. Hinc *Phlegontis* Scholiastes, ὁ δὲ Εὐριπίδης πρὸς τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ τὴν Νισαίαν φησὶν εἶναι· Euripides *autem dicit* Nisæam *esse ad Mare rubrum*. Idem *Suidas* in Νισαῖοι, dicit esse locum *Persidis*; quomodo etiam *Phavorinus*. Quod sequutus *Vegetius*, *Persis*, ait, *provinciis omnibus præstat equos patrimoniorum censibus æstimatos*. *Persis*, id est, *Nisæus* ager *Persidis*. At *Mediæ* adscribunt *Herodotus*, *Strabo*, *Maximus Tyrius*, *Ammianus*, *Stephanus*, *Eustathius*. Et locum præcise definire videtur *Strabo* prope *Caspias portas* in via, qua venitur è *Perside*, & *Babylonia*. Inde in *Phaleg* nostro colligebamus hunc esse campum magnum, quem describit liber *Judith* ἐν τοῖς ὁρίοις, *in finibus* Ragau. *Ragau*, Græcis *Raga*, *Ragæ*, *Ragæa*, *Mediæ* urbs magna est, è qua *Alexandrum* uno die ad *Caspias portas* venisse, cum *Darium* magnis itineribus insequèretur, scribit *Arrianus* libro tertio. Et spatium interjectum stadiis quingentis, vel, ut alii legunt, octingentis definit *Strabo*, id est, vel LXII. vel C passuum millibus. In illo interstitio potuit esse campus *Nisæus*: & ipsi urbi videri possit inditum fuisse nomen ab adjacentis pascui ubertate. Nam *Ragau* Chaldaicè רעי *pascuum* sonat. *Ragas Seleucus Nicator Europum* nominavit, & *Parthorum* Rex *Arsaces Arsacen*, vel *Arsaciam*. Ita testantur *Strabo*, & *Stephanus*. Itaque *Rage*, *Europus*, & *Arsacia* eadem urbs. Et fallitur *Ptolemæus*, qui in tribus locis describit, tanquam tres diversas urbes. Quarum sola *Europus* est in vero situ, nempe in extremis *Mediæ* versus *Parthiam*, aliquanto Australior *Caspiis portis*, quo fere loco describit *Strabo*. His rationibus fretus, *Nisæum* campum collocaveram in *Ragarum*, vel, quod idem est, *Europi* vicinia, ferè ad *Caspias portas*. Sed, re perpensa accuratius, malo cum *Diodoro*, & *Arriano*, describere inter *Susa* & *Ecbatana*, in ea parte *Mediæ*, quæ *Susianæ* est confinis. Quia de eo non potest afferri quidquam illustrius, quam iter *Alexandri*, quem, euntem *Susis Ecbatana*, *Diodorus* narrat ibi trivisse mensem integrum, & equarum reperisse sexaginta millia, atque inde profectum septima die venisse *Ecbatana*. Neque his dissimilia traduntur ab *Arriano*. Sed neque dissentit *Strabo*, in quo quidem pars *Mediæ*, quæ est sub *Caspiis portis*, describitur ἱππόβοτος διαφερόντως, *equis pascendis maximè idonea*. Et de campo *Nisæo*, quem ille *Hippobotum* vocat, sequitur continuo post, Καλεῖται δέ τις καὶ λειμὼν Ἱππόβοτος, ὃν καὶ διεξίασιν οἱ ἐκ τῆς Περσίδος, καὶ Βαβυλῶνος, εἰς Κασπίους πύλας ὁδεύοντες, ἐν ᾧ πέντε μυριάδας ἵππων θηλειῶν νέμεσθαί φασιν· *Sed & Hippobotum vocatur pratum quoddam, per quod transeunt qui ex Perside, & Babylone, eunt in Caspias portas, in quo equarum pasci dicuntur quinquaginta millia*. Sed hoc *pratum Hippobotum* apertè distinguitur à parte *Mediæ* ἱπποβότῳ, quæ est sub *Caspiis portis*. *Hesychium* quod attinet, atque alios, à quibus campus ille describitur μεταξὺ τῆς Σουσιανῆς καὶ τῆς Βακτριανῆς· Omnino id sumptum est ex *Alexandri* historia, & pro τῆς Βακτριανῆς reponendum τῶν Ἐκβατάνων. Neque mirum eundem campum alios *Mediæ*, alios assignare *Persidi*, cum sit in utriusque confiniis, nempe in ea parte *Mediæ*, quæ *Susianam* attingit. *Susiana* autem in *Strabone* pars est *Persidis*. Eodem refero, quod *Nisæum Euripides* locat ad *mare Erythræum*; quia *sinus Persicus*, ad quem est *Persis*, portio est *Rubri maris*. Ut taceam *Euripidis* ævo, qui fuit ante *Alexandrum*, hæc loca fuisse *Græcis* parum cognita. At *Ptolemæi Nisæa* urbs in *Margiana*, & in *Aria Nisæi* populi, cum *Nisæo Mediæ*, vel *Persidis* campo *Hippoboto* commune nihil habent. Quem si alii *Armeniæ*, & *Parthiæ* adscripsère, *Plinius* & *Isidorus Characenus*, factum id, quia in *Armenia*, & *Parthiâ*, nobiles equi fuère, & *Nisæis* similes. Hinc *Strabo* de *Media*, Ἱππόβοτος δὲ καὶ αὐτὴ διαφερόντως, καὶ ἡ Ἀρμενία· *Ipsa autem est alendis equis maximè idonea, ut & Armenia*. Item, Τοὺς δὲ Νισαίους ἵππους, οἷς ἐχρῶντο οἱ βασιλεῖς ἀρίστοις οὖσι καὶ μεγίστοις, οἱ μὲν ἐνθένδε λέγουσι τὸ γένος, οἱ δ' ἐξ Ἀρμενίας· ἰδιόμορφοι δ' εἰσίν, ὥσπερ καὶ οἱ Παρθικοὶ λεγόμενοι νῦν· *Nisæos autem equos, optimos illos, & maximos, quibus Reges utebantur, alii inde dicunt genus ducere, alii ex* Armenia: *sunt autem forma peculiaris, ut qui nunc* Parthici *appellantur*. Idem de *Armenia*, Οὕτω δ' ἐστὶν ἱππόβοτος σφόδρα ἡ χώρα, καὶ οὐχ ἧττον τῆς Μηδίας, ὥς τε οἱ Νισαῖοι ἵπποι καὶ ἐνταῦθα γίνονται, οἷσπερ οἱ Περσῶν βασιλεῖς ἐχρῶντο· καὶ ὁ Σατράπης τῆς Ἀρμενίας τῷ Πέρσῃ κατ' ἔτος δισμυρίους πώλους τοῖς Μιθρακηνοῖς (malim τῶν Μιθρακίνων) ἔπεμπε. *Illa autem regio equis alendis tam apta est, neque* Media *minus, ut etiam ibi fuerint* Nisæi *illi equi, quibus utebantur* Persarum *Reges: &* Armeniæ *Satrapa quotannis pullorum viginti millia mitteret ex* Mithracenis. Hinc *Oppianus* lib. 1. *Cynegeticῶν*, postquam equos *Siculos* à pernicitate multis laudavit,

> Κραιπνότεροι Σικελῶν δὲ παρ' Εὐφρήταο ῥέεθρα
> Ἀρμένιοι, Πάρθοι τε βαθυπλόκαμοι τελέθουσιν·
> Ætnæos *tamen antevolant* Euphratis *ad undas*
> Armenii, Parthi*que jubis per colla profusis*.

Et *Posidonius* apud *Strabonem* lib. 3. *Celtiberorum* equos ait ἐοικέναι τοῖς Παρθικοῖς, καὶ γὰρ ταχεῖς εἶναι, καὶ εὐδρό-

μυς μᾶλλον τῶν ἄλλων, *Similes esse* Parthicis, *aliis enim esse velociores, & expeditiores.* Et *Gratius* in *Cynegeticis*, versu 508.

Scilicet & Parthis *inter sua mollia rura*
Mansit honor. - - - -

Malim, *propter sua mollia crura*; quia, authore *Vegetio* lib.1.cap.56. *Parthis consuetudo est equorum gressus ad delicias dominorum hac arte mollire*, &c. Cætera ibi vide. *Absyrtus*, *Hippiatricωn* lib. 2. cap. 115 Οἱ Πάρθοι μεγάλοι, καὶ ἵπποι ἰθεῖς, θυμοειδεῖς τι, καλοὶ ἰδεῖν τῷ εἴδει, τοῖς ποσὶ χρῆσθαι διαφερόντως. Οἱ Μῆδοι τῷ μεγέθει ὑπερβάλλοντες. Ἀρμένιοι δὲ, καὶ Καππάδοκες τὸ Παρθικὸν γένος ἔχουσιν· εἰσὶ δὲ βαρυκέφαλοι μᾶλλον. Parthi *equi magni, & proceri sunt, animosi, ac specie generosa, & pedibus maxime valent.* Medi *statura eximii.* Armenii *&* Cappadoces *sunt* Parthici *generis; sed capite graviores.* Hic obiter observandum, eos, qui apud *Etymologum* Susa dici asserunt ἀπὸ τοῦ ἱππάσιμον αὐτὴν εἶναι. σοῦσαν γὰρ ὑπὸ Σύρων τὸν ἵππον λέγεσθαι, *ab eo, quod regio est equis commoda, susam enim equum a* Syris *appellari*, fallaci niti Etymologia. Utut enim *equus* à *Chaldæis* & *Syris* סוסא *susa*, dicatur, & סוסיא *susja*; tamen *Susa* urbs ab equis nomen non habet, sed ἀπὸ τῶν κρίνων, *a liliis*, ut, post *Aristobulum*, & *Charetem*, rectè docent *Athenæus*, *Stephanus*, *Etymologus*, alii. *Hebræis* enim, & *Chaldæis* שושן *susan*, est *lilium*, quo ipso nomine *Susa* dicuntur in libris (l) *Danielis*, & (m) *Esther*; unde incolæ in (n) *Esdra* שושנכיא. Neimpe χώρα πολλὰ ἐν τῇ χώρᾳ φύουσα ἐκεῖνα, *regio liliorum erat ferax*, ut a *Stephano* observatur. Sed hæc de *Assyriorum* equis plus satis.

l) Dan. 8, 2. m) Esth. 1, 2. 5. &c. n) Esd. 4, 9.

Ad *Tyrrhenos* equos refert *Aben Ezra* hæc *Jerem.* 5. vers. 8. סוסים מוזנים משכים היו איש אל אשת רעהו יצהלו quæ ex illius mente sic sonant, *Equi bene pasti* Tyrrheni *fuerunt, unusquisque ad uxorem proximi sui adhinnivernnt.* Quasi משכים fiat a משך *Meschech*, id est, *Tuscia* ut *Hebræis* placet, כי משם יבאו הסוסים האבירים הומים ומתאוים אל הנקבה *Quia inde veniunt equi fortes, qui fremunt, & appetunt fœminam.* Et verò, postquam *Oppianus* fortes equos multis descripsit, *Tales*, inquit, *sunt* Tyrrheni, *&* Armenii, *&* Achivi,

Τυρσηνοὶ τοιοίδε, καὶ Ἀρμένιοι, καὶ Ἀχαιοί.

Et alibi professus se recensurum equorum nobilissimos ita incipit,

Τυρσηνοὶ, Σικελοὶ, Κρῆτες, Μάζικες, Ἀχαιοί.

Et rursus alio loco,

Ἵπποι Τυρσηνοὶ δὲ, καὶ ἄπλετα Κρήσσια φῦλα,
Ἀμφοτέρων, κραιπνοῖσι θέειν, δολιχοί τι πέλονται.

Tuscia *quos generat, quosque urbibus inclyta centum*
Creta, *pedum levitate valent, & corpore vasto.*

Sed alibi docuimus verba *Jeremiæ* sic esse reddenda, *Ut equi bene pasti, cum mane surgit unusquisque, ad uxorem proximi sui adhinniunt.* Neque enim hoc loco משכים est nomen gentis, sed *qui manè surgit.* Proinde *Chaldæus* hic habuit שחרין *manè quærentes*, pro quo perperam edunt אחרין. Et, vel si nomen gentis esset, סוסים משכים non essent *equi Tusci*, sed *equi Armeni.* Quippe משך *Meschech*, in Scriptura est *Moschorum* gens inter *Colchidem* & *Armeniam.* Hebræi *Tusciam* explicant, freti authoritate *Pseudo Gorionidis*, qui merus est nugator, ut multis probavimus in nostro *Phaleg.* *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion* pro משכים habent ἑλκυστὰς, *trahentes*; quia pro *maschim* legerunt *moschim.* Equi *trahentes*, id est *refractarii*, qui obnituntur fræno. Phrasis est *Arabum*, quibus جرر *giarara* est *trahere*, & فرس جرور *pharas giarur*, *equus refractarius.*

Superest, ut agamus de equis *Ægyptiis*, quorum Scriptura sæpe meminit. Sic in *Pharaonis* copiis, quibus *Israëlitas* insequutus est, præter regios currus sexcentos, alii plures fuerunt (o) ex tota *Ægypto*, & equitum multa millia. Numerum Scriptura non definit. Sed, si *Josepho* (p) credimus, equites erant πεντακισμύριοι, *quinquagies mille.* Et hunc numerum nonnulli *Arabum* duplo auctiorem faciunt. In his (q) *Ibnogiarir Tiberiensis*, كان

o) Exod. 14, 5. 7. 9. & 15, 1. 19. & 246. p) Antiq. lib. 2. cap. 6. q) Apud Damir in حصان

في عسكر فرعون مائة الف حصان ادهم

Erant in copiis Pharaonis *equi nigri centies mille.* Horum submersionis historiam *Damir* sic interpolat

فرعون هاب دخول البحر
وكان علي حصان ادهم ولم يكن
في خيل فرعون انثي فجاء جبريل
عليه السلام علي فرس انثي وديق
اي اشتهي الفحل علي صورة
هامان وقال له تقدم ثم خاض
البحر فتبعها حصان فرعون
وميكايل يسوقهم لا يشذ منهم
احد فلما صار اخرهم في البحر
وهم اولهم ان يخرج انطبق عليهم
البحر فاغرقهم اجمعين

Pharao *timebat in mare ingredi. Erat autem super equum nigrum, nec ulla erat equa in* Pharaonis *equitatu. Tunc Gabriel angelus, cui sit pax*, Hamanis (r) *forma assumpta, super equam accessit, cujus libidine cum arderet* Pharaonis *admissarius*, Pharao *jussit ut præcederet: &* Pharaonis *equus eam statim sequutus ingressus est in mare. Interim Michael* à tergo *Ægyptios deducebat, ita ut ne unus quidem restaret. Et cum eorum ultimus in mare processisset, & primus jam vellet egredi, mare in ipsos revolutum omnes omnino obruerit.* Ægypti Rex alius *Sesac* nomine, quem *Josephus* (s) vult esse *Sesostrim*, ascendit *Hierosolymam* anno quinto *Roboami* cum curribus mille ducentis, & sexaginta equitum millibus, 2. *Par.* 12, 3. Et *Neconis* copias, quas ad *Euphratem* profligavit *Nebucadnezar*, *Jeremias* (t) ita compellat: *Jungite equos, & scandite, O equites; Ascendite, equi; & insanite, O currus.* Ex quibus colligere est, illas equitatu, & curribus maximè valuisse. Proinde *Cant.* 1, 9. cum *Pharaonis* equis curulibus confertur Ecclesiæ decor. Et 2. *Reg.* 7, 6. *Syri*, qui sub *Joramo Samariam* obsidebant, cum audissent equorum & curruum multum strepitum, *Hethæos*, aut *Ægyptios*, ab *Israelitis* conductos, in sua castra irruisse conjectaverunt. Et *Ezechiam* dicit *Rabsake* fidere *Ægyptiis* *propter currus & equites*, 2. Reg. 18, 24. Quo ipso nomine *Judæos* *Esaias* ita increpat, (u) *Væ iis, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, & innituntur equis, & confidunt curribus, cum multi sunt, & equitibus, cum sunt numerosi valde*, &c. *Equi eorum sunt caro, non spiritus.* Quin ipsa Lex *Judææ* Reges vetat equos multos comparare, ne hac occasione populum in *Ægyptum* reducant *Deut.* 17, 6. Utut enim equos *Judæi* etiam aliunde

r) Alcamus القصص Ait Hamanem fuisse servum Pharaonis.

s) Antiq. lib. 8. cap. 4.

t) Jerem. 46, 4. 9.

u) Es. 31, 1. 3.

aliunde comparaverint; tamen plerique erant ex *Ægypto*. Id de *Solomone* traditur disertis verbis 1. *Reg.* 10. *v.* 28. 29. & 2. *Paral.* 1. *v.* 16. 17. *Et educebantur equi* Solomonis *ex* Ægypto, *&c. Et ascendebat, & exibat ex* Ægypto *currus sexcentenis sicli argenti, & equus centenis quinquagenis.* Quin sequitur continuo post, *Hethæis* etiam, & *Syris* equos indidem fuisse adductos. Neque obstat quod habetur 2. *Par.* 9. *v.* 28. equos *Solomonis* venisse ex *Ægypto*, & omnibus terris. Nam hoc ipso, quod fit *Ægypti* mentio specialis, docetur plerosque hos equos ex *Ægypto* venisse. Sed &, multis sæculis post *Solomonem*, Rex *Sedechias*, in *Nebucadnetsarem* insurrecturus, equos petiit per legatos ab *Ægyptiis*, Ezech. 17. v. 15.

Interim est, quod miremur, cur, cum *Ægyptios* equos Scriptura tam multis celebret, de illis tamen altum sileant *Oppianus*, *Nemesianus*, *Vegetius*, *Absyrtus*, atque alii, qui quibus terris nascantur equi nobiles, & quæ sint cujusque gentis signa, vel merita, exquisiverunt: nisi quod de *Thebaidis* equis hoc occurrit apud *Gratium*,

x) Malim extrema. *Nec savos miratur equos* (x) *terrena* Syene.

Quo ipso videtur innui equos circa *Syenem* parum esse bellicosos. Et, apud *Plutarchum* in *Cleomene*, *Nicagoras Messenius* è *Græcia* venales equos deduxit *Alexandriam*, ac si *Græci* equi tum temporis *Ægyptiis* prælati fuerint. Proinde vetus *Ægyptiorum* circa equos studium deferbuisse crediderim, postquam, pulsis suis Regibus, sub exterorum jugo premi cœperunt. Nam, vel Scripturâ tacente, ex profanis Scriptoribus facilè probaverim *Ægyptum* equis olim abundasse. Quo maxime facit *Homeri* locus πολυθρύλλητος de *Thebis Ægyptiis* Iliad. ι. versu 383.

Αἱ θ' ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισιν, καὶ ὄχεσφιν·
His solido portæ sunt centum ex ære, virosq;
Curribus insignes, & equis, dat quaq; ducenos.

Sic ex una *Ægypti* urbe prodierint viri vigesies mille,

y) Lib.1.p.30. vel in equis, vel in curribus. Quin apud *Diodorum* (y) quidam asserunt δισμύρια ἅρματα πρὸς ἀνάγκην ἐξ αὐτῆς εἰς τοὺς πολέμους ἐκπορεύεσθαι, *ad bella ex ea revera exire viginti millia curruum.* Non tamen citra Hyperbolem, cùm sequentia doceant non curruum, sed equorum viginti millia fuisse *Thebis*: imò nec *Thebis* fuisse, sed in stabulis ad *Libycam Nili* ripam longâ serie exstructis inter *Thebas* & *Memphin*. Stabula scilicet centum erant, singula capacia equorum ducenorum, ut summa esset viginti millium. Verba sunt, Τοὺς γὰρ ἱππῶνας ἑκατὸν γεγονέναι κατὰ τὴν παρὰ ποταμὸν τὴν ἀπὸ Μέμφεως ἄχρι Θηβῶν τῶν κατὰ Λιβύην, ἑκάστου δεχομένου ἀνὰ διακοσίους ἵππους, ὧν ἔτι καὶ νῦν τὰ θεμέλια δείκνυσθαι. *Centum erant equilia ad littus à* Memphi *extensum usq;* Thebas κατὰ Libyam, *singula equorum simul ducenorum capacia, quorum fundamina adhuc ostenduntur.* Itaque, si curules equi omnes fuerunt, vel quadrigarum ad bellum quinque erant, vel bigarum decem millia. Ex quo fortasse curruum numero, quo tantæ urbis opes potissimum eminebant, nomini *No-amonis*, seu *Diospolis*, quo primitus vocabatur, *Thebarum* nomen accessit. Nam hodieq; *Copticâ* linguâ (z) ΘΒΑ, *Thba*, sunt *decem millia*. In eodem *Diodoro* (a) *Ægypti* Regem *Osimandyam* bellum in *Bactros* gessisse πεζῶν μὲν τετταράκοντα μυριάσιν, ἱππεῦσι δὲ δισμυρίοις, *copias habentem peditum quadringentorum millium, & equitum viginti millium*, testatur vetus Inscriptio. Et (b) *Sesoosis*, qui aliis (c) *Sesostris*, & (d) *Sesonchosis*, & in Scriptura (e) *Sesac*, si *Josepho* (f) credimus, κατέγραψε πεζῶν μὲν ἑξήκοντα μυριάδας, ἱππεῖς δὲ δισμυρίους καὶ τετρακισχιλίους, ζεύγη δὲ πολεμιστήρια δισμύρια καὶ ἑπτακισχίλια, *conscripsit peditum sexcenta, & equitum viginti & quatuor millia, & bellicarum bigarum viginti & septem millia.* Et apud *Apollonii* Scholiastem (g) vetustissimus Chronologus *Xenagoras* ἱππεῖς τοὺς

z) Lex. Copt. Kircheri, pag. 278. & 287.
a) Lib. 1. p. 32.
b) Ibid pag. 35.
c) Herod. lib. 2.
d) Iustin. Martyr in Paren. pag. 10. Apollon. Schol. &c
e) 2. Par. 12, 3.
f) Antiq lib. 8. cap. 4.
g) In lib. 4. vers. 268. & 276.

Αἰγυπτίους ἀρχαιοτάτους γεγενῆσθαι λέγει, *Ægyptios equos antiquissimos esse tradit.* Ibidem, Σεσογχωσίδα πρῶτόν φασιν εὑρηκέναι ἵππων ἀναβάσεις ἐπιδεῖξαι· οἱ δὲ ταῦτα εἰς Ὧρον ἀναφέρουσι· Sesonchosidem *artem equitandi primum invenisse ajunt, alii autem ad* Orum *referunt.* Quod videtur verius: *Ægyptios* enim equitasse diu ante *Sesostrim*, vel ex Scriptura constat. Et rectè hoc ad *Orum* referri, qui fuit *Ægypti* Rex antiquissimus, etiam ex *Plutarcho* in *Iside* colligere est: ubi fabulantur *Ægyptii Osiridem*, ex Inferis reducem, *Oro* filio adfuisse, ut eum ad bellum institueret, & *rogasse quodnam animal ad pugnam euntibus conferret utilissimum: cumq; equum respondisset* Orus, *miratum fuisse* Osiridem, *& dubitasse cur non leonem dixisset potius quam equum. Ad quæ* Orum *regessisse*, ὡς λέων μὲν ἐπιδεομένῳ βοηθείας, ἵππος δὲ φεύγοντα διασπάσαι, καὶ καταναλῶσαι τὸν πολέμιον, *Leonem quidem illi utilem fore, qui auxilio indigeret, equum autem ad fugientem hostem labefactandum, & perdendum. Quo responso patrem delectatum, tanquam* Oro *ad pugnam satis instructo.* Proinde in symbolis suis leoni equum præferebant. Quippe ἀλκῆς μὲν καὶ ῥώμης σύμβολον αὐτοῖς ὁ λέων, ἀνδρείας δὲ καὶ παρρησίας ὁ ἵππος, *roboris quidem & virium leo illis symbolum erat, equus autem fortitudinis & audaciæ.* Ita habet *Clemens* lib. 5. *Stromatum.* Ex his cum constet satis, equos quanti fecerint, & quam frequentes habuerint vetustiores *Ægyptii*, duabus potissimum de causis videtur equos alendi studium apud eos refrixisse. Una est, quam jam indicavimus, quod, postquam vel à *Persis*, vel à *Macedonibus* servili jugo pressi sunt, nihil amplius generosum spiraverunt, nec eorum quæ ad bellum conferunt fuerunt soliciti, ut qui scirent illorum curam jam ad se non pertinere. Altera est, quod, postquam *Ægyptus* cœpit esse lacunosis incilibus voraginosa, illius non minima pars equis & curribus desiit esse pervia. Neque enim naturales sunt plerique *Nili* alvei, sed arte facti, priscis *Ægypti* Regibus ita procurantibus; 1. Ne aqua deesset etiam iis, qui à *Nilo* remotiores erant. 2. Ut merces, & terræ proventus hinc inde deportarentur. 3. In viatorum usum, quorum per barides, & cymbas vectura est percommoda. 4. Denique, ut *Ægyptus* invia fieret, atque inaccessa. Hinc *Diodorus* lib. 36. τὸν γὰρ πρὸ τοῦ χρόνου ἡ κρατίστη τῆς Αἰγύπτου πᾶσα σχεδὸν ἱππάσιμος οὖσα, καὶ ταῖς συνωρίσιν εὔβατος, ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐκ τοῦ ποταμοῦ διωρύγων, δυσεφόδευτος γέγονεν· *Cum enim anteà Ægypti optima pars ferè tota fuerit equitabilis, & curribus pervia, exinde, propter incilium copiam è flumine derivatorum, viæ factæ sunt difficiles admodum.* Et *Herodotus* lib. 2. Ἀπὸ γὰρ τούτου τοῦ χρόνου Αἴγυπτος, ἐοῦσα πεδιὰς πᾶσα, ἄνιππος, καὶ ἀναμάξευτος γέγονε· αἴτιαι δὲ τούτων αἱ διώρυχες γεγόνασι, ἐοῦσαι πολλαὶ, καὶ παντοίους τρόπους ἔχουσαι· *Nam ab eo tempore Ægyptus, cum tota sit plana, inequitabilis, & plaustris invia fuit, propter incilia, quæ & multa sunt, & varia habent diverticula.* Hoc porro opus *Sesostri* tribuunt *Herodotus* & *Diodorus*. Sed illud haudquaquam puto fuisse tam vetustum. Aut id operis solum incepit *Sesostris*, non absolvit. Rex quippe *Nilus*, *Sesostri* aliquot sæculis recentior, nomen amni suum imposuisse creditur, (h) πλείστας ἐν καιροῖς διώρυχας, καὶ τάφρους κατασκευάσας, καὶ πολλὰ περὶ τὴν ἐργασίαν τοῦ Νείλου φιλοτιμηθείς: *cum incilia opportuna plurima, & fossas adornasset, & multa esset aggressus, ut* Nilum *faceret commodiorem.* Quia, diu post *Nilum*, *Sabacon Æthiops*, factus *Ægypti* compos, (i) reos, mortis ultimo supplicio exemptos, terræ circa sua oppida fodiendæ, & aggerandæ addicens, (k) πολλὰ μὲν χώματα κατεσκεύασεν, οὐκ ὀλίγας δὲ διώρυχας ὤρυξεν εὐκαίρους, *multos adornavit aggeres, nec pauca incilia effodit valdè opportuna.* Porro, quando vixerit *Sabacon*, non potest ignorari, quia illi successit *Sethon*, *Vulcani* Sacerdos, (l) quo regnante, *Ægyptus* à *Sennacheribo* tam in-

h) Diod. lib. 1. pag 39.
i) Herod lib. 2. cap. 137.
k) Diod. lib. 1. pag. 41.
l Herod. lib 2. c 141. Ioseph. Antiq lib. 10. cap. 1.

fausto conatu tentata est, quam *Judaa* sub *Ezechia*. Tum ergo absolutis incilibus, cum *Ægypti* magna pars equitatui propè esset inaccessa, *Ægyptiam* illam ἱπποτροφίαν paulatim in desuetudinem abiisse, nihil mirum est. Quamvis ex parte durasse videatur usque ad *Ptolemaum Philadelphum*, quem narrant Historiæ equitum habuisse viginti millia, curruum verò duo millia, & elephantos, quos primus eduxit ex *Æthiopia*, quadringentos. Ita asserit *Hieronymus* in *Danielem*, cap. 11. Quin hunc equitum numerum duplicat *Appianus Alexandrinus*, cujus verba sunt in *Præfatione* ad libros *Civilium*: Τοῖς ἐμοῖς βασιλεῦσι μόνοις ἦν στρατιά τε πεζῶν μυριάδες εἴκοσι, καὶ μυριάδες ἱππέων τέσσαρες, καὶ ἐλέφαντες πολεμισταὶ τριακόσιοι, καὶ ἅρματα ἐς μάχας δισχίλια, &c. Ἐς γὰρ δὴ τοσοῦτο παρασκευῆς τε, καὶ στρατιᾶς, ἐκ τῶν βασιλικῶν ἀναγραφῶν φαίνεται προαγαγών τε, καὶ καταλιπὼν ὁ δεύτερος Αἰγύπτου βασιλεὺς μετ' Ἀλέξανδρον. *Meis Regibus solis erant copiæ peditum* CCM, *& equitum* XLM, *& elephantorum in bellicos usus* CCC, *& curruum* IIM, &c. *Ex commentariis quippe regiis colligitur hunc belli apparatum habuisse & reliquisse secundus* Ægypti *Rex post Alexandrum*, id est, *Ptolemaus Philadelphus*.

Quomodo equi *Solomonis* ex *Ægypto* educerentur, narratur 1. *Reg*. 10. *v*. 28. 29. & 2. *Paral*. 1. *v*. 16. 17. Sed iis verbis, quæ interpretes, si quid video, in alienissimum sensum torquent. Ego sic reddenda censeo, *Et educebantur equi Solomoni ex Ægypto. Et vectigal* quod attinet, *mercatores Regis Solomonis vectigal* illud *accipiebant pretio* redemptum à Rege Ægypti. *Et ascendens ex Ægypto quadriga exibat sexcentenis argenti siclis, & equus centum quinquagenis. Et sic omnibus Hethaorum Regibus, & Regibus Syria per manus suas educebant.* Quia nobiles equi tum temporis alibi quam in *Ægypto* pauci reperiebantur, illos è regno suo *Pharao* non patiebatur educi, nisi gravi tributo exacto, nempe in singulos equos siclorum CL, aut, quod idem est, DC in singulas quadrigas. Siclus *Hebraus* sacer uno verbo est *Romana* semuncia. Vulgaris igitur, qui dimidio minor esse creditur, est quarta pars unciæ. Sic CL. sicli vulgares erunt argenti libræ duæ cum unciis quinque & semi, quæ *Pharaonis* exactio in singulos equos fuit gravissima. Neque enim hoc fuit equi מחיר *pretium*, ut volunt interpretes, sed מקוה *vectigal*, quod Regi solvebatur, ut ex *Ægypto* liceret educere. Alioqui in omnes equos idem pretium fuisset constitutum, quod absurdum esse nemo non videt. *Solomon* igitur, qui equorum multa millia sibi ex *Ægypto* comparavit, ut à tam gravi tributo quoquo modo se eximeret, à socero suo, *Pharaone*, per mercatores suos totum illud jus certo pretio quotannis redimebat. Unde fiebat, ut, solo *Solomone* à vectigali immuni, cæteri omnes illud solverent, *Syria* puta Reges, & *Chananaorum* omnium, qui *Hetthaorum* nomine hic intelliguntur per Synecdochen. Neque enim *Ægyptios* equos, quorum erant maximè cupidi, aliter nancisci poterant, quam per mercatores *Solomonis*, in quos *Ægypti* Rex, accepto pretio, de quo convenerat, totum jus suum transcribebat. Hunc istius loci sensum, qui per se planus est, & obvius, quo minus sequantur interpretes, stat per *Hebraam* vocem מקוה bis repetitam, quà illi quidvis aliud potius, quam *vectigal* intelligunt. Nonnulli, mutatis vocalibus, legerunt מִקְוֵה, vel מִקְוָה, & voluerunt esse loci nomen. Hinc *Hieronymus*; *Et educebantur equi* Solomoni *de Ægypto, & de* Coa: *negotiatores enim Regis emebant de* Coa. *Septuaginta* etiam, ἐκ Κωὲ, pro quo nonnullæ editiones perperam, ἐκ Θεκουέ, vel ἐξ Ἐκουέ. Porro Κωὲ, vel *Coa*, Ptolemæo *Co*, Stephano *Cos*, Arabibus قوص *Kuts*, est *Ægypti* urbs, & insula in *Nilo* prope *Cynopolim*. *Syrus* habet 2. *Paral*. 1. *v*. 16. *Emebant equos* Solomoni *ex Ægypto* ܘܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܐܦܠܝܐ *& ex urbe* (vel *provincia*) *Aphelia*. Et *Arabs* ومن مدينة القبليين *Et ex urbe Australium*: quorsum ignoro juxta cum ignarissimis; nisi *Aphelia* putetur esse *Ægypti* pars ἀφηλιῶτις, vel ἀπηλιωτικὴ, de qua *Ruffinus*. Unde ventus ἀπηλιώτης, seu *Subsolanus*, id est, ὁ ἀπὸ τῆς περὶ τὰς ἰσημερινὰς ἀνατολὰς τόπου πνέων, *qui flat ab ortu Æquinoctiali*. Ac si *Hebr*. מקוה sit pro מִקָּו *à linea* supple *æquinoctiali*, quam *Hebræi* Astronomi appellant קו השוה *lineam Æquatoris*. Quamvis קוה etiam pro *linea* reperiatur *Jerem*. 31. *v*. 39. Nos olim, sermonis serie nondum satis perpensâ, sic reddebamus, *Et educebantur equi* Solomoni *ex* Ægypto, ומקוה *& Michoe*, id est, ex *Troglodytica* prope *Ægyptum*, quam priscos *Michoen* dixisse scribit *Plinius* lib. 6. c. 29. Alii מקוה putant id ipsum esse, quod תקוה *Jos*. 11. *v*. 17. nempe *netum*, seu *filum tenue*. Quasi dicatur *Solomon* ex *Ægypto*, præter equos, per mercatores suos, etiam netum eduxisse, lini scilicet *Ægyptiaci*, ex quo texebatur byssus *Prov*. 7. *v*. 16. *Esa*. 19. *v*. 9. *Ezech*. 27. *v*. 7. Ita nonnulli apud *Kimchium*. Aliis מקוה est *collectio*, ut *Exod*. 7. *v*. 19. מִקְוֵה מים est *collectio aquarum*. Ita tamen, ut prius מקוה sit collectio seu societas mercatorum; & posterius collectio equorum, id est, armentum, hoc modo, ומקוה *Et collectio* (id est, *societas*) *mercatorum Regis accipiebant* מקוה *collectionem* (id est, *armentum*) equorum certo *pretio*. Sunt & aliæ hujus loci interpretationes, quas nec referre, nec refellere nostri in præsens est otii. Tantum assero, plerasque has interpretationes mutare Vocales, aut saltem Accentus, aut vim facere verbis, aut sermonis filum abrumpere, aut multa gratis supponere, & sine ulla probatione; quod per se deprehendet quisquis illas cum ipso textu contulerit paulò accuratiùs. Quæ vitabimus incommoda, si מקוה, *collectionem*, pro *tributo* hîc sumamus, quomodo supra diximus. Ita ut *Hebraum* מקוה sit idem, quod *Chaldaum* מגביתא. Nempe, ut קוה *Hebrais*, ita גבא *Chaldais*, colligere est, & unum ex altero factum esse nemo non videt. Nam, ut ק & ג, ita ו & ב sunt literæ homogeneæ, quæque permutantur passim. Itaque, ut מגביתא, *collectio*, pro *tributo* sumitur in *Chaldaa* Paraphrasi 2. *Reg*. 23. *v*. 33. ita planè מקוה hoc loco, quod *Esdras* מקוא scribit 2. *Paral*. 1. *v*. 16. ita ut propiùs accedat ad *Chaldaum* גבא, in quo ultima radicalis est *Aleph*. Obiter ex hoc loco discere est quadrigas plerumque fuisse *Ægypti* currus *Solomonis* ævo, quandoquidem vectigal pro curru exigebatur quadruplo majus, quam pro singulis equis. Sunt, qui *Mosis* æta e trigas fuisse colligunt ex eo, quod curruum ἀναβάται *Hebr*. vocantur שלישים *Exod*. 14. 7. & 15. *v*. 4. nomine facto ex שליש, quod *tres sonat*, *Græci* τριστάτας reddunt, id est, si credimus *Græcis Scholiis* in *Ezech*. 23. *v*. 23. τοὺς ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐπιβεβηκότας· οἱ γὰρ παλαιοὶ, ἐν πολέμῳ ἐξιόντες, ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐπωχοῦντο, *eos, qui tribus equis insidebant: veteres enim, cùm ad bellum proficiscebantur, tribus equis vehebantur.* Alii שלישים, aut τριστάτας dici volunt, quod tres in curru sedebant; quorum ὁ μὲν ἡνιόχει, ὁ δὲ ὑπερήσπιζεν, ὁ δὲ ἐμάχετο, *unus aurigam agebat, alius clypeo protegebat, & tertius pugnabat.* Ita Origenes & *Gregorius Nyssenus*. At *Arabs* in Paraphrasi 1. *Reg*. 10. *v*. 29. وكان المركبة ستة ماية مثقال لان المركبة اربعة افراس تشد جميعا ويجلس عليها اربعة رجال للحرب *Et erat currus sexcentorum siclorum, quia currus constabat ex quatuor equis simul conjugatis, & ei insidebant quatuor viri ad pugnam.*

Rursus

Rursus *Esa.* 21. *v.* 7. רכב צמד פרשים currus est, cui bini insident. Et 2. *Reg.* 9. *v.* 25. רכבים צמדים videntur esse, qui bini in eodem curru vehuntur.

Una quæstio superest hic agitanda: Lex Regi disertè dicit *Deut.* 17. *v.* 16. לא ירבה לו סוסים *Non multiplicabit sibi equos*: & ibi *Jonathan* in *Paraphrasi*, לא יסגון ליה על תרין סוסון *Non multiplicabit sibi supra duos equos.* Quamvis ne id quidem concedant posteriores. *Maimonides* in Tractatu *De Regibus* cap. 3. sect. 3. ולא ירבה לו סוסים אלא כדי מרכבתו אפילו סוס אחד פנוי להיות רץ לפניו כדרך שעושין שאר המלכים אסור *Et non multiplicabit sibi equos, nisi juxta currus suos. equus enim vel unus otiosus, qui currat ante eum pro more cæterorum Regum, est prohibitus.* Et *Josephus Karo* ibidem in carmine ex *Gemara Talmudica*, דאפילו סוס אחד והוא בשר קאי בלא ירבה סוסים *Quia vel unus equus superfluus transgreditur Legem, quæ vetat multiplicare equos.* Cujus prohibitionis hæ videntur esse causæ. 1. Ne vel ipse, vel Magnates ejus, his equis cum pompa abutentes, supra fratres efferantur, & nimio fastu intumescant; quod *Jonathan* obiter ita tangit, דלמא ירכבון רברבנוי עלהון ויתגאון ויבטלון בפתגמי אורייתא *Ne Magnates ejus illos inequitent, & superbiant, & verba Legis irrita reddant.* Nempe non solum equus est animal γαῦρον, & τῦφου plenum; sed & contagione quadam fastu orem suum sæpe ita inficit, ut alieno etiam equo insidentes nonnulli superbiant. Unde est, quod *Plato*, (m) ἐφ' ἵππου καθίζας, εὐθέως κατιδὼν, φύσας ἐκλαβεῖν, μὴ ἵππου τῦφος λάβῃ, *cum equo insedisset, statim descendit, dicens vereri se, ne equestri (aut etiam equino) fastu corriperetur.* A quo vitio tamen non fuisse immunem judicavit *Antisthenes*, qui, (n) πομπῆς ποτε γινομένης, ἵππον θεασάμενος ἐγχρεμετίζοντα, φησὶ πρὸς τὸν Πλάτωνα, ἐδόκει μοι καὶ σὺ ἵππος ἂν εἶναι λαμπρυντής, *in pompa quadam equum intuitus cum fremitu ferocientem*, Platoni dixit, *Etiam tu mihi videris equus esse, qui magnifice se ostentat.* Eum scilicet ita suggillans ὡς τετυφωμένον.

m) Laert. lib. 3. in Platone.
n) Laert. lib. 6 in Antisthene.

2. Regi vetitum est equos multiplicare, שלא יבטח על רכבו כי רב ועל פרשיו כי עצמו מאד אבל יהיה מבטחו בשם אלהיו *ne fidat equitatui suo, quia multus est, aut equitibus suis, quia sunt maximè fortes; sed fiduciam suam habeat in solius Dei nomen.* Ita *R. Moses*, filius *Nachmanis*, in hunc locum, juxta illud *Davidis* Psal. 20. *v.* 8. *Hi curruum, & illi equorum; nos verò nominis Domini Dei nostri memores erimus.* Et *Solomonis* Proverb. 21. *v.* 31. *Equus paratur ad diem prælii; Domini autem est salus.* Et Esa. 31. v. 1. *Væ iis, qui nituntur equis, & confidunt curribus cum multi sunt, & equitibus cum sunt numerosi valde, neq; respiciunt ad Sanctum* Israelis, *& Dominum non requirunt.* Et Os. 1. v. 7. *Servabo eos per Dominum Deum ipsorum; at non servabo eos arcu, gladio, aut prælio, equis aut equitibus.* 3. Boni Regis est timere, ne equitatu nimio, & solum ad pompam comparato, subditis suis sit gravis: quomodo *Thraciæ* Rex, *Diomedes*, quem equos suos humanà carne pavisse fabulantur, eo quod, ad eos alendos sumptus faciens immodicos, subditorum opes, & facultates omnes exhauriebat. 4. Quarta denique prohibitionis ratio in ipsa Lege est, *Ne reducat populum in* Ægyptum *ad multiplicandos equos.* Arabs *Parisiis* editus, للاستكثار من الخير *ad multiplicationem bonorum.* Sed legendum الخيل *equorum.* Hieronymus, *Nec reducat populum in* Ægyptum *equitatûs numero sublevatus.* Et *Syrus*, eodem sensu, *Ne reducat populum in* Ægyptum, ܟܕ ܢܣܓܘܢ ܠܗ ܣܘܣܘܬܐ *cum equi fuerint ei multiplicati*, nempe Ægyptum invasurus. Quod ab hoc loco planè est alienum. *Hebraicè* enim habetur, למען הרבות סוס *ad multiplicandum equum*, id est, *equos, vel equitatum*: & *Græce*, ὅπως πληθύνῃ ἑαυτῷ ἵππον & *Onkelos*, בדיל לאסגאה סוסון: & *Samaritanus*, [Samaritan script] & *Arabs Erpenianus*, بسبب ان يكثر براذين. Omnes eadem mente, quia tum temporis equi ex Ægypto adducebantur, ut ad hunc locum observat *R. Solomo*, *R. Bechai*, & *Aben Ezra*, & nos multis jam probavimus. Itaque timendum erat, ne Rex, equis comparandis plus nimio addictus, populum in *Ægyptum* reduceret, שיהיו לו שם מעבדיו ומעמו שרי מקני יושבים בערי הרכב למען הרבות סוס כענין שלמה *ut ibi haberet è servis suis, & populo suo, qui, ut emptioni præessent, habitarent in urbibus equestribus ad multiplicandos equos, quomodo habuit* Solomo. Ita *R. Moses*, filius *Nachman*. Qui & alii potuissent, hoc exemplo provocati, redire in *Ægyptum*, atque in *Ægyptios* mores relabi: quos ideo Deus maxime oderat, quia nulla gens erat ad Idololatriam proclivior. Inde est, quod in *Jeremia* (o) Deus tam gravia iis interminatur, qui, metu *Chaldæorum*, in *Ægyptum* secedebant. Quæritur autem, annon hanc Legem transgressus sit Rex *Solomon*, cum sibi comparavit tam multos equos, eosque ex *Ægypto* adductos. *Hebræorum* plerique ita sentiunt. In his *Nachmanides* nuper citatus: & *R. Solomo* in 2. *Par.* 9. *v.* 25. עבר על לא ירבה לו סוסים *Peccavit in Legem, quæ dicit*, Non multiplicabit sibi equos. Et *Kimchius* in 1. *Reg.* 4. *v.* 26. ואמרו חכמים ז״ל כי עבר על לא ירבה לו סוסים ופירוש לא ירבה לו סוסים בטלים וכיון שלא היו לו אלא שנים עשר אלף פרשים והיו לו ארבעים אלף ארות סוסים הרבה סוסים בטלים היו לו ומה שהרבה שלמה סוסים ופרשים והוא לא היתה לו שום מלחמה לא עשה אלא לכבוד וגדולה כדי שילכו עמו כשילך ממקום למקום וגם קצת מלחמה היתה לו כשלקח חמת צובה ועציון גבר *Et dixerunt Sapientes beatæ memoriæ eum transgressum esse Legem, quæ vetat, ne Rex multiplicet equos, id est, ne alios habeat equos superfluos. Nempe, cum* Solomon *non habuerit nisi duodecim equitum millia, & stabulorum habuerit quadraginta millia, plurimos habuit equos superfluos. Quod autem multiplicavit* Solomon *equos, & equites, cum nullum illi esset bellum, non fecit nisi ad pompam, & magnificentiam, ut eum comitarentur, cum iret è loco in locum. Quin etiam illi fuit belli nonnihil, cum cepit* (p) Hamath-Soba, *&* (q) Esion Gaber. Hæc *Hebræi*, quibus calculum nolim addere in omnibus. Primò enim, in eo videntur æquo scrupulosiores, quod ne unum quidem equum superfluum Regi concedunt. At privatis etiam bini, aut plures equi sæpe præsto sunt, ut altero de via fesso, desiliant in recentem: ut quos *Romani* vocabant *desultorios*, *qui paribus equis*, (inquit *Festus*) *id est, duobus, utebantur in prælio, ut, sudante altero, transirent in siccum.* Eidem *Græcis* ἀμφίπποι. Auctor ignotus *De verbis militaribus* in fine *Suidæ*, voce Ὁπλῖται, ἀμφίπποι μὲν εἰσὶν οἱ δύο ἀστρώβους ἵππους συνδεδεμένους ἔχοντες (lege ἵππους συνδεδεμένους ἔχοντες), ut apud *Suidam* in Ἵππος) οἱ καταπηδῶντες ἀπ' ἄλλου ἐπ' ἄλλον. *Amphippi quidem sunt, qui duobus equis non stratis simul junctis vehuntur, qui, cum opus est, ab uno in alterum desiliunt.* Mendosè in *Polluce* (r) habetur ἀμφίπποι, pro ἀμφίπποι. *Ælianus* in *Tacticis* ita nominari dicit Barbaros prope *Istrum*, ὡς εἰθισμένους μεταβαίνειν ἀπ' ἄλλων ἵππων ἐπ' ἄλλους, *tanquam solitos ex uno equo in alterum desilire.* In quo numero *Mersi*: unde *Valerius Flaccus* lib. 6. *Argonaut.*

o) Jer. 42. 43. 44.
p) 2. Par. 8. v. 3.
q) 1. Reg. 9. 26 2. Par. 8. 17.
r) Lib. 1. cap. 10. sect. 5.

comi-

- - comitumq́, celer mutator equorum
Mœsus. - - - - - - -

Quadi etiam, & *Sarmatæ*, de quibus *Ammianus* lib. 17. *Trahentesq́, singulos (equos) interdum & binos, ut permutatio vires foveat jumentorum, vigorq́, otio integretur alterno.* Sed & *Romanos* ita pugnasse docet *Festus* in *Paribus equis.* Atque inde *pararium æs* appellatum fuisse *id, quod equitibus duplex pro binis* (scil. paribus) *equis dabatur.* Neque id ignotum *Arabibus*, qui خيل جنيب *equum lateralem* appellant eum, quem à latere suo vacuum ducit eques, conscendendum cum necesse est. Hinc *Arabs* Interpres edit. *Paris.* de *Josepho* Gen. 41. v. 43. واركب جنيبة *Et impositus fuit laterali ejus* (id est, *Pharaonis*) *equo secundo, qui ducebatur à latere.* Sed *Hebræa* habent, וירכב אתו במרכבת המשנה אשר לו *Et sedere fecit eum* Pharao *in curru suo secundario.* Nempe Reges etiam in bello, præter primarium currum, alium habebant secundarium. Quo pertinet, quod de *Josia* legitur 2. *Paral.* 35. v. 24. A curru demissum servi ejus imposuerunt על רכב המשנה אשר לו *super currum suum secundarium.* Ubi *Kimchius*, לפי שדרך המלך לרכוב על שני המרכבות הראשונה עיקר ואם יצטרך ישב בשניה *Quia solebant Reges duplici curru vehi, quorum primus erat principalis: & in altero sedebant, cum opus erat.* Ex quo ipso colligere erat, tam licere Regi vacuum equum, quam vacuum currum deducere. Neque vero pro superfluis habendi sunt equi, quotquot sunt vacui. Et in bello præsertim Regem necesse est plures equos, quàm equites habere, ut sit, unde morientibus, & ægris, & læsis, & fessis equis suppleat. Nimis igitur rigidos hîc se præbent *Judæorum* Magistri, per quos ne unum quidem vacuum habere Regi licet. Nec tam Legis τὸ ῥητὸν, quàm mens attendenda est. In quam non peccabat Rex, qui multos equos congerebat, modo ne iis ad pompam, aut tyrannidem abuteretur; sed vel ad vecturas necessarias, vel ad insurgentium hostium impetus propulsandos. Adde in *Solomone* aliquid fuisse peculiare, quem Deus externo illo splendore voluit eminere supra reliquos Reges, cum quia sic promiserat, tum ut in illo *Messiæ* typum haberemus expressiorem. Utut sit, *Solomon* his equis se non fidisse profitetur his verbis *Proverb.* 21. v. 31. *Equus paratur ad diem prælii; Domini autem est salus.*

CAPUT DECIMUM.

De Equis *Soli* consecratis.

Equos Soli *consecraverunt* Rhodii, Spartani, Massagetæ, Æthiopes, Armeni, Persæ, *&c. Ita etiam* Judææ *Reges idololatræ, quod à* Josia *est abolitum* 2. *Reg.* 23. v. 11. Cessare fecit, *id est, destruxit. Interpretes* Græci, *&* Syrus, *emendati. Refelluntur, qui pro equis equorum effigies intelligunt. Hos equos* Soli *dederant, id est, consecraverant, vel mactandos, vel mane cum pompa deducendos versus Orientem* Solem, *cum* Judæos *Lex juberet adorare versus Occasum. Superstitionis auctores,* Manasse, *&* Amon. *Locus* Parvarim, *vel* Pharurim, Symmacho φαρουείμ. *Urbis Orientale suburbium, in quo ad Ortum mane currebant, ut Orienti* Soli *occurrerent. De quo cursu nihil in Scriptura.* Parvar, *&* Parbar, *idem. V, & B, permutabiles.*

SOli currus, & equos veteres consecrârunt, vel ὡς ταχυτάτῳ τῷ ταχυτάτῳ, vel quia is curru fingitur totum orbem circumvehi. Ita de *Rhodiis Festus*, voce *October*, *Quotannis quadrigas* Soli *consecratas in mare jaciunt, quod is tali curriculo fertur circumvehi mundum.* Et de *Spartanis Pausanias* in *Laconicis*. Ἄκρα δὲ τοῦ Ταϋγέτου Ταλετὸν ὑπὲρ Βρυσεῶν ἀνέχει· ταύτην Ἡλίου καλοῦσιν ἱεράν. καὶ ἄλλα τε αὐτόθι Ἡλίῳ θύουσι, καὶ ἵππους. *Taygeti vertex Taletum supra Bryseas sustinet: hunc sacrum* Soli *appellant; ibiq́, adeo cum alias hostias, tum equos* Soli *cædunt.* Et de *Massagetis Strabo* lib. 11. Θεὸν δὲ Ἥλιον μόνον ἡγοῦνται· τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι. *Solem putant unum esse Deum; equos autem illi immolant.* Atque, ut addit *Herodotus* in fine libri primi, νόμος οὗτος τῆς θυσίης· τῶν θεῶν τῷ ταχίστῳ πάντων τῶν θνητῶν τὸ τάχιστον δατέονται· *hæc sacrificii ratio est: Deorum celerrimo mortalium omnium celerrimum assignant.* Quod ipsum de *Æthiopibus* habet *Heliodorus* lib. 10. Ἡλίῳ μὲν τέθριππον λευκῶν ἵππων, τῷ ταχυτάτῳ θεῶν, ὡς εἰκός, τὸ τάχιστον καθοσιοῦντες. Sed & in *Armenia* (*Xenophon.* lib. 4. *Anabaseos*) ἵππον, ὃν εἰλήφει παλαίτερον, δίδωσι τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουσεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ Ἡλίου· *Equum, quem sumpserat antiorem, pagi præfecto, qui illum enutriverat, reddidit immolandum, quia* Soli *sacrum esse audiit.* Et de *Persis* idem lib. 8. *Cyrop.* Ἔπειτα ἔθυσαν τῷ Ἡλίῳ, καὶ ὡλοκαύτωσαν τοὺς ἵππους· *Deinde* Soli *sacrum fecerunt, & equos in holocaustum obtulerunt.* *Trogus* itidem lib. 1. *Solem unum esse Deum* Persæ *credunt, & equos eidem Deo sacratos ferunt.* Et *Ovidius* lib. 1. *Fast.*

> *Placat equo* Persis *radiis* Hyperiona *cinctum,*
> *Ne detur celeri victima tarda Deo.*

Hinc apud *Dionem Chrysostomum* in Orat. *Borysthen.* Οἱ Μάγοι τῷ Διὶ τρέφουσι ἅρμα Νισαίων ἵππων, Ἡλίῳ δὲ ἕνα ἵππον· *Magi Jovi currum educunt* Nisæorum *equorum,* Soli *autem unum equum.* Et in *Apollonio Philostrati* lib. 1. *Persarum* Rex λευκὸν ἄρα ἵππον τῶν ἐκ τῶν φορβάδων Νισαίων καταθύειν ἔμελλε τῷ Ἡλίῳ, φαλάροις κοσμήσας, ὥσπερ ἐς πομπήν. *album equum, è præcipuis inter* Nisæos, Soli *erat immolaturus, phaleris ornatum tanquam ad pompam.* Et, in *Dionis Nicæi Severo*, Plautianus ἵππους Ἡλίῳ τιγροειδεῖς, τοὺς ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ νήσων, πέμψας ἑκατοντάρχους ἔκλεψεν, *missis centurionibus, equos tigribus similes ex Rubri Maris insulis* Soli *furatus est;* cui scilicet sacri erant.

Hâc eadem superstitione imbuti *Judææ* Reges currus, & equos *Soli* dicârunt, quod à pio Rege *Josia* est abolitum. Rem ita narrat Sacer Scriptor 2. *Reg.* 23. v. 11. *Et cessare fecit* (Josias) *equos, quos* Soli *dederant* *Reges* Juda, *ab ingressu domûs Dei ad domum* Nathanmelechi *Eunuchi, quæ erat in* Parvarim, *& currus* Solis *combussit igne.* *Cessare fecit*, Hebr. שבת, id est, *abolevit, amovit, abstulit, destruxit*: ut paulo ante, versu 5. והשבית את הכמרים, *Et cessare fecit Chomarim,* id est, *destruxit, interemit idolorum sacrificulos.* Et Levit. 26. v. 6. והשבתי *Et cessare faciam bestias malas è terra*, id est, *perdam, & destruam.* *Græci* habent, Κατέκαυσε τοὺς ἵππους, *Combussit equos*: & versu 5. Κατέκαυσε τοὺς χωμαρείμ sed utrobique legendum, Κατέπαυσε, *Cessare fecit.* In *Syro* etiam pro ܩܛܠ, *occidit,* suspicor reponendum ܒܛܠ, *cessare fecit*, quomodo habet Chaldæus.

Porro veros equos hîc intelligo cum *Hebræis* Interpretibus, non sculptas equorum effigies, ut plerique recentiores, qui vel aureas, vel argenteas, vel æneas *Solis* quadrigâ vecti statuas hîc significari existimant. Quod non videtur convenire satis cum verbis Sacri Textûs. Nam, si de statuis hîc ageretur, non simpliciter diceretur equos amovisse *Josias*, sed equos aureos, vel æneos, *&c.* Et materiam Scriptura indicâsset ad vitandam homonymiam, quomodo vituli ab *Aarone*, & serpentis à *Mose*, & boum ac leonum à

Solomone

Solomone conflatorum. Nec in una statua equos à curru distinxisset; prout his verbis fecit, *Et amovit equos*, &c. *Et currus* Solis *combussit igne*. Præterea, cum statuæ nonnisi loculum suum occupent, quorsum equis statuæ affixis, quique adeò illius fuissent particulæ, & appendices, assignatum fuisse diceretur spatium inter Templi fores & domum *Nathan-melechi* in *Parvarim* interjectum? Omnino hæc verba designant plateam aliquam Templo attiguam, in qua equis *Soli* sacratis exspatiari liberum fuit. Quid quòd *Solis* imagines Idololatræ potiùs in ipso Templo erexissent, quam in vicina platea.

Hos equos *Soli* dedisse, id est, consecrâsse, dicuntur *Judæ* Reges: ut *Levit.* 20, 2. *Quisquis dederit de semine suo Molecho*, id est, *quisquis consecraverit*. Itaque in his *Græca* versionis, Τοὺς ἵππους, οὓς ἔδωκαν βασιλεῖς Ἰούδα τῷ Ἡλίῳ, pro ἔδωκαν, *dederant*, *Ximeniana* editio, & nupera *Parisiensis* rectè habent ἀνέθηκαν, *consecraverant*. Equos hic *Soli* dare, & consecrare, est illos seponere, vel *Soli* mactandos, vel, ut *Hebræi* sentiunt, manè cum pompa deducendos versùs Orientem *Solem*. R. *Selomo* in hunc locum, המשתחוים לחמה היו להם סוסים מוכנים לקראת החמה בבוקר *Qui* Solem *adorabant*, *habebant equos paratos ad occurrendum illi manè*. Et *Kimchius*, היו רוכבים עליהם והולכים לקראת השמש בבקר מזרחה *Equitabant super eos*, *& ibant in occursum* Solis *manè versus ortum*. Et *R. Levi*, הם היו הולכים מבית יי לפאת המזרח להשתחוות שמש הפך מה שצונה התורה *Ibant à domo Domini versus Orientem*, *ut adorarent Solem*, *contra quam Lex proponit*. Quæ scilicet *Judæos* jusserat adorare versus Occasum. Hujus superstitionis origo refertur ad *Judææ* Reges, qui *Josiam* præcesserant, id est, *Manassen*, & *Amonem*: quorum ille (*a*) *adorasse* legitur *omnem militiam cœli*; hic (*b*) *fecisse malum coram Domino, sicut fecerat* Manasse *pater ejus*. Rem non licet altius repetere; quia, *Manassis* pater, *Ezechias* omnia Idololatriæ monimenta deleverat. Locum sive alendis, sive exercendis his equis destinatum definit Sacer Scriptor *ab ingressu domus Dei ad domum* Nathan-melechi *Eunuchi, quæ erat in* Parvarim. *Græci*, & *Vulgatus*, Φαρουρίμ *Pharurim*, legunt. Id putavit *Symmachus* esse φρούριον, *castrum*, puta *Davidis*, propter allusionem. *Theodoretus* in lib. 4. *Reg.* Quæst. 56. Τὸ δὲ Φαρουρὶμ, τὸ φρούριον ὁ Σύμμαχος ἡρμήνευσεν. *Res* & *Daleth* permutatis, פרודים *Parudim*, legerunt *Syrus*, & *Arabs*, & reddiderunt ܦܪܘܕܐ *Peruda*, vel *Pheruda*; quod loci nusquam quod sciam, sed viri nomen est *Ezra* 2, 55. *Chaldaicè* פרורין *Parvarin*, sunt *suburbia*. Proinde *Hebræi* hic intelligunt *Hierosolymorum* suburbia ad Ortum sita. Et equos *Soli* sacros summo mane decurrisse volunt spatium inter Templum & illa suburbia interjectum, ut Orienti *Soli* occurrerent. Quo exemplo dicit *Benjamin* de incolis *Haulam* (nomine *Zeilam* putat) ובבקר הם רצים לקראת החמה *Manè currunt in* Solis *occursum*, cujus scilicet cultui sunt valde addicti. At in Sacro Textu de cursu equorum in *Solis* gratiam nihil quidquam est. Neque enim illorum cursus, sed statio his verbis definitur, *Amovit equos*, &c. *ab ingressu domus Dei ad domum* Nathan-melechi *Eunuchi*, *quæ erat in* Parvarim. Itaque *Parvarim* locus fuit Templo vicinus, à quo ad Templi fores nihil fuit præter equorum stationem. Et Plurale *Parvarim* videtur id ipsum esse, quod Singulare פרבר *Parbar*, 1. *Par.* 26. *vers.* 18. Ibi sic vocatur locus non ad Ortum Templi, ut volunt, sed ad Occasum situm. *Beth* & *Van* literas esse permutabiles, nemo est, qui nesciat.

(*a*) 2. *Reg.* 21, 3.
(*b*) 2. *Reg.* 21, 20.

CAPUT UNDECIMUM.

Quid sit in Equis subnervatio, splenis abscissio, & plantæ pedis excavatio.

Subnervare equum עקר, *al. suffragines succidere*, *al. talos*, *aut ungulas abscindere. Cum* ערק Hebr. *sit nervus*, *fortè* עקר *sumptum pro* ערק, *& ideo redditum* νευροκοπεῖν, subnervare. *Cur* Chananæorum *equos subnervare jusserit Deus. Boves etiam subnervari* Gen. 49. vers. 6. *ubi* שור *alii* Magnates, *alii* Josephum, *alii* murum *esse volunt*, *qui refelluntur. Splen equis eximitur*, *& ungulæ excavantur*, *ut sint velociores. De utroque* Chaldæa *Paraphrasis*, *&* Talmudici. *De splenis excisione quid* Plinius *&* Plautus. *Splenem*, *ut viscus inutile*, *aut noxium*, *etiam veteres vel* ἀποπλήξεις *medicamentis consumere*, *vel ferro abscindere*, *vel igne exurere conati. Quod tamen alii vetant. Particula plantæ pedis*, *quam in equo* Hebræi *abscindi volunt*, *est* βάτραχος, *seu* ranula. Vegetius *emendatus*.

JAm de duobus dicendum: quorum uno prohibetur equus, ne moveatur è loco suo; altero fieri creditur habilior ad cursum. Prius est subnervatio; posterius splenis abscissio, & pedum excavatio. *Subnervare equum* Hebr. est עקר *Jos.* 11. *vers.* 6, 9. & 2. *Sam.* 8. *vers.* 4. & 1. *Par.* 18. *vers.* 4. quod Interpretes variè reddunt. *Syrus* ܚܒܠ *consumere*; Arabs عرقب *talos succidere*, & حل *dissolvere*; Græci νευροκοπεῖν & παραλύειν. Vulgatus constanter, *subnervare*; Castalio, *confodere*, *& corrumpere*; Junius, & Tremellius, *suffragines succidere*; Kimchius, *talos*, ut Arabs; Pomarius, *ungulas equorum abscindere*; *Chaldæus* ubique, & *Syrus*, in *Samuële*, & *Paralipomenis*, *Hebræam* vocem retinent, quæ *evellere*, & *eradicare* est *Eccles.* 3, 2. *Dan.* 7, 8. & *Sophon.* 2, 4. Unde, ad equos translata, *talorum* significat, aut *pedum abscissionem*; כי רגלי הבהמה הם יסוד העקר לבהמה שאין כן באדם לפיכך כנה כריתת עקבי הבהמה בלשון עקירה כמו תלישת הנטוע משורשו *Quia jumenti pedes sunt illius fundamentum*, *& radix*, *secus quam in homine*. (Qui arbor est inversa, & radices habet supra) *Propterea jumenti talorum succisio eradicatio dicitur*; *ac si esset avulsio plantæ à radice sua*. Ita *Kimchius* in *Lexico*, cui assentitur *Aquinas*. Quid si per Metathesin עקר dicatur pro ערק, tanquam à Nomine ערק, quod *nervum* sonat? In hac fuisse sententia veterum ii videntur, qui νευροκοπεῖν, & *subnervare* reddiderunt; quam versionem maximè probo; quia, nervis crurum incisis, equi fiunt planè inutiles.

Ut lectori fiat planius, quid *Hebræi* sentiant de hac equorum subnervatione, libet hic adscribere *Kimchii* notam ad hæc *Jos.* 11. *vers.* 9. את סוסיהם עקר *Equos*, inquit, *eorum* Josue *subnervavit*, *ut constaret id*, *quod illi dixerat Deus versu sexto*, "Equos eorum "subnervabis, *rationem habere mandati. Jam*, *si quæratur*, *cur in hoc bello id eum jusserit Deus*, *quod in aliis non jusserat*, *ratio est in promptu. Nempe*, *in aliis bellis*, *currus*, *& equi non suppetebant*; *quia suscepta non fuerant nisi ad urbium invasionem. Nam & illi quinque Reges*, *qui* Gabaonem *adorti sunt*, Jos. 10. *illam invasuri venerant*, *proinde*, *equis*, *& curribus opus illis non fuit*; *at in hoc bello cum aciem instruxerint numerosi exercitus*, *in* Israelitas *depugnaturi*, *necesse habuerunt colligere currus*, *& equos. Et verò multos*

multos adduxerunt, *prout habetur* Deut. 20 vers. 1 "Si videris equos, & currus, *&c.* *Et* Jos. 11. vers. 4 "Equi erant, & currus multi admodum. *Quod de aliis bellis dici non reperies. Jussit igitur Deus Benedictus, ut perderentur equi, & currus, quibus pugnabant gentes, & quorum copia confidebant*, *ignara* mendacem esse equum ad salutem, *Psal.* 33 *vers.* 17. *Et, sine curribus, & equis*, Israelitæ *vicerunt eos, & confestim perdiderunt*, quia Domini est salus, *Prov.* 21. *vers.* 31. *Atque ideo noluit Deus Benedictus, ut equos, & currus* Israelitæ *deprædarentur, ne & ipsi, iis freti, in animo suo reputarent se per equos bella confecisse. Proinde* Josuæ *mandavit, ut subnervaret equos, & currus combureret. Non tamen jussit equos interfici, quia illorum usus non est per se vetitus. Quin reliqua jumenta, curules asinos, aut camelos puta, non mandavit, ut subnervarentur, sed ut caperent in usum suum. At equos, qui nonnisi in bellum inserviebant, ideo subnervari jussit, ne iis captis confiderent: verum destrui noluit; quia non licet vivum animal destruere, nisi cum necesse est, aut usus illius vetitus. Porro,* העיקור subnervatio, *est incisio pedum jumenti à genu, & infra: quo facto, non moritur; solùm incedere non valet, & in illa parte vulnus non est insanabile.* Hæc ad eum locum *Kimchius*, quibus non dissimilia reperies in 2. *Sam.* 8, 4.

Boves etiam subnervari colligere est ex his *Iacobi* Patriarchæ de *Simeone*, & *Levi*, filiis suis, *Gen.* 49, 6. *Furore suo occiderunt viros, & pro arbitrio suo* עקרו שור *subnervaverunt bovem*, seu *boves*; nempe in deprædatione urbis *Sichem*, *Gen.* 34, 25. in qua etiam boves abacti, versu 28. Ridiculus est *R. Iacob*, *Eleazari* filius, qui boum nomine *Magnates* intelligit, quomodo in his *Psal.* 22, *vers.* 12. *Tauri circumdederunt me.* Nec melius *Ierosolymitanus* Interpres, qui ad *Josephum* ita refert, זבינו יוסף אחיהון דמתיל לתורא Josephum *fratrem suum vendiderunt, qui cum tauro confertur*: nimirum in benedictione *Mosis*, *Deut.* 33. *vers.* 17. Quod sequitur *R. Selomo*. At *Vulgatus* multo aliter, עקרו שור *suffoderunt murum*. Nempe שור non solùm *bovem*, sed & *murum* significat. Itaque, præter *Vulgatum*, etiam de *muro* intelligunt *Syrus*, & uterque *Arabs*; &, è *Chaldæis*, *Jonathan*. & *Onkelos*; &, ex *Hebræis*, *Aben Ezra*, *Pomarius*, & *Aquinas*; &, è *Græcis*, Auctor veteris *Scholii* ad hunc locum, ἐξερρίζωσαν τεῖχος. Tamen שור hic esse *bovem*, primò suadet punctum *Cholem*. Nam, cum pro *muro* sumitur, scribitur שור cum *Schurech*. Deinde hæc minus cohærebunt, *Occiderunt viros, & subverterunt muros*, quam si dixeris, *& subnervârunt boves.* Ne dicam *Iacobi* filiis liberum fuisse aditum in urbem *Sichem*, ut nihil necesse habuerint mœnium illius moliri subversionem. Nec, si maximè voluissent, facile id fuisset duobus viris, qui neque machinis, neque armis ullis usi leguntur in oppidi direptione, præter gladios, *Gen.* 34. *vers.* 25. Denique præter *Kimchium*, cui שור hoc loco *taurus* est, etiam *Samaritanus* habet ᠀ [Samaritan text] *subnervaverunt bovem*; & *Seniores* ἐνευροκόπησαν ταῦρον, ne quis putet hanc versionem hodiè & heri natam.

Superest, ut agamus de splenis excisione, & pedum excavatione in equis, quibus illos fieri expeditiores his verbis insinuat *Chaldæus* Paraphrastes *Esther.* cap. 8. versu 10. ושלח פטקין בידא דרהטנין רהטי סוסון ורכבי רכבא ערטולני רמכין דאתנטילו טחוליהון ואתקדו פסות כף רגליהון *Et misit literas per manum cursorum currentium super equos, & equitantium veredos nudos, & equas, quibus ablati fuerant splenes, & excisæ fuerant particulæ plantæ pedis ipsarum.* Cui loco geminus est iste ex *Gemara Sanhedrin* cap. 2. sect. 9. de quinquaginta cursoribus, quos sibi comparâsse legitur *Adonija* 1. *Reg.* 1. *vers.* 5. כולהם נטולי טחול וחקוקי כפות רגליהם היו *Illis omnibus splen est ablatus, & plantæ pedum excavatæ.* Quod in *Avoda Zara* totidem verbis repetitum reperies cap. 3. fol. 44. a. Et splenem quidem, vel, quod idem est, lienem ideo eximi, ut cursus sit agilior, etiam in *Plinio* reperio lib. 11. cap. 37. *Peculiare, inquit, cursus impedimentum aliquando in eo; quamobrem inuritur cursorum laborantibus: & per vulnus etiam exempto vivere animalia tradunt.* Hinc in *Plauti Curculione* leno *Cappadox* ad lienem refert, quod in incedendo laborat,

—(a) *accrescit labor:*
Nam jam, quasi zonâ, liene cinctus ambulo.

Ita etiam *Acanthio in Mercatore*,

—(b) *genua hunc cursorem deserunt,*
Perii, seditionem facit lien, occupat præcordia.

(a) *Act.* 2. *Sc.* 1.

(b) *Act.* 1. *Sc.* 1.

Atque ob id ipsum incommodum, & alia longè graviora, quæ non sunt hujus loci, veteres lienem sæpe tentârunt vel ἀσπλενίοις medicamentis, quæ vocant, paulatim consumere, vel ferro candente exurere, vel excisione denique ex corpore prorsus eximere, tanquam viscus noxium, aut certè nullius usûs, nec certo fine à natura factum. In qua sententia fuisse legitur (c) magni nominis Philosophus *Erasistratus*, *Theophrasti* discipulus, & *Aristotelis* ex filia nepos. Ἄσπληνα sunt teucrium, scolopendrium, & hemionitis, ad quam pertinere putat Vir magnus hæc *Vitruvii* lib. 1. cap. 4. ubi de *Creta* quodam flumine inter *Gnosson*, & *Gortynam*. *Dextrâ, & sinistrâ ejus fluminis pascuntur pecora; sed ex his, quæ pascuntur proxime* Gnossum, *splenosa, quæ autem ex altera proxime* Gortynam, *non habent apparentem splenem. Unde etiam Medici, quærentes de eadem re, invenerunt in his locis herbam, quam pecora rodendo imminuerunt lienes. Ita eam herbam colligendo curant lienosos hoc medicamento, quod etiam* Cretenses asplenon *vocant.* Remediorum hujusmodi longam seriem habet *Samonicus* cap. 24. quæ sic incipit,

Nonnulli memorant consumi posse lienem,
Ex vino si semper jejuno sumpserit ore,
Aridulos pisces item, &c.

(c) *Galen. in usu part. lib.* 4. *cap.* 15. & *lib. De atra bile.*

Sed & splenem exsecari ex illo ipso discere est, cum scilicet

—*tumidus nocet, & risum addit ineptum,*
Dicitur exsectus faciles auferre cachinnos.

Et *Paulus Ægineta* docet quâ ratione aduratur lib. 6. cap. 48. *Cutis, inquit, quæ lieni incumbit, hamo elevata, oblongo ferro candenti per totum ipsa aduretur, ut unico impressu duæ fiant crustæ*, &c. Et apud *Riolanum*, *Anthropol.* lib. 2. cap. 23. *Turcis* cursoribus lienem inuri narrat *Rossetus*. Idque verum esse audivit à quibusdam, sed modum nunquam rescire potuit *Nicolai* in suis *Peregrinationibus*. Tamen *Absyrtus* lib. 1. *Veterinariæ*, cap. 40. *Nonnulli in equis splenem urendum præcipiunt, quod nobis non placet. Quippe, cum hujus visceris sedes fenestrata videatur, candens ferramentum sub carne repens fallet, ac urente vigi assabitur.* Proinde multis carnificina potius, quam medicina videtur esse lienis exsectio, aut exustio. Hinc *Trallianus* lib. 8. curatum à se refert militem, cui tota lienis regio barbaricis ferramentis candentibus ustulata fuerat. Et *Cælius Aurelianus* lib. 3. cap. 4. *Chron. pass.* lienem ait exscindendum, vel urendum, voce quidem dictum fuisse, non officio completum, cum ustio sit periculosa, nec fieri possit sine peritonæi vulnere, quod, ignis vi vexatum, propter nervosam substantiam, mortem affert. Proinde quod scribit *Leonardus Fioravantus* fœminam, liene graviter affectam, eo extracto ope Chirurgi, convaluisse, *credat Judæus Apella, non ego*, inquit *Riolanus* ubi supra. Plura de hoc argumento vide apud *Naudæum* lib. 1. cap. 14. *De studio militari.*

Verbum addo de particula plantæ, quam in equo exscindi dicunt *Chaldæus* Paraphrastes, & Doctores *Talmudici*. Id ad ungulam puto referendum, quæ detrita circumciditur. *Vegetius* lib. 1. cap. 56. *Oportet ferramento concisorio soleas, ramulasque purgari.* Lege

ramulasque,

ranulasque, id eſt, βατράχυς, quæ in media ungula ſunt partes tenerrimæ. *Abſyrtus Hippiatricῶ* lib. 1. cap. 8. ubi de crithiaſi, *Ungulas abjicit, in quibus partes illa, quas* βατράχυς *vocant, teneræ ſunt, & ſanguinem emittunt, quas inferius ſcarificare, & circumcidere oportet.*

CAPUT DUODECIMUM.

Hebræa Aſini nomina.

Aſinus neque à turbido cerebro, neque à menſura chomer, *ſed à rubro colore* חמור chamor, *dicitur. Cujus nomine Ægyptiis fuit exoſus, tanquam Typhoni concolor. Aſini* πύῤῥινοι *dicti, ut probatur ex* Heſychio, *qui obiter emendatur. In Oriente ſcilicet aſini plerumque rubent. Tamen aſina* צחורה Jud. 5, 10. *id eſt, albo & rubro diſtinctæ. Aſina* אתון athon, *à viribus, aut à conſtantiâ dicta, quæ verius pertinacia. Onager* פרא, *&* ערוד. *Aſellus, & laliſio* עיר ajir. תרתק Tharthak, *Deus aſini figurâ.* Ὄνος, *&* ὑποζύγιον, *unde.*

NUnc ut ab equis ad aſinos deſcendamus, aſinus vel domeſticus, vel ſylveſtris eſt. Ille *Hebrais* חמור *chamor*, dicitur, non à turbido cerebro, ut quidam ineptè ſtatuunt, quia חמר chamar, *turbidum eſſe* ſonat; nec à menſura חמר *chomer*, quam volunt eſſe aſini onus, cùm vel olei, vel frumenti *chomer* ſit penè cameli onus, & duplo, vel triplo gravior, quam ut ab aſino ferri poſſit: ſed à colore rubro, vel rufo. Nempe ut *Arabicè* حمر *chamara*, ita etiam *Hebraicè* חמר chamar, *rubere* eſt *Pſ.* 75. 8. Atque inde חמר chemer, *vinum*, חמר chomer, *lutum* propriè *rubrum*; חמר chemar, *bitumen*, quod rubrum eſſe docent *Dioſcorides, Serapio, Aben Ezra*, &c. יחמור jachamur, *dama*, aut *capreæ rubræ ſpecies*. Denique חמור chamor, *aſinus*, primò, & propriè, *qui rubet*, deinde etiam quivis alius. Nempe, cum hic aſini ſint ferè λευκόφαιοι, & σποδιαῖοι, in Oriente plerumque rubent. Unde eſt, quod aſinum execrabantur *Ægyptii*, tanquam *Typhoni* concolorem, qui rufus fuiſſe credebatur, id eſt, ὀνώδης τὴν χρόαν, *colore aſininus*. *Plutarchus* in *Iſide* de *Ægyptiis*, Τῶν μὲν ἀνθρώπων τὰς πυῤῥὰς προπηλακίζοντες, ὄνον δὲ καὶ καταχρημνίζοντες, ὡς Κοπῖται, διὰ τὸ πυῤῥὸν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα, καὶ ὀνώδη τὴν χρόαν. *Rufos quidem homines* (quibusdam feſtis) *contumeliis afficientes, atque aſinos etiam de præcipitiis dejicientes, ut* Coptitæ, *quia rufus fuit* Typhon, *& aſinini coloris.* Eodem pertinet, quod *aſinus* Hiſpanis *burro*, & *borrico* dicitur, & Gallis *bourrique*. Quod *Græcè* eſſet πυῤῥὸς & πύῤῥινος, vel πύῤῥιχος, id eſt, *rufus*. Pro quo interior *Latinitas burrum*, & *burricum* dixit; & recens *Græcia* βύεχρον, ſed pro *manno*, non pro *aſino*, ut ex *Porphyrione* in (a) *Horatium*, (b) *Vegetio*, (c) *Paulino*, (d) *Hieronymo*, & (e) *Iſidoro* conſtat. Vide Cl. *Meurſii Gloſſarium Græcobarbarum* in Βύεχος, & doctiſſimi *Meſnagii Gallicas Origines* in voce *Bourrique*. Tamen veteres quoque πύῤῥικον pro *aſino* uſurpâſſe mihi videor colligere ex his *Heſychii*, Πατρόθεν πορδικάδας, ὅτι πατέρων εἰσὶν ὄνων ἡμίονοι. In quibus à veteri *Comico*, ut ſuſpicor, muli dicuntur eſſe πατρόθεν πυῤῥικάδας (ita enim omnino legenda vox nihili πορδικάδας) tanquam à patribus πυῤῥικοῖς, id eſt, ab aſinis, orti. Aliud conjectat Vir nobiliſſimus, & *Græcæ* linguæ peritiſſimus, Dominus de *Grentemeſnil*, nempe aſinos ἀπὸ τῦ πέρδεσθαι dici potuiſſe πορδίνας, unde muli πορδικάδας. Sed illius judicio quamvis multum deferam,

(a) Epod. 4.
(b) Lib. 4. cap. 7.
(c) Epiſt. 10. ad Sever.
(d) Epiſt. ad Pammach.
(e) In Gloſſ.

meæ tamen conjecturæ non me pœnitet. Interim non omnes aſinos in Oriente rubuiſſe conſtat ex Cantico *Deboræ Jud.* 5. v. 10. ubi commendat אתנות צחורות *aſinas albas*, ut *Hebræi* reddunt, quomodo צמר צחר *Ezech.* 27. *verſ.* 18. volunt eſſe *lanam albam*. Sunt, qui aſinas λαμπρὰς, *lucentes, nitentes*, & ἔριον στίλβον, *lanam lucidam*, explicant; quaſi צחר per *Cheth* ſit idem, quod צהר per *He*. Sed ex *Arabibus* diſcimus, צחר colorem eſſe *ſubalbum*, aut *ex albo & rubro diſtinctum*, etiam in aſino. *Giggeius*; الصحرة *cum camelus haud valde albus eſt, color terræ parùm ruber, ad albedinem leviter declinans.* اتان صحور *aſinus albo rubroque diſtinctus.* *Alcamus* explicat اتان فيها بياض وحمرة *aſinam, in qua albedo & rubedo mixta.* Et in *Gianhari*, apud *Golium*, اصحر eſt *aſinus, in quo rubedo, nempe cum albedine.*

Ut חמור chamor, *aſinum*, ſic אתן athon, *aſinam* ſonat. Nomen ab איתן *ethan*, ſeu *robore*, quo majori par eſt oneri, quam ullum aliud animal ſimilis molis. Unde *Jacobus* Patriarcha, *Gen.* 49. *verſ.* 14. *Iſſachar eſt aſinus robuſtus.* Poteſt etiam idem nomen ad conſtantiæ laudem pertinere. *Arabicè* quippe اتن *athana* Verbum eſt *in propoſito conſtanter perſeverare*. Quamvis aſini conſtantia ſit pertinacia potius. Cujus en tibi graphicam deſcriptionem ex *Homeri Iliad.* λ'. verſu 557, &c.

Ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας,
Νωθὴς, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη,
Κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες
Τύπτουσιν ῥοπάλοισι, βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν,
Σπουδῇ τ' ἐξήλασαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.

Summa eſt, aſinum ſegetes depaſcentem, quamvis à pueris multi fuſtes in ejus tergo frangantur, ex agro non ante ejici quam ad ſatietatem uſque comederit.

פרא *pere*, eſt *aſinus ferus*, Arabicè فرا *phera*, unde Proverbium in *Damire*, كل صيد في جوف الفرا *Omnis venatio eſt in corpore onagri.* Duobus ſcilicet, quorum unus leporem, alter capream ſe cepiſſe jactabat, id regeſſiſſe fertur tertius, qui onagrum ceperat, quia majus onagro animal non venantur *Arabes*. Onagrum à curſûs velocitate ſic appellari ſuo loco docebimus. Falluntur, qui feræ nomen deducunt ex *Arabico* فرا *pherà*. Eſt enim *Æolicum* φὴρ pro θὴρ.

Sed & ex uſu *Chaldaico* ערוד *arod*; eſt *onager* Job. 39. verſ. 5. Vox eſt ὀνοματοποιητικὴ, quâ onagri ruditus utcunque effingitur, ut *rudendi Latinâ* voce.

עיר *ajir*, Arab. عير *air*, & *Chald.* עיל R & L permutatis, eſt *aſellus*, & *laliſio*, id eſt, vel domeſtici, vel feri aſini pullus. Radix עור *excitare* eſt; quia pullus parentibus multo eſt excitatior.

Hæc de aſini nominibus apud *Hebræos*. *Arabica*, & *Chaldaica* plura ſunt; ſed quæ non ſunt hujus loci.

Non me latet *Avvæorum* numen תרתק *Tharthak* 2. *Reg.* 17. *verſ.* 31. ab *Hebræorum* vulgo aſini figurâ deſcribi. Sed in re planè incerta fides eſto penes auctores.

Ut *jumentum* eſt à *juvando*, ità ὄνον dici vult *Etymologus* παρὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ γινομένην ὄνησιν ἐν τοῖς ἔργοις. Jumentum omne, quod ſub jugo eſt, dici poteſt ὑποζύγιον. *Græci* tamen Interpretes, & *Matthæus*, & *Petrus* nonniſi pro *aſino* ſumunt. Vulgatus *ſubjugale* reddit. Et in *Luciano* ſic de ſe ipſo aſinus, Τῇ μύλῃ με ὑπεζεύγνυσαν, quod ita reddidit *Apulejus* lib. 7. *Molæ machinariæ ſubjugum me dedit.* At à *Chaldæo* כדן chedan, *ſubjicere*, & *ſubjugare*, כודן chudan, *mulus* eſt, non aſinus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Asinus ad quam multa utilis.

Asini in veterum opibus. Esdras *Apocryphus*, & Arabs *Interpres*, *notati.* *Asinorum usus.* I. *Ferunt onera.* *Asinus panis* 1. Sam. 16, 20. *& in* Sosibio. *Chaldæum* קנתל canthel, *pro asino, non est* Arabicum, *ut volunt, sed* Græcum κανθήλιος. Cantherius *quid proprie.* II. *Asini olim non solùm plebeios, sed & nobilissimos vehebant. Cur* Christus *asino vectus.* Talmudis *locus ex* Persica *lingua restitutus.* Chrysostomus *jam Patriarcha, & Magnates* Arabum *asinis vecti, ut in* Ægypto *matronæ hodieque, & olim* Romæ. *Cur* חמור *pro asino* Septuaginta ὑποζύγιον, *&* ἐπιθύμημα *reddiderint, ratio fabulosa.* III. *Asini curules* Es.21. vers.7. *Currus asinorum, alii aliter legunt.* IV. *Asini aratores, maximè ubi terra levis est. Bove & asino arare vetitum.* 1. *Quia sunt diversi generis.* 2. *Quia bos mundus, asinus immundus.* 3. *Quia bos ruminat, asinus non ruminat.* 4. *Propter vires inæquales.* *In* Homero *boves* ἰσοφόροι. V. *Molam circumagunt. Mola asinaria, & trusatilis. Velatis oculis molebant. Lignum molæ* Thren. 5. 13. *al.* molile, κώπη τῆς μύλης, *molæ capus, seu manubrium.* Molere *in obscœnum sensum.* VI. *Asini* πολεμισταί, *&* להלחם 2. Sam. 16, 2. Masorethæ *aliter legunt.* Saracori, (*non* Saraguri) *asinos bellatores habent.* Carmani *item, &* Persæ. *Multi ab asinis fugati. Asinus invictus.* Chalipharum *unus cur asinus dictus.* VII. *Asini in cibis. Asini caput in fame* Samariæ *venit* LXXX. *siclis, & in* Cadusiis LX. *drachmis. Refelluntur, qui pro asini capite grana intelligunt. Asinina in Lege vetita, tamen in fame concessa. Apud* Arabes *asini esus sitne licitus, vel illicitus. Pulli asinorum* Mecœnati *in deliciis. His prælati lausiones.*

ORientalium opes tam asinorum, quam boum, & camelorum armentis, oviumque, ac caprarum gregibus magna ex parte constabant. Itaque in *Patriarcharum* opibus etiam asinos recenset *Moses*, *Gen.* 12, 16. & 24, 35. & 30, 43. & 32, 5. &c. Et *Anam* pavisse dicit asinos *Sibonis* patris sui, *Gen.* 36, 24. Et *Sichemitarum* greges, boves, atque asinos à *Iacobi* filiis fuisse abactos, *Gen.* 34. *vers.* 28. *Ægyptiiq; Iosephum* panem dedisse pro equis, ovibus, bobus, ac asinis, *Gen.* 47. *vers.* 17. *Israelitas* denique *Madianitis* asinorum diripuisse unum & sexaginta millia, *Num.* 31, 34. *Iobo* quoque asinæ primò quingentæ, postea mille fuerunt, *Iob.* 1, 3. & 42. 12. Et asinis suis præfecit *David Iedíam Meronothitem*, 1. *Par.* 27. *vers.* 30. Quin qui è captivitate *Babylonica* in *Iudæam* postliminio regressi sunt, licet spoliati ab hostibus, & rerum omnium inopes, asinos tamen habuere VIMDCCXX. *Esdr.* 2, 67. & *Nehem.* 7, 69. Non VMDXXV. ut scribit Auctor Apocryphus 3. *Esd.* 5, 41. nec VIMDCXX. ut *Arabs Esdræ* Interpres. Qui idem, errore non ferendo, asinorum quinquaginta millia *Agarenis* direpta censet, cum textus *Hebræus* habeat solum duo millia 1. *Par.* 5, 21.

De asinis in *Arabia*, & *Palæstina* dicit spurius Scriptor in *Iobum* sub *Origenis* nomine: *Quod nunc equi, & muli* (lege *muli*) *perficiunt, hoc nihilominus asini adimplebant, præsertim tales, quales sunt in regione* Arabiæ, *&* Palæstinorum *asini, qui veloces sunt similiter ut equi.* Nos, illo misso, asinos ex Scriptura probamus ad septem usus fuisse adhibitos.

I. Primus, qui hodieque plurimus est, ad ferenda quævis onera, puta frumentum, *Gen.* 42, 26. *Ægypti* optima quæque, & cibos in viaticum, *Gen.* 45. *vers.* 23. Panes, utres vini, pecudes, grana tosta, uvas passas, palathas ficuum, æstivos fructus, 1. *Sam.* 25. *vers.* 18. & 2. *Sam.* 16. *vers.* 1. & 1. *Paral.* 12. *vers.* 40. & *Nehem.* 13. *v.* 15. Hinc חמור לחם, *asinus panis*, 1. *Sam.* 16, 20. id est, *Kimchio* interprete, חמור טעון לחם, *asinus pane onustus.* *Septuaginta*, γόμος ἄρτων. Nempe voluerunt חמור *chamor*, hic idem esse, quod חומר *chomer*, quomodo etiam apud *Kimchium* nonnulli *Hebræorum*, quos perculit lectionis insolentia. Tamen ecce eandem phrasim in *Sosibio*, qui *Poëta Tragicus* fuit non inelegans,

Ἔσθει μὲν ἄρτων τρεῖς ὄνους κανθηλίους
Τρὶς τὰς βραχείας ἡμέρας·

Ter in brevi die comedit panum tres asinos prægrandes. Τρεῖς ὄνους ἄρτων, *tres asinos panis*, id est, τριῶν ὄνων φορτίον, *trium asinorum onus*, ut rectè magnus *Casaubonus* in *Lectionibus Theocriti* cap. 12. Ὄνος κανθήλιος, vel κανθήλιος simpliciter, *Suidæ* est ὄνος μέγας. *Talmudicis* קנתל *kanthel*, id ipsum est. *Arabes* قنبل *kanbel* corruptè scribunt pro قنتل & الحمار الغليظ *asinum obesum* explicant. Hinc *Talmudici* Glossatores hanc vocem revocant ad *Arabicas* origines. Tamen *Græcam* esse docent κάνθων *asinus*, κανθὶς *asella*, κανθήλια *clitellæ*. *Cantherium* pro *asino* sumi constat ex lib. 3. *Apulei*, cum de se in asinum mutato quendam inducit ita loquentem, *Quo usque tandem cantherium patiemur istum, paulo ante cibariis jumentorum, & nunc etiam simulachris Deorum infestum?* Tamen alibi *cantherius* pro *equo castrato* sumitur. Itaque apud *Varronem* cantherius ab equo distat, ut capus à gallo.

II. Secundò, asini vehebant, non plebeios solùm, ut hodie, sed & nobilissimos. Sic (a) *Abram*, (b) *Moses*, (c) *Balaam*; alii (d) Prophetæ duo, unus è *Bethele*, alter è *Iuda*; (e) *Acsa*, *Calebi* filia, Principis tribus *Iudæ*; (f) *Abigail*, ante *Nabalis*, postea *Davidis* uxor; (g) *Achitophel*, Senator regius; & (h) *Mephiboscheth*, *Saulis* Regis nepos, asinis vehi non sunt dedignati. Et, è Judicibus *Israëlis*, (i) *Iair* triginta, (k) *Abdon* quadraginta filios & triginta nepotes habuit asinis insidentes. Unde in Cantico *Deboræ* Jud. 5. vers. 10. *O qui asinas albas equitatis, & judiciis præsidetis!* Neque alio vectore *Christus* (l) uti voluit, *Ierosolymam* cum pompa ingressurus, ut qualecunque regni sui specimen *Iudæis* ederet. Quod ipsum Prophetæ diu ante prædixerant: *Iacob* quidem obscurius, cum agit de asino τοῦ *Silo* Gen. 49. vers. 11. sed apertissimè *Zacharias* cap. 9. versu 9. *Ecce Rex tuus tibi venit, justus, & salvans, pauper, & insidens asino, & pullo filio asinarum!* Itaque hæc quidem Regis pompa fuit, sed pauperis, & qui latebat sub veste servi, quique à pompa Regum hujus sæculi se præstare voluit maximè alienum. In *Talmudico* Tractatu *Sanhedrin* cap. 11. sect. 33. *Sapores*, *Persarum* Rex, *Rabbino Samueli* dixit, Prophetam suggillans, adeoque *Messiam* ipsum, אמריתו משיח על חמרא אתי אשדר ליה אנא סוסיא ברקא דאית לי *Dicitis Messiam super asinum venturum: ego mittam ipsi varium equum, quem habeo.* Nimirum ut vel honestius, vel commodius sedeat. Respondet *Rabbi Samuel* verbis semi-*Persicis*, quæ restituo ex *Baal Aruch*, quia in nostris editionibus corrupta sunt, אית לך כר הזר גונא *An tibi est asinus mille colorum?* خر *Persis* est *asinus* & هزار *mille*, unde illud כר הזר, quod *Talmudis* editores mutarunt in בר

(a) Gen. 22, 3.
(b) Exod. 4, 20.
(c) Num. 22, 21.
(d) 1. Reg. 13. vers. 13. 23.
(e) Ios. 15, 18. & Iud. 1. 14.
(f) 1. Sam. 25, 20.
(g) 2. Sam. 17, 23.
(h) 2. Sam. 19. 26.
(i) Iud. 10. 4.
(k) Iud. 12. 14.
(l) Matth. 21, 2.

בר חיור *filium album*, vel *filium albi* (coloris.) Mens *Rabbini* est, asinum illum, quo sessurus est *Messias*, non fore asinum è vulgo, sed animal multiplici colorum mixturâ ita insigne, ut quemvis equum formâ & pretio longè superet. Nempe Regis cavillos aliter eludere non potuit, quam hoc commento. Sed regerendum erat id, quod res est, *Christi* regnum scilicet non esse de hoc mundo. Præterea vectionem asini non fuisse vilem in Oriente, ex iis exemplis, quæ allata sunt, palam constat. Quibus adde, quod *Chrysostomus*, in *Titum* Homiliâ primâ, *Constantinopolitano* Episcopo, id est, sibi dicit objici, tanquam argumentum nimii fastûs, quod οἰκέτας ἔχει τοὺς διακονουμένους αὐτῷ, καὶ ὅτι ὄνῳ ἐποχεῖται, *servos habet, qui illi ministrent, & asino vehitur.* Et inter Magnates *Arabum* *Chalid Saphuani* filius, & *Alphadlus* filius *Isai Rakaschiensis*,

كانا يكثران ركوب الحمير علي ركوب البراذين *malebant equitare super asinos, quam super equos.* Proinde horum ille, *Basora* super asinum à Principe quodam deprehensus, exclamavit, عير من نسل الكداد يحمل الرجله ويبلغ العقبة ويقل داوه ويخف دواه ويمنعني ان اكون جبارا في الارض وان اكون من المفسدين *Asellus è genere jumentariorum Alcudadensium fert hominem suum, donec propositum terminum assequatur, & minuitur morbus ejus, & medicina juvatur: & per illum stat, quo minus sim ex eorum numero, qui in hac terra se efferunt, atque alios invadunt, & perdunt.* *Alphadlus* quoque, pari de causa, in asini laudes profusus, ait nullum esse jumentum quod minori sumptu alatur, & ad plura inserviat, & incedat mollius, & conscendatur facilius. Ita habetur in *Damire*. Sed & *Leo Africanus* lib. 8. auctor est *Alcairi* matronas asinis libentius uti, quam equis, eosque inibi pannis elegantissimis sterni, & molliter incedere edoctos, gradarios equos facilè antecedere. Quin ex *Romanis* quoque matronis quasdam asino fuisse vectas ex *Lampridio* colligere est in vita *Heliogabali*. *Judæos* tamen id male habet, non solùm, quod *Messias* asino vehendus à Propheta prædicitur, sed & quod narratur *Moses* asino fuisse vectus. Ideoque, ut *Ptolemæum Ægypti* Regem id lateret, ut quidem volunt, quo loco uxorem, & filios *Moses* imposuisse legitur על החמור *super asinum*, Exod. 4. vers. 20. *Græci* Interpretes habent, Ἀνεβίβασεν αὐτὰ ἐπὶ τὰ ὑποζύγια, *Eos imposuit super subjugalia*, id est, inquiunt, על נושא אדם שלא יבזה המלך למשה רבינו שרכב חמור ושלא יאמר היאך נשא חמור אחד אשה וב' בנים אין זה אלא מפני עניות ובזיון *super jumentum, quo vehuntur homines*, quodcunque illud tandem sit: *ne Rex Mosem magistrum nostrum despiceret, quod equitâsset asinum, & diceret, Quomodo tulit asinus uxorem ejus, & duos filios? Id non aliâ de causa factum, quam propter paupertatem, & vilitatem.* Hæc in *Chronico Templi Secundi*, sed commentitia prorsus. Nam in *Græcis* Interpretibus ὄνος & ὑποζύγιον sunt omnino synonyma Itaque duo hæc verba sunt apud illos in usu promiscuo: & pro *asino* habetur ὑποζύγιον locis credo viginti quatuor. Ejusdem est farinæ, quod ibidem narratur verba *Mosis* Num. 16, 15. לא חמור אחד מהם נשאתי *Ne asinum quidem unum ab illis accepi, Græcos* ita reddidisse, Οὐκ ἐπιθύμημα οὐδενὸς αὐτῶν εἴληφα, *Nullius eorum desiderium accepi*, שלא יאמר חמור לא נשא אבל שחור אחר לקח *ne diceret (Rex Ptolemæus) asinum non cepit (Moses) sed munus aliud accepit.* Neque enim *Græcis* Interpretibus quidquam tale venit in mentem. Sed pro חמור *asino* legerunt חמוד *desiderium*, quomodo *Samaritani* hodieque legunt, decepti similitudine literarum *Res* & *Daleth*. Sed priorem lectionem confirmant alii interpretes, quotquot sunt, & locus huic parallelus 1. *Sam.* 12, 3. וחמור מי לקחתי *Et cujus asinum accepi?*

III. Tertiò, ut equi ab omni ævo, ita etiam asini tum temporis curules erant. *Columella* de asino lib. 8. cap. 1. *Non minima pondere vehicula trahit.* Hinc *Es.* 21, 7. Propheta meminit רֶכֶב חֲמוֹר *currus asinorum.* Ita *Masoretha* legunt, & *Symmachus*, qui ἅρμα reddit. Sed *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabs*, *Græci*, & *Hieronymus*, aliis punctis, רַכָּב legerunt, id est, ἀναβάτην, *sessorem, ascensorem.* Rectène, an secus, non definio. Utraque lectio ferri potest, & gignit lentum commodum.

IV. Quartò, asinos etiam arâsse constat ex his *Es.* 30. *vers.* 24. *Boves, & asini terram colentes*, &c. Et 32, 20. *O vos beatos, qui seminatis ad omnes aquas, & eò immittitis pedem bovis, & asini*, id est, qui boum, & asinorum opera non alios agros aratis, & conseritis, quam irriguos. Hinc *Josephus* contra *Apion.* lib. 2. *Sunt apud nos asini*, &c. *operibus, & ad agriculturam rebus necessariis ministrantes.* Sed & οἱ ἔξωθεν Scriptores aratores asinos nobis describunt. *Varro*, *De re rust.* lib. 2. cap. 6. *Plerique deducuntur ad molas, aut ad agriculturam, ubi quid vehendum est, aut etiam ad arandum, ubi levis est terra, ut in* Campania. *Plinius* lib. 8. cap. 43. *Asinum* CCCC. *nummûm emptum*, Q. Axio *Senatori*, *auctor est* M. Varro, *haud scio an omnium pretio animalium victo, operâ sine dubio geruli mirificâ, arando quoque.* Et lib. 17. cap. 5. *In* Byzacio Africæ *illum centenâ & quinquagenâ fruge fertilem campum, nullis, cum siccus est, arabilem tauris, post imbres, vili asello, & à parte altera jugi anu vomerem trahente, vidimus scindi.* *Columella* lib. 8. cap. 1. *Hujus animalis tam exigua tutela plurima, & necessaria opera supra portionem respondent: cum & facilem terram, qualis in* Bætica, *totaque* Libyâ, *sic levibus aratris proscindat.* Apuleius *Apologiâ* primâ, *Nuper usque agellum* Zarathensem, *quem tibi unicum pater tuus reliquerat, solus uno asello, ad tempestivum imbrem, triduo exarabas.* Id ipsum colligere est ex verbis Legis, quæ arare vetant bove & asino simul, *Deut.* 22. *vers.* 10. quod aliter atque aliter *Hebræi* interpretantur. Sunt enim, qui prohibitum id volunt; quia bos & asinus sunt diversæ speciei, quique adeò hanc defensionem extendunt ad omne animal heterogeneum. Ita *Jonathan* in *Paraphrasi*, לא תהוון רדיין בתורא ובחמרא ובכל בריתא בתרין זנין קטירין כחדא *Non arabitis bove, & asino, nec ullis jumentis duarum specierum simul junctis*, nempe sub eodem jugo. Et *Josephus Antiq.* lib. 4. cap. 8. Βοσὶν ἀροῦν τὴν γῆν, κελεύει μηδὲν τῶν ἑτέρων ζώων συνυποζεύξαντας, ἀλλὰ κατ' οἰκεῖα γένη. *Bobus (eos jubet) arare terram, nullum aliud animal cum ipsis sub jugum agentes, sed ejusdem generis.* Et *R. Selomo*, הוא הדין לכל שני מינין שבעולם *Hæc est Lex de omnibus animalibus duarum specierum, quæ in orbe sunt.* Alii volunt id prohiberi; quia bos mundus, asinus immundus est. Itaque per illos licet diversas species simul jungere, modò ne una munda sit, altera immunda. Ita *Rambam* in Tractatu *De heterogeneis* cap. 9. sect. 7. כל העושה מלאכה בשני מיני בהמה או חיה כאחד היה אחד מהן מין טהור והשני מין טמאה הרי זה לוקה בכל מקום שנאמר לא תחרוש בשור ובחמור יחדיו *Quisquis ad opus quodcunque duabus simul utitur*

tur speciebus animalium, sive feræ sunt, aut domestica, quarum una est munda, altera immunda, vapulat ubicunque locorum est, quia in Lege dictum est, " *Non arabis bove, & asino simul.* Quod ipsum sequitur *R. Isaac* in libro, cui titulus עמודי גולה *Columnæ exilii*, præcepto 168. Et mysterium explicans *Baal Hatturim* hac prohibitione significari ait שלא ישתתף צדיק עם רשע *nullam esse societatem justi cum impio.* Nec desunt, qui eò referant hæc *Apostoli* 2. *Cor.* 6, 14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες τοῖς ἀπίστοις. Quasi sic allusum voluerit ad verba Legis. In quam sententiam inclino libentius, eo quod, ut Vir magnus in hunc locum observat, כלאים, id est, *animalia diversi generis*, ἑτερόζυγα nominant *Græci* Interpretes, quorum ista sunt *Levit.* 19.19. Οὐ κατοχεύσεις τὰ κτήνη σου τῷ ἑτεροζύγῳ, *Animalia tua cum aliis diversi generis coire non facies.* Ejusdem interdicti aliam rationem affert *Baal Hatturim*, nempe quod bos ruminat, asinus autem non ruminat, & cum videt ruminantem bovem, יחשוב סבור שהוא אוכל ומצטער *putat illum comedere, & mœrore conficitur*, utpote sibi æquè ac bovi pabulum non esse merito dolens. Neque contemnendum id puto, quod hic habet *Aben Ezra* vetari ne simul arent bos & asinus, כי אין כח החמור ככח השור quia robur asini non est ut robur bovis. Quo maximè faciunt hæc *Euclionis* in *Aulularia Plauti*, Act. 2. Sc. 2.

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse hominem divitem,
Factiosum; me item esse hominum pauperum pauperrimum:
Nunc si filiam locâssim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, & me esse asellum, ubi tecum conjunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto:
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem,
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat:
Asini me mordicitus scindant, boves incursent cornibus.
Hoc magnum est periculum, me ab asinis ad boves transcendere.

Idem de equo, & asino. Quo hæc *Secundi* pertinent *Anthol.* lib. 1. cap. 33.

Τίπτε τὸν ὀγκηστῆ βραδύποδα ὄνον ἄμμιγ' ἐν ἵπποις
Πυρὸν ἀλωεταῖς ἐξελάατε δρόμον;
Cur ubi flaventes dives terit area culmos,
Jungitur alipedi tardus asellus equo?

Inde est, quod *Ulysses*, ut crederetur insanus, equum cum asino junxit ad aratrum. Ita narrant *Hyginus* Fab. 95. *Nicephorus Babylaces* Hist. 4. *Tzetzes* in *Lycophronem*, & Mythologi ferè quotquot sunt. Et *Xenocratem* ingenio tardum cum *Aristotele* conferens *Plato* dixit, Τῷ μὲν μύωπος δεῖ, τῷ δὲ χαλινοῦ· καὶ ἐφ' οἷον ἵππον, οἷον ὄνον ἀλείφω, *Uni calcari opus est, alteri fræno: & cui equo quem asinum allino.* Hæc *Laërtius* lib. 4. in *Xenocrate.* An huc allusit *Paulinus* ad *Ausonium* scribens,

Discussisse jugum quereris me, quo tibi doctis
Junctus eram studiis. Hoc nec gestâsse quidem me
Assero, namque pares subeunt juga. Nemo valentes
Copulat infirmis, neque sunt concordia fræna,
Si sit compulsis mensura jugalibus impar.
Si vitulum tauro, vel equum committis onagro?

Proinde boves ἰσοφόρους copulari vult *Homerus Odyss.* σ'. id est, ἴσως φέροντας, καὶ ἕλκοντας, *qui onus æquale ferant, aut trahant*, ut ibi *Scholiastes.* Et *Palladius* lib. 4. *Illud ante universa curandum est, ut viribus ad trahendum* (boves) *comparentur æquales, ne valentioris robur alteri procuret exitium.* Quò hæc *Ovidii* pertinent,

Quàm male inæquales veniunt ad aratra juvenci?

V. Quintus asinorum usus fuit molam circumagere, quæ inde μύλος ὀνικὸς, *mola asinaria* vocatur *Matth.* 18, 6. & *Luc.* 17, 2. Διαγεγραμμένως scilicet, quia molarum erant duo genera, asinariæ, & trusatiles. *Cato, Rust.* cap. 10. *Villicus villicos operarios habeat quinque, &c. molas asinarias unas, & trusatiles unas.* Hæ minores erant, ut quæ manu truderentur: at asinariæ majores, quas asinus perpetuâ gyratione circumagebat. *Ovidius* lib. 6. *Fast.*

Et quæ puniceas versat asella molas.

Epigramma vetus de avaro, qui molit ipse, ne asinum conducat molitorem,

Cùm possis parvo sumptu conducere asellum;
Qui soleat teretes volvere sæpe molas:
Cur nummi cupidus sic te contemnis, amice,
Ut cupias duro subdere colla jugo?

Luciani asinus, Εἰσάγει με εἰς τὸν μυλῶνα, καὶ ὁρῶ πολὺ πλῆθος ἔνδον ὁμοδούλων κτηνῶν· καὶ μύλαι πολλαὶ ἦσαν, καὶ πᾶσαι τούτοις ἐστρέφοντο. Et cum imitatus *Apuleius* lib. 7. *In pistrinum me introduxit, ubi magnam conservorum jumentorum copiam cerno; ubi & multæ erant molæ, quæ omnes à jumentis hisce versabantur.* Et in *Luciano* rursus idem asinus, ὀθόνῃ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπιπετάσαντες ὑποζεύγνυσαί με τῇ κώπῃ τῆς μύλης. Quæ *Apuleius Africanâ* grandiloquentiâ ita extulit, *Velatâ facie propellor ad incurva spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco gressu mea recalcans vestigia vagarer errore certo.* Nota *velatâ facie*, & in *Luciano* ὀθόνῃ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπιπετάσαντες, *oculis linteo velatis.* Quo hæc *Hilarii* pertinent in *Matth.* cap. 18. *Molæ opus labor est cæcitatis: nam clausis jumentorum oculis aguntur.* Et quod asinus ita loquitur *Anthol.* lib. 1. cap. 33.

Οὐχ ἅλις, ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης
Σπειρηδὸν σκοτίοις κυκλοδίωκτος ἔχω;
Nonne satis fuerat, quod cæcus, & altius in orbem
Nocte dieque molas irrequietus ago?

Κώπην τῆς μύλης *Lucianus* vocat *molæ scapum*, seu *manubrium*, ut *Theocriti* Scholiastes in *Idyll.* δ'. Ἀπὸ τῶν ἀλούντων, καὶ τῇ κώπῃ τῆς μύλης ὠθούντων. *Molile* appellat *Cato, De re rust.* cap. 10. Et *Jeremias* עץ *lignum* Thren. 5, 13. *Juvenes*, inquit, *molam truserunt, & pueri ad lignum impegerunt*, aut viribus *fracti sunt* præ nimio conatu. *Ad lignum*, id est, ad ligneum molæ scapum. *Aben Ezra*, כשל כח הנערים בהניע עץ הטחנה *Defecerunt puerorum vires in movendo ligno molitorio.* Non probo, quod *Hieronymus* hæc in obscœnum sensum trahit. Quomodo *Judæi* quod de *Samsone* habetur *Jud.* 16, 21. *Molebat in domo vinctorum.* Quasi idem esset, quod *Jobi* 31, 10. *Molat alteri uxor mea*, &c. Metaphorâ *Poëtis* non ignotâ. Dixit enim *Lucilius*,

(m) *Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere tu vis.* (m) Lib. 7. Sat.

Et *Catullus*,

——(n) *patrui perdepsuit ipsam* (n) In Gellio.
Uxorem, ————

Et *Horatius*, ————

————(o) *alienas* (o) Lib. 1. Sat. 2.
Permolere uxores. ——

Et *Ausonius*,

—(p) *molitur per utramque cavernam.* (p) Epigr. 70.

Et multò antè, *Theocritus Idyll.* 4.

—— τὸ γερόντιον ἦ ῥ' ἔτι μύλλει
Τήναν τὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποτ' ἐκνίσθη;
—— *Ille vetulus nunquid adhuc molit*
Illam nigra-supercilia-habentem amicam, quam olim deperibat?

VI. Sextò, asinos ad bella fuisse utiles ex eo colligere est, quod in *Syrorum* castris ad *Samariam* non solùm equi, sed & asini reperti sunt 2. *Reg.* 7. *vers.* 7. 10. Vel ad impedimenta convehenda, quomodo in *Polluce* (q) habetur, Χρεία δ' εἰς τὰς πολεμικὰς σκευοφόρων μὲν ὄνων· *Necessarii sunt asini in bellum ad sarcinas bajulandas.* (q) Lib. 1. cap. 10.

Vel

Vel etiam quibus pugnaturi insiderent, prout habetur 2. *Sam.* 16. 2. juxta τὸ *Kethib*, *Asini sunt pro familia Regis ad equitandum*, ולהלחם *& ad pugnandum*. Cujus rei novitate perculsi *Masorethæ* legi voluerunt והלחם, & *panis*: idque fortasse non incommodè, quia præcedente versu leguntur iidem asini advexisse *ducentos panes*. Fuere tamen populi, qui ex asinis pugnabant, quomodo nos ex equis. *Ælianus* lib. 12. cap. 34. Σαρακόροι δ' ὄνους ἀχθοφόρους, οὔτε ἀλετρίβας ἔχουσι τὰς ὄνους, ἀλλὰ πολεμιστάς· καὶ ἐπ' αὐτῶν γε τοὺς πολεμικοὺς κινδύνους ἀναρριπτοῦσιν, ὥσπερ οὖν Ἕλληνες ἐπὶ τῶν ἵππων. *Saracori asinos nec bajulos, nec molitores, sed bellatores habent: & in illis, ut Græci in equis, belli pericula sustinent.* Putat insignis *Geographus* hos *Saracoros* eosdem esse cum *Suidæ Saraguris*. Sed perperam, ut quidem puto. Nam *Suidæ Saraguri* sunt *Scytharum* populi, quos *Priscus* in *Legationibus* memorat cum *Urogis*, *Onoguris*, *Sabiris*, *Abiris*, &c. *Scythas* autem populos asinis caruisse neminem latet. *Strabo* de *Carmanis* lib. 15. χρῶνται δ' ὄνοις οἱ πολλοὶ καὶ πρὸς πολέμους σπάνει τῶν ἵππων· ὄνον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὅνπερ σέβονται θεῶν μόνον, καὶ εἰσὶ πολεμισταί. *Equorum inopia etiam ad bellum plerique asinis utuntur: & asinum Marti immolant, quem Deorum solum colunt, utpote bello addicti.* Et, cum *Darius Scythas* adortus est, [illegible] Σκυθέων πολλάκις ἐπελαυνόντων ἐπὶ τοὺς Πέρσας, μεταξὺ [illegible] οἱ ἵπποι [illegible] φωνῆς. ἐταράσσοντό τε ὑποστρεφόμενοι, καὶ ἐν θώματι ἔσκον, ὀρθὰ ἱστάντες τὰ ὦτα, ἅτε οὔτε ἀκούσαντες πρότερον φωνῆς τοιαύτης, οὔτε ἰδόντες τὸ εἶδος. *Leservientes Persarum asini perturbabant* Scytharum *equos. Cum enim* Scythæ Persas *sæpe adorirentur, quamprimum equi asinorum ruditum audiverant, consternati avertebantur, & arrectis auribus stupefacti, ut qui talem antea neque vocem audivissent, neque speciem conspexissent.* Quibus non absimile est, quod apud *Hyginum* tabulatur *Eratosthenes* lib. 2. *Astronom.* in *Cancro*: *Quo tempore* Jupiter, *bello Gigantibus indicto, ad eos oppugnandos omnes Deos convocavit, venisse* Liberum Patrem, Vulcanum, Satyros, Silenos, *asellis vectos: qui, cum non longe ab hostibus abessent, dicuntur aselli pertimuisse, & ita pro se quisque magnum clamorem, & inauditum Gigantibus fecisse, ut omnes hostes eorum clamore in fugam se converterent, & ita sint superati.* Quæ Græcè sic habentur apud *Arati Scholiastem* nondum editum capite *De Asinis*. *Ut præsepi*, Ὅτι ὅτε Γίγαντας ἐστράτευσαν οἱ θεοὶ, λέγεται Διόνυσος, καὶ Ἥφαιστος, καὶ Σάτυροι ἐπὶ ὄνων πορευθῆναι. ὄντων δὲ ἐγγὺς μελλόντων αὐτοῖς τῶν Γιγάντων πλησίον ὄντες ὠγκήσαντο οἱ ὄνοι. οἱ δὲ Γίγαντες ἀκούσαντες τῆς φωνῆς ἔφυγον. *Pausanias* quoque in *Phocicis* narrat *Ambraciotas* æneum asinum (*Marti*) dedicâsse, victis nocturnâ pugnâ *Molossis*, quos in insidiis latentes asinus rudita suo terruerat, & fugaverat. Quid quod apud *Arrianum* lib. 1. cap. 18. *Epictetus* asinum vocat ἀήττητον, *invictum*? Et *Chaliipharum* vicesimus primus *Mervvan* dictus est حمار الجزيرة *asinus* Mesopotamiæ, لثبته في الحرب فيقال حمار الحرب لا يهرب *eo quod in bello consisteret, quia bellicus asinus nunquam fugere dicitur.* Ita *Elmacinus Historia Saracenica* lib. 1. cap. 21.

VII. Septimò, carnem asinorum saltem in fame pro cibo fuisse liquet ex 2. *Reg.* 6, 25. ubi in *Samaria* à *Syris* obsessâ narratur asini caput siclis octoginta venisse. Sic *Artaxerxes* apud *Cadusios* in summa fame τὰ ὑποζύγια μόνον κατέκοπτε, ὥστε ὄνου κεφαλὴν μόλις δραχμῶν ἑξήκοντα ὤνιον εἶναι, *sola jumenta concidebat*, cum nihil aliud suppeteret, *ita ut asini caput vix drachmis sexaginta venale esset.* Ita *Plutarchus* in *Artaxerxe*. Cum alioqui vivus totus asinus in *Luciano* in uno loco veneat xxx. drachmis, in altero xxv. Asinus quidem a *Judæis* immundus habebatur, quia neque ruminat, neque fissam habet ungulam. Ac proinde esus asininæ erat ex Lege prohibitus. Unde est, quod in loco, quem citavimus, sunt ex *Hebræis*, quibus חמור *chamor*, non est *asinus*; sed id ipsum, quod חומר *chomer*, id est, *certa mensura frumenti* putà, aut *ordei*. Sed id esse valde remotum rectè pronuntiat *Kimchius*. Nam ראש חמור *caput asini* rectè dicitur. At caput τοῦ *chomer* quid sit nemo facilè dixerit. Neque fuisset immanis annonæ caritas, qualis hìc describitur, si frumenti *chomer* venisset octoginta siclis: cum, capite sequenti, in summa vilitate, *satum*, id est, trigesima pars τοῦ *chomer*, siclo æstimetur. Denique Scriptura non dixisset indefinite *chomer venisse* LXXX. *siclis*, sed *chomer tritici*, vel *ordei*, vel *avenæ*, vel *speltæ*, quæ non sunt ejusdem pretii. Hinc *Elisæus*, initio capitis sequentis; *Cras satum similæ siclo, & duo sata ordei siclo vendentur.* Et *Joannes*, *Apoc.* 6. vers. 6. Χοῖνιξ σίτου, δηναρίου· καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς, δηναρίου. Omnino igitur ראש חמור est *asini caput*. Cujus esus, quantumlibet ceremoniali Lege vetitus, tamen in summa fame licitus erat; quia invicta necessitas hujusmodi prohibitionum violationem excusabat. Ita *David*, (r) cum esuriret, edit è sacro pane, quo vesci non licebat, nisi solis Sacerdotibus. Et *Christus* ipse factum excusat *Matth.* 12, 3. Unde in hunc locum *R. Levi*, *Tanta ibi erat fames, ut caput asini valeret octoginta argenteos, & præ fame illud edebant, quia Lex dicit* Levit. 18, 5. "Vivet in iis, *non autem* "*Morietur in iis* (unde colligunt in vitæ periculo hanc Legem potuisse violari.) Et *Maimonides* in Tractatu *De Regibus* cap. 8. sect. 1. חלוצי צבא כשיכנסו בגבול הכותים ויכבשום מותר להם לאכול נבלות וטרפות ובשר חזיר וכיוצא בו אם ירעב ולא מצא מה יאכל אלא מאכלות אלו האסורים *Expediti ad militiam, cum in fines* Cuthæorum (*id est*, Ethnicorum) *irruperunt, & subegerunt eos: licet ipsis cadavera, & discerpta comedere, & carnem porci, atque his similia; si esuriant, neque ad esum quidquam reperiant præter cibos illos vetitos.*

(r) 1. *Sam.* 21, 6.

De cætero disputatur acriter inter *Arabes*, sitne asinorum esus licitus, vel illicitus. Et domesticos quidem plerique prohibent: sed ferorum esum nemo est, qui non concedat. De hac quæstione sic *Assaphius*, quem plerique sequuntur, لو توحش الحمار الاهلي حرم اكله ولو تاهل الوحشي لم يحرم ولا نعلم في حل الوحش خلافا الا ما روي من مطرف انه قال انا انس واعتلف صار كالاهلي واهل العلم قابطة علي خلاف قوله *Etiamsi efferetur asinus domesticus, esus ejus manet interdictus: & ferus, etiamsi mansuescat, non prohibetur tamen. Neque quenquam novimus, qui onagri esum interdicat. Nisi quod dixisse narratur* Mutarriphus *ferum asinum, cum mansuefit, & pabulo saginatur, fieri sicut domesticum* (id est, æque vetitum) *sed vulgus Doctorum uno consensu huic effato sese opponit.* Nempe asinum domesticum volunt absolutè esse vetitum, ferum absolutè permissum. Quod jam ante *Mahumetem* apud *Arabes* obtinuisse ex *Theodoreto* scimus, qui *Religiosæ Historiæ* cap. 26. *Ismaelitas* ad *Christum* conversos describit τῶν τε ὄνων τῶν ἀγρίων, τῶν τε καμήλων τὴν ἐδωδὴν

ἰδιωδῶν ἀπαρνούμενοι, *onagrorum & camelorum esum abnegantes*, idest, ab eorum deinceps carnibus abstenturos se profitentes.

(f) *Lib. 3. De aliment. facultat.*
(t) *Lib. 2. ad Glauc.*

Domesticorum carnem *Galenus* (f) ait esse ingrati saporis, & concoctu difficilem; & ejus esu *Alexandrinos* (t) elephantiam contrahere. *Mecœnati* tamen aselli fuere in deliciis. *Plinius* lib. 8. cap. 43. *Pullos asinarum epulari* Mecœnas *instituit, multum eo tempore prælatos onagris. Post eum interiit authoritas saporis.* Quæ sequuntur, *asino morientis viso celerrime id genus deficit*, viri docti ita emendant, *Lalisionum oriente usu, celerrime id genus defecit.* Lalisio est onagri pullus. Idem capite sequenti, ubi de onagris, *Pullis eorum, ceu præstantibus sapore, Africa gloriatur, quos lalisiones appellant.* Et *Martialis* lib. 13. *Epigr.* 97.

Cum tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans sed breve nomen habet.

Sed & circa *Berœam Macedoniæ*, *Lucianus* in *Asino* quendam amico dicit dono dedisse ὄνου ἀγρίου μηρὸν, *agrestis asini femur.* Et apud *Simocattam* lib. 4. cap. 7. *Cosroes Hormisdæ* patri captivo inter regias delicias mittebat ὄνων ἀγρίων τῶν μελῶν τὰ ἐπίσημα, *onagrorum membra præcipua.*

VIII. Octavò, de asinis admissariis, ex quibus muli procreantur, putatur agi *Gen.* 36. *vers.* 24. Sed de his in sequentibus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Asina *Balaami*.

Janes, *&* Jambres, Balaami *comites. Asinus mutus* 2. Pet. 2. vers. 16. *Sermonis organis destitutus. Angelus in asino loquens, ut in serpente Dæmon. Non tamen hic verus sermo, quia non erat imago mentis. Angelus ille* Michael *Patribus, &* Hebræis Gabriel, *quod probant per* Gematriam. *Os asinæ unum è decem rebus creatis post mundi perfectionem. An vera miracula fiant in pseudo-*Prophetarum *gratiam. Cur Deus aperuit os asinæ. Majus miraculum in* Balaamo, *qui benedixit invitus, quam in asina, quæ loquuta est.* שלש רגלים *& tres vices significant, & tria festa. Allusio hic quæsita.* Balaami *stylus elegans. Cur asina sua maledicere aut non potuerit, aut noluerit. Hanc asinam à juventute habuerat* Balaam. *Asini longævi. Quidam asinam possedit per annos quadraginta. Quomodo* Balaamo *oculi aperti sint. Deus non vult, ut sæviamus in bestias, in homines multo minus. Bonus Angelus* Satanæ *nomen assumit. Vox* ירט, *in qua laborant Interpretes, ex* Arabica *lingua explicatur. Refelluntur* Hebræi, *qui hanc asinam ab Angelo occisam fingunt. Mythologos, & Historicos multa referre hujusmodi.*

Miracula in asinis, aut per asinos à Deo facta, Sacri Scriptores nonnulla memorant, de quibus ut obiter agamus, res ipsa monet. Asina *Balaami* prima se offert, quam refert *Moses* (a) vidisse adstantem Angelum, quem *Propheta* non videbat, neque illius duo comites, id est, ינס וימרס, *Janem*, & *Iambrem*, si credimus *Ionathani.* Sive eos scotomate percusserit Deus, aut asinæ oculos aperuerit: ut hoc typo significaret ea sæpe abscondi sapientibus, & prudentibus, quæ revelantur parvulis, *Luc.* 10. *vers.* 21. *Angelum videt asina*, (inquit *R. Selomo*) *&* Balaam *non vidit*; שהקב״ה נתן רשות לבהמה לראות יותר מן האדם שמתוך שיש בו דעת תטרף דעתו כשיראה מזיקין *quia Deus Sanctus Benedictus majorem videndi facultatem bruto indulserat, quam*

(a) *Num.* 22. *vers.* 27.

hominis, qui quidem ratione pollebat, sed turbabatur ratio ejus, cum videbat Dæmones. Vult magum fuisse *Balaamum*, & frequenti commercio cum Dæmonibus non modo intra hominem se demisisse, sed & intra belluas.

Sequitur de hac eadem asina miraculum aliud priore illustrius, asinam scilicet à domino ter cæsam, quod ab Angelo se avertisset, atque humi procubuisset, tandem humana verba protulisse, & de *Balaamo* graviter questam. Quod quidem ab asini natura planè est alienum. Asinus enim est ὑποζύγιον ἄφωνον, *jumentum mutum*, 2. *Pet.* 2. *vers.* 16. neque solum rationis expers, sed & iis organis destitutum, per quæ sermo formatur. Unde *Lucius* sub asino latens, φωνὴν δὲ ἀνθρώπου ἐς τὸ μέμψασθαι τὴν Παλαίστραν οὐκ εἶχον. *Vocem humanam, ut de Palæstra quererer, non habebam amplius.* Item, Ἐγὼ δὲ τὰ μὲν ἄλλα ὄνος ἤμην. Τὰς δὲ φρένας, καὶ τὸν νοῦν ἄνθρωπος ἐκεῖνος ὁ Λούκιος, δίχα τῆς φωνῆς. *Cætera quidem asinus eram, mente vero, & intellectu homo ille* Lucius, *excepta voce.* Et rursus, Ἀναβοῆσαι ὦ Ζεῦ σχέτλιε ἠθέλησα· ἀλλ' ἡ μὲν φωνὴ οὐκ ἀνέβη μοι ἡ ἐμὴ, ἀλλ' ἡ τοῦ ὄνου ἐκ τῆς φάρυγγος, καὶ μέγα ὠγκησάμην. *Exclamare volui, O inique* Jupiter; *verum non mea vox è gutture, sed asini vox ascendit, magnumque rugitum edidi.* Quod imitatus asinus *Madaurensis* lib. 3. *Iam*, inquit, *humano gestu simul & voce privatus, quod solum poteram, postremo dejecta labia humidis cum oculis obliquè respiciens, ad illum tacitus expostulabam.* Et inferius, *Genuino sermone nomen* Cæsaris *invocare tentavi. Et O quidem tantum disertum ac validum clamitavi, reliquum autem* Cæsaris *nomen enuntiare non potui.* Et lib. 8. *Quirites proclamare gestivi, sed viduatum cæteris syllabis processit O tantum.* Itaque ex horum sententia, si homo asini formam haberet, careret usu sermonis; quia naturalia humanæ vocis organa illi deessent. Quod verum esse deprehendet quisquis asini linguam, & rictum, & labra intuebitur, ab humanis prorsus diversa. Utut igitur picæ, & psittaci nostra *verba condiscant*, non est, quod asinos, aut ullum aliud quadrupes quisquam speret similia posse edoceri; quia non habent instrumenta, quæ requiruntur ad formationem vocis. Sed (b) *Dominus aperuit os asinæ*: hoc est, quod in natura deerat, & in naturalibus vocis organis, virtute suâ supplevit. Non, quod vocem in ore asinæ formaverit absque ipsius organis. Alioqui non magis diceretur asina loquuta, quam domus, in qua loqueretur Angelus. Omnino igitur ex asinæ lingua processit sermo: sed, eam movente Deo per Angelum, & modò ad palatum, modò ad labia, modò ad dentes allidente, & inflectente, prout erat necesse, & aerem ad sonos formandos requisitum intra fauces comprimente, ne per belluinos rictus intempestivè efflueret. Ita ut Angelus id ipsum in hoc jumento præstiterit, quod in serpente Dæmon, cùm *Evam* alloquutus est. Non tamen fuit hic verus asinæ sermo. Sermo enim est imago mentis. Et τὸν λόγον προφορικὸν præcedit ὁ ἐνδιάθετος. At in asina nihil fuit tale. Non capiebat animo voces, quas ore suo proferebat. Tantùm per agens extrinsecum mota lingua illas formabat, ut nervis alienis mobile lignum, quod νευρόσπαστον *Græci* appellant.

(b) *Num.* 22. *vers.* 28.

Miraculi auctorem Angelum *Michaelem* esse putant nonnulli Doctorum veterum. *Theodoretus* in *Numeros* Quæst. 41. Φασὶ δέ τινες τὸν ἄγγελον Μιχαὴλ τῷ τοῦ λαοῦ προστατεύοντα εἶναι· *Dicunt quidam Angelum* Michaelem *fuisse, populi præsidem.* Ita etiam *Procopius* in hunc locum. At *Hebræis* is fuit *Gabriel.* Quod probat *Baal Hatturim* joculari ratione. Quia scilicet מלאך יהוה בדרך בני גבריאל המלאך *Verba* Hebræa *Sacri Textûs*, " Angelus Domini in via, *per Gematriam idem valent, quod* Gabriel Angelus. Sensus est, ex literis numeralibus eosdem confici numeros. Tamen hi duo numeri unitate differunt. Prior enim

enim valet 343, posterior solum 342. Sed in numeris, quæ per *Gematriam* inter se conferuntur, non putatur unitas ullius esse momenti.

In *Chaldæa Jonathanis* Paraphrasi ad hunc locum ita habetur, עשרתי פתגמין אתבריאן בתר שכלול עלמא במיעלי שבתא ביני שימשתא ¹ מנא ² ובירא ³ וחוטרא דמשה ⁴ ושמירא ⁵ וקשתא ⁶ ועננייקרא ⁷ ופום ארעא ⁸ וכתב לוחי קימא ⁹ ומזיק ¹⁰ ופום מבללא אתנא בהיא שעתא פתח מימרא דיי ית פומה ואזדמן לה ממלל ואמרת *Decem res creatæ sunt post perfectionem mundi in ascensu Sabbathi inter duas vesperas*, 1. *Manna*. 2. *Puteus* (de quo *Num.* 21, 16.) 3. *Virga* Mosis. 4. *Schamir* (id est, vermiculus, cujus opera *Solomon* fidit lapides ad ædificationem Templi) 5. *Iris*. 6 *Nubes gloriæ* (de qua *Exod.* 40, 38.) 7. *Os terræ* (quo *Core* cum suis absorptus est *Num.* 16, 30.32.) 8. *Scriptura tabularum fœderis*. 9. *Dæmones*. 10. *Os loquens asinæ, quod eo momento aperuit verbum Domini, & præparatus est illi sermo, & dixit*, &c. Decem illæ res a *Talmudicis* ita enumerantur in *Pirke Aboth* fol. 30. a. ¹ פי הארץ ² ופי הבאר ³ ופי האתון ⁴ והקשת ⁵ והמן ⁶ והמטה ⁷ והשמיר ⁸ הכתב ⁹ והמכתב ¹⁰ והלוחות id est, 1. *Os terræ*. 2. *Os putei*. 3. *Os asinæ*. 4. *Iris*. 5. *Manna*. 6. *Virga*. 7. *Schamir*. 8. *Scriptura* (Legis prototypa, quæ est in cœlis), 9. *Descriptio* (sive illius *incisio* in tabulis) 10. *Tabulæ*. Et in Tractatu *Pesachim* fol. 154. a. ¹ באר ² המן ³ וקשת ⁴ כתב ⁵ ומכתב ⁶ והלוחות ⁷ וקברו של משה ⁸ ומערה שעמד בו משה ואליהו ⁹ פתיחת פי האתון ¹⁰ ופתיחת פי הארץ לבלוע את רשעים 1. *Puteus*. 2. *Manna*. 3. *Iris*. 4. *Scriptura Legis*. 5. *Descriptio*. 6. *Tabulæ*. 7. *Sepulchrum* Mosis. 8. *Caverna, in qua steterunt* Moses & Elias. 9. *Apertio oris asinæ*. 10. *Apertio oris terræ ad vorandos impios*. Quæ tum creata fuisse dicuntur, non quod re vera creata sint: sed שגזר השם לחדש באותות האלה שהן חוץ לתולדת *quia Deus naturam novare decrevit per hæc miracula, quæ sunt extra naturæ ordinem.* Ita sentit *Aben Ezra*. Sunt ex *Hebræis*, qui negent ea, quæ leguntur de asina *Balaam*, sumenda esse ad literam; quia Deus nunquam mutat rerum naturam, nisi להצדיק נביאו *ut justificet Prophetam suum.* Sensus est, miracula non alia de causa fieri, quam ut alicujus veri prophetæ doctrina confirmetur, qualis non fuit *Balaam*, sed קוסם *ariolus*. Sed hos refellit idem *Aben Ezra* exemplo *Ananiæ*, *Misaëlis*, & *Azariæ*, in quorum gratiam signum editum est, ignis natura mutata, quamvis Prophetæ non essent. *Rabba* in *Numeros* sect. 20. Deum asserit os asinæ ideo aperuisse להודיע שהפה והלשון ברשותו שאם בקש לקלל פיו ברשותו *ut Balaamum doceret, os, & linguam penes se esse, adeoque os ipsius* Balaami, *si quæreret* Israëli *maledicere*. Et vero id docuit eventus, cum *Balaam* iis ipsis invitus benedixit, quibus maledicturus tanto apparatu venerat, non minore miraculo, aut etiam majore, quam cum asina loquuta est. Asina enim erat merè patiens, sed *Balaam* moventi Deo pro virili obsistebat, ut *Saul*, cum Prophetam egit.

Asina porrò dominum suum hoc sermone compellavit, *Quid feci tibi, ut me percusseris his tribus vicibus?* רגלים *Hebraicè* & *vices*, & *festa solennia* significat. In qua æquivocatione *Hebræi* allusionem quærunt, sed valde frigidam. *Balaamum* scilicet volunt non sine mysterio asinam suam percussisse שלש רגלים *tribus vicibus*, cum iret animo gentem illam exstirpandi, cujus erant שלש רגלים, id est, *tria festa solennia* singulis annis, *Paschatis* nempe, & *Pentecostes*, & *Tabernaculorum*. Hæc *Rabba* ubi supra, & ex eo *R. Selomo*.

Balaam asinæ respondet, כי התעללת בי, *quia illusisti mihi*. Et ibi *Rabba*, אעפי שמדבר בלשון הקדש גרלשונו פורח *Etiam si Gentilis is sit, qui hic lingua sancta loquitur, tamen stylus ejus est florens.* Quia & verbum, & constructio est elegans: ut *Jud.* 19, 25. ויתעללו בה, *& illuserunt ei*, Et 1. *Sam.* 31, 4. & *Jerem.* 38, 19. והתעללו בי, *& illudant mihi*. Tamen *Arabs Parisiis* editus multo aliter reddidit لانكِ تمرّغت بي *quia in cœno prostrata volutasti me*; quasi pro התעללת legerit התגללת, *Gimel* pro *Ajin*. Interim *Hebræi Balaamum* frustra mirantur *Hebraicè* tam eleganter loqui: quamvis enim *Hebraicè* hæc expresserit *Moses* in suæ gentis gratiam, tamen *Syriacè* dixit *Balaam*, qui *Syrus* erat, & venerat è montibus *Aram*, ut ipse profitetur.

Pergit *Balaam*, *Utinam gladius esset in manu mea, jam enim te occidissem.*) Ad quæ verba *R. Selomo*, *Valde absurdum hoc fuit, si dixit coram Principibus* Moab. *Ibat, ut ore suo gentem integram perderet, & armis opus habuit ad hanc asinam interimendam.* Quæ pluribus ita *Rabba* pag. 189. col. b. *Similis est Medico, qui venerat demorsum à serpentibus verbis suis curaturus, &, viso in via* אנקה אחת *stellione uno, baculum cœpit quærere, ut eum interficeret. Et ipsi dixerunt, Cum stellionem hunc verbo non possis è medio tollere, quomodo venisti, ut eum verbo sanares, qui morsus est à serpentibus?* *Ita dixit asina* Balaamo, אין אתה יכול להרגני אלא אם כן חרב בידך והיאך אתה רוצה לעקור אומה שלימה *Tu non potes me occidere, nisi sit gladius in manu tua: quomodo igitur exstirpare vis gentem integram? Tacuit ille, neque habuit quod responderet.* Quibus non absimilia sunt, quæ *Jerosolymitanus* Paraphrastes huic asinæ affingit, וי לך בלעם רשיעא חסר רעתא וכל חכמא לא אשתכח בך הא אנא בעיר מסאב מיתא בעלמא הדין ולא אתיא לעלמא דאתי לא יכלת למילוט יתי בחוכמת דעתך על חד כמה וכמה בנוי דאברהם יצחק ויעקוב דבזכותיהון אתברי עלמא מן שרויא והיך את אזיל למילט יתהון כד גנבת דעתהון דעמא האלין *Væ tibi*, Balaam *impie, scientiæ expers, & in quo nulla reperitur sapientia. Ecce! ego sum immunda bestia, moritura in hoc sæculo, neque ad futurum sæculum perventura: Non potuisti tamen mihi maledicere, per doctrinam tuæ sapientiam: quanto minus filiis* Abrahami, Isaaci, & Jacobi, *in quorum gratiam mundus ab initio creatus est? Et quomodo tu vadis ad maledicendum illi populo, cujus scientiam suffuratus es?* *Jonathan* etiam id ipsum habet verbis parum diversis. Alii *Balaamum* volunt asinam suam potuisse maledictis devovere, & perdere, sed ideo noluisse; לפי שהיה דעתו לקלל את ישראל ואין ב׳ קללות ביום א׳ דכתיב לא אוסיף לקלל *quia habebat in animo* Israëli *maledicere, neque licet duas maledictiones una die conficere, quia scriptum est* Gen. 8, 21. "*Non* "*maledicam iterum.* Ita nugatur *Baal Hatturim*.

Moabitis porrò perculsis hoc miraculo, quale ab orbe condito nullum fuerat, inquit *Rabba*, & *Balaamo* negante hanc esse suam asinam, illa regessit, quæ habentur in Sacro Textu, *Nonne asina tua sum, super quam equitavisti ex quo tu es usque ad hanc diem?* *Ex quo tu es*, Heb. מעודך. Recentiores, *Ex quo tua sum.* Egregiè, quoad sensum: sed *Hebræi* id non ferunt. Itaq; etiam *Onkelos* hic habet מדאיתך, *Ex quo tu es*. Et *Arabs Erpenianus*, منذ كنت *Ex quo fuisti*. Ita etiam *Parisiensis* scripserat مُذْ كُنْتَ eodem sensu. Sed male editum مُذْ كُنْتُ *Ex quo fui*. Jonathan, Jerosolymitanus, & Syrus, ܡܢ ܛܠܝܘܬܟ *à juventute tua*; ut *Græci*, ἐκ νεότητός σου. Sic *Genes.* 48. *vers.* 15. *Deus ille*, qui

pascis me מעודי *à die, quo ego sum, usque ad hanc diem.* Omnino igitur, si verbis stamus, *Balaam* a juventute habuerat hanc asinam. Unde colligit *Rabba*, שלא היה זקן שהאתון גדולה הימנו *cum non fuisse senem, quia asina erat illo ætate provectior.* Quod tamen non est necesse. Nam in his verbis, *Equitasti super me, ex quo tu es*, necesse est aliquid supplere, nempe *ex quo tu es eques*, מיום שרכבת *a die, quo equitasti*, vel *equitare cœpisti*, ut recte *Aben Ezra*. Inde multi veterum supra, *a juventute tua*, aut *ab adolescentia tua*. Neque enim equitaverat infans, aut puer. Et asinus est animal satis vivax. *Gignit tota vita*, (inquit *Plinius*) *quæ est ei ad triginta annum.* Et *Algiahid*, apud *Damirem*, asini meminit, quem equitavit dominus suus per annos quadraginta. Verba sunt,

لا يعرف حمارا عاش اكثر من حمار ابي سيارة وهو عميلة ابن خالد كان له حمار اسود جاز عليه من مزدلفة الى منى اربعين سنة *Non notus est ullus asinus, qui plus vixerit asino patris Siaræ. Fuit is Amila Chalidi filius. Habuit autem asinum nigrum, quo per annos quadraginta usus est, cum faceret iter Mozdalapha Minam.* Quæ loca sunt circa *Meccham*, & *Medinam*, a peregrinis frequentata. Si tamdiu vixit asina *Balaami*, potuit illum vehere à juventute usque ad inclinantem ætatem. Itaque nihil obstat, quo minus asina *Balaamo*, vel seni, vel ad senium vergenti potuerit hoc objicere, *Nonne ego sum asina tua, qua vectus es a juventute?* Quamvis de *Balaami* ætate nihil quidquam ex Scriptura possit elici.

Tum aperuit Dominus oculos Balaami, *& vidit Angelum*, &c.) Non, ut *Rabba* somniat, כי סומא היה להודיעו שאף העין ברשותו *quia cæcus antea fuerat, ut eum doceret Deus etiam oculum esse in potestate sua*: sed quia præpeditos habuit oculos, ut discipuli, qui ibant *Emmauntem* Luc. 24, 15. aut potius ut *Sodomitæ*, qui, percussi scotomate, tota nocte frustra se fatigârunt in quærendo *Loti* ostio *Gen.* 19, 11.

Et Balaamo *dixit Angelus, Cur asinam tuam percussisti tribus vicibus?* Quippe Deus etiam jumenta servat, *Ps.* 36, 7. Et variis legibus eorum coercet immanitatem, qui plus æquo sæviunt in bestias. Vide *Exod.* 23, 19. *Deut.* 5. *vers.* 14. & 22, 6. 7. & 25, 4. Proinde justus dicitur *curare vitam jumenti sui* Prov. 12. vers. 10. Et *Rambam* in *More Nebochim* lib. 3. cap. 17. hæc Angeli verba, *Quare percussisti asinam*, &c. conferre dicit ad perfectionem nostram, ne discamus crudelitatem, neve bruta frustra lædamus, sed clementia potius ergo illas utamur. Quod si bestias quoque velit Deus clementer haberi, quanto magis homines factos ad imaginem suam? Hic igitur *Rabba* non male Angelum inducit *Balaamo* dicentem, לו מה האתון שאין לה זכות ולא ברית אבות נצויתי לתבוע עלבונה מידך אומה שלימה שאתה מבקש לעוקרה על אחת כמה וכמה *Si injuriam asinæ factam, in qua nulla est justitia, nec fœdus patrum, requirere jussus sum è manu tua, quanto magis, quod gentem integram radicitus exstirpare conatus?*

Addit Angelus יצאתי לשטן, ad verbum, *Exivi in Satanam*, id est, ut essem *Satanas*, seu adversarius tibi. Quomodo dictum fuerat versu 22. *Stetit Angelus Domini in via* לשטן לו *in* Satanam *ipsi*, id est, ut ipsi adversaretur. Itaque hic *Satanæ* nomen bono Angelo tribuitur, atque, ut observat *Rabba*, מלאך של רחמים היה ונעשה לו לשטן *Quoniam inter lapidum erat Angelus, factus est ipsi* Balaamo *in Satanam.* At non ideo [illegible], quam Diabolus, qui *Satan* ubique dicitur, quod Deo adversetur, & fidelibus. Cum contra, bonus Angelus in hominum gratiam, *Balaamo* se opponit. [illegible] *Balaamo* favet, quod illi se opponat. Nam, ut [illegible] observat *R. Selomo*, רוצה היה לשון [illegible] שלא יחטא ויאבד *volunt illum a peccato [illegible], ne peccaret, & periret.* Ut si quis furioso homini se opponat, eum in præcipitium ruiturus sit, aut viatori, qui a recta via aberrat. Quod significat [illegible] Angelus, *Exivi*, inquit, in adversarium tibi, כי ירט הדרך לנגדי *quia perplexa* (vel *intricata*) *est via tua coram me.* Vocem obscuram ירט ita reddo ex *Arabica* lingua, qua الورط à *Lexicographis* definitur كل غامض والهلكة وكل امر تعسر النجاة منه والوحل والورطة يقع فيها الغنم ولا يتخلص وارض مطمئنة لا طريق فيها والبير *Omne, quod occultum est, & perditio, & omne id, unde difficile est se extricare, & lutum densum, & glutinosum, in quod decidentes oves non possunt se expedire, & terra occulta, & invia, & puteus.* Hinc verbum quartæ Conjugationis, اورط & quintæ, تورط *In eas angustias se conjecit, aut incidit*: & decimæ, استورط *In eas conjectus non potuit exire se extricare.* Hæc omnia in *Alcamus*. Itaque Verbum تورط quo hic utitur *Parisiensis* editio, est *implicari*, & *intricari*. Male *occludi* reddit *Gabriel*. Alter *Arabs*, مال الطريق *declinavit via*. Quod ipsum est in *Kimchio* שטה, & in *Aquila* נטה. *Græci*, ἀστεῖα. Hieronymus, *perversa*: ut *Aben Ezra* עוות. *Samaritanus* [illegible]. *R. Selomo* ineptè הרר *tremuit*, quasi ירט sit à [illegible] *Syrus*, sensu diversissimo, [illegible] *Quia direxisti viam contra me.* Et Onkelos. *Quia notum est coram me, quod tu volebas ire per viam contra me.* Et Jonathan, *Notum est coram me, quod tu vis ire ad maledicendum populo*, ומילא לא מהוגנא לקבלי *quæ res non convenit coram me*, id est, mihi displicet, ut Gr. ἀστεῖα. Tot versionum examen peperit unius voculæ ambiguitas, quam ex *Arabismo* explicavimus. Vox eadem rursus occurrit *Job.* 16, 11. *Tradidit me Deus iniquo, & inter manus impiorum* ירטני *implicavit me.* Hebræum על ידי, propriè *super manus*, ibi reddendum *inter manus*, ut *Gen.* 42, 37. & 1. *Sam.* 17, 22. 46. & 1. *Reg.* 14, 27. & 2. *Reg.* 10, 24. & 12, 15. & 22, 5. 7. 9. & passim alibi.

Sequitur in Angeli verbis, *Et me vidit asina, & jam ter declinavit a me: nisi declinasset a me, etiam te jam occidissem, & illam conservassem.* Quæ Hebræi sic explicant. *Nisi asina declinasset, etiam te jam occidissem, quomodo illam occido.* Atque eo ipso momento volunt ab Angelo fuisse occisam, sive illam obruerit majestate gloriæ suæ; *Si enim moritur homo viso Angelo, ut constat ex* Gen. 32, 30. & Jud. 13. versu 22. אף כי הבהמה שאין לה שום שותפות עם רוח המלאך כמו אדם *quanto magis brutum, quod nullum habet commercium cum Spiritibus Angelicis, quale homo?* Ita in hunc locum *Aben Ezra*. Sive illam Angelus ideo morti addixerit, שלא יהיו אומרים זו שרכבה ועשין אותה יראה *ne diceretur, Hæc est asina, quæ locuta est, & facerent idolum.* In qua sententia est *Rabba*. Aut ne diceretur,

זו היא שסלקה את בלעם בתוכחתו ולא יכול להשיב שחס המקום על כבוד הבריות *Hæc est illa asina, quæ* Balaamum *vicit in disputatione. ita ut non habuerit quod responderet: Deus enim hominum honori ita consulit.* Sic brutum, quod mulierem iniit, Lex ideo cum muliere jubet interfici, ne dicatur, si maneret superstes, זו הבהמה שנרבעה אשה פלונית על ידה *Hoc est brutum, propter quod talis mulier morti addicta est.* Ita *R. Selomo.* Sed frustra quæritur, cur ab Angelo occisa fuerit asina, quam non constat fuisse occisam. Perperam enim id colligunt *Hebræi* ex verbis, *Etiam te occidissem*; quibus hoc solum voluit Angelus, se, qui properanti *Balaamo* remoram injecerat, & viam obstruxerat, etiam illum fuisse occisurum, nisi asina è via declinâsset. Nec Angelum verissimile est asinam eo momento occidisse, quo *Balaamum* increpabat, quod illam sine causa verberâsset. Et *Hebræi*, qui asserunt in media via eam fuisse, *Balaamo* prospexisse debuerant de altero jumento, quo reliquum iter conficeret. Sed de his fortasse plus satis.

Non possum tamen non addere multa hujusmodi referre tam Historicos, quam Mythologos. Atque in his quidem *Bacchus asino illi, quo fuerat vectus, vocem humanam dedit.* Ita, *Hyginus Astronom.* lib. 2. in *Cancro.* Et apud *Apollonium* (lib. 1. *Argonaut.*) *Phrixi* aries, cum *Helle* in *Hellesponto* submersa est,

- - - - αὐδὴν ἀνδρομέην προέηκε,

vocem humanam emisit. Ad quæ verba *Scholiastes*, λέγεται, ὅτι, τῆς Ἕλλης καταπεσούσης, ἀγωνιῶντι τῷ Φρίξῳ κατὰ Διὸς βούλησιν φθέγξασθαι, θαρσύνοντα αὐτὸν ὁ κριὸς διασώσειν αὐτὸν εἰς τὴν Σκυθίαν. *Cum* Helle *in* Pontum *decidit,* Phrixum *fratrem anxium aries, volente* Jove, *dicitur alloquutus, ut certum faceret se illum in* Scythiam *incolumem deducturum.* Item, ὅτι δὲ ἐλάλησεν ὁ κριὸς καὶ Ἑκαταῖος φησίν. *Arietem esse loquutum etiam* Hecatæus *dicit.* Addit *Apollonius* de eodem ariete lib. 2. versu 1150.

Τὸν μὲν ἔπειτ' ἔρρεξεν ἑαῖς ὑποθημοσύνῃσι·

Eum deinde arietem *immolavit ipsius mandatis.* Ubi rursus *Scholiastes*, τὸν κριόν, φησίν, ἔθυσε ταῖς ἑαυτοῦ ὑποθήκαις, ὅτι ἐστὶ καὶ συμβουλῇ αὐτοῦ τοῦ κριοῦ· αὐτὸς γὰρ ὁ κριός, ἀνθρωπίνῃ χρησάμενος φωνῇ, τοῦτο ποιεῖν προσέταξε. *Arietem, inquit, mactabat ex suis ipsius præceptis, hoc est, juxta consilium ipsius arietis. Ipse enim aries, humana voce usus, jussit hoc facere.* Et *Tzetzes* in *Lycophronem* pag. 8. scribit ἀνθρωπίνῃ φωνῇ λαλῆσαι τὸν κριόν, καὶ πάσας αὐτῷ τὴν ἐπιβουλὴν ἀναγγεῖλαι, *hunc eundem arietem, humana voce loquutum, omnes insidias Phrixo aperuisse*, quem pater erat immolaturus. Quod videtur sumptum ex *Isaaci* Historia, qui, cum à patre esset offerendus, per miraculum ereptus est, & aries ipsi substitutus. Tale est, quod, *Æliano* auctore *Hist.* lib. 4. cap. 54. Ὅμηρος ἔδωκεν ἵππῳ φωνήν. Homerus *equo vocem tribuit*, *Xantho* scilicet, qui *Iliad.* τ΄. in fine, dominum *Achillem* alloquitur versibus totis decem. Nempe

Αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη,

Vocalis conjux Jovis *illum instruxerat ore.*

Ubi *Eustathius*, Ὅρα τὸ πιθανὸν καὶ ἐνταῦθα τοῦ μύθου· ποιητικῶς γάρ, εἴπερ ἐλάλησεν ὁ Ξάνθος, ὥσπερ καὶ ὁ τοῦ Φρίξου κριός, διὰ Ἥρας ἂν ἐφώνησεν, ἥτις ἐστὶν ἀήρ. *Hic etiam vide quàm fabula sit probabilis; re vera enim si loquutus est* Xanthus, *ut &* Phrixi *aries per* Junonem *loquutus est, id est, per aërem.* Eodem pertinent hæc *Oppiani* lib. 1. *Cynegeticῶν* versu 226.

Ἵππος ἐν ὑσμίνῃ ῥήξεν ποτὲ δεσμὰ σιωπῆς,
Καὶ φύσιος θεσμοὺς ὑπερήλασε, καὶ λάβεν ἠχὴν
Ἀνδρομέην, καὶ γλῶσσαν ὁμοίιον ἀνθρώποισιν·

Equus in pugna quondam silentii vincula rupit, & naturæ leges superavit, & vocem sumpsit humanam, & linguam, qualem homines. Et *Propertius* lib. 2. *Eleg.* ultima,

Qualis & Adrasti *fuerit vocalis* Arion,
Tristis ad Archemori *funera victor equus.*

Et *Moschus* in *Europa*,

- - - τὴν δ' αὐτε προσέφωνεν ἠΰκερως βοῦς,

Hic illam alloquutus est bos latis-cornibus, id est, taurus *Europam* vehens, qui verus *Jupiter* ταῦρος μορφῷ. Sed & in Historiis apud *Eusebium* agnus, *Bocchore* in *Ægypto* regnante loquutus est. Quo referenda hæc *Suidæ* in Γένειον, Ἐν Αἰγύπτῳ, ὥς φασιν, ἀνθρωπείᾳ φωνῇ ἐλάλησεν, &c. καὶ προλελάληκε τὰ μέλλοντα. *In Ægypto (agnus) ut ajunt, humana voce loquutus est, & quædam futura prænunciavit.* Primus auctor *Manethon Ægyptius*, in cujus fragmentis hæc legere est: Βόκχορις Σαΐτης, ἐφ' οὗ ἀρνίον ἐφθέγξατο. Bocchoris Saites, *sub quo agnus loquutus est.* Plura vide in *Æliano*, *Hist. animal.* lib. 12. cap. 3. Ita in *Julio Obsequente*; C. Mario, & C. Flacco *Coss.* Arimini *canis loquutus.* In *Valerio* lib. 1. cap. 6. *Bello etiam* Punico *secundo constitit* Cn. Domitio *bovem dixisse*, "*Cave* "*tibi*, Roma. Et *Livius* lib. 35. *Quod maxime terrebat Consulem* Cn. Domitium, *bovem loquutum*, "Roma, "*tibi cave.* Idem lib. 24. dicit *bovem in Sicilia loquutum.* Et lib. 27. Priverni *satis constabat bovem loquutum.* Et lib. 28. *Bos in agro* Romano *loquutus.* Et lib. 51. *In agro* Campano *bovem loquutum esse satis constabat.* Et *Valerius* ubi suprà, *P. Volumnio, & Servio Sulpitio Coss. bos, mugitu in sermonem humanum converso, novitate monstri audientium animos exterruit.* Plutarchus in *Marcello*, Ἐλέχθη δὲ καὶ βοῦν ἀνθρώπου φωνὴν ἀφεῖναι, *Bos etiam dicebatur humanam vocem emisisse.* Et rursus *Julius Obsequens*; Scipione Nasica, Cn. Martio *Coss.* Frusinone *bos loquutus.* Item, *Servio Flacco, Q. Calpurnio Coss. bos loquutus, & nutritus publicè.* Item, *C. Mario, C. Flacco Coss. bubo extra urbem visus, bos loquuta*, &c. Item, *C. Claudio, M. Perpenna Coss. bos loquuta. Virgilius*, ubi de prodigiis in morte *Cæsaris* lib. 1. *Georg.*

- - - *pecudesque loquutæ,*
Infandum. - - -

Hinc *Plinius* lib. 8. cap. 4. *Est frequens in prodigiis priscorum bovem loquutum: quo nuntiato Senatum sub dio haberi solitum.* Quæ cum apud optimæ notæ Historicos tam frequenter occurrant, nemo omnia commentitia esse dixerit. Itaque hac in parte planum est Diabolum se præstitisse Dei simiam. Addi queat ex *Plutarchi* libro *De fluminibus*, in *Hydaspe*, *Pori* elephantem domino suo humana voce dixisse, Δέσποτα βασιλεῦ, ὁ γένος ἀπὸ Γηγασίου κατάγων, μηδὲν ἐξ ἐναντίας Ἀλεξάνδρου πείσῃς, Διὸς γάρ ἐστι Γηγάσιος. *Domine Rex, qui a* Gegasio *genus ducis, ne quidquam contra* Alexandrum *feceris*, Jovis *enim est* Gegasius. Absurdè, & nullo sensu. Sed, quod Cl. *Maussacum* fugisse miror, haud dubiè legendum est, Διὸς γάρ ἐστι γένος, Jovis *enim est genus.* Nempe credebatur *Alexander Jovis* esse filius, & *Poro* sic opponitur, & præponitur, cujus mortale genus erat ex *Gegasio*. Item ex *Theophane* ad Annum 749. in *Mesopotamia* è terra ascendisse animal mulinum, loquens humana voce (*Græce*, (c) ἡμίονον ἀνθρωπίνῃ φωνῇ φθεγγόμενον) & prænuntians gentis incursionem ab eremo adversus *Arabes*: quod & factum est. Hujusmodi Historias narrant *Arabum* Lexicographi in vocibus طاخية & اطلال.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De mille *Philiſtæis* à *Samſone* aſini maxilla cæſis.

Recens טריה, *vox* Arabica. *In* Samſone, *qui ſolus occidit mille viros, implentur promiſſa* Levit. 26, 8. *&* Joſ. 23, v. 10. *Tale quid de* Joſebo, 2. Sam. 23, 8. *Hebræum* acervi *nomen ad aſini nomen alludit. Similes alluſiones.* Ramath-lechi, *id eſt*, projectio maxillæ: *pro quo* Lechi *ſolum occurrit. Sic* Hebr. *ex locorum nominibus compoſitis pars prior ſæpe omiſſa.* Lechi *locus fatalis* Philiſtæis. Joſephus *emendatus. Incertum, quid ſit* לְחָיָה lachaja, 2. Sam. 23. 11. 12. *& interpretes in devia abeunt. Sed ſi legas* לְחִיָה lechija, *cum* Joſepho, *omnia erunt plana.* Joſephus *in* Samſonem *injurius.* מכתש mactes, *id eſt*, maxillæ mortariolum. *R.* Levi *emendatus in voce* שן, *&* Chaldæus *in vocibus* כפא, *&* רומא. *Dens molaris* ככא Chald. Levitæ *in* Babylonia *cur pollices ſuos dentibus abſciderint. Dentium capſula*, Gr. ὁλμίσκοι, Lat. *mortariola. Sic ſumi mortarium, quod in maxilla, unde fons ortus. In oryge ſaluberrimi liquoris veſica.* Vocavit nomen, *id eſt*, vocatum eſt. *Vox* מקום locus *ſæpe ſuppletur. Liquor è maxilla fluens* fons *dictus Analogicè; ut* fons lacrymarum, fons ſanguinis, *&c. Refelluntur, qui putant hunc fontem eſſe perennem, & durare hodieque.* Syrus *&* Arabs *Interpretes notati.*

ECce miraculum aliud non in aſino vivo, ſed in mortuo exhibitum! *Samſon*, è manu *Philiſtæorum* elapſus, ruptis vinculis, quibus captivus detinebatur, incidit in maxillam aſini recentem, qua arrepta, mille viros ex iis interfecit, *Jud.* 15, *v.* 15. *In maxillam aſini recentem*, id eſt, in maxillam aſini recens occiſi, cujus oſſa adhuc ſuccida non tam facilè franguntur, quam cum, exhauſto humore, penitus exaruerunt. *Recens* Hebr. eſt טריה, quam vocem eſſe *Arabicam* verè aſſerunt *Kimchius* in hunc locum, & *Aben Ezra* in *Eſaiam*. Eam enim *Arabes* paſſim uſurpant. Sic *Avicenna* lib. 2. cap. *De ovis*, فضل الطري *Optimum eſt recens*. Alibi apud eundem السمن الطري eſt *butyrũ recens*. Et اللحم الطري *caro recẽs*. Et in *Pſ. Savar.* Pſ. 89. 6. طراوة eſt *recentia herba viror*. Itaque in loco *Judicum*, in quo verſamur, *Arabs* Interpres ineptè, & ſenſu planè contrario, *Hebræum* טריה reddit عظما يابسا *os ſiccum*. Nec *Græci*, & *Vulgatus* ſatis commodè, σιαγόνα ὄνου ἐῤῥιμμένην, *mandibulam aſini, quæ jacebat*. At *Chaldæus* non malè, לועא דחמרא בטיבתא, *maxillam aſini in humiditate ſua*, id eſt, adhuc humidam: ut *Eſ.* 1, 6. מכה טריה, *plaga recens*, idem eſt, quod plaga humida, ſeu ſanioſa, & purulenta; quia, ſanie, & pure ſemper fluente, videtur indies renovari. Telum hoc non elegit *Samſon*, ſed caſu oblatum arripuit, aut Deo potius ſic providente, ut ſervo ſuo, inter hoſtes nudo, & inermi ſubveniret. Atque ut *Goliathi* gladio, haſtæ, & pilo prævaluit funda *Davidis*; quia *David* in pugnam deſcenderat in nomine Domini exercituum: ita *Samſon*, Deo propugnante, non timet omnibus *Philiſtæorum* telis unam aſini maxillam opponere, qua mille viros ſolus percuſſit. Quale eſt, quod *Joſebus*, *Davidis* primipilus, legitur 2. *Sam.* 23. v. 8. viros octingentos una vice invaſiſſe, & confodiſſe: & *Samgar* ſexcentos ſtimulo bovis, *Jud.* 3. v. 31. Nempe oportuit id impleri, quod Deus promiſerat verbis tam ſolennibus *Joſ.* 23, 10. *Unus è vobis perſequetur hoſtium mille viros; quia Dominus Deus veſter pro vobis pugnabit.* Et Levit. 26, 8. *Centum è vobis perſequentur decem millia, & hoſtes veſtri coram vobis gladio cadent.* Quâ fiducia pronuntiat *David* Pſ. 3, 5. 6. *Cubo, dormio, & expergiſcor, quia Dominus ſuſtentat me, ita ut populi myriades, quæ me circumſident, non reformidem.*

Poſt victoriam adeptam cecinit *Samſon* carmen hoc ἐπινίκιον, בלחי החמור חמור חמורתים בלחי החמור הכיתי אלף איש, *Maxilla aſini acervum, duos acervos, maxilla aſini percuſſi mille viros.* Gratia eſt in alluſione, quia חמור & *aſinum*, & *acervum* ſignificat. Ac ſi quis *Græcè* dixerit, Ἐν σιαγόνι ὄνου σωρὸν σωρὸν, σωροὺς· aut Ἐν σιαγόνι σάγμα, σάγμα, σάγματα. Aut *Latinè*, *Maxilla cervi acervum, acervos.* Sunt, quibus חמור ubique eſt *aſinus*, hoc ſenſu, *Maxilla aſini, aſini aſinarum* (ſupple *filii*) *maxilla*, inquam, *aſini percuſſi mille viros.* Quaſi nomen aſini *Samſon* ſæpe repetierit, quia res erat paradoxa prorſus, aſini maxillâ tot hoſtes fuiſſe cæſos. Quod ideò non poteſt ferri, quia חמורתים Duale eſt. Itaque חמור חמורתים eſſet *aſinus duarum aſinarum* ſupple *filius*: quod quis explicaverit? Proinde *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabs*, & *Hebræi* omnes *acervos* hic intelligunt. Sola *Vulgata* habet *pullum aſinarum*: & e recentioribus *Caſtalio*, *aſinum aſinarum*. LXX. multo aliter, Ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτούς, *Delendo delevi eos*, quaſi legerint חרוב החרבתים Neque enim aliud ſuccurrit à recepta lectione minus remotum.

Abſoluto cantico, *Samſon* projecit maxillam, atque ex argumento locum vocavit רמת-לחי *Ramath-lechi*, id eſt, *projectionem maxillæ*. Non ἀναίρεσιν, *ablationem*, ut *Græci* accipiunt; nec *elevationem*, ut *Hieronymus*. רם *ram*, quidem *excelſum* ſonat, & *Ramath* inde deducit *R. Levi*. Sed *Chaldæus*, & *Kimchius* meliùs à verbo רמה *rama*, quod *projicere* eſt. Sic enim habet Sacer Sextus, *Projecit maxillam de manu ſua; & vocavit locum illum* Ramath-lechi. Pro *Rama* in *Syro* legitur ܕܡܐ *dama*, *ſanguis* (maxillæ) *Daleth* pro *Res*, quod ſequitur *Arabs* Interpres. Loci nomen *Ramath-lechi* contractum in *Lechi*, Jud. 15. v. 14. Nempe, ut alibi obſervamus, in locorum nominibus compoſitis apud *Hebræos*, compendii cauſa, pars prior ſæpe omittitur. Proinde *Salem* dicitur pro *Jeru-ſalem*, Pſal. 76. v. 3. Et *Jemini* pro *Ben-jemini*, Eſth. 2, 5. Et *Seba* pro *Beer-ſeba*, Joſ. 19, 2. Et *Sittim* pro *Abel-ſittim*, Num. 25, 1. Et *Hermon* paſſim pro *Baal-Hermon*: & pro *El-tholad*, *Tholad*, 1. Par. 4, 29. Et *Ataroth*, Joſ. 16, 5. 7. pro *Archi-ataroth*. Plura vide in noſtro *Phaleg* lib. 2. cap. 24.

De cætero *Lechi*, id eſt, Σιαγὼν, *Maxilla*, locus fuit *Philiſtæis* fatalis, ſi *Joſepho* (a) credimus, in quo ipſo fortium *Davidis* tertius, ἦν δὲ μετ' αὐτοῦ, Σιβαῖος ὄνομα (legendum Ἴγου, & Σιμᾶς) Igi filius, Semas nomine, *Philiſtæis* irruentibus, magna animi præſentia, ſe oppoſuit ſolus, atque alios quidem occidit, alios in fugam vertit. Quæ ſumpta ſunt ex 2. *Sam.* 23, 11. 12. ubi *Græca* verſio *Compluti* edita hæc ipſa narrat tanquam facta ἐπὶ Σιαγόνα, *ad Maxillam*, id eſt, לְחִיָה *Lechija*, quomodo, mutatis punctis, legerunt pro *Hebræo* לַחַיָּה *lachaja*: quod ego ſequerer libens, niſi ſtaret per *Maſorethas*. Quia, ſi legatur לחיה *ad Lechi*, ita ut *He* locale in fine ſuppleat vicem ל *Lamed* initialis, ſenſus erit apertiſſimus. Nempe *Philiſtæos* ad *Lechi* conveniſſe prædabundos, id eſt, ad eumpſe locum, in quo multo ante, ſcilicet centum annis plus minus, ab uno *Samſone* cæſi, & fugati fuerant, magna illorum ſtrage edita. Cujus beneficii memoria ne intercideret, Deum alterum *Samſonem* ſuſcitaſſe,

(a) *Antiq. l.* 7. *cap.* 10.

citâsse, unum nimirum è *Davidis* Heroibus, qui, cæteris *Israelitis* fugâ dilapsis, eorum impetum sustinuit, & fregit. At, si legatur, לַחַיָּה *lachaja*, nemo facile dixerit, quomodo hæc reddenda sint ויאספו פלשתים לחיה. Itaque hic Interpretes mire cespitant, & quot capita, fere tot sensus. *Chaldæus* ita reddit, *Et congregati sunt Philistæi* לחיתא *ad Chajatha*, quasi *Chaja*, vel *Chajatha* sit loci nomen, cujus alibi nulla mentio. Et *Græci*, Συνήχθησαν εἰς θηρία. *Congregati sunt in feras*, id est, לחיות, aut potius על החיות, quasi de venatione agatur, quod valde est alienum, quia venationi vacare in hostico neque licet, neque tutum est. Itaque alii referunt ad pecus domesticum, ut *Syrus*, & *Arabs*: quorum ille *Philistæos* convenisse dicit ܠܡܒܙ ܒܥܝܪܐ *ad diripienda animalia*; hic لينتهبوا انعام بني اسرايل *ut depredarentur armenta filiorum* Israëlis, quo sensu חיה in Scriptura nusquam usurpatur. Quippe aut in genere *omne animal*, aut in specie *feras* significat, non *domesticas bestias*, quæ *Hebraice* dicuntur בהמה. Nihilo magis placet *Hieronymi* versio, *Congregati sunt in statione*, quia, ut *Hebræum* חיה pro statione sumatur, res est sine exemplo. *R. Salomoni* חיה hic est גדוד *turma*, ut statim vers. 13. חית פלשתים *Et turma* Philistæorum, *&c.* Ex qua versione ויאספו לחיה esset, *Congregati sunt in turmam*. Quod placeret, si probaretur hanc Phrasim esse *Hebræam*. *Kimchio* חיה est *pagus*, ut *Arabice* الحي, auctore *R. Jona*: unde, inquit, Plurale חוות pro חיות *Num.* 32. *v.* 41. *Jod* & *Vau* permutatis. Sed fallitur *R. Jonas*. Neque enim *Arabicum* الحي *pagus* est, sed *familia*, aut *cognatio*. At الحوا per *Vau* est *pagus*, ut *Hebr.* חוה, cujus Plurale חוות. Proprie *Arabes* ita nominant *plura tabernacula in orbem digesta circa plateam in medio*, quia حوي est *circumdare*. Omnino igitur *pagus* Hebr. esset חוה per *Vau*, non חיה per *Jod*. In Notis *R. Levi* חיה pro *victu* sumitur hoc sensu, *Congregati sunt* לחיה *ad victum*, id est, ad pabulationem, & frumentationem profecturi, sed absque exemplo simili. *Victus* enim non est חיה, sed מחיה. *R. Esaias* vel loci nomen vult intelligi, quomodo *Chaldæus* Interpres, vel castra *Philistæorum*, ut versu 13. Ubi tamen חיה *turmam*, non *castra* significat, quod jam ante docuimus. Vides, lector, in quot ambages hâc sua lectione *Masorethæ* se conjecerint, cum in altera omnia plana sint, & perspicua.

Jam ad *Samsonem* revertimur, qui, hoste profligato, siti enectus, Dominum invocavit his fere verbis, *Tu mihi servo tuo magnam hanc victoriam concessisti: & nunc siti morior, & cadam in manus horum incircumcisorum?* *Josephus* in virum sanctum injurius est, cùm hanc *Samsoni* sitim fingit in pœnam obvenisse, quia, fugatis hostibus, μείζω ἢ κατὰ τοῦτο φρονῶν, καὶ οὐκ ἐπὶ Θεῷ συνεργήσαντι λέγων τοῦτο συμβῆναι, τὴν δ' ἰδίαν ἀρετὴν ἐπιγράφων τῷ γεγονότι, *propterea plus satis elatus, non dixit ope divina hoc accidisse, sed propriæ virtuti adscripsit quod factum fuerat.* Nempe in ἐπινικίῳ illo carmine, quod explicatum est supra, *Maxillâ asini acervum*, &c. In quo licet Dei nominis disertè non meminerit, tamen haud dubiè senserat vim illam θεῖαν, de qua Sacer Scriptor vers. 14. *Invasit eum Dei spiritus.* Et, hâc ope fretus, rem aggressus est, quæ erat supra vires humanas, nempe, ut vir unus mille cæderet. Unde est, quòd *Hebr.* 11. *v.* 32. *Samsonem* numerat *Apostolus* in eorum censu, qui per fidem in bello robusti facti sunt, & hostiles exercitus in fugam verterunt. Deum igitur præsentem expertus in tanto discrimine, tam insignem victoriam illi soli tulit acceptam, & non vulgare beneficium grato animo recoluit. Atque hoc ipso, quod ingeminat se asini maxillâ, hoc est, imbelli telo, atque invalido, mille homines prostravisse, tacitè agnoscit, & insinuat, non factum id viribus humanis, sed illius virtute, in cujus manu telum debile nullum est. Sed, quod in illo carmine satis habuerat subinnuisse, hic disertis verbis exprimit, Deum scilicet tantam illi victoriam indulsisse. Quo agnito petit, ut siti laboranti nunc subveniat, & jam accepto beneficio alterum addat. Deum enim probè noverat non esse instar hominum, qui, cum dedêre, manum occludunt. Quin ob id ipsum dat Deus, quia jam dedit, & priora dona novis subinde cumulat, ut cum *Davide* dicamus, *Quid Domino rependam, omnia ejus beneficia sunt super me?* Psal. 116. v. 12.

Proinde *Samsonis* prece Deus exoratus *fidit mortariolum, quod erat in maxilla, & ex eo exiverunt aquæ, & bibit* Samson, *& rediit Spiritus ejus, & vixit. Ideo vocatum est nomen ejus* En hakkore ascher ballechi (id est, *fons invocantis, qui est in maxilla*) *usque ad hanc diem.* Verba sunt Sacri Textûs, in quibus non pauca sunt, quæ lectorem suspensum tenent. Primò enim valde incertum est, quid in maxilla sit מכתש *mactes*, quod nos *mortariolum* reddidimus, at alii multo aliter. E *Græcis* una editio habet, Ἔρρηξεν ὁ Θεὸς τὸν λάκκον τὸν ἐν σιαγόνι, *Rupit Deus lacum, qui erat in maxilla*, id est, foveam, aut cisternam, sensu fortasse commodo, ut mox dicemus, sed verbis minus propriis. Altera Ἤνοιξεν ὁ Θεὸς τὸ τραῦμα τῆς σιαγόνος, *Aperuit Deus vulnus maxillæ*: quod non capio, cum vulnus ipsum nihil quidquam sit, quam cutis apertio. Itaque aperire vulnus est aperire quod jam apertum est. At plagam fortasse voluit, quisquis fuit primus auctor hujus interpretationis. Nempe מכתש est *plaga*, sed *Chaldæis*, non *Hebræis*. Sic *Levit.* 13. *v.* 9. in *Onkelo*, & *Jonathane*, מכתש סגיר est *plaga lepræ*. Tertia eorum est interpretatio, quibus מכתש est *Petra*: Quod *R. Levi* sic explicat, אחשוב שהוא שן סלע דומה למכתש במקום שהוא שמו לחי *Puto esse* שן *dentem* (lege שם *nomen*) *petræ mortario similis in loco* Lechi *dicto*. Proinde ex illius sententia sic vertendum est, *Et fidit Deus rupem Mactes nomine, quæ est in Lechi.* Ita *Mactes* est loci nomen in his *Sophon.* 1. *v.* 11. *Ululate incolæ Mactes*, id est, incolæ loci à mortarii figura sic appellati, sive is fuerit *Hierosolymis* circa torrentem *Kedron*, ut habetur in *Chaldæa* Paraphrasi, aut circa *Tiberiadem*, ut vult auctor *Midras Aggada*. Id videtur sequutus *Josephus*, cujus verba sunt, Πρὸς δὲ τὰς ἱκεσίας ἐπικλασθεὶς ὁ Θεὸς πηγὴν κατά τινος πέτρας ἀνίησιν ἡδεῖαν, καὶ πολλήν. *Deus igitur, precibus flexus, è petra quadam fontem emisit suavem, & copiosum.* Sed & *Chaldæus* habet, ובזע יי ית כפא דבלועא *Et fidit Deus petram, quæ erat in maxilla*, id est, (si *Kimchio* credimus) *sub maxilla*. Quasi *Samson* maxillam asini projecerit super rupem: quæ rupes ideo dicatur fuisse in maxilla, quod sub maxilla fuerit. Quæ loquutio si admittatur, etiam templum dicetur esse in campanili, quod sit sub campanili; & mensa esse in pane, quia subest pani imposito. Quod quia novum est, & inauditum, nec videtur ex his verbis commodus sensus posse elici, puto locum esse corruptum, & pro כפא legendum ככא, quomodo se reperisse in quibusdam exemplaribus *Kimchius* ipse agnoscit. Ita *Chaldæo* Interpreti cum *Hieronymo* conveniet, qui hunc locum ita reddidit, *Aperuit itaque Deus molarem dentem in maxilla asini.* Nempe ככא est *dens molaris*. Ita passim usurpant *Chaldæi* Paraphrastæ. Vide *Num.* 21. *v.* 36. in *Jonathane*; item Paraphrases *Chaldaicas* *Job.* 19. *vers.* 20. & 29. *v.* 17 & 41. *v.* 5. *Psal.* 3. *v.* 8. & 35. *v.* 16. *Prov.* 30. *v.* 14. *Eccles.* 12. *v.* 3. Et in editione *Veneta* *Psal.* 137. *v.* 5. ubi cum *Levitas* rogarent *Babylonii*, ut citharis suis luderent, & eadem cantica canerent, quæ olim in *Judæa*, מיד קטעו לואי אליונידהון בככיהון *statim absciderunt* Levitæ *pollices suos molaribus suis.* Et in Tractatu *Talmudico* *Sanhedrin*,

hedrin cap. 4. *Cæſari* dixit *Rabban Gamaliel*, אימא לי כמה ככין ושניך כמה הוה *Dic mihi quot ſint molares tui, & dentes tui.* Itaque fallitur *Kimchius*, cum ככא dicit eſſe *cavum, in quo dens figitur.* Addit idem, *Chaldæa* quædam exemplaria pro כיפא, vel ככא, habere ומנא, vocem ſibi prorſus ignotam. Ego לוגמא reſcribo ex *Syro*, qui ſic habet, *Et fidit Dominus Deus* ܠܘܥܐ ܕܦܡܐ ܕܚܡܪܐ, quod *Gabriel Sionita* explicat *mentum maxillæ aſini*, ego pro mento *buccam*, quâ notione לוגמא in *Talmude* occurrit. Sic in Tractatu *Joma* c. 8. fol. 73. b. האוכל ככותבת הגסה כמוה וכגרעינתה והשותה מלא לוגמיו חיב *Qui comederit* (die propitiationis) *quantum dactylus eſt craſſus, aut dactyli nucleus, & biberit plenitudinem buccarum ſuarum* (id eſt, quantum uno hauſtu capit bucca) *reus eſt* violati jejunii. Et in *Peſachim* cap. 10. fol. 107. a. וטעם מלא לוגמא *& guſtavit plenâ buccâ.* Supereſt de *Arabe* dicamus, qui מכתש exponens generali *oſſis* nomine, *Terebravit*, inquit, *Dominus* عظم خد الحمار *os maxillæ aſini.* Hæc veteres de voce מכתש *Mactes*, quibus obſcuratur veritas potius quam illuſtratur: quia inter tot interpretamenta lector hæret dubius, nec quid ſequatur ſatis ſciens. His igitur miſſis, dicam quod res eſt. Ut כתש eſt τρίβειν, *terere, contundere*: ita מכתש eſſe τρίβαμαι *b*) *mortarium* tam certum eſt, quam quod eſt certiſſimum. Id agnoſcunt *Hebræi* omnes. Et palam eſt ex *Prov.* 27. *v.* 22. אם תכתש את האויל במכתש *Si ſtultum contunderis in mortario*: Theodotion, ἐν ὅλμῳ & Hieronymus, *in pila*; quod idem eſt. Aliud eſt non minus certum (quod hic notandum inprimis, nec ab iis præteriri debuerat, qui locum explicant, in quo verſamur) nempe dentium capſulas, ſeu alveolos, hoc eſt loculamenta maxillarum, in quibus conduntur dentes, ὀλμίσκους, ſeu *mortariola* nominari. *Julius Pollux* lib. 2. cap. 4. ſect. 21. Τῶν μὲν τῶν μυλῶν τὸ μέρος πρὸς τῇ σαρκὶ μυωμίσκον καλοῦσι, τὸ δὲ λεαῖνον τὰ σιτία τραπέζας, καὶ τὰς κοιλότητας ὀλμίσκους *Molarium quidem dentium quæ pars carni adhæret* (id eſt, gingivis inſeritur) *momiſcus; quæ cibos conterit menſæ, & cavitates* quibus inſeruntur *mortariola nominantur.* *Rufus Epheſius*, qui ſub *Trajano* vixit, *De corporis humani partium appellationibus* lib. 1. cap. 8. *Mortariola, & maxillarum cavitates, in quibus dentes defixi ſunt, appellantur.* Jam igitur conſtare credo lectori non prorſus ſtupido, quid ſit in Sacro Scriptore המכתש אשר בלחי *mortarium, quod in maxilla erat*; nempe dentium alveolum, vel alveolos in maxilla aſini. Et vero ita definiunt *Hebræorum* doctiſſimi. *Rabbi Selomo* in hunc locum, את המכתש גומא שהשן יושבת בה עשויה כמין המכתש Mactes, *id eſt, foſſa, in qua dens ſitus eſt, facta adinſtar mortarii.* David Kimchi, גומה אשר השן שוכב בה עשויה כמכתש *Foſſa, in qua dens jacet, facta ut mortarium.* David de Pomis, גומה של שן שהיה כמו מכתש *Foſſa dentis, quæ eſt ut mortarium.* Aquinas, גומה מהשן נקרא כן *Dentis alveolus ſic appellatur.* Neque aliud *Græci* voluêre, cum reddiderunt τὸν λάκκον τὸν ἐν τῇ σιαγόνι. Quippe λάκκος, & גומא idem ſunt. In *Elia Methurgeman Chald.* גומא id ipſum eſt, quod *Hebræum* בור, quod *Græci* Interpretes λάκκον reddunt plus quadraginta locis.

b) *Vide Suidam in* ὅλμος.

Si dicas, in maxillarum aſini mortariolis nullam eſſe aquam, multò minus tantam vim aquæ, ut inde ſedari potuerit *Samſonis* ſitis: ajo in hoc ipſo eſſe miraculum, quod ex aperta maxilla, pro tabo, aut ſanguine, uberes aquæ manaverint, idque eâ virtute factum, quâ ex rupe aquæ eruperunt, & farina crevit in hydria, & oleum in lecytho viduæ *Sareptanæ*. Quamvis de *Africano* oryge aliquid ſimile narret *Plinius* lib. 10. cap. 73. *Orygem*, inquit, *perpetuò ſitientem Africæ generat, & naturâ loci potu carentem, & mirabili modo ad remedia ſitientium. Namq. Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum ſaluberrimi liquoris veſicis.* In ipſis *Samſonis* manibus, dum maxillam adhuc teneret, miraculum contigiſſe putat *Sulpitius Severus*. *Arrepto*, ait, *oſſe aſini, quod caſus telum dederat, mille ex hoſtibus proſtravit. Ingraveſcente autem æſtu, cum ſiti afflictus eſſet, invocato Domino, ex oſſe, quod manu tenebat, aqua fluxit.* At maxillam abjecerat *Samſon* ſtatim poſt decantatum carmen *Epinicion*, ככלתו הדבר *cum abſolveret loqui.* Quo facto, ſiti laborans Deum oravit; & Deus fidit maxillam, ex qua fluxerunt aquæ. Itaque in maxilla jacente vim ſuam exeruit Deus. *Gregorius, Moral.* in *Job.* lib. 13. cap. 6. *Maxilla in terram projecta poſtmodum aquas fudit.* Sed illam reſumpſiſſe *Samſonem* credibile eſt, ut tam avidè exoptatum liquorem exſugeret, cum vidit ex ea manare uberes aquas; *Et rediit ſpiritus ejus, & vixit*: id eſt, ſpiritus vitalis, qui præ ſiti elanguerat, & quaſi abierat, tunc reverſus eſt. Sic *Geneſ.* 45. *v.* 27. *Et vixit ſpiritus Jacobi*, id eſt, vigori ſuo reſtitutus eſt, cum vidit currus à *Joſepho* miſſos, & certò ſcivit illum vivere, & florere in *Ægypto*.

Ideo vocatum eſt nomen ejus En hakkore, *&c.*) Hebr. *ideo vocavit*, nempe *vocans*, id eſt, quilibet, non *Samſon* ſolus. *Hebræi* enim ſic loqui amant. Ut *Geneſ.* 16. *v.* 14. *Ideo vocavit puteum* Beer-lahai-roi. *Vocavit*, nempe quilibet. Neque enim ad *Agar* poteſt referri, de qua præcedente verſu; quia קרא, *vocavit*, Verbum eſt Maſculinum. Et *Exod.* 15. v. 23. *Et non potuerunt bibere aquas de Mara, quia amaræ erant. Ideo vocavit* (id eſt, *vocatum eſt*) *nomen ejus* Mara. Ita, hoc loco, *Vocavit nomen ejus* En-hakkore, pro *vocatum eſt*. *Nomen ejus* Hebr. שמה cum Affixo Fœminino, quod Affixum quo referatur non ſatis conſtat. Neque enim refertur ad המכתש, *mortariolum*, quod *Hebr.* Maſculinum eſt; neque ad לחי, *maxillam*, quia hoc nomen עין הקורא אשר בלחי *fons invocantis, qui eſt in maxilla*, maxillæ non conveniſſet. Maxilla enim in maxilla non eſt. Neque refertur ad מים, *aquas*, cum neque Genus conveniat, neque Numerus. Nam מים Duale, & Maſculinum eſt. Ergo aliud quærendum. Et iis facilè aſſentirer, qui ad המקום, id eſt, *locum*, referunt, ſi conſtaret מקום eſſe Fœmininum. Etſi enim *loci* vocabulum non præceſſerit, tamen facilè ſuppletur; ut *Gen.* 21. *v.* 17. *Audivit Deus vocem pueri in loco, in quo eſt.* Illud *in loco* deeſt in *Hebræo*, ſed ex ſenſu ſuppletur. Et *Gen.* 37. *v.* 17. *Profecti ſunt ex hoc*, ſupple *loco*. Exempla paris ἐλλείψεως vide *Num.* 22. *v.* 19. *Jud* 17. *v.* 8. *Ruth.* 1. *v.* 16. 17. 2. *Sam.* 7. *v.* 7. 1. *Reg.* 18. *v.* 12. 2. *Par.* 1. *v.* 4. &c. Sed *Hebræum* loci nomen מקום Fœmininum nuſquam reperi, niſi in his *Job.* 20. *v.* 9. תשורנו מקומו *Intuebitur eum locus ejus*, ubi *Hebræi* ſupplent עין יושבי מקומו *oculus incolarum loci ejus*, ne Nomen מקום copuletur cum verbo Fœminino. Itaque, omnibus expenſis, malo ad fontem referre hoc modo, *Et vocatum eſt nomen ejus* (ſupple העין *fontis*) *fons invocantis*, &c. quia עין *fons* Hebr. plerumque eſt Fœmininum. *Fons invocantis* Selomoni eſt מעין שבא על ידי זעקת הקורא אל יהוה *fons, qui fuerat impetratus per clamorem illius, qui Deum invocaverat*, id eſt, *Samſonis*. Fons porro non appellatur liquor è maxilla fluens, niſi analogicè, & καταχρηστικῶς ut *Fons lacrymarum*, Jer. 9. v. 1. *Fons ſanguinis*, Levit. 20. v. 18. & *Marc.* 5. *v.* 29. Neque enim fons propriè dicitur, niſi cum è terra erumpunt perennes aquæ. Qualis ne hic putetur eſſe, jam antea dictum fuerat eum è maxilla exiiſſe; & hoc loco vocatur *Fons in-*

invocantis, qui est *in* Lechi *usque in hunc diem.* Quasi velit Sacer Scriptor, sive is sit *Samuel*, aut alius Propheta posterior, fontem hunc perdurasse usque ad suam ætatem. Quin hodieque durare nonnulli asserunt, & ostendi scribunt in *Palæstina*. In quam rem citantur hæc *Hieronymi* in *Epitaphio Paulæ* Epist. 27. cap. 6. *Transibo ad Ægyptum, & in* Sochoth, *atque ad fontem* Samson, *quem de molari maxillæ dente produxit, subsistam parumper, & arentia ora colluam.* Et quod asserit *Michael Glycas*, qui sub *Jo. Comneno* vixit circa Annum 1120. *Hunc fontem in hodiernum usq; diem in* Eleutheropolis *suburbano conspici, & Fontem Maxillæ nuncupari.* Sed fontem, qui pro *Samsonis* fonte ostenditur, ab eo diversum esse constat; quia fons *Samsonis* è maxilla ortus est, & alter ille è terra oritur. Unius origo miraculosa fuit, alterius est naturalis. Unus fluxit ad momentum, manat alter perenni fluxu. Cum enim non soleat Deus miracula exhibere, nisi quantum necesse est, postquam *Samson* sedavit sitim, & abundè potus ex eo loco discessit, quorsum durâsset miraculum, & in loco fortasse deserto, nullo inspectante, è maxilla exsudasset inutilis humor? Mannam è cœlo pluere cessavisse quis nescit, cum vesci terræ frugibus cœperunt *Israelitæ*, *Jos.* 5. *v.* 12? Neque farinam amplius in hydria crevisse, neque oleum in lecytho, cum Deus dedit pluviam super terram, 1. *Reg.* 17. *v.* 14? Quòd si quis hæc opponat, tanquam verba Sacri Textus, *et vocatum est nomen ejus Fons invocantis, qui est in* Lechi *usq. ad hanc diem*, respondeo in hac versione duplex esse peccatum. Prius in his verbis, *Fons invocantis, qui* est *in Lechi*, cum sit vertendum, *Fons invocantis, qui* fuit *in maxilla*: quod docent puncta Vocalia in בַּלְּחִי. Aliud enim est בְּלֶחִי *belechi*; aliud בלחי *ballechi*. Illud esset, *in Lechi*, quomodo vers. 14. עַד לְחִי *ad Lechi*: hoc, ἐν τῇ σιαγόνι, *in maxilla*, quia בַּלְּחִי *ballechi*, est pro בְּהַלְּחִי *behallechi*. Posterius peccatum in eo est, quod hæc junguntur, *qui est in* Lechi *usq. ad hanc diem*, quæ divellenda esse, docet Accentus *Zakeph-Katon* super בַּלְּחִי. Receptæ igitur Lectioni si stamus, *Hebræa* sic interpretabimur, *Et vocatum est nomen ejus* En hakkore asher ballechi, (id est, *fons invocantis, qui fuit in maxilla*) *usq; ad hanc diem.* Ut sensus non sit, fontem durare ad hanc diem, sed ita vocari ad hanc diem, nempe ab iis, qui hujus miraculi meminerunt. Quomodo *Nimrodum*, jam pridem fato functum, *Moses* vocari observat *robustum venatorem coram Domino.* Utrobiq; afferuntur quæ sunt in ore vulgi, ut rei gestæ fidem adstruant. Non, quod Deus, in Scriptura loquens, hominum suffragio egeat, ut confirmetur sua veritas, cum per se sit ἀξιόπιστος; sed, quia sumus ὀλιγόπιστοι, utitur argumentis nostro captui accommodatis, ut omnem dubitandi ansam nobis præcidat. *Syrus* Interpres pro עֵין הַקּוֹרֵא, *fonte invocantis*, legit עֵין הַקֶּרֶן, *fontem cornu*; unde nata est hæc versio, *Ideo vocavit nomen loci illius* ܥܝܢܐ ܕܩܪܢܐ ܕܦܟܐ ܕܚܡܪܐ *fontem cornu maxillæ asini*: quomodo etiam *Arabs* عين قرن الفك الحمار Sed nullo sensu commodo. Neque enim capio quid sit *cornu maxillæ*, aut *cornu asini.*

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Asino, & Leone prope *Prophetæ* cadaver, 1. *Reg.* 13. *v.* 24.

Contra naturam leonis est, quod cadaveri, & asino, & viatoribus parcit: & contra naturam asini, quod leoni adstat immotus. Quamvis Arabes *asinum scribant, leone viso, sic perturbari, ut illi eat obviam.* Propheta, *Deo cætera obsequens, tamen, quia in una circumstantia peccat, jure plectitur. Legati* Atheniensium *pars de causa morte mulctati. Ne minima quidem Dei mandata negligenda. Tam severo judicio Deus terrere voluit Idololatras, qui multo gravius peccabant. Cur asino, & cadaveri, leo custos appositus. Deus illum honorat ut* Prophetam, *quem punierat ut transgressorem. Asinus in* Prophetæ *honorem servatus. An boni, vel mali retributio etiam in bestias cadat. Bruta neci addicta ex sententia viginti trium. Non puniuntur ut auctores, sed ut admissi criminis instrumenta.*

VEnit etiam in hunc censum quod narratur in Historia de *Propheta* à leone interempto 1. *Reg.* 13. v. 24. *Et in via occurrens leo illum occidit: & cadaver illius in via jacebat: & adstabat illi asinus, & leo quoq; juxta cadaver.* Et vers. 28. *Invenit* (alter Propheta) *cadaver illius projectum in via, & asinum, ac leonem, adstantes juxta cadaver: leo non comederat cadaver, nec laceraverat asinum.* Et *Joseph. Antiq.* lib. 8. cap. 3. Καὶ [illegible] αὐτὸν (λέων) [illegible] [illegible] οὐδὲν ὅλως ἔβλαψε. [illegible] τῷ Προφήτῃ σῶμα. *Hunc e jumento detractum leo interfecit; & asinum quidem nullo modo læsit: quin & ipsum, & Prophetæ corpus servabat, iis assidens.* Et *Theodoretus* in lib. 3. *Reg.* Quæst. 43. Ἀπέκτεινε μὲν αὐτὸν τὸ θηρίον, μεταλαβεῖν δὲ τοῦ σώματος οὐκ ἐτόλμησεν· ἀλλ᾽ εἱστήκει, καὶ [illegible], καὶ τὸ σῶμα [illegible], μηδὲν ἄλλο θηρίον, ἢ ὄρνιν τολμῆσαι λυμήνασθαι αὐτό. *Occidit quidem eum* (virum Dei) *fera; cadaver tamen attingere non ausa est, sed stabat, & asinum, & corpus custodiens, ut ne alia, vel fera, vel volucris, lædere illud auderet.* Proinde, cum venisset alter *Propheta*, ut collegæ suo justa faceret, ὑπεχώρησεν (ὁ λέων) [illegible] φυλακῆς δεομένου τοῦ σώματος, *recessit leo, tanquam cadavere non egente amplius custodiâ.* Quod fuisse פלא גדול *magnum miraculum*, *R. Levi* merito asserit. Nam, & præter naturam leonis id fuit, quod cadaver non attigit, neque asinum invasit, neque viatores illac iter habentes, atque abstinuit à præda tam obviâ, & parabili: & præter asini naturam, quod, leone viso, non territus est, neque fuga sibi prospexit. Quamvis *Arabes* asinum asserant conspectu leonis ita percelli, ut non modo non fugiat, sed & illi eat obviam, tanquam sic evasurus. *Damir* in asino,

ومن عادته انه اذا راي الاسد رمي نفسه عليه من شدة الخوف ويريد بذلك الفرار منه

In more id illi est, cum videt leonem, ut se in eum conjiciat præ metûs vehementia, quasi hac ratione ab eo esset evasurus. Unde *Poeta Habib*, filius *Awasi*,

والعير تقدم من خوف علي الاسد *

Et asellus leoni præ timore occurrit. Fides esto penes auctores.

Miraculi finis fuit duplex. *Prophetam* enim à leone occidi voluit Deus in pœnam rebellionis: quæ quidem absoluta non fuit, qualis *Prophetæ Jonæ*, qui, *Ninivem* missus, fugit in *Tharsis*; hic enim, *Bethelem* missus, eò se statim contulit, & legatione bene, & fideliter functus est. Sed qui in summa præcepti fidelis fuerat, peccavit in circumstantia, cùm eâdem viâ regredi vetitus, quâ venerat, & cum iis convivari, qui nuper à Dei veritate defecerant, ne videretur eorum esse συμμέτοχος, invitatus tamen à *Beth-*

Bethelensi Propheta, & idem iter est remensus, & apud eum edit, & bibit. Itaque idem illi accidit, quod *Atheniensium* Legatis, quos Ἀθηναῖοι εἰς Ἀρκαδίαν ἀποσταλέντας, ἐπεὶ ἑτέραν ὁδὸν ἦλθον, καὶ οὐ τὴν προστεταγμένην, καί τοι κατορθώσαντας, ὅμως ἀπέκτειναν, Athenienses, *in* Arcadiam *missos, quoniam alia via iverant, quam jussi fuerat imperatum, tametsi rem bene gessissent, tamen morte mulctarunt*. Ælian. *Var*. lib. 6. cap. 5. Etsi severum, justum tamen fuit hoc judicium; quo docemur, Μηδὲ τῶν σμικρῶν τοῦ Θεοῦ καταφρονεῖν ἐντολῶν· *Ne minima quidem Dei mandata esse negligenda*; ut hîc habet *Theodoretus*. Nam *Quisquis unum solverit ex mandatis hisce minimis, minimus vocabitur* (id est, *nullius erit, nullum locum habebit*) *in regno cœlorum*, Matth. 5. v. 19. Et *Quisquis legem totam servaverit, & in uno offenderit, factus est omnium reus*, Jac. 2. v. 10. Præterea hâc ipsa pœnâ in Prophetam alioqui sanctum inflictâ Deus terrere voluit Idololatras, & à pravo cultu deterrere, sic edoctos, quàm sit timendum incidere in manus Dei viventis, quem, par erat, pœnas ab ipsis tanto graviores repetere, quanto graviùs peccabant.

Porro idem leo, qui *Prophetam* occiderat, non modò cadaveri pepercit, & jumento, sed & illa diu servavit, tanquam custos appositus, ut miraculum esset illustrius, nec crederetur id casu accidisse. Unde *Hieronymus* in *Sophoniam* cap. 3. *Ne putaretur casus, & non judicium Domini, & Pseudo-Propheta, qui eum deceperat, hoc futurum esse prædixit, & ipse leo, contemptorem puniens, asinum reservavit.* Sed & voluit Deus ita honorare ut Prophetam, quem puniverat ut transgressorem. *Theodoretus* ubi supra, Τετίμηκε δὲ αὐτὸν καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ Θεός· ἐπέστησε γὰρ αὐτῷ φύλακα τὸν φονέα. ταύτῃ μὲν τιμῶν ὡς προφήτην, ἐκείνῃ δὲ κολάζων ὡς παραβάτην. *Sed honore illum etiam post mortem affecit Deus; constituit utiq; eundem illi custodem, qui prius occiderat: hâc honorans ut Prophetam, illa ut transgressorem puniens.* Et Kimchius, *Cadaver quidem non comedit; quia Deus leonis os occluserat, quomodo leonibus* Dan. 6. v. 22. *Eum tamen in pœnam occidit; quia rebellis fuerat in Deum.* והנה הראה לנו בזה גמול הצדיק וענשו כאחד בעולם הזה *Atq; ita nobis pariter ostendit tam justi retributionem, quam pœnam in hoc mundo.* Addit etiam asinum fuisse servatum in *Prophetæ* honorem. Verba sunt, וכן גמול החמור בעולם הזה לכבוד הנביא שרכב עליו כי יש גמול ועונש בשאר בעלי חיים בעולם הזה בענין האדם *Asino quoq; sua fuit retributio in hoc mundo, in honorem Prophetæ, qui illi inequitaverat: prout reliquis animalibus, in hac vita, vel merces, vel pœna rependitur in iis, quæ hominem respiciunt.* Quod idem pluribus ita explicat in *Ps.* 145. v. 17. *Magna, & perpetua est hæc quæstio inter Sapientes: quorum nonnulli asserunt, felis cum murem rapit, aut leo agnum, atq; alia hujusmodi, hanc pœnam à Deo Benedicto illi animali infligi, quod rapitur. Quò pertinet, quod reperi in verbis patrum nostrorum beatæ memoriæ*, Rabbi Jochanan, *quoties catarrhacten videbat pisces ex mari expiscantem, dixisse,* "*Judicia tua, abyssus magna* (vel, *in abysso magna*, id est, *in mari.*) *Alii dicunt præmia, & pœnas, ad nullum animal pertinere, præterquam ad hominem solum. At nos dicimus, etiam reliquis animalibus rependi præmia, & pœnas, in negotio hominum. Huc facit, quod reperimus* Gen. 9. 5. de sanguine hominis, "*Etiam è manu omnis animalis* "*requiram illum. Dicitur quoq;* Habac. 2. v. 17. "*Et* "*vastitas bestiarum terrebit eas. Et ad mercedem pertinet, quod habetur* 1. Reg. 13. v. 28. "*Et leo non laceravit asinum. Sed & Magistri nostri b. m. interpretati sunt bestiis mercedem competere, puta asino, & cani. Dixerunt enim, Cur* Exod. 34. v. 20 *ex omnibus animalibus soli asinorum primogeniti redimuntur? Ratio hæc est, quia* Israëlitarum *spolia ex* Ægypto *portaverunt. Et de canibus dicitur* Exod. 22. v. 31. "*Carnem discerptam canibus projicite. Quam scilicet meriti sunt, eo quod* (in Ægypto) *canis* (in Israelitas) *non movit linguam*, Exod. 11. v. 7. *Unde docemur Deum Sanctum Benedictum nullum animal justa mercede defraudare.* Hæc *Kimchius* de proposita quæstione, cui definiendæ cum præter rem multa congerat, mirum est, illum fugisse maledictionem serpentis *Gen.* 3. *v.* 14. & leges, quibus bos cornupeta, & bestia, quam vir, aut quæ mulierem init, morti addicuntur, *Exod.* 21. *v.* 28. 29. *Levit.* 20. *v.* 15. 16. Quæ omnino videntur rationem habere pœnæ. Proinde res pendebat ex judicio XXIII. virorum, ad quos capitales causæ referebantur. Quin & הזאב והארי והדוב והנמר והברדלס והנחש מיתתן בעשרים ושלשה *Lupus, leo, ursus, pardus, cenchrites, & serpens, quivis neci adjudicabantur ex sententia viginti trium.* Ita habetur in *Sanhedrin* cap. 1. Porrò, si pœnæ bruta sunt obnoxia, quidni etiam illis præmia rependi queant? Tamen hoc certum, ut virtutem, & vitium, ita præmia, & pœnas, propriè dictas, in bruta animalia non cadere. Itaque, si bos cornupeta cum domino morte mulctatur, non punitur ut auctor, sed ut admissi criminis instrumentum. Ut cum falsarius suspenditur cum calamo, & adulterinis sigillis: & veneficus, cum magicis libris, & characteribus, exuritur. Præterea hoc ad exemplum pertinet, non quidem aliis bestiis, sed hominibus: quorum est apud se perpendere, si, ne bestiæ quidem parcitur, in quam non cadit peccatum, quid futurum sit de homine, qui contra Legem Dei cognitam, & naturæ ipsius impressionem peccaverit.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Asino, quo CHRISTUS vectus est *Hierosolymam.*

Jericho Hierosolymis *quantum distet.* Beth-phage *vicus* Hierosolymis *proximus, ubi coquebantur oblationes.* Phage *quid significet.* Bethaniæ, & Beth-phages, *agri confines. Vicus ubi asinus, in quo situs.* Vicus, qui contra est, *id est, è regione. Pullus asini solutus, an cum matre adductus. Eum pullum nemo insederat. Quorsum id observetur.* Ἀποστελεῖ dimittet, *non* remittet. Ἄμφοδον *hic non est* bivium, *sed* platea, vicus. *In vaticinio* Christi *de asino octo circumstantiæ accuratè prædictæ. Dei vis flexanima, & verticordia.* Themistii *de eo locus insignis.* Christus *insedit illis, id est, uni illorum. Numeri Enallage frequens. Cur* Christus *hac pompâ* Jerosolymam *sit ingressus. Per duos asinos quomodo* Judæi, & *Gentes, putentur significari. Regni sui naturam sic adumbravit* Christus, *quod humile est, & pacificum, & à pompa seculi maximè alienum.* Christus *non implevit ab* Esaia *prædicta, ut volunt* Nonnus, & Æthiops; *sed* Zachar. 9. v. 9. *ubi de* Christo *agi probatur. Ad* Messiam *hoc oraculum* Judæos *veteres retulisse, multos etiam recentiorum. Refelluntur* Rabbini *duo: quorum unus ad* Nehemiam *hoc refert, alter ad* Judam Macchabæum; *quorum neuter Rex fuit, nec asino vectus, nec pauper,* &c. Judæi *se mutuo refellunt. Post abductas decem tribus, earum in* Judæa *multæ reliquiæ. Refellitur Cl.* Grotius, *qui ad* Zorobabelem *refert loca* Zach. 9. v. 9. Jer. 23. vers. 5. & Ezech. 33. v. 22. 24. *quæ omnia ad* Christum *palam pertinent.* Zorobabel פחה *gubernator,*

bernator, non Rex. Post Sacerdotem nominatur Esdr. 3. v. 2. Messiam *toto orbe regnaturum. Quoties Verbo jungitur Conjugatum, significationem multum intendi.* Theodoretus *in* Grotium *disputat. Probatur octo rationibus* Zachariæ *oraculum ad* Zorobabelem *non pertinere. Zacharias de* Zorobabele *non prophetavit, qui posterior fuit.* נושע *servatorem significat, non servatum.* Zorobabel *neque Rex fuit, neque pauper, neque asino vectus,* &c. *Ad hæc viri docti præposteræ responsiones.*

Hic quoque locum habet ille asinus, quo *Jerosolymam Christus* vectus est, cum in eo *Christi* virtus θαυματουργικὴ varie se prodiderit. Rem pluribus referunt *Matthæus, Marcus,* & *Lucas*, obiter attingit *Joannes*. Nos *Lucam* potissimum hic sequemur, qui ita incipit *Luc.* 19. v. 28. *Et his dictis* ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, *præcedebat ascendens* Hierosolymam. Neque enim terror mortis proximæ, quam sibi sciebat *Hierosolymis* esse oppetendam, obstitit, quo minus alacriter eò pergeret, atque præiret etiam discipulis cunctantibus, & moras nectentibus. Discesserat porro ex urbe *Jerichunte*, quæ distabat *Hierosolymis* stadiis centum quinquaginta, id est, viginti milliaribus, ut *Josephus* (a) auctor est. *Talmudici* in *Joma*, fol. 26. numerant מירושלם ליריחו עשרה פרסי *Hierosolymis* Jerichuntem *decem parasangas*, id est, leucas singulas duorum milliarium. Quod iter cum *Christus* pedes propè confecisset, *accessit ad* Bethphage, & Bethaniam *ad montem, qui dicitur Olivarum.* Ita *Lucas*, & *Marcus* etiam in nostris exemplaribus, εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. Sed *Vulgatus* Interpres in *Marco* solum legit εἰς Βηθανίαν. Neque aliter *Origenes*, cujus verba sunt in *Matthæum* Tractatu 14. *Videamus autem & de nomine* Beth-phage *secundum* Matthæum, Bethaniæ *autem secundum* Marcum, Beth-phage *autem &* Bethaniæ *secundum* Lucam. Proinde ut *Matthæus* solius *Beth-phage*, ita *Marcum* puto solius *Bethaniæ* meminisse, & *Lucam* utrumque junxisse sine ullo respectu ad situm. Alioqui, in itinere *Jerichunte Jerosolymam*, *Beth-phage* nominâsset ultimo loco, ut *Hierosolymis* propiorem. *Bethania* enim *Hierosolymis* distabat quindecim stadiis *Joh.* 11. *vers.* 18. id est, duobus milliaribus. Et *Beth-phage* propè fuit sub ipsis urbis mœnibus, si *Hebræis* credimus. Proinde ibi coquebantur oblationes vespertinæ, ut probat doctissimus *Buxtorfius* ex *Bartenora* & *Bartenora* ex *Rambam* in Tractatu *Talmudico* cap. 11. fol. 95. b. בית פאגי הוא שם מקום שהיה חוץ לירושלם וסמוך להר הבית ששם היו אופין המנחות Beth-phage *nomen erat loci extra* Hierusalem, *propè montem Templi, in quo coquebant oblationes.* Quin Glossa *Talmudis* vult hoc nomine significari quidquid est extra urbem in ambitu. Verba sunt in Tractatu *Sota* fol. 45. a. כל שהוא בתוך היקף החיצון של ירושלם קרוי בית פאגי ולי נראה שהוא לשון חבישה כמו שקורין אונגלא של עיר כמו חמור *Quidquid est in ambitu exteriore* Hierosolymorum *vocatur* Bethphage, *& mihi videtur significare cingulā, quomodo cingulam vocant puta pulli asinini.* Quæ ferè eadem reperias in Glossa *Bava Metsia* fol. 90. a. Tamen aliis פגי non est cingula, sed ראש אפסר *caput lupati*, ut à Glossatore additur ubi supra. Neque inde loco nomen, sed, nisi fallor, à grossis, seu ficubus immaturis, ut *Olyntho* urbi *Thraciæ*. *Grossi* enim *Chaldæis*, & *Syris* פגי *pagge*, vel *phage* ἄγγαινει. *Origenes*, & *Hieronymus* in *Matthæum*, *domum maxillarum* explicant: & *Bernardus* in sermone *ad milites Templi* cap. 12. *domum buccæ*, quod esset בית פכא *Beth-phaccha* vel *Beth phacche*. Liber nominum, *Beth-phage, domus oris vallium*, id est, בית פי גיא *Beth-pi-ge*, quod esset merè *Hebræum*. *Tremellius* exponit *domum fontis*, quasi בית פיגי *Beth-phege*. Ita enim scribitur ab *Hebræis Græcum* πηγή. *Ludovicus de Dieu*, *domum adulterii*, id est, בית פגיא *Beth-phagja*. Sed verum est id, quod diximus. Jam, quod res eadem ab uno *Evangelista* facta narratur in vico *Beth-phage*, ab altero in *Bethania* pago, à tertio in utroque, facile est conciliare. Horum nempe vicorum agri confines erant. Et quod factum est in confiniis, dici potest in alterutro, vel in utroque factum.

a) De bell. Jud. l. 5. c. 4.

Sequitur in *Luca*, *Misit duos ex discipulis suis, dicens, Abite in vicum, qui contra est, in quem introeuntes invenietis pullum ligatum, supra quem nemo unquam hominum sedit: solutum eum adducite.* In vicum Syrus ܠܩܘܪܝܬܐ ܗܝ, & *Arabs Parisiis* editus, الي هذه القرية *in hunc vicum*, nempe intento digito monstrabat. *Juvencus* lib. 3.

Obvia castelli monstrans habitacula Christus.

Qui contra est, τὴν κατέναντι. *Matthæus* τὴν ἀπέναντι ὑμῶν, & *Marcus* τὴν κατέναντι ὑμῶν, *quæ contra vos est*, id est, è regione vestri: ut *Matth.* 27, 61. *sedentes* ἀπέναντι *contra sepulchrum*; & cum *Carthago* sita dicitur *Italiam contra*; id est, è regione. Nugantur, qui *vicum vobis adversarium* interpretantur, id est, *Hierosolymam* Apostolis adversaturam. Neque enim *Hierosolyma* κώμη *vicus*, sed πόλις *urbs* appellatur, ut certè urbs erat una è totius *Asiæ* maximis. Et fortasse ob id ipsum in *Marco* εἰς τὴν πόλιν pro εἰς τὴν κώμην legunt nonnulli codices: nempe ut *Hierosolymorum* urbs significari putetur. Ego vicum intelligo, qui oculis se offerebat. Quis is fuerit, tacent veteres. Solum in *Nubiensi Geographo* hæc reperio *Clim.* 3. *part.* 5. وعلي ميلين من جبل الزيتون القرية الذي حمل منها الاتان لركوب لسيد المسيح عند دخول الي اورشليم وهي الان خراب لا ساكن بها *Et ad duo milliaria è monte Olivarum pagus erat, ex quo adducta est asina, quâ vectus est Dominus* Christus, *cum ingressus est* Hierosolymam: *sed pagus ille nunc desertus est, nec ullos habet incolas.* Et in *Perdicca Ephesio* de *Dominicis thematibus circa Hierosolymam*,

Τούτου δ' ὄρους ἄντικρυ πρὸς νότιον τὸ μέρος,
Καὶ ἡ τὴν ὄνον ἄξασα, καὶ πῶλον σμικρὰ κώμη.

E regione hujus montis ad Australem partem etiam vicus est parvus, qui asinam, & pullum egit. Proximè egerat de *Beth-phage*, & *Bethania*.

Addit *Christus* hic, & in *Marco*, *In quem introeuntes invenietis pullum ligatum.* Unde *Johannes*, Εὑρὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὀνάριον, *Cum autem reperisset* Jesus *asellum*, nempe per eos, quos miserat. Sed *Matthæus* paulò aliter, Εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς, *Invenietis asinam alligatam, & pullum cum ipsa.* Res tamen eodem redit. Omnes enim de pullo conveniunt. Matris cum pullo adductæ meminit solus *Matthæus*. Reliqui id prætereunt tanquam minùs necesse, quia solum pullum *Christus* equitavit, ut posteà dicetur. Nec frustra observatur hunc pullum neminem unquam insedisse; quia ad honorem *Christi* pertinet, ut quod à *Joanne* (b) observatur, *Christum* eo sepulchro fuisse conditum, in b) Joh. 19. 41.

quo nemo unquam positus fuerit. Nec absimili exemplo arcam remiserunt in plaustro novo, vaccis adalligatis quæ nunquam jugum tulerant 1. *Sam.* 6, 7. Et in quibusdam sacrificiis injuges hostię immolabantur, id est, quæ sub jugo nunquam fuerant. Sic apud *Fulgentium Manlius Chrestus* in libro quem *de Deorum hymnis* scripsit, ait *Minerva* injuges boves sacrificari. Et *Macrobius Saturnal.* lib. 2. cap. 5. *Virgilium* observat harum hostiarum sic meminisse *Æn.* 6.

Hunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Et, ut injuges evidentius exprimeret, adjecisse,

— & intactâ totidem cervice juvencas.

Addunt in eo latere mysterium, & *Christum* ita significasse sibi parere etiam quæ maximè sunt indomita. *Solutum eum* (vel, ut *Matthæus*, *solutos eos*) *adducite: & si quis roget cur solvatis, ita illi dicetis; Dominus eo* (Matth. *iis*) *opus habet.* Addit *Marcus*, Καὶ εὐθέως αὐτὸν ἀποστέλλει ὧδε· & *Matthæus*, Εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς· quod *Beza* reddit, *Et statim remittet eos*; nempe *Christus*. Malim, *Et statim dimittet eos*; nempe asinorum dominus, vel quisquis rogaverit quorsum illos solvatis. Dimittet, inquam, cum resciverit his egere *Christum* Dominum. Cujus Prophetiæ complementum etiam in aliis, sed potissimum in *Marco* vide. Huc facit, quod ἀποστέλλειν apud Sacros Scriptores (ubi vox occurrit plùs quàm centies) semper est *mittere* vel *dimittere*. Sed *remittere* est ἀναπέμπειν. Sic *Luc.* 23, 7. Ἀνέπεμψεν αὐτὸν πρὸς Ἡρώδην, *Remisit eum ad* Herodem. Et ejusdem capitis versu 11. Ἀνέπεμψεν αὐτὸν τῷ Πιλάτῳ, *Remisit eum* Pilato. Et v. 15. Ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτόν, *Vos enim ad illum remisi*. Et *Philem.* 12. Ὃν ἀνέπεμψα, *Quem remisi*.

Profecti autem qui missi fuerant (ait *Lucas*) *invenerunt ut* Christus *eis dixerat*. Id est, juxta *Matthæum*, asinam cum pullo. Quamvis alii pulli solius meminerint; qua de causâ jam diximus. Itaque hic habet *Marcus*, *Invenerunt pullum ligatum ad portam foris* ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου, id est, *in bivio*, si *Vulgatum* sequimur, & *Erasmum*, & *Bezam*, & *Genevenses* Interpretes. At *Syrus* melius [illegible] *in platea*, vel *in vico*. Et *Arabs* علي الطريق *juxta viam*. Neque enim nostra quidquam interest scire, an locus, in quo repertus est pullus, bivius fuerit, aut trivius, aut quadrivius. Sufficit, si sciamus in medio vico repertum ad pagi portam, vel ingressum, prout prædixerat *Christus* ἐν ᾗ εἰσπορευόμενοι εὑρήσετε πῶλον, *in quem pagum ingredientes pullum invenietis*. Propriè τὸ ἄμφοδον, vel ἡ ἄμφοδος, est *pagi*, vel *urbis vicus*; Gall. *une rue*. *Suidas*, Ἄμφοδον, δίοδον, ῥύμην· *Hesychius*, Ἄμφοδα, αἱ ῥύμαι, ἀγυιαί, δίοδοι. Et *Pollux*, postquam vicos urbium ἀγυιὰς vocari observavit à *Xenophonte*, & *Homero*, ταῦτα γὰρ ἄμφοδα ἔστιν εὑρεῖν κεκλημένα· *Hos etiam ἄμφοδα vocari reperire est*. Atque ex *Aristophane*, & *Hyperide* id probat. Et *Glossarium* vetus *Stephani*, *Vicus*, ἄμφοδος, ῥύμη, &c. Qui de hac re plura desiderat, *Casaubonum* legat in *Athenæum* lib. 12. cap. 10. ubi τὰς ἀμφόδους pro *vicis urbium* usurpari videbis ab (c) *Epiphanio*, (d) *Galeno*, & (e) *Procopio*. Quamvis in Glossis *magister pagi* sit ἀμφοδάρχης.

c) Hær. 69 c. 1.
d) De usu part. lib. 16. cap. 1.
e) De ædif. Justin. lib. 5.

Pergit *Lucas*: *Pullum autem cum solverent, dixerunt eis domini ejus* (Marcus *quidam adstantium*, nempe domini, qui fortè adstabant) *Quare solvitis pullum?* *Syrus* expressius, [illegible] *hunc pullum?* *Illi autem dixerunt, Dominus eo eget*. Marcus, *Dixerunt illis, prout* Jesus *præceperat, Et illi eos dimiserunt*. Ita impletum est quicquid à *Christo* fuerat prædictum. Quod eo mirabilius, quo expressius vaticinium. Neque enim solum prædixerat *Christus* [1] fore, ut asinus reperiretur, [2] sed & asinus cum matre, [3] isque nondum subactus, [4] & ligatus, [5] & in aditu pagi, [6] & quo momento discipuli ingrederentur, [7] & tum, cum solveretur, dominos primò reclamaturos, [8] atque assensuros postmodum. Quas rerum minutias nemo alius prædixerit, quam qui gerit, & suo nutu administrat. Nempe non casu factum est, ut injugis asinus eo loco, & momento reperiretur, quo prædixerat *Christus*, & à dominis suis tam facilè dimitteretur. Quin omnia hæc disposuit Dei providentia, & jumenti dominos ad assensum inclinavit illa vi flexanima, & vorticordia, qua *Regum etiam corda in manu habet ut rivos aquarum, & quocunque vult inclinat* Prov. 21, 1. Neque *Ethnicos* id latuisse testantur apud *Themistium* Orat. 9. *Assyriorum* picturæ, in quibus ὁ νοῦς τοῦ βασιλέως ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖται, *Regis animus in manu Dei servatur*.

Sequitur: *Et adduxerunt eum ad* Jesum, *& palliis suis pullo injectis imposuerunt* Jesum. Quæ ferè eadem in *Marco*. Sed in *Matthæo*: *Adduxerunt asinam & pullum, & posuerunt*, ἐπάνω αὐτῶν *super illis pallia sua*, καὶ ἐπεκάθισαν, *& eum collocârunt* (alia lectio, καὶ ἐπεκάθισεν, *& sedit*) *super illis*. In quibus hoc multos torquet, quod vel discipulos *Christum* collocâsse legunt, vel *Christum* insedisse ἐπάνω αὐτῶν *super illis*, quasi in utrumque simul fuerit collocatus, aut in utrumque insederit. Cui incommodo ita occurrit *Theophylactus*, Ἐκάθισε δὲ ἐπάνω αὐτῶν, οὐχὶ τῶν δύο ὑποζυγίων, ἀλλὰ τῶν ἱματίων· ἢ πρῶτον μὲν ἐπεκάθισεν ὄνῳ, εἶτα καὶ ἐπὶ τοῦ πώλου· *Sedit autem super illis, non super duobus jumentis, sed super palliis: aut primum quidem asinæ, deinde etiam pullo insedit*. Quarum solutionum prior non satis placet, quia si discipuli duo qui duo jumenta adduxerant, singulis singula pallia imposuerant, *Christus* non magis pluribus insedit palliis, quam pluribus jumentis. Itaque objectio nondum soluta est. Sed neque probo posteriorem, qua *Christus* fingitur primo asinæ, deinde pullo insedisse; quia non videtur dignum Majestate *Christi*, ut in tam solemni pompa tam breve iter pluribus jumentis confecerit, & ex uno in alterum insiliverit quasi, ut desultorii equites, quos ἀμφίππους *Græci* dixere. Omnino igitur hic agnoscenda est numeri Enallage, qua pluribus indefinitè tribuitur quod illorum uni convenit: ut *Gen.* 8. v. 4. *Quievit arca super montes* Ararat, id est, super unum montium. *Gen.* 19. *v.* 29. *Quum subvertit Dominus urbes in quibus* (id est, in quarum una) Lot *habitavit*. Gen. 23, 6. *In electis sepulchris nostris* (id est, in uno sepulchrorum nostrorum, quodcunque eligere visum fuerit) *sepeli mortuum tuum*. Jos. 7. v. 1. *Filii* Israelis *prævaricati sunt*, id est, *Israelitarum* unus *Achan*. Jud. 12. vers. 7. *Sepultus est* Jephthe *in urbibus* Galaad, id est, in una urbium. Matth. 26. vers. 8. *Videntes discipuli indignati sunt*, id est, discipulorum unus *Judas*. Matth. 27, 44. *Id ipsum ei exprobrabant latrones*, id est, latronum unus. Ita hic, *insedit illis*, id est, uni illorum. Unde *Syrus*, de sensu potius, quam de verbis solicitus, *Et adduxerunt asinam, & pullum, & posuerunt* [illegible] *super pullum vestes suas, & equitavit* [illegible] *super eum* Jesus.

Porrò cur hac pompa *Christus* ingressus sit *Hierosolymam* plures causæ afferuntur. *Chrysostomus* (f) ait id factum, ut insigne modestiæ exemplum in *Christo* haberemus. Auctor operis imperfecti in *Matthæum* (g) vult *Christum* ita se Regem *Judæorum* esse professum, ut hostium invidiam eò acrius in se concitaret, à quibus morti traderetur. Multi ad mysteria confugiunt, & interpretationes allegoricas, ut *Hieronymus* in *Zachariam*, qui per asinam, & pullum, utrumque populum intelligit circumcisionis, & præputii: quorum prior, instar subjugis asinæ, gravissimum Legis portaverat jugum; alter, ut pullus indomitus; nulli adhuc jugo assuetus, *Christi* sessione didicit ambulare, & rectam viam ingredi. Similia consectantur *Ambrosius* in *Lucam*, *Athanasius* Homilia in *Profectis in pagum*, Auctor imperfecti, &c. *Theophylactus*, alii. Nobis nihil tam est obvium, quàm quod nonnulli observant

f) In Matth. Homil. 67.
g) Homil. 37.

servant *Christum* regni sui naturam sic adumbrâsse, quod pacificum, & humile est, et ab his quos sæculi Regum pompa maximè alienum. Præterea necesse fuit, ut complerentur Prophetiæ: unde *Matthæus: Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem,* " *Dicite filiæ Sion, Ecce!* " *Rex tuus venit mansuetus, & sedens super asinum,* " *& filium subjugalis asinæ.* Nec multo aliter *Joannes, Nactus autem* Jesus *asellum, insedit ei, sicut scriptum est,* " *Ne time filia* Sion; *ecce! Rex tuus venit sedens pullo asinæ.* Quamvis VI in *Matthæo* vi lectum est VT *eventûs*, potiùs quam VI *finis*. Nam, si finem respiciamus, res non tam implentur, quia sunt prædictæ, quam prædicuntur, quia implendæ. Prophetam, qui hic citatur quidam putant *Esaiam* esse. Ita *Nonnus* in *Paraphrasi Joannis* ad hunc locum.

Ἡσαΐας τόδε γ᾽ εἶπεν ὅπως πληρούμενον εἴη,

Fiat ut Esaias *quicquid prædixerat olim.*

Et *Matthæi Æthiops* Interpres ወዝንቱ፡ ከመ፡ ይትፈጸም፡ ወይትፈጸም፡ ቃለ፡ ኢሳይያስ፡ ነቢይ፡ ዘተነበየ። *Et hoc fuit, ut eveniret, & compleretur dictum* Esaiæ *Prophetæ, quod dixerat.* Nempe hæc habentur *Es.* 62, 11. *Dicite filiæ* Sion, *Ecce! Salvator tuus venit.* Ad quæ *Matthæus* ita alludit, ut etiam è recentioribus nonnulli velint verba quæ citat, ex parte saltem ex *Esaia* esse deprompta. Sed is unum Prophetam citat, non plures. *Ut impleretur*, inquit, *quod dictum est per Prophetam.* Quem esse *Zachariam* quis negaverit, hæc apud illum legens cap. 9. versu 9. *Exulta plurimum filia* Sion, *clange filia* Jerusalem, *Ecce! venit tibi Rex tuus, justus, & servator, pauper* (al. *mansuetus*, quia Hebr. עני utrumque sonat) *& sedens super asinam, & super pullum filium asinarum.* Unde, si non omnia, saltem quæ ad rem erant maximè, descripserunt *Matthæus* & *Joannes*, mutatis aliquot verbis, sed eodem sensu servato. His enim *Zachariæ, Exulta plurimum filia* Sion, *clange filia* Jerusalem, respondent ista *Matthæi: Dicite filiæ* Sion, & hæc *Joannis: Ne time filia* Sion. Nempe *filia Sion* sunt *Hierosolymitani*, qui, viso Rege *Christo*, in quo uno salutis spes erat sita, cum lætitia, & clangore dixerunt alii aliis verba plena fiduciæ. Quod porro hic supponit uterque *Evangelista*, *Zachariam* de *Christo* egisse, locus ipse palam evincit, & quod res ibi prædictas solus implevit *Christus*; ut non immerito exclamet *Chrysostomus*, *Ἐρώτησον τοίνυν τὸν Ἰουδαῖον, ποῖος βασιλεὺς ὀχούμενος ὄνῳ εἰσῆλθεν εἰς Ἱερουσαλήμ, ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ἔχοι εἰπεῖν ἄλλον ἢ τοῦτον μόνον.* Judæum *igitur interroga, quisnam Regum asino vectus venerit* Jerosolymam? *Neminem profecto dicere poterunt præter hunc solum.* Sed & agi de *Christo* patet ex iis, quę sequuntur de pace per illum Regem restituenda, & ita ut curribus, & equis, & armis bellicis amplius non sit opus; & de imperio ejus à mari ad mare, atque ad extrema terrarum, propagando; de captivis denique per sanguinem fœderis ab eo redimendis.

Itaque *Judæi* veteres hunc locum ad *Messiam* referunt summo consensu. Quod hic obiter docere non videtur esse extra rem. *R. Eliezer* cap. 31. ubi de *Abrahami* asino. *Hic quoque asinus erit, cui insidebit filius* Davidis. *Hinc dicitur* Zach. 9, 9. Exulta filia *Sion*, &c. *Talmudici* in *Sanhedrin* cap. 11. fol. 98. a. רבי יהושע בן לוי רמי כתיב וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתי וכתיב עני ורוכב על חמור זכו עם ענני שמיא לא זכו עני רוכב על חמור *Rabbi* Josue *filius* Levi *objecit, Scriptum est de* Messia Dan. 7, 13. " *Et ecce cum nubibus* " *cœli, sicut filius hominis venit. At* Zachar. 9, 9. de eodem *scriptum est* " *Pauper & insidens asino.* Resp. *Si* Israelitæ *digni sunt*, veniet *cum nubibus cœli: si non sunt digni*, veniet *pauper, & asino insidens.* Indè ibidem cavillus *Saporis* Regis *Persarum*, אמר ליה שבור מלכא לשמואל אמריתו משיח על חמרא אתי אישדר ליה סוסיא ברקא דאית לי *Dixit Rex* Sapores *Rabbino* Samueli, *Dicitis* Messiam *super asinum venturum: Ego mittam ipsi varium equum, quem habeo.* Et votum *Rabbi Josephi* ibidem pagina sequenti ייתי ואזכו דאיתיב בטול דכופיתא דחמריה Utinam *veniat* Messias, *& sedere dignus sim in umbra fimi asini ejus.* Et fol. 99. a. ר' הלל אמר אין להם משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה אמר ר' יוסף שרא ליה מריה לר' הלל חזקיה אימת הוה בבית ראשון ואלו זכריה קא מתנבי בבית שני ואמר גילי מאד בת ציון הריעי וגומר *Rabbi* Hillel, *dicit* (non ille πρεσβύτατος, sed alius posterior) *Non erit* Israelitis Messias, *quia jam eum consumpserunt in diebus* Ezechiæ. *Regerit Rabbi Joseph, Ignoscat Rabbino* Hilleli *Dominus ejus.* Ezechias *quando fuit? Tempore primi Templi. Porro prophetavit* Zacharias *tempore Templi secundi*. Et *de Messia* tanquam adhuc futuro *dixit, Exulta plurimum filia* Sion, *Clange*, &c. *Galatinus* lib. 4. cap. 2. hæc citat ex *R. Osaia* in libro *Beresith Rabba* ad *Gen.* 49, 14. *Hoc autem, quod scriptum est* Es. 32. v. 20. " *Mittentes pedem bovis, & asini.* Mittentes, *iste est* Elias, *de quo scriptum* Mal. 3, 1. " *Ecce ego mitto* " *angelum meum.* Pedem bovis, *hic est* Messias *filius* Joseph, *sicut de* Josepho *dictum est* Deut. 33. vers. 17. " *Primogenitus bovis decor est illi.* Et asini, *hic est* Messias *filius* David, *de quo scriptum est* Zach. 9. vers. 9. " *Pauper, & asino insidens.* Rabba *Nachmanides* in *Midras* super *Genesim* cap. 49. explicans quorsum *Silo*, seu *Messias* dicatur ad vitem ligare asinum suum, Gen. 49, 11. זה שכתוב עני ורוכב על חמור *Is est, de quo scribitur* Zach. 9, 9. " *Pauper, & asino insidens.* *Midras Koheleth* in hæc *Eccles.* 1, 9. *Quod fuit id ipsum est, quod futurum est*, ורבי ברכיה אמר בשם רבי יצחק כגואל ראשון כן גואל אחרון מה גואל ראשון שנאמר ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור כך גואל אחרון שנאמר עני ורוכב על חמור *Et Rabbi* Barachias *dixit in nomine Rabbi* Isaaci, *Qualis fuit primus redemptor* (Moses) *talis erit redemptor ultimus.* (Messias) *Qualis fuit redemptor primus? Qualis dicitur* Exod. 4, 20. " *Et sumpsit* Moses *uxorem suam, & filios suos,* " *& asino eos imposuit. Ita erit redemptor ultimus, de quo dicitur* Zach. 9, 9. " *Pauper, & asino insidens.* Hæc *Hebræorum* Scriptores vetustissimi: neque aliter sentiunt plerique recentiorum. *R. Saadias Gaon* in *Daniel.* 7, 13. הלא כתוב על משיח עני ורוכב על חמור הלא יבא בענוה כי לא יבא על סוסים בגאוה *Annon de* Messia *scriptum est* Zach. 9, 9. " *Pauper, & equitans super asinum? Annon cum humilitate veniet, non cum equitatu, & fastu?* R. *Selomon* in hunc locum, אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח שנאמר בו ומשלו מים עד ים ולא מצינו מושל לישראל כזה בימי בית שני *Locus iste non potest exponi de ullo alio, quam de* Messia; *quia de eo dicitur,* " *Et dominabitur à mari ad mare. Neque ullum reperimus Templi secundi tempore, qui ut iste in justitia regnaverit.* Et *Kimchius*, hæc eadem verba exponens, ad *Messiam* ita refert; *Justus erit, & per justitiam suam servabitur à gladio* Gog, *&* Magog. Item; עני *pauper, hic idem est, quod* ענו *mitis, mansuetus: atque ita explicat* Jonathan. *Quale est, quod de eo dicitur* Esaias 42. versu 2. " *Non clamabit, non attollet vocem suam, calamum* " *quassatum non franget. Et asino insidebit, non præ inopia, quia totus orbis erit sub illius ditione, sed præ humilitate equitabit super asinum. Atque etiam ut doceat* Israeli *non opus fore equis, & curribus. Proinde addit* " *Exscindam currum ex* Ephraim, *& equum ex* Israële. Et eos sequutus *R. Isaac Abarbanel, Quia populi solent Regis ad exemplum se componere,* בראות כל ישראל את מלך המשיח עני ורוכב על החמור

חמור *cum videbit totus* Israël *Regem* Messiam *esse humilem, & asino insidentem, nullus erit in* Ephraim (*quo nomine significatur regnum* Israëlis *decem tribuum*) *neque* Jerosolymis *in regno* Judæ, *qui velit currui, aut equo insidere.* Unde est, quod dicit, " *Et excindam currum ex* Ephraim, *&c.*

Tamen huic consensui tam universo opponere se ausi sunt *Rabbini* duo celeberrimi, sed mala mente, malo animo, neque alia de causa, quam ut *Christi* manifestationis hoc argumentum nobis eriperent. Hi sunt *Rabbi Moses Sacerdos*, & *Aben Ezra*: quorum unus in *Nehemia*, alter in *Juda Macchabæo* impletum esse contendunt *Zachariæ* oraculum de Rege, qui pauper, atque humilis *Hierosolymam* erat ingressurus. At manifesti utrumque erroris convincere facillimum est. Nam quicquid illi afferant *Nehemiam* & *Judam* aut in *Judæa* regnâsse, aut pauperes fuisse, aut asino insedisse, nunquam probabunt, nec in summa pace vixisse, nec imperasse a mari ad mare, & usque ad extrema terrarum. Quæ sunt κριτήρια Regis illius, de quo agitur in *Zacharia*. *Nehemias* quidem dicitur *Rex in Juda* Nehem. 6, 7. Quod arripit *R. Moses Sacerdos*, ut Regem fuisse probet, sed per summam imperitiam. Neque enim vere Rex dicitur. Tantum scribit *Samballatus Gesemum Arabem* illum affectati regni accusâsse. *Fama est*, inquit, *ut Gesemus ait, te Prophetas constituisse, qui de te prædicent* Jerosolymis, *Rex est in* Juda. Sed hoc crimen *Nehemias* à se his verbis amolitur: *Haud quaquam facta sunt, quæ tu dicis: sed illa tu ex animo tuo comminisceris*. Nempe *Nehemiam* non fuisse *Judææ* Regem, sed Præfectum sub *Artaxerxe*, etiam ii sciunt, — *qui nondum ære lavantur*. Et ipse de se asserit capite quinto, versu 14. jussisse Regem *Artaxerxem*, ut esset פחם *dux eorum in terra* Judæ. Idem esto judicium de *Juda Macchabæo*, & de fratribus, qui successerunt, *Jonathane*, & *Simone*, & de *Hyrcano Simonis* filio, qui, utut Reges appellentur in *Chronico Templi secundi*, tamen nil quidquam fuêre, quàm *Judæorum* Pontifices, & ἐθνάρχαι. Proinde sub illis res gerebantur ex communi populi totius consilio. Hinc 1. *Macchab.* 4, 59 Καὶ ἔστησεν Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ πᾶσα ἐκκλησία Ἰσραήλ· *Et constituit* Judas, *& fratres ejus, & tota Ecclesia* Israëlis. Et cap. 12. versu 6. Ἰωνάθαν ἀρχιερεὺς, καὶ ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους, καὶ οἱ ἱερεῖς, καὶ ὁ λοιπὸς δῆμος τῶν Ἰουδαίων, Σπαρτιάταις τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν· Jonathan *summus Sacerdos, & gentis Senatus, & Sacerdotes & reliquus* Judæorum *populus*, Spartiatis *fratribus salutem*. Sed *Hyrcani* filius *Aristobulus*, τὴν ἀρχὴν εἰς βασιλείαν μεταθεὶς, περιτίθεται μὲν διάδημα πρῶτος, *principatu in regnum verso, diadema sibi primus imposuit*; ut *Josephus* non semel (*h*) asserit, & ex *Josepho Hegesippus*, aut *Ambrosius* verius lib. 1. cap. 2. Jam, sive *Nehemiæ*, sive *Judæ* asinus, quo *Hierosolymam* venerint, nusquam comparet. De *Juda* ne γρῦ quidem profertur. De *Nehemia* hoc solum, illum jumento fuisse vectum *Nehem.* 2, 12. 14. Sed cum בהמה, jumenti nomen, ad equum, camelum, mulum, asinum, *&c.* sit generale, à genere ad speciem non valet argumentum. Nec pauperes fuisse constat, quo uno nituntur, ut probent asinos habuisse pro equis. Quin pincerna erat *Nehemias* Regis potentissimi, qui *Susis* discedenti copiarum præfectos, atque aliquot equites pro comitatu attribuit *Nehem.* 2, 9. Dum urbis mœnia instaurabantur, quotidie *Nehemiæ* mensæ assidebant *Judæorum* Magnates centum & quinquaginta, quibus illius impensis cædebantur in dies bos unus, sex pecudes, aves plurimæ, &c. *Nehem.* 5, 17. 18. Idem in sacrum thesaurum contulit mille auri drachmas, crateras quinquaginta, & Sacerdotum tunicas triginta supra quingentas. *Nehem.* 7, 70. Hic ille est, quem *R. Moses* habuisse negat, unde equum aleret: dum in *Israëlis* plebe plus septingenti erant equites, & alii, vel mulis, vel camelis instructi ferè totidem, *Nehem.* 7, 68. 69. Rectè igitur hunc refellens *Aben Ezra*, *Præfectus erat*, inquit, *nec petebat ab* Israëlitis *panem Præfecto debitum*, Nehem. 5, 14. *Et quotidie multi ad mensam ejus admittebantur*, Nehem. 5, 17. *Quomodo igitur caruisset equo?* At, quæ fuit ejus cæcitas, non vidit idem de suo *Juda* posse objici. (*i*) *Judas* Sacerdos fuit è stirpe *Jojarib*, 1. *Macchab.* 2, 1. unde Sacerdotum primus fuit ordo 1. *Par.* 24, 7. Itaque *Judæ* patrem *Mattathiam* quidam à Rege missi ita compellant, Ἄρχων, καὶ ἔνδοξος, καὶ μέγας εἶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, *Princeps, & illustris, & magnus es in hac urbe*, 1. *Macchab.* 2, 17. Quod *Gorionides* ita reddidit lib. 3. cap. 8. מתתיהו איש נכבד בעמך *O Mattathia, vir illustris in populo tuo.* Et *Chronicon Templi secundi* pag. 13. אתה ראש בישראל ונשוא פנים *Tu es caput in* Israële, *& vir facie honoratus.* Et de hoc eodem *Mattathia Josephus* lib. 1. cap. 1. *De bello*, Παρελθόντες δ' ἀπὸ τῆς εὐπραγίας εἰς δυναστείαν· *Ad potentiam ob res feliciter gestas provecti sunt.* Et *Hegesippus*. *Potentiam prosperè actus dederunt.* Et, qui successit, *Judas* his suis hostes plurimos fuderat, antequam veniret *Jerosolymam*, *Apollonium* puta *Samariæ*, & *Seronem Cœle-Syriæ* Præfectos; *Ptolemæum*, *Gorgiam*, & *Nicanorem* duces à *Lysia* submissos: ipsum denique *Lysiam*, cui omnes imperii provincias, ab *Ægypto* usque in *Euphratem*, commiserat *Antiochus*. In his *Apollonii* & *Samaritanorum* castra spoliaverat, de quibus 1. *Macchab.* 3, 12. Καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῶν. Et *Gorionides* lib. 3. cap. 10. ויקחו את כל שללם *Ceperunt omnia eorum spolia.* Et *Josephus* lib. 12. cap. 10. Πολλὴν λείαν ἐκ τῆς στρατοπέδου λαβὼν τῶν πολεμίων ἀνεχώρησε, *Multa præda ex hostium castris direpta recessit.* Sed & e *Ptolemæi*, *Nicanoris*, & *Gorgiæ* castris *Judas* ἔλαβε χρυσίον πολὺ, καὶ ἀργύριον, καὶ ὑάκινθον, καὶ πορφύραν θαλασσίαν, καὶ πλοῦτον μέγαν, *diripuerat aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & multas divitias* 1. Macchab. 4, 23. & *Josephus* lib. 12. cap. 11. (*k*) Eo scilicet multi convenerant mercatores bene nummati, captivos è *Judæis* post victoriam, quæ certa putabatur, comparaturi. His demum spoliis ditatus, *Judas Jerosolymam* recuperavit, Dei cultum instauravit, Templum ab *Antiocho* profanatum repurgavit, & vasa nova in illud intulit, nempe (*l*) λυχνίαν, τράπεζαν, βωμὸν, ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα, *candelabrum, mensam, altare, ex auro conflata.* Frontem etiam Templi ornavit (*m*) στεφάνοις χρυσοῖς, καὶ ἀσπιδίσκαις, *coronis & clypeolis aureis*. Restaurati Templi festum cum populo celebravit per octiduum, toto illo tempore, (*n*) μηδεμίαν ἀπολιπὼν ἡδονῆς ἰδέαν, ἀλλὰ πολυτελέσι μὲν, καὶ λαμπραῖς ταῖς θυσίαις κατευωχῶν αὐτοὺς, *nullum voluptatis genus omittens, sed sumptuosis, & splendidis sacrificiis, tanquam epulis eos excipiens.* Hæc ab eo facta, quem inopia redegerit ab equis ad asinos, credat *Judæus Apella*, non ego. Proinde ut *R. Mosem Sacerdotem* refellit *Aben Ezra*, sic *Aben Ezram* refellit *Abarbanel* his verbis; תמהתי מהכוונה הרעה שעורה את שכלו כי הנה לא נקרא יהודה בן חשמונאי מלך כל ימיו כל שכן מלך מכונה לציון שהוא דוד שלכד את ציון ואם על החשמונים ניבא מה לו לאפרים כי מלכות אפרים לא היה בבית שני גם שיהודה חשמונאי לא דבר שלום לכל הגוים ולא משל מים עד ים ולא נתקים בימיו קשת מלכות אפרים כי מלכות עשרת השבטים שנקרא מלכות אפרים לא שב עד הנה ושאר דברי הפרק כלם מכחישים דעתו תכלית הכחשה *Miror pravam intentionem, quæ intellectum ejus excæcavit: cùm* Judas Hasmonæus *Regis nomen non habuerit toto vitæ suæ tempore, multò minus Regis à Sione denominati, quam cepit* David. *Porro, si de* Hasmonæis *prophetavit* Zacharias, *quid ipsi fuit cum* Ephraimitis, *cum regnum* Ephraim *non extiterit secundi Templi tempore? Præterea* Judas Hasmonæus *non loquutus est pacem omnibus gentibus, neque*

h) De bell. Jud. lib. 1. cap. 3. & Antiq. lib. 13. cap. 19.

i Vide Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 8.

k) 1 Mac 3, 41. 2 Mac 8, 11. Joseph. lib. 12. cap. 11. Gorion. lib. 3. cap. 11.

l) Joseph. ubi supra.

m) Mac. 4, 57.

n) Joseph. ibid.

qui à mari ad mare dominatus est, nec dicbus ejus firmatus est arcus regni Ephraim. *Quin regnum decem tribuum, quod vocatur regnum* Ephraim, *non restitutum est hactenus. Omnia denique verba hujus sectionis sententiam ejus arguunt summi erroris.* Hæc *Abarbanel*, in quibus, ut probet hanc Prophetiam nondum esse impletam, frustrà objicit, *Ephraimitas*, de quibus *Zacharias*, nondum esse restitutos. Neque enim *Propheta* regni meminit, ut is falso supponit, sed solum arcus *Ephraim*. Nempe *Israelitas* decem tribuum non abduxit omnes *Salmanassar*. Itaque, annis ferè centum post abductos *Israelitas*, *Josias* eorum reliquias ad reformationem compulit. Et ex eo numero multi pecunias alacriter contulerunt ad Templi restaurationem, & Pascha in *Hierosolymis* celebrârunt cum tribubus *Juda* & *Benjamin*, 2. *Par.* 34. *v.* 6. 9. 33. & 35. *v.* 1. 17. Et sub *Esdra*, & *Nehemia*, *Judæi*, *Babylone* reduces, obtulerunt in oblationem pro peccato, pro toto *Israele*, duodecim hircos, & juvencos totidem pro numero tribuum *Israelis*, Esd. 6. v. 17. & 8. v. 35. Rursus *Act.* 26. *v.* 7. τὸ δωδεκάφυλον, duodecim *Judæorum* tribus, asserit *Paulus* Deo nocte & die perpetuò servire. Ut nihil obstet, quo minus impleri potuerit quod prædicitur *Zachar.* 9 *v.* 13 fore, ut cum *Juda* etiam *Ephraim* bello *Græcos* adoriatur. Et verò id impletum est sub *Macchabæis*; quibus ducibus, *Græcorum* jugum excusserunt *Judæi* omnes.

Dum hæc scriberem, incidi in magni Viri Notas ad hunc *Zachariæ* locum, quibus illum multò aliter interpretatur, quam factum fuit hactenus à *Christianis* omnibus. *Pertinet*, inquit, *locus, primo, & maximè obvio sensu, ad* Zorobabelem, *qui Rex appellatur etiam* Jerem. 23. v. 5. *&* Ezech. 37. v. 22. 24. *Nimirum quia, quanquam nomen sibi regium, pompamque regiam non assumpsit, ne id Persarum Regem offenderet, a suis tamen ob stemma, quem trahebat a* Davide, *ita cultus, observatusque fuit quasi Rex esset. Item, Salvator populi fuit suo modo, & ad tempus justo scilicet regimine.* Item, *Ascendens super asinum*, &c. *Id significabat non tantùm modestiam ipsius, sed & pacis studium: nam bello armantur equi, asinus pacis animal.* At, quod illius pace dixerim, sensus, quem primum esse putat, & maximè obvium, mihi videtur perquam alienus. 1. Quia *Zorobabel* neque re, neque nomine Rex fuit. In Scriptura vocatur פחה, id est, *præfectus, gubernator.* Sic *Malach.* 1. *v.* 8 *Offer illud* לפחתך *gubernatori tuo*, id est, *Zorobabeli.* Et *Agg.* 1 *v.* 1. *Verbum Domini fuit per* Aggæum *Prophetam ad* Zorobabelem *filium* Salathielis פחת יהודה *gubernatorem* Judæ. Ita etiam versu 14. & cap. 2. versibus 2. & 21. Et *Esdr.* 6. v. 7. *Permittite, ut ædificet illius Dei Templum* פחת יהודיא *gubernator* Judæorum. Ἔπαρχον τῆς Ἰουδαίας reddit *Esdras* Apocryphus 3. *Esdr.* 6. *v.* 27 Nempe *Babylone Zorobabel* Regis fuerat σωματοφύλαξ, & τῶν αἰχμαλώτων Ἰουδαίων ἡγεμὼν, *captivorum* Judæorum *dux*, ut in *Josepho* (o) habetur, uno verbo *Æchmalotarcha.* Unde primò à *Cyro*, deinde a *Dario Hystaspis* filio, in *Judæam* missus est, ut provinciam regeret, & regio nomine, & sumptibus, *Hierosolymitanum* Templum instauraret. Proinde *Esd.* 3. *v.* 2. nominatur post *Josuam* Sacerdotem; alibi tamen præcedit: quia Pro-rex, & Summus Sacerdos apud *Judæos* erant dignitate pares, aut suppares. Frustra objicit Vir doctissimus eum appellari Regem *Jerem.* 23. *v.* 5. & *Ezech.* 37. *v.* 22. 24. Neque enim iis locis de *Zorobabele*, sed de *Messia* res est. Prior sic habet, *Ecce! dies venient, inquit Dominus, quibus* Davidi *suscitabo germen justum, qui regnabit Rex, prosperabitur, & exercebit judicium, & justitiam in terra. Diebus ejus servabitur* Juda, *&* Israel *habitabit securè. Et hoc est nomen ejus, quo vocabitur, Dominus justitia nostra.* His verbis agi de *Christo*, Rege, & Servatore nostro, Θεανθρώπῳ, & per quem justificamur, res ipsa clamat. Itaque ad *Messiam* referunt tam *Judæi*, quam *Christiani* interpretes. Ita *Chaldæus*, qui hic habet, *Suscitabo* Davidi משיח דצדקא Messiam, *qui justus est*, &c. Et *Talmudici* in *Baba Bathra* cap. 5. fol. 75. b. משיח דכתיב וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו Messias, *de quo scriptum est* Jerem. 23. v. 6. "*Hoc est nomen*, "*quo vocabitur, Dominus justitia nostra.* Et *Midras* in *Psal.* 20. ובמלך המשיח וזה שמו וגו׳ *Et de* Messia *Rege scriptum est* Jerem. 23. v. 6. "*Hoc est nomen ejus*, &c. Et *Echa Rabba* in *Thren.* 1. *v* 16. מה שמו של מלך המשיח רבי אבא בר כהנא אמר ה׳ שמו שנאמר וזה שמו אשר יקראו ה׳ צדקנו *Quodnam est nomen Regis Messiæ? Rabbi* Aba *filius* Cahana *dixit, Nomen ejus est* יהוה *Dominus: quia dicitur* Jerem. 23. v. 6. *Et hoc est nomen ejus, quo vocabitur*, "*Dominus justitia nostra.* Et *Abarbanel* in *Jeremiam*, prophetiâ octavâ, quæstione quartâ, rogat, quomodo hoc dicatur על משיח שימלוך על ישראל, *de Messia, qui regnabit in Israelem, & quomodo illi competat Dei nomen proprium, ineffabile, & creaturis incommunicabile.* *Kimchius* etiam probat *Messiam* toto orbe regnaturum ex verbis ומלך מלך *Et regnabit Rex*; quia quoties Verbo jungitur conjugatum Nomen, multum intenditur significatio. Sic *Ezech.* 22. *v.* 27. בצוע בצע, ad verbum, πλεονεκτεῖν πλεονεξίαν, est *turpi lucro avidissimè inhiare.* Et *Esa.* 5. *vers.* 6. מהמטיר עליו מטר *Ne pluas super eum pluvia*; nempe *multa, & copiosa.* Et *Jerem.* 12. *v.* 1. כל בוגדי בגד πάντες οἱ ἀθετοῦντες ἀθετήματα, *quotquot prævaricantur prævaricationem*, id est, *qui maxime prævaricantur.* Ita hic *regnabit Rex*, id est, *latissimè regnabit.* Ex quo ipso colligere est de *Zorobabele* non agi, quem certe latè regnasse nemo dixerit. In hanc interpretationem cum conveniant *Hebræi* omnes, miror, quorsum ad *Zorobabelem* eos locum istum referre velit *Theodoretus*; cujus verba sunt, Ταῦτα οἱ ἐμβρόντητοι Ἰουδαῖοι εἰς τὸν Ζοροβάβελ ἕλκειν ἐπιχειροῦσιν ἀναιδῶς. ἔδει δὲ αὐτοὺς συνιδεῖν, ὅτι οὐ βασιλεὺς ἦν ἐκεῖνος, ἀλλὰ δημαγωγὸς, καὶ Ἰωσεδὲκ ἐκεῖνος οὐκ ἐκαλεῖτο. οὔτε μὴν ἡ ἑρμηνεία τῆς προσηγορίας πρέπει τῷ ἐκείνῳ· δηλοῖ γὰρ τὸ ὄνομα, Κύριος δικαιοσύνη ἡμῶν, ἢ, κατὰ τὴν τοῦ Σύρου ἑρμηνείαν, Κύριε, δικαίωσον ἡμᾶς. *Hæc fulgurati Judæi* (id est, tam stupidi, & attoniti, quàm qui fulmine icti sunt) *ad* Zorobabelem *trahere conantur impudenter. Sed illos considerare oportuit eum non fuisse Regem, sed populi ducem; neque vocatum fuisse* Josedek (quomodo *Septuaginta* reddunt, credo, pro Ἰωσεδέκ, *Dominus justitia*) *Imo nec ei convenire hujus appellationis interpretationem. Significat enim hoc nomen*, "Dominus justitia nostra, *aut, juxta Syram versionem*, "Domine, justifica nos. Sed quæ *Theodoretus* in *Judæos* frustra disputat, putet in se dicta Vir doctus. Alterum quoque locum, quem citat ex *Ezechiele* 37. *v.* 22. *&c.* nonnisi ad *Messiam* pertinere abundè docet sola lectio. Ibi enim promittitur fore, ut Rex unus, & pastor, *David nomine*, *Israelitis* omnibus in æternum imperet. Cùm *Zorobabel* (p) solum *Judæis* illis præfuerit, qui è *Babylone* reduces erant, id est, hominum quatuor vel quinque myriadibus, idque in paucos annos, Proinde hic etiam de *Messia* rem esse agnoscunt *Hebræi* Commentatores. Kimchius; *Servus meus* David *Rex*) id est, המלך המשיח *Rex* Messias, *qui vocatur* David, *quia erit e stirpe* Davidis. *Abarbanel* itidem, מלך המשיח יקרא דוד *Rex* Messias *vocatur* David; *quia erit ex ejus semine, & ambulabit in viis ejus, & ejus mores imitabitur. Quomodo omnes* Ægypti *Reges primo* Pharaonis, *& posteà* Ptolemæi *nomine dicti appellati sunt: ita Rex* Messias, *& omnes ejus posteri*, Davidis *nomine vocabuntur.* Unum addo, *Judæos*, contra quam asserit Vir doctus, vel maximè timere, ne *Zorobabel* pro Rege habeatur: nempe ne promissiones factæ a *Prophetis* de restituendo regno *Davidis* posteris videantur in illo completæ, ita ut Rex alius jam non sit exspectandus. Quo pertinent, quæ leguntur

(o) *Antiq. lib.* 11. *cap.* 4.

(p) *Vide Esd.* 2. 64. 65. & *Neh.* 7. 66. 67

guntur in *Chronico Templi secundi* ferè statim initio
בכך שכל הנביאים שנבאו לעתיד לבא כלם אמרו
שמלכות בית דוד עתידה שתחזור בבית שני ארו היו
המלכים מבית דוד היינו מסתפקין שכבר אבדה תקותנו
אבל מלוכה לבית דוד לא היתה בו לעולם אלא שררה
לזרובבל ונחמיה ומלוכה לבית חשמונאי ועבדיהם

Cum Prophetæ omnes, qui res venturas vaticinati sunt, prædixerint fore, ut regnum domus Davidis *restituatur; si Templi secundi tempore fuissent Reges è domo* Davidis, *esset, cur timeremus ne jam periisset spes nostra: sed ea ætate nullum unquam fuit regnum in* Davidis *familia. Tantùm Principum loco fuerunt* Zorobabel, *&* Nehemias. *At in* Asamonæorum *domo & servorum ejus fuit regnum.* 2. Dato, tamen non concesso, *Zorobabelem*, pro Rege fuisse habitum, de illo non dixerit *Zacharias*, *Lætare, filia* Jerusalem, *ecce! Rex tuus veniet.* Nisi velimus *Prophetam* ut futuram prædixisse rem præter tam. Jam enim venerat *Zorobabel* quo tempore scripsit *Propheta*, qui anno *Darii* quarto hæc scripsisse profitetur capitis septimi versu primo. At

q) Vide Esd. 1. v. 1. & 2. v. 2.

Zorobabel (q) *Hierosolymam* venerat anno primo *Cyri Majoris*, id est, eo anno, quo *Cyrus*, capta *Babylone*, imperii potestatē ad se transtulit; quod factum fuerat

r) Joseph. Ant. lib. 11. cap. 4. Esd. 4. v. 24.

ante annos viginti quinque. (r) Et, cùm *Babylonem* redisset anno primo *Darii*, ut novo Regi gratularetur, statim in *Judæam* remissus est, ut Templi instaurationem, sub *Cyro* cœptam, & sub *Cambyse*, qui *Persis Artaxerxes*, interruptam, de novo aggrederetur. Prævidit Vir doctissimus fore, ut hoc illi objiceretur: Itaque monet Futurum hic esse, pro Præterito. Et ex illius mente, hæc *Prophetæ* verba, *Rex tuus veniet*, sic reddenda erunt. Jam ante annos viginti quinque venit qui propriè Rex non est, sed gubernator. At mihi יבוא *veniet*, hic idem sonat, quod in his *Prophetæ* συγχρόνου,

s) Mal. 3. v. 1.

(s) *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante me: Et subito* יבוא, *veniet ad Templum suum, Dominus ille quem vos quæritis.* Ut de *Aggæo* taceam, *Prophetâ* iisdem æquali, in quo legit *Hieronymus*, יבוא חמדת כל גוים *veniet desideratus cunctis gentibus*, ubi nos hodie ובאו legimus. 3. Nec frustra est, quod *Zacharias* non solum dicit יבוא *veniet*, sed יבוא לך *veniet tibi*, *Ecce Rex tuus veniet tibi*, id est, bono, & commodo tuo, non suo. Alii phrasi *Hebræis* propria venire, vel ire sibi dicuntur. Sic *Abraham*, *Genes.* 12 v. 7. לך לך מארצך *vade tibi è terra tua.* At *Christus*

t) Es. 9. v. 5. u) Luc. 2. v. 11.

Dominus non sibi venit, sed nobis. Hinc *Esaias*, (t) *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* Et Angelus pastoribus, *Natus est vobis hodie servator, qui est* Christus *Dominus*. Non ita *Zorobabel*, qui etiam sibi venerat. Tam enim illius intererat, quam reliquorum è populo, ut Templum instauraretur. 4. Jam, quod Rex idem justus dicitur, quis non agnoscit *Zorobabeli* minus convenire, quam *Christo*, qui non modo in se perfectè justus est, sed & justitia nostra? Cum de *Zorobabelis* justitia Scriptura nihil quidquam referat memorabile. 5. Eodem facit, quod *Servator* dicitur, eo attributo, quod *Christo* tam proprium est, ut inde

x) Matt. 1, 21.

nomen habuerit: (x) *Vocabis nomen ejus* Jesum; *ipse enim servabit populum suum.* *Servator* in *Zacharia* est נושע, quod, quia formam habet passivam, quasi *servatum* significet, non *servatorem*, miratur Vir doctus cur *Chaldæus*, *Græci*, *Vulgatus*, (quibus addere potuit *Syrum*, & *Arabem* Interpretes) tanto consensu *Servatorem* verterint, & eos יושע pro נושע legisse suspicatur. Sed vana est hæc conjectatio, quia ישע in *Kal*, non est in usu, neque aliter usurpatur quam in *Hiphil*, & *Niphal*. Et *Hiphil* est pro Activo *Kal*. Unde *Servator* est מושיע, non ישע. Hic נושע dicitur forma Passiva, sed significatione Activâ; quia Participia Passiva, cum nominascunt, actionem significant. Tale *Prov.* 28. v. 17. אדם עשק *homo oppressor.* Jer. 9. v. 8. חץ שוחט *sagitta mactatrix.* Prov. 30. v. 1. דברי אגור *verba Agur*, al. *verba collectoris.* Esa. 46. vers. 1. נשאתיכם *gestatrices vestræ*, id est, bestiæ, quæ vos portant, vel vestra onera. 6. עני, sive *pauperem*, sive *humilem* reddideris, quanto potiori jure de *Christo* dicetur, quam de *Zorobabele*, qui, primò *Cyri*, deinde *Darii* opibus subnixus, Templum *Hierosolymitanum* extruxit magnis sumptibus. Certè *Christus* fuit tam pauper, ut è mulierculaurum eleemosynis (y) ægrè se

y) Luc. 8. v. 3. z) Matt. 8, 20

sustentaverit, neque locum habuerit (z) ubi reclinaret caput. Et virtutes illi tam propriæ fuerunt mansuetudo, ac humilitas, ut eas à se, id est, exemplo suo, potissimum nos velit (a) edoceri, ad hunc ipsum, ut videtur, *Zachariæ* locum alludens. Quid in *Zorobabele* simile occurrat non video. 7. Sed frigidum id est imprimis, quod his *Prophetæ* verbis, *Et ascendens super asinum, & super pullum filium asinarum*, significari vult *Zorobabelis* modestiam, & pacis studium. Sic enim etiam *Salomon* cum toto equitatu suo dici potuerit asino insidens vectus; quia Rex nullus fuit pacis studiosior. 8. Nec minùs absurdum est, quod his verbis, *Exscindam quadrigas ex* Ephraim, *& equos ex* Hierosolymis, quadrigas, & equos hostiles intelligit, non *Judæorum*. Neque enim è populo exscinduntur, nisi quæ in illo, adeoque illius sunt. Unde *Mich* 5, 9. *Et erit die illa, dicit Dominus, exscindam* סוסיך *tuos equos e medio tui, & perdam* מרכבתיך *currus tuos.* Ita hic, *Exscindam quadrigas ex* Ephraim, *& equos ex* Hierosolymis, *& exscindetur arcus bellicus*, idem est, ac si diceret. *Exscindam è medio tui quadrigas tuas bellicas*, ô Ephraim, *& equos tuos*, ô Jerusalem, *& arcus tuos conteram, & arma tua bellica.* Sic *Propheta* passim significant pacem spiritualem futuram in Ecclesia sub regno *Christi*. Vide *Es.* 2. v. 4. *Ose* 2. v. 18. *Mich.* 4. *vers.* 3. &c. Atque in eundem sensum hic additur, *Loquetur pacem gentibus*, *Loquetur pacem*, id est, *procurabit pacem*; ut de *Mardochæo* dicitur in fine libri *Esther*, *Quærens bonum populo suo, & loquens pacem omni semini suo.* Hæc Vir doctus, quia non potuit ad *Zorobabelem* referre, retulit ad *Jerusalem*, quasi illa dicatur loqui pacem gentibus, quia sub *Macchabæis* contraxit fœdus cum *Lacedæmoniis*, & *Romanis*. Sed non vidit verbum *Hebræum* דבר quod Masculinum est, necessariò ad Regem pertinere, de quo egerat *Propheta*, non ad *Jerusalem*, cujus nomen etiam *Hebræis* est Fœmininum. Idem error in sequentibus, cùm hæc quoque pertinere vult ad urbem *Hierosolymam*, *Dominium ejus à mari usq. ad mare, & à fluvio usq. ad fines terræ.* Quippe *dominium ejus* Hebr. משלו cum Affixo Masculino. Apparet ex hoc specimine Virum, cætera doctissimum, in his non satis accuratum se præstitisse. Sed ad reliqua jam properamus.

a) Matt. 11, 29

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Unde nata sit fabula de aureo Asini capite in *Hierosolymitani* Templi adytis collocato, & culto.

Fabulæ architectus Apion Grammaticus *sub* Tiberio, Cajo, *&* Claudio. *Cui asinus non fuit* ἀκάνθων, *ut in* Josepho *legitur, sed* κάνθων. *Asini nomen in ridiculis usurpari solitum. Hunc succinunt* Democritus, Plutarchus, Tacitus. *Idem* Christianis *objectum à* Cæcilio, *& aliis, apud* Minutium, *&* Tertullianum, *ubi* Christianorum *Deus*

Deus Ononychites *Vossio est* Onochœrites. *Martialis* Anchialus *eidem* Ancarius. Josephus *hac egregiè refellens, falso tamen in* Idumæa *negat ullam esse* Doram. *Tacito* Tacitum *ipsum opponit* Tertullianus. *Nos insuper* Juvenalem, Hecatæum, Strabonem, *&* Dionem *qui* Judæis *omnem imaginum usum adimunt. Asinus* Judæis *quam vilis*, Prov.26.v.3. מתג metheg, asino, *non est* fræuum, *ut vulgo, sed* stimulus. Isaaci *asino cur* Hebræi *frænum tribuant.* Gath Philistæorum *urbs cur dicatur* Methegamma. *Asinis pro fræno φορβεία. Unde nata sit fabula de asino a* Judæis *culto. Duæ conjectura* Heinsii, *una* Fabri, *Duæ nostræ:* 1. בדד solus, *Dei Epithetum* Deut. 32. v. 11. *& onagri* Os. 8. v. 9. 2. *quod in* Prophetis, *& in ore* Judæorum *tam frequens* פי יהוה Pi-Jao *id est*, verbum Domini, *simpiam ab Ægyptiis, in quibus* Apion, *pro* Pieu, *quomodo illi* asinum *vocant.* יהוה Græcis Ἰαώ. *Cur* Judæis *sitientibus asini dicantur aquas monstrasse.* *Conjectura* Heinsii, Fulleri, *nostra.*

QVantumvis profani, & impii fuerint *Ethnicorum*, cavilli apud (a) *Athanasium*, nos ideò suggillantium, ὅτι ὁ Θεὸς τῶν Χριστιανῶν ὁ καλούμενος Χριστὸς εἰς ὀνάριον ἐκάθισεν, *quia Deus* Christianorum, *qui* Christus *dicitur, asello insedit*: tamen id leve fuit præ atrocis calumniæ labe, qua tam *Christianos*, quam *Judæos* aspergere conati sunt, cum vel ab his, vel ab illis asinum pro Deo coli per summam impudentiam scripserunt. Primus fabulæ architectus *Apion Grammaticus Ægyptius*, sub *Tiberio*, *Cajo*, & *Claudio* vixit. Edidit is librum adversus *Judæos*, in quo eos asserebat in ipso Templi *Hierosolymitani* sacrario (b) *asini caput collocâsse, & id colere, ac dignum facere tantâ religione: Et hoc fuisse propalatum, cum* Antiochus Epiphanes *& expoliasset Templum, & illud caput invenisset ex auro compositum, multis pecuniis dignum.* Tamen idem *Apion* fabulam multò aliter adornat, cum, quo tempore *Judæis* cum *Idumæis* bellum erat, ex *Idumæa* urbe *Dora* narrat τὸν Ζάβιδον ἐπὶ πολλῆς ἡσυχίας εἰς τὸν ναὸν παρελθεῖν, καὶ τὴν χρυσῆν ἀποσῦραι τοῦ κάνθωνος κεφαλὴν (οὕτω γὰρ ἀστεϊζόμενος γέγραφεν) καὶ πάλιν εἰς Δῶραν κατὰ τάχος ἀπελθεῖν. *Zabidum quendam multâ quiete ad Templum venisse, & aureum detraxisse cantherii caput (ita enim scripsit, facetus videri volens) & rursus* Doram *velociter se contulisse.* Obiter moneo in *Josepho* pro κάνθωνος legi ἀκάνθωνος. Et paulo post, τὸν ἀκάνθωνα τυτὶ σὺν ἑαυτῷ Ἀπίων ὑποσεμνῦν. Et rursus, τὴν τοῦ ἀκάνθωνος (ὡς οἴεται, κεφαλὴν) ἔχειν. Sed ubique rescribendum κάνθωνος, vel κάνθωνα. Quippe ἀκανθὼν nihil quidquam est, quam *spinetum, senticetum.* Sed κάνθων, ut κανθήλιος, est *vagrandis asinus.* Et vox ferè jocularis est, quam *Græci Poetæ* vix aliter quam in ridiculis usurpant. Ita *Grammaticum Glyconem* asino vehi, atque ex eo decidere solitum, irridens *Apollinarius*,

(c) *Anthol. lib. 2. c. 10. Epig. 6.* (c) Νῦν Λιβυκὰς κάνθωνας ὀχούμενος, εἶτ' ἀποπίπτων,
Nunc Libycas asinas equitans, dein decidens.

Et incertus, de asino, qui, malo fato suo, ἐξ ἀλαβαρχείης γραμματικοῦ γέγονεν, *post alabarcham, grammaticum habuit dominum*,

(d) *Ibid. Epig. 13.* (d) Ἦν ἄρα καὶ κάνθωσι τύχη χαλεπή τε, καὶ ἐσθλή,
Erat asinis quidem, & dura fortuna, & bona.

Et in *Aristophanis Pace* κάνθων vocatur cantharus, quo, tanquam asino, rusticus vehi fingitur. Et, in *Vespis*, κάνθων τί κλάεις *Asine, quid fles?* Nempe flere fingitur asinus: quia pondere pressus est, & venum exponendus. A Mythologis *Erysichthon* Κάνθων ἐκλήθη *Canthon vocabatur* propter voracitatem. Ita *Ælian. Var.* lib. 1. cap. 27. Pro Κάνθων *Athenæus* lib. 10. Αἴθωνα citat ex *Hellanici Deucalionea.* Ita etiam *Eustathius* in *Iliad.* Quasi dictus sit Αἴθων παρὰ τὸ αἴθειν, ὅ ἐστι καταξηραίνειν *ab exurendo.* *Erasmus* in *Adagiis* (e) Ἄθωνα, & *Cælius Rhodiginus* (f) Κλάδωνα, nullo sensu: sed

(e) *Æthon*, *Athon.*
(f) *Lib. 15. c. 19.*

Κάνθων est vera lectio. *Suida* κάνθων, seu κανθήλιος, est ὄνος μέγας, *magnus asinus*, qui reliquis voracior est. Vox eadem occurrit aliquoties in *Nazianzeni Carminibus*, sed semper κατ' ἐξουθενισμὸν, sic *Carm.* 49.

Τίς δὲ χάρις κάνθωνι φέρειν χρυσοῖο τάλαντα;
Κάνθων καὶ πολύχρυσος ἐὼν ὀγκηθμὸν ἀείδει·
Nil asino prodest auri gestare talenta
Quantumvis gravis, ære nihil nisi rudit asellus.

Et Carm. 52.

Ἡμιόνοις τί πατὴρ, τίδ' ὁ κάνθων ἐστὶν ὄνειδος;
Οὐδέν; τίς δ' ἵπποις δόξα πατὴρ ἡμιόνων;
Quod probrum est mulis asino fluxisse parente?
Quod mulos asinus est genuisse decus?

Et infra ibidem,

Πῶς σὺ κάκιστος ἐὼν, τόσσον φρυάσσει κραδίῃ,
Ὁ κάνθων μυλικὸς, ἵππιον ὕψος ἔχων·
Cur caput instar equi molitor sustollis, aselle?
Propter avos, cum sis improbus ipse, tumes.

Cum igitur asinus per ludibrium, & contemptum, ita vocetur, *Apion* ἀστεϊζόμενος, id est, *facetus videri volens*, τὴν κάνθωνος κεφαλὴν dixit. Et eodem vocabulo *Josephus* utitur μιμητικῶς. Sed *Damocritus*, vel *Democritus* Historicus in libro *De Judæis* disertè scripsit ὄνου κεφαλὴν *Suidas*, Δαμόκριτος ἱστορικὸς, &c. περὶ Ἰουδαίων (supple βιβλίον ἔγραψε) ἐν ᾧ φησιν, ὅτι χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν. Damocritus *Historicus*, &c. *de Judæis* librum scripsit, *in quo dicit, quod aureum asini caput adorabant.* Hæc ille in Δαμόκριτος. Et rursus in Ἰουδας, Δημόκριτος ὁ ἱστορικός περὶ Ἰουδαίων τάδε φησὶ, χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν καὶ τριετίαν ξένον ἀγρεύοντες προσέφερον, καὶ κατὰ λεπτὸν τὰς σάρκας διέξαινον καὶ οὕτως ἀνῄρουν· Democritus *Historicus de* Judæis *hæc dicit, Aureum asini caput adorabant, & tertio quoq. anno captum peregrinum illi offerebant, carnibus minutatim discissis occidentes.* Quæ eadem in priore loco, nisi quod pro τριετίαν habet ἑπταετίαν. Causam tam alieni cultûs *Plutarchus* his verbis asserit *Sympos.* libr. 4. Quæst. 5. Τὸν ὄνον δὲ ἀναδείξαντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν. *Asinum, qui olim illis monstraverat aquæ fontem, honore prosequuntur.* Et *Tacitus* multò expressius *Histor.* lib. 5. *Nihil æquè* (*Judæos* in deserto) *quam inopia aquæ fatigabat: Jamq; haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Sequutus* Moses *conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperit.* Et paulo post, *effigiem animalis, quo monstrante, errorem, sitimq. depulerant, penetrali sacravere.* Unde factum, ut *Christianis* etiam id objiceretur. *Tertullianus Apologet.* cap. 16. *Nam & quidam somniastis caput asininum esse Deum nostrum. Hanc* Cornelius Tacitus *suspicionem ejusmodi inseruit. Is enim in quinta Historiarum suarum bellum* Judaicum *exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine, quam de nomine, & religione gentis quæ voluit argumentatus*, Judæos *refert*, Ægypto *expeditos, sive, ut putavit, exterres, vastis* Arabiæ *in locis aquarum egentissimos, cum siti macerarentur, onagris, qui fortè de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus, fontibus usos, ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque ita inde præsumptum, opinor, nos quoq., ut* Judaicæ *religionis propinquos, eidem simulacro initiari.* Et *Cæcilius* Ethnicus in *Octavio Minucii*, *Audio eos* (Christianos) *turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari.* Quin *Tertullianus*, ubi suprà, picturæ meminit a quodam propositæ cum ejusmodi inscriptione, *Deus Christianorum Ononychites.* Qui erat, ut idem asserit, *auribus asininis altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus.* *Vossius* noster in *Melam*, magni patris magnus filius, pro *Ononychites* legendum contendit *Onochœrites*, quia de *Gnosticis* scribit *Epiphanius*, φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ, οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου· *Alii Deum* Sabaoth *asini, alii porci formam*

haber e

habere dicunt. Idem in notissimo *Martialis* Epigrammate de *Theodoro Judæo*,

Ecce! negas, jurasq; mihi per Templa Tonantis.
Non credo: jura, verpe, per Anchialum.

Anchialum legi observat in optimo codice *Thuaneo* jam ante annos octingentos exarato, pro quo rescribit *anchiarium*, vel *ancarium*, id est, *asinum*; quia est ἀγγαρεῖος, seu ἀχθοφόρος. Proinde *Lucilius* eandem vocem ita adhibet,

Hæc, inquam, rudet è rostris, atq; ejulitavit,
Concursans veluti ancarius, clareq; quiritans.

Hactenus calumniæ veterum in hoc argumento, quas recitâsse est refutâsse. Nam ipsæ sese destruunt, ut à *Josepho*, & *Tertulliano* rectè observatum est. Quorum ille *Apioni Polybium*, *Strabonem*, *Nicolaum Damascenum*, *Timagenem*, *Castorem*, & *Apollodorum* opponit, qui *Hierosolymitani* Templi ab *Antiocho Epiphane* expilati historiam ita referebant, ut de asini capite aureo in ejus adytis reperto ne γρῦ quidem habuerint. Addit non solùm *Epiphanem*, sed & *Antiochum* Θεὸν, & *Pompejum Magnum*, & *Licinium Crassum*, *Titum* denique *Cæsarem* vidisse Templi penetralia, nec tale quidquam ibi invenisse. Rogat insuper, quomodo *Zabidus Idumæus*, belli tempore, in Templi sacrarium irrepserit, cujus fores altæ septem cubitos, & viginti latæ, auro tam graves erant, ut in iis claudendis, & aperiendis quotidie laborarent ducenti homines. Item, quis caput aureum semel à *Zabido* surreptum, & in *Idumæam* ablatum in Templum restituerit, ut in eo repiriretur ab *Antiocho Epiphane*. Sed & *Doram* oppidum, quò delatum esse vult *Apion*, negat uspiam esse in *Idumæa*. Τόπες, inquit, ἐκ ὄντας χώρας, καὶ πόλεις ἐκ εἰδὼς μετατίθησιν· ἡ μὲν γὰρ Ἰδεμαία τῆς ἡμετέρας χώρας ἐστὶν ὅμορος, κατὰ Γάζαν κειμένη, καὶ Δῶρα ταύτης ἐστὶν ἐδεμία πόλις. Τῆς μὲν τοι Φοινίκης παρὰ τὸ Καρμήλιον ὄρος Δῶρα πόλις ὀνομάζεται, μηδὲν ἐπικοινωνοῦσα τοῖς Ἀπίωνος φλυαρήμασι· τεσσάρων γὰρ ἡμερῶν ὁδὸν τῆς Ἰδεμαίας ἀφέστηκεν. Quibus verbis cum palam sit, nullam ab illo *Doram* agnosci *Idumææ* propiorem, quam *Doram Phœniciæ* prope *Carmelum*, unde distat *Idumæa* quatuor dierum itinere. Tamen ab eodem alibi memoratur *Idumææ* urbs *Dora*, vel *Adora*, vel *Doreon*. Ita enim variè scribitur. Sic *Antiqu.* lib. 13. cap. 11. de *Tryphone*, Ἧκεν εἰς Δῶρα πόλιν τῆς Ἰδεμαίας, *Venit* Dora *urbem* Idumææ. Et cap. 17. Ὑρκανὸς δὲ καὶ τῆς Ἰδεμαίας αἱρεῖ πόλεις Ἄδωρα καὶ Μάρισαν· Hyrcanus *autem* Idumææ *urbes cepit* Adora *&* Marissam. Et *De bello* lib. 1. cap. 3. de hoc eodem *Hyrcano*, Αἱρεῖ δὲ καὶ τῆς Ἰεδαίας (lege, ut supra, Ἰδεμαίας) ἄλλας τε ἐκ ὀλίγας, καὶ Δωρεὰν, καὶ Μάρισαν· *Cepit etiam* Idumææ *alias urbes non parvas, &* Doreon, *&* Marissam. Omnino igitur memoriâ lapsus est, cum contra *Apionem* de *Idumæa* scripsit, Δῶρα ταύτης ἐστὶν ἐδεμία πόλις· *Nulla in ea est urbs* Dora. Sed hæc sunt alterius loci, neque ad hanc causam quidquam faciunt.

Jam *Tacitum Tertullianus* ex ipso *Tacito* refellit, *qui in eadem*, inquit, *Historiâ refert* Cn. Pompejum, *cùm* Hierusalem *cepisset, proptereaq; Templum adisset speculandis* Judaicæ *religionis arcanis, nullum illic reperisse simulachrum.* Nempe hæc sunt *Taciti* (f) verba,

f) Hist. lib. 5.

Romanorum primus (Judæos) Cn. Pompejus *domuit, Templumq; jure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, nulla intus Deûm effigie, vacuam sedem, & inania arcana.* Quibus non minus disertum est, quod idem aliquanto ante scripserat, *Judæi mente sola unumq; numen intelligunt. Profanos, qui Deûm imagines mortalibus materiis in speciem hominum effingant. Summum illud, & æternum, neq; mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulachra urbibus suis, nedum Templis sunt.* Hinc *Poeta* (g) de *Judæis*,

g) Sat. 14.

Nil præter nubes, & cœli numen adorant.

Ad quæ verba *Vetus Scholiastes*, *Cœli numen nulla contemplatione colentes.* Sed pro *nulla* legendum *nuda*. *Nudâ contemplatione* id ipsum est, quod, in *Tacito*, *mente solâ*: *Græci* quoque hoc passim docent. *Hecatæus Abderita*, qui sub *Alexandro* vixit, in libro de *Judæis*, quo loco Templum describit, Ἄγαλμα δ' ἐκ ἔστιν, ἐδὲ ἀνάθημα τὸ παράπαν· *Ibi nullum omnino simulachrum est, nec anathema.* Ita citatur à *Josepho* lib. 1. contra *Apionem*. *Strabo de Mose* lib. 16. Ἔφη γὰρ ἐκεῖνος, καὶ ἐδίδασκεν, ὡς ἐκ ὀρθῶς φρονοῖεν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες, καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον, ἐδ' οἱ Λίβυες· ἐκ εὖ δὲ, ἐδ' οἱ Ἕλληνες ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες· εἴη γὰρ ἓν τοῦτο μόνον θεὸς τὸ περιέχον ἡμᾶς ἅπαντας, καὶ γῆν, καὶ θάλατταν, ὃ καλοῦμεν οὐρανὸν, καὶ κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν. Τούτου δὲ τίς ἂν εἰκόνα πλάττειν θαρρήσειε νοῦν ἔχων, ὁμοίαν τινὶ τῶν παρ' ἡμῖν; ἀλλ' ἐᾶν δεῖ πᾶσαν ξοανοποιΐαν· τέμενος ἀφορίσαντας, καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἕδους χωρίς. *Dicebat enim ille, & docebat, non bene sentire Ægyptios, qui bestiarum & pecorum imagines Diis tribuunt, neque Afros, & Græcos, qui hominum figurâ illos effingunt. Id vero solum esse Deum, quod nos omnes, & terram, & mare continet, quod cœlum, & mundum, & rerum omnium Naturam appellamus. Hujus vero quis sana mentis imaginem effingere audeat, alicui similem earum rerum, quæ apud nos sunt? Proinde, omni imaginum effictione repudiatâ, dignum esse Templum, ac delubrum constituendum, & sine figura colendum.* *Dion Nicæus* in *Pompejo*, Τῶν μὲν ἄλλων θεῶν ἐδένα τιμῶσιν, ἕνα δέ τινα ἰσχυρῶς σέβουσιν· ἐδ' ἄγαλμα ἐδὲν ἐδ' ἐν αὐτοῖς ποτε τοῖς Ἱεροσολύμοις ἔσχον. ἄρρητον δὲ καὶ ἀειδῆ αὐτὸν νομίζοντες εἶναι, περισσότατα ἀνθρώπων θρησκεύουσι. *Aliorum quidem Deorum nullum colunt, sed unum valde venerantur. Neque ullum unquam* Hierosolymis *simulachrum habuerunt. Hunc vero ineffabilem, & invisibilem esse credentes, præ cæteris hominibus maximè colunt.*

Ex tot testibus, quos in hac causa rejicere, & ejerare est nefas, cum *Judæos* constet plus satis, nullas, nec in Templo, nec in urbibus habuisse imagines, quia Lex expresse vetabat: cum asino stultiorem, & stupidiorem esse oporteat, qui in ipsis Templi adytis illos consecrâsse credat asini caput, hoc est, animalis ex Lege immundi, quia neque ruminat, neque fissam habet ungulam, & cætera vilissimi, & despectissimi. Hinc *Cæcilio* Minutius, *Quod audire te dicis caput asini rem nobis esse divinam, quis tam stultus, ut hoc colat? quis stultior, ut hoc coli credat?* Et *Josephus* contra *Apionem*; *Sunt apud nos asini, quod apud alios sapientes viros, onera sibimet imposita sustinentes. Et, si ad areas accedentes comedant, aut proposita non adimpleant, multas valde plagas accipiunt.* Et *Sirachides* Eccles. 33. v. 25. (al. 28.) Χορτάσματα, καὶ ῥάβδος, καὶ φορτία ὄνῳ, *Pabula, & virga, & onera asino.* Et *Solomon* Prov. 26. v. 3. *Flagellum equo, stimulus asino, & virga tergo stultorum. Stimulus* Hebraicè est מתג, quæ vox alibi *frænum*, aut *camum* sonat (vide *Psal.* 32. v. 9. & 2. *Reg.* 19. v. 28. & *Esa.* 37. v. 29.) atque id sequuntur *Hieronymus*, & recentiores Interpretes. Sed *Græci* κέντρον reddunt. Unde *Justinus Martyr* in Epistola ad *Zenam*, Κατὰ τὸν προφήτην κεντριστέον μὲν τὸν ὄνον, μαστικτέον δὲ τὸν ἵππον, *Juxta Prophetam stimulandus quidem asinus, & flagellandus equus.* *Lucifer* pro *S. Athanasio* lib. 1. *Scriptum est, Flagellum equo, & stimulum asino.* *Syrus* quoq; ܡܥܩܬܐ ܠܚܡܪܐ & *Arabs*, والمنخاز للحمار Et, ex *Hebræis*, *Kimchius*, הוא דרבן הברזל התחוב בקצה העץ שדוקרין בו החמור למהרו *Stimulus est ferreus extremo ligno infixus, quo asinum pungunt ad accelerandum eum.* Neq; aliter *R. Aquinas*, הדרבן מברזל תחוב במטה לנהוג החמור ודומה *Stimulus e ferro, quod baculo infigitur ad ducendum asinum, aut aliud simile animal.* Quibus antiquior *R. Selomo* in 2. *Sam.* 8. v. 1. מתג אגוילון בלעז *Metheg linguâ vulgari* (id est, *Gallicâ*) *aguillon*, aculeus. *Chaldæus* reddit מגלבא, id est, צריעה, *corrigiam*, si *Eliæ* credimus, & *Aquinati*. Alii *stimulum*, alii *baculum*, alii denique *flagellum* malunt. Quidquid

sit,

fit, non esse frænum, sed verberandi instrumentum, collige ex *Bereschith Rabba* sect. 40. ubi describitur Angelus *Abimelecho* tota nocte adstans, & habens כגלב in manu sua, tanquam cum percussurus si *Sara* vim intentâsset. Et ex *Jelammedenu* fol. 55, 1. ubi quis *reum servum constringit*, *& accipit*, ארת המגלבן *& cadit eum*. His ideo nos accedimus, quia frænum asini parum habet analogiæ cum flagello, quo equus, & virga, qua stultus cæditur. Præterea frænum asino minùs convenire docet illud *Poetæ*,

h) Horat. Sat. 1.

(h) Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frænis.

Dicit quidem *Lucianı* asinus, Χαλινὰς εἰσεδεχόμην ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένους· *Frænos argento & auro distinctos ore recipiebam.* Et ex illo *Apuleius* lib. 10. *Me frænis argenteis exornatum.* Sed ad pompam id pertinebat, postquam patuit asinum illum rationis usum habere. Sunt etiam ex *Hebræis*, qui asino *Isaaci* frænum tribuunt, sed joculari de causa. Legitur 2. *Sam.* 8. v. 1. *Davidem* cepisse את מתג האמה *Metheg-ammæ e manu Philistæorum.* Nec satis constat quid ibi sit *Metheg-amma*. Græcus reddit τὴν ἀφωρισμένην, *separatam*, id est, מהחרמה *mith harema*. Hieronymus, *frænum tributi*, id est, מתג המס *metheg hammas*. Syrus, & Arabs, *Kamath-gama*, malim *Kamath-gome*, *collem junci*. Chaldæus, תקף אמתא *dispositionem aquæ-ductus*. Unde constat, veteres hoc nomen aliter atque aliter legisse. Utut sit, hoc certissimum, nomine *Metheg-amma* intelligi unam è quinque *Philistæorum* Satrapiis, nempe *Gath* cum vicinis oppidis: quia pro *Metheg-amma Esdras* habet 1. *Par.* 18. v. 1. את גת ובנותיה *Gath*, *& filias ejus*, id est, villas ejus. Sed, cur regio circa *Gath* sic vocetur, non liquet. *Rabbi Selomo* hic מתג *metheg*, pro *stimulo* sumit, quasi *Gath* ita nominetur, quod fuerit *stimulus*, aut *baculus in* Philistæos *dominans*, *& Regum urbs metropolis*. Quo refert, quod è quinque *Philistæorum* Satrapis solus *Gathensis* Regis titulo insignitur. Neque enim *Gazæ*, aut *Azoti*, aut *Accaronis*, aut *Ascalonis* Regem ullum dici reperias, quomodo *Achis* vocatur Rex *Gath*. *Chaldæo*, & *Kimchio* visum est, hunc locum ita dictum ab insigni aliquo aquæ-ductu, qui urbem *Gath* permeaverit; quia *Metheg-amma* ad verbum significat *frænum aquæ-ductus*. Nempe aquæ alveis suis, tanquam frænis, coercentur, & aquilegis industriâ quovis aguntur. Ut hic quadret illud *Poetæ*,

- - - *cursus frenavit aquarum.*

Sed & אמה *amma*, *cubitum* sonet. Proinde alii reddunt *frænum cubiti*, seu *cubitale*. Unde nata est *Judaica* tabella, quæ habetur in *Pirke R. Eliezer* cap. 36. *Isaac*, inquiunt, *cum pepigit fœdus cum* Abimelecho, *&* Philistæis, *Gen.* 26. כרת אמה אחת ממתג החמור שהיה רוכב עליו ונתן להם שיהיה בידם אות ברית שבועה *abscidit cubitum unum* (id est, cubitale frustum) *è fræno asini, cui insidebat, & dedit illis, ut esset in manu eorum signum pacti juramenti* (id est, jurati fœderis) *Et cum voluit Rex* David Philistæorum *terram invadere*, *non potuit propter signum fœderis*, *quod* Isaacus *juraverat*, *donec ab illis id recepisset.* *Proinde dicitur* 2. Sam. 8, 1. " *Et cepit* David Metheg-haamma (*id est*, *frænum cubitale*) *è manu* Philistæorum. Néve putes hanc fabulam hodie & heri natam, ad eam ita allusit *Jonathan* in Paraphrasi *Genes.* 26. v. 31. ופסג מתגא דחמריה ויהב פסגא חדא להום לסהדו *Et divisit* Isaacus *frænum asini sui & partem unam dedit ipsis in fœderis signum.* Sed extra hanc fabulam asino solet ab *Hebræis* pro fræno tribui פרוסביא, φορβεία, *capistrum*, & אפסר, ψάλιον, *habena*; quamvis *Græci* pro *fræno* habeant. *Misna*, de Sabbatho cap. 5. *Die Sabbathi exeunt* לובדקים בפרומביא *Libyci asini* μετ φορβείας, *cum capistro.* *Midras* in *Psalmum* nonum, תן פרומביא בפיהם כחמורים של כתונים *Inde capistrum ori eorum, ut molitorum asinis.* *Gemara*, de Sabbatho, ubi supra, *Quatuor bestiæ Sabbatho egrediuntur* באפסר μετ ψαλίῳ, *equus*, *mulus*, *camelus*, וחמור *& asinus*. Sed hæc fortasse extra oleas: jam è diverticulo in viam.

Anxiè multi quærunt, quid occasionem dederit putidissimæ calumniæ de asino a *Judæis* culto, quasi fontem in deserto sitientibus monstraverit. Et suspicatur Vir maximus in festivissimo libello, cui titulus *Laus asini*, *Græcos*, cum legissent nihil à *Judæis* adorari præter οὐρανὸν (quomodo expeditè οὐρανὸν notare solent) ex hac ὄνον, sive ignaros, sive, ut erant hominum ingenia, festivitatis, & ridiculi causa, fecisse. Idem imitatos posteà *Romanos*, qui, cum cœlum à *Judæis* coli intelligerent, ex eo vocem, quâ *Italiæ* vicini *Dores* pro asino uti solent (i) *cilium* lepidè fecisse. Utrumque pari acumine. *Tanaquillus Faber Cadomensis*, vir, qui non solùm *Græcis*, & *Latinis* literis egregiè est imbutus, sed & rara valet ἀγχινοίᾳ, observat locum *Heliopolitanæ* in *Ægypto* Præfecturæ, in quo *Onias* Templum *Judaici* ritus condidit, vocatum fuisse Ὀνίου χώραν, & Templum ipsum Ὀνίου ἱερὸν, aut Ὀνεῖον. Quod cum ad *Oniam* ejus conditorem pertineret, *Alexandrinos*, genus hominum dicax, & σκωπτικὸν, sic accepisse, quasi deduceretur ἀπὸ τοῦ ὄνου ἐκεῖ σεβομένου, *ab asino ibi culto*, aut etiam *Hierosolymis*. Obiter nota Ἡλίου μητρόπολιν ob id ipsum in nonnullis *Ptolemæi* exemplaribus vocari Ὀνίου μητρόπολιν. Et urbem *On*, cujus vel Sacerdos, vel Præfectus fuit *Josephi* socer *Petephres*, in *Græca* versione vocari Ἡλίου πόλιν. Unde colliges hanc versionem recentiorem esse quàm putatur, neque sub *Ptolemæo Philadelpho*, & multò minus sub patre ejus *Lagi* filio, fuisse procuratam. Nam *Philometor*, sub quo, *Oniæ* Templo condito, *Heliopolitana* Præfectura dici cœpit Ὀνίου χώρα, à *Philadelpho* quartus fuit. Et, qui intercesserunt, *Evergetes*, *Philopator*, & *Epiphanes*, regnarunt per annos sexaginta sex. Itaque valde verisimile est, quod contendit *Usserius* ὁ μακαρίτης, *Græcam* editionem, quam *Seniorum* esse volunt, sub *Onia*, vel post *Oniam* demum fuisse procuratam.

i) Pollux lib. 7. cap. 33. Κίλλων τὸν ὄνον Δωριεῖς.

Nunc, ne discedam ἀσύμβολος, de meo quoque aliquid addam. Veri Dei Epithetum est בדד *badad*, *solus*, Deut. 32, 12. & onagri בודד *boded solitarius*, Os. 8, 9. Quæ voces, cùm sint sono, & scripturà, valde similes, in allusione quæri potuit à profanis, & malevolis calumniandi ansa. Tamen, quia *Ægyptius* fuit *Apion*, tabulæ architectus, malo ex *Ægyptia* lingua id repetere, quâ cum ΠΙΕΩ sit ὁ ὄνος, *asinus* (ita habetur in *Ægyptio Nomenclatore Ibnocabari* a *Kirchero* edito pag. 165.) videntur impuri homines ad asinum traxisse (horresco referens) quod in Scriptura tam frequens est, פי־יהוה *pi-jao*, ut quandoque in uno versu bis vel ter repetatur. Exempla vide *Num.* 9. v. 18. 20. 23. Nempe פי־יהוה est *os Domini*, item *mandatum*, aut *verbum Domini*. Itaque ferè quoties in Scriptura habetur (k) *interrogari os Domini*, aut (l) *verbum exire*, aut (m) *Prophetam loqui ex ore Domini*, aut (n) *os Domini loquutum esse*, aut (o) *nominasse*, aut quid (p) *fieri juxta mandatum Domini*, aut aliquem (q) *mandatum* vel *verbum Domini transgredi*, ferè toties in *Hebræo* leguntur voces פי־יהוה, *pi-jao*. Hic nomen ἀνεκφώνητον *Jao* scribimus more veterum. *Græcos* enim illud ita scripsisse, & extulisse, nullus est, qui nesciat, qui non sit idem in his literis planè hospes, & peregrinus. Hinc *Diodorus* lib. 1. (r) *Mosem* dicit apud *Judæos* τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον Θεὸν *Deum* Jao *nomine* legibus suis auctorem inscripsisse. Et in *Macrobio* (s) *Clarius Apollo*,

k) Ios. 9, 14.
l) Deut. 8, 3.
m) 2. Par. 36, 12. Ierem. 23, 16.
n) Es. 1, 20. & 40, 5. & 58, 14.
o) Es. 62, 2.
p) Exod. 17, 1. Levit. 24, 12. Num. 3, 16. 39, 51. &c.
q) Num. 4, 41 & 22, 18 & 24, 13.
r) Pag. 59.
s) Saturnal. lib. 1. cap. 18.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν' Ἰαώ·

Dic omnium summum Deum esse Jao. Proinde id in *Patribus* frequens. *Origenes* contra *Celsum* lib. 6. *Putaverunt alium esse* Jao, *alium* Sabbaoth, &c. Cyrillus

t) Pag 632. E

rillus in *Aggaeum* cap. 1. (t) Ἰαὼ δὲ ἐστιν ὁ τῶν ὅλων Θεός, Jao *autem est omnium Deus.* *Theodoretus* in 1. *Paral.* ubi de nomine *Nathinaeorum*, (u) Εὗρον δὲ καὶ ἐν τῇ τῶν Ἑβραϊκῶν ὀνομάτων ἑρμηνείᾳ τοῦτο δηλοῦν τὸ ὄνομα δῶρον Ἰαώ, τουτέστι τοῦ ὄντος Θεοῦ· *Reperi in interpretatione nominum* Hebraicorum *hoc nomen significare donum* Jao, *id est, Dei, qui est.* Et in veteribus editionibus *Quaest.* 15. in *Exodum*, Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβέ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰαώ· *Illud vocant* Samaritani *quidem* Jabe, Judaei *autem* Jao. Et *Haereticarum Fabularum* lib. 5. in fine cap. 3. Τὸ δὲ Ἰαὼ τὸ ὄντα· τοῦτο καὶ ἀνεκφώνητον ἦν παρ' Ἑβραίοις· Σαμαρεῖται δὲ Ἰαβαὶ αὐτὸ λέγουσιν· Jao *autem illum denotat, qui revera est; quod quidem non erat efferendum apud* Hebraeos: *at* Samaritani *illud* Jabai *appellant*. Sed postrema editio utrobique, pro Ἰαώ, perperam habet (x) Ἀιά. Et Hesychius, Ἰωάθαμ, Ἰαώ, συντέλεια· Joatham, Jao, *perfectio*. Item, Ὀζείας, ἰσχὺς Ἰαώ· Ozias, *fortis* Jao. Et *Tzetzes Chil.* 7. Hist. 126. Ἑβραϊκῶς τὸ Ἰαὼ ἄρρητον σημαίνει· *Hebraice* Jao *invisibilem significat.* Proinde (y) *Gnostici*, (z) *Ophiani*, (a) *Valentiniani*, (b) *Phibionita*, atque alii hujus farinae Haeretici veteres nomine *Jao* varie abusi sunt. Et reperiuntur hodieque *basilidianorum* τελεσματικοὶ lapides cum dracanorum figuris, & Ἰαώ illis subscripto. E quo numero unum exhibet *Salmasius* ὁ μακαρίτης in libro *De annis climactericis* pag. 570. Veteribus igitur פי־יהוה sonabat, quod diximus, *pi-Jao*, vel etiam πι-Ἰευώ· ita enim nomen יהוה à *Porphyrio* exprimitur apud *Eusebium*, *Evang. Praepar.* lib. 1. & 10. (c) Tamen, ex eodem *Porphyrio*, *Theodoretus* scribit Ἰαώ in Sermone *De Principio* (d) Quocirca cum Aegyptii vel in Scripturis nostris legerent, vel à *Judaeis*, qui in *Aegypto* frequentes erant, saepe audirent Sacerdotem in loco sancto *pi-Jao*, vel *pi-Jevo*, id est, *os Domini*, consuluisse, & *pi-Jao* dixisse, vel edixisse, & aliquid evenisse prout praedixerat *pi-Jao*, absurde, & impie finxerunt *pieo*, id est, *asinum*, à *Judaeis* coli, & pro Deo haberi. Jam, quod de siti additur, *Nullus dubito* (inquit Vir ille magnus, cujus conjecturas supra attulimus) *quin error ex Anachronismo, & confusione historiarum sit. Quod ex asini maxilla, credo, qua mille hominum prostrata fuerant*, Simsonis *precibus fluxisse fontem audivissent.* At *Fullerus* in *Miscellaneis* (e) vult id *Mosi* tributum, quod de *Ana* narrat *Moses* Gen. 36. v. 24. illum, cum pasceret asinos *Sibeonis* patris sui, invenisse in deserto את הימן *hajemin*, id est, *stagna*, vel *fontes*, vel *aquas calidas*, ut quidam interpretantur. Vulgatus, *Iste est* Ana, *qui invenit aquas calidas in solitudine*, &c. Et *Syrus*,

ܗܘ ܥܢܐ ܕܐܫܟܚ ܠܗ ܡܝܐ ܒܡܕܒܪܐ

Ille est Ana, *qui sibi invenit aquam in deserto.* Diodorus Tarsensis, Ὁ Σύρος, καὶ ὁ Ἑβραῖος, τὸν Ἰαμεὶν ὕδωρ βούλονται λέγειν, ἀντὶ τοῦ, Εὗρε τὴν πηγὴν ἐν ἐρήμῳ· Syrus, & Hebraeus jamin *aquam significare volunt; ac si diceretur, Invenit fontem in deserto.* Hieronymus, *Alii putant* jamim *maria appellata: iisdem enim literis scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est, & volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse. quae, juxta idioma linguae* Hebraicae, *maria nuncupantur, quod scilicet stagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas, juxta* Punicae *linguae viciniam, quae* Hebraeae *contermina est, hoc vocabulo signari.* Nos, ne cogamur *Mosi* tribuere quae vel *Samsoni* acciderunt annis plus trecentis post mortem *Mosis*, vel *Anae*, *Esavi* socero, annis plus trecentis antequam *Moses* *Israelitas* ex *Aegypto* educeret, censemus verbis *Taciti*, quae supra citavimus, *Cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit, secutus* Moses, *conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit*, describi desertum *Elim*, in quo, post longam sitim, quam confecti fuissent *Israelitae*, nisi aquas *Mara* per miraculum Deus edulcasset, tandem in umbra palmeti tot fontes (f) reperti sunt, quot erant in populo tribus. *Elim* אילים *Hebraice* appellatur, quasi *campos* dixeris. Sic איל פרן est *campus Paran* Gen. 14. v. 6. At *Josephus* (g) pro *Elim* legit Ἠλὶν *Elin*, ac si ab asinis nomen haberet. *Syris* enim ܥܝܠܐ *ilin* sunt vel *asinorum*, vel *onagrorum pulli*, ut *Hebraeis* עירים. An inde orta sit fabula, quam *Plutarchus* & *Tacitus* referunt, asinos, aut onagros *Judaeis* in deserto indicasse fontes aquarum, aliorum esto judicium. Mihi nondum quidquam occurrit, quod videatur vero propius.

u) Tom. 1. pag. 364. D.

x) Tom. 1. pag. 86. B. & Tom. 4. pag. 260. C.

y) Iren. lib. 1. c. 34.

z) Orig. lib. 6. cont. Cels.

a Theodor. Haer. Fab. lib. 1. cap. 7. pag. 190. D.

b) Epiphan. Haer. 26.

c) Pag. 21. & 285.

d) Tom. 4. pag. 493. D.

e) Lib. 3. cap. 8.

f) Exod. 15. 27.

g) Antiq. lib. 3. c. 1.

Exspectasset aliquis, ut de asinis feris jam ageremus, quos à domesticis sola educatione differre nonnulli putant, quomodo à vulgaribus equis, & felibus, differunt sylvestres equi, & feles: sed onagros ab asinis tota specie differre certum est, & esse in ferarum genere. Illos igitur in sequentem librum rejicere consultius putamus, ad mulos jam transituri.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Mulorum usu, natalibus, & nomine.

Mulorum primus usus in Judaea Davidis *aevo. Muli ad equitationem, sagmarii, & curules.* Λαμπήνη, & λαπήνη, mulare vehiculum, *olim* ἀπήνη (Λ *initio vocum additum.*) Rheda *Lat. idem.* Ἱερδία Suidae, & *Hesychio* ῥαίδιον mendose *pro* ῥαίδιον. *Mulares rheda biga, triga, quadriga.* Hebr. טטראמולין *tetramulin.* Israelitae *in deserto abripuerunt unum e quatuor Dei tetramulis. Muli in* Thogarma. *In* Scythia *nec muli, nec asini. Asinos in* Hyperboreis Apollini *immolari mera nugae. Asini, & muli in* Cappadocia *praestantissimi. Mulus à separando Hebraeis dicitur* פרד pered, *non quia caelebs, sed quia ex iis parentibus ortus, qui à naturali consorte separantur: ut adulteri cum meretricibus* Os. 4, 14. Graece *non dicitur* οὐρεὺς παρὰ τὸ οὖρον, *quia semen habet irritum; sed* ὀρεὺς παρὰ τὸ ὄρος, *quia montanum animal. Ita multis animalibus nomen est a montibus.*

MUli inter *Hebraeos* coeperunt esse in multo usu circa tempora *Davidis*, qui muli meminit *Ps.* 32, 9. & *Solomonem* jubet, ut in Regem inauguretur, mulae regiae insidentem ad *Gihonem* deduci, 1. *Reg.* 1, 33. Sed & reliqui *Davidis* filii mulis vehuntur, 2. *Sam.* 13. v. 29. Et mulo insidebat *Absalom*, cum haesit inter ramos arborum, &, jumento praetergresso, pependit inter coelum & terram, 2. *Sam* 18. *vers.* 9. Et inter caetera donaria muli quotannis *Solomoni* offerebantur, 1. *Reg.* 10. *vers.* 25. & 2. *Par.* 9. *vers.* 24. Mulis denique plebeii cibos *Davidi* afferunt 1. *Par.* 12. v. 40. Nempe, praeter mulos, qui equitabantur, quales muli *Davidis*, & filiorum, alii fuere ἀχθοφόροι, seu sagmarii, ut 1. *Par.* 12. v. 40. Alii item ζυγοί, seu curules. Unde *Septuaginta* Es. 66, 20. Ἐν λαμπήναις ἡμιόνων, *in rhedis mulorum*, pro *Hebraeis* בצבים ובפרדים *in rhedis, & in mulis*; tanquam hic agnoscentes figuram ἓν διὰ δυοῖν· ut in his *Pindari*, *Pythia* quarta,

— — — — Ἀνὰ δ' ἡμιόνοις,
Ξεστᾷ τ' ἀπήνᾳ, προτροπάδαν Πελίας
Ἵκετο σπεύδων· — — — — —

Mulis autem, & polita rheda, alacriter Pelias *venit properans. Mulis, & rheda, id est, rheda mulari.* Recte porro *Seniores*, Ἐν λαμπήνῃ ἡμιόνων. λαμπήνη enim, & λαπήνη, idem sunt. Utrumque est in *Suida*.

Et

Et 1. *Sam.* 26, 5. 7. *Græcæ* versionis una editio *Saülem* dormientem describit ἐν λαμπήνῃ, altera ἐν λαπήνῃ. Porrò, ut λείβειν factum ex εἴβειν, λάχνη ex ἄχνη, λαιψηρὸς ex αἰψηρὸς, ita λαμπήνη ex ἀπήνη. Et ἀπήνη propriè est *mulare vehiculum.* Homerus, *Iliad.* ω. versu 324.

Πρόσθε μὲν ἡμίονοι ἕλκον τετράκυκλον ἀπήνην.

Ante quidem muli trahebant quatuor-rotarum currum. *Apollonius Argonaut.* lib. 3. versu 840.

Ἐσσυμένως οὐρῆας ὑποζεύξασθαι ἀπήνῃ,

Incitate mulos adjungere vehiculo.

Plutarchus in *Consolat. ad Apollon.* ubi de *Cleobi*, & *Bitone*, Τῶν ἑλκόντων τὴν ἀπήνην ἡμιόνων ὑστερησάντων. *Trahentibus currum mulis flaccescentibus.* *Pindarus*, in loco nuper citato,

- - - - ἡμιόνοις,

Ξεστᾶ τ' ἀπήνα - - - -

Mulis, & politâ rhedâ. Et ejus *Scholiastes*, *Olympiâ* quintâ, Ἀπήνη δὲ ἐστιν ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευγνύμενον. *Apene est currus mulis junctus.* *Polybius* in *Excerptis* lib. 31. Καὶ τοῖς ὀρεοκόμοις, καὶ τῇ ζεύγει, καὶ τῇ ἀπήνῃ αὐτῆς ὑπαρχούσης. *Mulionibus, & bigâ, & rhedâ mulari suâ existenti.* *Pausanias* in *Eliacis prioribus*, Ἡ δὲ ἀπήνη κατὰ τὴν συνωρίδα ἡμιόνους ἀντὶ ἵππων εἶχεν. *Mulas pro equis apene bigarum in morem habebat.* *Hesychius*, Ἀπήνη, ἅμαξα· ἢ ζεῦγος ἡμιόνων. *Apene, currus; aliis est biga mularis.* Itaque id ipsum fuit λαπήνη, vel λαμπήνη. Unde est, quod hæc vocabula *Theodoretus* Quæst. 60. in 1. *Reg.* inter se confert tanquam ἰσοδύναμα. Λαμπήνη, inquit, εἶδός ἐστιν ἁμαξῆς, ὥσπερ ἂν καὶ ἀπήνη. *Lampene, carrucæ genus est, ut & apene.* Et *Nausicaæ* mularis currus ab *Homero* ἀπήνη, & à *Sophocle* λαμπήνη dictus est, ut in *Polluce* habetur. Nos *rhedam* ideò reddimus, quia, ut ἀπήνη *Græcis*, ita *rheda Romanis* ferè est mularis currus. *Varro*, *De re rust.* lib. 3. cap. 17. *Rhedarias ut tibi haberes mulas.* Sulpicius *Dial.* 2. cap. 4. *Regressi ad rhedam suam, agi quo ire cœperant jumenta præcipiunt,* &c. *Consumit* Gallicas *mularum pœna mastigias.* Proinde *Apoc.* 18, 13. pro *Græcis* ἵππων, καὶ ῥεδῶν, *equorum, & rhedarum*, Arabs habet خيل وبغال *equorum, & mulorum.* Et *Suidæ* λαμπήνη est ἴδιον ἀξιοφανὲς, ὅ ἐστιν ἅμα σκεπαστὸν, *rheda insignis, id est, currus tectus.* Ἴδιον enim ibi corruptè pro ῥαίδιον. Unde hæc *Hesychii* restituenda, Λαμπήνη, &c. ῥαβδίον περὶ κεφαλὴν ἐστιν ἅμα σκιαστὸν, pro quibus omnino legendum ῥαίδιον περιφανὲς, ὅ ἐστιν, &c.

Mulares porrò illæ rhedæ, vel bigæ erant, vel trigæ, vel quadrigæ. Ad bigas pertinent hæc *Naamanis Syri* 2. Reg. 5, 17. *Detur, quæso, servo tuo* משא צמד פרדים אדמה *onus paris mulorum terra*, id est, onus bigæ mularis. Ad trigas, quod habetur de *Pharaonis Israelitas* insequentis curribus, in *Jonathane* Exod. 14, 7. ומוליתא תליתיתא למנגד ולמרדוף בבהילו אוסיף על כל רתיכא ורתיכא *Et mulam tertiam ad trahendum, & insequendum cum celeritate addidit singulis curribus.* quadrigæ ab *Hebræis*, voce hybrida, & *Græco-Latina*, טטראמולין *tetramulin* appellantur. Ut in *Exodo* magna sect. 3. ubi Deus inducitur *Mosi* dicens בשעה שהיה לסיני ליתן להם את התורה אני יורד בטטראמולין שלי שהן מתבוננין בי ושומטין אחד מהן ומכעיסין אותי בי *Cùm veniam ad montem* Sinai, *ut dem ipsis Legem, descendam in tetramulis meis, ut ad me attendant. At illi unum ex illis abripient, & in eo me irritabunt.* Quæ ferè eadem repetuntur sect. 42, & 43. explicatione petita ex *Ezech.* 1. ubi, tanquam Dei quadriga, describuntur quatuor animalia facie hominis, leonis, bovis, & aquilæ. Quorum uno, nempe bove, *Israelitæ* per Idololatriam fœde abusi sunt, quo ipso tempore Deus in monte *Sinai* legem *Mosi* dictabat. Unde est, quod, ex Magistrorum mente, Deus sibi abreptum conqueritur unum è jumentis quadrigæ suæ: quam vocat טטראמולין *tetramulin*; quia, cum illi hæc commenti sunt, quadrigæ in vecturis publicis frequentius mulares erant. Proinde טטראמולין *tetramulin* dicuntur primo quadrigæ mulares, deinde etiam quævis aliæ per κατάχρησιν, ut hoc loco Dei quadriga, quam tamen vehunt animalia à mulis diversissima.

Ut ab equorum, & equitum, ita etiam à mulorum præstantia commendatur *Thogarmæ* regio his verbis Ezech. 27. v. 14. *De domo* Thogarmæ *equos, & equites, & mulos adduxerunt*, O Tyre, *ad nundinas tuas.* Quod perperam ad *Scythiam* referri alibi (*a*) docuimus; quia in *Scythia*, & vicinis locis neque asini, neque muli sunt. Scio à doctis objici, quod veterum multi tradunt, in intima *Scythia*, *Hyperboreos Apollini* asinos immolâsse. *Pindarus*, *Pythia* decima,

Ἐς ἀγῶνα θαυμαστὰν ὁδόν.

Παρ' οἷς ποτε Περσεὺς

Ἐδαίσατο λαγέτας, δώματ' ἐσελθὼν,

Κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας

Ἐπιτόσσαις Θεῷ,

Ῥέζοντας. - - - -

Invenias ad Hyperboreorum *certamen* (id est, *conventum*) *admirandam viam. Apud quos olim* Perseus *dux epulatus est, ædes ingressus, cum invenisset inclytas asinorum hecatombas Deo sacrificantes.* Callimachus,

Φοῖβος Ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐντίμεται ἱροῖς,

Phœbus Hyperboreis *asino placatur in oris.*

Clemens in *Protreptico*, Σκύθαι δὲ τοὺς ὄνους ἱερεύοντες μὴ παυέσθων, ὥς Ἀπολλόδωρός φησι, καὶ Καλλίμαχος. Scythæ *ne cessent mactare asinos, ut dicunt* Apollodorus *&* Callimachus. *Arnobius* lib. 4. *Quis ei canes ut* Caribus, *quis ab* Scythis *asinos immolari? Non principaliter cum cæteris* Apollodorus? *Antonius* quoque *Liberalis* Fab. 20. *Hyperboreos* multis describit *Apollini* immolantes τὰς θυσίας τῶν ὄνων, *victimas asinorum.* Sed conficta hæc esse sciunt, quotquot penetrârunt לירכתי צפון in *Aquilonis* intima, quæ asinis, & mulis sunt prorsus inaccessa. Hinc *Herodotus* in *Melpomene*, Οὐδὲ ἐστι ἐν τῇ Σκυθικῇ πάσῃ χώρῃ τὸ παράπαν, οὔτε ὄνος, οὔτε ἡμίονος, διὰ τὰ ψύχεα. *In terra* Scythica *neque asinus, neque mulus est propter frigora.* *Aristoteles* lib. 2. cap. 8. *De generat. animal.* Ἔτι δὲ ψυχρὸν τὸ ζῶον ὁ ὄνος· διόπερ ἐν τοῖς χειμερινοῖς οὐ θέλει γίνεσθαι τόποις, διὰ τὸ δύσριγον εἶναι τὴν φύσιν, οἷον περὶ Σκύθας, καὶ τὴν ὅμορον χώραν. *Frigidum animal est asinus: proinde in locis frigidis gigni non potest, ut pote sua natura frigoris impatiens, velut apud* Scythas, *& vicinas regiones.* *Strabo*, de *Getis*, lib. 7. Οὔτε γὰρ ὄνους τρέφουσι· δύσριγον γὰρ τὸ ζῶον. *Nam neque asinos alunt, est enim animal frigoris impatiens.* Antigonus *Mirab.* cap. 13. Οὐδὲ κατὰ τὴν Σκυθῶν χώραν, ἐμείνος δὲ οὐδὲ κατὰ τὴν Ἠλείαν ἡμίονος οὐ γεννᾶται. *Mulus ut in* Scythicis *regionibus, ita neque in* Elide *nascitur.* *Plinius*, de asinis, lib. 8. cap. 43. *Ipsum animal frigoris maximè impatiens: ideo non generatur in* Ponto. Itaque *Thogarma*, vel, ut veteres scripsêre, *Torgama*, *Scythia* non est, sed *Trogmorum* in *Galatia* regio in *Paphlagonia*, *Phrygia*, & *Cappadocia* confiniis, ut probavimus in nostro *Phaleg*. Ibi nimirum ut equi, ita etiam asini, & muli fuere præstantissimi. De equis actum est (*b*) supra. Ad asinorum commendationem pertinet, quod *Apuleius* (*c*) sub asini figura latens fabulatur à præcone se pro *Cappadocio* venditatum: *Cappadocum*, inquit, *me satu, & forticulum denuntiat.* Quomodo in *Luciano* *Lucius* emptorem suum inducit domesticos sic compellantem, Δοῦλον ὑμῖν ἐώνημαι καλὸν, καὶ ἁδρὸν, καὶ Καππαδόκην τὸ γένος, *Servum comparavi vobis pulchrum, & vegetum, & genere Cappadocem.* Mulorum deniq; è *Cappadocia*, & vicinis regionibus, passim meminêre Scriptores. Sic *Strabo* *Cappadociam Persis*, tributi nomine, quotannis conferre scribit ἵππους χιλίους καὶ πεντακοσίους, ἡμιόνους

a) *Phaleg.* lib. 3. cap. 11. Vide & pag. 159. supra.

b) Cap. 9. pag. 159. &c.

c) *Asin.* lib. 8.

ἡμιόνους δὲ δισχιλίας, *equos mille quingentos, & mulos bis mille.* Et apud *Plinium* lib. 8. cap. 44. Theophrastus *vulgò parere mulas in* Cappadocia *tradit, sed esse id animal sui generis.* Et *Plutarchus*, Περὶ φιλοπλουτίας, *Galaticas* mulas ita commendat, *Alium are alieno obstringit magnifica domus, alium vicinum olivetum, alium agri tritico, aut vitibus, feraces*, ἄλλον ἡμίονοι Γαλατικαὶ, *alium mula* Galaticæ. *Homerus* denique multò antè, *Iliad.* β'. versu 852.

Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων,

Ex Heneta *urbe, genus mulis agrestibus unde est.*

Mulum Hebraicè פרד *pered*, *Hebræi* dici volunt; שלא הוליד והוא נפרד בעבור *quia non generat, & separatus est*, id est, cœlebs. Quomodo *Græci* οὐρῆα, παρὰ τὸ οὐρὰν γονὴν ἔχειν ὅθεν ἐν ταῖς συνουσίαις οὐ συλλαμβάνουσιν, οὐδὲ τίκτουσιν *quia semen habet irritum; unde est, quod in coitu* (muli) *non concipiunt, neque generant.* Mihi פרד *pered*, est animal ex iis parentibus natum, qui à naturali consorte separantur, ut cum alienis copulentur. Id enim propriè est נפרד. Sic *Os.* 4, 14. עם הזונים יפרדו *Cum meretricibus separati sunt*, id est, ab uxorum consortio se subduxerunt, ut meretricibus se conjungerent. Quâ ratione asinus, ut mulum generet, נפרד עם הסוסה *separatur cum equa.* Et equa vicissim נתפרדה עם החמור *separatur cum asino*, id est, asinus asinam, & equa dimittit equum, ut coëant cum animali heterogeneo. Rectè igitur vocatur פרד *pered*, animal natum ex הפרוד, id est, ex disjunctione τῶν ὁμοειδῶν, qui, divortio facto ad tempus, adulterino concubitu cum alienis aliquo modo se polluunt. Unde est, quod *Æliani* lib. 12. cap. 16. *Democritus* asserit μὴ εἶναι φύσεως ποίημα τὸν ἡμίονον, ἀλλὰ ἐπινοίας ἀνθρωπίνης, καὶ τόλμης, ὡς ἂν εἴποις, μοιχίδιον ἐπιτέχνημα τοῦτο, καὶ κλέμμα, *naturæ opus non esse mulam, sed humanæ machinationis, audaciæque, ut ita dicatur, adulterinum quoddam inventum, & furtum.* Et *Hebræi* in *Anam*, quem primum asinos ad equas admisisse, ut muli procrearentur, colligere se putant ex *Gen.* 36, 24. multa debacchantur, ut capite sequenti dicam, quasi primus diversas species inter se commiserit, contra creationis ordinem. *Arabicè* quoque البغل id est, *mulus*, sæpe pro *spurio* sumitur: & بغل Verbum quasi ἡμιονοῦν, vel ἡμιονίζειν dicas, est *spurium pronuntiare.*

Græcum nomen quod attinet, eos haudquaquam probo, qui οὐρῆας dici volunt παρὰ τὸ ὄρος, quamvis in iis sit *Eustathius.* Quin οὐρεύς, ut idem agnoscit, *Jonicum* est pro ὀρεύς. Et ὀρεὺς ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *à montibus*, nomen habet, in quibus qui educantur duriores habent ungulas. *Varro, Rust.* lib. 2. cap. 8. *Si muli exacti sunt æstivo tempore in montes (quod fit in agro* Reatino) *durissimis ungulis fiunt.* Eosdem ad laborem esse aptiores his verbis docet *Palladius* lib. 4. cap. 14. *Annicula mula debet à matre depelli, & per montes asperos pasci, ut itineris laborem in tenera ætate solidata contemnat.* Alii mulum ajunt ἐν ὄρει μᾶλλον τῶν ἄλλων ζώων δύνασθαι ἰσχύειν, *animal esse ad opera montana maximè idoneum:* unde est, quod apud *Poetam*, *Iliad.* ρ'. vers. 742. 743. 744.

- - ἡμίονοι κρατερὸν μένος ἀμφιβαλόντες

Ἕλκωσ' ἐξ ὄρεος κατὰ παιπαλόεσσαν ἀταρπὸν

Ἢ δοκὸν, ἠὲ δόρυ μέγα νήϊον. - - -

- - - immani robore muli

Summo ex monte trahunt loca per prærupta viarum

Transtra carinarum, tabulasque. - -

Ut ut sit, mulis commune est cum multis animalibus, ut à montibus nomen habeant. Sic *aper Arabicè* dicitur الخنزير الجبلي *porcus montanus*, unde *Hispanis javali.* Et *vervecem* tam *Galli*, quam *Itali montonem* vocant. Et *marmotta* nomen in *Alpibus* ex *mure montano* putatur esse deflexum. *Aristoteli* ὀρειπέλαργος, quasi *ciconiam montanam* dicas, est inter aquilarum species. *Semiramis* ab *Hesychio* redditur περιστερὰ ὀρεία, *columba montana*; quod nos alibi explicamus.

CAPUT VIGESIMUM.

De Mulorum speciebus.

Mula fœcunda in Syria, Phrygia, Cappadocia, Africa. *Muli propriè dicti ex asino & equa. Hinni ab equo & asina. Hinni pumili in equis. Ginni pumili ex mulo & equa. De his* Hesychii *loca corrupta, & restituta. Quid* ginnus Martiali. Burdo *idem, quod* hinnus, *& in genere mulus. Arabicè* bardaun *equus clitellarius. Muli ex onagro & equa, vel ex onagro & asina, quales.* Jonathan *emendatus. Muli ex asino & equa præstantissimi. Cognoscuntur ex parvis auribus.* Persarum *angari tales equitant*, Esth. 8. v. 10. *Eosdem laudat* Simonides *in carmine* [illegible]. *Mulorum certamen* Olympiæ *antiquissimum, etsi* Pausanias *id neget. Muli publico cursui destinati. Muli* Persis *olim* אחשתרנים ahastheranim, *ut hodiè* استر astar. *Refelluntur qui hanc vocem aliunde arcessunt, aut aliter explicant.* Asgandæ *qui, & unde dicti.*

Mulorum duo sunt genera; fœcundum unum, alterum sterile. Fœcundum in *Syria* fuisse auctor est *Aristoteles Hist.* lib. 6. cap. 24. Αἱ δὲ, inquit, ἐν τῇ Συρίᾳ τῇ ὑπὲρ Φοινίκης ἡμίονοι καὶ ὀχεύονται, καὶ τίκτουσιν· ἀλλ' ἐστὶ τὸ γένος ὅμοιον μὲν, ἕτερον δέ· *Mulæ, quæ sunt supra* Phœnicem, *& ineuntur, & pariunt. sed genus, utut simile, tamen aliud est.* Et cap. 36. Εἰσὶ δὲ ἐν Συρίᾳ οἱ καλούμενοι ἡμίονοι, ἕτερον γένος τῆς ἐκ συνδυασμοῦ γινομένων ἵππου καὶ ὄνου, ὅμοιοι δὲ τὴν ὄψιν· *Sunt in Syria muli dicti, ab iis diversi generis, qui ex asini & equæ coitu nascuntur, forma tamen similes* Et paulò post, Γίνονται αἱ ἡμίονοι γεννῶσιν ἐξ ἀλλήλων. σημεῖον δέ· ἦλθον γάρ τινες εἰς Φρυγίαν ἐπὶ Φαρνάκου τοῦ Φαρναβάζου πατρὸς, καὶ διαμένουσιν ἔτι· εἰσὶ δὲ μὲν τρεῖς, τὸ παλαιὸν δ' ἐννέα ἦσαν, ὥς φασιν· *Hæ mulæ ex suo genere procreant. Argumento est, quod quædam in* Phrygiam *venerunt tempore* Pharnacis *patris* Pharnabazi, *quæ adhuc vivunt. Saltem tres manent, cum novem olim fuerint, ut asserunt.* Sed & in *Cappadocia* fuit id mulorum genus. Idem in *Mirabilibus*, ἐν Καππαδοκίᾳ φασὶν ἡμιόνους εἶναι γονίμους, *Ajunt in* Cappadocia *mulos esse fœcundos. Plinius* lib. 8. cap. 44. *Theophrastus* (mulas) *vulgò parere in* Cappadocia *tradit, sed esse id animal ibi sui generis.* Creduntur etiam fuisse in *Africa.* Et *Varro* tradit (lib. 2. cap. 1. *Rust.*) Magonem, & Dionysium *scribere mulam & equum, cum conceperint, duodecimo mense parere. Quare non, si hic in* Italia, *cum peperit, mula sit portentum, adsentiri omnes terras.* Unde *Columella* lib. 7. cap. 36. *Quidam verò non dissimulandi auctores, ut* M. Varro, *& ante eum* Dionysius, *ac* Mago *prodiderunt, mularum fœtus regionibus* Africæ *adeo non prodigiosos haberi, ut tam familiares sint incolis partus earum, ac nobis partus equarum.*

Fœcundis mulis steriles opponuntur, qui sunt hybridæ, & ambigenæ, id est, ex imparibus editi parentibus, & diversæ speciei Hi rursus multorum generum. Alii enim procreantur ex asino & equa, qui præstantissimi sunt, & propriè *muli* dicuntur. Alii ex equo & asina, *hinni* nomine. *Varro* lib. 2. cap. 8. *Ex equa & asino fit mulus: contrà ex equo & asina hinnus. Plinius* lib. 8. cap. 44. *Equo & asina genitos mares* (malim, *asina genitos matre*) *hinnulos antiqui vocabant; contraque, mulos, quos asini & equæ generarent. Columella* lib. 7. cap. 36. *Qui ex equo & asina concepti generantur,*

nerantur, quamvis à patre nomen traxerint, quod hinni vocantur, matri per omnia magis similes sunt. Hinnos vult ab equo dici; quia *Græcè* ἴννος est *equuleus. Phavorinus*, ἴννοι οἱ κολοβοὶ τῶν ἵππων· γίννοι δὲ οἱ κολοβοὶ τῶν ἀνθρώπων νανοφυεῖς· *Hinni, qui in equis pumili sunt; quomodo nani dicuntur, qui pumili nascuntur in hominibus.* Quæ sumpta sunt ex *Scholiaste Aristophanis* in *Pace*, ubi tamen ὕννοι, non ἴννοι. Quomodo in *Hesychio* ὕννος, *hynnus*, est πῶλος ὁ ἐν τῇ γαστρὶ νοσήσας πρὶν ἀποθανεῖν, *pullus equinus, qui in utero æger fuit, antequam ederetur. Sed* ὕννος, ἴννος, & γίννος *Græcis* ferè idem sunt. De *ginno* sic *Hesychius* nullo sensu, Γίννος, ὁ πατὴρ ἵππος, ἡ δὲ μήτηρ ὄνομα νοθόν· Sed legendum, Γίννος, οὗ πατὴρ ἵππος, ἡ δὲ μήτηρ ὄνος, ἀνομάσθη· *Ginnus vocatur, cujus pater est equus, & mater asina.* Nihilo saniora sunt, quæ de *hinno* idem habet, Ἴννος, ὁ πῶλος, ὁ ἐξ ἵππου πατρὸς, καὶ μητρὸς ἡμιόνου· ἄλλοι δὲ ὄνου. Ἀριστοτέλης δὲ φησιν ἴννον ἡμίονον ἄρρενα, τουτέστιν ὀρέα ὅτι θηλείας ἀναβαίνοντα, ἴννον δὲ ἐξ ἵππου νοσήσαντος, ἄλλοι δὲ ἡμιόνων, ἢ ἱππαρίων ἀναξύς. Ἀριστοφάνης δὲ τοὺς ἴννους γίνεσθαι ἐξ ἵππου, προγόνου δὲ μητρός. In his enim primo id suspectum est, quòd hinnum nasci dicit ex equo patre, & matre mula, aut asina. Hinnum enim ex mula nasci, quæ perpetua sterilitate damnata est, ne per somnium quidem cuiquam venit in mentem. Sed ex mulo patre, & equa matre, hinnum procreari nonnulli scribunt, quomodo ex equo & asina. *Plinius* lib. 8. cap. 44. *In plurium Græcorum est monumentis, cum equa muli coitu natum, quem vocaverunt hinnum, id est, parvum mulum. Eustathius* in *Iliad.* λ'. & ex illo *Phavorinus*, Ἴννος, ὁ ἐξ ἡμιόνου καὶ θηλείας ἵππου. Nempe (auctore *Philosopho* in fine lib. 2. *Generat. anim.*) ut ut mula semper sit sterilis, ὁ δ' ἄρρην ποτὲ γεννήσειν ἂν δέοι τὸ θερμότερον εἶναι τῆς θήλεος φύσει τὸ ἄρρεν. *mas* (id est, *mulus*) *quandoque generat, quia mares natura sunt fœminis calidiores.* Atque, ut ibidem additur, Τὸ δ' ἀποτελεσθὲν γίνεται γίννος, τοῦτο δ' ἐστιν ἡμίονος ἀνάπηρος· καὶ γὰρ ἐκ τῆς ἵππου, καὶ τῆς ὄνου γίνονται γίννοι, ὅταν νοσήσῃ τὸ κύημα ἐν τῇ ὑστέρᾳ· *Quod producitur ginnus est, id est, mulus pumilus: nam etiam ex equo & asino ginni proveniunt, cum fœtus in utero ægrotavit.* Neque dubium, quin *Hesychius* hunc locum respexerit. Itaque pro his verbis, Ἀριστοτέλης δὲ φησιν ἴννον ἡμίονον ἄρρενα, legendum, Ἀριστοτέλης δέ φησι γίννον γεννῆσαι ἡμίονον ἄρρενα, *Mulum marem* Aristoteles *ginnum generare dicit.* Ex φησὶ γίννον factum φησιν ἴννον. Et post γίννον sequens γεννῆσαι omissum est, quia voces sunt similes. Sed & hæc mendosa sunt. ἴννον δὲ ἐξ ἵππου νοσήσαντος legendum enim νοσήσαντος, vel νοσήσαντα, *hinnum autem ex equo generari, cum ægrotavit*, nempe in utero. Legit enim *Hesychius* in *Aristotele*, ἐκ τῆς ἵππου γίνονται ἴννοι, ubi nos γίνονται γίννοι. Denique *Aristophanes Grammaticus*, quem *Hesychius* ibidem citat, non dixit hinnos nasci ἐξ ἵππου, προγόνου δὲ μητρός· sed ἐξ ἵππου πατρὸς, ὄνου δὲ μητρός. Πατρὸς, ut fit, contractum in προς, & ex προς ὄνου factum προγόνου. Ex iis, quæ citata sunt, patet *hinnum*, *Græcè* ἴννον, ὕννον, & γίννον, propriè esse *minorem equum*, aut *mulum*. Unde est, quod hinni vocantur muli, quibus pater est equus, aut mulus; quia veris mulis minores sunt, quibus asinus pater est, & equa mater. *Varro* ubi supra, *Hinnus, qui appellatur, est ex equo, aut asina, minor quàm mulus corpore. Ginnum* etiam pro *mulo pumilo Martialem* puto dixisse. Locus hodie sic habet lib. 6. *Epigram.* 77.

Non aliter monstratur Atlas *cum compare mulo:*

prout illud emendavit *Politianus* ex nonnullis exemplaribus MSS. Sed antea legebatur

- - - - - - - - *cum compare gibbo.*

Utrumque mendose, nisi fallor. Nam *Poeta* scripserat *ginno*, & *Glossator* aliquis *mulo* in margine. Quam Glossam alii substituerunt ignotæ voci. Alii, pro *ginno*, *gibbo* scripserunt. *Atlas* nani nomen est, de quo *Juvenalis* Sat. 8.

- - - *Nanum cujusdam* Atlantâ *vocamus.*

Itaque in *Martiali*

- - - - - - Atlas *cum compare ginno*,

nanus est, seu pumilio mulo insidens æquè pumilo. Pro *hinno*, vel *ginno*, *burdonem* dixit sequior ætas. *Epigramma* vetus de ambigenis,

Hæ sunt ambigenæ, quæ nuper dispare constant.
Burdonem sonipes generat commixtus asellæ:
Mulus at Arcadicis *& equina matre creatus.*

Isidorus lib. 12. cap. 1. *In animalibus Bigenera dicuntur, quæ ex diversis nascuntur, ut mulus ex equa & asino, burdo ex equo & asina.* Tamen hæc sumuntur promiscuè, & *burdo* usurpatur pro quovis mulo. Hinc *Hieronymus* 4. Reg. 5. v. 17. *onus duorum burdonum*, id est, *mulorum*. *Epigramma* vetus de basterna,

Hanc geminus portat duplici sub robore burdo.

Vita Athanasii pag. 113. *Quasi burdones altare sacrum calcibus evertissent. Victor.* lib. 1. *De persecut.* Vandal. *Ex transverso super burdonem vinctum, quasi quendam ligni truncum, toto itinere portabamus. Græcè* βόρδων dicitur, & βορδώνιον. *Jo. Moschus Limonarii* cap. 101. Ἀπῆλθε μετὰ τῶν βορδωνίων, *Abiit cum burdonibus.* Et paulò post, Ἐπάτησεν ὁ βόρδων τὸ παιδίον, *Calcavit burdo puerum.* Et cap. 125 Ἔβαλεν αὐτὸν ὁ οἰκονόμος εἰς τὰ βορδώνια, *Constituit illum dispensator super burdones.* Item, Ἰδὲ δὲ ἰδὼν τὰ βορδώνια, καὶ τοὺς βορδωνάρους τοῦ λέοντος, *Leone viso, burdones, & burdonarii*, id est, muliones. *Ecloga Basilic.* 44. Τῷ ληγάτῳ τῶν βορδώνων καὶ αἱ μοῦλαι ἀνήκοντα. *Legato burdonum etiam mulæ continentur. Arabicè* بردون *bardaun* patet multò latius. Nam ad *equum* etiam extenditur, sed propriè *clitellarium*, *degenerem*, *auribus flaccidum*. Unde cognominatur ابو الاخطل quasi dicas, *patrem flaccidum*. Occurrit in *Arabica Pentateuchi* Paraphrasi editionis *Erpenianæ*, Gen. 47. v. 17. Exod. 14. v. 23. Deut. 17. v. 16. &c. Et *Hispanis* id ipsum est *albardon*, & *burdegano*.

Sed & ad mulorum species ii pertinent, quos onager vel ex equa, vel ex asina generat. *Ælianus* lib. 16. cap. 9. Ἐν Ἰνδοῖς ἵππων τε ἀγρίων, καὶ ὄνων τοιούτων εἰσὶν ἀγέλαι. καὶ ἀναβαίνεσθαι τῶν ὄνων τὰς ἵππους, ὑπομένειν ἐκείνας λέγουσι, καὶ ἥδεσθαι τῇ μίξει, καὶ τίκτειν ἡμιόνους πυρσοὺς τὴν χρόαν, καὶ ἄγαν δρομικούς. *In Indis equorum, & asinorum sylvestrium greges sunt. Et equas ajunt asinos ineuntes facilè admittere, & coitu delectari, & rufos mulos parere ad cursum præstantissimos.* Plinius, *Generantur ex equa & onagris mansuefactis mulæ veloces in cursu, duritiâ eximiâ pedum, verùm strigoso corpore, indomito animo, sed generoso. Onagro & asinâ genitus omnes antecellit. Palladius* ubi de mulis, *Creantur etiam ex equo & asina, vel onagro & equa.* Item, *Utiles admissarii nascentur ex onagro & asina, qui post in sobole sequuturâ agilitatem fortitudinemque restituant.* Quod *Columella* pluribus ita explicat, *Mula autem non solùm ex equa & asino, sed ex asina & equo, itemque onagro & equa generatur, &c. Neque tamen ullum est in hoc pecore, aut animo, aut formâ præstantius, quam quod seminabit asinus. Quanquam possit huic aliquatenus comparari, quod progenerat onager, nisi & indomitum, & servire contumax sylvestri more strigosum patris præferret habitum. Itaque hujusmodi admissarius nepotibus magis, quam filiis utilior est. Nam ubi asino & onagro natus admittitur equæ, per gradus infractâ feritate quidquid ex eo provenit, paternam formam, & modestiam, fortitudinem, celeritatemque, avitam refert.* Ex his cum onagri & asinæ fœtum mulis accenseri constet, clara jam erunt verba *Jonathanis* in Paraphrasi *Genes.* 36. v. 24. quæ alioqui lectorem remorabantur. וענא הוא ענא דארבע ית עירדיא עם אתני ולזמן אשכח ית כודניתא די נפקו מנהון

Et Ana ille est Ana, qui onagros admisit asinabus, & tempore suo mulos invenit, qui ex illis exierunt. Pro ערדיא *onagris* perperam edunt עדריא *greges*, & pro כודניתא *mulis* כורניתא, vocem nihili. Locum imperiti scribæ sic corruperant; quia videbatur absurdum, quod asserit *Paraphrastes*, gigni mulos ex asinæ coitu cum onagro.

Ex mulorum tot speciebus ut vulgatior, ita nobilior nulla est, quam quæ ex asino & equa procreatur. Neque solet aliud intelligi *muli* nomine. Hinc *Homerus*, ubi de præmiis, quæ *Achilles* certantibus proponit in sui *Patrocli* funere, *Iliad.* ψ. versu 265, 266.

- - - - - - τῷ δευτέρῳ ἵππον ἔθηκεν
Ἑξέτε', ἀδμήτην, βρέφος ἡμίονον κυέουσαν·

Secundo equam posuit sexennem, indomitam, pro fœtu mulum utero gestantem. Et *Odyss.* δ. vers. 635. 636. ita loquitur *Noemon*, procorum unus,

- - - - - - - - - - μοὶ ἵπποι
Δώδεκα θήλειαι, ὑπὸ δ' ἡμίονοι ταλαεργοί·

Mihi sunt equæ duodecim fœminæ, & sub iis muli laboriosi. Et in *Apollinis* oraculo apud *Herodotum* ἡμίονος *mulus* vocatur *Cyrus*; quia ἐκ δυοῖν οὐκ ὁμοεθνέων ἐγεγόνεε, μητρὸς ἀμείνονος, πατρὸς δὲ ὑποδεεστέρου, *ex duabus diversarum gentium parentibus ortus, matre nobiliore, patre vero inferiore*, muli instar, cujus mater equa patre asino nobilior est. Proinde hujusmodi mulos pluris æstimant, quotquot de eorum natura scripserunt. Palladius, *Creantur ex equo & asina, vel onagro & equa: sed generosius nullum est hujusmodi animal, quàm quod asino* (ex equa) *creante nascitur.* Columella, *Neque tamen ullum est in hoc pecore, aut animo, aut formâ præstantius, quam quod* (in equa) *seminabit asinus.* Item, *Commodissimum est asinum destinare mularum generi seminando, cujus, ut dixi, species experimento est speciosior.* Talmud Hierosolymitanum in *Beracoth* c. 8. אין בעיתון מיזבן מולין תהון זבנין דאודניהן דקיקן שאמן סוסה ואבין חמור *Si vultis comparare mulas, emite illas, quibus aures sunt tenues; quia mater illis est equa, & pater asinus.* Idem his verbis asserit *R. Jonas* in *Bereschith Rabba* cap. 82. כל שאזניו קטנות אמו סוסה ואביו חמור גדולות אמו חמורה ואביו סוס (Mulus) *omnis, cujus aures parvæ sunt, matrem habet equam, & patrem asinum: at is, cujus aures magnæ sunt, patrem habet equum, & matrem asinam.* Unde concludit ibidem *R. Mana* eos esse præferendos, דאודניהן דקיקן *quorum aures sunt tenuiores.* Nempe in genere mulorum בני הסוסיות חזקים מבני האתונות *filii equarum robustiores sunt filiis asinarum.* Ita *Aben Ezra* in *Esther.* Quia mulis id à natura insitum est, ut matris ingenium potissimum referant. Hinc *Damir*, ubi de muli parentibus, اذا كان الذكر حمارا يكون شديد الشبه بالفرس واذا كان الذكر فرسا يكون شديد الشبه بالحمار *Cum mas est asinus, equo est maximè similis: & cùm mas est equus, asinum maximè refert.*

Inde constabit quorsum *Esther.* 8. *v.* 10. *Persarum* Regis angari equitâsse dicantur הרכש האחשתרנים בני הרמכים *equos, & mulos equarum filios.* Nam רכש esse *equos*, & רמכים *equas* jam suo loco (a) probatum est. Et אחשתרנים *mulos* explicamus cum *Aben Ezra, Kimchio, Pomario, Mardochæo*, & *Aquinate.* Muli ergo *equarum filii* vocantur θυγατέρες, ut in carmine *Simonidis* in laudem τοῦ νικήσαντος τοῖς ὀρεῦσιν, quod ab *Heraclide* citatur in *Rheginorum* politia, & ab *Aristotele Rhetor.* lib. 3. cap. 2.

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων,

Salvete velocium equarum filiæ. Ut sciatur haudquaquam agi de hinnis, seu burdonibus, qui minores sunt, & tardiores. Plinius, *Gignitur etiam mula ex equo & asina, sed effrenis, & tarditatis indomitæ.* At mulos ex equa natos idem asserit esse *veloces in cursu*, & *Ælianus* ἄγαν δρομικούς, *ad cursum præstantissimos.* Itaque in *Olympicis* non equis modò, sed & mulis certabatur. *Pollux*, Ἀγὼν δέ τις ἡμιόνων ἤγετο πάλαι ἐν Ὀλυμπίᾳ, καὶ τὸ μὲν τῶν νωτίων ἡμιόνων ἀγώνισμα ἐκαλεῖτο κάλπη, τὸ δὲ τῶν ζυγίων ἀπήνη· *Olim certamen quoddam mulorum* Olympiæ *celebrabatur: & dorsuariorum mulorum certamen calpe, jugalium verò rhedarium (seu curule) vocabatur.* Nempe ἀπήνη *rheda* erat, seu *mulare vehiculum*, ut supra (b) documus. Et hoc certamen *Pausanias*, in *Eliacis primis*, fuisse negat τῷ ἀνευρήματι ἀρχαῖον, *inventione priscum.* Tamen ejus meminêre vetustissimi Scriptores, (c) *Simonides*, (d) *Pindarus*, (e) *Aristoteles*, (f) *Heraclides.* Et *Anaxilas Rheginus, Psaumis Camarinæus, Agesias Syracusanus*, atque alii mulis vicêre. Quin & inter animalia publico cursui deputata *Romani* mulos habuerunt. Atque Episcopis ad Concilium *Nicænum* delegatis permisit *Constantinus* δημοσίοις ὀρεῦσι, καὶ ἵπποις χρῆσθαι, *publicis mulis, & equis uti*; ut auctor est *Theodoritus Histor.* lib. 1. cap. 16. Pari exemplo *Persarum* hic angari equos equitant, & *mulos filios equarum*, id est, nobilissimos illos ex asino, vel onagro, & equa natos.

Muli אחשתרנים *ahasteranim*, dicuntur voce *Persicâ*, quam ridiculè admodum *Kimchius* vult tam esse hybridam, quam ipsum animal, adeoq; componi ex *Persico* اخش *magnus*, & *Chaldæo* תרין *duo*, ut significet *jumentum magnum bigener.* Itaque hæc vox ad verbum sonaret *magnum duo*: quâ Etymologiâ nihil quidquam est insulsius. Mihi videtur אחשתרן, *ahasteran*, alludere ad استر *asthar*, quod apud *Persas* pro *mulo* hodieque est in usu. Sic in Historia *Christi Persica* de *Maria* dicitur pag. 60. استر سوار ميرفت *Mulo insidens ibat.* Et Plurale استرها *mulos* sonat in translatione *Persica* Pentateuchi *Gen.* 36. *vers.* 24. Itaque אחשתרן vel idem sonat, vel est compositum ex اخش & استر ita ut sumatur pro *magno mulo*, quales ab equabus eduntur. Frustra sunt, qui אחשתרנים reddunt *camelos magnos*, tanquam conflatâ voce ex *Persicis* اخش *magnus*, & شتر *camelus.* Nam, ut sequentia taceam בני הרמכים *filios equarum* palam ad mulos pertinere, non ad camelos, cameli magni non commendantur inter cursoria jumenta, quia camelus, quò major est, eò ad cursum est ineptior; & staturæ quantum accedit, tantum decedit velocitati. Proinde in camelorum genere dromades, quæ cursu longè præcellunt, staturæ sunt brevissimæ. Isidorus, *Dromeda (imò dromas) genus est camelorum minoris quidem staturæ, sed velocius.* Et, multò ante, *Diodorus* lib. 3. pag. 96. αἱ δὲ ἀνάπηλοι, καὶ λαγαραὶ ταῖς συστάσεσι δρομάδες εἰσί, καὶ διατείνουσι πλεῖστον ὁδοῦ μῆκος· *Breves autem, & constitutione graciles sunt dromades, & longiorem viam emetiuntur.* Quidam vir eximius, cujus nomini parco, putavit אחשתרן dici per πρόσθεσιν τοῦ *Aleph*, quasi חש־רוש, id est, *celerem* cursorum *regium*, atque indidem extrito R fieri *Persicum astande* nomen apud *Suidam* pro *tabellario Regis.* In qua sententia mihi hoc

a) Supra cap. 6. p. 99. 100. 101.

b) Cap. 19. pag. 229.

c) Ubi supra.

d) Olymp. 5. & 6.

e. f) Ubi supra.

hoc maximè displicet, quod *Persicum* האחשתרנים statuit esse sessores, seu cursores, non jumenta, totâ sacri contextûs serie reclamante. Neque vero tutum est *Persicam* vocem ad *Hebraicas*, vel *Chaldaicas* Etymologias revocare; præcipuè, cum טורן *turan* pro *Rege* vel *Tyranno*, sit *Græcæ* originis, nec nisi à recentioribus *Chaldæis* usurpetur. Et absurdum id quoque est, quod *astandis* nomen deducitur ab אחשתרן *ahasteran*, cum hæc duo vocabula plurimùm inter se distent. Taceo *astandem* perperam scribi pro *ascande*, vel *asgande*. Ita enim est in *Hesychio*, Ἀσκάνδης, ἄγγελος. Et in *Alexandro Plutarchi*, Δαρεῖος ἐξ ἀστάνδου βασιλέως γενόμενος. Et *Chaldæi* nuntium *Persicâ* voce appellant אזגד *azgad*; in Plurali אזגדין *azgaddin*. Passim occurrit hoc vocabulum in *Chaldæis Paraphrastis* pro *Hebræis* (g) ציר *legato*, & (h) מלאך *nuntio*. In *Syra* etiam *Psal*.68.v.32. pro *Hebræo* חשמנים, quod *Græci* πρέσβεις, Vulgata *legatos*, & *Arabs* reddit الرسل. Jam nemo non videt ex *azgaddin* fieri ἀσγάνδην, vel ἀσγάνδην, puncto *Daghes* in *Daleth* resoluto in literam N, ut in μανδύα ex מדו, *maddo*. Pro הרכש האחשתרנים בני הרמכים prius *Thargum* habet ריכשא ערטליני רמכין. Sed ex secundo rescribendum ריכשא ערטלי בני רמכין *equos nudos, filios equarum*. Volunt fuisse nudos, ut expeditius currerent. Et nudi equi phaleratis opponuntur, & cataphractis; quorum illi ad pompam, hi ad bellum pertinent. Sic האחשתרנים *nudos* significaret, & esset Epithetum præcedentis הרכש. Sed obstat numerus diversus, & litera *He* præfixa, qua docetur האחשתרנים Nomen esse Substantivum, non Adjectivum. Quod in priore *Thargum* additur, ablatos fuisse splenes eorum, & plantæ pedis particulas excisas, explicavimus (i) in Tractatu *De Equis*.

g) Prov 13,17. & 25,13.
h) Gen.32.3. Num. 21,21. 1.Sam.23,26. Iob.1,14. Psal. 78,49.
i) Cap.11.sup. pag.178,179. 180.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De prima Mulorum origine.

Muli ex Henetis *primùm orti juxta* Homerum, *&* Græcos. *Sed, juxta* Arabes, Karon *creditur primus mulorum partum procurâsse. In* Alcorano *describitur vir ditissimus è* Mosis *populo, sed illi adversus, & à terra absorptus. Itaq;* Caron *est* Core. Hebræi *mulorum inventum* Anæ *tribuunt,* Esavi *socero, tanquam ex* Genes.36.v.24. *ubi* ימים, jemim, *volunt esse* mulos. *Cur* Anam *illum statuant ex incesto esse natum, & mulos à terrore nomen habere. Recentiorum interpretum in ea versione consensus, quæ tamen merito suspecta.* 1. *Quia* mulos *nemo unquam* jemim *appellavit.* 2. *Quia* מצא Hebræum *est* reperire quod jam est, *non* invenire, *&* excogitare id, quod nondum est. 3. Ana *solum asinos pascebat, non item equos.* 4. *Mulorum in* Palæstina *nulla mentio usq; ad tempora* Davidis. *Mulos* Græci *Interpretes* Abrahamo, Josepho, *&* Sauli; *&* Hebræi Isaaco *tribuunt: sed perperam.* Arabica *fabula de mulis* Abrahami *ætate ipsorum suffragio refellitur. Mulos in* Homero *ex* Henetis *oriundos à nostris esse diversos.* Caron, *seu* Core, *mulos invenisse, aut habuisse cur putetur. Mulorum origo fortuita. Muli prius in* Græcia, *quàm in* Judæa. *Vox* jemim *quam variè reddatur. Refelluntur, qui* matia, *aut* equas, *aut* aquas calidas *reddunt.* Onkelos gigantes, *&* Samaritanus Emæos *explicant: rectè omnino.* ימים, *vel pro* אימים, Aleph *initiali omisso, vel pro* אמים, Aleph *&* Jod *permutatis. Utriusq; multa exempla. In* Samaritano *codice planè scribi,* Invenit [illegible] Emæos: *id est, in illos incidit, illos ex improviso adortus est.* Emæi Horræis *vicini, quorum Princeps* Sibon, Anæ *pater.*

AD hæc (a) *Poëta*, quæ jam supra (b) citata sunt,

Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων,
Ex Heneta *urbe, genus mulis agrestibus unde est.*

a) Iliad. β. versu 852.
b) Pag. 231. lin. 10. supra.

Sic habet vetus *Scholiastes*; Ὅπου τὸ τῶν ἡμιόνων γένος ἐπενοήθη πρῶτον, καὶ ἐζεύχθη, *Ubi mulorum genus primò excogitatum, atque inventum est. Eustathius* etiam, Ἐνετοὶ δὲ ἔθνος περὶ Παφλαγονίαν, ὅπου ἡμιόνων γένος πρῶτον ἐπενοήθη. Ex iisdem denique verbis colligit *Constantinus Porphyrogennetes*, Themate septimo, Τὸ τῶν ἡμιόνων γένος ἐκεῖθεν πρῶτον ἐκφανῆναι, *Mulorum genus inde primò esse ortum*. Itaque *Græcorum* hæc fuit sententia, mulos ex *Henetis* primùm venisse, quos alii *Paphlagonibus*, alii *Cappadocibus*, alii *Galatis* adscribunt; quia fuére in omnium confiniis circa *Amisum*. Et vero mulos ibi natos, præter *Theophrastum*, *Strabonem*, & *Plutarchum*, etiam *Ezechiel* (c) commendat, ut jam à nobis est observatum.

c) Ezech. 27. v. 14.

At *Arabibus* si credimus, *Karon*, primus omnium, asinum equæ, aut equum asinæ admisit, ut muli procrearentur. Hinc *Damir* capite البغل sive *De mulis*, ويقال ان اول من انتجها قارون *Et* Karon *primus dicitur partum illorum procurâsse*. *Karon* vir fuit ditissimus, *Mosi* æqualis, cujus in *Alcorano* passim meminit *Pseudo-Propheta*. Sic *Suratâ* المومن, id est, *Fidelis*, ولقد ارسلنا موسي باياتنا وسلطان مبين الي فرعون وهامان وقارون فقالوا ساحر كذاب Mosem *utiq; misimus cum signis nostris, & potentia manifesta, ad* Pharaonem, Hamanem, *&* Karonem: *& dixerunt illum esse magum, & impostorem*. Et in *Surata* العنكبوت *aranea*, postquam de *Carone*, *Pharaone*, & similibus impiis actum est, ومنهم من خسفنا به الارض ومنهم من اغرقنا *Et ex his alios hiatu terræ absorptos delevimus, atque alios mari submersimus*. Et in *Suratâ* القصص *Historia* dicitur idem fuisse من قوم موسي *è populo Mosis*, & tot opes habuisse, ut thesaurorum ejus solæ claves pluribus essent oneri, & fortunæ ipsius nemo non invideret. Sed, inquit ibidem Deus *Mahumetis*, فخسفنا به وبداره الارض *Illum hiatu terra cum domo sua absorptum delevimus*. Ex quibus *Coren* intelligi patet, principem seditionis in *Mosem* excitatæ, quem cum suis terra vivum absorpsit.

Tertia sententia *Hebræorum* est, primam mulorum inventionem illi *Anæ* deberi, cujus filiam *Aholibamam* in uxorem duxit *Esavus*. Quod exsculpere se putant ex verbis *Mosis* Gen.36.v.24. *Iste est* Ana, *qui invenit* את הימים jemim *in deserto, cum pasceret asinos* Sibonis *patris sui*. Ibi enim voce *jemim* mulos significari plerique volunt. Cujus interpretationis en auctores vetustissimos. *Jonathan* in *Paraphrasi*, וארבע ית ערדיא עם אתני הלוון אשכח ית כודנייתא דנפקו מנהון *Et onagros admisit asinabus, & suo tempore mulos reperit, qui ex illis egressi sunt*. *Bereschith Rabba* sect.82. כלאים אימתי נבראו כימי ענה הדא הוא דכתיב הוא ענה אשר מצא את הימים במדבר רבי יהודה בר סימון אמר המינס *Bigenera animalia quando*

quando procreata sunt? In diebus Anæ, *juxta id, quod scriptum est,* " *Iste est* Ana, *qui invenit* jemim *in deserto. R.* Juda *nomine R.* Simonis *dixit,* jemim *esse mulos. Rabba* ibidem, מה עשה ענה הביא חמורה וזיוג לה סוס זכר יצאת ממנו פרדה אמר לו הקדוש ברוך הוא אני לא בראתי דבר של היזק ואתה בראת דבר של היזק חייך שאני בורא לך דבר של היזק מה עשה הביא חכינה וזיוג לה חרדון ויצאת מהם חברבר מעולם לא אמר אדם שנשכו כלב שוטה וחיה חברבר וזה פרדה לבנה וחיה: *Quid fecit* Ana? *adduxit asinam, & copulavit illi equum admissarium, & mula ex eo procreata est. Tum dixit illi Deus Sanctus Benedictus, Non creaveram rem ullam noxiam, tu verò rem noxiam procreâsti. Ita ego jam tibi rem noxiam procreabo. Quid fecit? Adduxit chamæleontem fœminam, cui copulavit crocodilum terrestrem, & ex iis natus est stellio.* (seu *salamandra.*) *Neq; unquam quisquam dixit se vel à cane rabioso, vel à stellione, vel à mula alba morsum fuisse, qui convaluerit. Hieronymus* in hunc locum, *Sunt, qui arbitrentur onagros ab hoc admissos ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur. Plerique putant, quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur.* Nec multo aliter *Isidorus* Orig. lib. 12. cap. 1. nisi quòd insigni errore *Ana*, qui socer fuit *Esau*, ibi legitur ejus fuisse abnepos. *R. Selomo* ad vocem *jemim*, פרדים הרביע חמור על סוס נקבה וילדה פרד והוא היה ממזר והביא פסולין לעולם ולמה נקרא שמם ימים שאימתן מוטלת על הבריות (*jemim* sunt) *muli.* Ana *scilicet asinum equæ admisit, & illa mulum peperit. Atq;, ut erat spurius, ita induxit in mundum profana animalia. Cur porro vocantur* jemim? *quia* אימתן *terror eorum in creaturas incidit. Anam* spurium fuisse dicit, quia in *Horæorum* Ducum genealogiâ *Gen.* 36. v. 20. 24. *Ana* duo recensentur, quorum unus frater fuit, alter filius *Sibonis*, & *Esavi* socer. At *Hebræi* hos duos *Anas*, ut in unum compingant, *Sibonem* fingunt cum matre concubuisse, atque ex eo concubitu natum *Anam Sibonis* fuisse fratrem, & filium. Quod est absurdissimum: sic enim *Ana Seirs* fuisset privignus, non filius; quod tamen disertè asserit *Moses*. Addit *Selomo* mulos profana esse animalia, quia *Levit.* 19. v. 19. lex jumentum vetat admitti animali diversæ speciei. Mulos denique subjicit nobis esse terrori, propter dictum *R. Chanina*, quod idem citat, מימי לא שאלני אדם על מכת פרדה לבנה וחיה *Nemo me consuluit unquam de plaga à mula alba inflicta, qui convaluerit.* Idem sequuntur *Aben Ezra, Kimchius, Mardochæus, Aben-melech, Pomarius, Aquinas, Hebræi* denique recentiores, quotquot videre mihi contigit. *Persa* item Interpres, & uterque *Arabs*. Et nostro, aut patrum sæculo, *Santes, Arias, Fagius, Munsterus, Mercerus, Drusius, Castalio, Junius, Tigurini, Fullerus, Amama, Deodatus, Genevenses*, & si qui alii Sacri Textûs *Latinas*, aut vernaculas versiones procurarunt. Neque aliud reperias in *Lexicis* ferè quotquot sunt. Ita ut hujus versionis assertores

Defendant numerus, junctæq; umbone phalanges.

Has tamen habeo rationes, cur illa mihi sit suspecta. Primò, *mulus* Hebræis est פרד *pered*, Chaldæis, & Syris כודנא *chudna*, Arabibus بغل *baglon*, Æthiopibus በቅል: *bakal*, Ægyptiis ΤΕΜΘΑΜ *temtham*, *Persis* olim اخستن *ahasteran* hodiè استر *astbar*, &c. prout variarum in Oriente gentium varius etiam est sermo. Sed qui mulos ימים *jemim* appellaverint, quomodo volunt hic appellari, non puto ullos reperiri. Præterea, qui mulos procreandi rationem excogitâsset, à *Mose* non diceretur invenisse mulos; quia מצא Verbum apud *Hebræos* non significat *excogitare id quod non est, sed reperire rem jam extantem. Latinè* quidem *invenire* quandoque est *excogitare*. Et *Græcum* ἐξευρίσκειν ita sumitur ab *Homeri Scholiaste*, cum dicit (d) de *Henetis*, ὅπου τὸ γένος ἡμιόνων γέγονε ἐπινοηθὲν πρῶτον, καὶ ἐξευρεθέν, *Ubi mulorum genus primò excogitatum, atq; inventum est.* Sed *Hebræum* Verbum מצא, licèt in Scriptura extet locis plus quadringentis, nusquam tamen ita usurpatur. Neque ad hanc conjecturam firmandam id sufficit, quod *Ana* tum pavisse legitur asinos *Sibonis* patris sui: cum ex solis asinis muli non procreentur, sed ex asino & equa, vel ex equo & asina, vel ex onagri cum equa aut asina coitu. Equorum porro, aut onagrorum non fit hoc loco ulla mentio. Addo, parum esse verisimile mulos progignendi rationem in *Idumæa* jam tum fuisse repertam; quia *Judæi* mulis usi fuisse non leguntur ante tempora *Davidis*, qui posterior fuit annis ferè septingentis. Agitur de *Jobi* armentis, & gregibus *Job.* 1. v. 3. & *Abrahami* Gen. 12. v. 16. & *Isaaci* Gen. 24. v. 35. & *Jacobi* Gen. 32. v. 5. & *Achanis* Jos. 7. v. 24. & *Sichemitarum* Gen. 34. v. 28 & *Ægyptiorum* Gen. 47. v. 17. Exod. 9. v. 3. &c. & *Madianitarum* Num. 31. v. 31. &c. & *Jerichuntinorum* Jos. 6. v. 21. & *Israelitarum* Jud. 6. v. 4. & *Amalekitarum* 1. Sam. 15. v. 3. Atque in iis censentur cameli, equi, asini; boves, oves, & capræ, sed muli nusquam. Unde valde probabili ratione colligere est, mulorum usum in iis locis non fuisse tam vetustum. Scribunt quidem *Græci* Interpretes *Gen.* 12. v. 16. *Abrahamum* habuisse ἡμιόνους, καὶ καμήλους, *mulos, & camelos*, & *Gen.* 45. v. 23. *Josephum* ex *Ægypto* misisse δέκα ἡμιόνους αἴροντας ἄρτους τῷ πατρὶ αὐτοῦ εἰς ὁδόν, *decem mulas patri suo panem ferentes in viaticum.* Ut taceam quod apud eosdem, 1. *Reg.* (Hebr. 1. *Sam.*) 22, 9. *Doeg* constitutus fuisse legitur ἐπὶ τὰς ἡμιόνους Σαοὺλ, *super mulas Saulis.* Sed in utroque loco *Geneseos* ὄνους legendum, non ἡμιόνους, cum *Hebræa* habeant אתונות id est, *asinas.* Et in *Samuele Doeg* non præficitur על פרדי, *super mulos*, quomodo illi legerunt, sed על עברי *super servos Saulis*, nempe super servos pastores. Unde est, quod 1. *Sam.* 21. v. 7. vocatur אביר הרועים אשר לשאול *Princeps pastorum Saulis.* Ubi rursus habent *Septuaginta*, quid sequuti non satis scio, νέμων τὰς ἡμιόνους Σαοὺλ, *Pascens mulas Saulis.* Proinde manet, quod diximus, in Scripturæ textu archetypo mulorum mentionem nusquam fieri, antequam regnaret *David*. Et more suo nugantur *Hebræi* in *Bereschith Rabba* sect. 64. cùm *Isaacum Geraris* eò opulentiæ crevisse asserunt, ut vulgò diceretur זבל פרדותיו יצחק ולא כספו וזהבו של אבימלך *Fimum mularum* Isaaci *præferendum esse argento, & auro* Regis *Abimelechi.* Neque verius est, quod in *Damire* narrat *Alhaphiah Abulkasem Ben Asachir* in *Historiis Damasci* post *Ali Ben Abutalib*, ان البغال كانت تتناسل وكانت اسرع الدواب في نقل الحطب لنار ابراهيم خليل الرحمن صلي الله عليه وسلم فدعا عليها فقطع الله نسلها *mulos olim generâsse. Sed, cùm fuissent jumentorum omnium promptissimi ad ferendum lignum in ignem, quo comburendus erat* Abraham, *amicus Dei misericordis, cui propitius sit Deus, & super quem pax*, Abrahamum *iis imprecatum esse, & Deum illos prohibuisse, ne generarent.* Neque hic sibi constant *Arabes*, cum ex illorum sententia primus mulorum inventor *Karon* annis ferè quingentis floruerit

(d) Ad Iliad. β. versu 852.

fuerit post illud tempus, quo *Abrahamum* fabulantur ad ignem esse damnatum.

Ex his liquet e jam puto, quæcunque proferuntur de mulorum origine esse valde incerta. *Græcorum* sententia nititur uno *Homeri* versiculo, quo deducit ex *Henetis* in ora *Cappadociæ*

- - - - ἡμιόνων, γένος ἀγροτεράων,

mulorum agrestium genus. Quibus verbis *muli agrestes* videntur opponi *domesticis*. Nec putaverim intelligi mulos illos vulgares, qui hominum opera procreantur, asino equæ admisso: sed naturales, de quibus supra. *Plinius*, *Theophrastus* (mulas) *vulgo parere in Cappadocia tradit, sed esse id animal ibi sui generis.* *Arabum* quoque sententia nihil habet sani. Quippe *Caron* ille, quem mulis procreandis primum operam dedisse volunt, est *Core*, ut docuimus. Neque is notus est *Arabibus* aliunde esse notus, quam ex Scriptura, quæ de eo nihil refert tale. Et verò in *Israelitarum* castris, tum cum ex *Ægypto* exierunt, equos, vel equas fuisse, non constat, unde muli procrearentur. Asinos quidem habuisse certum est, cùm, seditione motâ per *Coren*, neget *Moses* (a) se ullas illorum asinum invasisse. Sed de equis nihil habetur. Nec, si equi adfuerunt, verisimile est *Coren*, qui *Levita* erat, & *Mosis* consobrinus, & pietatis obtentu multos Procerum seduxerat, & aspirabat ad summum sacerdotium, asinos equabus, aut equos asinabus admisisse contra Dei Legem expressam *Levit.* 19, 19. Dicam tamen quid huic fabulæ occasionem dedisse videatur. *Num.* 16, 32. terra dicitur *os suum aperuisse*, & seditiosos *deglutivisse*, & *eorum domos*, & *servos*, *quotquot habuit* Core, ואת כל הרכוש & *omnem censum.* *Census* esset κτῆσις, pro quo *Græci* Interpretes hoc loco habent τὰ κτήνη *jumenta*, quasi pro הרכוש, unâ literulâ minus, legerint הרכש. Nempe הרכש est *jumenti genus*: & nos *equum* esse docuimus. Sed sunt, qui *mulum* interpretentur. *Kimchius* in 1. *Reg.* 4, 28. רכש מין בהמה ויש עמהם פרדים בני הסוסיות כמו רוכבי הרכש Reches *est jumenti species. Sunt, qui mulos esse dicant, equarum filios, ut Esther* 8, 10. 14. *Equitantes* reches, &c. *Pomarius*, רכש מין הסוס או לפי קמחי מין בקר או לפי אחרים הוא פרד שנולד מן הסוסיה Reches, *equi species, aut secundum* Kimchium *species bovis* (leg. מין אחר *species alia*) *aut secundum alios est mulus ex equa natus.* Quam interpretationem multi sequuntur. Itaque ex loco, quem citavimus, *Coren* habuisse הרכש, id est, *mulos*, adeoque illos procreandi rationem invenisse nonnulli collegerunt, quia mulorum ante illum nuspiam est ulla mentio. Et quomodo *Hebræorum* de primo mulorum ortu sententia nata est ex falsa interpretatione vocis ימים. Sic *Arabum* eadem de re placitis ansam dedit prava vocis הרכש lectio, & interpretatio. Ità ut, omnibus expensis, mihi maximè arrideat hæc *Æliani* conjectura lib. 12. cap. 16. Δοκεῖ δέ μοι τοῦτο, ἤδη τις, ὁ ὄνος ἵππον βιασάμενος κατὰ τύχην κυῆσαι, μαθητὰς δὲ ἀνθρώπους τῆς βίας ταύτης γενομένους· εἶτα μέντοι προελθεῖν ἐπὶ τὴν τῆς γονῆς αὐτῶν συνήθειαν. *Hoc mihi quidem videtur, cùm quis asinus fortè fortuna equæ vim intulisset, illam concepisse; homines autem hujus vis discipulos fuisse factos: deinde venisse in consuetudinem horum animalium generationem procurandi.* Quo autem ævo, aut in qua gente primùm cœperit id usurpari, nobis non constat. Tantùm videtur mulorum usus in *Græcis* fuisse antiquior, quam in *Hebræis*. Nam in fabulis *Græcorum* antiquissimis mulorum est multa mentio. Sic *Homeri Iliados* statim initio, pestis, ab *Apolline* immissa,

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς.

Græcorum *primum invasit mulosque, canesque.*

Et apud eundem (f) muli vehunt *Priami* currum, & (g) *Nausicaæ*, & (h) ad *Patrocli* pyram materiam convehunt. Ut de *Iphito* taceam, qui, cum *Tyrintha* venisset, equas abactas duodecim quærens, quibus lactentes suberant (i) muli totidem, ab *Hercule* est interemptus. Hæc porrò facta narrantur diu antè *Davidem*, quo regnante demum Historici Sacri mulorum meminisse cœperunt.

Jam pro corollario libet addere, atque inter se conferre varias versiones vocis ימים *jemim*, quam licet mulos exponant, ut diximus, pars interpretum multò maxima, non defuere tamen, qui multò aliter redderent: quod doceant hæc *Hieronymi*. *Alii putant* jamim *maria appellata. Iisdem enim literis scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ, juxta idioma linguæ* Ebrææ, *maria nuncupantur, quod scilicet stagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas juxta* Punicæ *linguæ viciniam, quæ* Ebrææ *contermina est, hoc vocabulo signari.* Inde Vulgatus Interpres, *Iste est* Ana, *qui invenit aquas calidas in solitudine.* Alii solùm *aquas* reddunt, ut *Syrus*, ܗܘܐ ܗܢܐ ܕܐܫܟܚ ܠܗ ܡܝܐ ܒܡܕܒܪܐ *Iste est* Ana, *qui invenit sibi aquas in deserto.* Quo [illegible] nota pertinet, Ὁ Σύρος, καὶ ὁ Ἑβραῖος τὸ ἰαμεὶν ὕδωρ ἑρμηνεύονται λέγειν αὐτό, Εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. Syrus, & Ebræus *jamin* (imò *jemim*) *aquam significare volunt, ac si dixerit* (Moses) " *Invenit fontem in* " *deserto.* E *Chaldæis* unus *Onkelos* גבריא, id est, *gigantes* exponit, & *Samaritanus* ࠀࠉࠌࠉࠄ *Emæos.* *Septuaginta* denique, & *Græci* posteriores, *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, ἰαμεὶν hic habent, vocem *Hebræam Græcis* Characteribus utcunque efferre contenti, ut quam aliter reddi posse desperaverint.

In his maximè omnium displicent, qui *maria* interpretantur. Cùm, quia licet iisdem literis, tamen diversissimis Vocalibus scribuntur יֵמִים *jemim*, & יַמִּים *jammim*, id est, *maria*: tum quia יַמִּים *jammim*, sive *maria*, *Hebræis* non dicuntur quævis aquarum congregationes, sed vel *maria* propriè dicta, vel *magni lacus*, quales *Tiberiadis*, & *Asphaltites*. Cujusmodi lacus in deserto reperisse non tanti est, ut ab illorum inventione quis potuerit insigniri, cum hi nemini non pateant. *Syrus* quoque fallitur, qui *aquas* reddit, cum aquæ *Hebræis* non sint ימים *jemim*, sed מים *majim*: quod nemo nescit. Et qui *aquas calidas*, tanquam ex *Punica* lingua primi explicârunt, Vocalibus nondum adscriptis, pro הימים *hajemim*, videntur חמים *chemim*, legisse, & sumpsisse pro חמים voce *Arabica* ejusdem soni, quæ *aquam calidam* sonat. *Hebræi* חמים *hammim*, dixerint; & *Syri* ܚܡܡܐ *hemmae*, vel *hammae*, unde *Emmaus*, vel *Ammaus* loci nomen thermis celebris. *Josephus*, *De bello Jud.* lib. 4. cap. 1. Μεθερμηνευόμενον δὲ Ἀμμαοῦς θερμὰ λέγοιτ᾽ ἄν· ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πηγὴ θερμῶν ὑδάτων πρὸς ἄσκησιν (lege ἄκεσιν) ἐπιτήδειος. Ammaus *autem, si quis interpretetur, idem erit, quod* thermæ: *ibi enim est fons calidarum aquarum ad morborum curam idoneus.* Sed de eo plura habentur in nostro *Chanaan* lib. 2. cap. 16.

Supersunt *Samaritanus* & *Onkelos*: quorum ille *Emæos*, iste *gigantes* explicat; quæ ferè eodem recidunt: quia *Emæi excelsi erant ut* Anacæi, *& gigantes reputabantur ut* Anacæi. Ità asserit *Moses*, *Deuter.* 2. 10, 11. Unde est, quod in *Bereschith Rabba*, cap. 26. *Hebræi Emæorum* nomen recensent inter gigantum nomina septem. Itaque tam *Onkeloso*, quam *Samaritano* [Samaritan] *jemim*, iidem sunt, qui *Emim*: quorum nomen *Hebræi* vel cum *Jod* אימים scribunt, vel אמים sine *Jod.* Prius si sequamur, dicendum erit in ימים primam radicalem *Aleph* excidisse: ut cum מכלת *cibus* legitur pro מאכלת 1. *Reg.* 5. *vers.* 11. מסרת *vinculum*, pro מאסרת, *Ez.* 20, 37. השפות *stercora*, pro האשפות *Nehem.* 3. *vers.* 13. תפינים *coctura*, pro תאפינים, *Levit.* 6, 21. al. 24. יהל *tentorium figet*, pro יאהל, *Es.* 13, 20. יזרני *accinget*

a) Num. 16, 15.

f) Iliad. ω.
g) Odyss. ζ.
h) Iliad. ψ.
i) Odyss. φ.

cinges me, pro ותאזרני, 2. Sam. 22, 40. תזלי, *abibis*, pro תאזלי, *Jerem.* 2, 36. וירב *& insidiatus est*, pro ויארב 1. *Sam.* 15, 5. יברוך *dicent tibi*, pro יאמרוך, *Ps.* 139, 20. להכיל, *ad comedendum*, pro להאכיל, *Ezech.* 21, 28. מלפנו, *docens nos*, pro מאלפנו, *Job.* 35, 11. תבא *acquiesces*, pro תאבה, *Prov.* 1, 10. Itaque ut vir idem *Aram* vocatur *Matth.* 1, 3. & *Ram*, *Ruth.* 4, 19 & 1. *Par.* 2, 9. 10. Idem locus אפס דמים 1. *Sam.* 17, 1. & sine *Aleph*, פס דמים, 1. *Par.* 11, 13. Iidem populi vulgò הארמים, id est, *Syri*, & sine *Aleph* הרמים, 2. *Par.* 22, 5. Ita *Emæi* vel cum *Aleph* האימים vel sine *Aleph* הימים, dici potuisse constat. At, si sequamur posterius, dicendum erit ימים *jemim*, esse pro אמים *emim*; *Aleph* & *Jod* permutatis. quo exemplo תתימרו *vos verbis efferetis*, est pro תתאמרו, *Es.* 61, 6. Et ילף *Chaldæis*, & *Syris*, *discere* est, ut אלף: & אולפנא *doctrina*, ut אולפנא: & *adunare* יחד, vel אחד: & יגר *acervus* est ab אגר Quid si, variante lectione, *Onkelos* pro הימים *hajemim*, plenè legerit האימים, quomodo hodieque legitur in *Hebræo* exemplari, qui *Parisiis* editus est charactere *Samaritano*? Utut sit, mihi persuasissimum est, aut *Mosem* ita scripsisse, aut ימים, & אמים, vel אימים eosdem esse populos, atque id *Masorethas* subinnuisse, cum voci ימים easdem Vocales adscripserunt, quas adscribunt vocibus אימים, & אמים Si nimirum sic intelligas, loci, alioqui obscuri, & intricati, sensus apertus erit, & percommodus. In *Horæorum* Principum genealogiâ duos *Anas* recenset *Moses*; quorum unus frater, alter *Sibonis* filius fuit, & *Esavi* socer. Quem ut *Propheta* magis insigniat, ait illum esse *Anam*, *qui invenit* הימים, vel האימים, id est, *Emæos in deserto, tum cum pascebat asinos* Sibonis *patris sui*. Invenisse hostes *Hebræa* phrasi dicitur, qui incidit, vel etiam qui irruit in illos ex improviso. Quo sensu de tribubus *Juda* & *Simeonis* dicitur *Jud.* 1, 5. *Invenerunt* Adoni-bezek *in bezek*, *& pugnaverunt in illum.* Et de *Saule* 1. Sam. 31, 3. *Invenerunt eum jaculatores.* Et de *Propheta*, qui è *Juda* venit *Beth-lehem*, 1. Reg. 13, 24. *Invenit eum leo in via, & occidit.* Et de *Jehu* 2. Par. 22. 8. *Invenit principes* Judæ, &c. *& interfecit eos.* Et de illo, qui casu occidit, absque odio præcedente, *Num.* 35, 27. *Si invenerit eum*, &c. *& percusserit vindex sanguinis.* Cum etiam eâdem phrasi dixit *Gen.* 4, 14. *Me quisquis invenerit, occidet.* Et *Saul* 1. Sam. 24, 20. *Quotusquisque est, qui inveniat hostem, & illum dimittat illæsum?* Et *David* Ps. 21, 9. *Invenies manu tua omnes inimicos tuos, dextra tua invenies osores tuos.* Ut *Sponsa Cant.* 5. 7. *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, vulneraverunt me.* Et Deus ipse *Es.* 10, 10. *Invenit manus mea regna idolorum.* Eò quoque hæc pertinent *Deut.* 31, 17. *Invenient eum mala multa, atque angustiæ.* Et *Ps.* 116, 3. *Angores inferni invenient me.* Et *Ps.* 119, 143. *Oppressio & angustia invenerunt me*, id est, in me inciderunt, vel me ex improviso adortæ sunt. Ita *Emæos* invenisse dicitur *Ana*, sive in eos inciderit, aut irruerit. Quo casu tum notissimo cum nominis sui famam ad posteros propagaverit, seu magna clade illos affecerit, aut sibi paratas insidias virtute sua eluserit, hoc quasi κατ' ἐξοχὴν cum *Propheta* designat, atque ab alio cognomine distinguit. Hoc eo fit verisimilius, quod *Horæi*, quibus *Ana* pater *Sibon* imperabat, *Emæis* vicini erant. *Emæi* enim *Ar* tenuerunt, & campum *Kirjathaim*; & *Horæi* montem *Seir*: donec illi a *Moabitis*, hi ab *Idumæis* pellerentur. Unde factum, ut *Emæorum* regio *Moabitis*, & *Horæorum* regio *Idumæa* diceretur. *Moabitidem* porrò & *Idumæam* regiones fuisse finitimas nemo est, qui nesciat. Quod de harum gentium situ diximus, patet ex duobus *Prophetæ* locis: in quorum uno Reges conjurati quatuor, *Emæis* profligatis in campo *Kirjathaim*, vicinos *Horæos* invadunt in monte (k) *Seir*. In altero, qui est multò disertior, Deus *Israelitas* sic alloquitur, (l) *Moabitas ne oppugnato, ne que misceto cum iis bellum. Neque enim tibi dabo quidquam de terra eorum in hæreditatem. Quin filiis Loti dedi Ar in hæreditatem. Eam antea Emæi inhabitabant, populus magnus, multusque, & excelsus, ut Anacæi, &c. Et montem* Seir, *antea Horæi inhabitabant, in quorum hæreditatem successerunt* Esavi *filii.* *Emæi* igitur, atque *Horæi*, cum vicini fuerint populi, nihil tam proclive fuit, quam hos illorum, aut illos horum fines invadere. Quo pertinet, quod scribit *Moses*, *Anam*, *Sibonis Horæorum* Principis filium, pascentem asinos patris sui, reperisse את הימים, id est, in finitimos *Emæos* incidisse, vel irruisse. Si quis miretur Principis filium patris sui pavisse asinos, eavideat, quæ a nobis in similes locos afferuntur in capite *De pastoribus*.

k) Gen. 14, 5. 6. l) Deut. 2, 9. 10. 11, 12.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Cur animalia heterogenea copulare per Legem *Mosis* non licuerit.

Lex de eo Levit. 19, 19. *Heterogenea* Hebr. כלאים. *Cujus vocis origo aperitur. De heterogeneis* Maimonidis, *&* Philonis *loca. Illa copulare* Judæis *etsi sit nefas, tamen fœtus, qui ex illis nascitur, ad usum concessus. Causa prohibitionis. 1. Quia hæc copulatio contra naturam. 2. Ut deterreantur homines a promiscuo & illicito concubitu. 3. Ne simus* ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις, 2. Cor. 6, 14. *Aliæ quædam Allegoriæ.*

NEgavimus licuisse *Judæis* mulorum procreationi incumbere, quia Lex prohibebat his verbis *Levit.* 19, 19. בהמתך לא תרביע כלאים *Jumentum* (vel *pecus*) *tuum non admittes animalibus heterogeneis. Græci* reddunt ἑτεροζύγῳ, quasi dicas *alteri-jugi*; Hieronymus, *alterius generis animantibus*; *Arabs* uterque نوعين *duabus speciebus*; Onkelos עירובין, Jonathan עירבובין. Samaritanus [Samaritan], & Syrus [Syriac], *mixto* animali, vel *mixtis* animalibus; id est, ita, ut duæ species in concubitu misceantur. Quo sensu dixit *Poeta* lib. 7. *Æn.*

Mista Deo mulier. [illegible]

Hebrææ vocis כלאים origo ignota hactenus ex *Æthiopica* lingua patet, qua ክልእ: vel ክልኤ: Fœm. ክልኤቲ: Plur. Mascul. ክልኤቱ: Fœm. ክልኤቲ: *duplicem*, *geminum*, *duos* sonat. Hinc *Matth.* 4, 18. ክልኤቱ: አኀው: *duo fratres.* Matth. 18, 8. ክልኤ: እደ: ወክልኤ: እግር: *duas manus, & duo pedes.* Psal. 149, 6. ሰይፍ: ዘክልኤ: ብዙኅ: *gladius, cujus geminum est os, id est, anceps, δίστομος.* Matth. 2, 16. ዘክልኤ: ዓመት: *qui sunt duorum annorum, διετεῖς, bimi biennes.* Luc. 1, 6. ክልኤሆሙ: *duo ipsi, id est, ambo.* Matt. 11, 1. ለዐሠርቱ: ወክልኤቱ: አርዳኢሁ: *duodecim discipulis ejus.* Matth. 24, 41. ወክልኤቲ: ይሐርጻ: *& duæ molent.* Et ካልእ: Fœm. ካልእት: Plur. ካልኣን: *alium, alterum, diversum* sonat. Sic *Ps.* 47, 12. & 77, 4. ካልእ: ትውልድ: *ad alteram generationem.* Luc. 6, 6. ካልእት: ሰንበት: *in altero Sabbatho.* Matth. 13, 24. ካልእተ: ምሳሌ: *altera parabola.* Matth. 5, 39. ካልእታሃ: *alteram illam* supple መላትሒከ: *maxillam.* *Liturg.* pag. 176. à ወካልእታ: ማርያም: *& altera illa Maria.* Matth. 4, 21. ካልኣን: ክልኤቱ: *alii duo.* Ita etiam *Luc.* 23, 32. & *Joh.* 21. 2. Et ክልኤት: est *diversitas*, *divisio.* Sic *Liturg.* pag. 163. d. ደምሮሙ: ኅቡረ: ...: ዘአልቦ: ክልኤት: *Fac eos, ut sint sine divisione.* Et 1. Cor. 16, 9. መካልኣን: sunt ἀντικείμενοι, *oppositi, diversi, adversarii.* Hinc *Hebr.* כלאים in bru-

tis

tis, in vitibus, in seminibus, sunt duæ diversæ species, quas ex Lege ceremoniali non licebat simul miscere. In vestibus etiam, puta lana, & linum. Vide *Levit.* 19,19. *Deut.* 22, 11. Nos hic de brutis solum agimus.

Legem, quâ vetantur admitti, quæ sunt heterogenea, ita explicat *R. Moses* in Tractatu כלאים cap. 9. *Qui marem admittit fœmina diversa speciei, sive sit quadrupes domesticum, aut ferum, aut avis, aut animal in mari degens, is juxta Legem vapulat, sive in terra* Israëlis *id fiat, aut alibi; quia dicitur* Levit 19. v. 19. "*Jumentum tuum non admittes heterogeneis. Neque refert sitne suum, an alienum quadrupes, domesticum, ferum, avis,* &c. *Et vapulet non solum, cum manu sua intromisit* כמכחול בשפופרת *ut stylum in calamum, sed si duntaxat marem provocavit ad conscendendum in fœminam, aut voce sua incitavit, percutitur percussione rebellionis* (id est, fustigatione) *Licet tamen in uno stabulo simul claudere duo animalia heterogenea; & qui videt concumbere non tenetur illa separare. Sed* Israëlitæ *non licet Ethnico dare jumentum suum, ut heterogeneo admittat. At, si quis peccavit in hanc Legem, jumentum suum cum diversi generis animante copulando, liber est ipsi usus animalis inde nati. Et, si mundus sit uterque parens, concessus est illius esus, prout explanavimus in Tractatu* De cibis vetitis. *Cum duæ species, tam è feris, quam ex domesticis animalibus, sibi sunt mutuò similes, etsi unum ex altero sit editum, & magna similitudo intercedat; tamen, quia sunt duæ species, pro heterogeneis habenda sunt, neque licet illas simul copulare. Verbi gratiâ, lupum cum cane, & canem villaticum cum vulpe, & capreæ marem cum capra, & ibicem cum ove, & equum cum mula, & mulum cum asina, & asinum cum onagro fœmina; quia quantumvis similes, tamen sunt diversi generis. At, cum in eadem specie aliud domesticum, aliud ferum est animal, ut in bove, & equo, quorum nonnulli sunt sylvestres, tum illa copulare liberum est; quia sunt una species. Tamen vulgaris anser & ferus sunt heterogenei: quia illius testiculi sunt interiores; hujus autem omnino exteriores. Unde constat diversas esse species.* הכוי *& tragelaphus est heterogeneus, utpote ex domestici animalis cum fero concubitu editus. Tamen propter illum non vapulant; quia de eo ambigitur. Ea animalia, quæ nascuntur ex heterogeneis, copulare liberum est, si modo matres sint ejusdem speciei. At, si diversæ sint species, ea copulare est nefas, & qui copulat, vapulat. Aut si copulat fœtum heterogeneum cum specie, ex qua est mater, etiam propterea vapulat. Verbi gratia, mulum, cujus mater est asina, licet admittere mulæ ab asinâ natæ: sed illum asinæ admittere non licet. Mulum quoque ex equa natum non licet admittere mulæ ex asina procreatæ. Neque aliter se habent reliqua hujusmodi. Propterea qui mulæ mulum vult admittere, aut sub eodem jugo jungere duas mulas, advertit ad signa aurium, caudæ, & vocis, an similia sint, ut sciat an verè sint unius speciei, adeoque licita.* Hæc ad verbum *Maimonides* libri *Jad* tomo tertio, fol. 72. b. & 73. a. editionis *Venetæ.* Et docet *Scholiastes* ex quibus *Talmudis* locis singula hæc exprompta sint. Quibus similia habet *R. Isaac* in *Ammude gola* cap. CLXIII. *Philo* quoque multò antè in libro *De specialibus legibus*, Τράγον οὐδεὶς ἐάσει ποιμὴν Ἰουδαῖος ἐπιβαίνειν ἀμνάσι, οὐδὲ κριὸν χιμαίραις, οὐδὲ βοῦν ἵππῳ· εἰ δὲ μή, τίσει δίκας. *Hircum nullus pastor Judæus sinet in ovem scandere, neque arietem in capram, neque bovem in equam: aut si fecerit, dabit pœnas.* Et de mulis speciatim, Τοὺς ὀρεῖς ἐπεὶ τῶν ὑποζυγίων ἁπάντων προτιμῶσιν, ἐπειδὴ τοῖς σώμασιν αὐτοῖς πέπηγε, καὶ σφόδρα νενεύρωται. Κἀν τοῖς ἱπποφορβίοις, καὶ τοῖς ἱπποστασίοις ὄνους ὑπερμεγέθεις, οὓς προσαγορεύουσι κήλωνας, ἀνατρέφουσιν, ἵνα ταῖς θηλείαις ἀναβαίνωσι πώλοις. Αἱ δὲ μικτὸν ζῷον ἀποτίκτουσιν ἡμίονον, ὃς παρὰ φύσιν τὴν γένεσιν εἰδὼς, ἀνάχρατον ἀπεῖπε Μωϋσῆς κατ᾽ ἰσχυροτέρα προστάξει. *Mulos jumentis omnibus quidam præferunt, quod bene compacta nervosaque habeant corpora. Et in equorum pascuis stabulisque asinos prægrandes alunt, quos* celones, *id est, admissarios, vocant, ut equas ineant. Illæ autem mixtum animal, mulum scilicet, pariunt, cujus genituram, naturæ contrariam esse cum sciret* Moses, *penitus interdixit.* Proinde falluntur *Lyranus*, *Cajetanus*, atque alii recentiores, qui *Mosis* interdictum de admittendis heterogeneis ad literam intelligi negant. Et frustra objiciunt perpetuum apud *Judæos* mulorum usum inde à sæculo *Davidis* Regis. Utut enim heterogenea copulare fuerit nefas, tamen הנולד מהם מותר להנאה *fœtus, qui ex illis nascebatur, ad usum fuit concessus*, ut nos jam docuit *Maimonides.* Ita etiam *R. Isaac* ubi suprà, tanquam ex *R. Jose*, התולדות הבאים מכלאים מותרים באכילה כגון מכבש ועז ובהנאה כגון פרד הבא מסוס וחמורה *Fœtus, qui nascuntur ex heterogeneis, conceduntur ad esum, ut* musimon, *qui nascitur ex ariete, & capra: & ad usum, ut mulus, qui ex equo & asina procreatur.*

Causæ prohibitionis plures afferuntur. Prima, quod ambigenarum generatio habeat aliquid παρὰ φύσιν, *præter naturam.* Ea ratio est *Philonis*, quam sic amplificat *R. Menachem* in *Leviticum*, *Si quis heterogeneorum generationem procurat, idem est ac si crederet Deum Sanctum Benedictum non perfecisse quidquid necesse est, ac proinde plures vellet creaturas addere, atque ipsi adesse in mundi creatione.* Item, *Qui mutat species, & miscet heterogenea, regis numismatis typum adulterat.* Addunt hâc prohibitione deterreri etiam homines, multò plùs quàm pecora, quæ rationis usu carent, à promiscuo, & illicito concubitu. *Philo* rursus, Τοσοῦτον δ᾽ ἄρα τὸ προμηθὲς ἐν τοῖς ἱεροῖς νόμοις ἐστὶν, ὡς θ᾽ ὑπὲρ τοῦ μηδεμίαν ἔκθεσμον ὁμιλίαν ἀνθρώπους προσίεσθαι διείργεται, μηδὲν ἐᾶν ὑπό τινος ἑτερογενοῦς ὀχεύεσθαι. *Tanta fuit sacrarum legum providentia cavendi, nè homines polluerentur coitu nefario, ut disertè cautum sit, nè admittatur ullum animal heterogeneum.* Item, Μακρόθεν δ᾽ ὡς ἀπὸ σκοπιᾶς ἐσωφρόνισεν ἀνθρώπους, ἵν᾽ ἐκ τούτων δὲ προμαθόντες ἄνδρες ὁμοῦ, καὶ γυναῖκες, ἀπέχωνται ὁμιλιῶν ἐκνόμων. *Eminus tanquam è specula coërcet homines, ut his edocti, tam viri, quàm fœminæ, ab illegitimo concubitu abstineant.* Et *Theodoretus* Quæst. 27, in *Leviticum*, Ἀπαγορεύει δὲ καὶ τὴν ἑτερογενῶν τὴν ὀχείαν, οἷον ἵππου καὶ ὄνου, ἵνα μὴ διαβῇ ἀπὸ τῶν ἀλόγων εἰς τοὺς λογικοὺς ἡ παράνομος μίξις. *Heterogeneorum coitum prohibet, puta equi & asinæ, ne à brutis animalibus ad ratione prædita transeat illegitima commixtio.* Idem *Theodoretus* vult Apostolum ad hanc Legem allusisse, cum dixit 2. *Cor.* 6, 14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. Nempe fidelis & infidelis animalia sunt quodammodo ἑτερόζυγα, quomodo heterogenea hic appellant *Græci* Interpretes. Itaque in hanc legem peccat fidelis, qui matrimonio cum infideli jungitur. *Hesychius*, quem *Isychium* corruptè vocant, ait fideles sic prohiberi, ne circumcisionem simul & baptisma sectentur. *Hebræum* quendam citat *Munsterus*, qui hinc probat in populo Dei non debere esse ערבוב *misturam*, sed אחדות שלמה *perfectam unitatem*, & *concordiam.* Sicut enim noluit Deus rerum species permisceri, & confundi, sic neque ejusdem Ecclesiæ homines vult diversa sentire. Multò plura hujus generis addunt recentiores, ut Allegoriarum nullus est finis: quæ nos iis consectanda relinquimus, quibus plus suppetit otii.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Varia Elephanti nomina.

Conjectura de origine vocis שנהבים ſenhabim, *qua vel* ebur, *vel* elephanti *potius ſignificantur.* 1. Reg. 10, 22. *In* Hebræis *vocibus compoſitis mediam ſæpe elidi.* בהמות behemoth *Job.* 40, 15. *non eſt elephas, ſed hippopotamus.* פיל phil *elephas* Chald. Syr. Arab. & Perſ. *Ejuſdem Æ*thiopica, & Ægyptia *nomina.* Philæ *urbs unde dicta.* تفيل pingueſcere. Zindaphil, & Sindaphim, & Delphinos *quid ſignificent*, *Elephas in India* Boſare: *Latine* Barrus. *Vox elephanti exilis*, τετρισμὸς, ſtridor. Eriſtobaria *urbs* Indiæ *ubi*, & *unde dicta* Πιείωας Heſychio *elephas.* Praſii, & Taxilæ *elephantes.* Cæſar *Mauris elephas.* Alpha *bos* Phœnicibus, *unde* elephas. *Quadrupedum pleraque majoris molis ad boves referri, ut cervos, bubalos, rhinocerotes*, &c. *Elephas* bos Luca *dictus* à Lucanis, *ubi primum viſus.* *Vitulus pro pullo elephantis.* *Taurelephantes, ſeu Rhizes, quale animal.* Nicephorus *emendatus.*

Claſſis *Solomonis* è *Tharſis* advexiſſe legitur *aurum, & argentum*, שנהבים ſenhabim, & *ſimias, & pavones*, 1. Reg. 10, 22. & 2. Par. 9. 21. Senhabim *Græci*, *Chaldæus*, *Hieronymus*, *Hebræi* recentiores *dentes elephantorum* explicant: *Syrus*, & *Arabs*, *elephantes.* Quomodocunque ſumas, conſtat שנהבים *ſenhabim*, vocem eſſe compoſitam ex שן *ſen*, & הבים *habim.* Quarum vocum quam nota eſt prior, tam poſterior eſt ignota. Nemo enim eſt, qui neſciat שן *ſen*, *Hebræis* primò *dentem* in genere ſignificare, deinde κατ᾽ ἐξοχὴν dentem illum eximium, ex quo fit ebur. At vox הבים *habim*, unde facta ſit, aut quid propriè ſignificet, doctiſſimos latuit hactenus. Hic igitur cum non poſſit quidquam afferri certi, liceat ſuſpiciones meas in re obſcura proferre. *Arabicè* قهب kahiba, *fuſcum eſſe* ſonat. Indè قهبة kohba, *color fuſcus* اقهب akhab, *qui colore fuſcus eſt*, الاقهبان الفيل والجاموس Alikhaban, *elephas*, & *bubalus*, à colore ſic dicti, in *Giauhari*, & in *Alcamus.* Elephantis enim, & bubalis idem eſt color, nempe ad fuſcum, aut nigrum vergens. *Vartomanus*, *Navigat.* lib. 3 cap. 10. *Elephantes ternos bubalos magnitudine excedunt, villo etiam non abſimiles.* An hinc priſcis *Hebræis* elephantes dicti קהבים *kahabim*? Ita ſuſpicor, & pro שן־קהבים *ſen-kahabim*, in compoſitione dici שנהבים *ſenhabim*, mediâ literâ eliſâ, ut paſſim fit compendii cauſa, cum duæ, vel plures voces in unam coaleſcunt. Talia ſunt אברהם *Abraham*, pro אב־רב־המון *Ab-rab-hamon*, pater magnæ multitudinis: שמואל *Samuel*, pro שאול־מאל *Saulmeel*, petitus à Deo: עקרב *akrab*, *ſcorpio*, pro עקץ־רב *akats-rab*, à magno aculeo: עכבר *achbar*, *mus* (propriè *agreſtis*) quaſi עכל־בר *achal-bar*, conſumptor agri: ארגון *Argavan*, *purpura*, pro ארם־גון *aram-gavan*, Syrius color. *Rana* Arabicè ضفدع *diphda* pro ضفرع *dipharda*, ut Hebraicè צפרדע *tſephardea*, quaſi dicas *limoſæ ripæ incolam.* Sic שנהבים *ſenhabim*, pro שן־קהבים, *ſen-kahabim*, vel eſt *dens elephantorum*, quomodo plerique reddunt, vel ipſemet *elephas*, ut volunt *Syrus* & *Arabs*, qui compoſita voce ita dictus ſit, ut à bubalo diſtingueretur. Uterque enim eſt קהב *kahab*, ſeu *fuſcus.* Ac proinde *Arabicum* اقهبان *ikhaban* eſt utrique commune. Sed ſolus *elephas* eſt שנקהב *ſenkahab*, vel contractè שנהב *ſenhab*, id eſt, illo dente inſignis, ex quo fit ebur. Et quamvis parum referat utrum שנהבים *ſenhabim*, hic pro *dente* accipias, aut pro ipſomet *elephante*, malo tamen elephantem intelligere. 1. quia melius cohærebit cum ſequentibus, ſi dicatur claſſis *Solomonis* advexiſſe *elephantos*, *ſimias*, & *pavones.* 2. Quia nulla ratio apparet, cur ebur hic dicatur. שנהבים *ſenhabim*, cum in aliis Scripturæ locis nonniſi שן *ſen*, dicatur. Adeoque quarto ante verſu, ubi *Solomon* feciſſe legitur כסא שן גדול *ſolium ex ebore magnum.* 3. quia ebur non diceretur Plurali numero שנהבים ſenhabim, *dens elephantum*, ſed Singulari שנהב ſenhab, *dens elephantis.* Sic enim in *Chaldæa* Paraphraſi ſemper vocatur שן־דפיל ſendephil, *dens elephantis.* Et in *Syra* Apoc. 18, 12. ܓܪܡܦܝܠܐ gremphila, *os elephantis.* Ut *Cant.* 5, 14. & 7. 4. in *Æthiopica* ቀርነ፡ ነጌ፡ karna-nage, *cornu elephantis.*

Elephantis aliud eſt nomen בהמות *behemoth*, Job. 40, 15. ſi interpretibus credimus. Hi enim *elephantem* volunt בהמות *behemoth*, id eſt, θηρία, ſeu *belluas* Plurali numero dici, quaſi ſit inſtar multarum, propter longè ampliſſimam verèque ſuſpiciendam corporis magnitudinem: ut ratione dignitatis unus Deus אלהים *Elohim*, id eſt, *Dii*, Plurali voce appellatur. Et Dei ſapientia חכמות *chacamoth*, id eſt, *ſapientiæ*, Prov. 1, 20. & 9, 1. Et Rex *Ægypti* אדנים *adonim*, id eſt, *Domini*, Gen. 40, 1. & Eſ. 19, 4. Tamen in *Jobo* vocem בהמות *behemoth*, Singularis eſſe numeri ſuo loco docebimus, & *hippopotamum* ſignificare, non *elephantem*, ut volunt.

At verum *elephantis* nomen eſt פיל *pil*, vel *phil* potiùs, jam inde à multis ſæculis toto Oriente receptum. Neque enim *elephantum* aliter nominant *Chaldæi*, *Syri*, atque *Arabes* Scripturæ Paraphraſtæ. *Perſis* quoque eſt notiſſima vox, quibus *lycium* eſt فيلهرج *philharag*, elephantis fel, & *arum criſpum* فيلجوس *philgius*, elephantis aures, ut auctor eſt *Aben-bitar.* Proinde in Præfatione ad Hiſtoriam *Chriſti Perſicam*, *Perſarum* hoc adagium legere eſt, فيل را از نشان پاي او بشنا سند *Elephantem ex veſtigio pedum ejus cognoſcunt.* Et *ebur* in *India murfil* vocatur, aut *morfil*, id eſt, *dens elephantis.* *Æthiopibus* hodie *elephas* eſt ነጌ፡ *nage*, & *Ægyptiis* ΔΕΛΦΙΝΟΣ. Sed olim utroſque, aut alterutros *phil* appellaſſe, ex eo mihi ſuſpicio eſt, quod *Philæ* urbs in *Ægypti* & *Æthiopiæ* confiniis, ex *Herodoto*, & *Plinio* videtur eadem eſſe cum aliorum *Elephantine.* Quę conjectura ſi vera eſt, ab *Æthiopia*, & *Ægypto* uſque ad extremos *Indos* obtinuerit hoc vocabulum. A nomine فيل *phil* formantur *Arabum* verba تفيل *thephaiala*, & استفيل *iſthephaiala*, ut, cum de homine dicunt تفيل *thephaiala* pro سمن *ſammana*, *pinguis evaſit*, quaſi præ pinguedine ad elephantem accedat. Et de vaſtiore camelo استفيل *iſthephaiala*, id eſt, صار كالفيل *factum eſt ut elephas.* Utrumque eſt in *Alcamus.* In *Damire*, الفيل ضربان فيل وزندفيل وهما

وهما كالبخاتي والعراب والجواميس والبقر والخيل والبراذين والجرذ والفار والنمل والذر *Duæ sunt elephantis species, quarum una phil simpliciter dicitur; altera zindaphil. Hæ tantum inter se differunt, quantum in camelis* bechetti *& Arabici, aut bubali & boves, equus & mannus, mus & sorex, formica vulgaris &* dsor. (formicæ species, quam ita pusillam esse ajunt, ut earum centum æquet pondere unicum ordei granum). *Zindaphil* à loco videtur dictus, quia in libro *De proprietate elementorum*, quem *Aristoteli* falso tribuunt, cum sit *Arabis* Scriptoris, *Zinds* in iis locis censetur, quorum incolæ nigri sunt, & capillo crispo. Sunt, quibus فيل *phil* est *mas elephas*, & زندفيل *zindaphil*, est *fœmina*. Ex *Chaldæo* שן־דפיל *sen-dephil*, pro *dente elephantis*, seu *ebore*, factum שנדפין *sendephin*, in *Jonathanis*, & *Hierosolymitanâ* Paraphrasi *Gen.* 50. *v.* 5. ubi legitur, *Josephus* patrem suum collocâsse בערס דשנדפין *in lecto sindaphin*, id est, *eburneo*. Nam quod שנדפין *sindaphin*, scribunt esse *ligni preciosi genus*, meræ nugæ sunt. Ita ex *Arabico* الفيل *elphil*, *elephas* à *Cophtitis* primo dictus ΕΛΦΙΝΟΣ, deinde etiam ΔΕΛΦΙΝΟΣ, diversi elementi animalium nominibus ita permixtis. Ab iisdem enim *delphin* hoc ipso nomine appellatur.

Sunt & alia elephantum prisca nomina obiter hic explicanda. Sic apud *Arrianum* in *Periplo* maris *Erythræi*, inter *Indiæ* regiones describitur ἡ Δησαρήνη χώρα, φέρουσα ἐλέφαντα τὸν λεγόμενον Βωσαρη, *Desarena regio, elephantum ferens dictum* Bosare. *Stuckio* Βωσαρὴ est βοῦς Ἄρηος, *bos Martius*. *Fullero* Δησαρήνη χώρα est Δωσαρήνη, à qua vult *elephantem* Δωσαρὴ, non Βωσαρὴ dici. Quorum illud *Græcum* esset, hoc *Arabicum*. *Arabum* enim populi sunt *Dosareni*, & iisdem *Bacchus Dosares*, ut alibi docuimus. At, cum jam inde à *Solomonis* ævo *Phœnices* in *Indiam* navigaverint, eosdem magnæ molis elephantem בושרי *bosari*, id est, *carnosum* nominâsse suspicor. Quale est, quod *Syrè* dicitur ܬܠܠܐ ܕܒܣܪܐ *thelala debesra*, *tumulus carneus* in *Syriaco Ferrarii Lexico* pag. 706. Neque dissimile, quod *Basilii* Homil. 9. in *Hexaëm*. vocantur *elephantes* βουνοί τινες σάρκινοι, *carnei quidam colles*.

Barrus etiam pro *elephante* usurpatur. *Horatius* Epod. 12.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?

Sidonius Carm. 23.

Non, si quas eboris trabes refractis
Rostris Marmarici *dedêre barri*.

Inde *barrire*, & *barritus* de elephanti voce. Incertus auctor in *Philomela*,

Et barrus barrit, cervi glocitant, & onagri.

Glossæ veteres, *Barrit*, Τρίζει, ἐλέφας βοᾷ. Sunt, qui has voces asserunt esse ὀνοματοποιητικάς. Festus, *Barrire elephanti dicuntur, sicut oves dicimus balare, utiq; à sono ipso vocis.* Dubito an verè, quia *barriendi* vox videtur plenum boatum exprimere, cum vox elephanti sit valde exilis. Unde est, quod *Græcè* vocatur τρισμὸς, & *stridor* in *Livio*, *Hirtio*, *Plinio*, & *Ammiano*. Quod in *Damire* notant *Arabes*, وليس صياحه علي قدر جثته لانه كصياح الصبي *Non respondet vox ejus moli corporis, sed est ut vox infantis.* Itaque, ex aliorum sententia, *barrus* alludit ad בעיר *beir*, quomodo *jumentum* vocant *Hebræi*, *Syri*, & *Arabes*. Unde בער *baar*, pro *bruto homine* in *Psalmis*, *Proverbiis*, & *Jeremia* occurrit aliquoties. Alii has ipsas voces ex *India* arcessunt. *Isidorus Orig.* lib. 12. cap. 2. *Apud* Indos *voce* BARRO *vocatur, unde & vox ejus barritus dicitur.* Neque id fortasse absurdè, cum apud *Nonnum* lib. 26. in exercitu *Deriadis Indorum* Regis *Pylætem* elephante vectum sequatur

Λαὸς ἐϋκρήδεμνος Ἐρισ⸗οβάρεια λιπόντες,

Populus bene-vittatus, Eristobariâ *relictâ*. Quæ *Ptolemæo* est Ἀρισ⸗όβαθρα urbs ad *Indum*. Fallor, aut verum nomen fuit Ἀρισ⸗οβάρεια, illi à *Græcis* inditum ab elephantorum præstantia, quos *Indi baros* appellaverunt. Ab *India* locis notissimis *Prasiis*, & *Taxila* quidam elephantes appellati sunt. *Ælianus*, *Hist.* lib. 13. cap. 12. Μέγισοι (lege Μέγισοι) τῶν ἐκεῖθεν ἐλεφάντων οἱ καλούμενοι Πράσιοι· δεύτεροι δ' ἂν τάττοιντο τῶν δὲ οἱ Ταξίλαι. *Maximi elephantorum, qui illic sunt*, Prasii *dicti: secundi verò ab his existimantur* Taxilæ. Pro *Prasiis*, alii *Prasios*, & *Bræsios* dixerunt, & *Parrhasios*, vel *Pharrasios* (ut in *Curtio* legere est), fortasse etiam *Pirisias*, ut hæc nomina valde variant. Unde *Hesychio* Πιρισίας, ὁ ἐλέφας.

Mauris denique, & *Pœnis* id ipsum fuit *Cæsar*, quò *Cæsaris* nomen nonnulli referunt. *Spartianus* in *Ælio Vero*; Cæsarem *ab elephanto* (*qui linguâ* Maurorum CÆSAR *dicitur*) *in prælio cæso, eum, qui primus sic appellatus est, doctissimi, & eruditissimi viri putant dictum.* *Servius* in lib. 1. *Æn.* CÆSAR, *vel quòd cæso matris ventre natus est, vel quòd avus ejus in* Africa *manu propria occidit elephantem, qui* Cæsar *dicitur* Pœnorum *lingua*. Quin *Cæsar* apud priscos *Romanos* τῆ κομῶντα, id est, *cæsarie insignem* significavit. Inde igitur *Cæsar* dictus est primus *Cæsarum*. Et à *Cæsaribus* nomen habuit *Mauritania Cæsariensis*, à qua rursus *Cæsares* elephantes in ea nati. Elephantis enim maximè fertilem esse *Mauritaniam* vix quisquam est, qui nesciat. Unde *Strabo* in *Mauritaniæ descriptione* lib. 17. Ἐλεφάντων παντοδαπῶν τροφὸς ἡ χώρα ἐστί. *Elephantum omnifariæ altrix regio est.* Et *Plinius* lib. 8. c. 11. *Elephantes fert* Africa *ultra* Syrticas *solitudines, & in* Mauritania. Et initio ejusdem libri, *Auctores sunt in* Mauritaniæ *saltibus, ad quemdam amnem, cui nomen est* Amilo, (aut *Valo*, ut legendum contendit *Vossius* noster in *Melam*) *nitescente Lunâ greges eorum descendere.* Et *Solinus*; Indicos *elephantos* Mauri *timent.* *Ælianus* etiam *Hist.* lib. 10. cap. 1. agit de *Alexandro* quodam ab Imperatore in *Mauritaniam* misso ad venandos elephantos. Et lib. 14. cap. 5. elephantum cornua ἐν τῇ Μαυρουσίᾳ γῇ, in *Mauritania* cadere scribit singulis decenniis. *Juvenalis* deniq; *Sat.* 11.

Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri *celeres.* - - - - -

Ad quæ vetus *Scholiastes*, *Nam & apud* Mauritaniam *interiorem dicuntur nasci elephanti, unde &* Hannibal *habuit*.

Græcum ἐλέφας unde dicatur, non satis constat. Ad פיל *phil*, plerique revocant, tanquam inversâ voce. Sed malim ad אלפים *alaphim*, quo *boves* significantur *Psal.* 8. *v.* 8. *Prov.* 14. *v.* 4. *Esa.* 30. *v.* 24. &c. Unde *Phœnicium alpha* pro *bove* in *Plutarcho*, & *Hesychio*. Notum enim est quadrupedia pleraque majoris molis ad boum referri genus. Ita bubalos, alces, uros, bonasos, bisontes bubus adscribi neminem latet. Et cervum quoque *Arabes* censent inter boum ferorum genera. *Damir* capite *De bove fero*, هذا النوع اربعة اصناف المها والايلة واليحمور والثيتل *Animalium hoc genus quatuor habet species*, maha, *&* ail, *&* jachmur, *&* thaithal. *Maha*, & *thaithal* in bubalorum sunt genere; *ail* cervus; *jachmur* animal huic congener, de quo nos suo loco. Ita rhinocerotes *Pausanias* (in *Eliacis*) *Æthiopicos tauros* appellat. Ipsos deni-

denique elephantes, cum in *Lucaniam* primum egit *Pyrrhus*, *Romani* pro bubus habuerunt, & *Lucas boves* vocitârunt. Quod in *Poetis* non infrequens. *Ennius* apud *Varronem*,

Atq; locusta bovem Lucam pariet prima -

Vocum ordinem à scribis turbatum sic restituo, ut constet versus. *Lucretius* lib. 5.

Inde boves Lucas turrito corpore tetros.

Seneca in *Hippolyto* Act.1.

- - - - - *amat insanè*
Bellua Ponti, *Lucæq; boves.*

Ausonius Epist.15.

- - - - - *ut Lucas boves*
Olim resumpto præferoces prælio
Fugit juventus Romula.

Hinc *Philoxeni* Glossæ, Ελέφας, *Elefantus*, *vocluca*, *Barrus*. *Vocluca* pravè scriptum pro *Vosluca*. *Vos*, id est, *bos*; quæ mutatio in illis *Glossis* passim occurrit. Vocis originem sic aperit *Plinius* lib.8.c.6. *Elephantes Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas appellavit in* Lucanis *visos anno urbis* CCCCLXXII. Nec multo aliter *Solinus*. Sed accuratius *Varro*, sequutus vetustiores, *De Ling. Lat.* lib. 6. *Luca bos, elephas. Cur ita sit dicta, duobus modis inveni scriptum. Nam & in* C. Ælii *Commentario erat* "A Libycis Lucas. *Et in* Verginii *Commentario*, "A Lucanis Lucas. *Ab eo, quod nostri quam maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem; & in* Lucanis Pyrrhi *bello primum vidissent apud hostes elephantos, idest, quadrupedes cornutas (Nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua) Lucam bovem appellâsse.* Eodem pertinet, quod pro vitulis habentur eorum pulli: ut *Plinius* lib.8.c.1. ubi elephantes describit *vitulorum fatigatos præ se ferentes*; & *Ælianus Histor.* lib.10. cap.1. *Alexander* quidam, ad venandos elephantes in *Mauritaniam* missus, narrat se vidisse μέγαν ἐλέφαντος ὡραίαν συνελθεῖν ἐλέφαντι νέῳ καὶ καλῷ, *formosam elephantis vitulam cum juvene & pulchro elephante coeuntem.* Vicissim in boum genere scribit *Philostorgius* libr. 3. quosdam se *Romæ* vidisse è Meridianis locis advectos ταυρελέφαντας λεγομένους· ὧν τὸ μὲν γένος τὰ μὲν ἄλλα πάντα βοῦς ἐστι μέγιστος, τὴν δὲ βύρσαν, καὶ τὸ χρῶμα ἐλέφας, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν καὶ τὸ μέγεθος, *Taurelephantas dictos: quod genus quoad cætera omnia bos maximus est; corio verò, & colore elephas, ipsaq; adeò magnitudine.* Idem in *Nicephoro* legas *Hist.* lib. 9.cap.19. Sed vox ταυρελέφαντας utrobique corrupta est. In illo enim ταρελέφαντας, in hoc scribitur παρελέφαντας, quod *spurios elephantos* perperam reddunt. Puto *rhizes* intelligi, de quibus *Strabo* lib.17. in descriptione *Æthiopiæ*, quæ supra *Mauritaniam* est. Ἐνταῦθα δὲ καὶ καμηλοπαρδάλεις φησὶν Ἰφικράτης γεννᾶσθαι, καὶ ἐλέφαντας, καὶ τοὺς καλουμένους ῥίζεις, οἳ ταυροειδεῖς μέν εἰσι τὴν μορφήν· κατὰ δὲ τὴν δίαιταν, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ἀλκὴν τὴν πρὸς μάχην, ἐλέφασιν ἐοίκασιν. *Auctor est* Iphicrates *hoc in loco camelopardales gigni, & elephantes, & rhizes quos vocant, forma quidem tauris similes, victu verò, & magnitudine, & viribus ad pugnam elephantis pares.* Barbarum hujus animalis nomen *rhizes*, ut *Græcum* fuit *taurelephantes*. An hi sunt *Æthiopici* tauri vulgaribus duplo majores, quos multis describit *Ælianus* lib. 17. cap. 45?

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De Eboris nomine, & usu pervetusto, ac Elephanti cornu, seu dente, ex quo conficitur.

Elephantes in Africa *ab omni ævo.* Antæi *clypeus ex corio elephantino. Ebur Heroicis temporibus in* Græcia *jam notum. Ejus meminêre* Poëtæ *vetustissimi. De arte tractandi eboris* Homerus, *& alii. In Scriptura nullus eboris usus ante* Solomonem; *cujus solium, & palatium ex ebore fuit. Ebur buxo inclusum in* Ezechiele, *&* Virgilio. Ebur, *olim* ebor, Punicè חבור *ab insigni candore dictum.* Græcè *cur vocetur* ἐλέφας *de animalis nomine. Dentes in elephanto mare sursum, in fœmina deorsum reflexi.* Ebur, *Arabicè* عاج ag, *quorsum. Hi dentes à multis veterum pro cornibus habiti, ut hodieq; ab* Æthiopibus. *Lapis ebori similis cur* Persicè chernites. *Ebur alii volunt ex dente sumi. Rationes pro utraq; sententia. Videtur Propheta* Ezechiel *inter utramq; medius.*

UT in *Italia* ante *Pyrrhum*, sic in *Græcia* ante *Alexandrum* elephanti nulli visi sunt. Elephantos tamen *Africa* pars, *Europæ* proxima, habuit ab omni ævo. Itaque *Libycus* ille *Antæus*, qui cum vetustissimo *Hercule* luctatus est, creditur habuisse clypeum ex corio elephantino. *Mela* (a) à Viro undecunq; docto a) Lib.1.cap. & mihi amicissimo, *Isaaco Vossio*, & in hoc loco, & in sexcentis aliis mirâ industriâ restitutus; Tinge, *oppidum pervetus ab* Antæo (*ut ferunt*) *conditum. Extat rei signum parma elephantino tergore exsecta, ingens, & ob magnitudinem nulli nunc habilis; quam locorum accola ab illo gestatam pro vero habent, traduntq; , & inde eximie colunt.* Et Heroicis temporibus ebur jam fuisse notum antiquissimæ Fabulæ docent: puta de humero *Pelopis* eburneo, & eburneâ *Pygmalionis* statuâ in virginem mutatâ: de somniis item, quorum alia per corneam, alia per eburneam portam immitti *Poetæ* fabulantur. Proinde eboris passim meminerunt *Homerus*, & *Hesiodus*, *Poetarum*, qui extant, longè vetustissimi. Ejusque tractandi artem in *Lydia*, & *Caria* jam olim viguisse suadent hæc *Summi Poetæ*, *Iliad.* δ'. versu 141.

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μῃονὶς, ἠὲ Κάειρα - - - - -

Ut, cum Lyda, *vel* Carica *mulier aliqua ebur rubro inficit.* Quod *Virgilius* sic imitatur libro ultimo *Æneidos*,

Indum *sanguineo veluti violaverit ostro*
Si quis ebur. - - - - - -

Et *Ovidius* lib. 2. *Eleg.* 5.

Mæonis Assyrium *fœmina tinxit ebur.*

At in Scriptura nullus apparet eboris usus ante *Solomonis* tempora, qui, cum ex *India* elephantos, & multum ebur curâsset in *Judæam* advehi, grande solium ex ebore sibi construi jussit 1. *Reg.* 10. *v.* 18. & *eburnea palatia*, id est. ebore ornata, *Psal.* 45. *v.* 9. ut habuit *Menelaus*, *Odyss.* δ'. vers. 72. 73.

- - - - - - - δώματα ἠχήεντα
Χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος,

domus resonantes auro, electroq;, & argento, atq; ebore. Et apud *Bacchylidem* (b) *Ceæ* insulæ Proceribus, χρυσῷ b) Athen.l. δ', ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσιν οἶκοι, *auro, & ebore fulgent domus.* Sed & *Achab* palatium eburneum ædificâsse legitur 1. *Reg.* 22. *vers.* 39. Et privatorum quoque domus, & lecti ex ebore memorantur *Amos* 3. *v.* 15. & 6. *v.* 4. Ut in *Ægypto* *Josephus* patrem suum decumbere fecit בערס דשנדפין *in lecto desindaphin*, seu *eburneo*, si credimus *Chaldæis* Paraphrastis, *Jonathani*, & *Hierosolymitano*, Gen. 50. v. 1. Sed fides esto penes auctores. Et *Tyri* transtra navium erant *ex ebore in buxo ex insulis* Cittim, *Ezech.* 27. *v.* 6. id est, ex ebore, quod buxo *Corsico* inclusum fuit, ut alibi explicavimus. Quem *Propheta* locum non parum illustrant hæc *Poeta*, *Æn.* lib. 10. - - - - - *quale per artem*

Inclusum buxo, aut Oriciâ terebintho
Lucet ebur. - - - - - - -

Ut *robor*, *jecor*, *femor*, ita olim dictum est *ebor*, unde flexu

flexus casus *eboris*, & Adjectivum *eboreus*. Optimæ Glossæ, *Ebor*, ἐλέφας, οὐ τὸ ζῶον, ἀλλὰ ἡ ἐκ τοῦ ὀδόντος ὕλη. Et, si bene conjectamus, *Punicum* fuit hoc nomen cum ipsa re *Romam ex Africa* translatum. *Syris* enim, & *Phœnicibus*, unde orti *Pœni*, חור *havar*, *albere*, & חיור *hivar*, *album* sonabat, &, literis geminatis, חורור *havarvar*, λεύκωμα, *albuginem in oculo*. Pro quo חברבר *habarbar*, per *Beth* scribitur *Gen.* 19. *v.* 11. in *Thargum Hierosolymitano*. Sic ebur *ab albedine* dici potuit חור *havor*, vel חבור *habor*: quod *Latinè* scriptum *ebor*, rejecta gutturali: ut in *Emor* pro חמור *Hamor*, *Eva* pro חוה *Hava*, *Emath* pro חמת *Hamath*, *Ezekia* pro חזקיהו *Hizkijahu*. In ebore scilicet candor tam insignis est, ut illum certatim celebrent *Poetæ* omnes. Sic *Iliad.* ε. *Mydone* lethali vulnere saucio, ex ejus manibus

Ἡνία λευκ' ἐλέφαντι χαμαὶ πέσον ἐν κονίῃσιν,

Frena ebore alba humi ceciderunt in pulvere. Et *Odyss.* σ. ut *Penelope* procis esset gratior, *Pallas*

Λευκοτέρην δ' ἄρα μιν θῆκεν πριστοῦ ἐλέφαντος,

eam secto ebore candidiorem fecit. Et in *Hesiodo* fulget *Herculis* clypeus

- - - τιτάνῳ, λευκῷ τ' ἐλέφαντι,

gypso, & albo ebore. Et in *Theocriti Syracusiis*,

Ὦ ἔβενος, ὦ χρυσός, ὦ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος

Αἰετώ - - - - - - - -

O ebenus, O aurum, O ex albo ebore aquila. Et de *Indis Dionysius*,

- - - - - - - - οἱ δ' ἐλεφάντων

Κερουφῶσι φριξόντας [illegible]

Alii candidos elephantum dentes sectos tradunt. Et, è *Romanis*, *Poeta* summus lib. 6. *Æn.*

Altera candenti perfecta nitens elephanto.

Ovidius, *De Ponto* lib. 3. Eleg. 3.

Nec quod erat candens fit terebinthus ebur.

Martialis lib. 14. *Epigr.* 5.

Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

Græcè vocatur ἐλέφας, eodem nomine, quo totum animal, per Synecdochen totius pro parte: ut cum βοῦς pro *bovina pelle* sumitur, aut etiam pro *flagello ex bubulo corio facto*. Hinc *Hesychius*, Βοῦς· μάστιξ. Et *Plautus*,

Ubi vivos homines mortui incursant boves.

Boves, id est, *lora bubula*. Dentes, ex quibus fit ebur, mas habet sursum, fœmina deorsum reflexos: quod sibi volunt hæc *Philosophi Hist.* lib. 2. cap. 5. postquam egit de iis elephanti dentibus, quibus cibum conficit, Χαυλιόδοντας δὲ τούτων ἄλλους δύο ἔχει μεγάλους· ἀλλ' ὁ μὲν ἄῤῥην τούτους ἔχει μεγάλους τε, καὶ ἀνασίμους· ἡ δὲ θήλεια μικρούς, καὶ ἐξ ἐναντίας τοῖς ἄῤῥεσι· κάτω γὰρ οἱ ὀδόντες βλέπουσι. *Præter hos duos alios habet magnos: & hi quidem in mare sunt grandiores, & resimi,* (vel *repandi*, id est, *sursum reflexi*) *in fœmina minores, & contrario flexu; vergunt enim deorsum.* Quæ à *Plinio* sic reddita cap. 37. lib. 11. *Præterq; eos, qui prominent, masculis reflexi, fœminis recti, atq; proni.* Minùs bene: nam in *Philosopho* σιμοὶ sunt tam maris, quam fœminæ dentes; sed in illo sursum, in hac deorsum flexi. A quo flexu dens elephantis, ex quo fit ebur, atque ipsum ebur *Arabicè* عاج *ag* dicitur, à Verbo عاج *agia*, quod, in secunda, *inflecti*, & *incurvari* significat.

Hic præterire non possum hos elephantum dentes à multis veterum haberi pro cornibus: ut à (c) *Varrone*, (d) *Pausania*, (e) *Æliano*, (f) *Oppiano*, & *Juba* Rege apud (g) *Plinium*, & (h) *Philostratum*. 1. Quia è cranio oriuntur, quod cornuum proprium est. 2. Quia facilè secantur, poliuntur, & in quamvis formam effinguntur; quod de aliorum animalium dentibus frustra conetis. 3. Quia decidunt & renascuntur, ut solent cornua cervis, cum alioqui homini soli dentes decidant. Itaq; etiam *Æthiopes* አቅርንት፡ *akronoth*, id est, *cornua*, nominant *Psal.* 44. *v.* 10. & ቀርነ፡ ነገ፡ *karna nage*, id est, *cornu elephantis*, Cant. 5, 14. & 7, 4. Apoc. 18, 12. *Persas* quoque in eadem fuisse sententia colligo ex eo, quod lapidem eboris similem *chernitem* appellabant. *Theophrastus*, libro *De lapidibus*, Καὶ ὁ τῷ ἐλέφαντι ὅμοιος ὁ χερνίτης καὶ ἔμψυχος, ἐν ᾗ τὴν σορὸν φασὶ τὸν Δαρεῖον κεῖσθαι. Unde *Plinius* lib. 36. cap. 17. *Chernites ebori simillimus, in quo Darium conditum ferunt.* Chernites, id est, קרניתא *karnita*, nomine facto ex קרן *keren*, id est, *cornu*, quod pro *ebore* usurpatur; literâ *Koph* per χ expressa, ut passim. Tamen *ebur* Hebræi שן *sen*, id est, *dentem* appellant: *Chaldæi* item שן דפיל *sen dephil*, id est, *dentem elephantis*, ut jam diximus. Et elephantum arma pro dentibus habent (i) *Herodotus*, (k) *Aristoteles*, (l) *Dionysius Periegetes*, (m) *Ovidius*, (n) *Juvenalis* (o) *Plinius*, & (p) *Claudianus*. Atque eam sententiam multis rationibus confirmat *Philostratus* ubi supra. Nempe dentium instar hæc ossa ubique levia sunt, & perpolita. Ἀτὰρ τὰ κέρατα χαμαιζήλους ἀποβλαστάνοντα κύκλους πρὸς τῇ ῥίζῃ καθ' ἕκαστον ἔτος, *cornua radici quotannis lineam quandam tornu impressam obducunt*: quod in capreis, & ovibus, & bobus videre est. Et, cùm iis solum animantibus crescant cornua, quibus bifida est ungula, elephas habet multifidam. Denique solidi sunt elephanti dentes, non cornuum instar concavi. Hæc ferè *Philostratus*. Quod secuti *Arabes*, qui verborum proprietati maximè student, *dentes* appellant, non *cornua*. *Damir*, تعظما ناباه وربما بلغ الواحد منهما ماية من *Ita crescunt duo dentes ejus, ut quandoq; centum minarum pondus singuli exæquent.* Neque verum est has partes tam esse tractabiles, quam *Oppianus* credi volunt, & eborario cornuum instar cedere, cum rigidissima sit eboris materia, nec unquam flectatur in arcus. Scalpitur quidem, & politur, sed magno nisu, ut hippopotami dentes. Neque homini soli dentes decidere concesserim, cùm idem equo, mulo, & asino contingere *Philosophus* disertè asserat *Hist.* lib. 2. cap. 1. Fatendum tamen hæc elephantum ossa ex cranio oriri, & ad instar cornuum ex venis cephalicis alimentum suum trahere. Proinde iis, qui eboris materiam dentes vocant, ita accedo, ut illos dentes agnoscam cum cornibus aliquid habere commune. Quocirca *Ezech.* 27. *v.* 15. mixto nomine vocantur קרנות שן, *cornua dentis*, quasi mediam inter dentes & cornua naturam obtineant.

(c) De ling. Lat. lib. 6.
(d) In Eliac.
(e) Hist. lib. 4. cap. 31. & lib. 14. cap 5.
(f) Venat. lib. 2.
(g) Lib. 8. cap. 3.
(h) Apollon. lib. 2. cap. 6.

(i) Apud Plin. ubi supra.
(k) De partib. lib. 3. cap. 2. & Hist. lib. 2. c. 5.
(l) Versu 116.
(m) Metam. lib. 8. cap. 4.
(n) Sat. 11.
(o) Lib. 8. cap 3.
(p) De Laud. Stilich. lib. 3.

CAPUT VIGESIMUM QVINTUM.

De Elephantorum in bellis usu.

Elephantorum in bello usus in India *ab omni ævo.* Bacchus, *devicta* Indiâ, *elephanto vectus triumphat.* *Regi* Indorum *elephantum cum tribuit* Ctesias. Poro *quot elephanti fuerint, aliis item* Indiæ *Regibus.* Seleuco *quingenti elephanti ab* Androcotto, *vel* Sandrocotto, *donati.* *Inde* Seleucus ἐλεφαντάρχης *dictus.* Alexandri *successores elephantis in bello usi: &* Pyrrhus. *Elephantorum venatio à* Ptolemæo Philadelpho *instituta.* Ptolemais Theron, *vel* Epitheras, *ad hoc condita.* *Inscriptio vetus eâ de re in* portu Adulitico. *Circa idem tempus* Carthaginenses *elephantos ad bellum instituere inceperunt.* *Elephantorum usus paulò post penè ubiq; abolitus, præterquam in* Indiis. *Causa tam subitæ mutationis.* Romani *bellicis elephantis inexpiabile bellum penè ubiq; indixerunt.* *Elephantes in bellis sæpe obesse, probatur ex Historiis.* *Elephanti ab* Alexandro *quàm contempti.*

IN libris *Macchabæorum* aliquot locis agitur de usu elephantorum in bellis. Cujus inventi gloria tota debetur *Indis*. Unde ad reliquos populos paulatim pro-

propagatum per pauca sæcula duravit. Sed in *India* ab omni ævo id usurpatum, & hodieque manet. *Aristoteles. Hist.* lib. 9. cap. 1. Χρῶνται δ' οἱ Ἰνδοὶ πολεμιστηρίοις, καθάπερ τοῖς ἄρρεσι, καὶ ταῖς θηλείαις· *Iis ad bellum utuntur* Indi, *sive maribus, sive fœminis. Plinius* de *Indorum* elephantis, lib. 6. cap. 19. *Iis arant, iis vehuntur, hæc maximè novêre pecuaria, iis dimicant, militantq́; pro finibus.* Et de *Calingarum* regione *Partali* ibidem, *Regi elephanti* DCC *in procinctu bellorum excubant.* Et de *Taluctis, Rex horum elephantos* CCCC *in armis habet.* Et de *Palibothris, Regi eorum elephantorum novem millia per omnes dies stipendiantur.* Proinde in *Græcorum* fabulis, cùm expeditionem suscepit *Bacchus* adversus *Deriadem* Regem *Indorum*,

Στεινὸς δ' αὖ καλέοντι τότε πρόμος ἤλθε Πυλαίτης,
Ὀρθοπόδην ἐλέφαντα κατὰ κλόνον ἡνιοχεύων·

Deriadi *vocanti tum primus adfuit* Pylætes, *recti-pedem elephantem ad pugnam agitans.* Et *Bacchus* ipse, inde redux, *Amazones* terruit,

Ἠλιβάτων λοφιῇσιν ἐφεδρήσσων ἐλεφάντων,

sublimium elephantum cervicibus insidens. Ita *Nonnus* lib. 26. Et *Diodorus* lib. 4. eundem *Bacchum* scribit, post devictam *Indiam*, καταγαγεῖν πρῶτον τῶν ἁπάντων θρίαμβον ἐπ' ἐλέφαντος Ἰνδικοῦ, *primum omnium Indico elephante vectum triumphasse. Plinius* item libro octavo capite secundo, *Romæ juncti primum subiêre currum* Pompeji Magni *Africano triumpho: quod prius, India victa, triumphante* Libero Patre, [illegible]. Sic, auctore *Diodoro* lib. 2. antiquissimo *Indorum* Regi *Stabrobati* fuêre ἐλέφαντες πολλοὶ καθ' ὑπερβολὴν λαμπρῶς κεκοσμημένοι, εἰς τὸν πόλεμον καταπληκτικοί, *multi elephantes valde magnificè instructi, ad bellum terribiles.* Quibus, in *Indico* bello, pro veris elephantis, elephantorum imagines, ex nigris boum pellibus concinnatas, & camelis impositas, opposuit *Semiramis.* Et, si *Ctesiæ* credimus apud *Ælianum* lib. 17. cap. 29. cum Rex *Indorum* bellum movet, δέκα μυριάδες ἐλεφάντων προηγοῦνται μαχίμων, *bellatorum elephantorum præcedunt centum millia.* Addit, sequi ter mille alios maximos, & validissimos, οἵπερ εἰσὶ πεπαιδευμένοι τὰ τείχη τῶν πολεμίων ἀνατρέπειν ἐμπίπτοντες, ὅταν κελεύσῃ βασιλεύς· ἀνατρέπουσι δὲ τοῖς στέρνοις, *qui ad muros hostium ipso incursu evertendos instituti sunt, quandocunq; Rex jusserit, pectoribusq́; evertere.* Ideoque hos elephantes *Photius* τειχομαχοῦντας vocat, id est, *murorum subversores.* Quæ, utut hyperbolica, atque in majus aucta, tamen hoc saltem docent, elephantos ab *Indis* jam olim in bellorum usum fuisse adhibitos, & *Græcos* ex veteri fama id habuisse compertum. Neque hæc falsò jactari patuit, cùm Rex *Indorum Porus Alexandro* opposuit ducentos elephantos, horum maximo ipse insidens. Ita est in *Arriano.* Sed *Diodorus* nonnisi CXXX numerat: Curtius solùm LXXXV. Horum octoginta capti, reliquis in prælio cæsis. Alios tamen elephantos *Porum* non multo post comparâsse ex *Diodoro* patet, qui *Eudamum* ex *India* venisse dicit cum elephantis CXX post *Alexandri* mortem *Poro* ablatis. Sed & ex *Indorum* Regibus nō paucos elephantes tum habuisse memorantur *Aphrices, Omphis, Taxiles, Musicanus,* & *Sambus*, quorum plerique *Alexandro* cesserint. Et trans *Gangem* coluisse *Gangaridas*, & *Pharrasios*, cum suo Rege *Agramme*, cujus elephanti trium millium numerum expleverint. Hæc *Curtius* omnium modestissimè: *Diodorus* enim (qui pro *Agramme Xandramen* vocat, populosque ei subjectos *Tabrasios* & *Gangaridas*) huic tribuit ἐλέφαντας πολεμικοὺς κεκοσμημένους τετρακισχιλίους, *elephantes ad bellum instructos quater mille*; & apud *Plutarchum* in *Alexandro*, [illegible] μαχίμους ἐλέφαντας ἑξακισχιλίους ἔχοντες οἱ Γανδαριτῶν, καὶ Πρασίων βασιλεῖς ὑπομένειν, *dicebantur* Gandaritarum, *& Prasiorum Reges bellicorum elephantorum sex millia semper habere.* In *Solino*, Rex *Prasiorum*, quos & *Palibothros* nominarunt, *elephantorum octo millia omnibus diebus ad stipendium vocat.*

At Plinius *novem millia* memorat. Sic *Strabonis* libro decimo quinto legimus apud *Seres* ἀριστοκρατικήν τινα σύνταξιν πολιτείας ἐκ πεντακισχιλίων βουλευτῶν συνεστῶσαν, ὧν ἕκαστον παρέχεσθαι τῷ κοινῷ ἐλέφαντα, *Aristocraticum quendam gubernationis ordinem, constantem ex Senatorum quinq; millibus, quorum singuli elephantem in commune conferant.* Quæ saltem ex parte vera esse suadet, quod unus *Indiæ* Rex, *Androcottus*, vel *Sandrocottus*, qui regnavit non diu post *Alexandrum, Seleuco* πεντακοσίους ἐλέφαντας ἐδωρήσατο, *quingentos elephantos dono dedit.* Quæ tanta Regis illius in *Seleucum* munificentia ne supra fidem esse videatur, ejus causam his verbis aperit *Strabo* lib. 15. in *Arianæ* descriptione. *Eorum, quæ prope* Indum *sunt, partem habent* Indi, *cùm prius* Persarum *fuissent.* Alexander *autem* Arianis *ademerat, & peculiares ibi præfecturas sibi constituerat. Postea* Seleucus Nicator *ea* Sandrocotto *dedit, contracta cum eo affinitate*, καὶ ἀντιλαβὼν ἐλέφαντας πεντακοσίους, *& quingentis elephantis vicissim ab illo acceptis.* Pro quingentis *quinquaginta* perperam reddidit *Xylander*, neque id monuit magnus ille *Casaubonus.* Proinde, cum *Seleuco* fuerint multo plures elephanti, quàm reliquis *Alexandri* successoribus, illum *Demetrii* adulatores ἐλεφαντάρχην per contemptum appellabant. Ita ex *Phylarcho* testantur *Athenæus* lib. 6. & *Plutarchus* in *Demetrio.* Qui idem *Seleucum* narrat, cum conjuratis Regibus in *Antigonum* decertaturum, in castris habuisse quadringentos elephantes, cùm *Antigono* non essent supra quinque & septuaginta.

Nempe elephanti, qui ad *Alexandrum* usque in sola *India* bellis inservierant, tum demum ab aliis gentibus in hunc eundem usum adhiberi cœperunt. Itaque inter *Alexandri* successores vix ullum à *Diodoro* prælium describitur sine elephantis. Et *Pyrrhus*, hos statim sequutus, *Romanos* elephantorum, quos *Italia* nondum viderat, mole, & barritu non parum exterruit. Cui æqualem, *Ptolemæum Philadelphum* primum *Ægypti* Regum ajunt ἐλεφάντων θήραν συστήσασθαι, *elephantorum venationem instituisse.* Ita refert apud *Photium Agatharchides.* Quod de *Æthiopicis* elephantis accipiendum docent hæc *Hieronymi* in *Danielem* de eodem *Ptolemæo*; *Narrant Historiæ habuisse eum peditum* CCM, *equitum* XXM, *curruum* MM, *elephantos, quos primus eduxit ex* Æthiopia, CCCC. In *Appiani Alexandrini* Præfatione ad libros *Bellorum Civilium* solum trecenti numerantur. *Meis*, inquit, *Regibus fuisse erant copiæ peditum* CCM, *equitum* XLM, καὶ ἐλέφαντες πολεμισταὶ τριακόσιοι, *& elephantorum in bellicos usus* CCC, *& curruum* IIM, &c. *Ex commentariis quippe regiis colligitur hunc belli apparatum habuisse, & reliquisse, secundus* Ægypti *Rex post* Alexandrum, id est, *Ptolemæus Philadelphus.* Sed fortasse pro τριακόσιοι legendum τετρακόσιοι. Utut sit, sub eodem Rege ad elephantorum venationem in *Æthiopia* condita est *Ptolemais, Theron*, vel *Epitheras* inde dicta. *Strabo*, lib. 16. μεθ' ἣν ἡ Πτολεμαῒς πρὸς τῇ θήρᾳ τῶν ἐλεφάντων, κτίσμα Εὐμήδους τοῦ πεμφθέντος ἐπὶ τὴν θήραν ὑπὸ τοῦ Φιλαδέλφου· *Post quam est* Ptolemais *ad elephantum venationem ab* Eumede *condita, qui venatum missus fuerat sub* Philadelpho. *Plinius* lib. 2. cap. 73. *In eadem gente* (Troglodytarum) *Ptolemaide oppido, quod in margine Rubri Maris ad primos elephantorum venatus conditum est.* Et lib. 6. cap. 29. *Ultra Sylvæ, ubi* Ptolemais *à* Philadelpho *condita ad venatus elephantorum, ob id* Epitheras *cognominata. Arrianus* in *Periplo*, Πτολεμαῒς ἡ τῶν θηρῶν λεγομένη, ἀφ' ἧς οἱ ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως θηρευθέντες ἀνέβαινον (malim ἀνέβαλον · Ptolemais Theron *dicta, ex qua exibant, qui* Ptolemæo *Regi venabantur.* Itaque in Inscriptione, quam *Philadelphi* filius *Ptolemæus Evergetes* in *Adulitico portu* consecraverat, inter cætera hæc legebantur, Ἐξεστράτευσεν εἰς τὴν Ἀσίαν μετὰ δυνάμεων πεζικῶν, καὶ ἱππικῶν, καὶ ναυτικοῦ στόλου, καὶ ἐλεφάντων Τρωγλοδυτικῶν, καὶ Αἰθιοπικῶν,

κῶν, ὡς ὅτι πατὴρ αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς πρῶτος ἐκ τῶν χωρῶν τούτων ἐθήρευσαν, καὶ καταγαγόντες εἰς Αἴγυπτον, κατεσκεύασαν πρὸς τὴν πολεμικὴν χρείαν. *Expeditionem suscepit in* Asiam *cum copiis pedestribus, & equestribus, & nautica classe instructus, &* Troglodyticis, Æthiopicisque *elephantis, quos pater ejus, & ipse primi ex iis locis venati sunt, & in* Ægyptum *adductos ad bellicos usus instituerunt.* Exstabat adhuc hæc inscriptio sub *Justino* Imperatore, ut testatur vetus Scriptor, ex quo illam exhibet noster *Vossius* in *Melam* pag. 290. *Carthaginenses* quoque, in quorum vicinia nascebantur elephanti, tamen ante hæc tempora iis ad bellum usi non sunt. *Timoleonti* saltem, qui *Alexandri* tempus attigit, non leguntur ullos opposuisse elephantos: ut neque *Agathocli*, qui *Alexandri* successoribus fuit æqualis. At *Agathocli* successit *Hiero*, quo regnante primum bellum *Punicum* in *Sicilia* natum, & confectum est, postquam durâsset annos viginti quatuor. In quo bello nemo nescit sæpe elephantos præliis grave momentum addidisse.

Tum igitur, tam apud Austri quam apud Orientis populos, frequens fuit in bellis elephantorum usus. Qui tamen sequente sæculo ferè ubique est abolitus, præterquam in *Indiis*. Nam, post *Jugurtha* bellum, qui elephantos XXXIV ad pugnam instruxerat, horum usus est valde infrequens. Proinde *Vegetius* lib. 3. cap. 24. eorum censum, qui *Romanis* has belluas opposuerunt, postquam incepit à *Pyrrho* Rege, in *Jugurtha* terminat, quasi qui non alium noverit, qui post *Jugurtham* eos in bellis adhibuerit. Quod *Romanis* partim tribuo, qui bellicis elephantis inexpiabile bellum indixerant. Itaque in illis temporibus, quoties cum hoste transactum, in pacis conditionibus ferè hoc fuit, ut ne ullos aleret elephantos. Ita, post secundum bellum *Punicum*, pax *Carthaginensibus* eâ lege concessa, *ut traderent elephantos quos haberent domitos, neque domarent alios*; *Liv.* lib. 30. & *Polyb.* lib. 15. Et *Macedonum* Regi *Philippo* à *Romanis* Legatis decem inter cætera hoc præscriptum est, *Ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum*; *Liv.* lib. 33. *Antiochus* quoque jussus est *quoscunque haberet elephantos tradere, neque alios deinceps tenere.* Proinde sub *Eupatore*, cum intellexisset Senatus elephantorum gregem in *Syria* servari, *Legatos misit, qui elephantos interfici juberent. Miserandum itaque spectaculum præbuit bestiarum interitus, jam mansuetarum, & quæ raræ apud omnes erant.* Hæc *Appianus* in *Syriacis*. *Jugurtha* denique, in deditionem acceptus, uti imperatum erat, elephantos triginta tradidit, ut *Salustius* auctor est.

Præterea, magistra rerum experientia palàm fecit elephantos, ut in bellis quandoque plurimum conferunt, ita etiam non rarò obesse. Sæpe enim, hostium telis petiti, in suos convertuntur, illisque adeò plus damni, quàm hostibus inferunt. Quod de *Pori* elephantis veteres constanter docent. *Curtius* lib. 8. *Elephanti, vulneribus tandem fatigati, suos impetu sternunt, & qui rexerant eos præcipitati in terram ab ipsis obterebantur.* Diodorus *lib.* 17. Ἐκτρέποντα γὰρ εἰς τοὺς ἰδίους (τὰ θηρία) ταῖς ὁρμαῖς ἀκατασχέτοις ἐφέρετο, καὶ τοὺς φίλους συνεπάτει· *In suos enim conversæ belluæ tanto impetu ferebantur, ut contineri non possent, & amicos conterebant.* Arrianus *lib.* 5. Οὐ μείω πρὸς αὐτῶν οἱ φίλοι, ἤπερ οἱ πολέμιοι ἐβλάπτοντο, ἐν ταῖς ἐπιστροφαῖς τε, καὶ τοῖς ὠθισμοῖς καταπατούμενοι· *A belluis amici non minùs, quam hostes lædebantur, illarum conversione, atque impulsione obtriti.* Ità, cùm *Pyrrhus Romanis* tertio congressus est, narrat *Plutarchus* τὰ θηρία, φυγῇ χωροῦντα διὰ τῶν συμμάχων ὀπίσω, ταραχὴν ἀπειργάσατο καὶ σύγχυσιν, ἣ τὸ νίκημα παρέδωκε τοῖς Ῥωμαίοις, *belluas, per suos fuga delatas, ordines turbasse, & dissipasse, quæ res Romanis victoriam dederit.* Hinc *Florus* lib. 1. cap. 18. *Eadem feræ, quæ primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sine controversia tradidêre.* Et in secundo bello *Punico*, *Hannone* cum *L. Postumio*, & *Q. Mamilio* manum conserente, non procul ab *Agrigento*, cum fugaces è prima acie in belluas incidissent, & stantes à tergo reliquos ordines, συνέβη πᾶν συνταραχθῆναι τὸ τῶν Φοινίκων στρατόπεδον, *evenit, ut universus* Pœnorum *exercitus conturbaretur*: unde totius aciei inclinatio, & magna strages consequuta est. Ita *Polybius* lib. 1. pag. 19. Rursus ibidem pag. 42. in prælio inter *Asdrubalem* & *Cæcilium* sub *Panormi* mœnibus edito, συμβαλλόμενα, καὶ κατατραυματιζόμενα (τὰ θηρία) ταχέως διεταράχθη, καὶ στραφέντα κατὰ τῶν ἰδίων ἐφέρετο, τοὺς μὲν ἄνδρας καταπατοῦντα, καὶ διαφθείροντα, τὰς δὲ τάξεις συγχέοντα, καὶ καταπατοῦντα τὰς αὑτῶν; *Telis confossa, vulneribusque confecta* (belluæ) *statim disturbata sunt, & conversa in suos ruebant, singulos obterentes, & interimentes, ordinesque confundentes, ac dissipantes.* Item in *Canusina* pugna inter *Marcellum* & *Annibalem*, (*Liv.* lib. 27.) *Cn. Decimius Flavius* tribunus militum *dixit ubi maxime tumultum conglobatæ belluæ faciebant, pilaque in eas conjici jussit. Hæsêre omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, & tam conferta turba. Sed ut non omnes vulnerati sunt, ita in quorum tergis infixa stetêre pila, ut est genus anceps, in fugam versi, etiam integros avertere. Tum jam non unus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo assequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila conjicere. Eò magis ruere in suos belluæ, tantòque majorem stragem edere, quam inter hostes ediderant, quantò acrius pavor consternatas agit, quàm insidentis magistri imperio reguntur.* Paulo aliter *Plutarchus* in *Marcello*; Flavius *tribunus militum, signo arrepto, occurrit belluis, ac primum elephantum hastili percussum in fugam vertit.* Et paulo post, *Maximam stragem hostium cæsarum ruentesque ediderunt belluæ. Dicuntur amplius octo millia cæsa.* Qui cæsorum numerus etiam in *Livio* legitur. Ita, in illustri pugna inter præstantissimos duces *Scipionem*, & *Annibalem*, elephanti octoginta, quibus maximè confidebat *Annibal*, ululatu, & tubarum sono territi, fuga præpropera, ac præcipiti in *Mauros*, & *Numidas* conversi sunt. Quod *Romanis* non parvi fuit momenti ad victoriam consequendam. Vide *Polybium* lib. 15. & *Livium* lib. 30. Sic quoque in *Ægyptiaco* bello inter *Antiochum Magnum* & *Ptolemæum Philopatorem*, ut *Polybius* auctor est lib. 5. τὸ μέρος ἤδη τὸ τῶν Πτολεμαίου πιεζόμενον ὑπὸ τῶν θηρίων ἐνέκλινε, Ptolemæi *agmen belluis urgentibus est inclinatum*, illis, inquam, belluis, quas in copiis suis habebat, cum *Indici* elephantes in *Antiochi* exercitu illas in fugam egissent. Sed & in *Romani* Consulis *Q. Philippi Martii* copiis, quibus *Macedoniæ* Regem *Persem* aggressus est, *hostilem prope tumultum agminis elephanti præbebant, qui, ubi ad invia venerunt, dejectis rectoribus, cum horrendo stridore, pavorem ingentem equis maxime incutiebant.* Ita *Livius* lib. 44. Et alibi in eodem libro, *Tum elephanti in acie nomen tantum sine usu fuerunt.* Et de iisdem *Ampelius*, *Cum inanibus elephantorum simulachris à* Marco *Consule apud* Scyriam (*al.* Ascurim) *paludem victus.* Nempe *Perses*, ut *Semiramis Libycis*, *Romanorum* elephantis elephantorum simulachra opposuerat, sed æquè irrito successu, ut habetur in *Diodoro* ubi supra. Non hic omittendum, quod in bello *Africano* habet *Hirtius*, ubi de pugna prope *Thapsum* inter *Cæsarem* & *Scipionem*: *Bestiæ* (LXIV. in *Scipionis* exercitu) *stridore fundarum, lapidumque perterritæ, sese convertêre, & suos post se frequentes stipatosque proterere, & in portas valli semifactas ruere contendunt.* Tamen idem scripserat has easdem bestias magna arte *Scipionem* condocefacere conatum, nè facilè perterrerentur. Usque adeo verum est, quod ibidem ab eo additur, *Audere elephanti, multorum doctrina, usuque vetusto vix edocti, tamen communi periculo in aciem producuntur.* Quod si libet descen-

descendere ad inferiora secula, eodem facient hæc *Ammiani* lib. 25. de *Parthorum* copiis, *Elephantis insidentes magistri manubriatos cultros dextris manibus illigatos gestabant, accepta apud* Nisibin *memores cladis. Et si ferociens animal vires exsuperasset regentis, ne reversum per suos, ut tunc acciderat, collisam sterneret plebem, vertebram, quæ caput à cervice disterminat, ictu maximo terebrabant.* Tum scilicet, cum *Nisibis* à *Sapore* obsessa est, *Sergio* & *Nigriniano* Consulibus, elephanti repulsi, atque in suos conversi, decem hominum millia obtrivêre, ut ex *Volagesi Nisibeni* Episcopi epistola refert auctor *Chronici Alexandrini.* Proinde *Alexander* milites videns à transitu *Gangis* deterreri metu elephantum Regis *Gangaridum*, qui dicebatur horum habere multa millia, illos confirmat his verbis, (a) *Quod pertinet ad elephantes, præsens habemus exemplum. In suos vehementiùs, quam in nos incurrerunt. Tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt. Quid autem interest, totidem sint, quot Porus habuit, an tria millia, cum, uno, aut altero vulneratis, cæteros in fugam declinari videamus? Deinde paucos quoque incommodè regunt. Congregata verò tot millia ipsa se elidunt, ubi nec stare, nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. Equidem sic animalia ista contempsi, ut, cum haberem, ipse non opposuerim: satis gnarus plus suis, quam hostibus periculi inferre.* In quibus verbis causæ habentur, cur tandem eviluerint, iisque fuerint contemptui, quibus olim terrori fuerant. His non possum non addere, quod in *Olearii Indicis* nuper legi (lib. 1. pag. 175.) hodiéque in Regis *Indorum* copiis sæpe accidere, ut elephanti, in quibus præcipua belli moles consistit, ignibus ex pyrobolis machinis excussis consternati, sic perturbentur, ut suos longè gravius, quam hostes lædant.

a) Curtius, l.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Historia de Elephantis, à quibus *Judæi, Alexandriæ* obterendi, à Deo per miraculum servati sunt.

Argumentum libri tertii Macchabæorum, *qui potius primus dicendus. Suspectum, quod quingentos elephantos habuisse legitur* Ptolemæus Philopator. *Elephanti vino thure condito efferati. Tali potu etiam homines ad insaniam adigi. Itaque capite damnatis oblatus fuit. Myrrhatum vinum* Christo *oblatum. Myrrha pro quovis aromate. Bellicis elephantis quale vinum dari solitum. Eosdem ordei succo mitigari negantur* Plinius *&* Solinus. *Quod de animali* Græci *non scribunt, sed de dente; qui, zytho immersus, redditur tractabilior. Elephanti homines non solum pedibus, sed & genibus obterunt. Genua illis esse rigida multi scribunt.* Arabum *fabula de elephante Regis* Abraheth. *Quomodo is genu semper flexerit, cum* Meccham *versus impelleretur. Sine flexu cruris nullus incessus. Elephantem genu flectere.* Peristylium, *&* Hippodromus, Alexandriæ *loca.* Epiphanius *emendatus. Historia in* Josepho, *qualis lib.* 3. Macchab. *sed res diverso tempore, & aliâ occasione gesta.*

His præmissis, explicabimus quidquid de elephantis habetur in tribus libris *Macchabæorum*, initio facto à tertio, qui melius dicatur primus, cum rei ante *Macchabæorum* tempora gestæ historiam contineat. Ibi nempe narratur gravissima *Judæorum* in *Ægypto* calamitas sub *Ptolemæo Philopatore*, atque ab eadem insignis liberatio. Summa est, *Philopatorem*, postquam *Antiochum* prope *Raphiam* devicisset, ivisse *Hierosolymam*; &, post oblatum sacrificium, cum à Templi adyto fuisset prohibitus, in *Ægyptum* reversum, iram in *Judæos Ægyptienses* convertisse, & jussisse, ut, abdicata religione, idolis immolarent, aut belluis obterendi objicerentur. Has fuisse numero quingentas, quibus vino thure condito inebriatis, cum *Judæi*, ex tota *Ægypto* per quadraginta dies *Alexandriam* pertracti, jamjam essent offerendi, belluas rabiem suam in carnifices convertisse, multosque eorum proculcâsse, & profligâsse: Regemque, cum tanti sceleris incentoribus, terribili quadam visione ab incepto deterritum, non solùm *Judæos* intactos dimisisse, sed & magnis honoribus, & privilegiis auxisse. Quinetiam per plures dies hilaria à *Judæis* acta, publicum epulum præbente Rege.

In his haudquâquam capio, quod tum temporis *Philopater* habuisse legitur quingentos elephantos; cum paulò ante, in prælio ad *Rhaphiam* nonnisi LXXIII *Antiocho* opposuerit: quorum τὰ μὲν τετταράκοντα κατὰ τὸ λαιὸν, ἐφ' οὗ Πτολεμαῖος αὐτὸς ἔμελλε ποιεῖσθαι τὸν κίνδυνον· τὰ δὲ τριάκοντα καὶ τρία πρὸ τοῦ δεξιοῦ κέρατος ἐπέταξε, *quadraginta lævum cornu occupabant, ubi* Ptolemæus *ipse pugnam erat facturus; tres & triginta ad dextrum cornu fuerant locati.* Qui ipse elephantorum numerus multum fuerat imminutus. Quippe in ipsa pugna τῶν ἐλεφάντων ἑκκαίδεκα μὲν ἀπέθανον, καὶ ἥλωσαν δ' αὐτῶν οἱ πλείους, *ex elephantis sexdecim trucidati fuerant, reliquorum pars magna capta.* Ita *Polybius* lib. 5. Itaque vix ac ne vix quidem anno post illam pugnam proximo potuit habere *Ptolemæus* quingentos elephantos. Utut sit, hos elephantos jussit tyrannus δαψιλέσι δράκεσι λιβανωτοῦ, καὶ οἴνῳ πλείονι ἀκράτῳ ποτίσαι, *id est, thuris manipulis, multoque vino mero potari*, id est, *multo mero thure condito*; ut infra dicitur, ἠγριωθέντες τῇ τοῦ πόματος ἀφθόνῳ χορηγίᾳ, *efferati copiosâ potûs illius subministratione*, in *Judæos* neci devotos majori impetu ruerent. Quippe homines etiam vinum copiosè sumptum de statu mentis dejicit, atque ad insaniam adigit. Unde *Apuleius, Florid.* lib. 4. *Prima cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.* Maximè, si thus admisceatur, quod μανιώδης δὲ πινόμενον ὑπὸ τῶν ὑγιαινόντων, *à sanis potum, furorem excitat.* Ita *Dioscorides* lib. 1. Et *Serapio*, *Si nimis cum vino biberint, inducit maniam.* Et *Damir*, واذا شربه الاصحا جننهم *Illud sani cum bibunt, dementes eos facit.* Proinde capite damnatis hunc potum *Judæi* offerebant, ut mortis metum ex eorum animis sic excuterent. *Talmudici* in *Sanhedrin* cap. 6. fol. 43. a. היוצא ליהרג משקין אותו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו *Et, qui exit necis tradendus, propinatur granum thuris in calice vini, ut mens ejus perturbetur.* Ubi *Glossator* addit, דלא ידאג ויתמהמה בהריגתו *Ne mœreat, atque ut stupidus fiat, cum morti addicitur.* Huc docti referunt, quod *Christo* in crucem figendo bibendum obtulerunt ἐσμυρνισμένον οἶνον, *myrrhatum vinum.* Marc. 15, 23. *Myrrhatum*, id est, *myrrhâ conditum*, vel *thure* etiam; quia מור *mor*, *Hebræis*, & *Syris*, primò *myrrham* significat, deinde etiam *aroma quodvis.* Unde *Græcorum* μύρον, quod ex *Hebræo* מור *mor*, ita factum est, ut non solùm *myrrhinum*, sed & *unguentum quodvis* sonet. In *Marco* igitur ἐσμυρνισμένον idem est, quod μεμυρισμένον, vel etiam λελιβανωμένον. Qua voce infra utitur Scriptor noster, quo loco describit τὰ θηρία οἴνῳ λελιβανωμένῳ φοβερῶς κεκοσμημένα, *belluas vino thure condito terribiliter instructas.* Alii Scriptores elephantem solo vino inebriari tradunt. *Aristoteles* in libro *De ebrietate*, Μεθύσκονται πίθηκος καὶ ἐλέφας, πίνοντες οἶνον· *Simia & elephas vini potu inebriantur.* Ita citat

Athenæus

Athenæus lib. 10. Et *Ælianus*, *Var.* lib. 2. cap. 40. Πιθηκος δὲ, καὶ ἐλέφας, ἐπὰν οἶνον πίνωσιν, ὁ μὲν τῆς ἀλκῆς ἐπιλανθάνεται ὁ ἐλέφας, ὁ δὲ τῆς πανουργίας· καὶ εἰσιν ἁλῶναι ῥᾷστοι ἀμφότεροι. *Simia, & elephas, si vinum biberint, hic sui roboris facile obliviscitur, ille versutiæ: & præ imbecillitate sunt captu faciles.* Bellicis tamen elephantis vinum propinari scribit idem *Hist.* libro 13. cap. 8. at non nativum ex vitibus, sed factitium ex oryza, vel ex calamis. Verba sunt, Ἐλέφαντι δὲ πολεμιστῇ οἶνον μὲν, εἰ δίδοιτο, ἀλλ᾽ οὐχ ὑπ᾽ ἀμπέλου· ὕδωρ, πόμα ἐστὶ τοῖς εἰς πόλεμον ἀσκοῦσι· οἶνον μὲν, ἀλλ᾽ οὐ τὸν ἀμπέλου, ἐπεὶ τὸν μὲν ἐξ ὀρύζης χειρουργοῦσι, τὸν δὲ ἐκ καλάμων.

Si *Plinio* & *Solino* credimus, succus ordei contrarias habet vires. Quos enim vinum irritat, atque exasperat, eosdem ordei succo mitigari tradit uterque. Ita scilicet *Plinius* lib. 8. cap. 7. *Capti celerrime mitigantur ordei succo.* Et *Solinus* in capite de *Mauritania*, *Cum captivitate venerint in manus hominum, mansuescunt hausto ordei succo.* Sed in utroque manifestus error. Nam ordei succus est zythum, quo cum *Græci* τὸν ἐλέφαντα tractabilem reddi scribunt, *ebur* hoc nomine, ut passim, intelligunt, non *elephantem animal.* *Dioscorides*, lib. 2. in cap. *De zytho*, Εὐεργὴς δὲ καὶ ὁ ἐλέφας γίνεται βρεχόμενος αὐτῷ, *Eo madefactus elephas fit ad opus tractabilis*: id enim propriè est εὐεργής. Itaque de ebore agitur, quod zytho immersum fit ad omne opus ductile. *Plutarchus* ferè in fine libri *Num improbitas sufficiat ad infelicitatem*, τὸν ἐλέφαντα τῷ ζύθῳ μαλακὸν γινόμενον, καὶ χαλῶντα, κάμπτουσι, καὶ διασχηματίζουσιν· ἄλλως δὲ οὐ δύνανται. *Elephantum zytho mollem, atque ductilem factum flectunt, atque efformant: aliter autem non possunt.* *Elephantem*, id est, *ebur*, ut palam docet orationis tota series. *Symeon Sethi*, capite φουκᾶς *phucas* (quomodo *zythum* vocant *Græci* posteriores, ut *Arabes* الفقاع *alphuka*) Ἐλέφαντα ἐς ὃ ἀεὶ καιρὸν ἐμμείναντα τοῦτο (lege τούτῳ) μαλάσσεται δίκην κηροῦ. *Elephantis ossa aliquamdiu in illo manentia ceræ instar molliuntur.* *Elephantis ossa*, id est, *ebur*, quod *Syri* vocant ܓܪܡ ܦܝܠܐ *gremphila*, id est, *os elephantis*, ut supra (a) docuimus. *Avicenna* lib. 2. in capite *De phuca*, ان نقع فيه العاج لينه فيسهل عليه العمل *Si ebur in eo maceratur, mollit illud, & reddit ad opus tractabile.* Quod esse *Democriti* inventum colligere est ex his *Senecæ* Epist. 90. *Democritum invenisse ajunt quemadmodum ebur molliretur.* Nonnulli *poliretur*, perperam. Hæc, jam pridem ab aliis ex parte observata, mirum est fugisse magnum virum, qui in *Solinum* tam multa scripsit.

(a) Cap. 23. hujusce libri pag. 248.

Elephantis, quomodo diximus, paratis, atque instructis, juravit Rex impius se *Judæos* ἀνυπερθέτως πέμψειν εἰς ᾅδου, ἐν γόνασι, καὶ ποσὶ θηρίων ᾐκισμένους, *sine mora missurum ad Inferos, belluarum genibus, & pedibus cæsos.* Neque enim solis pedibus, sed & elephantum genibus homines atteruntur. *Ælianus*, *Hist.* lib. 8. cap. 10. ubi de venatione elephantorum, Πατουμένων δὲ τῶν ἁλισκομένων, καὶ ἀλοωμένων τοῖς γόνασιν, ἀράβησις πολὺς τῶν ὀστῶν συντριβομένων ἀκούεται καὶ πόρρωθεν. *Eorum hominum, qui capiuntur, (ab elephantis) pedibus conculcatorum, & genibus obtritorum ossa tanto confringuntur strepitu, ut is eminùs audiatur.* *Hirtius* in *De bello Africano*; *Cum in sinistro cornu elephantus, vulnere ictus, & dolore concitatus, in lixam inermem impetum fecisset, eumque sub pede subditum, deinde genu innixus, pondere suo, proboscide erecta, vibrantique, stridore maximo premeret, atque enecaret.* Contra quam elephantos nonnulli credunt aut planè carere genibus, aut ea habere rigida, atque inflexa prorsus. In qua sententia fuère multi veterum, multi etiam recentiorum, quibus elephanti non debuerant esse ignoti. Ita *Strabo* lib. 16. ubi de *Elephantophagis*, elephantem tradit semel inclinatum non posse surgere, διὰ τὸ σκέλη διηνεκῆ ὀστοῦν ἔχειν, καὶ ἀκαμπῆ, *quia crura continuum os habent, & flexu carens.* Et *Diodorus* lib. 3. pag 113. Οὐ δύναται τοῖς γόνασι πρὸς τὴν γῆν συγκαθεῖναι τὸ ὅλον ὄγκον *Non potest genibus totam corporis molem demittere.* Item, Πεσὼν δὲ ὕπτιος, μένει τὴν νύκτα κείμενος, διὰ τὴν τοῦ σώματος φύσιν ἀδυνατοῦντος ἀνιστάσθαι προσαναστῆναι· *Cum supinus cecidit, manet tota nocte jacens, quia natura corporis sic comparata non est, ut denuò possit surgere.* *Ælianus Hist.* lib. 4. cap. 31. Καθεύδει γὰρ μὴν ὀρθοστάδην· κατακλίναι γὰρ, καὶ ἐξαναστῆναι, ἐργῶδες αὐτῷ. *Somnum erectus capit; quia recumbere, & resurgere, ipsi est operosum.* Nempe propter genuum τὸ ἀκαμπὲς, ut dissertè docuit *Strabo*. *Solinus* in capite de *Germania*; *Gangavia, insula è regione Germaniæ, emittit animal, quale alces, sed cujus suffragines, ut elephantis, flecti nequeunt.* *Epiphanius* in *Physiologo* cap. 4. postquam proboscide dixit cibum & potum sibi quærere, οὐ γὰρ ἔχει ἁρμοσίας, καὶ κύψας νέμεται, καὶ οὐ κάμπτει γόνατα, *non enim habet compages, inclinatusque pascitur, genua haud incurvans*; addit, non multò post, fœminam in aqua parere: Ἡ γὰρ τίκτεται ἐπὶ τῆς γῆς, inquit, ἀδυνατήσει ὁ σκύμνος ἐγερθῆναι, ἅμα μὴ ἔχων ἁρμοσίαν. *Si enim in terra ederet fœtum, is non posset surgere, cum careat compagibus.* *Basilius* in *Hexaemeron* Homil. 9. Ἀδιαρθρώτοις αὐτῷ οἱ πόδες, ὥσπερ κίονες ἡνωμένοι, τὸ βάρος ὑποστηρίζουσιν· εἰ γὰρ χαῦνα αὐτῷ, καὶ διυγρα ὑπετίθεντο τὰ κῶλα, συνεχεῖς ἂν ἐγίνοντο τῶν ἄρθρων αἱ ἐκτροπαὶ, συνοκλάζοντος, καὶ διανισταμένου, κουφίζειν τὸ βάρος μὴ ἐξαρκούντων. *Inarticulati pedes, tanquam continua columnæ, pondus sustinent. Si enim molles, & infirmi artus ipsi substrati fuissent, crebræ fierent articulorum emotiones, tantam molem allevare non valentium, cum genu flecteret, aut surgeret.* *Ambrosius* in *Hexaemeron* lib. 6. cap. 5. *Non distinctis, ut nobis, sed compactis artus sunt, quo sint robustiores.* *Compactis*, id est, *inarticulati*, ut docent sequentia, quæ vide. Unde *Cœlius*, *Antiq. Lect.* lib. 4. cap. 12. *Genua elephanti non flectunt, uti Ambrosius prodit.* *Damir* quoque elephantem fœminam in amne parere scribit, لانها تلد وهي قايمة ولا فواصل لقوايمها *quia, cum parit, recta stat, eo quod in pedibus nullos habet articulos.* Tamen in *Alcorani* caput الفيل seu *De elephante*, fabulantur prisci *Arabes*, quo anno natus est *Mahometh*, nempe anno æræ *Bicornis*, seu *Alexandri* DCCCLXXXII. ابرهة الاشرم ملك الحبشة *Abraheh* τὸν ῥινότμητον Regem *Abasiæ*, seu *Abyssinorum* regionis, venisse *Mecchã*. ut *Mecchanum* Templum exscinderet, & peregrinos, qui illud quotannis visitabant, ad aliud templum invitaret à se extructum in urbe *Sanaa* ex ruinis palatii *Belkis* Reginæ *Sabæorum*, quæ *Solomonem* inviserat. Cum autem tribus solùm parasangis à *Meccha* abesset, vectus elephante محمود *Machmud*, (ita enim illi vocabant) Prophetam quendam, *Naphil* nomine, illi elephanti hæc in aurem insusurrâsse, ابرك محمود او ارجع راشدا فانك ببلد الحرام *Flecte genu, ò Machmud, aut rectâ viâ revertere: tu enim es in regione Mecchensi Deo devotâ.* Tum verò elephantem genu flexisse, neque unquam pergere voluisse, quamvis virga ferrea ad sanguinem usque cæderetur. Sed, capite in *Jeman* obverso, id est, in intimam *Arabiam*, unde venerat, non solùm surrexisse, sed & expeditè ivisse;

ivisse; atque id ipsum præstitisse, cum in *Syriam* obverteretur (tanquam iturus *Hierosolymam*.) At *Meccham* versus reclinatum, denuò genu flexisse, ac immotum semper stetisse. Ad hæc porro *Scholiastes* recentiores cætera facile concoquunt præter id solum, quod elephas genu flexisse dicitur, quod elephanti naturæ minus convenire putant, veterum suffragiis freti, qui negant elephantum in cruribus ullos habere articulos. Proinde *Assabilius*, ut hinc se expediat, in omnes partes se vertit. Verba sunt,

قوله فبرك الفيل فيه نظر لان
الفيل لا يبرك ولكن يحتمل ان يكون
فعل فعل البارك الذي يلزم موضعه
ولا يبرح فعبر بالبارك عن ذلك
ويحتمل ان يكون بروكه سقوطه
الي الارض لما جا من امر الله
سبحانه وقد سمعت من يقول ان
في الفيلة صنفا يبرك كما يبرك
الجمل فان صح ولا فتاويله ما
قدمنا

De eo disputatur, quod dictum est elephantem flexisse genu; quia elephas non flectit genua: sed fieri potest, ut gestum genuflectentis imitetur, qui in loco suo consistat, neque ex eo recedit, & hoc pro genuflexione acceptum sit. Insuper fieri potest, ut tanquam genuflexio fuerit lapsus in terram, qui evenerit ex Dei mandato, cui sit laus. Quin audivi, qui dicerent inter elephantos quandam esse speciem, quæ genu flectat ut camelus. Quod sive verum sit, aut secus, standum est illi interpretationi, quam primam protulimus. Sed frustrà disputatur de re nihili, & palam fabulosâ. Interim elephanto, qui cruris flexum adimunt, illum eâdem opera immobilem esse statuunt. Verissimè enim *Philosophus* in libro *De incessu animalium* cap. 9. Κάμψεως γὰρ μὴ οὔσης, οὔτ' ἂν πορεία, οὔτε πτῆσις, οὔτε νεῦσις· *Si flexus non sit, neque erit incessus, neque volatus, neque natatio.* Proinde paulò infra de motu agens sine flexu cruris, Καὶ περὶ τῶν ἐλεφάντων, ait, ὁ παλαιὸς οὗτος λόγος τοιοῦτος, οὐκ ἀληθὴς ὤν· *Etiam de elephantis talis est vetus sermo, sed minus verus.* Et *Hist. anim.* lib. 2. cap. 1. Τὰς δὲ κάμψεις τῶν κώλων, καὶ τῶν ὀπισθίων (πάντα τὰ ζῷα) ὑπεναντίας ἔχουσι, καὶ ἑαυταῖς, καὶ ταῖς τοῦ ἀνθρώπου καμπαῖς, πλὴν ἐλέφαντος. *Crurum anteriorum flexus contrarios posteriorum, adeoque hominis etiam flexibus, habent omnia animalia præter elephantem.* Et paulò post, Ὁ δ' ἐλέφας οὐχ οὕτως, ὡς λέγουσί τινες, ἀλλὰ συγκαθίζει, καὶ κάμπτει τὰ σκέλη· *Elephas non se habet, ut quidam volunt; sedet enim, & crura flectit.* Et *Plinius* lib. 11. cap. 43. *Poplites inflectit hominis modo.* Et *Seneca* Epist. 85. *Elephantem minimus Æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem.* Proinde apud *Curtium* lib. 8. *Indus, qui (Pori) elephantem regebat, descendere eum ratus more solito, elephantum procumbere jussit in genua. Qui, ut se submisit, cæteri quoque (ita enim instituti erant) demisere corpora in terram.* Et *Ælian. Hist.* lib. 7. cap. 37. idem ille elephas ἑαυτὸν ὑπέκλινε, καὶ ὀκλάσας ἔμεινεν, ἵνα μὴ ἄνωθεν πεσὼν ὁ Πῶρος, εἶτα μέντοι κακωθῇ σῶμα ἔτι μᾶλλον, *se ipsum inclinavit, & flexis genibus mansit, ne ex alto decidens Pori corpus graviore casu affligeretur.* Et apud eundem, lib. 14. cap. 65. elephanti, cum incidentia singulis decenniis cornua in terram infodiunt, ἐπερειδόμενοι τοῖς γόνασιν αὐτῶν, καὶ ἐπικύψαντες, *eis nituntur genibus incumbentes.* *Plinius* quoque de elephanto in *Orco* pugnante lib. 8. cap. 7. *Pedibus confossis repsit genibus in catervas.* Et *Vartomannus*, *Navigat.* lib. 4. cap. 10. *Apud Canonor, &c. tres elephanti, genibus innixi, capiteque in humum connixo, navigium in terram trahunt. Virum sunt plures, qui existimant in cruribus elephantos non habere internodia, proptereaque ob id se perpetuo stare, quod profecto a vero plurimum abest. Habent enim juncturas ut cætera animalia, sed in ima prope parte crurum.* Et *Osorius* lib. 9. ubi de muneribus ab *Emmanuele* missis ad *Leonem decimum* Anno 1514. *Cum Pontifex è fenestra spectaret, elephantus accessit, & inter genibus flexis, & demisso corporis habitu venerabundus illum salutavit.* Sed & ipse elephantum vidi flexo poplite sessorem suum tam ascensurum quàm descensurum excipientem.

Belluas egregiè instructas ὁ ἐλεφαντάρχης, *Hermon* nomine, ἐν τῷ μεγάλῳ περιστύλῳ διήγειρεν, *in magno Peristylo excitabat*, id est, *exercebat*. Unde in suburbanum *Hippodromum* deducti sunt, ubi *Judæi* in vinculis horam supplicio suo destinatam cum horrore expectabant. *Peristylum* & *Hippodromus* loca erant *Alexandriæ*. Quorum *Peristylum* mihi quidem non est aliunde notum: sed patet ex ipso nomine, *locum significari columnis cinctum*. *Ezech.* 40. & 42. περίστυλον est pars Templi. Et 2. *Macchab.* 4, 46. περίστυλον pars erat regiæ domus, in qua Rex frigus captabat. *Atrium* reddunt interpretes. Apud *Vitruvium* lib. 6. cap. 9. in *Græcis* ædificiis θυρωρεῖον, seu *locum inter duas januas*, sequitur *peristylum in tribus partibus habens porticus.* Sed, quia domus vix est ulla pars, in qua exerceri possint quingenti elephanti, hic περίστυλον non videtur esse pars domus, sed *Alexandriæ* portio, vel platea à columnis, quibus ambiebatur, sic appellata. Cujusmodi plateam in illa ipsa urbe his verbis describit *Achilles Tatius* initio lib. 5. Σταθμὸς μὲν κιόνων ὄρθιος ἑκατέρωθεν ἐκ τῶν Ἡλίου πυλῶν εἰς τὰς Σελήνης πύλας. Οὗτοι γὰρ τῆς πόλεως οἱ πυλωροί· ἐν μέσῳ δὲ τῶν κιόνων τῆς πόλεως τὸ πεδίον, ὁδὸς δὲ διὰ τοῦ πεδίου πολλὴ, καὶ ἔνδημος ἀποδημία. *Recta quidem utrimque est columnarum series à portis Solis ad Lunæ portas. Hi enim (Sol, & Luna) portarum urbis tutelam habent. Est in medio columnarum est urbis campus, per quem ampla est via, & civilis quasi peregrinatio.* Vult inter columnas illas tam latam fuisse plateam, ut pro campo haberi potuerit, in quo deambulatio fuerit peregrinationis species. Vero igitur est consentaneum, amplum hoc intercolumnium, *Græcè* Περίστυλον dictum, illum ipsum locum fuisse, unde *Hermon* elephantos ibi ad tempus agitatos ad *Hippodromum* deduxerit. De quo *Strabo* lib. 17. & *Plutarchus* in *Antonio*, & *Epiphanius* in libro *De mensuris, & ponderibus*, ubi ἀπὸ τοῦ Λαγοῦ, a *Lago* conditum fuisse scribit, & Λαΐον appellatum. Sed legendum ἀπὸ τοῦ Λάγου, & Λάγιον. Neque enim hunc *Hippodromum* condiderat *Lagus* homo plebeius in *Græcia*, sed *Ptolemæus* ὁ τοῦ Λάγου, *Lagi filius*, qui primus in *Ægypto* regnavit, & de patris nomine *Lagium* nominavit.

Reliqua præterimus, quia ad rem nostram non faciunt, ad alia jam transituri. Sed lectore prius monito, hanc ipsam historiam, aut certè huic persimilem, à *Josepho* narrari libro secundo *contra Apionem*, tanquam rem, quæ alio tempore gesta sit, & sub posterioribus Regibus, & de causa diversissima. Hujus initium tale est in *Græco* exemplari, Ὁ γὰρ Φύσκων ἐπικληθεὶς Πτολεμαῖος, ἀποθανόντος αὐτῷ τοῦ ἀδελφοῦ Πτολεμαίου τοῦ Φιλομήτορος, ἀπὸ Κυρήνης ἐξῆλθε, Κλεοπάτραν ἐκβαλεῖν βουλόμενος τῆς βασιλείας. Sed cætera desiderantur. Itaque ad *Latinum* exemplar necessario recurrendum, quod sic habet. Ptolemæus *enim, qui denomina-*

tus

tus est Physcon, *moriente suo patre* (lege, *mortuo suo fratre*) Ptolemæo Philometore, *egressus est de* Cyrene, *volens reginam* Cleopatram *expellere, & filios Regis, ut ipse regnum injuste sibimet applicaret. Propter hoc ergo* Onias *adversus eum bellum pro* Cleopatra *suscepit, & fidem, quam habuit circa Reges, nequaquam in necessitate deseruit. Testis autem Deus justitia ejus manifestus apparuit. Nam* Physcon Ptolemæus, *cum adversum exercitum quidem* Oniæ *pugnare præsumeret, omnes vero* Judæos *in civitate positos, cum filiis & uxoribus, capiens, nudos, atq; vinctos elephantis subjecisset, ut ab eis conculcati deficerent, & ad hoc etiam bestias ipsas inebriasset, in contrariū quæ praeparaverat evenêre. Elephanti enim, relinquentes sibi appositos* Judæos, *impetu facto super amicos ejus, multos ex ipsis interemêre. Et posthac* Ptolemæus *quidem aspectum terribilem contemplatus est, prohibentem se, ne illis noceret hominibus. Concubinâ vero sua charissima, quam alii quidem* Ithacam, *alii vero* Irenen *denominant, supplicante, ne tantam impietatem perageret, & concessit, & ex his, quæ egerat, vel acturus erat, pœnitentiam egit. Unde rectè hanc diem* Judæi, *Alexandriæ constituti, eo, quod apertè à Deo salutem promeruêre, celebrare noscuntur.* Vides, lector, non ovum ovo esse similius quam hæc historia illi alteri. Itaque vel duos Reges cædem in *Judæos* intemperiæ exagitârunt, & illos eodem miraculo bis liberavit Deus intra spatium annorum septuaginta (totidem enim annis distat mors *Philometoris* a victoria, quam *Philopater* in *Antiochum* consequutus fuerat in pugna prope *Raphiam*) vel è duabus historiis una conficta est ad alterius exemplar, quod nobis est vero similius. Nunc, quod solùm superest, ea explicabimus, quæ de elephantis habent primus & secundus liber *Macchabæorum.*

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Explicantur quæcunque habentur de Elephantis in duobus *Macchabæorum* libris.

Antiochus Magnus *quot elephantos habuerit.* Lysiæ *elephanti* XXXII. *quem numerum alii minuunt, alii augent. Elephantis* XXXII *præfectus quomodo* Græcè *vocetur.* Romà *missi sunt, qui hos elephantos necarent.* Sanguis uvæ, *id est,* vinum. *Hic, uvis, & moris conspectis, irritantur belluæ. Alibi ruber color tauros, candidus elephantos concitat. Elephanti turmis immisti. Belluæ magister* Indus *dicitur, undecunq; sit ortus. Is ἅρπην, vel ἅρπην habet in manu, qua elephantum regat. Turres in elephantum tergo, unde turriti vocantur, & turrigeri. Milites* XXXII *in singulis turribus pugnasse, paradoxum. Numerus de mendo suspectus; quia nimius. In eum locum conjectura. Locus alius* 2. Macchab. 13. v. 15. *ab insigni mendo expurgatus. Primarius elephas quis dicatur. Elephantum maximus quanta proceritas.* Indicos *elephantes, quia majores, & fortiores,* Africani *timent. Elephanti cubitos duodecim proceri. Opes* Cosrois, Hormisdæ *filii, quanta. Elephanti colles carnei.* Isidorus *emendatus. Elephantes loricati, & auro tecti. Mendum in* Chronico Templi secundi *elutum. Elephas cur in umbilico cæsus.* Eleazar *cur* Auran, *vel* Avaran *dictus.* Ἐλεφαντάρχης, *&* ἐλεφαντιστής, *quid differant.* Cœlius Rhodiginus *notatus.*

Libro primo *Macchabæorum*, capite octavo, versu sexto, *Antiochum Magnum* legas a *Romanis* esse devictum, quamvis haberet elephantos centum & viginti, equitatumque, & currus, & exercitum numerosissimum. Quod ipsum habet *Gorionides* lib. 3. c. 15. Tamen, cùm in *Scipionem* prælio decertavit prope *Magnesiam*, quæ ad *Sipylum* est, elephantos solum habuit quatuor & quinquaginta. *Livius de Romanis* lib. 37. *Sexdecim elephantos post triarios in subsidio locaverunt. Nam præterquam quod multitudinem regiorum elephantorum (erant autem quatuor & quinquaginta) sustinere non videbantur posse: ne pari quidem numero* Indicis Africi *resistunt; sive quia magnitudine (longè enim illi præstant) sive robore animorum vincuntur.* De iisdem agit elephantis *Appianus* in *Syriacis*: sed numerum non adscribit. At in *Ægyptiaco* bello idem *Antiochus* instructus fuit elephantis δυοῖ πλείω τῶν ἑκατὸν, *duobus supra centum.* Ita *Polybius* lib. 5.

Hujus *Antiochi* filius *Antiochus Epiphanes*, 1. *Macchab.* 1. v. 18. primam expeditionem in *Ægyptum* suscepit cum curribus, & elephantis, & equitibus, & classe magna: de qua ut plura dicamus, ad rem nostram nihil attinet. Idem, in *Persidem* profecturus, *Lysiæ* commisit filium *Antiochum Eupatorem* adhuc puerum, cum parte regni ab *Euphrate* usque ad *Ægyptum*, eidemque tradidit copiarum dimidium, καὶ τοὺς ἐλέφαντας, *& elephantos*, 1. *Macchab.* 3. v. 31. &c. vel μέρος τι τῆς δυνάμεως, καὶ τῶν ἐλεφάντων, *copiarum, atq; elephantum partem aliquam*, ut habet *Josephus* lib. 12. c. 11. Quibus instructus *Lysias*, *Epiphane* paulò post fatis functo, peditum CM, equitum XXM, & elephantos XXXII ad bellum edoctos, in *Judæam* collegit. *Et se comparaverunt exercitus ad prælium, & tubis clanxerunt. Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ, ac mororum, ut ad prælium eos exstimularent. Et distribuerunt bellluas per phalanges, & attribuerunt singulis elephantis mille viros thorace indutos, cum loricis hamatis, quorum in capitibus galeæ æreæ erant, delectiq; equites quingenti ordinati ad unamquamque belluam. Hi maturè ubicunque erat bellua aderant, & quocunque ibat simul ibant, nec ab ea discedebant. Sed & turres ligneæ super eas munitæ, protegentes singulas belluas, succinctæq; erant super eas machinis, & super unamquamq; milites erant triginta duo pugnantes in eis, & Indus ejus.* Hæc 1. *Macchab.* 6. v. 30. 33. 34. 35. 36. 37. In his multa observanda sunt.

Primo, *Lysiæ* tribui elephantos XXXII. hîc, & *Josephi* lib. 12. cap. 14. Cui elephantorum numero qui præficitur, *Græcè* vocatur κερατάρχης, & præfectura ejus κερατάρχια. *Ælianus, Tact.* cap. 22. Ὁ μὲν ἑνὸς ἐλέφαντος ἄρχων ζῷαρχος καλεῖται· ὁ δὲ τῶν δύο θηραρχος, καὶ τὸ σύστημα θηραρχία· ὁ δὲ τῶν δ΄. ἐπιθηράρχης, καὶ τὸ σύστημα ἐπιθηραρχία· ὁ δὲ τῶν η΄. ἰλάρχης, καὶ τὸ σύστημα ἰλαρχία· ὁ δὲ τῶν ις΄. ἐλεφαντάρχης, καὶ τὸ σύστημα ἐλεφαντάρχια· ὁ δὲ τῶν λβ. κερατάρχης· καὶ τὸ σύστημα κερατάρχια. Sed pro elephantis XXXII *Historia Hebræa secundi Templi* solum habet XX; & *Jasonis* Breviator solùm XXII, capitis decimi tertii versu secundo: quamvis capitis undecimi versu quarto *Lysias* ab eodem describatur πεφρονημένος ταῖς μυριάσι τῶν πεζῶν, καὶ ταῖς χιλιάσι ἱππέων, καὶ τοῖς ἐλέφασιν ὀγδοήκοντα, *animo elatus propter peditum myriades, & equitum chiliades, & elephantos octoginta.* Ut *Gorionides* lib. 2. cap. 14. *Misit* Antiochus Eupator Lysiam *patruelem suum* בחיל פ׳ אלף פרשים ופ׳ פילים *cum exercitu octoginta millium equitum, & octoginta elephantorum.* Et *Chaldæus* Paraphrastes *Cant.* 6. v. 7. *Tunc surrexerunt* Græci, *& congregaverunt sexaginta Reges de filiis* Esau, *indutos loricis, ascendentes super equos*, ותמנן דוכסין מבני דישמעאל רכבין על פיליא *& octoginta Duces de filiis* Ismaelis, *equitantes super elephantes. Arabica deniq;* Historia *Macchabæorum* cap. 11. *Misit* (Eupator) *cum* Lysia, *filio patruelis sui, exercitum magnum, in quo erant* ثمانون الف فارس وثمانون فيلا *octoginta equitum millia, & octoginta elephanti.* Quos

ipsos

ipsos elephantos *Romani* non multò post jusserunt interfici; quia pacem eâ lege cum *Antiocho Magno* sanciverant, ut ne liceret illi ullos habere elephantos. Itaque *Romam* missi sunt, qui belluas necarent. Quo spectaculo commotus quidam *Leptines* legationis principem *Cn. Octavium* in *Laodicensi* gymnasio deprehensum occidit. Sed *Lysias*, ut sceleris suspicionem a se amoliretur, hunc magnificè sepeliendum curavit. Ita *Appianus* in *Syriacis*, *Julius Obsequens*, & alii.

Secundò, cùm suprà potu vini, hîc ejus solo visu efferantur belluæ. *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ, & mororum, ut eos ad prælium exstimularent.* *Sanguinem uvæ*, id est, *vinum*, Phrasi *Hebrais* familiari. Sic Genes. 49 v. 11. *Lavat in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum.* Deut. 32. v. 14. *Sanguinem uvæ biberis merum.* Sirach. 39. v. 26. *Principium rerum, quæ ad vitam hominis necessariæ sunt, aqua, ignis, &c. sanguis uvæ.* & 50. 15. *Libavit ex sanguine uvæ.* Sed & *Achilles Tatius* lib. 2. vinum vocat αἷμα βοτρύων, *sanguinem uvarum.* Et *Statius* lib. 11. *Theb.*

Deserit & pingues Bacchæo sanguine colles.

Et pari ratione mororum sanguis eorum est succus, qui sanguini tam est similis, ut ex eo fingatur ortus. *Ovidius*,

- - - - madefactaq; sanguine radix
Purpureo tinxit pendentia mora rubore.

Atque, ob id ipsum, vini, & mororum aspectu in belluis sanguinem commoveri, & motu sanguinis iram concitari, multis probat *Franciscus Vallesius* cap. 82. *Sacræ Philosophiæ.* Quamvis in veterum scriptis tauri quidem rubro colore, sed elephanti candido proritari legantur. *Seneca, de ira* lib. 3. cap. 30. *Taurum rubicundus color excitat.* *Ovidius* lib. 12. Fabulâ de *Cygno*,

Haud secus exarsit, quàm circo taurus aperto,
Cum sua terribili petit irritamina cornu,
Phœniceas vestes. - - - -

Itaque *Instit.* lib. 4. cap. 1. furti tenetur, ὅστις ῥάκη ἐρυθρῷ δεικνύων τὰ βουκόλια, *qui rubro panno turbatum armentum fugaverit*; nempe, ut in fures incideret. Hæc de tauro seorsim. Jam de utroq; tauro inquam, & elephante, ita *Plutarchus* in libro *De Fortuna Alexandri*, ... ἐσθῆτας ... φοινικίδας ἔχοντες ἐλέφασι δὲ λευκοὺς χιτῶνας. ἐρεθίζεται γὰρ ὑπὸ τῶν χρωμάτων τὰ ζῶα ταῦτα, καὶ διαθηριοῦται. *Taurorum conspectum vitant, qui puniceas vestes gestant; & elephantorum, qui candidas: irritantur enim iis coloribus, atque efferantur illæ belluæ.* Et in *Conjugial. præcept.* οἱ προσιόντες ἐλέφασιν ἐσθῆτα λαμπρὰν οὐ λαμβάνουσιν, οὐδὲ φοινικίδας οἱ ταύροις· διαγριαίνεται γὰρ ὑπὸ τῶν χρωμάτων τούτων μάλιστα τὰ ζῶα. *Qui ad elephantos accedunt albâ, qui ad tauros puniceâ veste non utuntur; quia his coloribus maximè irritantur illa animalia.*

Tertiò, distribuerunt belluas per phalanges, & singulis mille pedites, & quingentos equites attribuerunt. Quod & alibi sæpe factum. Sic *Diodor.* lib. 17. *Porus* τοὺς ἐλέφαντας κατὰ τὸ μέτωπον ... ἐν ἴσοις διαστήμασιν ἔστησεν, ἀνὰ μέσον δὲ θηρίων τοὺς λοιποὺς ἐπιλέκτους ἔταξεν, οἷς συντεταγμένον ἦν παραβοηθεῖν τοῖς θηρίοις, καὶ διακωλύειν ἐκ τῶν πλαγίων εἰσακοντίζειν. *Elephantos terribiliter instructos in fronte aciei paribus intervallis disposuit, & in belluarum medio reliquos milites statuit, quibus imperatum fuerat, ut belluis adessent, & impedirent, ne ex obliquo ferirentur.* Hinc *Curtius* lib. 8. *Belluæ dispositæ inter armatos speciem turrium procul fecerant*: ut alibi de *Omphis* agmine, quod *Alexandro* occurrit, *Elephanti quoq;, per modica intervalla agminis immixti, procul castellorum fecerant speciem.* Et *Appianus* in *Syriacis* de *Antiochi* copiis, *Erat muro assimilis phalangis forma, elephantorum instar turrium.*

Quartò, traduntur hæ belluæ in ligneis turribus dorso impositis gestâsse milites triginta duos præter *Indum* suum, id est, præter rectorem, seu ἐλεφαντάρχην. Is enim *Indus* dicitur, undecunque sit ortus; quia hac arte maximè præstant qui in *India* nati sunt, & alios edocuerunt. Sic apud *Polybium* lib. 1. *Cæcilius*, *Asdrubale* victo, & fugato, θηρία σὺν αὐτοῖς μετὰ τῶν Ἰνδῶν ἔλαβε δέκα, *belluas cum ipsis Indis decem cepit.* Et lib. 3. cum *Annibalis* elephanti *Rhodanum* trajecerunt, τοὺς μὲν Ἰνδοὺς ἀπολέσθαι συνέβη πάντας, τοὺς δ' ἐλέφαντας διασωθῆναι, *cum Indi omnes perissent, elephantos servari contigit.* In quibus verbis *Indi* vocantur, qui in *India* nati non erant, sed in *Africa.* Res tamen aliter se habet de *Eupatoris* elephantis, quorum rectores cum ipsis belluis ex *India* venisse vero consentaneum est. *Græca*, ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ, *Vulgatus* reddiderat *Indus magister bestiæ*, pro quo scriptum in multis editionibus *intus magister bestiæ*; planè perperam: neque enim *intus*, id est, in turribus, latet belluæ rector, sed humeris insidet, aut collo etiam, unde belluam nutu, & verbo, dirigat.

Turres in elephantum tergo describunt *Philostratus* lib. 2. cap. 6. & *Heliodorus* lib. 9. *Plinius* quoque lib. 8. cap. 7. *Turres armatorum in hostes ferunt.* Et *Plutarchus* in *Parallelis*, ὁ λιμυλι... ἑκατὸν ἐλέφαντας πυργοφόρους ... εἰς Ῥώμην κατέπεμψε. *Æmylius* C. I. X. *turrigeros elephantos* Romam *misit.* Et *Hirtius* in bello *Africano*; Scipio, *universis copiis productis, elephantisq; turritis triginta ante aciem instructis.* Et alibi, *Elephantisq; turritis interpositis, armatisq;.* Item, *Cæsar* E X I V. *ornatos, armatosq;, cum turribus, ornamentisq; capit.* Et *Lucretius* lib. 5.

Inde boves Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.

Et *Silius* lib. 4.

Vis elephantorum turrito concita dorso.

Et *Juvenalis* Sat. 12.

- - - - - dorso ferre cohortes
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turrem.

Hinc in scacchorum ludo, quem ab *Indis*, & *Persis* nos accepisse certum est, الفيل *alphil*, id est, *elephas*, turris figuram habet.

Sed valdè paradoxum est, quod *Macchabæorum* auctor in singulis turribus pugnâsse scribit milites XXXII. Nam, si *Albertum* excipias, & obscurum Scriptorem *De natura rerum*, atque alios hujus farinæ scriptores, qui sæculo barbaro vixerunt, non facilè ullum reperias, qui tradat tot numero bellatores uni elephanto insedisse. Et in *Chronico Templi secundi* de *Antiochi* elephantis legere est, והוציא פילים הרבה שנלחמים עליהם הגבורים יב על פיל אחד *Eduxit insuper plures elephantos, super quorum singulis pugnabant viri fortes duodecim.* In *Philostrati Apollonio* lib. 2. cap. 6. μάχονται δὲ ἐπεμβεβηκότες πύργοις, οἷοις κατὰ δέκα καὶ πεντεκαίδεκα ἅμα τῶν Ἰνδῶν δέξασθαι, ἀφ' ὧν τοξεύουσι ... καὶ ἀκοντίζουσι οἱ Ἰνδοί. *Pugnant instructis turribus Indorum decem, aut quindecim capacibus, ex quibus sagittas, & jacula Indi mittunt.* In *M. Paulo Veneto* lib. 3. cap. 41. ubi de insula *Zanzibar*; *Cum elephantis & camelis ad bella procedunt, exstruentes castella lignea super elephantos, quæ tanta sunt, ut quindecim, vel viginti viri muniti ex uno pugnent portatili castello.* In *Marmolio*, de *Africa* lib. 1. cap. 23. *Quando los Ethiopos van a la guerra, llevan hechos castillos de madera sobre ellos, y desde encima pelean diez y doze hombres con saetas, piedras y dardos*: id est, *Cum Æthiopes ad bellum proficiscuntur, turres ligneas illis imponunt, ex quorum vertice decem, vel duodecim viri pugnant, sagittis, lapidibus, aut jaculis instructi.* Quanquam hæc quoque nimia sint, atque eos habeant auctores, qui de magnis majora loquuntur. Nam plerique in id consentiunt, elephantem præter rectorem

rem tres solùm, aut quatuor, aut sex ad summum ferre bellatores. *Ælianus Hist.* lib. 13. cap. 1. Πολεμισὰς μὲν τρεῖς φέρει, παρ' ἑκάτερα δύο μαχομένους, καὶ τὸν τρίτον κατόπιν, τέταρτον δὲ τὸν τὴν ἅρπην κατέχοντα διὰ χειρῶν, καὶ ἐκείνῃ τὸ θηρίον ἰθύνοντα· *Bellatores quidem tres gerit, duos ab utraq; parte, & tertium retro pugnantem, quartum autem harpen manu tenentem, quâ belluam dirigat.* (Nota obiter elephantis rectori hic harpen tribui, ut ejusdem *Æliani* lib. 13. cap. 22. ubi elephas officii sui monetur τῇ ἐκ τοῦ ἄρπης κρούσει· nisi quis malit ἅρπην ex *Hesychio* legere, cui ἅρπη est σίδηρος, ᾧ τὸν ἐλέφαντα τύπτουσι, *ferrum, quo elephantem verberant:* ut in *Philostrato* καλαῦροψ est *incurvus baculus, quo puer elephantem regit*) *Heliodorus* lib. 9. Οἱ τε ἐπὶ τῶν ἐλεφάντων κατὰ τοὺς πύργους ἓξ μὲν ἑκασοι (lege ἕκαστον) κατειληφότες, δύο δὲ κατὰ πλευρὰν ἑκάστην ἐκτοξεύοντες, τῆς ἐπ' οὐρὰν μόνης καὶ εἰς τὸ ἄπρακτον σχολαζούσης. *Et hi, qui erant in elephantis super turres, cum singulas viri sex occuparent, & ab unaquaque parte bini jacularentur, sola parte, quæ ad caudam est, tanquam otiosa vacante.* Cadamustus cap. 62. ubi de Calechutiis; *Potissima animalia ejus regionis sunt elephanti. His bella conficiunt. Turres quasdam imponunt capaces trium, vel quatuor virorum, qui de turribus hujusmodi præliantur.* Vartomanus *Navigat.* lib. 4. cap. 10. Indi, *bella inituri, clitellas elephanti imponunt. Has subter alvum cingunt gemina ex ferro catena. Supra clitellas hinc & hinc domus, vel, si mavis, turrim, aut caveam ligneam appellare,* &c. *Singulas caveas terni homines ingrediuntur. Inter utramq; dorso belluæ insidet* Indus, &c. *Itaque septeni sunt homines, qui elephantum bella inituri conscendunt, loricati, ferentes arcus, lanceas, enses, ac peltas.* Proinde in loco, quem ex *Macchabæis* citavimus, pro ἄνδρες δυνάμεως δύο καὶ τριάκοντα οἱ πολεμοῦντες ἐπ' αὐτοῖς legendum conjectat nobilissimus Dominus de *Grentemesnil*, ἄνδρας δυνάμεως, δύο, ἢ τρεῖς, ἀκοντίοις πολεμοῦντες ἐπ' αὐτοῖς, *viri fortes, duo, aut tres, jaculis pugnantes super ipsos.* Ego auctorem putaverim scripsisse solùm, ἄνδρες δυνάμεως, οἱ πολεμ. &c. sine ullo numero adscripto: atque numerum illum, δύο καὶ τριάκοντα, perperam hic repeti ex superioribus, quæ sic habent: *Et erat numerus copiarum ejus centum millia peditum, & viginti millia equitum,* καὶ ἐλέφαντες δύο καὶ τριάκοντα εἰδότες πόλεμον, *& elephantes triginta duo ad prælium edocti.* Quo facit, quod de his ipsis elephantis ita *Josephus* agit lib. 13. cap. 14. Ἔφερον δὲ οἱ ἐλέφαντες πύργους τε ὑψηλούς, καὶ τοξότας, *Ferebant autem elephantes turres excelsas, & sagittarios:* sagittariorum numero non addito. Hos interim duobus, aut tribus fuisse plures docent quæ leguntur 2. *Macchab.* 13. v. 15. occisum fuisse πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων σὺν τῷ κατ' οἰκίαν ὄχλῳ, *elephantorum illorum primarium, cum caterva, quæ erat in domo,* id est, in turre superposita. Neque enim duo, vel tres dicerentur ὄχλος, *caterva*, seu *multitudo*.

Sequitur ejusdem capitis versu quadragesimo tertio insigne *Eleazari* ἀνδραγάθημα, *qui belluarum unam conspicatus regiâ loricâ loricatam, quæ omnes belluas supereminebat, Regem ea vehi putavit. Itaq; devovit se ad servandum populum suum, & ad acquirendum sibi nomen æternum. Et per mediam phalangem audacter in eam incurrit, dextrâ, levâq; stragem edens, adeò ut ab illo hinc & inde discinderentur. Elephantumq; subiens ei se supposuit, occiditq; illum, eoq; cadente in terram, super ipsum mortuus est illic.* Auctor libri secundi *Macchabæorum* id ipsum obiter tangit, sed verbis, quæ egent medica manu, quia à scribis palam corrupta sunt. Ea sic habent capitis 13. v. 15. Ἀνεῖλεν εἰς ἄνδρας δισχιλίους, καὶ τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων, σὺν τῷ κατ' οἰκίαν ὄχλῳ συνέθηκε. *Interfecit (Judas) ad bis mille homines, & primarium elephantem, cum multitudine, quæ erat in domo (seu turri) composuit.* *Judæ* non malè tribuitur quod ab *Eleazare* præstitum; quia *Juda* duce id factum, adeoque etiam hortante. Sic enim *Gorionides* lib. 3. c. 20. *Cum vidisset* Judas *unum ex elephantis* בשריון זהב *aurea lorica instructum, qui eminebat supra reliquos, putavit Regem eum equitare, clamavitq; dicens,* מי בכם נערים *Quis ex vobis est, ô juvenes?* Nempe, qui se virum præstet illum elephantem interimendo. Quod in *Arabica* historia disertius; *Vidensq; Judas elephantem cum ornamentis aureis, vocavit viros suos, & ait,* من منكم يبرز فيقتل هذا الفيل *Quis vestrûm exiturus est, ut hunc elephantem interficiat?* Sed hæc quis intelligat? Καὶ τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων σὺν τῷ κατ' οἰκίαν ὄχλῳ συνέθηκε? Mendosa esse verba nemo non videt, cum sanum sensum nullum admittant. Illa igitur, me auctore, sic lege, Καὶ τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων ὃς σὺν τῷ κατ' οἰκίαν ὄχλῳ συνετέθνηκε· ut sensus sit, *Judam* cum bis mille viris etiam primarium elephantem interfecisse, qui perierit cum iis, quos in turri sua gestabat.

Primarius elephas, πρωτεύων τῶν ἐλεφάντων, is dicitur, qui, ætatis, aut molis, aut virium ratione, cæteris præire solet. Sic enim inter illos vivitur. *Plinius* lib. 8. cap. 5. *Ducit agmen maximus natu, cogit ætate proximus.* Ælianus, *Hist.* lib. 6. cap. 61. Τροφῆς ἀφίσανται τοῖς πρεσβυτέροις οἱ νέοι, καὶ γήρᾳ παρειμένους θεραπεύουσιν αὐτούς· *De cibo juniores senioribus cedunt, & si qui sunt præ senio debiles, iis serviunt:* quod addit illos facere proprio naturæ ductu, sine metu legum *Lycurgi*. Aut *primarius elephas* is dicitur, quem possessor cæteris præfert. Puta *Pori* elephas, de quo *Curtius*, *Ipsum vehebat elephantus super cæteras belluas eminens.* Et *Diodorus*, ὁ Πῶρος τεταγμένος ἐπὶ τοῦ κρατίστου τῶν ἐλεφάντων, *Porus elephantorum præstantissimo impositus.* Ita elephas, de quo hoc loco, in primo *Macchabæorum* ἦν ὑπεράγων πάντα τὰ θηρία, *supra omnes belluas eminebat.* Et in *Gorionide*, הוא גדול על כל הפילים *Omniū elephantorum erat maximus.* Jam, si roges, quæ sit elephantorum maximis proceritas, primo in genere hoc observandum, elephantos *Indicos* majores esse *Africanis*. Hinc *Philostratus* lib. 2. c. 6. Ὅσον δὲ ἵππου Νισαίου μείζων ὁ Λιβυκὸς ἐλέφας, τοσοῦτον τῶν ἐκ Λιβύης οἱ Ἰνδοὶ μείζους· *Quantò equo* Nisæo *major est* Libycus *elephas, tanto* Libycis *elephantis majores sunt* Indici. *Strabo* de iisdem lib. 15. Μείζους δὲ τῶν Λιβυκῶν, καὶ ἐρρωμενεστέρους ἐκεῖνός τε εἴρηκε, καὶ ἄλλοι· *Majores esse* Libycis, *& validiores, cum is* (Onesicritus) *tum alii dixerunt.* *Plinius* lib. 8. cap. 9. *Indicum* Afri *pavent, nec contueri audent: nam & major* Indicis *magnitudo est.* Solinus, *Indicos elephantos* Mauri *timent, parvitatis suæ conscii.* Ita & *Livius* lib. 37. *Indicis Africos resistere negat, sive quia magnitudine (longè enim illi præstant) sive robore animorum vincuntur.* Et *Polybius* lib. 5. *Libycas Ptolemæi Philopatoris* belluas certamen cum *Indicis Antiochi Magni* elephantis detrectâsse asserit, atque id *Libycis* passim accidere: Τὴν γὰρ ὀσμὴν, inquit, καὶ φωνὴν οὐ μένουσιν, ἀλλὰ καταπεπληγμένοι τὸ μέγεθος, καὶ τὴν δύναμιν, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖ, φεύγουσιν εὐθέως ἐξ ἀποστήματος τοὺς Ἰνδικοὺς ἐλέφαντας· *Neq; enim Indicorum odorem, & barritum ferunt: sed cum magnitudine, tum robore illorum, ut equidem arbitror, perterriti, properè fugiunt, & ex longo intervallo.* Sed, ut propositæ quæstioni satisfiat accuratius, *Vartomanus Indic. Navigat.* lib. 4. cap. 10. quosdam ait *ad sextum decimum palmum altitudine assurgere*, id est, ad pedes duodecim. *Ælianus* lib. 13. cap. 8. *ad novem cubitos altitudinis, & quinq; latitudinis.* Novem cubiti sunt pedes tredecim cum semisse. Auctor مرآة الزمان id est, *Speculi temporum*, elephantos memorat cubitos 12. proceros, id est, pedes decem & octo, quo loco agit de opulentia magna illius *Cosrois*, quem devicit *Heraclius*.

Quum

Quem locum, quia insignis est, & libri apud *Arabes* tam celebris, quàm apud nos ignoti non gravabor hic adscribere ابرويز بن هرمز اجتمع عنده من الاموال والفيلة والخيول والمماليك والجوار والامتعة ما لم يجتمع عند احد ممن يقدمه من ملوك الفرس فانه كان يرفع الي خزانته في كل سنة اربع ماية الف الف دينار ذهب واضعافها من الفضة وكانت جواهره في الف صندوق وكان علي مربطه الف فيل منها ما هو ابيض مثل الثلج ومنها ما ارتفاع من الارض اثنا عشر ذراعا وهذا نادر لان اكثر ما يكون ارتفاع الفيل من الارض سبعة اذرع وكان له ماية الف فرس منها خمسون الف مروجها مكلله بالجواهر واليواقيت وكان له ماية الف مملوك وعشرة الف امراة وماية الف جارية للغنا والفراش Abervvez, *filius* Hormoz (*Persæ* Cosroem *Hormisdæ* filium ita vocant) *plures congessit opes, & elephantos, & equos, & servos, & puellas, & plus pretiosæ supellectilis, quàm ullus Regum* Persiæ, *qui præcesserant. Nempe in thesauris recondebat quotannis quadringentos milliones denariorum aureorum, & argenteorum duplo magis. Et margaritæ ejus erant in mille arcis. Habebatq; in stabulis mille elephantos, quorum nonnulli candore nivem æquabant, nonnulli duodecim cubitos proceri erant, quod valde rarum est; quia pleriq; non superant septem cubitos* (id est, pedes decem cum semisse) *Erant illi insuper equorum centum millia, in his quinquaginta millia, quorum ephippia margaritis, & carbunculis erant ornata. Servorum item centum millia, & uxorum decem millia, puellarum deniq; centum millia ad usum & pellicatum.* Ex his constat plus satis non frustrà esse, quod elephantem, ut supra notavimus, *Syri* vocant ܬܠܐ ܕܒܣܪܐ *collem carneum.* Quod imitatus *Basilius* de elephantis hæc habet *Homil.* 9. in *Hexaem.* Οὐχ ὁρᾷς ἐν τοῖς πολέμοις, ὅτι οἱονεὶ πύργοι τινὲς ἔμψυχοι, ἢ βουνοί τινες σάρκινοι; Et ex illo *Ambrosius*, *Velut quidam mobiles montes versantur in præliis, & ut colles alto eminent vertice.* *Ammianus* quoque lib. 24. *Post hos elephanti gradientium collium specie.* Et, è *Poetis*, *Oppianus* lib. 2. *Cynegeticῶn*,

- - - - - - φαίης κεν ἰδὼν ἐλέφαντα,
Ἢ κορυφὴν ὄρεος παναπείριτον, ἢ νέφος αἰνὸν
Χεῖμα φέρον δειλοῖσι βροτοῖς ἐπὶ χέρσον ἰοῦσιν·

- - - - - - *conspecto elephante, putabis*
Aut nubem imbriferam, aut montis juga celsa moveri.

Proinde *Isidorus Orig.* lib. 12. cap. 2. *Elephantem* Græci *à magnitudine corporis vocatum putant, quòd formam montis præferat.* Græcè *enim mons* ὁ λόφος *dicitur.* Ita lego pro voce nihili *elisio.* Proinde quisquis scripsit *Secundi Templi Chronicon*, hæc habet de magno illo elephante, quem occidit *Eleazar*, מפני גבהו לא היה יכול להלחם על הרוכבים עליו *Propter proceritatem ejus, pugnare non poterat cum iis, qui illi insidebant.*

Non tamen is solâ corporis mole, sed & phaleris insignis fuit, & auro. Describitur enim τεθωρακισμένος θώρακι βασιλικῷ, *loricâ regia loricatus.* Quamvis enim elephantis durissimum sit dorso tergus, nec facilè penetrabile, tamen ad majorem cautionem loricis ferreis in bello muniebantur. Unde *Hirtius* in bello *Africano*; *Ornatusq; ac loricatus elephantus cum esset.* Heliodorus *lib.* 9. Ὅσοι δὲ καὶ διεδίδρασκον ἄπρακτοι, καὶ οὐδ' ἓν δράσαντες τοὺς ἐλέφαντας ἀπεχώρουν· τὸ γὰρ θηρίον πέφρακται, καὶ σιδήρῳ περιφραγνύμενον εἰς μάχην. *Quicunq; effugiebant, nullo facinore edito, nec ullo detrimento elephantis illato, discedebant. Bellua enim ferro munita est, cum ad prælium accedit.* Huic autem non lorica quævis, sed regia fuerat indita, id est, qualis elephanti regio solet apponi. Quod *Gorionides* interpretatur שרין זהב *loricam auream.* Et *Chronicon Templi secundi* סכין שרין זהב *ensem ex auro.* Sed legendum סרין *loricam.* Et *Arabica* Historia تحايف من ذهب *ornamenta, seu phaleras aureas.* Nempe regalium elephantorum is cultus fuit. *Curtius* lib. 8. de *Indiæ* Rege, *Breviora itinera equo conficit: longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum, & tantarum belluarum corpora tota contegunt auro.* Inde igitur *Judas* & *Eleazar* collegerunt hunc regium esse elephantem, ipsumque Regem eo vehi, *Antiochum* scilicet *Eupatorem*, ut disertè habet *Chronicon secundi Templi*, וחשב כי על אותו הפיל היה אופיטור המלך רוכב *Et putavit* (Eleazar) *Regem* Eupatorem *huic elephanto insidere.* Sperans igitur ipsum Regem cum elephante occubiturum, & eo occiso, fore, ut dissiparentur copiæ, in suæ gentis exitium undequaque collectæ, magno animo ad belluam rectà contendit, exerto gladio viam sibi faciens, & obvios quosque cædens, eamque cum subiisset, occidit. *Gorionides* expressiùs, ויבא בין רגלי הפיל וידקור אותו בחרבו על טבורו *Et subiit pedes elephantis, & confodit eum gladio suo in umbilicum impacto.* Et *Josephus* lib. 12. cap. 14. ὑποδὺς δὲ ὑπὸ τὴν γαστέρα, καὶ πλήξας· *Cum sub ventrem ejus succedens percussisset.* Et *Syrus* Interpres, ܘܡܚܝܗܝ ܗܘ ܒܣܝܦܐ ܒܟܪܣܗ *Eumq; gladio in ventre percussit.* Et *Chronicon Templi secundi*, ויתקע את חרבו בכרס הפיל *Et gladium suum infixit in ventrem elephantis.* Et *Arabica* Historia, وسار الي ان انتهي الي الفيل فدخل تحته وشق بطنه *Et processit quousq; pervenisset ad elephantem, quem subiens discidit ventrem ejus.* Neque enim aliter vulnerari poterat loricatus elephas. Præterea ex *Plinio*, & *Solino* scimus, *elephantem durissimum dorso tergus habere, sed ventri molle.* Proinde יתוש *jatthus*, palustris culicis genus, qui *Græcis* ἐμπὶς, בכנס

לו בטבורו ומפחידו *in umbilicum ejus penetrans eum terrętat.* Ità est in *Aruch*. Et rhinoceros *ejus alvum maximè petit, quam scit esse molliorem. Plinii* verba sunt lib. 8. cap. 20. Elephas igitur, ità cæsus, periit cum omnibus insidentibus, ut docuimus ex 2. *Macchab.* 13. *vers.* 15. Sed & ipse *Eleazar* ejus ruinâ oppressus est, quem fuisse tam subitam credibile est, ut non licuerit illi se subducere. In *Arabica Historia* magno errore hic *Eleazar* legitur esse *Judæ* servus,

فتي من اهل بيته *adolescens è domesticis ejus.*

Cùm is vocetur Ἐλεάζαρ ὁ Αὐαρὰν, *Eleazar Avaran cognomine*, qui fuit *Judæ* frater germanus, ex eodem patre *Mattathia*, ut disertè docetur 1. *Macchab.* 2. *vers.* 5. Unde *Iosephus*, Ἐλεάζαρος δ' ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ὃν Αὐαρὰν ἐκάλουν· Eleazar *autem frater ejus, quem* Auran *vocabant.* Et *Gorjonides*, וידלג אלעזר אחיו אחד מבחורי החשמנים *Exilivit* Eleazar *frater ejus, unus ex juvenibus* Asmonæis. Et *Chronicon Templi secundi*, ושם מת אלעזר בן מתתיה אחי המלך יהודה *& ibi mortuus est* Eleazar Mattathiæ *filius, frater Regis* Judæ. Porrò cognomen Αὐαρὰν à *Syro* ܚܘܪܢ scribitur, & *ab albedine* sumptum est. Sic λευκὴ κώμη *Albus pagus* ad *Arabicum* sinum, *Arabibus*, & *Syris* ܚܘܪܐ dicitur, & in *Stephano* Αὔαρα. Locum alibi citavimus.

De elephantis nihil habetur ampliùs in *Macchabæorum* libris, nisi quod 2. *Macchab.* 14. *vers.* 12. *Nicanor* ex elephantarcha fit *Judææ* Dux. *Elephantarcha* is dicitur, qui imperium habet in belluas, ut *Craterus*, quem *Alexander* elephantis suis præfecerat; *Arriani* lib. 6. Quamvis enim in *Æliani Tacticis*, *elephantarcha* propriè dicatur is, qui sedecim elephantos regit, ut *ceratarcha*, qui XXXII. *phalangarcha*, qui LXIV. tamen, latè sumpto vocabulo, elephantarcha dicitur, quisquis elephantis præficitur, quamlibet magno sint numero. Itaque *Hermon*, cui quingentos elephantos commiserat *Ægypti* Rex *Philopator* (lib. 3. *Macchab.*) sæpe vocatur ἐλεφαντάρχης. Et Regi *Seleuco* Ἐλεφαντάρχου cognomen inditum suprà docuimus à *Demetrii* adulatoribus; quia plures habuit elephantorum centurias. Aliud ἐλεφαντιστής *Philosopho Hist.* lib. 9. cap. 1. nempe qui elephanto insiliens illum κατευθύνει τῷ δρεπάνῳ, *falce dirigit.* Is alio nomine dicitur ἐλεφαντάγωγός, quem ab elephantarcha *Pollux* ità distinguit lib. 1. cap. 10. ὁ μὲν ἄγων ἐλέφαντα ἐλεφαντάγωγος καλεῖται, ὁ δ' ἐπ' αὐτοῖς ἄρχων ἐλεφαντάρχης· *Qui quidem elephantum agit*, elephantagogus; *qui autem illis dominatur*, elephantarcha *dicitur.* Itaque ab elephantiste, vel elephantagogo tantum distat elephantarcha; quantum ab equisone ὁ ἱππάρχης, seu magister equitum. In bello enim elephantarcha non solis elephantis præest, sed & eorum insessoribus. Hæc in *Cælium Rhodiginum* observamus, cui *Aristotelis* elephantistes, & *Plutarchi* elephantarcha pro eodem habentur *Lect. Antiq.* lib. 13. cap. 18.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

De *Hebræis* Bovis nominibus.

Hebræa *Bovis septem nomina. I.* עגל egel, *vitulus propriè anniculus, nondum domitus. Tamen alicubi Fœm.* עגלה egla, *vitula, seu juvenca, trituræ apta, & lactifera. Et vitula* משלשת, Gen. 15. 9. *Vel* שלישיה, Es. 15. 5. *id est*, triennis. *Refelluntur aliæ interpretationes. Eadem* καταχρηστικῶς *in Poëtis. Vocis* עגל *origo vera & Arabum commentitia.* Æthiopibus ዐጓል: agel, *pro catulo, pullo, & filio cujusvis animalis. Ita* μόσχος, & vituli *vox latissimè patet.* ר & ד *permutari. An ab* עגל ἰταλὸς, vitulus, & Italia. *II.* פר par, *juvencus, bovis fœtus jam cornutus.* פרה *juvenca fœta, nondum domita. Tamen* פר *septennis* Jud. 6. vers. 25. *Cur bos quinquennis, & novennis à* Philosopho *pro eodem habeantur. De utriusque vigore.* פר *creditur à* fœcunditate *dici. Alia origo vocis. Quid sit* אשפר 2. Sam. 6. vers. 19. Πόρτις juvenca *ex* פר par. *III.* שור sor, *bos cujuslibet sexûs, & ætatis. A* firmitate *sic dicitur, non ab* intuendo, *ut volunt. ex* Hebræo שור *sor*, Chaldæum, & Phœnicium תור *thor*, Ægyptiacum, ΑΘΥΡ, Græcum ταῦρος, taurus. *IV.* בקר bakar, *bos mas, & fœmina. Indè vacca per aphæresin τοῦ R, ut in* musa, zona, mappa, &c. *Nomen à* scindendo *potiùs, quàm ab* inquirendo; *quia terram vomere proscindit.* Triones *à terendo, vel à stria. Bos alter alterum inquirit.* ܒܩܪܐ Syriacè *pro grege quovis.* בוקר bubulcus, & caprarius. בקורת flagellatio, *propriè* loro bovino. *V.* אלפים alaphim, *vel* alluphim, *boves propriè edocti, & domiti.* الف alapha, *jungere* Arabicè: Alpha *bos* Phœnicibus. Hesychius *emendatus. VI.* אבירים abbirim, *tauri, à* robore. Apis *an indè dicatur, ut colligi videtur ex* Græca *versione* Jer. 46, 15. *In eum locum conjectura. VII.* מריא meri, *vox incertæ notionis. Sunt, qui* agnum, arietem, ovem, *explicant. Alii* جاموس giamus, *id est*, bubalum: *alii* bovem saginatum: *alii* pingue de quolibet animali mundo. *Talmud.* מרא mara, *saginare.* Arab. ماري *mari*, lævis, nitidus, & pilis æqualibus. *A* Bellonio *describitur bos quidam in* Syria *ità comptus, & lævigatus, ut splendere videatur. Is non est veterum bubalus, qui capreæ fuit species, sed* מריא meri; *quod multa probant.* Uri *jam olim pro bubalis perperam habiti.* Meri *non est immundum animal, ut statuit* R. Hai.

Bovis apud *Hebræos* sunt omnino septem nomina. I. Primum עגל *egel*, *vitulum* sonat, & Fœm. עגלה *egla*, *vitulam*. *Hebræi*, & *Arabes* definiunt *filium bovis*. Quod sumptum ex his *Mosis* Levit. 19, 2. קח לך עגל בן בקר *Sume tibi vitulum filium bovis.* Alii עגל, *vitulum* primo anno dici volunt, aut donec generet, & jugum ferat. *Maimonides* in Tractatu *De sacrificiis* cap. 1. §. 14. עגל *egel*, & פר *par*, ità distinguit, ut עגל velit *bovem anniculum*, פר *bovem bimum* significare. Verba sunt, וכל מקום שנאמר בו עגל הרי זה בן שנה פר בן שתיים *Ubicunque dicitur* egel, *intelligitur bos anniculus; at ubi dicitur* par, *intelligitur bos biennis.* Et verò vituli בני שנה *filii anni*, id est, *anniculi*, vocantur *Levit.* 9, 3. & *Mich.* 6, 6. Et *Ieremias* se à Deo castigatum fuisse queritur כעגל לא למד, *ut vitulus nondum institutus*, id est, qui nondum subactâ ferre jugum valet cervice, sed multis plagis, & verberibus ad id instituitur, ut incipiat jugum pati. Nè quis tamen putet hoc perpetuum, *Os.* 10. *vers.* 11. עגלה *vitula* dicitur vacca jam מלמדה *instituta*, & אהבתי לדוש *triturare amans.* Et *Es.* 7. *vers.* 21, 22. עגלת בקר *vitula bovis*, quæ jam est distenta lacte, ex quo fiat butyrum. Et *Genes.* 15. *vers.* 9. *Abraham* Deo jubetur offerre עגלה משלשת *vitulam trimam.* Scio cum *Onkelo* nonnullos interpretari *vitulam triplicem*, seu *tres vitulas*. Quò pertinent hæc *Kimchii* in *Lexico*, ואין לומר שלש עגלות פירוש בת שלש שנים כי בת שלש שנים נקראת פרה *Significantur tres vitulæ. Neque dicendum est vitulam triennem intelligi, quia, cum triennis est, vocatur* פרה

פרה *para*. Ità etiam *R. Selomo* in *Notis* ad hunc locum, שלשה עגלים רמז שלשה פרים פר יום הכפורים ופר העלם דבר של צבור ועגלה ערופה *Tres vituli designant tres juvencos: juvencum, qui offerebatur die propitiationum*, Num. 29. vers. 7, 8. *Et juvencum, qui offerebatur pro re, qua latebat Ecclesiam*, Levit. 4. vers. 13. 14. *Et vitulam* (seu *juvencam*) *quæ decollabatur*, Deut. 21, 4. Alii quoque *vitulam* intelligunt שלישית לבטן *quæ tertio partu edita est*, quasi sit robustior. Alii tria sacrificiorum genera, *holocaustum*, *sacrificium pro peccato*, & *pacifica*. Alii denique μυςικωτέρως in *Bereschith Rabba*, cap. 42. tres *Babylonis Reges*, de quibus Propheta *Daniel*, *Nebucadnesarem*, *Evilmerodachum*, & *Belsatsarem*. At, qui *vitulam trimam* reddunt, non paucos numerant, quos sequantur è veteribus. In his *Jonathan* hic habet עגלא ברת תלת שנין *vitulam filiam trium annorum*. Et *Græci* Interpretes δάμαλιν τριετίζουσαν. Et Hieronymus *vaccam triennem*. Et Aben Ezra *vitulam* בת שלש שנים *trimam*. Ità *Es.* 15. *vers.* 5. עגלה שלישיה à *Græcis* exponitur δάμαλις τριετής. Et ab Aben Ezra *vitula* שיש לו ג׳ שנים *quæ tertium agit annum*. Et ab Abarbanele *vitula* בת ג׳ שנים כי היא הטובה *triennis*, *quâ ætate maximè præstat*. Quomodo etiam à *Kimchio* sui oblito. Qui idem in *Lexico* frustrà objicit vaccam trium annorum non dici עגלה *vitulam*, sed פרה *juvencam*. Sæpe enim hæc confunduntur. Sic à *Prophetis* vitulam vocari docuimus vaccam, quæ jam est lactifera, & domita, & trituræ apta, cui simile est illud *Nicandri* in *Theriacis* versu 552.

Ἤτι ἢ ἀςόργοιο κατείρυσεν ὕδατα μόσχυ
Πρωτογόνυ, ςεῖρης ῥ ἀκεσφαραγεῦσα γάλακτι·
Et vitulæ primum enixæ quæ lac ciet herba,
Ut prius ex ossi sua præbeat ubera natis.

Et hoc *Poëta* Eclogâ tertiâ,

—*ego hanc vitulam nè fortè recuses*
(*Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus*)
Depono. ———

Et lib. 4. *Georg.*

Tum vitulus bimâ curvans jam cornua fronte.

Id est, *vitulus biennis*, & *cornutus*. Si divinare liceat, *vitulus* עגל *egel*, dictus est quasi עגל *agol*, *rotundus*; quia præ cæteris pecudibus formæ est maximè teretis, præcipuè cùm saginatur. *Hebræi* vocant עגל מרבק 1. *Sam.* 28, 24. & *Græci* μόσχον σιτευτὸν *Luc.* 15, 23. Nam joculare est, quod *Damir Arabs* vitulum عجل *iglon* dici asserit; لاستعجال بني اسرايل عبادته *quia cultum ejus urserunt* Israëlitæ. Neque verius est, quod addit idem, وكانت مدة عبادتهم اربعين يوما فعوقبوا في التيه اربعين سنة جعل الله كل سنة في مقابلة يوم *Et tempus cultûs ejus fuit quadraginta dierum: unde est, quòd in deserto pœnas dederunt per annos quadraginta, Deo singulos annos singulis diebus opponente. Hebræum* עגל pro *vitulo Chaldæi* etiam & *Syri*, & *Arabes*, iisdem literis scribunt, sed *Æthiopes* ዕጐል፡ per *Aleph*. Sic አጉላት፡ pro *vitulis* occurrit in *Æthiopica* Paraphrasi *Deut.* 32. 14. Et, quod mirere, hoc ipsum ዕጐል፡ de filio, catulo, & pullo hominum, quadrupedum, atque avium ab iisdem passim usurpatur. Sic *Job.* 16, 21. ዕጐል፡ dicitur infans nuper editus, & *Luc.* 1, 41. *Johannes* in utero latens. Rursus *Ps.* 9, 28. & *Jac.* 1, 27. ዕጐል፡ ሞውት፡ *filius mortui*, est *pupillus*, vel *orphanus*. Et passim ዕጐል፡ እመሕያው፡ *filius viri*, legitur pro *filio hominis*. Sed & ዕጐል፡ de agno legere est, *Ps.* 28. *vers.* 1. de catulo leonis, *Ps.* 103. *vers.* 22. de pullo asinæ, *Matth.* 21, 5. aquilæ, *Deut.* 22. *vers.* 11. corvi *Ps.* 146, 10. gallinæ, *Luc.* 13, 34. columbæ, *Luc.* 11. 24. & turturis, *Psal.* 83. *vers.* 3. Quâ καταχρήσει de elephantis dixit *Plinius* lib. 8. cap. 1. *Vitulorum fatigatos præferentes*: & de balænis lib. 9. cap. 6. *Irrumpunt orcas in secreta, & vitulos earum, ac fœtas vel etiam gravidas lancinant morsu. Græci* quoque non solùm *vitulum*, sed & *agnum* μόσχον appellant. *Pollux*, ubi de ovium ætatibus, lib. 7. cap. 33. Τὸ δὲ ἄρτι γενόμενον ἂν μόσχον, *nuper natam* moschion (quasi *parvum vitulum*) *dices*. Paulò aliter *Ister* in libro *De dictionibus Atticis*, Ἐλέγετο ἢ καὶ μοσχίας ὁ τριετὴς κριός· *Etiam aries triennis* moschias *dicebatur*. Sic *Palladius*, in *Macario Alexandrino*, bubalidis, quæ capreæ est species, catulum μόσχον appellat. Verba sunt, Ἀνεφάνη πλῆθος βυβάλων, ἐξ ὧν μία ἔχουσα μόσχον· *Apparuit copia bubalidum, quarum una vitulum habens*. Et de eadem paulò pòst, Ἐμὲ μὲ θηλάζυσα, τὸ ἢ μόσχον αὐτῆς μὴ δεχομένη· *Me quidem lactans, suum autem vitulum non admittens*. Et *juvencum* non solùm de bobus, verùm etiam de hominibus adolescentibus dici notavit *Porphyrion* in illud *Horatii* lib. 2. *Od.* 8.

Te suis matres metuunt juvencis.

Quò eódem nonnulli referunt hoc *Catulli* ad *Juventium* puerum,

O qui flosculus es juvenculorum.

Sed alii legunt *Inventiorum*. Et, apud *Eustathium*, *Achæus* pullum hirundinis appellat μόσχον χελιδόνος.

Cl. *Salmasius* in *Solinum* postquàm *spinturnicia* appellari docuit ἀπὸ τῦ σφιγγὸς, Γ, inquit, *in* T *mutatur, ut in aliis sexcentis soliti sunt* Latini. *Ita* τρυγὸς, Æolicè τυγρὸς, Latinè *turtur*. Et ταῦρον *Etymologus* dici vult quasi γαῦρον. Huc etiam nonnulli referunt, quòd *Hesychio* γλάσσα & τλάσσα idem sunt, ζαγῶσαι item & ζατῶσαι. Ut *Suidæ* ὄςριγ© color, qui aliis ὄςρυγ©. Et apud *Persas* cursor regius ἀςάνδης & ἀσγάνδης. Et *Liv.* lib. 38. *Orgiago*, *Gallorum* Regulus, qui aliis (a) *Ortiago*. Et idem unguentum (*b*) Μεγάλειον, & (*c*) μεταλλεῖον. Quæ si vera, quidni ab עגל *egel*, vel *igel*, ut scribunt nonnulli *Arabum*, factum fuerit *Græcum* ἰταλὸς, & ἰτυλ©, à quo *vitulus*. Hesychius, Ἰταλὸς, Ῥωμαῖ©, ταῦρ©, *Varro*, *Rust.* lib. 2. cap. 1. *Italia a vitulis nominatur*, *ut scribit* Piso. Et cap. 5. *Græcia antiqua* (*ut scribit* Timæus) *tauros vocabat* ἰταλὺς, *à quorum multitudine*, *& pulchritudine*, *& fœtu vitulorum*, Italiam *dixerant*. Et *De Ling. Lat.* lib. 4. *Vitulus*, *quod* Græcè *antiquitùs* ἰτυλ©. Idem asserunt *Timæus* apud *Gellium*, initio lib. 11. & *Columella* in Præfatione lib. 7. *Italiam* tamen indè dici non assentior. Quin alibi docuimus *Italiam* apud priscos Scriptores nihil quidquam fuisse, quàm *Bruttiorum* regionem; quæ *Phœnicibus* עיטריא *Itaria*, quasi *picearia* dicta est, propter picis copiam, & præstantiam.

(a) Polyb. in Excerpt. pag. 114. Suid. in Παιδισκάριον. (b) Pan. Suid. Etymol. (c) Hesych. Clem. lib. 2. Pædag. Hellad. apud Photium.

II. Bovis secundum nomen est פר *par*, Fœm. פרה *para*. *Juvencum*, *& juvencam* exponunt *Lexicographi*; & *Maimonides bovem bimum*. Nempe, ut scias aliquid habere supra vitulum, פר *par*, cornutus describitur à *Davide*, Psal. 69. *vers.* 32. & פרה *para*, jam partu fœcunda, *Job.* 21. *vers.* 10. & vitulos suos lactans, 1. *Sam.* 6. *vers.* 7. 10. Sed juniorem esse ex eo apparet, quòd פר Scripturæ locis triginta minimùm בן בקר appellatur, id est, *filius bovis*. Et פרה *Num.* 19, 2. vacca adhuc integra, quæque nondum subiit jugum. Qualem pollicetur *Diomedes* se *Palladi* immolaturum *Iliad.* κ'

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον
Ἀδμήτην, ἣν ὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ·
Anniculam, lataque tibi mactabo juvencam
Frontis, & edomitâ nondum cervice subactam.

Et

Et quæ *Horatii* lib. 3. Od. 5.

Nondum subactâ ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Proinde *bovem* פר *par*, & *vaccam* פרה *para*, circa bimatum, aut trimatum dici concludunt *Hebræorum* Magistri. Ità definit *Kimchius* in *Lexico*, vocibus פר, & עגל. Tamen פר יקרא אפילו הזקן *Par vocatur etiam bos senior*; ut, præter *Kimchium*, agnoscunt *Aquinas*, & *Pomarius*. Huc facit, quod *Jud. 6. vers. 25.* פר memoratur שבע שנים, ἑπτὰ ἐτῶν, *septennis*; quæ in bove matura est ætas, ut in homine virilis. *Aristoteles* (d) quinquennem maximè florere dicit, sed iis verbis, quæ non capio satis. Ἀκμάζει δὲ μάλιστα πενταετὴς ὢν· διὸ καὶ Ὅμηρόν φασι πεποιηκέναι τινὲς ὀρθῶς, ποιήσαντα ἄρσενα πενταέτηρον, καὶ τοῦ βοὸς ἐννεώροιο. δύναται γὰρ τ' αὐτόν. *Viget* (bos) *quinquennis maximè: quocirca Homerum rectè dixisse ajunt marem* (bovem) *quinquennem, & bovis novennis; hæc enim idem esse.* Apud *Homerum* scilicet *Iliad. ϐ. Agamemnon* mactat bovem,

(d) Hist. lib. 6. cap. 21.

Ἄρσενα πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Κρονίωνι,
Marem quinquennem potenti Saturnio, id est, *Jovi*. Et *Odyss. τ*. *Autolyci* filii ad cœnam parant.
—— βοῦν ἄρσενα πενταέτηρον,
bovem marem quinquennem: quia ex *Poetæ* sententia, tam ad sacrificia, quam ad convivia bos quinquennis est aptior. At *Odyss. κ'. Æolus*,
—— δεῖρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο,
cùm bovis novennis utrem excoriâsset, (id est, pellem utri concinnando, quæ in bove novenni durior est, & compactior) eâ ventorum flatus inclusit. Hæc quorsum idem esse dixerit *Philosophus* divinare non possum. Nisi velit novennem bovem tam florere, quàm quinquennem; quia usque ad nonum annum est in pleno ætatis vigore. Unde *Hesiodus* in *Operib.* lib. 2.
—— βόε δ' ἐνναετήρω
Ἄρσενε κεκτῆσθαι· τῶν γὰρ σθένος οὐκ ἀλαπαδνὸν,
Ἥβης μέτρον ἔχοντε, τὼ ἐργάζεσθαι ἀρίστω.

Sensus est, Ad terræ culturam boves novennes esse comparandos; quia tum sunt in pleno robore, ac vigore ætatis, & ad arandum quàm optimi. Utut sit, cùm in libro *Judicum* פר dici constet bovem septennem, פר non solùm est juvencus, sed & bos in pleno vigore. Itaque malim eo loco, cum *Hieronymo*, *taurum* reddere, quem *Græci* definiunt βοῦν τέλειον, καὶ ἰσχυρόν. Et verò, ut quidem volunt, פר *par*, fit à Verbo פרה *para*, quod *fœcundum esse* sonat. Unde bovem quidam colligunt פר *par*, posse appellari, quamdiu fœcundus, atque habilis est ad fœminas incundas. Quam ætatem à quadrimatu ad annum usque duodecimum extendit *Columella*. Ex his, inquit, (e) *qui quadrimis minores sunt, majoresque duodecim annorum prohibentur admissurâ. Illi, quoniam puerili ætate seminandis armentis parùm idonei habentur; hi, quia senio sunt effœti.* At *Philosophus* coire, & generare vult anniculos, vel saltem bimos, atque indè quamdiu vivunt. Verba sunt, Ὀχεύει δὲ τὰ ἄρρενα, καὶ ὀχεύεται τὰ θήλεα, ἐνιαύσια ὄντα πρῶτον, ὥστε καὶ γεννᾶν, ὡς μὲν ἀλλὰ, τὸ γε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, διετῆ... ὁμολογούμενον μάλιστα διετεῖς. *Inire mares, & iniri fœminæ primò jam anno incipiunt, ità ut plerumque vigesimo mense, aut, quod maximè in confesso est, biennes generent.* Et paulò post, Καὶ τίκτει, καὶ ὀχεύει ἕως ἂν ζῇ. *Et pariunt, atque ineunt quamdiu vivunt.* Vivere autem addit annos quindecim, vel viginti ad summum. Itaque toto hoc tempore, si illis creditur, quos diximus, bos posset פר *par*, vocari. Sed, ut dicamus quod res est, פר fieri à Verbo פרה *para*, non satis certum est. Potest enim ejusdem esse originis cum

(e) Lib. 7. cap. 23.

Arabico فرار *phurar*, vel *phirar*, quod & فرير *pharir*, & فرافر *phuraphir*, & فرفر *phurphur* & فرفور *phurphur* scribunt, & usurpant pro ولد النعجة والمعازة والبقرة الوحوشية *fœtu ovis, & capræ, & vaccæ sylvestris.* Deducunt autem à Verbo فر *pharra*, id est, كشف عن اسنان الدابة لينظر ما سنها *detexit jumenti* (aut *pecoris*) *dentes, ut videret quot annos agat.* Unde in quarta Conjugatione افر *aphara*, de jumento, aut pecore, سقطت رواضعها وطلعت غيرها *ceciderunt dentes ejus lactentes* (quas vocant) *& alii suborti sunt.* Hæc *Giauhari*, & *Alcamus*. Verisimile igitur est vitulum propriè dici פר *par*, tum cùm emittit dentes primigenios, ut illis alii succedant. Porrò (auctore *Philosopho* Hist. lib. 6. cap. 21.) τοὺς ὀδόντας βάλλει βοῦς διέτης, *dentes biennis ejicit*.

Si *Talmudicos* sequamur אשפר 2. *Sam. 6. vers. 19.* & 1. *Par. 16. vers. 3.* propriè erit *juvenci sexta pars*: & sic sumendum, quòd *David* singulis è populo dedisse legitur *collyridem panis*, & אשפר. Ità explicat *R. Hanan Aba* filius Tractatu *de Paschate* cap. 1. fol. 36. b. אשפר אחד מששה בפר, *portionem unam è sex in juvenco*. Mactatum enim animal in tot partes dividebant, & harum sex partium singulæ dicebantur אשפר, voce compositâ ex tribus, nempe אחד, *unum* שש, *sex*, & פר, *juvencus*. Quod *Hieronymus* ex parte sequutus אשפר reddidit *assaturam bubulæ carnis*, aut *partem assæ carnis bubulæ*, ubi perperàm *bubalæ* legunt. At *Hebræorum* aliis à Verbo שפר, quod *decorum esse* significat, אשפר est carnis cujuscunque honesta, & decens portio. Cui sententiæ accedo potiùs, cùm quia vocis compositio, quam *Talmudici* sibi fingunt, planè est insolens; tum quia vix crediderim, unumquemque è populo, viros inquam, & mulieres omnes omnino ut habetur in Sacro Textu, viritim auferre potuisse sextam bovis, aut juvenci partem, præter panem, & laganum.

Utut sit, etiam apud *Arabes* شقص pro *parte*, & *portione* occurrit, non tamen carnis, sed agri, terræ, aut arenæ.

Ab *Hebræo* פרה *para*, juvenca πόρις *Græcè* dicitur. *Homerus*, *Odyss. κ'.*
Ὡς δ' ὅταν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας.
Ut cùm agrestes juvencæ circa vaccas armentarias, &c. *Aratus* versu 120.
Σκυθραὶ λειμῶνος πόριες, καὶ βυθοσίοιο,
Tristes prati juvencæ, & bubuli pascui. Sunt, qui *juvencos*, aut *vitulos* exponant. *Suidas*, Πόρις, νέοι βόες, μόσχοι. Sed & in *Homero* legitur πόρτις, & πόρταξ, tanquam ex *Phœnicio* פרתא *partha*. Et in *Hesichio* Πορτάκιον est μοσχίον & Πορτάζει, δαμαλίζεται, quasi *vitulari dixeris*.

Non possum non addere in *Græca* versione *Jud. 6. vers. 25.* pro *juvenco*, aut *tauro septenni* legi μόσχον ἑπταετῆ, quod sequutus vetus Interpres hìc habuit *vitulum annorum septem*. Unde *Augustinus*, *Locut.* lib. 7. *Hic manifestum est, quomodo vitulos appellet Scriptura. Bos enim annorum septem, secundùm consuetudinem locutionis nostræ, non est utique vitulus.* Et in *Judices* cap. 25. *An Græcæ locutionis consuetudo est etiam vitulos eos appellare, qui grandes sunt? Nam ità loqui vulgò in Ægypto perhibentur. Sic apud nos pulli* (Gallicè *poules*) *gallinæ appellantur cujuslibet ætatis.*

III. Tertiò, שור *sor*, vocatur bos cujusvis ætatis, & sexûs. Cùm *Levit* 22, 27. שור modò natus matri legitur subfuisse per septiduum, necessario *vitulus* intelligitur. Et *Psal.* 106. *vers.* 19. 20. ubi vitulus, quem in deserto conflarunt *Israëlitæ*, modò עגל, modo שור appellatur. Sed ad *bovem* jam *maturum* pertinent hæc *Exod.* 21. *vers.* 28. *Si ô* שור *sor*, *cornu feriat*, &c. Et *Num.* 18, 17. *Primogenitum*, τῦ שור *sor non redimes*. Et *Deut.* 25, 4. *Non capistrabis* τῦ שור *sor triturantem*. Et *Prov.* 14, 4. *Copia proventuum est in virtute* τῦ שור *sor*. Et ad taurum speciatim quod habetur *Job.* 21, 10. *Illius ô* שור *sor impraegnat, & Semen non effundit*; si quidem stamus receptæ versioni, de qua infrà suo loco. Pro *vacca* denique sumitur *Exod.* 34, 19. ubi Deus sibi reservat quidquid aperit vulvam τῦ שור *sor*, & *Levit.* 22, 28. ubi prohibet τὸ שור *sor* mactare simul cum fœtu suo.

Quia verbum שור *intueri* significat, alii bovem שור dici volunt, tanquam animal valde conspicuum; alii a torvo visu, alii διὰ τὸ ὀξυδερκές. Taurum enim acutissime videre nonnulli scribunt. Sic ad hæc *Lycophronis*. (g)

(g) *Versu* 555.

Λεοντα ταύρῳ συμβαλόντα φύλετιν

Leonem cum tauro prælium committentem, ità *Scholiastes*, Κάστορα λέοντα λέγει· ταῦρον δὲ τὸν Λυγκέα, διὰ τὸ ὀξυδερκές· φασὶ γὰρ ὅτι καὶ τὰ ὑπὸ γῆν ἑώρα. *Castorem leonem vocat, taurum autem Lynceum ab acumine visus: dicitur enim vidisse etiam ea, quæ sub terra sunt.* Tamen quia Verbum שור neque *conspicuum esse*, nec *torvè intueri*, nec *acute videre* significat, sed solum *intueri*, nec alibi tauro tribui vide ò τὸ ὀξυδερκές. Nomen שור *sor*, referre malim ad reduplicativum שרר *sarar*; quomodo מור *mor*, id est, *myrrham*, quæ amara est, ad מרר *marar*, *amarum esse*; & חור *chor*, *liberum*, & *ingenuum esse* ad חרר *charar*, *liberum esse*; & בור *bor*, id est, *puritatem*, & *saponem*, ad ברר *barar*, quod significat *mundare*, *purificare*. Porrò, שרר *sarar*, *Syris*, *Chaldæis*, & *Talmudicis* est *firmari*, vel *stabiliri*. Sic *Psal. Syr.* 18, 35. ܘܫܪܪ *Et firmavit ut arcum arcum brachia mea*. Et *Psal.* 44, 3. ܘܫܪܪܬ ܐܢܘܢ *Et stabilivisti eos*. Et *Act.* 3, 7. ܐܫܬܪܪ *Consolidati sunt pedes ejus*. Et in *Thargum* Prov. 8, 6. dicit æterna Sapientia, id est, *Christus*. *Audite, quia* דשרירותא *quod firmum est ego loquor*. Et in *Talmude* in Tractatu *De Sabbatho* cap. 22. fol. 145. b. de pisce dicitur, לא שריר שרירה *Non firma est ...*. *Æthiopicè*, etiam ሰረረ: *fundare*, & *stabilire* est, *Psal.* 23. *vers.* 2. & 103. *vers.* 6. 9. & 118. 90. *Matth.* 7, 25. *Luc.* 6. *vers.* 48. Unde ሠረረት: *fundamentum* Psal. 101. vers. 26. & መሠረት: idem *Psal.* 86, 1. *Luc.* 6. *vers.* 48. *Act.* 16. *vers.* 26. *Apoc.* 21, 14. *Ignorg.* 175. b. Et *Arabicè* سرير الرأس est *capitis firmitas* مستقر الرأس في العنق *cum caput collo firmiter hæret*. ضربا يزيل الرأس عن سريره *caput ictu à firmitate sua dimovit*. Ità habetur in *Alcamus*. Quàm rectè hùc referatur bovis nomen, cui & totum corpus, & cervix imprimis firmissima est, neminem esse puto, qui non videat. *Chaldæi*, & *Syri*, quibus solenne est *Hebræum* ש & ת mutare, ex שור *sor*, fecerunt תור *thor*; & *Arabes* ثور *thaur*. *Phœnices* quoque *thor*, in *Plutarchi Sylla*, Θὼρ γὰρ οἱ Φοίνικες τὴν βοῦν καλοῦσι. *Thor autem Phœnices bovem appellant*. *Ægyptii* ΑΘΥΡ. *Hesychius*, Ἀθὺρ μὲν καὶ βοῦς παρ' Αἰγυπτίοις. *Græci*, & *Romani* ταῦρος, *taurus*. *Arabibus* الثور *thaur* propriè est الذكر من البقر *mas in boum genere*. Iidem sic dici volunt; لانه يثير الارض *quia terram concutit*. *Hebræas* enim vocum origines planè nesciunt.

IV. Quarto בקר *bakar*, *bovem* significat marem, aut fœminam. Hanc vocem, præter *Hebræos*, *Chaldæi* etiam usurpant, & *Syri*, & *Arabes*, qui dicunt esse اسم جنس يقع على الذكر والانثى *nomen genericum in marem & fœminam cadens*. Hinc *Moses* Levit. 3. vers. 1. *Si offert* מן הבקר ex bakar (seu *bobus*) *sive marem*, *sive fœminam*. Et *Gen.* 33. *vers.* 13. הבקר עלות *bakar*, seu *boves lactantes*, id est *vaccæ*. Et *Deut.* 32. *vers.* 14 חמאת בקר *butyrum bakar*. Et 2. *Sam.* 17, 29. שפות בקר *cases bakar*, id est *vaccarum*. Adeòque *vaccæ* nomen videtur factum ex בקר *bakar*; R finali detracto per *Aphæresin*. Tale Μοῦσα *Musa*, ex *Hebr.* מוסר *musar*, id est, *doctrina*: Ζώνη, *zona*, ex *Chald.* זונר *zonar*, id est *cingulum*: *Mappa*, *Punica* vox, ut alibi docuimus, ex מפר *mappar*, pro מעפר: Et טינא *petra* in *Thargum* Job. 19. vers. 26. pro טינר *tinar*: Et *Talmudica* זוטא *zuta*, *parvus* pro זוטר *zutar*: Et גידא *guda*, *sepes* pro גדר *gadar*: Et טמא *tama*, *abscondere* pro טמר *tamar*. Hoc videtur differre בקר *bakar*, ab iis boum nominibus, quæ præcesserunt, quòd *vitulum*, aut *juvencum* propriè non significat, sed *bovem in plena ætate*. Proinde עגל *vitulus*, & פר *juvencus* passim appellantur בני בקר *bene bakar*, *filii bakar*. Et 1. *Sam.* 14, 32. *Israëlitæ* mactant *Philistæorum* בקר ובני בקר bakar, & *filios* bakar, id est, *boves*, & *juvencos*, seu *vitulos*. Tamen 2. *Par.* 29. *vers.* 22. בקר *bakar*, vocantur, qui prius פרים *parim*, *juvenci*. Et promiscuè usurpantur שור *sor*, & בקר *bakar*, multis in locis. Exempla vide *Exod.* 22. 1. *Num.* 7, 3. 1. *Sam.* 14. *vers.* 32. 34. & 15. *vers.* 3, 9.

Verbum בקר *bakar*, est *quærere*, & *inquirere*. Indè בקר *bakar*, *bovem* dici volunt, quod magnâ pastoris inquisitione, & inspectione egeat. Qui probando hoc afferunt ex *Ezek.* 34. *vers.* 11. 12. ובקרתים כבקרת רעה עדרו *Et quæram eos quomodo quærit pastor gregem suum*. Sed præter rem, ut quidem puto. Ibi enim agitur de grege ovium, non de armento boum. Adeoque oves non quærit pastor, nisi cum dissipatæ sunt. Quod tandem additur, *Et quæram eos quomodo quærit pastor gregem suum*, *quandocunque est in medio dissipatarum ovium*. Ut in *Evangelio* (Parabola (h) pastor quærit ovem, quæ erraverat. Itaque hæc inquisitio ad ordinariam pastoris curam non pertinet. Proinde bovem *Hebræis* בקר *bakar*, si quis *à quærendo* dici pertendat, nolim hoc ad pastorem, sed ad bovem ipsum referre, de quo *Isidorus*, *Orig.* lib. 12. cap. 1. *Boum in socios eximia pietas*. *Nam alter alterum inquirit, cum quo ducere collo aratra consuevit, & frequenti mugitu pium testatur affectum, si fortè defecerit*. Sed & videndum, annon *Arabes* felicius hanc vocem ex sua lingua deducant, quâ بقر *bakara* est *incidere*. *Bovem* igitur *bakar* hinc dici asserunt; quia بقر تشق الارض بالحراثة *terram arando proscindit*. Ità *Damir* in البقر & idem rursus in الثور *tauro*, cum ab *Arabibus* sic appellari ait; لانه يثير الارض كما سميت البقرة بقرة لانها تبقرها *quia terram concutit, quomodo vacca vocatur bacra, quia illam vomere proscindit*. Sic *trio* Romanis *à terendo* bos dictus est. *Varro*,

(h) *Matth.* 18, 12. *Luc.* 15, 4.

Varro, *De Ling. Lat.* lib. 6. *Triones enim, & boves appellantur a bubulcis etiam nunc, maximè cum arant terram. E quibus ut dicti valentes glebarii, qui facilè proscindunt glebas: sic omnes, qui terram arabant à terra teriones, unde triones, ut dicerentur à detritu.* At Scaliger *triones* pro *striones* à stria, quam proscin lendo sulcos faciunt. Sic enim *Varro* jubet in *striam* sulcos imprimi. Et *Plinius* vetat in arando sæpius *striare*, id est sæpius iterare striam. בקר etiam pro *armento boum* passim sumitur & à *Syris* κατᾶχρηστικῶς pro quovis grege. Tale ܒܩܪܐ ܕܚܙܝܪܐ, *grex porcorum*, Luc. 8. *vers.* 32. Hinc בוקר *boker*, propriè est *bubulcus*. Tamen *Amos* 7. *vers.* 14. LXX. *Seniores* αἰπόλον *caprarium* reddiderant. Sed *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, & Quinta editio melius βουκόλον, & Hieronymus *armentarium*. Et בקורת *Levit.* 19. *vers.* 20. propriè est מלקות ברצועה של בקר *flagellatio, quæ fit nervo bovino*. Ità *Saadias Gaon*, *Aben Ezra*, *Kimchius*. Nec multò aliter *Pomarius*, & *Aquinas*. Sic septem fratres cum matre μάστιξι, καὶ νευραῖς αἰκιζομένους, *flagris, & taureis cruciatos fuisse*, legas. Et in *Sticho Plauti*,

——— monumentis vos commonefaciam bubulis.

Et in *Aulularia*,

Apud fustitudines ferricrepedinas insulas,
Ubi vivos homines mortui incursant boves.

Tamen בקורת sumitur pro quavis flagellatione.

V. Quintò, אלופים *alluphim*, vel אלפים *alaphim*, sunt *boves*. Sic *Psal.* 8. *vers.* 7. 8. *Omnia posuisti sub pedibus ejus, oves*, ואלפים כלם *& boves, quotquot sunt*. Psal. 144. vers. 14. אלופינו מסבלים *Boves nostri arvinâ graves*. Prov. 14. vers. 4. באין אלפים אבוס בר *Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est*. Es. 30. vers. 24 והאלפים *Et boves, qui colunt terram*. Deut. 7. vers. 13. שגר אלפיך *fœtus vaccarum tuarum*: unde constat etiam de fœmina dici. Itaque iis non assentior, qui propriè *armenti ducem* significari putant; quia sæpe אלוף *ducem* sonat. Potiùs à Verbo אלף, quod *discere* est, & *assuescere*, אלפים *alaphim* puto dictos boves jugum pati edoctos, atque assuetos. Quo facit, quòd *stimulus boum* dicitur מלמד הבקר *Jud.* 5. *vers.* 31. quia boves eo docentur. Et *Jerem.* 31. *vers.* 18. pro *Hebræis* כעגל לא למד *ut vitulus non edoctus*. *Chaldæus* habet כעגל לא מליף ניר *ut vitulus qui jugo non assuevit*; usus eo ipso Verbo, ex quo deducimus nomen אלפים. Et rursus *Eccles.* 12. *vers.* 12. היכמא דמאלף לתורתא *sicut qui docet bovem*. Res ferè eòdem recidet, si dicamus אלפים dici *boves, sub jugo jungi solitos*, ab *Arabico* Verbo الف *alapha*, quod *jungere*, & *copulare* significat. Atque indè esse, quòd non occurrit in Singulari, ut neque *Græca* συζυγῆ, & συζυγεῖς. Nam aliud esse אלוף כבש *Jerem.* 11. *vers.* 19. suo loco dicetur. *Phœnicio* tamen sermone *alpha* pro *bove* dicebatur numero unitatis. Testem habemus *Plutarchum* in *Sympofiacis* lib. 9. quæst. 2. ubi *Cadmum* dicit τὸ ἄλφα πάντων προτάξαι, διὰ τὸ Φοίνικας οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν, *Alpha literis omnibus præposuisse, quia* Phœnices *bovem sic vocant*. Itaque in *Hesychio* pro Ἄλφα, βοῦς κεφαλὴ legendum, Ἄλφα, βοῦς, κεφαλὴ, *Alpha, bos, caput*, non *bovis caput*. Nempe apud *Phœnices alpha* non solùm *bovem*, sed & *caput*, seu *ducem* significabat, ut *Hebraicum* אלוף *aluph*.

VI. Sextò, אבירים, tauri à *robore* appellantur; quasi *fortes*, aut *robustos* dixeris. Sic *Psal.* 25, 13. *Circumdederunt me juvenci multi*, אבירי בשן *robusti Basan* (id est, *tauri Basan*) *cinxerunt me*. Psal. 50, 13. *An vescor carne robustorum*, (id est *taurorum*.) Psal. 68, 31. *Perde*, &c. *cœtum robustorum* (id est *taurorum*, *cum vitulis populorum*. Esa. 34. vers. 7. *Juvenci cum robustis*, id est *cum tauris*. Sunt quibus *Ægyptius Apis* videtur idem esse quod אביר *abir*; R & S permutatis: quod passim fieri nemo est, qui nesciat. In qua fuisse sententia LXX. *Seniores* ex eo colligunt, quòd *Jer.* 46. *vers.* 15. *Hebræa* מדוע נסחף אביריך vel, ut legerunt אבירך, *quare abductus est robustus tuus?* illi *Græce* sic efferunt, Διατί ἔφυγεν ἀπὸ σοῦ ὁ Ἆπις ὁ μόσχος ὁ μόσχος ὁ ἐκλεκτός σου; *Cur a te fugit vitulus electus tuus?* Ità habent vulgatæ editiones: sed in *Theodoreto* deest ἀπὸ σοῦ & in *Ximeniana* editione pro ἀπὸ σοῦ ὁ Ἆπις solùm legitur ὀπίσω *retro*, quam puto veram esse scripturam, & pro ὀπίσω alios ἀπὸ σοῦ, alios ὁ Ἆπις, aliosque utrumque scripsisse. Ἔφυγεν ὀπίσω, id est, *retro fugit*, quod elegantiùs diceretur εἰς τοὐπίσω, vel εἰς τὰ ὀπίσω. Ex voce ὀπίσω eò faciliùs deflexum est ὁ Ἆπις, quòd *electus* ille *vitulus*, quem ex *Græcorum* mente *Ægyptiis* eripiendum *Propheta* interminatur; non videbatur alius esse, quàm *Apis*. *Arabica* versio, quæ ex *Græca* expressa est, sine ulla mentione *Apidis*, solùm habet لماذا فر عجلك المختار هاربا *Cur fugiens fugit vitulus tuus electus?* Itaque defuit vox ὁ Ἆπις in eo exemplari, quo usus est *Arabs* Interpres. *Equos* etiam dici אבירים *abbirim*, jam antè (i) monuimus.

VII. Septimò, מריא *meri* nonnullis est bovis species. In aliquot Scripturæ locis nominatur in iis animalibus, quorum usus fuit in *Hebræorum* mensis, & sacrificiis. Sic 2. *Sam.* 6. *vers.* 13. *Et sacrificavit* שור ומריא *bovem & meri*. Et 1. *Reg.* 1. *vers.* 9. Adonija *mactavit* צאן ובקר ומריא *oves, boves, & meri*. Et de eodem versibus 19, & 25. ויזבח שור ומריא וצאן לרב *Et mactavit boves, & meri, oves magna copia*. Et *Esa.* 11. *vers.* 6. ועגל וכפיר ומריא יחדו *Et vitulus, & leunculus, & meri (erunt) simul*. Hinc Plurale מריאים *meriim*, Es. 1. vers. 11. *Satur cum holocaustis arietum*, וחלב מריאים *& adipe meriim*. Et in Regimine מריאי *merie*, Ezech. 39. vers. 16. *Et sanguinem Principum terræ bibetis, arietum, agnorum, & hircorum*, פרים מריאי בשן כלם *juvencorum, quorum omnes erunt merie Basan*. Et cum Affixo *Amos* 5. *vers.* 22. ושלם מריאיכם לא אביט *Et ad pacifica merie vestrorum non respiciam*. Alibi in Scriptura non extat. Vera significatio vocis hactenùs est incomperta. Quatuor sunt sententiæ. Prima eorum, quibus מריא *meri*, est ἀρνίον, *agnus*, vel *aries*, vel *ovis*. Ità plerumque *Græci* (k) explicant. Sed & *Vulgatus* Interpres 2. *Sam.* 6. *vers.* 13. & *Esa.* 11. *vers.* 6. Quæ sententia videtur hoc fundamento niti; quod, dum arca deduceretur ex domo *Obed-Edom* in civitatem *David*, alibi (l) *bos*, & *meri*; alibi (m) *juvenci*, & *arietes* mactati fuisse leguntur. Ac si *aries* & *meri* in eadem specie sint uti *juvencus* & *bos*. Secunda sententia est *R. Nathanis* in *Baal Aruch*, cui accedunt (n) *Kimchius*, (o) *R. Esaias*, (p) *Aben Ezra*, (q) *Abarbanel*, (r) Aquinas; מריא *meri*, peregrinum esse animal bovi simile, sed majus, quod *Arabicè* dicitur جاموس *giamus*, Ital. *bufalo*, Lat. *bubalus*. Tertia sententia est *R. Solomonis* in *Ezech.* 39. *vers.* 18. מריא *meri*, *bovem esse pinguem*. Hanc firmare cônatur *Arabum* suffragio, quos *bovem saginatum* vocare dicit المري *almari*. Et eòdem facere videtur, quòd à *Græcis* Interpretibus מריא redditur ταῦρος, & à *Syro* ܬܘܪܐ, & ab *Arabe* الثور *Esa.* 11. *vers.* 6. Quarta statuit מריא *meri*, idem esse, quod בריא *bari*, nempe generale nomen omnis animalis saginati, vel ad esum, vel ad sacrificium, à Verbo מרא *mara*; quod

(i) Cap. 6. hujusce libri; pag. 96. suprà.

(k) 2. Reg. 6, 13 & 3. Reg. 1. 9. 19 25. Es. 1. 11

(l) 2. Sam. 6, 13

(m) 1. Par. 15, 26.

(n) In Lexico.

(o) In 2. Sam. 6, 13.

(p) In Es. 1, 11.

(q) Ibid

(r) In Lexico

quod, juxta *Talmudicos*, in *Piel* est *saginare*: ut cùm in *Misna* legitur (Tractatu *De Sabbatho* cap. 24. fol. 155. *b*. אין מאמירין את העגלין אבל מלעיטין *Non saginant vitulos* (die Sabbathi) *sed solum cibant*. Docti monent ibi מאמירין perperàm legi pro ממריאין. Quod apparet ex *Gemara*, ubi hæ voces sic exponuntur, איזוהי המראה ואיזוהי הלעטה אמר רב יהודה המראה למקום שאינה יכולה להחזיר הלעטה למקום שיכולה להחזיר רב חסדא אמר אידי ואידי למקום שאינה יכולה להחזיר והמראה בכלי והלעטה ביד *Quid est* המראה? *Et quid est* הלעטה? *Dixit* R. Juda, המראה *Est cibi ingestio in os in locum, unde non possit redire*, & הלעטה *in locum, unde possit redire*. R. Chasda *dixit*, *Et hac, & illa in locum, unde non possit redire, sed* מריא *instrumento aliquo*, הלעטה *sola manu*. Ex ista sententia *Chaldæus* מריא *meri*, constanter פטים, id est, *pinguem*, exponit. Ità etiam *R. Hai*, & *Mardochæus*, & *Pomarius*. Et *Ezech.* 39. *vers.* 18. מריאי *merie*, *Græci* ἐςιατωμένων & *Hieronymus* reddit *altiles & pingues*; *Syrus* quoque passim (s) ܡܦܛܡܐ, & *Arabs* (t) للمعلوفة omnes in eundem sensum.

(s) 2. *Sam.* 6, 13.
(t) 1. *Reg.* 1. 9, 19. 25. &c.
(t) *Ibid.*

Jam, si consulas *Arabes*, المارى *Mari*, inquiunt, ولد البقرة الاملس الابيض *fœtus est vaccæ levis, & albus*: cujus Fœmininum المارية *maria*. Et الممرية mamria, *vacca tali vitulo prædita*. Sed & المارية *maria* est القطا الملسا والمراة البيضا البراقة *palumbus lævis, & mulier alba & renidens*. Hæc in *Alcamus*. Et in *Damire*, المارية بتشديد الياء القطا الملسا وبالتخفيف البقرة الوحوشية Almarija *cum* theſdid (id est, *Daghes*) *in litera* Je *est palumbus levis. Et cum* thechphiph (id est, *Raphe*) almaria *est vacca sylvestris*.

Antequam aggrediar tam diversas sententias inter se conciliare, necesse habeo pauca præfari de *Syro*, & *Africano* bubalo, quem à se visum his verbis testatur *Bellonius*, *Observat.* lib. 2. cap. 50. *Vidimus in urbe* Cairo *parvum bovem* Africanum, *formâ corporis plenâ, parvâ, levi, pingui, in se conferta, & affabrè factâ. Hunc statim bubalum veterum* Græcorum *esse conjeci ex notis omnibus. Advectus autem erat* Cairam *e regione* Asamiæ, *quamvis in* Africa *quoque reperiatur. Ætate jam provectus erat, corporis mole cervo inferior, sed plenior, & major capreolo. Membris omnibus tam scitè in se confertis, & compactis, ut jucundum sui spectaculum præberet. Pilus etiam cum coloris subflavi esset, præ splendore levigatus videbatur. Idem sub ventre magis rufus est, quam in dorso, ubi ferè baticus apparet. Pedes ejus bubulis similes sunt. Crura compacta, & brevia. Collum crassum, & breve. Palearia vix modicè præ se ferens. Caput bovis, in quo cornua ab osse quodam attolluntur in vertice capitis nigra, & valde crenata, sicut in gazella* capreoli specie) *& arcuata instar lunæ crescentis: quibus non admodum se defendere posset, eo quòd mucrones introrsùm versi se invicem spectent. Auriculæ vaccinæ. Scapulæ nonnihil sublatæ, & præpingues. Cauda, ut camelopardali, usque ad poplites extenditur, pilis nigris intecta duplo crassioribus quam seta in cauda equi. Mugitus ut bovis; sed minùs altus. Denique, si quis sibi fingat videre se bovem parvum, politum, bene compactum, fulvum, & splendidum, cornibus instar lunæ crescentis armatum, altis, & supra erectis; veram hujus animantis formam conceperit. Bellonius* hactenus, quem in eo falli certum est, quòd hoc animal *Græcorum* βούβαλον esse censet. Longè aliter *Hesychius*, Βούβαλος, δορκάδιον. Et *Oppianus*, qui lib. 2. *Cyneget.* bubalum cum caprea, & damâ cum ycerote, seu platycerote confert, tanquam bestias congeneres. Et *Græci* Interpretes, qui βούβαλον (u) habent pro יחמור rupicapræ specie, tam *Arabibus*, quàm *Hebræis*. Indè est, quòd bubali cervis, damis, & capreis sæpe junguntur. *Herodotus* lib. 4. cap. 192. Πύγαργοι, καὶ ζορκάδες, καὶ βουβάλιες. *Aristoteles*, *Hist.* lib. 3. cap. 6 Ἐν δὲ τῷ τῆς ἐλάφου, καὶ προκὸς, καὶ βουβαλίδος, καὶ ἄλλων τινῶν ἐκ εἰσὶν ἶνες· *In cervi, damæ, bubalidis, & aliorum quorumdam sanguine non sunt fibræ.* Et *De partibus anim.* lib. 3. cap. 2. postquàm cervis nocere potiùs, quàm prodesse dixit, quod cornua magna sunt, & multifida, addit, καὶ βουβάλοις τε, καὶ δορκάσι, *bubalis item, & capreis*. *Strabo* de *Mauritania*, lib. 17 Δορκάδων, καὶ βουβάλων, καὶ τῶν παραπλησίων ζώων παντοδαπὴ τροφὸς ἡ χώρα ἐστί· *Caprearum, & bubalorum, & similium animalium regio est varia nutrix*. *Ælianus* de *Cynoprosopis*, *Hist.* lib. 10. cap. 25. Ζῶσι δὲ ἄρα οὗτοι, θηρῶντες δορκάδας τε, καὶ βουβαλίδας· *Vivunt autem illi caprearum, & bubalidum venatu*. *Ammianus* de *Ægypto*, lib. 22. *Etenim aridis quidem capreoli vescuntur, & bubali*. Ità legendum, non *bucali*. At bubalus *Bellonianus* capreis accenseri non potest, cùm à bove vix differat, nisi quia mole minor est, & cornua habet in alio situ, corpus quoque plenius, compactius, & nitidiùs, denique tam comptum, & levigatum, ut splendere videatur, & quasi lucis radios ex sese emittere. Quod in *Bellonii* descriptione imprimis observari velim; quia indè colligitur, hoc ipsum animal esse *Arabum* المارى *almari*, quem ita lævem esse dicunt, & pilis tam æqualibus, ut ab ejus nomine مارية *Maria* vocetur in mulieribus, si quæ maximè nitet, aut in palumborum genere, si quis plumis est nitidis, & fulgentibus.

(u) *Deut.* 14. 5.

Sed & *Hebræorum* מריא *meri*, idem esse animal liquet: I. Ex nominis similitudine. II. Ex natalibus. Testatur enim *Bellonius* ex *Assamia* fuisse advectum, id est, ex *Syria*, quam *Arabes* vocant الشام *Assam*. III. Hùc facit, quod *Hebræorum* alii *bovem*, alii *bubalum* interpretantur; quia re verâ est animal bovi formâ simillimum, quòdque adeò *Bellonius* bubalis adnumerat. Quod potuisset ferri, si non addidisset bubalum esse *Græcorum*, cùm bubalus *Græcorum* sit planè diversum animal. IV. Ex ipsis Scripturæ verbis id non obscurè colligas, cùm *bos* & *meri* toties jungantur simul, ut vicina animalia. Sic 2. *Sam.* 6. *vers.* 13. *Sacrificavit bovem, &* meri. Et 1. *Reg.* 1. *vers.* 9. *Immolavit bovem, &* meri. Quomodo rursus versibus 19. & 25. Et *Es.* 1. *vers.* 11. *Satur sum adipe merium, & sanguine juvencorum*. Et cap. 11, 6. prædicitur fore, ut sub regno *Messia* cum catulo leonis simul sint *vitulus, &* meri. V. *Bovem* tamen non esse apparet, neque *vitulum*, aut *juvencum*, propriè dictos; quia ab iis distinguitur in locis, quæ citavimus. VI. Sed neque *ovem*, aut *agnum*, aut *arietem*; quia ut diversum ab his animal proponitur 1. *Reg.* 1. *vers.* 9. 19. 25. *Es.* 1. *vers.* 11. & 11. *vers.* 6. Loca videat lector. VII. Neque temerè prætereundum est, quòd hos ab arvina commendat *Esaias* in his verbis, *Satur sum adipe merium*. Ità enim & *Bellonius*, *Formâ corporis plenâ est, pingui, in se confertâ*, &c. VIII. Hinc factum, ut nomen מריא *meri*, per quandam analogiam, extendatur ad animalia quævis pinguia, & arvinâ distenta. Sic sumo hæc *Ezechielis* cap. 39. versu 18. *Arietes, agni, hirci, juvenci, qui meriæ Basan sunt omnes*, id est, animalia tam farta, & pinguia, quàm sit *meri*. IX. Sed 2. *Sam.*

6, 13. nomine *meri* non necesse est *arietem* intelligere, ut concilietur locus cum iis, quæ habentur 1. *Par.* 15, 26. Ibi enim *bos*, & *meri*, à *Davide*: hic verò *juvenci septem*, & *arietes* totidem immolantur, sed à *Levitis*, ut palam fiat non agi de eodem sacrificio. X. At, inquies, *Bellonio* bubalus est bove minor, *meri* major juxta *Hebræos*. Fateor; sed causa patet. *R. Nathan*, *Aben Ezra*, *Kimchius*, *Abarbanel*, *Aquinas*, & *Hebræorum* alii, cùm a majoribus suis accepissent *meri* esse *bovem sylvestrem*, putârunt id bovis sylvestris genus significari, quod *bubalum* vulgò vocant. Quippe jam olim id obtinuit, ut, per vulgi imperitiam, bubali dicerentur *feri boves Germanici domesticis majores*, qui veriùs *uri* sunt. *Agathias*, Ταῦρος ὑλονόμος, καὶ ὄρειος, καὶ τοῖς κέρασι τὸ ἀντίπαλον διαφθείρων· βουβάλους οἶμαι τόδε τὸ γένος καλοῦσι· *Taurus in sylvis pascens, & montanus, & cornibus obstantem interficiens: quod genus bubalos, ut opinor, appellant.* Et *Plinius* lib. 8. cap. 15. *Excellentique & vi, & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit.* Et ex eo *Solinus*, *Sunt & uri, quos imperitum vulgus vocat bubalos.* Quales bubali in *Iudæa* nulli sunt, nec in vicinis locis, ut rectè notat *Aben Ezra* in *Amos* 5, 22. Sed idem post *R. Hai*, ex eo, quòd dicit Deus *Esa.* 1. *vers.* 11. *Satur sum adipe meriim*, ineptè colligit agi de animali, cujus adeps sit prohibitus, tanquam immundus per Legem. Neque enim adipem τοῦ *meri* magis rejicit Deus, quàm holocausta arietum, & sanguinem juvencorum, agnorum, & hircorum, quibus idem saturum se esse dicit. Non, quòd immundæ essent victimæ, sed quòd ab iis offerrentur, quorum manus erant plenæ sanguine, adeoque impuræ. Itaque in offerentibus erat hæc impuritas, non in victimis. Et veriùs de *meri* asserit *Saadias* שחלבו מותר *adipem ejus esse licitum.*

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

De quibusdam Bovi propriis apud Scriptores Sacros.

Juvenci, cornibus, & ungulis jam insignes, Deo oblati, ut Jovi *apud* Poetas. *In quam alienum sensum* Judæi *hæc detorqueant. Mugiunt boves pabuli desiderio* Job. 6. vers. 5. *& vacca vitulorum* 1. Sam. 6. vers. 12. Bos גועה goe, *id est*, mugiens. *An inde* γοάω, *quia in ejus mugitu quid* γοερὸν. *Vaccarum* Persicum, Alpinum, *&* Germanicum *nomen huc alludit.* Columella *emendatus. Aliæ voces, quæ ad boum mugitum alludunt. M litera mugiens. Taurorum robur quantum.* Ἐπίταυρον *validum.* Gandari, *Indiæ populi, unde dicti. Forma boum ut à* Prophetis, *ità ab* Ægyptiis *quoque, &* Poëtis *laudata.* Cedri *Libani* ut vituli exsiliunt, *Psal.* 29. *vers.* 6. *Vitulus animal* σκιρτητικόν. *Falluntur, qui aliter exponunt. Es.* 1. *vers.* 3. bovem nôsse dominum suum. *Unde colligant veteres* Christum *inter bovem & asinum in præsepi jacuisse. Boves inscios ad lanienam deduci* Prov. 7. *vers.* 22. *ut alibi oves. Boves plerumque rufi. Quid sit in* Theocrito *bos* πυῤῥιχος. *Variæ sententiæ.* Vacca rufa perfecta *Num.* 19. *vers.* 2. *id est*, perfectè rufa, *ut* Judæi *volunt. Ab* Ægyptiis *quoque non immolari boves, nisi perfectè rufos.*

BOs multa habet propria, è quibus hìc ea solùm edecumabimus, quæ attingunt Sacri Scriptores. *Psal.* 69. vers. 39. sperat *Propheta* laudem, quâ Dei nomen celebraturus est, illi placituram משור פר מקרן מפרים *præ bove juvenco, cornibus, atque ungulis jam insigni*; vel, ut habet *Apollinaris*,

Ὅς νέον ἡβώη, πίσυνος κεράεσσι, καὶ ὁπλαῖς,

Qui primum pubescat, fretus cornibus, & ungulis: quâ ætate maximè placent. Proinde *Ascanius Jovi* hujusmodi juvencum ità promittit lib. 9. *Æn.*

Jupiter *omnipotens, audacibus annue cœptis:*
Ipse tibi ad tua templa feram solennia dona,
Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Et *Juvenalis* Sat. 12.

Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpeio *servata* Jovi, *frontémque coruscat:*
Quippe ferox vitulus templis maturus, & aræ,
Spargendúsque mero, quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.

Nec multo aliter *Horatius* de hœdo, quem *Blandusiæ* fonti oblaturus est, lib. 3. *Od.* 13.

Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & prælia destinat.

Quamvis hoc à *Davide* significari sit clarius luce meridianâ; tamen *Chaldæus* ejus verba sic παραφράζει, ותפשר צלותי קדם ״ מן תור פטים ובחיר דקריב אדם קדמי דקדמינו קרנוי לטלפוהי *Et placebit oratio mea coram Domino magis quàm bos pinguis, & electus, quem obtulit* Adam *coram me, cujus cornua priora fuerunt ungulis ejus.* Ità etiam *Talmudici* passim, ùt in Tractatu *De Idololatria* cap. 1. *De Sabbatho* cap. 2. & *Cholin*, seu *De profanis* cap. 3. Et in hunc ipsum locum *R. Sclomo* & *Kimchius*. Volunt nimirum acuti homines hìc agi de bove monocerote, quem primus parens statim à creatione Deo in sacrificium obtulerit. Quasi שור *sor*, id est, *bos*, vocetur nomine generis; & פר *par*, *juvencus* respectu statûs, in quo creatus fuerit, nempe in juvenili robore. Et pro מקרין, id est, *cornutus*, dicatur מקרן cum defectu *Jod*; quia unicum habuit cornu. Addunt *Prophetam* prius cornuum, quàm ungularum meminisse: quia quo momento è terra est editus, cornua priora emerserunt. Ipsa *Hebræorum* loca citabimus in Tractatu *De Monocerote*.

Mugire etiam bovis proprium, quod *Hebræis* est געה, ut געא *Chaldæis*, & *Syris*. Hinc in *Hebræo* textu *Job.* 6. *vers.* 5. אם יגעה שור *An mugiet bos super farraginem suam?* Nam, ùt habetur *Joel.* 1. *vers.* 18. cùm deficit pabulum jumenta ingemiscunt, & armenta boum perplexa sunt, ac proinde mugiunt: at mugire non solent, cùm non desunt necessaria. Rursus 1. *Sam.* 6. *vers.* 12. vaccæ fœtæ, quæ arcam è *Palæstina* vi θειλάτῳ in *Judæam* reduxerunt, *ibant*, וגעו *& mugiebant*, id est, *ibant mugientes*; nempe vitulorum desiderio, quos invitæ reliquerant. Ità *Livius* lib. 1. ubi de *Herculis* bobus à *Caco* abactis, *Cùm acta boves quædam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent.* In *Syra* quoque Paraphrasi legitur *Job.* 21. *vers.* 10. *Bos ejus transibit*, ܘܠܐ ܓܥܐ *& non mugiet*: sed aliter est in *Hebræo*, ut suo loco dicetur. Et in secundo *Thargum Esther*, capitis primi versu 2. ubi voces habentur multorum animalium, תורין געין אריותא נהמין דובין חטפין אמרין פעין *Boves mugiebant, leones rugiebant, ursi uncabant, agni balabant.* Videndum, an à *Benoni* גועה *goe*, quod *mugientem* sonat, *Græci* γοάω deduxerint. Quidni enim bovi tribuatur, quem describit *Lucianus* in libro *De sacrificiis*, γοερόν τι μυκώμενον, *lamentabile aliquid mugientem*, cùm in sacrificium offertur? Et vacca *Persis* est *gao*, & buglossum *gaozabon*. Ità scribit *Teixeira* in Historia Regum *Persiæ*, capite primo. Sed *Avicenna* كاوزاون unde Barbari *kenzanguen*, ut buphthalmũ كاوچشم *kengisem*. Sic apud *Columellam* lib. 7. cap. 23. *Altinas vaccas ejus regionis incolæ cevas appellant*: ù-

Germani, Belgæ, & Angli Kuhe/ Koe/ Cow. Sed *Altinæ* vaccæ nullæ sunt. Nam ex *Altino* prope *Venetias* non dicerentur *Altinæ*, sed *Altinates.* Sic apud *Varronem*, *Rust.* lib. 2. cap. 2. *In ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem* (*ut sunt* Tarentinæ, *&* Altinates) *pellibus integuntur.* Et in *Gratii Cynegetico*,

Taxique, pinnisque, Altinatésque *genista.*

Itaque in *Columella* legendum, *Alpina vacca.* Quo modo in his *Plinii* lib. 8. cap. 45. *Plurimum lactis Alpinis* (vaccis) *quibus minimum corporis*, &c. Easdem enim in *Columella* describi docet, quod de illis sequitur, *Hæ sunt humilis staturæ, lactis abundantes*, &c. Proinde *Hebræum*, *Syrum*, & *Chaldæum gaa*, vel *goe*, *Græcum* γοάω, *Persicum gao*, vel *keu*, *Alpinum ceva*, *Germanicum* Kuhe/ *Anglicum* Kow/ sunt voces, quæ ut significatione, ità sono non multùm differunt. Illas tamen ab invicem deducere necesse non est: quia omnes fictitiæ sunt, & à boum voce expressæ, ut & βοῦς, βοᾶν, *bovare, boare, boatus*, &c. prout voces ἀναγ͂ϑροι variè efferuntur. Indidem etiam μυκᾶϑαι *mugire*, μυκηϑμὸς *mugitus*, &c. quibus ab M est initium, quia M literarum omnium optimè boum vocem exprimere putatur. Unde est, quòd *mugientem literam* vocat *Quintilianus* lib. 12. cap. 10. communi cum bobus Epitheto, de quibus *Horatius*,

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Et *Homerus*, *Iliad.* ύ.

——βοῶν ὕπο ϑεσ' ἐριμύκων.

Ità etiam *Hesiodus*, & *Poëtarum* alii. Vocis generale verbum, pro mugitu, & balatu, à *Samuële* sic adhibetur 1. *Sam.* 15. *vers.* 14. *Quæ est* קול הצאן *vox pecoris hujus in auribus meis*, וקול הבקר *& vox boum, quam audio?*

Est & robur boum eximium, *Prov.* 14. *vers.* 4. *Multitudo proventuum est* מכח שור *è robore bovis*, seu *tauri*, qui ideo אביר *abbir Hebræis*, id est, *robustus* dicitur, *Psal.* 22, 13. & 50, 13. 48, 31. &c. Hinc *Poëta* lib. 1. *Georg.*

Pingue solum primis extemplo à mensibus anni
Fortes invertant tauri. ——

Et *Tibullus* lib. 2.

Fortis arat valido rusticus arva bove.

Et *Ovidius* lib. 9. *Metam.* ubi describit *Herculis* cum *Acheloo* certamen,

Non aliter vidi fortes concurrere tauros.

Ut *Smyrnæi* lib. 4. luctantur *Ajax* & *Diomedes*,

Ταῦροι ὅπως συνόρουσαν ἀταρβέες, οἵτ' ἐν ὄρεσσι
Θαρσαλέης μένεος πειρώμενοι, εἰς ἓν ἴκωνται·

Ut intrepidi concurrunt tauri, qui in montibus roboris audacis periculum facturi congrediuntur. Et speciatim de *Syriacis* tauris, *Oppianus* lib. 2. *Cyneget.*

Αἴϑωνες, κρατεροί, μεγαλήτορες, εὐρυμέτωποι,
Ἀγλαοί, ϑιτροί, κεραελκέες, ἀγριόϑυμοι.

Nigri, robusti, magnanimi, latâ fronte, nocti in agris degentes, fortes, validis cornibus, feroces. Itaque ὀπίταυρον veteres pro *valido* usurpaverunt. *Hesychius*, Ἐπίταυρον, ἰσχυρόν. Idem, Γανδαρ@, ὁ ταυροκράτης παρ' Ἰνδοῖς. Vult *Gandaros Indiæ* populos circa *Gangem* à taurinis viribus *Indorum* linguâ sic appellari. Non capio cur *Salmasius* in *Solinum* corrigi velit ταυροκέρα@.

Formam etiam in hoc genere laudari videas. Sic *Jerem.* 46. *vers.* 20. Ægyptus est ut עגלה יפהפיה *vitula formosissima*, geminatis radicalibus, ad majorem αὔξησιν. Et de juvenca, quæ cum confertur *Ephraim*, *Os.* 10, 11. *Transivi super pulchritudinem colli ejus.* Ut lib. 3. *Georg.*

Pascitur in magnis sylvis formosa juvenca.

Et *Ovid.* lib. 1. *De art.*

Invida formosas oderat illa boves.

Et *Metam.* lib. 15. de bove in sacrificium offerendo,

Victima labe carens, & præstantissima formâ.

In tauro maximè probatur quædam in aspectu generositas,

—— *torvaque decorus*
Frontis honos

Proinde *Josepho Moses* benedicit his verbis, *Deut.* 33. *vers.* 17. *Decor* (*aut majestas,*) *illi est primogeniti bovis.* Et taurum coli voluit *Ægyptiorum* Rex *Mnevis*, ἁπάντων ἀγασϑέντα αὐτὸν εἶναι περιφανῶς, *cùm omnium formosissimum illum esse crederet.* Quò *Prophetæ Ægyptii* illud *Homeri* referebant lib. β'. *Iliad.*

Ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχ@ ἔπλετο πάντων
Ταῦρ@.

Taurus in armento præcellit ut omnibus unus.

Hæc videsis in *Æliano*, *Hist.* lib. 11. cap. 10. Proinde apud *Ciceronem* lib. 1. *De Nat. Deor.* *Cotta* in *Epicureos* disputans, qui homine statuunt nihil esse pulchriùs, *At mehercle*, inquit, *ego quamvis amem ipse me, tamen non audeo dicere pulchriorem esse me quàm ille fuit taurus qui vexit* Europam.

De cedris *Libani* dicitur *Ps.* 29, 6. וירקידם כמו עגל *Et exsilire fecit eas sicut vitulum.* Hieronymus, *Et disperget eas*, id est, וידקם, ex usu *Chaldaico.* *Seniores*, Καὶ λεπτυνεῖ αὐτάς· Unde Vulgatus, *Et comminuet eas.* *Arabs* uterque ويسحقها, *Syrus*, *Parisiis* editus, ܘܢܕܩܘܢ ܐܢܘܢ *Æthiops* ወይደቅቆሙ omnes eodem sensu, quasi legerint וידקם. At *Chaldæus* שורנון, & *Syrus Erpenii* ܘܐܫܘܪ ܐܢܘܢ & *Aquila* σκιρτώσει, & *Symmachus* ὀρχεῖσϑαι ἐποίησε, & Quinta editio σκιρτοποιήσει. Itaque legerunt hi omnes, quomodo *Hebræi* hodiè, וירקידם, quæ vera est, & certa lectio. Nam in terræ motu (ut cum Lex promulgata est in monte *Horeb.*) Deus facit, ut cedri, ac ipsi montes, in quibus consiti sunt, exsiliant, atque subsultent. Proinde hi montes arietibus, & agnis conferuntur *Psal.* 114, 4. & cum vitulis hoc loco, quia vitulus animal est σκιρτητικόν. Quo faciunt hæc *Seniorum*, *Jerem.* 50, 11. Ἐσκιρτήσατε ὡς βοίδια ἐν βοτάνῃ, *Exsiliistis ut juvenci in herba.* Et *Malach.* 4, 2. Σκιρτήσετε ὡς μοσχάρια, *Exsilietis ut vituli.* Et *Homeri Odyss.* ι.

Ὡς δ' ὅταν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας
Ἐλϑούσας ἐς κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται,
Πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι· ——

Ut cùm in agro degentes buculæ circa vaccas armentarias, ad mandram venientes, postquam herbâ saturæ sunt, omnes simul opposita subsultant. Et *Theocritus* in *Bucoliastis*,

Ὠρχεῦντ' ἐν μαλακᾷ ταὶ πόρτιες αὖϑι ποίᾳ.

Et vitulæ statim saltabant in molli gramine. Proinde *Hesychius*, Μοσχιναῖς, σκιρτηταῖς.

En aliud de bove *Es.* 1. *vers.* 3. *Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe dominorum suorum*, alii *domini sui.* Quibus hæc *Florentini* confer libro decimo septimo *Geoponicῶν*, Οἱ δὲ βόες καὶ τὴν φωνὴν τοῦ βουκόλου γνωρίζουσι, καὶ καλούμενοι τοῖς ἐπιτεϑεῖσιν ὀνόμασι συνιᾶσι, καὶ ὑποκλίνουσι πρὸς τὰ ἐπιταττόμενα ὑπὸ τοῦ ἐπιστάτου· *Boves etiam bubulci vocem noverunt, propriisq. vocati nominibus intelligunt, & attendūt ad præfecti jussa.* Qualia hæc *Oppiani* de equo libro primo *Cyneget*icῶν,

Αἰὲν γινώσκουσιν ἑὸν φίλον ἡνιοχῆα,
Καὶ χρεμέϑουσιν ἰδόντες ἀγακλυτὸν ἡγεμονῆα·

Charum suum aurigam semper agnoscunt, & inclytorectore viso adhinniunt.

Ex *Esaia* loco, quem citavimus, & altero *Hab.* 3, 2. juxta *Græcam* editionem, Ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσϑήσῃ. *In medio duorum animalium cognosceris*, colligunt multi veterum *Christum* inter duo animalia, nempe bovem & asinum, in præsepi jacuisse. Unde est, quòd in Hymnis canitur,

Agnoscat bos & asinus,
Jacentem in præsepio.

Item,

Cognovit bos & asinus,
Quod puer erat Dominus. Sed *Habacuki* locus, quo potissimum

potissimum nituntur, sic habet in *Hebræo*, יהוה פעלך בקרב שנים חייהו בקרב שנים תודיע *Domine, opus tuum in medio annorum, vivum servato illud, in medio annorum, quos notificâsti.* Nempe *Judæis*, qui in captivitate *Babylonica* detinebantur, prædictum fuerat fore, ut in libertatem assererentur post annos septuaginta, *Jerem.* 25, 11. 12. & 29, 10. *Dan.* 9. 2. & 2. *Par.* 36, 21. Itaque *Habacuk*, qui in illo annorum intervallo scripsit, Deum rogat, ut interea temporis captivum populum suum, quem vocat *opus Dei*, tueatur, & servet. Neque multo aliter hic habent *Græcorum* alii. Ita enim *Aquila*, Ἐν μέσῳ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ζώωσον αὐτόν. Et *Symmachus*, Ἐντὸς τῶν ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτόν. Et *Theodotio*, Ἐν μέσῳ ἐτῶν ζώωσον αὐτό. *Hieronymus* item, *In medio annorum vivifica illud, in medio annorum notum facies.* *Chaldæum* denique patet eandem sequi lectionem ex prolixa, quam habet, hujus loci Paraphrasi. At *Syrus* legisse videtur בקרב שני חיים *In medio annorum vitæ*: is enim ita reddit ܒܓܘ ܫܢܝ ܚܝܐ ܐܚܝܝܗܝ ܒܓܘ ܫܢܝܐ ܬܬܝܕܥ *In medio annorum vitæ, in medio annorum innotesces.* Et *Græci* בקרב שנים חיים ἐν μέσῳ δύο ζώων, *in medio duarum vitarum* pro quo, mutato Accentu, scripserint posteriores, ἐν μέσῳ δύο ζώων, *in medio duorum animalium.* Utriusque lectionis *Theodoretus* ita meminit, ut priorem præferat. *Per duo*, inquit, *animalia quidam intellexerunt angelos, & homines; quidam ex angelicis virtutibus eas, quæ ad divinam gloriam propius accedunt*, Cherubim *nempe & Seraphim; alii Judæos, & Babylonios:* ἐμοὶ δὲ δοκεῖ μὴ ζῶα, ἀλλὰ ζωὰς εἰρηκέναι τὴν προφήτην τὴν τε παροῦσαν, καὶ τὴν μέλλουσαν, ὧν μέσος ὁ δίκαιος κριτὴς ἀναφαίνεται· *Mihi videtur non* animalia, *sed vitas Propheta dixisse, præsentem, & futuram, quarum in medio judex justus apparet.* Sed & *Cyrillus Alexandrinus* utramque lectionem enarrat. Et *Cyrillum Hierosolymitanum*, Catech. 12. legisse δύο ζωῶν, *duarum vitarum*; non δύο ζώων, *duorum animalium*, ut habent nostræ editiones, ex eo patet, quod de *Christo* asserit hæc manifestè dici: *quia post adventum in carne vixit, & mortuus est, deinde post resurrectionem à mortuis vixit iterum.* *Theophylactus* denique disertè hic habet, *In medio duarum vitarum cognosceris. Duæ vitæ sunt, & præsens, & futura*, &c. Itaque qui *Christum* volunt inter duo animalia in præsepi jacuisse, nihil habent, quod proferant, quam *Seniorum* locum, eumque perincertum, cum à veteribus aliter atque aliter legatur.

Cum mors sit ignota brutis omnibus, bovi peculiare non est, quod inscius ducitur ad lanienam. Itaque, ut qui mulierum artibus irretiri se patitur, confertur à *Salomone* cum bove, qui *ad mactationem abit*, Prov. 7, 22. ita, in *Laertio*, *Diogenes* ἰδὼν Ὀλυμπιονίκην εἰς ἑταίραν πυκνότερα ἀτενίζοντα, Ἴδε, ἔφη, κριὸν Ἀρειμάνιον, ὡς ὑπὸ τοῦ τυχόντος κορασίου τραχηλίζεται, *cum, qui vicerat in* Olympiis, *videns in scortum oculos frequenter defigentem, Vide, inquit,* Martium *illum arietem, quomodo à vili puella, tanquam obtorto collo, trahatur:* nempe ad lanienam, in quam, ut boves, ità & oves quotidie abducuntur, fati sui prorsus ignaræ, *Psal.* 44, 23. *Jerem.* 11, 19. *Rom.* 8, 36.

In boum coloribus rufus est vulgatissimus. Indè *Jason Peliæ* dicit, *Pindari Pythiâ* quarta,

> Μῆλά τε γὰρ τοι ἐγὼ,
> Καὶ βοῶν ξανθὰς ἀγέλας ἀφίημι,

Ego tibi pecudes, & boum rufa armenta relinquo. Et, cum idem *Neptuno* sacrificavit,

> Φοινισσᾶν δὲ Θρηικίων ἀγέλαν ταύρων
> Υπάρχειν, - - - -

Rubrum adfuit Thraciorum *taurorum armentum.* Et *Theocriti* Idyll. 4.

> Αὐτῶ μὰν χὠ ταῦρος ὁ πυρρίχος. - - -

Macer quidem & ipse taurus rufus est. Ubi *Scholiastes*, Πυρρίχος, ὁ χάλεος· quod *Arabicè* est أشقر *aschar*, scribitur & ξάνθος, ut in *Leontio*, ubi de Sphæra *Arati*, quod *Meursius* non intellexit. Πυρρίχος palàm factum ex πυρρός· ut ex *burrus burrichus*, vel *burricus*. Tamen apud *Theocriti Scholiastem* nonnulli τὸ πυρρίχον pro *Epirotico* dici volunt ἀπὸ Πύρρου τοῦ ἐκεῖ βασιλεύσαντος, *à* Pyrrho *Rege, qui ibi regnaverit.* Cui sententiæ favent hæc *Plinii* lib. 8. cap. 45. *In nostro orbe* Epiroticis *bobus laus magna, à* Pyrrhi, *ut ferunt, jam inde Regis cura.* Omnino enim intelligit ἐν τῇ Ἠπείρῳ τὰς καλουμένας Πυρρίχας βοῦς, quas memorat *Philosophus, Hist.* lib. 8. cap. 7. Eas tamen ipsas non à Rege, sed à colore traxisse nomen, mihi est persuasissimum. Hunc nempe facere videtur, quod illi ipsi boves ex eorum esse genere crediti sunt, quos ex *Erythia* insula abduxerat *Hercules*, ut alibi docuimus. Cum enim à colore dicerentur ἐρυθίαι, vel ἐρυθίαι, id ita sumptum à Mythologis, quasi abacti fuissent ex *Erythia* insula, quæ est ultra *Gades*. A qua tamen Ἐρυθεῖς dicendi, vel Ἐρυθεῖται.

Cur vaccam rufam Deus immolari jubeat *Num.* 19, 2. aliis relinquo disquirendum: tantum observo *Judæos* hæc duo copulâsse, *Adducant ad te juvencam* אדמה תמימה *rufam perfectam*; quasi his verbis vetuerit Deus ullam juvencam sibi offerri, quæ non esset perfectè rufa. Proinde אם היו בה שתי שערות לבנות או שחורות בתוך גומא אחת או בתוך שתי גומות והם מונחות זו על זו פסולה *Si duos solum pilos albos, aut nigros, sibi mutuò incumbentes habuit in medio loci depressi, aut inter duos poros, habebatur pro polluta*, id est ad sacrificium inepta. Ita *Maimonides* in Tractatu *De vacca rufa* cap. 1. § 2. Et multò plura *Talmudici* in Tractatu *Para* fol. 94. Qua ipsa superstitione imbuti *Ægyptii* τοὺς βόας τοὺς πυρροὺς καθιερεύουσιν, οὕτως ἀκριβῆ ποιούμενοι τὴν παρατήρησιν, ὥστε κἂν μίαν τρίχα μέλαιναν, ἢ λευκὴν, ἔχῃ, ἄθυτον ἡγεῖσθαι, *boves rufos immolant, hoc tam accuratè observantes, ut si bos vel unum pilum nigrum, aut album habeat, putetur esse profanus.* Ita *Plutarchus* in *Iside*.

Juvenca indomita, & contumax, quorsum vocetur פרה סוררה *Os.* 4, 16. dicemus in capite *De usu boum*: & in Tractatu *De insectis*, capite *De œstro*, seu *asylo*, cur à *Senioribus* id sit redditum δάμαλις παροιστρῶσα, id est, *juvenca œstro percussa.*

CAPUT TRIGESIMUM.

Explicantur obscura quædam Scripturæ loca de Vaccarum prægnatione, & partu, & Vitulorum lactatione.

Job. 21, 10. שור *sor*, *non est* taurus, *ut putant, sed* vacca. עבר *ibidem non est* inire, *vel* imprægnare, *sed* concipere, *ex* Chaldæorum *usu.* *Ibidem* געל *semen ejicere, aut respuere.* Et פלט, *ut* מלט, parere. Μύλιττα Assyriis *Lucina.* שכל abortire. *Hujus versus prius hemistichium, quod hodie ad marem referunt, omnes veteres ad fœminam referre, quamvis illud non satis intelligant.* פלט *Chald.* semen evomere, *quod fœminæ proprium.* اجعل agial *Arab.* marem appetere, *quod in vaccis* ταυρᾶν. *Vacca quam libidinosa.* *Fœminarum ardor in brutis statim à conceptu desævit, paucis exceptis.* *Locus Ps.* 144, 14. *priori parallelus.* אלף *etiam est* vacca, סבל ferre, *id est*, gra-

gravidam esse, *phrasis* Arabum: *ut Lat.* forda *bos*, à ferendo פרץ orbitas, *vel* abortus. יצאת quæ emittit; Cal *pro* Hiphil. *Cæteri Interpretes multo aliter.* Deut. 8, 13. שגר *seger*, fœtus *ab emittendo. Fabula* Judaica *de quodam infante, qui modo natus incedebat*, &c. *Cur primogenitus* פטר peter *vocetur* Exod. 34. v. 19. *An quia* Arab. فطر phatara *est* incipere? *Boves, vel oves* עלות aloth, *quidem* gravidas, *alii* parientes, *alii* lactantes *exponunt*, *quæ versio præfertur.* *Latinè* fœtas *dixeris. Obiter* ח *&* ע *literas esse permutabiles.*

LIbet hoc capite explicare varia Scripturæ loca de vaccarum prægnatione, & partu, & vitulorum lactatione, nondum satis intellecta. Initium esto ab eo, quòd *Job*, ut impio doceat omnia prosperè cedere, inter cætera hæc habet capitis vigesimi primi versu decimo. שורו עבר ולא יגעל תפלט פרתו ולא תשכל Quæ omnino sic vertenda sunt, *Bos ejus concipit, & semen non ejicit. Parit juvenca ejus, & non abortit.* Quisquis perpendet singulas voces, statim animadvertet rectam esse hanc versionem.

Plerique recentiorum שור *sor*, pro *tauro* hic sumunt, nos pro *bove fæmina*; quia nomen est ἐπίκοινον, atque, utut semper Masculinum, tamen ad *vaccam* sæpe pertinet, ut *Exod.* 34, 19. *Num.* 18. 17. *Deut.* 15, 19. & 33, 17. *Jud.* 6, 25. &c. Et sequentia verba עבר, & יגעל ad marem referri non possunt, sed solùm ad fœminam. Neque enim עבר est *inire*, aut *gravidam facere*, aut *impregnare*, ut illi volunt, qui hic habent, *Taurus ejus init*, aut *gravidat*, aut *impregnat*: sed עבר est *concipere*. Res ex *Chaldaismo* certa, unde *Job* hoc verbum mutuatus est, Sacris alioqui Scriptoribus prorsus ignotum. Apud *Chaldæos* עבר de mare fœminam ineunte, vel imprægnante ne semel quidem, sed de fœmina, quæ concipit, passim usurpatur. Quandoque in Conjugatione *Cal*, ut *Ps.* 51, 8. *Et in peccato* עברת מני אמי *de me gravida facta est mater mea.* Et *Gen.* 16, 5. in Paraphrasi *Hierusalem*, & *Jonathanis*, *Et vidit quod* עַבְרַת *conceperat.* quandoque in Conjugatione *Pael*, (id est, *Piel*) qua *Job* utitur hoc loco, ut *Gen.* 16, 5 ubi supra, *Et cum vidit me non esse* מְעַבְּרָא *gravidam.* Et versu 11. *Ecce tu es* מעברא *gravida.* Et *Gen.* 38. *versu* 25. *Ab eo sum* מְעַבְּרָא *gravida.* Et in *Ethpael Gen.* 19, 36. וְאִתְעַבְּרָן *Et conceperunt ambæ* Loti *filiæ.* Et *Gen.* 21. v. 2. de Sara, ואתעברת *Et concepit.* Vide insuper *Jonathanem*, Gen. 19. versu 32. 33. 34 35 & 30, 7. 17. 19. 23. &c.

Verbum quoque יגעל ad fœminam referri palàm est. Nam געל est *rem oblatam respuere*, & *cum fastidio rejicere*. Itaque de bove fœmina rectè dicitur, *Bos ejus concipit*, ולא יגעל *&* semen *non respuit*, vel *non rejicit*. At mas quomodo dici possit semen rejicere, aut non rejicere, nullus video. Ajunt sic significari marem non ejicere semen in cassum: quasi *Hebræum* געל esset *jacere in cassum*: quod novum est, & inauditum. Omnino enim געל est *aliquid oblatum fastidire*, & *rejicere*, & *spernere*. Neque aliud quidquam sonat. Verum igitur est, quod diximus, *Hebræa* verba necessario esse reddenda, *Bos ejus concipit*, & semen *non ejicit*, aut *non respuit*. Quibus sequentia optimè cohærent, *Parit juvenca ejus & non abortit.* Ita ut duo hemistichia hoc solum inter se differant, quod in priore de conceptu agatur, in posteriore de partu. Atque ut conceptui opponitur ejectio seminis è vulva; ita partui abortio.

Parit Hebr. est תפלט, à Verbo פלט *palat*, facto ex מלט *malat*, permutatione literarum *Bumaph*. Proinde utrique Verbo hoc commune est, quod, cum in genere significet *liberare*, vel *liberari*, speciatim referantur ad *liberationem* τῆς ὠδῖνος, à *partus* onere, & *doloribus*. Ut enim hic תפלט פרתו *liberat se vacca ejus* id est, *parit*: ita *Es.* 34. *versu* 15. *Ibi nidificabit acontias*, ותמלט *& se liberabit*, id est, *pariet*. Et *Es.* 66, 7. והמליטה זכר *liberata est à mare*, id est, *marem peperit.* Quod vernaculè dixeris, *Elle s'est delivrée d'un masle. Assyria Venus*, quam præsedisse partui, atque eandem fuisse cum *Lucina*, & *Ilithya*, multis probat *Seldenus* ὁ μακαρίτης in libello *De Diis Syris*, ab hoc verbo videtur nomen habuisse Μυλίττας, ut est in *Herodoto*; aut Μυλίττας, aut Μιλίττης, ut est in *Hesychio*: potius quam à *generandi* Verbo ילד *jalad*, prout conjectat magnus *Scaliger*; cum, ut verbi sonus, ita etiam significatio congruat magis. *Lucina* enim in partu juvat, non in generatione.

Et non abortit) *Hebr.* ולא תשכל. Ut ut enim pleruinque שכל sit idem, quod *orbari*, occurrit tamen aliquot locis in *abortiendi* notione. Sic *Gen.* 31, 38. *Capræ tuæ* לא שכלו *non abortiverunt.* Exod. 23, 26. *Non erit* משכלה *abortiens*, *& sterilis in terra tua.* Cant. 4, 2. & 6, 6. *Omnes gemelliparæ sunt*, ושכלה *& quæ abortiat non est in iis.* Os. 9, 14. רחם משכיל *vulva abortiens.* 2. Reg. 2, 19. *Aqua mala sunt*, *& terra* משכלת *abortum faciens*, propter aquas, è quibus quæ prægnantes bibebant, abortum patiebantur. Ita hic, *Parit vacca ejus, & non abortit*, melius quam si reddas, *& non orbatur*; quia *abortio partui* directius opponitur, quam *orbitas*. Deinde, ut in priore hemistichio ad *conceptum* seminis se habet *ejectio*; ita in isto ad *partum* se habet *abortio*.

His ita expositis, quam bene, aut male hunc locum reddant, qua veteres, qua recentiores Interpretes, proclive erit judicare. *Græci* sic habent, Ἡ βοῦς αὐτῶν οὐκ ὠμοτόκησεν, διεσώθη δὲ αὐτῶν ἐν γαστρὶ ἔχουσα, καὶ οὐκ ἔσφαλεν. *Bos eorum non peperit fœtum immaturum, & servata est eorum prægnans, & non offendit.* In quibus error multiplex: nam in priore membro omiserunt τὸ עבר, συνέλαβε, *concepit*, quasi non intellexerint. Et ולא יגעל reddiderunt οὐκ ὠμοτόκησεν, quod potius pertinet ad sequens ולא תשכל. In posteriore nihil est sani: nam תפלט redditum διεσώθη, cum eo loco sit ἔτικε, *peperit*. Et αὐτῶν ἡ ἐν γαστρὶ ἔχουσα *eorum prægnans*, *Hebraicè* esset הרתו (vel הרתם) potiùs, non פרתו. Et οὐκ ἔσφαλεν, *non offendit*, non est לא תשכל, sed לא תכשל, quomodo illos legisse conjectamus. *Hieronymus* igitur multò rectius, *Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non est privata fœtu suo.* Tamen in eo minus placet, propter causas jam allatas, quod תשכל redditur *est privata fœtu suo*, id est *orbata*; & יגעל *abortivit.* Quamvis etiam *Symmachus* habuerit ἐξέτρωσεν. Atque eodem redeat *Seniorum* ὠμοτόκησεν. Ab his διὰ πασῶν dissidet *Syra* versio, ܬܘܪܗܘܢ ܥܒܪ ܘܠܐ ܓܥܐ ܦܪܬܗܘܢ ܘܠܐ ܡܬܚܒܠܐ *Bos ejus transivit, & non mugiit: liberata est vacca ejus, nec corrumpetur.* Sed ex prava lectione nata est prava versio. Nam in *Hebræo* lectum עָבַר *transivit*, pro עבר *concepit*, & יגעה *mugiet*, pro יגעל semen *ejiciet*. Et in *Syro* corruptè habetur ܬܬܚܒܠ *corrumpetur*, pro ܬܬܟܠ *abortiet*. *Arabs* ex *Syro* est expressus, & eum sequitur ἀνὰ πόδα.

Itaque unus veterum superest *Chaldæus* Interpres, eo legendus accuratius, quod illum aut sequuntur, aut saltem sequi se putant recentiores omnes. Is porrò habet תורה מבטן ולא יפלט תשדיא תורתה ולא תתכל, id est, ut volunt, *Taurus ejus impregnat, & non evomit: parit vacca ejus, nec abortit.* *Impregnat* est מבטין *Benoni Aphel* Verbi בטן, quod *in ventre concipere* significat, & *progignere*. *Evomit* est יפלט, quomodo in *Buxtorfiana* editione rectè scribitur. Reliquæ habent יפקטן, & *Aruch* legit יפקטין, tanquam à Verbo צפקטין, quod

quod ille exponit *evomit*. Proinde aliquando suspicatus sum *Chaldæum* אפקטז *aphaktez*, esse deflexum ex Græco ἀποζέσει, vel ἐκζέσει, id est, ὀζέσει, ἐξέμεσ, *effervescit, evomit*, ut explicatur ab *Hesychio*. Sed malo assentiri doctissimo *Buxtorfio*, qui tam יפקטז quam יפקטן censet esse corrupta, & legendum יפלט. Nempe פלט *Chaldæis* est *evomere*. Exempla vide in *Jonathane*, *Levit.* 18, 25. 28. & 22, 22. Et in hoc ipso libro capitis vigesimi versu decimo quinto. *Et divitias, quas devoravit*, יהה יפלט *evomet eas*. Jam quorsum *Chaldæus taurum* dixerit *impregnare*, & *non evomere*, nemo facilè explicaverit: cum *Hebræa* phrasi *semen evomere* non dicatur nisi fœmina, quæ semen è vulva ejicit. Sic in *Talmudico* Tractatu *Beracoth* sub finem tertii capitis, ונדה שפלטת שכבת זרע *Et menstruata, quæ evomit coitum seminis*. Et ibi *Glossa*, פולטת שכבת זרע הרי היא כבעל קרי *Quæ evomit coitum seminis, ea est ut vir semini-fluus*, id est, æquè immunda. Et in Tractatu *Mikvaoth*, seu *De balneis*, capite octavo, fol. 132. 6. הפולטת זרע ביום ג׳ טהורה *Quæ semen evomit die tertio, munda est*. Item, נכרית שפלטה שכבת זרע משראלי טמאה בת ישראל שפלטה שכבת זרע מנכרי טהורה *Peregrina, quæ evomit coitum seminis ex viro Israëlita, immunda est: sed* Israëlitica *mulier, quæ evomit coitum seminis ex peregrino, munda est*. Et *R. Selomo* in hæc verba *Mosis*, *Ne accedite ad uxores*, Exod. 19, 15. *Nempe*, inquit, *toto isto triduo, ut uxores vestræ se abluant ad diem tertium, & mundæ sint ad accipiendam Legem: quia si coivissent illo triduo*, שמא תפלוט האשה שכבת זרע *fortasse mulier aliqua evomuisset coitum seminis post ablutionem suam, & rursus polluta fuisset. Sed post triduum exactum corrumpitur semen, & ad generationem ineptum est, & mundius est, quàm ut polluat* הפולטת *fœminam illud evomentem*. Ex tot probationibus abundè constat פליטת הזרע *evomitionem seminis* fœminarum esse propriam, adeoque nugari *Chaldæum* Paraphrastem, siquidem id tauro tribuat, quod nonnisi vaccæ competit. Sed quia vix credibile est illum junxisse τὰ ἀσύστατα, & id mari tribuisse, quod fœminarum est, numquid *Chaldæa* תוריה מבטין ולא יפלט consultius sit sic reddere, *Bos ejus prægnans, neque semen evomit*: ita ut *Hiphil* מַבְטִין sit idem, quod בטן in *Kal*? Quod non esse sine exemplo sciunt illi omnes, qui primoribus labris has literas attigerunt. Sic הוליד in *Hiphil*, *generare*, ut ילד in *Kal*. Et השכיל *abortire*, ut שכל. Quidni eodem exemplo *Aphel* אַבְטִין idem sit, quod *Cal.* בְּטַן? Quo dato, ut *Græci*, & *Symmachus*, & *Hieronymus*, ita *Chaldæus* etiam totum hoc comma refert ad fœminam bovem. In qua eadem sententia sunt *Aben Ezra*, *R. Levi*, *Mardochæus*, *Aquinas*, & quantum memini, *Hebræi* omnes præter *Selomonem*, & *Kimchium*. Itaque nullus capio, quorsum novi interpretes tanto consensu hujus commatis prius colon ad taurum pertinere voluerint.

Pro corollario libet addere novam interpretationem vocis יעיל ex *Arabismo* petitam. Verbum געל apud *Arabes* in quarta Conjugatione (quæ respondet *Hebrææ Hiphil*, unde illud יעיל) de fœmina usurpatur, quæ, libidine æstuans, maris appetitu angitur. *Alcamus*, اجعلت الكلبة وغيرها احبت السفان *Canis, aut alia femina* אגעלת id est, *coitum appetivit*. Unde ibidem مجعل dicitur *brutum, quod appetit maris congressum*. Qua libidine vaccas incendi ajunt præ cæteris animantibus, si solam equam excipias. Ita *Philosophus*, *Hist.* lib. 6. cap. 28. Τῶν δὲ θηλειῶν ὁρμητικῶς ἔχουσι πρὸς τὴν συνδυασμὸν μάλιστα μὲν ἵππος, ἔπειτα βοῦς. *E fœminis equa præcipuè conjunctionem impetuosè appetit, proximè vacca.* Itaque ut sus καπρᾷν, & equa ἱππομανεῖν, & canis σκυζᾷν, ita vacca dicitur ταυρᾷν, & ταυριᾷν, cum insano illo libidinis æstu rapitur: qui quamdiu durat, auctore *Philosopho*, vaccæ tauros ubique sectantur, atque etiam conscendunt, & ita fiunt κατακώχιμοι, ut eas capere, vel continere bubulci planè nequeant. Proinde *Chusis*, *Ægypti* vico, in *Nomo Hermopolitano*, unà cum *Urania Venere* vaccas ideò colebant; quia illas credebant πρέπειν τῇδε τῇ δαίμονι, *huic Deæ convenire*. Nempe πλείαν εἰς Ἀφροδίσια ἰσχυρὰν ἔχει βοῦς θῆλυς, καὶ ὀργᾷ τὸ ἄρρεν μᾶλλον· ἀκούσασα γοῦν τὸ μυκήματος εἰς τὴν μίξιν θερμότατα ἐξῆπται, καὶ ἐπιφλέγεται. Καὶ ὅταυτά γε συνιδεῖν δεινοὶ, καὶ ἀπὸ τριάκοντα σταδίων ἀκούειν ταύρου βοῦν ἐρωτικὸν σύνθημα, καὶ ἀφροδίσιον μυκωμένου φασί. *Magnam ad Venerea propensionem habet bos fœmina, & mare longe libidinosior est; cujus mugitum cum audiit, coitus appetitus vehementissimo eventilatur, & exardescit. Adeoque harum rerum qui periti sunt ajunt à triginta stadiis vaccam tauri mugientis amatorium quasi signum audire.* Hæc *Ælianus*, *Hist.* lib. 10. cap. 27. Verum, ut scias animalibus ad speciei propagationem Deum hunc affectum indidisse, tam vesanus ardor deſævit, & sedatur statim à conceptione. *Plutarchus* Περὶ φιλοστοργίας. Μίσγονται τῷ θήλει ὁ ἄρρην, οὐχ ἅπαν τὸν χρόνον ἡδονὴν γὰρ οὐκ ἔχει τέλος, ἀλλὰ γέννησιν, καὶ τέκνωσιν. *Non omni tempore mas fœminæ miscetur: neque enim voluptatem ut finem sibi proponit, sed generationem, & propagationem.* Et in eo libro, quo *Bruta uti ratione* contendit; Ἡ καθ' ὥραν ἔτυς, ὥσπερ φυτῶν βλάστην, ἐγείρασα τὴν ζώων τὴν ἐπιθυμίαν, εὐθὺς ἔσβεσεν, οὔτε τὸ θῆλυ προσιεμένη μετὰ τὴν κύησιν, οὔτε πειρῶντος ἔτι τὸ ἄρρενος. *Quæ* (Venus) *congruo anni tempore, ut plantarum germen, sic excitavit animalium libidinem, statim extinguit, neque fœmina post conceptionem marem admittente, neque mare* fœminæ *amplius vim inferente*. *Lactantius* lib. 6. cap. 23. *Deus, cum cæteras animantes, suscepto fætu, maribus repugnare voluisset, solam omnium mulierem patientem viri fecit*. Ibidem, *Mutum animal*, &c. *suscepto fœtu mari repugnat: quod ideò facit; quia necesse est in dolorem, atque in periculum veniat, si admiserit*. *Plinius* pauca excipit. *Præter mulierem* (inquit lib. 7. cap. 11.) *pauca animalia coitum novêre gravida*. *Oppianus* lynces, & lepores. Verba sunt libro tertio *Cynegeticῶν*,

Οὐ γάρ τοι θήρεσσι νόμος, γαστὴρ ὅτε πλήθει,
Εἰς λέχος ἱεμένοις τελέειν φιλοτήσιον ἔργον,
Νόσφι μόνων λυγκῶν, ὀλιγοδρανέων τε λαγωῶν.
Non solet ulla feras, utero prægnante, voluptas
Ad coitum, Venerisque vagos impellere lusus,
Si lyncem excipias, leporumque fugacia sæcla.

Aristoteles, *De generatione animalium* lib. 4. cap. 5. præter mulierem, solam excipit equam; Μόνα τῶν ζώων ὀχείαν ἐπιδέχεται γυνὴ καὶ ἵππος. *Sola animalium coitum admittunt mulier & equa*. Et *Hist.* lib. 7. cap. 4. Δέχεται δ' ὀχείαν κύοντα μάλιστα τῶν ζώων γυνὴ καὶ ἵππος· τὰ δ' ἄλλα, ὅταν πληρωθῇ, φεύγει τοὺς ἄρρενας. *Ex animalibus mulier & equa præcipuè coitum prægnantes admittunt; cætera autem, quando conceperint, mares fugiunt.* Tamen idem *Hist.* lib. 6. cap. 21. gravidas vaccas afferit nonnunquam προσδέχεσθαι τὴν ὀχείαν, *coitum admittere*. Sed id inter ostenta ponit, & tempestatum præsagia. Et aliud est coitum admittere, aliud furere in marem. Ut nihil obstet, quo minus vacca prægnans verè dici possit coitum non appetere. Ex qua interpretatione *Jobi* verba sic sonabunt, *Bos ejus concipiet, & marem non appetet*; quia tam dextrè inibitur, ut, illo coitu gravida, nihil causæ sit, cur marem amplius desideret. Quæ quidem interpretatio nihil habet incommodi: tamen primam præfero, cum quia videtur meliùs cohærere cum sequentibus, tum quia rarò ad *Arabismum* confugio, nisi

nisi coactus. Quamvis in *Jobo* id possit ferri, in quo scribit *Hieronymus* ex *Arabico* & *Syro* sermone non nulla fuisse desumpta.

Loco, quem explicavimus, ecce alterum ferè geminum *Ps.* 144, 14. אלופינו מסבלים אין פרץ ואין יוצאת quæ verba puto sic reddenda, *Boves nostræ sint gravidæ, non sit in iis orbitas* (aut *abortus*) *nec quæ ejiciat* semen, aut fœtum. Anteà *Propheta* rogaverat, ut oves millecuplis, aut decies millecuplis fœtibus augerentur. Nunc etiam bobus exoptat eandem fœcunditatem. Masculinum est אלופינו: sed ut ad fœminam referatur locus postulat, ut *Deut.* 7, 13 שגר אלפיך est *fœtus vaccarum tuarum*. A Verbo סבל, quod *ferre* est, מסבלים, *ferentes*, vel *oneratos* sonat. Nos hic boves onus uteri gestantes, i. e. est, fœtas, aut gravidas intelligimus. Ea phrasis est *Arabum*, apud quos حمل *ferre* etiam est *concipere*. Ita *Luc.* 1, 24. editionis *Erpenianæ*, حملت *gestavit* (id est, *concepit*) Elisabeth *uxor ejus*. Gen. 3, 16. *Multiplicabo dolorem tuum*, وحمالك *& gestationem tuam*, id est, *conceptum tuum*, vel *in conceptu, & graviditate tua molestiam*. Gen. 29, 31. ورزقها بالحمالة *Et largitus est illi gestationem*, id est, *illi concessit, ut conciperet*, pro Hebræo, *Et aperuit vulvam ejus*. Et passim (a) وحملت *& gestavit* pro *Hebræo* ותהר *& concepit*. Et *Ps.* 50, 6. edit. *Savar. In iniquitate* حملت *gestatus sum*, id est, *conceptus*. Et *Locmani* Fab. 18. de equa, كانت حاملة *fuit gestans*, id est, *concepit*. Denique prægnans mulier ثقال id est, *onusta*, *Arabicè* rectè vocatur: quod omnino respondet *Hebræo* מסבל *Romanis* quoque gravidæ boves *fordæ* à *ferendo* dictæ. *Ovidius* lib. 4. *Fast.*

a) Vide Gen. 4, 1. 17 & 16, 4. &c.

Forda ferens bos est, fœcundaque dicta ferendo.

Et *gestare in alvo*, vel *in utero*, dicuntur in *Plauto* mulieres, & in *Plinio* elephanti.

Sequitur אין פרץ, *Ne sit orbitas*) Kimchius אין פרץ בנו ובבהמותינו שכולה כי השכול הוא פרץ *In nobis, & in pecudibus nostris nulla sit orba, nempe* פרץ *est orbitas*. Id vero probat ex eo, quod *Uza* orbatio, seu clades פרץ vocatur 2. *Sam.* 6, 8. Vel *ne sit abortus*; quia quandoque פרץ est *violenta eruptio*. Sic 2. *Sam.* 5, 20. כפרץ מים *sicut eruptionem aquarum*. Et *Job.* 28, v. 4. פרץ נחל *erupit torrens*. Et *Os.* 4, 2. פרצו *eruperunt*, Vulgata *inundaverunt*, de vitiis grassantibus. Sed & de fœtu in utero, *Gen.* 38. v. 29 מה פרצת עליך פרץ *Quam violenter erupisti, super te sit eruptio*, id est, *ab ea nomen habeas*. Agitur de geminis fratribus in utero *Thamar*, quorum cum *Zare* manum prior exeruisset, tamen alter præcessit, & ante *Zaram* erupit. A qua eruptione *Phares* appellatus est; quasi *eruptionem* dixeris. Pari ratione potest abortus vocari פרץ *perets*; cum abortus sine violenta ex utero eruptione non fiat.

Superest ואין יוצאת, supple פרה, *Et non sit vacca, quæ emittat*, nempe *semen*, aut *fœtum*. Felix Pratensis, *Et non est faciens abortivum*. Propriè יוצאת est *quæ egreditur*; sed & Transitivè *quæ emittit*, ac si esset in *Hiphil*. Sic *Amos* 5, 3. העיר היוצאת אלף *urbs, quæ mille emittit, reliquos faciet centum*, והיוצאת מאה *& quæ emittit centum, reliquos faciet decem*. Et *Deut.* 14, 22 היוצא השדה, *agrum educentem*, vel *producentem*. Vide ad utrumque locum quid notet *Aben Ezra*.

Reliqui hujus loci interpretes in diversissima abeunt. *Selomoni* אלופינו hoc loco non sunt *boves*, sed *Principes*, quomodo אלוף passim sumitur. Quasi Principes hortetur *David*, ut inferiores ferant, qui vicissim iis obsequantur, ne fiat פרץ, id est, *divisio*) in populo. Quod, ut cætera taceam, hic diceretur præter rem. *Kimchio*, & *Pomario* boves מסבלים vel sunt boves *oneri pares*, id est, *robusti*; vel boves *sagina graves*, id est, *pingues*, *obesi*. Prius sequuntur *Syrus*, & *Aben Ezra* &, ex recentioribus, *Flaminius*, *Castalio*, *Felix Pratensis*, *Anglicana* versio. Posterius *Græci*, *Hieronymus*, *Vulgatus*, *Æthiops*, uterque *Arabs*, *Chaldæus* etiam, cui תורינו פטי sunt *boves nostri pingues*, (non *dominatores*, ut habet perridiculè *Latinus Chaldæi* textus interpres) Sed & nostro sæculo plerique id amplectuntur. Jam quæ sequuntur tam obscura sunt, ut nusquam inter interpretes sit majus dissidium. *Chaldæus* ita reddit, פטול לית תקיף ולא מקפא בישא *Quia non est violentia, nec prolatio mala*. Syrus ܘܠܐ ܐܝܬ ܒܗܘܢ ܥܩܪܐ ܘܠܐ ܬܒܪܐ *Et non est in iis sterilis, non est confractio*. Symmachus, Οὐκ ἔςι διακοπὴ, οὔτε ἐκφορά. *Non est intercisio, neque evagatio*. Græci, Οὐκ ἔςι καταπλώμα φραγμοῦ, οὐδὲ διέξοδος. Unde Vulgatus, *Non est ruina maceriæ, neque transitus*: quod fere sequuntur *Æthiops*, & uterque *Arabs*. Hieronymus, *Non est interruptio, & non est egressus*: in quo sequitur *Symmachum*. Nec sibi constant *Hebræi*: ex quibus *Rasi*, *Ne sit divisio inter nos, nec rumor infaustus, qui latè diffundatur*. Et Aben Ezra, *Ne sit ruina in urbis mœnibus, nec quæ egrediatur ex portis*, &c. Et Kimchius, *in nobis, & pecoribus nostris, ne sit orbitas, neque ulla anima, quæ in captivitatem exeat* Sed & novi interpretes plurimum inter se dissident. Nos in re incerta diximus quid videatur vero proximum. Et nostra interpretatio hoc habet supra reliquas, quod ex ea hemistichii, in quo versamur, partes optimè inter se cohærent, & cum præcedente versu.

Jam libet explicare, quid sit in bove שגר *seger*, vel Constructum *segar*, cum dicitur *Deut.* 7. v. 13. *Benedicet Deus* שגר אלפיך segar *boum tuarum*. Quomodo etiam repetitur *Deut.* 28, 4. 18. 31. *Chaldæus*, & *Syrus* בקרי, vel בקרא, id est, *armenta* reddunt, ut *Vulgatus*. *Græci* quoque τὰ βουκόλια τῶν βοῶν σου. Sed *Arabs*, *Parisiis* editus, melius نتاج *fœtum*; & *Erpenianus* اولاد *filios*. Proinde *Hebr.* שגר בהמה segar *pecoris*, *Exod.* 13, 12. *Onkelos* quoque interpretatur ולד בעירא *filium pecoris*. Et *Jonathan* disertiùs ולד בעירא דמשגרא אמיה *filium pecoris, quem emisit mater sua*, id est, *peperit*. Quod addidit, ut doceret fœtum pecoris ideò *seger* dici; quia per partum אשתגר *emittitur*, *Chaldæis* enim Verbum שגר est *emittere*. Sic *Jerem.* 13. 17 in *Thargum* ותשגר עיני דמעין *Et emittet oculus meus lacrymas*. Et ex *Arabico* مسجر الما *sagiara* est *emissio aquæ*. Qua ratione *Hebræum* שלח etiam ad partum refertur, ut *Job.* 22, 11. ישלחו כצאן עויליהם *Emittunt* (id est, *pariunt*) *ut oves parvulos suos, & nati eorum saltant*, nempe, ut agni primum editi. Quæ cum sint hyperbolica, tamen *Hebræi* ad literam sumunt. Et *R. Selomo* ad hunc locum fabellam profert ex *Haggada* in *Genesim* de quodam infante, qui בעת לידתו היה הולך ומרקד מיד ואם פוגע במזיק הלחם בו והיתה אומרת לו אמו הבא לי מספרים ואחתוך שורך *quo ipso momento natus est, statim incessit, & exsiliit: & si in Diabolum incideret, in eum pugnabat. Et dixit ei mater ejus, Affer mihi novaculam, qua umbilicum tuum præcidam*. Additur ex *Bereschith Rabba*, matrem insuper ei dixisse לך הדליק לי את הנר *Ito, & accende mihi lucernam*.

Illud etiam hic quærendum, neque dum constat satis, quid propriè sit פטר *peter*, in his Legis *Exod.* 34, 19. כל פטר רחם לי *omnis peter vulvæ meus est*. Et paulò pòst, פטר שור ושה peter *bovis*,

(b) *Exod.* 13. *v.* 2. 12. 13. 15. *Num.* 3. *v.* 12. & 8. *v.* 16. & 18. *v.* 15. *Ezech.* 20, 26.

bovis, & ovis. Patet quidem in eo loco, & aliis (b) similibus, voce פטר, *peter*, significari *primogenitum*. Sed quorsum *primogenitus* sic appelletur, non æquè constat. Plerique פטר רחם *apertionem vulvæ* explicant; quasi vulvam antea clausam aperiat primogenitus. In quam interpretationem videntur hæc duo posse objici. Unum, quod si פטר *peter*, est *apertio* in loco, quem citavimus, פטר שור ושה erit *apertio bovis, & ovis*; & statim, sequente versu, פטר חמור *apertio asini*: quæ erunt duriora, nisi suppleatur vox *vulvæ*. Alterum, quod Verbum פטר *patar*, nusquam est *aperire*, sed *discedere* 1. Sam. 19. v. 10. *dimittere* 2. Par. 23. v. 8. unde פטורים *dimissi*, *immunes* 1. Par. 9. v. 33. *emittere* (de aquis) *Prov.* 17. *v.* 14. unde פטורי ציצים *emissiones florum* 1. Reg. 6. v. 18. Et in *Hiphil*, de labiis, *movere*, vel *distorquere* Psal. 22. vers. 8. Alibi in Scriptura non extat. Fortasse igitur ad *Arabismum* pertinet, quod *primogenitus* פטר *peter*, vocatur. Nam *Arabicè* فطر phatara, *incipere*, & *inchoare* est: & الفطر alphatro, *initium*, *exordium*, & *quod in unaquaque re primum est*. Unde *primogenitus*, qui *initium roboris* patris sui dicitur *Gen.* 49. *v.* 3. *Deut.* 21. *v.* 17. & *Psal.* 78. *v.* 51. appellari potuit פטר *initium*, & פטר רחם *initium vulvæ*, id est, fœtûs, quem vulva primum efformavit, atque in lucem edidit. Huc facit, quod pro פטר, vel פטר רחם, *Arabs*, *Parisiis* editus,

(c) *Exod.* 34. 19

quandoque habet اول ما يولد (c) *quod primum*

(d) *Num.* 3. 12. & 18. *v.* 15.

generatur; quandoque اول بطن (d) *primum*

(e) *Exod.* 13. 13. & 14. *v.* 20.

ventris, quandoque بكر (e) *primogenitum*. Quo-

(f) *Exod.* 34. *v.* 19. 20.

modo etiam alicubi (f) *Chaldæi* Interpretes, (g)

(g, h) *Ex.* 13, 13

Græci, & (h) *Vulgatus*. Interim idem erit sensus, si cum vulgo interpretum reddas, *quod aperit vulvam*, & *apertionem vulvæ*. Proinde à recepta interpretatione non discessit *Lucas Evangelista* capitis secundi versu vigesimo tertio.

Hoc quoque est ambiguum, in quo statu boves, vel oves dicantur עלות *aloth Gen.* 33. *v.* 13. & 1. *Sam.* 6 *v.* 7. 10. & *Psal.* 78. *v.* 71. & *Esa.* 40. *v.* 11. quibus locis occurrit hæc vox. *Aben Ezra* הרות, id est, *prægnantes*, reddit, tanquam à Verbo עלה *conscendere*; quia in grege mares inituri עלים על הצאן *fœminas gregis conscendunt*, quomodo loquitur *Moses* Gen. 30. v. 10. 12 Ita etiam multi veteres. Sic *Psal.* 78. *v.* 71. ubi *David* se abductum fuisse dicit מאחור עלות *à tergo* τῶν *aloth*, ut pasceret Dei populum. *Aquila* habuit ἐξόπισθεν τῶν ἐν γαστρὶ ἐχουσῶν, *à tergo gravidarum*; *Symmachus*, ἀκολουθοῦντα ταῖς κυούσαις, *sequentem prægnantes*: & *Esa.* 40. *vers.* 11. τὰς ἐν γαστρὶ ἐχούσας παρακαλέσει, pro *Hebræis* עלות ינהל τὰς aloth *leniter ducet*. Secunda interpretatio eorum est, quibus עלות *aloth*, sunt *boves*, vel *oves in ipso partu*, vel *primò*, aut *nuper enixæ*. Sic *Psalmo* nuper citato *Seniores Davidem* sumptum fuisse tradunt ἐξόπισθεν τῶν λοχευομένων, *à tergo parientium*. Et *Gen.* 33. *v.* 13. Καὶ τὰ πρόβατα, καὶ αἱ βόες λοχεύονται *Et oves, & boves pariunt*; ubi *Hebræa* והצאן והבקר עלות Et 1. *Sam.* 16. *v.* 10. δύο βόας πρωτοτοκούσας, *duas vaccas primo enixas*. Et *Josephus*, *Antiq.* lib. 6. cap. 1. βόας ἀρτιτόκους, *vaccas nuper enixas*, pro *Hebræo* שתי פרות עלות. Quasi à verbo חול, quod *parere* est, עלות dicantur pro חלות, literis *Cheth* & *Ajin* permutatis, quod apud *Hebræos* tralatitium. Tale est *Joel.* 3. *v.* 11. עושו, pro חושו, *festinate*. Ita *Selomo* ex *Menachem*. Et וישמע 2. *Reg.* 20. v. 13. pro וישמח *Esa.* 39. *v.* 2. Et עויא *serpens* Galilæis pro חויא. Et quod *Chaldæis*, & *Syris*, *serpens*, qui caput ad caudam reflectit, tam עכנא dicitur, quam חכנא: & *basiliscus* tam ערמן quam חרמן: & *validus* עלים, & חלים: & *unque secare* עזם, & חזם: & *amplecti* ܥܒܩ *Syriace* pro *Hebræo* חבק. Plura hujus generis ex *Mose Gerundensi* habet *Drusius* ad *Deut.* 13.

Tertiò, ut עויל, & עלל, & עול *parvulum lactentem* sonat, ita עלות nonnulli volunt esse *matres lactantes*. In qua sententia sunt *Jonathan*, *Onkelos*, *Syrus*, *Arabs* uterque; &, ex *Hebræis*, *Selomo*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*. His accedo libentius, quia 1. *Sam.* 6. *v.* 7. עלות *aloth*, dicuntur vaccæ, quæ vitulos lactant. *Capite* (inquiunt *Philistæorum* sacrificuli) *duas vaccas* עלות *aloth*, &c. *Et filios earum* (vitulos) *domum reducite, ne eas sequantur*. Et versu decimo, *Et ceperunt duas vaccas* עלות *aloth*, &c. *& filios earum domum reduxerunt*. Agitur de vaccis, quæ, sine ullo ductore, arcam à *Philistæis* ad *Bethsemitas* reduxerunt. Atque, ut observat *Kimchius* in hunc locum, צוו לקחת פרות עלות להראות המופת שלא שבו בעבור בניהם *Jusserunt sumi vaccas* aloth (id est, *quæ lactabant vitulos*) *ut miraculum esset illustrius, eo quod non redirent propter vitulos suos*. Quod me propè fugerat, *Hieronymus* quoque 1. *Reg.* 6. *v.* 10. reddit *vaccas, quæ lactabant vitulos*, & versu septimo, *vaccas fœtas*; quæ eodem recidunt. Nam *fœtæ* Latinè dicuntur non solùm fœminæ prægnantes, sed & quæ, onere levatæ, parvulos lactant. *Plinius* de panthera, lib. 8. cap. 17. *Fœta erat, catulis procul in cavea delapsis*. Varro apud Nonnum, *Veniebant ad fœtam amicæ gratulatum*, id est, *ad puerperam*. Virgilius *lib.* 3. Georg.

- - - - - - - - *nec tibi fœtæ*
More patrum niveæ implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces consument ubera natos.

Et lib. 8. *Æneidos*,

Fecerat & viridi fœtam Mavortis *in antro*
Procubuisse lupam, geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros. - - - - -

Statius *lib.* 9. Thebaidos,

- - *imbellem non sic amplexa juvencum*
Infestante lupo, cùm primum fœta tuetur
Mater, & ancipiti circumfert cornua gyro.

Primùm fœta mater, id est, *quæ primùm peperit*. Nemesianus *Eclogâ* secundâ,

Siccaque fœtarum lambentes ubera matrum
Stant vituli. - - - - - - - -

Calphurnius *Eclogâ* quintâ,

Parce tamen fœtis, nec sint compendia tanti,
Destruat ut niveos venalis caseus agnos.

Fœtis, id est, *matribus, quæ parvulos lactant*; quas negat esse mulgendas, ne fœtui alimentum subtrahatur.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Boum pabulum, & saginatio, & tria *Judææ* loca Bobus maximè compascua.

Pabulum bovis in Scripturis herba, viride agri, fœnum, palea, farrago. Viride agri *præter herbam etiam frondes arborum complectitur.* Lingere, *id est*, consumere, *Phrasis* Hebraica, *&* Arabica. *Perquirere* Chaldæis *idem*. Perquirens, *id est*, *dens jumenti*. *Pro* בליל, *seu* farragine, Chaldæus *habet* אספסתא, *id est*, herbam Medicam. *Hujus* Arabica, *&* Hispanica *nomina*. *Quando in* Græciam *sit advecta*. *Illius esu aliis lac extingui, alii augeri scribunt*. Ephraim vitula triturans, *Ose.* 10. *v.* 11. Eritis ut vitula triturans, *Jerem.* 50. *v.* 11. *Alii malè*, *ut* vitula herbilis. *Id ipsum* vituli מרבק marbek, *Malach.* 4. *v.* 2. *quod probatur pluribus*. Arabicum ربقة ribka, *vinculum in collo bovis, ovis, avis etiam*. *Avium collum laqueo constringere*, *aucu-*

aucupii genus apud veteres. Talmudicis רבקה ribka, *propriè vinculum, quo triturantis bovis collum constringitur. Quatuor boves juxta* Hebræos *in triturâ simul juncti, aut tres solum juxta* Arabes, *quorum singulis proprium nomen.* Septuaginta *emendati. Boves, & vaccæ pingues, quomodo* Hebræis. *His opposita vaccæ* רקות, *quæ vox ex lingua* Arabica, & Syra *explicatur. Bos* אבוס abus, *id est*, ad præsepe saginatus. דרס, pecudem saginare cibo in os ingesto. *Origo vocis.* הלעיט cibare *solum oblato cibo.* רפת bubile, *unde dictum. Loca bubus compascua.* Basan, *seu* Batanæa. *Ratio nominis. Regio quam sit ferax. Aliud* Beth-san, *seu* Scythopolis. Tzetzes *notatus.* Saron *circa* Joppen, *malè, in* Arabe, Sarphanda, *id est*, Sarepta. Σαρωνὶς *Græcè* quercus cava, *unde* Saronicus sinus. *Aliud Hebræis* Saron. *Diversus locus* Saronas *circa mare* Tiberiadis. *Rex* Lassaron. *Vallis* Achor *prope* Jericho. *Malè alii* Achan.

BOvis in Scriptura pabulum primò est עשב, βοτάνη, *herba*. Sic *Dan. 4. v. 29.* עשבא *herba, ut boves, te cibabunt.* Et versu 30. *Herbam boum instar comedebat.* Et *Psal. 106. v. 20. Mutârunt gloriam suam* (id est, Deum suum, ut *Jerem. 2. v. 11.* ad quæ loca *Paulus* alludit, *Rom. 1. v. 23.*) *in similitudinem bovis comedentis* עשב, *herbam.* *Chaldæus* addit σφὸς ἐξυθισμένον, ומזדהם, *& inquinantis se*, stercore suo scilicet post esum herbæ. Aliud agebat *Latinus* Interpres, qui reddidit *& mugientis.* Quia *Hebraicè* עשב, & דשא ferè idem sunt, aut vix aliter differunt, quàm *Græcè* βοτάνη, & πόα. Eodem pleriq; referunt, quod *Jerem. 50. v. 11.* *Chaldæi* crevisse dicuntur כעגלת דשא, id est, ut quidem volunt, *ut vitula herbilis*, vel ποηφάγος. Quasi דשא *dasa*, sit pro דשאה *desaah*, litera *He* ex fine excisa. Ita ferè recentiores, *Kimchium* sequuti, qui hæc verba sic παραφράζει. כעגלה שהיא תמיד רועה בדשא שהיא שמנה ובריאה בשר *Sicut vitula, quæ in gramine jugiter pascitur, & proinde pinguis est, atq; obesa carne.* Veteres quoque præiverant. Hic enim habent *Seniores*, ὡς βοΐδια ἐν βοτάνῃ. Ut *Arabs* eodem sensu مثل عجاجيل في النبات Et *Hieronymus*, *Sicut vituli super herbam.* Tamen infra docebimus hæc verba aliud sonare.

Bovis quoque pabulum est *viride agri.* Unde *Balak* de *Israelitis* Num. 22. v. 4. *Linguet cœtus iste quidquid est circa nos*, כלחוך השור את ירק השדה *ut lingit bos viride agri.* Quod non solum herbam significat, ut volunt recentiores, sed & *frondes arborum.* Patet id ex *Exod. 10. v. 15.* ubi locustæ in *Ægypto* omnia depascuntur, ולא נותר כל ירק בעץ ובעשב השדה *nec remansit ullum viride in arboribus, & in herbis agri.* Et verò boves tam arborum ramusculos, & folia, quam herbas agri consumunt. Ut *Esa. 27. v. 10. Ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit* וכלה סעפיה *& consumet ramos ejus.* *Hesiodus* in *Operibus*,

Καὶ βοὸς ὑλοφάγοιο κρέας μήπω τετοκυίης,

Et bovis arborivoræ caro nondum enixæ. Varro, *Rust.* lib. 2. cap. 5. ubi de bobus; *Pascuntur armenta commodissimè in nemoribus, ubi virgulta, & frons multa.* *Columella* lib. 7. cap. 3. *Tota æstate, & deinde autumno* (boves) *satientur fronde: quæ tamen non ante est utilis, quàm maturuerit, vel imbribus, vel assiduis roribus. Probatur maximè ulmea, post fraxinea, & ab hac populnea. Ultima sunt iligea, & quernea, & laurea. Sed, post æstatem necessariò deficientibus cæteris, possunt etiam folia ficulnea probè dari.* *Palladius* lib. 6. cap. 7. ubi de bove nuper castrato: *Sequenti die præbeantur et tenera arborum summitates, & frutecta mollia.* Notanda porro hæc Phrasis, *Linguet cœtus iste quidquid est circa nos, ut lingit bos viride agri.* In qua *lingere*, vel *lambere* non est *leviter attingere*, sed *edere*, & *absumere*. Hieronymus *delere* reddit, & *usq; ad radices carpere.* *Græci* non male ἐκλείχειν, *elingere*, quod non est lingere simpliciter, sed lingendo absumere, ut Medicorum ἐκλείγματα. *Syrus* expressit per ܢܠܚܟ *depascitur.* Et *Jonathan* hic habet ישיצון *perdent*, &c. היכמא דמבעי תורא ית עסבא דחקלא *quomodo perquirit bos herbam agri.* 'Perquirit vox est juridica; unde in *Bava kama* statim initio, ארבעה אבות נזיקין השור והבור והמבעה והמבער *Quatuor sunt partes* (id est, quatuor fontes) *damnorum*, *bos* (id est, pes bovis) *fovea*, *perquirens, & incendium. Perquirens*, id est, *dens*, ut exponit *R. Samuel* in *Gemara* fol. 3. b. Et causam addit *R. Moses*, quia pecora herbas dente quærunt, & evellunt. *Samaritanus* & *Onkelos* retinent *lingendi* verbum. *Arabs* quoque *Erpenianus* habet يلعق & *Parisiensis* يلحس quæ idem sunt. Adeoque, ut hanc Phrasin scias tam *Arabicam* esse, quam *Hebream*, *Arabicè* الحس Verbum de pecude est *herbas carpere.* Et nomen لحس de tinea *lanæ erosio*, de locusta *herbæ depastio.*

Fœnum etiam est in boum cibariis *Job. 40. v. 10.* ubi dicitur de *Behemoth*, seu de hippopotamo, חציר כבקר יאכל Et ibi *Seniores*, χόρτον ἴσα βουσὶν ἐσθίει & *Hieronymus*, *Fœnum quasi bos comedet.* Unde est, quod apud *Siracidem* arator invigilat εἰς χορτάσματα δαμαλῶν, *Eccles. 38. v. 28.* Et *Hesiodus* in *Operibus* lib. 1. ubi de hyeme appetente,

Δὴ τότε χορτάζειν ἕλικας βόας ἔνδον ἐόντας,
Flexipedem in stabulis fœno tum pascito vaccam.

Et lib. 1. versu 604.

Χόρτον δ' ἐσκομίσαι, καὶ συρφετὸν, ὄφρα τοι εἴη
Βουσὶ, καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανόν, - - -
Fœnum autem importato, & paleas, ut tibi sit bobus, ac mulis annuum pabulum.

Rectè *fœnum & paleas*: nam & hic paleæ locus suus, *Esa. 11. v. 7.* & *65. v. 25. Leo ut bos comedet paleas.* *Plinius* lib. 18. c. 30. *Hordei stipulam bubus gratissimam servant.* Item, *Paleæ plures gentium pro fœno utuntur; melior ea, quæ tenuior, minutiorq; & pulveri propior, ideò optima è milio, proxima ex hordeo, pessima ex tritico*, &c.

Farrago denique *Hebr.* בליל est in hoc censu *Job. 6. v. 5. An mugiet bos* על בלילו, *ad farraginem suam?* Et *Es. 10. v. 24. Et boves, & aselli colentes terram* בליל חמיץ יאכלו אשר זרה ברחת ובמזרה *farraginem subacidam comedent, quæ ventilata fuerit vanno, & ventilabro.* בליל *farraginem* reddimus, quia בלל, & in genere *miscere* est, & in specie *miscere diversas fruges*, aut *fœnum & paleam cum frugibus, in pecorum, aut jumentorum pabulum.* Sic *Judic. 19. v. 21. Et miscuit asinis ejus*, supple *farraginem in pabulum.* Ad quæ verba dicit *Kimchius* בליל sic appellari שבוללים למאכל הבהמה השעורים והשבולת שועל או אחד מהם עם התבן *quia miscent ad bruti pabulum hordeum cum spica vulpis* (id est, *avena*) *aut unum eorum cum palea.* Sed & *Græci* habent in *Esaia*, Φάγονται ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελικμημένῃ, *Comedent paleas commixtas hordeo ventilato.* Hanc porro farraginem cur חמיץ *subacidam* appellet *Esaias*, abunde explicavimus in capite *De coloribus equorum.* Addit fore, ut excutiatur, & ventilabro ventiletur. Quâ Hyperbole significatur tantam fore frugum ubertatem, ut etiam expurgatissimæ in pabulum jumentorum cedant.

Pro בליל חמיץ *Chaldæus* habet בליל פטים *farraginem, quæ impinguat.* An quia *Talmudici* חימצא vocant partem corporis הקיבה בחילב שעל *in pinguedine, quæ*

quæ est supra ventriculum, id est, *omasum*, vel *abdomen*, ut quidem puto? Vide Tractatum *Cholin* cap. 3. fol 59. b. & ibi *Glossam*. Idem *Chaldæus* בליל in *Jobo* reddit אספסתא, *isaphsatha*, ita legendum. Quæ vox cum in *Paraphrastis*, & in *Talmude* passim occurrat; tamen non intelligitur. Falluntur enim, qui *migma*, & qui *avenam* explicant. Neq; satisfaciunt, qui מאכל הבהמות, id est, *pabulum jumentorum* reddunt, quia hoc generale nimis est. Sed *isaphsatha* est *herba Medica*, *Gallis sainfoin*, quæ *Persicè* dicitur اسفست *isaphsath*, & *Arabicè* فصفصة *phasphasa*, & رطبة *ratba*, cum est recens, & قت *coth*, cum est arida. *Abenbitar* قت هو يابسة الرطبة والرطبة هي الفصفصة *Coth est ratba arida, & ratba est alphasphasa*. Et paulò post, وهي بالفارسية اسفست *Et Persicè vocatur isaphsath*. Ibidem hæc *Dioscoridis*, Μηδικὴ ἔοικε μὲν ἀρτιφυομένη τριφύλλῳ τῷ ἐν χορτοκοπίοις, προκόπτουσα δὲ στενοφυλλοτέρα γίνεται, *Arabicè* sic redduntur, الرطبة شبيه في ابتدا نباتها للحندقوقا النبات في المروج فاذا نبت صارت ادق ورقا منه *Ratba, id est, Medica herba) planta initio similis est handakokæ (trifolii) crescenti in pratis: sed cum perfecta est, folium hujus fit angustius, quam folium illius.* De eadem sic *Avicenna* lib. 2. *Can.* قت الماهية هو الاسفست الرطبة وهو علف الدواب Coth *quid est? est* isaphsath, *vel* ratba, *& est pabulum jumentorum.* In *Abenbitare* alio nomine vocatur قضب *kadhab*, nempe postquam sectum est. Nam قضب *resecare* est, planè ut *Hebræum* קצב; & مقضاب *falx fœnisecca*. Ex *Arabico alphasphas* corruptum est *Hispanicum Medicæ* nomen *alfalfa*, vel *alfalfel*. In *Græciam* advectam scribit *Plinius* per bella *Persarum*, quæ *Darius* intulit. *Aristoteli* si credimus (*Histor.* lib. 3. cap. 21.) *Medica* herba si vaccis detur, & reliquis animalibus, quæ ruminant, copiam lactis extinguet. Verba sunt; Τῆς δὲ τροφῆς ἡ μὲν σβέννυσι τὸ γάλα, οἷον ἡ Μηδικὴ πόα, καὶ μάλιστα τοῖς μηρυκάζουσι. Tamen contra *Sotion* in *Geoponicis* lib. 17. Μηδικῇ θρεψάμενοι τὰς γαλουχούσας βοῦς πλεῖον γάλα ἕξουσι οὕτω τραφεῖσαι. *Medica herba boves lactantes nutriamus: plus enim lactis habebunt ita nutritæ.* Et *Ælianus Histor.* lib. 12. cap. 11. bos *Onuphis* in *Ægypto* σιτεῖται πόαν Μηδικήν, *herba* Medica *pascitur*, quasi sacro bovi saginando nulla credatur aptior.

Boves inter *Judæos* tum maximè pinguescebant, cùm erat trituræ tempus, quia bovis triturantis os capistrare Lex prohibebat, ut suo loco dicetur. Itaque inter triturandum bovi liberum erat vesci frugibus ad satietatem usque. Proinde *Propheta Oseas*, ut *Israelitas* laborem detrectare, & genio indulgere doceat, eos confert cum vitula, quæ soli trituræ assuevit, neque aliâ re delectatur, *Os.* 10. v. 11 *Ephraim*, inquit, *vitula est, quæ adsuevit, & amat triturare.* Quo eodem sensu dicitur *Jerem.* 50. v. 11 תפושו כעגלה דשה *pingues estis ut vitula triturans.* Non lego דשא per *Aleph*, sed דשה per *He* in fine; quia sic reperio in multis exemplaribus *Venetiis*, *Basileæ*, *Antverpiæ*, *Genevæ*, *Leidæ* editis. Et libros quoq; vetustiores hanc lectionem exhibuisse nos docent *Rabb. Jonas* & *Kimchius*. *Mardochæus* etiam id ipsum sequitur in *Hebraicis Concordantiis*. Sed hoc potissimum, quod altera lectio vix potest stare, quamvis illam ferè sequantur recentiores Interpretes. Quid enim esset *vitula* דשא per *Aleph*? Ajunt דִּשְׁא, *dasa*, esse pro דִּשְׁאָה *desaah*, & sic dici vitulam, quæ herba vescitur, ejusque pastu pinguescit. Sed ne dicam grave id esse, quod דשא *dasa*, volunt esse pro דשאה *desaah*, illa ipsa vox דשאה *desaah*, non id esset, quod asserunt. Neque enim דשא Verbum *herbâ vesci* significat, sed *herbascere*. Sic *Genes.* 1. v. 11. תדשא הארץ *herbascat terra*, Joel. 2. vers. 22. דשאו נאות מדבר *Herbuerunt pascua deserti*. Et *Chaldæum* דתדא id ipsum est, ש & ת de more permutatis. Itaque דשאה esset *herbascens*, & de terra, vel agro rectè diceretur; de animali non item. Denique huic *Jeremiæ* loco, *Pingues fuisti ut vitula* דשה *triturans*, ecce alterum plane geminum, *Malach.* 4. v. 2. ופשתם כעגלי מרבק *& pingues fuistis ut vituli marbek*. In quo si probavero *vitulos marbek* esse vitulos triturantes, facilè concedetur idem esse vitulam דשה, quia cætera sunt similia. In utroq; loco verbum פוש usurpatur in pinguescendi notione, quod alioqui est sine exemplo. In utroque à vitulis ducitur similitudo, solum sexu mutato. Itaque hæc duo loca erunt omni ex parte parallela, si vitula דשה sit idem, quod vituli מרבק *marbek*, id est, si conveniat utraque vox in triturandi notione. Sed *vitulos marbek* dici vitulos, qui triturant, planè videbitur insolens, quia multo aliter sumunt prisci & novi Interpretes. Vox occurrit in quatuor Scripturæ locis. Primus est, 1. *Sam.* 28, 24. ubi mulier ἐγγαστρίμυθος legitur domi habuisse עגל מרבק *vitulum marbek*, quem Regi *Sauli* obtulit. Secundus *Jer.* 46. v. 21. ubi *Ægyptii* milites, qui in tam pingui solo educati, ipsi etiam farti, & pingues erant, leguntur esse כעגלי מרבק *ut vituli marbek*. Tertius *Amos* 6. v. 4. ubi proceres *Israelis* luxu & mollitie diffluxisse inter cætera exprobat *Propheta*, quod comedebant vitulos מתוך מרבק *è medio marbek* supple *eductos*. Quartus denique hic ipse locus, in quo versamur, *Malach.* 4. v. 2. *Et pinguescetis ut vituli* marbek. *Græcos* autem Interpretes non satis scivisse quid esset *vitulus marbek*, colligere est ex versionum inconstantia. Quot enim sunt Scripturæ loca, in quibus adhibetur hoc vocabulum, tot illius nova cudunt interpretamenta. Nempe in primo *vitulus marbek* illis est δάμαλις νομάς, *juvenca pascualis*. In secundo *vituli* marbek, μόσχοι σιτευτοί, *vituli saginati*. In tertio *vituli è medio* marbek, μοσχάρια ἐκ βουκολίων γαλαθηνά, *vituli ex armentis lactentes*. In quarto rursus *vituli* marbek, μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα, *vituli ex vinculis soluti*. Et hos ex parte sequutus *Hieronymus*, modò *vitulos pascuales*, aut *saginatos* reddit, modò *vitulos de armento*, aut *de medio armenti*. *Chaldæus* quoq; in *Samuele* habet עגל פטים *vitulum saginatum*. Sed in aliis tribus locis semper pro מרבק *marbek*, habet רבקא *ribka*, iisdem radicalibus, quamvis mutata forma nominis. Unde *Kimchio* מרבק *marbek*, vel רבקא *ribka*, est *locus saginationis*, uno verbo *saginarium*. Et *vituli marbek*, vel *ribka*, *vituli saginarii*, seu *saginati*, quod sequuntur recentiores. Hæc in genere, nunc conabimur aliquid de his vocibus docere magis præcisum. *Arabicè* بقرة *bacara* est bos, & رقبة *rakaba* collum. Ad utrumque videtur alludere ربقة *rabaka*, vel *ribca*, id est, *vinculum* propriè *in collo bovis*. Unde in *Alkamus* ربق Verbum est *bovis collum vincire*, & الربيقة *rabica* est bos, aut etiam aliud jumentum في الربقة in *ribka*, i.e. collum habens vinculo adstrictum. Unde

Unde ad alia transfertur. Nam & de ove legas ربق الضان *ovem collo devinxit*. Et de homine ربقته من عنقي *illum collo meo adstrinxi*. Et Metaphoricè de iis, qui promissorum nexibus tenentur obligati لكم الوفا بالعهد ما لم تاكلوا الربان *Vobis standum erit promissis, nisi colli vincula devoratis.* Et in aucupiis ارتبق الطير في حبالته *Avis collo adstricta est in laqueis ejus.* Quod aucupii genus *Græcis* fuit notissimum. E quo numero *Archia Poeta* laqueum hujusmodi vocat δειραχθὲς ἰύγγοχον ἅμμα πετεινῶν, *collo onerosum multis laqueis avium rete.* Et *Antipater Sidonius* πετεινῶν ἄρρηκτον δειραιονὶ δίνω, *infractum volucrium colli laqueum.* Item κλαγγερῶν λαιμοπέδαν γεράνων, *clangentium gruum gulæ laqueum.* Et alius apud *Suidam* δειραγχέας πάγας, *laqueos collum frangentes.* Proinde *Homerus, Iliad.* χ'. procorum pellices, quorum

Δειρῇσιν βρόχοι ἦσαν ὅπως οἴκτιστα θάνοιεν,

colli laquei erant, ut miserrime morerentur, cum turdis & palumbis confert, qui laqueo implicati sunt, collo nimirum adstricti. Constat igitur hactenus apud *Arabes* ربقة *ribka* esse *colli vinculum*, primò in bove, deinde καταχρηστικῶς in quovis animante. Sed *Hebræi*, hac in parte accurati magis, nonnisi de bove usurpant, itque cum ad areæ palum, aut columnam colle adalligatur, ut grana pedibus supposita trituret. Cujus ritus in *Talmudicis* libris non pauca sunt vestigia. Ut in Tractatu *Gittin* cap. 5. fol. 53. 1. פרה שהכניסה לרבקה על מנת שתינק ותדוש *Juvenca, quam inducit in ribkam, ut sugat, & trituret.* Et in *Bava Mesia* cap. 2. fol. 30. 2. Et in *Pesachim* cap. 2. fol. 26. 2. rursus de juvenca, הכניסה לרבקה ודשה *Inducit eam in ribkam, & illa triturat.* Et *Glossa* ad priorem locum, רבקה קופלא בלעז שמרבקים שלש בהמות או ארבעה בצואריהן זו אצל זו ודשים הדישה Ribka *vulgari lingua est copula, qua tres, aut quatuor pecudes collis suis simul junctas, devinciunt ad triturandum.* Et ad posteriorem, רבקה קופלא בלעז שקושרין ד' פרות ביחד Ribka *vernaculo sermone copula, qua quatuor juvencas simul vinciunt.* Et ad vocem ודשה, *& triturat*, eadem *Glossa*, ודשה תבואה עם חברותיה *Et triturat proventum cum sociis suis.* Et in Tractatu *Eruvin*. cap. 2. fol. 17. b. וכיניהן כמלא שתי רבקות של ג' בקר דברי ר' מ' ר' יהודה אומר של ד' קשורות *Et inter eas* (columnas areæ ad triturandum) *sit spatium duabus ribkis, quarum singula capiant tres boves juxta* R. Meir; *sed* R. Juda *dixit quatuor boves ligatos.* *Arabes* in tritura tres solum boves adhibent, quorum medius راكس *rachis* vocatur, & طاحن *tachin*, & هاد *had* (vel *hadin* Vocalibus additis) & extimus طايق *taik.* Alcamus, الراكس الثور الذي يكون في وسط البيدر حين يداس والثيران حواليه Rachis, *bos, qui est in media area cum tritura fit, & alii duo circa eum.* Reliqua videat apud eundem, qui harum rerum curiosus est. Nobis docuisse sufficit, quod probandum susceperamus, nempe voce רבקה *ribka*, *copulam* significari, vel *vinculum in collo boum, aut vitulorum, quo triturantes vinciuntur.* Porro מרבק *marbek*, idem est, quod רבקה *ribka*; ut ex *Jonathane* constat, in quo רבקא רבקה *ribka*, ter est pro מרבק *marbek*, ut jam ante notavimus. Itaque מרבק *marbek* à *R. Selomone* constanter *copula* redditur, *Jer.* 46. *v.* 21. *Amos* 6. *v.* 4. & *Malach.* 4. *v.* 20. Sed & *Græci Seniores Malachiæ* verba, ופשתם כעגלי מרבק *Et pingues fuistis, ut vituli* marbek, haud dubiè reddiderant, καὶ σκιρτήσετε ὡς μοσχάρια ἐκ δεσμῶν *Et saltetis ut vituli ex vinculis*, quibus scilicet in area devinciuntur, ut subsultando grana triturent. Sed additum ἀνειμένα, *soluti*, ex Glossemate; quia scribis imperitis, qui de tritura hîc agi non cogitabant, id videbatur absurdum, ut *ex vinculis saltare* dicerentur, nisi soluti. Omnino igitur vituli illi, qui in *Hebræo* textu dicuntur *vituli* מרבק *marbek*, & in *Chaldæo vituli* רבקא *ribka*, sunt vituli, qui in vinculis grana triturant, & eorum esu pinguescunt. Et *Jeremiæ* loco, *Pinguescetis, ut vitula triturans*, hic *Malachiæ* est parallelus, *Pinguescetis ut vituli* marbek. Rectè tamen reddideris, *ut vituli saginati*: qua figura Consequens ponitur pro Antecedente.

Alioqui boves pingues *Hebraicè* dicuntur בריאים *beriim*. Sic ad mensam *Solomonis* conferebantur in dies decem boves בריאים *beriim, pingues*, vel *domi saginati*, & viginti רעי *pascui*, seu *pascuales*, 1. *Reg.* 4. *v.* 23. Et speciosæ illæ vaccæ, quas per somnium vidit *Pharao*, sæpe vocantur בריאות *pingues* Genes. 41. *v.* 2. 4. 18. 20. Ἐκλεκτὰς, vel ἐκλεκτὰς LXX. reddunt; quia ברא quandoque est *eligere*, æquè ac ברה, ac ברר. Alii στερεὰς, *solidos*. Sed plerique meliùs *pingues*. Ut colligere est ex *Ezech.* 34. *v.* 20. ubi opponuntur שה בריה, & שה רזה, id est, *ovis pinguis*, & *ovis macra*. Ita vaccis *Pharaonis* visu formosis, & pinguibus opponuntur *aspectu fœda*, דלות *macilenta*, רקות *tenues*, & רקות בשר *exiles carne*. Nam hæc tria ferè idem sunt. Et רקות *rakkoth*, quod extra *Gen.* 41. nusquam in usu est, ex *Arabica* lingua notissimum est, quâ رق *rakka*, *tenuem esse*, & رقاق *rokak*, & رقيق *rakik*, *tenuem* sonat. Nihil frequentius in *Avicenna*, qui lib. 1. (a) in descriptione focilium brachii dicit, *Eorum superius, quod ad pollicem tendit*, ارق *arakko*, id est, *tenuius est.* Et paulo post, ورقق الوسط *Et tenuius factum est medium.* Et lib. 2. cap. 3. ubi de medicinis singularibus, *Cum earum quædam sunt frigidiores*, لكنه ارق *etiam sunt subtiliores.* Et statim لرقته *propter subtilitatem suam.* Et infra, *Cum separatur ab eo calor igneus*, رق *attenuatur.* Sic in *Pentateucho Erpeniano*, Exod. 30. *v.* 36. *Et contundes ex eo* رقيقا *minutum.* Et Exod 16. *v.* 14. رقيق مقشر *tenue decorticatum.* Et *Deut.* 32. *v.* 2. الشتا الرقيقة *pluvia minuta.* Et in hoc ipso loco *Genes.* 41. *v.* 3. *vaccæ* رقاق *tenues*, & *v.* 23. *spicæ* رقيقات *tenues.* Sed & *Syriacè* ܢܩܝܐ est *tenuis*, & ܢܩܝܘܬܐ *comminutio.* Et ὁ καιρὸς ἐλέ, *tempus*, *Hebraicè* dicitur רקה *λεπτότης*.

Multi מריאים *meriim, boves pingues* dici putant pro בריאים *beriim*, B & M permutatis. Alii à מרא deducunt, quod *Talmudicis saginare* est. Nec desunt, quibus boves מסכלים sunt *boves saginâ graves*, *Psal.* 144. vers. 14. Sed nos utrumque aliter explicavimus. Proinde superest, ut doceamus quid propriè sit אבוס *abus*, *Proverb.* 15. *v.* 17. ubi *Solomon* convivium olerum, in quo sit dilectio, præfert convivio bovis אבוס *abus*, in quo sit odium. *Theodotio* σιτευτὸν, *Chaldæus*, *Syrus*, *Hieronymus* reddunt *saginatum*. *Aquila*, qui vocum originationibus hæret mordicùs, reddiderat, ut quidem puto, βοῦν φατνιζόμενον, quasi pra-

præsepiatum dixeris, quomodo idem scripserat *Prov.* 14, 4. אבוס בר φατνιάζεται σῖτισμα. Nempe אבוס ebus, *præsepe*, & אבס abas, *saginare* sunt conjugata. Itaque שור אבוס propriè dicitur *bos, qui ad præsepe saginatur*. Ita malo, quàm quod *Talmudici*; quibus כמן אבוס est *pecudem tam copioso pabulo alere, ut fiat* כמין אבוס בתוך מעיה *tanquam præsepis species in medio visceruméjus*. Vox ita usurpatur in *Misna*, Tractatu *De Sabbatho* cap. 24. fol. 155. *b.* אין אובסין את הגמל ולא דורסין אבל מלעיטין *Non saginant* (ad præsepe camelum die Sabbathi) *neque cibum illi in os ingerunt, sed solum inserunt*. *Cibum in os ingerere* est דרס *daras*, quod videtur per Metathesim factum ex *Arabico* دسر *dasara*. Nempe دسر est *impellere*: ut, cum de ambaro dicunt *Ibnu Abas* & *Assaphius* in *Damire*, هو شيء دسره البحر اي لفظه *Res est, quam mare ad littus impellit, hoc est ejicit*. Pro لفظ *ejecit*, aliud exemplar absurdè habet لقط *colligit*, unius puncti situ mutato. Indè دسر transfertur ad *concubitum*, & ad *confossionem*, quæ hasta fit, aut telo quovis. Et دسار *disar* est *clavus*, *qui in lignum intruditur*. Et, quod maximè huc pertinet, دوسر *dausar* est *camelus obesus quia scilicet saginatur cibo in os impacto, & intruso*. Opponitur הלעיט, quod cibare est *solùm oblato cibo*, vel *aliquid cibandum, & delibandum offerre*. Sic *Esau Jacobo* dixit *Gen.* 25, 30. הלעיטני נא *Nunc mihi gustandum offer de hoc ruso*. *Græci*, Γεῦσαί με. *Onkelos*, & *Syrus* אטעמני, uterque *Arabs* اطعمني id est, *Da mihi gustandum*. *Aben Ezra*, *Kimchius*, & *Aquinas*, האכילני *Edendum mihi offer*. Melius quam *R. Selomo*, & *Talmudici*, quibus הלעיט quoque est *cibum in os ingerere*, sed *sola manu*, & *ita ut redire possit*. Neque enim verisimile est *Esavum* à *Jacobo* petiisse, ut sibi, tanquam infanti, cibus in os ingereretur. Et jumenta sic cibare cum sit valdè laboriosum, Doctores non concessissent, ut id fieret die Sabbathi. Cum neque tum licita fuerit האביסה *saginatio ad præsepia*, quæ minori labore impletur.

b Vide *Es.* 1, 3. & *Job.* 39, 9. al. 12.

(*b*) Non solùm bovis, sed & asini, & jumenti cujusvis præsepe est אבוס *ebus*. Sed רפת *rapheth*, est *bubile*. Sic *Habuc.* 3, 17. *Et non erant boves* ברפתים *in bubilibus*. *Græci*, & *Vulgatus*, ἐν ταῖς φάτναις, *in præsepibus*. *Arabs* quoque علي مذواد *super præsepia*. Syrus ܒܪܡܟܐ *in armentis*. Sed Magistri *bubilia* reddunt. Et veteres *Hebræos* sic usurpâsse docet *Kimchius*, & loca ex *Talmude* profert Cl. *Buxtorfius* in magno illo *Lexico*. Alludit *Arabicum* رفت *rapheth* pro *fœno*, quomodo scribit *Alcamus*. Quamvis frequentius legatur geminatum رف vel رفة quod تبن id est, *paleam*, reddit *Damir*, *De animalibus*, in ثغة Radix رف est *comedere*, & *pabulum carpere*.

Loca terræ *Chanaan* bubus compascua in Scripturis tria memorantur, *Basan*, *Saron*, & vallis *Achor*.

BASAN, Hebr. בשן, *Chald.* & *Syr.* מתנן & בותנן & בתנן & בתניא, *Arab.* بثنية Græcè *Josepho*, *Ptolemæo*, & *Stephano* Βαταναία, vel Βατανία, regio est trans *Jordanem* inter torrentes *Jabok* & *Arnon*, pascuis felicissima. Proinde *Gaditæ*, & *Rubenitæ*, qui pecore abundabant, hanc sibi dari postulant *Num.* 32. *v.* 4. quia est ארץ מקנה γῆ κτηνοτρόφος, *alendo pecori apta regio*. Et *Moses* laudat *agnos*, & *arietes filios* Basanis, id est, *Basane natos*, *Deut.* 32, *v.* 14. Ut *David* אבירי בשן, *tauros Basanis*, *Ps.* 22, 13. qui *Senioribus* sunt ταῦροι πίονες. *Aquilæ* λιπαροί, *Symmacho* σιτιστοί, *Vulgato*, & *Hieronymo*, *tauri pingues*, utrique *Arabi* ثيران سمان Et *Æthiopi* ሰንጦር፡ ስቡሓን፡ quod id ipsum est. Sic *Ezech.* 39, 18. pro מריאי בשן כלם *Merse* Basan *sunt illi omnes*, *Græci* habent Οἱ μόσχοι ἐστεατωμένοι πάντες, Vulgatus, *Et pinguium omnium*; Arabs عجول قوية Vituli robusti vos omnes. Et *Amos.* 4, 1. פרות בשן, *juvencæ* Basan, *Symmacho* sunt αἱ βόες εὐτροφοι. & *Hieronymo vaccæ pingues*. Nempe illo ipso auctore in *Es.* 33. *Basan interpretatur uberrima, & pinguis*. Quod tamen apud *Hebræos* nusquam reperi. Sed *Arabicè* بثنة dicitur ارض سهلة ولينة *solum planum*, *& molle*. Ita legitur in *Giauhari*. Et in *Alcamus* ارض اسهل وريدة *solum planum*, *& ferax*. Et ibidem additur البثنية *Batanæam* dici terram prope *Damascum* الحنطة الجيدة منها والرمل اللينة *in qua optimum est triticum*, *& arena mollis*. Inde *Basan* habere nomen mihi est persuasissimum. De cætero veteres pascua *Basan* mirè extollunt. *Hieronymus* in *Amos* 4. *Vaccas pingues de armento se esse noverint*, *sive quæ nutriantur in pascuis* Basan, *quæ sunt loca herbarum fertilissima*. *Theodoretus* ibidem, Δαμάλεις δὲ αὐτὰς τῆς Βασανίτιδος ὀνομάζει, ὡς ἀβροδιαίτους, καὶ χλιδῇ παντοδαπῇ κεχρημένας. Τοιαῦται γὰρ καὶ τῆς Βασανίτιδος αἱ δαμάλεις, διὰ νομῆς ἀφθονίαν σκιρτῶσαι. *Eas autem appellat juvencas* Basanitidis, *tanquam molliter viventes*, *& omnigeno luxu diffluentes*. *Ejusmodi enim erant vaccæ* Basanitidis, *ob pabuli copiam exultantes*. Scilicet, teste *Cyrillo* in eundem locum, χώρα ἡ Βασανῖτις εὔβοτός τι, καὶ εὐανθὴς, καὶ πολὺ λίαν ἐπιτηδείως ἔχουσα πρὸς τὸ δύνασθαι καταπιαίνειν ἀμφιλαφῶς τὰ ἐν αὐτῇ βοσκήματα. Basanitis *regio pascua*, *& florida est*, *& idonea imprimis ad pecora*, *quæ in ea pascuntur ubertim saginanda*. Apud *Tzetzem Chil.* 10. *Hist.* 306. Βασὰν κατά τινας Σκυθῶν λέγεται πόλις. Basan *juxta nonnullos* Scythopolis *esse dicitur*: magno errore. Aliud enim *Basan* regio, aliud *Bethsan* oppidum, quod *Græcè* Σκυθόπολις dictum est, non tamen à *Scythis*, ut volunt; sed quia spinæ genus שטה *scitta*, ibi crescebat affatim, ut alibi, cum bono Deo, docebitur.

SARON est regio campestris circa *Joppen* & *Lyddam*, de qua *Act.* 9, 35. Οἱ κατοικοῦντες Λύδδαν καὶ τὸν Σαρωνᾶν. *Arabs Erpenianus* صرفندة *Sarphandam* perperam reddit, id est *Sareptam*, quæ urbs est maritima inter *Tyrum* & *Sidonem* à *Joppe* remotissima. *Saronis*, aut *Saronæ* situm discere est tam ex *Lucæ* verbis, quæ citata sunt, quam ex his *Eusebii* in locis: *A Cæsarea* Palæstinæ *usque ad oppidum* Joppen, *omnis terra*, *quæ cernitur*, *dicitur* Sarones. Et *Hieronymi* in *Es.* 33. Saron *omnis juxta* Joppen Lyddamque *appellatur regio*, *in qua latissimi campi*, *fertilesque tenduntur*. Et in *Es.* 65. *In* Hebræo שרון Saron *ponitur*. *Omnis regio circa* Lyddam, Joppen, *&* Jamniam, *&c.* Sunt, qui *Saronis* nomen *campum* explicant ex *Symmacho*, qui *Es.* 35, 2. hæc *Propheta* verba, *decor Carmeli & Saron*, ita *Græcè* reddiderat, εὐπρέπεια τοῦ Καρμήλου καὶ τοῦ πεδίου. Quod sequutus *Hieronymus*, *Es.* 65, 10. pro *Sarone* habet *campestria*. Sed *Græci* δρυμὸν habent, id est, *sylvam*, propriè *quernam*, & *glandiferam*. Fortè ex *Græca* lingua, qua σαρωνίς est *quercus*. *Callimachus* Hymno in *Jovem*,

Ἠ πολλὰς ἐξ ὑγρὴν σαρωνίδας ὑγρὸς Ἰάων
Ηὐγάν - - - - -
Innumeras quercus liquidus producet Iaon
- - - - Desuper.

Et ibi Scholiastes, Σαρωνίδας, δρῦς. Et Plinius lib. 4. cap. 5. Sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, unde nomen, ita Græcia antiqua appellante quercum. Et forte Galli indidem Druides alio nomine Σαρωνίδας appellabant, ut auctor Diodorus lib. 5. p. 213. Nonnullis σαρωνίδες proprie sunt cavæ quercus, & propter vetustatem hiantes. Etymologus in Σαρώνιαι, καὶ σαρωνίδες, αἱ κοῖλαι δρῦς. Hesychius, Σαρωνίδες· πίτεαι, ἢ διὰ τὸ παλαιὸν κεχηνυῖαι δρῦς. Sed aliud Hebræis שרון saron, locus scilicet lati prospectus. Nomen est formæ שירין, & ירח, & לצון, à Verbo שור, quod prospicere significat. Prospectus porro nullibi patet latius, quam in campis apertissimis. Cyrillo in Es. 33. Saron Judææ locus est ὑπερτάτη μὲν ἔχων πεδία, πρὸς δὲ γε τὸ χρῆναι γηπονεῖν ἐπιτήδεια ὑπάρχοντα λίαν, campos habens arabiles, & ad agriculturam valde accommodos. Sed pascuos describit Hieronymus, cui hæc notiora fuere. Omnis regio Saron (inquit in Es. 65.) circa Lyddan, Joppen, & Jamniam apta est pascendis gregibus. Quo faciunt Scripturæ loca Es. 65, 10. Et erit Saron in caulam gregum. Et 1. Par. 27, 29. Et bubus pascentibus in Sarone præpositus fuit Sitrai Saronites. Agitur de Davidis Regis armentis, quæ ibi pascebantur, tanquam in campo uberrimo, & pascuis fertilissimo. Fuit & alius ejusdem nominis locus, de quo Eusebius in locis; Hodieque regio inter montem Tabor & Tiberiadis stagnum vocatur Saronas. Jos. 12, 18. ubi Vulgata Rex Saron, Hebræa habent מלך לשרון, Rex Lasaron. Chaldæus item, & Arabs, & Græci Βασιλέα Ἀσαρὼν, & Syrus ܡܠܟܐ ܕܢܫܪܘܢ Rex unus Nesron; L & N permutatis. Locus est à Sarone diversus. Neque enim L initiale Genitivi nota est, ut putavit Hieronymus, sed pars nominis. Sed ubi locorum fuerit, ignoramus juxta cũ ignarissimis. Regna, quæ ibi describuntur, aut urbes, aut oppida sunt, quorum nonnulla destruxit Josue, ita ut illorum vestigia frustra quærantur.

Superest vallis Achor, de qua Es. 65. v. 10. Et erit Saron in caulas ovium, & vallis Achor in cubile boum. Locus est ad Septentrionem Jericho, nec procul a Galgalis, ut docet Hieronymus in locis. Addit a regionis accolis usque hodie sic nominari. Theodoretus in Os. 2. v. 15. asserit Achar pro Achor in Syro legi: Τὸ Ἀχὼρ ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος Ἀχὰρ ἔχει. Nempe in ea valle Achan lapidibus oppressus est ܥܟܢ Achan, sed ܥܟܪ Achar. Quomodo etiam in Græca. Nam, utut Ἀχὰν legatur in Complutensi editione, & Parisiensi nupera, tamen reliquæ Ἀχὰρ habent. Et sic legerunt (b) Josephus, (c) Athanasius, (d) Basilius, (e) Lucifer, (f) Cyrillus, (g) Theodoretus, quam lectionem veram esse suadet, quod Esdras quoque eam sequutus, 1. Par. 2. v. 7. Filii, inquit, Charmi עכר עוכר ישראל Achar, qui turbavit Israëlem. Ut doceat nomen Achar ad Verbum עכר achar, alludere, quod turbare est. Quasi per allusionem ei dixerit Josue (b) מה עכרתנו יעכרך יהוה Cur turbasti nos? turbabit te Dominus. Unde vallis, in qua sceleris sui dedit pœnas, vocata sit Achor, vel Achar. Pro valle Achar, Jos. 7. v. 26. Arabs habet برج الافتضاح turrim vituperii. Sed pro برج legendum مرج pratum, aut pascuum, ut Jos. 15, 7.

b) Antiq. lib. 5. cap. 1.
c) Cont. Arian. Orat. 1. pag. 295. d.
d) Reg. brev. Quæst. 47.
e) Lib. De non parc. delinq.
f) De adorat. lib. 5.
g) In Ios. Quæst. 9.
h) Ios. 7, 25.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

De boum usu in aratione, tritura, plaustris, esu, &c.

Vegetii locus de bovis usu. I. Bos ad aratrum adhibitus. De aratri inventore varia sententia. Aratrum non unus monstravit, sed diversi in diversis locis. Deus illius primus auctor. II. Bovis usus ad trituram. Grana olim excussa quatuor modis. 1. Baculis, & flagellis, quod Græce dicitur ῥαβδίζειν. 2. Traha, vel trahea, facta ex tabula, ferro, aut lapidibus exasperata, quæ Hebr. dicitur morag. & Arab. naurag. Ratio nominis. In Ægypto ΠΕΣΤΗΡΙΟΝ. Lexicon Copt. emendatum. Idem Hebr. חרוץ charuts. A bubus trahebatur. 3. Plostello Punico, de quo Varro, & Patres in Esaiam. 4. Boum ungulis, quo alii sunt Mich. 4, 13. Id in usu apud Hebræos, Syros, Arabes, Ægyptios, Græcos, &c. Nec boum solum, sed & equorum, mulorum, &c. Boves cur triones dicti. Bos lassus fortius figit pedem. Mos in Asia hodieque durat. III. Plaustra trahunt. Plaustrum Cybeles. Primi inventores, Bacchus, & Ceres. Plaustrum boum Hebraice עגלה, Græcè ἅμαξα. Inde Hamaxobii. In Scythis qui ὀκτάποδες. Budini unde dicti. IV. Boves onera gestant. Contra, Cicero, & Horatius; & vetus Proverbium, Clitellæ bovi impositæ. Tamen feretro se sui mittunt, & homines dorso gerunt. Ampelus, Europa, & Hercules tauro vecti. V. Vituli in veterum deliciis. Bubula quoque in conviviis recepta. Et in mensa Solomonis, & Nehemiæ. Et Heroum apud Homerum. Tamen ab esu bovis multi veterum per superstitionem abstinuerunt. Athenis lex ea de re. Hujus vestigia in Dipoliis, & Buphoniis. Boves ænea demum, vel ferrea ætate cæsi. Romæ etiam par superstitio. His Dei verbum oppositum. VI. Bovis lac utilissimum, unde butyrum, & caseus. Butyri usus sero ad Græcos devenit. Cur in Cypro dictum sit ἔλαιον, & Hebraicè חמאה chemea. Hebræa casei nomina tria 1. חריצים Græcum τρυφαλίδες quid propriè. Formella, formatica, formagines. 2. שפות à colando. 3. גבינה à coagulatione. Ὄρος τυρούμενον, mons incaseatus. Caseus ex lacte bubulo majore copia. VII. Buccina ex cornu bovis. Idem Jobel, unde Jubilæus annus. Quid attollere cornu 1. Par. 25, 5. Cornu olei. Κέρας poculi genus, unde κεράσαι. Bacchus cur ταυρόμορφος. Xenophon emendatus. VIII. בקרת flagellatio ex loro bubulo.

DE bovis usu insignis est hic Vegetii locus in Prologo lib. 3. Veterin. Cuncta legumina, sive frumenta bobus meritò, aratrisque debentur. Vinearum ipsarum usus periret, nisi eorum adminiculis subvehendis carpenta sudarent. Quid de diversorum onerum comparatione referamus, dum inter mobilia, & quidquid gravius est, absque vehiculis pæne redditur immobile? Reliqua quoque animalia, ipsæque cohortales aves ex eorum capiunt labore substantiam. Unde enim equis hordeum, unde cibum canibus, unde porcis pabulum dominorum solertia ministraret, ni pararentur boum labore frumenta? Et, ne longum faciam, bobus debet alimenta quidquid ali potest. Apud alios genus mulorum, apud alios camelorum, apud paucos elephantorum licet exiguus usus est. Nulla potest natio esse sine bubus. Quæ, utut eleganter dicta, tamen minus

minùs accurata sunt. Bovis enim usus multò plures vel ex sola Scriptura colligi possunt. Horum alii communes sunt, alii sacri. In illis primus esto, quod ad aratra adhibetur. Sic *Job.* 1, 14. *Boves arabant, & asina pascebant juxta eos.* Et 1. Reg. 19. vers. 19. *Reperit* Elisæum *filium* Saphat *arantem duodecim jugis boum.* Et *Es.* 30, 24. *Boves etiam & asini, qui colunt terram.* Docuimus enim suo loco etiam asinis arari, qui tamen nihil ad boves. Proinde *Solomon* Prov. 14, 4. *Ubi desunt boves, præsepe mundum est* (id est, *vacuum*) *& proventuum copia pendet ex viribus bovis.* Hinc *Samson* eo alludens *Jud.* 14, 18. *Si non arâssetis vitulâ meâ, non invenissetis ænigma meum.* Et *Amos* cap. 6. versu 12. ut doceat res haudquaquam succedere, cum præposterè fiunt, *An current in petra equi? An ea bubus arabitur?*

Græcorum alii hoc inventum ad *Cererem* referunt, de qua *Orpheus*,

Ἡ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα,

Quæ prima junxit boum aratricem cervicem. Alii ad *Triptolemum*, tanquam ab ea edoctum. *Hyginus* Fab. 277. Ceres *boves domare, & alumno suo* Triptolemo *fruges serere demonstravit.* Neque alius apud *Poëtam*

- - - *uncique puer monstrator aratri.*

Alii ad *Buzygem* Heroem. *Plinius* lib. 7. cap. 56. *Bovem, & Aratrum* (invenit) *Buzyges Atheniensis; ut alii,* Triptolemus. *Hesychius*, Βουζύγης, ἥρως Ἀττικὸς, ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας· Buzyges, *Heros* Atticus, *qui primus boves aratro junxit.* Nec desunt, qui *Minervæ* tribuant, quæ Βοαρμία dicta fuerit à *Bœotis*, παρὰ τὸ συναρμόσαι, καὶ ζεῦξαι εἰς ζυγὸν, καὶ ἄροτρον, βόας. Ita veterum aliquis apud *Phavorinum.* Ab aliis creditur *Bacchus* primus esse hujus artis auctor: *Bacchus*, inquam, non *Semeles*, sed *Proserpinæ*, & *Jovis* filius, quem tradit *Diodorus* lib. 3. πρῶτον βοῦς ὑπ' ἄροτρον ζεῦξαι, τὸ πρῶτον ταῖς χερσὶ τὴν γῆν κατεργαζομένων, *primum boves sub aratro junxisse, cum antea homines nonnisi manibus terram colerent.* Addit ideo cornua à pictoribus, & *Poëtis* ipsi affingi. *Arrianus* quoque in *Indicis* asserit βόας ὑπ' ἀρότρῳ ζεῦξαι Διόνυσον πρῶτον, καὶ ἀροτῆρας ἀντὶ νομάδων ποιῆσαι Ἰνδῶν τοὺς πολλοὺς, Bacchum *primum aratro boves junxisse, &* Indorum *multos ex pastoribus aratores fecisse.* Neque ab eo diversum puto *Ægyptiorum Osirim*, cui idem inventum tribui tam ex *Plutarcho*, quam ex *Diodoro* constat. Unde *Servius* ad hæc *Poetæ*,

- - - *uncique puer monstrator aratri:*

Alii Triptolemum, *alii* Osirin *volunt.* In *Æschyli Prometheo vincto* hoc idem *Prometheus* ita sibi vindicat,

Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα
Ζεύγλαισι δουλεύοντα σώμασίν θ', ὅπως
Θνητοῖς, μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων
Γένοιτ'.

Et jumenta (id est, *boves*) *primus jugo subjeci, quæ jugi collaribus* (id est, *collis jugo insertis*) *& corporibus serviunt, ut homines à maximis laboribus sublevent.* In *Hispania* vetustissimus *Tartessiorum* Rex *Abides* boves primò aratro domari, frumentaque sulco serere docuit, ut *Trogus* auctor est lib. 24. Huc pertinere videtur *Abidis* nomen, aut cognomen potiùs, illi Regi, nisi fallor, inditum à *Phœnicibus Tartessi* jam olim incolis, ut alibi planum fecimus. Quia *Phœnicio* sermone עבד abad, *terram colere*, עביד abid, *agricolam*, עבודה abuda, *culturam terræ* significat. Itaque ut *Athenis* Βουζύγης, sic in *Hispania Abides* nomen habuit ab argumento. Sed, ut de aratri origine litem decidam, *Servio* calculum addo; ex cujus sententia *Non unus aratrum in toto orbe monstravit, sed diversi in diversis locis.* Nec est, quod *Græci* hoc inventū *Cereri*, aut *Triptolemo* adscribant, cum utroque antiquior *Moses* de agricultura leges tulerit. Ut cum arare vetat primogenito bovis, *Deut.* 15, 19. & bovem ad aratrum cum asino jungere, *Deut.* 22. *vers.* 10. Et ad cædis expiationem juvencam decollari jubet, quæ nondum araverit, neque sub jugo traxerit, *Deut.* 21, 3. Quid quod diu ante *Mosem Jobo* fuêre primò quingenta, deinde mille juga boum, & agricolatio multa, *Job.* 1, 3. & 42, 12. Proinde agriculturæ nullum alium auctorem agnosco, quam summum Deum, à quo hoc inventum exiisse disertè tradit *Esaias* in fine capitis 28; ut doceret se mirabilem esse consilio. Prima igitur artis rudimenta *Caino* cum inspirâsset, eodem auctore posteriores colophonem addiderunt, boum usi ministerio, quos homini subjecerat, ut legitur *Psal.* 8, 7. 8. Itaque γεωργίαν ὑπὸ ὑψίστου ἐκτισμένην, *agriculturam à summo Deo creatam* fuisse, *& institutam* verè ait *Sirachides* Eccles. 7, 15.

II. Secundus boum usus est ad trituram, de quo jam quædam à nobis observata sunt in explicatione vocum דשה *dasa*, & מרבק *marbek.* Sed, ut res plenius intelligatur, sciendum est, veteres grana quatuor modis excussisse, vel extrivisse. Primo enim virgis, & flagellis, ex folliculis excutiebant. *Columella* lib. 2. cap. 21. *Spicæ possunt per hyemem vel baculis excuti, vel exteri pecudibus.* Et infrà, postquam culmos tribula, vel trahâ comminui dixit, *Ipsæ autem spicæ meliùs fustibus tunduntur. Judæos* nonnisi debiliora semina sic excussisse suadent hæc *Hieronymi* in *Esaiam*, Gith, & *cyminum, quæ infirmiora sunt semina, non rotis plaustrorum teruntur,* &c. *sed virga excutiuntur, & baculo, quæ vulgò flagella dicuntur:* quæ ex ipso *Propheta* sumpta. Ita enim *Esaias* cap. 28, versu 27. *Quia* gith *tribula non trituratur, nec rota plaustri super cyminum volvitur: sed* במטה יחבט קצח וכמן בשבט *baculo* gith *excutitur, & cyminum virgâ.* Post quæ sequitur, panem, id est, triticum, ex quo fit panis, multò aliter, nempe rota plaustri esse conterendum. Itaque *Esaiæ* ætate vera fuit hæc *Hieronymi* distinctio. At olim grana quævis baculo excutiebantur. Ita *Jud.* 6, 11. *Gedeon* חובט חטים בגת *virgâ, vel baculo, excutiebat frumenta in torculari.* Id enim propriè חבט. Hinc *Græci* ῥαβδίζων σῖτον ἐν ληνῷ. Et *Ruth.* 2, 17. *Et collegit in agro ad vesperam usque,* ותחבט *& virga excussit quod collegerat:* ubi *Græci* rursus, Καὶ ἐράβδισεν ἃ συνέλεξε. Et *Kimchius* in *Judices*, חבט כמו דש אלא שהדישה בבהמות וחביטה במקל ומן כי תחבוט זיתך חובט במקל בגת להפיל הזיתים *Idem* חבט excutere, *quod* דש triturare, *nisi quod tritura fit per bestias, & excussio baculis. Ita* Deut. 24, 20. "Cum excusseris olivam "tuam, *baculo scilicet arborem cedens, ut olivæ in terram cadant.* De oleis tamen *Theophrastus*, (*De caus.* lib. 1, cap. 23.) Τὰ δένδρα λυμαίνοιτ' ἂν ῥαβδιζόμενα, *Arbores baculis percussi corrumperentur.* Proinde vult exspectari plenam olivarum maturitatem, ut ex arbore sponte decidant.

Secundò grana exterebantur quodam tribuli genere facto ex tabula lapidibus aut ferro asperata, quæ imposito auriga, aut pondere grandi, trahebatur jumentis junctis. Ita *Varro, Rust.* lib, 1. cap. 52. Hoc tribuli genus à *Columella traha* dicitur, & à *Virgilio* cum Epenthesi *trahea* à *trahendo*; quia non habebat rotas. Lingua sacra מורג *morag*, vocatur *Es.* 41. *v.* 15. pro מוגר *mogar*, per Metathesim, ut quidem puto. Nam גרר *garar*, est *trahere*, unde מוגר *mogar*, *traha* dicatur forma analogica: ut à רדד radad, *extendere*, מורד morad, *opus extensum* 1. Reg. 7, v. 29. Ex *Hebræo* מורג *morag*, factum est *Arabicum* نورج *naurag*, M & N permutatis. *Alcamus* نورج *naurag* definit *instrumentum ferreum, aut ligneum, quo fruges in area teruntur.* Lexicon *Copto-Arabicum Copticè* reddit ΠΙΑΣΤΗΡΙΟΝ, pro quo lego ΠΙΕΣΤΗΡΙΟΝ, id est, *pressorium instrumentum*, ἀπὸ τοῦ πιέζειν, *à premendo.* Suidas, Πιεστήριον,

erov, τὸ ἐκθλίβειν. Sed definitio ‡ מורג *morag*, non potest aliunde meliùs desumi, quam ex *Es.* 41. *v.* 15. ubi *Israelitis* dicit Dominus, *Ponam te* למורג חרוץ חדש בעל פיפיות *in novum* morag (seu *tribulum*) *incisum variis incisuris, ut montes triture, & comminuas, collesque ponas ut glumam.* A quibus incisuris vocatur etiam חרוץ *incisum*, ut nuper *Es.* 28. *v.* 27. Gith *non trituratur* בחרוץ *inciso*, id est, *tribulo.* Ita חריצי, vel חרצות הברזל sunt *tribuli ferrati*, 2. *Sam.* 12, 31. & 1. *Par.* 20. 3. & *Amos.* 1. *v.* 3. Boves autem hujusmodi tribulos traxisse colligitur ex 2. *Sam.* 24, 22. ubi *Arauna*, qui in area sua triturabat, offert Regi *Davidi boves suos ad sacrificandum,* המורגים *& tribula, & instrumenta boum pro lignis.*

Tertiò, plaustro rotis instructo ad triturandum utebantur. *Plostellum Pœnicum* vocat *Varro*, ubi suprà, tanquam à *Pœnis* inventum, qui ex *Chananæa* venerant. Et factum fuisse memorat ex assibus, seu asseribus dentatis cum orbiculis, id est, rotulis. Addit in eo aliquem sedisse, atque agitâsse quæ trahebant jumenta, & in *Hispania* citeriore, atque aliis locis ita fieri. *Hieronymus* etiam in *Es.* 25. *Sunt carpenta ferrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus; quæ stipulam conterunt, & comminuunt in paleas.* Et in *Es.* 28. *Quæ* (plaustrorum rotæ) *in serrarum similitudinem ferrea circumaguntur, & trahuntur super demessas segetes.* Item, *Triticum, de quo efficitur panis, rotis ferreis teritur, & omnis ejus stipula comminuitur in paleas.* Et *Cyrillus* in *Es.* 45. postquam in *Ægypto* triticum dixit boum ungulis triturari: *Alibi*, ait, ἁμάξαις χρώμενοι, καὶ τροχοῖς περισηρωμένοις, αὐτὸ δὴ τοῦτο μιμεῖσθαι καλῶς ἐδύναντο, *plaustris, & rotis ferratis utentes, id ipsum præstant.* Quin ab *Esaia* sæpe allusum ad hæc triturantium plaustra, si sequimur Interpretes. Ita enim habet *Græca* editio *Es.* 25, 10. Καλαπατηθήσονται οἱ Μωαβῖται, ὃν τρόπον πατοῦσιν ἅλωνα ἐν ἁμάξαις. Et Romana, *Triturabitur* Moab *sub eo, sicut teruntur palea in plaustro.* Et *Es.* 38, *v.* 27. Οὐδὲ τροχὸς ἁμάξης περιάξει ἐπὶ τὸ κύμινον, ubi *Romana*, *Neque rota plaustri super cyminum circuibit.* Et de pane, versu 28. *Neque vexabit eum rota plaustri.* Et *Es.* 41, *v.* 15. Ἐποίησά σε ὡς τροχοὺς ἁμάξης ἀλοῶντας. Et *Vulgata*, *Ego posui te quasi plaustrum triturans.* Neque multò aliter *Syra*, & *Arabica*. Sed, utut fatear me omnes locos, qui citati sunt, præstare nolle, tamen ipsum *Prophetam* de his plaustris egisse certus sum, *Es.* 28, 27. 28.

Quartò ab ipsis bobus, aut jumentis aliis grana obterebantur. quo hæc *Jeremiæ* pertinent, cap. 50. versu 11. *Pingues estis* כעגלה דשה *ut vitula triturans.* Et *Os.* 10, 11. Ephraim *vitula est, quæ assuevit, & amat triturare.* Et Lex *Mosis*, Deut 25, 4. *Trituranti bovi os non obligabis.* Fortasse etiam quatuor (a) loca de vitulis מרבק *marbek*, quæ suprà explicavimus. Eâ enim voce docuimus significari vincula, quibus vituli triturantes alligantur. Neque dubium, quin Deus ad hunc morem alludat, *Mich.* 4, 13. *Tritura*, inquit, *filia* Sion, *quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.* Hunc verò triturandi morem olim in usu fuisse apud *Hebræos*, *Syros*, & *Arabes* capite præcedenti probavimus. Nunc ecce idem de *Ægyptiis* apud *Cyrillum* in *Es.* lib. 3. tom. 5. Αἰγυπτίων μὲν παῖδες συμφορήσαντες ἐξ ἀγρῶν ἐπὶ τὴν ἅλωνα δράγματα, εἶτα βοῦς ἐπαφιέντες αὐτοῖς, καὶ ἐν κύκλῳ περικομίζοντες, καταλεπτύνουσι ταῖς χηλαῖς τὰς ἀστάχυς (lege ἀστάχυας) Ægyptiorum *filii*, *comportatis ex agro in aream manipulis, his deinde boves immittunt, & circumagunt, ut spicas ungulis comminuant.* Græcorum quoque vetustissimos boum operâ idem præstitisse hæc *Homeri* doceant *Iliad.* ν'.

Ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους,
Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ,
Ῥίμφα τε λέπτ' ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ' ἐριμύκων.

Ut cum boves mares, latis frontibus, jungit aliquis, ut in rotunda area album hordeum obterant, & sub mugientium boum pedibus grana statim tenuia fiunt. Callimachus Hymno in *Cererem*, hoc inventum illi tribuens, canit,

- - ὡς καλάμαν τε, καὶ ἱερὰ δράγματα πρᾶτα
Ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι.

quomodo calamum, & spicarum sacros manipulos prima absciderit, & boves calcatum immiserit. Xenophon in *Oeconomico* docet accuratius qua ratione id factum fuerit, cùm τὰ ὑποζύγια, id est, *jumenta* dicit πατεῖν τὸν σῖτον ἐλαυνόμενα *frumentum obterere, cum stimulantur.* Et his adesse τοὺς ἐπιστάτας, *tritura moderatores*, qui στρέφουσι, καὶ ὑπὸ τοὺς πόδας ὑποβάλλοντες τὰ ἄτριπτα, ἀεὶ δῆλονότι μάλιστα ὁμαλίζοιεν ἂν τὸ δεινὸν, καὶ τάχιστα ἀνύτοιεν, *qui vertunt, & pedibus subjiciunt ea, quæ trita non sunt, ut duriora nimirum æquè obterantur, ac celerrimè perficiantur.* Interim ne quis ab eo putet solos boves intelligi, *jumenta* hic vocari dicit βοῦς, ἡμιόνους, ἵππους, *boves, mulos, & equos. Varro* quoque boum speciatim in hoc negotio non meminit, sed jumentorum in genere. *Apud alios*, inquit, *exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod ungulis è spica exteruntur grana.* Et, si creditur *Columella* lib. 2. cap. 21. *Nihil dubium est, quin equis melius, quàm bubus ea res conficiatur.* Sed, ut *Judæi*, *Syri*, *Arabes*, *Ægyptii*, & *Græci* apud *Homerum*, ita *Romani* veteres boum operâ potissimum videntur grana trivisse, atque à terendo *triones*, quasi *teriones*, appellitâsse. Quin illud *Hieronymi*, *Bos lassus fortiùs figit pedem*, videtur ex *Comicorum* aliquo sumptum, qui de bove triturante usurpaverit. Alioqui enim nihil refert quàm fortiter bos pedem figat. Sic triturandi morem in *Asia* hodieque retineri probat *Drusius* in *Micheam* ex his *Leunclavii Turcic.* pag. 234. *Solent illarum regionum incolæ, postquam demessa fruges sunt, non domum eas ex agris, more nostro, granis nondum excussis, in horrea convehere: sed in aream quandam sub dio comportare; deinde, sparsis per aream manipulis frugum, boves, & bubalos immittunt, qui dum pedibus subjectas proterunt, aristis grana nullo negotio excutiuntur.* Idem ab illis *Tartaris* usurpari, qui circa *Volgæ* ostia degunt, asserit *Olearius*, testis αὐτόπτης, idemque ἀξιοπιστότατος, *Moscoviticis*, & *Persici* itineris lib. 4.

III. Tertius boum usus est, quod plaustra trahunt, de quo sæpe Sacri Scriptores. Sic *Num.* 7, 3. *Et adduxerunt oblationem suam coram Domino, sex plaustra camerata, & duodecim boves*, qui scilicet bijuges singula plaustra traherent. Proinde vers. 7. & 8. dantur *Gersonitis* duo plaustra, & quatuor boves. & *Meraritis* quatuor plaustra cum octo bobus. Et 1. *Sam.* 6, 7. *Facite plaustrum novum, & accipite duas juvencas fœtas, quibus nunquam impositum sit jugum, ut eas jungatis illi plaustro.* Et 2. *Sam.* 6, 3. 6. *Imposuerunt arcam Dei plaustro novo*, &c. *Et boves in luto hæserunt.* Sæpe etiam profani. *Smyrnæus* lib. 6.

Ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ ζυγλῇσι βόες μέγα κεκμηῶτες
Δουράτεον ἐρύουσι περίσσῳ μαιμώωντες ἀπήνην·

Ut cum boves sub jugo valde laborantes ligneum porrò nitendo plaustrum trahunt. Veterum epigrammata in amnis concreti descriptione,

Quà ratis egit iter, juncto bove plaustra trahuntur.

Item,

Plaustra boves ducunt, quà remis acta carina est.

Cybele, mater Deûm, è *Phrygia* navi advecta, hujusmodi plaustro *Romam* invecta est, *Ovid. l.* 4. *Fast. v.* 343.

Ipsa sedens plaustro portâ est invecta Capenâ;
Sparguntur junctæ flore recente boves.

Bacchus & *Ceres* putantur primi boves plaustro junxisse. *Tibullus* lib. 2. *Eleg.* 1.

Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Servitium, & plaustro supposuisse rotam.

Tale

a) 3. *Sam.* 28, 24. *Ier.* 46. 21 *Amos* 6, 4. *Malach.* 4, 2.

Tale plaustrum *Hebraeis*, & *Syris*, עגלה *agala*, vocatur, & *Arabicè* عجلة *egela*, non *à rotunditate*, ut volunt, sed quia illud trahunt עגלים *agalim*, id est, *vituli*, seu *boves*. Quod his verbis me docuit *Alcamus*, العجلة الالة التي يجرها الثور, Egela, *plaustrum, quod trahunt boves*. Proinde *Hebraeum* עגלה, *Graeci* Interpretes ἅμαξαν constanter reddunt, id est, *plaustrum, cui junguntur boves*. Quamvis enim ἅμαξα saepe sumatur latiùs, tamen id propriè sonat, ut ἅρμα *mularem currum*. Vetus aliquis *Scholiastes* in *Phavorino*, Ζεῦξαι, τὸ τὰς βόας εἰς ἅμαξαν ἄξαι, ἢ ἡμιόνους εἰς ἅρμα. Unde *Hamaxobii* dicuntur *Scythae*, qui pro domibus plaustra boum habent. Et ὀκτάποδες, quotquot domini sunt δύο βοῶν, καὶ ἁμάξης μιᾶς, *boum duorum, & plaustri unius*. Ita *Lucianus* in *Scytha*. *Budini* quoque gens *Scythica*, si Veteribus credimus, ἀπὸ τὸ δύνειν ἐπάνω ἁμαξῶν ὑπὸ βοῶν ἐλαυνομένων, *quia circumeunt vecti plaustris a bobus actis*. Ita *Stephanus* ex *Parmenione Byzantio*. *Scythica* haec plaustra *Ovidius* passim describit, ut *Trist.* lib. 3. *Eleg.* 10.

Ducunt Sarmatici *barbara plaustra boves*.

Et *Eleg.* 12.

Stridula Sauromates *plaustra bubulcus agit*.

Et *De Ponto* lib. 4. *Eleg.* 7.

Ipse vides, onerata ferox ut ducat Jazis
Per medias Istri *plaustra bubulcus aquas*.

IV. Quartò, boves etiam onera gestabant 1. *Par.* 12. *v.* 40. *Panem afferebant in asinis, & camelis, & mulis, & bobus*. Quibus haec *Tullii* opponi queant *De Nat. Deorum* lib. 2. *Quid de bobus loquar, quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata?* Et Proverbium vetus ex eodem (b) *Tullio*, (c) *Quintiliano*, & (d) *Ammiano*; *Clitella bovi imposita, planè non est nostrum onus*. Cui non absimile hoc *Horatii* lib. 1. *Epist.* 14.

b) Lib. 5. ad Attic. Epist. 15. c) Lib. 5. d) Lib. 16.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Quasi ut arare ab equo, ita dorso vehere à bove tum fuerit alienum. Agitur enim de iis, qui, suâ sorte non contenti, alienam semper appetunt. Sed, utut bos ad arandum potius sit natus, quam ad vehendum, tamen eum ad vecturas non esse prorsus inutilem docet experientia. Hinc *Aelianus*, *Hist.* lib. 7. cap. 4. tauros ait feretro se submittere, & puerum, aut puellam cervice, dorso mulierem gestare. Et *Phile* cap. 46.

Πάγχρηστον ἡ βοῦς, καὶ κομίζει φορτία·
Ad omnia aptus bos, onera etiam gerit.

Hinc in fabulis *Ampelus*, puer *Baccho* charus, taurum conscendit,

Καὶ θρασὺς ἱζάνε κύρτῳ ὑπὲρ βοέοιο μετώπου·
Et audax sedebat puer super bovina fronte. Ita *Nonnus* *Dionys.* lib. 11. versu 167. Atque ut Poetae *Europam*, ita *Romani* Histriones *Herculem* tauro vexerunt. Liber *Spectaculorum*, *Epigr.* 16.

Vexerat Europen *fraterna per aequora taurus:*
At nunc Alcidem *taurus in astra tulit*.

Et hoc ipso, quod *Solomon* aeneo mari boves pro Atlantibus supposuit, docuit hoc animal ad gestanda onera non esse prorsus inhabile. Nec in *India* hodieque quidquam est frequentius, quam boves videre gerulos.

V. Quintò, vituli non solùm in cibis, sed & in deliciis veterum *Hebraeorum* fuerunt. Hinc *Abraham* apponit Angelis *vitulum tenerum, & bonum*, Gen. 18. v. 7. Et Regi *Sauli Pythonissa* mactari jubet עגל מרבק *vitulum marbek*, seu *triturando saginatum*, 1. *Sam.* 28. v. 24. Nec paterfamiliâs in parabola quidquam habet lautius, quo resipiscentem filium excipiat, quàm vitulum saginatum, *Luc.* 15. *v.* 23. Quò faciunt haec *Jerem.* 31. *v.* 12. *Confluent ad bona Domini, ad frumentum, mustum, & oleum, & ad foetus boum, & ovium*. Et *Amos* 6. *v.* 4. *Comeditis agnos ex grege, & vitulos* מתוך מרבק *ex medio marbek*, id est, cibos quosque selectissimos. Neque vitulina solum, sed & bubula tum fuit in conviviis recepta. Exempla vide 1. *Reg.* 1. *v.* 9. & 19. 21. & 1. *Paral.* 12. *v.* 40. & 2. *Par.* 18. *v.* 2. & *Esa.* 22. *v.* 13. Itaque *Prov.* 15. *v.* 17. conviviolo ex olusculis opponitur convivium משור אבוס *ex bove altili*, tanquam tenuissimo lautissimum. Et *Matth.* 22. *v.* 4. Rex, regni sui Proceres ad filii nuptias vocans, Οἱ ταῦροί μου, inquit, καὶ τὰ σιτιστὰ τεθυμένα, *Tauri mei, & altilia mea mactata sunt*, id est, tauri mei altiles, per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Proinde in quotidianis *Solomonis* & *Nehemiae* cibariis censentur boves 1. *Reg.* 4. *v.* 23. & *Nehem.* 5. *v.* 18. In *Homericis* Heroibus eandem frugalitatem Veteres pridem observârunt. In his *Socratis* discipulus *Dioscorides*, qui scripsit τοὺς παρ' Ὁμήρῳ νόμους, *Homerum* notat neque in festis, neque in nuptiis, neque in ullo alio conventu quidquam apponere praeter bubulam: quamvis *Agamemnonem Graecorum* Optimates convivio excipientem saepe introducat, & *Menelaum Hermiones*, filiique, & filiae nuptias celebrantem. Addit eundem hospiti suo *Telemacho* tantùm offerre νῶτα βοὸς, *terga bovis*. Quomodo *Ajaci Agamemnonem*, atque etiam *Nestori* seni. *Nestor* quoque, cum multos convivas invitâsset, *Aliquis*, inquit, πεδίονδ' ἐπὶ βοῦν ἴτω, *in campum ad bovem eat*. Quid quod *Alcinous Ulyssi*, & delicatis illis *Phaeacibus* tales apponit mensas? Neque aliis cibis proci vescuntur in domo *Penelopes*, quamvis omnium hominum maximè voluptati dediti. Haec pluribus persequitur *Dioscorides*, quem diximus, unde quaedam excerpsit *Athenaeus* libro primo, sed multò plura *Suidas* voce Ὅμηρος.

Constat tamen multos Veterum ab esu bovis per superstitionem abstinuisse. Nam, ut *Aegyptios*, & *Phoenices* taceam, qui, auctore *Porphyrio*, humanis vesci carnibus, quam vaccam morsu attingere maluissent: *Barcaeosque*, & *Cyrenaeos*, & pastoritios *Afros*, inde ab *Aegypto* usque ad *Tritonidem* lacum, quos ab esu vaccae abstinuisse testatur *Herodotus*: & apud *Phrygas* morte mulctatum fuisse, quisquis bovem aratorem interfecisset, ut est in *Aeliano*, *Hist.* lib. 12. cap. 34. *Athenis* quoque, & in *Peloponneso* id olim fuit prohibitum. *Varro*, *Rust.* lib. 2. cap. 5. *Hic socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset. Qua in re testis* Attice, *testis* Peloponnesos. *Atticam* ea de re legem citat *Aelianus*, *Var.* lib. 5. c. 14. Βοῦν ἀρότην, καὶ ὑπὸ ζυγὸν πεπονηκότα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. *Bovem aratorem, & sub jugo laborantem cum aratro, vel cum plaustro, ne mactanto; quia ille etiam est agricola, & hominum in laboribus socius*. Quo alludens *Plato* lib. 6. *De Legibus*: ἔτι οὐδὲ βοὸς ἐτολμῶμεν γεύεσθαι, *cùm ne bovem quidem gustare audebamus*. Meliore scilicet saeculo lex illa antiquata est. Tamen hujus vestigia manebant in *Diipoliorum*, & *Buphoniorum* festis, quibus, mactato bove, ensem damnabant, tanquam caedis auctorem. Ita *Aelianus*, *Var.* lib. 8. cap. 3. Et aureae, vel argenteae aetatis homines tale quid perpetrâsse *Poeta* negant. Sed aenea, inquit *Aratus*,

- - πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων,
boves aratores primi gustârunt. Alii ad ferream usque descendunt, ut *Cicero* lib. 2. *De Nat. Deor.*

Ferrea tum verò proles exorta repente est,
Ausaq́ue funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum, domitumq́ue juvencum.

Nisi *ferream* vocet, quia ferrum tum inventum est. *Germanicus* in *Arateis*,

Aerea sed postquam proles terris data, &c.
Ferriq́ue invento mens est laetata metallo,
Pollutus & taurus mensas assuetus aratro.

Eodem pertinent haec summi *Poetae* lib. 2. *Georg.*

Ante

Ante etiam sceptrum Dictæi *Regis, & ante*
Impia quàm cæsis gen. est epulata juvencis.

Itaque *Domitianus*, cùm inter initia imperii à cæde maximè abhorreret, hujus *Virgiliani* versus memor, edicere destinavit, ne boves immolarentur. Hæc *Suetonius* cap. 9. Si *Plutarcho* credimus lib. 2. *De carnium esu*, prisci mortales in fera & malefica animalia grassari cùm incepissent, ab illorum esu paulatim crescens licentia ἐπὶ βοῦν ἐργάτην ἦλθε, καὶ τὸ κοσμοῦν πρόβατον, καὶ τὸν οἰκουρὸν ἀλεκτρυόνα, *ad bovem aratorem devenit, & ad ovem, quæ nos ornat, & ad gallum domûs custodem.* Apud *Plinium* lib. 7. cap. 56. *Animal occidit primus* Hyperbius Martis *filius*, Prometheus *bovem.* Itaque, *Pythagoras* sui sæculi homines ab animalium cæde absterrens, hoc potissimùm urget apud *Poetam, Metam* lib. 15.

Quid meruêre boves, animal sine fraude, doloq;,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
*Immemor est * demum, nec frugum munere dignus,*
Qui potuit, curvi dempto modo pondere aratri,
Ruricolam mactare suum, qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat annum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.

* Malim Divûm.

Et paulo post,

Cumq; boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite, & sentite colonos.

Quin, apud *Laërtium*, *Aristoxenus*, *Pythagoram* scribit cætera omnia animalia in cibum permisisse, μόνον δὲ αὐτὸν ἀπέχεσθαι ἀροτῆρος βοὸς, καὶ κριοῦ, *nec nisi a bove aratore, & ariete abstinuisse.* Neque veteres *Romanos* ab hac superstitione fuisse prorsus immunes ex his *Plinii* colligas lib. 8. cap. 45 *Damnatus à populo* Romano, *die dictâ, qui, concubino procaci rure omasum se edisse negante, occiderat bovem: actusq; in exilium, tanquam colono suo interempto.* Hinc *Columella* de bove in *Præfat* lib. 7. *Cujus tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capitale esset bovem necasse, quam civem* Sed his, præter exempla Sanctorum, *Abrahami, Elisæi, Josiæ*, & aliorum, qui boves in cibum adhibuerunt, Dei Legem opponimus, cùm generalem *Gen.* 9. *v.* 3. *Omne quod movetur, & vivit, vobis erit in cibum:* tum specialem *Deut.* 14. *v.* 4. *Hæ sunt bestiæ, quas comedetis, boves, fœtus ovium*, &c. Non peccant, qui creaturas ad illum usum referunt, propter quem à Deo creatæ sunt.

VI. Sextò, bovis quoque lac est utilissimum, ex quo butyrum, & casei fiunt. *Deut.* 32. *v.* 13. 14. *Dat ei sugendum*, &c. חמאת בקר *butyrum bovis.* 2. Sam. 17. *v.* 29. *Et mel, & butyrum, & oves,* ושפות בקר *& caseos bovis* Davidi *afferebant.* Esa. 7. v. 21. 22. *Et erit in die illa, ut quisquis servaverit buculam unam, & duas oves, præ copia lactis, quod proveniet, butyro vescatur.* Nempe ob id ipsum terra *Chanaan* toties dicitur *lacte manare*, quod in eâ pecora proventu lactis uberrimo dominum suum ditabant. Butyri usum, apud *Hebræos* antiquissimum, ad *Græcos* serò admodum devenisse probamus in Tractatu *De ovibus.* Et *Græcè* βούτυρον, id est, *bubulum caseum*, minus apte vocari, cum à caseo res diversa sit, & tam ex ovillo, & caprillo lacte, quam ex bubulo fiat. Fortasse etiam butyri *Cyprium* nomen ἴλφος, *à bove* sumptum, quem *Phœnices* ἄλφα vocârunt & *Hebræi* אלוף *alluph*, vel אלף *eleph*, unde Plurale אלפים *alaphim.* Itaque duo hæc nomina non videntur satis patuisse. At *Hebraicè butyrum* rectè dicitur חמאה *chemea*, cùm *Arabicè* خما chama *de lacte condensari, & concrescere* significet, scilicet *in modum butyri.* Porro vocem חמאה *chemea*, pro *butyro* constanter usurpant Sacri Scriptores, ubicunque de eo agitur, decem scilicet locis, nisi quod, *Aleph* eliso, חמה *chema*, legitur *Job.* 29. *v.* 6. At casei mentio cum in Scriptura solum ter fiat, hujus tria occurrunt nomina, quæ libet hic excutere, quia non satis intelliguntur.

Primum est חרץ *charits*, unde חריצי החלב 1. *Sam.* 17. *v.* 8. *Græci* reddunt τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος. Et *Hesychio* τρυφαλίδες sunt τὰ τμήματα τοῦ ἁπαλοῦ τυροῦ, *casei mollis segmenta.* Quod *Hebræum* prorsus exprimit. Nam חרץ *charats*, est *secare. Græci* συντέμνειν exponunt *Proverb.* 21. *v.* 5. *Esa.* 10. *v.* 23. & 28. *v.* 22. *Dan.* 9. *v.* 2. &c. Inde igitur deductum חריץ *charits*, est τμῆμα, *segmentum. Arabes*, quibus solenne est ح & ک permutare كريص vocant *mollem caseum.* *Vulgatus* habet *formellas casei*; minùs propriè: quia *formellæ*, id est, τάλαροι, seu *fiscellæ*, ex quibus caseus exprimitur, aliud sunt ab ipso caseo. Sed illi interpreti *formellas casei* credibile est idem fuisse, quod *caseos ex formellis, seu fiscellis expressos.* Qui proinde barbaris seculis *formatica* dicti sunt, & *formagines.* Itaque in *Aristotele*, pro *Græca* voce τρυφαλίδας, *formagines* dixit *Gaza*, *Hist. anim.* lib. 3 c. 20. Ad casei formas, seu fiscellas pertinent hæc *Gregorii Nazianzeni* Carm. 4.

Τοῖς μὲν ἐγὼν ἁπαλὴν πλάσθην φρένα, καὶ νεόπηκτος
Οἷα τυρὸς, ταλάρῳ λάμβανον αἶψα τύπον

Per hæc mens tenera mihi effecta est, & , ut caseus nuper coagulatus, fiscellæ formam protinus sumpsi. Et Carm. 49.

Ὡς τυρὸν πλεκτοῖσιν ἐειδόμενον ταλάροισιν.

Ut caseum flexis fiscellis similem. Vide plura in *Hesychio*, in vocibus ταρσοὶ, ταρσὸς, & ταρσῶται.

Secundum *caseorum* nomen est שפות *sapboth:* ut 2. *Sam.* 17. *v.* 29. ושפות בקר *& caseos bovis*, id est, *ex lacte bubulo.* Pro quo *Græci*, καὶ σαφὼθ βοῶν, *Hebræam* vocem, tanquam ignotam, nudè exscribentes. *Complutensis*, ex aliquo veterum, puta ex *Aquila*, *Symmacho*, &c. γαλαθηνὰ μοσχάρια, *lactentes vitulos*; Vulgatus, *pingues vitulos*; Arabs, *lac bovis.* Sed *Chaldæus*, *Syrus*, & *Hebræi* omnes, *caseos.* Quos puto שפות *saphoth*, appellari; quia שפה *sapha*, *Hebrais*, & *Chaldæis*, inter cætera, *colare*, vel *percolare* significat. Caseus autem non aliter fit, quàm lac percolando, ut serum effluat. Hinc *Job.* 10. *vers.* 10. *Nonne sicut lac me percolâsti, & sicut caseum me coagulâsti?* Et *Tibullus* lib. 2. *Eleg.* 3. de fiscella, in qua fit caseus,

Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,
Raraq; per nexus est via facta sero.

Tertium *casei* nomen גבינה *gebina*, in loco *Jobi*, quem nuper citavimus, ex *Hebræa* lingua ignotum, ex *Chaldæis*, *Syris*, & *Arabibus* notissimum est. *Chaldæis* enim, & *Syris* גובנא *gubna*, & *Arabibus*, جبنة *giubna* est *caseus.* Et *coagulare* Talmudicis גבן *gibben*, & *Arabibus* اجبن agbana: *coagulari* ܐܬܓܒܢ *ethgeban* in *Psalterio Syro*, & تجبن *thegiabbana* in *Arabico* edito *Parisiis*, Psal. 118. v. 70. Rursus *Psal.* 68. *v.* 16. pro *Hebræo* הר גבננים *mons gabnunim*, *Græci* habent ὄρος τετυρωμένον Vulgata, *montem coagulatum*; Psalterium vetus, *montem incaseatum*; Hilarius, *montes caseatos*; Arabs, الجبل المجبن omnes eodem sensu. Sed *Hieronymus* melius, *montem excelsum*; quod sequuntur *Hebræi* omnes: quia גבן gibben, *gibbosum* sonat *Levit.* 21. *v.* 20. Et in celsis montibus vertex eminet quomodo gibbus in dorso. Inde ܓܒܝܢܐ *gebina* Syris *cacumen*, *vertex.* Ita *Lucæ* 4. *vers.* 29. ܠܓܒܝܢܐ ܕܛܘܪܐ *in cacumen montis.*

Caseus tam fit ex ovillo, & caprino lacte, quàm ex bubulo, sed ex bubulo majore copia. *Aristoteles*, *Histor.* lib. 3. cap. 20. Ἔχει δὲ πλεῖω τυρὸν τὸ παχύτερον τῶν γαλάκτων, *Plus casei habet illud lac, quod crassius est.* Et paulo post, Παχύτερον δὲ τὸ βόειον. *Bubulum autem est crassius.* Et infra, Ἐστι δὲ τυρὸς πλεῖον ἐν τῷ

βοείῳ,

βοείῳ, ἢ ἐν τῷ αἰγείῳ· γίνεσθαι γάρ φασιν οἱ νομεῖς ἐκ μὲν ἀμφορέως αἰγείου γάλακτος τρυφαλίδας ὀβολιαίας μιᾶς δεούσας εἴκοσιν, ἐκ δὲ βοείου τριάκοντα. *Casei plus est in bubulo lacte, quam in caprino: pastores enim ex amphora caprini lactis caseos obolares undeviginti fieri tradunt; ex bubulo autem* (pari mensurâ) *triginta.* Itaque bubulum caprino triente, & ampliùs, hac in parte, fertilius est.

VII. Septimò, bovis cornua in buccinarum usum inserviunt. *Varro, De Ling. Lat.* lib. 4. *Cornua dicta, quod ea, quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu.* Dionysius Halicarn. *lib.* 2. Τοὺς δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον, *Plebeios ministri quidam bubulis cornibus buccinantes ad concionem convocabant.* Itaque, cum dicitur *Psal.* 98. *vers.* 6. *Tubis,* וקול קרן *& sono cornu clangite coram Rege Domino:* cornu nullum aliud, quam bubulum intelligo. Ut neque in his *Jos.* 6. *v.* 5. במשך בקרן היובל *cum tractim sonabitur cornu jobel,* seu *jubilationis.* Eos enim, qui cornu arietum hic significari contendunt, nulla ratione niti, suo loco docebo. Eodem refero, quod 1. *Paral.* 25. *v.* 5. filii *Heman* à Deo constituuntur להרים קרן *ad attollendum cornu*, id est, ut, statis temporibus, corneis tubis altâ voce buccinent. Ut cùm de iisdem dicitur 2. *Par.* 8. *v.* 13. וכהרים קול בחצצרות *Cum attollerent vocem in tubis.* Et *Esa.* 58. *v.* 1. כשופר הרם קולך *Attolle vocem tuam sicut tubam.* Fateor alios interpretes, quotquot videre licuit, in diversissima abire: quasi elatio cornu ibi sumatur pro roboris exaltatione, ut passim. Sed locum attentè legenti patebit aliena hæc esse, & præter mentem Sacri Scriptoris. Etiam in *Daniele* קל קרנא *vox cornu* pro buccinæ sono sumitur aliquoties, ut *Dan.* 3. *v.* 5. *v.* 10. Et שופר, seu *tubam*, *Græci* Interpretes κερατίνην, id est, *corneam buccinam*, reddunt duodetriginta locis. Sed & *bubulum cornu* significari puto, cùm *cornu pro vase* adhibetur; ut 1. *Sam.* 16. *v.* 1. *Imple cornu tuum oleo.* Et vers. 13. *Tulit ergo* Samuel *cornu olei.* Et 1. *Reg.* 1. *v.* 39. *Sumpsitque Sacerdos cornu olei de tabernaculo.* *Arabs* in Samuele habet وعا *vas*, id est, genus pro specie. Apud *Græcos* κέρας *cornu* in poculis fuit; ut *Athenæus* multis docet, & *Nicandri Scholiastes* in *Alexipharmaca*. Inde est, quod κεράσαι *miscere* significat, & *temperare* potum. Et quod *Bacchus* fingitur esse ταυρόκερως. De hujusmodi poculis apud *Thraces* in usu vide *Xenophontem* lib. 7. *Anabaseos*: in quo ipso libro *Cerasuntii* signum dant αὐλοῖς τε καὶ σάλπιγξιν ὀμοβοΐναις, *tibiis, tubisq; ex bubulis ossibus*, ut quidem reddit *Amasæus*. Sed per ω legendum ὠμοβοΐναις, *è crudo bovis corio factis.* Neque enim *Græca* est vox ὀμοβοΐναις.

VIII. Octavò, in pœnis flagellatio בקרת *bikkoreth*, dicitur *Levit.* 19. *v.* 20. quia fiebat loro bovino, ita *Saadias* apud *Kimchium* & *Rabbi Aben Esra* in h. l. *Tauream Latine* dixeris ut in *Vulgato* 2. *Macchab.* 7. *v.* 1. & *Juvenalis* Sat. 6.

> - - - - - - - - - - *taurea punit*
> *Continuò flexi crimen facinusq; capilli.*

Græce etiam ταυρείαν. *Hesychius*, Μάραινα, μάστιξ, ῥάβδος, ταυρεία· lege, Μάραγνα μ. ῥ. ταυρεία. Et continuo post pro Μάραγνα, τῇ ταυρείᾳ· lege Μαράγνα, τῇ ταυρείᾳ. Hinc in *Asinaria* Plautus, *Abstinebit censione bubulâ.* Et in *Pœnulo*,

> - - - - - *heri in tergo meo*
> *Tres facilè corios contrivisti bubulos.*

Sed de eo jam actum in capite *De boum nominibus.*

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

De Boum usu in Sacris.

Sacrificia, holocausta, pacifica, & propitiatoria, quæ vel pro peccato, vel pro delicto. Bos ad holocausta qualis, & quo ritu oblatus. Quid peculiare in sacrificio pacifico, & pro peccato. Cur pro peccato bos, & pro delicto, quod gravius, solum aries oblatus. Sacrificia quædam temporum, quædam personarum propria. Votiva sacrificia. Decima ex pecore. Sacrificia mundationum. Extraordinaria, ut in consecratione primi & secundi Templi, & restitutione divini cultus sub Ezechia, *&* Josia. Suidas *notatus. Sacrificium juvencæ rufæ,* Num. 19. *& juvencæ, quæ in valle aspera immolabatur,* Deut. 21. *Sacrificia* Gentilium *quàm similia* Judaicis. *Exemplum in holocaustis* Levitici, *statim initio. Eadem victima. Bos major hostia. Holocaustum in sacrificiis primas tenuit.* Ægyptii *nonnisi mares boves,* Græci, *&* Romani *etiam, vaccas sed injuges offerebant. Victimæ* τέλειαι, *& post scrutationem a sacerdotibus signatæ. Nonnisi in Templis offerenda. Earum capiti* Ægyptii *imprecabantur, ut pœnæ, quas commeruerant, in illud verterentur. Has jugulabat popa. Alius sanguinem excipiebat vase, quod* Homerus Syra *voce* ἀμνίον *vocat. Hoc sanguine ara perfusa. Jugulationem sequebatur excoriatio, & dissectio. Quam rectè fieri oportuit.* Ὀρθοτομεῖν Pauli *vox inde petita. Ut* Jerem. 34. Israëlitæ *transeunt inter partes dissecti vituli, ita* Bœoti, *&* Macedones *inter partes dissecti canis:* Xerxis *copiæ inter partes dissecti hominis:* Græci, *&* Trojani *Heroes inter partes dissecti porci. Porco caso sanciebatur fœdus, & porcâ cæsâ etiam, nec* Virgilium *mutasse genus, ut volunt. Fœdus icere, ferire, percutere,* Hebraicè כרת. Molossi *fœdus dissecto bove iciunt.* Zenodoti, *&* Erasmi *lapsus.* Scythæ *quando bove minutatim dissecto ejus tergori insideant. Bos à* Saule *quorsum discerptus,* 1. Sam. 11. v. 7. *De pane bubulo stercori incocto,* Ezech. 4. *Panis focatius, seu subcineritius quomodo* Hebraicè, Chaldaicè, *&* Arabicè. Græcè ἐγκρυφίας, ἐσχαρίτης, *&* ἐπανθρακίς. *De eo Scripturæ loca,* Es. 6. v. 6. רצפה ritspha, *non est* carbo, *ut volunt, sed* lapis ignitus, Arabicè رضفة *multa de hujus usu. De eodem lapide* 1. Reg. 19. v. 6. Chaldaica, *&* Græca *versio hujus loci corrupta, & restituta. Panis subcineritius non coquitur, nisi vertatur,* Ose. 7. v. 8. *Bubulum stercus ubi pro ligno.*

BOum sacer usus in Sacrificiis maximè situs est, quorum apud *Judæos* multa fuêre genera, & varii ritus. Nam ratione formæ, & finis, alia fuerunt holocausta, alia pacifica, alia propitiatoria. Holocausta quid fuerint, ipso nomine significatur. *Græcè enim* ὁλόκαυστον vocatur, *quod totum igne comburitur.* Itaque in holocaustum offerri dicebatur victima, quam offerens totam igne absumebat, ut se suaque omnia Deo debere profiteretur. Holocausti *Hebræa* duo nomina כליל, & עולה, si jungantur, significabunt id totum in fumum sursum ascendere. Unum enim *ab integritate*, alterum *ab ascensione* sumptum. Neq; his malè respondet *Græcum* nomen. Pacifica *Hebraicè* שלמים, *Græcè* εἰρηνικά, σωτήρια, & εὐχαριστικά, dabantur in signum gratitudinis post accepta beneficia. Propitiatoria vel pro peccato offerebantur, vel pro delicto. Illud חטאה ἁμαρτία, hoc אשם πλημμέλεια dici-

dicitur, & est priore gravius. A consilio enim perpetratur, cum alterum fiat per errorem. In plerisque his sacrificiis non solùm boves, sed oves quoque, & capras, columbasque, & turtures oblatas fuisse legimus. At de bobus solùm hic agitur.

Porro bos ad holocaustum mas & integer selectus, ad ostium Tabernaculi conventûs adducebatur, & ab offerente manus capiti ejus imponebatur. Tum *Levita* illum jugulabat. Et, postquam alius sanguinem vase exceptum altari inspersrat, hostiam excoriatam idem *Levita* in frusta concidebat, quæ igni imposita sacerdos adolebat in holocaustum grati odoris Domino. Hæc Legislator *Lev.* 1. *v.* 3. *&c.* At initio capitis tertii agitur de bove, qui offertur in sacrificium pacificum, quod à priore differt, 1. Quia bovem offerendum marem esse necesse non fuit; nam fœmina quoq; admittebatur. 2. Præterea non jubetur totum sacrificium absumi, sed solum adipem, renes, & lobum jecoris. Sacerdoti cedebant pectus & dexter humerus, *Levit.* 7. *v.* 21. 22. Reliqua offerenti, quæ vel eodem die, vel postridie saltem comedenda, & quidquid in tertium diem supererat, igne absumendum, *Levit.* 7. *v.* 6. 7. 8. Capite quarto *Levitici* describitur juvenci sacrificium pro peccato. In quo peculiare hoc fuit, quod Sacerdos, postquam, digito in ejus sanguine intincto, septies ante velum aspersrat, atque eodem imbuerat cornua altaris suffitûs, reliquum effundebat ad basin altaris holocaustorum in aditu Tabernaculi. Adeps, renes, & lobus jecoris in altari adolebantur. Corium, & tota caro, caput, pedes, exta, & fimus extra castra comburebantur. Juvenco sic offerendo Sacerdos manus imponebat, cum pro peccato Sacerdotis; & seniores populi, cùm pro peccato *Ecclesiæ* offerebatur, *Levit.* 4. *v.* 4. 15.

Superest, ut dicamus de sacrificio pro delicto, quod cùm fuerit gravius, non tamen majoribus hostiis expiabatur, sed solum ariete oblato. Ita enim Legislator *Levit.* 6. *v.* 6. *Et delictum suum* (id est, *sacrificium pro delicto*) *offeret Domino arietem integrum de pecore*, &c. Quod hic mirari subit, quia peccatum gravius non videtur leviore, sed graviore mulctâ fuisse expiandum. Respondeo, contraria contrariis esse curanda: & peccato אשם, quod superbiam, & proterviam habet adjunctam, melius opponi ovium placidum, & mitem animum, quas qui jubebantur offerre pro delicto, eâdem opera monebantur mores suos ita esse componendos, ut hujus animalis docilitatem, & simplicitatem referrent. In quam rem notanda hæc *Festi*, *Maximam hostiam ovilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore.*

In sacrificiis, quæ diximus, fuêre quædam temporum, quædam personarum propria. Temporum, ut agni duo, qui quotidie manè, & vesperi in holocaustum offerebantur, *Exod.* 29. *v.* 38. *Num.* 28. *v.* 4. Qui agnorum numerus die Sabbathi fuit duplicatus. Nam his duobus agnis alii duo superadditi *Num.* 28. *v.* 9 10. Et neomeniis juvenci duo, aries unus, & agni septem in holocaustum, & juvencus pro peccato, *Num.* 28, 11. Ita etiam festo *Paschatis* per singulos septem dies. *Numer.* 28. *v.* 19. *&c.* Et die *Pentecostes*, *Num.* 29. *v.* 2. 5 Die tubarum juvencus unus, aries unus, septem agni, & hircus unus, *Num.* 29. *v.* 25. Quod idem præstitum die propitiationum, *Num.* 29. *v.* 8. 11. Præterea Sacerdos eodem die in Sancta Sanctorum ingressurus juvencum pro peccato, & arietem in holocaustum offerebat, & duos hircos, quorum uno immolato alter emittebatur, peccatis populi in illum quasi transmissis, *Lev.* 16. Diebus septem Tabernaculorum septuaginta boves oblati, nempe die primâ tredecim, die secundâ duodecim, die tertiâ undecim, boum numero ad septimum usque sic decrescente, prout crescebat dierum numerus. Præterea toto illo septiduo arietes duo, & agni quatuordecim indies immolabantur, & hircus unus, *Num.* 29. *v.* 13. &c.

Fuêre & personis propria sacrificia, ut initiandi Sacerdotis juvencus unus, & arietes integri duo, *Exod.* 29. *v.* 1. *Lev.* 8. *v.* 1. Et ejusdem in Sancta Sanctorum ingressuri sacrificium, de quo jam modo. Et à *Levitis* juvenci duo, unus pro peccato, alter in holocaustum oblati, antequam ad munus sacrum admitterentur, *Num.* 8. *v.* 8. 12. Principes quoque duodecim tribuum *Israelis* censu facto, singuli juvencum, arietem, & agnum anniculum in holocaustum, & hircum pro peccato, & in pacifica boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos totidem obtulerunt, præter boum plaustra sex, & alia munera, quæ recensentur *Num.* 7.

His adde votiva sacrificia, quæ impetrandi beneficii causâ solebant Deo voveri; pecorumque, & frugum primitias, atque decimas illi sacras, & sacrificia mundationum pro leproso, pro puerpera, pro menstruosa muliere, pro viro seminifluo. Et extraordinaria sacrificia, ut in consecratione altaris boves duodecim in holocaustum oblatos, arietes, agnos, & hircos totidem, & in pacifica boves viginti quatuor, arietes, hircos, & agnos anniculos de singulis sexaginta, *Num.* 7. *v.* 87. 88. In dedicatione primi Templi *Solomon* obtulit boum viginti duo millia, oviumque, & caprarum centum viginti millia, tam in altari, quàm in medio atrii, diebus circiter quindecim, quibus duravit hæc solennitas, 1. *Reg.* 8. *v.* 63. &c. 2. *Par.* 7. *v.* 5. Et divino cultu sub *Ezechia* restituto, post septem juvencos, arietes, agnos, & hircos totidem pro peccato immolatos, tota congregatio in holocaustum obtulit tauros septuaginta, arietes centum, & agnos ducentos. Et Domino consecravit insuper boves sexcentos, & ovium tria millia, 2. *Paral.* 30. *v.* 21. 32. 33. Et *Paschate* statim sequente Rex *Ezechias* mille boves, & ovium tria millia, principes quoque mille boves, & ovium decem millia Congregationi *Israelis* liberaliter indulserunt, ne deesset unde sacrificarent, 2. *Paral.* 30, 24. Cujus pietatis æmulus *Josias* itidem in *Paschali* festo de suo dedit populo ter mille boves, agnorumque, & hœdorum triginta millia. Et Regis exemplum imitati principes boves octingentos largiti sunt, & agnorum septem millia, & sexcentos, 2. *Paral.* 35. *v.* 7. 8. 9. Qui boum & agnorum numerus cum tam ex *Josepho*, quàm ex Scriptura constet, mirum, cur de *Josia* scribat *Suidas*, boum numero in triplum, aut quadruplum aucto; Τὸ Πάσχα ἐποίησεν οἷον οὐ γέγονεν ἀπὸ τῶν χρόνων Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ, καὶ Σαμουήλ, ἐν ᾧ βόας ἔθυσε χιλιάδας ιβ'. προβάτων χιλιάδας λη'. Pascha *celebravit, quale à temporibus* Jesu Nave *filii*, *&* Solomonis *celebratum non fuit, in quo boum duodecim, & ovium triginta octo millia immolavit.* In dedicatione secundi Templi à populo nuper reduce à captivitate *Babylonica*, atque omnium rerum egeno leguntur oblati juvenci centum, arietes ducenti, agni quadringenti, & hirci duodecim pro peccato totius *Israelis* pro numero tribuum *Esdr.* 6. *vers.* 17. Quamvis enim decem tribus pridem abduxisset *Salmanassar*, tamen nonnullos ex plebe remansisse tam ex hoc loco colligitur, quàm ex 2. *Par.* 30. *v.* 1. 5. 10. 11. & 34. *v.* 7. 9. & 35. *v.* 3. 17. *Esdr.* 8. *v.* 35. *Act.* 26. *v.* 7. Sed & dedicationem altaris à *Juda* restituti per totum octiduum *Judæi* celebrârunt holocausta cum lætitia offerentes, sacrificiaque salutis, & laudis, 1. *Macchab.* 4. *v.* 56.

Duo supersunt sacrificiorum genera nondum à nobis memorata, unum juvencæ rufæ, immaculatæ, injugis, quam extra castra immolabat Sacerdos, totamque cum ligno cedrino, hyssopo, & cocco bis tincto comburebat, ut ejus cineribus aquæ separationis immistis aspersi mundarentur, qui propter cadaveris contactum, aut alia de causa polluti erant, *Num.* 19. *v.* 2. Alterum juvencæ pariter à jugo adhuc immunis, quâ in vallem asperam deductâ, & decollatâ, expiabatur cædes, cujus auctor erat ignotus, *Deut.* 21. *v.* 1. &c.

Hæc & alia non pauca de boum sacrificiis in Sacris scriptis

ſcriptis reperire eſt, quorum omnium interpretationem ſi liberet aggredi, hic tractatus in immenſum excreſceret. Nam in ipſa Scriptura multa ſunt, multa in Patrum, multa in *Hebræorum* libris, quibus hæc illuſtrari queant. Quid quod profanis quoque Scriptoribus hic ſuus eſt locus, ex quorum lectione diſcas, gentes, à veri Dei cognitione alienas, prava quadam κακοζηλίᾳ id affectâſſe, ut ſtercoreis Diis ſuis eundem cultum exhiberent, quem vero Deo *Iſraëlitæ*? Quod quia παράδοξον videri poteſt, libet obiter probare allato ſpecimine ex initio *Levitici*, ubi præſcribuntur ritus aliquot, quos ſervari voluit Deus in offerendo bovis holocauſto.

Statim verſu ſecundo quadrupedum oblationes ſumi jubentur מן הבקר ומן הצאן, id eſt, *tam ex bobus, quam ex ovibus, & capris.* Nam הצאן utrumque ſonat. *Ethnici* autem, licet alias quoque victimas immolaverint, puta *Solis* equos, *Martis* lupos, *Priapo* aſinos, *Dianæ* cervas, *Cereri* ſues, *Hecatæ* canes, plerumque tamen, ac pluribus Diis boves, oves, & capras immolârunt. Proinde *Achilles Homericus*, non procul ab initio *Iliadis*, tria illa genera quaſi in unum faſcem congerens, petit, an *Apollo*, qui *Græcis* peſtem immiſiſſe credebatur, iis ſuccenſeat propter neglecta vota, aut *hecatomben* (id eſt, ſacrificium centum boum,) aut an, agnorum, perfectarumque caprarum nidorem aſſequutus, peſtem ab iis ſit depulſurus. Verba ſunt,

Εἴτ' ἄρ' ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, εἴτ' ἑκατόμβης·
Αἴ κέν πως ἀρνῶν κνίσης, αἰγῶν τε τελείων
Βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι;

Sequitur verſus tertius, *Si oblatio ejus ſit holocauſtum è bove, marem perfectum offerat eum, ad oſtium tabernaculi conventus*, &c. Legiſlator à bove incipit, quem *Livius majorem hoſtiam* paſſim appellat. Proinde *Plinius*, ubi de bove, lib. 8. cap. 45. *Hinc victima opima, & lautiſſima Deorum placatio.* Et in veterum *Proverbiis* (a) βουθυτεῖν *magnificos ſumptus facere*, & βουθυσία *ſplendidum apparatum* ſonat; quia bovem offerre nonniſi ditiorum erat. Quod ex *Ariſtophanis Pluto* probat *Eraſmus* in *Adagiis*. Porrò, ut bos in victimis, ita in ſacrificiorum ſpeciebus holocauſtum primas tenuit. Hujusque adeo in *Græcorum* ſcriptis mentio non eſt infrequens. *Xenophon* de *Cyro*, & *Perſis*, lib. 8. *Cyrop.* Ἔθυσαν τῷ Διΐ, καὶ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ταύρους, ἔπειτα τῷ Ἡλίῳ, καὶ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ἵππους· *Sacrum facientes* Jovi *tauros, deinde* Soli *equos in holocauſtum obtulerunt.* Et apud eundem lib. 7. *Anabaſ.* *Euclides Phliaſius* vates, Εἰώθειν ἐγὼ ὑμῖν θύεσθαι, καὶ ὁλοκαυτεῖν· *Solebam ego pro vobis immolare, & holocauſta offerre.* *Strabo* de *Gallis* lib. 4. Βοσκήματα, καὶ παντοῖα θηρία, καὶ ἀνθρώπους ὁλοκαυτοῦν· *Pecudes, & omnis generis beſtias, atque homines etiam in holocauſtum offerebant.* *Metrodorus* in *Jonicis*, & ex eo *Plutarchus*, *Sympoſ.* lib. 6. *Probl.* 8. Σμυρναῖοι, τὸ παλαιὸν Αἰολεῖς ὄντες, Βουβρώστει θύουσι ταῦρον μέλανα, καὶ κατακόψαντες αὐτόδορον ὁλοκαυτοῦσιν· Smyrnæi, *ab* Æolibus *oriundi*, Bubroſti *nigrum taurum immolant, & diſſectum cum ipſa pelle in holocauſtum afferunt.* Quomodo etiam capras, & oves offerri memorat *Lucianus* in libro *De Sacrificiis*. Ne quis tamen hoc apud illos perpetuum fuiſſe putet, plerumque ſolum victimæ partem cremabant, & reliqua ſervabant in convivium ſacrificio conjunctum. Unde *Homerus* (b) de *Eumæo* ſacrum faciente,

Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ,
Μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν·

Et partem quidem in ignem jecit, ubi commiſcuiſſet farinæ flore: alia vero minutatim ſecuerunt, & verubus confixerunt.

a) Vide Eraſmi Adag. 2150.

b) Odyſſ. ξ. verſu 429.

Quod addit *Moſes*, bovem marem, & integrum offerendum, ab *Ægyptiis* maximè obſervatum eſt, de quibus *Herodotus* lib. 2. cap. 41. Τοὺς μὲν νῦν καθαροὺς ἄρσενας βοῦς, καὶ τοὺς μόσχους οἱ πάντες Αἰγύπτιοι θύουσι· τὰς δὲ θηλέας οὔ σφι ἔξεστι θύειν· *Boves mundos, eosque mares, ac vitulos univerſi Ægyptii immolant; fœminas autem immolare ipſis non licet.* At *Hebræi* etiam fœminas admittebant in ſacrificiis pacificis, *Levit.* 3. v. 1. ut in omnibus *Græci*, & *Romani*. Et quædam ſacrificia memorat *Moſes*, *Num.* 19, 2. & *Deut.* 21. v. 3. in quibus nonniſi vacca offerebatur, ſed quæ nondum arâſſet, neque jugum tuliſſet. Ita enim *Num.* 19, 2. אשר לא עלה עליה עול *ſuper quam non aſcenderit jugum.* Et *Deut.* 21, 3. אשר לא עבד בה אשר לא משכה בעול *Quæ ad agricolationem non ſit adhibita, neque jugum vexerit.* Quomodo *Palladi Diomedes* Iliad. κ', & *Neſtor* Odyſſ. γ'.

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον,
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ·

Tibi viciſſim ego offeram vaccam anniculam, latæ frontis, indomitam, quam nondum ſub jugum quiſquam duxerit. *Virgilius* lib. 4. *Georg.* ubi de *Ariſtæi* ſacrificio,

Quattuor eximios præſtanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.

Ovidius lib. 3. *Faſt.*

- - - - cæſa priùs ille juvencâ,
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.

Et lib. 4.

- - - - ſine labe juvencam
Mactârunt, operum, conjugiique rudem.

Quaſi in *Homero* ἀδμῆτες utrumque ſignificet, quod multi putant. *Horatius*, *Epod.* 9.

Io triumphe, *tu moraris aureos*
Currus & intactas boves:

In ſacrificium ſcilicet ab *Auguſto* poſt *Actiacam* victoriam offerendas. *Seneca* in *Oedipo*,

Appellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque nunquam colla depreſſum jugo.

Et in *Agamemnone* Chorus *Junonis* dicit,

- - - - ad tua conjux
Candida tauri delubra cadit,
Neſcia aratri, nullo collum
Signata jugo. - - - -

Præter ſexum maſculum etiam id requirit *Moſes* in bove holocauſti, ut ſit תמים *perfectus*. *Græci* ἄμωμον reddunt, ſed alibi preſſius τέλειον, ut *Exod.* 12, 5. ubi de agno Paſchali, πρόβατον τέλειον, ἄρσεν, ἐνιαύσιον ἔσται ὑμῖν, *agnus perfectus, maſculus, anniculus vobis erit.* *Aquila* etiam conſtanter ita exponit *Hebræum* תמים. Et eadem voce ſuprà uſus *Achilles* apud *Homerum*, *Apollini* offert

- - - ἀρνῶν κνίσης, αἰγῶν τε τελείων,

nidorem agnorum, & caprarum perfectarum. Nempe, ut ibi *Euſtathius*, τοῖς θείοις ὡς τελείοις προσάγειν χρὴ τέλεια, *Diis tanquam perfectis perfecta ſunt offerenda.* Perfecta autem victima dicitur, in qua nihil deſideratur. Itaque apud *Apollonium* lib. 1. *Argonaut.* *Jaſon*, ante diſceſſum *Apollini* ſacra facturus, ſervos harum rerum peritos jubet

- - - βοῦς ἀγέληθεν ἐῢ κρίναντας ἐλάσσαι,

boves, è grege cùm bene elegerint, adducere. Et in *Ægypto* Sacerdos ad id conſtitutus ſingula ſcrutabatur, ὀρθοῦ ἑστῶτος τοῦ κτήνεος, καὶ ὑπτίου, *pecude tam erectâ, & ſtante, quàm reſupinata.* Quo facto, ſi perfectam, & ab omni vitio immunem repererat, eam notabat byblo cornibus alligato, & applicita terra ſigillari cum annulo ſuo impreſſo. Alioqui enim pecudem ἀσφράγιστον immolare credebant tum grande nefas, & morte piandum. Tale eſt, quod notatum dicit *Plinius*, non litare vitulum claudicantem, nec aliena hoſtia Deos placari.

Sequitur ſiſtendam eſſe victimam ad oſtium Tabernaculi conventûs, ubi ſcilicet altare fuit, ut habetur verſu quinto. Quod rurſus jubetur ſub pœna mortis, *Levit.* 17, 3. uſque ad 9. ut in *Platone De Legibus* circa finem lib. 10. Ἔστω νόμος ὅδε τοῖς ξύμπασι κείμενος ἁπλῶς· ἱερὰ μηδεὶς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω· θύειν δ' ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινι, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων, καὶ τοῖς ἱερεῦσί τε, καὶ ἱερείαις ἐγχειριζέτω τὰ θύματα, οἷς ἁγνεία τούτων ἐπι-

μελῶν, *Lex ista: sit omnibus absolutè posita, ut nemo in privatis ædibus sacella habeat. Cum verò quis sacra facere in animum induxerit, ad publica Templa sacrificaturus se conferat, & victimas tradat Sacerdotibus, seu viris, seu fœminis, quibus harum sanctitas curæ est.* Itaque ante publicas aras victimæ statuebantur. *Virgilius* lib. 9. *Æn.*

Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum.

Et lib. 2. *Georg.*

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Ut *Ps.* 118, 27. *Ligate funibus* (id est, *ligatum funibus adducite*) *sacrificium festinumque ad cornua altaris.*

Versu 4. *Et imponet manum suam capiti holocausti, ut sit acceptum pro se ad expiandum pro eo.*] Nam imponendo manus in victimæ caput peccata confitebatur, *Levit.* 16, 21. ut eorum pœnam in victimam transferret, q. d. Quidquid a me peccatum est, sit in hujus victimæ caput: id est, pœnam peccato commeritam ab illa reposcat Deus. Cujus loquutionis exempla vide 2. *Sam.* 1, 16. *Esth.* 9, 25. *Ps.* 7, 17. *Ezech.* 33, 4. *Act.* 18, 6. Rectè igitur *Eusebius* lib. 1. *Demonstrat. Evang.* offerentem victimæ manus imposuisse scribit ὥσπερ ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ ἱερεῖον προσάγοντα, *tanquam pro suo capite victimam offerentem.* Neque absimile est, quod tradit *Herodotus* lib. 2. cap. 39 *Ægyptios* victimarum capita in hæc verba execrari, εἴ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι, *aut si quid mali aut ipsis immolantibus, aut universæ Ægypto futurum sit, id in hoc caput convertatur.* *Plutarchus* etiam in *Iside*, Τῆς δὲ κεφαλῆς τοῦ ἱερείου καταρασάμενοι, καὶ ἀποκόψαντες, εἰς τὸν ποταμὸν ἐρρίπτουν πάλαι, νῦν δὲ τοῖς ξένοις ἀποδίδονται. *Postquam victimæ capiti imprecati illud absciderant, olim in flumen conjiciebant, nunc autem dant peregrinis.*

5. *Et jugulabit juvencum coram Domino, & Sacerdotes filii Aaron sanguinem offerent, & spargent circumquaque super altare, quod est ad ostium Tabernaculi conventus.*] *Jugulabit* supple *jugulans*, id est, vel is ipse, qui victimam de suo offerebat, vel, ut volunt, *Levita* aliquis: quod colligi posse putant ex 2. *Paral.* 30, 17. & 35, 10. 11. ubi *Levitæ* paschales agnos jugulant, sed sanguinem spargunt Sacerdotes. Sic apud *Romanos* Sacerdos non jugulabat victimam, sed popa, aut victimarius ad Sacerdotis nutum. Itaque victimæ adstans subinde dicebat *Agon'?* id est, *Agóne?* *Seneca* lib. 2. *Controv.* 3. *Filius cervicem porrigat, carnifex manum tollat, deinde respiciat ad patrem, & dicat, Agon', quod fieri solet victimis.* Fastorum lib. 1. *Poeta* suspicatur inde *Agonalibus* festo nomen esse:

Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus, quo feriente, cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper agatne rogat, nec nisi jussus agit.

Popa autem victimam jugulante, alius vase sanguinem excipiebat: quod vas *Attici* σφαγεῖον, sed *Homerus* ἀμνίον vocat *Odyss.* γ'.

– – πέλεκυν δὲ μενεπτόλεμος Θρασυμήδης
Ὀξὺν ἔχων ἐν χειρὶ παρίστατο, βοῦν ἐπικόψων,
Περσεὺς δ' ἀμνίον εἶχε. – – –

Adstabat autem bellicosus Thrasymedes *acutam securim in manu habens, bovem cæsurus*; Perseus *autem vas habebat*, quod scilicet sanguinem exciperet. Sunt, qui ἀμνίον legunt, quasi ab ἀμνός. alii ἄμνιον pro δ' ἀμνίον. Sed ἀμνίον hac notione *Cretenses* usurpasse testatur *Eustathius*. Et videtur esse *Syra* vox, quia vasa *Siris* ܡܐܢܐ *mane*, & per Metathesim ܐܡܢܐ *amne* vocant. Prius ubique occurrit, posterius in *Talmudis* Tractatu *De Sabbatho* cap 8. Hujusmodi vasa *Latinè pateras* dixeris. Sic *Virgilius Æn.* lib. 3.

Sanguinis & sacri pateras, – – –

nempe *de victimis sumpti*, ut ibi *Servius*. Et lib. 6.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. – – –

Moses אגנות *aganoth*, vocat *Exod.* 24, 6. pro quo *Chaldæus* habent מזרקיא quasi dicas *aspersoria*, *Syrus* ܟܣܐ λικάνας, *Arabum* unus أجاجين *hydrias*, alter طاسات *tassath*, (Gall. *tasses*) id est, *pateras*; *Seniores*, & *Vulgatus* κρατῆρας, *crateras*. Hoc porro sanguine aræ perfundebantur: unde *Poeta*,

– – – *illius aram*
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Id est, *sæpe perfundet*, inquit *Servius*. Et *Lucianus* in libro *De Sacrificiis*, ὁ δὲ ἱερεὺς τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων, *Sacerdos autem sanguinem aræ circumfundens.* Quomodo hic *Moses*, *Sacerdotes sanguinem offerent, & circumquaque spargent super altare.* Et *Exod.* 24, 6. *Tulit itaque Moses dimidiam partem sanguinis, & misit in pateras, partem autem residuam fudit super altare.*

6. *Et nudabit pelle holocaustum, & illud frustatim concidet:*] Post victimæ jugulationem hic sequuntur excoriatio & dissectio, ut *Iliad.* α.

– – – καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν,
Μηρούς τ' ἐξέταμον. – – –

Et jugularunt, & excoriarunt, femoraque secuerunt. Et *Apollonius* lib. 1. *Argonauticῶν*,

Τῆς δ' ἕταροι σφάξαν τε, δοῶς δείραν τε βοείας,
Κόπτον, δαΐζόν τε, καὶ ἱερὰ μῆρ' ἐτάμοντο.

Hos vero (boves) *socii celeriter jugularunt*, *pellesque exemerunt, secuerunt, diviseruntque, & sacras coxas inciderunt.* Et *Dionysius Halicarnass.* lib. 7. Οἱ δὲ πίπτοντος ὑποτίθεσαν τὰς σφαγίδας, καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε, καὶ μελίσαντες. *Illi vero cadentis victimæ jugulo cultros mactatorios subjecerunt, deinde cum illam excoriassent, & membratim dissecuissent*, &c. Quod tamen in holocaustis non semper est observatum, quæ cum ipsa pelle nonnunquam in ignem conjiciebant. Unde *Plutarchus* supra de tauro *Bubrosti* Deæ oblato, Καὶ κατακόψαντες αὐτοῖς δέρμασιν κατέκαυσαν, *Percussum cum cum ipsa pelle in holocaustum obtulerunt.* Et *Lucian. De Sacrificiis*, Ἐπιθέντες πῦρ ἀνακαύσαντες, ἐπιθέντες φέροντες αὐτῷ δέρματι αἶγα, καὶ αὐτοῖς ἐρίοις τὸ πρόβατον. *Igni post omnia accenso, capram cum ipsa pelle allatam, & ovem cum ipsis lanis imponunt.* Ita in sacrificiis pro peccato juvenci pellis cremabatur una cum carne, sed extra castra, *Exod.* 29. v. 14. *Levit.* 4, v. 11. & 8. *vers.* 17. & 16, 27. ut & pellis vaccæ rufæ. *Num.* 19. v. 5. At holocausti pellem servari voluit Deus, & Sacerdoti dari *Levit.* 7, 8. Proinde Sacerdotum erat excoriare victimas. Ita tamen ut iis *Levitæ* adessent, si res exigeret, 2. *Par.* 29. *versu* 34. & 35. *versu* 11. *Hebræum* הפשיט propriè *spoliare*, & *nudare* est, hic *pellem abstrahere*, ut in simili argumento dixit *Poeta* lib. 1. *Æn.*

Tergora diripiunt costis, & viscera nudant:

id est, *carnem pelle spoliant.* *Viscera enim non tantùm intestina dicimus, sed quidquid sub corio est; unde et ceratio.* Ita *Servius* ad hunc locum. Dissectionem quod attinet, eam non fuisse temerè factam, sed cum arte, & industria colligunt ex eo, quod in *Poeta* (a) sæpe legitur, [a) Iliad. α. & ω. & ἄλλ. Odyss. γ. 421. (?)]

Μίστυλλόν τ' ἄρ' ἐπισταμένως, – – –

Ritè, aut doctè dissecabant. Proinde ex sacrificiis petita videtur vox ὀρθοτομεῖν, cum dicit *Paulus*, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, 2. *Tim.* 2, 15. Et *Seniores*, ἵνα ὀρθοτομῇ τὰς ὁδούς σου, *Prov.* 3. v. 6. Et δικαιοσύνη ἀμώμους ὀρθοτομεῖ ὁδούς, *Prov.* 11, 5. Hinc Deum *Caino* dixisse volunt, Οὐκ, ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; *Nonne, si benè offeras, nec benè dividas, peccasti?* Quæ versio ex eo nata, quod legerunt לנתח pro לפתח *Gen.* 4, 7. Plura hujus generis vide in doctissimo Cl. *Duberri* Tractatu *De κακοζηλίᾳ Gentilium*, ex quo ingenuè agnosco me non pauca didicisse.

Alius

Alius fuit boum saecrusus in percutiendo foedere, cum, bove, aut vitulo in duas partes disciso, inter has partes ii transibant, quorum erat jurare foedus. Unde gravis illa *Israelitarum* inculatio *Jerem. 34. v. 18. 19. Tradam homines istos, qui transgressi sunt foedus meum, qui non praestiterunt verba foederis, quod coram me pepigerant, cum transierunt inter dimidias partes ejus vituli, quem in duo diffecuerant. Nempe principes* Judae, *& principes* Jerusalem, *eunuchos, & sacerdotes, totumque populum hujus terrae, qui inter dimidias vituli partes transiverunt.* Cujus ritûs alibi in Scriptura nullum est vestigium: nisi quod *Gen. 15, 9. 10.* jubetur *Abraham* vitulam triennem, capram triennem, & arietem triennem per medium dissecare, & partes singulas singulis ex adverso opponere. Et versu decimo septimo lampas ignis inter segmenta illa transiit, id est, Deus Opt. Max. per typum illum significatus, qui cum *Abrahamo* pepigit foedus, ut habetur versu sequente. *Boeotos* & *Macedonas* inter dissecti canis partes transiisse reperias ritu non absimili, sed dissimili de causa. Lustralis enim fuit ille ritus, non foederalis; si verbo datur venia. *Plutarchus, Rom. Quaest.* III. Βοιωτοῖς δὲ δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι, κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν. *Apud* Boeotos *publica est lustratio per canis dissecti partes transire. Livius* lib. 40. ubi de *Macedonum* Rege *Philippo*; *Forte lustrandi exercitûs venit tempus, cujus solenne est tale. Caput mediae canis praecisae, & prior pars ad dextram cum extis, posterior ad laevam viae ponitur, inter hanc divisam hostiam copiae armatae traducuntur.* Rursus in *Plutarcho, de virtutibus mulierum* capite ultimo. *Xerxes Pythii* filium, quem pater repetierat, σφάξας, καὶ διατεμὼν, ἐκέλευσε τὸ στρατὸν διελθεῖν, *cum jugulasset, & in duas partes dissecuisset, copias jussit inter dissectas partes transire*, ut tam atroci supplicio militiae desertores terreret. Itaque idem fuit ritus, qui *Judaeorum*, sed finis planè diversus. At, nisi *Cretum* more mentiatur *Dictys Cretensis* ὁ ψευδώνυμος, ritus ille etiam in sanciendo foedere tam apud *Graecos*, quam apud *Trojanos* obtinuit, jam inde ab Heroum aevo. Nam, libro quinto, Diomedes *atque* Ulysses *jurare occipiunt permansuros se in eo, quod sibi cum* Antenore *convenisset, testesque in eam rem* Jovem *summum*, Terramque *matrem*, Solem, *atque* Oceanum *fore. Dein, excisis in duas partes hostiis, quae ad eam rem admotae erant, ita ut pars ad Solem, reliqua in ad naves spectaret; per medium transeunt. Dein* Antenor *in eadem verba placitum confirmat.* Et libro secundo *Agamemnon*, sacramento confirmaturus quidquid *Achilli* promiserat, *afferre hostiam lictores jubet, ac mox sublatam super terram, cum eam duo, quibus imperatum erat, suspensam tenerent, gladium vagina educit, eoque bifariam excisam hostiam in conspectu, uti diviserat, collocare. Dein ferrum sanguine oblitum manu retinens, inter utramque sacri partem medius vadit*, &c. Sed hostia illa pro vitulo porcus fuit. Sic enim idem libro primo, Chalcas, *filius* Nestoris (lege *Thestoris*) *praescius futurorum, porcum marem in medium forum afferri jubet, quem in duas partes exsectum Oriente Occidentique dividit, atque ita singulos nudatis gladiis per medium transire jubet. Deinde mucronibus sanguine ejus oblitis, adhibitis etiam aliis necessariis, inimicitias sibi cum* Priamo *per religionem confirmant, neque prius se bellum deserturos, quam* Ilium, *atque omne regnum eruissent.* Nempe apud vetustiores legerat spurius Scriptor porco caeso sanciri foedus. *Varro, Rustic.* lib. 2. cap. 4. *Initiis pacis foedus cum feritur, porcus occiditur.* Non tamen mas solus, ut ille vult, sed & foemina ad hoc sacrum est adhibita. *Virgilius* lib. 8. *Aeneid.*

- - - *caesâ jungebant foedera porcâ.*

Suetonius in *Claudio* cap. 25. *Cum Regibus foedus in foro icit porca caesa, ac veteri fecialium praefatione adhibitâ.* Festus, *Porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat; quia, confecto bello, inter quos pax fieret, caesâ porcâ, foedus firmari solebat.* Itaque *Servio* non assentior, qui vult *Poetam*, cum *caesa porcâ* dixit, usurpâsse genus pro genere: nec *Quintiliano*, qui ad sermonis elegantiam id pertinere contendit, quod scripsit *caesa porca* potiùs, quam *caeso porco*. Verba sunt lib. 8. cap. 3. *Quaedam non tam ratione, quàm sensu judicantur, ut illud,*

- - - caesâ jungebant foedera porcâ,

fecit elegans fictio nominis, quod si fuisset porco, *vile erat.* Utut sit, porcum in duas partes fuisse dissectum, & illos, qui foedus sanciebant, inter illas partes transiisse apud probatos Scriptores nusquam legitur. Tantùm porcus occidebatur, aut lapide feriebatur. Sic libro primo *Livii*, cum *Romanus* fecialis leges [illegible] *Albano* populo recitasset, *Illis*, inquit, *legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico consilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum R*[illegible] *ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam,* [illegible] *magis ferito, quanto magis potes, pollesque. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit.* Itaque *Servius* foedus dici vult *à porco* (ita legendum) *foede, & crudeliter occiso, cujus mors optabatur ei, qui à pace resiliisset.* Ita etiam *Isidorus* lib. 18. Et *foedus icere, ferire, percutere* manifestâ dicimus ad hunc ritum allusione. Quomodo *Hebraei* dicebant כרת ברית & *Chaldaei* גזר קים, ad verbum *scidit pactum*; quia qui foedus feriebant, victimam, quo ritu diximus, mediam dissecabant.

Erasmus in *Adagiis* aliquid simile tribuit *Homolottis* populis, tanquam ex *Zenodoto*, quem prodidisse ait *Homolottos* populos, dissecto in minimas partes bove, foedus jungere. Sed uterque fallitur, cum *Homoiotti* populi nullibi sint terrarum. Error ex eo natus est, quod Adagium Βοῦς ὁ Μολοττῶν, id est, *Bos Molossorum*, pravè legitur Βοῦς Ὁμολοττῶν, quasi sit *Bos Homoiottorum*. Sed legendum esse ὁ Μολοττῶν ex *Suida* planum est, qui, postquam hoc Adagium dici asserit ἐπὶ τῶν εἰς πολλὰ διῃρημένων, καὶ κατακοπτομένων πράγματα, *de iis, qui in multa negotia distrahuntur, & quasi dissecantur*, addit continuo post, οἱ γὰρ Μολοττοὶ ἐν τοῖς ὁρκωμοσίοις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τὰς βοῦς τὰς συνθήκας ἐποιοῦντο· Molossi *enim inter jurandum bovem in frustula discindentes foedus feriebant.* Huc quoque pertinere videri possit, quod in *Toxari* memorat *Lucianus*, apud *Scythas*, si quis ab alio potentiore laesus est, eum, bovis immolati tergori insidentem, carnes frustulatim concisas, & igne tostas praetereuntibus offerre. E quibus quotquot comedunt, & bovis tergus dextro pede calcant, se illi pro viribus adfuturos pollicentur. *Itaque*, inquit, *in tergore bovis nonnunquam ingens cogitur multitudo. Qui exercitus & certissima fide cohaeret, & hostibus est inexpugnabilis, tanquam jurejurando devinctus. Nam tergus calcâsse est jurasse.*

Est & aliqua ex parte simile, quod legitur 1. *Sam.* 11, 7. *Saulem*, cum audivisset in quo periculo versarentur incolae *Jabes-Galaad*, Spiritu Dei correptum, par boum, quos ex agro domum ducebat, membratim lacerâsse, & eorum particulas quaquaversum ad *Israelitas* misisse, minis additis, fore, ut sic fieret eorum bubus, qui se, postridiè cum *Samuele* ad bellum profecturum, sequi abnuissent. Qua denuntiatione territi sunt omnes *Israëlitae*, ויצאו *& egressi sunt tanquam vir unus. Septuaginta* absurde, Καὶ ἐβόησαν, quia legerunt ויצעקו. Boum igitur discerpta membra eos tum temporis non minus affecerunt, quam olim affecerant duodecim pellicis partes, quas *Levita* miserat per omnes *Israelis* tribus, *Jud.* 19, 29.

Sed haec sunt extraordinaria, ut quod *Ezech.* 4, 15. jubetur *Propheta* panem suum facere super bovis stercora. Quod ut intelligatur, sciendum est haec non dici de quovis pane, sed de pane subcinericio, ut patet ex versu duodecimo. Qui panis *Hebraice* dicitur עגה *ugga*, vel עוגה *onga*, &, mutata forma, מעוג *maog*, Chaldaicè חררא *charara*, ut *Talmudicis* חררה *cha-*

charara, Arabicè ملال *malil*, *Græcè* ἐγκρυφίας vel ἐσχαρίτης, *Latinè*, in *Hieronymo*, *subcinericius*, & in *Isidoro focatius*, ut vernaculo sermone *focacia*, supple *placenta*. Et *Hebræi* quidem nominis ratio est perincerta, quamvis hodieque عجة *uggia*, vel *ugga*, sit *panis*, aut *lagani genus* apud *Arabes*, sed ab isto diversi. Coquitur enim in sartagine ovis admistis. At cur *Chaldaicè* חררא *charara*, vocetur, non est obscurum. Nam חרר *charar*, est *torrere*; unde & חרחור *charchur*, *pars tosta panis*, in Tractatu *Talmudico Tebul jom* cap. 1. §. 3. Itaque חררא rectè dicitur & חרור *panis*, *qui supra carbones torretur*. Hoc multò verius est, quam quod vult *Baal Aruch*, עושין חור בארץ ומחמין אותו כאש ואופין בו לחם ונקראת חררה על שם החור שאפויה בו *Foramen in terra faciunt, quo igne calefacto, panem in eo coquunt, qui vocatur* charara *de nomine* chor (id est, *foraminis*) *in quo coquitur*. *Arabicum* ملیل *malil* propriè significat *in calido cinere coctum*. *Arabibus* enim مل *malla* Verbum est *sic coquere*, & ملة mallah *cinis calidus*, aut *scrobs in eo facta*, *in qua panis*, *aut caro coquatur*. Græcè ἐγκρυφίας, quasi *abditius*, vel *occultatitius*, dicitur; quia, dum coquitur, latet in cinere sepultus. *Hesychius*, Ἐγκρυφίας, ἄρτου εἶδος, ὃν σποδῷ; τρόμενον, τὸ (imo διὰ τὸ) μὴ εἶναι κλίβανον. Encryphias, *panis species*, *qui in cinere fit*, *quia deest furnus*. Unde *Lucianus* alicubi, οἱ σποδὸν πλήσας, ὥσπερ ἐγκρυφίας ἄρτος τις ἐστίν. *Is autem est cinere plenus*, *ut panis encryphias*. Scribitur enim ἐγκρυπτός. *Hesychius* Ἐγκρυπτός, τίμματος εἶδος. Encryptus, *placentæ genus*. Neque aliud ἐσχαρίτης dictus ab ἐσχάρα seu *foco*, in quo coquitur. Idem *Hesychius*, Ἐσχαρίτης, ἄρτος ἐγκρυπτός. Escharites, *panis abditius*. Fuit is in usu *Rhodi*, inter panem & placentam medius. *Pollux*, Οἱ ἐσχαρῖται Ῥόδιοι, μισθοὶ (?) εἶδος ἄρτου καὶ πλακοῦντος. Quo referendum, quod in *Onkelo Exod.* 16, 31. manna sapuisse legitur כאסקריטן בדבש *ut* ἐσχαρίτας *in melle*. Nam ἐσχαρίτην melle conditum fuisse refert *Lynceus Samius* apud *Athenæum* libro tertio, & tantæ suavitatis, ut eo vescentes vix satiarentur, & inter edendum semper esurirent, ut inter bibendum ebrii semper sitiunt. Jam quorsum *focatius*, aut *subcinericius* dicatur, nemo non intelligit.

Panis ita cocti Scriptura sæpiuscule meminit. Sic *Gen.* 18. *v.* 6. *Abraham* uxori dicit, *Depse tria sata similæ*, *& fac* עגות *panes subcinericios*. Exod. 12, 39. ubi de prima Pascha, *Et coxerunt* עגות מצות *panes subcinericios azymos*. Num. 11. v. 8. ubi de manna, *Faciebant ex eo* עגות *panes subcinericios*. 1. Reg. 17, 12. vidua *Sareptana* dicit *Eliæ*, *Vivit Dominus Deus tuus*, *si mihi sit* מעוג *panis ullus subcinericius* (vel materia unde fiat) *præter plenam volam farinæ in hydria*, *& paululum olei in lecytho*. Et *Propheta* regerit, *Fac mihi ex eo* עגה קטנה *panem subcinericium parvum*. Sed notanda imprimis tria, quæ sequentur loca.

Primus 1. *Reg.* 19. *v.* 6. de eodem *Elia* in deserto, *Jezabelis* metu, latente; *Et respexit*, *& ecce ad caput suum* עגת רצפים *panem subcinericium*, *carbonibus tostum*, vel *inter prunas coctum*. Ita *Hebræi* explicant, & eos sequuti recentiores: quasi רצפים sint *carbones*. Quomodo *Es.* 6. *vers.* 6. *Et volavit ad me unus è Seraphim*, *& in manu ejus* רצפה *carbo*. Nemo est hodie, qui aliter interpretetur; quia *Seniores* hic habent, Καὶ ἐν τῇ χειρὶ εἶχεν ἄνθρακα, *Et in manu sua carbonem habuit*. Ita etiam *Syrus*, & *Arabs*. Et hanc interpretationem *Hebræi* omnes calculo suo comprobant, ut utrique loco valde congruam. Nam *panem subcinericium* ideò חררה dici monuimus; quia torretur super carbones. Quo faciunt hæc *Diocles Carystii* apud *Athenæum* ubi supra. Ἡ δ' ἐσχαρίτης λεγόμενος ἁπαλωτέρα. ἐκεῖνο δὲ καὶ ἄρτος ἐπ' ἀνθράκων γινόμενος, ὥσπερ καὶ ὁ παρ' Ἀθηναίοις ἐγκρυφίας. *Escharites vero vocata laganis est cæteris delicatior: videtur autem etiam hic panis super carbones coqui*, *ut Atheniensium encryphias*. Et in *Esaiaid*, quod unus è *Seraphim* ex altari forcipe sumpsit, & ad *Prophetæ* labia applicuit, ut ea purificaret, quid aliud sit, quam carbo? His rationibus ii nituntur, qui רצפה *Carbonem*, & רצפים *prunas* explicant. Quas vix quisquam erit, qui non judicet esse valde verisimiles. Est tamen, cur aliter sentiam. *Cant.* 3, 10. רצוף *lapidibus stratum* sonat, & מרצפת *pavimentum* 2. *Reg.* 16, 17. Et illa ipsa vox רצפה, quam in *Esaia carbonem* reddunt, vel pro *pavimento* sumitur, vel pro *lapidibus*, *quibus sternitur pavimentum*, Esther. 1, 6. & *Ezech.* 40. 17. 18. & 42, 3. Et *Arabicè* رضفة idem est. Lapidibus porrò cum carbone nihil commune est. Itaque idem nomen vix concesserim duo tam diversa significasse. Et verò pro his *Seniorum* verbis *Es.* 6, 6. Καὶ ἐν τῇ χειρὶ εἶχεν ἄνθρακα, habetur in *Hieronymo*, *Et in manu ejus calculus*. Qua in parte *Aquilam*, *Symmachum*, & *Theodotionem* sequitur. Nam calculus iste, ut ait, à solis *Septuaginta* redditur ἄνθραξ. Hos tamen alii interpretes ideò libentiùs sequuti sunt; quia non videbatur calculi vox ad rem facere. Nempe nesciebant voce רצפה *ritspha*, vel *ritspha*, duo significari, diversæ quidem, sed vicinæ significationis. Primò, *calculum*, aut *lapidem* quemvis, cujus in pavimento usus est. Secundò, *lapidem ignitum*, seu *candefactum*, qui *Arabicè* iisdem Literis, & Vocalibus رضفة *radpha* dicitur, quamvis paulò aliter sonet propter punctum adscriptum super *Tsade*. Hujusmodi lapidum apud *Arabes* multiplex usus est. Iis enim lac coquere, carnes ad esum assare, stigmata etiam, & cauteria vivæ carni imprimere, ac inurere solent. De *radpha* vide *Erpenium* in *Adagiis* post *Locmani* Fabulas editis, & omnes *Lexicographos*, quibus رضفة non solum est *lapis*, quem diximus, sed & *patella genu*; quia ejusdem est formæ & رضف *radspha* Verbum *lapide ignito coxit*, *assavit*, *inussit*, *impressit*, &c. Et مرضوف marduph, *quod sic coctum*, *assatum*, aut *inustum est*. Itaque in altari puto hujusmodi fuisse lapides, quorum contactu caro victimarum, quæ Deo offerebantur, vel coqueretur, vel absumeretur citius. Et horum uno per visionem ablato *Seraphinum* Prophetæ labia tetigisse, ac mundavisse. Sed & 1. *Reg.* 19, 6. עגת רצפים videtur esse *panis coctus ad lapides candefactos*. A *Græcis* quorsum reddatur ἐγκρυφίας ὀλυρίτης, *panis ex olyra* vel *zeâ factus*, nemo facile dixerit. *Olyra* enim *Hebræis* non est רצפה *ritspha*, sed כסמת *chussemeth*. An pro ὀλυρίτης legendum κολλυρίτης, qua voce significatur *panis*, aut *lagani genus* in editione *Complutensi* 1. *Par.* 16. 3? Rursus pro עגת רצפים *Chaldæus* habet גריצא מעפפא, nisi fallor, pro מרצפא, vel pro דרעפא, ut in *Syro*. Quorum prius idem esset, quod *Arabicè* مرضوف posterius *panis in placentæ modum*. Nam ad מעפפא quidquid afferunt videtur esse præter rem. *Hieronymus* vocem רצפים reliquit ἀνέκδοτον. Itaque veteres Interpretes de hac voce frustra consulas.

Secundò notandum, *Ephraimitas* (qui Gentibus ita se commiscuerant, ut *Judaicam* religionem, quam in speciem profitebantur, profanis Gentilium superstitionibus pollucrent) conferri *Os.* 7. *v.* 8. cum עגה בלי הפוכה, id est, cum *pane subcinericio*, *qui inter coquendum non fuit versus*, ac proinde partim coctus est; partim, crudus, ita ut merito dubites, sitne

ſitne panis, an mera paſta. Neque enim perfectè coquitur hic panis, niſi vertatur. Unde *Talmudici* in *Kidduſin* cap. 3. fol. 59. 2. עני מהפך בחררא ובא אחר ונטלה הימנו *Pauper ſubcineritium vertit, venit alius, & aufert eum ab ipſo.* Quo ſenſu *Poeta* dixit,

Sic vos non vobis, &c.

Et *Iſidorus*, *Orig.* lib. 20. cap. 2. *Panis ſubcineritius, cinere coctus, & reverſatus, ipſe eſt & focatius. Reverſatus*, id eſt, *inter coquendum verſus.* Vox eſt *Hieronymi*, qui *Oſeæ* verba ſic reddit, *Ephraim factus eſt ſubcineritius panis, qui non reverſatur.* Græci, ἐγκρυφίας ὁ μεταστρεφόμενος. *Columella* dixiſſet, *Panis, qui non verſatur*: ut cum jubet aviarium *gallinarum ova manu verſare, ut æqualiter calore concepto facile animentur*, lib. 9 cap. 5. Pro quo *Florentinus* lib. 14. *Geoponicῶν*, Μεταστρεφέσθω τὰ ᾠὰ, ἵνα πανταχόθεν ὁμαλῶς θάλπηται.

Tertio de hoc pane locus is ipſe eſt, in quo verſamur, *Ezech.* 4. *verſ.* 12. ubi Deus *Prophetæ* dicit ועגת שערים תאכלנה *Et panem ſubcineritium hordeaceum comedes, & ſtercoribus humanis* תעגנה *coques eum in oculis eorum.* Verbum *coquendi* תעגנה *thenggenna*, factum ex Nomine עגה *ugga*, & ad illud alludit, quomodo ad לביבות *lebiboth*, alludit Verbum לבב *libbeb*, *libare, vel placentas coquere*; quaſi *libare* dixeris, vel *placentare*. Hinc *Amnon* ad patrem *Davidem* 2. *Sam.* 13. *v.* 6. *Veniat nunc* Thamar *ſoror mea*, ותלבב לעיני שתי לבבות quaſi dicat, *& libet in oculis meis duo liba*, aut *placentet duas placentas.* Græci, κολλυρισάτω δύο κολλυρίδας, *collyrizet duas collyridas.* Cum igitur par ſit alluſio inter עגה, & תעגנה, eam *Græci* Interpretes, quantum poterant, exhibentes, ut עגה ἐγκρυφίαν, ita תעגנה ἐγκρύψεις reddiderunt. Ac ſi *Latine* quis diceret, *Subcineritium panem ſubcinerabis.* Cavendum interim, ne ſyllabarum alluſio ſic quæratur, ut verborum ſenſus pereat. Et ne putetur Deus à *Propheta* id exegiſſe, ut panem comederet humano ſtercore coopertum, quomodo videtur accepiſſe *Hieronymus*. Tantum vult, ut panem pro carbonibus humano ſtercore coctum comedat, quo miſeri homines quandoque pro ligno utuntur. Idque ſymbolica de cauſa, & ut ſignificaret *Iſraelitas* fore, ut in captivitate *Babylonica* in ſumma rerum omnium inopia verſarentur, & cogerentur etiam immundis cibis polluі. Et quia *Prophetæ* gravius videbatur panem humano ſtercore coctum edere, Deus, illius precibus flexus, conceſſit, ut humano bubulum ſubſtitueret. Quod hodieq; in *Friſia* ad ligni materiam ſiccari teſtatur *Eraſmus* in Proverbio *Bolitis pœnam. Boliti*, id eſt, *bubuli ſtercoris*, quod *Græcè* βόλιτον dicitur, & βόλβιτον, *Hebraice* in *Levitico* generali nomine פרש, ſed in *Ezechiele* ſpeciali צפע. Et vocis aliunde ignotæ *Arabes* originem aperiunt. *Arabicè* ſcilicet ضفع iiſdem radicalibus eſt *ſtercus egerere*, ut ضفع Nomen *ſtercus*, non tamen bovis, ſed elephantis. Hinc *Alcamus*, & alii explicant نجو الفيل.

CAPUT TRIGESIMUM QVARTUM.

De aureis *Aaronis* & *Jeroboami* Vitulis.

Deus ſuorum gloria. Contrà, idola בשת, *id eſt*, pudor, *&* confuſio. *Hinc* Baal, *&* בשת *ſæpe ſynonyma. Quam grave peccatum Deum in bovem mutare. Dii ſtercorei, qui.* Jeroboami *peccatum gravius, quam* Aaronis, *& hujus pœna gravior.* Judæorum *fabula de mora* Moſis *in monte. Eoſdem majorum ſuorum idolomaniam in Ægyptios rejicere, ſed falſo. Quam abſurda ſit hæc oratio*, Fac nobis Deos, *&c. Fabula de* Hure *caſo, eò quod idololatris ſe oppoſuiſſet. Quomodo* Aaronem *excuſent. Idola* Græcorum *ex viliori materia; barbarorum aurea, & argentea. Inaures in illis locis utriuſq; ſexus communes. Verba* ויצר אותו בחרט *male reddi*, & formavit illud ſtylo, *cum ſignificent*, & recondidit illud in marſupio. *Vituli formationem à* Judæis *vi magica, aut aſtris ineptè tribui. Cur* Aaron *Deum forma bovis exhibuerit. Rationes commentitiæ, quæ refelluntur. Deus, Cherubo vituli ſpecie vectus*, Iſraelitis *non apparuit.* Joſephum *ſub* Apidis, *vel* Serapidis *nomine ab* Ægyptiis *non fuiſſe cultum.* Serapidis *cultus multo recentior. Nec* Serapis *idem cum* Apide. Heſychius *emendatus. Taurus aureus, in* Philone, Typhi, *vel* Typhonis *ſymbolum. In aliis*, Apis, *&* Mnevis Oſiridi *ſacri: &* Typhon Ægyptiis *non tam Deus, quàm cacodæmon. In* Typhonis *hiſtoria multa haberi, quæ palam ad* Moſem *pertinent. Vituli, & boves in* Ægypto *maxime culti. Quid ſit* abominationem Ægyptiorum ſacrificare, *Exod.* 8. *v.* 26. *Animalium quoq; imagines ab* Ægyptiis *cultæ.* Judæos Ægyptiorum *Diis ſerviiſſe. Vituli aurei cultus ex* Ægypto *allatus.* Vituli caput *Patribus, id eſt*, vitulus. *In* Homero, *&* Virgilio *ſimilis loquutio.* Hi ſunt Dii tui, *id eſt*, Hic eſt Deus tuus. *Enallage Numeri frequens, cum agitur de Deo. In idolo verum Deum à ſe coli prætexunt idololatræ. Ipſo viſu idololatras ad idolorum cultum incitari.* Judæorum *pro* Aarone *inanes apologiæ; cum eum accuſet* Moſes *ut graviſſimè reum. Et ipſe Deus eum voluerit perdere. Cur illum permiſerit Deus tam fœdè labi. Holocauſta, & pacifica vitulo oblata, ſed omiſſa ſacrificia pro peccatis. Idololatrica ſacrificia ſequuntur ſaltationes immodeſtæ.* Θαλύσιον, *quia* μετὰ τὸ θύειν. Θοῖναι, *&* θαλίαι *inde dictæ. Ebrietatis prima origo.* Epicharmus *emendatus. Cum* Iſraelitæ *leguntur ſurrexiſſe ut luderent, neq; ſcortationem intelligi, neq; effuſionem ſanguinis, ut* Hebræi *volunt.* Iſraelitas *non bibiſſe uſq; ad ebrietatem. Vox* οἶνος *in* Græca *verſione unde irrepſerit. Quomodo* Moſes *vitulum combuſſerit, & attriverit. Cur aquâ torrentis, hujus auri pulvere aſperſa, potaverit* Iſraelitas. *Rationes fabuloſæ. Locus* 1. Reg. 7. v. 6. *iſti parallelus non eſt, ut volunt. Non omnes idololatræ caſi, ſed pars longè minima.* Vulgatus *pro tribus* millibus *habet* viginti tria millia. *Cauſa myſtica, cur has aquas idololatris* Moſes *propinaverit. Quomodo hæc aqua omnibus ſufficerit.* Aaronis *vitulo quam ſimiles vituli* Jeroboami. *Cur hos vitulos conflaverit* Jeroboam. *Veræ rationes, &* Talmudicæ. *Cur ſæpe* vitulæ *vocentur Fœminino genere. Quid ſit*, multum vobis ab aſcendendo, 1. *Reg.* 12. *v.* 28. *Cur vituli* Dane, *&* Bethele *erecti. Sacerdotes quo ſenſu ſumpti dicantur* ex extremis populi. Jeroboami *inſtituta profana omnia. An per* ἀνθρωποθυσίας *vitulos coluerint. Quando vituli in* Aſſyriam *abducti ſint. Veteres non ſolum de victis gentibus; ſed etiam de Diis triumphaſſe.* Oſ. 5. v. 13. *&* 10. *v.* 6. *cur* Jareb *vocetur* Aſſyriæ *Rex.* Jeroboamum *non excuſant* Moſis *&* Solomonis *exempla; quorum hic boves æneos in Templo, & uterque* Cherubinos *in ipſo adyto poſuit. Cur* Alcoranus Aaronem, *qui conflavit vitulum*, Samaritanum *faciat.*

POſtquam de bovis uſu abundè actum eſt, ſequitur, ut de abuſu agamus. Hujus criminis rei fue-

fuerunt imprimis idololatræ, qui *mutaverunt gloriam suam in similitudinem bovis comedentis herbam*, Psal. 106. v. 20. De *Gentibus* dicit *Paulus* Rom. 1. v. 23. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*, &c. Sed de *Judæis* David, *Mutaverunt gloriam suam*. Et Deus ipse *Jerem.* 2. v. 11. *Populus meus mutavit gloriam suam in idolum. Gloriam suam*, id est, *Deum suum*; quia Deus *Judæorum*, non *Gentium* gloria fuit. Hinc *David* Ps. 3 v. 4. *Tu autem, Domine, susceptor meus es, & gloria mea.* Et *Psal.* 5. v. 11. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* Et *Psal.* 62. v. 8. *In Deo est gloria mea.* Et 1. *Cor.* 1. v. 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hinc per ipsum jam jurat, id est per Deum, 1. Cor. 15. v. 31. Meritò igitur exclamavit uxor *Phineas*, cum intellexit à *Philistinis* abductam fuisse arcam, quæ divinæ præsentiæ symbolum erat, *Translata est gloria ab Israele, quia capta est arca Dei.* Et in rei memoriam puerum tum sibi natum appellavit *Icabod*, quasi *inglorium*, aut *sine gloria* dixeris, id est, *sine vero Deo.* Deus igitur non solùm est gloriosus, sed etiam ipsa gloria; adeoque gloria non in se solùm, sed & nostro respectu, cum in eo solo gloriemur. At de idolis est planè secus, *Confundentur enim omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis*, Psal. 97. v. 7. Proinde passim in Scriptura idolum בשת vocatur, id est, *pudor*, & *confusio*: ut *Jerem.* 3. v. 24 & 11. v. 13. *Os.* 9. v. 10. &c. Et quia *Baal* erat infame idolum, ideò multa nomina promiscuè vel in *Baal*, vel in בשת *boseth*, aut *beseth* desinunt, id est, *confusionem*. Sic idem vocatur *Jerubbaal* Jud. 6. v. 32. & *Jerubbeseth* 2. Sam. 11. v. 21. Idem *Esbaal* 1. Par. 8. v. 33. & 9. 39. & *Isboseth* 2. Sam. 2. v. 8. Idem *Meribbaal* 1. Paral. 8. v. 34. & *Mephiboseth* 2. Sam. 4. v. 4.

In idolis porrò quid vilius, quid contemptius pecorum imagine, quæ Natura prona, atque ventri obedientia sint? Quò *Psaltes* respiciens *Judæos* dicit *mutasse gloriam suam* (id est, *Deum*) *in similitudinem bovis comedentis herbam.* Et ad majorem ἐξουθένωσιν *Chaldæus* addit ומאוסם *& se inquinantis*; nempe stercore suo, de quo *Sirachides* Eccles. 22. v. 2. Πᾶς ὁ ἀναιρούμενος αὐτὸν ἐκτινάξει χεῖρα, *quisquis tollet ipsum, excutiet manum.* Itaque non sine causa Dii tales גלולים, id est, *stercores* vocantur *Levit.* 26. v. 30. Deut. 29, 17. &c. Tamen in tœdum hunc errorem semel atque iterum inciderunt *Israelitæ.* Primò cùm in exitu ex *Ægypto*, unde illos eduxerat Deus tam potenti manu, vitulo aureo à se conflato divinos honores exhibuerunt. Secundò, cùm *Jeroboam*, facto schismate, vitulos in *Dane* & *Beth-ele* erexit, per quos *Israelis* decem tribus à veri Dei cultu avertit. Quod crimen audeo dicere fuisse priore gravius; quia non poterant peccato suo ignorantiam obtendere. De rei atrocitate abundè edocti tam à *Mose* Exod. 32. & *Deuter.* 9. v. 16. quam à *Davide* Psal. 106. v. 19. Præterea, cùm prius malum nonnisi paucas horas duraſſet, posterius in plura sæcula continuatum est. Et cùm *Israelitæ* in deserto resipuerint, quamprimum à *Mose* moniti sunt, longam *Prophetarum* seriem ad decem tribus Deus misit in cassum. Itaque cum prioris criminis pœna intra paucos constiterit, posterius aliter expiari non potuit, quam tota gente in tam remotas terras translata, ut ejus deinceps vestigia in Historiis nulla reperiantur.

Historia vituli in deserto conflati habetur *Exod.* 32. Occasionem hujusmodi Deos ab *Aarone* exigendi sumpsit populus ex mora *Mosis* in monte, unde non rediit nisi post quadraginta dies exactos, *Exod.* 24, 18. Quæ cum in Sacro Textu clara sint, tamen a *Judæis* in alienum sensum detorquentur. Nam ad *Hebræa* verba וירא העם כי בשש משה *Et vidit populus Mosen moram facere*, sic *Talmudici* Tractatu *De Sabbatho* cap. 9. pag. 89. a. אל תקרי בושש אלא באו שש בשעה שעלה משה למרום אמר להן לישראל לסוף ארבעים יום בתחלת שש אני בא לסוף מ׳ יום בא שטן ועירבב את העולם אמר להם משה רבכם היכן הוא אמרו לו עלה למרום אמר להם באו שש ולא השגיחו עליו מת ולא השגיחו עליו הראה להן דמות מטתו והיינו דקאמרי לאהרן כי זה משה האיש וגו׳ *Ne lege* בושש (id est, *moram fecit*) *sed* באו שש (id est, *venerunt*) *sex* (supple *horæ*) *Quippe cum in altum ascendit* Moses, *dixerat Israelitis*, " *In fine quadraginta dierum, in principio sex horarum* (à quibus incipiet dies quadragesimus) " *sum rediturus. Cùm igitur dies illi quadraginta complerentur, venit* Satan, *ut turbaret mundum, & dixit illis*, " *Ubi est* Moses *doctor vester? Responderunt, illum in altum ascendisse. At, inquit, venerunt sex horæ* (intra quas se rediturum promiserat) *Quod cum illi non curarent*, Mosem *occubuisse addidit. At cum nihilo magis moverentur, ostendit eis speciem feretri ejus: tum verò* Aaroni *dixerunt*, " *Nescimus quid de* Mose *factum sit*, &c. In *Bereschith Rabba* sect. 41. Diabolus ipsum *Mosem* ostendisse legitur תלוי בין השמים והארץ *suspensum inter cælum & terram.* In Paraphrasi *Jonathanis*, *Moses*, ut conjectabant, אשתלהב בטורא באשא מצלהבא מן קדם יי *consumptus fuerat in monte, in quo ignis à facie Dei fulgebat.* Itaque, tanquam à *Mose* duce suo destituti, petunt Deos visibiles, qui se præcedant. Quin si *Tanchumæ* credimus fol. 46. c. qui hoc ab *Aarone* petierunt, non fuerunt *Israelitæ*: sed ארבעים אלף שעלו עם ישראל ושנים חרטומים מצרים עמהם תשמותם יונס וימברס *quadraginta hominum millia, qui cum* Israelitis *ex Ægypto ascenderant, & Ægyptii Magi duo*, Janes, & Jambres *nomine.* Sed hæc frustra comminiscuntur, ut majores suos excusent ab idololatriæ crimine, cum nulli fraus non suboleat, qui non sit prorsus obesæ naris. Nam, si pro בושש legas באו שש, hiulca erit periodus, neque cum sequentibus hæc ullo modo cohærebunt. Præterea supponetur ætate *Mosis* dies in horas jam fuisse divisos, quod planè est ἀναχρονισμός; Diei enim in horas duodecim divisionem à *Babyloniis* inventam longè serius reliquæ gentes didicerunt, ut ex *Herodoto*, & aliis scimus. Hoc præcipuum, quòd si *Moses*, à Deo monitus, prædixit quo tempore esset rediturus, eo ipso momento rediit, quo prædixerat, nec fuit, cur populus morarum esset impatiens. Denique nihil falsius, quam solos peregrinos, qui *Israelitis* ex *Ægypto* excedentibus se adjunxerant, ab *Aarone* Deos petiisse. Nam versu primo populus ad *Aaronem* convenisse legitur: & versu tertio *totus populus* inaures ad eundem attulisse. *Nescimus enim*, inquiunt, *quid acciderit illi* Mosi, *qui nos ex* Ægypto *deduxit.* *Moses* autem solos *Israelitas* propriè deduxerat. Alii sponte sequebantur. Quid quod versu octavo vocantur *Israel*, & versu decimo tertio *posteri Abrahami*, & versu decimo quarto *Dei populus*? Itaque *Levitæ*, in reos animadversuri, non cædunt solos exteros, sed fratres, filios, amicos, proximos suos, obviorum nemini parcentes; quia communis erat reatus. Meritò igitur martyr *Stephanus* *Judæis* objicit, patres illorum *Aaroni* dixisse, *Fac nobis Deos*, &c. *Act.* 7. v. 39. 40.

Hac porro oratione quid absurdius, *Fac nobis Deos, qui nos præcedant?* Quasi pro Diis haberi possint, qui ab homine facti sunt, aut simulachra nos præcedere, (a) *quæ pedes habent, & non ambulant*, ut taceam monstrum τῆς πολυθεότητος hac oratione insinuari, quamvis non sit necesse, ut postea dicemus. *Aaron* autem summus Sacerdos, qui debuerat gliscenti malo totis viribus se opponere, tam impiæ orationi statim assentiens, *Tollite*, inquit, *inaures aureas, de uxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me*; nempe ut idolum ex iis conflem. Quod *Aaronis* crimen *Judæi* ut quomodocunque incrustent, fingunt *Hurem*, sororis ejus filium, ipso præsente fuisse occisum, quia populum increpaverat. Res sic narratur in

a) Psal. 115.

in *Semoth Rabba*, עמד עליהם חור ואמר להם קשׁי צוארא אין אתם נזכרים מה נסים עשה לכם הקב״ה מיד עמדו עליו והרגוהו נכנסו על אהרן שנאמר ויקהל העם על אהרן ואמרו לו כשם שעשינו לזה כך אנו עושים לך כיון שראה אהרן כך נתירא שנאמר וירא *Obstitit ipsis* Hur, *& dixit, Duri cervice, nonne signorum meministis, quæ in vestri gratiam fecit Deus Sanctus Benedictus? Hi vero, in Hurem insurgentes, eum statim interemerunt. Et in* Aaronem *congregati, prout dicitur,* " *Et populus* (b) *adversus* Aaronem *congregatus est, minitati se cum illo acturos, quomodo cum* Hure *egerant. Quod cum vidisset* Aaron, *territus est. Quo pertinet, quod legitur versu quinto,* וירא " *Et timuit.* Ibi nempe pro וַיַּרְא *Et vidit*, legi volunt וַיִּרָא *Et timuit.* Et huic falsæ lectioni totam hanc fabulam inædificant. Quam eandem referunt *Chaldæi* duo Paraphrastæ, *Tanchuma*, *R. Eliezer*, *R. Selomo*, & quis non? Sed eos abundè refellit ipsum *Mosis* silentium, qui tam illustre sui ex sorore nepotis martyrium haudquaquam dissimulasset. Addunt *Aaronem* ab *Israelitis* uxorum, & liberorum inaures ideo petiisse; quia credidit non facile concessuros, & sic negotium abruptum iri. Et verò mulieres huic consilio se constanter opposuisse fabulantur, atque inde esse, quod populus attulisse dicitur inaures aureas, quas habebant באזניהם *in auribus suis*, cum Affixo Masculino, non Fœminino. Absurdè, cùm Masculino genere uterque sexus contineatur. Neque hic satis sibi constant. Quid enim vero absurdius, quam populum, quem in idololatriæ barathrum tanto impetu ruisse volunt, ut virum unum è primariis, *Hurem* scilicet, illos officii sui monentem, morte mulctaverint, parsurum fuisse sumptibus ad idoli confectionem necessariis? *Aaron* igitur, sive metu, sive alio affectu præpeditus, apud se constituerat insanienti populo obsequi. Ac proinde jussit, ut aurum conferrent, ex quo conflaretur idolum: ut rei, per se vilissimæ, materiæ præstantia pretium, & dignitatem adderet. Qua ipsa de causa tot erexit aureas, atque argenteas statuas, veterum superstitio, potissimum inter Barbaros. Nam in *Græcia* minus fuit receptum, ut ex auro Dii fierent. Quin λίθινοι, ἢ χαλκοῖ ἅπαντες ἢ οἱ πολυτελέστατοι αὐτῶν ἐλεφάντινοι, ὀλίγον ὅσον τὸ χρυσοῦ ἐπιστίλβον ἔχοντες, ὡς ἐπικεχρῶσθαι, καὶ ὑπαυγάζεσθαι μόνον, *lapidei, aut ærei omnes, vel eorum pretiosissimi eburnei erant, pauculo auro renidentes, ut qui eo tantum intincti refulgerent.* Ita *Lucianus* in *Jove Tragœdo.* At res aliter se habuit apud Barbaros, qui, quod arti deerat, opulentia, & sumptibus compensare nitebantur. Itaque, apud eundem *Lucianum*, *Bendis Thracica*, & *Ægyptius Anubis*, & *Phrygius Attis*, & *Persicus Mithres* erant ὅλοι ὁλόχρυσοι, καὶ βαρεῖς, καὶ πολυτίμητοι ὡς ἀληθῶς, *ex solido auro conflati, graves, & magni re verâ pretii.* Unde est, quod aureos, & argenteos Deos *Prophetæ* passim memorant. Exempla vide *Es.* 2. *v.* 20. & 30. *v.* 22. & 31. *v.* 7. & 40. *v.* 19. *Jerem.* 10. *vers.* 4. *Dan.* 5. *v.* 23. *Os.* 2. *v.* 8. *Habac.* 2. *v.* 19. *Paulus* quoque *Actor.* 17. *v.* 29. & *Joannes*, *Apoc.* 9. *v.* 20. idolorum ex auro disertè meminerunt. Et *Ægyptios Judæis* hâc in parte exemplo suo præivisse his verbis docet *Moses*, *Deuter.* 29. *v.* 16. 17. *Novistis quomodo nos habitavimus in terra Ægypti, &c. Et vidistis abominationes, & stercoreos deos illorum, ligna scilicet, & lapides, argentum, & aurum, quæ sunt apud eos:* id est, *deos ligneos, lapideos, argenteos, & aureos.* Proinde *Israelitis* ex *Ægypto* exeuntibus hos nominatim interdixerat Deus *Exod.* 20. *v.* 23. *Deos*, inquit, *argenteos, aut Deos aureos ne facite vobis.* Tamen, contra verba Legis tam diserta & *Aaron* auctor est, ut Deo conflando aurum conferant, & ipsi libenter obsequuntur. Hoc porro aurum non visum: sit aliunde potuisse commodius sumi, quam ex uxorum inauribus, filiorumque,

b) Imo ad Aaronem.

& filiarum, *Exod.* 32. *v.* 2. Inaures enim ibi locorum utrique sexui communes erant. Proinde *Jud.* 8. *v.* 24. etiam *Ismaelitarum* milites aureas habent inaures. Et *Plinius*, ubi de auribus, lib. 11. cap. 37. *In Oriente quidem & viris aurum gestare eo loci decus existimatur.*

Natus ad Euphratem, *molles quod in aure fenestræ*
Arguerint, licet ipse negem. - - - -

Et vetus auctor apud *Suidam* in Ἄβγαρ de *Aucari*, *Osrhoenis* Regis filio, sub *Trajano* Imperatore, τὰ δὲ ἦν ἀμφω τὰ ὦτα τετρημένα, καὶ ἐξ ἀμφοῖν χρυσᾶ ἐνώτια ἐξηρτημένα. *Illi autem ambæ aures erant perforatæ, & ex utrisque aureæ inaures pendebant.* Itaque mos est translatus à *Syris*, & *Phœnicibus* ad *Pœnos*, de quibus *Plautus* in *Pœnulo* Act. 5.

- - - *quia incedunt cum annulatis auribus,*
Adibo ad hosce, atq; appellabo Punicè.

Et à *Pœnis* ad *Mauros*, ut in *Macrino* apparet. Is enim, quia *Maurus* erat, τὸ οὖς τὸ ἕτερον κατὰ τὸ τῶν Μαύρων ἐπιχώριον διετέτρητο, *habuit aurem alteram perforatam, ut est* Maurorum *consuetudo.* Ita legitur in *Dione Nicæo.* Et *Plutarchus*, in *Mario*, de *Jugurtha* captivo scribit, Οἱ δὲ ἀποδύοντες ἀφειδῶς βίᾳ τὸ χρυσοῦν ἐλλόβιον, ἅμα τῷ λοβῷ συναπέρρηξαν. *Alii, illi ut abripere auream inaurem properantes, unâ operâ lobum auris evulserunt.* Hæc obiter, ne miremur non solum uxores, & filias, sed & *Israelitarum* filios aureas habuisse inaures. Has porro, quamvis ad ornatum, ut erant tempora, pertinentes, *Aaroni* incunctanter dederunt, cùm quia in illo deserto minor fuit cura cultus corporis, tum quia prævalebat superstitio, quæ ne liberis quidem parcit, ut ex eorum patet exemplo, qui filios *Molocho* immolabant.

Aaron autem hoc aurum accepit, ויצר אותו בחרט *& ligavit* (seu *recondidit*) *illud in marsupio*, vel *& formavit illud stylo.* Hæ duæ versiones abinvicem tantum distant,

Quantum Hypanis Veneto *distat ab* Eridano.

Ambæ tamen magnos auctores habent, & *Hebræa* verba videntur utramque admittere. Nam צור, unde ויצר, quandoque *formare* est, ut יצר. Sic 1. *Reg.* 7. *v.* 15. ויצר *Et formavit duas columnas æreas*, & ex quorumdam sententia *Psal.* 139. *v.* 5. *Retrò, & ante* צרתני *formasti me.* Et *Esa.* 44. *v.* 12. *Et malleis* יצרהו *formabit illud.* Sed & idem Verbum צור *ligare*, & *recondere* significat, planè ut צרר. Sic *Deuter.* 14. *v.* 25. וצרת *Et ligabis* (vel *recondidisti*) *pecuniam in manu tua.* Et 2. *Regum* 5. *v.* 23. ויצר *Et ligavit duo argenti talenta in duobus marsupiis.* Et 2. *Reg.* 12. *v.* 11 ויצרו *Et ligaverunt* (seu *reconderunt*) *numeratam pecuniam, quæ in Domus domo inventa est.* Sed & חרט est ambiguum. Nam *stylum*, seu *calamum* significat, ut *Esa.* 8. *v.* 1. *Sume tibi grande volumen, & in eo scribe* בחרט אנוש *stylo hominis.* Unde Plurale חרטים *Esa.* 3. *v.* 22. id est, *mulierum acus crinales.* Præterea hoc idem חרט palam est pro *marsupio* sumi in eo loco, quem nuper citavimus ex 2. *Reg.* 5. *v.* 23. *Et ligavit duo talenta argenti* בשני חרטים *in duobus marsupiis.* Et vere observat *Kimchius Arabicam* esse vocem. Reperitur enim خريط vel خريطة pro *marsupio* in *Arabum* Lexicographis, & in *Arabica* Paraphrasi *Erpeniana* Deut. 25. *v.* 13. Neque est, quod mireris *stylo* & *marsupio* nomen esse commune: figura enim utrique est conica. Et conus dicitur *Arabicè* نخروط *Avicennæ* lib. 1. pag. 46. & in *Euclide Arabico* lib. 11. & passim in *Mathematicorum* libris. His ita observatis, non immeritò quæritur, utrùm *Mosis* verba ויצר אותו בחרט *Aaronem* aurum in marsupio recondidisse significent, aut verò, stylo formasse, ut ex eo fieret vitulus, cùm utramque versionem cum *Hebræo* textu stare posse jam appareat. Inter illas *R. Selomo* hæret ita medius, ut nesciat utram præferat. *Hæc verba*, inquit, *reddi possunt*

possunt duobus modis. Uno ita, ut ויצר *ligationem significet, &* חרט *sudarium, &c. Altero, quasi* ויצר *fiat à Nomine* צורה*, quod figuram sonat, &* חרט *sit aurificum instrumentum, quo in auro figuras incidunt, & insculpunt,* &c. Priorem *Jonathan*, posteriorem *Onkelos*, & *Græci* Interpretes sequuntur, &, ex *Hebræis*, *Kimchius*, ut è nostris *Pagninus*, *Munsterus*; *Arias*, *Junius*, *Castalio*, *Drusius*, *Piscator*, *Angli*, *Itali*, *Genevenses*, denique recentiorum quotquot videre licuit. Tamen, quod illorum pace dixero, hæc non satis cohærent, *Et formavit illud stylo* (vel *cælo*) *& fecit ex eo vitulum fusilem.* Quomodo enim *fusile* dicatur, quod *cælo formatum* est? Aut *cælo formari* vitulus, qui *ad ignem in typo fusus est?* Unde est, quod *Mosi* dicit *Aaron* versu 24. *Aurum ubi conjeci in ignem, prodiit iste vitulus.* Si, quod illi ferè respondent, *Aaronem* cælo dicas expolivisse vitulum, postquam in igne fusus fuerat: rursus quæretur, 1. Cur vitulum cælo formâsse dicatur, quem in fusione jam formatum solum expolivit? 2. Cur ordine præpostero hæc referantur, *Et formavit illud cælo, & fecit ex illo vitulum fusilem*, cum dicendum fuisset, *Et fecit vitulum fusilem, quem postea cælo expolivit?* 3. Quis *Aaronem* edocuerit artem auri cælo expoliendi, vel lævigandi? 4. Cum homini, haud dubiè harum artium rudi, multo tempore opus fuerit ad statuam hanc lævigandam: quomodo postridie fusionis festum indixerit in idoli hujus honorem celebrandum? 5. Si *Aaronem* respondeas, hoc per alium fecisse, tamen de illo alio idem quæretur. 6. Præterea, si apud *Hebræos* statuas igne fusas stylo lævigare moris erat, cur Scriptura, quæ fusionis, & fusilium meminit plus triginta locis, alibi ne semel quidem ea stylo expolita, & lævigata fuisse tradit? *Salomonis* ævo maximè, qui, ut in magnis opibus, & in summa pace vixit, ita majore pompa, & arte, fusilia Templi ornamenta elaborâsse credendus est. 7. Quid quod τῷ חרט, id est, *stylo*, vel *cælo*, sculpere, & cælare proprium est, non lævigare? Neque enim stylo, sed lima, & scalpro metalla expoliuntur. Proinde *Deut.* 9. *v.* 21. de hoc eodem vitulo in *Chaldæo* Paraphraste legas, ושפית יתיה בשופינא יאות *Et illum limâ bene limavi.* Quocirca, ut devitentur incommoda, quæ notavimus, verba *Mosis* sic reddenda sunt, *Et è manu eorum acceptum illud aurum in marsupio recondidit, & fecit ex eo fusilem vitulum.* Ut *Esa.* 46. *v.* 6. *Qui aurum è marsupio educunt, & argentum lance appendunt, conducunt aurificem, qui faciat ex eo Deum.* Quam loci *Mosis* interpretationem firmant duo loci similes: unus, quoad res; alter, quoad verba, de quorum significatione dubitatur. Prior *Jud.* 8. *vers.* 24. ubi *Gedeon*, victis *Ismaelitis*, petit à commilitonibus aureas *Ismaelitarum* inaures, quas ex præda reportaverant. Et libenter concessas veste super terram expansa excepisse legitur, atque *Ephod* ex iis fecisse; quo cum *Israelis* populus in idololatriam abusus esset, cessit id *Gedeoni* in ruinam, & toti ejus familiæ. Hæc historia nostræ non est absimilis. Nam, ut *Aaron*, ita *Gedeon* aureas inaures à populo petit, ut convertat in usum idololatricum: & has ultrò oblatas expansa veste accepisse dicitur, quomodo *Aaron* in marsupio recondidisse, ex interpretatione, quam asserimus. Alter locus jam bis citatus ex 2. *Reg.* 5. *v.* 23. ויצר ככרים כסף בשני חריטים *Et recondidit duo argenti talenta in duobus marsupiis*, tamen hic repetendus est, ut lector peritus observet in eo haberi utramque vocem in loco *Mosis* controversam, nempe ויצר, & חרט & in eadem constructione. Unde valde verissimili ratione colligere est, has voces utroque loco eodem modo esse explicandas. *Syrus*, & uterque *Arabs* in *Exodo* habent, *Et formavit illud in typo:* quasi חרט *typum* sonaret. *Jonathan* quoque in *Paraphrasi*, וצר יתיה בשושיפא ורמא יתיה בטופרא *Et recondidit illud in pallio, & conjecit in typum.* Quo eodem pertinet, quod חרט *Aben Ezra* דמות, id est, *similitudinem* exponit. Hi nimirum interpretes voci חרט coacti sunt novam, & inauditam notionem affingere, ne in ea incommoda inciderent, de quibus supra. Sed nihil necesse fuit, ut de typo *Moses* ageret; quia ex hoc ipso, quod vitulum vocat *fusilem*, illum satis sequitur ex typo fuisse expressum. *Judæi* tamen, semper inepti, nodum in scirpo quærunt, nec in hujus loci explicatione minùs laborant, quam si res esset valde obscura. Ideo maximè, quod *Aaron* scelus suum apud *Mosem* extenuans dicit versu vigesimo quarto, *Et conjeci illud* (aurum) *in ignem, & exiit iste vitulus*, nullâ typi facta mentione. Quod *Jonathan* sic παραφράζει, ותלקיתיה בנורא ועאל סטנא בגויה ונפק מניה דמות עגלא הדין *Et cùm in ignem conjecissem, in medium ejus* Satan *ingressus est, & inde exiit ista vituli figura.* In *Tanchuma* R. Jeremias *Aaronem* dicit aurum in ignem conjicientem, oculis in cœlum intentis, tali oratione apud Deum se excusâsse, *Ad te oculos attollo, O qui in cœlo habitas, tu, qui es καρδιογνώςης, scis hæc illos me invito facere. Tum verò* (inquit) *Magi accedentes magicis artibus vitulum formarunt.* Ibidem alii fabulantur *Micham*, quem in *Ægypto*, sub ædificio attritum, è mediis lateribus eripuerat *Moses*, tabulam sustulisse, in qua *Moses* scripserat עלה שור *Ascende bos*; & hanc in catinum, in quo erant inaures, cùm conjecisset, statim exivisse vitulum mugientem. Hunc verò מקרטע *exilientem Israelitæ* cum vidissent, statim exclamâsse, *Hi sunt dii tui*, ô Israel. Hanc fabulam ut illustret *R. Selomo*, *Mosem* ait ideò laminæ inscripsisse, *Ascende bos; Ascende bos:* ut, eâ in *Nilum* conjectâ, *Josephi* feretrum educeret, quod *Nilus* inundaverat. Et in vitulo probat fuisse spiritum vitæ, ex eo, quod dicit *Psaltes*, *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem bovis comedentis herbam.* Quale est, quod in *Capitulis Eliezer* R. *Juda* ad eundem bovem refert *Esaiæ* verba, *Novit bos possessorem suum:* Neque minus insulsum, quod apud *Aben Ezram Judæi* Astrologi nescio quam astrorum conjunctionem sibi fingunt in signo *Tauri* ad hunc vitulum efformandum. Quin pondus vituli definire audent. Probat enim *Rabbi Tanchuma* illud fuisse מאה ועשרים וחמשה קנטרין דאב *centum viginti quinque talentorum auri.* Ita etiam *R. Asi*, & *Baal Hatturim*; quia vox מסכה, id est, *fusilis*, valet numero CXXV. Itaque vitulus fusilis totidem talentis gravis esse debuit.

Sed, his missis, quæ recitâsse est refutâsse, venimus ad quæstionem, quam multi movent; quorsum *Aaron Israelitis* Deum formâ bovis exhibuerit, cui si quem è fæce vulgi similem esse dixeris, is pro gravi offensa habebit, cum tam hebeti, & stupido animali se conferri? Variæ sunt sententiæ. Quidam *Aaronem* putâsse volunt Deo bovis imaginem placituram imprimis, quomodo boum sacrificiis maximè delectabatur. Atqui hæc sunt ἀναπόλυθα. Quin ex eo ipso, quòd bos in victimam offerebatur, *Aaron* colligere debuit bovem pro Deo coli non posse. Quid enim absurdius, quàm ut idem animal & victima sit, & Deus, cui offerantur victimæ? Et bovis imagini veros & vivos boves mactari, & adoleri, quis ferat? Sunt, quibus videtur *Aaron* maluisse Deum populo sub tam ridiculo schemate exhibere, ut illum ab idololatria sic averteret. Quæ, si benè memini, *Procopii* est sententia. Sed *Aaronem* seriò egisse docent omnes textûs circumstantiæ. Ipse enim aurum acceptum fudit, ut vitulum ex eo faceret, & aram illi erexit, & festum consecravit, & sacrificia obtulit. Nihilo sanior est *Moncei* sententia, *Aaronem* hunc bovem finxisse ad exemplar *Cherubi*, cui Deum insidentem viderat, cùm apparuit Senioribus *Exod.* 24. *v.* 10. Ibi enim *Mosem*, *Aaronem*, *Nadab*, *Abihu*, & septuaginta Seniores vidisse Deum *Israelis* legimus, habentem sub pedibus tanquam opus lapidis sapphirini, aut tanquam cœlum cum serenum est.

est. At *Cherubo* fuisse vectum, eoque vituli specie nusquam legitur. Quin Deus disertè negat tum *Israëlitis* apparuisse ullius animalis speciem, *Deut.* 4,15. &c. Itaque nihil falsius, quam, quod sibi fingit *Moncaeus*, Deum vitulo vectum se præbuisse conspiciendum. Qua tamen assertione nititur tota libri moles *De vitulo aureo*, in quo *Aaronem* à peccato excusare nititur iis rationibus, quæ ipsi *Aaroni* in mentem non venerunt tum, cum à *Mose* accusatus est. Auctor *Scripturæ Mirabilium* sub *Augustini* nomine lib. 1. cap. 15 ad *Josephum* hoc referens, *Bovis*, inquit, *simulachrum juxta sepulchrum* Joseph *statuerunt, eò quod bos viro in agricultura cooperatur. Quâ etiam causa filii* Israel, *cum in deserto idolum adorare vellent, non aliam aliquam statuam, quam vitulum, id est, bovem fecerunt, hâc vel maximè causa, quod ipse in* Ægypto *juxta sepulchrum* Joseph *adoraretur.* Cui sententiæ in speciem favet, quod cultus *Serapidis*, vel *Sarapidis*, quem cum *Apide* eundem faciunt, à veterum nonnullis ad *Josephum* refertur. In his est *Julius Firmicus*, qui de *Josepho* dicit in libro *De errore profan. relig.* cap. 14. *Huic post mortem* Ægyptii, *patrio gentis suæ instituto, templa fecerunt. Et ut justam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modio esurientibus, & ementibus frumenta diviserat, capiti ejus superpositum est. Nomen etiam, ut sanctius coleretur, ex primo auctore generis accepit. Nam, quia Saræ pronepos fuerat,* Sarapis *dictus est* Græco *sermone, hoc est* Σαρᾶς ἄπο. *Ruffinus* quoque *Hist.* lib. 2. cap. 23. postquam *Sarapin* scripsit modium habuisse capiti superimpositum, *Quidam*, inquit, *in honorem nostri* Josephi *formatum perhibent simulachrum, ob divisionem frumenti, qua famis tempore subvenit* Ægyptiis. Et *Suidas* in Σαραπις, Τοῦτον οἱ μὲν Δία ἔφασαν εἶναι, οἱ δὲ τὸν Νεῖλον, διὰ τὸ μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ, &c. ἄλλοι δὲ τὸν Ἰωσήφ. *Illum quidam* Jovem *esse dixerunt, alii* Nilum, *quia modium habet in capite.* &c. *Alii* Josephum. *Sarapis* autem idem, qui *Apis*, si *Nymphiodoro Amphipolitæ* credimus, tradenti τὸν Ἄπιν τὸν ταῦρον, τελευτήσαντα, καὶ ταριχευθέντα εἰς σορὸν, ἀποτεθῆναι ἐν τῷ ναῷ τοῦ τιμωμένου δαίμονος, κἀντεῦθεν Σοροάπιν λεχθῆναι, καὶ Σάραπιν, &c. *Apim taurum mortuum, & conditum loculo, qui* σορὸς *Græcè dicitur, reponi in templo dæmonis, qui colitur, atque hinc* Soroapin, *vel* Sarapin *appellari.* Quem locum citant *Clemens* libro primo *Stromatum*, & *Eusebius* libri decimi capite duodecimo *Præparationis Evangelicæ*. Eodem pertinent hæc *Ruffini*, ubi supra; *Alii repertum in Historiis* Græcorum *veteribus ferunt,* Apin *quemdam patrem familias, seu Regem in* Ægypto Memphis *positum, cum famis tempore frumenta apud* Alexandriam *defecissent, ex proprio affatim civibus alimenta præbuisse. Quo defuncto, in honorem ejus instituerint apud* Memphis *templum, in quo bos quasi indicium optimi agricolæ nutritur, habens quædam coloris insignia, qui ex nomine ejus* Apis *appelletur.* Σορὸν *vero, id est, sepulchrum, in quo corpus ejus inerat,* Alexandriam *deduxerint, &* Soron Apis *primò ex compositione* Soroapin, *post vero per corruptionem* Sarapin *nominârint.* Quæ ipsa superioribus addit *Suidas*, &, nisi fallor, ex eodem fonte hausta. Ex his igitur inter se collatis colligit vir maximus, *Apim*, & *Sarapim* idem fuisse Numen, & *Ægyptios* in utroque *Josephum* coluisse: adeoque contendit ejus symbolum fuisse bovem *Apim* multis de causis. 1. Quia *Deut.* 33, 17. *Josephus bos* vocatur, aut certè cum bove confertur ab ipso *Mose*. 2. Propter interpretationem somnii *Pharaonis* de septem vaccis pinguibus, quas devoraverant vaccæ aliæ totidem aspectu fœdæ, & macie confectæ. 3. Quia cum *Josephus* tempore famis *Ægyptiis* optimè prospexerit, non potuit ullo aptiore, quàm bovis symbolo hoc beneficium exprimi: cum annonæ ratio tota ex agricultura pendeat, in qua bos homini laboris socius, tanquam *Cereris* minister, ut veteres illum indigetant. 4. Denique, cum *Hebræis* אב ab, *patrem*, שור sor, *bovem*; & שר sar, *principem* sonet: inde *Josephus Apis*, id est, *pater*, dici potuit, cum vocetur *pater Pharaonis* Gen. 45, 8. Item Σάραπις *princeps pater*, cum præfuerit toti *Ægypto*. Aut Σόραπις, *bos pater*, ob causas jam allatas. Hæc, ab eximio viro quanquam acutè excogitata, mihi tamen non persuadent, quod is probandum susceperat, *Josephum Ægyptiorum Apim* fuisse, aut sub bovis imagine ab iis cultum. Nam, quod tradunt quidam veteres, *Josepho* mortuo, propter accepta ab eo beneficia, divinos honores fuisse exhibitos, *Mosis* scriptis parùm consonat, ex quibus *Josepho* mortuo Regem alium surrexisse scimus, qui *Josephum* non noverat, *Exod.* 1. 8 id est, qui, nullâ ejus, nec fratrum, & posterorum ratione habitâ, gravissimam in eos tyrannidem exercuit. Huic Regi successit alius *Israelitis* æquè infensus, quem, in populi sui gratiam, Deus gravibus plagis afflixit, & tandem sub aquis demersit cum omnibus copiis suis. Unde mutuum inter *Judæos* & *Ægyptios* odium in plura sæcula duravit. *Josephum* igitur pro Deo in *Ægypto* fuisse cultum plane vero est absimile. Neque *Serapidis* apud eos cultus fuit ita vetustus. *Herodotus*, qui de Diis *Ægyptiorum* tam multa scripsit, de *Serapide* nè γρῦ quidem habet. Neque quisquam alius ante *Alexandri* tempora. Et plerique ex *Ponto* in *Ægyptum* advectum scribunt, ita procurante *Ptolemæo*. Advectionis historiam prolixè scribit *Tacitus*, *Historiarum* libro quarto. Eandem paucis prosequitur *Clemens* in *Protreptico*. Atque, ut *Serapidem* scias in locis circa *Pontum* jam olim fuisse notum, vetus Σαραπιεῖον, id est, *Serapidis fanum*, in ora *Propontidis* describit *Polybius* libro quarto. *Hiero* oppositum, ubi *Jasonem* fama est duodecim Diis sacrificâsse. At *Serapidis* in *Ægypto* nulla mentio ante quam ex urbe *Pontica Sinope* adveheretur. Proinde *Cypri* Tyrannus *Nicocreon*, qui tum vivebat, adventitii Dei novitate perculsus, cum per legatos solicitè rogavit, quis Deorum haberetur? Et superbum Dæmonis ea de re consulti responsum legere est *Macrobii Saturnalium* libri primi capite vigesimo. *Origenes* contra *Celsum*, inter Topicos quosdam Deos, quorum censum instituit libro quinto, Ναυκρατῖται δὲ, inquit, οὐ πάλαι (al. οὐ πάνυ πάλαι) ἀρξάμενοι, ὠνόμασαν Σαράπιν. *Naucratitæ non ita pridem* Serapim *inter Deos recensuerunt.* Sed intercedit quidem vir eximius, *Taciti* auctoritate fretus, cujus verba sunt, *Templum pro magnitudine urbis extructum loco, cui nomen* Rhacotis. *Fuerat illic sacellum* Serapidi, *atque* Isidi *antiquitus sacratum.* Ex quibus hujus Numinis in *Ægypto* vetustas aperte videtur adstrui: sed attentè legenti constabit his *Taciti* verbis nihil esse absurdius, nihil falsius. Narraverat enim *Ptolemæum*, cum *Alexandriæ* recens conditæ templa, & religiones adderet, per somnium fuisse monitum, ut, fidissimis amicorum in *Pontum* missis, hujus effigiem acciret, & visum suum Sacerdotibus *Ægyptiis* aperuisse. Quos cum *Ponti* reperisset, & rerum externarum parum gnaros, *Timotheum Atheniensem* à gente *Eumolpidarum*, quænam illa superstitio, quod Numen esset, interrogâsse? Neque ipsi *Timotheo* id aliter fuisse compertum, quàm per eos, qui in *Pontum* meâssent. Tum Legatos, & dona *Sinopensium* Regi *Scydrothemidi* misisse *Ptolemæum*. Quo cunctante multis de causis, rem tandem exacto triennio ægrè fuisse confectam. Hæc longioris historiæ summa, quam concidere totam necesse est, si sacellum jam antiquitus habuit *Serapis* in eo ipso *Alexandriæ* loco, in quo templum postea conditum. Neque enim *Ægyptii* ignorâssent *Serapis* qualem sit Numen: neque opus habuissent exteros eâ de re consulere, aut illius ex *Ponto* effigiem tanto molimine accersere: neque eo facto *Ptolemæus Alexandriæ* novas religiones addidisset. Hic igitur *Tacitus* palàm hallucinatur. Sed bene est, quod fontes erroris patent ex his *Clementis* (c) de *Ptolemæo*, Δεξάμενος τὸν ἀνδριάντα,

(c) In Protreptico.

δεισάντα κατίδρυσεν ἐπὶ τῆς ἄκρας, ἣν νῦν Ῥακῶτιν καλοῦσιν, ἔνθα καὶ τὸ ἱερὸν τετίμηται τοῦ Σαράπιδος. *Statuam acceptam posuit in promontorio, quod nunc* Rhacotin *appellant, ubi & Serapidis templum colitur.* Sensus est, *Ptolemæum* hanc *Serapidis* statuam posuisse ubi hodièque templum ejus est. *Tacitus* tamen, ut suspicor, ex similibus *Græci* Scriptoris verbis collegit jam anteà *Serapidis* sacellum ibi fuisse. 1. Quia τὸ ἱερὸν tam *sacellum*, quam *templum* sonat. 2. Quia τετίμηται Verbum est Præteriti temporis. Sed hujusmodi Præteriti significatio sæpe est Præsens. Sic 2. *Macchab.* 3, v. 12. ubi *Vulgata* rectè habet, *Templo, quod per universum mundum honoratur*; *Græcè* est, Τῷ τετιμημένῳ κατὰ τὸν σύμπαντα κόσμον ἱερῷ. Conjecturam hanc non parùm firmat, quod Historiam *Serapidis Tacitus* ità orditur, *Origo Dei nondum nostris auctoribus celebrata. Nostris*, id est, *Romanis*. Ergo ex *Græcis* illam hauserat, & fortasse ex illis ipsis, ex quibus *Clemens* non toto sæculo recentior. *Serapidis* porrò imaginem, ne quis *Apidi* bovi similem fuisse putet, ecce ejus descriptionem ex *Macrobio*! *Simulachro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem. Dexterâ parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis; pars verò læva cervicis rapacis lupæ capite finitur: easque formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram, quâ compescitur monstrum.* Neque satis constat, quem Deum tam portentosâ figura designari voluerint; Tamen pro *Plutone* plerique habent, ut *Plutarchus* in *Iside* ex *Archemacho Eubœensi*, & *Heraclide Pontico*; & alii apud *Diodorum*, *Tacitum*, *Clementem Alexandrinum*, &c. Eodem faciunt hæc *Hesychii*, Σάραπις, Περσικὸς χιτών, *&c.* Καλεῖται δὲ καὶ ὁ Πλάτων οὕτως. *Sarapis*, Persica tunica, &c. Pluto *etiam sic vocatur*. Nam pro Πλάτων legendum Πλούτων. Fateor tamen esse nonnullos, qui *Serapidem*, aut *Sarapidem*, si mavis, cum *Apide* confundunt. *Apollodorus* ferè initio libri secundi. *Apis, relatus inter Deos*, Sarapis *appellatus est*. Et de eodem *Clemens* libro primo *Stromatum*, Τοῦτον δὲ Ἀρίστιππος ὁ Ἀργεῖος ἐπονομασθῆναί φησι Σάραπιν. *Hunc autem Aristeas Argivus dixit Serapin cognominari*. Et *Augustinus* lib. 18. cap. 15. *De Civitate Dei*; Apis, *navibus transvectus in* Ægyptum, *cum ibi mortuus fuisset; factus est* Serapis, *omnium maximus* Ægyptiorum *Deus*. *Nymphiodorus* etiam, & *Ruffinus*, & *Suidas*, locis supra citatis, *Serapin* dici volunt quasi *Soroapin*, aut *Sorapin*, quod in *Apidis* templo conditus fuerit *Apis*. Et *Augustinus* eandem ex *Varrone* affert nominis Etymologiam. Sed *Plutarchus* in *Iside* illam meritò deridet his verbis, Πολλῷ δὲ ἀτοπώτερα τῶν λεγόντων ἐκ τοῦ Θεοῦ τὸν Σάραπιν, ἀλλὰ τὴν Ἄπιδος σορὸν οὕτως ὀνομάζεσθαι. *Multo absurdiora sunt, quæ quidam dicunt*, Serapidem *non esse Deum, sed* σορὸν, *seu sarcophagum* Apidis *sic nominari*. Nec minus futile, quod *Apis* in *Ruffino* legitur, *cum famis tempore frumenta apud* Alexandriam *defecissent, ex proprio affatim civibus alimenta præbuisse*: ut in *Suida*, Λιμοῦ δὲ γενομένου, τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν ἐκ τῶν ἰδίων τροφὴν παρέσχε. *Fame autem exorta*, Alexandrinis *è proprio victum præbuit*. *Apis* enim, qui multis sæculis ante conditam *Alexandriam* ab *Ægyptiis* coli cœpit, quomodo potuerit *Alexandrinis* in fame subvenire? Sed neque in *Josephum* hæc quadrant, qui obiit annis mille trecentis, & amplius, antequam *Alexander* de *Alexandria* condenda cogitâsset; neque *Alexandriæ* sepultus est, sed propè *Sichem* in terra *Chanaan*, Jos. 24, 32.

Philoni peculiare est, quod taurum aureum *Typhi*, seu *Typhonis*, in *Ægypto* maximè culti symbolum fuisse asserit, & ad hujus imitationem *Israelitas* vitulum aureum fabricâsse. Quod miror ab aliis non fuisse observatum, cum id sæpe repetat. Sic in libro *De Temulentia* huc alludens, Προσεπιβαίνειν ἀξιοῦσιν, ὡς θεοπλαστεῖν μὲν τὸ σῶμα, θεοπλαστεῖν δὲ παρ᾽ Αἰγυπτίοις μάλιστα τιμώμενον Τῦφον· οὗ σύμβολον ἦν τοῦ χρυσοῦ ταύρου κατασκευή, περὶ ὃν χορὺς ἱστάντες οἱ φρενοβλαβεῖς ᾖδον. *Prævaricari ausus est ita, ut corporeum Deum sibi fingerent, instar* Typhi, *quem* Ægyptii *maximè colunt: cujus symbolum fuit aurei tauri fabrica, circa quem insani choreas ducentes canunt*. Item, *Quisquis adcastra accedit, vitulum videt, ac choreas, quibus ipse adjungitur*: Τῦφον ὁρῶ, καὶ τοῖς Τύφου χορευταῖς ἐντυγχάνομεν. *In* Typhum *enim, & in* Typhi *saltatores incidimus*. Et libro tertio *De vita* Mosis, *Cum dixisset* Moses, *Si quis est Domini, veniat ad me, &c.* Τῶν μὲν ἀναλλοιώτων μὲν, ὅσοι τὸν Αἰγυπτιακὸν ἐζηλώκεισαν Τῦφον ἀφηνιάζοντες, οὐ προσεῖχον τοῖς λεγομένοις. *Alii quidem, fræno excusso, quia zelo fervebant erga* Ægyptium Typhum, *dicto non audierunt*. Item, Τεκτηνάμενοι ταῦρον χρυσοῦν, Αἰγυπτιακοῦ μίμημα Τύφου. *Tauro aureo fabrefacto ad imitationem* Ægyptii Typhi. Et libro *De Specialibus legibus*, Ταῦρον δὲ κατασκευασάμενοι χρυσοῦν, Αἰγυπτιακοῦ μίμημα Τύφου, θυσίας ἀνάγουσιν ἀθύτους καὶ ἑορτὰς ἀνεόρτους, καὶ χορὺς ἀχορεύτους. *Cum taurum aureum concinnassent ad* Ægyptii Typhi *similitudinem, sacra profana celebrarunt, & ferias nefastas, & choreas inordinatas*. Et libro secundo *De Monarchia*, Τὴν Αἰγυπτιακὴν ἐπείσαν ζηλοῦν ἠλιθιότητα, καὶ τὸν ἐγχώριον Τῦφον, ὃν ἐν ἀλόγοις ζώοις, καὶ μάλιστα ταύροις μυθοποιοῦσιν. *Persuaserunt* Ægyptiorum *stoliditatem sectari, & regionis illius* Typhum, *cui brutorum animantium, & taurorum maximè speciem affingunt*. Hos omnes locos congerere ideò necesse fuit, ut ex eorum collatione appareat, doctissimos viros, *Turnebum*, *Stephanum*, atque alios graviter falli, cum τῦφον hic pro *mania*, & *stultitia* sumunt, ut apud *Hippocratem*, *Plutarchum*, *Lucianum*, & *Suidam*: cum palam sit *Typhi* nomine aliquem intelligi, qui in *Ægypto* colebatur. Itaque *Philonis Typhus* ille ipse est, quem *Plutarchus* in *Iside Typhonem* vocat, magnum Dæmonem esse dicens, quique certis sacrificiis ab *Ægyptiorum* Sacerdotibus mulcebatur, ac deliniatur. Quamvis *Philo*, magno errore, *Typho*, vel *Typhoni* tribuat, quæ *Osiridis* erant propria. Neque enim *Typhus* vel *Typhon*, sed *Osiris* ab *Ægyptiis* in præcipuo cultu fuit, & pro symbolo taurum habuit. Ita *Diodorus* scribit τοὺς ταύρους τοὺς ἱερούς, τόν τε ὀνομαζόμενον Ἄπιν, καὶ τὸν Μνεῦιν Ὀσίριδι καθιερωθῆναι, *sacros taurostam* Apidem, *quàm* Mnevin Osiridi *esse consecratos*. Et *Strabo* lib. 17. de urbe *Memphi*, Ἔχει δὲ ἱερὰ, τό τε τοῦ Ἄπιδος, ὅς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις, ὅπου ὁ βοῦς Ἆπις ἐν σηκῷ τινι τρέφεται. *Habet etiam templa*, Apidis *nimirum, qui idem est* Osiris, *ubi bos* Apis *in delubro quodam alitur*. Et *Plutarchus* in *Iside*, Εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν. Apis *censendus est anima* Osiridis *pulchra esse imago*. Et alibi, Οἱ ἱερεῖς βοῦν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ περιβάλλοντες, ἐπὶ τὸ πένθος τῆς Θεοῦ δεικνύουσι· βοῦν γὰρ Ὀσίριδος εἰκόνα νομίζουσι. *Sacerdotes bovem auratis cornibus nigro amictu byssino induentes, in luctu Deæ* (*Isidis* pro *Osiridis* nece) *ostentant. Bovem enim putant esse* Osiridis *imaginem*. At *Typhoni* τῶν μὲν ἡμέρων ζώων ἀπονέμουσι τὸ ἀμαθέστατον, ὄνον, τῶν δὲ ἀγρίων τὰ θηριωδέστατα, κροκόδειλον, καὶ τὸν ποτάμιον ἵππον, *cicurum animalium stupidissimum tribuunt, asinum, & ferorum sævissima, crocodilum, & hippopotamum*. *Typhon enim* ab *Ægyptiis* non tam pro Deo est habitus, quam pro cacodæmone. Proinde ad illum referebant quidquid adversi accidebat, πάντα καὶ ζῶα, καὶ φυτὰ, καὶ πάθη τὰ φαῦλα, καὶ βλαβερὰ, Τυφῶνος ἔργα, καὶ μέρη, καὶ κινήματα ποιούμενοι, *omnia animalia, & stirpes, & affectus malos, & noxios, pro* Typhonis *operibus, & partibus, & motibus, habentes*. Et *eidem simpliciter imputantes* ὅσον ἐστὶν ἄμετρον, καὶ ἄτακτον ὑπερβολαῖς, ἢ ἐνδείαις, *quidquid in excessu, aut defectu immodicum, & inordinatum est*. Hæc omnia ex *Plutarcho*, cujus tractatum *De Iside* quisquis attentè leget, reperiet in *Ægyptiaca Typhonis* historia multa haberi, quæ ad *Mosem* pertinent, quamvis tot fabulis involuta, ut non facilè exsculpi possint.

Tale

Tale est, quod *Typhonem*, Regis *Osiridis* fratrem, ex eadem matre natum, quamvis ex diverso patre, narrant in Regem multa machinatum, συνωμότας ἄνδρας ἑβδομήκοντα καὶ δύο πεποιημένον, καὶ συνεργὸν ἔχοντα βασίλισσαν ἐξ Αἰθιοπίας παροῦσαν, *adscitis in conjurationem viris* LXXII, *& conatum adjuvante Regina Æthiopia illi adstante*: & post varia facinora, tandem ἐπὶ ὄνου τὸν Τυφῶνα τὴν φυγὴν ἑπτὰ ἡμέρας γενέσθαι, καὶ σωθέντα γεννῆσαι παῖδας Ἱεροσόλυμον, καὶ Ἰουδαῖον, Typhonem *asino vectum per septem dies fugisse, elapsumque filios genuisse*, Hierosolymum, *&* Judæum. E regia stirpe eum deducunt, & ex eadem cum Rege matre; quia filia *Pharaonis* *Mosem* infantem adoptaverat, cujus potuit esse filius ille *Pharao*, sub quo jam octogenarius *Moses* tot patravit miracula. Interim alibi in eodem libro *Phrygum* Historiæ citantur, ex quorum sententia Ἰσαάκε τοῦ Ἡρακλέως ὁ Τυφῶν, Typhon *est* Isaaci *filius*, *qui fuit ex stirpe* Herculis. Quod non minùs alienum, quam quod scribit *Cleodemus* apud *Josephum*, *Abrahami* ex *Chetura* filios Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι ἐπὶ Λιβύην, καὶ Ἀνταῖον, *duclu* Herculis *militâsse contra* Libyen, *&* Antæum. Notandum tamen ibi *Typhonem* ad *Isaacs* genus referri. Viros septuaginta duos ideo conjurâsse fingunt; quia *Mosi*, & *Aaroni* additi sunt septuaginta Seniores, qui *Israelitis* præessent. Regina *Æthiopia* illi comes fuit uxor *Mosis*, quam antiquissimæ Scripturæ versiones *Æthiopissam*, & *Judæorum* Historiæ Regis *Æthiopia* filiam fuisse asserunt. Fuga *Typhonis* est *Mosis* ex *Ægypto* excessus. Asino vectum fuisse dicunt, quomodo describitur *Moses* *Exod.* 4, 20. Et fugisse per septem dies, ut *Tacitus* de *Judæis* ex *Ægypto* profugis scribit *Historiarum* libro quinto; *Continuum sex dierum iter emensi, septimo, pulsis cultoribus, obtinuêre terras, in quibus urbs, & Templum, dicata sunt*. Utrobique pari errore, ex eo nato, quod Lex quieti destinat diem septimum. Eodem pertinent hæc *Trogi de Mose* lib. 36. *Montem Sinæum occupat, in quem septem dierum jejunio per deserta Arabiæ, cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem more gentis Sabbathum appellatum, in omne ævum jejunio sacravit; quoniam ille dies famem illis, erroremque finierat.* Imprimis id ridiculum, quod *Typhoni*, pro filiis, *Hierosolymum*, & *Judæum* assignant. Tamen vel hinc colligas *Typhonis* nomine *Israelitarum* ducem significari, à quo ex *Ægypto* deducti in *Chananææ* fines tandem *Hierosolymorum*, adeoque *Judeæ* totius compotes facti sunt. Sed nihil impudentius, quàm quod *Typhoni*, id est, *Mosi*, Regis sui scelera imputant. Rex edicto jusserat, ut omnes *Judæorum* filii in *Nilum* conjicerentur. Cujus edicti vestigia hodieque supersunt inter vicinos *Arabes*, qui quamvis cædem تغريق *thagrik*, id est, *demersionem* appellant, quia olim القابلة كانت تغرق المولود في الما للقتل *obstetrices in aquis infantes demergebant, ut occiderent.* Ita *Alcamus*. Huic igitur edicto mater *Mosis* invita obsequens, eum, arca inclusum, in ripa amnis exposuit. Sed in *Plutarcho* contrà, tanquam versis rerum vicibus, *Typhon* Regem *Osiridem* arcâ inclusum in *Nilum* conjicit. Atque, ut scias, mutatis nominibus, eandem rem agi, & ad *Mosis* historiam in fabula alludi, conjectus fuisse legitur διὰ τοῦ Τανιτικοῦ στόματος, *per Taniticum* Nili *ostium*, atque inde *Byblum* delatus. Nempe *Moses*, quoque creditur prope *Tanim* fuisse expositus, ubi tum erat regia, *Psal.* 78. *vers.* 12. & à filia Regis ibi fuisse repertus. Nec temerè prætereundum, arcam fuisse בסוף *in suph*, Exod. 2. versu 3. id est, in *alga Nilotica*, quæ est *papyrus*, vocabulo latius sumpto. Proinde *Es.* 19. *v.* 6. in Prophetia contra *Ægyptum Hebraicum* סוף *suph*, *Græci* πάπυρον reddunt, *Syrus* ܦܦܝܪܐ, *Arabs* البردي *Chaldæus*, גמא, id est, *papyrum*. Et in *Exodi* loco pro בסוף *Hieronymus* habet *in papyrione*, Arabs *Erpenii* في البردي *in papyro*, Jonathan, בגו גומיא *in medio papyrorum*. Quin arca ipsa fuit תבת גמא *arca papyracea*. *Arabs* explicat تابوت من بردي *Græci*, θίβιν παπύρου. *Josephus*. πάπυρον βύβλινον· *Suidas*, κιβώτιον ἐκ βύβλου λεπτόν ... *Clemens* (lib. 1. *Stromatum*) ἐκ βύβλου ... *Origenes*, Homil. 2. in *Exodum*) *genus tegminis ex virgis, aut ex papyro contextum*. Ibi enim ἡ βύβλος, id est, *papyrus*, magna copia provenit, ut alibi multis probavi. Inde igitur nata fabula, quam, præter *Plutarchum*, etiam *Lucianus* refert in libro *De Dea Syria*, hanc arcam ex ostio *Tanitico* in *Byblum* urbem per mare fuisse delatam, inibique ab *Iside* inventam. Cum re verâ ἐν τῇ βύβλῳ, id est, *in papyrione*, & ἐν θίβῃ ἐκ βύβλου, *in arca byblina*, seu *papyracea*, ut posita, ita etiam reperta fuerit. Itaque id, quod diximus, est verissimum, quod *Osiris*, à *Typhone* arca inclusus, in *Taniticum Nili* ostium conjectus, & ibi repertus fuisse fingitur, sumptum esse ex historia *Mosis*, sed mutatis personis, & Regis crimine in *Typhonem*, id est, *Mosem*, derivato. Sic, *Ælianus Hist.* lib. 10. cap. 21. *Apollonopolitæ* leguntur crocodilum odisse; quia dicunt Τυφῶνα ὑποδῦναι τὴν τούτου μορφὴν Typhonem *ejus formam induisse*. Sed quanto justiùs ad Regem id refertur, qui ut crocodilum feritate superabat, ita crocodili nomine gloriabatur. Alibi enim docebimus *Pharaonis* nomine *crocodilum* significari, ac proinde Regem *Ægypti* cum crocodilo conferri *Ezech.* 32, 2. Simili μεταστάσει *Typhonem* ajunt τῇ χρόᾳ πυῤῥόν, *colore rufum* fuisse; id *Hebræorum* duci tribuentes, quod Scriptura *Idumæorum* patri, qui à colore rufo *Edom* dictus est, *Gen.* 25, 25. Nempe *Judæos* & *Idumæos* quandoque sumi promiscue, nemo est, qui nesciat. Proinde *Jupiter Veneri* de *Vespasiano* dicit *Silius* libro tertio,

Palmiferamque senex bello domitabit Idumen.

Idumen, id est, *Judæam*. Et *Stephano* Ἰδουμαῖοι sunt ἔθνος Ἑβραίων. Et *Philargyro*, *Iduma* urbs *Judæa*. Quamvis eo recurrere nihil sit opus, si apud *Eusebium* (lib. 9. *Præparat.*) *Artabanus* verè asserit γενέσθαι τὸν Μωϋσον μακρόν, πυῤῥάκην, *&c.* Mosem *fuisse procerum*, *rufum*, &c. Opponet aliquis, *Mosem* fuisse forma eximium. Ita enim legitur *Exod.* 2. *versu* 2. ותרא אתו כי טוב הוא *Et videns eum esse pulchrum*; *Aquila* ἀγαθόν, sed *Septuaginta* melius ἀστεῖον, *Symmachus* καλόν, *Syrus* ܫܦܝܪ, *Arabs Erpenii* مليحا & *Parisiensis* حسنا omnes eodem sensu: sed & è *Suecia* MSS. unus حسنا جدا *valde pulchrum*, alter جميلا ضحوكا *venustum*, *vel venustè arridentem*; Jonathan, בר קיומי *procerum*. Stephanus *Act.* 7, 20. ἀστεῖον τῷ Θεῷ, *venustum Deo*, phrasi *Hebræa*, id est, *maximè venustum*, ut *Jon.* 1, 2. *Et* Ninive *erat urbs* גדולה לאלהים *magna Deo*, id est, *multo maxima*. *Philo* lib. 1 *De vita Mosis*, ὄψιν ἐπιφαίνων ἀστειοτέραν ἢ κατ' ἰδιώτην, *speciem præ se ferre visus venustiorem, quàm plebeii homines*. Et aliquanto post Regis filiam addit *eum à capite ad calcem contemplatam*, τήν τε εὐμορφίαν, καὶ εὐεξίαν ἀποδεξαμένη, *ejus formam, & bonam corporis habitudinem probâsse*. *Josephus* quoque. ἰδοῦσα τὸ παιδίον ὑπερηγάπησεν, μεγέθους τε ἕνεκα, καὶ κάλλους. *Cum vidisset puerum.*

rum, tum proceritatis, quam formæ ratione maximè dilexit. Huic porrò formæ parùm convenire videbitur rufus capillitii color, qui inter malitanimi χαρακτῆρα ponitur in *Martialis* Disticho notissimo,

Crine ruber, niger ore, &c.

Sed vetustiores patet hunc colorem probâsse, ex eo, quod de *Davide* dicitur 1. *Sam.* 16. *v.* 12. *Erat rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie.* Et rursus cap. 17. versu 42. *Erat adolescens rufus, & pulcher aspectu.* quibus hæc *Festi* consona; Rutilius *rufum significat, cujus coloris studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt.* Nec frustrà est, quod legitur *Typhon Osiridem* in partes quatuordecim discerpsisse. *Moses* enim totidem partes, id est, totidem populos, è regni corpore avulserat, quos facile est dinumerare. Nam ex *Jacobi* filiis duodecim natæ sunt tredecim tribus, nempe singulæ ex singulis, præterquam ex *Josepho*, ex quo duæ tribus ortæ sunt, *Ephraim*, & *Manasse*. Hæ tredecim tribus sunt partes totidem ex *Osiridis* corpore avulsæ. Quibus accessit decima quarta, *miscellanea scilicet turba multa, quæ ascendit cum eis.* Exod. 12. v. 38. *Moses* vocat אספסף, id est, *promiscuam convenarum turbam*, Num. 11, 4. Hos ad quadraginta millia fuisse, & duces habuisse *Janem & Jambrem*, *Hebræi* ex *Tanchuma* probant. Ad eundem *Typhonem* referunt ζῶα τὰ φαῦλα, καὶ βλαβερὰ, *animalia mala, & noxia*; quia *Moses*, ranis, pediculis, muscis caninis, & locustis in *Ægyptiorum* perniciem usus est. Εἰσὶ δέ τινες οἳ τὸ σκίασμα τῆς γῆς, εἰς ὃ τὴν σελήνην ὀλισθαίνουσαν ἐκλείπειν νομίζουσι, Τυφῶνα καλοῦντες. *Nec desunt, qui umbram terræ, in quam Lunam illapsam deficere existimant,* Typhonis *nomine indigetent.* Quia scilicet *Mosem* triduanas tenebras in *Ægyptum* induxisse succurrebat. Præterea, τὴν θάλασσαν οἱ ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται, καὶ τὸν ἅλα Τυφῶνος ἀφρὸν καλοῦσι, καὶ τῶν ἀπηγορευμένων ἓν ἐστιν αὐτοῖς ἐπὶ τραπέζης ἅλα μὴ προτίθεσθαι. καὶ κυβερνήτας οὐ προσαγορεύουσιν, ὅτι χρῶνται θαλάττῃ, καὶ τὸν ἰχθὺν ἀπὸ τῆς θαλάττης ἔχουσιν· οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τὸν ἰχθὺν ἀπὸ ταύτης διαβάλλουσι τῆς αἰτίας, καὶ τὸ μισεῖν ἰχθύϊ γράφουσι. *Mare execrantur Sacerdotes, & salem Typhonis spumam vocant, ipsisque inter alia interdictum est, ne salem in mensa apponant. Neque salutant navium gubernatores, quia mari utuntur, & victum suum è mari petunt: piscemque eadem de causa non parum aversantur, & odium per piscem describunt.* Memores nempe ad *Mosis* nutum mare refluum, Regem, & Regis copias universas sic obruisse, ut ne unus quidem cladis nuntius superfuerit. Unde *Mosi* crediderim Τυφῶνος nomen ab *Ægyptiis* esse inditum. Quia ut *Hebræis* צוף *tsuph*, ita *Syris* ܛܐܦ *tup*, *inundare* est, & ܛܘܦܢܐ *tuphana*, *inundatio*, quomodo *Arabibus* طوفان *tuphan.* *Ægyptios* igitur, qui ex *Syris*, & *Arabibus* multas voces mutuati sunt, id ipsum vocabulum usurpâsse, atque inde *Mosem* appellâsse, vero consentaneum est, quia Rubri maris exundatione tam Regem, & Magnates, quàm immensam popularium suorum turbam demerserat. Neque hic omittendum, quod Scriptura breviter quidem, sed disertissimis verbis docet, qua nocte *Israelitæ* ex *Ægypto* excesserunt, *Dominum in omnes Ægypti Deos judicia exercuisse.* Exod. 12, 12. & Num. 33, 4. Tamen quale fuerit hoc judicium, non expressit. Itaque Interpretes multa comminiscuntur. Et *Jonathan* quidem in Paraphrasi Deum inducit sic loquentem, ובכל טעוות מצראי אעבד ארבעתי דינין טעוות מתכא מתרככן טעוות אבנא מתגדעין טעוות פחרא מתעבדין בקיקין טעוות אעא מתעבדין קטם דינדעון מצראי ארום אנא יי *In omnia Ægyptiorum idola quatuor judicia exercebo. Idola fusilia liquescent; idola lapidea confringentur; idola fictilia in frusta dissilient, & idola lignea in cinerem redigentur:* *ut sciant Ægyptii me esse Dominum.* *R. Eliezer* cap. 48. *Cum egressi sunt* Israelitæ *ex Ægypto, quid fecit Sanctus Benedictus? Deturbavit omnes imagines abominationum ipsorum, juxta illud,* " *Et in* " *Deos illorum exercuit judicia.* *Artabanus* (d) dicit motu terræ concidisse τῶν ναῶν τοὺς πλείστους, *pleraque templa.* Unde petita ex parte crediderim hæc *Hieronymi* ad *Fabiolam* Epist. 127. *Illud Hebræi autumant, quod nocte, quâ egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sunt, sive motu terræ, sive ictu fulminum.* Et *Trogi* lib. 36. *Dux exulum factus Moyses sacra Ægyptiorum furto abstulit, quæ repetentes armis Ægyptii domum redire tempestatibus compulsi sunt.* In his quædam falsa; quædam incerta. Tantum hoc scimus in commentitia *Ægypti* numina verum Deum *Mosis* ministerio graviter animadvertisse; cum, in multas ætates duraverit pœnæ tum inflictæ memoria, quamvis portentosis fabulis quasi sepulta, & propè obruta. Huc enim pertinet, quod *Typhonis* metu Deos in variis animalium formis aliquamdiu latuisse fabulantur. *Apollodorus* lib. 1. *Dii in Ægyptum properabant, & ubi illum* (Typhonem) *insequentem viderent, in varias animantium formas sese quisque transmutabat.* *Hyginus* Fab. 196. *Dii in Ægypto, cum Typhonis immanitatem metuerent, Pan jussit eos, ut in feras bestias se converterent, quo facilius eum deciperent.* *Suidas* in Τυφῶν, Ἐς ἀλόγων ζώων μετεβάλλοντο μορφὰς διὰ τὸν ἐκείνου φόβον, *Ejus metu in brutorum animantium formas se convertebant.* Nempe, si *Plutarchum* sequimur, in formas ἴβεων, καὶ κυνῶν, καὶ ἱεράκων, *ibium, canum, & accipitrum.* Sed ex *Nicandro* multò plura *Antonius liberalis* in *Typhone*, Ἀπόλλων μὲν ἐγένετο ἱέραξ, Ἑρμῆς δὲ ἶβις, Ἄρης δὲ λεπιδωτὸς ἰχθὺς, Ἄρτεμις δὲ αἴλουρος (lege αἴλουρος) τράγῳ δ' εἰκάζεται Διόνυσος, νεβρῷ δὲ Ἡρακλῆς, βοὶ δ' Ἥφαιστος, μυγαλῇ δὲ Λητώ. *Apollo quidem factus est accipiter*, Mercurius *ibis*, Mars *lepidotus piscis*, Diana *felis*, Bacchus *autem in hircum mutatus est*, Hercules *in hinnulum*, Vulcanus *in bovem*, Latona *in murem araneum.* *Ovidius* quoque lib. 10. *Metam.*

Huc quoque terrigenam venisse Typhoëa *narrat,*
Et se mentitis Superos celâsse figuris.
Duxque gregis, dixit, fit Jupiter: *unde recurvis*
Nunc quoq; formatus Libys *est in cornibus* Ammon.
Delius *in corvo, proles* Semeleia *capro,*
Fele soror Phœbi, *nivea* Saturnia *vacca,*
Pisce Venus *latuit*, Cyllenius *ibidis alis.*

Et *Diodorus* libro primo vult hæc animalia in *Ægypto* coli, quia, cum terrigenæ gigantes in Deos insurrexissent, διὰ τὸ δεισαντες τοὺς τότε ἀνθρώπους τὴν ὠμότητα, καὶ βίαν αὐτῶν, *eorum vim, & sævitiam Dii hoc modo effugerant.* Quâ fabula, si quid video, significatur *Ægyptios* idola sua è templis detracta in pecorum stabulis, & sterquiliniis, aut etiam in ferarum lustris, & latibulis, *Mosis*, & *Israelitarum* ex *Ægypto* turmatim excedentium metu, abscondisse, ut tutius laterent. Quomodo *Rachel Labanis* idola abdidit sub cameli clitellis *Gen.* 31. *vers.* 34. Et aureos etiam, argenteosque Deos in talparum foramina, & vespertilionum latibula cultores sui dejiciunt, *Es.* 2, 20, 21. Ut ut sit, *Ægyptii* à *Typhone*, seu *Mose*, tot modis malè mulctati, tamen eum, servili metu adacti, aliquo modo colebant, sed quomodo *Romani* Febrim, & *Græci* Furias, ne scilicet nocerent. Atque ita, ut in ejus cultu essent valde varii, & parùm sibi constarent. Quandoque enim, ut *Plutarchus* auctor est, cum παραμυθοῦσι θυσίαις, καὶ πραΰνουσι, *sacrificiis demulcent, & deliniunt*; sed, vice versâ, quandoque ἐπιταπεινοῦσι, καὶ καθυβρίζουσιν ἔν τισιν ἑορταῖς, τῶν μὲν ἀνθρώπους τοὺς πυῤῥοὺς καὶ προπηλακίζοντες, ὄνον δὲ κατὰ κρημνίζοντες, ὡς Κοπτῖται, διὰ τὸ πυῤῥὸν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα, καὶ ὀνώδη τὴν χρόαν, *quibusdam festis eundem deprimunt,*

d) Apud Lat. lib. 9. Præp.

&

& contumeliis afficiunt, rufos quidem homines probris insectantes, asinum verò etiam præcipitem dejicientes, ut Coptitæ; *quia rufus fuit* Typhon, *& asinini coloris.* Addit, asinum propter id ipsum pro immundo haberi, & δαιμονικὸν ζῶον, *Busiritasque*, & *Lycopolitas* à tubis abstinere; quia ruditus sonum referunt: nec nisi rufos boves mactari in *Typhonis* odium. Est igitur, quod *Philonem* miremur (virum impensè doctum, & in Ægypto natum, fratremque Alabarchæ *Alexandrini*) de *Ægyptio Typho*, vel *Typhone* verius, ita egisse, quasi hæc ignoraverit. Eum enim describit tanquam Deum ab *Ægyptiis* μάλιςα τιμώμενον, *maximè cultum*, & qui pro imagine, vel symbolo taurum habuerit. Cum *Typhonis* pro tauris asinos, & crocodilos, & hippopotamos *Ægyptii* consecraverint, neque illum alio numero habuerint, quam quo habebantur apud *Græcos* οἱ ἀλάςορες, καὶ παλαμναῖοι θεοί.

Misso igitur *Typho*, & *Typhone*, *Philoni* tamen ex parte accedimus, qui vitulinæ illius superstitionis originem ex *Ægypto* rectè arcessit, ubi vituli, & boves in plurimo cultu fuere. Ita *Memphitarum* Deus fuit *Apis*, & *Mnevis Heliopolitarum*: quod nemo nescit. Et sacræ vaccæ idem honor præstitus est à *Momemphitis*. Alibi boves non quidem Dii, sed tamen sacri habiti. Quæ omnia sic paucis expedit *Strabo* lib. 17. ubi de *Momemphi*, & *Momemphitis*: Τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερά, καθάπερ ἐν Μέμφει. ὁ Ἆπις ἐν Μέμφει (lege καθάπερ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις) ἐν Ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις· οὗτοι μὲν οὖν θεοὶ νομίζονται. οἱ δὲ παρὰ τοῖς ἄλλοις, καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς γὰρ δὴ ἔν τε τῷ Δέλτα, καὶ ἔξω αὐτοῦ, τοῖς μὲν ἄῤῥην, τοῖς δὲ θήλεια τρέφεται· οὗτοι δὲ θεοὶ μὲν οὐ νομίζονται, ἱεροὶ δέ. *Sacram ibi vaccam alunt, ut* Apis *quidem* Memphi, Heliopoli *autem* Mnevis *nutriuntur. Atque illi quidem Dii putantur. At qui alibi aluntur (à multis enim tam in* Delta, *quam extra* Delta *bos alitur mas, vel fœmina) dii non putantur, sed sacri.* Proinde idem alibi, Τινὰ μὲν γὰρ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία. βοῦν, κύνα, αἴλουρον. *Quædam animalia universi colunt* Ægyptii, *ut terrestrium tria, bovem, canem, felem.*

Ut perfectior sit probatio, tria hic observanda. Primò, brutorum cultum apud *Ægyptios* jam olim obtinuisse, & antequam *Israelitæ* ex *Ægypto* excederent usurpari cœpisse. Itaque cum *Mosi*, & *Aaroni* dixit *Pharao*, *Ite, sacrificate Deo vestro in hac terra*, respondit *Moses*, Exod. 8 v. 26. *Non convenit ita facere, quia abominationem* Ægyptiorum *sacrificaremus Domino Deo nostro. Ecce! si sacrificaremus abominationem Ægyptiorum ante eorum oculos, nonne lapidarent nos? Abominationem Ægyptiorum*, id est, boves, & oves, quibus in abominabilem idololatriam abutuntur. Gentium enim idola *abominationes* appellant Sacri Scriptores *Deut.* 7. *v.* 25. & 12. *v.* 30. 31. 2. *Reg.* 23. *v.* 13. *Esd.* 9. *v.* 1. *Esa.* 44. *v.* 19. Vel *abominationem Ægyptiorum*, id est, sacrificium, quod *Ægyptiis* erit abominationi, nequaquam perpessuris, ut ea immolemus animalia, quæ ipsi colunt, quomodo accipiunt *Chaldæi* Interpretes. Secundò, id quoque notandum, *Ægyptios* eorum animalium, quæ viva coluerunt, statuas passim in templis erexisse. *Mela* lib. 1. cap. 9. *Colunt effigies multorum animalium, atq; ipsa magis animalia.* *Strabo* lib. 17. ubi de eorum templis, Ξόανον δὲ οὐδέν, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός, *Simulachrum verò nullum, aut non ad hominis formam, sed bestiæ alicujus, effictum.* Proinde Rex *Mycerinus* filiam suam in ligneæ bovis auro obductæ utero condiderat, cui *Saitæ* quotidie omnifarios odores adolebant. Sic habetur in *Herodoto* lib. 2. Et apud *Stephanum De urbibus* voce Βούσιρις: Ἐκεῖ λέγεται θάψαι τὸν Βούσιριν (lege Ὄσιριν) Ἶσις, ἐμβαλοῦσα εἰς ξυλίνην βοῦν. ὅθεν τε Βουσόσιριν τὴν πόλιν. Vult *Osirin* ibi sepultum a matre *Iside* ligneo bovi fuisse inclusum, à quo urbs primò *Busosiris*, deinde per contractionem *Busiris*

dicta fuerit. Itaque fallitur vir doctus, qui viva solùm animalia, non eorum effigies coluisse vult *Ægyptios*, nec boum simulachra in eorum sacris fuisse adhibita uspiam legi. Tertiò, certum est *Judæos*, dum *Ægyptiis* serviebant, eorum quoque Diis serviisse. In quam rem disertè *Josue* cap. 24. v. 14. *Auferte Deos, quibus servierunt patres vestri in* Mesopotamia, *& in* Ægypto. Et *Ezechiel* cap. 20. v. 7. 8. *Edixeram eis, unusquisq; offensiones oculorum suorum abjiceat. Et stercoreis* Ægypti *Diis nolite pollui. Ego sum Dominus Deus vester. Sed in me rebellaverunt, nec audire voluerunt. Quisque oculorum suorum offensiones non abjecerunt, & stercoreos* Ægypti *Deos non reliquerunt.* Et *Ezech.* 23. *v.* 3. *Scortatæ sunt in* Ægypto, *in adolescentia sua scortatæ sunt.* Et versu 8. *Scortationes suas ab* Ægypto *allatas non dereliquit.* Ex quibus videtur sequi, *Judæos* ad *Ægyptiorum* exempla se composuisse, cum vitulum aureum in deserto fusum adorârunt. Quò commodè referuntur hæc *Stephani* protomartyris *Actor.* 7. *v.* 39. *Aversi sunt cordibus suis in* Ægyptum, &c. *Et vitulum fecerunt.* Rectè igitur de iisdem *Lactantius* lib. 4. c. 10. *Ad profanos* Ægyptiorum *ritus animos transtulerunt. Cum enim* Moses *dux eorum ascendisset in montem, atq; ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant* Apim, *quod eos signo præcederet, figurârunt.* Et *Hieronymus* in *Os.* 4. *Videtur autem mihi idcirco & populus* Israel *in solitudine sibi fecisse caput vituli, quod coleret, &* Hieroboam, *filius* Nabat, *vitulos aureos fabricatus, ut quod in* Ægypto *didicerant*, Ἆπιν, καὶ Μνεῦιν, *qui sub figura boum coluntur, esse Deos, hoc in sua superstitione servarent.* Et *Augustinus* in *Psal.* 73. *Vitulus ille, quem adoravit populus infidelis, & apostata, quærens Deos* Ægyptiorum. Et *Basilius Seleucensis* Orat. 6. Προσεκύνουν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθάπερ ἐν Αἰγύπτῳ, τῷ μόσχῳ, *Vitulum in deserto, sicut in* Ægypto, *adorabant.* Obiter nota pro *bove*, vel *vitulo*, Lactantium *caput bovis*, & Hieronymum *caput vituli* dixisse. Quomodo *Tertullianus* adversus *Judæos* cap. 1. *Cum præcessisset eis bubulum caput.* Et *Cyprianus* De bono Patientiæ, *Ut itineris sui duces nuncuparet caput bubulum, & terrestre figmentum.* Et *Ambrosius*, *De Pœnitentia* lib. 1. cap. 8. *Vituli caput fidei immemores adoraverunt.* Et in *Exodum*, *Conflatum est vituli caput.* Item, *Cur autem vituli caput exierit, sequentia docent.* Item, *Fregit tabulas* Moyses, *& comminuit vituli caput.* Et *Optatus* lib. 3. *Temporibus* Mosis *populus* Israel *caput vituli coluit.* Et *Hieronymus* in *Ose.* 7. *In eremo vituli conflaverunt caput.* Et in *Amos* cap. 5. *Aurum in caput vituli transformarunt.* Et *Augustinus* in *Psal.* 61. *Caput vituli corpus erat impiorum.* Et *Isidorus*, *Originum* lib. 8. cap. 11. ubi de *Apide Ægyptio*, *Hujus capitis imaginem sibi in eremo videri fecerunt*, lege *Judæi fecerunt.* Et sententiæ Patrum septimæ *Synodi* de imaginum usu, ὅτε τὴν χρυσὴν τοῦ μόσχου κεφαλὴν ἐχωνεύσαντο, *Cum aurei vituli caput ex tempore fecit.* Et *Eutychius Alexandrinus* lib. 1. *Hist.* pag. 106.

اخذوا حلي نساهم فسبكوه فخرج لهم راس عجل *Mulierum suarum mundum ceperunt, & fuderunt, & exiit ipsis caput vituli.* Quod mirabitur lector, cùm Scripturæ locis, ni fallor, decem, *Israelitæ* (e) *vitulum* conflasse, & adorâsse, & *Moses* vitulum contrivisse legatur, nusquam *vituli caput*. Non tamen est, quod quisquam hoc idolum sibi fingat ex mente veterum solum vituli caput, cætera hominis habuisse, quomodo apud *Herodotum* muliebre *Isidis* simulachrum fuit βούκερων. Quin bovis, aut vituli caput nihil aliud, quàm bovem aut vitulum significat. Sic *Iliad.* ψ'. versu 260. in ludis ad *Patrocli* funus, *Achilles*, pro decertantium præmiis, è navibus adduci curavit

(e) *Exod.* 32. *v.* 4. 8. 19. 20. 24 *Deut.* 9. 16. 21 *Psal.* 106 19. 20 *Nehem.* 9. 18. *Act.* 7. *v.* 41.

Ἵππους

ἵππους θ', ἡμιόνους τε, βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα,
Equosq; , mulosq; , & boum fortia capita, id est, περιφραστικῶς βοῦς, *periphrasticè boves*, ut ibi *Scholiastes*. Rursus Hymno in *Mercurium* boves *Apollinis*, ab eo per dolum amotæ, ter appellantur βοῶν ἴφθιμα κάρηνα. Quod *Poeta* sic imitatur lib. 5. *Æn.*

Bina boum vobis Troja *generatus* Acestes.
Dat numero capita in naves. - - -

Bina boum capita, id est, *binos boves*.

Hæc de vituli fusione. Jam sequitur abusus, primò populi, qui dixit, *Hi sunt Dii tui*, ô Israel, *qui ex Ægypto te eduxerunt*: secundò *Aaronis*, qui *vidit*, *& altare extruxit coram eo, proclamavitq; dicendo, Cras erit festum Domini.* Et in populi verbis videbitur esse ἀσύστατον, quod de uno vitulo dicunt, *Hi sunt Dii tui, ô Israel*; quasi in uno vitulo plures Deos conciperent. Sed fatendum ibi Plurale pro Singulari usurpari, quod sæpe fit, cum de Deo res est. Sic *Abraham*, qui non nisi unum Deum agnoscebat, dixit tamen *Gen.* 20, 13. התעו אתי האלהים *Errare me fecerunt Dii è domo patris mei.* Et *Gen.* 35. *v.* 7. Jacob *vocavit locum* Beth-el, *quia ibi* נגלו אליו האלהים *revelati fuerant illi Dii.* Et *David Psal.* 149. *v* 2. *Lætetur* Israel בעושיו *in factoribus suis.* Et *Solomon* Eccl 12. *v.* 1. *Memento* את בוראיך *creatorum tuorum.* *Philistæi* quoque, quamvis scirent unum Deum in *Israele* coli, ejus tamen metu perculsi, *Quis nos liberabit*, inquiunt, *e manu Deorum illustrium istorum; Hi sunt Dii, qui percusserunt Æ*gyptios. Proinde hæc accepit *Jonathan* tanquam Singulari numero dicta de uno Deo. Ita etiam *Theodoretus* in lib. 1. *Regum* Quæst. 10. Neque dubium, quin *Israelitæ* idem his verbis voluerint, *Hi sunt Dii tui, ô Israel.* Quod palam docent sequentia, *qui è terra Ægypti te eduxerunt.* Quibus non significabant, se ab hoc idolo fuisse erutos, quod inanimatum esse sciebant, & nuper fusum: sed, ne viderentur idololatræ, credi voluerunt verum Deum à se in hoc idolo coli. Quod ipsum *Aaron* respiciens *festum Jehovæ* vocat versu sequente festum illi vitulo sacrum, quasi vituli illius cultus ad Deum pertineret. *Micham* etiam, qui *Theraphim*, & *Jeroboamum*, qui vitulos fuderunt, idem prætexuisse patet ex *Judic.* 17. *v.* 3. 13. & 1. *Reg.* 12. *v.* 28. Quod tamen fuit inane subterfugium, nec eos ab idololatriæ crimine coram Deo liberavit. Hanc *Israelitis* fuisse mentem, & verbis, *Hi sunt Dii tui*, idem significari quàm si dixissent, *Hic est Deus tuus*, probatur ex his *Nehem.* 9. *v.* 18. *Fecerunt sibi vitulum fusilem, & dixerunt* זה אלהיך אשר העלך ממצרים *Hic est Deus tuus, qui eduxit te ex Ægypto*, id est, imago, seu symbolum illius unici Dei, qui quod patribus tuis promiserat ipso opere præstitit, & forti manu, brachioq; extenso, ab *Ægyptiaca* servitute te liberavit.

Et vidit Aaron, *& altare extruxit coram eo*, &c.] Id est, quomodo populi precibus flexus hoc idolum fuderat, ita cum vidit illud à populo tanto plausu accipi, illico consecravit, altari, sacrificiis, & solennibus festis in ejus cultum institutis. Potest etiam verbis, *Et vidit Aaron*, aliud significari, nempe *Aaronem* quoque ipso vituli visu fuisse ad ejus cultum incitatum, ac proinde altare, & diem festum illi consecrâsse. Nam hic quoque nonnunquam locum habet illud *Poeta*,

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Itaque cum Deus in monte *Mosem* alloquutus est, stante ad pedem montis universo populo, noluit ulla visibili specie præbere se conspiciendum, ne populus eam illi speciem affingeret, quam *Propheta* exhibuisset. *Non vidistis*, inquit, *ullam similitudinem die, quâ vos alloquutus est Dominus in* Horeb *è medio ignis, ne vos corrumpatis, & faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, similitudinem ullius animalium, quæ sunt super terram*, &c. Deut. 4. v. 15. 16. Hic autem *Judæi* rursus in omnes partes se vertunt, ut Sacerdotem suum excusent. In *Vajikra Rabba* cap. 10. *Dixit* Aaron *apud se, Quid faciam? Jam occiderunt* Hurem, *qui Propheta erat: si me insuper occidant, qui sum Sacerdos, in eis implebitur, quod scriptum est* Thren. 2. v. 20. (Qu si *Aaronis* ævo id jam fuerit scriptum) " *Annon occisi sunt Sacerdos & Pro-* " *pheta in Sanctuario Domini? Et statim ibi captivitatem abducentur. Aliter.* Et vidit *Aaron. Quid vidit? Si hoc altare ædificent* Israelitæ, *unus calculum, alter lapidem afferet, & uno momento perficietur eorum opus. At ego, si illud ædificem, lentiùs in opere meo procedam, & descendet interim magister noster* Moses. *Præterea, illi idolis, at ego illud consecrabo nomini Dei Sancti Benedicti, prout scriptum est* Aaronem *proclamâsse*, Cras erit festum Domino. *Neq; enim scriptum est*, Cras erit festum vitulo, *sed* Cras erit festum Domino. *Aliter.* Et vidit *Aaron. Quid vidit? Dixit apud se, si altare hi ædificent, ipsis hoc peccatum imputabitur. At ego malo, ut mihi imputetur peccatum, quam Israeli.* Quod novum charitatis genus est, peccare pro alio, ne is peccando reus fiat: & idololatris malle obsequi, ne, si obsistas, & te occidant, id crimen iis imputetur. Id *Danielis* sociis si venisset in mentem, statuam adorâssent, ne Rex illos persequendo Deum in se provocaret. Quæ remedia sunt pejora morbo, imò nec remedia sunt. Neque enim peccatis assentiendo medemur, sed obsistendo. Quod *Aaronem* addunt in hoc negotio lentiùs processisse, ex Scriptura non apparet. Illa enim ipsa die, qua populus novos Deos petiit, *Aaron* inaures jussit afferri, à populo oblatas fudit in modulo ad id parato, vitulum inde expressum populo exhibuit, altare ei fabricavit, & solenne festum in crastinum indixit. Quod quidem vocat *festum Domini*, sed quâ ratione docuimus solere idololatras suis ἰδωλοθρησκείαις veri Dei cultum obtendere. Certè festum ei consecravit, cui altare extruxerat. Altare autem disertè dicitur *coram eo extruxisse*, id est, coram vitulo, de quo proximè actum fuerat. Sed frustra disputamus, cum *Aaronis* frater *Moses* eum incusaverit, ut qui grave peccatum non solum ipse admiserit, sed & super *Israelitas* induxerit. Ita enim *Aaroni Moses* versu 21. *Quid tibi fecit iste populus, ut gravissimum peccatum super eum induceres?* Et versu 25. idem *Aaron* dicitur *Israelitas* denudâsse. Unde est, quod *Deut.* 9. *v.* 20. narratur Deus, in *Aaronem* vehementer iratus, voluisse eum perdere, & re verâ fuisse perditurum, nisi pro eo *Moses* intercessisset. Et verò hoc crimen in plebejis longè fuit tolerabilius, quàm in *Aarone*, cujus manu Deus multa in *Ægypto* miracula patraverat, quemque adeò aliquoties alloquio suo dignatus fuerat, & ad summum gradum evexerat, totique populo, absente *Mose*, præfecerat. Sed Deus quandoque permittit, ut sanctissimi fœdè labantur, ne de propriis viribus plus nimio præsumant, quomodo *Petrus* ante lapsum. Præterea hoc ipso, quod non primarius solum, sed & primus *Levitici* ordinis Sacerdos in tam grave peccatum incidit, *Israelitas* docuit Deus nostram cum Deo reconciliationem non posse fieri hujusmodi Sacerdotum ministerio, qui ipsi peccatores essent, & priùs pro suis delictis offerre opus haberent. Nam, ut rectè hic habet *Ferus*, *Quomodo unus captivus alium liberaret?* Necesse igitur fuit, ut Ecclesia alium haberet Pontificem, qui esset *sanctus, innocens impollutus, segregatus à peccatoribus*, Hebr. 7. v. 26.

Ab *Aarone* igitur *Israelitæ* in crastinum convocati cum summo manè convenissent, vitulum adorârunt, eique holocausta obtulerunt, & hostias pacificas, seditque populus, ut manducaret, & biberet, & surrexit, ut luderet. Nempe hoc idolum eodem modo colitur, quo verus Deus. Nisi quod inter genera sacrificiorum omittuntur sacrificia pro peccatis, quibus tamen maximè egebant. Sed quamlibet rei, tamen sibi videbantur sacris egregiè defuncti, atque illorum conscien-

scientiæ ad tam grave scelus obtorpuerant. Convivia, & sacri ludi sacrificiorum erant appendices etiam in cultu divino. Cum enim sacrificia vel holocausta essent, vel expiatoria, vel pacifica: in holocaustis victima tota comburebatur; in expiatoriis pars cedebat Sacerdotibus, qui soli epulabantur; in pacificis offerentes aliquam victimæ portionem pro jure suo retinebant, ut amicis, si visum esset, convocatis, agitarent convivia læti. In his enim conviviis jubebantur *Israelitæ* lætari coram Domino, *Deut.* 12. *v.* 7. & 16. *v.* 11. non tamen gaudio futili, lascivo, & petulanti, sed pio, moderato, & cum celebratione Divini nominis conjuncto, tanquam ipso Deo præsente,

- - - ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

Nec ludos defuisse patet ex exemplo *Davidis*, quem, post sacrificia coram arca peracta, *Michael* e fenestra vidit saltantem, atque ludentem, 2. *Sam.* 6. *v.* 16. & 1. *Paral.* 15. *v.* 29. Sed, cùm alios ἐμμελῶς, id est, *modesto, & concinno corporis motu*, alios πλημμελῶς, id est, *immodestè, & inconcinne* saltare dicat *Plato* (*De Legibus* lib. 7.) haud dubie *Davidis* saltatio fuit ἐμμέλεια, id est, *saltatio modesta, & composita*, non desultoria, & levis. At idololatriæ hilarium hac in parte simiæ fuerunt, ut intra hos limites non se continuerint. Nam hæ sacrificiales epulæ sæpe in temulentiam, aut lasciviam, aut contentiones, clamores, verbera, & cædes desinebant. Itaque veteres ebrietatis primam originem huc referunt. Et apud *Athenæum* lib. 2. docet *Aristoteles*, τὸ μεθύειν, id est, *inebriari*, *Græcè* dici, quia μετὰ τὸ θύειν, *post peracta sacrificia, largius compotabant.* Quale est, quod ibidem convivia θοίνας vocari scribit *Seleucus*, ὅτι διὰ θεοὺς οἰνοῦσθαι δεῖν ὑπελάμβανον, *quia propter Deos vino indulgendum esse putabant.* Et θαλίας, ὅτι θεῶν χάριν ἠλίζοντο, καὶ συνῄεσαν, *quia in Deorum gratiam congregabantur, & conveniebant.* Alioqui enim τὸ παλαιὸν οὐκ εἶναι ἔθος, οὔτ' οἶνον ἐπὶ πλεῖον, οὔτ' ἄλλην ἡδυπάθειαν προσφέρεσθαι, μὴ θεῶν ἕνεκα τοῦτο δρῶντας, *non fuisse veteribus morem aut vinum, aut alias delicias quasvis largius apponere, nisi propter Deos fieret.* Quò pertinet illa *Epicharmi* gradatio. Ἐκ μὲν θυσίας θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο (χαρίεν ὥς γ' ἐμοὶ) ἐκ δὲ πόσιος κῶμος, ἐκ κώμου δ' ἐγένετο (f) θυανία, ἐκ δὲ θυανίας δίκη, ἐκ δὲ δίκης καταδίκη, ἐκ δὲ καταδίκης πέδαι τε, καὶ (g) σφαῖνος, καὶ ζημία. *E sacrificio epulum, ex epulo compotatio fuit, quod mihi perjucundum, ex compotatione protervia, ex protervia convitium, ex convitio lis, ex lite condemnatio, ex qua compedes, & cippus, & mulcta.* Pro θυανία, voce nihili, rescribo συανία, id est, λοιδορία, καὶ ἡ διὰ χειρὸς μάχη, *convitium, & manuum consertio.* Et pro σφαῖνος, quæ vox nihil significat ad rem, σφαλλὸς, id est, ξύλινον ποδῶν δεσμωτήριον, *ligneum pedum vinculum.* Utrumque est in *Hesychio*. Cum dicuntur *Israelitæ* post sacrificium accubuisse, ut ederent, & biberent, & surrexisse, ut luderent; Magistri *ludendi* voce pleraq; hæc intelligunt. Nam, præter ludos indecoros, *Tanchuma* vult alia duo hic designari, nempe גלוי עריות שפיכות דמים *scortationem, & effusionem sanguinis.* Et prius probat ex *Gen.* 39. *v.* 14. 17. ubi *Potipharis* uxor *Josephum* accusat, quasi venerit לצחק *ad ludendum secum*, vel *ad illudendum sibi*, id est, *ad vim sibi inferendum.* Posterius ex 2. *Sam.* 2. *v.* 14. ubi *Abner Joabo* dicit de *Benjaminitis* duodecim, qui cum totidem *Davidis* militibus committuntur, *Surgant nunc juvenes*, וישחקו *& ludant coram nobis. Ludant*, id est, *dimicent, & in mutuas cædes ruant.* Quasi certamen acerrimum, in quo juvenum paria duodecim mutuis vulneribus se confecerunt, à spectatoribus pro ludo sit habitum, ut *Romæ* gladiatorum commissiones. Unde *Hebræi* Veteres apud *Kimchium*, לפי שעשה עם דם הנערים שחוק נענש ונפל בחרב *Quia populus pro ludo habuit sanguinem illorum juvenum, mulctatus est, & gladio cecidit*; nempe in illo prælio, quod narratur versu decimo septimo. At cur *Israelitæ* post vitulum adoratum ita lusisse credantur, hoc est, vel in Venerem, vel in mutuas cædes ruisse, mihi nulla apparet ratio. Fateor quidem, hæc sæpe fuisse ebrietatis consectaria: sed *Israelitas* comedisse, & bibisse reperio, non tamen ad ebrietatem. Quin *Deut.* 29. *v.* 5. 6. leguntur vino, & sicera, id est, potu inebriante, caruisse totis quadraginta annis, quibus in deserto commorati sunt. Itaque cum in *Græca* versione, versu 18. *Moses*, ex monte descendens, dicit *Josua* servo suo, Φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου ἐγὼ ἀκούω, *Vocem præcinentium vinum ego audio*, illud οἴνου, undecunque irrepserit, merum est glossema, cujus neque *Hebræus* textus, neque aliæ versiones ullum vestigium exhibent. Nam in *Hebræo* solum est קול ענות *Vocem cantantium ego audio*, vel, si mavis, *alternis canentium.* Puto igitur *Græcorum* alios φωνὴν ἐξαρχόντων reddidisse, alios φωνὴν ὀνὼθ, pro quo οἴνου scripserint semidocti, & ex utroque conflatum, φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου. Sic ὀνὼθ fuerit pro *Hebræo* ענות. quomodo ante Vocales adscriptas legi potuit, & *Græcè* scribi ab iis, quos latebat vis *Hebraismi*. Illis enim tralatitium fuit voces ignotas nudè exscribere. *Samaritanus* reddit ࠒࠋ ࠇࠈࠀࠉࠄ, *vocem peccatorum*, ut & *Syrus* ܩܠܐ ܕܚܛܝܐ, quia pro ענות legerant עונות. Verè igitur *Græcus Scholiastes*, Τὸ Σαμαρειτικὸν, Φωνὴν ἁμαρτιῶν ἐγὼ ἀκούω. Neque *Drusio* debuit id esse suspectum.

Hæc ad initia capitis de vitulo ab *Aarone* fuso: cujus reliqua pari stylo si prosequeremur, longiores essemus, quàm patitur nostri instituti ratio; itaque sufficiat aliquid addere de modo, quo *Moses* vitulum contrivit, & in pulverem redegit. Is sic habetur versu 20. *Deinde accipiens vitulum illum, quem fecerant, exussit igne, & moluit donec contrivisset, sparsitque in aquam, & bibendum obtulit* Israelitis. Quod ipse *Moses* huic populo ita narrat *Deuter.* 9. *v.* 21. *Peccatum autem vestrum, nempe vitulum, quem feceratis, accipiens igne combussi, & contrivi eum molendo optimè, donec in pulverem esset contritus, & projeci pulverem ejus in torrentem, qui descendit ex illo monte.* In quibus tria quæruntur. 1. Quomodo *Moses* vitulum aureum combusserit, cùm aurum posse comburi, negent rei metallicæ periti. 2. Quomodo in pulverem molendo contriverit, cum aurum molendo, vel atterendo, ab iisdem negetur in pulverem posse redigi. 3. Cur aqua torrentis, hujus auri pulvere aspersa, potaverit *Israelitas*. Ad primam quæstionem sic *Aben Ezra*, י״א כי ישרוף כמו ויתך באש ואין צורך כי יש דבר שישום באש עם הזהב ומיד ישרף ויהיה שחור ולעולם לא ישוב זהב וזה דבר מנוסה ואמת הוא *Sunt, quibus* comburere *hic idem est, quod igne liquefacere: quo recurrere necesse non est; cùm res quædam sit, quæ si in ignem cum auro conjiciatur, statim illud comburitur, & fit nigrum* (carbonum instar) *neq; unquam rursus fit aurum. Quod verum est, & experimento probatum.* Sunt etiam è nostris, qui, nescio cujus, herbæ vi aurum solvi dictitant, & in cineres redigi. Sed neque hanc herbam nominant, neque *Mosem* eam novisse, aut in illo deserto ad manum habuisse probant. Addo, hanc sententiam stare non posse cum verbis *Mosis*. Nam, si vi medicaminis aurum in ignem conjectum solutum, atque in cineres redactum est, post combustionem quid fuit opus illud molere, & conterere, ut abiret in pulverem, quod *Propheta* factum asserit? Itaque, quod *Aben Ezra* rejicit, verissimum est, hunc vitulum à *Mose* non aliter combustum dici, quàm auri illius fusione, ex quo conflatum fuerat. Quamvis enim vituli materia (id est, aurum) in igne non perierit, tamen forma, & species externa sic abolita est,

f) Lege συανία & συανίας.

g) Lege σφαλλός.

est, ut hoc haberi potuerit pro vera combustione. A quo loquendi genere *Romanos* non abhorruisse suadet, quod *ustrinam* vocabant *locum*, *in quo metalla conflantur*. Secundæ quæstioni facile erit satisfacere, si sequimur *Syrum* interpretem, & *Chaldæos*, & *Arabes*, ex quorum mente *Moses* lima vitulum elimavit, atque in tenuissimam scobem attrivit. Nempe ars aurum sic elimandi *Hebræis* non fuit ignota. Id ex *Josepho* apparet, qui *Solomonis* equites dicit ψῆγμα χρυσίου, id est, *scobem auream*, quotidie capillis sic inspersisse, ut Solis repercussu illuminati splenderent, *Antiq.* lib. 8. cap. 2. Quomodo *Trebellius* Gallienum *crinibus suis auri scobem aspersisse*, & *Spartianus* Commodum *capillo semper fucato, & illuminato fuisse* tradit. Neque illa auri ramenta ex *Tagi*, aut *Pactoli* arenis, sed ex auri massis desumpta, quas limâ eradebant, ut scobem decidentem capiti aspergerent. *Mosem* igitur verissimile est hac eadem ratione vitulum paulatim attrivisse, atque in scobem sic contudisse. Hinc moluisse dicitur, quia auri ramenta tam minuta fuêre, quàm quæ in pistrino sunt commolita: Antecedens pro Consequente. Ad tertiam quæstionem variè respondetur. *Hebræorum* plerique putant *Mosem* ideò auream vituli scobem in aquas conjecisse, & eas aquas populo bibendas obtulisse, ut idololatriæ reos cognosceret. Quomodo Sacerdos adulteras aquæ amaræ potu dignoscebat, ut habetur *Num.* 5. v. 27. Hinc *Jonathan* in *Paraphrasi*, *Et potavit filios* Israelis וכל מאן דיהב תמן כל מאנא דדהבא הוה סימא נפקא באנפוי *Et quisquis ibi dederat vas aliquod aureum* (ad vituli confectionem) *in ejus ore signum apparebat*. Proinde in *Tanchuma* fol. 47. b. & in Notis *Rabbi Selomonis* hæ aquæ conferuntur cùm aquis adulteræ, tanquam eadem vi pollentes. Et *Aben Ezra*, והנה המים חדשו אות בעובדי העגל בפניהם או שצבתה בטנם כי לולי זה איך הבינו בני לוי עובדי העגל מי היו *Et, ecce! aquæ novaverunt signum* (nullo sensu, aut valde obscuro; sed pro חדשו per *Daleth* legendum חרשו per *Res*, id est, *impresserunt signum*) *in iis, qui vitulum coluerant, in faciebus ipsorum: aut venter eorum intumuit* (quomodo venter adulteræ). *Alioqui enim quomodo* Levitæ (illi, à quibus è populo ter mille interfecti sunt) *eos cognovissent, qui vitulo servierant?* Ad *Hebræorum* sententiam valde accedit, quod aliquot retro sæculis multi docuerunt omnes idololatriæ reos, postquam aquas hausissent aurea scobe aspersas, barba aurea fuisse insignes. *Petrus Comestor*, Hist. *Exodi* cap. 73. *Videns* Moyses *sibi indicatos à Deo scelerum auctores per pulverem bibitum, qui in barbis eorum miraculosè apparuit*. *Petrus de Riga* in *Aurora* sua,

> Hebræi *tradunt* Mosem *fecisse quod audis,*
> *Ut sciret solos hac ratione reos.*
> *Nam rutilans auro monstrabat barba nocentes,*
> *Dum patulo latices fluminis ore bibunt.*

Bibliorum translatio *Gallica* vetus inchoata Anno 1289. in *Notis* ad hunc locum; *Ceux qui le veau adorerent, eurent la barbe doree, car la poudre estoit arrestee par miracle a leurs barbes, si en furent leurs barbes dorees.* Nauclerus, *Chron.* Generat. 27. *Dedit potum filiis* Israel: *remansit autem color auri circa ora nocentium, ita ut discerni possent ab innocentibus.* Nec dissimile est, quod ad verba, *Convenerunt in* Masphat *hauseruntq; aquam, & effuderunt in conspectu Domini* 1. Reg. 7. v. 6. (b) habent *Traditiones Hebraicæ*, *Hieronymo* perperam adscriptæ; Hebræi *tradunt*, *quod coram Domino in eandem aquam maledicta conjecta sint. Et sicut in Lege mulier zelotypa* (lege mulier zelotypi) *hausta aqua probatur, ita & hic idololatræ hac aqua probati sunt. Hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiam, quod quicunq; idololatra hanc aquam gustâsset, labia ejus ita sibi mutuo adhærerent, ut nequaquam ea ab invicem idololatra separare posset. Hoc indicio idololatra deprehendebatur, & interficiebatur.* Et in eadem verba *Comestor* Hist. primi *Regum* cap. 8. *Effundens aquam coram Domino, in qua maledicta congesta erant, quam si idololatra biberat, labia ejus adhærebant sibi inseparabiliter*, &c. *Quidam tamen asserunt* Samuelem *quoddam idolum redegisse in pulverem, & mixtum dedisse populo ad bibendum; & in barbis eorum judicasse reos idololatriæ a non reis, sicut quondam fecit* Moyses. Hæc illi, sed fabulose omnia. Nam, ut ordiamur a loco 1. *Sam.* 7. v. 6. in quo *Israelitæ*, qui *Baali*, & *Astarte* servierant, ad solum Dominum conversi, aquam haustam coram illo effudisse, & tota die jejunâsse leguntur. Ibi *Chaldæus* interpres, &, eum sequuti, *Junius*, & *Tremellius*, non alias aquas intelligunt, quam lacrymas contritionis, quæ ex intimo corde haustæ per oculos coram Deo effusæ fuerint. Alii aquas, quibus corporis sordes eluerint, ut animam significarent à peccatorum maculis pari ratione esse purgandam. Alii, quod verisimilius, aquas in terram effusas, in signum expiationis iniquitatum, juxta illud *Job.* 11. v. 16. *Ut aquarum, quæ transierunt, non recordaberis.* Josephus *Antiq.* lib. 6. cap. 2. putat *Judæos* hanc aquam Deo libâsse, quomodo *David Bethlehemiticam* 2. *Sam.* 23. v. 16. Utut sit, has aquas *Israelitæ* non leguntur bibisse, sed effudisse. Illos igitur has aquas bibisse commentitium est, & quidquid huic commento superstruitur. At res aliter se habet de iis *Israelitis*, qui vitulum coluerant, quibus aquas, aurea vituli scobe aspersas, *Moses* propinasse legitur. Nihilo tamen verius est, quod additur, iis, qui has aquas biberant, aut ventrem intumuisse, aut barbas fuisse auro concolores. Nam hoc quoque falso fundamento nititur, nempe *Mosem*, & *Levitas*, cum in idololatras promiscua cæde grassati sunt, habuisse notam aliquam διακριτικὴν, qua vituli cultores à fidelibus dignoscerent, ne pro illis hi cæderentur: Neque enim tali nota fuit opus, cum כל העם *universus populus* reus fuerit, ut disertè habetur *Exod.* 32. v. 3. Fuit nempe tam generalis hæc defectio, ut inter tot idololatras, si qui in veri Dei cultu perstiterint, ii conspicui non fuerint in tanto prævaricatorum numero. Itaque cum versu vigesimo octavo eos, qui Deo adhærebant, ad se convenire jussit *Moses*, præter *Levitas* nulli adfuerunt. Et, si necesse fuisset vituli cultores speciali nota dignosci, barba aurea non sufficeisset. Fuere enim in magno populo imberbes multi juvenes, neque dum vesticipes, fuêre multæ mulieres, fuêre etiam eunuchi, ad quos hæc nota non pertinuit. Addo, nihil causæ posse afferri, cur miraculum de barbis in aureum colorem aquæ potu mutatis Scriptura suppressisset, cum ad auctoris gloriam pertineant miracula quæcunque Deus edidit, ut nomen suum ab idololatrarum contemptu vindicaret. Sed, ut commenti vanitas clarius elucescat, peto, an omnes vituli cultores sint morte mulctati? Ita ferè statuunt quotquot barbas aureas, aut aliud visibile signum idololatris affingunt. *Tanchuma* ubi supra, היה בודק במים כסוטה והורג *Probabat eos per aquas, ut adulteram, & occidebat.* Hinc *Comestor*, *Occidat quisq; amicum suum, & fratrem, quem scilicet signatum pulvere invenerit.* Et translatio *Gallica*, quam supra citavimus, *Occiés chacun son frere, & son ami, & son prochain, voire ceux, qui ont les barbes dorees.* Ut in *Regum* libros *Hieronymus*, vel quisquis est, *Hoc indicio idololatra deprehendebatur, & occidebatur.* Hoc porro falsissimum est, omnes idololatras à *Levitis* fuisse cæsos. Nam, post promiscuam illam cædem, populus adhuc fuit reus, & precibus obnixissimis pro illo intercessit *Moses* Exod. 32, 30. &c. Frustra, si jam occisi fuerant omnes μοσχολάτραι. Præterea cum Scriptura disertè dicat universum illum populum inaures suas

b) Hebr. 1. Sam. 7, 6

Aarone

Aaroni obtulisse ad conflandum vitulum, *Exod.* 32. *vers.* 3. quis ausit affirmare in populo tam numeroso, ut ex eo prodirent (t) plusquam sexcenta armatorum millia, nonnisi ter mille fuisse reos, id est, nè ducentesimam quidem militum partem? Ut de aliis taceam: Hoc autem illos affirmare necesse est, qui *Levitarum* gladio cecidisse volunt omnes idololatriæ reos. Neque enim ceciderunt supra tria hominum millia. Ità asserit *Moses* Exod. 32, 28. Non me latet *Vulgatum* Interpretem pro *tribus millibus* ibi habere *vigintitria millia*, atque id sequi *Gregorium*, & *Rupertum*. Sed videtur ille numerus perperàm hùc esse translatus ex 1. *Cor.* 10. *vers.* 7. 8. ubi *Paulus Israelitarum* alios idololatras, alios scortatores fuisse scribit, & ex ipsis *cecidisse unâ die viginti tria millia*. Quod sic acceptum, quasi dicatur de vituli cultoribus, cùm ad eos pertineat, qui cum *Moabiticis* mulieribus fornicati sunt, *Num.* 25. *vers.* 9. Ubi *Moses* quidem aliquantò plura, nempe occisa hominum viginti quatuor millia, recenset. Sed hæc facilè conciliantur. Nam populi Principes, Deo jubente, suspensi fuerant, & initiati *Baal-peor* gladio cæsi, *Num.* 25. *vers.* 4. 5. Sed scortatorum longè plures plagâ, id est, peste à Deo immissâ, unâ die perierunt. De his solùm egit *Paulus*, sed *Moses* de omnibus. Itaque ex *Mose* & *Paulo* inter se collatis colligimus, mille circiter suspendio, & gladio, viginti tria millia peste interiisse: quæ simul juncta faciunt viginti quatuor millia. At vituli cultorum nonnisi tria millia cæsa fuisse scimus, 1. Ex *Hebræo* textu. 2. Ex omnibus omnino Scripturæ versionibus præter *Vulgatam*, *Græcis*, *Chaldæis*, *Syris*, *Arabicis*, *Persicis*, *Samaritanis*. 3 Ex *Hebræorum* consensu, quorum antiquissimus *Philo* sic habet libro tertio *De Vita* Mosis, οἱ δ' αὐτίκα τρισχιλίους κτείναντες τοὺς ἀρχηγέτας μάλιστα τῆς ἀσεβείας γενομένους. *Illi autem* (Levitæ) *cum sublato clamore viros ter mille occidissent, qui impietatis fuerant præcipui incentores.* Et *Tanchuma* fol. 47. b. *Omnis, in quem erat* התראה *monitio* (id est, *accusatio*) *sed nulli testes, per aquas probabatur, ut adultera, & interficiebatur, prout dicitur* Exod. 32. vers. 20. "Et sparsit "super aquas, & propinavit *Israëlitis*. *Etiam quisquis per testes convincebatur admonitione prævia, statim morte mulctabatur. Unde est quod dicitur versu* 27. "Quisque fratrem suum interficiat. *Sed is, in quem neque testes erant, neque ulla accusatio*, (à Deo) *percutiebatur, ut habetur versu* 25, "Et Dominus percussit populum עד שנהרגו כשלשת אלפי איש *donec interfecta fuerint tria circiter hominum millia.* Ità etiam alii plures. 4. Ex Veterum suffragio, in quibus *Ambrosius* in Epistola ad *Romulum*, *Occisa quidem scribuntur tria millia hominum: nec numeri invidiâ movemur, quia melius est paucorum supplicio universos exui* (fortè *eximi* vel *erui*) *quam in omnes vindicari.* Nempe *Ambrosius* ità legerat in *Italica* versione, quæ *Vulgatam* præcessit. Sunt, qui *Isidorum* huic addunt, qui jam non est ad manum. *Rabanus* quoque in *Exodum* lib. 4. cap. 18. *Ipse numerus trium millium interfectorum triplicem formam indicat peccatorum. Omne enim peccatum aut facto, aut verbo, aut cogitatione committitur.* *Petrus Comestor*, tanquam dubius inter utramque lectionem; "*Et ceciderunt eâ* "*die quasi tria millia: Alia translatio habet*, "*Viginti tria millia.* Itaque illius ætate ambigua erat lectio, sed tandem prævaluit pejor. Quamvis hodièque in *Complutensi*, & *Parisiensi* nuperâ, in majoribus illis *Bibliis* πολυγλώττοις, legantur *tria millia*. Sed, ut eò redeat, unde digressa est oratio, cum aquis vituli scobe aspersis Scriptura nullas virtutes tribuat, nos quoque nullas tribuimus. Itaque has populo propinâsse videtur *Moses* symbolicâ de causâ. Fortasse quasi dixisset quomodo *Sapientia* Prov. 31, 31. *Comedent fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.* Vel, ut significaret peccatum hoc non cuti solùm adhærere, sed in visceribus esse defixum, nec exteriora solùm, sed & intùs latentes affectus inquinâsse. Vel juxta *Hieronymum*, ut contemnere discerent quod in secessum projici viderent, scirentque hujusmodi Deos verè esse stercoreos. Denique, ut scirent maledictionem, quam in se hoc peccato accersiverant, sibi tanquam amarum calicem exhauriendam esse, ac ebibendam. Et verò *Judæi* recentiores, postquam multa moverunt, ut majores suos saltem ex parte excusarent, tamen fatentur hoc peccatum usque adeò grave fuisse, ut nondum sit expiatum. Unde *Moses Gerundensis*, אין לך ישראל פורענות שאין בה אוקיא מעון העגל *Non est tibi ulla pœna, O Israel, in qua non sit uncia de iniquitate vituli.* Quale illud *R. Isaacs* in Tractatu *Talmudico Sanhedrin* cap. 11. fol. 102. a. אין לך כל פורענות ופורענות שבאה לעולם שאין בה אחד מכ״ד בהכרע ליטרא של עגל הראשון *Tibi non est ulla pœna, quæ veniat in mundum, in qua non sit una vigesima quarta pars* (id est, drachma) *in depressione libræ de vitulo primo.* Si roges, quomodo *Moses* auream vituli scobem ità dispensaverit, ut suffecerit tot hominum myriadibus, responsio erit facilis. Nempe *Mosem* hanc scobem inter illos non ità divisisse, ut singulis sua esset portio, sed in amnem ex monte *Horeb* fluentem projecisse, ut habetur *Deut.* 9, 21. Ex quo bibere coacti sunt omnes *Israëlitæ*; quia potus alius non suppetebat.

Hæc de vitulo *Aaronis*, pro quo, duplicato crimine, duos conflavit *Jeroboam*. Unde *R. Osaias* in *Sanhedrin* ubi suprà, עד ירבעם היו ישראל יונקים מעגל אחד מכאן ואילך משנים ושלושה עגלים *Usque ad* Jeroboamum Israelitæ *suxerant ex uno vitulo. Exinde duplicaverunt, & tres fuerunt vituli.* Non ovum ovo similius, quàm *Aaronis* vitulo vituli *Jeroboami*. Eadem enim utrisque materia, aurum scilicet. Utrique ex æquo fusiles, 2. *Reg.* 17. *vers.* 16. & *Os.* 13, 2. Et pari de causa conflati sunt. *Aaronis* quidem vitulus propter *Mosis* absentiam; & vituli *Jeroboami*, quia sacra urbs (in qua erat Templum, & altare, & veri Dei Sacerdotes) *Israëlitis* jam erat inaccessa. Atque ut *Aaron*, ita *Jeroboam* vitulorum cultum in *Ægypto* didicerat, ubi degerat per multos annos sub *Ægypti* Rege *Sesaco*, 1. Reg. 11. vers. 40. Nec minùs de *Jeroboami* vitulis, quàm de *Aaronis* vitulo dictum, *Hi sunt Dii tui*, O Israel, *qui ex* Ægypto *te eduxerunt*, 1. Reg. 12. vers. 28. Quin ut huic, ità & illis festi dies consecrantur, & offeruntur victimæ. Sed ut *Moses* vitulum *Aaronis*, ità *Josias* vitulum, quem in *Beth-ele Jeroboam* erexerat, altare etiam, & excelsum locum destruxit, atque combussit, & comminuit in pulverem, 2. *Reg.* 23. *vers.* 15. Addo, *Israelitarum* crimen sub Rege *Jeroboamo* multâ cæde fuisse expiatum. Nam pro ter mille vituli cultoribus, quos interfecerat *Moses*, *Abia* Rex *Judæ* unus è piis, postquàm *Jeroboamo*, & *Israelitis* vitulorum cultum exprobrasset, eos tantâ clade fregit, ut unico prælio corruisse legantur virorum quingenta millia, 2. *Par.* 13, 8. 17. quâ clade majorem uspiam me legere non memini.

Porrò quâ occasione vitulos conflaverit *Jeroboam*, Sacra Historia his verbis docet, 1. *Reg.* 12, 26. 27. *Dixit apud se* Jeroboam, *Nunc revertetur regnum hoc ad domum* Davidis, *cùm ascendet populus iste ad offerenda sacrificia in domum Domini* Hierosolymis. *Et convertetur animus populi istius ad* Roboamum *Regem* Judæ, *dominum suum, & me interficient.* Fuit enim id verisimile fore; ut cùm *Israelitæ* ter in anno ad solennia festa *Hierosolymam* se conferrent, prout Lex præscripserat, à Rege, & populo, sed præcipuè à Sacerdotibus, & *Levitis*, ad defectionem solicitarentur, Templique, & regiæ urbis splendore caperentur, *Davidisque*, & *Solomonis* memoriâ instigarentur ad rerum mutationem, & *Jeroboamum* non solùm dignitate, sed & vitâ spoliarent. Itaque cum debuisset *Jeroboam* rem totam Deo committere, qui eum ad regnum evectum poterat inter tot pericula sartum &

(t) *Num.* 1, 45. 46.

& tectum tueri, ad malas confugit artes, &, quod Principes sæpe solent, religionem ad sua commoda pravè detorsit. His *Talmudici* quædam addunt, quæ, quia minus nota, non gravabor hic inserere, licèt non magni momenti. In *Sanhedrin* sic *R. Nachman*, גמירי דאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית יהודה בלבד כיון דחזו לרחבעם דיתיב ואנא קאימנא סברא הא מלכא והא עבדא ואי יתיבנא מורד במלכות הוא וקטלין לי ואזלו בתריה דיד *Didicerant nemini jus esse in atrio Templi sedendi, præterquam Regibus è domo* Judæ. *Si igitur* (inquit apud se *Jeroboam*) *sedente* Roboamo *me stantem viderint, statuent unum esse Regem, alterum servum; aut, si sedeam, me in Regem esse rebellem: ac, me proinde interfecto, statim illi adhærebunt.* Nam populum sedisse nunquam, sed vel in Templo stetisse, vel in genua procubuisse *Hebræi* probant ex *Pirkè Aboth* cap. 5. עומדים צפופים ומשתחוים רווחים *Qui stantes in arcto erant, in genua procumbentes dilatabantur:* quod unum est è primi Templi miraculis. At Regibus è domo *Davidis* sedere concessum fuit, quod colligunt ex 2. *Sam.* 7. *vers.* 18. *Et ingressus Rex* David *sedit coram Domino.* Unde *Maimonides* Tractatu *De Regibus* cap. 2. אם נכנס לעזרה והיה מזרע דוד ישב ואין ישיבה בעזרה אלא · למלכי בית דוד *Cùm in atrium Templi ingreditur, sedet, si sit è semine* Davidis; *quia in atrio jus sedendi non est, nisi* Davidicæ *domûs Regibus.* Aliud ex *Talmude* de *Jeroboamo* affert *Kimchius.* במראי שמשה מלך ירבעם אמר כתיב במועד מקץ שבע שנים תו תקרא את התורה הזאת אם אני ארצה לקרוא יאמרו מלך העיר יקרא קודם ואם אני אקרא שני גנאי הוא לי ואם לא אקרא בזיון הוא לי *Cum venit annus remissionis, dixit apud se Rex* Jeroboam, *Scriptum est* Deut. 31. vers. 10. "A fine septem annorum, stato tempore, *&c.* leges "hanc Legem. *Eam legere si voluero, dicent, Metropolis urbis* (id est, *Hierosolymorum*) *Regem eam priùs lecturum. Et si legero secundus, ignominiosum erit mihi. Aut, si planè non legero, despectui habebor.* Hujusmodi multa Regem impium eò adduxerunt, ut subditis suis, à veri Dei cultu aversis, alios Deos proponeret.

Quapropter inito consilio, (id est, in consilium adhibitis sæculi hujus prudentibus, qui, dummodo stet respublica, religionem súsque déque habent,) *erexit duos vitulos aureos*, qui deinceps pro vero Deo colerentur. *Græci*, δύο δαμάλεις χρυσᾶς, *duas juvencas aureas.* Ità etiam *Josephus Antiq.* lib. 8. cap. 3. Et vetus versio *Italica*, quà usus est *Lucifer Caralitanus* lib. 1. *De Regibus apostaticis*, "*Et fecit duas vitulas aureas.* *Tobias* etiam capitis primi versu quinto, Πᾶσαι αἱ φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει. *Omnes tribus, quæ defecerant, sacra faciebant* Baali *juvencæ.* Sed & *Os.* 10, 5. in *Hebræo* textu Fœminino genere legas לעגלות בית־און *ad vitulas Beth-aven*, id est, *Beth-elis.* Quod autem à sequiore sexu *juvencæ*, & *vitulæ* vocantur *Jeroboami* vituli, putant ad contemptum pertinuisse: ut illud *Græci* vatis,

(k) *Iliad* β. —— (k) Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

Et *Romani*,

(l) *Æn.* 9. (l) *O verè Phrygiæ, nec enim Phryges*

Neque dubium, quin illud ἐξουθενισμοῦ genus multùm valuerit apud *Hebræos*, qui Deorum sexus nesciunt, ut alibi probavimus. Proinde in Diis censentur *Berith* Jud. 8. vers. 33. & *Astarte* 1. Reg. 11. vers. 5. 33. quamvis re verâ apud cultores suos pro Deabus habitæ fuerint. Fœminino igitur genere *juvencæ*, & *vitulæ* vocantur idola *Jeroboami*, ut eò magis constet illa non posse haberi pro vero Deo, cujus decem nomina omnia Masculina sunt. Sic apud *Laertium* in *Præfatione* à *Chaldæis* Magis ii inprimis damnantur, qui dicunt ἄρρενας εἶναι θεούς, καὶ θηλείας, *Deos esse mares, & fœminas. Jeroboam* tamen, ut ad vitulorum cultum populum incitaret, *Sufficit*, inquit, *vobis hactenùs ascendisse* Hierosolymam: *Ecce Dii tui, O Israel, qui eduxerunt te è terra* Ægypti! In prioribus verbis hærent interpretes, quia constructio est difficilis. *Hebraicè* enim habetur רב לכם מעלות ירושלם, id est ad verbum, *Multum vobis ab ascendendo* Jerosolymam. Sed illud *multum* sæpe idem est, quod *sufficit.* Proinde *Græci* reddunt ἱκανούσθω ὑμῖν, *sufficiat vobis*; quomodo sæpe alibi. Exempla vide *Num.* 16. *vers.* 7. *Deut.* 1. *vers.* 6. & 2. *vers.* 3. & 3. *vers.* 26, &c. Perpende tamen inprimis verba hæc *Ezech.* 44. *vers.* 6. רב לכם מכל תועבותיכם *Multum vobis ab omnibus abominationibus:* ubi *Græci*, ἱκανούσθω ὑμῖν ἀπὸ πασῶν τῶν ἀνομιῶν ὑμῶν, *Sufficiat vobis ab omnibus iniquitatibus vestris.* Quod, quia propter brevitatem est obscurius, *Petrus* ità extendit 1. *Pet.* 4, 3. Ἀρκετὸς ἡμῖν ὁ παρεληλυθὼς χρόνος τοῦ βίου τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι, πεπορευμένους ἐν ἀσελγείαις, &c. *Sufficit nobis præteritum vitæ tempus, quod quæ libent Gentibus patraverimus, cum incessimus in lasciviis*, &c. Sed, ut in pauca rem conferamus, ut *Hebr. Multum est vobis à peccatis vestris*, idem est, ac si quis dicat, *Plus satis antea peccavistis:* ità omnino, *Multum est vobis ab ascendendo* Hierosolymam, id est, *Antea* Hierosolymam *plus satis ascendistis.* Par enim est utrobique constructio. Et sequentia eòdem pertinent, *Ecce Dii tui, O* Israel, *qui te eduxerunt de terra* Ægypti! Itaque non est, cur *Hierosolymam* magno labore, & multis sumptibus, ter quotannis vos conferatis: cùm verus Deus, qui ex *Ægyptiaca* servitute vos liberavit, prout Patribus vestris promiserat, hic inter nos non minùs habitet, quàm in urbe *Hierosolymitana.* Nam essentiæ ratione illum ubique esse non ignoratis, neque ullo loco includi: & specialis ejus præsentiæ symbola si requiritis, illa habetis in his vitulis, quos erexi. Quasi cuivis esset liberum Dei præsentiæ symbola ex animo suo comminisci. Illorum autem vitulorum *unum* Beth-ele *posuit, & alterum* Dane. Non posuit in urbe regia, id est, *Sichemis*; sed *Beth-ele*, & *Dane.* Quarum *Beth-el* ad Austrum, *Dan* ad Aquilonem fuit. Et *Beth-el* quidem dudum celebris, quia *Jacobo* Patriarchæ Deus semel atque iterùm ibi apparuerat, & multa promiserat. *Dan* etiam propter sculptile ibi à *Danitis* erectum non diu post *Josuæ* tempora, *Jud.* 18. *vers.* 30. Itaque etiam hoc ultimum fuit *in causa peccati.* Et quamvis *Dan* fuerit ad fontes *Jordanis*, in extremo *Judææ* termino, tamen *Danem usque populus se conferebat*, huic idolo sacra facturus. Et illi ipsi, quibus grave fuerat ad veri Dei cultum se conferre *Hierosolymam*, grave non fuit ire *Danem* usque, ut idolo vota facerent. Et, quia *Levitici* Sacerdotes noluerunt, vero Deo abnegato, huic idolo se mancipare, *Jeroboam* alios *Sacerdotes instituit* מקצות העם *ex extremis populi*, *qui non erant ex tribu* Levi. Obiter nota eos falli, qui *ex extremis populi* putant idem esse, atque *ex infimis.* Quod nullo modo quadrat, cùm etiam in numerosa illa turba Sacerdotum è tribu *Levi* nonnulli fuerint, qui supra homines infimi ordinis non multùm assurrexerint: ut qui supplices se prosternebant pro obolo, & frusto panis, 1. *Sam.* 2. *vers.* 36. Et verò קצות העם non sunt *extremi populi*, sed *extrema populi.* Unde Sacerdotes desumere idem est, ac ex universo populo illos desumere, quia extrema pertinent ad complementum rei. Neque ullus dici potest totum orbem peragrâsse, donec venerit ad extrema. Itaque in his *Ps.* 19. 4. *In totam terram exivit delineatio eorum*, ובקצה תבל *& in extremitatem orbis verba eorum*, palàm est *totam terram*, & *extremitatem orbis*, poni ut synonyma. Et *Gen.* 19. *vers.* 4. *totus populus* מקצה *ab extremitate* (id est, *in universum*) *Loti* domum circumdedit. Et *Gen.* 47, 2. *Josephus* מקצה אחיו *ex extremitate fratrum suorum*, (id est, *ex omnibus fratribus suis*) quinque

quinque accepit, quos constitueret ante Pharaonem. Et *Num.* 11. *vers.* 1. *Accensus in eos ignis à Domino devoravit,* בקצה המחנה *ab extremitate castrorum,* id est, *per universa castra.* Et *Es.* 56. vers. 11. *Omnes ad viam suam respiciunt, quisque ad avaritiam suam,* מקצהו *ab extremo ejus,* id est, *ad unum omnes:* ut *Jerem.* 50, 26. *Venite ad eum* מקץ *ab extremitate,* id est, *tota.* Plura hujus generis doctè observat *Ludovicus de Dieu* in *Ezech.* 33. *vers.* 1. Ita igitur *Jeroboam, Leviticâ* (m) tribu neglectâ, & *Aaronis* familiâ, Sacerdotes sibi delegit *ex extremis populi,* id est, *ex universo populo.* Quasi solius *Aaronis* virgam floruisse nesciret, & terram eos absorpsisse, qui in *Mosem,* & *Aaronem* insurrexerant, *Num.* 16. *vers.* 32. & 17. *vers.* 8. Quin sacerdotium ipse invasit, & Diis à se confictis propriâ manu sacrificia obtulit. Quod *Judæorum* Regibus è familia *Davidis* usque adeò vetitum fuit, ut in hujus criminis pœnam *Ozias* fuerit leprâ percussus, 2. *Par.* 26. *vers.* 19. Denique idem *Jeroboam* novam instituit solennitatem, non septimo, ut Lex jusserat, sed octavo mense celebrandam. Hic igitur profana omnia, profani Dii, profani Sacerdotes, profana festa, profana sacrificia. Nam in materia religionis profanum est, quidquid non habet Deum auctorem. Itaque hi vituli pro *Diis* vocantur *Diabolis* 2. Par. 11. vers. 15. Et horum mystæ, pro *Sacerdotibus,* כמרים comarim, *sacrificuli,* Os. 10, 5. Et solennia, pro *Dei festis, Regis dies,* Os. 7, 5. quia à Rege, non à Deo fuerant instituta. Et locus, pro *Beth-ele, Beth-aven.* Os. 10. vers. 5. 8. id est, pro *domo Dei, domus idoli,* vel *domus iniquitatis.* Mutato enim unguento in venenum lethiferum, non debuit manere pyxidis inscriptio.

(m) Vide 2. Paral. 11, 14

Tamen, quod dictu horrendum est, his vitulis creduntur *Israelitæ* humanis hostiis litasse; quia dicitur *Os.* 13. *vers.* 2. זבחי אדם עגלים ישקון *Qui sacrificant homines, vitulos deosculantur.* Ita enim hæc verba reddunt *Hebræi* veteres apud *Selomonem,* & *Kimchium.* Nec multò aliter *Syrus* Interpres. *Græci* quoque, Θύοντες ἀνθρώπους: & *Vulgatus, Immolate homines, vitulos adorantes:* quia legerunt זבחו. Itaq; *Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus* ad τὰς ἀνθρωποθυσίας illa referunt. Sed fatendum זבחי אדם posse reddi *sacrificantes hominum,* id est, *ii hominum, qui sacra faciunt.* Sic *Es.* 29. *vers.* 19. אביוני אדם *pauperes hominum,* id est, *homines pauperes,* vel אביונים מאדם *pauperes ex hominibus,* ut habetur *Prov.* 30. 14. In quam interpretationem ideò sum proclivior, quia cùm in vitulis illis se verum Deum colere profiterentur *Israelitæ,* illos haud dubiè colebant eo modo, quo verum Deum. Is autem humanas hostias nunquam ab ullo exegit præterquam ab *Abrahamo,* cujus manum in ipso ictu inhibuit, solâ voluntate contentus. At saltem vel ex hoc loco certum est, *Israëlitas* hos vitulos sacrificiis, osculis, atque adorationibus mactâsse. Quale est, quòd *Amos* 8, 14. *Jurant per delictum* Samariæ, *& vivit Deus tuus,* O Dan, id est, *vitulus tuus.* In quibus criminibus cùm jugiter perseverarent, nec assiduæ *Prophetarum* monitiones apud illos quidquam proficerent, tandem ille populus cum Diis suis in captivitatem abductus est ab *Assyriis,* ut prædixerat *Oseas* capitis decimi versibus quinto, & sexto.

Si *Judæis* credimus in *Seder Olam majori,* anno vigesimo *Phacæ* Regis *Israël, Tiglath-Phalassar,* Rex *Assur,* abstulit è *Dane* vitulum aureum: quod colligere se putant ex 2. *Par.* 28. *vers.* 21. Et duodecimo Regis *Achaz,* id est, octavo pòst anno, etiam alter vitulus è *Beth-ele* à *Salmanassare* ablatus est, ut *Propheta* prædixerat *Os.* 10. *v.* 5. 6 In quo morem agnoscis veterum Ducum, qui non solum de victis gentibus, sed & de Diis triumphabant. Proinde *Philistæi* arcam abducunt 1. *Sam.* 5. *vers.* 2. Et, captâ *Babylone, Babyloniorum* idola, *Bel,* & *Nebo,* in captivitatem abierunt, *Es.* 46. *vers.* 1. 2. *Moabitide* itidem à *Chaldæis* excisâ, *Jeremias* vaticinatur fore, ut *Chamos, Moabitarum* Deus, in transmigrationem eat, *Jerem.* 48. *vers.* 7. Et de *Ammonitarum* Deo, *Malcham,* idem prædici videas, *Jerem.* 49. *vers.* 3. & *Amos* 1. *vers.* 15. ubi מלכם *Malcham* nonnulli alieno sensu *Regem eorum* reddunt. Quo eodem exemplo, *Ptolemæus Evergetes,* victo *Seleuco Callinico,* & *Syris, Deos eorum captivos ducit in Ægyptum,* Dan. 11. vers. 8. Quod ipsum à *Romanis* sæpe usurpatum. Ità *Plutarchus,* in *Marcello,* eum accusatum fuisse scribit, ὡς ἐπίφθονον ποιοῦντα τὴν πόλιν, οὐ μόνον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ θεῶν, οἷον αἰχμαλώτων, ἀγομένων ἐν αὐτῇ, καὶ πομπευομένων (lege πομπευομένων) *Quòd invidiam conflaret urbi, in qua non solum homines, sed & Dii, tanquam captivi, cum pompa in triumphis agebantur.* Et idem in *Paulo Æmylio,* ubi de triduano ejus triumpho, Ἡ μὲν πρώτη (ἡμέρα) μόλις ἐξαρκέσασα τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνδριᾶσι, καὶ γραφαῖς, καὶ κολοσσοῖς, ἐπὶ ζευγῶν πεντήκοντα καὶ διακοσίων κομιζομένοις· *Prima dies cùm vix sufficeisset captivis statuis, & picturis, & colossis, qui vehiculis* CCL. *vehebantur.* In *Appiani Mithridatico* tertium *Pompeii* triumphum decorant θεῶν βαρβαρικῶν εἰκόνες, *barbaricorum Deorum imagines.* Multò plura hujusmodi facile esset proferre, si tanti esset. Ità igitur *Assyriæ* Rex, cum universa gente, *Israelitarum* quoque Deos in captivitatem abduxit. Et idola, quæ *Prophetæ* suis concionibus non potuerant subvertere, ab aliis idololatris subversa sunt, atque aliò transvecta. Unde est, quòd *Assyriæ* Regem vocat *Oseas* מלך ירב *regem* Jareb, *Os.* 5. *vers.* 13. & 10. *vers.* 6 tanquam ad id alludens, quòd *Gedeon,* arâ *Baalis* subversâ, *Jerubbaal* dictus est; quia locorum incolis, de ara illa diruta apud patrem conquerentibus, responderat pater; *Si Deus est* ירב בו הבעל *contendat in eum* Baal, vel, ut reddit *Hieronymus, Ulciscatur se de eo* Baal, *Jud.* 6. *vers.* 32. Itaque idem pro Rege *Jareb* habet *Regem ultorem,* ut *Symmachus* ἐκδικον, vel ἐκδικοῦντα, & *Chaldæus* מלכא דייתי לאתפרעא לדון *Regem, qui veniet, ut animadvertat in eos.*

Sunt, qui *Jeroboamum* saltem ex parte excusare posse se putant exemplo *Mosis,* & *Solomonis*; quorum hic boves æneos duodecim in Dei Templo posuit, quibus inniteretur labrum æneum. Et uterque *Cherubinos* in ipso adyto collocavit, quos vitulorum speciem habuisse probari videtur ex *Ezech.* 1. *vers.* 10. cum *Ezech.* 10, 14. collato. Nam in posteriore loco פני הכרוב *facies Cherubini* vocantur, quæ in priore פני שור *facies bovis.* Sed utrumque frustrà profertur. A *Cherubinis* enim ut ordiar, etsi de illorum specie sit magna lis inter Scriptores, eósque *Josephus* definiat (*Antiq.* lib. 3. cap. 6.) ζῶα πετεινὰ μορφὴν οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια, *animantia volucria nulli eorum, quæ ab hominibus visa sunt, similia.* Et eodem auctore lib. 8. cap. 2. τὰς δὲ χερουβεῖς οὐδεὶς ὁποῖαί τινες ἦσαν εἰπεῖν, οὐδ' εἰκάσαι δύναται· Cherubes *quales fuerint nemo dicere, vel concipere possit.* Multique adeò putent ex *Ezechiele* se colligere illos ex homine, leone, bove, & aquilâ mixtam habuisse formam. Fateor ex citatis locis valde verisimili ratione colligi, *Cherubinos* ad bovis figuram magis accessisse. Itaque *Cherubinum* appellari nonnulli volunt à *Chaldæo,* & *Syro* verbo כרב *cherab,* quod *arare* significat, vel *aratro terram invertere,* ut *Arabicè* كرب *charaba*; quia bovis proprium est officium. Sed, sive *Jeroboam* id respexerit, cùm fabricavit vitulos, sive *Aaronem,* aut *Ægyptios* sibi proposuerit imitandos, nullum habuit in *Cherubinis* causæ suæ patrocinium. Primò enim *Moses Cherubinos* arcæ imposuit, ut Deo obsequeretur, qui illi disertè dixerat, *Facies duos Cherubinos aureos,* Exod. 25 vers. 18. Quale mandatum *Jeroboam* nullum potuit proferre. Quin totum hunc cultum legitur de suo confinxisse, 1. *Reg.* 12. *vers.* 33. Præterea *Cherubini* neque Dei erant imagines, ut vituli *Jeroboami,* neque An-

gelorum ullius, sed emblemata potiùs, quibus Angelica natura utcumque exprimebatur. Itaque *Cherubinorum* imagines *Judæorum* nemo coluit, quomodo vitulos *Jeroboami*. Cum enim in arca fuerint *simplex ornamentum, accommodata suggestus, longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari*, ut rectè *Tertullianus* contra *Marcion.* lib. 2. cap. 22. Ita etiam *Thomas*; (primâ secundæ, quæst. 102. art. 4.) *Similitudines* Seraphim (*Cherubim* voluit dicere) *non ponebantur ad cultum, quod prohibebatur primo Legis præcepto, sed in signum mysterii.* Et *Lorinus* in *Act.* 17. *vers.* 25. *De Cherubinis jussu Dei factis, & de aliis à* Salomone, *dicendum, fuisse duntaxat ut appendicem, & additamentum ornatus alterius rei, non verò per se propositas modo accommodato ad adorationem, quam constat quoque ab* Hebræis *non esse ipsis exhibitam.* Quibus similia habent *Vasquès*, (*Disput.* 104. cap. 6.) *Visorius* in *Moncæum*, (pag. 14. & 16.) & alii non parvi nominis Theologi. Denique, cum *Jeroboami* vituli palam prostiterint ab universo populo conspiciendi, adorandi, & osculandi, *Cherubini*, arcæ impositi, & in adyto Templi latentes, *à nemine conspiciebantur. Nemo enim ingredi poterat Sanctum Sanctorum, nisi Pontifex, idque semel tantum in anno, tùmque nebula, & fumus incensi tegebat* Cherubinos, *ut videri non possent.* Hæc *Cornelius à Lapide* in *Exod.* 25. *vers.* 18. Et arca, cùm in deserto è loco in locum transferretur, tegebatur ab *Aarone*, & filiis, triplici velo, *Num.* 4. *vers.* 5. 6. Et illi ipsi, qui eam ferebant, *Levitæ*, filii *Caath*, non priùs accedebant, quàm à Sacerdotibus tecta, & obvelata fuisset, ne, si eam tangerent, vel nudam conspicerent, illico morerentur, ut habetur ibidem versibus 15, 19, 20. Jam de bobus, à *Solomone* æneo mari suppositis, dicere necesse non est. Hos enim fuisse cultûs objectum nemo est, qui suspicetur: quin ipsa loci vilitas nonnullis suasit hoc fecisse *Solomonem* in contemptum vituli ab *Israelitis* in deserto culti, atque ut in hac figura discerent nihil esse adoratione dignum. Quid? quòd, si *Josepho* credimus, ἁμαρτεῖν αὐτὸν ἐτυχε, καὶ σφαλῆναι περὶ τὴν φυλακὴν τῶν νομίμων, ὅτι τῶν χαλκῶν βοῶν ὁμοιώματα κατασκευάσας τῷ ὑπὸ τῇ θαλάττῃ ἀναθήματι, &c. *peccare ipsi contigit, & ab observatione legum aberrare, cùm areæ boum effigies basi maris addidit*, &c. Sed, ut dicam quod res est, illi non facilè accesserim; quia miraculis post conditum Templum editis Deus abundè docuit à se probari quidquid fecerat *Solomon*, tanquam ipsius directione, ac inspiratione factum.

Non possum non addere *Beth-elis*, & *Danis* vitulos, à *Prophetis*, *Samariæ* quandoque tribui; quia *Samaria* caput erat regni *Israelitici*. Sic *Os.* 8. *vers.* 5. *Expulit te vitulus tuus*, O Samaria! Et versu sexto, *In scobem redigetur vitulus* Samariæ. Et 10, 5. *Propter vitulas* Beth-aven *pavebunt incolæ* Samariæ. Et *Amos* 8. *vers.* 14. *Qui jurant per delictum* Samariæ, *& dicunt, Vivit Deus tuus*, O Dan. Indè est, quòd vel *Sergius*, vel *Mahumetes*, vel auctor *Alcorani*, quisquis est, Scriptor omnium, quos novi, longè futilissimus, putavit, non jam dico hos vitulos, sed & vitulum illum, qui ætate *Mosis* conflatus est, à *Samaritanis* esse profectum, adeóque ipsum *Aaronem* fuisse *Samaritanum*. Locum profert *Seldenus* ex *Azoara* trigesima, quæ *Arabibus* vigesima est: *Assemeli* (Arab. السامري id est, *Samaritanus*, supple *Aaron*, ut sequentia docent) *taurum fudit corporeum emittentem mugitum*, &c. (*Arab.* عجلا جسدا له خوار) Quod sequutus *Nubiensis* (*Clim.* 2. part. 5.) *Samaritanos* describit in quandam *Rubri Maris* insulam deductos, si credimus, من اليهود المنسوبين الي السامري صاحب العجل في زمن موسي عليه السلام *a Judæis illis, qui genus suum referunt ad* Samaritanum (Aaronem) *vituli auctorem tempore* Mosis, *cui sit pax.* Et *Alcamus*, السامري الذي عبد العجل كان علجا كرمان او عظيما من بني اسرايل Samaritanus, *qui coluit vitulum, fuit proselytus ex honoratioribus, aut magnatibus à filiis* Israelis. Fallitur doctissimus *Seldenus*, cùm سامري *custodem* exponit, quasi sic dicatur *Aaron*, quia, *Mose* absente, Dei populus illi commissus fuerat. Nam, utùt *Hebræis* שומר *somer*, sit *custos*, tamen *Arabicè* سامري *Samari* nihil quidquam, quàm *Samaritanum* sonat. *Aaroni* porrò hoc cognomen ab imperitis hominibus non alia de causâ fuit inditum, quàm quia aurei vituli fabricatio, & cultus communis illi fuit cum illis *Israelitis*, quorum *Samaria* erat metropolis. Qui immanis est error: sed ab iis profectus, quibus solenne est sic impingere etiam in rebus maximè obviis. Et *Christus* ipse, *Joh.* 8. *vers.* 48. *Samaritanus* ab iis vocatus est, qui cum *Samaritanis* putabant eum συμφωνεῖν.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

Miracula quædam à Deo in Bobus, aut per Boves præstita: & primò de igne cœlitùs in Sacrificia delapso.

Hujus miraculi exempla, Levit. 9. vers. 24. 1. Par. 21. vers. 26. & 2. Par. 7. vers. 1. 2. 3. & 1. Reg. 18. 38. 39. *Eo referri verba* Psaltis, *Psal.* 20, 3. *Ignem cœlitùs delapsum servabatur inextinctum*, Levit. 6. vers. 12. 13. Aaronis *filii consumpti, quòd alienum substituissent*, Levit. 10, 2. *Duravit ille ignis usque ad captivitatem* Babylonicam. *Quidam quoque in puteo reconditum, & postea repertum narrat* Jason 2. Macchab. 1, 19. Jeremias, Nehemias, Esdras, & Josephus *sciunt.* Hebræi *omnes hunc ignem censent in quinque rebus, quæ in secundo Templo defuerunt. Hermolaus à falsa* Petri Cossi *interpretatione vindicatur. Inde invictum in* Judæos *argumentum.* Vestales *quoque* Romæ, Græci Delphis & Athenis, Afri *in delubro* Ammonis, Persæ *in Pyreis seu* Pyrethæis *suis*, Brachmanes *in India ignem servabant inextinctum.* Indos, Lydos, & Persas *ignem sacrum jactasse è cœlo esse delapsum. Ejusdem miraculi vestigia in* Virgilii *Pharmaceutria.* Seleuco *sacrificanti, & uxori* Ciceronis, & Æmyliæ Vestali, *aut ejus discipulæ, ignis per se accensus. In* Siciliæ *colle* Vulcanio, & Salentinorum *urbe* Egnatia, *sarmenta, aris imposita, ignem sponte concipiebant. Hæc Diaboli virtute posse fieri probatur ex* Job. 1. vers. 16. Ephes. 2. vers. 2. & Apoc. 13, 13.

JAm aliquot de bobus historias referemus, in quibus emicuit Dei virtus extraordinaria. In illis agmen ducent boum sacrificia ab igne cœlitùs delapso incensa, & consumpta. Sic *Levit.* 9, 24. Cùm sacrificia pro peccato, holocausta, & eucharistica ex bobus, hircis, & arietibus, altari imposuisset *Aaron*, *ignis à conspectu*

Domini

Domini exiens consumpsit in altari holocaustum, & adipes: quo viso, totus populus acclamaverunt, & in faciem suam prociderunt. Hoc scilicet miraculo Deus ordinem sacerdotalem Legis veteris à se institutum, suas de sacrificiis leges confirmavit, atque obsignavit. Simile miraculum accidit in sacrificio *Davidis* ad pestem amoliendam oblato. Cùm enim boves, ab *Aravna*, qui & *Ornan*, certo pretio comparatos, *David* partim in holocaustum, partim in sacrificium eucharisticum obtulisset, Dominúmque invocâsset, *exaudivit eum Dominus, igne cœlitùs demisso super altare holocausti*, 1. Par. 21. vers. 26. Et in initiatione Templi, *cùm* Solomon *orandi finem fecisset, ignis, è cœlo illico delapsus, absumpsit holocausta, & reliqua sacrificia, & gloria Domini implevit domum. Adeò ut Sacerdotes in Domini domum ingredi non possent; quia eam impleverat gloria Domini. Et omnes* Israelitæ, *descendentem ignem videntes, & gloriam Domini in domum, inflexerunt se facie prona in terram ad pavimentum, & prostrati Dominum celebraverunt; quia bonus est, & in seculum benignitas ejus*, 2. Par. 7. vers. 1. 2. 3. Quæ duo miracula eodem pertinuerunt. *David* enim *Aravnæ* boves in eo ipso loco mactaverat, in quo postea Templum conditum est. Utroque igitur miraculo docuit Deus se in eo loco libenter coli. Itaque hoc solo differunt, quòd priore *Davidem* monuit Deus Templum ibi loci esse condendum; posteriore, jam conditum probavit, & consecravit. Rursus cum Propheta *Elias* veri Dei cultum contra *Baalitas* asseruit, ligna, & juvencum altari imposuit, nullo igne admoto. Contra, holocaustum, & ligna, duodecim aquæ cadis perfundi jussit, ità ut aquæ circa altare fluerent longè latéque, & vicinum alveum replerent. Tamen ad *Eliæ* preces *ignis Domini decidit, holocaustum, ligna, & lapides, & pulverem quoque consumpsit, & aquam quæ etiam elinxit, quæ erat in alveo. Quod cùm vidisset omnis populus, ceciderunt in facies suas, & aiunt, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus*, 1. Reg. 18. vers. 38. 39. Proinde, Prophetis *Baaliticis* jussu Prophetæ jugulatis, verus Dei cultus restitutus est. Ad hujusmodi miracula nonnulli volunt *Israelitas* alludere, cum, *Davidi* Regi suo fausta apprecantes, inter cetera bona hoc petunt, *Psal.* 20. *vers.* 4. *Et omnium oblationum ejus Deus sit memor, & holocaustum ejus* ידשנה *incineret*; id est, igne cœlitùs immisso in cinerem redigat, ut favorem suum illi testetur hoc signo. Ad quæ verba *Kimchius*, כלומר שישלח אש לשרוף העולה ויהיה דשן *Quasi dicerent, ut immittat ignem ad illa consumenda, & ea* [illegible]. Plura de hoc miraculo vide in Tractatu D[illegible] ad locum *Gen.* 4. *vers.* 4. Hic solum addimus, ignem illum, per miraculum è cœlo demissum, pro sacro fuisse habitum. Itaque jubebantur Sacerdotes eum perpetuò servare inextinctum. Verba sunt *Levit.* 6. *vers.* 12. 13. *Ignis autem, qui est super altare, ardebit in eo, nec extinguetur. sed fovebit Sacerdos, ut ligna super illud quotidie manè ardeant*, &c. *Ignis* (inquam) *jugiter ardebit in altari, nec extinguetur.* Proinde *Aaronis* filii, *Nadab*, & *Abihu*, qui pro igne sacro ignem alienum, in thuribulis suis positum, Domino obtulerant, *egressus ignis à Domino exanimavit eos, atque ità coram Domino consumpti sunt.* Neque enim in thuribulo alius ignis poni debuit, quàm sacer ex altari sumptus, *Levit.* 6. *vers.* 12. & *Apoc.* 8, 5. Servatus autem est sacer ille ignis usque ad *Babylonicam* captivitatem. Nec desunt, qui etiam post captivitatem arsisse, & ad extremum usque *Judæorum* excidium durâsse velint. Nempe 2. *Macchab.* 1. vers. 19. leguntur pii Sacerdotes, ante transmigrationem, ignem altaris in puteo quodam arido abscondisse, & post reditum *Neemias* ὕδωρ παχὺ, *aquam densam*, ex eodem puteo eruisse, qua cùm aspersæ fuissent victimæ, inde accensam esse πυρὰν μεγάλην, *pyram magnam*, ità ut mirarentur omnes. Spurius quoque *Josephus* (*Hist. Jud.* lib. 1. cap. 17.) eundem ignem narrat à *Jeremia* in puteo quodam absconditum, è quo cum *Esdra* jussu Sacerdotes מים שמן ועב כרבש *aquam pinguem, & densam ut mel*, pugillis suis hausissent, & super altare sparsissent, tantum ignem subitò exarsisse, ut fugere coacti sint, nec solùm holocaustum, & ligna combussisse, sed & totum Templum, & vasa ejus lustrâsse. Sed nihil horum neque in *Jeremia*, neque in *Nehemia*, neque in *Esdra*, neque in vero *Josepho* legas. Et *Hebræi* ferè omnes magno consensu tradunt sacrum illum ignem in posteriori Templo defuisse. Ità *Midras* in *Cant.* 8. *vers.* 9. אלו חמשה דברים שהיה בית אחרון חסר מן הראשון ואלו הן אש של מעלה ושמן המשחה ארון ורוח הקדש ואורים ותומים *Quinque res habuit prima domus, quibus secunda caruit, nempe 1 ignis supernè delapsus, 2 oleum unctionis, 3 arca, 4 Spiritus sanctitatis, 5 Urim, & Thummim.* In *Talmude Hierosolymitano*, Tractatu *Sanhedrin*, eædem illæ quinque res hoc ordine narrantur; 1. ignis, 2. arca, 3. *Urim*, & *Thummim*, 4. Oleum unctionis, 5. Spiritus Sanctus. Et in *Babylonico* Tractatu *Joma* cap. 1. ferè in fine, paulò aliter, ארון וכפורת וכרובים אש ושכינה ורוח הקדש ואורים ותומים 1 *Arca, propitiatorium, & Cherubim*, 2 *ignis*, 3 *Dei Majestas*, 4 *Spiritus Sanctus*, 5 *Urim, & Thummim.* Quod sequitur *Kimchius* Ps. 85. vers. 10. Sed in *Agg.* 1. *vers.* 8. diverso ordine ארון ואורים ותומים ואש העליונה ושכינה ורוח הקדש 1 *Arca*, 2 *& Urim, & Thummim*, 3 *& ignis cœlestis*, 4 *& Dei Majestas*, 5 *& Spiritus Sanctus.* Ità etiam *Sepher Amana* cap. 6. Sect. 70. הארון עם כפורת וכרובים אש שכינה רוח הקדש אורים ותומים 1 *Arca cum propitiatorio, & Cherubinis*, 2 *ignis*, 3 *Dei Majestas*, 4 *Spiritus Sanctus*, 5 *Urim, & Thummim.* Ipsa *Hebræorum* verba profero, ut *Petrum Costum* falli appareat, cùm in *Typo Messiæ* pag. 138. simul jungit אש שכינה & *divinum ignis splendorem* exponit, *quo veluti præsens Deus totum Templum perlustrabat.* Qui interpretatione pravè conjungit quæ erant divellenda, nec quidquam commune inter se habent. Nam אש est *ignis* de quo diximus, & שכינה *Dei Majestas.* Itaque in *Joma* non legitur אש שכינה *ignis Dei Majestas*, sed אש ושכינה *ignis, & Dei Majestas.* Ità etiam in *R. Selomone.* Et in *Midras* אש של מעלה *ignis de sursum* supple *delapsus.* Et in *Kimchio*, ואש העליונה ושכינה *Et ignis supernus, & Dei Majestas.* Quæ duo si conjungant ità, ut אש שכינה sit *Dei majestatis ignis*, non constabit numerus, & pro quinque rebus, quæ in posteriore Templo defuerunt, solùm quatuor reperientur. Tamen *Hebræi* omnes quinque numerant. Et *Agg.* 1. *vers.* 8. *He* paragogicum in voce אכבד *glorificabor* ideò deesse volunt, ut significetur illas quinque res in secunda domo fuisse desideratas; quia in numeris *He* valet quinque. Neque id *Costum* latuit. Itaque nè deesset unitas in quinario illo numero, arcam, & propitiatorium seorsim numeravit, ùt res distinctas. At propitiatorium nihil quidquam fuit, quàm arcæ operculum. Nè igitur divellerentur, dixit auctor *Sepher Amana* הארון עם כפורת וכרובים *arcam cum propitiatorio, & Cherubinis*, ut doceret propitiatorium & *Cherubinos* arcæ adhæsisse, & ejus fuisse quasi appendices, adeoque pro uno hic sumi. Et *Midras* in *Cantica*, *Talmud Hierosolymitanum*, *Kimchius* in *Aggæum*, & alii, arcam nominâsse contenti, propitiatorium omittunt, & *Cherubinos* illi insculptos; quia *arcæ* nomine continentur. Nec frustrà est, quòd Deus in posteriore Templo desiderari voluit externa illa ornamenta, quæ prius Templum insigniebant. Ità nimirum nos docuit hujus Templi privilegium non aliud fuisse, quàm quod *Christus* illud suâ præsentiâ, doctrinâ, & miraculis illustre reddidit: atque eo referenda esse hæc *Aggæi Prophetæ* verba, *Major futu-*

ra

ra est gloria domûs hujus posterioris, quàm prioris illius, ait Dominus exercituum, Agg. 2,9. Aliòqui enim secundum Templum ad prioris gloriam nullâ ex parte accesserit: neque verè dixerit *Aggæus* majorem fore ejus gloriam. Ad quod argumentum *Judæi* planè obmutescunt, neque habent quod regerant.

Sed, ut ad ignem è cœlo delapsum, & à Sacerdotibus per multa sæcula servatum redeamus, nota Diabolum, hic etiam in parte Dei æmulum, suos habuisse Sacerdotes, qui ignem servarent inextinctum. De *Vestalibus*, quæ à *Pontifice Maximo* in abdito conclavi, lineo velo obtento, flagris cædebantur, si sacrum, & æternum ignem deficere passæ essent, res notior est, quàm ut probatione egeat. Hoc nempe *Romanis* fuit maximè formidolosum, quasi ignis extinctio ἀφανισμὸν τῆς πόλεως, *excidium urbis*, portendisset. Ità *Dionysius Halicarnassensis* libro secundo. *Græci* quoque *Delphis*, & *Athenis*, πῦρ ἄσβεστον, *ignem inextinctum* servabant. Non tamen virgines ei præfuerunt, sed γυναῖκες πεπαυμέναι γάμων, *mulieres, quæ deinceps à conjugio abstinebant*. Et, si quando extinguebatur, eum ad Solem denuò succendebant, oppositis illi τοῖς σκαφείοις, ἃ κατασκευάζεται μὲν ἀπὸ πλευρᾶς ἰσοσκελοῦς ὀρθογωνίου τριγώνου κοιλαινόμενα, συννεύει δὲ εἰς ἓν ἐκ τῆς περιφερείας κέντρον, *scaphiis, quæ excavantur lateribus æqualibus rectangulis trigonis, ita ut ex circumferentia in unicum centrum concurrant*. Hæc *Plutarchus* in *Numa*. Et in *Ammonis* delubro, *Silio* teste libro tertio,

Inextincta focis servant altaria flammæ.

Persarum quoque *Pyrea* nota, in quibus æternum ignem non servabant solùm, sed & pro Deo colebant, ut multis docet *Brissonius* libro secundo *De regno Persarum*. Πυραθεῖα vocat *Strabo* libro decimo quinto, & in *Cappadocia* quoque describit. Sed & videtur ille mos in *Indiam* ad *Brachmanes* usque penetrâsse, de quibus *Ammianus* libro vigesimo tertio, *Feruntque, si justum est credi, etiam ignem, cœlitùs lapsum, apud se sempiternis foculis custodire*. Nota hæc verba *ignem cœlitus lapsum*. Ideò enim vel servatus, vel etiam cultus est ignis; quia putabatur è cœlo esse demissus. Nam & hoc à mystis suis Diabolus credi, & prædicari voluit, ne hujus miraculi gloria Deo esset peculiaris. Itaque in *Græcorum*, & *Romanorum* libris nihil frequentius, quàm sacrum ignem è cœlo decidisse, aut sponte suâ fuisse accensum. Sic *Appianus* in *Syriacis* de Rege *Seleuco* dicit, Ἐν Μακεδονίᾳ τὴν ἑστίαν αὐτῷ τὴν πατρῴαν, οὐδενὸς ἅψαντος, ἐκλάμψαι πῦρ μέγα, *in Macedonia paternam aram magno ipsi igne fulsisse, cum nemo illam accendisset*. Et de eodem *Pausanias* in *Atticis*, *Cum ex* Macedonia *cum* Alexandro *profecturus* Pellæ Jovi *sacrificaret*, τὰ ξύλα ἐπὶ τοῦ βωμοῦ κείμενα, προῦβη τι αὐτόματα πρὸς τὸ ἄγαλμα, καὶ ἄνευ πυρὸς ἥφθη, *ligna aris imposita ultro ad Dei simulachrum accesserunt, & sine igne accensa sunt*. Et in *Eliacis prioribus*, ubi de *Lydiæ* urbibus, *Cæsarea*, & *Hypæpis*; *In templo utriusque urbis amplissimo cella cum aris: super his cinis alio longè colore à vulgari cinere. Huc ingressus Magus, ubi, foco lignis impositis, tiarâ caput velavit, implorat cognomen Dei, quicunque ille sit. Ex libro enim recitat carmen barbaricum, linguâ planè ignotâ Græcis. Ubi peroravit, sponte suâ è lignis, nullo igne admoto, purissima emicat flamma*. Græcè, Ἄνευ δὲ δὴ πυρὸς ἀνάγκη πᾶσα ἀφθῆναι τὰ ξύλα, καὶ φλόγα ἐξ αὐτῶν ἐκλάμψαι. Quod in *Lydia* miraculum ipse se vidisse asserit. *Persæ* etiam, si *Tzetzi* fides *Chil. 3. Hist. 66*. ignem, qui in *Perside* pro Deo colebatur, ἐκ κεραυνοῦ [illegible] ὑπὸ Περσέως [illegible], *ex fulmine à Perseo fuisse olim accensum* jactitabant. Quale est, quòd apud *Cedrenum Perseus* ignem coli statuit, ὡς ἐκ οὐρανοῦ κατενεχθέντα Θεὸν, *ut Deum è cœlo delatum*. Quò eòdem fortè pertinet, quòd fingitur *Prometheus* ignem cœlitùs surreptum in terras detulisse. Jam, è *Romanis*, *Poëtam* audi in *Pharmaceutria*.

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte suâ, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.

Ubi *Servius*, *Hoc uxori* Ciceronis *dicitur contigisse: cùm post peractum sacrificium libare vellet, in cinere visa est flamma, quæ flammâ eodem anno ostendit Consulem futurum ejus maritum*. Ut in hæc libri duodecimi Æneidos,

—— Qui fœdera fulmine sancit,

idem *Servius*, *Apud majores aræ non incendebantur: sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria*. (Nota *eliciebant*, unde *Jovi Elicio* nomen, cui aram in *Aventino* monte dicavit *Numa*. Vide *Plinium*, & *Livium*, & *Ovidium in Fastis*.) In *Valerio* lib. 1. cap. 1. *Maxima virginis Æmyliæ discipulam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestæ Numen præstitit. Quâ adorante, cum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit*. Ut miraculum sit illustrius, dicit *Dionysius*, libro primo, ἐκ τῆς κατεψυγμένης πρὸ πολλοῦ, καὶ οὐδένα φυλαττούσης σπινθῆρα, τέφρας ἀναλάμψαι φλόγα πολλὴν διὰ τῆς καρπάσου, *ex cinere pridem frigido, neque ullam scintillam servante multam flammam per carbasum emicuisse*. *Solinus* in capite *De Sicilia*; *Nec longè inde collis* Vulcanius, *in quo qui Divinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cum prosicias intulerint. Si adest Deus sacrorum probator, sarmenta, licèt viridia, ignem sponte concipiunt, &, nullo inflagrante halitu, à Numine fit incendium: ibi epulantibus alludit flamma, quæ, flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit non adurit. Nec aliud est, quàm imago nuntia perfecti ritè voti*. *Plinius* lib. 2. cap. 107. ubi de ignium miraculis; *Reperitur apud auctores*, &c. *In* Salentino *oppido* Egnatia, *imposito ligno in saxum quoddam, protinus flammam existere*. Quod tamen cùm in ipsâ *Egnatia*, seu *Gnatia*, quod idem est, ab incolis audivisset *Horatius*,

—— Epicuri *de grege porcus*,

ità rejecit ut fabulosum, lib. 1. *Sat*. 5.

—— dehinc Gnatia, *lymphis*
Iratis extructa, dedit risusque, jocósque,
Dum flammâ sine thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Judæus Apella,
Non ego. ——

Sed tam multis testibus fidem abrogare difficile est: cùm hæc *Satanæ* potentiam non superent, qui est ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *Ephes*. 2, 2. & in elementa multa potest, ignémque immisit cœlitùs in *Jobi* greges, *Job*. 1,16. Proinde hujus virtute, bestia, quæ ascendit ex terra, ignem è cœlo emittit in conspectu hominum, *Apoc*. 13,13. Tamen *Baalitæ* non potuerunt cœlestem ignem suis precibus elicere. Neque *Satanas*, qui haud dubiè favebat idololatris, hoc in illorum gratiam præstitit; quia Deus impediebat.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

De Morbis *Philistæorum*, & Vaccis, quæ captivam arcam reduxerunt, & *Beth-semitarum* plagâ.

Arca captiva Philistæos *quàm malè mulctaverit. Cur Templis tamen transmissa. Agri eorum cur à muribus vastati.* עפלים, *vel* טחורים, *quod morbi genus. Variæ sententiæ.* טחור tachor, [illegible] podex; עפלים *apholim*, tumores in illa parte. *Lat.* mariscæ, vel fici, *quorsum.* عفل aphal *Arab.* tumor in vulva. *An ad mariscas pertineat locus* Psal. 78.

Psal. 78. vers. 66. אשם *cur Græci* σάζανω *reddant.* Casmilli קסמיאל. *Cur Philistæi murium, & mariscarum imagines Deo offerant. Veteres, ab aliquo malo liberati, hujus insignia Diis consecrabant.* Philistæorum *vocabula* סרנים sarnim; & ארגז argaz: *quorum illud* principes, *hoc* riscum *sonat.* Aquila *cur* ὕφ@ χυρᾶς *verterit. Voces quadam* Philistæis, *&* Phrygibus *communes. Cur arcam in novo plaustro* Philistæi *posuerint vaccasque indomitas, & fœtas illi junxerint. An has vaccas Deo offerre licuerit. Dei cultus tum nulli loco affixus.* אבן eben *cur mutatum in* אבל ebel. *Arcam tangere, & introspicere vetitum.* Beth-semitarum *solum septuaginta casi, non septuaginta millia.* EX Hebr. *sæpe suppletur.*

JAm ad aliud miraculum nos conferimus priore nihilo minus. *Philistæi* captivam arcam in suis urbibus non aliter detinebant, quàm *Spartanus* puer gestabat vulpeculam in sinu, quæ interim ejus vitalia carpebat. Ità enim arca captiva illos pluribus modis vexaverat, & malè mulctaverat. Quam primùm scilicet in *Dagonis* ædem deducta fuerat, impurum illud idolum coram ea semel atque iterum pronum in terram ceciderat, capite, & manibus limini allisis, truncatum. Itaque in rei memoriam exinde *Philistæi* à calcando templi limine, tanquam idoli contactu consecrato, abstinuerunt. Quem ritum per multa sæcula durâsse colligere est ex his *Soph. 1. vers. 9. Et animadvertam in omnes eos, qui limen transiliunt; Philistæorum* exemplo scilicet. Unde *Chaldæus*, ואסער על כל מהלכין בנימוסי פלשתאי *Et animadvertam in omnes, qui ambulant in legibus* Philistæorum. Et *Midras* apud *Kimchium*, מצינו שהחמירו ישראל בעז יותר מאומות העולם באומות כתיב על כן לא ידרכו כהני דגן אבל בישראל כתיב הדולג על המפתן *Reperimus* Israelitas *idolorum cultui impensius se addixisse, quam gentes mundi. De gentibus enim scriptum est* 1. Sam. 5, 5. "*Ideo Sacerdotes* Dagon *non calcant* (super limen) *sed de* Israelitis *scriptum est* Soph. 1, 9. "*Transiliunt limen.* Quasi limen transilire sit gravius, quam simpliciter non calcare.

Præterea, ut constaret *Dagonem* non esse verum Deum τοῦ דגן *dagan*, seu *frumenti*, quod nomen significabat (unde est; quòd in *Eusebio Philo Byblius* Σίτωνα reddit, quasi Deum τοῦ σίτου. *Philistæorum* agri, muribus immissis, vastati sunt, qui segetes, atque omnem terræ proventum absumpserunt.

Denique, quod gravissimum fuit malum, neque ullo modo tolerabile, Deus ipsos *Philistæos* molestissimis morbis afflixit, quos Sacer Textus עפלים *apholim*, sed *Masoretha* טחורים *techorim*, vocant. Quam ipsam vocem suo more inflexam usurpant *Chaldæus*, & *Syrus* Interpretes. Sed quale morbi genus sit, parùm constat; quia extra hanc historiam nonnisi semel nominatur. Nempe *Deut. 28. vers. 27.* in morborum serie, quorum metu Legislator *Israelitas* deterret à rebellione in Legem. Neque ulla notantur illius symptomata, ex quibus possit certò colligi, quæ sit natura morbi. Itaque hìc Interpretes in diversissima abeunt. *Septuaginta* constanter reddunt τὰς ἕδρας, *sedes*, seu *nates*. Hieronymus, *anos, secretiorem partem natium, partem corporis, per quam stercora egeruntur.* Quibus vocibus fortasse morbi locus significatur, non ipse morbus. *Josephus*, τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος, *dysenteriæ morbum. Symmachus* modò τὰ κρυπτά, *occulta*; modò περίλυσιν τῆς ἕδρας, *resolutionem sedis*, id est, ἕδραν προπίπτουσαν, *sedem procidentem*, qui morbus in pueris frequens. *Aquila*, τὸ τῆς φαγεδαίνης ἕλκ@, *ulcus phagedænicum. Jonathan* in Lege, טחוריא דמסמין חזותא, quasi hoc morbo visus excæcetur. *Arabes in Samuele* & in *Eutychio*, زحير *profluvium ventris.* Ità etiam in *Pentateucho* Manuscripto: sed in editis بواسير *mariscas*, seu *hæmorrhoidas*; quod sequuntur plerique *Hebræorum*, & novi Interpretes ferè quotquot sunt. Nos, ut in tanta interpretum discordia dicamus quid videatur vero propius. Primò distinguendum putamus inter voces טחורים *techorim*, & עפלים *apholim*; quas *Masoretha* tam promiscuè sumunt, ut pro עפלים *apholim*, semper legi velint טחורים *techorim*, quasi voces essent prorsus ἰσοδύναμοι. At nobis טחור *tachor*, est *anus*, seu *podex*, & עפלים *apholim*, est *morbus in illa parte.* Nempe טחר *tachar*, Verbum in *Aruch* est עצם *claudere*, & *constringere*; *Græcè* σφίγγειν dixeris; unde טחור *tachor*, σφιγκτήρ, seu *podex.* Et *Syris* ܛܚܪ *techar*, est *niti*, & ܛܚܪܐ *nisus ad ventrem exonerandum*, in *Ferrarii Lexico* pag. 889. Quæ ità sunt contraria, cùm in uno facultas retentrix, in altero expultrix agat, ut tamen idem sphincter utriusque sit organum. Ab utraque igitur facultate potuit illi nomen indi. Sed עפלים *apholim*, *illius partis esse tumores* puto, quia עפל in *Pual* est *tumere*, & *efferre se*, & in *Hiphil* significat *in altum contendere.* Et Nomen עופל *ophel*, pro *clivo* aliquoties in Scripturis occurrit. Itaque dicuntur עפלים *apholim*, morbi, quibus pars illa protuberat, atque intumescit, cùm melancholico sanguine distenditur. *Mariscas*, seu *ficos*, *Romani* vocant; quia accedunt ad ficûs formam. Unde *Juvenalis* Sat. 2.

Cæduntur tumidæ, Medico ridente, mariscæ.

Et *Martialis* lib. 1. *Epigr.* 66.

Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Etiam *Arabicè* عفل *aphal*, est *tumor*, sed ab עפלים *apholim*, diversus. Hoc enim est in podice, ut docuimus; illud in muliebri vulva, & pro herniæ genere habetur. *Alcamus* in mulieris & camelæ vulva extare, & protuberare scribit كالادرة من الرجال *ut herniam in viris.* Et عفل *aphala* Verbum *tali herniâ laborare*; عفلا aphla, *mulierem*, vel *camelam tali morbo laborantem*; عفيل aphil, *morbi curam* significat. Usus Scripturæ palàm confirmat, quod docuimus ex Etymologia vocum, עפלים *apholim*, esse *morbum*, & טחורים *techorim*, esse *partem affectam.* Sic *Deut. 28. vers. 27. Percutiet te Dominus ulcere Ægyptio*, ובעפלים *&* apholim, *& scabie, & prurigine*, &c. Vides, lector, ibi עפלים non esse τὰς ἕδρας, *nates*, ut *Græci* habent, nec *partem corporis, per quam stercora egeruntur*, ut *Hieronymus* reddidit, sed *morbi genus.* Neque aliter sumendum, cùm de *Philistæis* dicitur 1. *Sam.* 5. *vers.* 6. *Et percussit eos* בעפלים *apholim.* Et versu duodecimo, *Percussi sunt* בעפלים, id est, *mariscis.* Itaque versu nono dicitur, וישתרו להם עפלים *Et latebant ipsis apholim*: quod ad *nates*, aut *podicem* pertinere non potest, sed ad *mariscas* referendum, quarum quæ intùs latent graviùs dolent, & difficiliùs curantur. Proinde non frustrà observatur illas intùs delituisse. Ut igitur in loco Legis, quem citavimus, sic toto illo capite עפלים sunt *mariscæ.* Rursus capitis sexti versu quarto חמשה עפלי זהב sunt *quinque mariscæ aureæ.* Et versu quinto צלמי עפליכם *imagines mariscarum vestrarum.* Sed eædem versu undecimo vocantur צלמי טחוריהם *imagines anorum suorum.* Et versu decimo septimo טחורי הזהב *ani aurei*; quia anos referebant cum mariscis adnatis. Itaque illas Imagines liberum fuit ab utrovis denominare.

Ad

Ad hanc *Philistæorum* plagam multi *Davidis* verba referunt *Psal.* 78.66. *Et percussit hostes suos* אחור, *retrò, opprobrium æternum dedit ipsis.* Sic *Chaldæus* Paraphrastes, ומחא מעיקיו בטחוריא באחוריהון *Et oppressores eorum mariscis percussit in posterioribus.* Apollinaris,

Οὐτάων δ' ἕδρησι κακῶς ἐδάμασσεν ἀλείτας,

Sauciens sceleratos natibus malè mulctavit. Augustinus, *Percussi sunt in sedibus suis.* Arnobius, *Percussit omnes inimicos in secreto natium eorum.* Theodoretus, Λέγει δὲ τὰς ἕδρας τὸ πάθος, ὅπερ ἡ ἱστορία διδάσκει. *Natium morbum intelligit, quem docet historia.* Suidas in Ἕδρα, Καὶ τοῦτό φησιν ὁ προφήτης, (lege ἡ προφητεία) Καὶ ἐπάταξε τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ εἰς τὰ ὀπίσω, τὰς ἕδρας τὸ πάθος σημαίνουσα. *Etiam hoc Prophetia dicit, "Et "percussit hostes suos retrò, natium morbum significans.* R. *Selomo* quoque intelligi vult מכת אחורים בעפלים ובטחורים *plagam mariscarum, & hæmorrhoidum in posterioribus partibus.* Et huic accedit *Aben Ezra.* Tamen nihil opus est hùc recurrere. Nam in præliis à tergo percutiuntur quivis fugaces; cùm viri fortes adverso pectore vulnera omnia excipiant. Ut *Thrasybulus, Tynnichi* filius, de quo Epigramma vetus in *Plutarchi Laconicis,*

Τὰν Πιτάναν Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους,
Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος,
Δεικνὺς ἀντία πάντα. ——

Thrasybulus *in clypeo exanimis* Pitanen *venit, cùm ab* Argivis *septem accepisset vulnera, ea ostendens adversa omnia.* Et apud *Plutarchum Crassus*, cùm in *Cauconem*, & *Castrcopus*, hominum millia duodecim & ducentos cæcidisset, δύο μόνους εὑρεῖν κατὰ νώτου τετρωμένους, *duos solum invenit à tergo vulneratos:* reliqui enim omnes, in acie stantes, & cum *Romanis* fortiter pugnantes, occubuerant. Itaque hostes suos *à tergo percutere* idem est, quod *in fugam vertere.* Neque aliud hic intellexit *Kimchius*, cujus verba sunt, הכה אותם עד ששבו אחור *Percussit eos; donec terga dederunt.* Quamvis ad rebelles ex *Israelitis* perperam referat, quod de *Israelitarum* hostibus dicit *David*, Deum eos à tergo percussisse, id est, in fugam vertisse, ut ab *Israelitis* à tergo cæderentur.

Philistæos quod attinet, tot malis pressi, & domiti, Sacerdotes, & vates suos consuluerunt, quorum monitu arcam plaustro, cum muneribus pro delicto, imposuerunt. *Delictum* Hebræis est אשם *asam: Græci* ferè πλημμέλειαν reddunt; at in hac historia βάσανον. qua de causa nullus capio, nisi quis illos putet (ùt *Hebræas* voces quandoque retinent) pro אשם *asam*, scripsisse ἀσαμὸν, quod in βάσανον mutaverit scribarum imperitia. *Vates, & ministri Deorum* קסמים *kosemim*, vocantur; ut *Romanis* CASMILLI, id est, קסמי אל *kosme el, ministri Dei.* Cujus Fœmininum *Casmilla*, vel *Camilla.* Virgilius *Æn.* lib. 11. versu 542.

—— *matrisque vocavit*
Nomine Casmillæ, *mutata parte*, Camillam.

Et versu 557.

Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia *virgo*,
Ipse pater famulam voveo.

Ubi *Servius*, *Voveo, consecro in tuum ministerium, unde & Camilla dicta est,* &c. Vide & *Macrobium, Saturnal.* lib. 3. cap. 8. & *Turnebum, Adversar.* lib. 14. cap. 13. ubi *Camœnas* contendit olim *Casmenas* fuisse dictas. Hi autem Deorum ministri, & vates, arcam remittendam suadent, non ulla pietate erga Deum; sed metu pœnæ, & *Ægyptiorum* exemplo territi; qui, captivos *Israelitas* retinere frustra conati, tandem gravibus plagis coacti sunt Deo cedere, & populo ejus facere abeundi potestatem. Sed & munera adjungunt, ab ipsa natura edocti, Deum donis esse placandum. Unde *Poeta*,

Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας,

Et *Ovidius* lib. 3. *De Arte,*

Munera, crede mihi, capiunt hominésque, Deosque,
Placatur donis Juppiter *ipse datis.*

Offeruntur autem muneris loco ex auro solido imagines tam murium, qui agros devastaverant, quam mariscarum, quæ in pudendis tot dolores creaverant. Solebant enim veteres, aliquo metu, vel periculo defuncti, præteritorum malorum insignia, ac monumenta illis Diis consecrare, à quibus se liberatos putabant. Ità naufragi *Isidi*, vel *Neptuno* tabulam dedicabant, quæ expressam naufragii sui imaginem continebat. Unde *Juvenalis* Sat. 12.

—— *pictores quis nescit ab* Iside *pasci?*

Et *Horatius* Ode 5.

—— *me tabula sacer*
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Gladiatores arma *Herculi* appendebant. Idem *Epist.* 1.

—— Veianius *armis*
Herculis *ad postem fixis latet abditus agro.*

Servi, & captivi, in libertatem asserti, catenam laribus offerebant. Idem lib. 1. *Sat.* 5. de *Sarmento* diu servo,

—— *donâsset jámne catenam*
Ex voto Laribus *quærebat.* ——

Quin *Christiani*, horum æmuli, quinto post *Christum* sæculo, cœperunt donaria in Templis appendere, imaginem habentia partium, quæ aliquo morbo afflictæ convaluerant. Ità disertè testatur *Theodoretus* in octavo *Therapeuticωn*, Ὅτι δὲ τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ πιστῶς ἐπαγγελλόμενοι, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα, τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα· οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα· καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. *Quod verò votorum compotes fiunt, qui fideliter promittunt, palàm testantur eorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum effigies offerunt, ex auro, vel argento confectas.* *Philistæi* igitur ab *Israelitarum* Deo, ut sperabant, ex malis suis propediem liberandi, murium, & mariscarum imagines illi Deo vovent, à quo salutem expectabant. Singularum autem offerunt quinque numero; quia *Philistæorum* regio erat πεντάπολις, & quinque habebat Principes. Hi, voce *Philistæis* propria, סרנים *sarnim*, dicuntur in libris *Josue, Judicum, Samuelis, & Paralipomenωn.* Quod esset *Hebraicè* שרים *sarim*, ut explicatur 1. *Sam.* 29. *vers.* 9. De cætero, vel fama, vel proprio periculo edocti, Dei arcam absque periculo non posse aperiri, munera sua in ipsa arca non recondunt, sed בארגז, *in argaz, seu capsa à latere arcæ ponenda.* Est & ארגז *argaz*, ut videtur, *Philistæorum* vocabulum; quia extra hanc historiam nullibi reperitur. *Seniores* ignotam vocem nude exscripserunt, quæ a scribis variè corrupta est. *Jonathan* reddit תיבותא thebutha, *arculam*; Arabs مكبلة *michla, peram* propriè *pabulatoriam*; Selomo, *scrinium*; Josephus, γλωσσόκομον, *marsupium*; Symmachus, λαρνάκιον unde *Hieronymus, capsellam*; Aquila, ὕφος κυρᾶς, *textile ex lana detonsa*, quod in mendo non cubat, ut à *Drusio* creditum, sed nititur etymo vocis, quam deduci putavit contentiosus Interpres ex ארג *arag*, & גז *gez*, quorum illud *texere*, hoc *tonsionem* sonat. *Græci* Scholiastæ, πλεκτὸν ὡσανεὶ κόφινον, *textilem quasi cophinum*, vel ἐκ τριχῶν οἷα σακκία, *ex crinibus ut saccos* cilicinos. *Syrus* pro ארגז *argaz*, iisdem radicalibus ܪܓܙܐ *ragzaba*, quod *Syri* recentiores *saccum cilicinum*, vel *sportam cilicinam* explicant. *Arabicè* رجازة *rigiaza* est clitellæ camelinæ genus, ex qua utrimque pendent sacci cilicini lapidibus oppleti, qui illi sint pro sacomate, ut in æquilibrio maneat. Id ipsum erat ארגז *argaz*, & saccos significabat ex utraque parte arcæ pendulos, ut sacculi,

ſacculi, quos deſcripſimus. Et veteres *Syros* putaverim per Metatheſim ܪܙܓܐ *razga*, vel *rizga* ſcripſiſſe, atque indè ῥίσκον, *riſcum*, dici *ciſtam ex pellibus*. Sic Θυλακοποιοὶ *Heſychio* ſunt οἱ τὰ σκυτόμινα κιβώτια, καὶ τοὺς δερματίνους ῥίσκους ἐργαζόμενοι, *qui arculas corio obductas, & riſcos pelliceos conficiunt*. Fallitur, ſi quis putat vocem eſſe recentioris *Græciæ*, quia in *Polluce*

Lib.7.c.19. (a) *arcæ*, quæ veteribus erant κιβωτοί, καὶ κίσται, καὶ ζυγάστρα, dicuntur παρὰ τοῖς νεωτέροις ῥίσκοι, καὶ κανδύτανες, *à recentioribus riſci, & candytanes*. Idem enim (lib. 10. cap. 31.) hanc vocem citat ex *Antiphanis Aleatoribus*. Et eâdem utitur *Terentius* in *Eunucho*. Ad quem locum *Donatus riſcum* pro *ciſtâ pelle contectâ* tradit eſſe nomen *Phrygium*. Neque mirum, *Phrygibus* quaſdam voces communes fuiſſe cum *Philiſtæis*, ſi *Philiſtæorum* urbs *Aſcalon* ab *Aſcalo Phryge*, *Tantali* fratre, verè fuit condita, prout apud *Stephanum* tradunt *Xanthus*, *Lydius* & *Nicolaus Damaſcenus*. Utut ſit, multa *Phrygum* vocabula certum eſt ex *Palæſtina* fuiſſe ſumpta: cujuſmodi *Cabiri* pro *Diis magnis*; *Coes*, eorum *Sacerdos*; ΕΥΟΙ, *Euoe*, vox *Bacchantium*; ΝΙΝΗΑΤΟΣ, ſeu *nænia*, *tympana* matris Deûm, ipſum *Cybeles* nomen; *Athidis* nomen, quod *hircum* explicant; ΒΑΑΛΗΝ; pro *Rege* ΣΟΥΣΟΝ pro *lilio*; & ſimilia, de quibus plura aliàs. Pertinet ad arcæ honorem, quod cum ipſo riſco ponitur in plauſtro novo, quomodo *Chriſtus* in monumento novo, in quo non dum quiſquam poſitus fuerat, *Matth. 27. verſ. 60.* & *Luc. 23. verſ. 53.* Atque ob id ipſum plauſtro junguntur juvencæ duæ nondum jugum expertæ. Quod etiam in certis ſacrificiis fuiſſe obſervatum jam antè notavimus. Sed & alia de causâ voluerunt vaccas illas eſſe injuges. *Philiſtæi* enim omen captabant. Si arca, inquiunt, rectâ viâ in urbem *Beth-ſemes* contenderit, fatebimur *Iſraelitarum* Deum hoc nobis malum intuliſſe. Sin minus, tum ſciemus ejus manum nos nequaquam attigiſſe, ſed hoc contigiſſe caſu. Itaque, ut omen eſſet certius, injuges vaccas elegerunt, quia ad miraculum faciebat, ut vaccæ hactenus indomitæ, ſine ullo duce, rectam viam inſiſterent. Quâ ipſa de causâ fœtas ceperunt, id eſt, quæ vitulos lactabant, ad quos, Natura duce, rediiſſent, niſi vis major eas alio impuliſſet. His igitur obſervatis, tamen vaccæ, rectam viam inſiſtentes uſque *Beth-ſemes*, ſtratâ viâ iverunt perpetuò mugientes (vitulorum, quos lactabant, deſiderio, ut ſuo loco (b) docuimus) neque ad

b) Cap.19. ſupra pag. 282, 283.

dextram, aut ſiniſtram declinaverunt. Quæ *Philiſtæos* non latuerunt, illorum enim Principes ſequebantur, ut viderent, quo res tandem evaderet. Hæc *Philiſtæi* hactenus.

Beth-ſemitæ autem, quorum plerique tum temporis erant in agris, quia tritici meſſi vacabant, arcam tam mirâ ratione ex captivitate reducem cum lætitia exceperunt, plauſtrique lignis ſuccenſis vaccas duas in holocauſtum Deo obtulerunt, adhibitis Sacerdotibus, quorum ibi fuit copia; quia *Beth-ſemes* oppidum erat Sacerdotale, *Joſ. 21, 16.* Si quis objiciat, *Philiſtæorum* vaccas Deo non potuiſſe offerri, quia *ſacrificium impiorum Deo eſt abominationi*, Prov. 21, 27. reſpondebo, non à *Philiſtæis*, ſed ab *Iſraelitis* fuiſſe oblatas, in quorum poteſtatem venerant, Deo illas in *Judæam* eâdem providentia deducente, quâ in montem *Moriæ* arietem illum deduxerat, quem pro *Iſaaco* obtulit *Abraham*. Et quia tum Dei cultus nulli loco erat affixus, pro altari fuit *ſaxum antiquum*, *ingens*, *campo quod forte jacebat*, quod pro אבן גדולה *eben gedola*, id eſt, pro *lapide magno* dictum eſt אבל גדולה *ebel gedola*, *luctus magnus*, à luctu ibi edito, ut habetur verſu decimo nono, ויתאבלו העם *Et luxerunt populus*. Luctus enim acerbiſſimi cauſa fuit ſequuta clades hominum plus quinquaginta millium; quia arcam temerè apertam curioſius introſpexerant: quod Deus non ſolùm plebeiis, ſed & *Levitis*, ſub pœna mortis, interdixerat, *Num. 4, 20.* Hæc ex vulgi ſententia, à qua tamen non diſſimulabo me eſſe remotiſſimum, ut qui cum *Joſepho* ſentiam nonniſi ſeptuaginta *Beth-ſemitas* fuiſſe cæſos. Is enim ita habet *Antiq.* lib. 6. cap. 2. Ὀργὴ δὲ καὶ χόλος τοῦ Θεοῦ μέτεισιν, ὥστε ἑβδομήκοντα τῶν ἐκ τῆς Βεθσαμῆς κώμης, οὓς οὐκ ὄντας ἀξίους ἅψασθαι τῆς κιβωτοῦ, ἱερεῖς γὰρ οὐκ ἦσαν, καὶ προσελθόντας αὐτῇ, βαλὼν ἀπέκτεινεν. *Acceſſit autem ira, & indignatio Dei, ita ut ſeptuaginta homines ex pago* Beth-ſemes *feriens interfecerit, eò quod ad arcam acceſſiſſent, cum eam attingere digni non eſſent, neque enim erant Sacerdotes*. Neque aliud ſonabunt *Hebræa* verba 1. *Sam.* 6. *v.* 19. ſi commodè reddantur ויך באנשי בית־שמש כי ראו בארון יהוה ויך בעם שבעים איש חמשים אלף איש. Illa enim puto ſic eſſe vertenda, *Et percuſſit è* Beth-ſemitis, *quia Domini arcam introſpexerant*, *percuſſit* (inquam ex illo *populo ſeptuaginta homines*, *quinquaginta* ſcilicet *è mille hominibus*: ut ſenſus ſit, Deum pro indulgentia ſua noluiſſe in omnes reos animadvertere, ſed è reis multò pluribus ſolùm ſeptuaginta morte mulctaſſe, hâc proportione obſervata, ut pro mille reis nonniſi quinquaginta perirent, id eſt, pars vigeſima. Reos igitur arcæ introſpectæ ſic ſequatur fuiſſe mille quadringentos, quorum partem vigeſimam, id eſt, ſeptuaginta homines, Deus percuſſerit. Itaque hæc verba, *quinquaginta ex mille hominibus*, nihil quidquam ſignificabunt, quàm proportionem, quam obſervavit Deus in pœnis exigendis. Quomodo, apud *Romanos*, milites mortis reos decimare in more fuit. Sed hanc eſſe *Hebraiſmi* vim ideò fugit Interpretes, quia non viderunt in verbis חמשים אלף איש ſupplendum eſſe מ ante vocem אלף, & locum ſic reddendum, quaſi legeretur חמשים מאלף איש, id eſt *quinquaginta è mille hominibus*. Tamen hujus propoſitionis Ellipſi nihil eſt frequentius. Sic *Exod.* 19, 12. *Cavete vobis* עלות בהר *aſcendere in monte*, pro מעלות *ab aſcendendo*. Exod. 36, 8. *Fecerunt cortinas decem* שש, pro משש, *ex byſſo*. Et verſu 19. *Et fecit tegmenta tabernaculo* עורות אילם, pro מעורות, *è pellibus arietum*. Et v. 34. *Et annulos earum fecit* זהב, pro מזהב, *ex auro*. Et v. 35. *Et fecit velum* תכלת, pro מתכלת, *ex hyacintho*. Et paſſim toto illo capite. *Joſ.* 10, 13. *Donec ulciſceretur ſe gens* איביו, pro מאיביו *de inimicis ſuis*, 2. Sam. 23, 24. *Elchanan filius Dodo* בית־לחם, pro מבית־לחם *è Beth-lehem*. 2. Reg. 17, 24. *Adduxit Rex Aſſur, ex Babel, & ex Cuth, & ex Hara, & ex Hamath*, וספרוים *& Sepharvajim*, pro ומספרוים, *& ex Sepharvajim*, quomodo ſuppletur in τῷ *Keri*. Hanc conjecturam maximè firmant vulgo receptæ verſionis incommoda, qua ſtatuitur Deus percuſſiſſe *Beth-ſemitarum* quinquaginta millia & ſeptuaginta. Nam, ex illorum ſententia, *Hebræa* ויך בעם שבעים איש חמשים אלף איש adverbum ſic ſonabunt, *Et percuſſit in populo ſeptuaginta homines, quinquaginta millia hominum*. Quæ erunt ἀσύνδετα. Itaque, ut ſimul jungantur, tanquam partes ejuſdem numeri, ſupplenda erit conjunctio ET. Præterea vocum ordo planè erit inverſus. Debebant enim millenarii præcedere numeros inferiores, quod in Scriptura perpetuum æquè, ac in linguis noſtris. Itaque dicendum fuiſſet, *quinquaginta hominum millia, & ſeptuaginta*; non contra, *ſeptuaginta homines, & quinquaginta millia*. Denique vox *hominum* fruſtra repeteretur. Sufficeiſſet enim dicere חמשים אלף ושבעים איש *quinquageſies mille, & ſeptuaginta homines*. Hæc de verbis: rem quod attinet, quid vero abſimilius, quàm Deum Optimum Maximum tantam eorum ſtragem edidiſſe, qui redeuntem arcam cum gaudio exceperant, & lætitiam ſuam multis ſacrificiis oblatis teſtati fuerant, 1. *Sam.* 6, 13. 15? Aut in extrema *Judæa* oppidum, vel pagum verius, ut à *Joſepho* appellatur, tot ho-

hominum myriadas mœnibus suis inclusisse? Qui advenas fuisse regerunt, quos reversæ arcæ fama ex vicinis urbibus exciverit, non solùm id gratis asserunt, sed & contra Scripturam. Neque enim ulli alii à Deo percussi leguntur, quàm *Beth-semitæ*, qui arcam introspexerant. Verba sunt, ויך באנשי בית שמש *Et percussit in hominibus Beth-semes*; id est, ex oppidi incolis.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

Cum in luto hæsissent Boves, qui arcam vehebant, *Uza*, illam attingere ausus, à Deo percussus est.

Arca in Kirjath-jearim. *Inde* Davidis *jussu abducta. De ea Scripturæ loca duo* ἐναντιοφανῆ *conciliantur.* Fullerus *notatus. Arca* Kaathitarum *humeris ferri debuit, non in boum plaustro vehi. Eadem arca cur* Nachon *dicatur, &* Chidon; *&* Syriace Damin, *quomodo legendum, non* Ramin. *Loca quædam à sanguine dicta. Vox* שמטו samatu, *de bobus quam variè redditur. Hujus vera significatio ex* Arabismo *eruitur.* Hebr. ש Arabes *in* ث *mutant. Falluntur, qui* Uzam Levitam *fuisse negant. Neque id docet* Josephus, *sed contrarium. Bona intentio non excusat.* Uzæ *peccatum duplex. Genus mortis ignotum.*

ALiud Dei judicium simile, quo vir, haud dubiè spectabilis, propter arcam temerè attrectatam, à Deo percussus est, ideò libentiùs hic referemus; quia in eo quoque boves suas partes habent. *Bethsemitæ*, cæ clade territi, de qua diximus, arcam retinere non audent, sed mittunt *Kirjath-jearim*, quasi ὑλῶν πόλιν, seu *sylvarum urbem* dicas, ubi posita est in *Abinadabi* domo, quæ erat in vicino colle. Et unus è filiis ejus *Eleazar* nomine ad custodiam arcæ consecratus est, 1. *Sam.* 7. v. 1. Ibi igitur mansit arca usque ad *Davidis* tempora, qui, anno regni sui octavo, eam indè abduxit, ut in *Sionem* transferret. Urbs *Kirjath jearim* alio nomine vocatur *Kirjath-baal*, *Jos.* 15. *v.* 60. & 18. *v.* 14. & *Baala*, vel *Baale Juda*, 1. *Par.* 13. *v.* 6 & 2. *Sam.* 6. *v.* 2. In quibus locis dissidere videntur *Esdras*, & *Prophetarum* quisquis auctor est librorum, qui à *Samuele* nomen habent. Ille enim *Davidem* asserit cum toto *Israele* contendisse בעלתה *Baalam*, quæ est *Kirjath-jearim*, ut arcam indè aveheret. At in altero discedit *David* cum suis מבעלי יהודה è *Baale Juda*, ut abducat arcam. Quod Cl. *Fullerum* ita perculit (*Miscellan.* lib. 1. cap. 4.) ut indè collegerit in *Samuele* מבעלי יהודה è *Baale Juda* id ipsum esse, quod in *Paralipomenis* בעלתה, *ad Baalam*. Sed ita sentientes pridem refellit *Kimchius* in *Samuelem*, docens unum significare, הרחוק, *remotionem à loco*; & alterum הקריב, *accessum ad locum*. Neque verò hic opus fuit τῷ *Mem* contrariam receptæ significationem affingere, ut auctori librorum *Samuelis* cum *Esdra* conveniret. Utrumque enim verum est: *Davidem* primò ivisse *Baalam*, deinde ex ea discessisse, ut arcam abduceret. Et horum unum in *Samuele*, alterum in *Paralipomenis* legitur. Nonne verum est, exploratores, à *Mose* missos, & in vallem *Escol* venisse, & ex ea discessisse, ut insignem illam uvam ad populares suos in desertum referrent?

Arcam autem cum humeris ferre debuerint *Kaathitæ*, prout jubentur *Num.* 7. *v.* 9. & 1. *Paral.* 15. *v.* 15. atque ob id ipsum plaustra boum illis concessa non fuerint, ut reliquis *Levitarum*: tamen *Israelitæ*, Lege neglecta, maluerunt, *Philistæorum* exemplo, eam plaustro imponere, à bobus advehendam. Et bubulcorum vicem præstabant duo filii *Abinadab*, *Uza*, & *Achio*; quorum hic præcedebat, ille comitabatur arcam. Fuitque iter prosperum usque ad גרן נכון, *aream Nachon*. In *Græca* editione, & vetustis *Vulgatæ* exemplaribus legitur *Nachor*, cum R in fine: sed perperam. Meritò igitur *Nachon* reposuerunt *Sixti Quinti* correctores. *Hebraice* כון quandoque est *parare*, *apparare*; itaque גרן נכון *aream apparatam* reddidit *Aquila*: *Syrus* quoque, & *Arabs*, *areas apparatas*. Frigidè, ut videtur. Neque enim nostra refert scire, an areæ, quæ in hac via occurrebant, fuerint paratæ, necne. Quid quod *area parata* non diceretur גרן נכון, sed גרן נכונה, quia גרן est Fœmininum? Aliis *Nachon* est viri nomen, at mihi loci, qui per anticipationem sic appellatur, propter *Uzam* ibi percussum, ut subinde dicetur. Nam à verbo נכה nacha, *percutere*. נכון nachon, *percussionem* puto significasse, ut sit nomen ejusdem formæ, cujus nomina Verbalia שאון, רצון, רזון, יגון, חרון, חזון, & similia. Itaque *area Nachon* est *area percussionis*. Ita vocatur in *Samuele*: & in *Chronicis* גרן כידון *area Chidon*, quia כיד chid, *exitium* sonat. Et in *Syra* versione ibidem אדרא דרמין, *area Ramin*. Sed puto legendum דדמין *damin*, ut sit *area sanguinum*, si verbo datur venia. Nam, ut *Hebraicè*, ita etiam *Syriacè*, R & D scribarum incuriâ sæpe permutantur, quia sunt literæ similes. *Area* autem *sanguinea* dicta est propter *Uzæ* sanguinem ibi effusum. Sic אדמים *Adomim*, id est, *cruores*, dicebatur *Judææ* locus, inter *Æliam* & *Jericho*, *propter sanguinem, qui illic crebro à latronibus fundebatur*. Proinde *Hieronymus*, in *Locis*, castellum militum ibi situm fuisse scribit ad auxilia viatorum: & *Christum* quoque hujus cruenti loci meminisse in Parabola descendentis *Hierichuntem* ex *Hierosolymis*, *Luc.* 10. 30. Et *Brochardus* viatores ibi hodieque asserit in latrones sæpe incidere. Et collis quidam prope *Ciliciæ Adanam* Αἵματος βουνὸς, *Sanguinis collis*, dictus est propter *Agarenos* tot numero ibi cæsos, ὡς ῥεῦσαι δίκην ποταμοῦ τὸ αἷμα ποταμηδὸν, *ut per declive in amnis modum flueret sanguis*, ut *Cedrenus* (a) auctor est. Sic apud *Spoletum Sanguinarii pontis*, ab *Æmiliani* cæde sic appellati, meminit *Aurelius Victor* in *Vibio Gallo*. a Ebr. Par. pag. 634

Porrò ad aream, quam diximus, quid acciderit bobus, qui arcam vehebant, Sacer Textus expressit voce שמטו *samatu*, tam in *Samuele*, quàm in *Paralipomenis*. Vox autem illa quid significet valde incertum est: & de ejus vera notione *Grammatici* certant,

- - - *& adhuc sub judice lis est.*

Neque ullibi majus dissidium est inter veteres Interpretes. *Græci* enim hic habent, Περιέσπασεν αὐτὴν ὁ μόσχος, *Eam* (arcam) *circumflexit vitulus*. Et *Chaldæus*, ברגוהי תוריא *Eam propulerunt boves*. Et Vulgatus, *Calcitrabant boves*. Et *Syrus*, אשתמטו להון תורא quod *Arabs*, ex *Syro* expressus, reddidit الثيران قد انسلت من الرباط *Boves subtraxerunt se à loris*. Sed, ut in his versionibus scias nihil esse firmum, illi Interpretes sibi non constant. Nam easdem voces in *Paralipomenis* multò aliter reddunt. Græci, Ἐξέκλινεν αὐτὴν ὁ μόσχος, *Inclinavit eam vitulus*: unde *Josephus*, & ex eo *Suidas* in Ὀζᾶς, τῶν βοῶν ἐπινευσάντων τὴν κιβωτόν, *Cum boves arcam depressissent*. Et Hieronymus, *Bos lasciviens paululùm inclinaverat eam*. Sed *Syrus*, רהטו הוו להון תורא לאדרא *Currebant boves ad aream*: quomodo etiam *Arabs*. Et *Eutychius* pag. 162. انحدلت

انخدلت ارجل العجول واسترخت وكان التابوت يسقط ad verbum, *Cum vitulorum pedes debilitati, & infirmati fuissent, parum abfuit, quin arca caderet.* Et *R. Selomo*, שמטוה *dimoverant eam.* Et *Kimchius* in *Commentariis*, נתפרקו איבריהם מקדושת הארון *Divellebantur membra eorum propter sanctitatem arcæ.* Quod in *Lexico* ex *R. Jona*, & *Hebrais* vetustioribus, se hausisse profitetur. Jam ex recentioribus *Munsterus*, *Excusserunt se boves*; Arias, *labascebant*; ut Genevenses, *les boeufs avoient glissé.* Alii aliter, prout visum est hunc, vel illum veterum sequi. Ego cum *Kimchio* censeo שמטו Verbum esse עומד *stans*, id est, Neutrum, & Intransitivum. Quia, si significaret boves arcam circumflexisse, movisse, inclinâsse, aut impulisse, ut multi reddunt, pro simplici שמטו, scriptum fuisset שמטוה, vel שמטוה cum Affixo, *Circumflexerunt eam, moverunt eam*, &c. Neque placent, qui explicant boves è loris se subtraxisse, aut ad arcam cucurrisse: 1. Quia unicum Verbum tam multa ambitu suo complecti parùm verissimile est. 2. Quia *Uza*, ut huic malo mederetur, non tetigisset arcam, sed boves, è loris se subtrahentes, jugo junxisset firmius, aut alio divertentes in viam reduxisset. Jam, quod arcæ majestate boum plaustro junctorum membra divulsa fuisse dictitant *Hebræi* veteres, commentum est merè *Rabbinicum*. Cui si quis habeat fidem, ejus erit prospicere, & definire, quâ ratione, bobus illis membratim divulsis, & discerptis, & *Uzâ* arcæ contactu interempto, arca ab area *Nachon* deducta fuerit usque ad ædes *Obed-Edom*. Hactenus igitur, quod viderim, nihil allatum vero propius, quàm שמטו idem esse, quod *labi*, vel *labascere*, Gallicè *glisser*. Sic enim videbitur *Uza* arcæ meritò timuisse, cum periculum fuerit, nè boves eam unà cum plaustro subverterent. Tamen, quia hæc interpretatio mera divinatio est, cum neque *Hebræorum*, neque veterum suffragiis nitatur, nec ullum in vicinis linguis habeat fundamentum; aliud afferemus, eruditi lectoris judicio submittendum. *Hebræum* ש *Arabes* in ث mutant sæpe sæpius; ut in vocibus.

Hebrais,	*Arabicis*,	*Latinis*.
שוב	ثوب	*Reverti.*
שכל	ثكل	*Orbari.*
אשם	اثم	*Delinquere.*
שקל	ثقل	*Appendere.*
ירש	ورث	*Hereditate possidere.*
חרש	حرث	*Arare.*
ישב	وثب	*Sedere.*
שקף	ثقف	*Prospicere.*
שנים	اثنان	*Duo.*
שלוש	ثلث	*Tres.*
שמנה	ثمان	*Octo.*
שם	ثم	*Ibi.*
נשים	اناث	*Mulieres.*

Hebrais.	*Arabicis.*	*Latinis.*
שד	ثدي	*Mamma.*
שום	ثوم	*Allium.*
קשא	قثا	*Cucumer.*
שור	ثور	*Bos.*
ליש	ليث	*Leo.*
עש	عث	*Tinea.*
שועל	ثعلب	*Vulpes.*
שלג	ثلج	*Nix.*
אשכול	عثكول	*Botrus.*
חדש	حدث	*Novus.*
משל	مثل	*Parabola.*
פרש	فرث	*Fimus.*
עשן	عثن	*Fumus.*

Talia sunt ἄπειρα πόσα. Itaque Conjugata esse putamus *Hebræum* Verbum שמט, & *Arabicum* Nomen ثمط id est, *lutum tenue, in quo jumenta detinentur*, quod aliis est وحل ab *Arabico* Verbo وحل *vvachila*, id est, *in luto hærere.* Vide *Arabicam* Paraphrasim 1. *Sam.* 14, 26. & *Arabum Lexicographos* in vocibus ثمط & وحل quas illi habent pro synonymis. Itaque de bobus שמטו significabit illos in molli & tenaci luto ita hæsisse, ut non potuerint se expedire. Quod bobus frequentius accidit, quia graves sunt, & fortius figunt pedem, neque ulla membrorum agilitate valent. Cum igitur ita hærerent hi duo boves, à quibus vehebatur arca, *Uza* veritus, ne Rex, & populus, qui arcam sequebantur, nimias ibi moras necterent, aut ne in ipso conatu boum plaustrum violentiùs concussum rueret, illi manum admovit, & cœpit arcam, eo fortasse consilio, ut illam cum fratre ferret usque ad montem *Sionis*, à quo credibile est arcam, quam diximus, non fuisse valde remotam. Sed *ira Domini in* Uzam *est accensa: & percussit eum ibi Deus propter temeritatem. Et mortuus est ibi prope arcam Dei.* Hebraicè ויכהו, *& percussit eum*, est à נכה *nacha, percutere*, unde etiam נכון *nachon*; *percussio.* Aream igitur indè esse dictam, ut monuimus, valde verissimile est.

Propter temeritatem] *Hebraicè* על השל, à Verbo שלה, quod *errare* est, Temeritas in eo fuit, quod manum suam misit ad arcam, ut interpretatur *Esdras*: non quod *Levita* non fuerit, ut plerique asserunt. *Levitam* enim fuisse multò est credibilius, cum patrem habuerit *Abinadabum*, & fratrem *Eleazarum*; quem viri *Kirjathjearim* קדשו *consecraverant ad custodiendam arcam Domini*, 1. Sam. 7. vers. 1. Notum est autem tum temporis neminem ad hujusmodi ministeria fuisse consecratum, qui *Levita* non esset. Itaque *Josephus*, qui patrem, pro *Abinadabo*, *Aminadabum* vocat, cum disertè asserit *Levitam* fuisse, justitiæ, & pietatis fama celebrem, *Antiq.* lib. 6. cap. 2. Et idem (lib. 7. cap. 4.) negat quidem *Ozam* fuisse Sacerdotem, non tamen negat fuisse *Levitam*, neque diversæ tribui illum adscribit, quod *Josepho* perperam imputat *Theodoretus*,

Quæst. 19. in lib. 2. *Regum.* Sed, utut *Levita* fuerit *Uza*, atque (ut credibile est) ex ea *Levitarum* familia, cui arcæ gestatio committebatur, tamen illam tangere, [illegible] debebat. In quam rem Lex est diserta *Num.* 4, 15. *Cum absolverit Aaron, & filii ejus, tegere Sanctuarium, & omnia vasa Sanctuarii* (in quorum numero fuit arca omnium longè pretiosissima) *tum demum accedant filii* Kaath *ad ea bajulanda: sed ne attingant rem ullam sanctam, nè moriantur.* Et versu vigesimo, *Ne aspiciant* [illegible], *cum* Sacerdotes *tegent rem sanctam, nè moriantur.* Si quis igitur Deum putet in *Uzam* gravius animadvertisse, quàm pro culpæ merito, cum arcam, ut putabat ruituram pia intentione sustinuerit: meminerit eam intentionem verè piam esse non posse, quæ contra Dei Legem est; & *meliorem esse obedientiam, quam victimas; & auscultare præstantius, quam offerre adipem arietum*, 1. Sam. 15, 22. Bona intentione *Saul* gregibus *Amalekitarum* pepercit; nempe, ut eos Deo immolaret, 1. *Sam.* 15, 21. Tamen ideo rejectus est, quia Deo non fuit obsequens. Qui occidebant *Apostolos*, putabant *se Deo gratum cultum exhibere*, Joh. 16, 2. Neque iis fuit alia mens, qui *Christum* in crucem egerunt: *Dominum enim gloriæ si novissent, nequaquam crucifixissent*, 1. Cor. 2. v. 8. Vana tamen est hæc excusatio; quia quâcunque intentione malum fiat, tamen est malum. Neque hominis intentio, quæ sæpe cæca est; sed Dei Lex debet esse norma Divini cultûs. *Uza* igitur intentio quæcunque fuerit, tamen justa morte mulctatus est; quia peccavit in Legem disertissimam, idque geminato crimine. Prius enim peccatum in eo fuit, quod arcam, quam humeris gestare jussus fuerat, bubus commisit devehendam: posterius, quod manibus eam attingere ausus est. A Deo igitur percussus obiit prope arcam Dei, *super quam invocabatur Dei nomen*, ut habetur versu secundo, id est, quæ Dei nomine vocabatur. Proinde scribit *Esdras* Uzam *obiisse coram Domino*, quasi dicat, coram arca, quæ *Deus* vocabatur, quia specialis Dei præsentiæ symbolum erat. Genus mortis definiunt quidam veterum. Auctor *Mirabilium* suffocatum fuisse tradit. Et qui *Hieronymi* nomine scripsit in *Paralipomena*, aruisse brachium, & humerum ejus, quibus arca Domini portanda erat, atque hanc esse divisionem *Uzæ*. Ex aliorum sententia fulmine ictus est. Nec desunt, qui contabuisse velint. Sed incerta sunt hæc omnia: & sufficit, ut sciamus eum subitâ morte coram arca periisse, nulla naturali de causa, & solâ Dei manu percussum.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

Boum sacrificium, à *Davide* oblatum in *Araunæ* area, illo ipso momento sedâsse pestem.

Quod fuerit Davidis *peccatum in recensendo populo. In populi numero* ἐναντιοφανῆ *conciliantur. Fames*, Davidi *proposita, triennisne, aut septem annorum. Tempus* מועד moed, *id est*, statutum, *cur* Græci *reddant* tempus prandii. *In his verbis*, à mane usque ad tempus מועד moed, moed *non esse totum triduum, quod Deus pesti destinaverat, sed mane &* moed *esse ejusdem diei partes oppositas. Itaque* moed *vel est* meridies, *vel* vespera, *sed* vespera *potius, quâ ad preces conveniebant*, Act. 3. v. 1. *Cum dies afflictionum Deus contrahat, an ideò sit mutabilis. Quam gravis fuerit hæc lues.* David, *populi misertus, clamat*, Ego sum, qui peccavi, *ut in* Poëtis Nisus, *&* Corœbus. Arauna, *vel* Ornan, *an fuerit Rex. De* Jebusæis *nugæ* Hebræorum. Araunæ *area in monte* Morija. David *de proprio debuit offerre. Quomodo eadem area alibi quinquaginta, alibi sexcentis siclis emta dicatur. Sicli aurei, & argentei; quorum portio duodecupla.* במקום in loco, *id est*, illico. משקל *non solùm pondus, sed & valorem sonat. Sacrificio* Davidis *Deus pacatus docet se in eo loco magis esse placabilem, ubi posteà Templum conditum.*

ULtimum hic esto miraculum, quod boum sacrificium, à *Davide* oblatum in *Araunæ* area, pestem, in *Israelitas* grassantem, ipso momento sedavit. Pestem illam immiserat Deus, ad iram concitatus propter populi censum à *Davide* institutum. Quamvis enim possit populus legitimè censeri: tamen Deus, scrutator cordium, *Davidem* ambitione & fastu nôverat eò delatum, tanquam regni sui potentiam ex suorum potius multitudine, quàm ex divino favore æstimantem. Addit *Josephus*, neglectam fuisse Legem, quæ jubet, ut in censu dimidium siclum quisque persolvat, *Exod.* 30, 13.

In *Joabi* recensione occurrit ἐναντιοφανές. Nam in libris *Samuelis* ex tribu *Judâ* censita leguntur quingenta pugnatorum millia, ex reliquis octingenta. At in *Paralipomenis* ex tribu *Judâ* solum censentur quadringenta, & septuaginta millia; sed ex reliquis undecies centena millia. Ad hæc concilianda nihil apparet magis obvium, quam, quod nonnulli asserunt, hunc numerum, aut majorem, aut minorem fuisse, prout legionarii vel ad censum addebantur, vel ex censu eximebantur. Legionarios enim viginti quatuor mille ex singulis tribubus habuit *David*, 1. *Par.* 27. v. 1. Qui simul juncti faciunt hominum penè trecenta millia. Hos si addas octingentis *Israelitarum* millibus, ex quorum tribubus plerique erant, fient undecies centena millia. Rursus, si quadringentis septuaginta millibus, ex tribu *Judâ* descriptis, addas viginti quatuor legionariorum millia ex eadem tribu, proximè accedes ad quingenta millia.

Post censum exactum Propheta *Gad* trinam pœnam *Davidi* denunciat, nempe vel triennii famem, vel bellum trium mensium, vel tridui pestem, & eligendi arbitrium ei concedit Dei nomine. Hic sequimur libros *Paralipomenon*, cum *Samuelis* libri pro *triennii* fame *septem annorum* famem habeant. Sed *Græci* Interpretes utrobique habent τρία ἔτη, quod sequuntur plerique veterum. Et vero similius est, trimestri bello, & triduanæ pesti oppositam fuisse famem triennem.

David cum pestem elegisset, quia maluit in Dei, quàm in hominum manus incidere, Deus pestem in *Israëlem* immisit *à matutino tempore* (id est, ab illo momento, quo *Gad* egerat cum *Davide*; cum enim manè convenerat) *usque ad tempus* מועד *moed*, pro quo *Septuaginta* legisse videntur סעודה, id est, *prandium*. Reddunt enim, ἕως ὥρας ἀρίστου, *usque ad prandii tempus*. Quod sequuntur *Josephus*, *Theodoretus*, & *Suidas* in Δαυίδ. Hæc lectio si vera esset, frustrà disputaretur, quod tempus vocetur מועד *moed*, de quo multa quæstio est inter hujus loci interpretes. Et, quia מועד *moed*, sæpe sumitur pro *condicto tempore*, doctissimi nostrorum hic intelligunt tempus illud, quod Deus ad pestem futuram condixerat, id est, integrum triduum. Itaque ex illorum mente Deus pestem immisisse dicitur *à manè usque ad tempus* מועד *moed*, id est, usque ad triduum elapsum, quod grassaturæ pesti definiverat. Quâ interpretatione non puto quidquam esse à vero alienius: (quod eorum pace dixero) nam statim sequenti versu legitur, Deum hujus mali pœnituisse, & Angelo dixisse, qui perdebat populum, *Sufficit, nunc contine manum tuam.* Deum autem non pœni-

pœnitet mali, id eſt, pœnæ jam inflictæ, ſed infligendæ, ut ipſe ait, *Jerem.* 26. *v.* 6. *Pœnitebit me mali, quod cogitaveram facere ei.* Et verſu 13. *Pœnitebit Dominum iſtius mali, quod loquutus erat contra vos.* Neque Deus diceretur Angelum reprehendiſſe, ſi jam implevisset ille Angelus quidquid erat ſui muneris. Poſt jugulatum *Iſaacum*, Deus patri fruſtrà dixiſſet, *Ne extendas manum tuam in hunc puerum.* *Quod factum eſt*, ut ait *Poeta*, *infectum fieri nequit.* Præterea matutino tempori quidquid opponitur, ejusdem diei debet eſſe pars: ſive ſit pars indefinita, ut *Ruth.* 2. *v.* 7. *A mane uſq; nunc ſtat in agro.* Sive ſit definita pars; putà *meridies*, ut 1. *Reg.* 18. *v.* 26. *Invocaverunt nomen* Baalis *à manè uſq; ad meridiem.* Et *Nehem.* 8. *v.* 3. *Legit a mane uſq; ad meridiem.* Aut *veſpera*, quod multo eſt frequentius; quia manè & veſpera ſunt diei partes maximè oppoſitæ. Sic *Exod.* 18. *v.* 13. *Moſes judicat populum a manè uſq; ad veſperam.* Job. 4. v. 20. *A manè uſq; ad veſperam ſuccidentur.* Eſa. 38. v. 12. *A manè ad veſperam me definies.* Act. 28. v. 3 de *Paulo*, *Exponebat regnum Dei à manè usque ad veſperam.* Sirach. 18. v. 26. *A manè usque ad veſperam immutabitur tempus.* 1. Macchab. 9. v. 13. *Commiſſum eſt prælium à manè usque ad veſperam.* Et 10. v. 80. *Jecerunt jacula in populum a mane usque ad veſperam.* Quomodo *veſpertino* tempori *matutinum* ſæpe opponitur. Ita *Levit.* 24. *v.* 3. *Aaron* aptabat lucernas, *ut lucerent à veſpera usque manè.* Num. 9. v. 21. *Si fuiſſet nubes à veſpera usque manè.* Itaque cùm legitur peſtis immiſſa fuiſſe *à mane usque ad tempus* מועד *moed*, quidquid ibi ſit *tempus moed*, haud dubiè pertinet ad illum ipſum diem, cujus manè ipſi eſt oppoſitum. Quod agnoſcunt *Hebræi* omnes, quamvis inter illos non conveniat, quæ ſit illa pars diei. *Chaldæus* reddit מעיד דמתכנים תמידא ועד מתסק *A tempore, quo immolatur juge ſacrificium, usque quò adoleatur.* Aliis apud *Kimchium* tempus *moed* eſt חצי היום *meridies*, quaſi tria ſint ſtatuta diei tempora, quibus conveniat hoc nomen, ortus, meridies, & occaſus. Quo ipſo ſenſu *Syrus* hic habet ܥܕܡܐ ܠܫܬ ܫܥܝܢ *usque ad ſextam horam.* Et *Arabica* الي ست ساعات من النهار *ad horas ſex diei*, id eſt, ad meridiem usque. Aliis ſic dicitur tempus, משהאיר מזרח עד הנץ החמה *ex quo ortus illuxit, donec ſplendet Sol*; id eſt, ab ortu ad occaſum. *R. Chaja* dixit, משחיטת התמיד עד זריקת דמו *A jugulatione ſacrificii continui usque ad aſperſionem ſanguinis ejus.* Nugantur auctores *Midras*, Deum horas triginta ſex peſtis graſſationi deſtinâſſe, nempe duodecim in ſingulos dies. Sed פרקליטין גדולין *paracletos*, ſeu *advocatos magnos*, interceſſiſſe, qui hoc tempus decurtaverint, quinque ſcilicet libros Legis, ſeptē dies hebdomadis, octo dies circumciſionis, tres Patriarchas, duodecim denique tribus, aut, ut alii ſtatuunt, decem mandata, & duas Legis tabulas. Quæ quia ſimul juncta valent triginta quinque, in eorum gratiam Deum horas totidem ex hac plaga exemiſſe ita ut horarum triginta ſex non niſi una ſuperfuerit. Nobis non licet eſſe tam acutis. Tantùm aſſerimus *tempus* מועד *moed*, eſſe diei partem aliquam, nempe vel *tempus meridianum*, vel *veſpertinum*; quia hæ diei partes *matutino* opponuntur. Sed *veſpertinum* potius, cum quia *matutino* opponitur magis propriè, & frequentiùs, tum quia מועד *moed*, propriè *conventum* ſonat. Itaque *tempus moed* videtur eſſe tempus, quo ad veſpertinas preces conveniebat populus circa horam diei nonam, id eſt, tertiam poſt meridiem. Unde eſt, quod *Actor.* 3. *v.* 1. Petrus, & Joannes *ſimul aſcendunt in templum* ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην, *ſub horam orationis, nonam* ſcilicet. De qua hora precationis, ejusque origine, & uſu ex *Judæorum* ſcriptis multa obſervat *Druſius* in illum locum. Hujusmodi conventus ante Templum conditum in Tabernaculo ſiebant, aut in Synagogis hinc inde ſparſis. Proinde Tabernaculum ſæpe dicitur אהל מועד ohel moed, *tabernaculum conventus*; & Synagoge מועדי אל moade el, *conventus Dei*, Pſal. 74. v. 8. id eſt, loca, in quibus populus ad Deum colendum conveniebant. Eodem pertinent hęc *Hieronymi* in *Traditionibus Hebraicis* in lib. 2. *Regum.* *De manè usque ad tempus conſtitutum*: Tempus conſtitutum *dicit quando ſacrificium veſpertinum offerebatur.* Hoc dato, lues in populum per novem circiter horas graſſata fuerit, quæ præcisè conficiunt tridui partem octavam. In quo temporis ſpatio cum Angelus occiderit ſeptuaginta hominum millia, ſi per totum triduum ſingulis novem horis totidem occidiſſet, eorum, qui cenſiti fuerant, partem plusquam tertiam conſumpſiſſet tetra illa lues. Sed, ut hic habet *Kimchius*, מרחמי האל קצר זמן הדבר *Ex Dei miſericordia peſtis tempus contractum eſt.* Quomodo dies afflictionum propter electos decurtare dicitur Deus *Marc.* 13. *v.* 20. Non, quòd Deus ſit mutabilis, ſed quia quæ decreverat ſub certa conditione revocat, cùm in conditione aliquid deeſt. Ita decreverat, ut lues per *Judæam* toto triduo graſſaretur, ſi *David* & populus fuiſſent ἀμετανόητοι. Sed, iis pœnitentibus, illud tempus ita contraxit, ut ſolum pars octava ſuperfuerit.

Varia morbi hujus συμπτώματα *Joſephus* mirè deſcribit, undecunque id habuerit: *Grave malum*, inquit, *clam ingruens ſubitam mortem inferebat. Aliis derepentè cum graviſſimis doloribus, & acerbo cruciatu animam agentibus: aliis ægritudine tabeſcentibus, & ne ad ſepulturam quidem relictis, ſed ipſo morbo planè conſumptis. Alii ſubito tenebris ob oculos obortis præfocati ejulabant. Nonnulli etiam, domeſticorum alicui juſta facientes, ſepulturâ nondum abſolutâ, moriebantur.* Neve mirum videatur, quod Deus in *Iſraelitas* tam graviter animadvertit propter unius *Davidis* crimen, legendus eſt *Theodoretus* in 2. *Reg.* Quæſt. 45. ubi docet à populo quoq; meritas pœnas juſtè repeti, eò quod, pio Rege deſerto, cuique tam multa debebant, ad parricidam filium paulò ante defeciſſent. Poſſent & alia adferri, cum

- - - - - *nemo ſine crimine vivit.*

Tamen, cùm admiſſi criminis in populi enumeratione ſolus *David* ſibi eſſet conſcius: exclamavit, viſo Angelo cum gladio in manu jam ſuper urbem protenſo; *Ego ſum, qui peccavi, ſed iſtæ oves quid fecerunt? Sit igitur manus tua contra me.* Sic, peſte ab *Apolline Argis* immiſſa propter *Corœbi* crimen, is exclamat apud *Statium* lib. 1. *Theb.* verſu 651.

Quid meruêre Argi? *me, me, Divûm optime, ſolum*
Objeciſſe caput ſatis præſtabit. - -

Et in *Poeta Niſus*,

Me, me, adſum, qui feci, in me convertite ferrum.

Interim, Propheta *Gad*, ad *Davidem* iterum miſſus, cum monet, ut *Araunæ Jebuſæi* aream emat, altare in ea exſtruat, & ſacrificia offerat, quibus Dei iram emolliat. *Arauna* etiam *Aravja* vocatur, & *Ornan*; uno, ut videtur, nomine aliter atq; aliter flexo. Idem *Joſepho* eſt Ὀρόφνα, & Ὀρόννα, *Antiq.* lib. 7. cap. 3. & 10. Malim Ὀρῶφνα, & Ὀρεύνα. Fuit is inter *Jebuſæos* ditiſſimus, erga *Judæos* benevolus, & inter præcipuos *Davidis* amicos. Proinde in urbis expugnatione, quæ olim *Jebuſæorum* fuerat, nihil illi moleſtum accidit. Hæc omnia apud *Joſephum*. Rex vocatur, ut quidem putant, 2. *Sam.* 24. *v.* 23. ubi ſic ſacer Textus הכל נתן ארונא המלך למלך *Omnia dedit* Arauna *Rex Regi.* Unde quidam colligunt, ante captam urbem, aut illum *Jebuſæorum* Regem fuiſſe, aut dignitate primarium, ita ut eſſet quaſi Rex. Sed illud המלך, ſeu *Rex*, fugit Interpretes *Græcum*, *Syrum*, & *Arabem*: nec legebatur in plerisque *Vulgatæ* exemplaribus

ante

ante *Sixti* correctionem; neque in *Chaldea* Paraphrasi ævo *Kimchii*, qui sic citat יהב ארון למלך די בעא מניה מלכא *Dedit Araun Regi quod ab eo petiit Rex.* Et cum *Arauna*, vel *Ornan*, in libris Sacris memoretur locis quatuordecim, est, quòd cum miremur hoc uno loco *Regem* vocari. Utut sit, hic *Arauna* fuit ex illis *Jebusæis*, quos tribus *Juda* & *Benjamin* non potuerunt expellere ex urbe Metropoli, *Jos.* 15. *v.* 63. & *Jud.* 1. *v.* 21. Et ex quorum nomine *Jerusalem* dicitur *Jebus*, *Jos.* 18 *v.* 28. & *Jud.* 19. *v.* 10. Hos autem *Chananæos* fuisse neminem latet. Tamen *Hebræi* fabulantur ideò non debuisse pelli; quia genus suum referebant ad *Philistæorum* Regem *Abimelechum*, cum quo fœdus contraxeront Patriarchæ veteres. His addunt ægrorum somnia, quæ legat apud *Kimchium* in *Jos.* 15. qui nugarum curiosus est. Neque enim vacat ea referre.

Araunæ area fuit in monte *Morija*, in eo ipso loco, in quo *Isaac* olim oblatus, & Templum postea conditum 2. *Paral.* 3. *v.* 1. Proinde Deus per *Prophetam* jussit *Davidem*, ut altare ibi extrueret, & mactaret victimas. Cui mandato *David* illo ipso momento obsequens, ad *Araunam* profectus est, qui non solum aream, sed & boves in holocaustum, & plaustra boum pro ligno, & triticum pro oblatione Regi gratis obtulit. Sed Rex nonnisi de proprio voluit offerre victimas, juxta illud *Solomonis* Prov. 3. v. 9. *Honora Dominum de substantia tua.* Quod *Græci* reddunt, τίμα τὸν Κύριον ἀπὸ σῶν δικαίων πόνων· *Honora Dominum de tuis justis laboribus*, id est, de iis, quæ à te justo labore parta sunt. Unde *Sirachides*, *Eccles.* 34. *v.* 18. *Qui ex injusto sacrificat, ejus oblatio est* μεμωκημένη, *derisoria.* Ut igitur de proprio Rex offerret, *Arauna* aream, & boves emit quinquaginta siclis. Ita disertè legitur 2. *Sam.* 24. *v.* 24. ויקן דוד את הגרן ואת הבקר בכסף שקלים חמשים *Et emit* David *aream*, *& boves argento*, nempe, *quinquaginta siclis.* Quod valde torquet interpretes, quia 1. *Paral.* 21. *v.* 25. hæc eadem area emitur à *Davide*, ut quidem putant, *aureis siclis sexcentis.* Quæ ut concilientur, *Hebræi* somniant singulas tribus quinquaginta siclos dedisse, quorum summa confecerit sexcentos siclos. Quod est ineptissimum. Neque enim à duodecim tribubus, sed à solo *Davide* facta est emptio. Proinde is *Araunæ* dixit, *Emam à te pretio, neq; enim holocausta Deo meo gratis offeram.* Nec emisse legitur quinquaginta siclis pro unaquaque tribu, sed absolutè. Nostri non multò feliciùs *Davidem* solos boves quinquaginta siclis, & aream sexcentis siclis comparâsse statuunt. Illud autem in priore loco, hoc in posteriore haberi. Quin disertè prior locus, *Emit* David *aream*, *& boves*, &c. *quinquaginta siclis.* Neque ulla apparet ratio, cur boum pretium ibi indicaverit Sacer Scriptor, areæ pretio suppresso, quod momenti est multo majoris. Audaci consilio *Syrus* Interpres in utroque loco scripsit ܒܚܡܫܝܢ ܐܣܛܐܪܝܢ *quinquaginta stateribus*, ut ita secaret nodum, quem non poterat solvere. *Arabs* in *Paralipomenis*, cumulato errore, pro *sexcentis siclis* habet مايتين استير من ذهب *ducentos auri stateres.* Mihi nihil aliud apparet, quam quod jam ex parte vidit Vir doctissimus, qui scripsit in *Ezechielem*, in uno loco siclos aureos, in altero argenteos intelligi, quorum proportio sit duodecupla, ita ut quinquaginta sicli aurei valeant siclos argenteos sexcentos. Ita enim se habuisse aurum ad argentum docet *Platonis* locus in *Hipparcho*, ubi *Socrates Hipparchum* sic interrogat, Φέρε γὰρ ἐάν τις, χρυσίου σταθμὸν ἥμισυ ἀναλώσας, διπλάσιον λάβῃ ἀργυρίου, κέρδος, ἢ ζημίαν εἴληφεν; *Si quis dimidiam auri libram impendit, duplum argenti reportet,* *dic utrum lucrum, an jacturam fecerit?* Et respondet *Hipparchus*, Ζημίαν δήπου, ὦ Σώκρατες, ἀντὶ δωδεκαστασίου γὰρ, διστάσιον αὐτῷ καθίσταται τὸ χρυσίον, *Jacturam sanè, ô* Socrates, *nam pro duodecuplo non nisi duplum* (argentum) *auro ipsius rependitur.* Quam interpretationem ad sacra verba ut referamus, locum *Samuelis* ita reddimus, *Et emit* David *aream*, *& boves pecuniâ*, nempe *quinquaginta siclis* aureis. Hieronymus, *argento siclis quinquaginta.* Ita etiam *Genevenses*; quasi *Hebræum* בכסף *argento* materiam siclorum significet. Quin ut *Gallis argentum*, ita *Hebræis* כסף *pecuniam* sæpe significat, ex quacunq; materia sit. Quod vel ex hac historia constat, in qua *David*, hæc empturus, בכסף מלא *argento pleno* pro solutione dat שקלי זהב *siclos aureos*, 1. *Paral.* 21. *v.* 21. 22. 23. 24. Hoc igitur maneat, in *Samuelis* libris significari *Davidem* aream, & boves emisse quinquaginta siclis aureis. Quod 1. *Paral.* 21. *v.* 25. *Esdras* ita explicat, ut nos intelligimus, *Et illico dedit* David τῷ Ornan *siclos aureos valoris sexcentorum* supple *siclorum vulgarium*, seu *argenteorum.*

Illico] Hebr. est במקום, id est, *in loco.* Sed id tam temporis, quàm loci est Adverbium, planè ut Romanum *illico.* Nam *illico* dicitur pro *in loco*, ut à *Nonnio*, & aliis notatum. Alii, *Dedit pro loco*, id est, *pro area*: quomodo sumunt *Syrus*, *Vulgatus*, & plerique recentiores. Quod minus probo; quia *David* illos aureos non dedit pro sola area, sed & pro bobus, & plaustris, & tritico ad oblationem, ut apparet ex versu vigesimo tertio. Sensus igitur est, *Davidem* hæc solvisse præsenti pecunia, tanquam de suo non oblaturus, nisi reâpse solvisset.

Valoris sexcentorum] Hebraicè משקל שש מאות Quamvis enim *Hebræum* משקל propriè pondus significet, tamen pro valore hic sumimus, quia res ita postulat, ut hæc quandoque promiscuè sumuntur. Sic cùm de corona Regis *Ammonitarum*, quam ab ejus capite detractam capiti suo imposuit *David*, legitur 1. *Sam.* 12. *v.* 30. ומשקלה ככר זהב *& pondus ejus talentum auri*, pondus eo loco valorem sonat, aut coronæ pretium. Nam, si pondus propriè sumas, quis capite coronam tulerit talento gravem, id est, libris, ut volunt, CXXV. Itaque hoc de pretio, & valore accipiendum, non de pondere propriè dicto. Neque enim ex auro solùm, sed ex gemmis etiam constabat hæc corona, quæ ad pondus auri non exiguntur. Valebat igitur auri talentum propter lapides magni pretii auro intermixtos. Proinde Verbum שקל, quod propriè *pendere*, vel *ponderare* sonat, *Græci* quandoque τίνειν, ἀποτίνειν, & τιμᾶν, id est, *solvere*, *exsolvere*, & *æstimare* reddunt. Et *Latinè* quoque *pendere*, *impendere*, *rependere*, *compensare*, *dispensare*, quamvis à pondere sumptæ voces, tamen ad rerum pretium, valorem, & æstimationem non raro referuntur. Ita igitur משקל pro pondere valorem sonat in *Esdræ* loco, in quo versamur. Neque is aliud sibi proposuit, quàm ut doceret quinquaginta illos siclos, quibus *David* emisse legitur *Arauna* aream, & boves, non fuisse vulgares siclos, id est, argenteos, quorum usus multò fuit frequentior; sed aureos, quorum singuli pretio duodecim argenteos æquaverint, ac proinde quinquaginta illos siclos sexcentis argenteis æquivaluisse. Quo pretio soluto, in area jam sua *David* statim altare construxit, & boves immolavit, ut holocausta offerret, & sacrificia pacifica. In quæ ignis è cœlo delapsus docuit Deum esse pacatum. Itaque Angelus, qui, ut cometa ξιφίας, gladio evaginato super urbem stabat, gladium in vaginam recondere visus est, & statim cessavit lues. Unde collegit *David*, Deum in eo loco magis esse placabilem, & consilium cepit de Templo ibi ædificando. Sed opus à *Davide* vix dum affectum, & inchoatum, filius ejus *Solomon* ad umbilicum perduxit.

CAPUT

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

De Bubulcis, & Boum ſtimulis.

Sirachidis *locus de bubulcis emendatus*. Stiva aratri *ibi* δόρυ *dicta, ut* charba Syris, *&* Arabibus, *id eſt*, gladius, *&* haſta, *ſeu* lancea: *ut* vomer *Romanis* culter, *nobis* coultre. *Non ſolum* de tauris narrat arator, *ſed & eos alloquitur. Bubulci ætate* Sirachidis *in ſummo contemptu. At olim viri principes boum curam geſsêre, quod probatur in* Patriarcharum *gratiam, qui non ſolum paſtores, ſed & bubulci fuêre. Ita etiam* Amos 7. v. 14. 15. *Quæ verba explicantur.* Nec Propheta, nec filius Prophetæ, *ſimilis alibi Praſis.* בולס שקמים Græcè κνίζων συκάμινα. *Quid id propriè in* Theophraſto, *&c. Aliæ interpretationes vocis* בולס boles. Arabicè *&* Æthiopicè بلس balas, *ficus. Ergò* בלס balas, *Verbum* συκάζειν, ἐρινάζειν, *&c. Sycamina fructus non magnæ rei. Ergò ad contemptum pertinet, quod de* Amoſo *habetur. Boum ſtimulus cur* Hebraicè מלמד malmad, *&* Talmudicè מרדע marda. Res *inſertum multis vocibus.* Samgar *ſtimulo boum inſtructus, ut* Lycurgus βουπλῆγι, *in* Homero, *&* Nonno. Lycurgi *pugna propè* Carmelum, *ubi* Samgar. *Pro ſtimulo boum bipennem utrobiq; intelligi, vomerem etiam.* Samgar *Suidæ* Audod. *Stimulus boum etiam* דרבן darban, *unde dicatur, & quid differat à* malmad. *Dicta ſapientum ut aculei, & clavi. Idem de* Pericle, *&* Nigrino *Philoſopho.* Æſchyli *verba* γομφοπαγῆ. Chriſti *Proverbium*, Contra ſtimulos calcitrare, *etiam à* Græcis, *&* Romanis *uſurpatum, ſed multo ante à Prophetis, in quibus fuit* Chriſti *ſpiritus.*

Bubulcorum, & aratorum genus quàm ſit indocile, alienumque ab omni doctrinæ & diſciplinæ cultu, his verbis docet *Sirachides* Eccleſ. 38. v. 26. Τί σοφισθήσεται ὁ κρατῶν ἀρότρου, καὶ καυχώμενος ἐν δόρατι κέντρου. 27. Βόας ἐλαύνων, καὶ ἀναστρεφόμενος ἐν ἔργοις αὐτῶν, καὶ ἡ διήγησις αὐτοῦ ἐν τοῖς υἱοῖς ταύρων. 28. Καρδίαν αὐτοῦ δώσει ἐκδοῦναι αὔλακας, καὶ ἡ ἀγρυπνία αὐτοῦ εἰς χορτάσματα δαμάλεων. Id eſt, juxta *Druſium*; *Quo pacto fiat ſapiens, qui tenet aratrum, & gloriatur in haſtili ſtimuli? Boves agens, & verſans in eorum operibus, cujusq; narratio de filiis taurorum. Cor ſuum applicat ad ducendos ſulcos, & vigilia ipſius de pabulis juvencarum.* In quibus vix dixeris, quid ſit *haſtile ſtimuli*. Nemo enim reperietur, qui ſtimulum bovis ſic vocaverit. Sed *Græca* verba aliter legenda, & explicanda. Sic nimirum, Καυχώμενος ἐν δόρατι. Κέντρῳ βόας ἐλαύνων, &c. id eſt, *Qui gloriatur in ſtiva. Qui ſtimulo boves agit.* Quomodo diſtinxit vetus Interpres, qui ſic habet, *Qui gloriatur in jaculo. Stimulo boves agitat.* Rectè, niſi quod neſcivit δόρυ hoc loco idem eſſe, quod ἐχέτλην, ſeu *ſtivam aratri*, non *Græca* phraſi; ſed *Hebraica*, *Syra*, & *Arabica*. Nam ἐν δόρατι *Hebr.* erat בחרב *in chereb*, quod reddi queat *in gladio*, *in cultro*, vel *in haſtili latæ cuſpidis*, quale *Arabes* حربة *charbah* vocant. Itaque *Job.* 41. v. 17. *Græcum* λόγχη reſpondet *Hebr.* חרב. Porro, cum de aratione agitur, hoc idem חרב *chereb*, Syr. ܚܪܒܐ *charba*, & Arab. حربة *charbah*, eſt *ſtiva aratri*. Proinde in hoc ipſo loco habet *Arabs* الماسك حربة الفدان *qui tenet haſtile aratri*; id eſt, *ſtivam*. *Syrus* itidem ܐܚܕ ܚܪܒܐ ܕܦܕܢܐ Ut *Luc.* 9. v. 62. *Nemo manum admovet* ܠܚܪܒܐ ܕܦܕܢܐ *ad haſtile aratri*, id eſt, *ad ſtivam*. Et in *Talmudico* Tractatu *Celim*, cap. 21. ſect. 2. חרב *chereb*, *eſt Gloſſatori* העץ שתופס בו האיש החורש *lignum, quod tenet arator. Haſtile* autem vocatur id lignum propter inſertum vomerem. Omnino enim hoc lignum cum inſerto vomere haſtile imitatur latæ cuſpidis, quod nos *halebardam* vocamus. Poſſis etiam *cultrum* reddere, quomodo *Romani* vomeris genus vocitabant, ut *Plinius* auctor eſt libri decimi octavi capite decimo octavo. Unde vernaculo ſermone vomer hodieque *coultre* dicitur. Omnino igitur legendum, ut diximus, Καυχώμενος ἐν δόρατι, id eſt, *qui in ſtiva gloriatur*, ut ſit idem, quod prius ὁ κρατῶν ἀρότρου, *qui tenet aratrum*. Nam hæc hemiſtichia ſolent eſſe ἀντίστροφα. In ſequentibus pro ἀναστρεφόμενος, *qui verſatur*, quædam exemplaria habent ἀνατρεφόμενος, *qui innutritus eſt in laboribus eorum*. Sed utrum legas parum refert: tamen prior lectio magis arridet, quam ſequitur vetus Interpres; quia Scriptoris genium magis refert. Is enim ita paſſim. Sic *Eccleſ.* 8. v. 9. *Ne negligas narrationem ſapientum, & in Proverbiis ipſorum* ἀναστρέφου *verſare*, Et 39 v. 3. Ἐν αἰνίγμασι παραβολῶν ἀναστραφήσεται, *In ænigmatibus parabolarum verſabitur.* Et 50. v. 30. Μακάριος, ὃς ἐν τούτοις ἀναστραφήσεται, *Beatus, qui in his verſabitur.*

Sequitur, Καὶ ἡ διήγησις αὐτοῦ ἐν τοῖς υἱοῖς ταύρων, *Ejus narratio eſt de fœtibus taurorum*, juxta illud *Poetæ*,

Navita de ventis, de tauris narrat arator.

Sed *Syrus* pro ἐν τοῖς υἱοῖς legiſſe videtur σὺν τοῖς υἱοῖς. Reddit enim ܘܡܡܠܠܗ ܥܡ ܒܢܝ ܬܘܪܐ *Et confabulatio ejus eſt cum filiis taurorum.* Ut *Arabs*, وحديثه مع العجاجيل *Et colloquium ejus cum vitulis.* Quod poteſt ferri. Ita enim *Thyrſis* apud *Poetam*,

Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci.

Et *Corydon* vaccæ dicit apud *Theocritum* Idyll. 4.

Σίττ' ἁ Κυμαίθα ποτὶ τὸν λόφον. οὐκ ἐσακούεις;

Heu, abi Cymætha *ad tumulum. Annon audis?* Et *Daphnis* tauris *Idyll.* 27.

Ταῦροι καλὰ νέμεσθ' ἵνα παρθένῳ ἄλσεα δείξω,

Tauri bene paſcemini, dum virgini nemora oſtendo.

Interim, cùm appareat ex loco, quem citavimus, bubulcos, & aratores, quâ ætate ſcripſit *Sirach*, in ſummo contemptu vixiſſe; nihil mirum, quòd, in *Theocriti Bucoliſco*, *Eunica* puella bubulcum hoc ſermone repellit,

\- - - - - - - - ἔρρ' ἀπ' ἐμεῖο.

Βωκόλος ὢν ἐθέλεις με κύσαι, τάλαν; οὐ μεμάθηκα

Ἀγροίκως φιλέειν. - - - - - -

Abi à me in malam rem. Bubulcus cum ſis, vis me oſculari, miſer? Non didici more ruſtico oſculari. Et poſt multa hujusmodi,

\- - - - - - - τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον,

ter in ſinum ſuum deſpuit: ut *Idyll.* 27. pari faſtidio puella, quam oſculatus fuerat *Daphnis* bubulcus,

Τὸ στόμα μευ πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

Καλόν σε δαμάλας φιλέειν, οὐκ ἄζυγα κώραν.

Os meum lavo, & oſculum deſpuo: decet te vitulas oſculari, non innuptam puellam. Sed apud priores mortales longè aliter res ſe habuit. Tum enim boum curam non dedignabantur viri principes. Hinc *Iliad.* ζ. *Cilicum* Regis filia, *Andromache*, *Achillem* ſeptem fratres ſuos interfeciſſe queritur

Βουσὶν ἐπ' εἰλιπόδεσσι, καὶ ἀργεννῇς ὀΐεσσι,

Apud boves curvis pedibus, & oves albas. In quem locum *Euſtathius*, Βουκολοῦντες παλαιῷ ἔθει, καὶ οὐκ ἄτιμοι ὄντες ἐκεῖνοι, ἔπεσον ὑπὸ τοῦ Ἀχιλλέως· *Illi boves, & oves veteri more paſcentes, ſub* Achille *ceciderunt.* Et *Iliad.* υ'.

Æneas

Æneas se jam antea cum *Achille* congressum esse narrat,

Ἤδη μὲν ὅτε βουσὶν ἐπήλυθεν ἡμετέρῃσι,

Cum ex Ida, inquit, *boves invasit nostros*, quibus scilicet ipse custos aderam. Et *Iliad* Φ. *Phœbo* dicit *Neptunus*,

Φοῖβε, σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες,

Tu autem, Phœbe, *pedibus*, & *cornibus flexis boves pascebas.* Et *Theocriti Bucoliscus*, hujusmodi historias, aut fabulas plures congerens,

Ἀλλ' ὅτι βουκόλος εἰμὶ παρῄδραμε, κοὔποτ' ἀκούει
Ὡς καλὸς Διόνυσος ἐν ἄγκεσι πόρτιν ἐλαύνει.
Οὐκ ἔγνω δ', ὅτι Κύπρις ἐπ' ἀνέρι μήνατο βούτᾳ,
Καὶ Φρυγίοις ἐνόμευσεν ἐν ὤρεσιν· αὐτὸν Ἄδωνιν
Ἐν δρυμοῖσι φίλασε, καὶ ἐν δρυμοῖσιν ἔκλαυσεν.
Ἐνδυμίων δὲ τίς ἦν; οὐ βουκόλος; ὅντε Σελάνα
Βουκολέοντα φίλασεν· ἀπ' Οὐλύμπω δὲ μολοῖσα
Λάτμιον ἂν νάπος ἦλθε, καὶ εἰς ἕνα παιδὶ καθεῦδε.
Καὶ σὺ, Ῥέα, κλαίεις τὸν βουκόλον. Οὐχὶ δὲ καὶ τύ,
Ὦ Κρονίδα, διὰ παῖδα βοονόμον αὐτὸς ἐπλάγχθης;

Sed, quia sum bubulcus, me præterit, nec unquam audivi, quomodo formosus Bacchus *in vallibus vitulam agit. Neque scit* Venerem *amore bubulci insanivisse, & in* Phrygiæ *montibus una pavisse. Ipsumq;* Adonidem *in sylvis amasse, & in sylvis deplorasse.* Endymion *autem quis erat? Annon bubulcus? Quem tamen boves pascentem* Luna *deperiit, & è cœlo descendens in* Latmium *saltum venit, & una cum puero cubuit. Et tu,* Rhea, *defles bubulcum. Nonne & tu, ô* Jupiter, *propter puerum boves pascentem ipse errasti?* Quæ, utut plerumque fabulosa, docent tamen bubulcos non fuisse adeò viles, cum illa conficta sunt. Hæc in *Patriarcharum* gratiam afferimus, qui non solum pastores, sed & bubulci fuerunt. At hi bubulci divites erant, & propriis armentis præerant.

Quæritur, an *Amos* Propheta, qui se bubulcum fuisse dicit, fuerit proprii pecoris, aut verò alieni custos. Prius tuentur *Hebræi* post *Chaldæum* Interpretem, qui pro *bubulco* appellat מרי נחין *dominum pecorum.* Posterius prisci Patres, qui pauperrimum describunt. Ut decidatur hæc lis, *Prophetæ* verba explicanda sunt. *Neq; Propheta eram*, inquit, *neq; Prophetæ filius, sed bubulcus, vellicans sycomoros*, Amos 7. v. 14. Ad prima verba notat Cl. *Buxtorfius* in majore *Lexico*, *radice* נגר. *Talmudicos* quoq; sic loqui ut, cùm in ע״ז f. 50. b. de quadam objectione dicitur, לית נגר ולא בר נגר דיפרקינה *Non est artifex, neq; artificis filius, qui eam solvat.* Et respondit *R. Sescheth*, אנא לא נגר אנא ולא בר נגר אנא ופריקנא ליה *Ego neq; sum artifex, neq; filius artificis, attamen solvam illam.* Contra quam *Paulus* Act. 23. v. 6. *Ego sum Pharisæus, filius Pharisæi.* A verbo בקר *bakar*, id est, *bos*, בוקר *boker*, pro *bubulco* hic solum occurrit. *Syrus* ܪܥܝܐ *pastorem* reddit. Arabs راعي المعز *pastorem caprarum*, ut *Græci* αἰπόλον· sed melius *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotio*, & quinta editio βουκόλον, *bubulcum*, & Hieronymus *armentarium*. Tamen eundem pastorem fuisse apertè docet versus sequens, *Et sumpsit me Dominus* מאחרי הצאן *à tergo ovium, & caprarum*, ut de *Davide* dicitur *Psal.* 78. *v.* 71. מאחר עלות *à tergo fœtarum adduxit eum.* Sed & ex ipso Prophetiæ titulo id evincitur, *Verba* Amosi, *qui fuit* בנוקדים *in opilionibus è Thekoa*, de qua voce nos suo loco.

Vellicans sycomoros.] Ita *Hieronymus* pro *Hebræo* בולס שקמים *boles sikmim*, & *Græco* κνίζων συκάμινα in versione *Seniorum*. Sycomori scilicet *agrestes afferunt ficus, quæ, si non vellicentur, amarissimas caricas faciunt, & à culicibus corrumpuntur.* *Hieronymi* verba sunt, quibus non absimile est, quod se a quodam audivisse profitetur *Theodoretus*, ὅτι ὁ τούτων καρπὸς οὐ πεπαίνεται μὴ πρότερον τομήν τινα βραχεῖαν δεξάμενος, *Horum fructum non maturescere, nisi prius brevem quandam incisionem exceperit.* Quæ sumpta sunt ex Naturæ Scriptoribus. Ita enim *Theophrastus* Hist. lib. 4. cap. 2. Πέττειν δ' οὐ δύναται ἂν μὴ ἐπικνισθῇ· ἀλλ' ἔχοντες ὄνυχας σιδηρᾶς ἐπικνίζουσιν· ἃ δ' ἂν ἐπικνισθῇ, τεταρταῖα πέττεται. *Maturescere non possunt, nisi vellicentur. Proinde unguibus ferreis vellicant: &, postquam vellicata sunt, quarto die maturescunt.* Et *Dioscorides* lib. 1. c. ... ὁ δὲ καρπὸς μὴ πεπαίνεσθαι, μήτε δίχα τοῦ ἐπικνισθῆναι ὄνυχι, ἢ σιδήρῳ· *Fert fructum, qui non maturescit, nisi vellicetur ungue, vel ferro.* pro eo, quod Theophrastus, *unguibus ferreis.* *Plinius* lib. 13 cap. 7. *Ficus est prædulcis sine granis interioribus, perquam fœcundo proventu, scalpendo tantum ferreis unguibus; aliter non maturescit.* Hesychius, Κνίζων συκάμινα, τουτέστι κεντῶν, ὡς ξηρὰ γένηται πέπειρα· *Vellicans sycamina, id est, pungens, ut matura fiant.* *Avicenna* capite جميز quem *Latinus* interpres miserè decurtavit, ليس ينضج دون ان يشرط بمخلب من حديد *Non maturescit, nisi incidatur ungue ferreo.* Hæc ad *Seniorum*, & *Hieronymi* versionem. Jam, si lubet alios quoque interpretes consulere, omnes in diversa abeunt. *Chaldæus* ita habet, שקמים לי בשפלתא *Sycomori mihi erant in planicie.* Syrus, ܠܩܛ ܦܩܥܐ *colligens sycomoros*: quomodo etiam *Arabs*. Theodotio, χαράκων συκαμίνους, *pedamentis fulciens sycomoros.* Nunquid potius χαράσσων, *incidens?* Symmachus, ἔχων συκομόρους, *habens sycomoros.* Aquila, ἐρευνῶν, *scrutans*; quia *Chaldaicè* בלש est *scrutari*, & *perquirere.* Neque aliter explicat *Selomo Jarchi.* Aliam interpretationem petit *Kimchius* ex *Talmudicis*, quibus בלס est *commiscere.* Vult igitur בולס hic eum dici, *qui sycomori fructum cum rebus aliis miscet, quas pecori subministret.* Absurdè, cum συκάμινα non sint pecorum cibus. Superest *Aben Ezra*, in quo בולס ex *Arabismo* explicatur מיבש *exsiccans*, quomodo in *Giggeio* legas ابلس *exsiccavit.* Quin in *Lexicis Arabum* ابلس *ablasa* idem est, quod يَئِسَ *jaisa*, *desperavit*, unde ابليس *iblisō*, *Diabolus*; quia desperat de Dei misericordia. Sed pro يئس insigni errore uterque legit يبس *jabasa*, *siccus fuit*, aut *exsiccavit.* Verum, his missis, aliud mihi venit in mentem. Tam *Arabicâ*, quàm *Æthiopicâ* lingua بلس *balas* est *ficus.* *Alcamus*, البلس ثمر كالتين والتين نفسه Albalaso, *fructus ut ficus, & ficus ipse.* Hinc in versione *Psalmorum Æthiopica* በለሶሙ፡ *& ficus eorum*, Psal. 104. v. 31. Vide & *Æthiopum* versiones *Cant.* 2. 13. *Hab.* 3. *v.* 17. *Matth.* 7. *v.* 16. & 21. *v.* 19. &c. *Marc.* 11. *v.* 13. &c. *Luc.* 6 *v.* 44. & 13. *v.* 6. & 21. *v.* 29. *Johan.* 1. *v.* 48. 50. *Jac.* 3. *v.* 12. *Apoc.* 6. *v.* 13. ubi pro *ficu* vox eadem constanter usurpatur. Sed & pro שקמות *sycaminis* occurrit *Psal.* 77. *v.* 52. Ergo ut בלס Nomen est *ficus*, vel *sycaminus*, inde formatum בלס Verbum erit *ficare*, vel *sycaminare*, si verbo datur venia. Cujusmodi verba *Græci* multa habent, ut συκάζειν, ἀποσυκάζειν, ἐρινάζειν, ὀλυνθιάζειν, θριάζειν, ἀποθριάζειν. In his συκάζειν in *Hesychio* est τὰ σῦκα τρώγειν, *ficus edere*, & ἀποσυκάζειν idem. At in *Aristophanis Avibus* συκάζειν est τὰ σῦκα ἐκλέγειν, *ficus colligere.* Et in *Equitibus* ἀποσυκάζειν propriè τὸ ἀποθλίβειν τὰ σῦκα, ἢ ὠμὰ, ἢ πέπειρα, *ficus premere, ut scias, an matura sint, necne.* Unde per Metaphoram δοκιμάζειν. In *Polluce* ἐρινάζειν est τὰ ἐρινὰ (lege τὰ ἐρινεὰ, συλλέγειν, καὶ ἐξαρτᾶν, *grossos*, seu *ficus immaturas colligere, & ex caprifico suspendere*, ut demorsæ à culicibus, quas generat caprificus, citiùs maturescant. *Caprificari* uno verbo dixit *Plinius*, ut *Theophrastus* ἐρινάζειν, & ὀλυνθιάζειν.

Et

Et quia θρῖα sunt *folia ficûs*, θριάζειν est φυλλολογεῖν τῆς συκῆς, *ficuum folia decerpere* colludendi gratiâ. In *Polluce* (lib. 7. cap. 32.) perperam scribitur κυθριάζειν. Unde compositum ἀποθριάζειν. Vide *Hesychium* in ἀποθριάσαι. Ex exemplis allatis apparet, iis verbis, quæ ficta sunt ex variis ficuum nominibus, significari quidquid ad eorum curam pertinet. Quidni pari ratione, cum בלס *ficum*, & *sycaminum* sonet, בולס is rectè dicatur, *qui ficus colit*, & *sycaminos*, quasi ὁ συκάζων, ὁ ἐρινάζων, ὁ ὀλυνθιάζων, ὁ ὀπωρίζων, ὁ θριάζων, & si quid aliud in ficûs cultura requiritur. Quod ne quis putet alienum ab *Hebrææ* linguæ genio, etiam à כרם *vinea*, כורם in Scriptura passim dicitur is, *qui colit vineas*. Porrò sycomori fructus in *Dioscoride* est ἄπεπτ@, & χαλκεόμαχ@. In *Aetio* facilè corrumpitur. *Athenas* libro tertio scribit *Andreas Medicus* ἄρτους τινὰς ἐν Συρίᾳ γίνεσθαι ἐκ συκαμίνων, ὧν τοὺς φαγόντας τριχορρυεῖν, *in Syria ex sycomoris panem confici, cujus esu capilli defluant*. Itaque non videtur hic fructus esse magnæ rei. Et cum agnoscit *Amos* se neque *Prophetam* fuisse, neque *Prophetæ filium*, sed *bubulcum*, *sycomoros vellicantem*, idem est, ac si dicat, se infimæ sortis homuncionem, & in re tenui natum, ità ut miseram vitam parco & frugali victu ægrè sustinuerit, nè cogitâsse quidem de Prophetico munere inter *Israëlitas* obeundo, donec ad id suscipiendum vis major illum impulerit, hoc est, divina inspiratio.

Hic obiter de boum stimulo, qui *Hebraicè* vocatur מלמד *malmad*, à Verbo למד *lamad*, *discere*; quasi διδακτικὸν dixeris, quod eo bos edoceatur, & erudiatur quasi. Unde *Thargum* Eccles. 12, 11. היכמא דמאלף תורתא *ut qui bovem edocet*. Et bovem hinc אלוף quasi *edoctum* dici suo loco (*) observavimus. Et עגלה מלמדה, *vitulam edoctam*, Os. 10, 11. cui opponitur עגל לא למד, *vitulus nondum edoctus*, Jer. 31, 18. Itaque etiam *Talmudicâ* linguâ *stimulum bovis* ideò מרדע *marda*, dici volunt, quod sit מורה דעת לפרה *juvenco scientiam edocens*. Ita habetur in *Vajekra Rabba*. sect. 29. Quod tamen haudquaquam probo, quia hujusmodi compositiones apud *Hebræos* parùm usitatæ sunt. Sed ab *Arabico* نخس quod *pungere*, & *fodicare* est, primo factum est פרע pro *stimulo*, deinde מרדע inserto *Res*, ut in vocibus, ערת, & פרנק, & שרנק, & פרצד, & שרביט, & גרמיד, & חרמש, & similibus. *Jud.* 3, 31. *Samgar* stimulo boum sexcentos *Philistæos* percussisse legitur. Quod an solus fecerit, aut tumultuaria rusticorum turma comite, cujus Ducem se præstiterit, Scriptura non definit. Utut sit, hoc notabile, quod, non alio telo, quàm boum stimulo instructus, viros egregiè armatos non solum aggressus sit, sed & fregerit. Quale est, quod *Iliad.* ζ *Lycurgus*, eodem telo armatus, circa *Nysam* fugat *Bacchi* copias, & ejus nutrices,

> θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
> θεινόμεναι βουπλῆγι. Διώνυσ@ δὲ φοβηθεὶς
> δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα - - - -

Thyrsos in terram projecerunt, ab homicida Lycurgo *boum stimulo percussæ. Et ipse* Bacchus *territus maris fluctus subiit*. Proinde *Nonni Dionys.* lib. 20. *Lycurgus Bacchum* ita compellat.

> Εἰ κεράοις Σατύροισι, κερασφόρε Βάκχε, κελεύεις,
> Ὑμέας, ἶσα βόεσσιν, ὁμοῦ βουπλῆγι δαμάσσω.

Si cornutis Satyris, *O cornute* Bacche, *imperas, vos, boum instar, simili stimulo domabo*. Ibidem hæc pugna describitur — ἐγγύθι Καρμήλοιο, *prope Carmelum*, montem in *Judæa* notissimum. Et fortasse *Lycurgus* idem est cum nostro *Samgare*. *Arabs* Interpres non *stimulo*, sed بفاس البقر *securi boum*, id est, πελέκει βοῶν ἀναιρετικῷ, *Samgarem* pugnâsse statuit. Quomodo apud *Homerum* βουπλῆγα sumi non pauci volunt. Quibus scilicet visum est ad *Bacchi* decus id pertinere, ut bipenni cesserit potiùs, quàm stimulo boum. Ita *Samgarem Arabs* bipenni maluit instruere, ut non solum commodius, sed & honestiùs pugnaret. At ille hâc sua prudentia Sacri Scriptoris scopo repugnat, qui hanc pugnam nobis proponit, ut rem insolitam, & paradoxam. Quamvis βουπλῆγα sic sumant *Græcorum* etiam nonnulli, ut *Oppianus*, qui βουπλῆγα vocat ἀμφίτομον, *Halieut* lib. 5. vers. 257. Ἀμφίτομον, id est, *ancipitem*: quod non est *stimuli*, sed *bipennis* Epithetum. *Hieronymus*, qui *vomerem* reddit, *Græcos* habuit, quos sequeretur. At ipsi *Græci* cur hic habeant ἐν τῷ ἀροτροπόδι, nullus capio. Ut neque cur, qui *Hebræis* est *Samgar*, & *Græcis* Interpretibus Σαμεγάρ, & *Josepho* Σανάγαρος, à *Suida* vocetur Κυδὼθ. Sunt, qui Ναὼθ corrigant. Sed per literarum seriem non licet quidquam mutare. Neque *Aod* idem cum *Samgare* fuit. Hic successor, ille antecessor. *Sangaris* nomen in usu fuit etiam apud *Phrygas*, qui *Sangarium* fluvium à *Sangari*, seu *Sagari* quodam dictum volunt, ibi submerso, immisso furore à *Cybele* Deûm matre, cujus numen ille spreverat.

Aliud est *stimuli* nomen דרבן *darban*, 1. Sam. 13, 21. ubi *Israëlitæ* leguntur ivisse ad *Philistæos*, להציב הדרבן *ad aptandum stimulum*: quod *R. Selomo* exponit, לחדד בראשו לנעצו ולהציבו בתוך המרדע *ad acuendum caput illius, & infigendum, & constituendum eum in conti medio*. Nec multò aliter *Kimchius*. Sic *Arabicè* نصاب est *ensis*, *cultri*, *securis*, &c. *manubrium*: & انصب *manubrium indere*. Itaque דרבן *darban*, non significat *stimuli contum*, sed *ferreum aculeum conto inditum*. In quo differunt מלמד & דרבן. Nam מלמד propriè *contus* est, in quem aculeus inditur. Hinc *Talmudici* in *Kelim*, capite nono, כוש שבלע את הצנורה מלמד שבלע את הדרבן *Fusus, qui vorat verticillum; & contus, qui vorat stimulum*. *Vorare* Hebræâ phrasi est *in se recipere quod inseritur*. Sic fusus verticillum recipit, quod pro axe habet, & contus aculeum infixum. Vocis דרבן *darban*, originem, *Hebræis* prorsus ignotam, ex *Arabica* lingua scimus; qua درب daraba *acutum esse*, درب darib *acutum*, دربة dirba, & دراب durab *acumen* significat. A voce דרבן *darban*, Phœnices *Drepano* fecisse nomen alibi observavimus; quia in portu *Drepanitano* terra desinit in longum acumen: ut in *Achaia* promontorio *Drepano*, quod alio nomine *Rion* nonnulli dictum volunt, ὅτι τὸ ῥαῖζον τὸ καλούμενον εἰς ὀξὺ, *eò quod in acutum desinit*.

A Singulari דרבן *darban*, fit Plurale דרבנות *darbanoth*; quo *Solomon* eleganter utitur *Eccles.* 12. v. 11. ubi *dicta Sapientum* ait esse כדרבנות וכמשמרות נטועים *ut aculeos, & clavos infixos*. Ita *Lucianus* de *Nigrino* Philosopho, Κατὰ τὸν Κωμικὸν ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι· *Juxta Comicum quàm verè auditoribus aculeum quendam reliquit*. In *Nigrino* ità transferens quod de *Pericle* dixerat Comœdia vetus. *Cicero* lib. 3. *De Orat.* *Quid* Pericles? *cujus in labris veteres Comici leporem habitâsse dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret*. Et *Valerius Maximus* lib. 8. cap. 9. *Veteris Comœdiæ maledica lingua, quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris ejus hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat*. *Eupolidis Demos* intellige, in quibus de *Pericle* inter cætera hæc habebantur,

> Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν,
> Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόν@ τῶν ῥητόρων
> Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

*) Cap. 28. supra pag. 279. lin. 45.

Quædam insidebat Suada labris illius,
Mulcebat arte tantâ, ut unus linqueret
Fixos in animis audientium aculeos.

Citat *Plinius* lib. 1. *Epist.* 19. & de suo hæc addit, *Relinquere verò aculeum in audientium animis is demum potest, qui non pungit, sed infigit.* Quæ *Christianus*, aut *Judæus* si dixisset, putaretur allusisse ad verba *Solomonis*, quibus cum aculeis, & clavis infixis, verba Sapientum conferri notavimus. Planè diverso sensu *Æschyli* grandia verba vocat *Aristophanes* ῥήματα γομφοπαγῆ, *verba clavis connexa*, id est, juxta *Scholiastem*. ἀκριβῆ ἄγαν, πολυσχιδῆ τινα, σκληρὰ, καὶ ἦχον ποιοῦντα, ὥσπερ οἱ κιναξόμενοι σανίδες, *accuratissima, plurimùm composita, dura, & sonora, ut ficci asseres.*

De stimulis hoc unum addo, *Christum*, è cœlis *Hebraicè Paulum* alloquentem, inter cætera dixisse, *Durum est tibi contra stimulos calcitrare*, Act. 9, 5. & 26, 14. Quod Proverbium, à bobus refractariis sumptum, *Græci* quoque & *Romani* Scriptores passim usurpant. *Æschylus* in *Agamemnone* versu 1620.

Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ πταίσας μογῇς,

Contra stimulos nè calcitra, nè patiendo labores. Et in *Prometheo vincto*, versu 321.

Οὔκουν, ἔμοιγε χρώμενος διδασκάλῳ,
Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς.

Non igitur, me magistro usus, contra stimulos membra extendes. In *Euripidis Bacchis* dicit Nuntius versu 795.

Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ.

Potius illi sacrificarem, quam Deo infensus adversus stimulum calcitrarem, mortalis cum sim. Pindarus in fine *Pythia* secundæ,

Φέρειν δ' ἐλαφρῶς
Ἐπαυχένιον λαβόντα
Ζυγὸν ἀρήγει· ποτὶ κέντρον δέ τοι
Λακτιζέμεν, τελέθει
Ὀλισθηρὸς οἶμος.

Ferre autem leviter super cervicem jugum, quem sumpseris, prodest: at contra stimulum calcitrare, est lubrica via. Ad quæ verba *Scholiastes*, Ἡ δὲ τροπὴ ἀπὸ τῶν βοῶν. Τῶν γὰρ βοῶν οἱ ἄτακτοι κατὰ τὴν γεωργίαν, κεντριζόμενοι ὑπὸ τοῦ ἀροτῆρος, λακτίζουσι τὸ κέντρον, καὶ μᾶλλον πλήττονται. *Figura est à bobus sumpta. Boves enim refractarii, cum ad arationem ab agricola pu[ng]untur, in stimulum calcitrant, & eo gravius feriuntur.* Terentius in *Phormione*, Actûs primi Scenâ secundâ,

Nam quæ inscitia est
Adversum stimulum calces

supple *jactare? Plautus* in *Truculento*, Scenâ Lepidæ (a).

- - - *Si stimulos pugnis cadis, manibus plus dolet*

Qui Scriptores cum omnes *Christi* adventum præcesserint, absit tamen, ut credamus *Christum* ex iis sumpsisse quidquam: quod esset fontem limpidissimum ex lacunosis rivulis derivare. Quomodo *Platonici* illi, qui *Christum* ex *Platonis* scriptis multum profecisse asserebant, & quidquid habet eximium inde hausisse. Quos in libro *De Sacramentis*, sive *De Prophetia*, qui hodie non extant, confutavit (b) *Ambrosius*. At nobis hic sufficiet id observâsse, quod in rem nostram est, nempe hæc in *Mosè* (c) legi, qui *Æschylum*, & *Pindarum* mille circiter præcessit annis, *Saginatus est rectus*, ויבעט *& recalcitravit*, nempe in Legis stimulos, quibus ad officium urgemur. Et 1. *Sam.* 2. *vers.* 29. למה תבעטו בזבחי *Cur in sacrificia mea recalcitrâstis?* Et *Os.* 4, v. 16. in *Thargum*, כתורא דאתפטם ובעט *Ut bos, qui saginatus est, & recalcitrat, ità rebellis fuit propter multitudinem bonorum* Israël. In his porrò Prophetis fuit spiritus *Christi* Propheticus, 1. *Pet.* 1, 11.

a) *Act.* 4. *Sc.* II. *v.* 55.

b) *Augustin. Epist.* 34. & *De doctrina Christ. lib.* 2. *cap.* 28. & *Retract. lib.* 2. *c.* 4

c) *Deut.* 32, 15.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Leges de Bobus.

Boves olim in quo pretio. Exod. 21, 28. &c. *Leges de bove cornu-peta. Si quem occiderit, lapidandus juxta Legem.* Gen. 9, 5. *Quod factum quatuor de causis.* Romani *bovis cornu-petæ cornu fœno circumligabant.* Solon *canem, qui momorderat, noxæ tradere jussit.* Draconis, & Hebræorum *Leges etiam in* ἄψυχα, *quæ læserant.* Theagenes *pugil, cur dictus* Nicon. *Bovis cornu-petæ caro per Legem immunda. Dominus quoque morte mulctatus, si monitus non recluserit.* Judæorum *ad hanc Legem exceptiones. Capitalis pœna quo casu in pecuniariam mutata. Pro servo caso triginta sicli, quo pretio* Christus *venditus, qui servi formam acceperat. Leges* Salicæ *similes. Bovis nomine intelligi quodvis aliud animal noxium, quod tamen à* Samaritano *perperam in Sacrum textum intrusum est. Damni tenetur, qui cisternam aperit, in quam cadat bos alienus. Hujus Legis minutias* Maimonides *quàm penficulatè excutiat. Lex de bove, qui bovem alienum cornu ferit. Inde alia multa per Analogiam collige. Cum reliqua furta nonnisi dupli restitutione Lex puniat, cur pro ove quadruplum, & pro bove abacto quintuplum repetat.* 2. Sam. 12, 6. ארבעתים, *licet Duale, tamen nonnisi* quadruplum *significat, ut Lat.* quadrigeminus, trigeminus, septemgeminus, *nonnisi* quadruplum, triplum, septuplum. *In* Ausonii *Gripho, qui sint* tergemini vigiles. *Quatuor vigiliæ* Romanis, *sed* Hebræis *solum tres. Fur, qui non habet unde reddat, vendatur.* Judæi *hanc Legem sic emolliunt, ut propè abrogent. Qui bovem ipsum furto ablatum reddit, cur nonnisi dupli teneatur. Lex eadem* Athenis. Gellius *emendatus.* Judæorum *exceptiones. Lex de pecude, quæ in agro pauperiem fecit. Leges de bove deposito, surrepto, &c. Bos errans, sive fratris, sive inimici, reducendus.* Jonathanis *prava exceptio. Lex de bove, & asino, vel fratris, vel inimici, in via lapso,* Deut. 22. 4. & Exod. 23, 5. *Cujus Legis obscurissima verba crucem figunt interpretibus. In illam conjectura duplex. Lex quæ vetat arare cum bove & asino simul, quàm variè accepta. Bovem triturantem* Græci *olim capistrabant, alii quoque populi; quod Lege Dei vetitum. Varia capistri genera,* φιμὸς, fiscella πανωτάριον, *etiam servis indita. Aliæ rationes, quibus ab esu boves arceantur. Hæc omnia Lege prohibita. Legis scopus. Leges ceremoniales de bove.* Romæ *bovem, qui in specum decidisset, feriis liberare licebat, ut* Luc. 13, 15. & 14, 5.

BOves quanti fecerint prisci mortales cùm alii Scriptores docent, tum maximè *Pausanias* in *Messeniacis*, cujus hic locus unus erit instar omnium. *Præterquam quod* Iphicli *bovis* Neleus *expetivit*, Herculi *etiam imperavit* Eurystheus, *ut, cum in* Hispania *præclaras specie boves esse comperisset*, Gerionis *inde armentum abigeret. Sed & ejusdem pecoris ex* Erythea *abacti mirâ fuisse cupiditate incensum* Erycem *in* Sicilia *ex eo constat, quod, cum in lucta certamen cum* Hercule *descendisset, hinc* Herculis *boves, illinc* Erycis *regnum præmia victori proposita fuerunt. Testatum etiam in* Iliade *reliquit* Homerus, Iphidamantem, Antenoris *filium, inter sponsalia dona, primò centum boves socero suo dedisse. Quæ omnia satis perspicuo argumento sunt, bobus imprimis priscos illos homines delectatos.* Inde est, quod

quod Scriptura inter opes veterum, *Abrahami* puta, *Isaaci*, *Jacobi*, *Jobi*, &c. semper memorat boves. Et boum fœcunditas est in censu benedictionum, *Deut.* 7, 13. & 28, 4. & *Psal.* 144, 14. ut eorundem sterilitas, vel abactio in præcipuis maledictionibus, *Deut.* 28, 18. 51. *Jerem* 51, 23. *Habac.* 3, 17. In *Exodo* denique, & *Deuteronomio* non paucæ occurrunt Leges de bobus, quas obiter explicare, quo ordine sese offerunt, non erit prorsus extra rem.

Exod. 21, 28. & sequentibus, quædam habentur Leges de bove cornu-peta, quarum prima hæc est, *Si bos cornu-peta percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes ejus, dominusque bovis erit innocens.* Casus est, non solùm *si percusserit*, sed *si percusserit ictu lethali.* Nam, si quis à bove cornu-peta citra mortem læsus fuisset, dabatur compensatio; & tenebatur bovis possessor quoquo modo providere, ne in posterum tale quid accideret: at, si bos percusserat ictu lethali, lapidibus obruebatur, juxta Legem statim à diluvio promulgatam, *Gen.* 9, 5. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu omnium bestiarum.* Non, quod bos sit propriè reus; neque enim vitium, aut virtus in brutum animal cadunt: sed id fiebat propter homines, in quorum usum bestiæ creatæ sunt. Primò enim dominus, qui hoc malum non satis præcaverat, bovis sui jactura mulctabatur. Secundo, hoc exemplo alii monebantur, ut cautiores essent. Tertiò, Deus sic docebat homicidium crimen esse gravissimum, cum ejus pœna etiam ad belluas aliquo modo pertineret. Quartò, cædendo animal, qui hominem lethaliter percusserat, & poterat in posterum alios pari ratione cædere, vitæ, & securitati hominum consulebatur. *Romanis* quidem satis fuit τῶν κυριττόντων τῶν βοῶν, ὑπὲρ τοῦ φυλάττεσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας, χόρτον περιελίσσειν τὸ κέρας, *bobus cornu-petentibus, ut obvii sibi caverent, cornu fœno circumligare.* Ita *Plutarchus* in *Crasso.* Cujus moris rationem idem exquirit *Quæst. Rom.* 71. Et, eo alludens, *Horatius* Sat. 4.

Fœnum habet in cornu, longè fuge.

Et *Hieronymus* in *Apologetico* ad *Domnionem*; *De nobis quoque dici potest, Fœnum habet in cornu,* &c. Sed boves cornu-petas, quamvis hoc signo notatos, semper vitare non est cujusvis. Et eos mactâssent justiùs quàm canes, quos quotannis crucifigebant in illorum memoriam, qui nocturnam *Gallorum* in Capitolium irruptionem latratu non indicaverant. Unde *Plinius* lib. 29. cap. 4. *Supplicia annua pendunt inter ædem* Juventutis & Summani, *vivi in furcas sambucea arbore fixi.* Ità *Solon Athenis*, ut *Plutarchus* auctor est, κύνα δάκνοντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον· *Canem, qui momordit, noxæ tradere jubet quadricubitali catenâ vinctum.* Quod, inquit, factum πρὸς ἀσφάλειαν, *ad indemnitatem.* Sed & *Draco* sanxerat etiam τὰ ἄψυχα, ἐάν τινα ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ, ὑπερορίζειν, *inanimata* (putà ligna, lapides, ferrum) *quorum casu cædes alicujus facta sit, finibus ejici.* Legis meminêre *Demosthenes* contra *Aristocratem*, *Æschines* contra *Ctesiphontem*, *Pollux* libri octavi capite decimo, *Pausanias* quoque in *Atticis*, & in *Eliacis posterioribus.* Ubi *Thasios* etiam narrat pugilis *Theagenis* statuam, latâ sententia, in mare ideò dejecisse, quod ruina sua quendam oppressisset. Quod idem de *Nicone* narrat *Suidas*. Sed fallor, aut *Theagenis* cognomen fuit Νίκων, illi inditum, quia luctâ, pancratio, cursu, & reliquis certaminibus, *Nemeæ*, *Olympiæ*, atque in *Isthmo* semper victor, ἔλαβε στεφάνους, ὥς φασι, χιλίους καὶ τετρακοσίους, *coronas accepit, ut ajunt, mille & quadringentas.* Ita *Suidas* in Νίκων. Neque aliter *Pausanias* de *Theagene*, nisi quod, millenario prætermisso, coronas solum quadringentas illi tribuit.

De bove cornu-peta Lex addit, *non comedi carnes ejus.* Ad quæ verba *Maimonides* Tractatus *De cibis vetitis* cap. 4. sect. 22. *Quomodo posset comedi, postquam lapidibus est obrutus, cum sit cadaver? Sed Scriptura scopus alius non est, quàm ut te doceat, quod quamprimùm lata est lapidationis sententia, vetitus est, & fit ut bestia immunda. Ita ut, si quis, hanc sententiam præveniens, illum legitimè mactet, tamen ejus usus sit interdictus, & vapulet quisquis è carne ejus comederit quantum olivam. Proinde, cum lapidatus est, neque venditur, neq; datur canibus, neque* Cuthæis, *&c.* Addunt nonnulli, bovis homicidæ carnem pro polluta, Lege ceremoniali, censeri; quasi hanc comedere sit humana carne vesci.

Interim dominus sola bovis jactura mulctabatur; siquidem bos tum primùm incepisset cornu ferire. At, si, monitus bovem suum huic vitio esse obnoxium, non prospexisset, tum non bos solus, sed & dominus mortis erat reus. Quod in Lege disertè habetur, *Quod si bos cornu-peta fuerit ab heri & nudius tertius, & contestati sint dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum, aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & dominos quoque ejus occident.* Sed *Hebræi*, ut hanc legem emolliant, diversas exceptiones adhibent. *Maimonides* Tractatûs *De damnis* cap. 6. sect. 2. contestationem nullam esse docet, אלא בפני הבעלים ובפני בית דין *nisi fiat coram dominis, & coram Magistratu.* Et sectione prima vult agi de bove, qui feriit tribus diversis diebus. Nam, si probetur uno die plures feriisse, אפילו מאה פעמים אין זה מועד *vel centum vicibus, non is est contestatus.* *Jonathan* quoque in *Paraphrasi*, ואסהדו על אנפי מריה תלתי זמני *Et contestatio facta sit in os domini ejus tribus vicibus.* Sed hoc pessimum, quod verba Legis, *Et dominum quoque ejus occident*, idem Interpres sic reddit, ואף מריה יתקטל במותנא דמשתלחא עלוי מן שמיא *Atque etiam dominus ejus interimetur, morte illi cœlitus immissa.* Itaque cum Lex velit in dominum bovis judiciaria pœna animadverti, iste, hac Lege antiquata, rem soli Deo committit. Tamen quia in certo casu hæc pœna mortis gravior videri potuit; puta, si bos feriit provocatus, aut, ruptis vinculis, quibus detinebatur, aut per servi negligentiam, cui à domino commissus fuerat: Deus, judicibus permittens capitalem pœnam quandoque in judiciariam commutare, *Si redemptionis pretium*, inquit, *ei fuerit impositum, tum det pretium redemptionis suæ, planè ut ei fuerit impositum*, id est, juxta *Jonathanem*, כמיל מה דישוון עלוהי סנהדרין דישראל *prout de eo æstimaverint Sanhedrin*, seu συνέδριον *Israëlis.* Et juxta *Maimonidem* cap. 11. *De damnis*, כמו שיראו הדיינין שהוא דמי הנהרג הכל לפי שויו של נהרג *prout videbunt judices pretium esse occisi, omnino juxta æstimationem illius.* Cedet autem hoc pretium ליורשי הנהרג *occisi heredibus.* Et, si uxor fuerit cæsa, ליורשיה מאביה ואינו לבעל *heredibus ejus ex familia patris, non viro.*

Sequitur in Lege Dei, *Si filium, aut filiam bos percusserit, idem de eo statuetur. Sed, si servum, aut ancillam percutiat, triginta siclos argenteos domino dabit* (bovis dominus) *& bos lapidibus obruetur.* Quia quod de viro, & muliere, à bove percussis, dictum fuerat, restringi posse videbatur ad patres, & matres familias, quorum ut jactura major est, ita vita pretiosior; hic additur, de liberis eandem esse Legem. Quod tamen ad solos *Israëlitarum* liberos referunt *Jonathan* & *Onkelos*, qui hic habent אין לבר ישראל יגח תורא או לברת ישראל יגח *Si filium* Israëlis, *aut si filiam* Israëlis *bos cornupetat.* Nam præ illis nos fungi & numerus sumus, — *& fruges consumere nati.* In *Maimonidis* capite undecimo, Si gravida mulier à bove percussa abortiat, etiamsi in illum contestatio facta sit, *domini bovis immunes sunt à pretio pro prole solvendo; quia Lex non condemnat pro pretio prolis, sed hominis.* At, ne dicam etiam liberos esse in hominum censu, in Lege disertè dicitur *pro filio, aut filia eandem esse Legem.* Denique Divina Lex neminem præter servos

servos excipit, quibus à bove occisis, dominus bovis nonnisi triginta siclis mulctabatur. Ad quæ *Maimonides*, *Et expiatio pro servis, sive sint magni, aut parvi; sive sint mares, aut fœminæ; mulcta est in Lege definita, nempe triginta sicli* כסף יפה *probi argenti, sive servus centum minis æstimetur, aut ne denarium quidem valeat.* *Et si quis* (post impletum servitii sui tempus, anno remissionis & Jubilei) *differat habere* גט שחרור *literas manu-missionis, pro eo nulla est mulcta; quia non habet dominum, sed in libertatem jam est assertus.* At, ob idipsum, quod liber est, mulcta major esse debuit, utpote pro libero homine, non quidem domino, sed illi ipsi solvenda. Cur *Jonathan* hanc Legem ad *Chananæos* servos restringat, nullus capio. Notandum est, *Jesum Christum*, qui formam servi acceperat, à proditore *Juda* triginta siclis (a) fuisse venditum; quo ipso pretio servi vita hic æstimatur. Cum Legibus, quas explicavimus, hanc componit *Bochellus* (b) ex *Salica* Legis Tit. 31. *Si homo ex aliqua quadrupede domestica occidatur, pro media parte leudis* (id est, *subditi hominis*) *dominus componat, & pro alia animal det; nisi pecoris dominus vitium antè non intellexerit.* Et alteram ex lege *Ricardi*, Tit. 4. *De damnis animalium; Qui bovem, aut taurum, aut aliam quadrupedem nocentem, aut vitiosam habuerit, antequam noceat, jubetur occidere: & si, post denuntiatum vitium à vicinis, non occiderit, & illud animal aliquem vulneret, vel occidat, tenetur damnum componere, ut de homicidio.* In qua lege hoc observandum, bovi, & tauro addi quamvis *aliam quadrupedem nocentem.* Quod ipsum in *Mosis* Legibus de bove analogica ratione debet subintelligi. Neque id ab *Hebræis* est præteritum. *Maimonides* statim initio libri *De damnis*, *Quodcunque animal est in potestate hominis, si noceat, dominus tenetur sarcire damnum, quod à possessione sua est illatum. Cùm enim dicitur,* "Cum bos "alicujus bovem alterius percusserit, *cum bove idem sunt reliquæ pecudes, feræ item, & aves. Scriptura enim de bove non agit,* אלא בהווה *nisi exempli causa.* Et author libri *Chinnuch*, pag. 25. כי כבר נתרבו נזקי שור באדם ולאו דוקא שור אלא אפילו כל בהמה חיה ועוף שהזיקו חייבין *Cùm multa referuntur damna bovis in hominem; non bos solùm, sed etiam omne jumentum, fera, & avis, quæ damnum inferunt, Lege tenentur.* Itaque in toto hoc contextu *Samaritanum* exemplar pro *bove* habet [illegible] *bovem, aut quamvis bestiam*, aut etiam [illegible] *bestiam* simpliciter pro [illegible], seu *bove*; id est, nomen Genericum pro Specifico. Quod quidem in *Paraphrasi* ferri potuit, sed in ipsum textum *Hebraicum* intrudi non debuit, nisi ab iis, qui putent se Deo plus sapere; ut rectè omnino observat vir summus *Jo. Henricus Hottingerus* in *Anti-Morinianis* suis, sect. 71.

Excipit alia Lex de bove, & asino, ejusdem capitis versibus 33, & 34. *Si quis aperuerit cisternam, vel foderit, nec operuerit eam, cecideritque in eam bos, aut asinus, dominus cisternæ reddet jumenti pretium, & restituet domino ejus, & quod mortuum est erit illius.* Rectè supplet *Jonathan* בשוקא *in vico*, aut *plateâ publicâ*. Nam in proprio fundo cisternam licet fodere, & aperire; non in communi, vel publico. Hinc *Maimonides* in Tractatu *De damnis*, capitis duodecimi statim initio, החופר בור ברשות הרבים *Qui fodit cisternam in loco, qui est potestatis multorum*, id est, communi, & publico. Ibidem omnes hujus Legis minutias, mirâ ἀκριβείᾳ, quasi ad trutinam exigit. Sic sectione prima docet reum esse cisternæ dominum, si cadat, & moriatur in ea bos, aut asinus, aut aliud quodvis animal, etiamsi cisterna plena sit גזות שרי צמר *lanâ detonsâ*, aut alia re hujusmodi; quia dicitur, *Dominus cisternæ restituet.* Sectione secunda docet ex æquo esse reos, qui fodiunt cisternam in loco communi, & qui in proprio defossam in loco communi aperiunt, aut prope vicini prædium. Eos quoque hac Lege teneri, qui, postquam in proprio fundo cisternam foderunt, & aperuerunt, fundum illum publici juris faciunt, excepta solâ cisterna: at eum esse immunem, qui tam fundum, quàm cisternam, aut cisternam saltem fecit publici juris, aut Deo consecravit; quia dicit Lex, *Cisternæ Dominus restituet*, qualis non est amplius. Sectione tertia, Quin si fossam illam aries, aut aliud animal foderit, dominum damni teneri, nisi repleat aut operiat: & idem esse, si ipse foderit, aut ab alio eam fossam emerit, aut dono acceperit; quia dicitur, *Fossæ dominus restituet*, undecunque illi devenerit hoc dominium. Sectione quarta, Tam reum esse, qui fossam aperit, quàm qui fodit, quia dicitur, *Si quis cisternam aperuerit, vel foderit.* Sed, si operiat כראוי *convenienter*, & si cariosum fiat operculum, & bos in medium fossæ decidat, & moriatur, liberum esse dominum; quia dicitur, *Si non operuerit eam.* Eâ igitur opertâ, liberum esse. Quod si operculum boves sustinere possit, sed camelos non item, & cameli, illac iter facientes, illud fregerint, deinde boves in cisternam deciderint: si cameli non soleant illàc iter facere, liberum esse fossæ dominum, מפני שהוא אונס *quia hæc fuit mera necessitas.* Sed, si cameli soleant illac iter facere, אפילו לפרקים *quamvis nonnisi certis temporibus*, reum esse dominum. Et sectione quinta, Si tamen boves deciderunt, quia cariosum est operculum, etiam camelis sit illac consuetum iter, & ratione camelorum in Legem peccaverit, eum nihilominus esse liberum; quia boves non alia de causa deciderunt, quam propter ligni cariem. Sectione sexta, Si fossam quis reperit, & operuit, deinde rediens aperuit, fossæ dominum esse reum, & alterum illum liberum. Sed, si alter ille fossam pulvere obstruxerit, & postmodum refoderit, eum esse reum, quia, cum fossam pulvere obstruxit, prioris opus destructum est. Sectione septima, Si cisterna sit communis inter duos, & unus eorum transiens illam non operuerit, deinde transeat alter, qui nec ipse eam operiat, priorem esse reum, nisi situlas suas alteri tradiderit: sed, si tradiderit alteri, ut è cisterna hauriret, priorem esse liberum, & alterum teneri ad eam operiendam. Si postquam prior operuit, ignotus aperiat, & posterior apertam reperiens non claudat, hunc esse reum: & semper solùm manere reum, donec prior resciverit cisternam esse apertam. Qui cum conduxit operarios, ut cedros exscindant, & operiant, quodcunque animal decidat, & moriatur intereà temporis, solùm posteriorem ejus esse reum: sed exinde, si quæ moriantur, utrosque ex æquo esse reos. Sectione octava, Cum cisterna custodi traditur, hujus esse præstare damnum, modo ne sit stultus, aut puer, tum enim esse dominorum. Sectione nona, Cum quis cisternam operit situlis vicini sui, & vicinus eas repetit, atque aufert, dominum teneri damni. Sectionibus decima & undecima, Idem esse, si quis fodiat בור או שיח או מערה או חריץ *cisternam, aut foveam, aut speluncam, aut aqua-ductum, modo altitudo sit* עשרה טפחים *decem palmorum*: nam in foveam minus altam cadi absque vitæ discrimine. Id tamen de fovea inaquosa accipiendum. Si enim aqua sit in fundo, unum aquæ palmum haberi pro duobus aridis. Sectione duodecima, Si unus fodiat cisternam decem palmorum, quam secundus ad vigesimum, tertius ad trigesimum palmum excavet, omnes esse ex æquo reos. Sed, si unus nonnisi novem palmos foderit, & alter decimum addiderit, aut ad palmi altitudinem cisternæ oram evexerit, istum solum esse reum. Sectionibus decima tertia & decima quarta, Si quis profundam fossam fodiat, & alter eam dilatet, & bos in eam decidens nonnisi ex exhalatione ejus moriatur, qui dilatavit liber est; quia minuit exhalationem: nam quo fossa latior, eò minor est exhalatio. Sed, si ipso casu bos moritur, eum esse reum, cum bos cecidit ex qua parte is dilatavit. Multa sunt hujus-

(a) Matth. 26, 15.

(b) In Legibus Politicis V. & N. T. tit. 31.

hujusmodi usque ad finem capitis: de terræ aggere decem palmorum facto in loco publico, ex quo bos præceps cadat. De quali præcipitio idem judicium, quod de fovea; nempe, si bos sit cæcus, aut noctu cadat: nam si interdiu cadat bos oculatus, id fieri præter morem. Neque enim bovem oculatum interdiu in foveam, aut ex præcipitio in declive, cadere solere. Item de bestia, quæ solùm læsa est; non item cæsa. De bestia polluta, quæ sepeliri debet, non comedi. De bestia, quæ in foveam cadit ipso illo tempore, quo foditur, non progrediendo, sed recedendo, fodientium strepitu absterrita. De bestia, quæ hoc ipso metu non cadit in foveam, sed ad oram foveæ, & moritur. De bestia, quam in foveam bos impellit, uter damni teneatur, bovis dominus, an foveæ. Et, si quis lapidem ponat ad oram foveæ, ad quem impingens jumentum cadat, uter sit reus, foveæ dominus, an qui lapidem apposuit. Et, si bos casu suo hominem interimat fodientem in loco publico, fossorne sit reus; an dominus bovis. Hæc ille, & plura alia, quæ consultò præterimus, ne lectori fastidium creent. Ex quo specimine abundè apparet, *Hebræos* veteres, ex quibus hæc desumpta sunt, fuisse in his minutulis ad superstitionem usque accuratos, dum neglig. bant τὰ βαρύτερα τ̃ νόμου, *quæ Legis graviora sunt*: quod illis jure merito *Christus* objicit *Matth.* 23. *v.* 23.

Exod. 21. v. 33. 34. *Si ferierit bos alicujus bovem proximi sui, ita ut moriatur, vendent bovem vivum, & pecuniam pretii ejus inter se divident; sed & mortuum divident. Aut si notum fuerit, bovem antea fuisse petulcum, nec custodiverit eum dominus ejus, reddet bovem pro bove, & quod mortuum est erit illius.* Pro quo *Jonathan*, ונבילתא ומשכא יהא דיליה *Ejusq. cadaver & pellis erit illius.* Ad hanc Legem ita *Maimonides* cap. 1. libri *De damnis*; *Omne animal, quod est in hominis potestate, si læsit, tenetur dominus reparare damnum; quia possessionem ejus id intulit. Dicitur enim in Lege.* "Si feriat bos alicujus bovem proximi sui, &c. *Quod æquè pertinet ad omnes bestias, feras, & aves: cùm Lex de bove non agat, nisi* בהווה *exempli gratiâ. Et tantundem reddit, si læsit in iis, quæ jugiter solet facere per Legem creationis suæ: putà, si jumentum comedit fœnum, aut gramen, aut si pede suo nocuit iter faciens, tenetur damnum integrum reparare* מן היפה שבנכסיו *è præcipuis bonis suis: prout dicitur* Exod. 22. v. 5. "Optimum agri sui, & optimum vineæ suæ re-"pendet. *Sed, si diversum quid faciat ab eo, quod jugiter solet, & in eo noceat: putà, si bos cornu feriat, aut mordeat, tenetur dominus restituere damni dimidium ex corpore jumenti ipsius, à quo damnum illatum est; prout dicitur*, "Et vendent bovem vivum, & divident "pretium ipsius, *&c. Cùm bos, minam unam valens, ferit bovem viginti minarum, & eum necat, & cadaver valet quatuor minas, dominus bovis deberet rependere octo minas, quæ facerent dimidium noxæ* (additæ scilicet dimidiæ parti pretii cadaveris) *Tamen non tenetur reddere, nisi ex corpore bovis, qui læsit; quia dicitur*, "Et vendent bovem vivum. *Proinde, si bos viginti nummorum occidit bovem ducentorum, cujus cadaver minam valeat, cadaveris dominus non potest dicere domino vivi bovis, Da mihi quinquaginta nummos. Quin ei dicetur, Penes te est bos, qui læsit, accipe eum, & abi; quamvis supra denarium non valeret.* Hæc ille tribus primis sectionibus. Sed idem sectione septima observat sic reparari damnum, cum jumentum noxium in læsi pascuum ingressum est, & læsit illud. Alioqui enim, si qui damnum accepit in alterius pascuum ingressus est, & ibi bos illius eum, aut bovem ejus percusserit, alterum illi posse dicere, Nisi in prædium meum ingressus esses, non accidisset tibi hoc malum. Atque id posse colligi ex verbis Legis, *Exod.* 22. *v.* 5. *Si quis immiserit jumentum suum, ut pascat in agro alterius*, &c. Et capitis septimi sectione quarta, Si quis bovem suum in alterius domum deduxit, & ibi feriat eum bos, vel mordeat canis domini domûs, dominus domûs immunis erit: sed, si bos eò deductus feriat bovem domini domûs, qui eum deduxit damni mediam partem restituet; si bos, qui feriet, est תם *perfectus*: integrum, si sit מועד *contestatus*. Bos *perfectus* eo loco idem est, quod *non contestatus*, id est, de quo per testes nondum probatum sit, eùm antea cornu feriisse. Et sectione nona, Si bos, valens ducentos nummos, cornu percussus moriatur, & cadaver ejus momento mortis centum nummos valeat, sed, dum de eo lis intenditur, pretium imminutum est, nec valet supra octoginta nummos: qui damnum intulit, si bos fuerit contestatus, nonnisi centum restituet; si perfectus, solum quinquaginta de corpore ejus. Et capitis octavi sectione prima, Bos *Israelita* si percussit bovem Deo sacrum, aut bos sacer si percussit bovem *Israelitæ*, immunis est; quia dicitur in Lege, *Si percusserit bovem proximi sui*, non *si bovem Deo sacrum*. Et sectione quinta, *Si bos* Israelitæ Cuthæi *bovem percusserit, sive sit perfectus, aut contestatus, immunis est*, &c. *Sed, si* Cuthæi *bos* Israelitæ *bovem feriat, sive sit perfectus, aut contestatus*, Cuthæus *integrum damnum restituit.* Quæ aperta est προσωποληψία, cùm non habetur rei, sed personæ discrimen. Cætera, quæ de hac Lege in *Maimonide* habentur, accuratiùs persequi longum esset, & tædiosum.

Exod. 22. v. 1. *Si quis bovem, aut ovem furatus fuerit, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove, & quatuor oves pro una ove restituet.* In his duo observanda: Primò, reliqua furta ex Dei Lege solùm dupli restitutione puniri, sed hæc quadrupli, aut quintupli. Secundò, graviùs in bovis, quàm in ovis furem animadverti: ab hoc enim nonnisi quadruplum, ab illo quintuplum repetitur. Utrumque à *Josepho* sic observatur *Antiq.* lib. 4. cap. 8. *Qui aurum, aut argentum surripit, duplum rependat, sed pecudem qui furatur, mulctam solvat quadruplam; nisi fit bos, pro quo quintuplum pendat.* Et à *Maimonide*, libri *De furto* capitis primi sectione sexta, תשלומי כפל *Dupli restitutio recepta est in omnibus, præterquam in ove, & bove. Bovem enim, aut ovem qui furatus est, & mactavit, aut vendidit, pro ove quidem quadruplum, pro bove autem quintuplum reddit.* Et pecudum abactores ideò graviori pœna mulctabantur; quia difficilior fuit eorum custodia. Cùm enim vestes, pecunia, annuli, monilia, & reliquus mundus muliebris, quæ inter pretiosissima sunt, in scriniis reponantur; armenta & greges in communibus pascuis oberrabant, omnium rapinæ expositi, nisi Legum metus abactores coercuisset. Itaque etiam apud *Scythas*, quorum opes erant in pecore sitæ, nullum fuisse scelus furto gravius testatur *Trogus* lib. 2. *Quippe*, ait, *sine tecto, munimentoq., pecora, & armenta habentibus quid salvum esset, si furari liceret?* Porro in bovis abactorem ideo graviùs animadversum, quam in abactorem ovis, aut capræ, non solùm, quia bos pretii longè majoris, sed & quia ad plura est utilis, putà ad arandum, vehendum, triturandum, *&c.* Quod ex parte vidit *Jonathan*. Scribit enim in *Paraphrasi*, pro uno bove quinque reddi מן בגלל דבטליה מן רדיה *propter cessationem ejus ab agricultura.* Et pro una ove solum reddi quatuor, מן בגלל דאקטיה בגניבותיה ולית בה עבידתא *quia in furto ejus molestia fuit, neq. ab illa colitur terra.* Sensus est, duabus de causis mitius agi cum eo, qui ovem furto subduxit; 1. Quia in furto ovis plus laboris est. Bos enim solùm abigitur, ovis autem aufertur humeris: qui labor, ut quidem volunt *Hebræi*, in partem pœnæ cedit. 2. Bos hominis in rustico opere aliquo modo socius est: ovis, aut aries non item. Quorum ut primùm futile est, ita alterum verissimum, & rectè observatum.

David,

David, hanc Legem respiciens, ita statuit de divite, quem pauperis oviculam *Nathan* abstulisse dixerat. *Et pro ove ejus reddet* ארבעתים *quadruplum*, 2. *Sam.* 12.*v.*6. *Kimchius* intelligit ארבעה שני פעמים *bis quatuor*; quia ארבעתים Dualem habet formam. Proinde *Pagninus* hic habet, *Agnam restituet bis quadruplatam*. Et *Munsterus* in *Notis*, *In* Hebræo *propriè habetur*, "Reddet bis quatuor, *hoc est, octo: nam est* ארבעתים *Dualis numeri*. Sed hæc ratio, si quidquam valet, etiam Duale שבעתים significabit *bis septem*; ut cum *Juno* dicit apud *Poetam*,

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,

id est, *quatuordecim*. Quod est apertè falsum. Nam ubicunq; adhibetur שבעתים, nihil nisi *septuplum* sonat. Sic *Gen.* 4.*v.*15. *Omnis, qui occidet* Cain, שבעתים יקם *septuplo vindicabitur*. Psal. 12. v. 7. *Argentum purgatum in catino*, &c מזקק שבעתים *defæcatum septies*. Psal. 79. v. 12. *Redde vicinis nostris* שבעתים *septuplum*. Esa. 30. v. 26. *Et lux Solis erit* שבעתים *septupla, sicut lux septem dierum*. Qui locus est apertissimus. Nam lux septem dierum, collato cum unius luce, solum est septupla, non bis septupla. Itaq; Dualia ארבעתים, & שבעתים, non significant duplicari quaternarium, & septenarium; sed rem ipsam, de qua agitur, per quaternarium, aut septenarium geminari, & multiplicari. Neque veterum est ullus, qui non sic accipiat. Quod patebit locorum, quæ citavimus, *Chaldæas*, *Syras*, *Arabicas*, *Græcas*, & *Romanas* versiones inter se conferenti. Nisi quod in loco *Samuelis*, pro *quadruplo*, in nonnullis exemplaribus *Chaldæus* habet על חד ארבעין *pro uno quadraginta*: & *Græcus*, τὴν ἀμνάδα ἀποτίσει ἑπταπλασίονα, *agnam reddet septuplam*. Sed utrumque mendosè. Itaque in editionibus *Complutensi*, *Parisiensi*, & *Anglicana*, legitur in *Thargum* ארבעה, *quatuor*, & in *Græco* textu τετραπλάσιον, *quadruplicem*. Cui lectioni veteres suffragium addunt. Nam *Josephus* (c) habet τετραπλῆν, *Theodoretus* (d) τετραπλασίονα, *Ambrosius* (e) ex *Italica* versione, quæ ex *Græca* expressa fuerat, *in quadruplum*. Eodem facit, quod *Hebræi* vetustiores, prout citat *R. Levi*, ominosa fuisse scribunt verba *Davidis*, cùm tot illi filii perierint, quot oves divitem repensurum dixerat, is nimirum, quem habuerat ex *Bersabea*, *Amnon*, *Absalom*, & *Adonija*. Alii *Adonijæ*, qui patri per aliquot dies fuit superstes, *Thamarem* substituunt, quam violavit *Amnon*: quod sequuntur *Selomo*, & *Kimchius*. Itaq; etiam veteribus *Hebræis* Duale nomen ארבעתים *quadruplum*, non *octuplum*, significavit. In *Romana* lingua dicam exemplum similis locutionis. *Plinius* lib. 8. cap. 25. scribit *cerastis eminere cornicula sæpe quadrigemina*, id est, *octo*, seu *quaterna geminata*, si sequimur barbaros Interpretes. Hinc *Vincentius*, (*Doctrinalis* lib. 16. cap. 108.) *Cerastes est serpens octo cornua in capite habens*. Ita etiam liber *De natura rerum*. Et *Bellonius* (*Singular.* lib. 2. cap. 54.) *Plinio* litem intendit; quasi cerastem dixerit *octo habere cornua*, cùm sit *bicornis*, quales profitetur se vidisse in *Ægypto*. At *bicornes* esse *Plinius* haudquaquam negat. Tantùm in *ceraste* asserit *eminere cornicula sæpe quadrigemina*, id est, *quaterna*, non *octona*, ut volunt. Sequitur enim *Nicandrum*, cujus verba sunt,

Ἄλλοτε μὲν πισύρεσσι, τότ' ἐν δοιοῖσι κεράστης,

Quandoq; quatuor quidem, quandoq; duobus cornibus *cerastes*. Unde *Scholiastes*, Εἰσὶ καὶ τετρακέρατοι κεράσται, καὶ δίκεροι· *Sunt & quadricornes cerastæ, & bicornes*. *Cornicula* igitur *quadrigemina* prorsus idem sunt, quod *quaterna*. Sic *septemgeminus* est *septenus*, non *bis septenus*. *Catullus* ad *Furium*, & *Aurelium*,

Sive qua septemgeminus colorat
Æquora Nilus.

c) Antiq. lib. 7. cap. 7.
d) In 2. Reg. 4. v. 24
e) In Apologia Davidis prima, cap. 5. & secunda, c. 11.

Virgilius lib. 6. *Æneidos*,

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.

id est, *septeni*. *Nilo* enim amni notum est solùm fuisse septem ostia. Et habetur *Esa.* 11. *v.*15. Sic apud *Claudianum* in *Fescenninis* nuptiarum *Honorii* & *Mariæ*,

Aurea septemgeminas,
Roma *coronet arces:*

id est, *septenas in septem* Romæ *montibus*. *Tergeminus* quoque, vel *trigeminus*, idem quod *ternus*. Ut apud *Livium* lib. 1. ubi de *Horatiis*, & *Curiatiis*; *In duobus tum exercitibus erant trigemini fratres*. Item, *Trigemini arma capiunt*. Pro quo infrà, *terni juvenes*. Et rursus, *Princeps* Horatius *ibat trigemina spolia præ se gerens*. *Aurelius Victor*, in *Tullo Hostilio*, *Erant apud* Romanos *trigemini* Horatii, *tres apud* Albanos Curiatii. *Florus*, (lib. 1. cap. 3.) Horatiis, Curiatiisque *tergeminis hinc atq; inde fratribus utriusq; populi fata commissa sunt*. *Virgilius* lib. 4. *Æneidos*,

Tergeminamq; Hecaten, *tria virginis ora* Dianæ.

Et *Æneidos* lib. 8.

Tergemini nece Gerionis. - - - -

Ut *Lucretius* lib. 5.

Quidve tripectora tergemini vis Gerionai.

Tibullus de *Cerbero* lib. 3. *Elegiâ* 4.

Cui tres sunt linguæ, tergeminumq; caput.

Seneca in *Oedipo* trivium describens,

Trigemina quà se spargit in campos via.

Ausonius in *Gripho Ternarii*,

Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ,
Quarum tergemini fatalia carmina libri.

Et aliquantò ante,

- - - - - - - *noctisq; per umbram,*
Tergemini vigiles. - - - - - -

Ad quæ verba *Scaliger*; *Ita intelligendum puto, ut, cùm sint quatuor vigiliæ, in singulis terni vigiles sint. Ut unusquisq; pro sua hora excubet. Tres enim horas habet una vigilia. Neq; aliter sententiam hujus loci constare putem.* Ex qua interpretatione pro tribus duodecim vigiles constituit Vir illustris, imo & vigilias totidem. Tot enim sunt vigiliæ, quot novi vigiles excubant. Ego *Poetam Christianum*, quique Sacros libros non perfunctoriè legerat, putaverim hic sequi *Hebræos* vetustiores, apud quos nonnisi tres vigiliæ fuerunt. Prima dicitur ראש אשמרות *initium vigiliarum*, Thren. 2. v. 19. Secunda התיכונה *media*, Jud. 7. vers. 19. Tertia אשמרת הבקר *vigilia matutina*, Exod. 14. v. 24. *Kimchius* in *Judices*, היו חלקים אשמרת הלילה לשלשה חלקים השומרים בתחלת הלילה היו עורים עד שליש הלילה והוא סוף האשמורת הראשונה וראש האשמורת התיכונה והיו השומרים הראשונים הולכים לישן והאחרים קמים משנתם לשמור *Dividebant noctis vigilias in tres partes. Qui initio noctis excubabant, vigilabant usq; ad noctis tertiam partem, quæ finis erat primæ vigiliæ, & initium mediæ. Tum verò primi vigiles ibant cubitum, & alii è somno excitati his succedebant.* Et *R. Selomo*, שכן דרך בני גייסות להעמיד שומרים אלו ישמרו שליש הלילה הראשון ואלו שליש השני ואלו שליש האחרון *Quia qui in exercitu degebant, solebant vigiles constituere; quorum alii primum, alii secundum, alii tertium noctis trientem vigilabant.* Unde *Talmudici* in *Beracoth*, שלשה משמרות הוי הלילה ועל כל משמר ומשמר הקדוש ברוך הוא אומר אוי שהחרבתי את ביתי *Tres sunt vigiliæ noctis; & singulis vigiliis Deus Sanctus & Benedictus dicit, Heu quod desolavi domum meam!* At *Romani* demum temporibus, pro tribus vigilibus, quatuor constitui cœperunt. Unde est, quod quartæ vigiliæ mentio

mentio est *Matth.* 14. *v.* 25. & *Marc.* 6. *v.* 48. *Lucas* tamen more veteri tertiam vigiliam habere videtur pro ultima, cap. 12. v. 38. *Quadrigeminus*, & *septemgeminus*, *Græcè* esset τετραδίδυμος, & ἑπταδίδυμος, pro quibus *Strabo* lib. 15. contractè scribit τετράδυμον, & ἑπτάδυμον, ubi de mulierum in *Ægypto* fœcunditate: ut *Plutarchus* in *Parallelis* dixit τρίδυμες ἀδελφὰς, & τρίδυμες προμάχες, pro τριδιδύμες.

Quid si fur non habeat unde reddat? Deus jubet versu tertio, ut pro furto suo vendatur. Sed ad hanc Legem *Judæi* multa excipiunt. Primo enim *vir solus pro furto suo venditur, mulier non item.* Quod profitentur se habere מפי הקבלה *ex Kabbala*, seu *traditione.* Secundò, *Fur non venditur, nisi* בקרן *pro summa capitali. At pro duplo, vel quadruplo, vel quintuplo non venditur; sed hoc illi creditur, donec ditescat.* Tertiò, *Etiam pro summa capitali non venditur, qui* Cuthæo *furatur, aut qui rem sanctam surripit; sed creditur illi hæc summa, donec ditescat.* Quartò, *Si summa furto ablata valeat centum nummos, & furis æstimatio sit solùm quinquaginta nummorum, ille venditur, & reliquum summæ cum duplo,* &c. *illi creditur, donec è servitute exeat anno septimo, & ditescat, & solvat.* Quintò, *Si fur æstimetur nummis centum, & uno,* (id est, unico nummo supra furti pretium) *non venditur; quia dicitur in Lege,* " Pro furto suo vendatur: *nempe ita, ut pretium ejus furti pretio totum absorbeatur.* Hæc *Maimonides*, *De furto* cap. 3. §. 12. 13. 14. Idem in Tractatu *De servis* docet servum *Hebræum* non vendi, nisi *Israelitæ*, aut Proselyto, neque vendi בפרסום על אבן המקח ולא בסימטא כדרך שהעברין נמכרין *publicè super lapidem emptionis, neq; in platea, ut servi vendi solent, sed* בצנעה ודרך כבוד *occultè, & decorè:* quod probant ex *Levit.* 25. *v.* 42. Quorum pleraque divinæ Legis severitatem sic emolliunt, ut eam propè antiquent, ac abrogent. Tamen etiam in Legibus duodecim Tabularum una fuit, quæ furem manifestum ei, cui furtum factum erat, in servitutem tradebat, ut auctor est *Gellius* lib. 20. cap. 1.

Versu quarto pro quadruplo ovis, & quintuplo bovis abacti, cùm occisus, aut distractus est, Legislator nonnisi duplum exigit, cùm vivus, & integer in manu furis reperitur. Nempe qui bovem non solùm abigit, sed aut mactat, aut vendit, magis est reus; quia furtum suum majore celat industria, & omnem spem restitutionis ita videtur adimere. Ecce *Atheniis* Legem similem ex *Demosthenis Timocratea*: Ὁ ἐάν τις ἀπολέσῃ, ἐὰν μὲν αὐτὸ λάβῃ, τὴν διπλασίαν καταδικάζειν· ἐὰν δὲ μὴ, τὴν δεκαπλασίαν. *Si illud ipsum, quod furto perierat, receperit dominus, solùm duplione luito, qui furtum fecit; sin minus, decuplione.* Quam Legem respicit *Gellius*, cùm de *Solone* scribit lib. 11. cap. 18. *Is, sua Lege in fures, non (ut* Draco *antea) mortis, sed duplici pœna vindicandum existimavit.* Pro *duplici pœna* legendum *dupli pœna*, ut cum infra de Decemviris addit idem, *Aliis deinde furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam imposuerunt dupli.* Quæ pœna fuit mitissima, & necessaria prorsus. Nam, ut rectè *Demosthenes*, Οὕτω δὲ δεῖν τοὺς τὰ αἰσχρὰ ἐργαζομένους, μὴ, ἃ ὀφείλουσι μόνον ἀποδιδόντας, ἀπηλλάχθαι· πολλοὺς γὰρ ἂν αὐτῷ ἐδόκουν οὕτω γ' οἱ κλέπται ἔσεσθαι, εἰ μέλλοιεν λαθόντες μὲν ἕξειν, μὴ λαθόντες δὲ αὐτὰ μόνα καταθήσειν ἃ ὑφείλοντο. *Solon enim credidit, qui turpia perpetrat, non esse dimittendum, iis solùm quæ subtraxit redditis; cum fures existimaverit magna copia futuros, si ea, quæ furto abstulissent, aut cum latent retinerent, aut cum patent sola redderent.* Tamen hîc quoque *Hebræi* habent quod excipiant. *Maimonides*, *De furto* cap. 1. §. 7. 8. 9. *Mulier conjugata, quæ non habet quod reddat, ei creditur et duplum, donec repudiata fuerit, aut obierit vir ejus, & ab ea recedant judices. Puer pro furto non tenetur duplum restituere. Sed, si quid illi ereptum est, restituitur. Et rem surreptam si amisit, non tenetur quidquam reddere præter summam capitalem, idq; postquam adoleverit. Servus quoq;, qui furatur, à dupli restitutione liber est, ut & servi dominus. Neque enim quicquam tenetur servorum noxam præstare.* Volunt tamen sententia judicis pueros pro ætate, & servos asperius cædi, ne furto sensim assuescant. Cætera ibi vide.

Versu quinto, *Si quis depastus fuerit agrum, vel vineam, & immiserit pecus suum ut pascat in agro alterius, optimum agri sui, & optimum vineæ suæ rependet.* Maimonides, *De damnis* ubi suprà, vult à domino bruti plenè & planè restitui damni quidquid intulit בדברים שדרכה לעשותם תמיד כמנהג בריתו *in rebus, quæ semper facit juxta morem creationis suæ, ut si comedat fænum, aut gramen, aut pede suo inter eundum lædat* terræ proventum, *dominus damnum plenè reparare tenetur* מן היפה שבנכסיו *ex iis, quæ præcipuè habet in bonis; quia dicitur in Lege,* " Optimum agri sui, " & optimum vineæ suæ rependet. Simile, *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, ei, cujus interierit, in eum, qui dominus erit quadrupedis, actio noxalis esto*; nempe ex Legibus duodecim Tabularum. Vide *Institutionum* libri quarti Titulum nonum, & ad eam Legem Jurisconsultos.

Multa hic haberemus inferenda de bove alteri credito, aut deposito, vel in custodiam commisso: qui si ab ignoto surripiatur, aut moriatur, aut à feris discerpatur, aut ab hoste abigatur, tenetur depositarius, si rei gestæ testes, aut certa indicia desunt, coram judicibus sacramento se purgare; aut duplum restituere, si rem fidei suæ commissam reperiatur fraude aliquâ intervertisse. Quod pluribus docet *Moses* à versu septimo usque ad decimum sextum. Sed de his tacere malumus, quàm pauca dicere; cum in hunc Legis locum *Maimonis* filius tres Tractatus scripserit, singulos multorum capitum: quorum unus est *De conducto*, secundus *De deposito*, tertius *De mutuo.* Eos autem hic describere neq; otii, neq; instituti est nostri: quamvis quædam habeant lectu & scitu non indigna.

Exod. 23 v. 4. *Si offenderis bovem inimici tui, aut asinum ejus errantem, reducito eum ad illum.* Et *Deut.* 22. v. 1. *Si videris bovem fratris tui, aut pecudes ejus errantes, non occultabis te ab illis; sed eas reduces ad fratrem tuum.* Hæc duo loca si conferas, in quibus Lex eadem diversis verbis effertur: primò notabis in posteriore eum vocari *fratrem*, qui in priore *inimicus*: quia homines etiam infensissimi pro fratribus habendi sunt, cùm communem nobiscum habeant originem, & gerant imaginem ejusdem Dei. Secundò, in uno de bove, & asino; in altero de bobus, & pecudibus errantibus sic agi: ut & aliud quodvis animal, cujus dominium novimus, significetur. Itaque post hæc *Exodi* verba, *Si offenderis bovem inimici tui, aut asinum ejus*, addunt *Samaritani*, או כל בהמתו *aut quodcunq; ejus animal.* Quin, ut scias hanc Legem patere multò latiùs, Legislatoris ipsius ἐπεξήγησιν audi *Deuter.* 22. *v.* 3. *Et sic facito asino ejus, sic etiam vestimento ejus, & omni rei amissæ fratris tui: cum perierit illi, & eam inveneris, non poteris te occultare*, id est, te subducere, & oculos avertere, quasi non videas quæ vides. *Jonathan* in *Exodo* sic habet, *Si incidas in bovem inimici tui*, דסני ליה ואת בחובתא דאת ידע ביה בלחודך *quem oderis propter peccatum, quod tu solus in eo noveris.* Planè extra oleas. *Inimicus* enim is vocatur, qui nos odit, non quem ipsi odimus. Neque enim per Legem nobis licet quemquam odisse. *Pharisæorum* quidem hæc fuit doctrina, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: sed quam meritò refellit *Christus Matth.* 5. *v.* 43. Et causa odii sive publica, aut privata sit, sive nota omnibus, aut nobis solis; tamen tenemur huic Legi obsequi; quia quemvis inimicum pro fratre agno-

agnoscere debemus, & omnibus sinceræ charitatis officiis pro virili prosequi: ut, quantum fieri potest, bono malum vincamus juxta *Pauli* exhortationem *Rom.* 12. *v.* 21.

Ejusdem Legis consectarium est, quod sequitur *Deuter.* 22. *v.* 4. *Viso asino fratris tui, aut bove ejus in via lapsis, non ab eis te occultabis, sed unà cum illo eriges.* Pro *asino fratris tui* Syrus habet ܚܡܪܐ ܕܐܚܘܟ *Arabs* itidem, quem in *Suecia* vidi manuscriptum, حمار عدوك *asinum inimici tui.* Neque id aliunde sumptum, quam ex loco parallelo *Exod.* 23. *v.* 5. qui, quia est obscurissimus, obiter est explicandus. *Hebræa* sunt, כי תראה חמור שנאך רבץ תחת משאו וחדלת מעזב לו עזב תעזב עמו id est, ad verbum, *Cum videbis asinum inimici tui sub onere suo jacentem, desines à relinquendo ipsi: relinquendo relinques cum eo.* Quæ quia in speciem contraria sunt, *Desines,* seu *abstinebis ab asino sub onere jacente inimico tuo relinquendo:* &, *Asinum cum hoste tuo relinquendo relinques;* interpretes ut hæc concilient, in omnes partes se vertunt. Et veteres quidem, de verbis non multum sollicit, sat habuerunt sensum utcunque exprimere. In his *Hieronymus, Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo:* ut *Græci,* Οὐ παρελεύσῃ αὐτὸ (τὸ ὑποζύγιον) ἀλλὰ συναρεῖς αὐτὸ μετ' αὐτοῦ. *Complutensis,* ἀλλὰ συνεγερεῖς. Ita etiam *Cyrillus* lib. 8. *De Adoratione.* Unde Pseudo-*Phocylides* versu 132.

Κτῆνος δ' ἢν ἐχθροῖο πίσῃ καθ' ὁδὸν, συνέγειρε,

Jumentum inimici cùm per viam ceciderit, cum eo *simul excita.* Jonathan, משבוק תשבוק בההיא שעתא ית סנא דבלבבך עלוי ותפרוק ותטען עמיה *Dimittendo dimittes eo momento odium, quod est in corde tuo contra eum, & sublevabis, onerabisque cum eo.* Alii in postremo commate nonnisi alterutrum habent. Ita *Onkelos.* ותפרוק עמיה *& sublevabis cum eo.* Et *Syrus,* ܡܥܕܪܘ ܬܥܕܪ ܥܡܗ *sublevando sublevabis cum eo.* At *Samaritanus,* ࠏࠏࠏ *onerando onerabis cum eo.* Contra quam *Arabs Parisiis* editus, يجب ان تحط عنه حطا *Oportet, ut eum exonerando exoneres.* Et *Erpenianus,* معون تعون معه *Auxiliando auxiliaberis cum eo.* Nempe ex *Selomonis* sententia, cui עזיבה זו לשון עזרה *derelictio hic auxilium sonat.* Quod ut probet, affert exempla ex *Deut.* 33. *v.* 36. & *Nehem.* 3. *v.* 8. Sed quæ sunt planè extra rem, ut inspicienti patebit. Et præcedentia בתמיה, id est, *interrogativè,* sumens, totum locum ita exponit, *Cùm videbis asinum inimici tui sub onere jacẽtem, an desines illi auxiliari? Quin auxiliando auxiliaberis cum illo.* Quod sequuntur *Pagninus, Castalio, Ainsvvorthius,* & *Anglicana* versio. At *Kimchius* (quomodo supra *Jonathan,* & *Samaritanus*) *Asinum onerando onerabis cum eo,* id est, cum hoste, quem adjuvabis ad onus asino collapso, & erecto rursus, imponendum. Quasi עזב *relinquere* hoc loco sit *onerare,* quomodo sumi contendit *Job.* 10. *v.* 1. Sed perperam, ut docet *Mercerus* ad *Jobum.* Et *Aben Ezra* de suo multa inferciens, *Cave, ne id relinquas ipsi soli: sed vincula cum ipso solves, & onus sublevabis, ut hinc vel indecadat, & surgat asinus.* Unde Junius, *Si videris succumbentem,* &c. *dum abstines à deponendo onere illius, omnino deponito cum eo* onus. Munsterus, *Cessabis dimittere eum, relinquendo relinqueris cum eo.* At תעזב est *relinques,* non *relinqueris.* Mercerus, *Desines relinquere ei,* onus scilicet, id est, Non committes, ut ei onus relinquatur, ne oneri succumbat, *sed relinquendo relinques cum eo,* id est, rursus, eum adjuvans, illi onus impones. Ex qua interpretatione, ut cætera taceam, idem Verbum priore loco *exonerare,* posteriore *onerare* significabit. *Schindlerus, Deserendo deseres cum eo,* id est, rejectis aliis negotiis, sis cum eo. *Buxtorfius,* negatione de suo additâ, *Relinquendo* (non) *relinques cum eo.* *Deodatius* in *Italica* versione, *Del tutto fa con lui si che posse andar oltre,* id est, *Omnino ita fac cum eo, ut possit ire ulterius.* Et in *Gallica, Ne faus point a luy aider a le relever,* id est, *Cave, ne omnino non adsis ad asinum ejus erigendum.* Genevenses valde obscurè, *Tu te deporteras de le luy laisser la, tu le lauras seulement avec luy.* Ludovicus de Dieu, *Potius quam relinquas ei* (asino) supple *onus, sub quo jacet,* vel *relinquas cum* supple *sub onere, relinque potius omnino* litem, quæ *cum ipso* (hoste) tibi est. Vel, *Cùm videbis asinum osoris tui jacentem sub onere, cave, ne relinquas id ipsi. Relinquendone relinqueres cum ipso?* Id est, Cave, ne asino ejus relinquas onus, sub quo pressum eum vides. Vel sic, *relinquendo relinque cum ipso,* vel *apud ipsum;* id est, ubi sublevatus fuerit asinus, ne tu onus ejus tibi auferas, sed apud asinum relinque. Ex quorum collatione planum est, viros doctos, qui hunc locum attentant, in magnis versari angustiis. Neque verò id immeritò. Nam quidquid agatur, non puto ullum ex recepta lectione commodum sensum posse elici.

Sed videat peritus lector, annon sensui consulatur, si, *Masorethærum* distinctione neglecta, לו *lo,* per *Vau* vel sic legatur, vel sic reddatur, quasi esset לא per *Aleph.* Quo concesso, Lex de asino jacente sublevando sic habebit, *Cum videbis asinum inimici tui sub onere jacentem,* וחדלת מעזב לא עזב תעזב עמו *à relinquendo* (supple *illo*) *abstinebis. Cum eo* (supple, inimico, illum) *relinquendo non relinques.* Nempe, ut solus jacentem asinum quomodocunque erigat, quasi hoc ad te nihil attineret. Ita hæc duo commata idem dicent. Sed mandatum nostris affectibus tam oppositum ingeminare necesse fuit, ne illud mundani homines perfunctoriè legerent, & leviter præterirent. Commatum Scripturæ distinctionem, quam *Masoretha* observant, non semper eandem fuisse, cum alii probârunt, tum maximè *Capellus* ὁ μακαρίτης *Critica Sacra* libri quinti capite quarto. Et לו *lo,* per *Vau* sæpe occurrere pro לא *lo,* per *Aleph,* ut vicissim לא pro לו, idem probat multis exemplis ex Lege, & Prophetis, allatis ejusdem *Critica* libri tertii capite decimo. Itaque lectio, quam indicavimus, nihil supponit, quod non sit usitatissimum. Res eodem redibit, si sic legas, וחדלת מעזב לו לא עזב תעזב עמו *à relinquendo illi* (asinum sub onere jacentem) *abstinebis. Relinquendo,* inquam, *non relinques cum eo.* Particularum enim לו *lo,* per *Vau,* & לא *lo,* per *Aleph* se mutuò subsequentium, facilè potuit à scribis posterior præteriri, quia sunt sono planè similes. Potuit etiam sic legi, וחדלת מעזב לו עזור תעזור עמו *Et abstinebis ab* (asino jacente) *ipsi relinquendo:* asino potius *auxiliando auxiliaberis cum eo,* id est, cum inimico tuo. In qua lectione, pro vocibus עזב תעזב, haberetur עזור תעזור, *Beth* & *Res* permutatis. Quod non est sine exemplo. Nam in una & eadem historia de *Josaphato* legitur 1. *Reg.* 22. *v.* 32. ויסרו עליו *Et declinaverunt ad eum,* & 2. *Paral.* 18. *v.* 31. ויסבו עליו *Et circumdederunt eum.* Quomodo utrobique legisse *Græcos* Interpretes docet, quod utrobique reddunt, καὶ ἐκύκλωσαν αὐτόν. Sic *Ezech.* 2. *v.* 6. כי סרבים ab iisdem redduntur διότι παροιστρήσουσι, quia legerunt כי סררים: ut *Os.* 4. *v.* 16. כפרה סררה סרר, quod exponunt, ὡς δάμαλις παροιστρῶσα παρώστρησεν, de quo plura in capite *De Oestro.* Et *Amos* 6. *v.* 12. בבקרים, *in bobus,* reddunt ἐν θηλείαις, quasi legerint בנקבים, *Nun* pro *Beth,* & *Beth* pro *Res.* Accedit, quod ex עזור תעזור, per scribarum imperitiam, facilè fieri potuit עזב תעזב, quia immediatè præcedit לו מעזב. Neque est, quòd in hujusmodi conjecturas paratragœdiet Vir magnus, cujus pater, illi doctrinâ non inferior, *Græcos* Inter-

Interpretes conjicit *Amos.* 5, 25. pro כיון legisse ריון *ῥαφὰν*, litera כ infernè evanidâ. Tamen hæc pono, non statuo. Neque mihi tam *Suffenus* sum, ut non omnia mea peritiorum judicio libens submittam.

Deut. 22, 10. *Non arabis bove & asino simul.* Addit *Jonathan*, ובכל ברייתא בתרין זנין קטורין כחדא *neque ullis jumentis duarum specierum simul junctis.* Ita etiam intelligunt *Josephus* & *R. Selomo*. Alii cum *Maimonide* solùm hinc colligunt, mundum animal, qualis est bos, cum immundo, qualis est asinus, simul copulari non posse. Alii jungi debere negant, quia vires habent inæquales. Alii, quia bos ruminat, asinus autem non ruminat, & bovi ruminanti invidet, quasi pabulum, quo ipse caret, illi suppetat: tum verò

Invidus alterius rebus macrescit opimis.

Sed de hoc jam actum supra (f).

(f) Cap. 13. supra, pag. 187. n. 17. 18.

Deut. 25. v. 4. *Bovem triturantem non capistrabis.* Quod olim apud *Græcos*, & fortasse etiam apud alios, tam fuit usu receptum, ut inde natum sit Proverbium, de quo *Suidas*, & reliqui Parœmiographi, Βοῦς ἐπὶ σωρῷ, ἐπὶ τῶν ἀλοώντων, καὶ διὰ φιμοῦ ἐσθίειν κωλυομένων· *Bos in acervo, de bobus triturantibus, & qui per camum ab esu prohibentur.* Tamen, quia inhumanum videtur, ut in mediis frugibus bos, qui laborat, instar *Tantali*, observare cogatur esuriales ferias, Deus hanc Legem sanxit *Israëlitis*, *Bovem triturantem non capistrabis.* *Hebraicè* לא תחסום, & *Græcè* οὐ φιμώσεις, quod sequitur *Apostolus* 1. *Cor.* 9, 9. & 1. *Tim.* 5, 18. Nempe חסם, *Græcè* φιμοῦν, propriè est *os jumenti capistrare, nè edat, vel mordeat.* Et capistrum, quo id fit, *Hebraicè* מחסום, vel חסום, *Græcè* φιμὸς vocatur. Hinc *Ps.* 39, 2. *Symmachus*, φυλάξω τὸ στόμα μου φιμῷ, pro *Hebræis* אשמרה לפי מחסום. Et *Sirach.* 20, 29. *Munera, & dona,* ὡς φιμὸς ἐν στόματι, *ut capistrum in ore, avertunt reprehensiones.* *Talmudici* etiam in Tractatu *De Sabbatho* cap. 5. *Nè egrediatur vacca* (die Sabbathi) בחסום שבפיה *cum capistro, quod ori ejus inditur.* Ubi *Glossa*, שחוסמין אותה שלא תרעה בשדה *quo capistrant eam, ne pascatur in agro* Item, וכשמגיעין למקום מרעיתם נוטלין אותה הימנה *Et cum venerunt ad locum pascuus sui, hoc illi adimunt.* Hujusmodi capistris olim non solùm triturantes, sed & arantes boves capistrare moris erat. *Fiscellas* à figura *Romani* Scriptores appellant. Hinc *Cato*, *Rust.* cap. 54. *Boves fiscellas habere oportet, nè herbam sectentur, cum arabunt.* *Plinius* quoque jubet *boves fiscellis capistrari, nè germinum tenera præcerpant*, lib. 18. cap. 19. Alii collo jumentorum ligneam induebant machinam, qua ab esû prohiberentur. Quod servis quoque in pistrino molentibus factitatum esse legimus. *Græci* πανσικάπην vocabant. *Eustathius* in *Iliad.* 22. ex *Ælio Dionysio*, Πανσικάπη, μηχάνημά τι τροχῷ ἐμφερὲς, δι' οὗ τὸν τράχηλον διεῖργον τῶν ὑποζυγίων, ὥστε μὴ ἐσθίειν· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὥστε μὴ δύνασθαι τὰς χεῖρας τῷ στόματι προσάγειν. Paulicape, *machina quadam rotæ similis, per quam jumentorum collum trajiciebant, nè ederent: quomodo etiam hominum, ne manus ori admovere possent.* Unde πανσικάπη dicta, ὡς παύουσα τῆς κάπης, ἢ τοῦ κάπτειν, ὅ ἐστι τοῦ ἐσθίειν, *eò quod ab esu prohiberentur.* De eadem vide *Pollucem*, *Hesychium*, *Suidam*, &c. Alii hâc ipsa de causa ora boum fimo oblinebant. *Ælianus*, *Hist.* lib. 4. cap. 25 Ὅταν ἁλοητὸς ᾖ, καὶ στρέφωνται περὶ τὴν δίνην οἱ βόες, καὶ πεπλησμένη τῶν δραγμάτων ἡ ἅλως ᾖ, ὑπὲρ τοῦ τοὺς βοῦς μὴ ἀπογεύσασθαι τῶν σταχύων, βολίτῳ τὰς ῥῖνας ἐπιχρίουσιν αὐτῶν· *Cùm tritura tempus est, & boves in gyrum aguntur, & manipulis segetum plena est area, ne boves spicas comedant, nares eorum unguntur fimo bubulo.* Fuêre etiam, qui voce, aut alio metu, aut aculeo in ore indito, bovem ab esu absterrebant, aut admoto matri vitulo, aut potu diu illi denegato, ut bos siti laborans à cibo abhorreret. Alii segetes pellibus obtegebant, nè bos posset illas morsu attingere. Itaque in eorum censu, qui hujus Legis violatæ rei sunt, à *Maimonide* ponitur ישב לה קוץ בפיה ודש בה והרי אין אוכלת והרביץ לה ארי מבחוץ או שהרביץ בנה מבחוץ הרי שצמאה ואינו משקה אותה פרס עור על גבי הדיש כדי שלא תאכל *qui in ore bestiæ spinam ponit, cum ea triturat, ne comedat: aut qui facit, ut leo prope aream, aut vitulus ejus illi accubet: aut qui sitientem non potat: aut qui pelles extendit super trituram, ut ab esu prohibeat.* Denique כל המונע הבהמה מלאכול בשעת מלאכתה *quisquis jumentum ab esu prohibet, dum operi incumbit.* Addit; cum bove hic idem esse quodvis aliud animal, sive mundum, sive immundum. Et cum tritura hic idem esse כל מלאכות של גדולי קרקע *omnia opera, quæ ad proventum terræ pertinent.* Et triturantem bovem solùm adduci בהווה *exempli causâ.* Neque referre, utrum in ipso labore, aut ante laborem obligetur os bovis. Et pro obligatione haberi etiam quæ fit בקול *solâ voce*, cùm nempe quis clamore, & minis, bovem ab esu absterret. Et eum, qui jumentum conduxit, & eo capistrato triturat, præterquam quod vapulat, quia Dei legem violavit, debere jumenti domino pro bove quatuor cabos, & pro asino tres cabos, quos nimirum verissimile est illos fuisse esuros, nisi fuissent capistrati. Hæc & multò plura *Maimonides* in Tractatu שכירות *Sechiruth*, seu *De conductione*, capite ultimo. Scopus Legis est, ut justos sciamus nè bestias quidem suas negligere debere, multò minùs familiam, & egenos homines. Hinc *Solomon* Prov. 12, 10. *Justus etiam jumenti sui vitæ prospicit, sed impiorum viscera crudelia sunt.*

Leges, quæ arare vetant primogenito bovis, *Deut.* 15, 19. & de bove die octavo offerendo, & ejus quiete die Sabbathi, *Exod.* 22, 30. & 23, 12. ideo præterimus, quia sunt merè ceremoniales. *Christus* docet die Sabbathi licuisse bovem & asinum à præsepi solvere, & aquatum deducere. Et, si in puteum decidissent, illa ipsâ die potuisse extrahi, *Luc.* 13, 15. & 14, 5. Quomodo apud *Romanos Scævola*, consultus quid feriis agi liceret, respondit, *Quod prætermissum noceret.* quapropter, si bos in specum decidisset, eumque paterfamilias, adhibitis operis, liberâsset, non est visus ferias polluisse. Hæc *Macrobius Saturnalium* libri primi capite decimo sexto.

CAPUT QVADRAGESIMUM PRIMUM.

Similitudines à Bobus ductæ.

Somnium Pharaonis *de septem vaccis*, Gen. 41. יאר *propriè* Nili *διῶρυξ*. *Vacca* באחו in achu, *seu* carice. Ægyptiis *idem* ΑΧΙ, & Arabibus أخية achia. Græcus *Scholiastes notatus.* Hesychius *emendatus.* *Somnium* Archelai *simile somnio* Pharaonis. *Septem vaccæ, septem anni: ut in* Homero *novem passeres, novem anni; & duodecim* Romuli *vultures, tot sæcula.* *Bos, agriculturæ symbolum.* *Somnii* Pharaonis *reliqua explicantur.* *Septem annorum fertilitas, & fames miraculosa.* *Fames novennalis sub* Busiride *ab hac diversa.* *Quid de* Josepho Trogus, & Philo *Senior.* Deut. 33, 17. *primogenitis bovis decor aut* Josepho *tribuitur, aut tribubus ex eo natis.* *Primogenituræ jus partim in* Josephum *translatum.* Jud. 14, 18. Samson *non dicit* Philistæos *arâsse vitulam suam, id est,* Dalilam; *quod esset obscænius: sed arâsse cum ea; quia illius operâ arcanum suum rimati fuerant.* Job. 6. v. 8. An

mugit bos juxta pabulum? *Ità* Job *non querebatur, quamdiu bonis abundabat.* Job. 40, 15. Herbam ut bos comedit, *ut* Eſ. 11, 7. *&* Dan 4, 29. *Obiter explicantur duo loca* Sirachidis *obſcuriſſima.* Pſ. 22, 12. *cum tauris, iisque* Baſanis, *conferuntur homines ſtolidè feroces, qui alios tanquam cornibus impetunt. Eadem Metaphora alibi frequens. Tauri duces armenti.* Pſ. 29. 5. 6. *Cedri ad Dei vocem* ut vitulus exiliunt. Prov. 7, 22. *Juvenis, ab adultera ſeductus, ut bos, qui ducitur ad lanienam.* Eſ. 1, 3. *Bovi, qui poſſeſſorem agnovit, quàm diſſimilis* Iſraël. Eſ. 11, 6. 7. *Vitulus & leo, vacca & urſa ſimul, id eſt, Gentes cum* Judæis *in eadem Eccleſia.* Eſ. 15, 5. Cor meum clamat ut vitula triennis, *quæ tauro vocatior eſt, eâ ætate imprimis.* Jerem. 31, 18. Caſtigatus fui ut vitulus nondum edoctus, *qui pluribus plagis ad jugum ferendum inſtituitur.* Jer. 46, 20. Vitula ſpecioſiſſima Ægyptus: *cur* Syrus picturatam *reddat. Verſu ſequenti* Ægyptii *milites ut* vituli מרבק marbek, *&* Jerem. 50, verſ. 11. pingues ut vitula triturans. *Idem de juſtis* Malach. 4. 2. *Quatuor animalia ſpecie bovis, &c.* Ezech. 1, 7. 10. *&* Apoc. 4, 7. *An* Cherub *formà vituli, &* Aaron *vitulum faciens idreſpexerit. Vox* cherub *quid ſignificet.* Oſ. 4, 16. ut juvenca refractaria, refractarius Iſraël. *Quid ſit* paſci in loco ſpatioſo. *Boves refractaris cervicem, & humeros, quantum poſſunt, jugo ſubducunt: ita* Iſraël. *Oſ.* 10, 11. Ephraim vitula edocta, & amans triturare. *Cur dicatur Deus* tranſiviſſe ſuper collum ejus. *Oſ.* 14, 2. *quomodo Deus auferat omnem iniquitatem, & accipiat bonum. Ibidem, quid ſit* reddere juvencos, *aut* fructus labiorum. Καρπὸς *pro* oblatione. *Amos* 6, 12. Quis arabit bobus? *nempe in petra. Cur* bubalos *ſubſtituat* Hieronymus: *&* Græci *quomodo legerint. Paſtores* currere *dicuntur, & eorum labor agriculturæ genus.* 1. Cor. 9, 9. *ad paſtores refertur Lex, quæ bovem triturantem capiſtrare vetat. Cur neget* Paulus *boves Deo eſſe curæ. Eadem ferè verba uſurpant* Philo *&* R. Menachem.

Quia non multum refert quo ordine referantur ſimilitudines à bobus ductæ, nos ſimpliciter ſequemur Sacrorum Scriptorum ordinem, ſolùm iis ſimul junctis, quæ ſæpiùs recurrunt. In his primò ſe offert *Pharaonis* ſomnium de vaccis, quæ vel fertilitatis, vel famis annos referebant. Illud ſic refert *Moſes* Gen. 41. Pharao *in ſomnis ſibi viſus eſt ſtare ad flumen. Et ecce ex flumine aſcenderunt ſeptem vaccæ pulchræ aſpectu, & pingues carne, quæ paſcebantur in carice. Ecce item ſeptem aliæ vaccæ aſcenderunt poſt eas ex eodem flumine, turpes aſpectu, & tenues carne, quæ ſteterunt juxta vaccas illas ad ripam fluminis, & devoraverunt vaccæ illæ turpes aſpectu, & tenues carne, ſeptem vaccas pulchras aſpectu, & pingues.* Flumen illud eſt *Nilus*. Proinde *Arabica* verſio in majoribus *Bibliis* pro *flumine* ubique habet النيل *Nilum. Hebræum* nomen היאר, non tam *flumen* ſonat, quam διώρυγα, *rivum*, ſeu *alveum ex flumine deductum*, quales ex *Nilo* multos deduci nemo eſt, qui neſciat. Vaccæ pulchræ, & pingues, quæ indè emerſerunt, paſcebantur in carice, *Hebraicè* באחו *in achu.* Ut *Job.* 8, 11. *An adoleſcet juncus abſque cæno*, aut *creſcet* אחו *achu* (id eſt, *carex*) *ſine aqua?* Alibi non occurrit. Sed *Ægyptiis*, ut putant, id ipſum fuit *achi*. Hinc *Sirachides*, qui in *Ægypto* ſcripſit, *Eccleſ.* 40. verſu 16. Ἄχι ἐπὶ παντὸς ὕδατος, καὶ χείλους ποταμοῦ. Et *Septuaginta* de vaccis *Gen.* 41. *verſ.* 2. 18. Ἐνέμοντο ἐν τῷ ἄχι. Et *Eſ.* 19, 7. τὸ ἄχι τὸ χλωρὸν πᾶν τὸ κύκλῳ τοῦ ποταμοῦ· ubi tamen *Hebraicè* non eſt, אחו, ſed ערות. Et ad hunc locum *Hieronymus*, *Audivi ab Ægyptiis hoc nomine lingua eorum omne, quod in palude virens naſcitur, appellari.* Etiam *Arabicè* اخيذ *achia*, & Plur. اواخي *avvachi* in *Giauhari* dicuntur اسباب ترعي *res paſcuales*. Et in *Græco Scholiaſte* in *Geneſin*, Ἄχος ἐστὶ τὸ λεπτὸν, καὶ βοτανῶδες φυτάριον, Achos *tenuis, & herboſa planta eſt.* Sed ἄχος perperam habetur pro indeclinabili ἄχι. Et in *Heſychio*, pro Ἀχιοπὸ, ἢ χόρτῳ, χλωρῷ legendum, Ἄχι, πόα, ἢ χόρτος χλωρός.

Pharao in ſomnii narratione hoc ſolùm addit, ſeptem vaccas deformes, poſtquam ſeptem pingues devoràſſent, & in viſcera demiſiſſent, id non apparuiſſe; quia, illis abſumptis, tam turpes, & macræ fuerint quàm priùs. Somnio de ſeptem bobus ſimile fuit alterum de ſeptem ſpicis plenis, & pulchris, quas vorârunt ſeptem tenues. Et ex utroque conflatum ſomnium *Archelai Judææ* Regis, de quo *Matth.* 2, 22. Is enim, ut refert *Joſephus* ſub finem libri decimi ſeptimi, ſomniavit ſe videre decem ſpicas maturas, & tritico plenas, à bobus abſumi. Et ſomnii interpres, *Simon Eſſæus*, indè collegit, eum non victurum ſupra decem annos, & rerum fore mutationem; quia bos terram invertit: cui prædictioni reſpondit eventus. At *Pharao* de ſomniis ſuis cum ariolos & conjectores fruſtrà conſuluiſſet, *Joſephus* advocatus ſibi nihil arrogavit: ſed *Deus*, inquit, *ſine me ſalutaria* Pharaoni *reſpondebit*. Ut *Daniel Nebucadnetſari* Dan. 2, 28. *Profectò eſt Deus in cœlo, qui revelat arcana.* Deinde, ad ſomniorum Regis interpretationem ſe accingens, docet utrumque ſomnium idem ſignificare, nempe ſeptem annos ubertatis, & ſeptem ſterilitatis. Sed, ut de ſpicis jam taceamus, etiam in auguriis voluêre veteres per aves annos deſignari. Sic, *Græcis Trojam* obſidentibus, cùm draco octo paſſerculos cum ipſa matre devoràſſet, *Calchas* Augur dixiſſe fertur *Iliad.* β.

Ὡς οὗτος κατὰ τέκν' ἔφαγε στρουθοῖο, καὶ αὐτὴν,
Ὀκτὼ, ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα·
Ὣς ἡμεῖς τοσσαῦτ' ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι.

Quæ *Tullius* ita reddidit libro ſecundo *De Divinatione*,

Nam quot aves retrò mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam *belli exantlabimus annos.*

Ut ex duodecim vulturibus à *Romulo* viſis *Varro* apud *Cenſorinum* refert *Vettium* Augurem collegiſſe *Romanorum* imperium à tempore urbis conditæ ad mille & ducentos annos perventurum, id eſt, ad ſæcula duodecim: quod ipſo eventu comprobatum eſt. Ita igitur *Pharaoni* boum numero Deus annorum numerum ſignificavit. Præterea, quia boum opera coluntur agri, in *Ægyptiorum* Hieroglyphicis, ut *Clemens* auctor eſt libro quinto *Stromatum*, γῆς τε αὐτῆς, καὶ γεωργίας, καὶ τροφῆς σύμβολον ὁ βοῦς, *terræ ipſius, & agriculturæ, & cibi bos ſymbolum eſt.* Boum igitur pinguedine fertilitas, & macie fames optimè eſt adumbrata. Nec fruſtrà macræ boves ſeptem *Pharaoni* viſæ ſunt totidem opimas devoràſſe, cum ſeptem annorum ubertatem conſumpſerit ſeptem ſequentium ſterilitas. Hoc quoque obſervandum, macras boves, pinguibus deglutitis, nihilò fuiſſe obeſiores, atque habitiores. Id enim in fame ſæpe accidit, ut homines quamlibet voraces, nunquam tamen exſatientur; quia Deus frangit baculum panis, id eſt, ſuſtentandi vim ei adimit. Quò faciunt minæ Legis, *Levit.* 26, 26. *Frangam vobis baculum panis, & comedetis, nec ſaturabimini.* Vide & *Oſ.* 4, 10. *Mich.* 6, 14. *Agg.* 1, 6. &c. Neque omittendum, tam pingues, quàm macras boves ex *Nilo* aſcendiſſe; quia, cum in *Ægypto* vix pluat, *Nilus Ægyptiis* tam copiæ, quàm inopiæ ſolus auctor eſt, prout magis aut minus creſcit. Si enim ſolùm ad duodecimum, aut infra duodecimum cubitum

tum exundet *Nilus*, regio fame premitur; quia pauci agri rigantur. At, cum excedit aliquot cubitis, ubertas magna sequitur. *Plinius* libri quinti capite decimo nono, *In duodecim cubitis famem sentit* (Ægyptus) *in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sexdecim delicias. Maximum incrementum fuit ad hoc ævi cubitorum decem & octo*, Claudio *Principe. Minimum quinque*, Pharsalico *bello*; *velut necem* Magni, *prodigio quodam, flumine aversante.* Verissimile igitur est per septem annos fertilitatis *Nilum* ultra solitum exundâsse. Et contra, per annos famis, aut intra limites suos se continuisse prorsus, aut eos parùm excessisse. Quod Naturæ non tribuerim, sed miraculo. Ita enim suadent *Josephi* verba *Gen.* 41, 28. *Deus ostendit* Pharaoni *quod facturus est.* Quippe, utut Naturæ opera Deo etiam tribuantur, tamen extraordinaria virtus his videtur significari. Quin ipsa visio satis docuerat aliquid hic futurum præter Naturam. Neque enim bovi naturale est, ut alter alterum voret. Quidam ad hanc famem referunt quod in *Ovidio* legitur libro primo *De Arte*,

> *Dicitur* Ægyptus *caruisse juvantibus arva*
> *Imbribus, atque annis sicca fuisse novem:*
> *Cum* Thrasius Busirin *adit, monstratque piari*
> *Hospitis effuso sanguine posse* Jovem.

Sed non convenit annorum numerus. Nam fames sub *Busiride* novem annorum fuit; sub *Josepho* nonnisi septem. Et *Busiris* in *Ægypto* diu post *Josephum* regnavit, *Mose* jam sene. Proinde illum *Isocrates* solùm ducentis annis facit *Perseo* vetustiorem, cùm annis ferè quadringentis ante natum *Perseum Josephus Pharaonis* somnium explicaverit. Sed rei tantæ testes externos qui desiderat, *Trogum* legat libro trigesimo sexto, ubi de *Josepho* hæc habet; *Minimusque inter fratres ætate* Joseph *fuit. Cujus excellens ingenium veriti fratres, clàm interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in* Ægyptum, *cùm Magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, brevi ipsi Regi percharus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit: nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur. Adeò ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit: periissetque omnis* Ægyptus *fame, nisi monitu ejus Rex edicto servari per multos annos fruges jussisset: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur.* Neminem turbet, quòd Magicis artibus *Josephum* id præstitisse vult, quod Deo revelante didicerat. Neque enim aliud potuit venire in mentem *Ethnici* hominis, & veri Dei cognitione destituti. Eodem pertinent hæc *Philonis* apud *Eusebium* libro nono *Preparationis*,

> Ἰακὼβ εὐτέκνοιο τόκος Ἰωσὴφ, ὃς ὀνείρων
> Θεσπιστὴς, σκηπτοῦχος ἐν Αἰγύπτοιο θρόνοισι,
> Δινεύσας λαθραῖα χρόνου πλημμύρεσι μοίρης·

Jacobi *liberis beati proles* Josephus, *qui somniorum interpres fuit, sceptriger in* Ægypti *soliis, occulta temporis reciproco fati æstu versans.* *Philonem* intellige, non *Byblium*, neque *Alexandrinum*, sed alium utroque vetustiorem, quem de rebus *Judaicis* citant *Josephus* libro primo contra *Apionem*, & *Clemens* primo *Stromatum*. Itaque is à *Josepho* vocatur Φίλων ὁ πρεσβύτερος, *Philo senior*.

Dubitatur, an de *Josephi* persona, vel de tribubus ab illo oriundis dixerit *Moses* Deut. 33, 17. *Primogeniti bovis decor illi est.* Si prius, videbitur *Josephus* à forma commendari: ut re vera fuit formæ venustate insignis, *Gen.* 39, 6; qualis fuerat mater, *Gen.* 29, 17. Deo volente, ut non solùm animi, sed & corporis dotibus præ reliquis emineret, quo Regis, & Magnatum benevolentiam sibi faciliùs conciliaret. Nam illud *Poeta* verissimum est,

> *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

Interim hæc ipsa forma fuisset ipsi exitiosa, nisi providisset Deus, cùm egregius ille juvencus ab hera sua, tanquam lasciviente vaccâ, ad stuprum appetitus est. Addunt, *Josephum* conferri cum bove non immeritò; quia in agricultura bos homini cooperatur: *Josephus* autem, ut bonus agricola, prospexerat, nè panis *Ægyptiis* famis tempore deesset: atque inde esse, quod bovis simulachrum ejus sepulchro imposuerunt, adeoque ipsum in *Apide* bove coluerunt. Sed suprà (*) probavimus hæc falsa esse, vel incerta. *) *Cap.* 34. *supra p.* 337. 338 Et verò *Prophetæ* verba non tam ad *Josephum* pertinent, quàm ad tribus ex illo ortas. Quod sequentia palàm docent, ubi hæc verba referuntur ad myriades *Ephraim*, & chiliades *Manasse*. His igitur tribuit *Moses* primogeniti bovis, id est, tauri decorem, seu gloriam. Nam הדר non solùm *decorem*, sed & *gloriam* sonat. Tauri autem gloria præcipua est ex robore, quod in his tribubus tantum fuit, ut semper firmissimum fuerint regni *Israelitici* columen. Ex tribu *Ephraim* ortus est *Josue* primus *Judicum*, & *Jeroboam* primus Regum post divortium decem tribuum. Indidem *Nadab*, *Sallum*, *Pekach*, *Menahem*, *Pekachia*, *Hoseas*, totidem Reges. Sed & in tribu *Manasse*, *Jair*, *Jephthe*, & *Gedeon* inter populi Judices magnum nomen consequuti sunt. Si roges, cur *Josephus* non solùm cum *tauro* conferatur, sed & cum *bovis primogenito*, responsio est in promptu. Primogenituræ jus, quo propter incestum excidit *Ruben*, in *Josephum* ex parte translatum est 1. *Paral.* 5, 1. 2. ac proinde in terra *Chanaan* obtigit illi duplex portio.

Jud. 14, 18. *Philistæis* dicit *Samson*, qui ænigma ejus aperuerant, *Nisi arâssetis vitula mea, ænigma meum non invenissetis. Vitulâ*, id est, *uxore*, quæ viro id est, quod tauro vitula, aut juvenca. Itaque δάμαρ *uxor*, & δάμαλις *juvenca*, sunt voces ejusdem originis. Utraque enim est à δαμάω. Atque hoc quidem satis planum est. Sed quorsum *Philistæos* suâ vitulâ *Samson* arâsse dixerit, non est ita obvium. *R. Levi*, *arandi* verbo sensum obscœnum tribuens, *Samson*, inquit, *hoc dixit, ut doceret se suspicari* שאשתו זנתה עם אחד מהם *uxorem suam scortatam esse cum uno ex illis; cui ideò ænigmatis expositionem indicâsset, illum autem aliis urbis incolis significâsse.* Neque infrequens est hæc Metaphora. Ità enim *Theognis* versu 579.

> Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρα τε μάργον,
> Ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀρῦν·

Vagam odi mulierem, & virum procacem, qui alienum vult arvum arare. Et *Plautus* alicubi de homine adultero,

> *Fundum alienum arat, suum incultum deserit.*

Et *Virgilius* libro tertio *Georgic.*

> - - - - *nimio nè luxu obtusior usus*
> *Sit genitali arvo, sulcosque oblimet inertes.*

Proinde in *Græca* versione, pro lectione vulgò recepta, Εἰ μὴ ἠροτριάσατε ἐν τῇ δαμάλει μου, *Complutensis* editio habet. Εἰ μὴ κατεδαμάσατε τὴν δάμαλίν μου, *Nisi subegissetis juvencam meam.* Quâ eâdem mente *Syrus* Interpres, ܐܠܘܠܐ ܦܬܝܬܘܢ ܠܥܓܠܬܝ *Nisi seduxissetis vitulam meam.* Ut *Exod.* 22. *v.* 16. idem *Syrus*, ܘܟܕ ܢܛܥܐ *Et cum seduxerit vir virginem:* & *Onkelos* ibidem, וארי ישדי— *Et si seduxerit*, &c. Quasi non fuerit verissimile, uxorem tam grande viri sui arcanum aliter, quam per stuprum aperuisse. Nec desunt è recentioribus qui hoc sequantur. At obstat, quod *Hebræa* non habent, *Nisi arâssetis* עגלתי *vitulam meam*, sed *Nisi arâssetis* בעגלתי *vitulâ meâ*: quæ non parùm differunt. Itaque *Philistæi Samsonis* vitulam arâsse non dicuntur, sed eâ ad arandum usi. Et *arare* hic est *rimari*; quod aratorum verbum est, qui ter-

ram aratro, & rastro rimantur. Unde *Poëta* libro tertio *Georgic.*

Ergo agri rastris terram rimantur. - - -

Rimantur, id est, in rimas agunt; inquit *Servius.* Hinc, ad arcana translatum, *rimari* est *perscrutari*, & *perquirere*. Huc pertinet, quod *Samsonis* verba *Chaldæus* ita reddit, אילולפון בקרתון באיתתי *Nisi per uxorem meam rimati*, aut *perscrutati essetis*, ut aratores arvum, bovis arantis opera, rimantur, & scrutantur. Cùm nempe *Samsonis* arcanum esset quasi sub terra latens, uxoris operâ illud eruerunt, & in lucem eduxerunt.

Job. 6, 5. *Nunquid rudit onager juxta herbam? An mugit bos juxta pabulum suum?* Mirabantur amici *Jobi*, virum, alios erudire, & consolari solitum, nunc ejulare, & de sua sorte tam graviter conqueri. Respondet is, anteà non fuisse cur ejularet, ductâ similitudine à mutis animantibus, quæ clamare non solent, cùm habent cibos sibi necessarios. *Drusius*, Ταῦτα δὲ φησὶν ὁ δίκαιος, ὅτι, ὥς οὐ μάτην ὀγκᾶται ὁ ὄνος, ἢ βοῦς, ἀλλ' ὅταν ἐπιλείπῃ τὰ βρώματα· οὕτως οὐδ' ἐγὼ ἠθύμουν, εἰ μὴ πρὸς ἔσχατον ἐληλάκειν κακῶν. *Hoc autem justus dicit, Ut non frustrà vociferatur asinus, aut bos, sed cùm alimentum defuerit: ità nec ego animo conciderem, nisi ad extremitatem malorum devenissem.* Similis locus *Joel.* 1, 20. ex communi interpretatione, *Etiam bestiæ agrestes clamant ad te, propterea quòd exaruerunt alvei aquæ.* De qua dicetur alibi.

Job. 6. 15. legitur de *Behemoth*, qui aliis est *elephas*, nobis *hippopotamus*; *Herbam, ut bos, comedit.* Et *Es.* 11, 7. *Leo herbam, ut bos, comedit.* Et *Dan.* 4, 29. *Nebucadnetsari* dicitur, *Herbâ, ut boves, te cibabunt.* Et versu statim sequenti, *Herbam, ut boves, comedit.* Utut enim herbâ vescantur multa animalia: tamen ab isto solo ducitur similitudo; quia in domestico pecore, propter molem corporis, maximè omnium est ποηφάγον. His videbitur posse jungi quod habet *Græca versio Es.* 5. 17. Καὶ βοσκηθήσονται οἱ διηρπασμένοι ὡς ταῦροι, *Et pascentur direpti ut tauri.* Sed in *Hebræo* textu planè aliter legitur ורעו כבשים כדברם *Et pascentur agni juxta morem suum.* Pro quo *Græcos* legisse putaverim ורעו נבזים כפרים. Miror neminem vidisse hactenus ad hunc *Græcæ* versionis locum alludere *Sirachidem*, cum dicit *Eccles.* 6, 2. Μὴ ἐπάρῃς σεαυτὸν ἐν βουλῇ ψυχῆς σου, ἵνα μὴ διαρπαγῇ ὡς ταῦρος ἡ ψυχή σου· *Ne te ipsum extollas ob consilium animæ tuæ, ne diripiatur ut taurus anima tua.* In quibus verbis meritò quærunt interpretes quid sit *diripi ut taurum*, cum taurus non diripiatur, sed magis diripiat. Proinde hic exclamat *Drusius*, *Inepta comparatio!* & suspicatur in *Hebræo* fuisse כתור *ut turtur*, vel כטור *ut mons Taurus*: vel *nè diripiatur, ut taurus, anima tua*, idem esse, quod *nè diripiatur velut à tauro vita tua*: vel denique verbum ὡς ταῦρος, aut totum hoc hemistichium, merum esse Glossema; quia in *Aldi* & *Basiliensi* editione desideratur. *Syrum* tamen, *Arabem*, & *Vulgatum* Interpretem illud legisse apparet, quamvis aliter atque aliter exponant. Sed quidquid objicitur facile erit solvere, si observemus *tauri* nomen non rarò sumi pro *bove* in genere; ut in vulgato versu,

Ἵπποι μὲν σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν,
Equi vesparum ortus, tauri autem apum.

Et apud *Poetam*,

Pingue solum primis extemplo à mensibus anni
Fortes invertant tauri. - - - -

Nempe *Hebræum* שור *sor* (unde *Chaldaicum* תור *thor*, *Arabicum* ثور *thaur*, Ægyptium ΑΘΥΡ, & *Græcum* ταῦρος) sumitur in genere pro *bove*: quomodo *taurum* si sumas in loco *Sirachidis*, nulla erit difficultas, quia bos quotidie διαρπάζεται, id est, *diripitur*, & *discerpitur*, cum ducitur in lanienam, *Prov.* 7, 22. Nec sine causa dixit *Sirachides*, διαρπαγῇ ὡς ταῦρος, potiùs quàm διαρπαγῇ ὡς βοῦς. Mihi enim alludere ad locum, quem diximus, βοσκηθήσονται οἱ διηρπασμένοι ὡς ταῦροι. In quo tamen voces ὡς ταῦροι non cohærent cum proxima διηρπασμένοι, sed cum βοσκηθήσονται, ut sensus sit, fore, ut qui direpti fuerant jam liberè pascantur ut tauri.

Libet obiter alium exponere ejusdem *Sirachidis* locum de bove, quem puto non intelligi. *Eccles.* 26, 7. sic habetur, Βοοζύγιον σαλευόμενον, γυνὴ πονηρά· *Jugum boum motum est uxor mala.* Quorum verborum volunt hanc esse mentem, conjugium viri cum mala uxore esse instar boum discordium sub uno jugo, qui in diversa feruntur, ac proinde multa movent, nihil promovent. Atqui βοοζύγιον σαλευόμενον non significat jugum boum, qui in diversa feruntur, sed simpliciter qui moventur. Et cum tali jugo non confertur conjugium, sed mala uxor. Fallor, aut *Sirach Hebraicè* scripserat מוט צמד הבקר אשה רע quod *Sirachides* reddidit, Βοοζύγιον σαλευόμενον, γυνὴ πονηρά· quia מוט Verbum idem est; quod σαλεύεσθαι, & in *Græca* versione vigesies minimùm sic exponitur. Sed & מוט Nomen pro *jugo* aliquoties occurrit. Itaque verba quæ diximus, sic erant exponenda, *Jugum paris boum est mala uxor*, sensu apertissimo. Significatur enim viro malam uxorem tam esse gravem, & molestam, quam jugum boum collo impositum.

Cum dicit *David* Ps. 22, 12. *Circumdant me juvenci multi, robusti tauri Basanis me circumcingunt*, paucis verbis, sed gravissimis, hostium in se insurgentium furorem, & potentiam exaggerat. Primò enim à multis se solum oppugnari queritur: ut *Psal.* 3. v. 2. *Domine, quam multi sunt hostes mei, quàm multi insurgunt contra me!* & *Psal.* 56, 3. *Multi me oppugnant, O excelse.* Secundo, à juvencis, & tauris se queritur impeti. Quo nomine Sacri Scriptores sæpe intelligunt homines stolidè feroces, quique virium fiduciâ obvios quosque obterunt, & tanquam cornibus impetunt, imprimisque tenuioribus crudeliter insultant. Tertiò, tauros illos vocat אבירי בשן *robustos tauros Basanis*; quasi dicat, eos non esse vulgares tauros, sed tauros robustissimos, eosque è *Basane*, regione fertilissimâ, in qua ut giganteâ staturâ homines, putâ *Og* Rex *Basanis*, ita boves etiam fuisse dicuntur habitiores, obesiores, majorisque molis, & virium. Proinde *Septuaginta* πίονας vocant, *Aquila* λιπαρούς, *Symmachus* hic σιτιστούς, & ἰσχυροὺς *Amos* 4, 1. Alius παμμεγέθεις. Denique addit ab iis se circumdari, & circumcingi, ità ut nullus sit effugio locus. Similia loca multa sunt: ut *Psal.* 68, 31. ubi Deum *David* ita compellat, *Increpa congregationem taurorum, cum vitulis populorum*; duces *taurorum*, & plebem nomine *vitulorum* significans. *Græci* maluerunt συναγωγὴ τῶν ταύρων ἐν (vel σὺν) ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν, *congregationem taurorum, cum vaccis populorum*, quasi tauri non tam vitulorum, quàm vaccarum gregis sint duces. Nam vituli sequuntur matres, sed matres virum armenti, id est, taurum. Unde *Poëta* libro duodecimo *Æneidos*,

Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri,
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Quod sic imitatur *Statius* libro quinto *Thebaidos*,

Sic ubi ductorem trepida, stabulique maritum,
Quem penes & saltus, & adulta gloria gentis,
Massylo frangi stupuêre sub hoste juvencæ.

Et libro undecimo,

- - - - *magnâ stat fervidus irâ*
Ante gregem, spumisque animos ingentibus effert,
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aëra findens.
Horret ager, trepidæque expectant prælia vaccæ.

At

At mysticos illos tauros, quamlibet terribiles, non solum increpat Deus, sed & prorsus exscindit. Quò pertinent minæ illæ in *Idumæorum* potentissimos *Esa.* 34. *v.* 6. 7. *Gladius Domini implebitur sanguine, pinguefiet adipe*, &c. *Descendent juvenci cum tauris; & inebriabitur terra eorum sanguine, pulvisq́, eorum adipe pinguefiet.* Et in *Babylonios* Jerem. 50. v. 27. *Gladio tollite omnes juvencos ejus, descendent ad mactationem.* Et in populos *Gog*, & *Magog*, ad *Israelem* Ezech. 39. v. 18. 19. *Carnem potentum comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis; arietum, agnorum, hircorum, juvencorum, pinguium* Basanis *omnium. Comedetis adipem ad satietatem, & bibetis sanguinem ad ebrietatem*, &c. Sic, *Philostrati* libri sexti capite decimo quarto *Apollonius*, *Titi* Imperatoris collum demulcens, dixit, Τίς βιάσεται ταῦρον, αὐχένα οὕτω καρτερὸν, ὑποσχεῖν ζυγῷ; *Quis tam valida cervice taurum jugum subire cogeret?* Unde *Romanis* Principibus hanc appellationem non displicuisse colligas.

Psal. 29. v. 5. 6. *Vox Domini confringit cedros*, &c. *facit, ut exsiliant sicut vitulus.* Non quo sensu dicit *Poeta* ad *Sileni* cantum

- - - - *rigidas motare cacumina quercus.*

Ad quæ verba *Servius*, *Quasi genus saltationis vult esse in arboribus cacuminum motum.* Ibi enim agitur de tripudio, seu saltatione ad modum rhythmi, & cantilenæ. At in *Psalmo* de subsultatione ex metu, qualem Poetica Hyperbole cedris, atque ipsi *Libano* tribuit Divinus *Psaltes*; quasi terrificus tonitruum fragor non solùm celsas arbores, sed & montes excelsissimos à radicibus suis convellat, atque subvertat. Vide *Psal.* 114. *v.* 4. 6. Sed de hoc loco supra (*a*) jam actum.

a) Cap. 29. pag. 288. lin. 36.

Prov. 7. *v.* 22. Juvenis, qui adulteræ artibus patitur se allici, confertur cum bove, qui inscius ducitur ad lanienam; quia similis est in utroq; stupor, & par utrobique periculum. Quippe, ut bobus laniena, ita domus adulteræ juvenibus funesta, & exitiosa est. Id profana historia *Paridis*, & sacra *Davidis* exemplo docet, cui dicit Deus 2. *Sam.* 12. *v.* 10. *Non amovebitur gladius à domo tua usque in seculum, eò quòd, me insuper habito, rapuisti uxorem Uriæ.* Itaque, sub finem capitis, scribit *Solomon*, *Multos confossos dejecit, & numerosi sunt omnes ab illa interfecti. Viæ inferi sunt ejus ædes, quibus descenditur ad penetralia mortis.* In quam mentem *Horatius* libro 1. *Sat.* 2.

Audire est operæ pretium, procedere rectè
Qui mœchis non vultis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara cadat dura inter sæpe pericla.
Hic se præcipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem cæsus: fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos.

Cætera ibi vide.

Esa. 1. v. 3. *Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: sed* Israel *non agnoscit, populus meus non animadvertit.* David *Psal.* 49. *v.* 21. dicit, *Hominem, qui in honore est, neq́, intelligit, similem esse jumentis, quæ intereunt*: at hic *Esaias* hujusmodi homines deprimit infra bestias, easque stupidissimas. Bubus enim, & asinis, vix quidquam est stupidius. Tamen possessorem suum agnoscunt, & præsepe domini sui, à quo aluntur, non in suum, sed in illius bonum; nec filiorum loco habentur, sed jumentorum, nec evehuntur ad dignitatum fastigia, sed gravantur magnis & quotidianis laboribus; dum *Israelitæ*, ex mera Dei gratia electi, & in filios adoptati, & ad summos honores evecti, Dominum Deum suum non agnoscebant, & ejus mandata, quamlibet æqua, & justa susque deque habebant. Vide locum similem *Jerem.* 8. *v.* 7.

Esa. 11. v. 6. 7. *Vitulus & leunculus simul erunt, & vacca & ursa simul pascent, & unà cubabunt catuli earum.* Non, ut *Hebræorum* nonnulli volunt apud *Kimchium*, כי בימות המשיח יוחלפו טבעי החיות והבהמות *quia in diebus* Messiæ *mutabuntur natura ferarum, & pecudum*: quin, ut alii meliùs, כל זה משל *hæc omnia dicuntur per Parabolam.* Et *ferarum* nomine vel Gentes intelliguntur ad *Christum* convertendæ; vel violenti homines, qui per vim spiritûs *Christi* mitescent, & mansueti fient.

Esa. 15. v. 5. *Cor meum propter* Moab *clamat, propter fugitivos ejus usq́, ad* Tsoar, *sicut vitula triennis.* Quia in hoc *Propheta* versu voces intercisæ sunt, nec sensus constare potest, nisi quædam suppleantur, verum hujus sensum exsculpere difficile est. Tamen versio, quam attulimus, videtur esse vero proxima. Patet ex toto contextu agi de *Moabitide*, à *Salmanassare* triennio post miserum in modum devastandâ. *Propheta* igitur, futuræ cladis misericordiâ commotus, *Cor meum*, inquit, *propter* Moabum *clamat. Cor meum clamat*, id est, *Ego clamo*: ut in *Ennio*,

- - - - - (b) *quem credidit esse meum cor*, id est, *quem ego credidi.* Prophetas enim non solùm Ecclesiæ, sed & vicinarum gentium mala graviter afficiebant, & ad gemitus provocabant. Proinde exclamat idem *Propheta* capitis sequentis versu undecimo, *Viscera mea propter* Moabum, *sanquam cithara, perstrepunt; & interanea mea propter* Kircheres. Vide & *Esa.* 21. *v.* 3. *Jer.* 47. *v.* 6. & 48. *v.* 36.

b) Ap. Gellium lib. 7. cap. 2.

Propter fugitivos ejus usq́, ad Tsoar] quæ erat *Moabitarum* extrema urbs versus *Judæam*.

Sicut vitula triennis] Hæc jungenda cum initio versus hoc ordine, *Cor meum clamat*, id est, *Ego clamo sicut vitula triennis.* Quod colligere est ex loco parallelo *Jer.* 48. *v.* 34. *Edent vocem suam à* Tsoare *usq́, ad* Horonajim, *sicut vitula triennis.* Et cum natura bovis rectè convenit, qui ab *Homero* vocatur ἐρίμυκος, id est, μεγαλόφωνος, *magnæ, & contentæ vocis.* Itaque vel *à boatu bos* dicitur, vel *boatus à bove*, tam *Græcis*, quam *Romanis*. Et *Propheta* fœminæ potiùs, quàm maris meminit; quia in solo hoc genere fœmina est vocalior. *Aristoteles*, *Hist.* lib. 4. sub finem, Καὶ περὶ φωνῆς δὲ, πάντα τὰ θήλεα λεπτοφωνότερα, καὶ ὀξυφωνότερα, πλὴν βοὸς, ὅσα ἔχει φωνήν· οἱ δὲ βόες βαρύτερον φθέγγονται αἱ θήλειαι τῶν ἀῤῥένων. Quæ *Plinius*, in capite *De vocibus*, sic in pauca contraxit, (c) *Bubus tantùm fœminis vox gravior, in alio omni genere exilior, quàm maribus.* Fœminam tamen in bubulo genere non quamvis *Propheta* profert, sed triennem, quâ ætate vox plenior; quia tum robur firmius. Unde *Plinius*, (d) *Domitura boum in trimatu, posteà sera, ante præmatura.* Et ante *Plinium Columella*, ubi de bobus domandis, (e) *Neq́, ante tertium, neq́, post quintum annum juvencos domari placet: cùm illa ætas adhuc tenera sit, hæc jam pradura.*

c) Lib. 2. c. 51.

d) Lib. 8. c. 45.

e) Lib. 7. c. 2.

Jerem. 31. *vers.* 18. *Ephraimitarum* ad Deum hæc querela est, *Me castigâsti, & castigatus fui*, כעגל לא למד *ut vitulus non edoctus*, id est, jugo nondum assuetus, quique pluribus plagis ad id ferendum instituitur. *Columella* ubi supra, *Retinaculis eos contineant: & unus, cum clava lignea procedens, modicis ictibus subinde impetus eorum coerceat.* Tamen idem ibidem docet quomodo ad patientiam laboris paucissimis verberibus perducatur. Nempe, si fabricetur jugum, quo tres jungantur, & juvencus contumax inter duos boves veteranos collocetur. Tum enim, sive efferatus prosilit, duorum arbitrio inhibetur; seu consistit, duobus gradientibus obsequitur; seu conatur decumbere, à valentioribus sublevatus trahitur. Quale est, quod bovem cubitorem, hoc est, qui in medio sulco decumbit, non vult stimulis, aut ignibus,

aut

aut aliis tormentis excitari; sed pedes ejus vinculis obligari, ne aut insistere, aut progredi, & per hoc pasci possit. Quo facto, inedia, & siti compulsus, deponit ignaviam. Nam cum vehementius afficiunt naturalia desideria, quam plagæ. Sed ævo *Jeremiæ Judæi* has artes ignorabant, nec aliter quàm stimulis, & verberibus, juvencorum vel ignaviam, vel contumaciam corrigebant: ac proinde *stimulum boum* vocabant מלמד *malmad*; quasi διδακτὴρ dixeris, ut jam supra (f) notatum. Meritò igitur *Ephraimitæ*, qui in *Medica* captivitate dira patiebantur, queruntur secum agi, ut cum juvenco nondum domito. Ita tamen, ut Deum agnoscant meritò illos sic affligere; ut, his plagis edomiti, paulatim assuefiant ad jugum Legis ferendum, quod rebellione sua jampridem excusserant.

f) Cap.39 supra pag. 385. lin. 30.

Jerem. 46. v. 20. Vitula speciosissima est Ægyptus: *excidium ei ab Aquilone omnino venturum est. Speciosissima* Hebraicè est יפה־פיה geminatis Radicalibus, ut significatio sit intensior: ut in חפר־פרות *Esa. 2. v. 20.* & פקח־קוח *Esa. 61. v. 1.* Veterum plerique יפה־פיה explicârunt tanquam distinctas voces. Sic *Græci* in *Theodoreto*, δάμαλις καλὴ κεκαλλωπισμένη· quamvis nostræ editiones solùm ultimam exhibeant: Hieronymus, *vitula elegans atque formosa*: Syrus ܥܓܠܬܐ ܫܦܝܪܬܐ ܡܨܝܪܬܐ *vitula pulchra, picturata*; quia فوي *Arab.* est *rubiâ tingere*, & فوة rubia *Hebræis* פואה, ut in Tractatu *De Sabbatho*, cap 9. fol. 89. b. in *Misna*, אסטים ופואה כדי לצבוע בהן *Isatis, & pua* (rubia) *ad tingendum illis.* Et in *libro Nominum*, qui *Hieronymo* tribuitur, in *Exodo*; Fua *rubrum* redditur: ut Φυὰ ἐρυθρὸν à *Philone* in libro *Quis divinarum rerum sit hæres*. Sed & פוח *puach*, per *Cheth*, videtur idem significâsse; ut cum *Talmudici*, agentes de luctu, & squallore, in quo sunt propter Templi vastationem, dicunt in *Bava Bathra*, sub finem capitis tertii, אין מסיידין ואין מכיירין ואין מפייחין בזמן הזה *Hoc tempore* (*Judæi* domus suas) *neque calce obliniunt, neque figuris, neque coloribus ornant.* Itaque jam apparet, cur *Syrus Hebræum* פיה *picturatam* reddat. Quæ tamen versio est nihili. Nam *picturatas vestes* in *Poeta* legimus: sed picturatæ vitulæ alibi nulla est mentio. Et vera est prima versio, quâ cum speciosissima vitula confertur *Ægyptus*; quia fuit מלכות יאיא *regnum inclytum* (ut *Chaldæus* hic habet) & in amœnissima, & præpingui tellure situm. Sed inclyto huic regno Deus minatur excidium ab *Aquilone*, id est, ex *Chaldæa* venturum. Pro quo *Hieronymus*, ut servet Metaphoram, *Stimulator ab Aquilone veniet ei.* At *Hebræis* omnib. קרץ *kerets*, est *excidium*; & Verbũ קרץ *karats*, exscindi, *Job. 33. v. 6.* *Græci* ἀπόσπασμα *avulsionem* reddunt, *Arabs* الانكسار *fractionem*, Syrus ܚܝܠܐ *exercitum*, Chaldæus עממין קטולין *populos occisores*. Quæ, utut diversa verbis, tamen in eundem sensum recidunt.

Jerem. 46. v. 21. *Etiam mercenarii ejus in medio ejus* כעגלי מרבק *ut vituli marbek*, id est, ut supra (g) probavimus, vituli ad areæ palum collo devincti, ut triturando saginentur. Cum his vitulis conferuntur ab *Ægyptiis* conducti milites; quia, otio diffluentes, in agro, rerum omnium proventu tam ubere, non poterant non esse pingues: Rursus *Jer. 50. v. 11.* de *Chaldæis* dicitur, qui *Judæam* expilaverant, *Pingues fuistis ut vitula triturans.* Et *Amos 4. v. 1.* de regiæ urbis *Samariæ* potentioribus, qui ex pauperum spoliis opes suas contraxerant, ut *Cyclops*, qui apud *Poetam*,

Visceribus miserorum, & sanguine pascitur atro:

de illis, inquam, sic *Propheta*, *Audite verbum istud, vaccæ* Basan, *quæ estis in monte* Samariæ, *quæ opprimitis tenues, & quassatis egenos. Vaccæ Basan*, id est, tam pingues, quam vaccæ in *Basane* saginatæ. Neque necesse est, ut, cum *Hebræis*, *potentiorum uxores* intelligamus. Nam viri quoque possunt conferri cum vaccis *Basan*, non sexûs ratione, sed pinguedinis. Quomodo *Juda* & *Gad* leguntur esse כלביא *ut leæna*, *Gen. 49. v. 9. Deuter. 33. v. 20.* & *David*, cum suis, *ut ursa catulis orbata*, 2. Sam. 17. v. 8. De cætero ne putetur hæc similitudo semper odiosè sumi, etiam piis dicitur *Malach. 4. v. 2.* *Et pinguescetis ut vituli marbek*; quod jam ante (h) explicavimus. Sed ut fames, & satietas; ita etiam obesitas quædam est piis propria. De fame, & satietate dicitur *Matth. 5. v. 6.* *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam saturabuntur.* Et de obesitate *Psal. 32. v. 30.* *Comedentes incurvabunt se* (coram Domino) *omnes pingues terræ.* Psal. 92. v. 15. *Adhuc germinabunt in canitie, pingues, & virentes erunt.* Proverb. 28. v. 25. *Qui confidit in Dominum, pinguis fiet.* Et nonnunquam gratiæ cœlestes per pinguedinem adumbrantur. Unde illud *Psal. 36. v. 9.* *Inebriabuntur* (id est, *explebuntur*) *pinguedine domûs tuæ.* Et *Psalm. 63. v. 6.* *Sicut adipe, & pinguedine saturabitur anima mea, & labiis canticorum laudabit te os meum.*

h) Cap.31. sup. p. 302. lin. 15.

Ezech. 1. v. 7. 10. & *Apocal. 4. v. 7.* quatuor animalia describuntur, quæ in hominis, leonis, bovis, & aquilæ specie primò *Ezechieli*, deinde etiam *Joanni* apparuerunt. De quibus dicetur in Tractatu *De Leonibus*. Hic observâsse sufficiet uni horum animalium pro *facie bovis*, Ezech. 1. v. 10. tribui *faciem Cherub*, Ezech. 10. v. 14. quasi *facies Cherub* eadem sit, quæ bovis. Unde colligit non nemo, *Cherubos*, qui arcam obumbrabant boum habuisse speciem, atque inde esse, quod *Aaron* & *Jeroboam* verum Deum vituli formâ coli voluerint. Sed de *Aarone* res palam falsa, cùm quo tempore fudit vitulum, arca fœderis nondum fuerit fabricata. Interim puto *Cherubos* varias animalium formas ita exhibuisse, ut ad bovis speciem propiùs accesserint. Hoc saltem certum vitulorum pedes illis tribui *Ezech. 1. vers. 7.* Et Verbum כרב *cherab*, unde כרוב *cherub*, *arandi* notionem apud *Syros* obtinere, quod bovis maximè proprium. Aliis כרוב *cherub*, placet per Metathesim deducere à voce רכוב *rechub*, quæ *currum*, aut *plaustrum* sonat. Sed & boves plaustro junguntur. Reliqua in *Leone* vide.

Os. 4. v. 16. Sicut juvenca refractaria, refractarius est Israël,] id est, sicut juvenca adhuc

Ἀδμήτης, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ,

indomita, quam nondum quisquam sub jugum duxit. Ita enim *Israelitæ* ad Legis jugum erant refractarii, tanquam adhuc indomiti, & inassueti. Quod *Oseæ* ætate fuit intolerabile, cùm jam ante octo sæcula jugum illud subiissent. Itaque Deus hoc scelus non reliquit impunitum: sed, *quia sicut vacca refractaria refractarius est* Israël, *nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in loco spacioso*; id est, in vastissimas regiones, *Mediam* nempe, & *Assyriam*, captivos deportabit, in quibus oberrent, ut agnus, qui à grege divulsus, & à matre destitutus, inani balatu omnia complet, & tandem præda fit lupis. Ita intelligunt veteres, *Hieronymus*, *Cyrillus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, & *Hebræorum* nonnulli, plerique etiam recentiorum. Quibus tamen ut accedam, à me impetrare non possum; quia *pasci in loco spatioso* planè aliud significat, quàm in *captivitatem abduci*. Hoc enim in malam partem, illud in bonam accipitur. Et ex perpetua Scripturæ Phrasi *locum alicui dilatare* est *eum ex angustia liberare*, & *in libertatem asserere.* Quo sensu *Psaltes* dicit *Psal. 4. v. 2.* *In tribulatione locum dilatâsti mihi.* Et *Psal. 18. v. 20.* *Eduxit me in latum, liberavit me.* Et *Psal. 31. vers. 9.* *Statuisti in latitudine pedes meos.* Et *Psal. 118. vers. 5.* *Ex angustia invocavi Dominum, qui respondens in loco*

g) Cap. 31. sup p. 303. & 304 lin 16. & cap. 32. pag. 310 & infra, pag. 413. lin. 60.

lato me collocavit. Et *Psal.* 119. *v.* 45. *Ambulabo in latitudine; quia mandata tua quæro.* Denique, quod maximè ad rem facit, *Esa.* 30. *v.* 23. inter multa Dei beneficia hoc *Judæis* promittitur, *Depascent pecora tua die illà pascuum latum.* Ex quo loco *Kimchius Oseæ* verba sic exponit, neque id malè, ut quidem puto, *Ut vacca refractaria refractarius fuit Israel* (Alioqui) *nunc pasceret eos Dominus, tanquam agnos in loco spatioso*; Hebr. *tanquam agnum*, per Numeri Enallagen; ut cum *Jacobus* dicit *Gen.* 32. *v.* 5. *Est mihi bos, & asinus, ovis, & servus, & ancilla*: id est, *Sunt mihi boves*, &c. Cur pro *juvenca refractaria* in *Græca* versione habeatur δάμαλις παροιστρῶσα, *juvenca asilo percussa*, dicetur in capite *De Asilo*, seu *Oestro.* Hic solum addam, boves ideo potissimum dici *refractarios*, quod promovere jussi, contra retrocedentes, cervicem, & humeros, quantum possunt, jugo subducunt. Proinde ad utrumque sic alluditur *Nehem.* 9. *v.* 29. *Exhibebant humerum refractarium, cervicemque suam obdurescebant, neque auscultabant.* Alii ad solum humerum alludunt; ut *Zachar.* 7. *v.* 11. *Renuerunt attendere, & præbuerunt humerum refractarium.* Alii ad solam cervicem; ut cum de *Israelitis* dicit Deus *Exod.* 32. *v.* 9. *Ecce populus duræ cervicis est!* Et *Stephanus* protoMartyr *Act.* 7. *v.* 51. Σκληροτράχηλοι, *Duri cervice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper Spiritui Sancto obnitimini.* Ejusdem locutionis exempla vide *Exod.* 33. *v.* 3. 5. & 34. *v.* 9 & passim (*i*). Neque alio pertinet, quod populo suo dicit Deus *Esa.* 48. *v.* 4. *Scivi enim te durum esse, & nervum ferreum cervicem tuam.* Et *Propheta* Jerem. 5. v. 5. *At ipsi pariter fregerunt jugum, diruperunt vincula.* Et Jerem. 27. v. 12. *Inducite colla vestra in jugum Regis* Babyloniæ, *& servite ei.*

(i) *Deut.* 9, 6. 13. & 10, 16. & 31, 27. 2. *Reg.* 17, 14. 2. *Par.* 30, 8. & 36, 13. *Neh.* 9, 16. 17. 29. *Prov.* 29, 1. *Jer.* 7, 26. & 19, 15.

Ose. 10. *v.* 11. idem *Propheta*, qui *Israelitas* cum *juvenca indomita*, & *refractaria* comparaverat, eosdem cum *vitula domita* confert; sed planè alio sensu. Tum enim florebant *Israelitarum* decem tribus: & Rex eorum *Pecach*, *Remaliæ* filius, cum Rege *Syriæ ResSimo* fœdere junctus, *Judæam* devastaverat, *Judæorum* CXXM uno die jugulaverat, & captivorum CCM abduxerat, quos tamen, à *Propheta* quodam monitus, gratis remisit, 2. *Paral.* 28. *v.* 6. &c. Itaque prosperum *Israelitarum* statum his verbis describit *Oseas*; Ephraim *est vitula edocta, & amans triturare. Et ego transivi super pulchritudinem colli ejus. Equitare feci* Ephraimum. *Aravit* Juda, *occavit ei* Jacob. *Vitulum* vocat eodem sensu, quo antea *juvencam*: ut hæ voces promiscuè sumuntur. Et *vitulam edoctam* non ad arandum, sed solùm *ad triturandum.* Quod opus aratione longè facilius erat, atque etiam fructuosius: quia in trituratione boves non ligabantur sub jugo; sed vel singuli pedibus triturabant, vel trahas, aut plostella rotis ferreis agebant, quibus grana è siliquis elicerent; & liberum illis erat de frugibus subinde aliquid arripere, quia Lege cautum erat, ne os eis obligaretur. Huic igitur operi incumbentes mirum in modum pinguescebant, ut suo loco (*k*) pluribus docuimus. Et cum boum arantium collum sub jugo atteratur, atque exulceretur, in hac vitula colli pulchritudinem laudat Deus, *Ego*, inquit, *transivi super pulchritudinem colli ejus.* Quod dici puto per Hypallagen. Deus enim hic agit tanquam armentarius, qui super boves non transit, sed sub ejus virga boves transeunt: ut dicitur *Levit.* 27. *v.* 32. *Et omnis decima bovis, & pecoris, omne, quod transit sub virga, decimum ejus erit sanctitas Domino.* Quem Legis locum explicabimus in capite *De Pastoribus.* Hic solum monemus *Prophetam* eò alludere, & Dei verba sic sumenda, quasi dixisset, *Pulchritudo colli ejus, seu juvenca hac pulchro collo transiit sub virga mea*; id est, *Eam pro mea agnovi, & in armento meo recepi.* Sed, quia triturationem præcedunt aratio, & occatio, & reliqua, quæ ad terræ cultum pertinent, si *Ephraimitis* solum triturationis cura fuit, quæri potuit quosnam alios ad rustica hæc opera adhibuerit. Cui quæstioni *Propheta* sic satisfacit, *Equitare faciam* Ephraimum: *arabit* Juda, *occabit ei* Jacob. Quod idem est, ac si dicat fore, ut tribus *Juda* laboriosa hæc ministeria peragat, dum equitabit *Ephraim*, id est, lautè vivet, & opiparè: ut cùm dicitur *Deut.* 32. *v.* 13 *Fecit eum equitare super excelsa terræ, & comedit proventus agri.* Et *Esa.* 58. *vers.* 14. *Tunc deliciaberis in Domino, & equitare te faciam super excelsa terræ, & cibabo te hæreditate* Jacobi *patris tui*, &c.

(k) *Cap.* 31. *sup. pag.* 303. & 304. *lin.* 16. & *cap.* 32. *pag.* 310. & *hoc capite pag.* 411 *lin.* 63.

Os. 14. v. 2. *Omnem iniquitatem aufer, & accipe bonum, & reddemus juvencos labiis nostris.* Ut *ferre iniquitatem suam* in *Levitico*, & passim, est *pœnâ commeritâ multari*; ita *auferre peccatum alicujus* est *ab hac pœna illum eximere*, uno verbo *illi condonare, & ignoscere.* Sic *Josepho* fratres dicunt *Gen.* 50. *v.* 17. *Aufer prævaricationem fratrum tuorum*, id est, Remitte pœnam, quam ab illis posses justè exigere propter peccatum in te commissum. Hoc sensu Deo hîc dicitur, *Omnem iniquitatem aufer.* Nam, quòd pravos peccati habitus eximi, & aboleri notant per Spiritum Sanctificationis, verum quidem est, sed non ad rem: quia *auferre peccatum* Phrasi Scripturæ nihil quidquam est, quam quod diximus. Vide *Genes.* 18. *v.* 24. 26. *Exod.* 10. *v.* 17. & 23. *v.* 21. & 32. *v.* 32. & 34. *v.* 7 &c. Rogatur autem, ut omnem iniquitatem auferat, nulla excepta: ut *Psal.* 51. *v.* 11. *Dele omnes iniquitates meas*: quia frustra partem ignosceret, si vel una superesset, cujus nomine rei essemus apud Deum, *Maledictus enim est, quisquis non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*, Gal. 3. vers. 10. *Et quisquis totam Legem servaverit, peccaverit autem in uno, omnium est reus*, Jac. 2. vers. 10. Itaque Deus iis, quorum in *Christo* miseretur, omnia omnino peccata remittit. Hinc *David* Psal. 103. v. 3. *Condonat* (Dominus) *omnes iniquitates tuas, medetur omnibus morbis tuis.* Et Psal. 130. v. 8. *Et ipse redimet* Israelem *ab omnibus peccatis ejus.* Et Dominus servo nequam in Parabola *Matth.* 18. *v.* 32. *Illud totum debitum remiseram tibi.* Et *Apostolus* Coloss. 2. vers. 13. *Condonans vobis omnia delicta.* Additur in *Osea*, *Et accipe bonum*, ut rectè *Hieronymus.* Reliqui veteres multò aliter; quia non intellexerunt quo sensu rogetur Deus, ut accipiat bonum: non certè in nobis, in quibus bonum aliud nullum reperit, quàm quod ipse posuit. Rogatur igitur, ut bonum de suo accipiat, quod nobis conferat. Sic *Gen.* 21. *v.* 21. Agar *accepit filio* Ismael *uxorem*, nempe quam illi copularet. Ita etiam de *Juda* Gen. 38. v. 6. & *Psal.* 68. v. 19. *Accepit dona hominibus*, nempe quæ daret, & distribueret. Proinde Apostolus *Ephes.* 4. *v.* 8. pro ἔλαβε, habet ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Hæc fidelium oratio hactenus. Sequitur votum, seu promissio, quâ gratitudinem pro acceptis à Deo beneficiis pollicentur. ונשלמה פרים שפתינו *Et reddemus juvencos labiis nostris*, id est laudes, & gratiarum actiones, quas bovis immolati loco habeas. Hæc enim sacrificia Deo fideles sæpe offerebant pro libamine, & thure. Hinc *David* Psal. 116. v. 12. 13. *Quid rependam Domino? omnia beneficia ejus super me sunt. Poculum salutis accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et versu 17. *Tibi sacrificabo sacrificium laudis.* Et *Psalm.* 141. *v.* 2. *Statuatur oratio mea, ut suffitus coram te; elatio manuum mearum, ut oblatio vespertina.* Quod sacrificiorum genus, etiam sub œconomia Legis, Deo longè fuit acceptius, quam boum sacrificia. Hinc *Ps.* 50. *v.* 13. 14. *An vescor sanguine taurorum, aut sanguinem hircorum bibo? Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota tua.* Et Psal. 51. v. 17. *Sacrificia Deo, spiritus contritus*, &c. Et Psal. 69. v. 31. 32. *Laudabo nomen*

Dei

Dei cantico, & magnificabo eum gratiarum actione: quæ Domino melior videbitur quoquam bove, & juvenco cornuto ungulam fissam habente. *Oseæ* verba *Græci* reddunt, Καὶ ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν, *Et reddamus fructum labiorum nostrorum.* Quasi, pro פרים שפתינו, aliter divisis vocibus, legerint פרי משפתינו *fructum è labiis nostris.* Idem sequuntur *Syrus* & *Arabs.* Et *Paulus* huc palam alludens *Hebr.* 13. *v.* 15 *Per ipsum igitur* (inquit) *assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Sed sensus planè idem est. Nam καρπὸς *fructus* eo loco pro *oblatione* sumitur: ut in *Græca* versione κάρπωσις, κάρπωμα, ὁλοκάρπωσις, ὁλοκάρπωμα, quæ pro *sacrificio*, & *holocausto* passim occurrunt.

Amos 6. v. 12. *An current in petra equi? Aut quis arabit bobus?* Nempe *in petra*, quod supplere facile est ex priore hemistichio. *Syrus* igitur non malè, *Num current super petras equi?* ܐܘ ܪ̈ܗܛܝܢ ܥܠ ܟܐܦ̈ܐ ܣܘ̈ܣܘܬܐ *aut ducent in illis jugum boum?* Tamen in re obvia hæserunt alii veterum. Sic *Hieronymus*, cum hæc *Prophetæ* verba non caperet satis, אם יחרוש בבקרים *An quis arabit bobus?* quibus videtur negari boves ad aratrum esse commodos, voluit voce בקרים. pro *bobus* vulgaribus, *bubalos* intelligi; *qui*, inquit, *tam indomiti sunt, ut jugum cervicibus non recipiant, &, cùm sylvestres boves sint, propter feritatem nolint terram vomere scindere.* Atqui *bubalus Hebræis* non dicitur בקר, sed תוא, vel תאו. *Græci* hunc eundem locum plane aliter reddunt, Εἰ διώξονται ἐν πέτραις ἵπποι; εἰ παρασιωπήσονται ἐν θηλείαις; *An persequentur in petris equi? An silebunt inter fœminas?* id est, *inter equas.* Nempe חרש non solum *arare*, sed & *silere* significat. Et, pro בבקרים, *in bobus*, legerunt בנקבים, *in fœminis.* Quamvis ne sic quidem rectum esset; quia *Hebræis fœminæ* non sunt נקבים, sed נקבות. Ut taceam causam non esse, cur hîc agat *Propheta* de equis ad fœminas hinnientibus. Sed dum totus in eo est, ut *Israelitas* in peccatis plane obduruisse probet, nec jam ullam in eo populo superesse spem resipiscentiæ, inter cætera dicit, *An current in petra equi? aut* quis in ea *bobus arabit?* quasi dicat hos homines habere cor lapideum, adeoque *Prophetas* frustra inter eos currere, ut munus suum obeant, & laborare incassum, ut tam dura corda proscindant verbi vomere. Quæ Metaphoræ sunt aptissimæ, & Sacris Scriptoribus satis frequentes. Sic *currere* dicuntur *Prophetæ*, aut *Apostoli*, *Jerem.* 23. *v.* 21. 1. *Corinth* 9. *v.* 26. *Galat.* 2. *v.* 2. *Philipp.* 2. *v.* 16. &c. Et eorum labor cum agricultura confertur, 1. *Cor.* 3. *v.* 9. & 9. *v.* 10. & 2. *Tim.* 2. *v.* 6.

1. Cor. 9. v. 9. *In* Mosis *Lege scriptum est*, "Non "obligabis os bovi trituranti. *Num boves curæ sunt Deo? An propter nos hoc omnino dicit? Propter nos enim scriptum est. Nam sub spe debet is, qui arat, arare; & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse.* Certum est, Dei providentiam non solum ad boves, sed & ad minima quæque extendi. Itaque Deum etiam bestiis prospicere passim docent Sacri Scriptores. Sic *Genes.* 8. *v.* 1. *Recordatus est Deus* Noæ, *& omnium bestiarum, omniumq; pecudum, quæ erant cum ipso in arca.* Job. 39. v. 3. *Quis corvis escam præparat, cum pulli eorum ad Deum clamant*, &c. Psal. 36. v. 6. *Homines, & jumenta conservas, Domine.* Psal. 104. v. 21. *Juvenes leones rugiunt ad prædam, & escam suam à Deo quærunt.* Psalm. 147. v. 9. *Dat jumentis cibum suum, pullis corvorum, qui crocitant.* Jon. 4. v. 11. *Et ego non parcerem* Ninivæ, *in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt discrimen inter dextram & sinistram suam, jumentaq; multa.* Matth. 6. v. 26. *Respicite volucres cœli, quæ neq; serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illas.* Matth. 10. v. 29. *Nonne duos passeres asse veneunt? Et unus ex illis non cadit super terram sine patre vestro.* Itaque cum hic dicit Apostolus, *An boves curæ sunt Deo?* non simpliciter negat, vel boves, vel jumenta reliqua Deum ullo modo curare: tantùm vult, Deum hanc Legem non tam propter boves, quàm propter homines, condidisse; & hoc præcipuè respexisse, ut nos doceret ex labore suo unumquemque vivere oportere: adeoque in his Pastores, quorum quò nobilius ministerium est, eò esset iniquius debitam illis mercedem denegare. Quo argumento iterum usus 1. *Tim.* 5. *v.* 17. 18. *Presbyteri*, inquit, *qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè ii, qui laborant in sermone, & doctrinâ. Dicit enim Scriptura*, "*Bovi trituranti non obligabis os*; &, "*Dignus est operarius mercede suâ.* *Apostolo* æqualis *Philo* in libro Περὶ θυόντων ea ferè verba usurpat, quæ *Apostolus*; quanquam in dissimili argumento. Agens enim de Lege, quæ præcipit, ut Deo victimæ eximiæ, integræ, puræ, atque ab omni labe immunes offerantur, ait tam accurato victimæ examine morum emendationem in offerente significari: Οὐ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀλόγων ὁ νόμος, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν νοῦν καὶ λόγον ἐχόντων· ὥστε οὐ τῶν θυομένων φροντίς ἐστιν, ἀλλὰ τῶν θυόντων, ἵνα μηδὲν πάθος κηραίνωσι. Quæ sic reddit *Latinus* interpres, *Nec enim bruta Legi curæ sunt, sed animæ rationis compotes: itaq; de offerentibus, non de victimis est sollicita, ne quod vitium eis insideat.* Sic, apud *Drusium*, *Menachem Ricinensis* ad locum *Deuter.* 22. *vers.* 6. "Non accipies matrem cum pullis, *Intentio præcipientis non est misereri avium, sed propter homines hoc dicit, quos ita voluit assuefacere ad mansuetudinem, & commiserationem.*

CAPUT QVADRAGESIMUM SECUNDUM.

Oves, & Capras *Hebraicè* eodem nomine contineri; quia multa habent communia.

Probatur ex Aristotele, *capras & oves multa habere communia. Itaq; in unum gregem sæpe coeunt. Quomodo vocetur* Arabicè *grex ex utrisque constans.* Ἐμμηλάδες, capræ cum ovibus. Καθηγηάδες, capræ, quæ ovibus præeunt. *Eodem modo pascuntur. Morbos habent similes. Eadem utrisque venena. Eadem medicina. Hœdi & agni eodem tempore castrantur. Oves & capræ in tres classes dividuntur.* Homerus μήλων *nomine complectitur utrumque pecus.* Σηκοὶ, ovium, & caprarum caulæ. Μηλωτὴ *tam* capræ, *quàm* ovis pellem *sonat.* Hesychius *emendatus.* Νάκος *etiam non solùm* capræ, *sed &* ovis pellis; *unde* νακοτίλτης, lanarum evulsor: & κατωνάκη, vestis genus. *Origo vocis* Syriaca. Σπυράθοι *tam* ovium, *quam* caprarum excrementa. Hesychius *rursus emendatus. Balatus utrique gregi communis.* Hebr. צאן *tson*, ovis, *aut* capra. שה *seh*, hœdus, & agnus. Agnus *Hebraicè* טלה tale; hœdus *Æthiopicè* ጠሊ: tali: *Arabicè* طلا tala, *utrumque.* Arabicæ *voces plurimæ utrisque communes.*

Capras & oves multa habere communia, jampridem à *Philosopho* est observatum. Sic *Historia animalium* libri secundi capite primo, Τὰ δὲ διχηλά, καὶ ἀντὶ τῶν ὀνύχων χηλὰς ἔχει, ὥσπερ πρόβατον, καὶ αἴξ. *Bifida autem pro ungulis forcipes habent, ut ovis, & capra.*

Et

Et capite tertio, Ἔχουσι δὲ πλείους οἱ ἄῤῥενες τῶν θηλειῶν ὀδόντας ἐν ἀνθρώποις, καὶ ἐπὶ προβάτων, καὶ αἰγῶν· *Mares fœminis plures habent dentes, tam in hominibus, quàm in ovibus, & capris.* Et libri tertii capite decimo septimo, Οἱ δὲ ζωμοὶ τῶν στέαρ ἐχόντων πήγνυνται, οἷον προβάτου, καὶ αἰγός. *Jura ex animalibus, quæ sebum habent, concrescunt, ut ovis, & capræ.* Et capite vigesimo primo lac augere dicit κυάμων πλῆθος ὀλίγον ὄϊ, καὶ αἰγὶ, *fabarum nonnihil ovi, & capræ datum.* Et libri quarti capite decimo, somniare, præter alia, quædam animalia, ἔτι δὲ πρόβατα, καὶ αἶγας, *etiam oves, & capras.* Et libri quinti capite decimo quarto, Πρόβατον μὲν, καὶ αἴξ, αὐτοετὲς ὀχεύονται, καὶ κύει· *Ovis, & capra, anniculæ ineuntur, & uterum ferunt.* Et capite trigesimo primo, Τὰ δὲ πρόβατα, καὶ αἶγες κρότωνας. φθεῖρας δὲ οὐκ ἔχουσι· *Oves, & capræ ricinos habent, non pediculos.* Et libri sexti capite decimo octavo, Τοῖς μὲν οὖν προβάτοις, καὶ αἰξὶν, ἐπειδὰν ἡ ὥρα ὀχεύειν, ἐπισημαίνει πρὸ τῆς ὀχείας· *Ovibus, & capris, cùm est coëundi tempus* (menstrua) *id significant antequàm coëant.* Et capite decimo nono, Τὰ δὲ πρόβατα κυΐσκεται μὲν ἐν τρισὶν, ἢ τέτταρσιν ὀχείαις, ἂν δὲ ὕδωρ γένηται μετὰ τὴν ὀχείαν, ἀνακυΐσκει· ὁμοίως δὲ καὶ αἶγες. *Oves autem tertio, aut quarto initu implentur; &, si post coitum imber ingruat, patiuntur abortum: ità etiam capræ.* Et rursus, Κύει δὲ πέντε μῆνας πρόβατον, καὶ αἴξ· διὸ ἐν τοῖς τόποις, ὅσοι ἀλεεινοί εἰσι, καὶ ἐν οἷς εὐημεροῦσι, καὶ τροφὴν ἄφθονον ἔχουσι, δὶς τίκτουσιν· *Oves, & capræ uterum ferunt quinque mensibus: ideo in locis calidioribus, & in quibus commodè degunt, & pabuli copiam habent, bis pariunt.* Item, Ὀχεύει δὲ, καὶ ὀχεύεται, ἕως ἂν ζῇ, καὶ πρόβατον, καὶ αἴξ· *Init, & initur, quamdiu vivit, capra, & ovis.* Ibidem, Διδυμοτοκοῦσι δὲ καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες, διά τε εὐβοσίαν, καὶ ἐὰν ὁ κριὸς, ἢ ὁ τράγος ᾖ διδυμοτόκος· *Geminos autem pariunt oves, & capræ, cùm pabuli beneficio, tum si aries, aut hircus naturâ sit gemelli-parus.* Et libri octavi capite decimo, Πρόβατα δὲ, καὶ αἶγές εἰσι μὲν ποηφάγα, &c. *Oves autem, & capræ sunt herbivora,* &c. Et capite vigesimo octavo, Καὶ ἐν Κιλικίᾳ αἱ αἶγες κείρονται, ὥσπερ τὰ πρόβατα παρὰ τοῖς ἄλλοις· *Etiam capræ in* Cilicia *tondentur, ut oves apud alios.* Et libri noni capite tertio, Κατακεῖνται δὲ αἱ οἶες, καὶ αἶγες ἀθρόαι κατὰ συγγένειαν· *Cubant vero oves, & capræ confertæ per cognationem.* Et capite quinquagesimo, Μηρυκάζει δὲ τὰ μὴ ἀμφώδοντα, οἷον βόες, καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες· *Ruminant vero quæ utrimque dentes non habent, ut boves, capræ, & oves.* Et *De partibus animalium* libri tertii capite duodecimo, Σπλῆνα δ' ἔχει, τὰ μὲν κερατοφόρα, διχηλὰ, καὶ στρογγύλον, καθάπερ αἴξ, καὶ πρόβατον· *Lienem rotundum habent quæ cornuta sunt, & bifida, ut capra, & ovis.* Et libri quarti capite secundo, Συμβαίνει δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ περὶ τὰ πρόβατα, καὶ τὰς αἶγας. τὰ μὲν γὰρ πλεῖστα τούτων ἔχει χολήν· ἀλλ' ἐνιαχοῦ μὲν τοσαύτην, ὥστε δοκεῖν τέρας εἶναι τὴν ὑπερβολὴν, οἷον ἐν Νάξῳ· ἐνιαχοῦ δὲ οὐκ ἔχουσιν, οἷον ἐν Χαλκίδι τῆς Εὐβοίας. *Tale quid etiam ovibus, & capris evenit: pleræque enim fel habent; & quidem alicubi tale, ut prodigii instar habeatur ejus excessus, ut in* Naxo, *alibi autem non habent, ut in* Eubœæ *Chalcide.* Et *De generatione animalium* libri quarti capite quarto, in *Ægypto*, ubi fœcundiora sunt animalia, plura dicit monstra gigni: Ἐν δὲ ταῖς αἰξὶ καὶ προβάτοις γίνεται μᾶλλον· πολυτοκώτερα γάρ ἐστιν. *sed imprimis inter capras & oves, quæ sunt maximè fœcundæ.* Et *Problem.* 6. quæstione decimâ quærit, Διὰ τί αἶγες μὲν, καὶ πρόβατα ἀμέλγονται πλεῖστον γάλα, οὐ μέγιστον σῶμα ἔχοντα? *Cur capris & ovibus, quæ corpore non maximo sunt, mulgeatur lactis plurimum?* Nisi hæc essent plùs satis: multò plura proferri possent ex *Varrone*, *Columella*, *Plinio*, & *Æliano*; unde constaret, capras, & oves animalia esse in multis similia. Unde est, quòd in eundem gregem quandoque coëunt. *Virgilius* Eclogâ septima,

Compulerántque greges Corydon *&* Thyrsis *in unum:*
Thyrsis *oves,* Corydon *distentas lacte capellas.*

Cujusmodi grex *Arabicè* dicitur البكيلة *albechila.* Lexicon *Alcamus*, البكيلة الضان والمعز يختلط Albechila, *oves, & capræ, quæ commixtæ sunt.* Vocatur etiam الأعرم *alaram.* Ibidem, الأعرم القطيع من ضان ومعزى Alaram, *grex ex ovibus & capris.* Prius nomen propriè μίξιν, posterius δίχροον sonat. Ità *Hesychius* ἐμμηλάδας αἶγας appellari ait τὰς μετὰ τῶν προβάτων γενομένας, *capras, quæ sunt unà cum ovibus*, nempe in eodem grege. Ἐπιμηλάδες id ipsum sonat. *Callimachus*, Hymno in *Apollinem*,

— οὐδέ κεν αἶγες
Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες.

Neque capræ egeant hœdis admixtæ ovibus. Et, *Pausaniâ* teste in *Arcadicis*, solebant *Lacedæmoniorum* Reges oves secum in bella educere, ut Diis ante prælia litarent; quibus itineris duces capræ præibant, indè appellatæ Κατοιάδες. Verè igitur de ovibus *Ælianus*, (*Hist.* lib. 7. cap. 27.) Καὶ μέντοι καὶ ἕπονται ταῖς αἰξί· *Etiam capras sequuntur.* Et *Varro* (*Rust.* lib. 2. cap. 3.) docet utrumque hoc pecus uno ferè modo pasci, de capris scribens, *Nec multò aliter tuendum hoc pecus, atque ovillum.* Morbi etiam sæpe similes: sic podagra, teste *Athenæo*, est αἰπολίων, καὶ προβάτων νόσος, *caprarum, & ovium morbus.* Eædem herbæ utrisque noxiæ. *Plinius* libri decimi sexti capite vigesimo, *Sabina capris, & ovibus venenum est.* Et libri vigesimi capite decimo quarto, *Gustatum à pecore caprisque* (pulegium) *balatum concitat. Unde quidam* Græci, *literas mutantes,* blechon *vocaverunt*, cùm alioqui vocetur γλήχων. Et libri vigesimi quarti capite undecimo, *Pecus, & capræ, si aquam biberint, in qua folia rhododendri maduerint, mori dicuntur.* Et alibi, *Oves, & capras perdunt euonymus, & conyza.* Eadem quoque remedia. *Columella* libri octavi capite septimo, *Sicut in ovillo pecore prædictum est, caprino medebimur.* Et capite tertio, *Capri, vel arietis petulci sævitiam pastores hâc astutiâ repellunt. Mensuræ pedalis robustam tabulam configunt aculeis, & adversam fronti cornibus religant,* &c. *Plutarchus* de alysso, (*Sympos.* lib. 3. cap. 1.) Λέγεται δὲ καὶ ποιμνίοις ἀγαθὸν, καὶ αἰπολίοις, παραφυτευομένη ταῖς μάνδραις· *Dicitur & ovium, & caprarum gregibus esse utilis, si prope caulas plantetur.* *Plinius* libri vigesimi sexti capite decimo, *Satyrii genus erythraicon arietibus quoque, & hircis, ad Venerem segnioribus, in potu datur.* *Hesiodus* etiam in *Operibus & Diebus* (a) eâdem mensis die jubet

(a) Versu 784.

— ἐρίφους τάμνειν, καὶ πώεα μήλων,

hœdos castrare, & greges ovium. Et *Odyss.* ι'. (b) *Homerus* tam oves, quàm capras in tres classes vult dividi, ità ut

(b) Versu 219.

— χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι,
Χωρὶς δ' αὖθ' ἕρσαι, —

seorsim quidem sint ætate provectiores, seorsim mediæ, & seorsim recèns editæ. Proinde idem μήλων communi nomine passim complectitur utrumque pecus. Ità *Iliad.* κ'.

(c) Ὡς δὲ λέων, μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν,
Αἴγεσιν, ἢ ὀΐεσσι, κακὰ φρονέων, ἐνορούσῃ·

(c) Versu 485.

Ut leo, μήλοισιν incustoditis superveniens, capris, aut ovibus, mala machinans, irruit. Et *Iliad.* π',

(d) Ὡς δὲ λύκοι, ἄρνεσσιν ἐπέχραον, ἢ ἐρίφοισι,
Σίνται, ὑπ' ἐκ μήλων αἱρεύμενοι, αἵ τ' ἐν ὄρεσσι
Ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν· —

(d) Versu 352.

Ut lupi, in agnos, aut hœdos irruentes, noxii, ἐκ μήλων

eas surripientes, quæ in mont bus *pastoris stultitiâ dispersa sunt.* Et *Odyss.* 9.

(e) Versu 184. (e) Μῆλ᾽, ὄϊές τε, καὶ αἶγες ἰαύεσκον· ——

Dormiebant μῆλα, *oves* scilicet, & *capræ.* Ad quem locum *Scholiastes*, Προτάξας τὸ γένος, ἐπιλέγει τὸ εἶδος· *Præposito genere, speciem addidit.* Hinc est, quòd *Iliad.* δ. de caprario dicit,

(f) Versu 279. —— (f) ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα,

sub speluncam autem μῆλα *compulit*, id est, *capras.* Et *Odyss.* ξ. de *Vlyssis* caprariis,

(g) Versu 105. —— (g) ἕκαστος ἐπ᾽ ἤματι μῆλον ἀγινεῖ,

Ζατρεφέων αἰγῶν ὅς τις φαίνηται ἄριστος·

Quisque in diem μῆλον *adducit, saginatarum caprarum quæcunque appares optima.* Tale est, quòd σηκοὶ *caulæ* sunt *ovium*, & *caprarum*, Odyss. 9.

(h) Versu 219. ——— (h) στείνοντο δὲ σηκοὶ

Ἀρνῶν, ἠδ᾽ ἐρίφων ——

Plenæ autem erant caulæ agnis, & hœdis. Et quòd μηλωτὴ non solùm τοῦ προβάτου δορὰν, *ovis pellem*, ùt plerumque, significat; sed & *caprinam*, quam αἰγείαν μηλωτὴν nonnulli vocant. *Hesychius*, Γεχλαί, κίκλαι, καὶ αἱ αἴγειαι μηλωταί. Item, Γέδλη, αἴγεια μηλωτή, ἀμειὰς (lege Ἀμερίας, *Græci* Glossatoris nomen, quem *Athenæus* sæpe citat) Proinde multis veterum *melote* est *caprina pellis. Hieronymus* Præfatione in *Regulam* Pachomii, *Et caprinam pelliculam, quam meloten vocant. Sedulius* in Epistolæ ad *Hebræos* caput undecimum, *Est autem* melota *pellis caprina ex uno latere dependens, quâ Monachi utuntur* Ægyptii. *Cassianus* lib. 1. *Institut.* 8. *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ* melotes, *vel pera appellatur.* Isidorus, *Orig.* lib. 19. cap. 24. *Melotes, quæ etiam* pera *vocatur, pellis est caprina à collo pendens, præcincta usque ad lumbos.* Tamen *melota* à caprarum pellibus distingui

(i) Hebr. 11, 37. videtur in his *Pauli* ad *Hebræos* (i) Περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν nisi dicatur ultimum illud per explicationem esse additum.

Sed & νάκη, vel νάκος, quod pro *capræ pelle* palàm usurpant (k) *Homerus*, & (l) *Theocritus*, à *Simonide* pro *ovillo vellere* sumitur. Quo quidem nomine apud *Etymologum* ità carpitur, Νάκη, τὸ αἴγειον δέρμα· κώδιον, τὸ προβάτειον. οὐκ ἄρα τὸ ἐν Κόλχοις νάκος ῥητέον καὶ ὡς ὁ Σιμωνίδης νάκος φησί. *Caprina pellis est* νάκη, *ut ovilla* κώδιον. *Itaque* Colchicum *vellus non dicendum est* νάκος. *Malè igitur* Simonides νάκος *appellat. Simonidis* tamen exemplo νάκος pro *vellere* ab iis usurpari video, qui purissimè loquuti sunt. Sic apud *Herodotum* (lib. 2. cap. 42.) *Thebani Jovem* fabulantur, ariete cæso, καὶ ἐνδύντα τὸ νάκος, *& vellere illius assumpto*, *Herculi* apparuisse. Et, in *Syria Luciani Dea*, quisquis illi sacra facit, ove mactatâ, τὸ νάκος χαμαὶ θέμενος, ἐπὶ τοῦτο ἐς γόνυ ἕζεται, *vellus humi sternens, super hoc in genua procumbit*, &c. Et *Archippo* νακοτιλεῖν est *vellera tondere*, aut *vellicare*. Et *Philemoni* νακοτίλτης, *vellerum evulsor*. Et *Cratino* νακότιλτος· ὥσπερεὶ κωδάριον, *qui velleris instar vulsus est.* Quæ omnia apud *Pollucem* libri septimi capite nono. Proinde *Hesychio* νακοτίλαι sunt οἱ κείροντες τὰ πρόβατα, *qui tondent oves. Suida* etiam & *Cyrillo* apud me manu-scripto, οἱ τῶν προβάτων κουρεῖς, *ovium tonsores.* Et νάκος huic κώδιον, *vellus*; illi δορὰ προβάτου, *ovilla pellis.* Et *Glossatori* veteri, *Pellis lanata*, νάκη. Unde *Varro*, *Festus*, & *Paulus*; *Nacca appellantur vulgo fullones*, &c. *Quòd omnia ferè opera ex lana* nacæ *dicantur à* Græcis. Et κατωνάκη *Polluci* libri septimi capite decimo quarto, Ἐξ ἐρίου μὲν ἦν ἰσθὴς παχεῖα, νάκος δὲ αὐτῷ κατὰ τὴν πίζαν προσερράπτετο· *Lanea vestis erat densa cum ipso vellere ad fimbriam assuto.* Vox in *Aristophane* extat non semel, & in *Hesychio*, & *Suida*, quos vide. Ex his probatur plùs satis, νάκην, vel νάκος tam *vellus esse*, quàm *capræ pellem.* Et est, cur credam de *vellere* primò, & propriè dici. *Hebræis* נקי naki, est *innocens*, נקה naka, *innocentem esse.* Hinc *Syris* ܢܩܝܐ *nekjo*, vel *nakjo*, est *ovis.* Et *Græcis*, nisi fallor, νάκη, vel νάκος, pro *vellere*, seu *ovis pelle*; unde ad *capram* est translatum.

(k) Odyss. ξ. versu 530.
(l) Idyll. 5, 2.

Hùc quoque pertinet, quòd σπυράδες, σφύραδες, σπύραθοι, σπυρίδες tam sunt *ovium*, quàm *caprarum excrementa. Galenus* in *Exegesi*, Σπυράδες, τὰ τῶν αἰγῶν, καὶ προβάτων ἀποπατήματα. *Hesychius*, Σπύραθοι, τῶν προβάτων καὶ αἰγῶν ἡ κόπρος. Item, Σφυράδες, τὰ διαχωρήματα τῶν αἰγῶν, καὶ προβάτων· οἱ δὲ, σπυρίδας. Unde apud eundem in Σποράθυγγια, τὰ διαχωρήματα τῶν αἰγῶν, ἅτινες σπυρίδας καλοῦσιν· pro διαχωρήματα scribendum διαχωρήματα· & σπυράδας, vel σφυράδας, pro σπυρίδας. Nam σπυρίδας esse *sportas* nemini non est notum. Et οἴσυπος, aliis τοῦ προβάτου, *Hesychio* est ὁ τῶν αἰγῶν ῥύπος. Neque hoc omittendum, ùt ovibus, ità & capris balatum tribui. *Plinius* ubi suprà, de pulegio, *Gustatum à pecore* (id est, *ovibus*) *caprisque balatum concitat. Aristophanes* in *Pluto*, Actu secundo,

Βληχώμενοί τε προβατίων, αἰγῶν τε κιναβρώντων μέλη·

Balantes ovium, & grave-olentium caprarum cantus. Et *Theocritus Idyll.* 5.

—— αἱ δὲ χίμαιραι

Αἵδε κατεβληχῶντο, ——

capræ autem illæ balabant. Græcè tamen μηκᾶσθαι caprarum proprium est, ut βληχᾶσθαι ovium. Sed hæ voces sæpe promiscuæ sunt, atque ut capris βληχημα, vicissim ovibus μηκᾶσθαι quandoque tribui videas. De ovibus enim dixit *Poeta*

—— Ἀζηχὲς μεμακυῖαι,

Iliad. δ. versu 435, &

Θήλειαι δ᾽ ἐμέμηκον ——

Odyss. 9. versu 439. Non possum hìc omittere vocem κυρίβάσασθαι, æquè ac κυρίττειν, arietibus, & hircis communem, qui cornibus mutuò se impetunt. *Hesychius*, Κυριβάσασθαι, διαμαχέσασθαι, ἀπὸ τῶν κριῶν, καὶ τῶν τράγων, ἔνθεν καὶ τὸ κυρίττειν.

Hæc præmittere necesse habui, nè quis miretur, quòd *Hebræi* quædam habeant vocabula capris, & ovibus communia: putà צאן *tson*, & שה *seh*; quibus *oves* frequentissimè, sed & quandoque *capras* significari certum est. Hinc de priore *Kimchius* in *Lexico*, הבהמה הדקה הכבשים והעזים יקראו צאן פעם כולל כלם *Pecus minutum, ut oves, & capræ, vocantur quandoque* צאן *universali nomine.* Et *Pomarius*, תדע שצאן הוא שם כולל עזים וכבשים *Scito nomen* צאן *commune esse capris, & ovibus.* Et *Aquinas*, ועז הבהמה הדקה כמו כבש יקרא בשם זה הכולל *Tenue pecus, ut ovis, & capra, vocatur hoc generali nomine.* Itaque צאן *Hebræis* idem est, quod μῆλον *Græcis.* Neque aliter reddi debuit, cùm de capris usurpatur: ut *Gen.* 27. *vers.* 9. *I nunc* אל הצאן, πρὸς τὰ μῆλα, *& cape mihi indè* שני גדיי עזים טובים *duos hœdos caprarum bonos.* Et Genes. 38. vers. 17. *Mittam hœdum caprarum* מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων. Et Levit. 1. vers. 10. *Et si fit* מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων, *oblatio ejus ex ovibus*, nempe *aut capris.* Et Jerem. 50, 8. *Estote ut hirci* לפני הצאן, κατὰ πρόσωπον τῶν μήλων.

Etiam שה tam *hœdum* esse, quàm *agnum*, patet ex locis, quæ sequuntur. *Gen.* 30. *vers.* 32. כל שה חום בכבשים וטלוא ונקד בעזים *Omnis* שה *niger in ovibus, & maculosus, & guttatus in capris.* Exod. 12. vers. 5. ubi de *Paschate*, שה תמים זכר בן שנה יהיה לכם *Integer* שה, *masculus, anniculus erit vobis, quem capietis ex ovibus, & capris.* Num. 15, *vers.* 11. *Sic unicuique bovi fiet, aut unicuique arieti,* או לשה בכבשים ובעזים, *aut* τῷ שה *ex ovibus, & capris.* Et Deut. 14. 4. *Hæ sunt bestiæ, quas comedetis; Bos*, שה כבשים ושה עזים & שה *ovium*, & שה *caprarum.* Unde est, quòd in *Lexico Kimchius*, הקטן מן הכבשים ומן העזים הוא שיקרא שה *Et parvulus tam ex ovibus, quàm ex capris is est, qui vocatur* שה. Quod ipsum tradunt *Hebræorum* alii.

Sic,

Sic, apud *Damirem*, *Arabum* الشاء quod idem est, تقع على الذكر والانثى من الضان والمعز *occurrit de mare, & fœmina, ex ovibus, & capris.*

Rursus *Hebraum* טלה *tale*, & *Arabicum* طلا *tala*, cum *agnum* sonet, tamen *Æthiopice* ጠሊ፡ *tali*, est *hircus*, *hœdus*, & *capra*. Exempla vide in *Æthiopicis* versionibus *Deut.* 14, 4. *Ps.* 49. 14. & 65, 14. *Cant.* 4, 1. & 5, 7. *Matth.* 25, 32. 33. *Luc.* 15, 29. &c.

Æquivoca hujusmodi multò plura sunt apud *Arabes*. Sic فرير aut فرفر & سخلة & حلان seu حلام totidem sunt nomina *hœdis*, & *agnis* communia. Et بهم est *hœdum*, vel *agnum ablactare*. Et حبلة *ovium, aut caprarum grex*. Et, quod jam (m) diximus, بكيلة & اعرم *capra & oves simul commixta*. Et خبيسة & مبش *ovilli lactis cum caprino mixtio*: quod *Siculum* esse inventum dicit *Philosophus Hist. animal.* lib. 3. cap. 20. Et يعار *tam caprarum balatus, quàm ovium*. Et شمال *saccus, quo vel ovis, vel capra ubera reconduntur, ne illa exsugat parvulus*. Hæc junctim de ovibus, & capris; jam de utrisque seorsim agendum.

(m) Pag. 418. n. 2.

CAPUT QVADRAGESIMUM TERTIUM.

Ovium *Hebræa* nomina, & *Chaldaica* quædam, ordine Alphabetico explicantur.

Ut אל Deus, *ità* איל aries *à robore dictus. Hinc* Jupiter κριοπρόσωπος. *Contrà, agni tam Græcum, quàm Arabicum nomen ab infirmitate ductum. Agnus cur à lana dicatur* אמר *in Esdra, & alibi. Agnina pellis, id est,* ἀρνακὶς*, seu* theno*, in vestium usum quàm commoda.* Agnus in ora vestis *quid sit* Chaldæis. *Idem Græcis* ἄα*, vellus.* Bezek *in* Kimchio *non est* agnus, *ut voluit; sed* calculus, *ut* Chaldaicum ביזקא bizka, & Græcorum *recentiorum* βιζάκιον. Israëlitæ, *à* Saüle, *per calculos, & agnos numerati. Arietes in* Esdra דכרין, *id est*, mares, *dicti. Aries, qui gregem ducit, quomodo* Talmudicis, Chaldæis, Syris, Arabibus, *&* Græcis. *Dux gregis cur* Homero κτίλος. טלה tale, *Hebrais* agnus subrumus. *Arabice* tala, talu, *&* tila; *Æthiopicè* tali, *&* vajatal; *Chaldaice* tele, *vel* talja, *quid differant.* Ταλιθὰ κοῦμι. Puella nubilis *Græcè* τᾶλις. *Origo vocis* טלה tale. Jobel יבל, *non est* aries, *ut volunt. Veterum buccinæ ex boum, non ex arietum cornibus.* Servius, *&* Josephus *notati. Vocis* Jobel *variæ interpretationes. Harum vero simillima.* Jubilum, & jubilare, *quid propriè. Agnus qua ætate dicatur* Hebræis כבש chebes, *&* Arabibus كبش chebs. Bidens, *&* sisarra, *quid propriè. Pro* כבש *scribitur* כשב, *tanquam voce à lucro facta.* Car כר *propriè* pascualis ovis, *aut* agnus. *Chaldæis* פלגים phalgis, *idem; ex* Græco φάγιλος, *id est*, agnus quadrimestris; *quia tum maximè edulis.* Jonibus κὰρ pediculus, *&* agnus. Caria *indè dicta, &* Cos *insula* Caris. Pediculus *cur* Homero κὰρ, vel ἐγκάρ. *Quæ oves dicantur* המשנים hamisnim, 1. *Sam.* 15, 9. *Vox à veteribus pravè lecta.* Misnim *propriè* bidentes: *quæ vox accuratè explicatur.* Astaroth עשתרות, armenta, *aut* greges: *unde* Venus Astarte; *in cujus tutela boves. An oves à ditando dicantur* astaroth. Tson צאן, capris, *&* ovibus *commune nomen*, *à fœcunditate ductum.* Saanan צאנן, Judææ *oppidum; malè* Græcis Sennaar. Εὐθενεῖν, *&* εὐθηνεῖν, *pro* εὐθηνεῖν. Kesita קשיטה, *non est* ovis, *ut reddunt; sed nummi genus. Vox propriè* sincerum *sonat, &* ἀκίβδηλον. Jacobi *ævo non solebant res permutari; sed nummis appensis, vel numeratis, emebantur. Ager à* Jacobo *emptus* argenti pretio, *Act.* 7, 16 *Tria in eo loco* ἄπορα. *Non* Josephi *solius, sed & fratrum corpora in terram* Chanaan *exportata, idque in agrum* Sichemitarum, *non* Chebronem. *Cur* Chebron *dicta* Kirjath-arba. *In* Israëlis *nomine contineri omnes, qui* Chebrone *sepulti sunt.* Abraham *pro* Jacobo *nominatus; id est*, pater *pro* filio. *Similes alibi locutiones. Aut* Abrahami *nomen merum Glossema.* Emmor τοῦ Συχὲμ, *id est*, Sichemi *pater, non filius. Ejusdem Phrasis varia exempla. Cur moneta genus* Kesita *pro agnis accepta. De eo conjecturæ tres.* Kesita, *quod genus nummi sit.* Rachel רחל, *ovis* Hebræis, Syris, *&* Arabibus. Arias *notatus.* Ovis reicula, Rachel, Jacobi *uxor, cur ovis dicta.* Theræ filius *quorsum vocatus* ὀϊόλυκος. *Quid differant* שה & צאן. Hebræi *Lexicographi notati. Vocis* שה *origo* Arabica.

Ovium in Scripturis nomina, quia plura occurrunt, libet in hoc capite explicare juxta literarum ordinem.

איל *ajil*, est *aries*. Sic *Gen.* 15, 9. איל משלש, *aries triennis*. Gen. 22, 13. איל אחר נאחז בסבך בקרניו *Aries à tergo detentus in veprium perplexitate cornibus suis.* 2. Reg. 3, 4. אילים צמר *Arietes* cum *lana*, id est, *intonsi*. Psal. 114, 4. *Montes exsilierunt* כאילים, *ut arietes*. Es. 60. 7. אילי נביות *Arietes Nabataorum*. Dan. 8, 4. 6. איל בעל הקרנים *Aries cornutus*: & איל מנגח *aries cornu feriens*. Nomen ab אל, id est, *robore*, ductum: ita ut איל *aries*, & אל *Deus fortis*, sint conjugata. Quin vox Pluralis אלים, *elim*, & *arietes*, & *Deos* sonat. Unde est, quod *Ethnicorum* vetustissimi *Jovem* suum finxerunt κριοπρόσωπον. Porrò *à robore* dictus est *aries*, ut opponeretur *agno*, qui *Græcè* vocatur ἀμνὸς, quasi ἄμενος, id est, *sine viribus*: & *Arabicè* سخلة *sachla*, à Verbo سخل *sachala*, quod *infirmum esse* significat, ut خسل *chasala*, & *Hebræa* חשל *chasal*; & חלש *chalas*. Tria enim hæc vocabula easdẽ habent Radicales, sed ordine permutato.

אמר *immar*, est *agnus*. Inde Plur. אמרין *immerin*, *Esdræ* 6, 9. 17. & passim in *Paraphrastis*. Est enim *Chaldaica* vox, quam *Arabes* quoque usurpant. Nempe *Chaldæis*, quibus solenne est צ & ע permutare, *lana* est עמר, pro צמר. Et ab עמר fit אמר, quæ licet scriptura diversa, tamen sono tam vicina erant, ut *Galilæi* inter loquendum confunderent, quod *Talmudici* testantur in Tractatu עירובין fol. 53. 2. *Chaldæum* igitur *agni* nomen *à lana* ductum est, quæ in matribus quidem villosior est. Hinc *Theocritus Idyll.* 12.

— — ὅσσον ὄϊς σφετέρης λασιωτέρη ἀρνός,

Quantò ovis agno suo villosior est. Sed in agnis est tenuior, & tactu mollior, atque eo ipso plus in pretio. Proinde & *Martialis* lib. 5. *Epigr.* 38.

Puella senibus dulcior mihi cygnis,
Agna Galæsi mollior Phalantini.

eas surripientes, quæ in montibus *pastoris stultitiâ dispersæ sunt.* Et *Odyss.* 9.

(e) Versu 184. (e) Μῆλ', ὄϊές τε, καὶ αἶγες ἰαύεσκον ——

Dormiebant μῆλα, *oves* scilicet, *& capræ.* Ad quem locum *Scholiastes*, Προτάξας τὸ γένος, ἐπιλύει τὸ εἶδος· *Præposito genere, speciem addidit.* Hinc est, quòd *Iliad.* δ. de caprario dicit,

(f) Versu 279. —— (f) ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα,

sub speluncam autem μῆλα *compulit*, id est, *capras.* Et *Odyss.* ξ. de *Ulyssis* caprariis,

(g) Versu 105. —— (g) ἕκαστος ἐπ' ἤματι μῆλον ἀγινεῖ,
Ζατρεφέων αἰγῶν ὅς τις φαίνηται ἄριστος·

Quisque in diem μῆλον *abducit, saginatarum caprarum quæcunque appareat optima.* Tale est, quòd σηκοὶ *caula* sunt *ovium*, & *caprarum*, Odyss. 9.

(h) Versu 219. —— (h) στεῖνοντο δὲ σηκοὶ
Ἀρνῶν, ἠδ' ἐρίφων ——

Plena autem erant caula agnis, & hædis. Et quòd μηλωτὴ non solùm τοῦ προβάτου δορὰν, *ovis pellem*, ùt plerumque, significat; sed & *caprinam*, quam αἰγείαν μηλωτὴν nonnulli vocant. *Hesychius*, Γουλαὶ, κίκλαι, καὶ αἱ αἴγειαι μηλωταί. Item, Ἰσθλὴ, αἴγεια μηλωτή, ἀμειάς (lege Ἀμερίας, *Græci* Glossatoris nomen, quem *Athenæus* sæpe citat) Proinde multis veterum *melote* est *caprina pellis.* *Hieronymus* Præfatione in *Regulam* Pachomii, *Et caprinam pelliculam, quam* meloten *vocant.* *Sedulius* in Epistolæ ad *Hebræos* caput undecimum, *Est autem* melota *pellis caprina ex uno latere dependens, quâ Monachi utuntur Ægyptii.* *Cassianus* lib. 1. *Institut.* 8. *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ* melotes, *vel* pera *appellatur.* Isidorus, *Orig.* lib. 19. cap. 24. *Melotes, quæ etiam* pera *vocatur, pellis est caprina à collo pendens, præcincta usque ad lumbos.* Tamen *melota* à caprarum pellibus distingui videtur in his *Pauli* ad *Hebræos* (i) Περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν· nisi dicatur ultimum illud per explicationem esse additum.

(i) Hebr. 11, 37.

Sed & νάκη, vel νάκος, quod pro *capræ pelle* palàm usurpant (k) *Homerus*, & (l) *Theocritus*, à *Simonide* pro *ovillo vellere* sumitur. Quo quidem nomine apud *Etymologum* ità carpitur, Νάκη, τὸ αἴγειον δέρμα· κώδιον, τὸ προβάτειον. ὡς ἄρα τὸ ἐν Κόλχοις νάκος ῥητέον κώδιον ὡς ὁ Σιμωνίδης νάκος φησί. *Caprina pellis est* νάκη, *ut ovilla* κώδιον. *Itaque* Colchicum *vellus non dicendum est* νάκος. *Malè igitur* Simonides νάκος *appellat.* *Simonidis* tamen exemplo νάκος pro *vellere* ab iis usurpari video, qui purissimè loquuti sunt. Sic apud *Herodotum* (lib. 2. cap. 42.) *Thebani Jovem* fabulantur, ariete cæso, καὶ ἐνδύντα τὸ νάκος, *& vellere illius assumpto, Herculi* apparuisse. Et, in *Syria Lucianæ Dea*, quisquis illi sacra facit, ove mactatâ, τὸ νάκος χαμαὶ θέμενος, ἐπὶ τούτου ἐς γόνυ ἕζεται, *vellus humi sternens, super hoc in genua procumbit,* &c. Et *Archippo* νακοτιλεῖν est *vellera tondere*, aut *vellicare.* Et *Philemoni* νακοτίλτης, *vellerum evulsor.* Et *Cratino* νακότιλτος ὥσπερεὶ κωδάριον, *qui velleris instar vulsus est.* Quæ omnia apud *Pollucem* libri septimi capite nono. Proinde *Hesychio* νακοτίλται sunt οἱ κείροντες τὰ πρόβατα, *qui tondent oves.* *Suida* etiam & *Cyrillo* apud me manu-scripto, οἱ τῶν προβάτων κουρεῖς, *ovium tonsores.* Et νάκος huic κώδιον, *vellus*; illi δορὰ προβάτου, *ovilla pellis.* Et *Glossatori* veteri, *Pellis lanata*, νάκη. Unde *Varro*, *Festus*, & *Paulus*; *Nacca appellantur vulgò fullones*, &c. *Quòd omnia ferè opera ex lana* nacæ *dicantur à Græcis.* Et κατωνάκη *Polluci* libri septimi capite decimo quarto, Ἐξ ἐρίου μὲν ἦν ἐσθὴς παχεῖα, νάκος δὲ αὐτὸ κατὰ τὴν πέζαν προσερραμμένον. *Lanea vestis erat densa cum ipso vellere ad fimbriam assuto.* Vox in *Aristophane* extat non semel, & in *Hesychio*, & *Suida*, quos vide. Ex his probatur plùs satis, νάκην, vel νάκος tam *vellus esse*, quàm *capræ pellem.* Et est, cur credam de *vellere* primò, & propriè dici. *Hebrais* נקי naki, est *innocens*, נקה naka, *innocentem esse.* Hinc *Syris* ܢܩܝܐ *nekjo*, vel *nakjo*, est *ovis.* Et *Græcis*, nisi fallor, νάκη, vel νάκος, pro *vellere*, seu *ovis pelle*; unde ad *capram* est translatum.

(k) Odyss. ξ. versu 530.
(l) Idyll. 5, 2.

Hùc quoque pertinet, quòd σπύραθος, σφύραθος, σπύραθοι, σπυρίαι tam sunt *ovium*, quàm *caprarum excrementa.* *Galenus* in *Exegesi*, Σπυράθος, τὰ τῶν αἰγῶν, καὶ προβάτων ἀποπατήματα. *Hesychius*, Σπύραθοι, τῶν προβάτων καὶ αἰγῶν ἡ κόπρος. Item, Σφυράδες, τὰ διαχωρήματα τῶν αἰγῶν, καὶ προβάτων οἱ δὲ, σπυρίας. Unde apud eundem in Σποράδυγγια, τὰ διαχώρημα τῶν αἰγῶν, ἅτινες σπυρίδας καλοῦσιν· pro διαχώρημα scribendum διαχωρήματα· & σπυράδας, vel σπυρίας, pro σπυρίδας. Nam σπυρίδας esse *sportas* nemini non est notum. Et οἴσυπος, aliis τῶν προβάτων, *Hesychio* est ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος. Neque hoc omittendum, ùt ovibus, ità & capris balatum tribui. *Plinius* ubi suprà, de pulegio, *Gustatum à pecore* (id est, *ovibus*) *caprisque balatum concitat.* *Aristophanes* in *Pluto*, Actu secundo,

Βληχώμενοί τε προβατίων, αἰγῶν τε κιναβρώντων μέλη·
Balantes ovium, & grave-olentium caprarum cantus.

Et *Theocritus Idyll.* 5.

—— αἱ δὲ χίμαιραι
Αἶδε κατεβληχῶντο, ——

capræ autem illæ balabant. Græcè tamen μηκάδες caprarum proprium est, ut βληχάδες ovium. Sed hæ voces sæpe promiscuæ sunt, atque ut capris βλήχημα, vicissim ovibus μηκᾶσθαι quandoque tribui videas. De ovibus enim dixit *Poeta*

—— Ἀζηχὲς μεμακυῖαι,

Iliad. δ. versu 435, &

Θήλειαι δ' ἐμέμηκον ——

Odyss. 9. versu 439. Non possum hìc omittere vocem κυρίβασις, æquè ac κυρίττειν, arietibus, & hircis communem, qui cornibus mutuò se impetunt. *Hesychius*, Κυρίβασις, διαμαχίσασθαι, ἀπὸ τῶν κριῶν, καὶ τῶν τράγων, ἔνθεν καὶ τὸ κυρίσσειν.

Hæc præmittere necesse habui, nè quis miretur, quòd *Hebræi* quædam habeant vocabula capris, & ovibus communia: putà צאן *tson*, & שה *seh*; quibus *oves* frequentissimè, sed & quandoque *capras* significari certum est. Hinc de priore *Kimchius* in *Lexico*, הבהמה הדקה הכבשים והעזים יקראו צאן פעם כולל כלם *Pecus minutum, ut oves, & capræ, vocantur quandoque* צאן *universali nomine.* Et *Pomarius*, ודע שצאן הוא שם כולל עזים והכבשים *Scito nomen* צאן *commune esse capris, & ovibus.* Et *Aquinas*, צאן הבהמה הדקה כמו כבש ועז יקרא בשם זה הכולל *Tenue pecus, ut ovis, & capra, vocatur hoc generali nomine.* Itaque צאן *Hebræis* idem est, quod μῆλον *Græcis.* Neque aliter reddi debuit, cùm de capris usurpatur: ut *Gen.* 27. *vers.* 9. *I nunc* אל הצאן, πρὸς τὰ μῆλα, *& cape mihi indè* שני גדיי עזים טובים *duos hædos caprarum bonos.* Et Genes. 38. vers. 17. *Mittam hædum caprarum* מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων. Et Levit. 1. vers. 10. *Et si sit* מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων, *oblatio ejus ex ovibus*, nempe *aut capris.* Et Jerem. 50, 8. *Estote ut hirci* לפני הצאן, κατὰ πρόσωπον τῶν μήλων.

Etiam שה tam *hædum esse*, quàm *agnum*, patet ex locis, quæ sequuntur. *Gen.* 30. *vers.* 32. כל שה חום בכבשים וטלוא ונקוד בעזים *Omnis* שה *niger in ovibus, & maculosus, & guttatus in capris.* Exod. 12. vers. 5. ubi de *Paschate*, שה תמים זכר בן שנה יהיה לכם *Integer* שה, *masculus, anniculus erit vobis, quem capietis ex ovibus, & capris.* Num. 15. *vers.* 11. *Sic unicuique bovi fiet, aut unicuique arieti,* או לשה בכבשים ובעזים, *aut* τῷ שה *ex ovibus, & capris.* Et Deut. 14, 4. *Hæ sunt bestiæ, quas comedetis; Bos,* שה כבשים ושה עזים & שה *ovium, &* שה *caprarum.* Unde est, quòd in *Lexico Kimchius*, והקטן מן הכבשים ומן העזים הוא שיקרא שה *Et parvulus tam ex ovibus, quàm ex capris is est, qui vocatur* שה. Quod ipsum tradunt *Hebræorum* alii.

Sic,

Sic, apud *Damirem*, *Arabum* الشاة quod idem est, تقع علي الذكر والانثي من الضان والمعز *occurrit de mare, & fœmina, ex ovibus, & capris.*

Rursus *Hebræum* טלה *tale*, & *Arabicum* طلا *tala*, cum *agnum* sonet, tamen *Æthiopicè* ጠሊ: *tali*, est *hircus*, *hædus*, & *capra*. Exempla vide in *Æthiopicis* versionibus *Deut.* 14, 4. *Ps.* 49.14. & 65,14. *Cant.* 4, 1. & 5, 7. *Matth.* 25, 32.33. *Luc.* 15, 29. *&c.*

Æquivoca hujusmodi multò plura sunt apud *Arabes*. Sic فرير aut فرفر & سخلة & حلان seu حلام totidem sunt nomina *hœdis*, & *agnis* communia. Et بهم est *hædum*, vel *agnum ablactare*. Et حيلة *ovium*, *aut caprarum grex*. Et, quod jam (m) diximus, بكيلة & اعرم *capræ & oves simul commixta*. Et نخيسة & ميش *ovilli lactis cum caprino mixtio*: quod *Siculum* esse inventum dicit *Philosophus Hist. animal.* lib. 3. cap. 20. Et يعار *tam caprarum balatus, quàm ovium*. Et شمال *saccus, quo vel ovis, vel capra ubera reconduntur, ne illa exsugat parvulus*. Hæc junctim de ovibus, & capris; jam de utrisque seorsim agendum.

(m) Pag. 418. ...2.

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

Ovium *Hebræa* nomina, & *Chaldaica* quædam, ordine Alphabetico explicantur.

Ut אל Deus, *ita* איל aries *à robore dictus*. *Hinc* Jupiter κριοπρόσωπος. *Contrà*, agni *tam Græcum*, *quàm* Arabicum *nomen* ab infirmitate *ductum*. *Agnus cur* à lana *dicatur* אמר *in* Esdra, *& alibi*. *Agnina pellis*, *id est*, ἀρνακὶς; *sed* theno, *in vestium usum quam commoda*. Agnus in ora vestis *quid sit* Chaldæis. *Idem* Græcis ὦα, *velὄα*. Bezek *in* Kimchio *non est* agnus, *ut volunt*; *sed* calculus, *ut* Chaldaicum ביזקא bizka, *&* Græcorum *recentiorum* βίζακον. Israëlitæ, *à* Saüle, *per calculos*, *& agnos numerati*. *Arietes in* Esdra דכרין, *id est*, mares, *dicti*. *Aries*, *qui gregem ducit*, *quomodo* Talmudicis, Chaldæis, Syris, Arabibus, *&* Græcis. *Dux gregis cur* Homero κτιλος. טלה tale, *Hebræis* agnus subrumus. *Arabicè* tala, talu, *&* tila; *Æthiopicè* tali, *&* vajatal; *Chaldaicè* tele, *vel* talja, *quid differant*. Ταλιδα κῦμι. Puella nubilis *Græcè* τάλις. *Origo vocis* טלה tale. Jobel יבל, *non est* aries, *ut volunt*. *Veterum buccinæ ex boum*, *non ex arietum cornibus*. Servius, *&* Josephus *notati*. *Vocis* Jobel *variæ interpretationes*. *Harum vero simillima*. Jubilum, *&* jubilare, *quid propriè*. *Agnus quâ ætate dicatur* Hebræis כבש chebes, *&* Arabibus كبش chebs. Bidens, *&* sisarra, *quid propriè*. *Pro* כבש *scribitur* כשב, *tanquam voce à lucro factâ*. Car כר *propriè* pascualis ovis, *aut* agnus. *Chaldæis* פלגים phalgis, *idem*; *ex* Græco φάγιλος, *id est*, agnus quadrimestris; *quia tum maximè edulis*. Jonibus κάρ pediculus, *&* agnus. Caria *inde dicta*, *&* Cos *insula* Caris. Pediculus *cur* Homero κάρ, vel ἴγκαρ. *Quæ oves dicantur* המשנים hamisnim, 1. *Sam.* 15, 9. *Vox à veteribus pravè lecta*. Misnim *propriè* bidentes: *quæ vox accuratè explicatur*. Astaroth עשתרות, armenta, *aut* greges; *unde* Venus Astarte; *in cujus tutela boves*. *An oves à ditando dicantur* astaroth. Tson צאן, capris, *&* ovibus *commune nomen*, à fœcunditate *ductum*. Saanan צאנן, Judææ *oppidum*; *malè* Græcis Sennaar, Ἐυδηνὸν, *&* ἐυθηνίαν, *pro* ἐυθηνεῖν. Kesita קשיטה, *non est* ovis, *ut reddunt*; *sed nummi genus*. *Vox propriè* sincerum *sonat*, *&* ἀκίβδηλον. Jacobi *ævo non solebant res permutari*; *sed nummis appensis*, *vel numeratis*, *emebantur*. *Ager à* Jacobo *emptus* argenti pretio, *Act.* 7, 16 *Tria in eo loco æqua*. *Non* Josephi *solius*, *sed & fratrum corpora in terram* Chanaan *exportata*, *idque in agrum* Sichemitarum, *non* Chebronem. *Cur* Chebron *dicta* Kirjath-arba. *In* Israëlis *nomine contineri omnes*, *qui* Chebrone *sepulti sunt*. Abraham *pro* Jacobo *nominatur*; *id est*, *pater pro filio*. *Similes alibi locutiones*. *Aut* Abrahami *nomen merum Glossema*. Emmor τῦ Συχὲμ, *id est*, Sichemi *pater*, *non filius*. *Ejusdem Phrasis varia exempla*. *Cur moneta genus* Kesita *pro agnis accepta*. *De eo conjecturæ tres*. Kesita, *quod genus nummi sit*. Rachel רחל, *ovis* Hebræis, Syris, *&* Arabibus. Arias *notatus*. Ovis reicula. Rachel, Jacobi *uxor*, *cur ovis dicta*. Theræ filius *quorsum vocatus* οἰόλυκος. *Quid differant* שה & צאן. Hebræi *Lexicographi notati*. *Vocis* שה *origo* Arabica.

Ovium in Scripturis nomina, quia plura occurrunt, libet in hoc capite explicare juxta literarum ordinem.

איל *ajil*, est *aries*. Sic *Gen.* 15, 9. איל משלש, *aries triennis*. Gen. 22, 13. איל אחר נאחז בסבך בקרניו *Aries à tergo detentus in* veprium *perplexitate cornibus suis*. 2. Reg. 3, 4. אילים צמר *Arietes* cum *lana*, id est, *intonsi*. Psal. 114, 4. *Montes exsilierunt* כאילים, *ut arietes*. Es. 60. 7. אילי נביות *Arietes Nabatæorum*. Dan. 8, 4. 6. איל בעל הקרנים *Aries cornutus*: & איל מנגח *aries cornu feriens*. Nomen ab אל, id est, *robore*, ductum: ita ut איל *aries*, & אל *Deus fortis*, sint conjugata. Quin vox Pluralis אלים, *elim*, & *arietes*, & *Deos* sonat. Unde est, quod *Ethnicorum* vetustissimi *Jovem* suum finxerunt κριοπρόσωπον. Porrò à robore dictus est *aries*, ut opponeretur *agno*, qui *Græcè* vocatur ἀμνὸς, quasi ἄμενος, id est, *sine viribus*: & *Arabicè* سخلة *sachla*, à Verbo سخل *sachala*, quod *infirmum esse* significat, ut خسل *chasala*, & *Hebræa* חשל *chasal*; & חלש *chalas*. Tria enim hæc vocabula easdē habent Radicales, sed ordine permutato.

אמר *immar*, est *agnus*. Inde Plur. אמרין *immerin*, *Esdræ* 6, 9.17. & passim in *Paraphrastis*. Est enim *Chaldaica* vox, quam *Arabes* quoque usurpant. Nempe *Chaldæis*, quibus solenne est צ & ע permutare, *lana* est עמר, pro צמר. Et ab עמר fit אמר, quæ licet scripturâ diversâ, tamen sono tam vicina erant, ut *Galilæi* inter loquendum confunderent, quod *Talmudici* testantur in Tractatu עירובין fol, 53. 2. *Chaldaeum* igitur agni nomen *à lana* ductum est, quæ in maribus quidem villosior est. Hinc *Theocritus Idyll.* 12.

- - - ὅσσον ὄϊς σφ' ἑτέρης λασιωτέρα φύει,

Quanto ovi agno suo villosior est. Sed in agnis est tenuior, & tactu mollior, atque eo ipso plus in pretio. Proinde *Martialis* lib. 5. *Epigr.* 38.

Puella senibus dulcior mihi cygnis,
Agna Galæsi mollior Phalanthi.

David, hanc Legem respiciens, ita statuit de divite, quem pauperis oviculam *Nathan* abstulisse dixerat, *Et pro ove ejus reddet* ארבעתים *quadruplum*, 2. *Sam.* 12. *v.* 6. *Kimchius* intelligit שני פעמים ארבעה *bis quatuor*; quia ארבעתים Dualem habet formam. Proinde *Pagninus* hic habet, *Agnam restituet bis quadruplatam*. Et *Munsterus* in *Notis*, *In* Hebræo *propriè habetur*; "Reddet bis quatuor, *hoc est*, *octo: nam est* ארבעתים *Dualis numeri*. Sed hæc ratio, si quidquam valet, etiam Duale שבעתים significabit *bis septem*; ut cum *Juno* dicit apud *Poetam*,

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,

id est, *quatuordecim*. Quod est apertè falsum. Nam ubicunq; adhibetur שבעתים, nihil nisi *septuplum* sonat. Sic *Gen.* 4. *v.* 15. *Omnis, qui occidet* Cain, שבעתים יקם *septuplo vindicabitur*. Psal. 12. *v.* 7. *Argentum purgatum in catino*, &c. מזקק שבעתים *defæcatum septies*. Psal. 79. *v.* 12. *Redde vicinis nostris* שבעתים *septuplum*. Esa. 30. *v.* 26. *Et lux Solis erit* שבעתים *septupla, sicut lux septem dierum*. Qui locus est apertissimus. Nam lux septem dierum, collato cum unius luce, solum est septupla, non bis septupla. Itaq; Dualia ארבעתים, & שבעתים, non significant duplicari quaternarium, & septenarium; sed rem ipsam, de qua agitur, per quaternarium, aut septenarium geminari, & multiplicari. Neque veterum est ullus, qui non sic accipiat. Quod patebit locorum, quæ citavimus, *Chaldæas*, *Syras*, *Arabicas*, *Græcas*, & *Romanas* versiones inter se conferenti. Nisi quod in loco *Samuelis*, pro *quadruplo*, in nonnullis exemplaribus *Chaldæus* habet על חד ארבעין *pro uno quadraginta*: & *Græcus*, τὴν ἀμνάδα ἀποτίσει ἑπταπλασίονα, *agnam reddet septuplam*. Sed utrumque mendosè. Itaque in editionibus *Complutensi*, *Parisiensi*, & *Anglicana*, legitur in *Thargum* ארבעה, *quatuor*, & in *Græco* textu τετραπλάσιον, *quadruplicem*. Cui lectioni veteres suffragium addunt. Nam *Josephus* (c) habet τετραπλῆν, *Theodoretus* (d) τετραπλασίονα, *Ambrosius* (e) ex *Italica* versione, quæ ex *Græca* expressa fuerat, *in quadruplum*. Eodem facit, quod *Hebræi* vetustiores, prout citat *R. Levi*, ominosa fuisse scribunt verba *Davidis*, cùm tot illi filii perierint, quot oves divitem repensurum dixerat, is nimirum, quem habuerat ex *Bersabea*, *Amnon*, *Absalom*, & *Adonija*. Alii *Adonijæ*, qui patri per aliquot dies fuit superstes, *Thamarem* substituunt, quam violavit *Amnon*: quod sequuntur *Selomo*, & *Kimchius*. Itaq; etiam veteribus *Hebræis* Duale nomen ארבעתים *quadruplum*, non *octuplum*, significavit. In *Romana* lingua dicam exemplum similis locutionis. *Plinius* lib. 8. cap. 25. scribit *cerastis eminere cornicula sæpe quadrigemina*, id est, *octo*, seu *quaterna geminata*, si sequimur barbaros Interpretes. Hinc *Vincentius*, (*Doctrinalis* lib. 16. cap. 108.) *Cerastes est serpens octo cornua in capite habens*. Ita etiam liber *De natura rerum*. Et *Bellonius* (*Singular.* lib. 2. cap. 54.) *Plinio* litem intendit; quasi cerastem dixerit *octo habere cornua*, cùm sit *bicornis*, quales profitetur se vidisse in *Ægypto*. At *bicornes* esse *Plinius* haudquaquam negat. Tantùm in *cerasto* asserit *eminere cornicula sæpe quadrigemina*, id est, *quaterna*, non *octona*, ut volunt. Sequitur enim *Nicandrum*, cujus verba sunt,

Ἄλλοτε μὲν πισύρεσσι, τοτ' ἐν δοιοῖσι κεράστης,

Quandoq; quatuor quidem, quandoq; duobus cornibus *cerastes*. Unde *Scholiastes*, Εἰσὶ καὶ τετρακέρατοι κεράσται, καὶ δίκεροι. *Sunt & quadricornes cerastæ, & bicornes.* *Cornicula* igitur *quadrigemina* prorsus idem sunt, quod *quaterna*. Sic *septemgeminus* est *septenus*, non *bis septenus*. *Catullus* ad *Furium*, & *Aurelium*,

Sive quæ septemgeminus colorat
Æquora Nilus.

c) *Antiq.* lib. 7. cap. 7.
d) *In* 2. *Reg.* 4. *v.* 24
e) *In Apologia Davidis prima*, cap. 5. & *secunda*, c. 11.

Virgilius lib. 6. *Æneidos*,

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.

id est, *septeni*. *Nilo* enim amni notum est solùm fuisse septem ostia. Et habetur *Esa.* 11. *v.* 15. Sic apud *Claudianum* in *Fescenninis* nuptiarum *Honorii* & *Mariæ*,

Aurea septemgeminas
Roma *coronet arces*:

id est, *septenas in septem* Romæ *montibus*. *Tergeminus* quoque, vel *trigeminus*, idem quod *ternus*. Ut apud *Livium* lib. 1. ubi de *Horatiis*, & *Curiatiis*; *In duobus tum exercitibus erant trigemini fratres.* Item, *Trigemini arma capiunt.* Pro quo infrà, *terni juvenes.* Et rursus, *Princeps* Horatius *ibat trigemina spolia præ se gerens.* *Aurelius Victor*, in *Tullo Hostilio*, *Erant apud* Romanos *trigemini* Horatii, *tres apud* Albanos Curiatii. *Florus*, (lib. 1. cap. 3.) Horatiis, Curiatiisque *tergeminis hinc atq; inde fratribus utriusq; populi fata commissa sunt.* *Virgilius* lib. 4. *Æneidos*,

Tergeminamq; Hecaten, *tria virginis ora* Dianæ.

Et *Æneidos* lib. 8.

Tergemini nece Gerionis. - - - - -

Ut *Lucretius* lib. 5.

Quidve tripectora tergemini vis Geryonai.

Tibullus de *Cerbero* lib. 3. *Elegiâ* 4.

Cui tres sunt linguæ, tergeminumq; caput.

Seneca in *OEdipo* trivium describens,

Trigemina quà se spargit in campos via.

Ausonius in *Gripho Ternarii*,

Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ,
Quarum tergemini fatalia carmina libri.

Et aliquantò ante,

- - - - - - - *noctisq; per umbram*,
Tergemini vigiles. - - - - - -

Ad quæ verba *Scaliger*; *Ita intelligendum puto, ut, cùm sint quatuor vigiliæ, in singulis terni vigiles sint. Ut unusquisq; pro sua hora excubet. Tres enim horas habet una vigilia. Neq; aliter sententiam hujus loci constare putem.* Ex qua interpretatione pro tribus duodecim vigiles constituit Vir illustris, imo & vigilias totidem. Tot enim sunt vigiliæ, quot novi vigiles excubant. Ego *Poetam Christianum*, quique Sacros libros non perfunctoriè legerat, putaverim hic sequi *Hebræos* vetustiores, apud quos nonnisi tres vigiliæ fuerunt. Prima dicitur ראש אשמרות *initium vigiliarum*, Thren. 2. v. 19. Secunda התיכונה *media*, Jud. 7. vers. 19. Tertia אשמרת הבקר *vigilia matutina*, Exod. 14. v. 24. *Kimchius* in *Judices*, והיו חלקים אשמורת הלילה לשלשה חלקים השומרים בתחילת הלילה היו עורים עד שליש הלילה והוא סוף האשמורת הראשונה וראש האשמורת התיכונה והיו השומרים הראשונים הולכים לישן והאחרים קמים משנתם לשמור *Dividebant noctis vigilias in tres partes. Qui initio noctis excubabant, vigilabant usq; ad noctis tertiam partem, quæ finis erat prima vigiliæ, & initium mediæ. Tum verò primi vigiles ibant cubitum, & alii è somno excitati his succedebant.* Et *R. Selomo*, שכן דרך בני גייסות להעמיד שומרים אלו ישמרו שליש הלילה הראשון ואלו שליש השני ואלו שליש האחרון *Quia qui in exercitu degebant, solebant vigiles constituere; quorum alii primum, alii secundum, alii tertium noctis trientem vigilabant.* Unde *Talmudici* in *Beracoth*, שלשה משמרות הוי הלילה ועל כל משמר ומשמר הקדוש ברוך הוא אומר אוי שהחרבתי את ביתי *Tres sunt vigiliæ noctis; & singulis vigiliis Deus Sanctus & Benedictus dicit, Heu quòd desolavi domum meam!* At *Romanis* demum temporibus, pro tribus vigilibus, quatuor constitui cœperunt. Unde est, quod quartæ vigiliæ mentio

mentio est *Matth.* 14. *v.* 25. & *Marc.* 6. *v.* 48. *Lucas* tamen more veteri tertiam vigiliam habere videtur pro ultima, cap. 12. v. 38. *Quadrigeminus*, & *septemgeminus*, *Græcè* esset τετραδίδυμος, & ἑπταδίδυμος, pro quibus *Strabo* lib. 15. contractè scribit τετράδυμα, & ἑπτάδυμα, ubi de mulierum in *Ægypto* fœcunditate: ut *Plutarchus* in *Parallelis* dixit τετραδύμους ἀδελφούς, & τριδύμους ὁμομάχους, pro τριδιδύμους.

Quid si fur non habeat unde reddat? Deus jubet versu tertio, ut pro furto suo vendatur. Sed ad hanc Legem *Judæi* multa excipiunt. Primo enim *vir solus pro furto suo venditur, mulier non item.* Quod profitentur se habere מפי הקבלה *ex Kabbala*, seu *traditione.* Secundò, *Fur non venditur, nisi* בקרן *pro summa capitali. At pro duplo, vel quadruplo, vel quintuplo non venditur; sed hoc illi creditur, donec ditescat.* Tertiò, *Etiam pro summa capitali non venditur, qui* Cuthæo *furatur, aut qui rem sanctam surripit; sed creditur illi hæc summa, donec ditescat.* Quartò, *Si summa furto ablata valeat centum nummos, & furis æstimatio sit solùm quinquaginta nummorum, ille venditur, & reliquum summa cum duplo*, &c. *illi creditur, donec è servitute exeat anno septimo, & ditescat, & solvat.* Quintò, *Si fur æstimetur nummis centum, & uno*, (id est, unico nummo supra furti pretium) *non venditur; quia dicitur in Lege*, " Pro furto suo vendatur: *nempe ita, ut pretium ejus furti pretio totum absorbeatur.* Hæc *Maimonides*, *De furto* cap. 3. §. 12. 13. 14. Idem in Tractatu *De servis* docet servum *Hebræum* non vendi, nisi *Israelitæ*, aut Proselyto, neque vendi בפרסום על אבן המקח ולא בסימטא כדרך שהעבדים נמכרין *publicè super lapidem emptionis, neq; in platea, ut servi vendi solent, sed* בצנעה ודרך כבוד *occultè, & decorè*: quod probant ex *Levit.* 25. *v.* 42. Quorum pleraque divinæ Legis severitatem sic emolliunt, ut eam propè antiquent, ac abrogent. Tamen etiam in Legibus duodecim Tabularum una fuit, quæ furem manifestum ei, cui furtum factum erat, in servitutem tradebat, ut auctor est *Gellius* lib. 20. cap. 1.

Versu quarto pro quadruplo ovis, & quintuplo bovis abacti, cùm occisus, aut distractus est, Legislator nonnisi duplum exigit, cùm vivus, & integer in manu furis reperitur. Nempe qui bovem non solùm abigit, sed aut mactat, aut vendit, magis est reus; quia furtum suum majore celat industria, & omnem spem restitutionis ita videtur adimere. Ecce *Athenis* Legem similem ex *Demosthenis Timocratea*: ὅ τι ἐάν τις ἀπολέσῃ, ἐὰν μὲν αὐτὸ λάβῃ, τὴν διπλασίαν καταδικάζειν· ἐὰν δὲ μή, τὴν δεκαπλασίαν. *Si illud ipsum, quod furto perierat, receperit dominus, solum duplione luito, qui furtum fecit; sin minus, decuplione.* Quam Legem respicit *Gellius*, cùm de *Solone* scribit lib. 11. cap. 18. *Is, sua Lege in fures, non (ut Draco antea) mortis, sed duplici pœna vindicandum existimavit.* Pro *duplici pœna* legendum *dupli pœna*, ut cum infra de Decemviris addit idem, *Aliis deinde furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam imposuerunt dupli.* Quæ pœna fuit mitissima, & necessaria prorsus. Nam, ut rectè *Demosthenes*. Ὤιετο δὲ δεῖν τούσδε τὰ αἰσχρὰ ἐργαζομένους, μή, ἃ ὀφείλουσι μόνον ἀποδιδόντας, ἀπαλλάχθαι· πολλοὶ γὰρ ἂν αὐτῷ ἐδόκουν οὕτω γ' οἱ κλέπται ἔσεσθαι, εἰ μέλλοιεν λαβόντες μὲν ἕξειν, μὴ λαβόντες δὲ αὐτὰ μόνα καταθήσειν ἃ ὀφείλοντο. *Solon eum credidit, qui turpia perpetrat, non esse dimittendum, iis solùm quæ subtraxit redditis; cùm fures existimaverit magna copia futuros, si ea, quæ furto abstulissent, aut cùm laterent retinerent, aut cùm paterent sola redderent.* Tamen hic quoque *Hebræi* habent quod excipiant. *Maimonides*, *De furto* cap. 1. §. 7. 8. 9. *Mulier conjugata, quæ non habet quod reddat, credetur ei duplum, donec repudiata fuerit, aut obierit vir ejus, & ab eo recedant judices. Puer pro furto non tenetur duplum restituere. Sed, si quid illi pretium est, restituitur. Et rem surreptam si amisit, non tenetur quidquam reddere præter summam capitalem, idq; postquam adoleverit. Servus quoq;, qui furatur, à dupli restitutione liber est, ut & servus dominus. Neque enim quisquam tenetur servorum noxam præstare.* Volunt tamen sententia judicis pueros pro ætate, & servos asperius cædi, ne furto sensim assuescant. Cætera ibi vide.

Versu quinto, *Si quis depastus fuerit agrum, vel vineam, & immiserit pecus suum ut pascat in agro alterius, optimum agri sui, & optimum vineæ suæ rependet.* Maimonides, *De damnis* ubi suprà, vult à domino bruti plenè & planè restitui damni quidquid intulit בדברים שדרכה לעשותם תמיד כמנהג ברייתו *in rebus, quæ semper facit juxta morem creationis suæ, ut si comedat fœnum, aut gramen, aut pede suo inter eundum lædat* terræ proventum, *dominus damnum plenè reparare tenetur* מן היפה שבנכסיו *ex iis, quæ præcipuè habet in bonis; quia dicitur in Lege*, " Optimum agri sui, " & optimum vineæ suæ rependet. Simile, *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, ei, cujus interest, in eum, qui dominus erit quadrupedis, actio noxalis esto*; nempe ex Legibus duodecim Tabularum. Vide *Institutionum* libri quarti Titulum nonum, & ad eam Legem Jurisconsultos.

Multa hic haberemus inserenda de bove alteri credito, aut deposito, vel in custodiam commisso: qui si ab ignoto surripiatur, aut moriatur, aut à feris discerpatur, aut ab hoste abigatur, tenetur depositarius, si rei gestæ testes, aut certa indicia desunt, coram judicibus sacramento se purgare; aut duplum restituere, si rem fidei suæ commissam reperiatur fraude aliquâ intervertisse. Quod pluribus docet *Moses* à versu septimo usque ad decimum sextum. Sed de his tacere malumus, quàm pauca dicere; cùm in hunc Legis locum *Maimonis* filius tres Tractatus scripserit, singulos multorum capitum: quorum unus est *De conducto*, secundus *De deposito*, tertius *De mutuo*. Eos autem hic describere neq; otii, neq; instituti est nostri: quamvis quædam habeant lectu & scitu non indigna.

Exod. 23 v. 4. *Si offenderis bovem inimici tui, aut asinum ejus errantem, reducito eum ad illum.* Et *Deut.* 22. *v.* 1. *Si videris bovem fratris tui, aut pecudes ejus errantes, non occultabis te ab illis; sed eas reduces ad fratrem tuum.* Hæc duo loca si conferas, in quibus Lex eadem diversis verbis effertur: primò notabis in posteriore eum vocari *fratrem*, qui in priore *inimicus*: quia homines etiam infensissimi pro fratribus habendi sunt, cùm communem nobiscum habeant originem, & gerant imaginem ejusdem Dei. Secundò, in uno de bove, & asino; in altero de bobus, & pecudibus errantibus sic agi: ut & aliud quodvis animal, cujus dominum novimus, significetur. Itaque post hæc *Exodi* verba, *Si offenderis bovem inimici tui, aut asinum ejus*, addunt *Samaritani*, ࠀࠅ ࠊࠋ ࠁࠄࠌࠕࠅ *aut quodcunq; ejus animal.* Quin, ut scias hanc Legem patere multò latiùs, Legislatoris ipsius ἐπεξήγησιν audi *Deuter.* 22. *v.* 3. *Et sic facito asino ejus, sic etiam vestimento ejus, & omni rei amissæ fratris tui: cum perierit illi, & eam inveneris, non poteris te occultare*, id est, te subducere, & oculos avertere, quasi non videas quæ vides. *Jonathan* in *Exodo* sic habet, *Si incidas in bovem inimici tui*, ואת סני לידך בחובתא דאת ידע ביה בלחודך *quem oderis propter peccatum, quod tu solus in eo noveris.* Planè extra oleas. *Inimicus* enim is vocatur, qui nos odit, non quem ipsi odimus. Neque enim per Legem nobis licet quemquam odisse. *Pharisæorum* quidem hæc fuit doctrina, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: sed quam meritò refellit *Christus* *Matth.* 5. *v.* 43. Et causa odii sive publica, aut privata sit, sive nota omnibus, aut nobis solis; tamen tenemur huic Legi obsequi; quia quemvis inimicum pro fratre agno-

agnoscere debemus, & omnibus sinceræ charitatis officiis pro virili prosequi: ut, quantum fieri potest, bono malum vincamus juxta *Pauli* exhortationem *Rom.* 12. *v.* 21.

Ejusdem Legis consectarium est, quod sequitur *Deuter.* 22. *v.* 4. *Viso asino fratris tui, aut bove ejus in via lapsis, non ab eis te occultabis, sed unà cum illo eriges.* Pro *asino fratris tui* Syrus habet ܚܡܪܐ ܕܒܥܠܕܒܒܟ; *Arabs* itidem, quem in *Suecia* vidi manuscriptum, حمار عدوك *asinum inimici tui.* Neque id aliunde sumptum, quam ex loco parallelo *Exod.* 23. *v.* 5. qui, quia est obscurissimus, obiter est explicandus. *Hebræa* sunt, כי תראה חמור שנאך רבץ תחת משאו וחדלת מעזב לו עזב תעזב עמו id est, ad verbum, *Cum videbis asinum inimici tui sub onere suo jacentem, desines à relinquendo ipsi: relinquendo relinques cum eo.* Quæ quia in speciem contraria sunt, *Desines*, seu *abstinebis ab asino sub onere jacente inimico tuo relinquendo:* &, *Asinum cum hoste tuo relinquendo relinques;* interpretes ut hæc concilient, in omnes partes se vertunt. Et veteres quidem, de verbis non multum solliciti, sat habuerunt sensum utcunque exprimere. In his *Hieronymus*, *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo:* ut *Græci*, Οὐ παρελεύσῃ αὐτὸ (τὸ ὑποζύγιον) ἀλλὰ συναρεῖς αὐτὸ μετ᾽ αὐτοῦ. *Complutensis*, ἀλλὰ συνεγερεῖς. Ita etiam *Cyrillus* lib. 8. *De Adoratione.* Unde Pseudo-*Phocylides* versu 132.

Κτῆνος δ᾽ ἢν ἐχθροῖο πέσῃ καθ᾽ ὁδὸν, συνέγειρε,
Jumentum inimici cùm per viam ceciderit, cum eo simul excita. Jonathan, משבוק תשבוק בההיא שעתא ית סנא דבלבך עלוי ותפרוק ותטען עמיה *Dimittendo dimittes eo momento odium, quod est in corde tuo contra eum, & sublevabis, onerabisq; cum eo.* Alii in postremo commate nonnisi alterutrum habent. Ita *Onkelos*, ותפרוק עמיה *& sublevabis cum eo.* Et *Syrus*, ܡܫܩܠܘ ܬܫܩܘܠ ܥܡܗ *sublevando sublevabis cum eo.* At *Samaritanus*, ࠏࠆࠁ ࠕࠏࠆࠁ ࠏࠌࠄ *onerando onerabis cum eo.* Contra quam *Arabs Parisiis* editus, يجب ان تحط عنه حطا *Oportet, ut eum exonerando exoneres.* Et *Erpenianus*, معون تعون معه *Auxiliando auxiliaberis cum eo.* Nempe ex *Salomonis* sententia, cui עזיבה in לשון עזרה *derelictio hic auxilium sonat.* Quod ut probet, affert exempla ex *Deut.* 33. *v.* 36. & *Nehem.* 3. *v.* 8. Sed quæ sunt planè extra rem, ut inspicienti patebit. Et præcedentia בתמיה, id est, *interrogativè*, sumens, totum locum ita exponit, *Cùm videbis asinum inimici tui sub onere jacētem, an desines illi auxiliari? Quin auxiliando auxiliaberis cum illo.* Quod sequuntur *Pagninus*, *Castalio*, *Ainsvvorthius*, & *Anglicana* versio. At *Kimchius* (quomodo supra *Jonathan*, & *Samaritanus*) *Asinum onerando onerabis cum eo*, id est, cum hoste, quem adjuvabis ad onus asino collapso, & erecto rursus, imponendum. Quasi עזב *relinquere* hoc loco sit *onerare*, quomodo sumi contendit *Job.* 10. *v.* 1. Sed perperam, ut docet *Mercerus* ad *Jobum*. Et *Aben Ezra* de suo multa inferciens, *Cave, ne id relinquas ipsi soli: sed vincula cum ipso solves, & onus sublevabis, ut hinc vel inde cadat, & surgat asinus.* Unde Junius, *Si videris succumbentem*, &c. *dum abstines à deponendo onere illius, omnino deponito cum eo onus.* Munsterus, *Cessabis dimittere eum, relinquendo relinqueris cum eo.* At תעזב est *relinques*, non *relinqueris*. Mercerus, *Desines relinquere ei*, onus scilicet, id est, Non committes, ut ei onus relinquatur, ne oneri succumbat, *sed relinquendo relinques cum eo*, id est, rursus, eum adjuvans, illi onus impones. Ex qua interpretatione, ut cætera taceam, idem Verbum priore loco *exonerare*, posteriore *onerare* significabit. *Schindlerus*, *Deserendo deseres cum eo*, id est, rejectis aliis negotiis, sis cum eo. *Buxtorfius*, negatione de suo additâ, *Relinquendo* (non) *relinques cum eo.* *Deodatius* in *Italica* versione, *Del tutto fa con lui si che posse andar oltre*, id est, *Omnino ita fac cum eo, ut possit ire ulterius.* Et in *Gallica*, *Ne faux point a luy aider a le relever*, id est, *Cave, ne inimico non adsis ad asinum ejus erigendum.* *Genevenses* valde obscurè, *Tu te deporteras de le luy laisser la, tu le lairras seulement avec luy.* Ludovicus de Dieu, *Potius quam relinquas ei* (asino) supple *onus, sub quo jacet*, vel *relinquas eum* supple *sub onere, relinquas potius omnino litem*, quæ *cum ipso* (hoste) tibi est. Vel, *Cùm videbis asinum osoris tui jacentem sub onere, cave, ne relinquas id ipsi. Relinquendone relinqueres cum ipso?* Id est, Cave, ne asino ejus relinquas onus, sub quo pressum eum vides. Vel sic, *relinquendo relinque cum ipso*, vel *apud ipsum*; id est, ubi sublevatus fuerit asinus, ne tu onus ejus tibi auferas, sed apud asinum relinque. Ex quorum collatione planum est, viros doctos, qui hunc locum attentant, in magnis versari angustiis. Neque verò id immeritò. Nam quidquid agatur, non puto ullum ex recepta lectione commodum sensum posse elici.

Sed videat peritus lector, annon sensui consulatur, si, *Masorethar um* distinctione neglecta, לו *lo*, per *Vau* vel sic legatur, vel sic reddatur, quasi esset לא per *Aleph*. Quo concesso, Lex de asino jacente sublevando sic habebit, *Cum videbis asinum inimici tui sub onere jacentem*, וחדלת מעזב לא עזב תעזב עמו *à relinquendo* (supple *illo*) *abstinebis. Cum eo* (supple, inimico, illum) *relinquendo non relinques.* Nempe, ut solus jacentem asinum quomodocunque erigat, quasi hoc ad te nihil attineret. Ita hæc duo commata idem dicent. Sed mandatum nostris affectibus tam oppositum ingeminare necesse fuit, ne illud mundani homines perfunctoriè legerent, & leviter præterirent. Commatum Scripturæ distinctionem, quam *Masorethæ* observant, non semper eandem fuisse, cum alii probârunt, tum maximè *Capellus* ὁ μακαρίτης *Critica Sacra* libri quinti capite quarto. Et לו *lo*, per *Vau* sæpe occurrere pro לא *lo*, per *Aleph*, ut vicissim לא pro לו, idem probat multis exemplis ex Lege, & Prophetis, allatis ejusdem *Critica* libri tertii capite decimo. Itaque lectio, quam indicavimus, nihil supponit, quod non sit usitatissimum. Res eodem redibit, si sic legas, וחדלת מעזב לו לא עזב תעזב עמו *à relinquendo illi* (asinum sub onere jacentem) *abstinebis. Relinquendo*, inquam, *non relinques cum eo.* Particularum enim לו *lo*, per *Vau*, & לא *lo*, per *Aleph* se mutuò subsequentium, facilè potuit à scribis posterior præteriri, quia sunt sono planè similes. Potuit etiam sic legi, וחדלת מעזר לו עזר תעזר עמו *Et abstinebis ab* (asino jacente) *ipsi relinquendo:* asino potius *auxiliando auxiliaberis cum eo*, id est, cum inimico tuo. In qua lectione, pro vocibus עזב תעזב, haberetur עזר תעזר, *Beth* & *Res* permutatis. Quod non est sine exemplo. Nam in una & eadem historia de *Josaphato* legitur 1. *Reg.* 22. *v.* 32. ויסרו עליו *Et declinaverunt ad eum*, & 2. *Paral.* 18. *v.* 31. ויסבו עליו *Et circumdederunt eum.* Quomodo utrobique legisse *Græcos* Interpretes docet, quod utrobique reddunt, καὶ ἐκύκλωσαν αὐτόν. Sic *Ezech.* 2. *v.* 6. כי סרבים ab iisdem redduntur διότι παροιστρήσουσι, quia legerunt כי סררים: ut *Os.* 4. *v.* 16. כפרה סררה סרר, quod exponunt, ὡς δάμαλις παροιστρῶσα παροίστρησεν, de quo plura in capite *De Oestro.* Et *Amos* 6. *v.* 12. בבקרים, *in bobus*, reddunt ἐν θηλείαις, quasi legerint בנקבים, *Nun* pro *Beth*, & *Beth* pro *Res*. Accedit, quod ex עזור תעזור, per scribarum imperitiam, facilè fieri potuit עזב תעזב, quia immediatè præcedit מעזב לו. Neque est, quòd in hujusmodi conjecturas paratragœdiet Vir magnus, cujus pater, illi doctrinâ non inferior, *Græcos* Inter-

Interpretes conjicit *Amos.* 5, 25. pro כִּיּוּן legisse רֵיחַ *ῥεφάν*, litera כ infernè evanida. Tamen hæc pono, non statuo. Neque mihi tam *Suffenus* sum, ut non omnia mea peritiorum judicio libens submittam.

Deut. 22, 10. *Non arabis bove & asino simul.* Addit *Jonathan*, ובכל בריתא בתרין זנין קטורין כחדא *neque ullis jumentis duarum specierum simul junctis.* Ita etiam intelligunt *Josephus* & *R. Selomo*. Alii cum *Maimonide* solùm hinc colligunt, mundum animal, qualis est bos, cum immundo, qualis est asinus, simul copulari non posse. Alii jungi debere negant, quia vires habent inæquales. Alii, quia bos ruminat, asinus autem non ruminat, & bovi ruminanti invidet, quasi pabulum, quo ipse caret, illi suppetat: tum verò

Invidus alterius rebus macrescit opimis.

Sed de hoc jam actum supra (f).

f) Cap. 13. supra, pag. 187. lin. 17. 18.

Deut. 25. v. 4. *Bovem triturantem non capistrabis.* Quod olim apud *Græcos*, & fortasse etiam apud alios, tam fuit usu receptum, ut inde natum sit Proverbium, de quo *Suidas*, & reliqui Parœmiographi, Βοῦς ἐπὶ σωρῷ, ἐπὶ τῶν ἀλοώντων, καὶ διὰ φιμοῦ ἐσθίειν κωλυομένων· *Bos in acervo, de bobus triturantibus, & qui per camum ab esu prohibentur.* Tamen, quia inhumanum videtur, ut in mediis frugibus bos, qui laborat, instar *Tantali*, observare cogatur esuriales ferias, Deus hanc Legem sanxit *Israëlitis*, *Bovem triturantem non capistrabis.* *Hebraicè* לא תחסום, & *Græcè* οὐ φιμώσεις, quod sequitur *Apostolus* 1. *Cor.* 9, 9. & 1. *Tim.* 5, 18. Nempe חסם, *Græcè* φιμοῦν, propriè est *os jumenti capistrare*, nè edat, vel mordeat. Et capistrum, quo id fit, *Hebraicè* מחסום, vel חסום, *Græcè* φιμὸς vocatur. Hinc *Ps.* 39, 2. *Symmachus*, Φυλάξω τὸ στόμα μου φιμῷ, pro *Hebrais* אשמרה לפי מחסום. Et *Sirach.* 20, 29. *Munera, & dona*, ὡς φιμὸς ἐν στόματι, *ut capistrum in ore, avertunt reprehensiones.* *Talmudici* etiam in Tractatu *De Sabbatho* cap. 5. *Ne egrediatur vacca* (die Sabbathi) בחסום שבפיה *cum capistro, quod ori ejus induitur.* Ubi *Glossa*, שחוסמין אותה שלא תרעה בשדה *quo capistrant eam, ne pascatur in agro* Item, וכשמגיעין למקום מרעיתם נוטלין אותה הימנה *Et cum venerunt ad locum pascuus sui, hoc illi adimunt.* Hujusmodi capistris olim non solùm triturantes, sed & arantes boves capistrare moris erat. *Fiscellas* à figura *Romani* Scriptores appellant. Hinc *Cato*, *Rust.* cap. 54. *Boves fiscellas habere oportet, nè herbam sectentur, cum arabunt.* *Plinius* quoque jubet *boves fiscellis capistrari, nè germinum tenera præcerpant*, lib. 18. cap. 19. Alii collo jumentorum ligneam indebant machinam, qua ab esû prohiberentur. Quod servis quoque in pistrino molentibus factitatum esse legimus. *Græci* παυσικάπην vocabant. *Eustathius* in *Iliad.* 22. ex *Ælio Dionysio*, Παυσικάπη, μηχάνημά τι τροχοειδὲς, δι' οὗ τὸν τράχηλον διεῖρον τῶν ὑποζυγίων, ὥστε μὴ ἐσθίειν· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὥστε μὴ δύνασθαι τὰς χεῖρας τῷ στόματι προσάγειν. Paulicape, *machina quædam rotæ similis, per quam jumentorum collum trajiciebant, nè ederent: quomodo etiam hominum, ne manus ori admovere possint.* Unde παυσικάπη dicta, ὡς παύουσα τῆς κάπης, ἢ τοῦ κάπτειν, ὅ ἐστι τὸ ἐσθίειν, eò quod ab esu prohiberentur. De eadem vide *Pollucem*, *Hesychium*, *Suidam*, &c. Alii hâc ipsa de causa ora boum fimo oblinebant. *Ælianus*, *Hist.* lib. 4. cap. 25 Ὅταν ἀλοητὸς ᾖ, καὶ στρέφονται περὶ τὴν δίνην οἱ βόες, καὶ πεπληρωμένη τῶν δραγμάτων ἡ ἅλως ᾖ, ὑπὲρ τοῦ τοὺς βοῦς μὴ ἀπογεύσασθαι τῶν σταχύων, βολίτῳ τὰς ῥῖνας ἐπιχρίουσιν αὐτῶν· *Cum tritura tempus est, & boves in gyrum aguntur, & manipulis segetum plena est area, ne boves spicas comedant, nares eorum unguntur fimo bubulo.* Fuêre etiam, qui voce, aut alio metu, aut aculeo in ore indito, bovem ab esu absterrebant, aut admoto matri vitulo, aut potu diu illi denegato, ut bos siti laborans à cibo abhorreret. Alii segetes pellibus obtegebant, nè bos posset illas morsu attingere. Itaque in eorum censu, qui hujus Legis violatæ rei sunt, à *Maimonide* ponitur ישב לו קוץ כפיה ודש בה והרי אין אוכלת והרביץ לה ארי מבחוץ או שהרביץ בנה מבחוץ הרי שצמאה ואינו משקה אותה פרס עור על גבי הדיש כדי שלא תאכל *qui in ore bestiæ spinam ponit, cum ea triturat, ne comedat: aut qui facit, ut leo prope aream, aut vitulus ejus illi accubet: aut qui sitientem non potat: aut qui pelles extendit super trituram, ut ab esu prohibeat.* Denique כל המונע הבהמה מלאכול בשעת מלאכתה *quisquis jumentum ab esu prohibet, dum operi incumbit.* Addit, cum bove hic idem esse quodvis aliud animal, sive mundum, sive immundum. Et cum tritura hic idem esse כל מלאכות של גדולי קרקע *omnia opera, quæ ad proventum terræ pertinent.* Et triturantem bovem solùm adduci בהווה *exempli causâ.* Neque referre, utrum in ipso laboro, aut ante laborem obligetur os bovis. Et pro obligatione haberi etiam quæ fit בקול *solâ voce*, cùm nempe quis clamore, & minis, bovem ab esu absterret. Et eum, qui jumentum conduxit, & eo capistrato triturat, præterquam quod vapulat, quia Dei legem violavit, debere jumenti domino pro bove quatuor cabos, & pro asino tres cabos, quos nimirum verissimile est illos fuisse esuros, nisi fuissent capistrati. Hæc & multò plura *Maimonides* in Tractatu שכירות *Sechiruth*, seu *De conductione*, capite ultimo. Scopus Legis est, ut justos sciamus nè bestias quidem suas negligere debere, multò minùs familiam, & egenos homines. Hinc *Solomon* Prov. 12, 10. *Justus etiam jumenti sui vitæ prospicit, sed impiorum viscera crudelia sunt.*

Leges, quæ arare vetant primogenito bovis, *Deut.* 15, 19. & de bove die octavo offerendo, & ejus quiete die Sabbathi, *Exod.* 22, 30. & 23, 12. ideo præterimus, quia sunt merè ceremoniales. *Christus* docet die Sabbathi licuisse bovem & asinum à præsepi solvere, & aquatum deducere. Et, si in puteum decidissent, illa ipsâ die potuisse extrahi, *Luc.* 13, 15. & 14, 5. Quomodo apud *Romanos Scævola*, consultus quid feriis agi liceret, respondit, *Quod prætermissum noceret.* quapropter, si bos in specum decidisset, eumque paterfamilias, adhibitis operis, liberâsset, non est visus ferias polluisse. Hæc *Macrobius Saturnalium* libri primi capite decimo sexto.

CAPUT QVADRAGESIMUM PRIMUM.

Similitudines à Bobus ductæ.

Somnium Pharaonis *de septem vaccis*, Gen. 41. יאר *propriè* Nili διώρυξ. *Vacca* באחו in achu, *seu* carice. Ægyptiis *idem* ἄχι, *&* Arabibus أخيـة achia. Græcus *Scholiastes notatus.* Hesychius *emendatus.* *Somnium* Archelai *simile somnio* Pharaonis. *Septem vaccæ, septem anni: ut in* Homero *novem passeres, novem anni; & duodecim* Romuli *vultures, tot secula.* *Bos, agriculturæ symbolum.* *Somnii* Pharaonis *reliqua explicantur.* *Septem annorum fertilitas, & fames miraculosa.* *Fames novennalis sub* Busiride *ab hac diversa.* *Quid de* Josepho Trogus, *&* Philo *Senior.* Deut. 33, 17. *primogeniti bovis decor aut* Josepho *tribuitur, aut tribubus ex eo natis.* *Primogenituræ jus partim in* Josephum *translatum.* Jud. 14, 18. Samson *non dicit* Philistæos *arâsse vitulam suam, id est,* Dalilam; *quod esset obscœnius: sed arâsse cum ea; quia illius operâ arcanum suum rimati fuerant.* Job. 6. v. 8. An

mugit bos juxta pabulum? *Ità* Job *non querebatur, quamdiu bonis abundabat.* Job. 40, 15. Herbam ut bos comedit, *ut* Es. 11, 7. *&* Dan 4, 29. *Obiter explicantur duo loca* Sirachidis *obscurissima.* Ps. 22, 12. *cum tauris, iisque* Basanis, *conferuntur homines stolidè feroces, qui alios tanquam cornibus impetunt. Eadem Metaphora alibi frequens. Tauri duces armenti.* Ps. 29, 5. 6. *Cedri ad Dei vocem* ut vitulus exiliunt. Prov. 7, 22. *Juvenis, ab adultera seductus, ut bos, qui ducitur ad lanienam.* Es. 1, 3. *Bovi, qui possessorem agnovit, quàm dissimilis* Israël. Es. 11, 6. 7. *Vitulus & leo, vacca & ursa simul, id est, Gentes cum* Judæis *in eadem Ecclesia.* Es. 15, 5. Cor meum clamat ut vitula triennis, *quæ tauro vocalior est, eà ætate imprimis.* Jerem. 31, 18. Castigatus fui ut vitulus nondum edoctus, *qui pluribus plagis ad jugum ferendum instituitur.* Jer. 46, 20. Vitula speciosissima Ægyptus: *cur* Syrus *picturatam reddat. Versu sequenti* Ægyptii *milites ut* vituli מרבק marbek, *&* Jerem. 50, vers. 11. pingues ut vitula triturans. *Idem de justis* Malach. 4. 2. *Quatuor animalia specie bovis, &c.* Ezech. 1, 7. 10. *&* Apoc. 4, 7. *An* Cherub *formâ vituli, &* Aaron *vitulum faciens id respexerit. Vox* cherub *quid significet.* Os. 4, 16. ut juvenca refractaria, refractarius Israël. *Quid sit* pasci in loco spatioso. *Boves refractarii cervicem, & humeros, quantum possunt, jugo subducunt: ita* Israël. *Os.* 10, 11. Ephraim vitula edocta, & amans triturare. *Cur dicatur Deus* transivisse super collum ejus. *Os.* 14, 2. *quomodo Deus auferat omnem iniquitatem, & accipiat bonum. Ibidem, quid sit* reddere juvencos, *aut* fructus labiorum. Καρπὸς *pro* oblatione. *Amos* 6, 12. Quis arabit bobus? *nempe in petra. Cur* bubalos *substituat* Hieronymus: *&* Græci *quomodo legerint. Pastores* currere *dicuntur, & eorum labor agricultura genus.* 1. Cor. 9, 9. *ad pastores refertur Lex, quæ bovem triturantem capistrare vetat. Cur neget* Paulus *boves Deo esse curæ. Eadem ferè verba usurpant* Philo *&* R. Menachem.

QUia non multum refert quo ordine referantur similitudines à bobus ductæ, nos simpliciter sequemur Sacrorum Scriptorum ordinem, solùm iis simul junctis, quæ sæpiùs recurrunt. In his primò se offert *Pharaonis* somnium de vaccis, quæ vel fertilitatis, vel famis annos referebant. Illud sic refert *Moses* Gen. 41. Pharao *in somniis sibi visus est stare ad flumen. Et ecce ex flumine ascenderunt septem vaccæ pulchræ aspectu, & pingues carne, quæ pascebantur in carice. Ecce item septem aliæ vaccæ ascenderunt post eas ex eodem flumine, turpes aspectu, & tenues carne, quæ steterunt juxta vaccas illas ad ripam fluminis, & devoraverunt vaccæ illæ turpes aspectu, & tenues carne, septem vaccas pulchras aspectu, & pingues.* Flumen illud est *Nilus.* Proinde *Arabica* versio in majoribus *Bibliis pro flumine* ubique habet النيل *Nilum. Hebræum* nomen היאר, non tam *flumen* sonat, quam διώρυγα, *rivum,* seu *alveum ex flumine deductum,* quales ex *Nilo* multos deduci nemo est, qui nesciat. Vaccæ pulchræ, & pingues, quæ indè emerserunt, pascebantur in carice, *Hebraicè* באחו *in achu.* Ut *Job.* 8, 11. *An adolescet juncus absque cœno,* aut *crescet* אחו *achu* (id est, *carex*) *sine aqua?* Alibi non occurrit. Sed *Ægyptius,* ut putant, id ipsum fuit *achi.* Hinc *Sirachides,* qui in *Ægypto* scripsit, *Eccles.* 40. versu 16. Ἀχὶ ἐπὶ παντὸς ὕδατος, καὶ χείλους ποταμοῦ. Et *Septuaginta* de vaccis *Gen.* 41. *vers.* 2. 18. Ἐνέμοντο ἐν τῷ ἄχει. Et *Es.* 19, 7. τὸ ἄχι τὸ χλωρὸν πᾶν τὸ κύκλῳ τοῦ ποταμοῦ· ubi tamen *Hebraicè* non est, אחו, sed ערות. Et ad hunc locum *Hieronymus, Audivi ab Ægyptiis hoc nomine lingua eorum omne, quod in palude virens nascitur, appellari.* Etiam *Arabicè* اخيذ *achia,* & Plur. اواخي *avvachi* in *Giauhari* dicuntur اسباب ترعي *res pascuales.* Et in *Græco Scholiaste in Genesin,* Ἄχος ἐστὶ τὸ λεπτὸν, καὶ βοτανῶδες φυτάριον, Achos *tenuis, & herbosa planta est.* Sed ἄχος perperam habetur pro indeclinabili ἄχι. Et in *Hesychio,* pro Ἀχισπῦ, ἢ χόρτῳ, χλωρῷ legendum, Ἄχι, πόα, ἢ χόρτος χλωρός.

Pharao in somnii narratione hoc solùm addit, septem vaccas deformes, postquam septem pingues devorâssent, & in viscera demisissent, id non apparuisse; quia, illis absumptis, tam turpes, & macræ fuerunt quàm priùs. Somnio de septem bobus simile fuit alterum de septem spicis plenis, & pulchris, quas vorârunt septem tenues. Et ex utroque conflatum somnium *Archelai Judæi* Regis, de quo *Matth.* 2, 22. Is enim, ut refert *Josephus* sub finem libri decimi septimi, somniavit se videre decem spicas maturas, & tritico plenas, à bobus absumi. Et somnii interpres, *Simon Essæus,* indè collegit, eum non victurum supra decem annos, & rerum fore mutationem; quia bos terram invertit: cui prædictioni respondit eventus. At *Pharao* de somniis suis cum ariolos & conjectores frustrà consuluisset, *Josephus* advocatus sibi nihil arrogavit: sed *Deus,* inquit, *sine me salutaria* Pharaoni *respondebit.* Ut *Daniel Nebucadnetsari* Dan. 2, 28. *Profectò est Deus in cœlo, qui revelat arcana.* Deinde, ad somniorum Regis interpretationem se accingens, docet utrumque somnium idem significare, nempe septem annos ubertatis, & septem sterilitatis. Sed, ut de spicis jam taceamus, etiam in auguriis voluêre veteres per aves annos designari. Sic, *Græcis Trojam* obsidentibus, cùm draco octo passerculos cum ipsa matre devorâsset, *Calchas* Augur dixisse fertur *Iliad.* β'.

Ὡς οὗτος κατὰ τέκν' ἔφαγε στρουθοῖο, καὶ αὐτὴν,
Ὀκτὼ, ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα·
Ὣς ἡμεῖς τοσσαῦτ' ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι.

Quæ *Tullius* ita reddidit libro secundo *De Divinatione,*

Nam quot aves retrò mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam *belli exantlabimus annos.*

Ut ex duodecim vulturibus à *Romulo* visis *Varro* apud *Censorinum* refert *Vettium* Augurem collegisse *Romanorum* imperium à tempore urbis conditæ ad mille & ducentos annos perventurum, id est, ad sæcula duodecim: quod ipso eventu comprobatum est. Ita igitur *Pharaoni* boum numero Deus annorum numerum significavit. Præterea, quia boum opera coluntur agri, in *Ægyptiorum* Hieroglyphicis, ut *Clemens* auctor est libro quinto *Stromateων,* γῆς τε αὐτῆς, καὶ γεωργίας, καὶ τροφῆς σύμβολον ὁ βοῦς, *terræ ipsius, & agriculturæ, & cibi bos symbolum est.* Boum igitur pinguedine fertilitas, & macie fames optimè est adumbrata. Nec frustrà macræ boves septem *Pharaoni* visæ sunt totidem opimas devorâsse, cum septem annorum ubertatem consumpserit septem sequentium sterilitas. Hoc quoque observandum, macras boves, pinguibus deglutitis, nihilò fuisse obesiores, atque habitiores. Id enim in fame sæpe accidit, ut homines quamlibet voraces, nunquam tamen exsatientur; quia Deus frangit baculum panis, id est, sustentandi vim ei adimit. Quò faciunt minæ Legis, *Levit.* 26, 26. *Frangam vobis baculum panis, & comedetis, nec saturabimini.* Vide & *Os.* 4, 10. *Mich.* 6, 14. *Agg.* 1, 6. &c. Neque omittendum, tam pingues, quam macras boves ex *Nilo* ascendisse; quia, cum in *Ægypto* vix pluat, *Nilus Ægyptiis* tam copiæ, quàm inopiæ solus auctor est, prout magis aut minus crescit. Si enim solùm ad duodecimum, aut infra duodecimum cubitum

tum exundet *Nilus*, regio fame premitur; quia pauci agri rigantur. At, cum excedit aliquot cubitis, ubertas magna sequitur. *Plinius* libri quinti capite decimo nono, *In duodecim cubitis famem sentit* (Ægyptus) *in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sexdecim delicias. Maximum incrementum fuit ad hoc avi cubitorum decem & octo*, Claudio *Principe. Minimum quinque*, Pharsalico *bello*; *velut necem* Magni, *prodigio quodam, flumine aversante.* Verissimile igitur est per septem annos fertilitatis *Nilum* ultra solitum exundâsse. Et contra, per annos famis, aut intra limites suos se continuisse prorsus, aut eos parùm excessisse. Quod Naturæ non tribuerim, sed miraculo. Ita enim suadent *Josephi* verba *Gen.* 41,28. *Deus ostendit* Pharaoni *quod facturus est.* Quippe, utut Naturæ opera Deo etiam tribuantur, tamen extraordinaria virtus his videtur significari. Quin ipsa visio satis docuerat aliquid hic futurum præter Naturam. Neque enim bovi naturale est, ut alter alterum voret. Quidam ad hanc famem referunt quod in *Ovidio* legitur libro primo *De Arte*,

Dicitur Ægyptus *caruisse juvantibus arva*
Imbribus, atque annis sicca fuisse novem:
Cum Thrasius Busirin *adit, monstratque piari*
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.

Sed non convenit annorum numerus. Nam fames sub *Busiride* novem annorum fuit; sub *Josepho* nonnisi septem. Et *Busiris* in *Ægypto* diu post *Josephum* regnavit, *Mose* jam sene. Proinde illum *Isocrates* solùm ducentis annis facit *Perseo* vetustiorem, cùm annis ferè quadringentis ante natum *Perseum Josephus Pharaonis* somnium explicaverit. Sed rei tantæ testes externos qui desiderat, *Trogum* legat libro trigesimo sexto, ubi de *Josepho* hæc habet; *Minimusque inter fratres ætate* Joseph *fuit. Cujus excellens ingenium veriti fratres, clàm interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in* Ægyptum, *cùm Magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, brevi ipsi Regi percharus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit: nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur. Adeò ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit: perissetque omnis* Ægyptus *fame, nisi monitu ejus Rex edicto servari per multos annos fruges jussisset: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur.* Neminem turbet, quod Magicis artibus *Josephum* id præstitisse vult, quod Deo revelante didicerat. Neque enim aliud potuit venire in mentem *Ethnici* hominis, & veri Dei cognitione destituti. Eodem pertinent hæc *Philonis* apud *Eusebium* libro nono *Præparationis*,

Ἰακὼβ εὐλογητοῖο τόκος Ἰωσὴφ, ὃς ὀνείρων
Θεσπιστὴς, σκηπτοῦχος ἐν Αἰγυπτίοισι θρόνοισι,
Δινεύσας λαθραῖα χρόνου πλημμύρεσι μοίρης·

Jacobi *liberis beati proles* Josephus, *qui somniorum interpres fuit, sceptriger in* Ægypti *soliis, occulta temporis reciproco fati æstu versans.* *Philonem* intellige, non *Byblium*, neque *Alexandrinum*, sed alium utroque vetustiorem, quem de rebus *Judaicis* citant *Josephus* libro primo contra *Apionem*, & *Clemens* primo *Stromatum*. Itaque is à *Josepho* vocatur Φίλων ὁ πρεσβύτερος, *Philo senior*.

Dubitatur, an de *Josephi* persona, vel de tribubus ab illo oriundis dixerit *Moses* Deut. 33,17. *Primogeniti bovis decor illi est.* Si prius, videbitur *Josephus* à forma commendari: ut re vera fuit formæ venustate insignis, *Gen.* 39,6; qualis fuerat mater, *Gen.* 29,17. Deo volente, ut non solùm animi, sed & corporis dotibus præ reliquis emineret, quo Regis, & Magnatum benevolentiam sibi faciliùs conciliaret. Nam illud *Poeta* verissimum est,

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Interim hæc ipsa forma fuisset ipsi exitiosa, nisi providisset Deus, cùm egregius ille juvencus ab hera sua, tanquam lasciviente vaccâ, ad stuprum appetitus est. Addunt, *Josephum* conferri cum bove non immeritò; quia in agricultura bos homini cooperatur: *Josephus* autem, ut bonus agricola, prospexerat, nè panis *Ægyptiis* famis tempore deesset: atque inde esse, quod bovis simulachrum ejus sepulchro imposuerunt, adeoque ipsum in *Apide* bove coluerunt. Sed suprà (*) probavimus hæc falsa esse, vel incerta. Et verò *Prophetæ* verba non tam ad *Josephum* pertinent, quàm ad tribus ex illo ortas. Quod sequentia palàm docent, ubi hæc verba referuntur ad myriades *Ephraim*, & chiliades *Manasse*. His igitur tribuit *Moses* primogeniti bovis, id est, tauri decorem, seu gloriam. Nam הדר non solùm *decorem*, sed & *gloriam* sonat. Tauri autem gloria præcipua est ex robore, quod in his tribubus tantum fuit, ut semper firmissimum fuerint regni *Israëlitici* columen. Ex tribu *Ephraim* ortus est *Josue* primus *Judicum*, & *Jeroboam* primus Regum post divortium decem tribuum. Indidem *Nadab*, *Sallum*, *Pekach*, *Menahem*, *Pekachia*, *Hoseas*, totidem Reges. Sed & in tribu *Manasse*, *Jair*, *Jephthe*, & *Gedeon* inter populi Judices magnum nomen consequuti sunt. Si roges, cur *Josephus* non solùm cum *tauro* conferatur, sed & cum *bovis primogenito*, responsio est in promptu. Primogenituræ jus, quo propter incestum excidit *Ruben*, in *Josephum* ex parte translatum est 1. *Paral.* 5, 1. 2. ac proinde in terra *Chanaan* obtigit illi duplex portio.

*) Cap. 34. supra p. 337. [illegible]

Jud. 14, 18. *Philistæis* dicit *Samson*, qui ænigma ejus aperuerant, *Nisi arâssetis vitula mea, ænigma meum non invenissetis. Vitulâ*, id est, *uxore*, quæ viro id est, quod tauro vitula, aut juvenca. Itaque δάμαρ *uxor*, & δάμαλις *juvenca*, sunt voces ejusdem originis. Utraque enim est à δαμάω. Atque hoc quidem satis planum est. Sed quorsum *Philistæos* suâ vitulâ *Samson* arâsse dixerit, non est ita obvium. *R. Levi*, *arandi* verbo sensum obscœnum tribuens, *Samson*, inquit, *hoc dixit, ut doceret se suspicari* שאשתו זנתה עם אחד מהם *uxorem suam scortatam esse cum uno ex illis; cui ideò ænigmatis expositionem indicâsset, illum autem aliis urbis incolis significâsse.* Neque infrequens est hæc Metaphora. Ità enim *Theognis* versu 579.

Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρα τε μάργον,
Ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀρῶν·

Vagam odi mulierem, & virum procacem, qui alienum vult arvum arare. Et *Plautus* alicubi de homine adultero,

Fundum alienum arat, suum incultum deserit.

Et *Virgilius* libro tertio *Georgic.*

- - - - *nimio nè luxu obtusior usus*
Sit genitali arvo, sulcosque oblimet inertes.

Proinde in *Græca* versione, pro lectione vulgò recepta, Εἰ μὴ ἠροτριάσατε ἐν τῇ δαμάλει μου, *Complutensis* editio habet. Εἰ μὴ κατεδαμάσατε τὴν δάμαλίν μου, *Nisi subegissetis juvencam meam.* Quâ eâdem mente *Syrus* Interpres, ܐܠܘܠܐ ܡܦܠܚܬܘܢ ܒܥܓܠܬܝ *Nisi seduxissetis vitulam meam.* Ut *Exod.* 22. *v.* 16. idem *Syrus*, ܘܟܕ ܢܦܬܐ *Et cum seduxerit vir virginem:* & *Onkelos* ibidem, וארי ישדל *Et si seduxerit*, &c. Quasi non fuerit verisimile, uxorem tam grande viri sui arcanum aliter, quam per stuprum aperuisse. Nec desunt è recentioribus qui hoc sequantur. At obstat, quod *Hebræa* non habent, *Nisi arâssetis* עגלתי *vitulam meam*, sed *Nisi arâssetis* בעגלתי *vitulâ meâ*: quæ non parùm differunt. Itaque *Philistæi Samsonis* vitulam arâsse non dicuntur, sed eâ ad arandum usi. Et *arare* hic est *rimari*; quod aratorum verbum est, qui ter-

Cc 2 ram

ram aratro, & rastro rimantur. Unde *Poëta* libro tertio *Georgic.*

Ergò agrè rastris terram rimantur. - - - -

Rimantur, *id est*, *in rimas agunt*; inquit *Servius*. Hinc, ad arcana translatum, *rimari* est *perscrutari*, & *perquirere*. Huc pertinet, quod *Samsonis* verba *Chaldæus* ita reddit, אִילוּלֵפוּן בְּקִירְתוּן בְּאִיתְּתִי *Nisi per uxorem meam rimati*, aut *perscrutati essetis*, ut aratores arvum, bovis arantis opera, rimantur, & scrutantur. Cum nempe *Samsonis* arcanum esset quasi sub terra latens, uxoris operâ illud eruerunt, & in lucem eduxerunt.

Job 6, 5. Nunquid rudit onager juxta herbam? An mugit bos juxta pabulum suum? Mirabantur amici *Jobi*, virum, alios erudire, & consolari solitum, nunc ejulare, & de sua sorte tam graviter conqueri. Respondet is, anteà non fuisse cur ejularet, ductâ similitudine à mutis animantibus, quæ clamare non solent, cùm habent cibos sibi necessarios. *Didymus*, Ταῦτα δέ φησιν ὁ δίκαιος, ὅτι, ὥς οὐ μάτην ἀναγκάζεται ὄνος, ἢ βοῦς, ἀλλ' ὅταν ἐπιλείπῃ τὰ βρώματα· οὕτως οὐδ' ἐγὼ ἠθύμουν, εἰ μὴ πρὸς ἔσχατον ἐληλάκειν κακοῦ. *Hoc autem justus dicit, Ut non frustrà vociferatur asinus, aut bos, sed cùm alimentum defuerit: ita nec ego animo conciderem, nisi ad extremitatem malorum devenissem.* Similis locus *Joel.* 1, 20. ex communi interpretatione, *Etiam bestiæ agrestes clamant ad te, propterea quòd exaruerunt alvei aquæ.* De qua dicetur alibi.

Job. 6, 15. legitur de *Behemoth*, qui aliis est *elephas*, nobis *hippopotamus*; *Herbam, ut bos, comedit.* Et *Es.* 11, 7. *Leo herbam, ut bos, comedit.* Et *Dan.* 4, 29. *Nebucadnetsari* dicitur, *Herbâ, ut boves, te cibabunt.* Et versu statim sequenti, *Herbam, ut boves, comedit.* Utut enim herbâ vescantur multa animalia: tamen ab isto solo ducitur similitudo; quia in domestico pecore, propter molem corporis, maximè omnium est ποηφάγον. His videbitur posse jungi quod habet *Græca* versio *Es.* 5, 17. Καὶ βοσκηθήσονται οἱ διηρπασμένοι ὡς ταῦροι, *Et pascentur direpti ut tauri.* Sed in *Hebræo* textu planè aliter legitur וְרָעוּ כְבָשִׂים כְּדָבְרָם *Et pascentur agni juxta morem suum.* Pro quo *Græcos* legisse putaverim וְרָעוּ נִבְזִים כְּפָרִים. Miror neminem vidisse hactenus ad hunc *Græcæ* versionis locum alludere *Sirachidem*, cum dicit *Eccles.* 6, 2. Μὴ ἐπάρῃς σεαυτὸν ἐν βουλῇ ψυχῆς σου, ἵνα μὴ διαρπαγῇ ὡς ταῦρος ἡ ψυχή σου· *Ne te ipsum extollas ob consilium animæ tuæ, nè diripiatur ut taurus anima tua.* In quibus verbis meritò quærunt interpretes quid sit *diripi ut taurum*, cum taurus non diripiatur, sed magis diripiat. Proinde hic exclamat *Drusius*, *Inepta comparatio!* & suspicatur in *Hebræo* fuisse כתור *ut turtur*, vel כטור *ut* mons *Taurus*: vel *nè diripiatur, ut taurus, anima tua*, idem esse, quod *nè diripiatur velut à tauro vita tua*: vel denique verbum ὡς ταῦρος, aut totum hoc hemistichium, merum esse Glossema; quia in *Aldi* & *Basiliensi* editione desideratur. *Syrum* tamen, *Arabem*, & *Vulgatum* Interpretem illud legisse apparet, quamvis aliter atque aliter exponant. Sed quidquid objicitur facile erit solvere, si observemus *tauri* nomen non rarò sumi pro *bove* in genere; ut in vulgato versu,

Ἵπποι μὲν σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν,
Equi vesparum ortus, tauri autem apum.

Et apud *Poëtam*,

Pingue solum primis extemplò à mensibus anni
Fortes invertant tauri. - - - -

Nempe *Hebræum* שׁוֹר *sor* (unde *Chaldaicum* תּוֹר *thor*, *Arabicum* ثور *thaur*, Ægyptium ΑΘΥΡ, & *Græcum* ταῦρος) sumitur in genere pro *bove*: quomodo *taurum* si sumas in loco *Sirachidis*, nulla erit difficultas, quia bos quotidie διαρπάζεται, id est, *diripitur*, & *discerpitur*, cum ducitur in lanienam, *Prov.* 7, 22. Nec sine causa dixit *Sirachides*, διαρπαγῇ ὡς ταῦρος, potiùs quàm διαρπαγῇ ὡς βοῦς. Moluit enim alludere ad locum, quem diximus, βοσκηθήσονται οἱ διηρπασμένοι ὡς ταῦροι. In quo tamen voces ὡς ταῦροι non cohærent cum proxima διηρπασμένοι, sed cum βοσκηθήσονται, ut sensus sit, fore, ut qui direpti fuerant jam liberè pascantur ut tauri.

Libet obiter alium exponere ejusdem *Sirachidis* locum de bove, quem puto non intelligi. *Eccles.* 26, 7. sic habetur, Βοοζύγιον σαλευόμενον, γυνὴ πονηρά· *Jugum boum motum est uxor mala.* Quorum verborum volunt hanc esse mentem, conjugium viri cum mala uxore esse instar boum discordium sub uno jugo, qui in diversa feruntur, ac proinde multa movent, nihil promovent. Atqui βοοζύγιον σαλευόμενον non significat jugum boum, qui in diversa feruntur, sed simpliciter qui moventur. Et cum tali jugo non confertur conjugium, sed mala uxor. Fallor, aut *Sirach Hebraicè* scripserat מוט צמד הבקר אשת רע quod *Sirachides* reddidit, Βοοζύγιον σαλευόμενον, γυνὴ πονηρά· quia מוט Verbum idem est, quod σαλεύεσθαι, & in *Græca* versione vigesies minimùm sic exponitur. Sed & מוט Nomen pro *jugo* aliquoties occurrit. Itaque verba quæ diximus, sic erant exponenda, *Jugum paris boum est mala uxor*, sensu apertissimo. Significatur enim viro malam uxorem tam esse gravem, & molestam, quam jugum boum collo impositum.

Cum dicit *David* Ps. 22, 12. *Circumdant me juvenci multi, robusti tauri Basanis me circumcingunt*, paucis verbis, sed gravissimis, hostium in se insurgentium furorem, & potentiam exaggerat. Primò enim à multis se solum oppugnari queritur: ut *Psal.* 3. v. 2. *Domine, quam multi sunt hostes mei, quàm multi insurgunt contra me!* & *Psal.* 56, 3. *Multi me oppugnant, O excelse.* Secundo, à juvencis, & tauris se queritur impeti. Quo nomine Sacri Scriptores sæpe intelligunt homines stolidè feroces, quique virium fiduciâ obvios quosque obterunt, & tanquam cornibus impetunt, imprimisque tenuioribus crudeliter insultant. Tertiò, tauros illos vocat אַבִּירֵי בָשָׁן *robustos* tauros *Basanis*; quasi dicat, eos non esse vulgares tauros, sed tauros robustissimos, eosque è *Basane*, regione fertilissimâ, in qua ut giganteâ staturâ homines, putà *Og* Rex *Basanis*, ita boves etiam fuisse dicuntur habitiores, obesiores, majorisque molis, & virium. Proinde *Septuaginta* πίονας vocant, *Aquila* λιπαρούς, *Symmachus* hic σιτιστάς, & ὑπερόφους *Amos* 4, 1. Alius παμμεγέθεις. Denique addit ab iis se circumdari, & circumcingi, ità ut nullus sit effugio locus. Similia loca multa sunt: ut *Psal.* 68, 31. ubi Deum *David* ita compellat, *Increpa congregationem taurorum, cum vitulis populorum*; duces *taurorum*, & plebem nomine *vitulorum* significans. *Græci* maluerunt συναγωγὴν τῶν ταύρων ἐν (vel σὺν) ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν, *congregationem taurorum, cum vaccis populorum*. quasi tauri non tam vitulorum, quàm vaccarum gregis sint duces. Nam vituli sequuntur matres, sed matres virum armenti, id est, taurum. Unde *Poëta* libro duodecimo *Æneidos*,

Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri,
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Quod sic imitatur *Statius* libro quinto *Thebaidos*,

Sic ubi ductorem trepidæ, stabulique maritum,
Quem penes & saltus, & adulta gloria gentis,
Massylo *frangi stupuere sub hoste juvencæ.*

Et libro undecimo,

- - - - *magnâ stat fervidus irâ*
Ante gregem, spumisque animos ingentibus effert,
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aëra findens.
Horret ager, trepidæque expectant prælia vaccæ.

At

At mysticos illos tauros, quamlibet terribiles, non solum increpat Deus, sed & prorsus exscindit. Quò pertinent minæ illæ in *Idumæorum* potentissimos *Esa.* 34. v. 6. 7. *Gladius Domini implebitur sanguine, pinguefiet adipe, &c. Descendent juvenci cum tauris; & inebriabitur terra eorum sanguine, pulvisq; eorum adipe pinguefiet.* Et in *Babylonios* Jerem. 50. v. 27. *Gladio tollite omnes juvencos ejus, descendent ad mactationem.* Et in populos *Gog*, & *Magog*, ad *Israelem* Ezech. 39. v. 18. 19. *Carnem potentum comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis; arietum, agnorum, hircorum, juvencorum, pinguium* Basanis *omnium. Comedetis adipem ad satietatem, & bibetis sanguinem ad ebrietatem*, &c. Sic, *Philostrati* libri sexti capite decimo quarto *Apollonius*, *Titi* Imperatoris collum demulcens, dixit, Τίς βιάσεται ταῦρον, αὐχένα οὕτω καρτερὸν, ὑποσχεῖν ζυγῷ; *Quis tam valida cervice taurum jugum subire cogeret?* Unde *Romanis* Principibus hanc appellationem non displicuisse colligas.

Psal. 29. v. 5. 6. *Vox Domini confringit cedros*, &c. *facit, ut exsiliant sicut vitulus.* Non quo sensu dicit *Poeta* ad *Sileni* cantum

- - - *rigidas motare cacumina quercus.*

Ad quæ verba *Servius*, *Quasi genus saltationis vult esse in arboribus cacuminum motum.* Ibi enim agitur de tripudio, seu saltatione ad modum rhythmi, & cantilenæ. At in *Psalmo* de subsultatione ex metu, qualem Poetica Hyperbole cedris, atque ipsi *Libano* tribuit Divinus *Psaltes*; quasi terrificus tonitruum fragor non solùm celsas arbores, sed & montes excelsissimos à radicibus suis convellat, atque subvertat. Vide *Psal.* 114. v. 4. 6. Sed de hoc loco supra (a) jam actum.

a) Cap. 29. pag. 288. lin. 36.

Prov. 7. v. 22. Juvenis, qui adulteræ artibus patitur se allici, confertur cum bove, qui inscius ducitur ad lanienam; quia similis est in utroq; stupor, & par utrobique periculum. Quippe, ut bobus laniena, ita domus adulteræ juvenibus funesta, & exitiosa est. Id profana historia *Paridis*, & sacra *Davidis* exemplo docet, cui dicit Deus 2. *Sam.* 12. v. 10. *Non amovebitur gladius à domo tua usque in seculum, eò quod, me insuper habito, rapuisti uxorem Uriæ.* Itaque, sub finem capitis, scribit *Solomon*, *Multos confossos dejecit, & numerosi sunt omnes ab illa interfecti. Viæ inferi sunt ejus ædes, quibus descenditur ad penetralia mortis.* In quam mentem *Horatius* libro 1. *Sat.* 2.

Audire est opera pretium, procedere rectè
Qui mœchis non vultis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara cadat dura inter sæpe pericla.
Hic se præcipitem letho dedit; ille flagellis
Ad mortem cæsus: fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos.

Cætera ibi vide.

Esa. 1. v. 3. *Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: sed* Israel *non agnoscit, populus meus non animadvertit.* David *Psal.* 49. v. 21. dicit, *Hominem, qui in honore est, neq; intelligit, similem esse jumentis, quæ intereunt:* at hic *Esaias* hujusmodi homines deprimit infra bestias, easque stupidissimas. Bubus enim, & asinis, vix quidquam est stupidius. Tamen possessorem suum agnoscunt, & præsepe domini sui, à quo aluntur, non in suum, sed in illius bonum; nec filiorum loco habentur, sed jumentorum, nec evehuntur ad dignitatum fastigia, sed gravantur magnis & quotidianis laboribus; dum *Israelitæ*, ex mera Dei gratia electi, & in filios adoptati, & ad summos honores evecti, Dominum Deum suum non agnoscebant, & ejus mandata, quamlibet æqua, & justa susque deque habebant. Vide locum similem *Jerem.* 8. v. 7.

Esa. 11. v. 6. 7. *Vitulus & leunculus simul erunt, & vacca & ursa simul pascent, & unà cubabunt catuli earum.* Non, ut *Hebræorum* nonnulli volunt apud *Kimchium*, כי בימות המשיח יתחלפו טבעי החיות והבהמות *quia in diebus* Messiæ *mutabuntur natura ferarum, & pecudum*: quin, ut alii meliùs, כל זה משל *hæc omnia dicuntur per Parabolam.* Et *ferarum* nomine vel Gentes intelliguntur ad *Christum* convertendæ; vel violenti homines, qui per vim spiritûs *Christi* mitescent, & mansueti fient.

Esa. 15. v. 5. *Cor meum propter* Moab *clamat, propter fugitivos ejus usq; ad* Tsoar, *sicut vitula triennis.* Quia in hoc *Propheta* versu voces intercisæ sunt, nec sensus constare potest, nisi quædam suppleantur, verum hujus sensum exsculpere difficile est. Tamen versio, quam attulimus, videtur esse vero proxima. Patet ex toto contextu agi de *Moabitide*, à *Salmanassare* triennio post miserum in modum devastandâ. *Propheta* igitur, futuræ cladis misericordiâ commotus, *Cor meum*, inquit, *propter* Moabum *clamat. Cor meum clamat*, id est, *Ego clamo*: ut in *Ennio*,

- - - - - (b) *quem credidit esse meum cor*, id est, *quem ego credidi.* Prophetas enim non solùm Ecclesiæ, sed & vicinarum gentium mala graviter afficiebant, & ad gemitus provocabant. Proinde exclamat idem *Propheta* capitis sequentis versu undecimo, *Viscera mea propter* Moabum, *tanquam cithara, perstrepunt; & interanea mea propter* Kircheres. Vide & *Esa.* 21. v. 3. *Jer.* 47. v. 6. & 48. v. 36.

b) Ap. Gellium lib. 7. cap. 2.

Propter fugitivos ejus usq; ad Tsoar] quæ erat *Moabitarum* extrema urbs versus *Judæam*.

Sicut vitula triennis] Hæc jungenda cum initio versus hoc ordine, *Cor meum clamat*, id est, *Ego clamo sicut vitula triennis.* Quod colligere est ex loco parallelo *Jer.* 48. v. 34. *Edent vocem suam à* Tsoare *usq; ad* Horonajim, *sicut vitula triennis.* Et cum natura bovis rectè convenit, qui ab *Homero* vocatur ἐρίμυκος, id est, μεγαλόφωνος, *magnæ, & contentæ vocis.* Itaque vel *à boatu bos* dicitur, vel *boatus à bove*, tam *Græcis*, quam *Romanis*. Et *Propheta* fœminæ potiùs, quàm maris meminit; quia in solo hoc genere fœmina est vocalior. *Aristoteles*, *Hist.* lib. 4. sub finem, Καὶ περὶ φωνῆς δὲ, πάντα τὰ θήλεα λεπτοφωνότερα, καὶ ὀξυφωνότερα, πλὴν βοός, ὅσα ἔχει φωνήν· αἱ δὲ βόες βαρύτερον φθέγγονται αἱ θήλειαι τῶν ἀῤῥένων. Quæ *Plinius*, in capite *De vocibus*, sic in pauca contraxit, (c) *Bubus tantum fœminis vox gravior, in alio omni genere exilior, quàm maribus.* Fœminam tamen in bubulo genere non quamvis *Propheta* profert, sed triennem, quâ ætate vox plenior; quia tum robur firmius. Unde *Plinius*, (d) *Domitura boum in trimatu, posteà sera, ante præmatura.* Et ante *Plinium* *Columella*, ubi de bobus domandis, (e) *Neq; ante tertium, neq; post quintum annum juvencos domari placet: cùm illa ætas adhuc tenera sit, hæc jam prædura.*

c) Lib. 2. c. 51.
d) Lib. 8. c. 45.
e) Lib. 7. c. 2.

Jerem. 31. *vers.* 18. *Ephraimitarum* ad Deum hæc querela est, *Me castigâsti, & castigatus fui*, כעגל לא למד *ut vitulus non edoctus*, id est, jugo nondum assuetus, quique pluribus plagis ad id ferendum instituitur. *Columella* ubi supra, *Retinaculis eos contineant: & unus, cum clava lignea procedens, modicis ictibus subinde impetus eorum coerceat.* Tamen idem ibidem docet quomodo ad patientiam laboris paucissimis verberibus perducatur. Nempe, si fabricetur jugum, quo tres jungantur, & juvencus contumax inter duos boves veteranos collocetur. Tum enim, sive efferatus prosilit, duorum arbitrio inhibetur; seu consistit, duobus gradientibus obsequitur; seu conatur decumbere, à valentioribus sublevatus trahitur. Quale est, quod bovem cubitorem, hoc est, qui in medio sulco decumbit, non vult stimulis, aut ignibus,

aut

aut aliis tormentis excitari; sed pedes ejus vinculis obligari, ne aut insistere, aut progredi, & per hoc pasci possit. Quo facto, inedia, & siti compulsus, deponit ignaviam. Nam cum vehementius alliciunt naturalia desideria, quam plagæ. Sed ævo *Jeremiæ Judæi* has artes ignorabant, nec aliter quàm stimulis, & verberibus, juvencorum vel ignaviam, vel contumaciam corrigebant: ac proinde *stimulum boum* vocabant מלמד *malmad*; quasi *διδακτήριον* dixeris, ut jam supra (f) notatum. Meritò igitur *Ephraimitæ*, qui in *Medica* captivitate dira patiebantur, queruntur secum agi, ut cum juvenco nondum domito. Ita tamen, ut Deum agnoscant meritò illos sic affligere; ut, his plagis edomiti, paulatim assuefiant ad jugum Legis ferendum, quod rebellione sua jampridem excusserant.

f) Cap. 39 supra. pag. 385. lin. 30.

Jerem. 46. v. 20. Vitula speciosissima est Ægyptus: *excidium ei ab Aquilone omnino venturum est.* *Speciosissima* Hebraicè est יפה־פיה geminatis Radicalibus, ut significatio sit intensior: ut in חפר־פרות *Esa. 2. v. 20.* & פקח־קוח *Esa. 61. v. 1.* Veterum plerique יפה־פיה explicârunt tanquam distinctas voces. Sic *Græci* in *Theodoreto*, *δάμαλις καλὴ κεκαλλωπισμένη*: quamvis nostræ editiones solum ultimam exhibeant: Hieronymus, *vitula elegans atque formosa*: Syrus ܥܓܠܬܐ ܫܦܝܪܬܐ ܡܨܒܬܐ *vitula pulchra, picturata*; quia فوي *Arab.* est *rubiâ tingere*, & فوة rubia *Hebræis* פואה, ut in Tractatu *De Sabbatho*, cap. 9. fol. 89. b. in *Misna*, אסטים ופואה כדי לצבוע בהן *Isatis, & pua* (rubia) *ad tingendum illa*. Et in *libro Nominum*, qui *Hieronymo* tribuitur, in *Exodo*; Fua *rubrum* redditur: ut Φουὰ ἐρυθρὸν à *Philone* in libro *Quis divinarum rerum sit hæres*. Sed & פוח *puach*, per *Cheth*, videtur idem significâsse; ut cum *Talmudicæ*, agentes de luctu, & squallore, in quo sunt propter Templi vastationem, dicunt in *Bava Bathra*, sub finem capitis tertii, אין סדירין ואין כירין ואין מפייחין בזמן הזה *Hoc tempore* (*Judæi* domus suas) *neque calce obliniunt, neque figuris, neque coloribus ornant.* Itaque jam apparet, cur *Syrus Hebræum* פיה *picturatam* reddat. Quæ tamen versio est nihili. Nam *picturatas vestes* in *Poeta* legimus: sed picturatæ vitulæ alibi nulla est mentio. Et vera est prima versio, quâ cum speciosissima vitula confertur *Ægyptus*; quia fuit מלכות יאיא *regnum inclytum* (ut *Chaldæus* hic habet) & in amœnissima, & præpingui tellure situm. Sed inclyto huic regno Deus minatur excidium ab *Aquilone*, id est, ex *Chaldæa* venturum. Pro quo *Hieronymus*, ut servet Metaphoram, *Stimulator ab Aquilone veniet ei.* At *Hebræis* omnib. קרץ *kerets*, est *excidium*; & Verbũ קרץ *karats*, exscindi, *Job. 33. v. 6.* *Græci* ἀπόσπασμα *avulsionem* reddunt, *Arabs* الانكسار *fractionem*, Syrus ܢܩܦܐ *exercitum*, Chaldæus עממין קטולין *populos occisores*. Quæ, utut diversa verbis, tamen in eundem sensum recidunt.

Jerem. 46. v. 21. *Etiam mercenarii ejus in medio ejus* כעגלי מרבק *ut vituli marbek*, id est, ut supra (g) probavimus, vituli ad areæ palum collo devincti, ut triturando saginentur. Cum his vitulis conferuntur ab *Ægyptiis* conducti milites; quia, otio diffluentes, in agro, rerum omnium proventu tam ubere, non poterant non esse pingues: Rursus *Jer. 50. v. 11.* de *Chaldæis* dicitur, qui *Judæam* expilaverant, *Pingues fuistis ut vitula triturans.* Et *Amos 4. v. 1.* de regiæ urbis *Samariæ* potentioribus, qui ex pauperum spoliis opes suas contraxerant, ut *Cyclops*, qui apud *Poetam*,

g) Cap. 31. sup. p. 303. & 304 lin 16. & cap. 32. pag. 310. & infra, pag. 413. lin. 60.

Visceribus miserorum, & sanguine pascitur atro:

de illis, inquam, sic *Propheta*, *Audite verbum istud, vaccæ* Basan, *quæ estis in monte* Samariæ, *quæ opprimitis tenues, & quassatis egenos. Vaccæ Basan*, id est, tam pingues, quàm vaccæ in *Basane* saginatæ. Neque necesse est, ut, cum *Hebræis*, *potentiorum uxores* intelligamus. Nam viri quoque possunt conferri cum vaccis *Basan*, non sexûs ratione, sed pinguedinis. Quomodo *Juda* & *Gad* leguntur esse כלביא *ut leæna*, *Gen. 49. v. 9.* *Deuter. 33. v. 20.* & *David*, cum suis, *ut ursa catulis orbata*, 2. Sam. 17. v. 8. De cætero ne putetur hæc similitudo semper odiosè sumi, etiam piis dicitur *Malach. 4. v. 2.* *Et pinguescetis ut vituli marbek*; quod jam ante (h) explicavimus. Sed ut fames, & satietas; ita etiam obesitas quædam est piis propria. De fame, & satietate dicitur *Matth. 5. v. 6.* *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam saturabuntur.* Et de obesitate *Psal. 92. v. 30.* *Comedentes incurvabunt se* (coram Domino) *omnes pingues terræ.* Psal. 92. v. 15. *Adhuc germinabunt in canitie, pingues, & virentes erunt.* Proverb. 28. v. 25. *Qui confidit in Dominum, pinguis fiet.* Et nonnunquam gratiæ cœlestes per pinguedinem adumbrantur. Unde illud *Psal. 36. v. 9.* *Inebriabuntur* (id est, *explebuntur*) *pinguedine domûs tuæ.* Et *Psalm. 63. v. 6.* *Sicut adipe, & pinguedine saturabitur anima mea, & labiis canticorum laudabit te os meum.*

h) Cap. 31. sup. 302. lin. 19.

Ezech. 1. v. 7. 10. & *Apocal. 4. v. 7.* quatuor animalia describuntur, quæ in hominis, leonis, bovis, & aquilæ specie primò *Ezechieli*, deinde etiam *Joanni* apparuerunt. De quibus dicetur in Tractatu *De Leonibus*. Hic observâsse sufficiet uni horum animalium pro *facie bovis*, Ezech. 1. v. 10. tribui *faciem Cherub*, Ezech. 10. v. 14. quasi *facies Cherub* eadem sit, quæ bovis. Unde colligit non nemo, *Cherubos*, qui arcam obumbrabant boum habuisse speciem, atque inde esse, quod *Aaron* & *Jeroboam* verum Deum vituli formâ coli voluerint. Sed de *Aarone* res palam falsa, cùm quo tempore fudit vitulum, arca fœderis nondum fuerit fabricata. Interim puto *Cherubos* varias animalium formas ita exhibuisse, ut ad bovis speciem propiùs accesserint. Hoc saltem certum vitulorum pedes illis tribui *Ezech. 1. vers. 7.* Et Verbum כרב *cherab*, unde כרוב *cherub*, *arandi* notionem apud *Syros* obtinere, quod bovis maximè proprium. Aliis כרוב *cherub*, placet per Metathesim deducere à voce רכוב *rechub*, quæ *currum*, aut *plaustrum* sonat. Sed & boves plaustro junguntur. Reliqua in *Leone* vide.

Os. 4. v. 16. Sicut juvenca refractaria, refractarius est Israël,] id est, sicut juvenca adhuc

Ἀδμήτος, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ,

indomita, quam nondum quisquam sub jugum duxit. Ita enim *Israelitæ* ad Legis jugum erant refractarii, tanquam adhuc indomiti, & inassueti. Quod *Oseæ* ætate fuit intolerabile, cùm jam ante octo sæcula jugum illud subiissent. Itaque Deus hoc scelus non reliquit impunitum: sed, *quia sicut vacca refractaria refractarius est* Israël, *nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in loco spacioso*; id est, in vastissimas regiones, *Mediam* nempe, & *Assyriam*, captivos deportabit, in quibus oberrent, ut agnus, qui à grege divulsus, & à matre destitutus, inani balatu omnia complet, & tandem præda fit lupis. Ita intelligunt veteres, *Hieronymus*, *Cyrillus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, & *Hebræorum* nonnulli, plerique etiam recentiorum. Quibus tamen ut accedam, à me impetrare non possum; quia *pasci in loco spatioso* planè aliud significat, quam in *captivitatem abduci*. Hoc enim in malam partem, illud in bonam accipitur. Et ex perpetua Scripturæ Phrasi *locum alicui dilatare est eum ex angustia liberare*, & *in libertatem asserere*. Quo sensu *Psaltes* dicit *Psal. 4. v. 2.* *In tribulatione locum dilatâsti mihi.* Et *Psal. 18. v. 20.* *Eduxit me in latum, liberavit me.* Et *Psal. 31. vers. 9.* *Statuisti in latitudine pedes meos.* Et *Psal. 118. vers. 5.* *Ex angustia invocavi Dominum, qui respondens in loco lato*

lato me collocavit. Et *Psal.* 119. *v.* 45. *Ambulabo in latitudine; quia mandata tua quæro.* Denique, quod maximè ad rem facit, *Esa.* 30. *v.* 23. inter multa Dei beneficia hoc *Judæis* promittitur, *Depascent pecora tua die illâ pascuum latum.* Ex quo loco *Kimchius Oseæ* verba sic exponit, neque id malè, ut quidem puto, *Ut vacca refractaria refractarius fuit Israel* (Alioqui) *nunc pasceret eos Dominus, tanquam agnos in loco spatioso*; Hebr. *tanquam agnum*, per Numeri Enallagen; ut cum *Jacobus* dicit *Gen.* 32. *v.* 5. *Est mihi bos, & asinus, ovis, & servus, & ancilla*: id est, *Sunt mihi boves*, &c. Cur pro *juvenca refractaria* in *Græca* versione habeatur δάμαλις παροιστρῶσα, *juvenca asilo percussa*, dicetur in capite *De Asilo*, seu *Oestro*. Hic solum addam, boves ideo potissimum dici *refractarios*, quod promovere jussi, contra retrocedentes, cervicem, & humeros, quantum possunt, jugo subducunt. Proinde ad utrumque sic alluditur *Nehem.* 9. *v.* 29. *Exhibebant humerum refractarium, cervicemq; suam obdurescebant, neq; auscultabant.* Alii ad solum humerum alludunt; ut *Zachar.* 7. *v.* 11. *Renuerunt attendere, & præbuerunt humerum refractarium.* Alii ad solam cervicem; ut cum de *Israelitis* dicit Deus *Exod.* 32. *v.* 9. *Ecce populus duræ cervicis est!* Et *Stephanus* protoMartyr *Act.* 7. *v.* 51. Σκληροτράχηλοι, *Duri cervice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper Spiritui Sancto obnitimini.* Ejusdem locutionis exempla vide *Exod.* 33. *v.* 3. 5. & 34. *v.* 9 & passim (*i*). Neque alio pertinet, quod populo suo dicit Deus *Esa.* 48. *v.* 4. *Sciui enim te durum esse, & nervum ferreum cervicem tuam.* Et *Propheta* Jerem. 5. v. 5. *At ipsi pariter fregerunt jugum, diruperunt vincula.* Et Jerem 27. v. 12. *Inducite colla vestra in jugum Regis* Babyloniæ, *& servite ei.*

i) *Deut.* 9, 6. 13. & 10, 16. & 31, 27. 2. *Reg.* 17, 14. 2. *Par.* 30, 8. & 36. 13. *Neh.* 9, 16. 17. 29. *Prov.* 29, 1 *Jer.* 7, 26. & 19, 15.

Ose. 10. *v.* 11. idem *Propheta*, qui *Israelitas* cum *juvenca indomita*, & *refractaria* comparaverat, eosdem cum *vitula domita* confert; sed planè alio sensu. Tum enim florebant *Israelitarum* decem tribus: & Rex eorum *Pecach*, *Remaliæ* filius, cum Rege *Syriæ Retsimo* fœdere junctus, *Judæam* devastaverat, *Judæorum* CXXM uno die jugulaverat, & captivorum CCM abduxerat, quos tamen, à *Propheta* quodam monitus, gratis remisit, 2. *Paral.* 28. *v.* 6. &c. Itaque prosperum *Israelitarum* statum his verbis describit *Oseas*; Ephraim *est vitula edocta, & amans triturare. Et ego transivi super pulchritudinem colli ejus. Equitare feci* Ephraimum. *Aravit* Juda, *occavit ei* Jacob. *Vitulum* vocat eodem sensu, quo antea *juvencam*: ut hæ voces promiscuè sumuntur. Et *vitulam edoctam* non ad arandum, sed solùm *ad triturandum.* Quod opus aratione longè facilius erat, atque etiam fructuosius: quia in trituratione boves non ligabantur sub jugo; sed vel singuli pedibus triturabant, vel trahas, aut plostella rotis ferreis agebant, quibus grana è siliquis elicerent; & liberum illis erat de frugibus subinde aliquid arripere, quia Lege cautum erat, ne os eis obligaretur. Huic igitur operi incumbentes mirum in modum pinguescebant, ut suo loco (*k*) pluribus docuimus. Et cum boum arantium collum sub jugo atteratur, atque exulceretur, in hac vitula colli pulchritudinem laudat Deus, *Ego*, inquit, *transivi super pulchritudinem colli ejus.* Quod dici puto per Hypallagen. Deus enim hic agit tanquam armentarius, qui super boves non transit, sed sub ejus virga boves transeunt: ut dicitur *Levit.* 27. *v.* 32. *Et omnis decima bovis, & pecoris, omne, quod transit sub virga, decimum ejus erit sanctitas Domino.* Quem Legis locum explicabimus in capite *De Pastoribus.* Hic solum monemus *Prophetam* eò alludere, & Dei verba sic sumenda, quasi dixisset, *Pulchritudo colli ejus, seu juvenca hac pulchro collo transiit sub virga mea*; id est, *Eam pro mea agnovi, & in armento meo recepi.* Sed, quia triturationem præcedunt aratio, & occatio, & reliqua, quæ ad terræ cultum pertinent, si *Ephraimitis* solum triturationis cura fuit, quæri potuit quosnam alios ad rustica hæc opera adhibuerit. Cui quæstioni *Propheta* sic satisfacit, *Equitare faciam* Ephraimum: *arabit* Juda, *occabit ei* Jacob. Quod idem est, ac si dicat fore, ut tribus *Juda* laboriosa hæc ministeria peragat, dum equitabit *Ephraim*, id est, lautè vivet, & opiparè: ut cùm dicitur *Deut.* 32. *v.* 13 *Fecit eum equitare super excelsa terræ, & comedit proventus agri.* Et *Esa.* 58. *vers.* 14. *Tunc deliciaberis in Domino, & equitare te faciam super excelsa terræ, & cibabo te hæreditate* Jacobi *patris tui*, &c.

k) *Cap.* 31. *sup. pag.* 303. & 304. *lin.* 16. & *cap.* 32. *pag.* 310. & *hoc capite pag.* 411 *lin.* 63.

Os. 14. v. 2. *Omnem iniquitatem aufer, & accipe bonum, & reddemus juvencos labiis nostris.* Ut *ferre iniquitatem suam* in *Levitico*, & passim, est *pœnâ commeritâ multari*; ita *auferre peccatum alicujus* est *ab hac pœna illum eximere*, uno verbo *illi condonare*, & *ignoscere.* Sic *Josepho* fratres dicunt *Gen.* 50. *v.* 17. *Aufer prævaricationem fratrum tuorum*, id est, Remitte pœnam, quam ab illis posses justè exigere propter peccatum in te commissum. Hoc sensu Deo hîc dicitur, *Omnem iniquitatem aufer.* Nam, quòd pravos peccati habitus eximi, & aboleri notant per Spiritum Sanctificationis, verum quidem est, sed non ad rem: quia *auferre peccatum* Phrasi Scripturæ nihil quidquam est, quam quod diximus. Vide *Genes.* 18. *v.* 24. 26. *Exod.* 10. *v.* 17. & 23. *v.* 21. & 32. *v.* 32. & 34. *v.* 7 &c. Rogatur autem, ut omnem iniquitatem auferat, nulla excepta: ut *Psal.* 51. *v.* 11. *Dele omnes iniquitates meas*: quia frustra partem ignosceret, si vel una superesset, cujus nomine rei essemus apud Deum, *Maledictus enim est, quisquis non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*, Gal. 3. vers. 10. *Et quisquis totam Legem servaverit, peccaverit autem in uno, omnium est reus*, Jac. 2. vers. 10. Itaque Deus iis, quorum in *Christo* miseretur, omnia omnino peccata remittit. Hinc *David* Psal. 103. v. 3. *Condonat* (Dominus) *omnes iniquitates tuas, medetur omnibus morbis tuis.* Et Psal. 130. v. 8. *Et ipse redimet* Israelem *ab omnibus peccatis ejus.* Et Dominus servo nequam in Parabola *Matth.* 18. *v.* 32. *Illud totum debitum remiseram tibi.* Et *Apostolus* Coloss. 2. vers. 13. *Condonans vobis omnia delicta.* Additur in *Osea*, *Et accipe bonum*, ut rectè *Hieronymus.* Reliqui veteres multò aliter; quia non intellexerunt quo sensu rogetur Deus, ut accipiat bonum: non certè in nobis, in quibus bonum aliud nullum reperit, quàm quod ipse posuit. Rogatur igitur, ut bonum de suo accipiat, quod nobis conferat. Sic *Gen.* 21. *v.* 21. Agar *accepit filio* Ismael *uxorem*, nempe quam illi copularet. Ita etiam de *Juda* Gen. 38. v. 6. & *Psal.* 68. v. 19. *Accepit dona hominibus*, nempe quæ daret, & distribueret. Proinde Apostolus *Ephes.* 4. *v.* 8. pro ἔλαβε, habet ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Hæc fidelium oratio hactenus. Sequitur votum, seu promissio, quâ gratitudinem pro acceptis à Deo beneficiis pollicentur. ונשלמה פרים שפתינו *Et reddemus juvencos labiis nostris*, id est laudes, & gratiarum actiones, quas bovis immolati loco habeas. Hæc enim sacrificia Deo fideles sæpe offerebant pro libamine, & thure. Hinc *David* Psal. 116. v. 12. 13. *Quid rependam Domino? omnia beneficia ejus super me sunt. Poculum salutis accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et versu 17. *Tibi sacrificabo sacrificium laudis.* Et *Psalm.* 141. *v.* 2. *Statuatur oratio mea, ut suffitus coram te; elatio manuum mearum, ut oblatio vespertina.* Quod sacrificiorum genus, etiam sub œconomia Legis, Deo longè fuit acceptius, quam boum sacrificia. Hinc *Ps.* 50. *v.* 13. 14. *An vescor sanguine taurorum, aut sanguinem hircorum bibo? Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota tua.* Et Psal. 51. v. 17. *Sacrificia Deo, spiritus contritus*, &c. Et Psal. 69. v. 31. 32. *Laudabo nomen*

Dei

Dei cantico, & magnificabo eum gratiarum actione: quæ Domino melior videbitur quoquam bove, & juvenco cornuto ungulam fissam habente. Oseæ verba Græci reddunt, Καὶ ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν, *Et reddemus fructum labiorum nostrorum.* Quasi, pro פרים שפתינו, aliter divisis vocibus, legerint פרי משפתינו *fructum è labiis nostris.* Idem sequuntur *Syrus* & *Arabs.* Et *Paulus* huc palam alludens *Hebr.*13.*v.*15 *Per ipsum igitur* (inquit) *assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Sed sensus planè idem est. Nam καρπὸς *fructus* eo loco pro *oblatione* sumitur: ut in *Græca* versione κάρπωσις, κάρπωμα, ὁλοκάρπωσις, ὁλοκάρπωμα, quæ pro *sacrificio*, & *holocausto* passim occurrunt.

Amos 6.v.12. *An current in petra equi? Aut quis arabit bobus?* Nempe *in petra*, quod supplere facile est ex priore hemistichio. *Syrus* igitur non malè, *Num current super petras equi?* ܐܘ ܢܪܗܛܘܢ ܥܠ ܫܘ̈ܥܐ ܣܘܣܘ̈ܬܐ *aut ducent in illis jugum boum?* Tamen in re obvia hæserunt alii veterum. Sic *Hieronymus*, cum hæc *Prophetæ* verba non caperet satis, אם יחריש בבקרים *An quis arabit bobus?* quibus videtur negari boves ad aratrum esse commodos, voluit voce בקרים, pro *bobus* vulgaribus, *bubalos* intelligi; *qui*, inquit, *tam indomiti sunt, ut jugum cervicibus non recipiant, &, cùm sylvestres boves sint, propter feritatem nolint terram vomere scindere.* Atqui *bubalus Hebrais* non dicitur בקר, sed תוא, vel תאו. *Græci* hunc eundem locum plane aliter reddunt, Εἰ διώξονται ἐν πέτραις ἵπποι; εἰ παρασιωπήσονται ἐν θηλείαις; *An persequentur in petris equi? An silebunt inter fœminas?* id est, *inter equas.* Nempe חרש non solum *arare*, sed & *silere* significat. Et, pro בבקרים, *in bobus*, legerunt בנקבים, *in fœminis.* Quamvis ne sic quidem rectum esset; quia *Hebrais fœminæ* non sunt נקבים, sed נקבות. Ut taceam causam non esse, cur hîc agat *Propheta* de equis ad fœminas hinnientibus. Sed dum totus in eo est, ut *Israelitas* in peccatis plane obduruisse probet, nec jam ullam in eo populo superesse spem resipiscentiæ, inter cætera dicit, *An current in petra equi? aut* quis in ea *bobus arabit?* quasi dicat hos homines habere cor lapideum, adeoque *Prophetas* frustrà inter eos currere, ut munus suum obeant, & laborare incassum, ut tam dura corda proscindant verbi vomere. Quæ Metaphoræ sunt aptissimæ, & Sacris Scriptoribus satis frequentes. Sic *currere* dicuntur *Prophetæ*, aut *Apostoli*, *Jerem.*23.*v.*21. 1. *Corinth* 9.*v.*26. *Galat.*2.*v.*2. *Philipp.* 2.*v.*16.&c. Et eorum labor cum agricultura confertur, 1. *Cor.*3. *v.*9. & 9.*v.*10. & 2. *Tim.* 2.*v.* 6.

1. Cor.9.v.9. *In* Mosis *Lege scriptum est*, "Non "obligabis os bovi trituranti. *Num boves curæ sunt Deo? An propter nos hoc omnino dicit? Propter nos enim scriptum est. Nam sub spe debet is, qui arat, arare; & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse.* Certum est, Dei providentiam non solum ad boves, sed & ad minima quæque extendi. Itaque Deum etiam bestiis prospicere passim docent Sacri Scriptores. Sic *Genes.*8. *v.*1. *Recordatus est Deus* Noæ, *& omnium bestiarum, omniumq; pecudum, quæ erant cum ipso in arca.* Job.39.v.3. *Quis corvis escam præparat, cum pulli eorum ad Deum clamant*, &c. Psal.36.v.6. *Homines, & jumenta conservas, Domine.* Psal. 104. v.21. *Juvenes leones rugiunt ad prædam, & escam suam à Deo quærunt.* Psalm.147.v.9. *Dat jumentis cibum suum, pullis corvorum, qui crocitant.* Jon.4.v.11. *Et ego non parcerem* Ninivæ, *in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt discrimen inter dextram & sinistram suam, jumentaq; multa.* Matth.6.v.26. *Respicite volucres cœli, quæ neq; serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illas.* Matth.10.v.29. *Nonne duos passeres asse veneunt? Et unus ex illis non cadit super terram sine patre vestro.* Itaque cum hic dicit Apostolus, *An boves curæ sunt Deo?* non simpliciter negat, vel boves, vel jumenta reliqua Deum ullo modo curare: tantùm vult, Deum hanc Legem non tam propter boves, quàm propter homines, condidisse; & hoc præcipuè respexisse, ut nos doceret ex labore suo unumquemque vivere oportere: adeoque in his Pastores, quorum quò nobilius ministerium est, eò esset iniquius debitam illis mercedem denegare. Quo argumento iterum usus 1. *Tim.*5. *v.*17.18. *Presbyteri*, inquit, *qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè ii, qui laborant in sermone, & doctrinâ. Dicit enim Scriptura,* "*Bovi trituranti non obligabis os;* &, "*Dignus est operarius mercede suâ.* *Apostolo* æqualis *Philo* in libro Περὶ θυόντων ea ferè verba usurpat, quæ *Apostolus*; quanquam in dissimili argumento. Agens enim de Lege, quæ præcipit, ut Deo victimæ eximiæ, integræ, puræ, atque ab omni labe immunes offerantur, ait tam accurato victimæ examine morum emendationem in offerente significari: Οὐ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀλόγων ὁ νόμος, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν νοῦν καὶ λόγον ἐχόντων· ὥστε οὐ τῶν θυομένων φροντίς ἐστιν, ἀλλὰ τῶν θυόντων, ἵνα μηδὲν πάθος κεχαράγμενον. Quæ sic reddit *Latinus* interpres, *Nec enim bruta Legi curæ sunt, sed animæ rationis compotes: itaq; de offerentibus, non de victimis est sollicita, ne quod vitium eis insideat.* Sic, apud *Drusium*, *Menachem Riclnensis* ad locum *Deuter.*22. *vers.*6. "Non accipies matrem cum pullis, *Intentio præcipientis non est misereri avium, sed propter homines hoc dicit, quos ita voluit assuefacere ad mansuetudinem, & commiserationem.*

CAPUT QVADRAGESIMUM SECUNDUM.

Oves, & Capras *Hebraicè* eodem nomine contineri; quia multa habent communia.

Probatur ex Aristotele, *capras & oves multa habere communia. Itaq; in unum gregem sæpe coeunt. Quomodo vocetur* Arabicè *grex ex utrisque constans.* Ἐμμηλάδες, capræ cum ovibus. Καθηγηάδες, capræ, quæ ovibus præeunt. *Eodem modo pascuntur. Morbos habent similes. Eadem utrisque venena. Eadem medicina. Hœdi & agni eodem tempore castrantur. Oves & capræ in tres classes dividuntur.* Homerus μήλων *nomine complectitur utrumque pecus.* Σηκοὶ, ovium, & caprarum caulæ. Μηλωτὴ *tam* capræ, *quàm* ovis pellem *sonat.* Hesychius *emendatus.* Νάκος *etiam non solùm* capræ, *sed &* ovis pellis; *unde* νακοτίλτης, lanarum evulsor: & κατωνάκη, vestis genus. *Origo vocis* Syriaca. Σπυράδες *tam* ovium, *quam* caprarum excrementa. Hesychius *rursus emendatus. Balatus utrique gregi communis.* Hebr. צאן *tson*, ovis, *aut* capra. שה *seh*, hœdus, *&* agnus. Agnus *Hebraicè* טלה tale; hœdus *Æthiopicè* ጠሊ: tali: *Arabicè* طلا tala, *utrumque.* Arabicæ *voces plurimæ utrisque communes.*

CApras & oves multa habere communia, jampridem à *Philosopho* est observatum. Sic *Historia animalium* libri secundi capite primo, Τὰ δὲ διχηλά, καὶ ἀντὶ τῶν ὀνύχων χηλὰς ἔχει, ὥσπερ πρόβατον, καὶ αἴξ· *Bifida autem pro ungulis forcipes habent, ut ovis, & capra.*

Et capite tertio, Ἔχουσι δὲ πλείους οἱ ἄῤῥενες τῶν θηλειῶν ὀδόντας ἐν ἀνθρώποις, καὶ ἐπὶ προβάτων, καὶ αἰγῶν. *Mares fœminis plures habent dentes, tam in hominibus, quàm in ovibus, & capris.* Et libri tertii capite decimo septimo, Οἱ δὲ ζωμοὶ τῶν στέαρ ἐχόντων πήγνυνται, οἷον προβάτου, καὶ αἰγός. *Jura ex animalibus, quæ sebum habent, concrescunt, ut ovis, & capræ.* Et capite vigesimo primo lac augere dicit κυάμων πλῆθος ὀλίγον οἴ, καὶ αἰγί, *fabarum nonnihil ovi, & capræ datum.* Et libri quarti capite decimo, somniare, præter alia, quædam animalia, ἔτι δὲ πρόβατα, καὶ αἶγας, *etiam oves, & capras.* Et libri quinti capite decimo quarto, Πρόβατον μὲν, καὶ αἴξ, αὐτοετὲς ὀχεύεται, καὶ κύει· *Ovis, & capra, anniculæ ineuntur, & uterum ferunt.* Et capite trigesimo primo, Τὰ δὲ πρόβατα, καὶ αἶγες κρότωνας. Φθεῖρας δὲ οὐκ ἔχουσι· *Oves, & capræ ricinos habent, non pediculos.* Et libri sexti capite decimo octavo, Τοῖς μὲν οὖν προβάτοις, καὶ αἰξὶν, ἐπειδὰν ἡ ὥρα ᾖ τῆς ὀχείας, ἐπισημαίνει πρὸ τῆς ὀχείας· *Ovibus, & capris, cùm est coëundi tempus* (menstrua) *id significant antequàm coëant.* Et capite decimo nono, Τὰ δὲ πρόβατα κυίσκεται μὲν ἐν τρισὶν, ἢ τέτταρσιν ὀχείαις, ἂν δὲ ὕδωρ γένηται μετὰ τὴν ὀχείαν, ἀποκυίσκει· ὁμοίως δὲ καὶ αἶγες. *Oves autem tertio, aut quarto initu implentur; &, si post coitum imber ingruat, patiuntur abortum: ita etiam capræ.* Et rursus, Κύει δὲ πέντε μῆνας πρόβατον, καὶ αἴξ· διὸ ἐν τοῖς τόποις, ὅσοι ἀλεεινοί εἰσι, καὶ ἐν οἷς εὐημεροῦσι, καὶ τροφὴν ἄφθονον ἔχουσι, δὶς τίκτουσιν· *Oves, & capræ uterum ferunt quinque mensibus: ideo in locis calidioribus, & in quibus commodè degunt, & pabuli copiam habent, bis pariunt.* Item, Ὀχεύει δὲ, καὶ ὀχεύεται, ἕως ἂν ζῇ, καὶ πρόβατον, καὶ αἴξ· *Init, & initur, quamdiu vivit, capra, & ovis.* Ibidem, Διδυμοτοκοῦσι δὲ καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες, διά τε εὐβοσίαν, καὶ ἐὰν ὁ κριὸς, ἢ ὁ τράγος ᾖ διδυμοτόκος· *Geminos autem pariunt oves, & capræ, cùm pabuli beneficio, tum si aries, aut hircus naturâ sit gemelli-parus.* Et libri octavi capite decimo, Πρόβατα δὲ, καὶ αἶγές εἰσι μὲν ποηφάγα, &c. *Oves autem, & capræ sunt herbivora, &c.* Et capite vigesimo octavo, Καὶ ἐν Κιλικίᾳ αἱ αἶγες κείρονται, ὥσπερ τὰ πρόβατα παρὰ τοῖς ἄλλοις· *Etiam capræ in* Cilicia *tondentur, ut oves apud alios.* Et libri noni capite tertio, Κατακεῖνται δὲ αἱ οἶες, καὶ αἶγες ἀθρόαι κατὰ συγγένειαν· *Cubant verò oves, & capræ confertæ per cognationem.* Et capite quinquagesimo, Μηρυκάζει δὲ τὰ μὴ ἀμφώδοντα, οἷον βόες, καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες· *Ruminant verò quæ utrimque dentes non habent, ut boves, capræ, & oves.* Et *De partibus animalium* libri tertii capite duodecimo, Σπλῆνα δ' ἔχει, τὰ μὲν κερατοφόρα, διχηλὰ, καὶ στρογγύλον, καθάπερ αἴξ, καὶ πρόβατον· *Lienem rotundum habent quæ cornuta sunt, & bifida, ut capra, & ovis.* Et libri quarti capite secundo, Συμβαίνει δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ περὶ τὰ πρόβατα, καὶ τὰς αἶγας. τὰ μὲν γὰρ πλεῖστα τούτων ἔχει χολήν· ἀλλ' ἐνιαχοῦ μὲν τοσαύτην, ὥστε δοκεῖν τέρας εἶναι τὴν ὑπερβολὴν, οἷον ἐν Νάξῳ· ἐνιαχοῦ δὲ οὐκ ἔχουσιν, οἷον ἐν Χαλκίδι τῆς Εὐβοίας. *Tale quid etiam ovibus, & capris evenit: pleraque enim fel habent; & quidem alicubi tale, ut prodigii instar habeatur ejus excessus, ut in* Naxo, *alibi autem non habent, ut in* Eubœæ *Chalcide.* Et *De generatione animalium* libri quarti capite quarto, in *Ægypto*, ubi fœcundiora sunt animalia, plura dicit monstra gigni: Ἐν δὲ ταῖς αἰξὶ καὶ προβάτοις γίνεται μᾶλλον· πολυτοκώτερα γάρ ἐστιν. *sed inprimis inter capras & oves, quæ sunt maximè fœcundæ.* Et *Problem.* 6. quæstione decimâ quærit, Διὰ τί αἶγες μὲν, καὶ πρόβατα ἀμέλγεται πλεῖστον γάλα, οὐ μέγιστον σῶμα ἔχοντα? *Cur capris, & ovibus, quæ corpore non maximo sunt, mulgeatur lactis plurimum?* Nisi hæc essent plùs satis: multò plura proferri possent ex *Varrone*, *Columella*, *Plinio*, & *Æliano*; unde constaret, capras, & oves animalia esse in multis similia. Unde est, quòd in eundem gregem quandoque coëunt. *Virgilius Ecloga* septima,

Compulerántque greges Corydon & Thyrsis *in unum:*
Thyrsis *oves*, Corydon *distentas lacte capellas.*

Cujusmodi grex *Arabicè* dicitur البكيلة *albechila.* Lexicon *Alcamus*, البكيلة الضان والمعز يتخلط Albechila, *oves, & capræ, quæ commixtæ sunt.* Vocatur etiam الاعرم *alaram.* Ibidem, الاعرم القطيع من ضان ومعزي Alaram, *grex ex ovibus & capris.* Prius nomen propriè μίξιν, posterius διχρόον sonat. Ità *Hesychius* ἐπιμηλάδας αἶγας appellari ait τὰς μετὰ τῶν προβάτων γενομένας, *capras, quæ sunt unà cum ovibus*, nempe in eodem grege. Ἐπιμηλάδες id ipsum sonat. *Callimachus*, Hymno in *Apollinem*,

— οὐδέ κεν αἶγες
Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες.

Neque capræ egeant hœdis admixtæ ovibus. Et, *Pausaniâ* teste in *Arcadicis*, solebant *Lacedæmoniorum* Reges oves secum in bella educere, ut Diis ante prælia litarent; quibus itineris duces capræ præibant, indè appellatæ Κατοιάδες. Verè igitur de ovibus *Ælianus*, (*Hist.* lib. 7. cap. 27.) Καὶ μέντοι καὶ ἕπονται ταῖς αἰξί· *Etiam capras sequuntur.* Et *Varro* (*Rust.* lib. 2. cap. 3.) docet utrumque hoc pecus uno ferè modo pasci, de capris scribens, *Nec multò aliter tuendum hoc pecus, atque ovillum.* Morbi etiam sæpe similes: sic podagra, teste *Athenæo*, est αἰπολίων, καὶ προβάτων νόσος, *caprarum, & ovium morbus.* Eædem herbæ utrisque noxiæ. *Plinius* libri decimi sexti capite vigesimo, *Sabina capris, & ovibus venenum est.* Et libri vigesimi capite decimo quarto, *Gustatum à pecore capri*sque (pulegium) *balatum concitat. Unde quidam* Græci, *literas mutantes,* blechon *vocaverunt*, cùm alioqui vocetur γλήχων. Et libri vigesimi quarti capite undecimo, *Pecus, & capræ, si aquam biberint, in qua folia rhododendri maduerint, mori dicuntur.* Et alibi, *Oves, & capras perdunt euonymus, & conyza.* Eadem quoque remedia. *Columella* libri octavi capite septimo, *Sicut in ovillo pecore prædictum est, caprino medebimur.* Et capite tertio, *Capri, vel arietis petulci sævitiam pastores hâc astutiâ repellunt. Mensuræ pedalis robustam tabulam configunt aculeis, & adversam fronti cornibus religant, &c. Plutarchus* de alysso, (*Sympos.* lib. 3. cap. 1.) Λέγεται δὲ καὶ ποιμνίοις ἀγαθὴ, καὶ αἰπολίοις, περιφυτευομένη ταῖς μάνδραις· *Dicitur & ovium, & caprarum gregibus esse utilis, si prope caulas plantetur. Plinius* libri vigesimi sexti capite decimo, *Satyrii genus erythraicon arietibus quoque, & hircis, ad Venerem segnioribus, in potu datur. Hesiodus* etiam in *Operibus & Diebus* (a) eâdem mensis die jubet (a) *Versu* 784.

— ἐρίφους τάμνειν, καὶ πώεα μήλων,

hœdos castrare, & greges ovium. Et *Odyss.* ι'. (b) *Homerus* tam oves, quàm capras in tres classes vult dividi, ità ut (b) *Versu* 219.

— χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι,
Χωρὶς δ' αὖθ' ἕρσαι, —

seorsim quidem sint ætate provectiores, seorsim mediæ, & seorsim recèns editæ. Proinde idem μήλων communi nomine passim complectitur utrumque pecus. Ità *Iliad.* κ'.

(c) Ὡς δὲ λέων, μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν, (c) *Versu* 485.
Αἴγεσιν, ἢ ὀΐεσσι, κακὰ φρονέων, ἐνορούσῃ·

Ut leo, μήλοισιν *incustoditis superveniens, capris, aut ovibus, mala machinans, irruit.* Et *Iliad.* π',

(d) Ὡς δὲ λύκοι, ἄρνεσσιν ἐπέχραον, ἢ ἐρίφοισι, (d) *Versu* 352.
Σίνται, ὑπ' ἐκ μήλων αἱρεύμενοι, αἵ τ' ἐν ὄρεσσι
Ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν —

Ut lupi, in agnos, aut hœdos irruentes, noxii, ἐκ μήλων

eas surripientes, quæ in montibus pastoris stultitiâ dispersæ sunt. Et *Odyss.* 9.

(e) Versu 184. (e) Μῆλ᾽, ὄϊές τε, καὶ αἶγες ἰαύεσκον ——

Dormiebant μῆλα, *oves* scilicet, *& capræ.* Ad quem locum *Scholiastes*, Προτάξας τὸ γένος, ἐπιλύει τὸ εἶδος· *Præposito genere, speciem addidit.* Hinc est, quòd *Iliad.* δ. de caprario dicit,

(f) Versu 279. ——— (f) ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα,

sub speluncam autem μῆλα *compulit*, id est, *capras.* Et *Odyss.* ξ. de *Ulyssis* caprariis,

(g) Versu 105. ——— (g) ἕκαστος ἐπ᾽ ἤματι μῆλον ἀγινεῖ,

Ζατρεφέων αἰγῶν ὅς τις φαίνηται ἄριστος.

Quisque in diem μῆλον *abducit, saginatarum caprarum quæcunque appareat optima.* Tale est, quòd σηκοὶ *caulæ* sunt *ovium*, & *caprarum*, *Odyss.* 9.

(h) Versu 219. ——— (h) σεσάχατο δὲ σηκοὶ

Ἀρνῶν, ἠδ᾽ ἐρίφων ——

Plena autem erant caulæ agnis, & hœdis. Et quòd μηλωτὴ non solùm τὸ προβάτου δέρας, *ovis pellem*, ùt plerumque, significat; sed & *caprinam*, quam αἰγείας μηλωτὰς nonnulli vocant. *Hesychius*, Ἴσκλαι, κίσκλαι, καὶ αἱ αἴγειαι μηλωταί. Item, Ἴσλη, αἴγεια μηλωτή, ἀμειὰς (lege Ἀμερίας, *Græci* Glossatoris nomen, quem *Athenæus* sæpe citat) Proinde multis veterum *melote est caprina pellis. Hieronymus* Præfatione in *Regulam* Pachomii, *Et caprinam pelliculam, quam* meloten *vocant. Sedulius* in Epistolæ ad *Hebræos* caput undecimum, *Est autem* melota *pellis caprina ex uno latere dependens, quâ Monachi utuntur* Ægyptii. *Cassianus*, lib. 1. *Institut.* 8. *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ* melotes, *vel* pera *appellatur.* Isidorus, *Orig.* lib. 19. cap. 24. *Melotes, quæ etiam* pera *vocatur, pellis est caprina à collo pendens, præcincta usque ad lumbos.* Tamen *melota* à caprarum pellibus distingui

(i) Hebr. 11, 37. videtur in his *Pauli* ad *Hebræos* (i) Περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν nisi dicatur ultimum illud per explicationem esse additum.

(k) Odyss. ξ. versu 530. (l) Idyll. 5. 2. Sed & νάκη, vel νάκος, quod pro *capræ pelle* palàm usurpant (k) *Homerus*, & (l) *Theocritus*, a *Simonide* pro *ovillo vellere* sumitur. Quo quidem nomine apud *Etymologum* ità carpitur, Νάκη, τὸ αἴγειον δέρμα· κῴδιον, τὸ προβάτειον. ὡς ἄρα τὸ ἐν Κόλχοις νάκος φρίξου κώδιον, ὡς ἂν Σιμωνίδης νάκος φησί. *Caprina pellis est* νάκη, *ut ovilla* κῴδιον. *Itaque* Colchicum *vellus non dicendum est* νάκος. *Malè igitur* Simonides νάκος *appellat. Simonidis* tamen exemplo νάκος pro *vellere* ab iis usurpari video, qui purissimè loquuti sunt. Sic apud *Herodotum* (lib. 2. cap. 42.) *Thebani Jovem* fabulantur, ariete cæso, καὶ ἐνδύντα τὸ νάκος, *& vellere illius assumpto, Herculi* apparuisse. Et, in *Syria* Luciani *Dea*, quisquis illi sacra facit, ove mactatâ, τὸ νάκος χαμαὶ θέμενος, ἐπὶ τούτου ἐς γόνυ ἕζεται, *vellus humi sternens, super hoc in genua procumbit*, &c. Et *Archippo* νακοτιλεῖν est *vellera tondere*, aut *vellicare*. Et *Philemoni* νακοτίλτης, *vellerum evulsor*. Et *Cratino* νακότιλτος: ὥσπερεὶ κωδάριον, *qui velleris instar vulsus est*. Quæ omnia apud *Pollucem* libri septimi capite nono. Proinde *Hesychio* νακοτίλαι sunt οἱ κείροντες τὰ πρόβατα, *qui tondent oves. Suida* etiam & *Cyrillo* apud me manu-scripto, οἱ τῶν προβάτων κουρεῖς, *ovium tonsores.* Et νάκος huic κῴδιον, *vellus*; illi δορὰ προβάτου, *ovilla pellis.* Et *Glossatori* veteri, *Pellis lanata*, νάκη. Unde *Varro*, *Festus*, & *Paulus*; *Nacca appellantur vulgò fullones*, &c. *Quòd omnia ferè opera ex lana nacæ dicantur à Græcis.* Et κατωνάκη *Pollucis* libri septimi capite decimo quarto. Ἐξ ἐρίων μὲν ἦν ἐσθὴς παχεῖα, νάκος δὲ αὐτῇ κατὰ τὴν πίζαν προσέρραπτον· *Lanea vestis erat densa cum ipso vellere ad fimbriam assuto.* Vox in *Aristophane* extat non semel, & in *Hesychio*, & *Suida*, quos vide. Ex his probatur plùs satis, νάκην, vel νάκος tam *vellus esse*, quàm *capræ pellem*. Et est, cur credam de *vellere* primò, & propriè dici. *Hebræis* נקי naki, est *innocens*, נקה naka, *innocentem esse*. Hinc *Syris* ܢܩܝܐ *nekjo*, vel *nakjo*, est *ovis*. Et *Græcis*, nisi fallor, νάκη, vel νάκος, pro *vellere*, seu *ovis pelle*; unde ad *capram* est translatum.

Hùc quoque pertinet, quòd σπυράδες, σφυράδες, σπύραθοι, σπύραι tam sunt *ovium*, quàm *caprarum excrementa.* *Galenus* in *Exegesi*, Σπυράδες, τὰ τῶν αἰγῶν, καὶ προβάτων ἀποπατήματα. *Hesychius*, Σπύραθοι, τῶν προβάτων καὶ αἰγῶν ἡ κόπρος. Item, Σφυράδες, τὰ διαχωρήματα τῶν αἰγῶν, καὶ προβάτων· οἱ δὲ, σπυρίας. Unde apud eundem in Σπυρίθυγγια, τὰ διαχώρηλα τῶν αἰγῶν, ἅτινες σπυρίδας καλοῦσιν· pro διαχώρηλα scribendum διαχωρήματα· & σπυράδας, vel σπυρίας, pro σπυρίδας. Nam σπυρίδας esse *sportas* nemini non est notum. Et ὄσυρος, aliis τῶν προβάτων, *Hesychio* est ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος. Neque hoc omittendum, ùt ovibus, ità & capris balatum tribui. *Plinius* ubi suprà, de pulegio, *Gustatum à pecore (id est, ovibus) caprisque balatum concitat. Aristophanes* in *Pluto*, Actu secundo,

Βληχώμενοί τε προβατίων, αἰγῶν τε κιναβρώντων μέλη·

Balantes ovium, & grave-olentium caprarum cantus. Et *Theocritus Idyll.* 5.

——— αἱ δὲ χίμαιραι

Αἰδὲ κατεβληχῶντο, ———

capræ autem illæ balabant. Græcè tamen μηκᾶσθαι caprarum proprium est, ut βληχᾶσθαι ovium. Sed hæ voces sæpe promiscuæ sunt, atque ut capris βλῆχημα, vicissim ovibus μηκασμὸν quandoque tribui videas. De ovibus enim dixit *Poeta*

——— ἀζηχὲς μεμακυῖαι,

Iliad. δ. versu 435, &

Θήλειαι δ᾽ ἐμέμηκον ———

Odyss. 9. versu 439. Non possum hic omittere vocem κυρηβάσασθαι, æquè ac κυρίσσειν, arietibus, & hircis communem, qui cornibus mutuò se impetunt. *Hesychius*, Κυρηβάσασθαι, διαμαχέσασθαι, ἀπὸ τῶν κριῶν, καὶ τῶν τράγων, ἔνθεν καὶ τὸ κυρίσσειν.

Hæc præmittere necesse habui, nè quis miretur, quòd *Hebræi* quædam habeant vocabula capris, & ovibus communia: putà צאן *tson*, & שה *seh*; quibus *oves* frequentissimè, sed & quandoque *capras* significari certum est. Hinc de priore *Kimchius* in *Lexico*, הבהמה הדקה הכבשים והעזים יקראו צאן פעם כולל כלם *Pecus minutum, ut oves, & capræ, vocantur quandoque* צאן *universali nomine.* Et *Pomarius*, ודע שצאן הוא שם כולל עזים וכבשים *Scito nomen* צאן *commune esse capris, & ovibus.* Et *Aquinas*, ועז הבהמה הדקה כמו כבש ועז יקרא בשם זה הכולל *Tenue pecus, ut ovis, & capra, vocatur hoc generali nomine.* Itaque צאן *Hebræis* idem est, quod μῆλον *Græcis.* Neque aliter reddi debuit, cùm de capris usurpatur: ut *Gen.* 27. *vers.* 9. *I nunc* אל הצאן, πρὸς τὰ μῆλα, *& cape mihi indè* שני גדיים עזים טובים *duos hœdos caprarum bonos.* Et Genes. 38. vers. 17. *Mittam hœdum caprarum* מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων. Et Levit. 1. vers. 10. *Et si sit* מן הצאן, ἐκ τῶν μήλων, *oblatio ejus ex ovibus*, nempe *aut capris*. Et Jerem. 50, 8. *Estote ùt hirci* לפני הצאן, κατὰ πρόσωπον τῶν μήλων.

Etiam שה tam *hœdum* esse, quàm *agnum*, patet ex locis, quæ sequuntur. *Gen.* 30. *vers.* 32. כל שה חום בכבשים וטלוא ונקוד בעזים *Omnis* שה *niger in ovibus, & maculosus, & guttatus in capris.* Exod. 12. vers. 5. ubi de *Paschate*, שה תמים זכר בן שנה יהיה לכם *Integer* שה, *masculus, anniculus erit vobis, quem capietis ex ovibus, & capris.* Num. 15. *vers.* 11. *Sic unicuique bovi fiet, aut unicuique arieti,* או לשה בכבשים ובעזים, *aut* τῷ שה *ex ovibus, & capris.* Et Deut 14. 4. *Hæ sunt bestiæ, quas comedetis; Bos*, שה כבשים ושה עזים *&* שה *ovium*, *&* שה *caprarum.* Unde est, quòd in *Lexico Kimchius*, והקטן מן הכבשים ומן העזים הוא שקרא שה *Et parvulus tam ex ovibus, quàm ex capris is est, qui vocatur* שה. Quod ipsum tradunt *Hebræorum* alii. Sic,

Sic, apud *Damirem*, *Arabum* الشاء quod idem est, نقع علي الذكر والانثي من الضان والمعز *occurrit de mare, & fœmina, ex ovibus, & capris.*

Rursus *Hebræum* טלה *tale*, & *Arabicum* طلا *tala*, cum *agnum* sonet, tamen *Æthiopice* ጠሊ: *tali*, est *hircus*, *hœdus*, & *capra*. Exempla vide in *Æthiopicis* versionibus *Deut.* 14, 4. *Ps.* 49.14. & 65,14. *Cant.* 4, 1. & 5, 7. *Matth.* 25, 32.33. *Luc.* 15, 29. &c.

Æquivoca hujusmodi multò plura sunt apud *Arabes*. Sic فرير aut فرفر & سخلة & حلان seu حلام totidem sunt nomina *hœdis*, & *agnis* communia. Et بهم est *hœdum*, vel *agnum ablactare*. Et حيلة *ovium*, *aut caprarum grex*. Et, quod jam (m) diximus, بكيلة & اعرم *capræ & oves simul commixtæ*. Et كخيسة & ميش *ovilli lactis cum caprino mixtio*: quod *Siculum* esse inventum dicit *Philosophus Hist. animal.* lib. 3. cap. 20. Et يعار *tam caprarum balatus, quam ovium*. Et شمال *saccus, quo vel ovis, vel capræ ubera reconduntur, ne illa exsugant parvuli*. Hæc junctim de ovibus, & capris; jam de utrisque seorsim agendum.

m) Pag. 418. lin. 2.

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

Ovium *Hebræa* nomina, & *Chaldaica* quædam, ordine Alphabetico explicantur.

Ut אל Deus, *ita* איל aries *à robore dictus*. *Hinc* Jupiter κειοπρόσωπ☉. *Contrà*, *agni tam Græcum*, *quam Arabicum nomen* ab infirmitate *ductum*. *Agnus cur* à lana *dicatur* אמר *in* Esdra, *& alibi*. *Agnina pellis*, *id est*, ἀρνακὶς, *seu* chevno, *in vestium usum quam commoda*. Agnus in ora vestis *quid sit* Chaldæis. *Idem* Græcis ἴα, *vel* εἶα. Bezek *in* Kimchio *non est* agnus, *ut volunt*; *sed* calculus, *ut* Chaldaicum ביזקא bizka, & Græcorum *recentiorum* βιζάκιν. Israëlitæ, *a* Saule, *per calculos*, *& agnos numerati*. *Arietes in* Esdra דכרין, *id est*, mares, *dicti*. *Aries*, *qui gregem ducit*, *quomodo* Talmudicis, Chaldæis, Syris, Arabibus, *&* Græcis. *Dux gregis cur* Homero κτίλ☉. טלה tale, *Hebræis* agnus subrumus. *Arabice* tala, talu, *&* tila; *Æthiopicè* tali, *&* vajatal; *Chaldaice* tele, *vel* talja, *quid differant*. Ταλιθὰ κοῦμι. Puella nubilis *Græcè* τᾶλις. *Origo vocis* טלה tale. Jobel יבל, *non est* aries, *ut volunt*. *Veterum buccinæ ex boum*, *non ex arietum cornibus*. Servius, *&* Josephus *notati*. *Vocis* Jobel *variæ interpretationes*. *Harum vero simillima*. Jubilum, & jubilare, *quid propriè*. *Agnus quâ ætate dicatur* Hebræis כבש chebes, *&* Arabibus كبش chebs. Bidens, *&* sisarra, *quid propriè*. *Pro* כבש *scribitur* כשב, *tanquam voce a lucro facta*. Car כר *propriè* pascualis ovis, *aut* agnus. *Chaldæis* פלגים phalgis, *idem*; *ex* Græco φάγιλ☉, *id est*, agnus quadrimestris; *quia tum maximè edulis* Jonibus κάρ pediculus, *&* agnus. Caria *inde dicta*, *&* Cos *insula* Caris. Pediculus *cur* Homero κάρ, vel ἴκαρ. *Quæ oves dicantur* המשנים hamisnim, 1. *Sam.* 15. 9. *Vox à veteribus pravè lecta*. Misnim *propriè* bidentes: *quæ vox accuratè explicatur*. Astaroth עשתרות, armenta, *aut* greges: *unde* Venus Astarte; *in cujus tutela boves*. *An oves à ditando dicantur* astaroth. Tson צאן, capris, *&* ovibus *commune nomen*, *à fœcunditate ductum*. Saanan צאנן, Judææ *oppidum*; *malè* Græcis Sennaar. Εὐθηνεῖν, *&* εὐθηνεῖν, *pro* εὐθηνεῖν. Kesita קשיטה, *non est* ovis, *ut reddunt*; *sed nummi genus*. *Vox propriè* sincerum *sonat*, *&* ἀκίβδηλον. Jacobi *ævo non solebant res permutari*; *sed nummis appensis*, *vel numeratis*, *emebantur*. *Ager à* Jacobo *emptus* argenti pretio, *Act.* 7, 16 *Tria in eo loco notata*. *Non* Josephi *solius*, *sed & fratrum corpora in terram* Chanaan *exportata*, *idque in agrum* Sichemitarum, *non* Chebronem. *Cur* Chebron *dicta* Kirjath-arba. *In* Israëlis *nomine contineri omnes*, *qui* Chebrone *sepulti sunt*. Abraham *pro* Jacobo *nominatus*; *id est*, *pater pro filio*. *Similes alibi locutiones*. *Aut* Abrahami *nomen merum Glossema*. Emmor τ̃ Συχὲμ, *id est*, Sichemi *pater*, *non filius*. *Ejusdem Phrasis varia exempla*. *Cur moneta genus* Kesita *pro agnis accepta*. *De eo conjecturæ tres*. Kesita, *quod genus nummi sit*. Rachel רחל, *ovis* Hebræis, Syris, *&* Arabibus. Arias *notatus*. *Ovis* reicula, Rachel, Jacobi *uxor*, *cur ovis dicta*. Theræ filius *quorsum vocatus* οἰολυκ☉. *Quid differant* שה & צאן. Hebræi *Lexicographi notati*. *Vocis* שה *origo* Arabica.

Ovium in Scripturis nomina, quia plura occurrunt, libet in hoc capite explicare juxta literarum ordinem.

איל *ajil*, est *aries*. Sic *Gen.* 15, 9. איל משלש, *aries triennis*. Gen. 22, 13. איל אחר נאחז בסבך בקרניו *Aries a tergo detentus in veprium perplexitate cornibus suis*. 2. Reg. 3, 4. אילים צמר *Arietes cum lana*, id est, *intonsi*. Psal. 114, 4. *Montes exsilierunt* כאילים, *ut arietes*. Es. 60. 7. אילי נביות *Arietes Nabatæorum*. Dan. 8, 4. 6. איל בעל הקרנים *Aries cornutus*: & איל מנגח *aries cornu feriens*. Nomen ab אל, id est, *robore*, ductum: ita ut איל *aries*, & אל *Deus fortis*, sint conjugata. Quin vox Pluralis אלים, *elim*, & *arietes*, & *Deos* sonat. Unde est, quod *Ethnicorum* vetustissimi *Jovem* suum finxerunt κειοπρόσωπον. Porrò *à robore* dictus est *aries*, ut opponeretur *agno*, qui *Græcè* vocatur ἀμνὸς, quasi ἄμυν☉, id est, *sine viribus*: & *Arabicè* سخلة *sachla*, à Verbo سخل *sachala*, quod *infirmum esse* significat, ut خسل *chasala*, & *Hebræa* חשל *chasal*; & חלש *chalas*. Tria enim hæc vocabula easdē habent Radicales, sed ordine permutato.

אמר *immar*, est *agnus*. Inde Plur. אמרין *immerin*, *Esdræ* 6, 9. 17. & passim in *Paraphrastis*. Est enim *Chaldaica* vox, quam *Arabes* quoque usurpant. Nempe *Chaldæis*, quibus solenne est צ & ע permutare, *lana* est עמר, pro צמר. Et ab עמר fit אמר, quæ licet scriptura diversa, tamen sono tam vicina erant, ut *Galilæi* inter loquendum confunderent, quod *Talmudici* testantur in Tractatu עירובין fol. 53. 2. *Chaldæum* igitur *agni* nomen *à lana* ductum est, quæ in matribus quidem villosior est. Hinc *Theocritus Idyll.* 12.

- - - ὅσσον ὄϊς σφετέρας λασιωτέρα ἀρνός,

Quantò ovis agno suo villosior est. Sed in agnis est tenuior, & tactu mollior, atque eo ipso plus in pretio. Proinde *Martialis* lib. 5. *Epigr.* 38.

Pinguior ... *dulcior mihi cygnis,*
Agnâ Galesi *mollior* Phalantini.

Aut *Phalantini* potiùs, quia ad *Galesum* amnem *Tarentum* condidit *Phalantus*. Et πλάτιναι, seu ἀρνακίδας, id est, *agninas pelles unà cum lana*, in vestium usum maximè commendant Medicorum filii, ut quæ non solùm plus caloris, quàm ovillæ conferant, sed & dorso, & renibus plurimùm prosint. Hujusmodi vestis est *rheno*, si vocis origo servatur. Nam *Græcè* ῥὴν est *agnus*. Et אמרא *imra*, *Chaldæis* non solum *agnum*, sed & *limbum vestis* significat, cui assuebatur ἀρνακίς. Sic *Ps.* 133, 2. in *Chaldæa* Paraphrasi, *Sicut unguentum bonum, quod effusum super caput descendit super barbam, barbam* Aaronis, *quod descendit* עד אמרא דלבושיה, *super agnum vestis ejus*, id est, *super oram vestis ejus agnina pelle suffultam*. *Græci* habent ἐπὶ τὴν ὤαν τοῦ ἐνδύματος, quod ferè idem est. Nam ὤα, ὤα, ἔα, vel ὄα, primò μηλωτὴν *vellus* significavit, seu *ovis pellem cum lana*. *Hesychius*, Ὦα τὰ προβάτου, ἡ μηλωτή. *Suidas*, Ὦα, μηλωτή. *Pollux*, Τὴν ῥῶαν, ἢ ὄας λέγουσιν, ὄα δὲ καλοῦσι καὶ ἡ τοῦ προβάτου δορὰ ἡ σὺν τρίχι ἐστί. Secundo sic dicta est *ora vestis cum hujusmodi pelle assuta*. Καὶ γὰρ οἱ ἀρχαῖοι προβάτων δέρματα ἐβάλλον ἐν ταῖς κρασπέδοις τῶν ἱματίων. Ità *Etymologus*, & *Cyrilli* Lexicon nondum editum, in voce ὦα. Et *Eustathius* in *Iliad.* ξ'. Οἱ παλαιοὶ καὶ ταύτας ὄιας δέρμα προσέρραπτον, ἵνα ἀσφαλῶς τρίβοιντο τὰ κάτω τῶν ἱματίων. Hinc igitur *ora vestis inferior* ὤα, vel ὄα dicta est: neque *inferior* solùm, sed & *superior*, quam aliter περιστόμιον, & περιτραχήλιον vocant. *Pollux*, Ὦα δὲ τὸ ἐξώτατον τοῦ χιτῶνος ἐκατέρωθεν. *Hesychius*, Ὦαι δὲ τῶν ἱματίων, καὶ τὸ λῶμα τοῦ ἐνδύματος, καὶ τὸ περιστόμιον τοῦ ἱματίου. Quod à *Psalte* intelligi palàm est. Rectè igitur *Suidas* post *Theodoretum*, Τὸ περιστόμιον ὤαν ἐκάλεσεν ὁ Δαβίδ, ὃ καλοῦμεν περιτραχήλιον.

בזק bezek, *agnum* multi explicant, tanquam ex *Talmude*, & *Kimchio*. Schindlerus, *Talmudicis* בזק *agnus*. Boderianus, בזק *est agnus secundùm R.* David *in libro* Radicum. David de Pomis, בזק שה לפי ר׳ ד׳ קמחי שמואל א׳ Bezek, *agnus*, *secundum R.* Davidem Kimchium 1. *Sam.* 11. In quo tamen nihil tale reperio, neque in *Hebræis* vetustioribus. Tantùm ad locum 1. *Sam.* 11, 8. ubi de *Saule* dicitur, *Et recensuit eos* (Israëlitas) *in Bezek*, postquam notavit *Kimchius* (in *Lexico*) *Bezek* esse loci nomen, de quo *Jud.* 1, 5. *Et repererunt* Adoni-bezekum *in Bezek*, addit in libro *Haggada* בזק *bezek* hic pro *calculo* sumi; ac si dicatur *Saul* populum באבנים *per calculos* recensuisse, quos singuli viritim dederint. Nempe, ut ψηφίζειν apud *Græcos* recentiores (a), sic *Chaldæis* (b) בזק *bezek*, vel בזקא *bizka*, pro *calculo* usurpatur. Rursus, quia טלאים *telaim*, sunt *agni*, ut dicetur in sequentibus, cum idem *Saul* 1. *Sam.* 15, 4. populum recensuisse legitur *in Telaim*, quod loci nomen fuit *ab agnis* dicti, ut *Græcis Rhene*, *Arne*, *Polyrrhenium*; idem liber *Haggada* per טלאים, telaim, *agnos* intelligit, per quos *Israelitas* numeravit *Saul*. In qua eadem sententia fuit *Chaldæus Paraphrastes*, qui pro בטלאים *in Telaim*, habet באימרי פסחיא, *per agnos Paschales*: quasi tum fuerit *Pascha* tempus, & per *Pascha* victimas, quæ plerumque per decurias comedebantur, initus fuerit populi census. Et author *Tanchuma*, sive *Jelammedenu*, hæc duo loca inter se conferens, *Saulem* dicit pauperes per calculos, & divites per agnos dinumerâsse. Quem locum cùm citet *Kimchius*, abundè docet בזקיא, id est, *calculos*, & אימריא, id est, *agnos*, nihil habere commune. Itaque nullus capio, quomodo ex his verbis docti collegerint בזק bezek, *Kimchio* esse *agnum*.

a) Vide Macarium, Homil. 17 & Antiochum, Homil 66. & Suidam in Βιζάκιον.
b) Thargum Prov. 16, 8.

דכרין dichrin, *Chaldæis* primò *mares* in genere, deinde in specie sunt *mares ovium*, id est, *arietes*; ut in Sacro textu *Esd.* 6, 9. 17. & passim in *Paraphrastis*. Ità *Homerus* arietes (c) ἄρσενα μῆλα, & ἀρνειοὺς ὄιας, id est, *oves masculas* appellat. *Talmudicis* porrò כרכשתא *charchastha*, vel קרקשתא *karkastha*, est *aries, qui gregem præit, appenso tintinnabulo*, atque ipsum *tintinnabulum*, à Verbo קרקש *karkas*, quod *sonare* est. Neque aliud משכוכיתא *mascobitha*, in *Paraphrasi Jonathanis*, quæ de *Jacobo* sic habet, *Gen.* 30, 40. ויהב ברישׁ ענא משכוכיתא *Et maschobitham posuit in capite ovium*. Pro quo legendum videtur משבוכיתא, *masbochitha*, vel משבוקיתא, *masbokitha*; quia سبق *Arabibus* est *præire*, & *antecedere*, unde dictum putaverim *arietem* gregis ducem. *Gemarista*, in *Bava Kama*, משכוכית *maschochith*, scribunt per duplex *Caph*; tanquam a משך mašach, *trahere*: quo hæc *Glossatoris* pertinent, יש לכל בעל עדר עז חריף ותולה לה זוג להוליך בראש העדר נמשך הולך אחריו *Quisquis est gregis dominus, habet ovem præeuntem, cui tintinnabulum appenditur, ut eat in capite* gregis: *& grex trahitur* quasi, *& illam sequitur*. Nec multò aliter *Aruch*. *Syrus* id ipsum est ܟܘܪܙܐ *chorzo*. Baptista Ferrarius, ܟܘܪܙܐ Chorzo, *hircus, vel aries, qui est dux gregis*. Quod puto esse *Arabum* كراز *chorraz*, quomodo ab illis vocari reperio الكبش تحمل خرج الراعي *arietem, qui peram pastoris gerit*. Nempe *pera*, quæ vulgò خرج *horg* (unde Hispanum *alforjas*) etiam كرز *chorz* vocatur. Itaque ut كرز *chorz* est *pera*, sic كراز *chorraz* est ὁ πηροφόρος. His si *Græca* libeat addere; *Hesychio* Στίλος; & Κτίλος, est ὁ προηγούμενος τῆς ποίμνης κριὸς, *aries, qui præcedit gregem*. Nec prius aliunde novimus. Sed κτίλος est ex *Homero* notissimum, qui de *Ulysse* dicit *Iliad.* γ',

Αὐτὸς δὲ, κτίλος ὥς, ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν,
Is autem, ut dux gregis aries, lustrat virorum ordines

Et *Iliad.* ν'. populos *Æneam* sequi tradit,

- - - - ὡσεί τε μετὰ κτίλον ἕσπετο μῆλα,
ut ducem gregis arietem sequuntur oves.

Sectarium ex *Festo* rectè dixeris, cui *Sectarius vervex est, qui gregem agnorum præcedens ducit*. Nec vero est absimile, quod habet *Homeri Scholiastes*, κτίλον dici, quasi ἀκτίλον, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τὰ λοιπὰ θρέμματα, *à ducendo reliquo pecore*. Et *Servio* si credimus, *Laconum lingua* Tityrus *dicitur aries major, qui gregem anteire consueverit*.

טלה *tale*, propriè est *agniculus*, *agnus subrumus*; ἀρὴν γαλαθηνός. Solùm occurrit tribus locis: nempe 1. *Sam.* 7, 9. *Et* Samuel *cepit* טלה חלב *agnum lactis*; id est, *lactentem*. Et *Es.* 40, 11. *Pascet ut pastor gregem suum, brachio suo congregabit* טלאים *agnos, & sinu suo portabit*. Et *Es.* 65, 25. זאב וטלה *Lupus & agnus pascentur simul*. Quartus additur locus ex 1. *Sam* 15, 4. *Et recensuit eos* בטלאים, quod quidam *Hebræorum* reddunt *per agnos*: & Hieronymus *quasi agnos*, quia legit כטלאים. Sed ibi *Telaim* jam (d) docuimus loci nomen esse proprium. Quod agnoscunt plerique interpretes, quamvis aliter atque aliter efferant. *Syrus* enim habet ܒܛܠܝܐ *in Telaja*, diversa terminatione; *Arabs* في موضع يقال له طويلا *in loco, qui vocatur Tavila*: cujus nominis urbs est in *Lusitania*. *Græci*, ἐν Γαλγάλοις, pro ἐν Τελάιμ quomodo scribæ imperiti solent ignotis nominibus notiora substituere. Porrò, ut *Hebræis* טלה *tale*, sic *Arabibus* طلا *tala*, est *agnus*: cujus vocis originem his verbis aperit *Damir*, الطلا بالفتح الصغير من اولاد الغنم وانما سمي

c) Vide Iliad. μ. versu 451. & ψ. versu 817. Odyss. ι. v. 425. & 438.
d) Pag. 425. lin. 51.

سمي بذلك لانه يطلي الي تشد وجليه بخيط الي وتد

Tala, per Fata, *est fœtus ovillus adhuc parvulus, quomodo vocatur, quia* jutla, *hoc est, pedibus, ad paxillum fune ligatur*, nempe mactandus. Neque enim Verbum *Arabicum* طلي est *ligare* in genere, sed *ligare mactandum agnum*, ut *Hebraicè* עקד. Tamen inde dici vel *Arabum* طلا *tala*, vel *Hebræorum* טלה *tale*, pro *agno*, vix crediderim. Et Verbum ex nomine potiùs, quam Nomen ex Verbo videtur factum. Utut sit, طلا *tala*, & طلو *talu*, cum scripturâ parum differant, tamen apud *Arabes* sunt notionis diversissimæ. Illud enim *ovis*, hoc *lupi fœtum* significat. Et طلا *tila*, cum *Kesra*, ولد ذوات الظلف *catulum animalium, quæ habent ungulam fissam*. Ita *Damir*. At *Æthiopicè* ጠሊ: *tali*, est *hædus*, aut *caper*. *Arabes* quoque ita usurpant, ut observat *Giggeius* in vocibus طلي, & طلس. *Æthiopicè* rursus ወዕል: *vajatal*, est *caprea*. Et *Chaldaicè* טלה *tele*, vel טליא *talja*, puer, & טליתא *taljetha*, vel ταλιθά *talitha*, puella Unde notissimum illud, Ταλιθὰ κοῦμι. *Puella, surge*; Marc. 5. vers. 41. A quo deflexum *Æolicum* τᾶλις pro *puella nubilis*. Hesychius, Τᾶλις, ἡ μελλόγαμος παρθένος, ἡ κατωνομασμένη τινί· Talis, *virgo nubilis, & alicui desponsata*. Quomodo *Callimachus* usurpat, & *Sophocles* in *Antigone* versu 639. ad quem vide *Scholiastem*. *Suidas* etiam hic consulendus, qui ex *Scholiaste* pleraque habet. Unum addo, טלה, vel טלא, unde Plurale טלאים, videri prius *hœdum*, quam *agnum* significâsse. Nam טלה, vel טלא, quodcunque sit animal, *à maculis* ita dictum est, quod *hædo* maximè convenit. *Hædus* enim adhuc subrumus certis maculis aspersus est, quas ætas delet. Unde *Poeta* Ecl. 2.

Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo.

Ad quem locum *Servius*, *Qui habent adhuc maculas à prima ætate venientes: accessu enim temporis mutatur color. Capreolus* porrò est hœdi sylvestris species: & continetur sub *Arabico* nomine طلا *tala*. Ita que الظبية *caprea*, in *Damire*, *Arabicè* dicitur ام الطلا *mater τοῦ tala*.

יובל *jobel*, creditur esse *aries*; quia *Jos. 6. v. 5. 6.* קרן היובל *cornu* jobel, *Chaldæus* reddit קרן דכרא *cornu arietis*; & שופרות היובלים *buccinas* jobelim, שופריא דקרן דכריא *buccinas è cornu arietino*. Et *Talmudici* volunt *Arabicam* esse hanc vocem; quia id his verbis asserit *Rabbi Akibas* in *Roshhaßana* cap. 3. fol. 26. a. כשהלכתי לערביא היו קורין לדכרא יובלא *Cum in* Arabiam *profectus sum, arietem vocabant* jobela. Proinde cornu arietino quinquagesimus annus promulgatus fuisse fertur: atque ideo vocari יובל *jobel*, & שנת יובל *annus jobel*, seu *jubilæus*, Levit. 25. v. 10. 13. &c. Sed valde vereor, ne commentum hoc sit merè *Rabbinicum*: cum aries *Arabicè* nusquam vocetur *jobel*, quod quidem sciam, sed حمل *hamal*, aut كبش *chebs*, aut شافع *saphi*, aut, si sit procerior, جخجخ *giuchgiuch*, & هجهج *hughug*, &c. Tantum وبلة *vvabala* in ove est شهوة الفحل *admissarii (seu arietis) appetitus*, & استوبلت الغنم *ovis arietem appetiit*. Ita habetur in *Alcamus*. Quod videtur occasionem dedisse huic commento. Præterea nusquam legitur in Sacris Scriptoribus quinquagesimum annũ promulgatum fuisse cornu τοῦ *jobel*, sed בשופר תרועה *tuba clangoris*; quo nomine *cornu arietis* designari .... *credat* Judæus Apella, *non ego*. Veterum certè buccinæ ex boum erant, non ex arietum cornibus. *Dionysius Halicarnassæus* libro secundo, Τοὺς δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς, κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες, ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον· *Plebejos ministri quidam, bovinis cornibus buccinantes, ad concionem cogebant*. Et multo ante *Varro* libro quarto *De Lingua Lat. Cornua* dicta, *quod ea, quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu*. Solus, quod meminerim, *Servius* buccinam ex capræ cornu fieri in speciem docet. Verba sic habent, *Cum Dii Inferi inducuntur, quare signum buccina datur* (*Æn.* lib. 7. versu 518.) *Solvitur, quod buccina ex ...... capra fiat, & quod sit propriè* Ditis *patris hostia*. &c. Legendum *ex cornu capræ*: neque enim aliud occurrit, quod possit commodè suppleri. Itaque, ex mente *Servii*, buccina fuit ex capræ cornu. Sed de tuba, vel buccina ex cornu arietino, apud veteres *Græcos*, & *Romanos* nulla mentio. Neque verò id commodum esset, cùm sit omnino solidum, neque cavum quidquam habeat, in quo flatus recipiatur. Itaque nullus capio, unde sumpserit *Josephus* quod de *Gedeonis* militibus refert *Antiq.* lib. 5. cap. 8. Ἐνόμιζον δὲ πάντες, &c. ἐν τῇ δεξιᾷ κερὰ κριῶν, ἐχρῶντο δὲ τούτοις ἀντὶ σάλπιγγος· *Ferebant omnes in dextra manu cornu arietis, quo pro tuba utebantur*. In Scriptura enim שופרות, id est, *tubas*, reperio *Jud. 7. v.* 8. 16. 18. 19. 20. 22. & in *Græcis* κερατίνας, *cornua*: sed arietis cornua pro tubis usurpata, neque in Sacro textu legi, neque apud ullum interpretem. Quid erunt igitur *annus τοῦ jobel*, aut vero *tuba τοῦ jobel*? Plures sunt sententiæ, ut fit in re obscura. *Jubilæum* Josephus ἐλευθερίαν explicat; *Aquila*, & *Seniores* ἄφεσιν· *Philo*, in *libro Nominum*, *dimittentem*; *Hieronymus* in *Esaiam* lib. 2. *dimissionem*; & *Moses Gerundensis* in *Levit.* 25. v. 10. שלוח, eodem sensu. Sed puto illos interpretes rem respexisse, non verbum: neque enim יבל usquam est *dimittere*, vel *remittere*. Sunt, qui שנת היובל volunt esse שנת המוביל, id est, *annum reducentis*; quia eo anno servus, & captivus, & exul, quasi postliminii jure revertebatur ad suos: quod *Fullerus* maxime probat *Miscellaneorum* libri quarti capite octavo. Nonnulli יבל referunt ad יבול *terræ proventum*, cujus eo anno defectum supplebat Dei benedictio. *Levit.* 25. v. 20. 21. *Oleaster*, *Ribera*, *Serrarius*, alii, Scripturæ aliquot loca proferunt, in quibus יבל in *Hiphil* est *afferre cum gaudio*: unde colligunt יבל ideò dici *quinquagesimum annum*; quia bonis omnibus erat fœcundus. Sed הוביל est simpliciter *afferre*, vel *reducere*, sive id fiat *cum gaudio*, ut *Psal.* 45. *vers.* 16. &c. sive *cum mœrore*, *& luctu*, ut *Job.* 10. v. 19. & 21. v. 30. 32. *Esa.* 23. v. 7. & 33. v. 7. *Jerem.* 11. v. 19. *Ose.* 10. v. 6. &c. *Avenario* יובל *jobel*, est *sonus ex tuba profluens*, ut יבלי מים, id est, *decursus aquarum*, Esa. 30. vers. 25. & 44. v. 4. *Masii* sententia non caret verisimilitudine, *Hebræum* vocabulum *jobel*, & *Latina jubilum*, & *jubilare*, à *Jubal* esse deducta, primo inventore Musices, *Gen.* 4. v. 21. ac voces quasque *canoras* illas quidem, sed *rusticas*, *duras*, *agrestes*; & *quasi ululantes* significare: quales inchoata illa, sed non perfecta primi artificis instrumenta edebant. Eo sensu משך היובל *Exod.* 19. *vers.* 13. & קרן היובל & שופרות היובלים *Jos.* 6. v. 5. 6. sunt *tuba* vel *cornua soni grandis*, *& protracti rustico more*. Et annus *jobel* est *annus*, *cujus promulgatio fiebat tali cornu, vel tubâ*.

Quo

Quo faciunt hæc *Varronis* libro quinto *De Lingua Latina.* *Ut quiritare urbanorum, sic jubilare rusticorum. Itaq. hos imitatus* Aprissius *ait in* Bacchi (vel, ut emendat *Scaliger, aptè* Attius *ait in* Bacchis) " *Quis me jubilat?* Ex hæc *Festi, Jubilare est rusticâ voce inclamare.* Unde *Glossarium* vetus, Κραυγὴ ἀγροικῶν, *Ejulatus agrestium.* Item, Ὀλολυγμὸς ἀγροικῶν, *Jubilatus agrestium.* Cujus locutionis exempla si desideras, en tibi ex *Silii* libro decimo quarto!

Et latis scopulis audivit jubila Cyclops;

id est, *cantus pastoris* Daphnidis: & ex *Calphurnii Ecloga* prima,

Nec montana sacros distinguunt jubila versus:

& *Ecloga* septima,

Et tua mœrentes expectant jubila tauri:

& ex *Apuleji* libro octavo, *Villa vero coloni canes rabidos, & immanes, &c. jubilationibus solitis, &c. nobis inhortantur*, id est, *in nos hortantur, & concitant.* Et ex *Ammiano Marcellino* lib. 22. *Cum miles cantilenas meditaretur pro jubilo molliores. Pro jubilo*, id est, *pro militari voce, vel cantu*; qui rusticus est, & inconditus.

כבש chebes, *Arabicè* كبش *chebs*, est *mediæ ætatis agnus*, inter טלה tale, *agniculum.* & איל ajil, *arietem.* Nempe ut *Homerus* ovile genus in tres ætates ita distinguit *Odyss.* ι. versu 221.

- - χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι,
χωρὶς δ' αὖθ' ἕρσαι, - - - - - -

separatim quidem erant ætate priores, separatim quoq; media, separatim deniq; recens nata: sic etiam *Hebræi* hos trium ætatum gradus in ovibus observant, & triplici nomine insigniunt; atque ut טלה est *subrumus agnus*, 1. Sam. 7. v. 9. *quiq; in sinu gestatur*, Esa. 40. v. 11. & איל *aries trimus*, Gen. 15. v. 9. ita כבש inter utrumque medius, ab anno primo ad tertium, hoc nomen obtinet. Unde in Scriptura toties כבש בן שנה *agnum anniculum*, & כבשים בני שנה *agnos anniculos* legas. Exempla vide *Exod.* 12. v. 5. & 29. v. 38. *Levit.* 9. v. 3. & 12. v. 6. & 23. v. 12. 18. 19. *Num.* 6. v. 12. 14. & 7. v. 15. & ejusdem capitis locis aliis viginti quinque. Inde *Kimchius*, ונקרא כבש בן שנה כי הגדול משנה יקרא איל *Et vocatur* chebes *anniculus; quia, si sit anniculo major, vocatur* ajil. Quod ipsum sequuntur *Pomarius*, & *Aquinas.* At *Arabes* id nominis paulo latius extendunt. *Damir*, الكبش فحل الضان في اي سن وقيل اذا اثنى وقيل اذا اربع Alchebs, *ovis masculus ætate quavis* (nempe καθ᾽ ἑκάστην ἡλικίαν) *aut, ut alii dicunt, cum duales; aut, ut alii, cum quatuor dentes ejicit.* Alcamus, الكبش الحمل اثني او اذا خرجت رباعيته Alchebs, *aries cum duales ejicit, aut cum prodeunt quatuor ejus dentes*: id est, ut idem explicat, *dentes*, التي بين الثنية والناب *qui inter duales & molares medii sunt*; quod anno secundo aut tertio contingere infra dicetur, ubi de voce משנים. Itaque in ovibus الكبش ferè idem est, quod *bidens*, quod posteà explicabimus. Possis & *sisarram* reddere, quomodò vocatur ovis, quæ primum annum superavit. Glossæ, *Sisarra*, ἡ ὑπὲρ μείζω ἐνιαυτοῦ. Quippe *ovem* etiam significat כבש ut *Levit.* 4. v. 32. *Si obtulerit* כבש *in oblationem suam, fœminam integram eam offeret.* Tamen, quia de mare plerumque usurpatur, ex כבש fit כבשה Fœminina terminatione, ut significetur *agna*, seu *ovicula*: ic *Levit.* 14. v. 10. וכבשה אחת בת שנתה *Et oviculam unam anniculam.* Et, in *Nathanis* Parabola, 2. *Sam.* 12. v. 3. *Pauperi cuidam nihil erat præter unam* כבשה *oviculam.* Et *Genes.* 21. v. 28. שבע כבשות *septem agnas.* Per ἀναγραμματισμὸν כבש chebes, mutatur in כשב cheseb, Genes. 30. v. 22. & passim in *Mosis* libris. Unde *Arabum* كسب chesb, vel chisb, pro *quæstu*, & *proventu*, qui populis Orientis ex pecore maximus fuit. Hinc *Arabs Erpenianus* de *Isaaco*, Gen. 26. v. 14. *Et fuerunt ipsi greges ovium, & armenta boum*, وكسب عظيم & chesb (id est, *proventus*) *magnus.*

כר contractum ex ככר (ut בת *pupilla* ex בבת) primò *pascuum* significat; ut *Esa.* 30. v. 23. & *Psal.* 65. v. 14. Secundò *pascualem agnum*, & *ovem*, aut *pascalem*, si mavis ἀρχαϊκῶς. *Lucilius*,

Pascali pecore & montano, hirto atq; soloci.

Festus, *Pascales oves Cato posuit pro Pascuales.* Sic *Deuter.* 32. v. 14. עם חלב כרים ואילים בני בשן *cum adipe pascualium* agnorum, & *arietum* Basanæorum. 1. Sam. 15. v. 9. *Et indulgens fuit Saul & populus erga* Agagum, *& erga optimas oves, & boves, & bidentes*, ועל הכרים *& erga* agnos *pascuales.* 2. Reg. 3. v. 4. de Rege *Moab*; *Pendebat Israelis Regi centum millia* כרים agnorum *pascualium.* Psal 37. v. 20. *Quia peribunt impii, & Domini hostes* כיקר כרים *ut pretiosum* agnorum *pascualium* (id est, adipes) *deficiunt, in fumum abeunt.* Ejusdem vocis exempla plura si desideras, quære *Esa.* 16. v. 1. & 34. v. 6. *Jerem.* 51. *vers.* 40. *Ezech* 27. v. 21. & 39. v. 18. & *Amos* 6. *vers.* 4. Nobis sufficiet hic observare in loco *Davidis*, quem nuper citavimus, *Hebræa* verba כיקר כרים à *Chaldæo* reddi היך יקר פלגסין דמן אולא מתפטמין ומופיהון מתנכסין *quomodo pretiosum* palgisin (aut *phalgisin* potius) *qui primum quidem saginantur, sed postmodum immolantur.* In quibus verbis, quorsum agni vocentur *phalgisin*, *Hebræi* quærunt non immeritò; quia פלגס *phalgis*, pro *agno* nusquam alibi reperitur. Et alii quidem componunt ex פלג גס, quasi *portionem crassam*, aut *pinguem*; dicentis; alii ex פלג שה, ac si sit *ovis dimidia.* Ita *Elias*, qui inde colligit פלגס esse שה שיצא מכלל כבש ולכלל איל לא בא *pecus ovilli generis, quod perfectionem agni superat, sed arietis perfectionem nondum attigit.* Et hunc sequuti, *Pomarius* & *Aquinas* volunt *agnum* esse *tredecim mensium*; quasi כבש non dicatur, nisi qui præcisè est *anniculus*: quæ sunt nugacissima. Omnino enim פלגס *phalgis*, trajectis literis, deflexum est ex *Græco* φάγιλος, id est, *agnus*. *Plutarchus* in *Hellenicis*, *Quæst.* 14. ubi de mulcta, quam procorum hæredibus, ab *Ulysse* interemptis, imposuit *Achillis* filius *Neoptolemus*; Ἦν δὲ ἄλφιτα, οἶνος, κηρία, ἔλαιον, ἅλας, ἱερεῖα πρεσβύτερα φαγίλων. Φάγιλον δέ φησιν Ἀριστοτέλης τὸν ἀμνὸν εἶναι. *Erat autem* (mulcta illa) *farina, vinum, favi mellis, oleum, sal, victima phagilis adultiores. Phagilum verò* Aristoteles *agnum* dicit. *Hesychius*, & *Phavorinus*; φάγιλος, ἀμνός. Ita legendum, non φάγιλος per λ. φάγιλος enim nomen est ejusdem formæ, cujus ὄργιλος, ἄργιλος, ναυτίλος, ἀγκύλος, κορυτίλος, ἀειτίλος. Ita nempe dicitur *agnus*, cum *edulis* esse incepit, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, id est, quadrimestris ut minimùm. Vix enim eduntur agni antequam depulsi sint, nec nisi quarto mense depelluntur. *Nutricantur* (inquit *Varro*) *quoad facti sint quadrimestres.* Itaque φάγιλος *Græcè* id ipsum est, quod *Arabicè* الجفر *algiaphro.* *Quadrimestrem* enim *agnum Arabes* ita nominant. *Alcamus*,

الجفر من اولاد الشياه ما عظم

عظم واستكرش او بلغ اربعة اشهر Algiaphro, *ex ovis fœtibus, qui crevit, & ventre jam intumuit, aut attigit quartum mensem.* Et verò ex φαγίλῳ, R. & L permutatis, potuit fieri primò الفجر *alphagro*, deinde per Metathesin الجفر *algiaphro*: ut per aliam Metathesin à *Chaldæis* φάγιλος mutatum in פלגים *phalgi*. Quin פלגים, vel φάγιλος, planè videntur exprimere vim *Hebræi* כר *car*; quo, nisi fallor, nomine significatur *agnus, qui, à matre depulsus, jam cœpit esse pascualis*. Porrò, si quis roget, qui factum sit; ut *Græca* vox φάγιλος, ipsis *Græcis* non multùm nota, ad *Chaldæos*, & *Arabes* penetraverit, ipsum rogabo vicissim, unde devenerit ad *Græcos Hebræorum* כר *car*; cùm populi, qui in vicinia habitant, *Arabes* & *Syri* putà, hoc vocabulum prorsus ignorent, atque ipsimet *Hebræi* nonnisi rarò usurpent; tamen ad *Græcos* devenisse, & *Jonicam* fuisse vocem ex *Hesychio* scimus, cujus verba sunt, Κὰρ, θάνατος, φθεῖρες (lege φθεὶρ) πρόβατον. Item, Καρα, &c. Ἴωνες τὰ πρόβατα. Et, crescente voce, Κάρνος, φθεὶρ, βόσκημα, πρόβατον. Item, Καρνοσάζειν, σφάλλειν, ὅπου τὸ κάρνον ἵσταται. Item, Κάρος, &c. βόσκημα. Item, Καρφθεὶρ, προβάτου εἶδος. Lege divisis vocibus Κὰρ, φθεὶρ. *Ovem* igitur *Græci* significârunt vocibus κὰρ, & καρὶς, & κάρνος, vel κάρνον quæ palàm deductæ sunt ex *Hebræa* כר *car*. Neque vero est absimile, quod jam alibi observavimus, indidem dici *Cariam*, cujus ager est maximè compascuus. *Cicero* libro primo *De Divinatione*; *Arabes autem, & Phryges, & Cilices pastu pecudum maximè utuntur*, &c. *Tum Caria tota, præcipuéque* Telmissenses, *quos antè dixi, quod agros uberrimos maximéque fertiles incolunt*. *Palæphatus*, ubi de *Hesperidibus*; Ἕσπερος ἦν ἀνὴρ Μιλήσιος, ὃς ᾤκει ἐν τῇ Καρίᾳ, &c. τούτῳ δὲ ἦσαν ὄϊες καλαὶ, καὶ ἔγκαρποι· οἷαι καὶ νῦν ἐν Μιλήτῳ, ἐπὶ τούτῳ δὲ ὀνομάζονται χρυσαῖ. Hesperus *vir erat* Milesius, *qui in* Caria *habitabat. Huic autem erant oves pulchræ, & fœcundæ; cujusmodi etiam nunc sunt* Mileti, *ac proinde vocantur aureæ*. Et *Cariæ* vicina *Cos* insula etiam ipsa *Caria* dicitur. *Stephanus*, Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Καρία· aut Καρὶς *Caris*, ut legit *Eustathius*, qui hæc habet ad librum secundum *Iliados*, Ἡ Κῶς Καρὶς λέγεται κατὰ τὴν ἐπιθέτευσιν τοῦ Ἐθνικοῦ. Cos *dicebatur* Caris *juxta* Collectorem Gentilium Nominum. Nempe & ipsa fuit valde εὔβοτος. Proinde *Callimachus* de hac insula Hymno in *Delum*, versu 164.

—— λιπαρή τε, καὶ εὔβοτος, εἴ νύ τις ἄλλη.

Et pinguis, & pascua, si qua alia. Unde esse, quòd *Cos* vocatur, affirmat *Eustathius* in *Iliad.* ξ'. Verba sunt, Φασὶ δὲ τὰς Κάρας οὕτω καλεῖν τὰ πρόβατα, ὅθεν καὶ ἡ νῆσος Κῶς, ὡς πολύθρεμμον, διὰ εὐβοσίαν. *Dicunt autem* Cares *sic appellare oves, unde & insula* Cos, *utpote multa alens pecora, propter pascuis ubertatem.* Sed κῶς, vel κώδιον, vellus est, ut *Arabum* كد *cad*; non *ovis*. Itaque, si ab εὐβοσίᾳ dicta est, eò potiùs pertinet alterum insulæ nomen Καρὶς, quia κὰρ *Jonicè* ovem, *Hebraicè* non solùm *ovem*, aut *agnum*; sed & *pascuum* significat. Vox eadem κὰρ ab *Hesychio* φθεὶρ exponitur, seu *pediculus*. Id ex *Homero* sumptum, apud quem *Achilles* de *Agamemnone* dicit *Iliad.* ι. versu 378.

———— τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ.

quod, *Eustathio* teste, nonnulli sic explicant, Τιμῶ αὐτὸν ἐν μέρει καρὸς, ὅ ἐστι φθειρὸς τῆς περὶ τὴν κεφαλήν. *Eum non pluris facio, quàm pediculum capitis.* Quomodo si interpreteris, legi malim ἔγκαρος αἴσῃ, ut *pediculus* ἔγκαρ dicatur, quia est ἐν κάρει, *in capite*. Et verò id *Eustathio* maximè placet. Sed hæc obiter. Quomodo à voce כר fiat מכרכר 2. *Sam.* 6. *vers.* 14. dicemus infrà.

משנים *misnim*, quæritur quid sint 1. *Sam.* 15, 9. ubi *Saül* pepercisse *legitur optimis gregibus, & armentis, &* המשנים hamisnim, *& agnis*. Plerique veterum sic reddunt, quasi aliter legerint. *Chaldæus*, תנינא; *Syrus* ܕܡܫܡܢܐ; *Arabs* السمان *pinguibus*, id est, השמנים pro המשנים, *Mem* & *Schin* transpositis; *Græc.*, τῶν ἐδεσμάτων, id est, המזונים *Zajin* pro *Schin*; Hieronymus, *vestibus*, id est, השנים, omisso *Mem*. Ex *Hebræis*, R. *Esaias* sequitur *Jonathanem*; R. *Selomo* putat *boves pingues* המשנים, id est, *duplos* appellari; quòd duplam habeant carnem, & pinguedinem, quomodo *Gen.* 43, 12. כסף משנה *duplum argentum* significat. *Kimchi* explicat שנים לבטן *secundo partu genitos*, ac si sint præstantiores, aut בני שתי שנים *biennes*. Contra, *R. Jacob Eleazaris* filius בני שנה *anniculos* hic intelligit. Inter tot expositiones fluctuat *Pomarius*, nescius quid sequatur. Et *R. Levi* maluit hunc locum intactum præterire, quàm cum cæteris nugari. *Drusius* exponit *secundarios*, ut intelligatur *Saül* non solùm optimis gregibus, & armentis pepercisse, sed & iis, qui erant in proximo illis ordine, & si non optimi, saltem ab optimis secundi. Quæ singula hic perpendere nostri non est otii, nec instituti. Tantùm id afferam, quod vero videtur esse proximum. משנים, quod omnes sciunt, fit ab *Hebræo* Verbo שנה *schana*, id est, *iterare*, & *duplicare*, ut *Arabicum* ثني *thsana*. A quo ثنيات *thsaniath*, id est, *duales*, vel *gemini*, dicuntur dentes duo, qui in jumentis, & omni pecore, sed in ovibus præsertim, eminent certâ ætate, nec multò pòst excidunt. Et اثني *athsna* Verbum quartæ Conjugationis, quæ respondet *Hebræa Hiphil*, significat, apud *Arabes*, *hos dentes abjicere*. Et *qui abjicit* ثني *thsani* dicitur, atque inde colligitur quot annos agat. Agnus enim illos dentes secundo, aut tertio anno abjicit; vacca tertio, aut quarto; equus quarto; camelus sexto. *Alcamus*, الثنية الناقة الطاعنة في السادسة Thsania, *cameli fœmina, quæ sextum annum attigit*. Idem, البعير الثني والفرس الداخلة في الرابعة والشاه في الثالثة كالبقرة *Camelus* thsani (*id est, sexennis*) *Equus quartum ætatis annum agens, & ovis tertium, ut & vacca*. Alii *Arabes* apud *Giggeium* الثني Thsani, *jumentum, quod duales dentes abjicit. Agnus biennis. Camelus sexennis. Equus quadriennis. Ovis biennis. Vacca triennis, quod duales dentes tunc abjiciant.* Et in *Alcamus* jumentum, aut pecus dicitur الجذع قبل الثني Algiadso, *antequàm duales abjiciat*, id est, *infirmus, invalidus, ætatis nondum satis firmæ*. Proinde idem addit, اسم له في زمن وليس بسن ينبت او يسقط *Hoc nomen à tempore ductum esse, non à dentibus, quæ crescunt, aut decidunt.* Tempus igitur, quo dentes duales abjiciuntur, ideò pastores curiosiùs observant; quia hæc est ætas pleni roboris, ad quam pecora quò propiùs accedunt, eò majoris sunt in pretio. Proinde in ovibus bidentes, id est, in quibus sese exerunt hi duo dentes, quos diximus, olim exquirebantur, ut Diis acceptiores, & sacrificiis aptiores. *Virgilius* libro quinto *Æneidos*,

—— *cædit quinas de more bidentes.*

Et

Et libro sexto,

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Et libro septimo,

Centum lanigeras mactabat ritè bidentes.

Et libro duodecimo,

—— intonsámque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Et *Silius* libro decimo tertio,

—— circúmque bidentum
Visceribus laceris, & odori sulfuris aurâ,
Graminibusque novis, & longo murmure purgat.

Et *Seneca* in Oedipo,

Nigro bidentes vellere, atque atræ boves
Retro trahuntur. ——

Non me latet, à multis veterum hanc vocem multò aliter sumi. Nam apud *Gellium* (d) & *Macrobium* (e) Nigidius *bidentes* appellari ait non *oves* solas, sed *omnes bestias bimas.* Et ibidem *Gellius bidentes* dici vult, quasi *biennes.* Et *Nonnius Marcellus*, Bidentes *qui æstimant ob eam causam oves à* Virgilio *dictas, quòd duos dentes habeant, pessimè, ac vitiosè intelligunt,* &c. *Et melius intelligi potest, si biennes dixerit.* *Hyginus* tamen (qui, Gellio teste, jus *Pontificium* non ignoravit) *bidentes* appellari scripsit *hostias, quæ per ætatem duos dentes altiores haberent, per quos ex minore in majorem transcendisse constaret ætatem.* Et *Festo* quoque *bidentes* sunt *oves duos dentes longiores cæteris habentes.* *Isidorus* etiam libri duodecimi capite primo quasdam ex ovibus bidentes vocari refert, *eo quòd inter octo dentes duos altiores vocant.* Et *Glossa Philoxeni*, Διόδυς, *Bidens.* Et *Glossarium* aliud vetustissimum, *Bidentes*, Ἐπὶ τῶν προβάτων, διὰ τὸ διόδοντα αὐτὰ εἶ). Quibus ideò accedit *Scaliger* ad *Varronem*; quia si *bidens* esset, quasi *biens*, vel *biennis*, indè *bidennes*, non *bidentes* dicerentur. Sed, cùm de ove agitur, parvi momenti est hæc quæstio; quia duos hosce dentes eminulos ovis non habet, antequàm sit biennis. Itaque *bidens biennem* significat saltem ex consequenti. Unde est, quòd utroque modo nonnulli interpretantur. *Servius* in librum sextum *Æneidos*, *Bidentes oves sunt circa bimatum, habentes duos dentes eminentiores, quæ erant aptæ sacrificiis.* *Glossæ* veteres, *Bidentis*, Δυετὴς ὄϊς, ὀδόντα πρόβατα· lege διόδοντα πρόβατα. Utùt sit, המשנים *Hebræis*, ut ثنيون *Arabibus*, dictas fuisse *pecudes* puto, atque in his *oves* maximè, vel *cùm eminebant*, vel *cùm excidebant hi duo dentes.* Quod cùm adultæ ætatis sit indicium, hoc ipso maximè præstabant.

עשתרות *astharoth*, Deut. 7, 13. & 28. vers. 4. 18. 51. *Arabs* Parisiensis *agnos*, & Kimchius *oves* explicat. *Liber nominum* in Hieronymo *caulas, præsepia, ovilia, atria.* Alii plerique *armenta*, aut *greges.* Ità enim *Græci, Chaldæi, Syrus, Samaritanus, Arabs Erpenianus, Vulgatus* Interpres, *Aben Ezra, David de Pomis*, & magna pars recentiorum. Et verò indè dicta *Astarte* videtur non solùm gregibus, sed & armentis præfuisse, atque ideò capiti imposuisse βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου, *tauri caput pro regni insignibus*, ut habet *Sanchoniathon.* Nempe *Astarte* est *Venus*: quod ex eodem *Sanchoniathone*, ex *Cicerone*, *Theodoreto*, *Procopio Gazæo*, *Suida*, & aliis probare esset obvium, si hæc res ageretur. Porrò de *Venere Lucretius*,

—— per te genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina Solis.

Et *Manilius* libro secundo, ubi de cœli signis, quæ sub Deorum tutela sunt,

—— taurum Cytherea *tuetur:*

ut taurum illi scias speciali curâ fuisse commissum. Vocem עשתרות quod attinet, illam *Talmudici* referunt ad עשר, quod *ditescere* est in *Cholin* capite tertio. Verba sunt; אמר רבי יוחנן הרוצה שיתעשר יעשוק בבהמה דקה אמר רב חסדא מאי דכתיב ועשתרות צאנך שמעשירות את בעליהן *Dixit* Rabbi Johannes, *Quisquis vult ditescere, occupetur in minuto pecore.* Dixit Rabbi Chasda, *Quorsum dicitur* Deut. 7. vers. 13. "*Et astaroth* (greges) ovium tuarum? *Quia ditant dominos suos.* Itaque, ex illorum sententia, post secundam Radicalem litera *Tau* in עשתרות est epenthetica. Quod ideò non admittimus, quia res est sine exemplo.

צאן *tson*, jam antè (f) docuimus commune nomen esse ad *ovillum* & *caprinum* genus; quamvis צאן *tson*, & *capræ* quandoque opponantur, ut cùm de *Nabale* dicitur 1. *Sam.* 25. 2. *Et ei erant* צאן *tson*, (id est, *oves*) *ter mille, & mille capræ.* Idem nomen, utut semper Singulare, tamen vim Pluralem ubique habet. Neque enim צאן unam ovem, aut unam capram significat, sed multas ubique collectas. Et secunda Radicalis *Aleph*, quæ alibi solet moveri, hîc quiescit in *Cholem.* Unde est, quòd *Lexicographi* referunt ad צון, quasi *Aleph* sit loco *Vau.* Sed nihil erat necesse, cùm in vocibus ראש *caput*, & פארה *ramus*, *Aleph* Radicale medium pariter quiescat in puncto *Cholem*: itaque apud *Arabes Elif* in ضأن *hamza* habet adscriptum, quâ notâ indicant illud *Elif* pertinere ad Radicem. Notandum interim, alicubi pro *Hebræo* צאן scribi צנא, & צנה, ut *Chaldaicè* ענא. Sic *Num.* 32. *vers.* 24. *Ædificate vobis civitates pro parvulis vestris, & caulas* לצנאכם *pro ovibus vestris.* Et *Psal.* 8. *vers.* 7. *Omnia posuisti sub pedibus ejus, boves,* צנה *& oves.* Quomodo si scribatur, Radix erit צנא, vel צנה, id est, *Arabicè* ضنا vel ضني Quod apud illos *sobolescere, fœtificare*, & *fœcundum esse* significat. Sic apud *Lexicographos*, ضنات المرأة *multâ prole fuit mulier*, ضنا المال *greges valde fœcundi fuerunt*; الضنو *prolis copia.* Quod ovibus quàm conveniat infrà dicemus. A voce צאן vocatur צאנן *Saanan*, *Judæ* quoddam oppidum, *Mich.* 1, 11. quasi *pecorosum* dixeris. Hodie legitur Σενναὰρ *Sennaar*, in *Græcis* editionibus, id est, שנער, nomine ignoto, ut sæpe fit, deflexo in alterum notius. Sed *Theodoretus* Αἰνὰν legit in *Commentariis* in hunc locum. Ità etiam *Chrysostomus* Homiliâ decimâ octavâ *Ad populum Antiochenum*; aut, ut habet margo, Σαινὰν, quod sequuntur *Complutensis Bibliorum* editio, & nupera *Parisiensis.* Symmachus *abundantem*, *uberem*, *fertilem* reddiderat. *Hieronymus* in *Micheam*, *Porro quod sequitur*, "*Non est egressa, quæ habitat in* Sennan, *&c.*" Symmachus *vertit*, "*Non est egressa habitatio abundans.* Idem in *Locis*; Sennaar, *pro quo* Aquila *Sennan*, Symmachus *interpretatur* uberem. *Meminit hujus* Micheas *Propheta.* Hinc *Glossæ* veteres, *Sennaar, fertilis.* *Symmachus* quidem apud *Cyrillum* reddidit planè aliter. Ἐκδέδεικται μὲν, inquit, οἱ ἑβδομήκοντα Σενναὰρ, Ἀκύλας ἡ ἰσχὺς Σεννάν, ἡ εὐθηνοῦσα ἡ Σύμμαχος quod potiùs *validum* sonat. Sed pro εὐθηνοῦσα rescribendum εὐθηνοῦσαν quomodo *Hieronymum* in *Symmacho* legisse certum est. Εὐθηνεῖν enim est *abundare*, *uberem*, & *fertilem esse.* *Hesychius*, Εὐθηνῶν, εὐδαιμονῶν, πλουτῶν. *Glossæ Philoxeni*, Εὐθηνία (lege Εὐθηνία) *copia, ubertas, annona, abundantia, merces.* *Pollux*, (lib. 1. cap. 12. §. 13.) in laudibus prati ponit, ut sit πολυφόρος, ὀργῶν, εὐθηνῶν. Reddit *Gualterus* interpres *ferax*, *germinans*, *justum*: quorum ultimum cum ad pratum non pertineat, mutandum in εὐθηνῶν *abundans.* Sic, cùm in arbore idem requirit, ut sit εὔκαρπος, εὐθηνοῦσα, εὔφορος, πολύφορος, εὐκαρπος, πολύκαρπος, ut planè constet εὐθηνῶν scribi debere pro εὐθυνῶν, statim pro Concretis sequuntur Abstracta totidem; id est, Substantiva nomina pro Adjectivis: Καὶ ἀνθηρὰ εὐκαρπία, εὐθηνία, εὐφορία, πολυφορία, πολυκαρπία. Consimili mendo in *Homeri* Hymno *in Terram* legitur in nonnullis exemplaribus,

(d) Lib. 16. cap. 6.
(e) Lib. 6. cap. 9.
(f) Cap. 42. suprà, pag. 420. lin. 39.

pluribus, *κτήνεσιν εὐθυνεῖ*, pro *εὐθηνεῖ*. Sed & in *Græca* Scripturæ versione quædam editiones habent *εὐθυνῶν* pro *εὐθηνῶν*, *Job.* 21, 23. & *Dan* 4, 1. *εὐθυνοῦντες* pro *εὐθηνοῦντες*, *Ps.* 72, 12. *εὐθύνησαν*, pro *εὐθήνησαν*, *Jerem.* 12, 1. *εὐθυνοῦσαι*, pro *εὐθηνοῦσαι*, *Thren.* 1, 6. *εὐθυνία*, pro *εὐθηνία*, *Psal.* 29, 7. & 121, 6. 7. *Ezech.* 21, 49. *Dan.* 11, 21. 24. Porrò, quod צאן *Symmachus εὐθηνοῦσαι* exponit, confirmat id, quod diximus, צאן *pecus* dici ab *Hebræis* ab ubertate, & fertilitate, & quia in immensum sobolescit.

קשיטה *kesita*, plerisque veterum *agnum*, aut *ovem* sonat. Sic *Gen.* 33, 19. ubi *Jacob* emisse dicitur à filiis *Hemor* portionem agri במאה קשיטה, *centum kesitas*; *Kesitarum* nomine *Græci*, *Onkelos*, *Syrus*, *Arabs* uterque, *Vulgatus* Interpres *centum agnos*, aut *oves* intelligunt. Nec locus huic parallelus *Jos.* 24, 32. aliter redditur ab ullo vetustiorum interpretum. Et *Job.* 42, 11. ubi ab amicorum singulis *Job* accipit קשיטה אחת, *kesitam unam*, *Chaldæus* habet חורפא, *agnum*, *Græci ἀμνάδα*, *agnam*; *Syrus* نصعا *Arabs* الشاه Vulgatus *ovem*: eodem omnes sensu. Mihi tamen est persuasissimum קשיטה *kesitam*, *Hebræis* nec *ovem* fuisse nec *agnum*, sed aliquod *nummi genus*. Quæ sententia nititur his rationibus: 1. Cum de ovium pastu, proventu, mactatione, & sacrificiis libri *Prophetici* agant locis plùs centum, in his *agnus* כשב, & כבש, & שה, & כר, & טלה, & אמר; *ovis* צאן vocatur, & רחל, & כבשה, nusquam קשיטה. Nec in vicinis linguis, *Chaldæa* putà, *Syrà*, *Samaritanà*, *Æthiopica*, & *Arabicà*, quæ *Hebraicæ* Dialecti sunt, ullum extat, quod quidem sciam, hujus vocis vestigium. Unde valde verissimili conjecturà colligo, nunquam ab Orientis populis eâ notione usurpatam. 2. Quin *Talmudicis* קשיטה *kesita*, est *nummi species*. Ita explicat *R. Akiba* in *Ros hassana*, cap. 3. fol. 26. a. כשהלכתי לאפריקי היו קורין למעה קשיטה למאי נפקה מינה לפרושי מאה קשיטה דאוריתא מאה דנק *Cùm per* Africam *peregrinarer*, *obolum vocabant* kesitam. *Quænam inde est utilitas? Ut centum* kesitæ, *de quibus agitur in Lege* Mosis, *explicentur centum danaces.* Atque id sequuntur *R. Selomo*, & *R. Levi Ben Gerson* in *Commentariis* in hunc locum: &, in *Lexicis*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*: & in *Concordantiis* R. *Mardochæus*: *Hebræi* denique omnes præter unum *Aben Ezram* in *Jobum*; cui *kesita* est כבשה קטנה, *ovicula*, aut *agna*. 3. Et, si liceret per *Masorethas*, qui nulla, ut puto, necessitate adducti, punctum τοῦ *Sin* in קשיטה *kesita* è dextro cornu transtulerunt in sinistrum, ipsa origo vocabuli decideret hanc litem. Nam קשט *koset*, *Hebræis* est veritas. Extat hoc vocabulum *Ps.* 60, 6. & *Prov.* 22, 21. Et *Chaldæum* קשוט *kesot*, idipsum sonat, *Dan.* 4, 34. & passim. Unde קשיט *kasit*, pro *vero*, & *sincero* sæpe habetur in *Paraphrastis*. Itaque קשיטה *kesita*, id est, *vera*, aut *sincera*, non *agna*, aut *ovis*, sed *proba moneta* est attributum, sive materiæ ratione, sive ponderis. Hinc *Deut.* 25, 15. in *Onkelo* מתקלין שלמין דקשוט *pondera perfecta* (Dikesot) *veritatis*, & מכילן שלמין דקשוט *mensura perfecta veritatis*, id est, *justa*, & *æqua*. Et in *Jonathane* ibidem, משחתא דקשוט *statera veritatis*, & קסטין דקשוט *sextaria veritatis*; non sine allusione τοῦ *kesot*, ad τοὺς *kesatin*: quorum illud *veritatem*, hoc *sextaria* sonat. Et *Prov.* 16, 11. pro *Hebrais* אבני כיס *lapides marsupii*, *Chaldæus* Interpres habet מתקלי דקשטא *pondera veritatis*; ac si כיס eo loco, quod quidam volunt, deducatur à כסס id est, *supputare*, & *numerare ad justam summam*. Ex his cùm constet plus satis קשט koset, *veritatē* (juxta *Hebræos*) ponderum esse attributum, potuit קשיטה *kesita*, id est, *vera*, dici moneta, quæcunq; habuit justum pond', aut etiam *moneta sincera*, & *ἀκίβδηλος*, ut opponeretur adulterinæ, quàm *Hebræi* vocant מטבע שקר *monetam falsitatis*, ut nos vernaculè *falsam monetam*: Et generale probæ monetæ attributum ad certam speciem transferri, quæ ideò קשיטה *kesita*, dicta sit, quod maximè esset sincera, & ex auro, vel argento purissimo conflata, vel quod in ea pondus rigidè, & exactè observaretur. Utut sit, cùm omnis moneta extendi, & appendi, & signari, & numerari soleat, tamen à פשט, quod *extendere* est, פשיטה *pesita*, dicta est certa monetæ species, eâdem formâ nominis, quâ קשיטה *kesita*. Et à Verbis שקל *sakal*, & פלס *pilles*, aut *philles*, quæ *appendere* significant, שקל sekel, *siclus*, & פולס phullas, *follis* Et à טבע *taba*, quod *signare* est, & *χαρακτηρίζειν*, טבעה *tiba*, pro *dimidio siclo*. Et à מנה *mana*, id est, *numerare*, מנה *mane*, Græcè *μνᾶ*, nobis *mina*. Rursus כסף chesceph, *argenteus*, זהב zahob, *aureus*, apud *Hebræos* fuere nummi certæ species, quamvis ferè omnibus id commune sit, ut vel ex argento, vel ex auro conflentur. Proinde, licèt in nummis τὸ *ἀκίβδηλον* ubique requiratur, tamen potuit una quædam species קשיטה *kesita*, nominari peculiari de causa, quæ nos lateat. 4. Quadrabit igitur nomen *kesita*, si de nummo accipiatur. At, cur sic vocetur agnus, nulla potest dari ratio, quæ vel minimam habeat veri speciem. Imò קשיטה *kesita*, non esse *agnum* docet Fœminina terminatio. Et *agnam* si intelligas, sequetur, *Jacobum* pro agri pretio, quem emit à filiis *Emor*, nonnisi agnas dedisse: & *Jobum* ab amicis solùm accepisse fœminas absque ullo mare, quòd parum est verisimile. *Agnorum* quidem nomine possunt etiam *agnæ* contineri, sed non vicissim. Itaque, si de ovillo fœtu ageretur in illis locis, eas adhibuissent voces Sacri Scriptores, quæ mares potius designassent. 5. Præterea *Jacobi* ævo, & multò antè, jam desierant res rebus permutari, & in usu erant veræ emptiones, quæ nummis fiunt, vel appensis, vel numeratis. Itaque *Jacobi* avus *Abraham* servos habuit *ἀργυρωνήτους*, *Gen.* 17, 12. 13. Et *Hephronis* agrum emit quadringentis siclis probæ monetæ, ac inter mercatores receptæ, *Gen.* 23, 16. *Josephum* quoque à fratribus viginti nummis emptum *Ismaelitæ* in *Ægypto vendiderunt*. Et *Jacobus* ipse, famis tempore, filios eodem amandavit, ut præsenti pecunia frumentum compararent. Quod ipsum *Ægyptii* cùm aliquamdiu præstitissent, nummis tandem consumptis, anxii hæserunt, & consilii inopes, donec *Josephus* illis permisit armenta, & greges frugibus permutare, *Gen.* 47, 16. Ex quo ipso satis apparet, factum id fuisse præter sæculi morem, ut in re extraordinaria. 6. Quid? quòd ille ipse ager, de quo *Moses*, & *Josue*, legitur *Actor.* 7, 16. à filiis *Hemor* emptus fuisse *τιμῆς ἀργυρίου*, *argenti pretio*. Verba sunt, *Κατέβη δὲ Ἰακὼβ εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἐτελεύτησεν αὐτὸς, καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν. Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ.* In quo quidem loco fateor esse tria, quæ lectorem remorentur. quorum primum est, quod ibi patrum, id est, duodecim *Patriarcharum*, corpora ex *Ægypto Sichemam* translata fuisse leguntur, cum id Scriptura tribus locis nonnisi de *Josepho* tradat. Secundum, quod hunc agrum, vel monumentum, quod in eo agro fuit, emisse dicitur *Abraham* à filiis *Emmor*, cum agri prope *Sichemum Jacobus* emptor fuerit, non *Abraham*, *Gen.* 33. 19 & *Jos.* 24, 32. Tertium, quod agrum illum emisse dicitur *Abraham* à filiis *Emmor* τοῦ *Συχέμ*, id est, filii *Sichemi*, ut quidem volunt, cùm *Emmor* non fuerit *Sichemi* filius, sed pater, ut in *Genesi*, & *Josua* clarè docetur. Sed primum facilè solvitur: cùm *Josephus* solus fratrum vates fuerit, & *Judæorum* in *Ægypto* mox sequuturam oppressionem, & ex *Ægyptiorum* jugo liberationem spiritu Prophetico solus prævideris, is etiam in morte solus petiit, ut ossa sua ex *Ægypto* in *Chananæam*

transferrentur. quo nomine illum commendat *Apostolus* Hebr. 11, 22. Neque id petiisse contentus, gravi etiam sacramento populares suos adstrinxit, nè huic officio deessent. Quod cum memorâsset *Moses*, *Gen* 50, 25. necesse habuit docere, quomodo se hoc juramento liberaverint *Israelitæ*. Proinde *Exod.* 13, 19. narrat se ex *Ægypto* exeuntem *Josephi* ossa secum exportâsse, ut juramento ab illo moriente exacto satisfieret. Et *Jos.* 24, 32. leguntur hæc eadem ossa sepulta fuisse *Sichemæ* in agro, quem *Jacob* emerat à filiis *Emor* patris *Sichem*. Sed quamvis de *Josephi* fratribus idem non referatur, tamen id conjicere facile fuit, quia par erat ratio. Utut enim *Josephus* in *Ægypto* dignitate supra fratres eminuerit, omnium tamen *Patriarcharum* apud *Judæos* eadem fuit dignitas. Itaque si *Patriarcharum* unius ossa ex *Ægypto* necesse fuit in *Chananæam* transferri, nulla causa apparet, cur non reliquis quoque *Patriarchis* idem honor sit exhibitus. Et verò *Josephus* Historicus (*Antiq.* lib. 2. cap. 4.) post historiam de morte *Josephi Patriarchæ* de fratribus hæc subjungit, Τελευτῶσι δ' αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοί, ζήσαντες εὐδαιμόνως ἐπὶ τῆς Αἰγύπτου. καὶ τούτων μὲν τὰ σώματα κομίσαντες μετὰ χρόνον οἱ ἀπόγονοι, καὶ οἱ παῖδες ἔθαψαν ἐν Χεβρῶνι. *Sed & obierunt fratres ipsius, cùm in* Ægypto *feliciter vixissent: atque eorum quidem corpora cùm post aliquod tempus posteri exportâssent*, (eorum qui exportaverant) *filii* Chebrone *sepelierunt*. Quod ex vetustiorum *Judæorum* traditione hausit *Josephus*: quamvis in eo fallatur, quod *Chebronem* scripsit pro agro *Sichemitarum*. Atque hunc esse memoriæ lapsum palàm facient ea, quæ dicturus sum. *Hebræorum* est vetus traditio, quam referunt *Hieronymus* in *Locis* in voce *Arboc*, & in *Traditionibus Hebraicis* in *Genesin*, & *Eugesippus* in *Descriptione Terræ Sanctæ* statim initio, & *R. Selomo Jarchi* in *Gen.* 23. *Chebronem* alio nomine vocatam fuisse קרית ארבע *Kirjath-Arba*, id est, πόλιν τῶν τεσσάρων, à quatuor *Patriarchis* inibi sepultis. Hi sunt *Adam*, *Abraham*, *Isaacus*, & *Jacobus*. quod de *Adamo* tam incertum, quam de reliquis tribus certum & indubitatum est. Licet etiam de *Adamo* probare conentur ex *Jos.* 14. 15. Sed quàm verè hæc illi dixerint, jam non quærimus. Tantum notamus, hæc ab illis sic affirmari. Quod neutiquam facerent, si præter illos quatuor *Patriarchas*, etiam *Josephi* fratres undecim credidissent ibidem fuisse sepultos. Neque observâssent Doctores *Cabalistici* in nomine ישראל seu *Israelitis*, omnes illos contineri per *Rasetheboth*, qui *Chebrone* sepulti sunt. Nempe in nomine ישראל quinque sunt literæ, quarum prima *Jod* est initialis nominum *Isaaci*, & *Jacobi*; secunda *Schin*, nominis *Saræ*; tertia *Res*, nominis *Rebeccæ*; quarta *Aleph*, nominum *Adami*, & *Abrahami*; quinta denique *Lamed*, nominis *Leæ*. *Saram* porrò, *Rebeccam*, & *Leam* idem habuisse sepulchrum cum *Patriarchis*, quos diximus, *Moses* docet *Gen.* 49. *vers.* 30, 31. Hoc potissimum, quod *Hieronymus*, cui *Judæa* non minùs nota fuit, quàm *Josepho*, testatur *Jacobi* duodecim filios sepulchra habuisse prope *Sichemam*, cum Epistolâ vigesima septima ad *Eustochium* scribit de *Paulâ* matre, *Transivit* Sichem, *&c.* *Atque inde divertens vidit duodecim Patriarcharum sepulchra.* Meritò igitur *Stephanus* de *Patriarchis*, Μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, *Translati sunt Sichemam*, id est, *prope Sichemam*: ut *Hebr.* 9, 4. *In arca erat urna aurea, & virga* Aaronis, id est, *prope arcam*. Nam præcisè loquendo, nihil fuit in arca præter duas Legis tabulas, 1. *Reg* 8. *v.* 9. Sed longè plus est difficultatis in eo, quod idem *Stephanus* *Abrahamum* dicit *Patriarcharum* sepulchrum emisse à filiis *Emor*: cum agrum, in quo fuit illud sepulchrum, non emerit *Abraham*, sed *Jacobus* diu post *Abrahamum*. Sunt, qui *Abrahamum* putant ideò pro *Jacobo* nominari; quia parentes, & filii idem esse moraliter censentur: atque inde esse, quod 1. *Reg.* 12, 16. populus *Roboamo* infensus dicit, *Quæ pars nobis in Davide*, id est, in *Roboamo Davidis* nepote. Et quod 1. *Reg.* 15, 6. perpetuum bellum intercessisse legitur inter *Roboamum*, & *Jeroboamum*, quamdiu hic fuit in vivis. Nam *Roboami* nomine, qui pridem obierat, *Abias* filius intelligitur, qui graviter afflixit [illegible] usque ad obitum *Jeroboami*, 2. *Par.* 13, 17. 18. 19. 20. Tale, quod *Christo* tribuitur *Davidis* nomen [illegible] 30. *v.* 9 & *Ezech.* 34, *v.* 23. Et *Æneas*, [illegible]nide, *Dardanus* vocatur in his *Poetæ* libro quarto *Æneidos*,

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, *& nostra secum ferat omina mortis.*

Alii, in quibus *Beza*, & *Masius* in *Josuam*, nomen *Abraham* suspicantur esse Glossema, quod à sciolo in margine adscriptum tandem in textum irrepserit. Nempe scripserat *Lucas*, *Descendit* Jacob *in Ægyptum, & obiit tam ipse, quam patres nostri, qui Sichemam translati sunt, & positi in monumento, quod emerat argenti pretio*. *Quod emerat*, ὃ ὠνήσατο, nempe *Jacob*, de quo paulo ante. Quod non satis animadvertens semi-doctus aliquis, putavit ante ὠνήσατο rectum casum deesse, & in margine scripsit Ἀβραάμ, ac si eo loco res esset de sepulchro, quod *Abraam* emisse legitur *Gen.* 23, 16. &c. Atque alius æquè indoctus quod perperam adscriptum fuerat è margine in textum intulit. Jam, quod superest, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ, ab Interpretum plerisque, adeoque etiam à nostris malè redditur *à filiis Emor*, filii *Sichem*. Reddendum enim, *à filiis Emor* patris *Sichem*. *Emor* scilicet *Sichemi* pater fuit, non filius. Nec quidquam obstat, quò minus *Græca* verba id ferre possint. Nam in *Herodoti Clio*, Ἄδρηστος ὁ Γορδίεω τοῦ Μίδεω, id est *Adrastus* nepos *Gordii* patris *Midæ*. Et in *Æliani Variis* lib. 13. cap. 30. Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου est *Olympias* mater *Alexandri*. Et in *Stephani Ethnicis*, voce Δαίδαλα, Ἡ δὲ πόλις ἀπὸ Δαιδάλου τοῦ Ἰκάρου ἐν Λυκίᾳ, id est, *Urbs in* Lycia *condita est à Dædalo* patre *Icari*. Quin & *Luc.* 24, 10. Μαρία Ἰακώβου, id est, *Maria* mater *Jacobi*, ut rectè reddunt *Syrus*, & uterque *Arabs*, nempe ex *Marc.* 15, 40. ubi expressè id habetur. Itaque, ut eò redeat oratio, unde deflexa est, omnino agitur in loco *Stephani* de agro, qui, à *Jacobo* emptus centum *Kesitis*, posteris pro sepulchro, aut cœmeterio fuit, in quo cum *Josepho* sepulti sunt, undecim fratres. Et in eo loco cum *Stephanus* emptum fuisse dicat τὸ μνῆμα, id est, *agrum, in quo sepulchrum fuit*, τιμῆς ἀργυρίου, *argenti pretio*, centum illæ *Kesitæ*, quibus emptum est, non fuerunt centum agnæ, nisi aureas, & argenteas *Mandrabuli* agnas intelligas, aut oves, quas in crumena se condidisse dicit *Strabax* in *Plauti Truculento*, id est ovium, à patre venditarum, pretium viginti minas, quibus illum interverterat. Atque id quidem clarum esse puto. Sed duo quærenda restant: unum, cur, pro *nummis*, *agros*, aut *oves* reddiderint tam multi veteres; alterum, quod nummi genus fuerit *Kesita*. Quorum utrumque valde obscurum est. Tamen ad priorem quæstionem sunt qui respondent, errori ansam præbuisse *Græcam* versionem hic facili lapsu corruptam, cùm ex ἑκατὸν μνῶν, id est, *centum minis*, scriptores imperiti fecissent ἑκατὸν ἀμνῶν, *centum agnis*. Sic *Gen.* 31. *versu* 7. *Jacob*, de *Labane* multa questus apud uxores, inter cætera dicit, *Mutavit mercedem meam* עשרת מנים *decem vicibus*. Quod *Græci* reddiderant, Ἤλλαξε τὸν μισθόν μου δέκα μνῶν, *Mutavit mercedem meam decem minis*; quia *Hebræum* מנים & *vices*, & *minas* significat. Deinde per scribarum oscitantiam ex δέκα μνῶν, id est, *decem minis*, factum δέκα ἀμνῶν, *decem agnis*. Unde *Hieronymus* in *Quæstionibus* in *Genesin*, *Pro eo, quod nos posuimus* decem vicibus, *Septuaginta, nescio quâ opinione ducti, posuerunt* decem agnis. Et *Augustinus* in *Genesin*, *Quæstione* nonagesi-

gesimâ quintâ, *Conquerens de patre illarum* (uxorum) *ait inter cætera*, " *Et mutavit mercedem meam decem* " *agnorum*. Alii *agnorum* nomine nummos intelligunt agnorum imagine signatos. Quomodo apud *Plinium* (lib. 18. cap. 3.) *Servius*, *Romanorum* Rex, boum, oviumque imaginibus primus signavit æs. Et apud *Athenienses* nummus erat bovis imagine signatus, qui & *bos* dicebatur. Unde *Proverbium*, βοῦς ἐπὶ γλώττῃ, *Bos in lingua*, in eos, qui pecunia corrupti tacent. Et *Argivi* lupum, *Thessali* equum, *Cyziceni* & *Lycii* leonem, *Rhegini* leporem, alii cervum, alii alias pecudes nummis impressêre. Quibus docti videant an addi possit tertia hæc conjectura, cui nec ipse multum fido. Si, quod multi suspicantur, numeri olim non plenè scripti sunt, sed per literas numerales expressi, duæ voces קשיטה במאה scribebantur ק״ב קשיטה, duobus *Koph* se mutuo subsequentibus: quorum altero suppresso, ut sæpe fit in literis similibus, vox קשיטה *kesita*, mutata est in שיתה, vel שיתא *setha*, (*Chaldæi* sic *ovem* dicunt, ut *Hebræi* שה) & ק שיתא redditum, *centum ovibus*, aut *centum agnis*. Jam secunda quæstio, quod nummi genus sit *kesita*, multò est obscurior; *Hebræi* summo consensu מעה exponunt, id est, *obolum*: quod videtur ridiculum; quia *Hebræorum* obolus vix assem valuit nostræ monetæ. Itaque ex hac sententia *Jacobus* agrum suum centusse circiter emerit. Et amici *Jobi* minutam illi stipem contulerint, singuli nempe unum assem, quod fuerit contumeliæ genus. At, si *Græcum* ἑκατὸν ἀμνῶν factum est ex ἑκατὸν μνῶν, ex *Græcorum* calculo *centum kesita* fuerint minæ totidem, quorum singulæ pendebant duas argenti libras cum semisse. Itaque centum *kesitarum* pondus librarum fuerit quingentarum. Sed hæc ii discutiant, qui scribunt de re nummaria; nobis aliud pensum incumbit: itaque hoc solum addimus, קשוט *kusut*, in *Paraphrastis* quandoque pro *ornatu* sumi; quod respexisse videntur *Jonathan*, & *Jerosolymitanus* Interpres, quibus agri à *Jacobo* empti pretium sunt מאה מרגלין *centum margaritæ*, aut verò *centum gemmæ*, atque quæ inter ornamenta primas teneant.

רחל rachel, *Hebraicè* est *ovis*. Sic *Gen.* 31, *v.* 38. רחליך, *oves tuæ*, & *capræ tuæ non abortierunt*. Gen. 32, 14 רחלים מאתים, *ducente oves*. Cant. 6, 6. *Dentes tui* כעדר הרחלים *ut grex ovium*. Es. 53, 7. וכרחל *Et sicut ovis, quæ coram se tondentibus obmutescit*. Alibi in scriptura non extat. Sed frequens est in *Paraphrastis*. Ita in *Jonathane* Levit. 22, 28. תורא או רחלא יתה וית ברה *vaccam, aut ovem, ipsam & fœtum ejus*. Et Deut. 14, 4. ואמרין בני רחלין *& agni filii ovium*. Ubi *Onkelos*, ואמרין דרחלין *agni ovium*. Et *Arabs Parisiis* editus *Gen.* 31. *vers.* 38. رخالك وعواغزك *oves tuæ, & capræ tuæ*. Doctores quoque usurpant, ut in Adagio *Talmudico*, Tractatu *Cetuboth* cap. 5. רחלא בתר רחלא אזלא *Ovis ovem sequitur*. Et *De Sabbatho* cap. 5. רחלות יוצאות שחוזות *Oves* (die Sabbathi) *exeunt caudâ sursum ligatâ, & erectâ*. *Arabicè* verbum شاحل tale aliquid significat. Dicitur enim in *Lexico Alcamus* de camela, quæ عند المخاض وقعت ذنبها فالوته الواء شديدا *in doloribus partûs caudam attollit, & eam validè contorquet*. Idem definit رخل *rachil*, vel *richal*, id est, *ovem*, (ità enim efferunt *Arabes*) الانثي من اولاد الضان *fœtum ovis fœminei sexûs*. Itaque, cùm *Hebræi* & *Chaldæi* pro *matre* usurpent, apud *Arabes* propriè est *agna*. Et verò sic sumitur aliquoties رخلة in *Nathanis* Parabola 2. *Sam.* 12. Respondet enim *Hebræo* כבשה, quod *agnam* sonat. Tamen indè Verbum ترخل *therachchala* est *ovibus abundare*. *Ariæ Montano* רחל *rachel*, dicta videtur *ovis*; quia est רוח חולה *ruach chola*. *quod*, inquit, *spiritum modestum, & patientem, & ingenium mansuetum interpretari possumus*. Sed vir in his literis impensè doctus, ut argumento subserviret, videtur plus æquo sibi indulsisse. Neque enim רוח חולה *mansuetum*, sed *ægrum animum* sonat, aut *ex ægritudine infirmum*. Itaque, si verum illud est, quod conjectat *Arias*, ovem רחל *rachel*, ideò dici, quia est רוח חולה, significatur hoc nomine ovem infirmum esse animal, & multis morbis obnoxium. Et sono, & sensu utcunque alludit *Romana* vox *reicula*, quâ significatur *ovis ægrota*. Noli tamen illam ad *Hebraismum* revocare, cùm *reiculam* ovem *à rejiciendo* dici planum sit. Vide (*f*) *Catonem*, (*g*) *Varronem*, (*h*) *Nonium*, &c. *Jacobi* uxorum una *Rachel* dici potuit a mansuetudine. Ita de *Fabio Plinius* in libello *De viris illustribus*; Quintus Fabius Maximus, *ut* Verrucosus *à verruca in labris, ità* Ovicula *à clementia morum*. Et *Plutarchus*, ὁ δ' Ὀβικούλας σημαίνει τὸ προβάτιον· ἐτέθη πρὸς τὴν πραότητα, καὶ βαρύτητα τοῦ ἤθους ἔτι παιδὸς ὄντος. Ovicula *autem ovem significat: imponebatur propter mansuetudinem, & gravitatem morum illius jam pueri*. Vel à cura pecorum *Rachel* dicta est. *Gregem enim ipsa pascebat*, Gen. 29, 9. Ita *Varro*, *Rust.* lib. 2. cap. 1. *Multa nomina*, inquit, *habemus ab utroque pecore, à majore, & à minore: à minore* Porcius, Ovinius, Caprilius; *sic à majore* Equitius, Taurus, *cognomina adlignificari; quod dicuntur, ut* Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: *sic à pecudibus alii multi*. Apud *Herodotum* libro quarto *Theras*, in *Callistam* insulam navigaturus, cum se dixisset *Spartæ* filium καταλείψειν ὄϊν ἐν λύκοισι, *relinquere ut ovem inter lupos*, ab eo dicto nomen *Oeolyco* (quasi *Ovi-lupum* dixeris) adolescenti fuit. Quod ideò observo; quia alludit ad *Christi* dictum *Matth.* 10, 16. *Ecce ego mitto vos ut oves in medio luporum*. In *Lexico Cyrilli* apud me manu-scripto, Ῥαχὴλ, ἀμνὰς ἤτοι μαίνουσα. Quidam pro ἀμνὰς legi vult μανάς. Male: rectum enim est ἀμνάς: sed sequens ἤτοι μαίνουσα mutandum est in ἢ ποιμαίνουσα.

שה seh, *Hebræis*; شاة sah *Arabibus*; שיתא setha *Chaldæis*; tam capram, quam ovem significat, sive sit mas, sive fœmina. Itaque tam generale est, quàm צאן. Sed שה, & צאן, in eo differunt, quod צאן collectivum est, nec nisi de pluribus dicitur: at שה tantùm de singulis. Neque enim habet Plurale, saltem apud *Hebræos*; & *Chaldæos*. At *Arabicè* شاة *sah* duo habet Pluralia, unum paucitatis شياه à tribus ad decem; alterum multitudinis شاء *sao*, cùm plures sunt quàm decem. Quid differant צאן, & שה, collige ex his *Ezech.* 45, 15. ושה אחת מן הצאן מן המאתים *Et seh* (*ovis aut capra*) *una ex tson, scilicet ex ducentis*. *Hebræorum* Lexicographi *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas* שה definiunt הקטן מן הכבשים ומן העזים *parvulum ex ovillo, aut caprino genere*. Quod quidem sæpe verum est, non tamen perpetuum. Nam in his *Exod.* 34, 19. פטר שור ושה *Primogenitus bovis, & seh*, palam est voce *seh* non significari parvulum, sed ovem, quæ jam mater est. Et passim in lege שה generale est ad ovem cujuscunque ætatis, aut sexûs. Sic *Exod.* 22, 1. *Si quis furatus fuerit bovem, aut* שה seh, *&c. quinque boves reddet pro bove, & quatuor* צאן tson, *pro* השה *illa seh*. Proinde tam *seh*, quam *tson* de

(f) *Rust. cap.* 2.
(g) *Rust. lib.* 2. *c.* 1.
(h) *Cap.* 2. *in Reiculas oves.*

s) Pag. 432. supra lin. 15. & pag. 438. lin. 54.

de quavis ove dicitur. Tantùm, ut jam (s) observavimus, צאן de pluribus, שה non dicitur nisi de una. Unde est, quod *Arabes* hanc vocem extendunt ad omne genus ovillum, & caprinum utriusque sexus, sine ulla ætatis distinctione. *Damir*, الشاة الواحد من الغنم تقع علي الذكر والانثي من الضان والمعز Sah, *unica ex pecore; de mare, & fœmina dicitur in ovibus, & capris.* *Alcamus* itidem, الشاة من الغنم الذكر والانثي ويكون من الضان والمعز Sah, *in pecore mas, & fœmina, sive ovillum sit, aut caprini generis.* *Kimchius* quoque exemplis allatis probat שהמלה כוללת זכר ונקבה *vocem esse, qua marem, & fœminam complectitur.* Tantum in ætate fallitur, quæ ad ovium, aut caprarum parvulos restringi non debuit, cum ovis, & capra שה dicatur quavis ætate. Radix *Arabibus* est شوه cum *Vau*; sed *Hebræis* שיה cum *Jod* medio. Id apparet cum adduntur Affixa, ut in שיו *ovem ejus*, Deut. 22, 1. & in שיהו, *ovem suam*, 1. *Sam.* 14, 34. Porro שיה quid sit, nescimus. At inversum שהי, *Arabice*, *concupiscere*, & *libidine ardere* significat, quod fortasse huc pertinet; quia hircus, & aries, sunt valde proni in libidinem. Unde *Philosophus* (*Hist. anim.* lib. 6. cap. 18.) postquam de suibus egit, qui in rivales ad mortem pugnant, ὡσαύτως δὲ, inquit, καὶ οἱ ταῦροι, καὶ οἱ κριοὶ, καὶ οἱ τράγοι· πρότερον γὰρ ὄντες συννόμοι ἕκαστοι, περὶ τὰς καιροὺς τῆς ὀχείας μάχονται διϊστάμενοι ἀπ' ἀλλήλων. *Ita etiam tauri, arietes, & hirci: nam qui prius simul pacate pascebantur, pugnant tempore coitus, ab invicem dissidentes.* Varro, (*Rust.* lib. 2. cap. 3.) dicit ad denas capras se singulos parare hircos. Qua proportione servata etiam inter oves & arietes, *Jacob Esavo* fratri obtulit cum ducentis capris viginti hircos, & cum ovibus ducentis arietes viginti, *Gen.* 32, 4.

CAPUT QVADRAGESIMUM QUARTUM.

De gregum Pastoribus.

Multa in laudem agriculturæ. Huic tamen Patriarchas pastoritiam artem merito prætulisse; quæ ad plura est utilis, & est imago Politici, atque etiam Ecclesiastici regiminis. Regere, & Regum *nomen ex* Syro ܪܥܐ rega, *id est*, pascere. *Quid propriè sit* נוקד noked. *Reges olim pastores. Tributa ex ovibus.* Amos Propheta *pastor, & bubulcus. Vocis* נוקד noked, *falsæ interpretationes, & vera ex* Arabismo. פרנס pharnas, *Chald.* pastor, & gubernator. *Unde* Pharnabazus, *&c. &* Gr. Παρνασσός. Parnassi *gramen quàm eximium. Pastor alius gregis dominus, alius mercenarius. Mercenarii pastores alii primarii, alii secundarii. Illi dicuntur principes gregis* Gen. 47, 6. *in quibus* Doeg. 1. Sam. 21. *Pecoris regis præfecti plures ex Historiis.* Talmudicis כרזיל, *carzil*, pastoris discipulus. Pastor malus, & nihili, *quomodo* Arabicè. *Hujus insignis descriptio* Zachar. 11, 16. Jerem. 23. v. 1. Ezech. 34. 2. Joh. 10, 1. *quæ loca explicantur. Vocis* הנער *nova versio.* פרק avellere. *Ungula pro re vilissima.* Ovis נדחה, *dispulsa, id est, vaga, & palabunda.* חלב *in* Ezechiele *potius* lac, *quam* adeps. *Latro per fenestram ingreditur. Pastores furax hominum genus.* Oves uni ademptas alteri committere *quomodo dicant* Arabes *uno verbo. Bonus pastor ubi describatur, & quomodo. Ovem in sinu ferre.* נהג minare pecus, *item* sustentare. *Separare oves ab hœdis*, Matth. 25. v. 32. *unde sumptum. Pastor novit oves suas ex nota innsta, puta in aure, crure, clunibus, &c. Stabulorum* σηκοί, *&* μηλα ἀσήμαντα, *quid propriè. Boni pastoris est vitam pro ovibus ponere, & ex fauce leonis eas eripere: quod sæpe factum. Gregum fœcunditas quomodo etiam ex pastore pendeat. Pastor an discerptas, & furto ablatas pecudes teneatur restituere. De ea re Lex* Exod. 22, 10. *&* Hebræorum *in eam exceptiones. Oves ferreæ quæ* Talmudicis. *Pecus noctu subreptum quomodo* Arabicè. *Adurere de gelu, & de Luna quomodo dictum. Verbum oppositum quandoque supplendum, ut* 1. Tim. 4, 3. Ἀγραυλεῖν *quid propriè. Vesperugo stella cur dicatur* αὔλιος. Grotius *notatus. Pastor* ἀγραυλῶν *quomodo* Arabicè. Christum *hiemali solstitio non esse natum. Hieme pecudes sub dio non degunt. Oves frigoris impatientissima. Qui sub tabernaculis cum pecore degunt non dicuntur* ἀγραυλεῖν. Abiæ ἐφημερία. Christi *natale olim in* Ægypto Pachone *mense celebratum, quo ipso mense metebant. Vasa pastoris quæ sint. Quo sensu pastor dicatur involvere vestem suam* Jerem. 43, 12. *Hujus loci* Græca *versio emendata, & explicata. Pera pastoris quomodo* Hebr. Chald. *&* Arab. *An vere* עטין *sit* mulctrale *Job.* 21, 24. *Alia hujus vocis versio diversissima.* Pedum *quomodo* Hebræis. *Quando pecus sub virga transeat*, Levit. 27, 32. *Numeratur pecus mane & vespere, idque sub virga pastoris. Eadem locutio* Ezech. 20, 37. Goliath *a* Davide *vulneratus per galeæ partem* ἐπιφθάλμιον. *De eo* Judaica *fabula. Cur tribus lapidibus ictus fuisse fingatur. Cithara* Davidis *quomodo* Saulis *furorem compescuerit. Musicæ mira vis ex Historiis probata. An in dæmones aliquid possit. Musica eodem modo malum spiritum abigit, quo bonum accersit* 2. Reg. 3, 15. David *quædam instrumenta musica excogitavit*, Amos 6, 5. *&* Psal. 151. Græci *Musicæ inventionem ad pastores referunt. An* Luc. 2, 8. *pastores* ἀγραυλοῦντες *dicantur, qui tibia canunt. Pastores interdiu, non noctu canunt. Multa de pastorum tabernaculis. Horum usus antiquissimus, maximè inter* Judæos. Scenitæ, *&* Nomades. Jabal *primus inventor.* ET *pro* CUM, Gen. 4, 20. *& passim.* רעה pascere, *etiam* divagari *significat* Num. 14, 33. Jabal *Ethnicis* Pales. *Pastorum caulæ* Hebræa *nomina quinque habent.* מרבץ cubile, *propriè* ovium, *ut* Gr. κλισίαι.

SUnt, qui in *Caini* odium, & *Abelis* gratiam (quorum ille agricola, hic pastor fuit non multò post orbem conditum, *Gen.* 4, 2.) non contenti pastoritiam aratoriæ longe præferre, agriculturam, per quam omnes vivimus, mire deprimunt, ut vilem, & abjectam artem, cuique nonnisi propter peccatum simus addicti. Tamen eorum omnium, quæ ad hanc vitam pertinent, solum panem disertè petimus, ut summe necessarium. Et *Eccles.* 5, 9. *Solomon* terram habere dicit ὑπεροχὴν supra omnia & *Regem ipsum agro servire.* Proinde, ut *Hieronem* taceam, & *Philometorem*, & *Attalum*, & *Archelaum*, etiam è piis Regibus *Uzzias* agriculturæ fuit addictissimus 2. *Par.* 26, 10. Et *Romæ* præcipui duces, ut *Camillus*, *Regulus*, *Fabius*, *Cato*, *Serranus*, *Cincinnatus* ex aratro petiti sunt. Atque ut pastores in *Prophetis*, & *Patriarchis*, sic agri-

agricolas fuisse certum est, *Noam* putà, *Isaacum*, & *Elisaeum*. Hoc potissimum, quod arator à *Deo* dicitur *edoceri* Esa.28.v.26. Et Deus ipse suo modo est *agricola*, Joh.15.v.1. & fideles *Dei agricultura*, 1.Cor.3 v.9. & pastores Dei συνεργοὶ in sacra hac agricolatione. Neque dicendum est, terræ colendæ necessitatem ex peccato devenisse, cùm etiam ante peccatum hortum coluisse dicatur *Adam* Genes.2 vers.15. Tantum operi, jam ante peccatum necessario, difficultas ex peccato accessit; quia terra propter peccatum hominis maledicta, non respondet labori nostro, & cultoris spem plerumque eludit. Interim *Patriarchas* fatendum est plus adhibuisse operæ in gregum curam, quæ laboriosa minus est, neque animum ita occupat, ut non supersit multum temporis ad naturæ contemplationem & rerum divinarum meditationem. Neque pastores, ut aratores, saltem in illis locis, certæ glebæ addicti erant: sed, *Nomadum* more, liberè divagabantur, & tentoria, sub quibus degebant, pro pascuorum ratione, è loco in locum transferebant, quod iis convenit magis, qui se profitentur peregrinos, quomodo *Patriarchæ* omnes usque ad *Mosem*. Præterea cum fruges nonnisi ad solum victum, pecudes insuper ad vestitum prosunt, atque ex iis sacrificia, & victimæ petebantur, quibus placaretur Deus in peccatores justè infensus. Quid? quòd ex pastorali arte multò plura trahuntur ad vitam, & mores, quàm ex agricultura. In illa enim Politici regiminis aliquam speciem videre est, quia ut pastor se habet ad oves, ita Rex ad subditos. Unde illud in *Poeta* toties repertum,

- - - - - Κεκαμένον ποιμένα λαῶν.

Sed & in Scriptura passim Reges dicuntur *pascere populos suos*, & regale sceptrum confertur cum pastorali pedo: ut cum de *Davide* dicitur *Psal*.78.*v*.71. *A tergo foetarum duxit eum ad pascendum populum suum.* Et ipsi *Davidi* dicit Deus 2.*Sam*.5 *v*.2. *Pasce populum meum.* Et capitis septimi versu septimo, *Loquutus ne sum quidquam alii sceptrorum* (id est, *rectorum*) Israelis, *quibus præceperam, ut pascerent populum meum?* Et *David* Deo vicissim *Psal*. 80. *v*.2. *O qui pascis Israelem, audi, qui* Josephum *ducis ut gregem*. Denique sexcentis Scripturæ locis Ecclesia cum ovili, fideles cum ovibus, & verbi Divini præcones cum pastoribus conferuntur. Quod loquendi genus in Novi Testamenti libris tam est frequens, ut *Christianorum* vulgus *Pastorum* nomine vix alios intelligat, quàm eos, qui Ecclesiæ præsunt; ac si Metaphorica locutio propriam penè aboleverit.

Pastor porro *Hebræis* est רועה roge; *pascere* רעה *raga*; ut Syris ܪܥܐ *rega*: unde *regere*, & *reges* dicti, quos jam docuimus esse pastores populorum. *Ajin* medium per G efferimus ἀρχαϊκῶς. Ita enim sonâsse apud veteres constat ex nominibus רעו, *Ragau*, & רעואל *Raguel*, inde deductis.

Sed & *pastor* dicitur נוקד *noked*, in duobus Scripturæ locis. Prior est 2. *Reg*.3. *v*. 4. *Et Mesa Rex* Moab *erat* נוקד *noked*. Ubi *Septuaginta* Interpretes cum hærerent, solum *Hebræam* vocem *Græcis* literis sic expresserunt, Καὶ Μωσὰ βασιλεὺς Μωὰβ ἦν νωκήδ. Et *Syrus* quoque hic habet ܢܩܕܐ *nokda*, sola flexione mutatâ. Sed *Chaldæus* מרי גיתא; & *Arabs* صاحب ماشية *dominum pecoris*; & *Græcorum* nonnulli ἀρχιποίμενα, *pastorum principem*, & *Hieronymus* ἐθρέμματα πολλά(?), *nutriebat pecora multa*. Quæ versio non parùm firmatur ex iis, quæ sequuntur de eodem Rege *Moab*; *Et is solvebat Regi* Israelis *centum mille agnos, & centum mille arietes cum lana*. Neque id fuit ἀσύστατον, ut qui Rex erat, etiam esset pastor. Tum enim non privatorum modo, sed & Regum opes pecore constabant. Sic pastor haberi potuit *Job*, qui inter suos habitabat *tanquam Rex in exercitu*, Job.29.v.25. *Abraham* quoque, & *Israel* seu *Jacobus*, & *Moses*: quos Reges fuisse scribit *Trogus* lib. 36. Et Rex *Elidis Augias* quid aliud quàm pastor fuit? *Adonis* etiam, de quo *Theocritus*, *Idyll*.1.

Ὡραῖος χὠδωνις, ἐπεὶ καὶ μῆλα νομεύει.

Et eum imitatus *Poeta* Ecl. 10.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

Cinyræ, *Cypriorum* Regis, filius fuit. Ut *Sibonis Horræorum* ducis *Ana*, *qui pascebat asinos patris sui*, Gen.36, 24. Proinde *Odyss*.ν'. *Pallas Ulyssi* apparet,

Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ, ἐπιβώτορι μήλων,

Παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν

Corpore similis juveni viro, pastori ovium, planè tenero, quales sunt Regum filii. In quæ verba vetus *Scholiastes*, Τὸ παλαιὸν καὶ οἱ τῶν βασιλέων παῖδες παναπάλοι ἐκαλοῦντο, καὶ ἐποίμαινον. *Filii Regum olim & παναπάλοι* (id est, *planè teneri*) *dicebantur, & greges pascebant*. Est & ex usu veterum, quod *Mesa*, Rex tributarius, non aliud solvit tributum, quàm ex ovibus. In quam rem insignia sunt hæc *Plinii* lib. 18. cap. 3. *Etiam nunc in tabulis Censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet; quia diu hoc solum vectigal fuerat.*

Alter est locus in *Amoso*, statim initio: *Verba Amosi, qui fuit* בנקדים *in nokedim* (id est, *in pastoribus*) *è Tekoa*: ubi *Syrus* rursus, *in nokda*; & *Theodotio* ἐν νωκηδείμ. Sed *Septuaginta* cùm legissent בנקרים, *Res* pro *Daleth*. *Græcè* scripserant ἐν Νακκαρείμ quod variè detortum est. Nam, è duobus N posteriore ablato, pleraque exemplaria nunc habent ἐν Ἀκκαρείμ, quomodo & *Hieronymum*, & *Cyrillum*, & *Arabem* legisse constat. Sed *Theodoretus* multò aliter ἐν Καριαθιαρείμ, & *Complutenses* ἐν Ἀκκαρίμ. Nempe his visum est בנקדים esse loci nomen. At alii veriùs *pastores*, aut *pecorum possessores* interpretantur. Sic *Chaldæus*, במרי גתין *in dominis pecorum*; *Aquila*, ἐν ποιμνιοτρόφοις, vel κτηνοτρόφοις, *in pecoris altoribus*: quomodo in *Cyrillo* legendum pro κτηνοτροφείοις. *Symmachus*, & quinta editio, ἐν τοῖς ποιμέσιν, & Vulgata *in pastoribus*. Nempe pastor fuit *Amos* latè sumpto vocabulo. Nam ipse se vocat בוקר, *bubulcum* capitis septimi versu decimo quarto. Proinde huic interpretationi accedunt *Hebræi* omnes. Et pastorem *Kimchius* vult ideo dici נקד *noked*; quia pecudum nonnullæ sunt נקדות *nekudoth*, id est, κατάστικτοι, seu *maculosæ*, ut oves *Jacobi*. & *Labanis*, Gen.30. & 31. Sed *Drusio* נוקד *noked*, potius *ille est, qui pecora sua signat, atq; iis notam inurit, quò sic ab aliis dignosci possint*. Mihi neutrum probatur: non prius, quia cum in magno grege maculosæ oves paucissimæ sint, ab iis paucissimis denominari pastorem parum verisimile est. Nec posterius, quia *Hebræis* oves non dicuntur נקדות *nekudoth*, propter characterem in certo loco à pastore impressum, sed propter maculas ubique à natura sparsas. Proinde videtur consultius, ut vocis originem ex *Arabica* lingua petamus, qua نقد *nokdon*, & *nikdon*, *pumilio* dicitur, aut *puer*, *cujus tarda sunt incrementa*. Unde, ad pecudes translatâ voce, نقد *neked* est ovis, aut capræ genus, deforme quidem, & pumilum, & cætera vilissimum, sed pilis, aut lanis mollibus, quæque magni æstimantur. Cujusmodi gregis pastor propriè vocatur نقاد *nakkad*, vel *nokkad*, & in Plurali نقاد *nikad*, & نقادة *nikada*. Quin & pro pastore quovis in genere videtur sumi, ut sit planè idem, quod נוקד *noked*. Quod ne videar dixisse gratis, en tibi testes idoneos! *Alcamus*, النقد جنس من الغنم قبيح الشكل وراعيه نقاد Neked *genus est ovis specie deformis, cujus pastor vocatur* nokkad. Idem alibi, الجهبذ النقاد الخبير *Gihbid*, id

est

est, *nokkad*, seu pastor peritus. *Damir* quoque النقد *neked* explicat صغار الغنم *parvas oves* Et apud eundem *Giauhari*, جنس من المعز قصار الرجال قباح الوجوه تكون في البحرين *Caprarum genus, quæ breves habent pedes, & facies deformes, & sunt in Baharin*, quæ *Arabiæ* provincia est. Inde in *Proverbiis* apud *Damirem*, & alios, اذل من النقد *Vilior τῆ neked*, id est, *caprâ*, vel *ove* sic appellatâ. Et in *Assamio* Parœmiographo, اجود الصوف صوف النقد *Lana optima est lana τῆς neked*, id est, *ovis* ita vocatæ. Et in *Giggeio* نقد *nakdon* est *gregum deformium munus*. Et اعطاه النقد *Greges deformes illi dedit.* In *Golio* hæ ipsæ oves alio nomine قرار *kerar* vocantur, fortasse à loco ubi nascuntur; nam *Kerar* est loci nomen.

In *Chaldæa* Paraphrasi *pastor* est פרנס *parnas*, seu *pharnas*, quod & *rectorem*, seu *gubernatorem* sonat. Itaque Magnatum in Oriente nomina, ut *Pharnabazus, Pharnaspes, Pharnazathres, Tissaphernes. Orophernes*, & in libro *Judith Olophernes*, ex *Suidæ* sententia *Cambysis* ἀρχιστράτηγος, manifesta habent hujus vocis vestigia. Indidem *Parnasso*, seu *Parnaso*, ut libri scribunt, nomen esse *Casaubonus* in *Persium* his verbis tradit: *Nugantur* Græci *Grammatici*, Parnassum *quasi* Larnassum *fuisse dictum, quod in eo monte diluvii* λάρναξ, *hoc est, arca, constitisset. Nos alibi dicebamus, &* Bœotiæ, *& vicina* Phocidis *pleraq; loca à* Cadmo, *& aliis* Phœnicibus, *aut* Syris *fuisse condita. Cujus rei etiamsi* Plutarchus, *atq; alii Historici siluissent, appellationes tamen ipsorum manifestam fidem facerent. Ab ea origine est huic monti nomen.* ܦܪܢܣ parnes Syris *est* νέμειν, & ܦܪܢܣܝܢ parnasin *pastores. Inde* Parnasus *est* ἀπὸ τοῦ νέμειν *sic montem dixerunt, ubi greges suos pascebant.* Nempe ut circa montem *Heliconem*, ubi canit *Hesiodus* se Poetica facultate donatum fuisse,

Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο,

Cum agnas pasceret sub Helicone *divino.* Nam & *Parnassum* gramine abundare Medicorum filii docent, à quibus inter graminis species *Parnassium* maximè commendatur. *Dioscorides* libro quarto, Ἡ δὲ ἐν τῷ Παρνασσῷ γεννωμένη ἄγρωστις πολυκλαδωτέρα ἐστί, &c. *Plinius*, ubi de gramine, libri vigesimi quarti capite decimo nono; *Folia ejus in reliquo orbe in exilitatem fastigiantur. In* Parnaso *tantùm hederaceâ specie densius quam usquam fruticante, flore odorato, candidoque, jumentis herba non alia gratior. sive viridis, sive in fœno siccata.* Plura in *Galeno* vide libro sexto *Simplic.* & in *Pauli* libro septimo, & in *Ætii Tetrabiblio* libro 1. Serm. 1. Sed & ad *Arabes* devenit *Parnassii* graminis fama, de quo *Abenbitar* capite ثيل id est, *gramen*, واما اغرسطس النابت ببلاد يقال له فرنسوس فهو اكثر اعصانا من غيره من اغرسطس وله ورق شبيه بورق اللبلاب وزهر ابيض طيب الرايحة وثمر صغار وينتفع به وعروق خمسة او ستة في غلظ اصبع بيض لينة حلوة منتنة *Porro* ἄγρωστις *(id est, gramen) crescens in regione, quæ vocatur* Parnassus, *majores habet ramos, quam alia agrostis species, & folium simile folio helxines* (Dioscorides *hedera*) *& florem album boni odoris, & fructum parvum, sed cui suus est usus: & radices quinq; aut sex digitalis crassitudinis, candidas, molles, dulces, fœtidas.* Dioscorides ἰσχνὰς, λευκάς.

Pastorum sunt variæ species: unus enim est gregis dominus; alius μισθωτὸς, *mercenarius*, Joh. 10. v. 12. qui pascit alienos greges. Ille, si *Drusio* credimus in *Amosi* Prophetiam, נוקד vocatur, hic רועה. Quin רועה utrumque significat, non *mercenarium* solum. *Abel* vocatur רועה *Gen.* 4. *v.* 2. Et *Rachel* Gen. 29. v. 9. Et *Patriarchæ* omnes *Genes.* 47. *v.* 3. qui tamen aut gregum domini erant, aut dominorum liberi, non servi aut mercenarii. Quin ipse Deus hoc nomen non dedignatur *Psal.* 23. *v.* 1. & 80. *v.* 2. Rursus, si נקד *noked*, *Hebræum*, vel, quod idem est, *Arabicum* نقاد *nokkad*, significaret *dominum gregis*, id *Arabes* non tacuissent. *Chaldæus* quidem, & *Arabs* Interpretes ita reddunt: & *Aquila* ποιμνιοτρόφον, aut κτηνοτρόφον quia videbatur honestius, ut Rex, & Prophetæ gregum domini, & altores dicerentur, non simpliciter pastores. Sed solo *pastoris* nomine potuit id significari, cum *pastor* sæpe dicatur etiam is, qui dominus est. Neque ab *Hebræis* id postulandum, ut pastorem gregis dominum à pastore mercenario propriis vocibus distinguant, cùm alia lingua nulla sit, quæ hoc aliter, quam per Periphrasin efferat. Nisi quis *custodis* nomen pastori mercenario speciale esse colligat ex 1. *Sam.* 17. *vers.* 20. ubi *David* oves legitur reliquisse על שומר *penes custodem.* Qua mente *Poeta* Ecloga tertia,

Hic alienus oves custos bis mulget in hora.

Et *Ecloga* decima,

Atq; utinam ex vobis unus, vestriq; fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.

Sed ne putetur id perpetuum, *Pana* etiam ita compellat lib. 1. *Georgic.*

Pan *ovium custos, tua si tibi* Mænala *curæ.*

Porro inter pastores mercenarios varii gradus, & alii primarii sunt, alii secundarii. Sic *Pharaoni* plures fuerunt שרי המקנה, *principes gregis*, *Gen.* 47. *vers.* 6. Ita etiam *Davidi* Regi. Nam boum alii in campis *Saron*, alii in vallibus pascebantur: quorum his *Saphatus*, illis præerat *Sitrans*, ut camelis *Obil*, asinis *Jechdias*, ovibus denique, & capris *Jazizus*; 1. *Paral.* 27. *v.* 29. 30. 31. Sed *Saul* tam armentis, quam gregibus videtur præfecisse unum *Doegum*, qui proinde vocatur 1. *Sam.* 21. *vers.* 7. אביר הרעים אשר לשאול, id est, *princeps pastorum Saulis*, & *ipsis præfectus*, ut rectè reddunt *Chaldæus*, *Kimchius*, & *Rabbi Levi.* Sic in *Syria* sub *Nino* Rege, *Simma* erat ἐπιστάτης τῶν βασιλικῶν κτηνῶν, *pecoris regii præfectus*, ut ex *Ctesia* refert *Diodorus* libro secundo. Et *Plutarchus* in *Pyrrho* meminit cujusdam Σάμωνος τοῦ τὰ ποίμνια καὶ τὰ βουκόλια τοῦ Νεοπτολέμου διοικοῦντος, *Samonis, qui* Molossorum Regis *Neoptolemi greges, & armenta administrabat. Latini* quoque ἀρχιποίμην erat *Tyrrhus*, de quo *Poeta* libro septimo *Æneidos*,

- - Tyrrhusq; *pater, cui regia parent*
Armenta, & late custodia credita campi.

In quem locum *Servius*, *Magistrum hunc pecoris vult fuisse, & saltuarium*, &c. *Magister autem pecoris est, ad quem omnia pertinent animalia.* Cicero,

No-

Nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat. Proinde *Livius* lib. 1. de *Faustulo*, cui *Latii* Rex *Numitor* eandem curam demandaverat: *Ut lupam linguâ lambentem pueros (Remum, & Romulum) magister regii pecoris invenerit.* Quem eundem *Dionysius Halicarnassæus* tanquam ex *Fabio Pictore* fuisse dicit συφορβὸν βασιλικῶν ἐπιμελητὴν. Et de *Phorbante*, quem *Laius Thebarum* Rex pastoribus suis præfecerat, ita *Seneca* in *Oedipo* Actu 4. versu 815.

- - - - - - regios pavit greges,
Minor sub illo turba pastorum fuit.

Et rursus versu 839.

Arbitria sub quo regii fuerant gregis.

Proinde ipse ille *Phorbas* ita loquitur in *Sophoclis Oedipo Tiranno* versu 1038.

Ἐνταῦθ᾽ ὀρείοις ποιμνίοις ἐπεστάτουν,
Montanis ibi gregibus præeram.

Ut in pastorum supremo gradu est אביר הרועים, seu ὁ ἀρχιποίμην· ita כרזיל *carzil*, in intimo, quem *Talmudici* pastoris discipulum esse dicunt. Proinde *Baal Aruch*, כרזלא לרועה כמו ראש דוכנא למלמד תינוקות Quorum verborum hæc mens est, eum, quem *carzil* vocant, à pastore tantum differre, quantum à pædagogo differt hypodidascalus. ברזיל per *Beth* scribitur aliquoties in *Bava kama* capite sexto: sed scribendum esse per *Caph* discimus cùm ex Lexico *Baal Aruch*, qui hanc vocem habet in *Caph*, tum ex *Nomenclatore Syriaco Ferrarii*, in quo ܟܪܙܘܠ, *carzul*, est *pastor ovium, opilio.* In *Calphurnio* Ecloga quinta pastores duo,

Fortè Mycon *senior*, Canthusq́, Myconis *alumnus*,
Torrentem patulâ vitabant arbore solem,
Cum, juveni senior præcepta daturus alumno,
Talia verba refert tremulis titubantia labris.

Horum *Mycon* senior, & qui *Canthum* docet, est רועה, sed qui docetur *Canthus* est כרזיל *carzil*, aut ܟܪܙܘܠ *carzul*, ut *Syri* efferunt.

Sed in pastoribus maximè differunt bonus à malo, qui *Zach.* 11. *v.* 15. 17. dicitur pastor אולי, id est, *stultus*, & pastor אליל, id est, *nihili*; ut *Job.* 13. *v.* 4. רופאי אליל sunt *Medici nihili.* Et idola vocantur אלילים quia sunt nihili, & nullius usûs, juxta illud *Apostoli* 1. Cor. 8. v. 4. *Idolum nihil est in mundo.* Talis pastor *Arabicè* uno verbo dicitur حطمة *chutma. Alcamus*, الحطمة راعي الظلوم للماشية Alchutma, *pastor iniquus gregis.* Ad hujus descriptionem pertinent quæ habentur *Zach.* 11. *v.* 16. *Pereuntes non visitabit: errantem non requiret: & confracta non medebitur; & stantem non sustentabit: & pinguis carnem comedet; etiam ungues earum avellet.* Quæ singula ut explicentur: *Pereuntes*, inquit, *non visitabit:*] *Hebræum* הנכחדות propriè *perditas* & *excisas* sonat, ita ut jam lateant, nec usquam compareant. Nam Verbum כחד est *abscondere.* Sed *pereuntes* in Præsenti reddimus, cum *Græcis, Syro, Arabe*, & *Hebræo Jarchio*, quia visitantur qui pereunt, non qui jam periêre. Et in *Hebraismo* tempora sæpe mutantur. *Errantem non requiret:*] *Hebræa* habent הנער *hannaar*, id est, ad verbum, *infantem*, aut *puerum non requiret.* Sed *Hebræi*, *pueri* nomine, agnum hic intelligunt, eumque à *caula aberrantem. Kimchius* הטלה *agnum* explicat. *Aben Ezra* שה אובד הקטן *oviculam perditam. Jarchius* השוטות שאינן יודעות לבא אל הדיר *stultas oves, quæ ad caulam ire nesciunt.* In qua interpretatione durum hoc videbitur, quod נער vocetur *agnus*, cùm alibi semper de homine usurpetur, hoc est, locis plusquam ducentis. Et vel si *agnum* intelligas, tamen hæc parum cohærebunt, *agnum non requiret.* Agnus enim non sæpe quæritur, quia vix aberrat à grege, & matrem solet sequi. Proinde in Parabola *Matth.* 18. *v.* 12. non quæritur agnus, sed ovis, quæ vagabatur. Hoc potissimum, quod veteres, ante Vocales a *Masorethis* adscriptas, hic legerunt, iisdem literis, sed diverso sono, *hannoer*, aut *hannaur*, non *hannaar*. צאן הנער *tson hannoer*, propriè est *ovis, quæ migrat è loco in locum.* Hoc me docuit doctissimus *Buxtorfius* in mirabili illo opere triginta annorum, ubi ex *Talmude Hierosolymitano* hæc citantur, השוכר את הצאן אסור לנערה כהו לנערה מהו: מטקום למקום *Qui conducit gregem ovium, prohibetur* לנערה. *Quid hoc est* לנערה? *Est de loco uno deducere in locum alium.* Itaque הנער *hannoer*, potuit hic dici צאן, vel שה, ovis, quæ è loco in locum non quidem deducitur, sed palabunda migrat. Qua notione نعر *naara* verbum in usu est etiam apud *Arabes.* Cl. *Golius* in *Lexico*, ex *Arabum* scriptis magno labore, nec minori industriâ, conflato: نعر Naara, *peragravit regionem, huc illuc profectus fuit.* Et in *Giggeio* النعر من الرجل Annaaro, *de viro, instabilis, sedes mutans.* Quomodo veteres accepisse in loco *Prophetæ*, in quo versamur, illorum versiones palam docent: *Chaldæus* enim hic habet, ודאטלטלו לא יתבע *Illos, qui migraverunt, non quæret*; & *Syrus* ܠܛܥܝܐ, *illos, qui errant*; & *Arabs* الشارد *divagantem*; & *Græci* τὸ ἐσκορπισμένον & Hieronymus *dispersum.* Sequitur, *Et confracta non medebitur:*] nempe, os fractum, aut luxatum obligando, ut habetur *Ezech.* 34. *v.* 4. *Fracta pecudum non aliter quam hominum crura sanantur: involuta lanis oleo atque vino insuccatis, & mox circumdatis ferulis colligata.* Hæc *Columella* lib. 8. cap. 5. *Et stantem non sustentabit,*] nempe cibo, & alimento. Id enim propriè יכלכל. Nam, ut confractis, & ægris medelâ opus est, ista stantibus, & valentibus, alimento, quò bona illa habitudo conservetur, & perseveret in statu suo. Rectè igitur *Syrus*, ܘܕܩܝܡܝܢ ܠܐ ܡܬܪܣܐ *Stantes non alet.* Et *Hieronymus*, *Id, quod stat, non enutriet. Stans* hic opponitur *jacenti*, & *ex morbo decumbenti.* Chaldæus *stantes* pro iis accipit, qui non possunt è loco se movere. Unde est, quod reddit, *illos, qui stant* (seu, *qui immobiles subsistunt*) לא יסבור כלכל in *ferendi* notione nusquam occurrit. Itaque hoc minùs placet. *Et pinguis carnem comedet;*] ut *Ezech.* 34. *v.* 3. *Etiam ungues earum avellet.*] Hebr. יפרוק. Id alii *franget* exponunt, quæ recepta, & usitata est hujus verbi significatio. Sed & apud *Hebræos* פרק est *avellere.* Sic עד דמתפרקין אבריו *donec divellerentur ejus membra.* Et de nucibus, מפרקין בהן קליפה החיצונה *Avellunt ab iis corticem exteriorem*: quæ in *Buxtorfio* vide. Porro ungues avelluntur potius quam diffringuntur. Et *Propheta* hac Hyperbole significat, pastorem illum, aut lupum rapacem veriùs, ad suum commodum omnia omnino conversurum, ne vilissimis quidem omissis, quales sunt pecudum ungulæ. Ejusdem ἀκριβείας, sed in dissimili causa, exemplum suggerunt verba *Mosis* Exod. 10. v. 26. *Etiam pecudes nostræ nobiscum ibunt, nec relinquetur ungula.* Nec dissimilis est loquendi modus apud *Arabes*, qui, de equo usurpari cœptus, etiam ad alia transfertur, النقد عند الحافر *Pecunia præsens usque ad ungulam.* Sensus est, se vel equum, vel aliud quidquam emptori non credituros, ante pretium solutum, & persolutum, usque ad ultimum quadrantem. Sed & ab ungue sermo noster quædam habet, quæ pertinent ad summam ἀκρίβειαν· ut *Ne latum quidem unguem discedere*, aut *Ne transversum quidem unguem*; & *Tenere ad unguem*; & *Resecare ad unguem*, quod

Græcè

Græcè est ἐξονυχίζειν. Et in *Horatio*;

- - - - - - - - - - - ad unguem
Factus homo, - - - - - - - - -

&,

- - - carmen non castigavit ad unguem.

Et in *Virgilio*, lib. 2. *Georg.*

- - - - - - - - - - Omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.

Sed diversa hic est Metaphora. Nam, ut monet *Servius*, *translatio est à marmorariis, qui juncturas unguibus probant.*

Sed & de malis pastoribus dicitur *Jer.* 23. *v.* 1. *Væ pastoribus, qui perdunt, & dissipant oves mei pascui!* Et versu 2. *Vos oves meas dissipatis, & dispellitis, nec eas visitatis.* Quæ quidem tam sunt Allegorica, quam quæ jam explicavimus. Pertinent enim ad Reges, & Magistratus, qui sunt ποιμένες λαῶν. Sed sensus Allegoricus literali nititur, qui hic non est satis obvius, cùm nemo sit pastor tam malus, ut oves ex ovili dispellat, & ejiciat. Hoc luporum & leonum est, de quibus *Jerem.* 50. *v.* 17. *Ovis* פזורה *vaga est* Israel, *quam leones dispulerunt.* Verum enimverò ovis נדחה non semper est *ovis dispulsa*, sed simpliciter *ovis errans.* Sic *Deut.* 22. *v.* 1. *Cùm videris bovem fratris tui, aut ovem ejus*, נדחים *dispulsos*, id est, תועים *errantes*, quomodo habent omnes Interpretes; quia sensus id evincit, & hujus loci collatio cum *Exod.* 23. *v.* 4. Proinde *Ezech.* 34. *v.* 4. *Et ovem* הנדחת *dispulsam non reduxistis*: Et versu 16. *Dispulsam reducam*, id est, *errantem.* Et *Esa.* 13. *v.* 14. *Et fuit ut caprea* מדח *dispulsa: & ovis* (supple *dispulsa*, id est, *errans*) *nec fuit, qui congregaret.* Quin apud *Arabes* تندح de ove, est *à caula sua longiùs aberrare.* *Alcamus*, تندحت الغنم من المرابضها تبددت Quod *Giggeius* ita reddidit, *A caulis suis oves longè dispersæ sunt.* Et *Golius*, *Dispersæ, & longiùs à caulis suis digressæ sunt oves.* Itaque ut ex היה *vivere*, החיה in *Hiphil* est *permittere, ut quis vivat*: ita ex נדח *dispelli*, seu *errare* simpliciter, הדיח in *Hiphil* non semper est *dispellere*, sed *permittere, ut quis erret*, sive *errantem negligere.* Proinde mali pastores dicuntur *oves dispellere*, cùm errantes negligunt, neque quærunt, neque visitant. Et *Jeremiæ* verba sic possunt optimè reddi, *Vos oves meas dissipatis, & errare sinitis, nec eas visitatis.* Sic *Iliad.* π'. versu 354. Oves

Ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν, - - -
Pastoris stultitiâ dispersæ sunt.

Zachariæ, & *Jeremiæ* locis, quæ citavimus, en tertium parallelum *Ezech.* 34. *vers.* 2. sed multò disertiorem! *Væ pastoribus* Israelis, *qui pascunt eos*, ut *Syrus*; vel *qui pascunt seipsos*, ut habent alii veterum, sensu acuto, & eleganti, sed quem *Hebræa* vix ferre possunt. *Nonne gregem pastores pascunt?* (id est, Nonne pastorum id officium est, nonne hoc muneris illis incumbit, ut pascant gregem sibi commissum? Juxta illud *Poetæ*,

- - - - - pastorem, Tytire, *pingues*
Pascere oportet oves. - - - - -)

At vos adipem comeditis, & lanam induitis, & quod pingue est mactatis, & oves non pascitis.] *Adipem* Hebr. החלב *hacheleb*, *Græci*, *Hieronymus*, & *Arabs* diversis Vocalibus legerunt *hachalab*, id est, *lac*: non incommodè. Fortasse etiam aptius, quia sic vitatur repetitio, quæ ex altera lectione emergit. *Adipem comeditis*, &c. *& quod pingue est mactatis.* Et manifesta ὑστέρωσις, cum ovium adeps non comedatur, nisi postquam mactatæ sunt. Itaque in hanc sententiam valde propendeo, *Prophetam* scripsisse, *lac comeditis*; & *lac* צאן, id est, *ovis*, & *capræ*, pro *cibo* hic proponi, ut *Deuter.* 32. *v.* 14. & *Proverb.* 27. *v.* 27. Pastori porro quandoque licet lacte ovium sustentari. *Quis pascit gregem, & ex lacte gregis non edit?* 1. Cor. 9. *v.* 7. Sed hi pastores ψευδώνυμοι modum non servabant:

Hic alienus oves custos bis mulget in hora,
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Præterea, cùm ovium lacte & adipe vescerentur, & lanam induerent, tamen eas non pascebant, quod egregiè declarat sequens ἐπεξήγησις. *Infirmas non roborâstis, & ægram non sanâstis, & confractam non alligâstis, & dispulsam* (id est, *errantem*) *non reduxistis, & perditam non quæsivistis, & durè & asperè iis dominati estis.* Quod de mysticis ovibus, id est, *Israelitis*, expressè prohibetur *Levit.* 25. *vers.* 43. 46. 53. Sed reliqua ibi videnda.

Nobis hîc suffecerit de malo pastore pauca subjicere ex *Christi* verbis *Joh.* 10. *v.* 1. *Qui*, inquit, *in caulam ovium, non per ostium, sed aliunde ingreditur, est fur, & latro.* Nempe, sic fures, & latrones solent, *Joel.* 2. *v.* 9. בעד החלונים יבאו כגנב *Per fenestras ingredientur, ut latro*: ubi *Kimchius*, *ut latro, qui, portam clausam inveniens, conatur per fenestras ingredi.* Pastores porro, ut furax hominum genus, describit *Jobus* 24. *vers.* 2. *Greges*, ait, *quos rapiunt, pascunt.* *Theocritus* item in *Bucoliastis*, ubi de *Lacone* pastore *Comatas* caprarius,

Αἶγες ἐμαὶ τῆνον τὸν ποιμένα τὸν Συβαρίταν
Φεύγετε τὸν Λάκωνα, τό μευ νάκος ἐχθὲς ἔκλεψεν·

Capræ meæ pastorem illum Sybaritam Laconem *fugite, qui meam pellem heri furatus est.* Ad quæ verba regerit *Lacon*,

Οὐκ ἀπὸ τᾶς κράνας σίττ' ἀμνίδες; οὐκ ἐσορῆτε
Τὸν μευ τὰν σύριγγα πρᾶν κλέψαντα Κομάταν;

Annon à fonte fugitis oves? Comatam *non videtis, qui mihi nuper fistulam furatus est?* Quale illud *Menalcæ* ad *Damœtam*,

Quid domini facient, audent cùm talia fures?
Non ego te vidi Damonis, *pessime, caprum*
Excipere insidiis, multum latrante Lyciscâ?

Lycidas quoque apud *Calphurnium* hæc habet de pastore *Mopso*,

Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi
Tityrus, *& medio furem suspendit ovili.*

Et in *Ægypti Bucolium* bubulcos & pastores plurimos confluxisse, qui prædonum vitam agerent, ex *Heliodoro* & aliis scimus. Unde *Hieronymus* in vita *Hilarionis*, *Cupiens rursum ad* Ægyptum *navigare, hoc est ad ea loca, quæ vocantur* Bucolia, *eò quòd nullus ibi* Christianorum *esset, sed barbara tantum, & ferox natio.* Alii *furax natio.* Quæ potuit esse causa, cur *Ægyptiis* pastores tam fuerint odiosi, *Gen.* 46. *v.* 34. Itaque cum parabolæ ex consuetis desumantur, ad eos pastores, qui iidem sunt latrones, & fures, *Christus* allusit non immeritò.

Addit idem versu duodecimo, *Mercenarius, & qui pastor non est, cujus non sunt oves propriæ, videns lupum venientem, relinquit oves, & fugit: lupus autem eas rapit, & dispergit ovile. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, neq; est illi cura ovium.* Quod de iis solùm intellige, qui verè sunt mercenarii, hoc est, quæstuarii, & lucri-petæ, quique de conscientia, & fama non multum soliciti, nullo alio affectu ducuntur, quam turpi φιλοκερδείᾳ. Alioqui enim fieri potest, ut quis alienas oves mercede pascat, qui idem sit pastor bonus, qualis apud *Labanem Jacobus* fuit.

Quòd oves suas dicit Deus è malorum pastorum manu se repetiturum, ut aliis tradat, *Ezech.* 34. *vers.* 10, 23. *Arabes* verbo رمز *ramaza* propriissimè dixerint. Nam رمز de ovibus dictum significat لم يرض رعية الراعي فحولها الي راعي اخر *Non probavit dominus pastionem, & eas alii pastori commisit.* Ita *Alcamus.*

Malo

Malo pastori bonus opponitur, ad cujus officium, & mores Scriptura passim alludit: ut cum de *Christo* dicitur *Es.* 40, 11. *Pascet ut pastor gregem suum, in brachio suo colliget agnos, & in sinu suo portabit, fœtas minabit.* Quibus apud *Calphurnium* hæc *Myconis* conferenda,

Te quoque non pudeat, cum feras ovilia vises,
Si qua jacebit ovis partu resoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natosque repenti
Ferre sinu tremulos, & nondum stare paratos.

Minabit Hebr. ינהל. *Minare*, de pecore, & jumentis, propriè dicitur. Festus; *Agasones, equos agentes, id est, minantes.* Idem, *Agere modo significat ante se pellere, id est, minare.* Virgilius,

- - - & potum pastas age, Tityre. - -

Anianus, *Actus quo pecora minare consuevimus.* *Juvenalis* Scholiastes in *Sat.* 6. *Hanc igitur Io in tantum persequuta est* Juno, *ut in vaccam transformata per omnem mundum minaret.* *Hieronymus* Exod. 3, 1. *Cumque minasset gregem ad interiora deserti.* Et (*a*) 1. *Reg.* 30, 20. *Greges, & armenta minavit ante faciem suam.* Et *Es.* 11, 6. *Vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Et *Jerem.* 31. v. 24. *Agricolæ, & minantes greges.* Ausonius *Epigr.* 66.

a) Hebrais 1. Sam. 30, 20.

Ageret juvencas cùm domum pastor suas,
Suam relinquens, me minabat ut suam.

Hebræum quoque נהל id ipsum est, ita ut *minandi* voce commodissime reddi possit. Sic *Psal.* 23. v. 1. 2. *Dominus pastor meus est, &c. In graminosis pascuis facit, ut cubem: ad aquas tranquillas* ינהלני *minat me*, nempe ut ovem suam. Et *Es.* 49, 10. *Ad scaturigines aquarum* ינהלם *minabit eos*, inter pascendum scilicet. Proinde *Johannes* ad hunc locum ita alludit *Apoc.* 7, 17. *Pascet, & deducet eos ad vivos fontes aquarum.* Quin quia hæc deductio ad pecorum pastum pertinet, נהל quandoque significat *pascere*, & *sustentare*; ut *Gen.* 47, 17. וינהלם בלחם *Et sustentavit eos pane.* Quomodo sumpsit *Syrus* in loco, in quo versamur. *Hebræa* enim ינהל עלות reddit ܘܠܡܝܢܩܬܐ ܡܬܢܚܡ (b) *Et lactantes nutrit.* At *Hieronymus*, *portabit*, id est, ינטל. Et *Græci*, παρακαλέσει, *consolabitur*, id est, ינחם: quod ipsum sequitur *Arabs*. Omnium optimè *Thargum*, בניח מדבר *lentè deducens*, quomodo hanc vocem explicant *Aben Ezra* & *Kimchius*. Fortasse ex *Gen.* 33, 14. ubi *Jacob*, eo ipso verbo usus in Conjugatione *Hithpael*, dicit *Esavo* fratri, אתנהלה לאטי *Lentiùs me deducam*: id est, me familiæ, & pecoris ducem præstans, ibo lentiùs, & temperabo gradum: quia si matres lactantes urgerent pecuarii, periret grex universus.

Iterùm boni pastoris personam Deus induens dicit *Ezech.* 34, 12. *Ut pastor quærit oves dispersas gregis sui: sic ego eas eruam ex omnibus locis, in qua fuerunt dispersæ in die nubis, & caliginis.* Et versu decimo tertio, *Et educam eos è populis, & reducam in terram suam, ut pascam eos in montibus* Israëlis, *& ad alveos*, &c. Et versu decimo quinto, *In pascuo bono pascam eos, & in montibus excelsis* Israëlis *erit caula eorum*, &c. Et versu decimo quarto, *Ego pascam gregem meum, & recubare faciam.* Et versu decimo sexto, *Pereuntem requiram, & dispulsam* (id est, *errantem*) *reducam, & fractam obligabo, & debilem roborabo: pinguem verò, & obduratam disperdam* (non *pinguem* simpliciter, sed *pinguem &* החזקה *obduratam*: quod capite sequenti explicabimus.) Et versu decimo septimo, *Ecce ego discernam inter pecus & pecus, inter arietes & hircos.* Ad quæ verba *Christus* alludens *Matth.* 25, 32. *Congregabuntur*, inquit, *ante eum omnes gentes, & separabit eos unum ab altero; sicut pastor, qui separat oves ab hœdis.*

Idem *Joannis* capite decimo de bono pastore tria dicit: (1) *Illum ingredi per ostium, & janitorem illi aperire*; ut à *latrone* sic distinguat, *qui per fenestram irrumpit in ovile*: de quo jam actum. (2) *Oves illi esse notas, & vicissim illum ovibus, quæ vocem ejus audiant, & internoscant.* Et pastor quidem novit oves suas ex nota inusta, aut impressâ. *Calphurnius* ubi supra,

- - - - - - nec Brutia desit
Dura tibi, & liquido simul unguine terga memento,
Si fint rasa, linas: vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus ovi tua nomina. - - - -

Virgilius libro primo *Georgic.*

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

Ad quem locum *Servius*, *Id est, facit aut characteres, quibus pecora signantur; aut tesseras, quibus frumentorum numerus designatur.* *Palladius*, in *Januario* mense, capite decimo sexto, *Hoc mense, sicut Columella dicit, maturi agni, & animalia omnia, minora, atque majora, charactere signentur.* Et in *Aprili* capite septimo, *Nunc calidis locis tondeantur oves, & serotini fœtus hoc mense signentur.* Sic *Eulogius* apud *Photium*, Auctore CCLXXX. ovium dicit ἵνα μὴ ἐπὶ τ αὐτὸς, ἀλλὰ ἢ ἐπὶ τ σκέλους σφραγιζόμενα, *alias in aure, alias in crure signari.* Arabicè طراق est *nota ovi inusta in mediis auribus*: & قبلة الاذن *nota ad anteriorem partem auris*: & المنطقة *ovis rubro notata* في موضع النطاق *in loco cinguli*, id est, circa lumbos: & قبض *ovis clunes lapillo signavit*, qui dicitur عذق القبض & *ovi notam apposuit*, propriè insignibus illi appensis, quæ *Arabibus* عذقة *Drusium* jam (*b*) docuimus huc referre perperam, quod *pastor* vocatur נקד, *nokêd*. Neque iis potior fides, qui *pastorem Græcè* σημάντορα, quasi *pecorum signatorem*, dici volunt. In *Apollonio* quidem legas libro primo *Argonauticων*,

b) Pag. 442. lin. 45.

(*c*) Δμῶες ἰδὲ σταθμῶν σημάντορες. - - -

c) Versu 1155.

At ibi σταθμῶν σημάντορες non sunt *stabulorum signatores*, sed *præfecti*, & *præsides*, quomodo ea vox passim sumitur. Sic μῆλα ἀσήμαντα non sunt μῆλα ἀσφράγιστα, *oves non signata*, ut putat *Suidas*: sed *quæ pastore carent.* Homerus, *Iliad.* κ'. versu 485.

Ὡς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν,

id est, *Ut leo ovibus incustoditis superveniens.* Vetus *Scholiastes* reddit ἀφυλάκτοις, ἀφροντίστοις, μὴ ἔχουσι ποιμένα, *incustoditis, neglectis, pastorem non habentibus.* Et *Eustathius* ἀστρατηγήτοις, *præfecto carentibus.* Nec multò aliter *Hesychius*, adeoque ipse *Suidas* in sequentibus. Oves quomodo pastorem noverint, dicemus ubi de ovibus. (3) Bonum denique pastorem addit *Christus vitam pro ovibus ponere*, id est, *exponere.* In eo numero censendus *David*, qui fortasse vixdum ephebus, ut ovem modò ex leonis, modò ex ursi faucibus eriperet, extremum vitæ periculum adire haudquaquam timuit. Unde illud *Sirachidis* Eccles. 47, 3. *Cum leonibus lusit ut cùm hœdis, & cum ursis ut cum agnis ovium.* Neque id fuisse planè inauditum, ut irruenti leoni pastores se opponerent, docet, quod *Amos*, ipse pastor, (capitis tertii versu duodecimo) *Israelitarum* reliquias, ab hostium insultu Dei potentiâ servandas, cum ove confert, cujus portiunculam ex ore leonis pastor eripit. Quamvis alioqui leo nè pastorum quidem concursu facilè absterreatur, aut abigatur à præda. Proinde *Esaias* capitis trigesimi primi versu quarto, *Ut rugiens leo, & juvenis leo ad prædam suam, cum convocatur in eum multitudo*

tudo pastorum, illorum voce non terretur, nec ob strepitum eorum cedit. Et Poëta summus *Iliad. σ'.* versu 161.

Ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἴθωνα δύνανται
Ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι.

Ut fulvum leonem, cùm valde esurit, à corpore abigere non possunt pastores, qui in agris degunt. Et *Iliad. μ'. v.* 302.

Βῆ ῥ' ἴμεν, ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅστ' ἐπιδευὴς
Δηρὸν ἔῃ κρειῶν. κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ,
Μήλων πειρήσοντα, καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν.
Εἴπερ γάρ χ' εὕρῃσι παρ' αὐτόφι βώτορας ἄνδρας,
Σὺν κυσὶ, καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα·
Οὔ ῥά τ' ἀπείρητος μέμονε σταθμοῖο δίεσθαι.

Perrexit ire, sicut leo in montibus nutritus, qui indigens dudum sit carnium. Impellit autem ipsum animus superbus, oves tentaturum, etiam in densam caulam ire. Etsi enim apud eas invenerit viros pastores, cum canibus, & hastis custodias agentes circa oves; tamen nonnisi facto periculo à stabulo pelli sustinet.

Aliud boni pastoris specimen in *Jacobo* habemus, qui cùm *Labanis* greges sibi commissos per viginti pavisset annos summa fide, & sedulitate; tamen avunculi calumniis penè oppressus, innocentiam ità tuetur, *Gen.* 31, 38. *Dum fui tecum bis viginti annis, oves, & capræ tuæ non abortierunt; & arietes gregis tui non comedi.* 39. *Discerptam pecudem ad te non retuli; quin ego illud luebam. De manu mea id reposcebas, sive interdiu, sive noctu esset furto sublatum.* 40. *Æstus die me absumebat, & gelu noctu: & ab oculis meis somnus fugiebat.* Atque id quidem, quod *Labanis* pecudes abortîsse neget, non tam ex ipso pendebat, quam ex Deo benedicente. Proinde gregum fœcunditatem à Deo petit *Psaltes* Ps. 144, 13. Sed propter *Jacobum Labanis* gregibus benedixerat Deus, ut agnoscit ipse *Laban*, *Gen.* 30, 27. Itaque hanc in greges suos Dei benedictionem *Jacobo* debuit *Laban*. Præterea pastor est aliquo modo Deo συνεργὸς, cum admissuram non negligit, quâ commodè adhibita, pecudes ut plurimum sobolescunt. Addit se *gregis arietes non comedisse*, quomodo pastores illi, de quibus nuper *Ezechiel*, qui *pingues oves mactabant, neque pascebant gregem*. Quin maluit lenticulis, & tenui victu contentus esse, nè quid domini commodis decederet. Nihil necesse est monere, *arietum* nomine etiam *agnos* contineri, quos si comedisset *Jacob*, non magna fuisset frugalitas, quòd ab arietum esu abstinuit. Quòd subjungit *Jacobus* se *discerptas pecudes, aut etiam furto ablatas* Labani *restituisse*, qui de manu sua eas reposcebat: magnas in *Labane* sordes, & summam avaritiam prodit, &, quod pejus est, animum erga piissimum nepotem iniquissimum, qui cum in avunculi ovibus ritè pascendis, & servandis, magnam adhiberet diligentiam, si quid interim in magno grege vel per vim abriperetur, vel surriperetur per fraudem, non tenebatur id restituere, quod ipso invito, & quantum poterat, frustrà renitente, fuerat ablatum. Itaque ex Lege *Mosis* Exod. 22. 10. *Si quis proximo suo asinum, aut bovem, aut ovem, aut jumentum servandum dederit, quod mortuum, aut fractum, aut vi abactum fuerit nullo vidente: juramentum Domini esto inter utrosque, annon* (pecoris, aut jumenti custos) *manum suam extenderit in rem proximi. Quod ubi acceperit rei dominus, ille non restituet.* Et versu decimo tertio, *Si discerptum est, pro testimonio id afferat, nec discerptum restituet.* Non me latet in *Hebræorum* scriptis non paucas in hanc Legem exceptiones reperiri. Quale est, quod restitui volunt, quod ab unico lupo discerptum est. *Maimonides* in Tractatu שכירות cap. 3. §. 4. רועה שבאו זאבים וטרפו ממנו אם היה זאב אחד אין זה אונס *Cùm in pastorem lupi irruunt, & feras discerpunt; si lupus sit unicus, hæc violentia non est* (qua scilicet pastor à restituendo excusetur) Et quod restitutioni judicatur obnoxius, qui pecora ultro deduxerit in locum feris, aut latronibus infestum. *Hebr.* המוליך הבהמות למקום גדודי חיות ולסטים *Maimonides ib.* §. 5. Item qui neglexerit vicinorum opem implorare. Ibidem sect. 6. הרועה שהיה להציל הטרפה או השבויה ברועים אחרים ובמקלות ולא קרא רועים אחרים ולא הביא מקלות להציל הרי זה חיב *Pastor, qui potuit discerptam, aut captivam pecudem per alios pastores, aut per baculos liberare: si pastores non convocat, aut baculos non affert, is utique est reus.* Et *Talmudici* צאן ברזל *oves ferreas* vocant, quas pascendas ea conditione pastor accipit, ut, si pereant, illas teneatur domino solvere, & restituere. Unde *Magistrorum* Canon in *Bava Metsia* capite quinto, אין מקבלים צאן ברזל מישראל מפני שהוא ריבית אבל מקבלים צאן ברזל מן הנכרים *Non accipiunt oves ferreas ab* Israëlitis; *quia hoc esset fœnus, sed accipiunt oves ferreas à peregrinis.* Utut sit, cum constet satis ex iis, quæ diximus, ovem discerptam, aut abreptam, à pastore repetere non licuisse, nisi in certo casu, *Laban*, qui omnes à *Jacobo* repetebat absque causæ cognitione, prorsus iniquè se gessit erga nepotem; maximè, cùm is avunculi greges per multos annos gratuito paverit, & sine ulla spe mercedis. Neque frustrà est, quod addit, *De manu mea reposcebas, sive interdiu, sive noctu esset sublatum.* Nam in locis, in quibus pastores ἀγραυλοῦσι, gravius est repetere quod noctu sublatum est, id est, الجريسة *algerisa*; ita enim vocant *Arabes*. *Alcamus*, الجريسة ما يسرق من الغنم بالليل Algerisa, *quod ex pecore noctu sublatum est.* Itaque minùs rigidè id repetunt, quàm quod de die, & in plena luce est ablatum.

Pergit *Jacobus*, *Æstus die me absumebat, & gelu noctu.* Ubi *Græci*, Ἐγινόμην τῆς ἡμέρας συγκαιόμενος τῷ καύματι, καὶ τῷ παγετῷ τῆς νυκτός· Ita ut συγκαιόμενος, *adustus*, tam ad noctis glaciem, quam ad diei æstum pertineat. Ut *Ps.* 121, 6. συγκαύσει, *aduret*, tam de Luna, quàm de Sole dicitur. Unde *Suidas* voce Σελήνη, Lunam colligit æquè ac Solem corpora calefacere. Φασὶ, ait, τὴν σελήνην μὴ μόνον ὑγρὰν εἶναι, ἀλλὰ καὶ θερμαίνειν ὁμοίως τῷ ἡλίῳ τὰ σώματα. Δαβὶδ, Ἡμέρας ὁ ἥλιος οὐ συγκαύσει σε, οὐδὲ ἡ σελήνη τὴν νύκτα. *Lunam dicunt non solùm humidam esse, sed & corpora calefacere æquè ac Solem.* David, "*Sol diei non aduret te,* "*neque Luna noctε.* Sed perperam id colligitur. Nam in his locutionibus aliud verbum subaudiendum est oppositæ significationis. *Æstu die adurebar, & gelu noctu*, supple *obrigescebam*. *Die Sol non aduret te, nec Luna noctu* supple *refrigerabit*. Sic 1. *Tim.* 4, 3. κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *prohibentium nubere, & abstinere cibis* supple *jubentium*. Sed *Jacobum* noctis frigus pati quid necesse fuit, aut à somno abstinere? Responsio est obvia. Pastores ἀγραυλεῖν, id est, *in agris pernoctare*, moris erat, ovibus inter crates inclusis, nè noctu vagarentur. *Horatius* Epod. 2.

Claudensque textis cratibus lætum pecus.

Et *Calphurnius* disertiùs *Ecloga* primâ, quâ describuntur *Halcyonia*, seu tempora, quibus in alta pace vivitur, nec ullus est ab hoste metus;

- - - *licet omne vagetur*
Securo custode pecus, nocturnaque pastor
Claudere fraxineâ nolis præsepia crate:
Non tamen insidias prædator ovilibus ullas
Afferet. - - - - - -

Hinc *Lucæ* 1, 8. pastores *Beth-lehemitici*, quibus apparuit Angelus, erant ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλάσσοντες τὰς φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν, *in agris pernoctantes, & vigilias noctis servantes in gregem suum.* Quales, qui *Homero* & *Hesiodo* dicuntur ποιμένες ἄγραυ-

ἀγραυλοι, & in Hymno in *Mercurium*, ἀγραυλοι μηλοβοτῆρες. Et in *Nicandri Theriacis* versu 403.

- - - ὅτ' ἀμφ' ἰλάταισι μακεδναῖς
Ἄγραυλοι ψύχωσι, λιπόντες ἔργα νομήων·

Cùm circa proceras abietes in agris degentes (pastores) *frigus captant, relicto pascendi opere.* Ovibus quoque quadrat idem Epithetum. *Dionysius Periegetes* versu 672.

- - ἢ ἀγραύλων γένος οἰῶν.

Et versu 996.

Μῆλοι ἀγραύλοισιν ἐείσατο. - - -

Et ἄγραυλοι, sive greges, sive pastores, *si dicuntur qui in agris pernoctant.* *Hesychius*, Ἄγραυλοι, οἱ ἐν ἀγρῷ νυκτερεύοντες· id est, *per noctem in agro degentes.* Quo sensu *Strabo* libro quarto de *Belgarum* suibus dixit, κὰ διὸ καὶ ἀγραυλοῦσιν. Nempe ἀγραυλεῖν nihil quidquam est, quam ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι, *in agro pernoctare*, vel *excubare*. Quomodo id verbum passim usurpant *Xenophon*, & *Thucydides*, & *Graci* Interpretes circiter trigesies pro *Hebraeo* לין. Unde αὐλισμὸς *Hesychio* est διανυκτέρευσις, *pernoctatio.* Et *vespertugo* stella *Graece* vocatur αὔλιος, quia præcedit noctem, &, illâ oriente, tam greges, quàm homines αὐλίζονται. *Apollonius* libro quarto *Argonauticũ*,

Ἦμος δ' ἠέλιος μὲν ἔδυ, ἀνὰ δ' ἤλυθεν ἀστὴρ
Αὔλιος, ὅς τ' ἀνέπαυσεν ὀϊζυροὺς ἀροτῆρας·

Cum vero Sol occubuit, & orta est stella αὔλιος, seu *vespertina, quæ miseros aratores recreat.* Ad quæ verba *Scholiastes.* Αὔλιον ἀστέρα τὸν ἕσπερον λέγει ἢ παρὰ τὸ αὐλίζεσθαι, ὃ ἐστι κοιμᾶσθαι· ἢ παρὰ τὸ ἐν αὐλαῖς διατρίβειν, καθ' ἣν ὥραν ὁ ἕσπερος ἀνατέλλει. *Stellam* αὔλιον *vocat* Hesperum; *vel à Verbo* αὐλίζεσθαι, *quod est cubare; vel in caulis degere qua hora* Hesperus *exoritur.* Quibus consona hæc *Stephani*, *De urbibus*, in voce Αὐλίς· λέγεται καὶ αὔλιος ὁ ἑσπέριος ἀστὴρ, παρὰ τὸ ποιεῖν ἡμᾶς αὐλίζεσθαι· *Vespertugo stella dicitur &* αὔλιος, *quia nos excubare facit.* Itaque fallitur Vir magnus, qui in *Lucam* scripsit, Ἀγραυλοῦντες] *agentes sub dio: nam in hac voce nulla est noctis significatio, quam sequentia exprimunt.* Quin sequentia *Lucas* addit ὑπὲρ νυκτικῶς, ut pastores in agris significet ideò pernoctâsse, ut vigilias noctis servarent in gregem suum. Proinde ἀγραυλοῦντες *Hieronymus* reddidit *vigilabant*, Erasmus *vigilantes*, & Beza *excubantes*. Talis pastor *Arabice*

هسهاس *hishas* vocatur voce maximè propriâ.

Alcamus, الهسهاس الراعي يرعى الغنم

ليلة كله Alhishas, *pastor, qui totâ nocte oves pascit.* Ad illas pastorum vigilias alludi puto, quoties Dominici gregis pastoribus Scriptura vel *somnum* exprobrat, vel commendat *vigilantiam*; ut *Es.* 56, 10. *Act.* 20, 31. 2. *Cor.* 6, 4. 2. *Tim.* 4, 5. *Apoc.* 3, 2. 3.

Porrò ex eo, quod, *Christo* nascente, pastores, & oves noctem in agris degebant, multi recentiores rectè colligunt eum hyemali solstitio non esse natum, ut vulgus putat. Id enim anni tempus est frigidissimum, quo rarò interdiu, nunquam noctu pecudes sub dio degunt: quin in caulis clausæ latent, etiam in *Africa*, si *Calphurnius*, ut putatur, ibi scripsit eas *Eclogas*, quas *Nemesiano Carthaginensi* dicavit. In quinta enim, quæ de gregum cura multa habet insignia, hæc legere est;

- - - *vere novo, cùm jam tinnire volucres*
Incipiunt, nidosque reversa lutabit hirundo,
Protinus hyberno pecus omne movebis ovili.

Hyberno ovili, id est, *caulis, in quibus per hyemem inclusum fuit.* Proinde sequitur aliquantò post,

Sed non antè greges in pascua mittite clausos,
Quàm fuerit pacata Pales - - -

Et eâdem *Eclogâ* sub finem,

- - - *cùm pecudes extremus clauserit annus.*

Virgilius quoque libro tertio *Georgic.*

- - - *stabulis edico in mollibus herbam*
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas.

Et *Columella* libri octavi capite tertio, *Hyeme, & vere, matutinis temporibus intra septa contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahat.* Hinc *Hesiodus* de *Lenaeone* mense, quo hyems sævire incipit,

- - - μεὶς γὰρ χαλεπώτατος οὗτος
Χειμέριος, χαλεπὸς προβάτοις, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις.

Mensis hybernus ille est gravissimus, gravis ovibus, gravis etiam hominibus. Ovium ideò meminit; quia, ut observat *Columella* ubi suprà, *id pecus, quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est.* Unde est, quod ovibus, ne hyeme frigeant, magna cura prospici volunt, quotquot eâ de re scripsêre. *Virgilius*,

Et multâ duram stipulâ, filicumque manip'lis
Sternere subter humum, glacies nè frigida lædat
Molle pecus. - - - - - -

Calphurnius,

Præcipuè gelidum stipulis, & fronde caducâ,
Sterne solum, nè fortè rigor penetrabile corpus
Urat, & interno vastet præcordia morbo.

Et *Columella* humilia facere stabula jubet, & in longitudinem porrecta, & contra medium diem, *ut hyeme calida sint*, & annis omnibus, in demortuarum vitiosarumque ovium locum, totidem, vel etiam plura capita substituere; *quoniam sæpe frigorum, atque hyemis sævitia pastorem decipit, & ex eo vis interimit.* *Ovem* proinde צאן *tson*, *Arias* dici putavit à *Syro* ܨܢ *tsenan*, *frigere*; quia vix ullum aliud est animal tam alsiosum. Ex quibus cum pateat satis, oves, in fine *Decembris*, in agris non excubâsse, iis accedere omnino necesse est, qui natalem *Christi* diem in aliud tempus rejiciunt. Si quis objiciat, *Scenitas*, & *Nomadas* toto anno in agris degere, negabo hos propriè ἀγραυλεῖν, quia sub dio non degunt, sed pro domibus habent tentoria, in quibus non solùm dominis, sed armentis quoque, & gregibus loca sunt destinata, ut aureo illo sæculo,

Cùm pecus & dominos communis clauderet umbra.

Unde *Poëta* libro tertio *Georgic.*

Quid tibi pastores Libyæ? *quid pascua versu*
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem, noctemque, & totum ex ordine mensem
Pascitur, itaque pecus longa in deserta, sine ullis
Hospitiis, tantùm campi jacet. Omnia secum
Armentarius Afer *agit, tectumque, laremque.*

Tectumque, laremque, id est, *tentoria militum more*, ut ibi habet *Servius*. Indè Scriptura toties memorat *pastorum tabernacula*, *& tentoria*, ut pluribus dicetur, nec *pastorum* modò, sed & *pecoris*, 2. *Par.* 14, 15. Illos porrò pastores, qui sub tentoriis degunt, non censeri in numero τῶν ἀγραυλούντων, ex eo patet, quod *Gen.* 25, 27. *Esau* איש השדה *vir agri*, id est, ἀγραυλῶν, & *Jacobus* frater ישב אהלים *in tabernaculis degens*, sibi mutuò opponuntur. Sed & alia sunt argumenta, ex quibus colligit vir summus, qui multos habet sequaces, *Jesum Christum* non *Decembri* mense, sed *Martio* natum esse. In his palmarium illud, quod *Zacharia*, *Johannis Baptistæ* patri, hebdomadario Sacerdoti ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, & in ordine *Abiæ* ἱερατεύοντι, apparuit Angelus, *Luc.* 1, 5. 8. 11. *Abiæ* porrò ἐφημερία eo anno in *Decembrem* incidit, quod ille pluribus probat, & *Christus* sexto post mense, id est, *Junio*, conceptus est: unde sequitur, natum esse circa *Martium*, qui est post *Junium* nonus. Huc accedit, quod apud *Clementem Alexandrinum*, libro primo *Stromatum*, *Christianorum* vetustissimi *Christi* natalem referunt ad mensem *Ægyptium Pachonem*, quo falcem *Ægyptii* in segetes mittebant.

Λήια δ' αἰὲν ἄνθεντα Παχὼν δρεπάνοισι φυλάσσει,
Segetes florentes Pachon *falci custodit*, id est, *destinat.* Quod tempus si non in *Martium*, saltem in *Aprilem* incidit. *Marmolius*, ubi de *Ægypto*, *Africa* suæ lib. 1. cap. 9. *A principio de* Abril *siegan el pan, y a veinte de* Majo, *ha de estar todo trillado y alçado.* Neque aliter *Leo Africanus* libro octavo. *Sub* Aprilis *initium segetes succidunt, succisas confestim triturant: neque spicam ad vigesimum* Maji *secandam relinquunt.*

Jam superest, ut nonnihil de pastorum vasis dicamus, quorum Scriptura non semel meminit. Sic 1. *Sam.* 17, 40. *Et elegit sibi quinque lapides levigatos de torrente, quos posuit* בכלי הרעים אשר לו *in vase pastorali, quod habebat.* Et versu quadragesimo nono, *Et David posuit manum suam* אל הכלי *ad vas*, (id est, *in vase.*) *& inde sumpsit lapidem.* Et *Zachar.* 11, 15. *Sume tibi* כלי רעה אולי *Vas pastoris stulti.* Quod priùs quàm explicemus, lector monendus est, *Hebraeum* כלי, quod propriè *vas* significat, patere multò latiùs, quam ii putant, qui *Hebraismi* sunt ignari. *Vasorum* enim nomine *Hebraei*, præter vasa propriè dicta, *vestes*, & *arma* intelligunt, & *instrumenta omnia*, & quidquid est *supellectilis*. Sic passim כלי מלחמה *vasa belli* sunt *arma*, & כלי שיר *vasa cantici* sunt *instrumenta musica*. Et *Jerem.* 49, 29. *Illorum oves, & tentoria diripient,* וכל כליהם *& vasa eorum omnia*, id est, *totam supellectilem.* Quo eodem sensu dicitur *Matth.* 12, 29. τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσαι, *vasa ejus diripere.* Et *Deut.* 22, 5. *Non erit* כלי גבר *vas viri* (id est, *virilis vestis*) *super mulierem.* Unde est, quod statim sequitur, *Nec vir muliebrem vestem induet.* Et *Es.* 61, 10. *Ut sponsam, quam ornant* כליה *vasa sua*, id est, *vestes nuptiales.* Itaque hic *pastoris vasa* dicuntur non solum vasa propriè dicta, puta γαυλὸς, σκαφὶς, πέλλη, κυμβίον, καρχήσιον, κισσύβιον, mulctrale, sinus, & si quæ alia sunt hujusmodi; sed & vestis, & arma, & instrumenta musica, & tota supellex. Hinc in *Zachariam* Hieronymus, *Vasa autem pastoris insignia illius, & habitum debemus accipere, peram, baculum, fistulam, & sibilum.* Melius, quàm *Cyrillus*, qui ad *baculum* restringit. *Cùm enim*, inquit, *aequi pastores graciles habeant virgas, quibus pecora ita percutiunt, ut nè conterant, pastor imperitus* ἁδροτέροις αὐτὰ συντρίβει ῥοπάλοις· καὶ ταῦτα, οἶμαι, ἐστὶ τὰ σκεύη τὰ ποιμενικὰ τοῦ ἀπείρου ποιμένος, *crassioribus baculis ea contundit: & hæc, ut puto, vasa sunt pastoralia imperiti pastoris.* *Kimchius*, hujus vasa diversa esse dicit à vasis boni pastoris. *Nam in boni pastoris vasis pera est, in qua conditur panis, quo vescatur; & calix in quo bibat; atque alia, quibus eget, cum oves in deserto pascit. At pastoris stulti vasa sunt* פחותה ונרוע *diminutionis, & jacturæ; & statim ei deficit victus, quo cùm eget, in oves irascitur, & grassatur, nec ulli parcit.* Ego, cum pastor stultus à bono non videam quomodo ex habitu possit distingui, puto *Prophetam*, à Deo jussum, pastorem quidem veste, perâ, pedo *&c.* sed ejus stultitiam factis expressisse. Dum scilicet ovium gregem, qui in visione apparebat, susque deque habebat, neque fractas ligabat, neque errantes quærebat, &, pinguissimis mactatis, earum carne vescebatur. quomodo pastorem illum stultum erga mysticas oves, id est,
d) Zach. 11, 16 Dei Ecclesiam, se gesturum prædixerat (*d*) Deus.

Sed, ut singula, quæ de pastorum vestibus, vasis, armis, & tota supellectile habet Scriptura, excutiantur accuratius, en de vestibus locum insignem *Jerem.* 43, 12. *Et involvet terram Ægypti* (Nebucadnetsar) *ut pastor involvit vestem suam*, id est, *corpus veste suâ.* Est Hypallage omnibus linguis frequens. Ita *Græcè* ἐνδύειν τὴν ἐσθῆτα, & Latinè *vestem induere*, est ἐνδύειν τὸ σῶμα τῇ ἐσθῆτι, *corpus veste induere.* Quod plerique interpretes cum non animadverterent, sensum valde obscurum huic loco affinxerunt; quasi *Propheta* significet fore, ut *Nebucadnetsar Ægypto* amiciatur (id est, inquiunt, *Ægypti spoliis*) quomodo pastor veste suâ amicitur, & involvitur. Sunt, qui ad *investiturae* morem alludi volunt, qui *Prophetâ* pluribus sæculis recentior est. Quin *involvi* dicitur *Ægyptus* à *Babyloniorum* copiis, non illas *involvere*, & *amicire*. Ita ut *Jeremiae* locus sit parallelus *Ezechielis* loco de *Pharaone*, & *Ægypto*, capitis trigesimi secundi versu tertio. *Expandam super te rete meum, per congregationem multorum populorum* (id est, *Chaldaeorum*) *qui te inducent in sagenam meam.* Nam, ut in *Ezechiele Chaldaei Pharaonem*, & *Ægyptum* in rete inducunt, quo tota includitur, ità in *Jeremia Chaldaeorum* dux *Nebucadnetsar involvit terram* Ægypti. *Involvit* Hebr. est עטה, quod *involvere* reddimus, ut *Es.* 22, 17. ubi de *Sebna* dicitur, ועטך עטה *& involvendo te involvit.* Alii reddunt *obtegit*, quia *Arabicè* غطي *tegere* est. Et *Ægyptus Chaldaeorum* copiis obtecta fuit, ut pastorem vestis obtegit. A pastore potius ducitur comparatio; quia hoc hominum genus, ut cœli injuriis est maximè obnoxium, cum sub dio semper degat, ita contra ventorum ingruentium procellas necesse habet se majori cura tueri, vestibus circa corpus sedulò convolutis: ut, apud *Avienum*, in Fabula *De Borea & Sole*, viator, flante *Borea*,

Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida summotos quo trahit aura sinus.

Itaque apud *Syrum* Interpretem *pastoris vestis* ܥܛܦܐ *gultha* vocatur, id est εἴλυμα, aut περιβόλαιον. Fit enim à Verbo ܥܛܦ quod *volvere* est, & *involvere.* Sed *Graecorum* mira est versio, quam hic intactam præterire non possum. Ea sic habet, Φθειριεῖ τὴν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθειρίζει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. *Expediculabit* (si verbo datur venia) *terram* Ægypti, *ut pastor expediculat vestem suam*, id est, ex ea pediculos eximit. In quæ verba *Theodoretus*, Διδάσκων ὡς οὐ πάρεργον ποιήσεται τὴν κατὰ τῆς Αἰγύπτου στρατείαν, ἀλλ' ἐπιμελῶς αὐτὴν καταλύσει, ἀπεικάζει αὐτὸν ποιμένι τοὺς φθεῖρας συλλέγοντι. ἐπιμελῶς δὲ τοῦτο ποιοῦσι οἱ ποιμένες, πλείστης σχολῆς ἀπολαύοντες. *Ut doceat se non perfunctoriè bellum in* Ægyptum *gesturum, sed illam exactè deleturum, eum cum Pastore confert, qui pediculos suos colligit. Nempe id accuratè faciunt pastores; quia otio maximè abundant.* Quod cum ab *Hebraeo* textu sit alienum prorsus, nec Sacro Scriptore satis dignum, ut vastatorem *Ægypti* putetur pastori comparasse, qui pediculos suos eximit, *Graecos* scripsisse suspicor φθερεῖ τὴν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθείρει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, *Ægyptum corrumpet*, seu *destruet*, *ut pastor corrumpit*, seu *deterit*, *vestem suam.* Quam scriptionem tria confirmant: 1. *Arabica* versio ex *Graeca* expressa, quæ sic habet, يفسد

ارضهم كما يفسد الراعي ثوبه

Corrumpet terram eorum, ut corrumpit pastor vestem suam. Secundò ܚܒܠ *Syris* est *delere*, & *destruere.* Itaque *Hebraeum* עטה *Graeci* sic reddiderunt, ut vocem ex *Syris* à *Propheta* mutuatam: quod non est sine exemplo. Tertiò, ista versio, quamvis priore non verior, tamen est minùs absona. De cœlis in fine rerum Dei virtute destruendis dicitur *Ps.* 102. 27. *Ut vestimentum veterascent.* Ita nihil erit absurdi, si quis *Ægypti* vastationem putet cum veste detrita conferri, adeoque cum veste pastoris, qua sordidius atque incomptius vix quidquam est.

A pastoris vestibus primum occurrit ילקוט *jalkut*, id est, *mantica*, seu *pera*; quæ disertè censetur inter vasa pastorum 1. *Sam.* 17, 40. A Verbo לקט *lakat*, id est, *colligere*, *pera* dicitur ילקוט; quòd in ea viaticum, & quidquid necesse est, pastor colligit. Unde est, quòd *Graeci* Interpretes συλλογὴν reddunt. A voce *jalkut Graeca* lingua, mirâ literarum trajectione,

θύλακα fecit, & θύλακον, & θυλάκιον. Pro ילקוט jalkut, *Arabs* habet مخلاة *michla*; & *Chaldaeus*, & *Syrus* ܬܪܡܝܠܐ *tharmil*, aut ܬܪܡܠܐ *tharmal*. Et illud quidem propriè *peram cibariam* sonat. Fit enim à خلا *chela*, id est: *pabulum*, *cibus*, ut *Graecè* χιλός. Idem esse *Chaldaeum* תרמיל *tharmil*, patet ex *Ruth.* 2. *vers.* 18. ubi *Thargum*, *Et protulit* מן תרמילא *ex tharmila*, *& dedit ipsi cibum suum*. Et fortè est *Graecae* originis. *Graecè* enim ἀρμαλιά est τροφή, *cibus*, *alimentum*. Vox occurrit in *Hesiodo*, in veteri *Epigrammate*, in *Hesychio*, *Suidâ*, *Tzetze*, *Etymologico*, &c. Itaque, servili *Thau* praefixâ, *Syros*, & *Chaldaeos* putaverim inde fecisse תרמלא pro *pera cibaria*.

Est & עטין *atin*, vas ποιμενικὸν, si *mulctrale* rectè redditur: sed, quamvis id sequantur *Lexicographi* ferè quotquot sunt, & Scripturae interpretes plerique recentiores, tamen, ut mollissimè dicam, versio est valde incerta. Vox alibi non occurrit, quàm in his *Jobi* 21. *vers.* 24. עטיניו מלאו חלב, quae hodie sic redduntur, *Mulctralia ejus lacte plena sunt.* Sed veteres multo aliter. *Graeci*, Τὰ ἔγκατα αὐτοῦ πλήρη στέατος. Et hos sequutus *Hieronymus*, *Viscera ejus plena sunt adipe.* Nempe, pro עטיניו legerunt בטיניו, id est, *intestina ejus*, à voce בטן, quae *ventrem* sonat: & חֵלֶב *cheleb*, id est, *adipem*, pro חָלָב *chalab*, id est, *lacte*; iisdem literis, sed diversis Vocalibus. Ita etiam *Syrus*, & *Arabs*; nisi quod, pro עטיניו, ille habet ܓܒܘܗܝ hic جوانبه *latera ejus*, id est, עטמיו, quomodo eos legisse puto. Nam haec scriptura ad nostram proximè accedit: & עטם *Hebraeis* est *latus*. Vox in *Talmude* occurrit, & in secundo *Thargum* Esther 1. vers. 2. ubi עטמיה דימינא legas pro *latere ejus dextro*, & עטמיה דשמלא pro *latere ejus sinistro*. In nonnullis editionibus litera initialis est *Aleph*, sed in aliis *Ajin*; quae literae sunt valde permutabiles. At, his posterior, *Chaldaeus* עטיניו neque *viscera*, neque *latera*, sed ביזיו *ubera ejus* reddit prope coactus. Scripsit enim post *Masorethas*, qui quod vetustiores חֵלֶב *cheleb*, id est, *adipem*, legerant, Vocalibus additis, legi voluerunt חָלָב *chalab*, id est, *lac*. Unde nata est illa versio, *Ubera ejus lacte plena sunt*; quia humani corporis nulla pars lacte turget praeter ubera. Atque id, ex *Hebraeis*, sequuntur *R. Moses Bar Nachman*, *R. Levi*, *R. Abraham Peritsol*, &c. Sed alii cautiores, cùm ex hac versione ubera lacte plena viro tribui animadvertissent, in varia se verterunt, ut vitarent hoc incommodum. *R. Selomo* observat מעטן vocari *trapeti cupam*, *in qua oliva reponuntur*, *ut ex iis exprimatur oleum*. Unde colligit, *viri succum*, & *adipem*, & *pinguedinem* עטין vocari: quod est ineptissimum. Quis enim sic loquentem ferat, *Adipes ejus lacte implentur?* *R. Jonas* ex *Arabismo* עטינים exponit *loca*, *in quibus aqua*, *& alia congregantur*. Et *Aben Ezra* המקום שיברכו עליו הגמלים על המים, *locum*, *in quo cameli genu flectunt ad aquas*. Atque hic quidem verè. *Alcamus*, العطن وطن الابل ومبركها حول الحوض ومربض الغنم حول الماء *Alatan*, *stabulum cameli*, *& locus*, *in quo genu flectit prope piscinam*; *& locus*, *in quo oves ad aquas jacent*. Ibidem, عطنت الابل رويت ثم بركت Sensus est, *atana verbum de cameli foemina dici*, *qua*, *post quam bibit ad saturitatem*, *flectit genua*. Et *Abenbitar* in libro *De animalibus*, capite القراد *Alcorad*, seu *De ricino*, القردان منتشرة في اعطان الابل *Ricini dispersi in camelorum stabulis*. Et in capite المعز id est, *De capris*, العطن idem explicat المرابض *loca*, *in quibus caprae jacent*. Sed haec nihil ad *Jobi* locum. Superest igitur *Kimchii* locus, quo unico nituntur, qui עטין *mulctrale* exponunt. Is sic habet, יש מפרשים הכלים שחולבין לתוכן ואין בזה יתרון עושר תרגלה אלא דמה כי ירצה לומר הכלים גדולים *Sunt*, *qui exponunt vasa mulctralia*: *sed in eo non est opum abundantia*, *& amplitudo* (si quis dicatur mulctralia habere lacte plena) *itaque videtur velle innuere majora vasa*. Vides, lector, quisquis es, quam cunctanter haec ille afferat, & ex ignotis auctoribus, quos ne nominare quidem dignatur, & ex parte refellit. Non erat igitur, cur tot interpretes, hoc uno auctore freti, עטין *mulctrale* exponerent. Maximè, cùm ad *Jobi* verba non satis quadret haec versio: quam si sequimur, sic habebit versus integer, *Mulctralia ejus sunt plena lacte*, *& medullâ ossa ejus irrigantur*. Quae duo hemistichia non erunt ἀντίστιχα, ut solent esse *Jobi* carmina, id est, sibi invicem ita respondentia, ut unum ex altero possit explicari. Quippe mulctralia cum ossibus, & lac pecuinum cum medulla nostrorum ossium commune nihil habent. Proinde, ne jungantur ἀσύγκλωστα, statuendum עטיניו partes esse nostri corporis, ut עצמותיו, *ossa ejus*, in sequente hemistichio. In qua fuisse sententia veteres omnes jam probavimus. Utut enim in diversa abeant, cùm alius *viscera*, alius *ubera*, alius denique *latera ejus* interpretetur: tamen hoc commune habent, quod humanum aliquod membrum volunt hac voce designari. Porro tres illae versiones si inter se conferantur, *Syrus* & *Arabs*, qui *latera* exponunt, videbuntur merito suo aliis praeferendi. *Chaldaeum* enim quis ferat ubera lacte plena viro tribuentem? Sed, ut jam ante monuimus, illum eò adegit *Masorethica* lectio, quae hic habet חָלָב *lac*, pro חֵלֶב *adipe*. Quo modo cur legerint vetustiores, hanc habuerunt rationem non contemnendam, quod voci חלב respondet מח, id est, *medulla*, in altero hemistichio. In Scriptura porro non sunt Synonyma *medulla*, & *lac*, sed *medulla* & *adeps*. Sic *Esa.* 25. *vers.* 6. *Faciet Dominus convivium* שמנים ממחים *pinguium medullatorum*. Proinde חֵלֶב, *adipem*, veteres quandoque *medullam* reddunt. Tale in *Graeca* & *Vulgata* versionibus μυελὸς τῆς γῆς, *medulla terrae*, Genes. 45. v. 18. *medulla olei*, *& vini*, Num. 18. v. 12. *medulla tritici*, Deut. 32. v. 14. pro חֵלֶב, quod in *Hebraeo* est. Omnino igitur vel, cum *Graecis*, עטיניו vertendum *viscera ejus*; vel, cum *Syro*, *latera ejus adipe plena sunt*. Sed est, cur *latera* malim. Cùm utrique a recepta *Hebraea* textus lectione nonnihil recesserint (nam, pro עטיניו, *Graecos* בטיניו, & *Syrum* עטמיו legisse supra (e) docuimus) *Syrus* multo minus recedit. *Graeci* enim pro *Ajin* initiali *Beth* legerunt, quae sunt literae multum dissimiles. At *Syrus*, pro *Jod*, & *Nun*, legit *Mem*; quae mutatio levissima est, & ferè nulla: saltem in scriptura *Rabbinica*, qua *Mem* videtur ex *Jod*, & *Nun* esse conflatum. Praetereà, latera, cùm sint partes osseae, similiora sunt ossibus, de quibus agit posterius hemistichium. Proinde, donec meliora suppetant, *Syrae*, & *Arabicae* hujus loci versioni primas dabimus.

(e) Pag. 457. lin. 24.

Pastorum arma sunt virga, & pedum; &, quibus eminus pugnant, arcus, sagittae, fundae, lapides, *&c.* *Virga*, seu *pedum*, quandoque מקל *makkel*, dicitur: ut 1. *Sam.* 17. *v.* 40. *Et sumpsit* מקלו *pedum suum in manu sua*, de *Davide* tum pastore. Et *Zach.* 11. *v.* 7. *Assumpsi mihi* שני מקלות *duplex pedum*, *& pavi pecora*. Tamen in genere מקל *makkel*, est *baculus quivis*, *quo nitimur*, ut *Gen.* 32, 10. *Exod.* 12, 11. &c. Alludit *Arabum* مكن *maccana* in *firmandi* significatione. Nam, ut *Koph*, & *Caph*,

Caph, ita *Lamed*, & *Nun* sunt literæ permutabiles. Unde est, quod *Michaelem Arabes* ميكاين *Michain* vocant.

Aliud est *virga*, seu *baculi* generale nomen שבט *scebet*, Græcè σκῆπτρον, seu σκῆπτρον quod pro *pedo* nonnunquam occurrit; ut *Psal.* 23. *v.* 1. 4. *Dominus est pastor meus*, &c. שבטך ומשענתך ינחמני *Pedum tuum, & baculus tuus me consolantur.* Et *Mich.* 7. *v.* 14. *Pasce populum tuum* בשבטך *pedo tuo, oves possessionis tuæ.* Hinc explicatur locus obscurus *Levit.* 27. *vers.* 32. *Et omnis decima bovis, & pecoris, omne, quod transit* תחת השבט *sub virga, decimum ejus erit sanctitas Domino.* In quem *R. Selomo*, *Cùm ad decimationem procedunt, per ostium educuntur* (pecora decimanda) *unum post aliud: & decimum virgâ percutitur tinctâ* בסקרא *syrico* (seu *minio*) *ut sciatur hoc ad decimam pertinere: quomodo quotannis fit tam de agnis, quam de vitulis.* Nos agi non putamus de virga decimatoris, sed de pastoris pedo, quomodo multi sumunt. Ita *Syrus*, *Quidquid transit sub virga pastoris.* Et *Arabs*, quem in *Succia* vidi manuscriptum, ما يجوز تحت عصا الراعي *Quod transit sub virga pastoris.* Et *Vulgatus*, *Quæ sub pastoris virga transeunt.* *Aben Ezra* quoque hic habet שבט הרועה, *virgam pastoris.* Nempe sub virga pastoris transibant armenta, & greges, quoties illorum numerus subducebatur. Unde *Septuaginta* hoc ipso loco, Πᾶν, ὃ ἂν διέλθῃ ἐν τῷ ἀριθμῷ ὑπὸ τὴν ῥάβδον· *Quidquid in numero* (id est, *inter numerandum*) *sub virga transit.* Numeratur autem pecus ab iis, qui accurati sunt, manè, & vesperi, & *dum vadit ad pascua, & dum inde revertitur*; ut habet *Servius* in illud *Poetæ Eclogâ* tertia,

Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hœdos.

Sed maximè sub vesperam, cùm è pastu reducitur. *Theocritus Idyll.* 8.

- - τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι,

Oves autem vesperè semper omnes numerant. Virgilius *Ecloga* sexta,

Cogere donec oves stabulis, numerumq; referre
Jussit, & invito processit vesper Olympo.

Et *Georgicorum* libro quarto, ubi de *Proteo* phocas numerante,

Ipse (velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi è pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisq; lupos acuunt balatibus agni)
Considit scopulo medius, numerumq; recenset.

Calphurnius Ecloga tertia,

- - *quot nostri numerantur vesperè tauri.*

Quò *Jeremias* respiciens capitis trigesimi tertii versu decimo tertio, *Adhuc*, inquit, *transibunt oves* על ידי מונה *per manum numerantis*, id est, per pastoris manum, qui eas numerabit. Nam versu proximè præcedente dixerat, *Tuguria pastorum erant oves stabulantium.* Porro *sub virga transire* dicuntur oves, quæ numerantur; quia in ovile ingredientes, ut suspicamur, singulas pastor extremâ virgâ tactas, præsente domino, aut villico, recensebat. Ad eundem ritum palam alluditur his Dei verbis ad *Israelem* suum *Ezech.* 20. 27. *Et vos transire faciam sub virga, & inducam vos ad vinculum fœderis.* Quod ita exponit *Kimchius*; *Quomodo legitur* Levit. 37. v. 32. "Omne, quod transit sub virga, *quasi dicat, Ut qui numerat oves manu sua, virgam capit, quâ singulas numerat, & decima in decimationem cedit, ita vos numerabo. & peccator peribit* (*Hebraicè* יהודו יאבד nullo sensu, sed legendum והחוטא) Ego verò non puto Prophetam eam pecoris enumerationem respicere, quæ fit ab exactore decimæ, sed eam, quæ à pastore fit: ut doceat Deus se populi sui eandem curam gerere, quam gregis bonus pastor, ita ut omnes suos, ac si sub pastoris virga transeant, accuratè recenseat, & recognoscat. Proinde sequitur, *Et inducam vos ad vinculum fœderis*, id est, Novo fœdere me vobis; & vos mihi devinciam.

Præter virgam, seu pedum, sunt & alia pastoribus arma, quibus eminùs pugnant, si res postulat; tela, & sagittæ putà. *Virgilius* lib. 3. *Georgicorum*,

- - - - - - - - *omnia secum,*
Armentarius Afer *agit, tectumq;, laremq;,*
Armaq;, Amyclæumq; *canem*, Cressamq; *pharetram.*

Et lib. 4. *Æneidos*,

- - - *qualis conjecta cerva sagitta,*
Quam procul incautam nemora inter Cressia *fixit*
Pastor agens telis, liquitq; volatile ferrum.

Ita pastor *David*, in *Goliathum* depugnaturus, præter pedum, fundam etiam sumpsit, & lævigatos quinque lapides, quos in pera gestabat. Et horum uno gigantem in fronte percussum prostravit, & solo allisit. *Hebræi*, sæpe nugaces, quærunt apud *Kimchium*, qui potuerit lapis, ex funda excussus, cataphracti, & galeati gigantis frontem attingere? Et propositam quæstionem ita solvunt, *Cùm* Goliatho *dixit* David, "*Dabo carnem tuam avibus cœli: ad avium mentionem* Goliath *sursum aspexit, ita ut frontale ejus in posteriora deciderit, quo ipso momento* David, *excussa funda, eum in fronte percussit.* Sed nihil opus tot ambagibus. Galeæ pars ἐπισθάλμιον aliquid habet apertum, unde prospicit qui galeatus est (*visieram* appellamus; *Chaldæi*, & *Syri* *domum oculorum*) in eam partem lapis impactus *Goliathi* frontem feriit, unde *Chaldæus*, ומחא ית פלשתאה על בית עינוהי ושקעת אבנא בבית עינוהי *Et Philistæum percussit ad domum oculorum ejus, & immersus est lapis in domum oculorum ejus.* Nec *Syrus* multò aliter. *Josephus Antiq.* lib. 6. cap. 11.) & *Suidas* (voce Καρωθεὶς) lapidem dicunt fronti allisum ad cerebrum usque penetrasse, & gigantem καρωθέντα, *veterno correptum*, in faciem pronum cecidisse. Quod fabulatur *Comestor*, *Philistæum* nonnisi tertio lapidis jactu fuisse prostratum, sumptum est ex spurio *Psalmo* CLI. quem ad tres Pentecontadas nonnulli impostores in fine *Psalterii* addiderunt. Eum in *Æthiopica*, & *Arabica Psalmorum* versionibus reperias *Romæ* procuratis Annis 1513. & 1619. & in *Syro-Arabica*, quæ *Romæ* etiam edita est *Syris* characteribus, & in *Apollinaris Paraphrasi* sæpe cusa, & recusa. Illius porro *Psalmi* versu septimo de *Philistæo* dicit *David* in *Arabica* editione Anni 1619.

قرميته بثلثة احجار في جبهته بقوة الرب

Et prostravi eum tribus lapidibus in fronte ejus in virtute Domini. Quæ tamen in *Syro-Arabica* desunt, & in *Apollinari.* Et verò sunt apertè falsa, & Sacro textui palam adversantur, atque ideò in plerisque editionibus sunt omissa. Sed fabulæ occasionem dedit, quod 1. *Sam.* 17. *v.* 49. 50. ter idem repetitur ἐπὶ αὐξήσεως. *Et manum immisit* David *in peram* 1 *& inde sumpsit lapidem, quo funda jacto* Philistæum *in fronte percussit.* 2 *Et lapis in frontem penetravit*, &c. 3 *Et* David *funda, & lapide*, Philistæo *prævaluit, &* Philistæum *percussit, & interfecit.* Atque hic quidem se prodidit *Davidis* industria, & robur. Sed longè magis eminuit Dei virtus, qui hanc fiduciam in *Davidis* animum inspiravit, viresque ei dedit, peritiamque jaculandi, & in re tanta successum supra omnem spem. Neque hunc lapidem minus direxit, quam lapidem, quo (f) *Abimelech*; & telum, quo (g) *Achab* cæsus est; & ferrum, quod, è lignatoris securi elapsum, in (h) prætereuntem impingitur. Pha-

f) *Iud.* 9. 53. 56. 57.
g) 1. *Reg.* 22. 34. 38.
h) *Eccl.* 21. [illegible] *Deut* 19. 5.

Phœnices alibi docuimus insignes fuisse funditores, atque ex iis hanc artem ad *Baleares*, atque alios populos devenisse. Unde est, quòd *funda habenam* ab *Hebraea* voce קלע *Graeci* κολὲν appellant.

Jam ad pastorum Musicam me vocat *Davidis* cithara, *Hebrais* כנור *cinnor*; unde *Gracè* κινύρα, quam *Josephus* ita describit *Antiq.* lib. 7. cap. 10. Ἡ μὲν κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ. *Cinyra quidem, decem chordis instructa, plectro pulsatur*. Proinde dubito, an כנור *cinnor*, rectè reddatur *cithara*, quam auctor Epistolæ ad *Dardanum* sub *Hieronymi* nomine in modum *Delta* literæ, id est, triangularem describit, cum chordis viginti quatuor, quæ per digitos *Pindari* variis vocibus tinnulis ictibus diversis modis concitentur. Utut sit, narratur *David* 1. *Sam.* 16. v. 13. hoc instrumentum arte tanta pulsavisse, ut *Saulis* furorem & vesaniam compescuerit. Cujusmodi vires Musicæ tribuunt multi veteres. Quippe, ut de *Orpheo* & *Amphione* taceam, de quibus ea referuntur, quæ vel apertè fabulosa sunt, vel in mysticum sensum trahenda, quod ita facit *Horatius De Arte Poetica*,

> *Sylvestres homines sacer interpresq́; Deorum*
> *Cædibus & victu fœdo deterruit* Orpheus,
> *Dictus ab hoc lenire tigres, rapidosq́; leones.*
> *Dictus &* Amphion, Thebanæ *conditor arcis,*
> *Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ*
> *Ducere quò vellet.* - - - - - -

Hæc, inquam, ut taceam, en de Musicæ vi in corpora, & animos plurima, quæ Historicâ, non Poetica fide constant. Cùm *Sparta* seditionibus laboraret, *Lacedemonii*, oraculi monitu, *Terpandrum* Musicum è *Lesbo* accersiverunt, qui Musica sua ἡρμοσεν αὐτῶν τὰς ψυχὰς, καὶ τὴν στάσιν ἔπαυσεν, *ipsorum animos delinivit, & seditionem sedavit*. Unde natum est Adagium, Μετὰ Λέσβιον ᾠδόν de quo *Suidas*, & *Zenodotus*. Sed & *Clinias Pythagoraeus*, si quando ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, τὴν λύραν ἁρμοσάμενος ἐκιθάριζε, *lyram adaptatam pulsabat*. Quod cur faceret rogatus respondit, Πραΰνομαι, *mitigor*. Hæc *Ælianus* in *Variis* lib. 14. cap. 23. & *Athenaeus* lib. 14. cap. 5. ex *Chamaeleonte Pontico*. *Homericus* quoque *Achilles* τῇ κιθάρᾳ κατεπραΰνετο, *cithara demulcebatur*: quod idem ibidem observat. Et apud *Marinum Proclus* hymnos subinde cani jubebat, καὶ λεγομένων τῶν ὕμνων, πᾶσα εἰρήνη τῶν παθῶν ἐγίγνετο, καὶ ἀταραξία, *& recitatis hymnis, pax, & tranquillitas summa erat in affectibus*. Quale est, quod *Apollonii Mirabilium* capite quadragesimo octavo citatur *Theophrasti* locus ex libro *De Enthusiasmis*, quo docet τὴν μουσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γινομένων παθῶν ἰατρεύειν, καθάπερ λειποθυμίας, φόβους, καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῆς διανοίας ἐκστάσεις· ἰᾶται γάρ, φησιν, ἡ καταύλησις ἰσχιάδα καὶ ἐπιληψίαν, *Musicam multis animi & corporis morbis mederi, ut animi deliquio, pavoribus, & mentis abalienationibus, qua diu duraverunt: quin tibiarum concentum morbum ischiadicum, & comitialem sanare addit*. *Gellius* quoque libri quarti capite tertio, *Creditum hoc à plerisq́; est, & memoria mandatum, ischiaci, cùm maximè doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores*. Item, *Ego nuperrimè in libro* Theophrasti *scriptum inveni viperarum morsibus tibicinem scitè modulatèq́; adhibitum mederi*. Et de *Democrito* ibidem, *Docet plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum: tanta prorsus est affinitas corporibus hominum, mentibusq́;, & propterea quoq; vitiis, aut medelis animorum, & corporum*. Et *Hermogenes* libro *De Ideis*, post historias de *Timotheo*, qui *Alexandrum* tibiis ad iram concitabat, & *Lacedemoniis*, qui, πρὸς τὸν ἐμβατήριον τῶν αὐλῶν ῥυθμόν, *ad embaterium tibia sonum*, in hostes ferebantur: *Ajunt*, inquit, *Pythagoraeos, si quando affectus ipsis concitarentur, aut alios viderent iis correptos*, διά τινος ἐν αὐλοῖς, τι, καὶ κιθάραις ῥυθμοῦ, μετάγειν ἐπὶ τὸ ἡμερώτερον τὴν ψυχήν, *per tibiarum, & cithara modulos, animum ad mitiorem statum reducere*. Idem ex *Iamblicho Pythagoram* subjicit juvenis cujusdam, cum lampade, & tibicina noctu grassantis, & domum combusturi, petulantiam coercuisse, παρακελευσάμενον τῇ αὐλητρίδι μεταβαλεῖν τὸν ῥυθμὸν ἐπί τι καταστηματικώτερον μέλος τὸ καλούμενον σπονδεῖον. Quod, ex antiquioribus desumptum, ita expressit *Quintilianus* libri primi capite decimo, *Pythagoram accepimus concitatos ad vim pudica domus afferendam juvenes, jussâ mutare in spondæum modos tibicine, composuisse*. Simile est, quòd, cùm protervus quidam adolescens cædem esset admissurus, *Empedocles*, ἀνακρουσάμενος τι καταστηματικὸν τῇ κιθάρᾳ μέλος, ἣν ἔτυχε μετὰ χεῖρας ἔχων, διεκώλυσε τὸν φόνον γενέσθαι, χαλάσας τὴν ταραχὴν τοῦ θυμοῦ μαλθακωτέρῳ ῥυθμῷ, *citharâ, quam fortè manu habebat, sedatiorem concentum modulatus prohibuit, ne cædes perpetraretur, adolescentis animo per pacatiorem modulum sedato, & delinito*: quod in eodem *Hermogene* legere est. Multa hujusmodi habentur *Martiani Capellæ* libro nono, in quo de se ipsa *Musica* hæc inter cætera dicit; *Perturbationibus animorum, corporeisque morbis, medicabile crebrius carmen insonui. Nam phreneticos symphoniâ resanavi. Quod* Asclepiades *quoque Medicus imitatus, cùm consulentibus urbium patribus plebis incondita vulgus infremeret, seditionès accensas crebrior cantus imbibuit. Ebrios juvenes, perindeque improbiùs petulantes*, Damon, *unus è sectatoribus meis, modulorum gravitate perdomuit. Quippe tibicinem spondæum canere jubens temulentæ perturbationis dementiam infregit. Quid afflictationibus corporis nonne assiduâ meditatione succurri? Febrem curabant, vulneraque, veteres cantione*. Asclepiades *item tubâ surdissimis medebatur. Ad affectiones animi tibias* Theophrastus *adhibebat. Ischiadas quis nescit expelli aulicâ suavitate?* Xenocrates *organicis modulis lymphaticos liberabat*. Thaletem Cretensem *citharæ suavitate compertum est morbos ac pestilentiam fugavisse*. Hierophilus *ægrorum venas rhythmorum collocatione pensabat*. Hinc apud *Philostratum* libri quinti, capite septimo, *Canus*, ætatis suæ tibicinum præstantissimus, roganti *Apollonio* respondit, *Se quidquid vellet Musicâ suâ posse præstare: facturum*, scilicet, τὸν λυπούμενον μὲν κοιμίζεσθαι αὐτοῦ τὴν λύπην ὑπὸ τοῦ αὐλοῦ· τὸν δὲ χαίροντα ἱλαρώτερον ἑαυτοῦ γίγνεσθαι· τὸν δὲ ἐρῶντα θερμότερον· τὸν δὲ φιλοθύτην, ἐνθεώτερόν τι, καὶ ὑμνῳδὴν, *ut mœrenti à tibia mœror sopiatur, lætus verò se ipso reddatur hilarior, & qui amat calidior, & qui sacris addictus est in Dei cultum, & laudes fiat pronior*. *Sozomeni* libri septimi capite vigesimo tertio *Theodosium* Imperatorem *Antiochenis*, ob statuas ipsius à populo dejectas, meritò infensum, eadem arte demulsit *Flavianus*: *Persuasit nimirum iis juvenibus, qui ad regiam mensam canere solebant, ut eas canerent cantilenas, quæ in* Antiochensium *supplicationibus erant*. Quo facto, λέγεται φιλανθρωπίᾳ διαχυθέντα τὸν βασιλέα κρατηθῆναι τῷ ἐλέῳ, καὶ αὐτίκα τὴν ὀργὴν ἐκβαλεῖν, καὶ συνδιαλλαγῆναι πρὸς τὴν πόλιν, δάκρυσι βρέξαντα τὴν φιάλην, ἣν ἔτυχε κατέχων *Imperatorem ajunt humanitatis affectu perfusum, & misericordiâ victum, statim iram deposuisse, & urbi reconciliatum fuisse, patera, quam fortè tenebat, lachrymis irrigata*. Quin si lubet ad inferiora descendere, *Albertus Kramzius, Daniæ* suæ libri quinti capite tertio, Musicum quemdam narrat, qui cùm cithara sua quoscunque vellet excitaret affectus, jussus à Rege artis specimen edere, paruit, licet invitus: *Et primùm gravi sono mœrorem quendam audientibus ingerebat; inde succinendo plausibiliùs in lætitiam vertit, ut paulum abesset, quò minus jocabundi dissultarent. Tum, modis acrioribus intentatis, indignationem quandam concitabat, qua ubi invaluit, furere Regem, astantesq;

tesque, cernere erat. Jam quis nescit à Tarantula demorsi, quæ est phalangii species in *Apulia*, quàm graviter afficiantur. *Aliqui*, inquit *Scaliger*, *sopore occupantur, sed non pauciores perpetuis vigiliis distrahuntur: alii flent, alii risu diffunduntur: quidam currunt; nonnulli inertes sedent: sunt, qui sudent, qui vomant, qui insaniant.* Tot porro affectus, & tam varios, Musicâ sedari compertum est. Quod disertissimis verbis asserunt αὐτόπται testes, idem *Scaliger* (in *Cardanum Exercitat.* 185.) *Alexander ab Alexandro* (*Genialium dierum* lib. 2. cap. 17.) *Matthiolus* in *Dioscoridem* (lib. 2. cap. 57.) atque alii, quorum hac in parte fides nulli debet esse suspecta. Itaque ex tot exemplis constat omnino Musicam in animos hominum tam multum posse, ut & mœrore dejectos erigat, & irâ exasperatos mitiget, & metu consternatos confirmet, & alio quovis affectu perturbatos intra rectæ rationis limites coërceat. Unde *Cassiodorus* (*Var.* libro 2. *Epist.* 40.) rudi quidem oratione, sed verâ: *Tristitiam noxiam jucundat: tumidos furores attenuat: cruentam sævitiam efficit blandam: excitat ignaviam, soporantemque languorem: vigilantibus reddit saluberrimam quietem: vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem: sanat mentis tædium, bonis cogitationibus semper adversum: perniciosa odia convertit ad auxiliatricem gratiam: & quod beatum genus curationis est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones.*

At *Saülem*, inquies, non perturbabant proprii affectus, sed malus Dæmon exagitabat, in quem Musica nihil potest. Neque enim inani sono, sed (i) *jejunio, & oratione* Dæmon pellitur. Sunt, qui Dæmonem à *Davide* pulsum respondent, non vi Musicæ, sed piarum cantionum, Psalmorum putà, & orationum, quas canebat super citharam. Atque id quidem verum est, *Davidem* citharam suam non turpibus cantilenis, sed sacris canticis destinâsse, & consecrâsse, quod liber *Psalmorum* abundè docet. Tamen hoc certum, servos *Saülis*, id est, Medicos ægro adstantes, de materia cantûs parum sollicitos, hoc solum quæsivisse, ut vocaretur peritus κιθαριστὴς, qui Regem, à cacodæmone divexatum, arte sua recrearet, & liberaret. Proinde Sacerdotem, aut Prophetam non postulant, sed Musicum. Itaque in ipsa Musica putaverunt aliquid esse, quod Regi esset levamento, & spei respondit successus. Aliter ergo respondendum, nempe Musicam, quæ res est corporea, per se nihil posse in Dæmonem, qui spiritus est: tamen aliquid posse per accidens; quia, mitigatis affectibus, per quos in animos nostros Diabolus se insinuat, & mœrore, aut furore pulso, aut si quid aliud sit, quo in perniciem nostram humanæ salutis hostis abutatur, etiam ipse pellitur. In hanc rem diserta sunt *Pauli* verba (*Ephes.* 4. *vers.* 26. 27.) *Sol ne occidat super iracundiam vestram, ne detis locum Diabolo.* Ex iis enim patet per inordinatos affectus (præcipuè si sint vehementes, qualis *ira*, quæ *furor brevis est*) aditum patere Diabolo. Diabolus igitur excluditur ea arte, qua hi affectus demulcentur. Exemplo sint radii Solis, qui neque gladio secari, neque flatu extingui, neque ullo conatu averti queunt, ita ut verè dicatur, nos in eos nihil posse. Radios tamen, clausâ fenestra, ex cœnaculo excludimus. Ita, quamvis Musica in Dæmonem directè nihil possit, eum tamen excludit, obstructo aditu, quo animorum arcem invadit. Denique Musica malum spiritum eodem modo abigit, quo bonum accersit. Bonum autem spiritum accersit, dum perturbatum animum pacat, & pia voluptate permulcet, ne in mente nostra quidquam sit, quod Sanctum Spiritum repellat, aut resistat ejus inspirationibus. Unde est, quòd *Elisæus* fidicinem jussit advocari, quo pulsante fieret idoneus ad oracula fundenda. *Et, dum fides pulsabat fidicen, super eum fuit manus Domini*, 2. Reg. 3. vers. 15. *Lunaticus* vocatur, qui dæmonium habuit, *Matth.* 17. v. 15. 18. quia idem Lunæ erat obnoxius, id est, morbo, qui Luna crescente intendebatur. Quo morbo ita aucto à Diabolo arripiebatur. Itaque, si Medicus morbum illum sanâsset, is ægrum eâdem opera à Dæmone liberâsset. Quidni pari ratione Musicus, *Saülis* animum mitigando, potuerit illum ab eo spiritu liberare, cui vesania sua locum dederat? Sed & *Davidem* agnoscendum est aliquid habuisse supra communem hominum sortem, & extraordinariam Musicæ peritiam huic pastori Deum indulsisse, ut sic illi viam ad majora paulatim præstrueret, ut ex eventu apparuit.

(i) *Matt.* 17, 21

Quin ex Scriptura illum discimus non solum citharam arte mirâ pulsavisse, & sacras illas conciones composuisse, quas hodieque canit *Christianus* orbis universus, sed & instrumenta Musica ipsum excogitâsse, & fabricâsse. Ita enim *Amos Propheta*, capitis sexti versu quinto, de sui ævi trossulis, *Qui nablio numeros modulantur*, & כדויד חשבו להם כלי שיר *ut David instrumenta Musica sibi excogitaverunt*, aut, juxta *Chaldæum*, אתקנו *aptaverunt, fabricaverunt.* Unde fortasse pseudo-*Psaltes*, *Psal.* 151. in editione *Syriaca*,

ܟܕ ܪܥܐ ܗܘܝܬ ܥܢܐ ܕܐܒܝ ܐܝܕܝ ܥܒܕ ܘ
ܐܪܓܢܘܢ ܘܨܒܥܬܝ ܠܟܢܪܐ ܩܢܝ *Me pascente oves patris mei, manus meæ fecerunt organum, & digiti mei citharam compegerunt.* Nec multò aliter *Arabs*, & *Æthiops*. Et *Apollinaris* in *Paraphrasi*,

Εἰροπόκων οἴων ἀγέλας ἀγροῖσι νομεύων,
Χεῖρες ἐμαὶ φόρμιγγα λιγύθροον ἐντύναντο,
Δάκτυλα δ' ἁρμονίην θεόφρονα τεχνήναντο.

Citharam quidem, & alia quædam Musica instrumenta, non solum ante *Davidem*, sed & ante diluvium invenerat *Caini* trinepos *Jubal*, *Gen.* 4. v. 21. Sed potuit *David* inventis addere, & in pastorali otio multa excogitare, quibus ars dudum inventa magis ac magis excoleretur. Ita *Græci* quoque Scriptores Musicæ inventionem ad pastores referunt. *Apollo* enim citharæ repertor, ut quidem volunt, Regis *Admeti* greges per novennium pavisse fertur. Et lyra *Mercurii*, fistula *Panis* inventum est, quorum uterque pro Deo pastorum cultus est. Et de tibia sic *Lucretius* libro quinto,

Inde minutatim dulces didicêre querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Avia per nemora, ac sylvas, saltusq; reperta,
Per loca pastorum deserta, atq; otia dia.

Et *Nicander* lib. 1. ἑτεροιουμένων de *Terambo Meliensi* pastore ad *Othrys* montis radices; Ἐγένοντο δὲ αὐτῷ θρέμματα πλεῖστα, καὶ αὐτὰ ἐποίμαινεν αὐτὸς, νύμφαι δὲ συνελάμβανον αὐτῷ, διότι αὐτὰς ἐν τοῖς ὄρεσιν ᾄδων ἐτέρπεν. λέγεται γὰρ μουσικώτατος τῶν τότε γενέσθαι, καὶ ἐπὶ βουκολικοῖς ᾄσμασι διαβοηθῆναι, καὶ σύριγγα ποιμενικὴν ἐν τοῖς ὄρεσι συνθεῖναι, καὶ λύρᾳ πρῶτος ἀνθρώπων κεχρῆσθαι πλεῖστά τε, καὶ κάλλιστα μέλη ποιῆσαι. *Is pecus, quod ei obtigerat copiosissimum, ipse pascebat, adjuvantibus Nymphis, eò quod illas ipse canendo oblectabat. Fertur enim sua ætatis hominibus arte Musicâ præcelluisse, & Bucolicis carminibus celeberrimum fuisse, & pastoralem fistulam in montibus composuisse, lyraq; primus hominum usus esse, multasq;, & pulcherrimas cantiones edidisse.* Neque sæculis posterioribus Musicam neglexisse pastores, *Idyllia Theocriti* docent, *Virgilii*que, *Calphurnii*, & *Nemesiani Ecloga*, in quorum plerisque pastores inter se de peritia cantûs magnâ contentione decertant. Proinde pastores ἀγραυλοῦντες, de quibus *Lucas* supra, *Theophylacto* sunt pastores ἀγροτικὸν αὐλοῦντες, id est, *rustico more tibiâ canentes.* Nam utut fistula maximè, tamen etiam tibiâ delectabantur pastores illius ævi. Hinc *Theocritus Idyll.* 6.

Αὔλει Δαμοίτας, σύρισδε δὲ Δάφνις ὁ βώτας,
Tibia Damœtas, & *fistula canebat* Daphnis *bubulcus.*

Et

Et *Idyll.* 7.

Αὐλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες,

Tibiâ verò cantabunt mihi pastores duo. Et in *Bucolisco* pastor quidam,

Ἁδύ δέ μοι τὸ μέλισμα. κἢν σύριγγι μελίσδω,
Κἢν αὐλῷ λαλέω, κἢν δώνακι, κἢν πλαγιαύλῳ·

Dulce meum carmen est, & cum fistula modulor, & cum tibia cano, & calamo, & obliquâ tibiâ. Et pastor *Damon* apud *Poetam Eclogâ* octavâ,

Incipe Mænalios *mecum mea tibia versus.*

Et in *Nemesiano Tityrus, Eclogâ* primâ,

Dicat honoratos predulcis tibia manes.

Hinc *Anthologiæ* libri sexti capite vigesimo quarto,

- - - - - Αὐλὼς
Πανὶ Μελίσκος, &c.

tibias Pani consecrat *Meliscus* pastor. Tibiam denique à pastoribus fuisse repertam nos docuit jam modo *Lucretius*. Tamen ad tibiæ cantum pertinere haud quaquam puto, quòd ἀγραυλοῦντες dicuntur ii pastores, qui *Christum* adoraverunt; quia hæc non cohærerent, *Pastores tibiâ canebant, & noctis vigilias servabant in greges suos.* Neque ad scriptoris scopum id observâsse pertineret. Tum, utut pastores soleant

- - - *cantando ducere soles*,

vix ullum cecinisse legas in noctis conticinio, præter *Polyphemum* in *Theocrito*, qui describitur

- - - ἀείδων πολλάκι νυκτὸς ἀωρί.

sæpe canens nocte intempestâ, quod ipsum ad mores barbaros, & *Cyclopicos* pertinet. Præterea, quamvis simplex αὐλεῖν sit *tibiâ canere*, compositum tamen ἀγραυλεῖν *tibiâ rustice canere* nusquam significat, sed, quod suprà (k) diximus, ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι. Neque id ipsum latuit *Theophylactum*, cujus verba sunt, Ἀγραυλοῦντες, τουτέστιν, ἀγροτικῶς αὐλοῦντες, ἢ ἐν τῷ ἀγρῷ αὐλιζόμενοι· Ἀγραυλοῦντες, *id est, rustice canentes, vel in agro cubantes.*

Ad alia properantem remorantur *pastorum tabernacula*, quæ quandoque dicuntur משכנות, ut *Cant.* 1,8. *Pasce capellas tuas* על משכנות הרעים *ad tabernacula pastorum.* Quandoque אהלים, ut 2. *Par.* 14. 15. *Percusserunt etiam* אהלי מקנה *tentoria pecorum.* Et *Es.* 38, 12, *Mea duratio effluxit, & a me translata est* כאהל רעי *ut tabernaculum pastoris.* Et *Jerem.* 6, 3. *Ad eam venient pastores cum gregibus suis, & in illa circumquaque figent* אהלים *tentoria.* Prius est à Radice שכן *sacan, habitare*, unde *Græca* σκηνὴ, & σκηνόω. Posterius ab אהל *ahal, tentorium figere* vel *movere*, unde Nomen אהל *ohel*, Plur. אהלים *oholim*, Græcè αὐλαία, *aulæa, tentoria*. Sub hujusmodi tentoriis semper degisse *Patriarchas* observat *Apostolus* Heb. 11, 9. Qui idem fuit status *Israelitarum* omnium in deserto per annos quadraginta. Proinde servabatur quotannis festum Σκηνοπηγίας, quo, desertis urbibus, & pagis, *Judæi* per septiduum in agris degebant sub tentoriis, juxta Legem, quæ habetur *Levit.* 23, 42. 43. *Sub tabernaculis habitabitis per septem dies. Quisquis in* Israele *indigena est, habitabit in tabernaculis, ut posteri vestri sciant me fecisse, ut in tabernaculis habitarent* Israelitæ, *cum è terra Ægypti eos eduxi.* Itaque in exitu ex *Ægypto* prima *Israelitarum* mansio *Succoth*, id est, *tentoria*, dicta est *Exod.* 12, 37. qui ibi primùm cœperunt sua tentoria explicare. Atque in ipsa terra *Chanaan* multi dominibus tentoria illa præferebant. Unde est, quod toties (l) legas, cum conventus dissolvitur, aut dissipatur exercitus, unumquemque *fugisse*, aut *secessisse in tentoria sua*. Et *Jabel Sisaram* in tentorio suo excepit, & occidit *Jud.* 4, 17. *David* cæsi gigantis arma detulit in tabernaculum suum, 1. *Sam.* 17, 54. *Rubenitæ*, pulsis *Agarenis*, eorum tentoriis occupârunt, 1. *Par.* 5, 10. Et *Recabitæ*, per multa sæcula, sibi nefas esse duxerunt alibi habitare, quam in agro sub tentoriis; quia domos, & urbes, *Recab* pater eis in perpetuum interdixerat, *Jerem.* 35, 7. Et חות יאיר, *villa Jair*, quæ memorantur *Num.* 32, 41. *Deut.* 3, 14. & passim, non videntur quidquam fuisse, quam tentoria in orbem digesta, & collecta. Nam *Arabicè* حوا propriè *pagum* significat *ex tentoriis ita digestis*. Sed, utut tentoriorum usus inter *Judæos* fuerit receptissimus, tamen id agnoscendum est à pastoribus incepisse, & inter eos populos maximè duravisse, qui pecuariam exercuerunt, quales in *Arabia Scenitæ* & *Nomades* in *Africa*. Rei originem arcessit *Moses* ab ante-diluvianis temporibus *Gen.* 4, 20. ubi de *Jubalis* fratre *Jabale* sic habetur, הוא היה אבי ישב אהל ומקנה *Is pater fuit habitantis in tabernaculo, & pecoris.*

(k) Pag. 453. supra lin. 17.

(l) Jos. 22, 14. Jud. 7, 8. & 20, 8. 1. Sam. 4, 10. & 13, 2. 2 Sam. 18, 17 & 19, 8. & 20, 1. 22. 1 Reg. 8, 66 & 12, 16. 2. Reg. 13, 5. & 14, 12.

Pater habitantis, id est, *primus auctor habitandi*, vel *primus habitantium*. Quo eodem sensu, paulò post, *Jubal* Musicorum, & *Tubal-Cain* fabrorum ferrariorum *patres* dicuntur. *Habitantis in tabernaculo, & pecoris*, id est, *cum pecore*. Nam apud *Hebræos Vau* copulativum quandoque est idem, quod *cum*. Sic *Exod.* 1. v. 5. *Eranique omnes animæ egressorum è femore* Jacobi *septuaginta animæ, &* Josephus, *qui erat in Ægypto. Et Josephus*, id est, *cum Josepho*. Neque enim *Josephus* addendus est illis septuaginta, sed in illis censendus; & numerandus, ut patet ex *Geneseos* capite quadragesimo sexto. Rursus *Job.* 19, 23. 24. *Utinam scribantur sermones mei; utinam in libro sculpantur stylo ferreo, & plumbo in perpetuum in rupe incidantur! Et plumbo*, id est, *cum plumbo* superinducto, & literarum sulcis infuso, ut hic notat *R. Selomo*. Neque enim stylo plumbeo quidquam in rupe potest incidi. Et 1. *Sam.* 14, 18. *Erat arca Dei in die illa, & filii Israelis*, id est, *cum filiis Israelis*, ut *Chaldæus, Syrus, Arabs, Vulgatus*, & *Hebræi* omnes rectè interpretantur. *Græci*, ἐνώπιον Ἰσραὴλ, *coram Israele*; quod eodem redit. Et *Jerem.* 22, 7. *Præparabo contra te destructores unumquemque, & arma sua*, id est, *cum armis suis*. Eadem igitur ratione *Jabal pater* fuisse dicitur *habitantium in tabernaculis, & pecoris*, id est, *habitantium in tabernaculis cum pecore*. Neque enim *pater* fuit *pecoris*, id est, *primus auctor cogendi pecoris*. Nam *Abel*, aliquot sæculis vetustior, fuerat pastor ovium. Et haud dubiè patrum plurimi idem cum *Abele* vitæ institutum sequuti fuerant. At arti, jam antè inventæ, *Jabal* aliquid insigne addidit: nempe, ut ne cogerentur greges semper iisdem hærere pascuis, tanquam uni glebæ addicti, sed è loco in locum migrarent pro ratione pascuorum: & ubicunque nox, aut frigus, aut cœli inclementia illis esset molesta, sub tentoriis secederent, tanquam in caulis αὐτοκαβδάλοις, ac tumultuaria opera factis, & fabricatis. Itaque, nè *Jabali* putentur duæ artes hic adscribi: una, quod tabernacula primus fixerit, altera, quod paverit greges, *Græci* hæc duo sic conjunxerunt, Οὗτος ἦν πατὴρ οἰκούντων ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων, *Is pater pecuariorum fuit sub scenis habitantium.* Et Interpretum *Arabum* unus, quem in *Suecia* vidi manu-scriptum, وهو اول السكان في الخيم الذي لرعاة الغنم *Is primus fuit habitantium in tabernaculis, quæ habent pastores gregum.* Et *R. Selomo* in hunc locum, *Is primus fuit, qui pecudes pavit in locis desertis: &, sub tentoriis degens, loca mutabat pro ratione pascuorum gregis sui; ut ant pascuo* (id est, *pabulo*) *in uno loco, consumpto, in alio loco figeret tabernaculum suum.* Indè *Esaias*, ubi suprà, durationem suam à se translatam fuisse queritur, *ut tabernaculum pastoris*. Et *Hebræum* רעה non solum *pascere* significat, sed & *errare*, seu *divagari*, quomodo greges solent pascuorum causa. Sic *Num.* 14, 33. *Et filii vestri erunt* רעים *pascentes in deserto quadraginta annis. Pascentes*, id

est. *errantes. Jonathan* מטעין vertit: & *Arabs* in majoribus *Bibliis* تايهين & Hieronymus *vagi:* omnes eodem sensu. Et *R. Selomo* in hunc locum observat ad morem pastorum alludi, qui uno loco stare non solent, sed transferre tabernacula. Hujus porrò instituti primus auctor, *Jabal, Ethnicis* non videtur fuisse prorsus ignotus. Alibi notavimus *Jod* initiale non rarò deficere, ut cùm dicitur עבור *avor*, pro יעבור *jaavor*, Es. 28, 15. עשה *asi*, pro יעשה *jaase*, 1. Sam. 20, 2. אר *or*, pro יאר *jeor*, Amos 8, 8. בול *bul*, pro יבול *jebul*, Es. 44, 19. & Job. 40, 15. Et *Phœnicie* רוד *rod, draco*, pro ירוד *jared*; unde *Rhodi* insulæ nomen. Et apud *Arabes* nonnunquam قحطان *Kahtan* pro يقطان *Jaktan*, quem pro conditore agnoscunt. Eodem exemplo בל *Bal*. pro יבל *Jabal*, dici potuit, &, addita terminatione, inde fieri *Bales*, vel *Pales*, pastorum Deus. Deam plerique faciunt, & genere Fœminino appellant. Sed alii, in quibus *Varro*, Masculino, ut notat *Servius* ad librum tertium *Georgicorum*.

Ad pastorum tabernacula caulæ pertinent, quas *Hebræi*, quantum memini, quinque appellant nominibus, sed diversæ rationis. I. Primum isto גדרה *gedera, septum*; unde Plurale גדרות *caulæ*, & גדרות צאן *caulæ ovium*, *Num* 32, 16. 24. 36. & 1. *Sam*. 24, 4. & *Sophon*. 2, 6. Unde גדרות, *Gaderoth*, urbs in tribu *Juda*. 2. *Par*. 28, 18. à caulis dicta, ut *Græce* Αὐλὶς. Et *Gadium* priscum nomen, Γάδειρα, à *Phœnicibus* inditum, *Hesychius* explicat περιφράγματα, & SEPTUM *Plinius, Solinus, Avienus, Isidorus*. II. Secundum דבר *dober*, Mich. 2, 12. *Congregando congregabo residuum* Israëlis: *simul ponam illum, ut oves* Botsræ, *ut gregem in medio* הדברו *caulæ suæ*. Nempe verbum *Hebræum* דבר non solum *loqui*, & *dicere*, sed & *ducere* significat, quia homines ducuntur, & reguntur sermonibus,

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Hinc *Psal*. 18, 48. וידבר *Et deducet populos sub me*, id est, *mihi subjiciet*, quod in *Chaldaismo* frequens. Inde דבר *dober*, primò *ductus*, ut *Es*. 5, 17. *Pascent arietes* כדברם *secundùm ductum suum*, id est, *prout duci solent*. *Vulgata* non malè, *juxta ordinem suum*. Secundò *caula, in quam aguntur pecora*. Verisimile est idem verbum in usu fuisse inter *Pœnos*, atque illud in animo habuisse *Augustinum*, quoties *Synagogam* definit *pecorum congregationem*, ut ab *Ecclesia* distinguat, in quam homines convocantur; *quia convocari*, inquit, *magis hominibus congruit, congregari autem magis pecoribus*. Vide illum in expositione *Epistolæ* ad *Romanos*, & in *Psalmum* Octuagesimum primum. III. Tertium *caulæ* nomen est מכלה *micla*, Hab. 3, 17. *Ovem abscidit* hostis ממכלה *ab ovili*. Contractum est ex מכלאה, unde Plural. מכלאות. Sic *Psal*. 50, 9. *Non accipiam è domo tua juvencum, nec* ממכלאותיך *è caulis tuis hircos*. Et *Psal*. 78, 70. *Et elegit* David *servum suum, & assumpsit eum*, ממכלאות צאן *è caulis ovium*. Radix כלא *cala*, est *claudere*: unde deducitur *Græcum* κλείω. IV. Quartum נוה *nave*, ut 2. *Sam*. 7, 8. *Te sumpsi* מן הנוה *ex caula à tergo ovium*. Es. 65, 10. *Et erit* Saron לנוה צאן *in caulam gregis*, id est, *in caulas*. Jerem. 33, 12. *Et in omnibus civitatibus ejus* נוה רועים מרבצים צאן *caula pastorum stabulantium oves* Ezech. 34, 14. *In bono pascuo pascam eos, & in montibus celsis* Israelis *erit* נוהם *caula*, vel *pascuum eorum*. Plurale Masculinum נוים Jerem. 23, 3. *Et reducam eas* על נויהן *ad caulas suas*. Et Fœmininum נות Sophon. 2. 6. נות כרות רועים *caulæ effossionum pastorum*, id est, *caulæ à pastoribus effossæ in cryptis subterraneis ad vitandum Solis æstum*. Quale *Polyphemi* antrum fuit, in quo

- - - μῆλ', ὄϊές τε, καὶ αἶγες ἰαύεσκον,

pecora oves scilicet, & capræ dormiebant. Pro נוות plerumque נאות scribitur, ut *Psal*. 23, 2. בנאות דשא *in caulis*, vel *in pascuis herbidis faciet ut recubem*. Et Jerem. 25, 37. *Excidentur* נאות השלום *caulæ pacis*, id est, *pacatæ*. Et נאות מדבר, *caulæ deserti*, *Psal*. 65, 13. *Jerem*. 9, 10. *Joel*. 2, 13. Radix נוה *nova*, habitare, *Græcè*, ναίειν. V. Denique מרבץ *marbets*, vel רבץ *rebets*, est *cubile ovium*, à Verbo רבץ. *Arabicè* ربض quo propriè significatur *ovem in pectus procumbere*. Nam de camelo dicitur برك & de ave جثم. Ità *Arabes*. Tamen *Hebræi* id non observant. Nam רבץ de feris dicitur *Sophon*. 2, 15. de leone *Gen*. 49, 9. *Psal*. 104, 22. *Ezech*. 19, 2. de pardo *Es*. 11, 6. de ursa *Es*. 11, 7. de thoe *Es*. 13, 21. de dracone *Es*. 35, 7. de crocodilo *Jerem*. 29, 3. de bove *Es*. 11, 7. & 27, 10. & 65, 10. de hœdo *Es*. 11, 6. de asino *Gen*. 49, 14. *Exod*. 23, 5. *Num*. 22, 27. de ave *Deut*. 22, 6. Sed de ovibus, & pastoribus, frequentius: ut *Gen*. 29, 2. *Ecce puteum in agro, & ibi tres ovium greges* עליה רובצים *adeò ... recubantes*. Et Psal. 23, 1. 2. *Dominus pastor meus est*, &c. *In caulis herbidis* ירביצני, *facit, ut recubem*. Cant. 1, 7. *Indica mihi ubinam pascas*, איכה תרביץ *ubinam recubare facias* (supple *oves tuas*) *circa meridiem*. Es. 13, 20. *Et pastores* לא ירבצו שם *non facient ibi recubare*, supple *oves suas*. Jer. 33, 12 *Et in omnibus civitatibus ejus caula pastorum* מרבצים צאן *facientium ut oves recubent*. Et 50, 6. *De monte in collem abeunt* (oves errantes) שכחו רבצם *oblitæ sunt cubilis sui*. Ezech. 25, 5. *Redigam* Ammon למרבץ צאן *in cubile ovium*. Et 34, 14 שם תרבצנה *Ibi recubabunt oves in bono pascuo*. Et versu 15. ואני ארביצם *Et ego eas recubare faciam*. Sophon 2, 14. de *Ninive*, ירבצו *Recubabunt in medio ejus greges*. Itaque מרבץ *Hebraice* ferè idem est, quod *Græcè* κλίσις, id est, ἔπαυλις, ὅπου κλίνεται ἐν αὐτῇ τὰ θρέμματα, *stabulum, sic dictum, quod in eo recubent pecora*. Ita *Hesychius*. Neque aliud κλίσιον, quod idem exponit προβάτων, καὶ βοῶν στάσιν, *ovium, & boum stabulum*. Sed κλείσιον scribit *Suidas*, tanquam à κλείω. Sic esset מכלאה, non מרבץ.

CAPUT QVADRAGESIMUM QVINTUM.

De Ovium balatu, lacte, lana, & partibus cùm externis, tum internis, quæ in Scriptura memorantur.

Ovium propria, & partes, quæ in Scriptura memorantur. Balatus, 1. קול vox, *dicitur*. 2. שריקות sibili, *ut in* Arriano *barritus elephanti*. 3. פעה *est* balare, *quod de parturiente dictum* Es. 42, 14. *Similis κατάχρησις etiam in aliis linguis. Adipis esus sub pœna mortis in Lege prohibitus. Ad hanc Legem exceptiones. Vox* פדר peder, *variè reddita. Propriè est* adeps à carne separatus, *quo tecta victima facilius conimmuntur. Agni* מחים, *id est*. μυελωμένοι, medullati, *seu* pingues; *quod ex* Arabismo *probatur. Veteres multo aliter. Multa de lactis ovini & caprini præstantia. Butyrum ex eo pinguissimum, quod* Galenum *latuit*. Butyri *vox quam inepta. Hujus usus ex Barbaris ad* Græcos *sero devenit. Cur* Hebræis חמאה. Agnus subrumus, *Hebræis* agnus lactis. *Conjectura in locum* Sirachidis. *Lana ovibus pro pilo. In ea quatuor observanda. Lana frequentius alba. Quomodo nix lanæ similis*, Psal. 146, 16. *In lana* צחר *quis color. Candor summus videtur in rubrum inclinare*. חום *chum*, fuscus. Arabibus, *& Ægyptiis voces similes*. נקוד nakod

kod, στικτὸς, compunctus; color in equis, cervis, hyænis, pardis, cenchrite, dracone, &c. קרוח non significat excornem, ut volunt, sed maculosum. Ψαρὸς, quid proprie. טלוא talu, magnis maculis aspersus, ut נקוד nakod, parvis. רקוע maculis albis insignis, ut ابلق & διάλευκ☉. Salmasius notatus. עקוד akod, λευκόπους. Quomodo idem Chaldaicè, & Arabicè. ברוד barud, grandinatum non significat, sed rubro & albo distinctum. Borda, quæ vestis. ربدا rabda, in capris, quis color. Galanga color. Tonsionis dies solennes, & convivales. גזז gazaz, Schindlero, non est tondere, sed vellere. Olim lana vellebatur. Capilli quoque in luctu. Imò גזז est tondere; quod multis probatur. גז pratorum tonsio. Lapides גזית. Lana à laniando non fit, sed à Græco λῆν☉. Lanam vellendi mos Romæ, nec in Græcia, nec in Judæa. Πείκειν tondere, non vellere. גזז propriè κείρειν. Comarum tonsio in luctu tam recepta, quam vulsio. Πελαμωθῆναι, Priami more radi. Sponsæ dentes cur conferantur cum grege tonsarum ovium, Cant. 4, 2. Agni in vestitum, lanæ ratione, non pellis, Prov. 27, 26. Lana primitia Deo data. Quomodo lumbi pauperis divitis munifico benedicant. Quædam Paulus habet tanquam ex Mose, quæ in eo non leguntur. Characmoba ubi. Ptolemæus emendatus. Prov. 31, 13. cur pro דרשה Græci habent μηλωτήν. Quid Arabicum نو. In Hesychium conjectura. Ezech. 27, 18. vinum Chelbon, id est, ex Chalybone, quod eximium fuit. Plutarchus & Suidas emendati. Vinum Chelath. Lana מילת, id est, Milesia. Oves pellitæ, Hebr. מכבכין. Origo vocis, שעטנז. Lana & lini mixtio vetita. כלך calch, vel כולכא colcha, Hebr. τὸ πίννινον ἔριον, id est, pinnæ, seu conchæ margaritiferæ lana, quod pluribus probatur. Aristoteles emendatus. Βρύττος, marini echini genus, unde βρυττίνα ἀμφιέσματα. Alterum vellus aureum. Πιννινότριχα ἐσθῆτα. Ex marino vellere comæ adscititia. Iisdem ellychnia, chlamydes, marsupium, &c. Procopius emendatus. Persis & Arabibus quid sit propriè chaz, vel kaz. Vir doctissimus notatus. Pinnicis frequens piscatio in Indiæ Colchis, hodie Cochin, unde Hebræis vellus marinum כולכא colcha, dictum. Aristoteles emendatus. Cur margaritæ Hebr. פנינים peninim, & vulgò perlæ. Cur lanæ & lini mistionem Deus prohibuerit. Josephus notatus. Laneæ vestes quando Sacerdotibus interdictæ. Quid sit cingi ביזע in sudore Ezech. 44, 18. Ægyptiis Sacerdotibus nonnisi lineæ vestes, & quorsum. Lana ἐντεθῦφρ☉. Lepra in lana qualis. Lepra ממארת, id est, aspera, & acerba. Aliæ interpretationes. Conjectura in locum Levit. 13, 55. Lobus auris in ove ברוך, in homine תנוך, cur Græcè λοβὸς Latinè lanna, vel lamna. Cauda אליה quàm gravis, & quanti pretii in Oriente. Huic plostella suppositi. De tali cauda egisse Mosem; quod nondum observatum. Probatur עצה esse coccygem. יותרת jothereth, non est membrana tenuis, quo tegitur jecur, ut contendit Fullerus; sed maximus loborum hepatis, in quem incidit vesica fellis. Explicatur locus Jonathanis de diaphragmate Exod. 29, 13. Jecur prope diaphragma. יותרת trapeza Rabbinis, ut τράπεζα Græcis. Conjectura in locum Hesychii. Cur reticulum reddat Hieronymus. Omentum cur Hebræis מכסה. Hujus in sacris usus. Hesychius emendatus. Persæ solum omentum Diis offerebant. Omento ab omalo nomen non est. Renes cur Hebræis כליות, & שחורת Renes pinguissimi, maximè in ovibus. Aristoteles emendatus. Gula Meruanis קבה marsupium in lactentis pecoris intestinis, in quo lac coagulatur. Græcè ἤνυστρον, vel ἔνυστρον, de cujus situ disputatur. Ratio nominis. Χιλλωίων, vel χιλόνιον, quid Græcè. Stephanus notatus. Mosis χιλόνιαι, Deut. 34, 17. Quid propriè sint כסלים. Variæ sententiæ. Probatur esse lumbos. Ex כסל factum ἰξύς, id est, lumbus. Alii aliter reddunt, sed perperam. Boderianus notatus. Lumbi quomodo aliter Hebræis. Homero junior Hesiodus. Hebræum TSADE, Arabes, Æthiopes, & Chaldæi in KOPH mutant. Lumbi à firmitate מתנים dicti.

OVium in Scriptura memorantur קול balatus. 1. Sam. 15, 14. שריקות sibili, Jud. 5, 16. בשר caro, Exod. 12, 8. דם sanguis, Exod. 12, 7. חלב cheleb, adeps, Gen. 4, 4. פדר peder, adeps etiam, sed à carne separatus, ut in ignem injiciatur, Levit. 1, 12. & 8, 20. עצמות ossa, Exod. 12, 46. מח medulla, Ps. 66, 15. & Es. 5, 17. חלב chalab, lac, Deut. 32, 14. גז vellus, Deut. 18, 4. צמר lana, 2. Reg. 3, 4. & è lanæ coloribus לבן albus, Gen. 30, 35. צחר candidus, vel rutilus, Ezech. 27, 18. חום fuscus, Gen. 30, 32. Varii quoque, & mixti, ut נקד, & טלוא, & עקד, & ברד, Gen. 30, & 31. Et in partibus dissimilaribus externis ראש caput, Levit. 1, 12. און auris, & ברוך און lanna, seu λοβὸς ὠτίου, lobus auris, Amos 3, 12. קרנים cornua, Gen. 22, 13. & Dan. 8, 4. לחיים maxillæ, Deut. 18, 3. חזה pectus, Exod. 29, 26. צד latus, Ezech. 34, 21. כסלים lumbi, Levit. 3, 10. עצה coccyx, Levit. 3, 9. אליה cauda, Exod. 29, 22. זרוע humerus, Num. 6, 20. שוק femur, Exod. 29, 22. כרעים crura, Exod. 12, 9. פרסים ungues, Zachar. 11, 6. Et in internis partibus כבד jecur, Exod. 29, 22. יותרת הכבד maximus jecoris lobus, qui & τράπεζα seu mensa, ibidem. מכסה omentum, Levit. 9, 19. כליות renes, Exod. 29, 22. קבה ventriculus, vel ventriculi pars, quæ Græcis ἤνυστρον, in qua lac coagulatur, Deut. 18, 3. קרב exta, Exod. 12, 9. & 29, 22. In quibus ea tantum edisseremus, quæ habent aliquid obscurum, aut observatu dignum.

Ovium balatus, & boum mugitus, 1. generali nomine קול vox dicitur; ut 1. Sam. 15, 1. Quænam est vox ovium illarum in auribus meis, & vox boum, quam ego audio? 2. שריקות sibila, ut in Cantico Deboræ Jud. 5, 16. לשמע שרקות עדרים ad audiendos sibilos gregum. Quod in illo carmine si quis miratur, in quo

- - - per audaces nova dithyrambos

Verba - - - - -

devolvit mulier Θεόπνευς☉, sciat etiam in soluta oratione Græcos sic loqui. Elephantorum enim barritus, qui à sibilo non minùs distat, quàm balatus ovium, appellatur tamen sibilus in his Arriani libro quinto, ubi de Pori elephantis, Ὀξὺ καματηρά τι ἐσῦ τὰ θηρία, καὶ οὐκέτι αὐτῷ (lege αὐτοῖς) ἰππόμεναι αἱ ἐκδρομαὶ ἦσαν ἔτι, ἀλλὰ συρίζουσαι μόνον διαχρώμεναι. Fessis autem belluis, cum illarum incursus validi amplius non essent, sed sibilo solùm uterentur. 3. פעה est balare, ut געה mugire, tam Hebræis, quam Chaldæis, & Syris. Unde secundus libri Esther Paraphrastes, capitis primi versu secundo, תורין געין אריותא נהמין דובין הטפין עניין אמרין פעיין Boves mugiebant, leones rugiebant, ursi uncabant, agni balabant. De parturientis ejulatu ita usurpatur Es. 2. v. 14. כיולדה אפעה ut parturiens ejulabo. Sed brutorum propriæ voces sæpe ad homines transferuntur, adeoque illa ipsa balandi vox. Varro, Rust. lib. 2. cap. 3. Cui Cossinius, Quoniam satis balâsti, inquit, O Faustule noster. Et De lingua Lat. lib. 6. Cæcilius, Tantam rem dibalare ut pro ni-

bilo habuerit. *Aristophanes* in *Vespis* Scenâ Καὶ μὴν

Τάς (παιδάρια) συγκύπτοντ' ἅμα βληχώμενα·

Pueruli vero inclinati simul balabant. *Nicander* in *Alexipharmacis*, de eo, qui bibit toxicum,

Αὐτὰρ ὁ μηκάζει μανίῃσι ἀπο μυρία φλύζων,

Is autem præ insania balat, sexcenta deblaterans. Atque illud ipsum *blaterandi* verbum de ariete usurpat auctor carminis *De Philomela*,

Blaterat hinc aries, hinc pia balat ovis.

Alii à camelo sumptum putant. Festus, *Sed & camelos, cum vocem edunt, blaterare dicimus.* Sic μυκᾶν *mugire*, quod boum est, apud *Aristophanem Baccho* ita tribuit παρδοκτόνῳ in *Ranis*, Actus secundi Scenâ quartâ,

Ἔβλεπε εἰς ἐμὲ δριμὺ, κἀμυκᾶτό γε,

Me torvè intuebatur, & mugiebat. Ut *Homerus* de *Xantho*, *Iliad.* φ'.

- - - μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος,

tauri instar mugiens. Quale apud *Varronem*, ubi suprà, illud *Ennii*,

- - - *clamore bovantes.*

Item, *Tibicina maximo labore mugit.* Quid si *Hebræis* vetustioribus פעה idem fuerit, quod *Arabibus* ثغا quod non simpliciter *balare* sonat, sed *balare inter pariendum?* *Alcamus*, الثغا ضعف

صوت الغنم والظبا وللغيرها عند الولادة

Tsagha, duplicatio balatûs ovis, aut capræ, & similium in partu.

De carne, & sanguine, & ossibus si quid dicendum occurrit, rejiciemus in caput *De agno paschali.* In adipe hoc turbat, quod quandoque omnis adeps *Judæis* videtur interdici, ut res Deo sacra, & devota. Ita enim habetur *Levit.* 3, 16. *Omnis adeps Domini erit.* Et versu decimo septimo. *Nullum omnino adipem, nec sanguinem comedetis.* Et *Levit.* 7, 23. *Non comedetis ullum adipem bovis, aut ovis, aut capræ.* Et versu vigesimo quinto, *Quisquis comederit adipem ex iis pecudibus, ex quibus offertur, quod igne absumendum est, è populis suis exscindetur ille, qui comederit.* Proinde 1. *Sam.* 2, 14. 15. *Heli* Sacerdotis filiis objicitur ut crimen grave, quod victimarum carnes rapiebant, antequam adipem adolevissent. Tamen *Deut.* 32, 13. 14. populo suo Deus exsugendum concedit *adipem agnorum, & arietum e Basane, & hircorum.* Hæc ut concilientur, sciendum est *Judæis* gravem videri, & tanquam sanguine scriptam Legem, quâ esus adipis sub pœna mortis illis interdicitur. Itaque omnem lapidem movent, ut hujus Legis rigorem aliqua ex parte emolliant. Et primò id observant violatæ Legis reum esse, non qui בשגגה *per errorem*, sed qui במזיד *per superbiam* comederit, idque כזית *quantum oliva crassa est.* 2. Non omnem omnino adipem prohiberi, sed solum bovis, ovis, & capræ; quæ tria animalia *Levit.* 7, 23. 25. Deo offerebantur. 3. Prohiberi sub pœna mortis adipem, quo teguntur exta, renes, & ilia, quem adoleri jubet Deus *Levit.* 3, 9. 10. Unde analogicâ ratione concludunt, eum adipem prohiberi, qui carnem ambit, nō qui in media carne latet: unde natum hoc Axioma, כל מקום שתמצא כי החלב תחת הבשר והבשר מקיף אותו מכל סביביו ולא יראה עד שיקרע הבשר הרי זה מותר *Ubicunque reperers adipem sub carne, & carnem illum undequaque ambientem, ita ut non appareat, nisi caro dilaceretur, illius adipis esus concessus est.* Hæc, & alia hujus generis, habentur in *Maimonidis* Tractatu *De vetitis cibis*, cap. 7. §. 1. 5. 8. *&c.*

Præter adipis vulgare nomen (חלב *cheleb*) est & alterum פדר *peder*, *Levit.* 1, 8. 12. & 8, 20. ubi de bove, hœdo, & agno, vel ariete res est, quod multis interpretibus crucem figit. Et è recentioribus *Paganinus* quidem *adipem* exponit, & Castellio *sebum*: sed Junius *intestina*, Schindlerus *diaphragma*, Mercerus *truncum corporis, dempto capite, & cruribus* (quod *Arabes* جلمة *gelema* vocant, & *Itali busto*) Munsterus *reticulum illud, quod super hepar positum invenitur.* Nec minus incerti veteres, in quibus *Jonathan* גוף, id est, *corpus*, exponit; Hieronymus *ea omnia quæ jecori adhærent*, Levit. 1, 8. 12. *Arabs Parisiis* editus, قصبة *fistulam*, nempe jecoris, id est, venam cavam, & portam, quæ vocantur τῆς ἥπατος ὀχετὸς, *fistula jecoris*, ab *Hippocrate* libro *De nat. muliebri*, & passim. Sed plerisque פדר *peder*, est *adeps*. *Græci* enim στέαρ hic habent. *Syrus* quoque, & *Onkelos* תרבא, & *Arabs Erpenianus* شحمة & *Hebræi* recentiores חלב, id est, *adipem*. Quomodo etiam *Talmudici* sæpe usurpant: ut in *Thamid*, cap. 4. fol. 69. a. & in *Cholin* cap. 2. fol. 27. a. b. locis, nisi fallor, decem. Itaque etiam ex iis, qui aliter accipiunt, nonnulli in hæc castra transeunt. Sic idem *Hieronymus*, cui *Levit.* 1, 8, 12. פדר *ea* significat, *quæ jecori adhærent*, verbum idem *adipem* exponit *Levit.* 8, 20. Et *Jonathan*, qui supra *corpus*, in eodem loco habet *adipem* תרבא; & *Levit.* 1, 8. פרסותא דתרבא *separationem adipis.* Unde patet origo vocis. Nam פרד *parad*, est *separare*. Ergo פדר *peder*, indè factum per Metathesin (ut אלמנים & אלגומים, חלש & חשל, כבש & כשב in) non significat *adipem* simpliciter, sed *adipem à carne sejunctum*, Levit. 3, 9 & 4, 35. ut in unum collectus, & in ignem conjectus, alat flammam, qua victimæ reliquæ partes citiùs & faciliùs absumantur. Quâ ipsa de causa, ut post *Talmudicos* observant *Selomo* & *Kimchius*, in victimæ capite, cum in ignem injiciebatur, היה חופה הפדר את בית השחיטה *adeps tegebat locum decollationis*, qui alioqui, tabo & sanguine diffluens, potuisset flammam extinguere. Cujus ritus vestigia sunt *Exod.* 29, 17. ubi viscera capiti, & membris, & *Levit.* 9, 20. ubi adipes victimæ pectori superponuntur. Ut *Græci*, *Jovi* sacra facientes, *Iliad.* β'. versu 423.

Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν,

Femora inciderunt, & adipe adoperuerunt.

A voce מח, id est, *medulla*, מחים dicuntur *arietes*, vel *agni pingues*, quasi μεμυελωμένοι, seu *medullatos* dixeris, si *medullare* sit *Latina* vox, quomodo *emedullare*. Occurrit *Psal.* 66, 15. *Holocausta* מחים *medullatorum* (agnorum) *offeram tibi cum suffitu arietum.* Et *Es.* 5, 17. *Et pascent agni arbitratu suo*, וחרבות מחים גרים יאכלו *& solitudines medullati* (arietes) *peregrini depascentur.* *Septuaginta* pro מחים legerant מחים & reddiderant τὰς ἐρήμους τῶν ἀπειλημμένων ἄρνες φάγονται, *deserta eorum, qui deleti sunt, agni comedent.* Sed ἀπειλημμένων, mutatum est in ἀπειλημμένων, id est, *eorum, qui capti sunt.* Quamvis neutro modo legerit *Arabs* Interpres, qui versionem suam ex *Græca* expressit. Is enim habet خربات المتهددين id est, τὰς ἐρήμους τῶν ἀπειλουμένων, *deserta eorum, qui minis territi sunt.* Rursus *Syrus* multò aliter, nempe ܚܘܪܒܐ ܕܐܬܚܕܬ *vastitates* (id est, *ruinas*) *quæ restaurata sunt.* Ac si מחים fiat à Verbo חיה, quod *restaurare* significat *Nehem.* 4, 2. & 1. *Par.* 11, 8. Sic in obscuro loco interpretes non semel cespitârunt. Sed מחים id omnino est, quod diximus. Atque ita intelligunt *Hebræi* ferè omnes. *Kimchius* in *Psalmos*, מחים *est nomen formatum à* מח, *id est, medulla, quasi dicas,* כבשים בעלי מח ושומן *arietes medulla & adipe refertos.* Et *R. Selomo*

Selomo שמונים, *pingues*. Et *Aben Ezra* כבשים שמונים בעלי מח, *arietes pingues medullâ plenos*. Et idem in *Esaiam*, הם הכבשים השמונים שיש בהם מח *Sunt arietes pingues, in quibus est medulla*. Et in *Lexico Kimchius*, מחים הטלאים והכבשים שמונים *Medullati sunt agni, & arietes obesi*. Nota eandem Phrasim in usu esse apud *Arabes*. A quibus à Nomine مخ *much*, quod *medullam* significat, مخيخة *machicha*, id est, *medullata*, dicitur *ovis pinguis*. Et inde Verbum امخ *amaccha*, *medullavit*, de ove, quæ pinguescit. Utrumque me his verbis docuit *Alcamus*, شاه المخيخة سمينة *Ovis medullata, id est, pinguis*. Item, امخت الشاه سمنت *Ovis medullavit, id est, pinguis evasit*. Ibidem, الهملاج *Alhimlag* est شاه لا مخ فيها لهزاء لها *ovis, quæ propter maciem suam medullâ caret*. Et الزاهق السمين الممخخ من الدواب Zahik, *id est, pinguis, medullatus, de jumentis*. Sed & *Poeta Iliad.* χ΄, ut *Astyanactem* molliter vixisse doceat, dum pater *Hector* in vivis fuit,

Μυελὸν οἶον ἔδεσκε, καὶ οἰῶν πίονα δημὸν,
Solum adipe agnino vixit, pinguiq; medullâ.

Lac ovillum in Scriptura commendatur plusculis locis. Sic *Deuter.* 32. *v.* 13. 14. *Sugendum ei dedit mel è petra, & oleum è silice petræ: butyrum vaccæ, & lac ovium, cum adipe agnorum*. Et *Esa.* 7. *vers.* 21. 22. *Et fiet in die illa, ut si quis buculam unam alat, & duas oves, præ copia lactis, quod proveniet, butyro vescetur*. Et *Ezech.* 34. *v.* 3. prout legerunt veteres, & quidem rectè, ut puto, *Lac* (ovium) *comeditis, lanam induitis*, &c. Et 1. *Cor.* 9. *vers.* 7. *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?* Quæ eadem loca etiam possunt ad capras pertinere, quæ faciunt partem gregis, & continentur sub *Hebræo* צאן, quo hic utuntur Sacri Scriptores. Proinde *Solomon* de caprino lacte specialius *Prov.* 27. *v.* 27. *Sufficiet lac caprinum in cibum tuum, & in cibum tuæ domûs, & in ancillarum tuarum victum*. Et de utroque lacte multa veteres. Sic *Philosophus* (*Problem.* Sect. 10. §. 6.) quærit, Διά τι αἶγες μὲν, καὶ πρόβατα ἀμέλγονται πλεῖστον γάλα, οὐ μέγιστον σῶμα ἔχοντα; *Cur capris, & ovibus mulgeatur plurimum lactis, cum corpore non maximo sint?* Varro *De re rustica* lib. 2. cap. 11. *Lac est omnium rerum, quas cibi causa capimus, liquentium maxime alibile; & id ovillum, inde caprinum*. *Columella* lib. 8. cap. 2. *Casei, lactisque* (ovilli) *abundantia non solum agrestes saturat, sed etiam elegantium mensas jucundis & numerosis dapibus exornat. Quibusdam verò nationibus, frumenti expertibus, victum commodat*. *Ex quo* Nomadum Getarumq; *plurimi* γαλακτοπόται *dicuntur*. *Plinius* lib. 28. cap. 9. *Stomacho accommodatissimum lac caprinum, quoniam fronde magis quam herba vescuntur: bubulum medicatius: ovillum dulcius, & magis alit*. Plura vide apud Medicos, *Dioscoridem, Galenum, Aëtium, Rufum, Æginetam, Avicennam, Abenbitarem*, &c. quorum loca de utroque hoc lacte hic describere non putavi esse operæ pretium. Tantum ad *Esaiæ* locum, quo butyrum tam ex ovillo, aut caprino, quam ex bubulo lacte fieri asserit, observandum est, veteres id ipsum statuere disertis verbis. *Dioscorides* lib. 2. cap. 65. alias 66. Βούτυρον σκευάζεται καλὸν ἐκ τοῦ λιπαρωτάτου γάλακτος. τοιοῦτον δέ ἐστι τὸ προβάτειον. γίνεται δὲ καὶ ἐκ τοῦ αἰγείου, ἐν ἀγγείοις κινουμένου τοῦ γάλακτος, καὶ χωριζομένου τῆς λίπους. *E lacte pinguissimo probatum fit butyrum, quale ovillum est. Fit etiam ex caprino, agitato in vasis lacte, donec pingue separetur*. *Plinius* ubi suprà, *E lacte fit & butyrum, barbararum gentium laudatissimus cibus, & qui divites à plebe discernat. Plurimum è bubulo, & inde nomen; pinguissimum ex ovibus. Fit & ex caprino, sed hyeme calefacto lacte, æstate expresso tantum, crebro jactatu in longis vasis, angusto foramine spiritum accipientibus sub ipso ore, alias præligato*. *Serapion* cap. 457. *Butyrum accipitur ex lacte caprarum, vaccarum, & ovium*. *Galenus* quoque libro 10. *Simplic.* juxta *Arabicum* exemplar, ex quo *Abenbitar* citat capite زبد seu *De Butyro*, الزبد يستخرج من والبان الضان والبان البعز والبان البغر يضرب من المخض *Butyrum exprimitur ex lacte ovis, & ex lacte capræ, & ex lacte bovis, per verberationem ex lactis agitatione*. Quod esset *Galeno* dignius, quam quæ in *Græco* textu habentur; Θαυμάζω δ' ὅπως ὁ Διοσκορίδης ἐκ προβατείου φησὶν αὐτὸν καὶ αἰγείου τὴν γένεσιν ἔχειν· ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ βοείου τὸ φάρμακον τοῦτο γιγνόμενον οἶδα, καὶ διὰ τοῦτο νομίζω καὶ βούτυρον καλεῖσθαι. *Miror autem, quomodo* Dioscorides *ex ovillo & caprino lacte illud confici dixerit: ego enim ex bubulo hoc pharmacum fieri novi, ac proinde butyrum vocari puto*. Ex quibus *Galenum* apparet ignorâsse, quod hodie nemo est qui nesciat, butyrum etiam exprimi ex ovillo, & caprino lacte: & ideò solum bubulum admisisse; quia *butyri* nomen *à bove* sumptum est, quæ ratio valde infirma est. Neque enim necesse fuit, ut *Græco butyri* nomine includerentur pecora omnia, ex quorum lacte elicitur. Sufficit à bove denominari, quia ut plurimum fit ex bubulo. Sed aliud in hoc nomine meritò desideramus, quod à caseo sumptum est. Βούτυρος enim ad verbum est *bovinus caseus*. Butyrum porro à caseo plurimum differt. In lacte enim tres substantiæ sunt, ut *Medicorum* filii observant: ἡ τυρώδης, unde caseus; ἡ ὀῤῥώδης, unde serum; & ἡ λιπαρὰ, unde butyrum. Quæ tres lactis substantiæ cùm sint naturâ prorsus distinctæ, non debuit ἡ λιπαρὰ in *butyri* nomine confundi cum τῇ τυρώδει. Sed *Græci* hic ideò minus accurati fuêre; quia butyri cognitio, & usus ad eos serò devenit, nec nisi per barbaras nationes. Itaque cum casei, & lactis, *Homerus, Theocritus, Euripides* in *Cyclope*, & *Poetarum* alii meminerint sexcentis locis, βούτυρον ne semel quidem nominârunt, quod meminerim. *Aristoteles* quoque de lacte, & caseo multa habet insignia, *Hist. anim.* lib. 3. capp. 20. & 21. de butyro ne γρῦ quidem, nisi quis ad butyri descriptionem putet hæc pertinere, Ὑπάρχει δ' ἐν τῷ γάλακτι λιπαρότης, ἣ καὶ ἐν τοῖς πεπηγόσι γίνεται ἐλαιώδης. *Inest lactis pinguedo quædam, quæ, cum concretum est, fit oleosa*. Quomodo in *Hecatæo* butyrum intelligunt, cum *Pæonas* ungi dicit (a) ἐλαίῳ ἀπὸ γάλακτος, *oleo ex lacte supple expresso*. Ucut sit, vel inde apparet *butyri* nomen illorum temporis nondum fuisse in usu, adeoque nec rem ipsam, nisi inter barbaros. Cùm rem, & nomen *Orientales* usurpaverint ab omni ævo. Ita *Gen.* 18. *v.* 8. *Abraham* Angelis ad cœnam invitatis obtulit חמאה חלב *butyrum, & lac*. Et *Deut.* 32. *v.* 14. Deus populo suo largitur inter cætera חמאת בקר *butyrum vaccarum, & lac ovium*. Et *Jahel* offert *Sisaræ lac, & butyrum*, Jud. 5. v. 25. *Davidi* quoque, à filio pulso, viri boni butyrum afferunt, & caseos bubulos, 2. *Sam.* 17. *v.* 29. Plura vide *Job.* 20. *v.* 17. & 29. *v.* 6. *Psal.* 55. *v.* 22. & *Prov.* 30. *v.* 33. ubi obiter butyri conficiendi ratio à *Solomone* sic docetur, מיץ חלב יוציא חמאה *Expressio lactis educit butyrum*. Pro quo *Syrus* ܡܢ ܡܣܚܬܐ ܕܚܠܒܐ *Ex pinguedine lactis egreditur butyrum*. Cur *Hebraicè butyrum* vocetur חמאה *chemea*, ex *Arabibus* discere est, apud quos خما *chama*, de lacte, *spissum & concretum esse* significat, nempe *in butyri modum*.

a) *Athenæus lib.* 10. *cap.* 1.

Tamen

Tamen *Arabicè* خمامة *chemah* pro *butyro* non occurrit, sed زبد *spuma*, vel سمن *pinguedo*.

A lacte matris, quem exsugit agnus subrumus, vocatur *Hebraicè* טלה חלב *agnus lactis*. Sic 1. *Sam*. 7. *v*. 9. *Et cepit* Samuel *agnum lactis* (id est, *lactentem*) *unum*, *quem Domino totum obtulit in holocaustum*. *Græci* habent ἄρνα γαλαθηνὸν Unde *Sirachides* de *Samuele* capitis quadragesimi sexti versu decimo sexto, *Et invocavit Dominum*, &c. ἐν προσφορᾷ ἀρνὸς γαλαθηνοῦ, *in oblatione agni lactentis*. Pro quo *Vulgatus*, *in oblatione viri inviolati*, id est, ἀνδρὸς ἀλώβου, quomodo illum legisse puto. Certè ἀνδρὸς pro ἀρνὸς legas in editionibus *Complutensi*, *Basiliensi*, *Lipsiensi*, & *Parisiensi* nupera. Sed in omnibus habetur γαλαθηνοῦ, non ἀλώβου. Unde legendum constat ἀρνὸς. Quid enim esset ἀνδρὸς γαλαθηνοῦ?

Lana, *Hebræis* צמר, in ovillo pecore id ipsum est, quod in aliis pili. Hinc 2. *Reg*. 3. *v*. 4. אילים צמר, pro בצמר, *Arietes* cum *lana*, id est, *lanati*, vel *lanigeri*. Nam, ut ovis frigidissimum, ita vestitissimum esse animal voluit Deus. Quamvis non tam sibi, quam nobis lanam gerat, unde *Poeta*,

Sic vos non vobis vellera fertis oves.

In lana ex Sacris Scriptoribus quatuor hæc observanda sunt, color, tonsio, usus, & corruptio. Et color quidem est multiplex, sed albus maximè vulgaris, proinde sæpe memoratur. Sic *Gen*. 30. *v*. 35. *Et quidquid fuit album*, nempe in *Jacobi* pecore. *Esa*. 1. *v*. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum*, *quasi nix dealbabuntur*: *&*, *si fuerint ut vermiculus*, *lanæ instar fient*, id est, *æquè alba*. Dan. 7. v. 9. *Et vestimentum ejus candidum ut nix*, *& capilli capitis ejus ut lana munda*. Ad quæ à *Johanne* sic allusum *Apoc*. 1. *v*. 14. Ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτοῦ, καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν, ὡς χιών. *Caput autem ejus*, *& capilli albi*, *ut lana alba*, *ut nix*. Aliter intelligunt quod habetur *Psal*. 147. *v*. 16. *Dans nivem sicut lanam*. Quidam ad usum referunt, quia terra per hyemem nive obtegitur, tanquam veste lanea, ne sata corrumpat nimium frigus. Alii respici putant ad externam nivis speciem, quæ lanam utcunque refert. In his *Theodoretus*, Τίτανος δὲ χιὼν, μανότης, καὶ μαλακὴ, καὶ ἔοικεν κατάγματι μεμυκότι. *Est autem nix rara*, *& mollis*, *& lanæ glomum referens*. Et *Eustathius* in *Dionysium Periegetem*, pag. 91. Τὴν χιόνα ἐριώδες ὕδωρ ἀστείως οἱ παλαιοὶ φασι, τοῦ σοφοῦ βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν ἐνδόντος αὐτοῖς, ὅτε εἴπη, Διδόντος χιόνα αὐτοῦ ὡσεὶ ἔριον. *Nivem aquam laneam veteres eleganter vocant*, *occasione natâ ex sapientis Regis* Davidis *dicto*, „ *Dantis nivem suam sicut lanam*. Quo eodem pertinet, quod nivem *Martialis* appellat *densum vellus aquarum* lib. 4. *Epigr*. 3.

Aspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, *atq; sinus*.

Sic in spuria illa *Alexandri* ad *Aristotelem* Epistola, *Cadere mox in modum vellerum cœperunt nives*. Nec dissimili Metaphorâ usus *Arnobius* libro secundo, *Potestis*, inquit, *interrogati planum facere*, *scientissimèq; monstrare*, *quid nivem in plumeas subaperiat crustulas?* Alludens, credo, ad locum *Herodoti* in *Melpomene*, quo *plumarum* nomine; quibus in extrema *Scythia* oppleri aërem, & visum præpediri *Scythæ* narrant, perpetuas nives intelligit: Ἐοικε γὰρ ἡ χιὼν πτεροῖσι. *Nix enim*, inquit, *plumis similis est*. Et paulò post, Τὰ ὦν πτερὰ, εἰκάζοντας τὴν χιόνα, τοὺς Σκύθας τε, καὶ τοὺς περιοίκους δοκέω λέγειν. *Plumas igitur à* Scythis, *& vicinis gentibus dici puto*, *his nivem comparantibus*. Quale est, quod nives *Arabum Poetæ* appellant *alas cœli*. Alcamus, جداف السفينة والسما بالثلج ومتى بدا *Alanavis* (id est, *remi*) *& alæ cœli propter nivem*, *quæ ab eo decidit*. Quæ etsi afferri possint ad *Prophetæ* locum illustrandum, *Chaldæo* tamen accedo; qui, ut nivem cum lana conferri doceat albedinis ratione, *Psaltis* verba sic reddit, רהיב תלגא חיור היך עמר *Qui dat nivem albam ut lanam*. Quod sequutus *Kimchius*, *Dans nivem sicut lanam*, *id est*, *nivem*, *quæ alba est ut lana*, *supple alba*: *ut* Esa. 1. v. 18. „ Erunt instar lanæ, *supple albæ*. *Necesse autem albedinis hujus meminisse*, *quia albedo in nive maximè eminet*. *Et ideò cum lana confert*, *quamvis albedine lana nivi sit inferior*, *quia in rebus terrenis nihil est magis album*, *cum quo nix possit conferri*.

Ezech. 27. *v*. 18. id ipsum est צמר צחר, si credimus *Syro*, & *Hebræis*, qui *lanam albam* reddunt, ut *Jud*. 5. *v*. 10. אתנות צחורות *asinas albas*. Sed alii longè aliter. *Græcorum* nonnulli ἔρια στίλβον, *lanam lucidam*, vel in Plurali ἔρια στίλβα, quia legerunt צהר, pro צחר, *He* pro *Cheth*. Nam *Hebraicè* צהר *tsohar*, est *splendor*: & *Chaldaicè* צהר *tsehar*, *lucere*. Hieronymus, *lanas coloris optimi*, quod est generale admodum. *Aquila*, & *Theodotion*, *lanas Soor*; quasi *Soor* esset loci nomen. Neque alia mens fuit τῶν ἑβδομήκοντα, qui hic habent ἔρια ἐκ Μιλήτε. Unde *Arabs*; صوف من ميلطوس *lanam ex Mileto*. Nempe cum *Soor* crediderint loci nomen esse eximiâ lanâ nobilis, huic aliud substituendum putârunt, quod *Græcis* esset notius. Unde *Hieronymus*, Miletum *in Ebraico non habetur*: *sed quia inde lana præcipua deferuntur*, *pro* Soor Miletum *interpretati sunt*. *Chaldæus* item עמר מילת כבינה, *lanam Milesiam tectam*, quod infra explicabimus, non *lanam sericeam subtilem*, ut in *Bibliis* majoribus ineptè reddunt. Jam, ne lector anceps hæreat inter tot interpretamenta, ex *Arabibus* docebo quid propriè sit צחר. In *Lexico Alcamus*, الاصحر قرب من الاصحب *Color* ashar *ferè idem*, *qui* ashab. Et اصحب *ashab*, *color est ex rubro & albo*, seu, quod idem est, *albus in rubrum vergens*. Proinde in eodem *Alcamus*, صحور ابل واتان فيها بياض وحمرة Sahur *dicitur camelus*, *vel asina*, *in qua album est*, *& rubrum*, id est, τὸ λευκὸν ἐρυθρίζον. Quomodo candor summus, quodam errore visus, videtur in rubrum inclinare. Quod non solum in lumine, sed & in nive; & in cygnis *Poetæ* deprehendunt. Inde *Horatius* libri quarti *Odâ* primâ,

Purpureis ales oloribus.

Et *Albinovanus* ad *Liviam*,

- - *purpureâ sub nive terra latet.*

Quomodo interpretor, quod *Jeremias*, *Thren*. 4. *v*. 7. viros vegetos, & boni habitus, rubere dicit מפנינים *plus quam margaritas*. Ita etiam lana summè candida potuit vocari צמר צחר, quasi ad rubedinem vergeret.

Lanæ colori *albo*, aut *candido*, opponitur חום chum, *fuscus* Gen. 30. v. 32. &c. Radix חמם *Hebræis*, & *Arabibus*, calere est, aut *calefacere*: sed *Arabibus* insuper *denigrare* in Conjugationibus secunda, & quarta. Unde احم acham, *niger*; حمة chumma, *nigredo*; حمم chumam, *carbo*; يحموم jachmum, *fumus*. Et *Ægyptium* CHEMIA pro *nigro*, *quod est in oculo*. *Plutarchus* in *Iside*, Ἔτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ χημίαν καλοῦσι.

Sequuntur Synonyma quatuor petita ex *Genes*. 30. & 31; quibus *varius color* in ovibus & capris ita signi-

significatur, ut in singulis aliquid sit peculiare. 1. נקד *nakod*: 2. טלוא *talu*: 3. עקד *akod*: 4. ברוד *barud*. Et primum quidem נקד *nakod*, στικτὸν propriè significat. Nam *Hebrais* Verbum נקד *nakad*, est στίζειν, *pungere, vel puncta adscribere in Magistrorum scriptis*. Et in ipsa Scriptura נקודות sunt *puncta* Cantic. 1. v. 11. *Graci* Interpretes optimè στίγματα reddunt. Itaque *Labanis* gregum Epithetum נקד, *Gen.* 31. v. 32. &c. meliùs στικτὸν reddidissent, quàm ῥαντὸν, aut ποικίλον. Maximè, cum à *Gracis* στικτὰ, & κατάστικτα, id est, *compuncta*, dici soleant quæcunque animalia varia sunt, & maculosa. Sic in *Electra Sophoclis* versu 569. *Agamemnon* in *Diana* luco interficit

Στικτὸν κεράστην ἔλαφον, - - - -

compunctum cornutum cervum. Et in *Oedipode Coloneo* versu 1086. Chorus *Dianam* vocat

- - πυκνο-
στίκτων ὀπαδὸν
ὠκυπόδων ἐλάφων,

compunctorum venatricem velocium cervorum. Et in *Philoctete* versu 183. *Philoctetes* in *Lemno* insula jacet

Στικτῶν, ἢ λασίων μετὰ
Θηρῶν, - - - -

inter compunctas, aut hirsutas feras. In *Euripidis Iphigenia in Aulide* versu 220. *Eumelus*, stadium decursurus, habuit

Τὰς μὲν μέσους ζυγίους
Λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιούς,

medios quidem jugales equos, crine albis notis compuncto varios. Oppianus *Cynegeticῶν*, libri secundi versu 178. cervorum genus describit,

Στικτὸν, ἀείζωον, ποταμοπόρον, ὑψικέρωτον,

compunctum eximium, flumina trajiciens, capite arduum. Et libri tertii versu 288. miraculum se audivisse profitetur

- - - - - - ἀμφὶ στικτῇσιν ὑαίναις,

de compunctis hyenis. *Nonnus* etiam de *Actæone* in cervum mutato, lib. 5. vers. 321.

Καὶ στικτοῖς μελέεσσι νόθη ποικίλλετο μορφὴ,

Et compunctis membris adulterina variabatur forma. Et paulò post, *Actæonis* canes,

Στικτὸν ἐθοινήσαντο νόθον δέμας ἄφρονι λύσσῃ,

Compunctum devorabant falsum corpus insana rabie. Itaque apud *Pollucem* cervi habent τὸ χρῶμα ὑπόξανθον, κατάστικτον λευκοῖς γράμμασι. πλείω δ' αἱ θήλειαι τὰ στίγματα ἔχουσι, *colorem subflavum, albis lineis interpunctum, sed fæmina plura habent puncta*. Sic *Nicander* in *Theriacis* cenchrinem, seu miliarem serpentem describit

- - - - - - περίστικτον φολίδεσσιν,

squamis circumpunctum. Et præiverat *Hesiodus* in *Aspide* ubi στίγματα, seu *puncta*, vocat maculas in tergo draconis. Verba sunt,

Στίγματα δ' ὡς ἐπέφαντο ἰδεῖν δεινοῖσι δράκουσι
Κυάνεα κατὰ νῶτα, - - - - -

Quadam autem veluti puncta apparere videbantur horrendis draconibus nigra super terga. Ubi *Scholiastes*, Ὥσπερ δὲ στιγμαὶ ἦσαν ἐπάνω τῶν ῥάχεων τῶν δρακόντων· κατάστικτοι γὰρ, καὶ ποικίλοι οἱ ὄφεις· *Super dorsa draconum erant veluti puncta quadam: compuncti enim, & varii sunt serpentes*. Proinde *Graci Hebraum* נקד poterant eleganter reddere στικτὸν, vel κατάστικτον, & *Latini* quoque *compunctum*. Qua voce utitur *Tullius*, sed nonnihil diverso sensu, cum barbarum describit (b) *compunctum notis Threiciis*. Sed *Hebraismi* elegantiam nemo interpretum assequitur præter *Arabes*, qui hic habent منقط vocem non solùm notionis, sed & originis ejusdem cum *Hebraica*. *Punctum* enim ut *Hebreis* נקדה, sic *Arabibus* نقطة dicitur, *Daleth*, & *Ta* permutatis, quod in illis linguis trasatitium est. Et ex نقطة formatur منقط id est, κατάστικτος, *compunctus*. In *Hieronymo* redditur *varius*, in *Jonathane*, *Onkelo*, & *Samaritano* נמור, quasi dicas παρδάλειον, aut παρδαλωτὸν, *panthera in modum varium, & maculosum*. In *Hierosolymitano* & *Syro*, ܩܪܘܣ vel ܩܪܣ quod *excornem* interpretantur *Gabriel Sionita*, *Johannes Baptista Ferrarius*, *Thomas à Novaria*, & alii Scriptores; sed, nisi fallor, magno errore. Hic enim agitur de coloribus, non de cornibus pecudum. Dicam tamen quid fefellerit viros cætera non indoctos. קרח *Hebraicè* propriè *calvum* & *glabrum* sonat. Unde *Talmudista* in *Sanhedrin* capite septimo, "*Viri Hamath fecerunt Asima* 2. *Reg.* 17. v. 30. *Quid illud est?* ברחא קרחא *hircus glaber*. Ubi *Glossa*, ברחא קרוי כל צאן והעז קרוי ליה קרחא על שם שאין לו צמר כל כך Barcha *vocatur etiam omnis ovis, sed capra vocatur* Karcha (id est, *glabra* ψιλόθριξ) *quia non habet tantum lana*, id est, quia pilos habet breves, neque cum ovium lana conferendos. Ergo cum קרח *glabrum*, adeoque *calvum* propriè sonet, inde potuit à *Syris* pro *excorni* usurpari; prout agni, aut capri glabra frons cornutæ arietis, aut hirci fronti opponitur. At hic dicitur קרח *aries*, aut *hircus*, *cujus alba macula, vel in fronte, vel toto corpore sparsa calvariam imitantur*. Sic *Arabicè* قرحة *macula* est *alba in equi fronte*, & اقرح *equus talis notâ insignis*. *Gracum* ῥαντὸς, quo hic utuntur *Seniores aspersum*, aut *inspersum* sonat, supple *maculis*. Ita nævi *corpori inspergi* dicuntur. *Horatius Satyra* sexta,

- - - - - - - - - - - *velut si*
Egregio inspersos reprendas corpore nævos.

Nec multo aliter *Poeta*,

Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo.

Vel ῥαντὸς, ἀπὸ τῆς ῥανίδος, à *guttâ* sumptum, idem est, quod *guttatus* in illo *Martialis*,

Et picta perdix, Numidicæq; *guttata*.

id est, *maculis quibusdam in modum guttarum distinctum*.

טלוא *talu*, *Hebrai* omnes explicant *magnis maculis*, ut נקד *nakod*, *parvis*, sive *punctis aspersum*. Nempe טלא *tala*, propriè est *consuere ex multis pannis, & coloribus*, quomodo centonem solent. Hinc *Ezech.* 16. v. 16. *Sumpsisti de vestibus tuis, & fecisti tibi* במות טלואות *excelsa* (id est, *aras*, seu *sacella*) *multicoloria*, id est, *variis pannis, & multorum colorum instrata*. *Aquila*, & *Theodotio* ἐμβολήματα transtulerunt, quod significat *diversos pannos hinc inde consutos*, quasi παλύρραφον vestimentum. Ita habetur in *Hieronymo*. Et *Jos.* 9. v. 5. *Gabaonitis* tribuuntur נעלות בלות ומטלאות quod *Graci* explicant, σανδάλια παλαιὰ, καὶ καταπεπελματωμένα, & *Vulgatus*, *calceamenta perantiqua, qua* (*ad indicium vetustatis*) *pittaciis consuta erant*. Inde igitur sumpta Metaphora, *oves*, aut *capra* טלואות sunt, *qua maculas habent aspersas*, aut *tanquam assutas*, ut in centone particulas, & assumenta. Sed plerique veterum *maculas albas* intelligunt. Nam in *Onkelo* רקוע *rakoa*; in *Arabibus* ابلق *ablak*. & مبلق *muballik*; in *Graca* versione διάλευκος significant *maculis albis insignem*. Et *Chaldeum* quidem רקוע *rakoa*, propriè id esse, quod diximus, ex *Arabibus* didicimus, quibus رقعا *raka* dicitur *ovis*, *qua latera habet alba*, & رقاع rika, *quod nigrum, & album est*. Neque aliud ابلق *ablak*. Nam in *Lexico Alcamus*, بلق *belek*, vel بلقة *bulka* redditur سواد وبياض *nigredo cum albedine mixta*. *Gracum* de-

(b) De Offic. l. 2.

denique διάλευκος eodem pertinet. Falluntur enim Bibliorum editores, qui subalbum exponunt. Cum διάλευκον sit idem, quod μεσόλευκον, vel album in medio, cum extrema sint diversi coloris. Ita Regum Persidis purpurea tunica medium albo intextum erat, ut in Curtio legere est, quam proinde Græcorum alii μεσόλευκον, alii διάλευκον vocant. In illis Xenophon Cyropædiæ libro octavo, ubi describitur Cyrus ὀρθὴν ἔχων τιάραν, καὶ χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον, rectam habens tiaram, & tunicam purpuream in medio albam. Et apud Athenæum libro duodecimo Ephippus Olynthius Alexandrum narrat, cum in Persarum mores transiisset, gestâsse χλαμύδα τε πορφυρᾶν, καὶ χιτῶνα μεσόλευκον, purpuream chlamydem, & tunicam in medio albam. Sed de eodem Diodorus libro 18. pag. 603. Περσικὸν διάδημα περιετίθετο, καὶ τὸν διάλευκον ἐνεδύετο χιτῶνα. Persico diademate cingebatur, & induebat tunicam διάλευκον. Et Plutarchus in Alexandro, Οἱ τὴν Περσικὴν ζώνην, καὶ τὸν διάλευκον χιτῶνα προσκυνοῦσι· Qui Persicam zonam, & διάλευκον tunicam adorant, id est, qui Persarum Regibus subsunt. Plinius quoque in argumento diversissimo, nempe in croci descriptione, libri vigesimi primi capite sexto, Est per se genus sativi blandissimum vulgo, cum sit medio candidum, dialeucon vocant. Quam lectionem frustra sollicitat Vir magnus in Solinum. Ovis igitur διάλευκος est, quæ in nigro, aut rufo vellere medias habet maculas albas. Quod ipsum ab Hebræis voce טלוא talu, significatum. Atque inde per Metathesim factum videtur Arabicum لطاة lata pro macula in equi fronte. Reliquas hujus vocis interpretationes consulto prætereo; quia nihil habent insigne.

עקד akod, est à Verbo עקד akad, quod ligare significat, non quidvis, sed ovem tondendam, aut mactandam. Unde Genes. 22. v. 9. de Abrahamo dicitur, ויעקד Et ligavit Isaacum filium suum, nempe ut ovem mactandam. Et 2. Reg. 10. v. 12. בית עקד הרועים, domus ligationis pastorum, putatur esse locus, in quo tondendas oves ligabant Samaritani pastores. Quia porro vel mactandum, vel detondendum pecus pedibus vincire moris erat, inde עקודים explicat R. Selomo משונים במקום עקידתם הם קרסולי ידיהם ורגליהם, varios in loco ligationis, id est, in malleolis anteriorum, & posteriorum pedum. Ita etiam Kimchius, Pomarius, & Hebræorum alii. Neque aliud voluere Symmachus, qui λευκόποδας, & Onkelos, qui רגולין, id est, pedibus varios, aut fasciatos, & uterque Arabs, qui محجلة reddunt, id est, pedibus albos. Quamvis ad equum referant Arabum Lexicographi. Alcamus, التحجيل بياض في قوائم الفرس كلها ويكون في رجلين فقط Thachgil est albedo in omnibus equi pedibus, aut in posterioribus solùm. Cætera ibi vide. Videtur à perdice sumptum, quam Arabes حجل chagel vocant. Perdicis enim crura supra genua plumæ albicantes vestiunt.

ברוד barud, Hebræi χαλαζώμενον grandinatum explicant, seu respersum maculis albis instar grandinis; quia Hebræis ברד barad, est grando. At Syra vox ܒܪܕܐ bordo, qua hic utitur Syrus Interpres, rubro & albo distinctum sonat, si creditur Syrorum Lexicographis. Et Arabicè برد bord vel بردة borda est ثوب مخطط striata vestis, & per similitudinem ala locustæ in Poetis. Ita Alcamus, & Giauhari. Et per Metathesim ربد rabada, nigro & albo, vel nigro & rubro distingui, idque propriè de capra, & ove. Hinc Alcamus, الربداء من المعز السوداء المنقطة بحمرة Rabda de capra, id est, nigra rubro interstincta. An huc respiciunt Arabes, qui كلنجون vel خلنجية habent pro Hebræo ברדים Genes. 31. v. 10. 12. quasi galangatos dixeris, id est, galangæ concolores: quam definit Avicenna (lib. 2. Can.) قطاع ملتوية حمر وسود frusta involuta, rubra, & nigra, &c. Utut sit, cum ברדים hircorum Epithetum Gen. 31. v. 10. 12. ponatur pro טלואים Gen. 30. v. 35. 39. videntur hæ duæ voces esse prorsus synonymæ: & ut à centonibus טלואים, ita dici ברדים ab Arabum borda, quæ est vestis multicolor. Sed de hac voce plura vide (c) in Equorum coloribus, in quibus censentur ברדים Zach. 6. v. 3. 6.

(c) Cap. 7. lib. pag. 109. 110.

Jam de ovium tonsione agendum, de qua Scriptura passim. Ita de Labane dicitur Genes. 31. v. 19. Abierat ad tondendum oves suas. Et de Juda Genes. 38. v. 12. Ascendit ad tonsores gregis sui. Et versu decimo tertio, Ascendit Timnam, ut tonderet oves suas. Et de Nabale 1. Sam. 25. v. 2. Cum tonderentur illius oves Carmeli. Et de Absolomo 2. Sam. 13. vers. 23. Cum tonsores haberet Baal-hasore. Quo prætextu Davidem patrem, & fratres ad se invitat versu vigesimo quarto, Nunc, inquit, servus tuus habet tonsores: veniat igitur Rex, & servi ejus apud servum suum, id est, apud me convivaturi. Nam quia viris illis πολυμήλοις tonsio erat altera messis, solebant tonsionis dies solennes esse, & convivales. Proinde Judas, absoluto luctûs tempore propter uxoris obitum, ut animum recrearet, ivit ad tonsores suos. Et Davidis servi, ad Nabalem tonsionis tempore missi, dicunt se die bono (id est, hilari & festo) venisse 1. Sam. 25. v. 8. Hebræum porro גזז gazaz, quod veteres tondere reddunt, Schindlero, & recentiorum aliis, non est tondere ferro, sed manu vellere, & extrahere: & גוזז gozez, evulsor, non tonsor. Lana enim, inquiunt, prius vulsa est, quàm tonsa, quod docet nomen velleris, non à tondendo, sed à vellendo deductum. Varro libro quarto De Lingua Lat. Id dictum, quod vellebant lanam. Et alibi in eodem libro, Veliæ unde essent plures accepi causas: in queis, quod ibi pastores Palatini ex ovibus, ante tonsuram inventam, vellere lanam sint soliti, ex quo vellera dicta. Et De re Rustica libri secundi capite undecimo, Alii vellera, alii vellumina appellant, ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lana vulsuram, quàm tonsuram inventam. Quod, ut ævo Varronis scias nondum in desuetudinem abiisse, addit continuo post; Qui etiam nunc vellunt (oves) antè triduò habent jejunas, quod languida minus radices lana retinent. Quomodo etiam Plinius libri octavi capite quadragesimo sexto, Oves non ubique tondentur: durat quibusdam in locis vellendi mos. Proinde Isidorus (d) lanam dici vult à laniando, ut à vellendo vellus, quòd prius lanæ vellerentur, non tonderentur. Jam, ut probent Hebræo verbo גזז gazaz, vulsionem illam significari, observant Jerem. 7. v. 29. Prophetæ verba גזי נזרך Chaldæum cum reliquis non reddidisse, Tonde capillum tuum, vel cæsariem tuam; sed תלושי על רברבך Evelle (supple crines) propter principes tuos. Et Job. 1. vers. 20. cum de Jobo dicitur, ויגז את ראשו significari contendunt eum capitis capillos evulsisse, non totondisse; quia in mœrore, & luctu capillos evellere, & discerpere moris erat. Unde est, quod Esdras de seipso scribit capitis noni versu tertio, Evulsi pilos capitis, & barbæ. Et Homerus de Ulyssis sociis

(d) Orig. lib. 19. cap. 27.

sociis in morte *Elpenoris*, *Odyss.* libro decimo,

Ἕζόμενοι κατὰ αὖθι γόων, τίλλοντό τε χαίτας·

Ibi sedentes ejulabant, & evellebant comas. Et *Iliad.* χ'. de *Priamo* graviter ferente, quòd *Hector* cum *Achille* dimicatum ibat,

- - - - πολιὰς δ' ἄρ' ἀνὰ τρίχας ἕλκετο χερσὶ,
τίλλων ἐκ κεφαλῆς - - - -

Canos verò capillos manibus extrahebat, ex capite avellens. Sed & *Agamemnon*, multis suorum ab *Hectore* cæsis, *Iliad.* κ'.

Πολλὰς δ' ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας,

Multos ex capite crines radicitùs evellebat. Ad quem locum respiciens *Cicero* libro tertio *Tusculanarum Qu. Hinc ille* Agamemnon Homericus, *& idem* Accianus,
" *Scindens dolore identidem intonsam comam,*
In quo facetum illud Bionis, " *Perinde stultissimum*
" *Regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio*
" *mæror levaretur.* *Smyrnæus* quoque, id imitatus libro tertio, *Græcos* describit in luctu *Achillis*

Χαίτας ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἐξερύοντας,

Crines ex capite radicitus vellentes. Et in *Luciani* libro *De luctu*, cum quis obiit, παρὰ πάντων δάκρυα, καὶ στέρνα τυπτόμενα, καὶ σπαραττομένη κόμη, *ab omnibus funduntur lacrymæ, & pectus verberatur, & coma discerpitur.* Sed filius patri, obitum suum lugenti, fingitur dicere, Παῦσαι τιλλόμενος τὴν κόμην, *Desine comam evellere*, &c. Etiam *Aristophanis Scholiastes* in *Ranis*, Act. 1. Sc. 7. censet inter officia mortuis necessario debita τὸ τίλλειν τὰς τρίχας, καὶ κόπτεσθαι, *comas evellere, & plangere.* Eodem pertinent hæc *Martialis* in *Selium* lib. 2. *Epigr.* 11.

Quid dextra pulsat pectus, & comam vellit?
Non ille amici fata luget, aut fratris.

Hæc illi: sed quidquid afferant, certum est vocem גזז ad *tonsionem* pertinere. Res clara ex his *Talmudis* in *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 96. a. זיל אייתי לי מספר ואיגזיך id est, *Ita, affer mihi novaculam, & tondebo te.* Proinde איגזיך in *Glossa* redditur אגלחך. Patet etiam ex *Act.* 8, 32. ubi *Græca* ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν, *coram tondente se*, Syrus *Paraphrastes* explicat ܩܕܡ ܓܙܘܙܗ, & *Arabs Leidæ* editus امام الجزاز & alter, qui *Parisiis*, قدام من يجزه Sic 1. *Cor.* 11, 6. pro καὶ κειράσθω, *& tondeatur*, unus *Arabum* habet فلتجز شعر راسها id est, *& tondeat capillos capitis sui.* Itaque גזז tam apud *Arabes*, quam apud *Syros*, *tondere* sonat, non *evellere*. Proinde, ut *Latinè prata*, & *segetes tonderi* dicuntur, id est, *falce secari*, ut in *Poëta*,

(e) *Nocte leves stipulæ meliùs, nocte arida prata*
Tondentur: - - - - -

e) *Georg. lib.* 1. *versu* 390.

sic *Arabicum* جز ad utrumque adhibetur: & مجز est *falx* tam *messoris*, quàm *fœnisecæ*. Quomodo *Hebræum* גז *gez*, quod pro *vellere* vulgò sumitur, etiam *sectum fœnum* significat *Psal.* 72, 6. & *Amos* 7, 1. Hoc potissimum, quòd λίθοι ξυστοὶ, id est, lapides, qui ferro raduntur, & expoliuntur, *Hebraicè* vocantur אבני גזית 1. *Reg.* 5, 17. & passim alibi. Itaque גזה, unde גזית, non est *manu vellere*, sed *ferro secare*, *tondere*, *radere*, & *expolire*. His positis, quæ objecta sunt facilè diluentur. Lanæ vulsio, inquiunt, tonsione est antiquior: *vellus* enim *à vellendo* est, & *à laniando lana*. Respondeo, postremum illud de lanæ nomine esse falsissimum: quod satis docet prima Syllaba; quam *lana* longam, at *lanio* Verbum brevem habet. Quin *LANA Græcum* est, ut apud *Varronem Polybius*, & *Callimachus* scribunt. *Lana* nempe est λῶνος, vel λᾶνος, si mavis, quomodo *Dores* & *Æoles* efferebant. Hâc voce utitur *Æschylus*, cum *Orestem* in *Diris* scribit

Λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον,

Lanâ maximâ modestè coronatum, id est, ἀργῆτι μαλλῷ, *candido vellere*, ut ipse exponit sequente versu. Et *Apollonii* libro quarto aureum vellus commendabat μαρμαρυγὴ λήνεων, *splendor lanarum*, & quod βεβρίθει λήνεσιν ἐπηρεφὲς, *gravabatur lanis coopertum*. Ad quem locum *Scholiastes*, Λήνεσιν, τοῖς ἐρίοις, ὅθεν καὶ λανάριοι καλοῦνται οἱ ξαίνοντες. Vult indè *lanarios* dici lanæ carminatores. *Hesychius* quoque, Λάναια, τὰ ἔρια. Item, Λανεῖ, ἐρίῳ. Pro Λάναια lege Λᾶνα. Nam aliud sunt Λήναια, nempe *Bacchi* festum *Athenis*. Vellendi morem quod attinet, is olim *Romæ* fuit in usu, & in vicinis locis, non in *Judæa*, nec in *Græcia*. Saltem apud *Hesiodum*, qui de re pecuaria scripsit primus omnium, ὄϊας πείκειν, non est *oves vellere*, sed *tondere*: ut in *Theocriti Bucoliastis*,

- - - ὁππόκα πεξῶ
Τὰν ὄιν τὰν πίλλαν,

cùm ovem pullam tondebo. Verbum enim πείκειν *Scholiastes* notat hic idem esse, quod κείρειν *tondere*, ὡς καὶ παρ' Ἡσιόδῳ, *ut & apud* Hesiodum. *Hesychio* etiam πέξαι est κεῖραι· & πέξις, ψίλωσις, κουρὰ, ξύρησις. Et, quamvis apud *Archippum*, *Cratinum*, & *Philemonem* νακοτίλτην, vel νακοτίλτης, *vellerum vulsorem* propriè sonet, veteres tamen *tonsorem* explicant (*Hesychius*, Νακοτίλτ., οἱ κείροντες τὰ πρόβατα· *Suidas*, Νακοτίλται, οἱ τῶν προβάτων κουρεῖς·) quia in vocum explicatione non tam etymon, quam usus respicitur. Nec opponendus unus *Onkelos*, cui גז est חליש, *evulsio*, Jerem. 7, 29. tot aliis interpretibus, quibus גזז est κείρειν. In quibus *Lucas* Evangelista *Hebræa Esaiæ* verba (*f*) כרחל לפני גוזזיה *Græcè* ità extulit, (*g*) ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτόν. Quin *Hebræi lanæ vulsorem* opponunt τῷ גוזז, id est, *tonsori*: ut *Maimonides* in *Biccurim* cap. 10, §. 6. התולש צמר החלים ביחו ולא גזז חייב בראשית הגז *Etiam qui lanam ovium manu suâ vellit, & non tondet, debet velleris primitias.* Denique, quod maximè urgent, in *Jobo* ויגז את ראשו necessariò esse reddendum, *& evulsit crines capitis sui*, quia in luctu comæ vellebantur, non tondebantur, nè umbram quidem habet veri. Neque enim comarum tonsio in luctu minùs recepta fuit, quàm evulsio. Sic *Iliad.* ψ'. jurat *Achilles* se caput saniè, & tabo infectum non abluturum,

f) *Es.* 53, 7.
g) *Act.* 8, 32.

Πρίν γ' ἐνὶ Πάτροκλον θέμεναι πυρὶ, σῆμά τε χεῦσαι,
Κείρασθαί τε κόμην· - - - -

Priùs quàm Patroclum *rogo imposuerit, tumulumque erexerit, & comam totonderit.* Ad quæ verba sic *Eustathius*, Τὸ δὲ κείρασθαι κόμην ἐπὶ νεκροῖς, πλατὺ ἔθιμον ἦν καὶ τοῖς πάλαι, ὥσπερ καὶ αὐτὸ λύπης τε ἔνδειξις, καθὰ καὶ τὸ τίλλειν πενθητικῶς κεφαλῆς τρίχας· *Comam tondere propter mortuos, apud veteres in multo usu, fuit etiam mœroris argumentum, ut & capitis crines in luctu avellere.* Et in *Achillis* funere *Odyss.* ω'.

Δάκρυα θερμὰ χέον Δαναοὶ, κείροντό τε χαίτας,

Lacrymas calidas fuderunt Danai, *& crines totonderunt.* Ut *Smyrnæi* libro tertio,

- - - ἀμφὶ δὲ χαίτας
Μυρμιδόνες κείραντο, νέκυν δ' ἐκάλυψαν ἄνακτος·
Καὶ δ' αὐτὴ Βρισηΐς, ἀκηχεμένη περὶ νεκρῷ,
Κειραμένη πλοκάμους πύματον γέρας ὤπασεν ἄνακτι.

Myrmidones autem, capillis circumtonsis, cadaver Regis texerunt: & ipsa etiam Briseis, *dum functum mœret, detonsam cæsariem ultimum Regi munus exhibuit.* Indè est, quod post tot suorum funera *Priamus* in theatra tonsus inducebatur. *Eustathius*, Οἱ μεθ' Ὅμηρον καὶ κείρουσιν αὐτὸν ὅθεν καὶ Πριαμοσθλῶσαι, τὸ ξυρηθλῶσαι, ἐπεὶ ὁ τραγικὸς Πρίαμος ξυρίας εἰσήγετο. *Homero posteriores etiam illum tondent, unde* Πριαμωθλῶσαι *est* Priami *more radi, quia in Tragœdiis* Priamus *rasus exhibebatur.* Quæ ferè eadem habet *Hesychius* in

in Περιαμυθήσομαι. Et, nè putentur hujus ritûs exempla non aliunde peti, quam ex fabulis, post navium *Atheniensium* viginti quinque naufragium ad *Arginusas*, narrat *Xenophon*, rerum *Græcarum* libro primo, fuisse subornatos ἀνθρώπους μέλανα ἱμάτια ἔχοντας, καὶ ἐν χρῷ κεκαρμένους πολλοὺς ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ, ἵνα πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἥκοιεν, ὡς δὴ συγγενεῖς ὄντες τῶν ἀπολωλότων, *pullatos homines plurimos, & ad cutem usque detonsos, ut ad conventum se conferrent* (Apaturiorum) *festo, tanquam cognati eorum, qui perierant.* Et apud *Herodotum Argivi*, à *Spartanis* victi & *Thyreis* pulsi, ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου κατακειράμενοι τὰς κεφαλὰς, πρότερον ἐπάναγκες κομῶντες, *ab eo tempore tonsis capitibus, cum antea necessariò comati fuissent*, legem sanxerunt, ut ne quis *Argivorum* comam aleret, antequam *Thyreas* recuperâssent. Et *Isocrates* in oratione funebri apud *Aristotelem*, *Rhetoricorum* libri tertii, capite decimo, Ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷ τάφῳ τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων κείρασθαι τὴν Ἑλλάδα. *Æquum erat ad sepulchrum eorum, qui* Salamine *occubuerant, tonderi* Græciam. Sed & ad barbaros manavit ille ritus. Itaque in *Germanici* morte, *regulos quosdam barbam posuisse* (ferunt) *& uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctûs.* Ità *Suetonius* in *Caligula*, capite quinto. Hinc idem *Herodotus*, qui supra, libro secundo, ubi de *Ægyptiis*, *Apud alios homines more receptum est* ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς, *ut in luctu statim capita tondeantur.* Et apud *Athenæum* libri decimi quinti capite quinto etiam in alieno luctu, ὁμοιοπαθεῖς τοῦ κεκμηκότος, κολοβοῦμεν ἡμᾶς αὐτοὺς τούτῳ κουρᾷ τῶν τριχῶν καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει, *afflicto compatientes, nos decurtamus tam capillorum tonsione, quàm coronarum detractione.* Sed de hoc ritu, plura qui volet, *Kirchmannum* consulat *De Roman. funer.* lib. 2. capp. 13, 14. 15.

Obiter nota sponsæ dentes *Cant.* 4, 2. gregi tonsarum ovium non conferri, quo sensu plerique putant. Neque enim *Hebræa* habent גזוזות, quod propriè *tonsas* sonat, sed קצובות: quæ vox nusquam adhibetur, quibus locis agitur de lanæ tonsione. Quin קצב (unde קצובות) est *lignum cadere*, & *dedolare*, 2. *Reg.* 6, 6. Unde non solum *Cherubini*, qui lignei erant, sed & res fusiles dicuntur habere קצב אחד *eandem cæsionem*, 1. *Reg.* 6, 25, & 7, 37. Quâ Phrasi significatur res duas, aut etiam plures ità esse dolatas, & exasciatas, si materia sit lignea, aut cælo & scalpro ità formatas, si lapidea sit, aut fusilis, ut inter eas servetur eadem proportio. Metaphora igitur sumptâ ab iis, quæ arte fiunt, oves קצובות dicuntur, id est, *cæsæ* vel *dedolatæ*, cum inter se tam sunt similes, quam si ex ligno, aut ære ad eundem typum effictæ fuissent, & fabre-factæ. Ita *Hebræi* intelligunt. *Aben Ezra* in hunc locum, ענין הקצובות שיש להן מדה אחת כאילו נחצבת כל אחת כמו חברתה *Significatur voce* קצובות *illis eandem esse mensuram, ac si unaquaque cæsa fuisset ad instar sociæ suæ.* Et in *Lexico Kimchius* exponit שוות בקומתן במדתן כאילו הן חתוכות בשורה *Staturâ & mensura æquales, ac si æqualiter fuissent succisæ.* Rectè igitur *Pagninus*, *Dentes tui ut grex ovium æqualium.* Et *Junius*, *Dentes tui similes gregi æquarum pecudum.* Nam in dentibus maximè laudatur proportio, & συμμετρία. Hinc in *Imaginibus Lucianus*, Πλὴν μειδιάσασά γε, ὦ Πολύστρατε, ὀδόντας ἐξέφηνε, πῶς ἂν εἴποιμί σοι, ὅπως μὲν λευκοὺς, ὅπως δὲ συμμέτρους, καὶ πρὸς ἀλλήλους συνηρμοσμένους; εἴ που κάλλιστον ὅρμον εἶδες ἐκ τῶν στιλπνοτάτων, καὶ ἰσομεγέθων μαργαριτῶν, οὕτως ἐπὶ στίχου ἐπεφύκεσαν. *At subridendo*, Polystrate, *dentes ostendebat, quomodo dixerim tibi quàm albos, quàm æquales, & inter se coaptatos? Sicubi monile pulcherrimum vidisti ex nitidissimis, & magnitudine paribus margaritis: adeò concinnâ serie erant nati.*

Lanæ præcipuus in vestibus usus. Unde *Solomon* Prov. 27, 26. כבשים ללבושך *agni in vestitum tuum.* Neque enim *agnorum* nomine intelliguntur κώδια, vel ἀρνακίδες, id est, *agninæ pelles.* Ut cum in *Chaldæa* Paraphrasi *Ps.* 133, 2. oleum ex vertice *Aaronis* defluere legitur על־ אמרא דלבושי *super agnum vestis illius*, id est, *super oram vestis agninâ pelle suffultam.* Hæc si esset mens *Solomonis*, agnos hircis non opponeret, quomodo opponit his verbis, *Agni in vestitum tuum, & hirci sunt pretium agri.* Pelles enim caprinæ, æquè ac ovillæ in vestium usum adhibentur, & utrisque commune nomen *melote.* *Agni* igitur *in vestitum tuum*, id est, *agnorum lana*, vel, quod idem est, *ovilla.* Quamvis enim alicubi etiam è pilis caprinis panni texantur, tamen id est infrequentius, neque in *Judæa* receptum fuit. Et veteres quidem in *Lycia*, & *Cilicia* capras memorant fuisse longissimis villis, & ut oves tonderi solitas: sed ex iis nihil contextum, aut confectum legi, præter cilicia, & rudentes in usum nauticum, aut funes ad tormenta bellica. At lanei panni usus ubique receptus est, & ab omni ævo. Proinde lanei panni meminit *Moses*, cui linum misceri vetat *Deut.* 22, 11. Et *Job.* 31, 20. *vellere*, seu *tonsione ovium calefieri*, id est, *panno ex lana detonsa confecto.* Et *Ezech.* 34, 3. *Lac ovium comeditis, & lanam induitis.* Et *Ezech.* 44, 17. de Sacerdotibus dictum, *Lana non ascendet super ipsos*, id est, *lanâ non induentur.* Et *Os.* 2, 9. *Eripiam lanam meam, & linum meum, quibus tegebant nuditatem suam*, id est, *laneas, & lineas vestes.*

Hæc in genere de lanæ usu præcipuo, & primario; sed, si ad specialia descendas, ejus usum reperies primò in sacris. Nam lanæ primitiæ DEO solvebantur. Hinc *Deut.* 15, 19. *Nè tondeto primogenitum ovium tuarum.* Et *Deut.* 18, 4. *Primitias velleris ovium tuarum ei dato*, Sacerdoti scilicet. Hanc legem multis explicat *Maimonides* in *Biccurim* capitis decimi paragraphis sexdecim, quorum primo observat primitias velleris in Lege non æstimari, sed in scribarum verbis, qui vetant, nè minores sint מאחד מששים *quam unum ex sexaginta.* Addit alibi non solvi, quàm in *Judæa*, sive stet Templum, sive non stet, ùt segetum primitias, nec solvi de sacris, sed de profanis. Cætera ibi vide, neque enim vacat hæc describere.

Eòdem potest referri quod propter Deum pauperi dabant. *Job.* 31, 19. 20. *Si quem perire vidi vestis inopiâ, & pauperem absque operimento, si non mihi benedixerunt lumbi ejus, ac non incaluit agnorum meorum vellere.* Etiam ingrati pauperis lumbi nobis dicuntur benedicere eleganti Prosopopœiâ, quia tale beneficium non perit apud Deum, qui illud rependit suo tempore. Ut sanguis occisi *Abelis* de terra clamâsse legitur, quia impius fratricida ultorem habuit Deum. At *Syrus* multò aliter ܥܠ ܒܘܪܟܝ ܐܬܪܒܝܘ *Super genua mea educati sunt*, quasi legerit על־ ברכי חסל־ אתחסלו pro לא ברכוני חלצי. *Chaldæis* nimirum חסל est *ablactare*, & *educare.*

Etiam ad sacra pertinet aspergillum ex hyssopo & lana coccinea, de quo *Levit.* 14, 49. & *Heb.* 9, 19. ubi de *Mose* quædam habet *Apostolus*, ut & capitis duodecimi versu vigesimo primo, 2. *Tim.* 3, 8. quæ à *Mose* nusquàm referuntur. Sed ea discere potuit vel ex *Judæorum* libris, vel ex Dei revelatione.

Sunt & alii lanæ usus. Lana partem faciebat tributi Regis *Moab*, qui pro tributo annuo centum agnorum millia *Israelis* Regi solvebat, & totidem arietes simul cum lana, 2. *Reg.* 3, 4. Neque enim detonsos licebat exhibere. Huc pertinere creditur, quod *Es.* 16, 1. *Moabitas* ita compellat *Propheta*, *Mittite agnum dominatori terræ* è Petra, *quæ est versùs desertum ad montem filiæ* Sion. *Mittite agnum*,] id est, agnorum numerum olim imperatum. Est Enallage numeri. *Dominatori terræ*] id est, *Ezechiæ* Regi, qui, regno *Israelis* ab *Assyriis* jam destructo, & abolito, *Judææ*

totius

totius jam est verus & legitimus Rex. Itaque illi debetur tributum, quod primò *Davidi*, & *Solomoni*, 2. *Sam.* 8, 2. & 1. *Paral.* 18, 2. posteà, lacerato regno, Regibus *Israelis* solutum est, 2. *Reg.* 1, 1. & 3, 4. (Petra, *quæ est verbis desertum*) quam posteriora sæcula vocârunt כרך־מואב *Charach Moab*, id est, *arcem Moab*. & *Græci* Χαράκμωβα. *Stephanus*, Χαρακμῶβα, πόλις τῆς τρίτης Παλαιστίνης, ἣν ἀναγράφει Πτολεμαῖος ἐν Γεωγραφικοῖς ἐν τῷ πέμπτῳ βιβλίῳ, ἐν τοῖς Ἀραβίοις. Characmoba, *urbs* Palæstinæ *nunc tertia dictæ*, *quam in* Geographicis *describit* Ptolemæus *libro quinto in Arabicis*. Inde igitur *Ptolemæus* est corrigendus, in quo pro Χαράκμωβα perperam hodiè legitur Χαράκωμα. Eodem hæc *Glauci* pertinent *Arab*. lib. 4. Ἡσύχαζον δ' ἐν τούτοις Χαρακμωβηνοί· *Interea quieti erant* Characmobeni.

De muliebribus lanificiis ità *Solomon* in descriptione mulieris fortis, id est, strenuæ & industriæ *Prov.* 31, 13. *Quærit lanam, & linum, & operatur pro voluntate manuum suarũ*. *Quærit*, Hebr. דרשה, id est, *comparat*, ut *Aben Ezra*. Sed hic *Græci* μηρυομένη, id est, *filum deductum glomerans*. Nempe legerunt דרה unâ literâ minùs, tanquam à דרר, quod *Arabicè* in quarta Conjugatione significat *torquere fusum*. Et سرارة est *fusus*, *qui sic torquetur*: & مدرة *mulier*, *quæ fusum celeriter torquet*. quæ omnia rectè in *Golio*, sed in *Giggeio* valde corrupta; quia pro المغزل id est, *fuso*, legit الغزل *sermonem*. Vide illum *Thesauri Arabici* tom. 2. pag. 48. Itaque ex hac lectione reddendum, *Glomerat lanam, & filum*; nempe circa fusum, quem torquet. Tamen *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotion* hic habuerunt ἐζήτησεν, & *Chaldæus* תבעא, & *Syrus* ܒܥܬ id est, *quæsivit*. Constat igitur eos omnes eodem modo legisse. At *Arabs* تمد يدها *Extendet manum suam ad lanam, & linum*; quod sumptum ex *Græco*, quem hic sequitur, sed perperam intellecto. *Græcum* enim μηρυομένη in *Hesychio* exponitur ἐκτεινομένη· & μήρυγμα, τὸ ἐκτεινόμενον, quia filum extendi oportet, antequam glomeretur fusi circumactione. Nisi pro ἐκτεινομένη, & ἐκτεινόμενον, legendum sit ἐκπλυνομένη, & ἐκπλυνόμενον. Certum enim est hæc duo verba passim se mutuò explicare. Sic *Aristophanis Scholiastes* in *Ranis*, ad vocem ἐκπλυνεῖ, Metaphoram esse docet ἀπὸ τῆς τὴν κρόκην μηρυομένων εἰς πλύσιν. Et *Hesychius* ipse alibi, ἐκπλυνεῖται, ἐκμηρύσεται, quomodo rectè legit *Stephanus* pro ἐκμυείσεται in sequentibus, *Et operatur pro arbitrio manuum suarum*, manibus strenuæ mulieris voluntas, & προαίρεσις, per prosopopœiam tribuitur, & ad laborem propensio, ut contrà, pigri manibus à labore aversio, cum de eo dicitur *Prov.* 21, 25. *manus ejus quidquam operari renuunt*.

De lanis ad comercia locus est insignis *Ezech.* 27, 18. quem supra jam attigimus. Ibi *Propheta Tyrum* ita compellat, *Damascus negotiatrix est tua*, &c. *Vino* Chelbon, *& lanâ candidâ*, vel *rutilâ*, si mavis. Nam *Hebræo* צחר significari docuimus colorem album subrubrum, qui fortasse *Græcis* rutilus, & *Erythræus*. *Plinius* lib. 8. cap. 48. ubi de ovium, & lanarum coloribus; Hispania *nigri velleris præcipuas habet*, Pollentia *juxta* Alpes *cani*, Asia *rutili*, *quas* Erythræas *vocant*. qui color etiam in quosdam asinos non malè quadrat, ut inde dici potuerint אתנות צחרות *Jud.* 5, 10. Utut sit, ex *Ezechielis* loco supra allato colligere est *Damascenos* duabus maximè rebus *Tyrias* nundinas insignivisse, vino scilicet, atque lanâ. Et vinum quidem vocatur *Hebraicè* יין חלבון *vinum Chelbon*, id est, ex *Chelbone*, seu *Chalybone*, quomodo *Græci* efferunt, quod vinum fuit tam eximium, ut *Persarum* Reges è nullo alio biberint. *Strabo* libro decimo quinto. Διὰ δὲ τὸν πλοῦτον εἰς τρυφὴν ἐξέπεσον οἱ βασιλεῖς, ὥστε πυρὸν μὲν ἐξ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος μετιέναι, οἶνον δὲ ἐκ Συρίας τὸν Χαλυβώνιον. *Per opulentiam Reges in luxum prolapsi sunt, ita ut triticum advehi juberent ex* Asso Æolidis, *& vinum ex* Syria Chalybonium. Unde *Hesychius*, Χαλυβώνιος, εἶδος οἴνου ἀπὸ τόπου τινὸς τῆς Συρίας, Chalybonium, *vini species a loco quodam* Syriæ. Malè in *Suida* scribitur Χαλυδώνιος οἶνος. Et *Plutarchi* lib. 2. *De fortuna Alexandri*, Οὐδὲ τρυφαὶ Μηδικαὶ, καὶ τράπεζαι, καὶ γυναῖκες, οὐδὲ Χαλυδώνιος οἶνος· *Neque deliciæ Medicæ, & mensæ, & mulieres, neque* Chalydonium *vinum*. Et utrobique rescribendum Χαλυβώνιος. Nec est, quod quis miretur è *Damasco Tyrum* fuisse advectum. Nam *Chalybonia* vites *Damasci* propagatæ fuerant, *Persis* (id est, *Assyriis*, ut hi populi à *Græcis* promiscuè sumuntur) ita procurantibus. Id ex *Posidonio* docet *Athenæus* libri primi capite vigesimo secundo; quod maximè notandum: Ὁ Περσῶν βασιλεὺς, inquit, τὸ Χαλυβώνιον μόνον οἶνον ἔπινεν· ὅν φησι Ποσειδώνιος κἀν Δαμασκῷ τῆς Συρίας γίνεσθαι, Περσῶν αὐτόθι καταφυτευσάντων τὰς ἀμπέλους. Persarum *Rex nonnisi* Chalybonium *vinum bibit*, *quod ait* Posidonius *etiam* Damasci *gigni*, *cum ibi* Persæ *vites* (Chalybonias) *propagaverint*. Porrò vinum illud cur *Chaldæus* appellet חמר חלת מבש־ *vinum Chelath coctum*, ignoro juxta cum ignarissimis. Nugantur enim, qui reddunt *vinum dulce conditum*. Omnino *Chelath* est loci nomen, sed mihi prorsus ignoti. Pagi fortasse nomen fuit circa *Damascum*, in quo *Assyrii* vites, quas diximus, propagaverant. At cur *Damascena lana* eidem interpreti dicatur עמר מלת כבינא *lana Melat circumligata*, alibi jam aperui. Nec *Melat* ἀπὸ τῆς μηλώτης, ut hactenus fuerat creditum, sed à *Mileto* nominari, ubi eximium fuit lanæ genus. Itaque *Græci* etiam hic habent ἔρια ἐκ Μιλήτου. Non, quod *Damascenos* hanc lanam è *Mileto* attulisse crediderint, sed quia *Milesiam* lanam æquabat puritate, & mollitie. Atque ob id ipsum erat כבינא *circumligata*, ut habetur in *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* cap. 5. מכבנין אותו למילת *Circumligant eum* (agnum scilicet) *ut sit melath*. Et ibi *Glossa*, לעשות מצמרו כלי מילת, *ut ex lana ejus fiant* Milesiæ *vestes*. Et *Selomo* in *Ezechielem*, ביום שנולד הטלה וטיהרתו אמו בלחיכתה עושין כסות ומכבנין אותו סביביו בקרסין כדי שיהא צמרו נקי *Quo die natus est agnus, & mater illum lambendo expurgavit, parant ei integumentum, quod fibulis circumquaque annectunt, ut pura sit lana ipsius*. Oves hujusmodi *Varro pellitas* vocat *De re rust*. lib. 2. cap. 2. *Pleraque*, inquit, *similiter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem* (*ut sunt* Tarentinæ *&* Altinates) *pellibus integuntur, ne lana inquinetur*. Unde *Diogenis Cynici* jocus apud *Laertium* libro sexto, cum *Megaris* videns τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνοὺς, *oves quidem pellibus tectas, eorum autem liberos nudos, præstare dixit* Megarensis *arietem esse, quàm filium*. Et *Columella* (lib. 8. cap. 4.) monet, ut liberis campis, & omni surculo ruboque vacantibus, pascant, *nè & lana carpatur, & tegumenta*. *Damascenæ* porrò lanæ fama durabat adhuc ævo *Hieronymi*, qui in hunc locum de *Tyro* sic habet; *Ad nundinas ejus de* Damasco *deferebatur vinum pinguissimum, & lana præcipua, quod usque hodie cernimus*. Sed sericum, & gossipium, quorum hodiè *Damasci* maximus est proventus, lanæ famam obscuraverunt.

Circa lanæ usum duo sunt in Lege prohibita, quorum ratio non satis liquet. Primum שעטנז *saatnez*, *Levit.* 19, 19. Quod quid sit nè ignoremus, ita explicatur in repetitione Legis *Deut.* 22, 11. *Non indueris* שעטנז צמר ופשתים יחדו *saatnez, lanam & linum simul*. Ergo lana & linum in eodem paño aut vestimento simul comixta *Hebraicè* vocantur *saatnez*. De origine vocis *Hebræi* multa nugantur, quæ consultò prætereo; quia nullam ha-

habent veri speciem. Videtur esse composita ex שעט *saat*, & נז *nez*. Ad prius alludit *Arabum* سوط vel ساط *sata*, quod *miscere* est, propriè *res liquidas*, sed & alia quævis, puta opes, greges, & similia. Et נז *nez*. Hebræi *textum* reddunt. Itaque, cum simul misceantur duo heterogenea, potuit id vocari שעטנז *saatnez*. In שעט, & سوط, *Ain* & *Vau* permutata sunt, ut in *Syro* ܥܘܦ pro عوف *Arabs* Interpres in *Suecia* manu-scriptus verba Legis sic reddit, ولا تلبسوا ثيابا مخلطة من كتان وصوف واشباه ذلك *Non induetis vestes mixtas ex lino & lana, & his similes.* Quasi analogicâ ratione Lex prohiberet etiam alias pannorum misturas. Sed contrà *Talmudici* in *Kelaim* cap. 9. statim initio, אין אסור משום כלאים אלא צמר ופשתים *Nullum (in pannis) heterogeneum prohibitum est præter lanam, & linum* Sequitur tamen exceptio, quam affero ut explicem, quia non satis intelligitur, השריים והכלך אין בהם משום כלאים אבל אסורים מפני מראית העין Sensus est, Dei Legem, quæ lanam & linum prohibet in eodem panno simul miscere, non idem vetare de bombycino, & *calch*: tamen *Magistros* vetare, ne misceantur propter externam speciem, id est, quia linum & lanam externâ specie ità referunt, ut quisquis ea miscuerit videri possit peccâsse in Dei Legem, unde materia esset scandali. Quæritur porrò, quid ibi sit כלך *calch*, - - - *& adhuc sub judice lis est. Baal Aruch* ita explicat, כלך נשקרא מטכסא השיראין הסיריקין כלן ממין שירא פרנדאי הן אלא משונין בארגתן יש מהן דקים ויש מהן עבים יש מהן בניר אחד ויש מהן בב נירין ויותר יש שיש בהן צורה ויש שאין בהן צורה כדאמרינן ברוקם וחושב ויש מפרשים כלך פסולת שרי משי אותן קליפות שנשארו מן המשי שמוציאין התולעין ואין* נוחין לטוות Calch, guskra, metacsa, *bombycinum*, *& sericum*, *sunt totidem species serici* Pharandæi, *quæ sunt textura varia. Alia enim tenues sunt, alia crassa: alia fili unius, alia duorum, aut plurium: alia figurata, alia sine figuris, ut diximus in vocibus* רוקם, *&* חושב. *Porro sunt, qui* calch *stupam serici interpretantur, aut cortices, qui supersunt ex bombycino, quod educunt bombyces quique ad nendum sunt inepti.* Hæc ille, quosdā sequutus, qui ità reddunt in *Gemara Talmudica* Tractatu *De Sabbatho* cap. 2. At ibidem *Rabbi Samuel* se rogâsse dicit, quid sit כלך *calch*, ab iis, qui in mare descendūt, qui responderūt alio nomine vocari כולכא *colcha* Quod ita explicat *Hebræorum* longè doctissimus *Maimonides* in libro *De heterogeneis* cap. 10. יש בכרכי הים כמו צמר שגדל על האבנים שבים המלח תבניתו כתבנית הזהב והוא רך ביותר וכלך שמו ואסור עם הפשתן מפני מראית העין שהוא דומה לצמר רחלים וכן השירין והכלך אסורין מפני מראית העין *Est in maritimis urbibus tanquam lana petris innascens, quæ sunt in mari Salso* (id est in Oceano) *aurei coloris, valde tenera,* calch *nomine, quam lino miscere vetitum, quia externa specie lanam ovium refert. Quemodo sericum &* calch *non licet simul miscere propter externam speciem*, quâ scilicet linum & lanam referunt. Nempe *calch* lanæ simile est, ut sericum lino, ut ibidem habet *Glossa*. Quam interpretationem alterâ illa esse veriorem, quæ *calch* statuit speciem esse serici crassioris, vel ex eo colligas, quod sericum, quantumvis crassum, lino, quàm lanæ similius est. Itaque *calch*, quidquid sit, aliud est à serico, nempe aliquid lanæ simillimum, ita ut visum fallat, & credatur esse lana, ac proinde prohibeatur, ne quidquam fiat, quod vel in speciem sit contrarium Legi Divinæ. Sed quid illud tandem sit, quod in *Oceani* littore petris adnascitur, aurei coloris, lanæ simile, *calch*, vel *colcha* nomine, ex quo pannus texitur, aut texi potest, dicere non est obvium, & rem ignotam edocenti *διδάκτρον* meritò debebitur pro indicinæ præmio: ego, dum meliora suppetant, rem hic afferam, quæ vel vera est, vel certè vero proxima. Nempe *Hebræos* hoc nomine nihil quidquam designâsse, quàm τὸ πίννινον ἔριον, id est, *pinnæ seu conchæ margaritiferæ lanam*, quia in illam omnes notæ, quas diximus, apprimè quadrant. Primò, pinna petris hæret, atque innascitur, quod omnes sciunt, & in *Orientalis Oceani* littoribus est maximè frequens. Secundò, hirsutam, & villosam describunt prisci Scriptores. *Androsthenes* in *India* παράπλῳ apud *Athenæum* libri primi capite decimo tertio, ubi de concha margaritifera, quam *Indi* appellant *Berberi*; οὐ διέλυπταί, ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει, καὶ δασύ· *Non est sculpta, sed levem habet testam, & hirtam.* In quę verba magnus interpres, *Quod testā eandem λείαν & δασεῖαν facit* Androsthenes, *difficultatem parit, nisi de variis partibus intelligas.* Sed non opus est huc recurrere. Neq; enim ἡ λειότης, *lævor*, ubiq; τῇ δασύτητι, *hirsuties*; sed sæpe τῇ τραχύτητι, *asperitati* opponitur. Proinde λεία dici potest etiam concha villosa, modo non sit striata & inæqualis, aut scabra, & aspera, ut vulgaria ostrea. Quod voluisse *Androsthenem* patebit attento lectori. *Sculpta non est*, inquit, *sed lævem habet testam.* Ergo *lævem* ideò vocat, quia sculpturis, & incisuris caret, cùm de cætero sit δασύς, id est, *hirta*, & *villosa*, ut lepus δασύπους dicitur, quia hirtos habet pedes. Tale est, quod apud *Plinium* (lib. 9. cap. 35.) *Juba* dicit esse *hirsutam echinorum modo*: nempe marinorum, qui *Aristoteli* βρύττοι. *Hesychius*, Βρύττος, εἶδος ἐχίνου πελαγίου, ὡς φησιν Ἀριστοτέλης. Itaque pro βρίσσων legendum βρύττων in his *Aristotelis*, *Hist.* lib. 4. cap. 5. Ἄλλα δὲ δύο γένη, τό τε τῶν σπατάγων, καὶ τὸ τῶν καλουμένων βρίσσων· γίνονται δ᾽ οὗτοι πελάγιοι καὶ σπάνιοι. *Sunt & alia duo* (echinorum) *genera, spatagi, & qui vocantur brissi* (imo *bryttı*) *qui marini sunt, & infrequentes.* Porrò ab his bryttis, qui villosi erant, dici βρυττίνην ἀμοργὸν, id est, *bryttinam byssum*, in *Cratini Malthacis* & βρύττινον πλέγμα, *bryttinum stamen*, rectè conjicit *Salmasius* ὁ μακαρίτης, quamvis *Hesychius* aliter accipiat. Unde est, quod villorum ratione cum his echinis pinna confertur à *Juba*, & *Plinio*, qui ob id ipsum conchas quasdam *crinitas*, & *crispas* esse dixerat capite trigesimo tertio. Tertiò, pinnæ villus *lana*, & *vellus* appellatur, & cum ovillo confertur. *Neophytus* in *Iatrico*, Μάγυγμα, ὁ κροκὺς τῆς κηρύκων, καὶ τῆς πιννῶν, καὶ τὸ ἐξημμένον αὐτῆς μαλακὸν ἔριον· Merygma, *floccus muricum, & pinnarum, & lana mollis iis annexa.* Glossæ, Πίννινον, *marinum vellus.* Tertullianus, *De pallio* cap. 3. *Nam & de maris vellera, quo muscosæ lanositatis lautiores concha comant.* *Basilius* Homilia septima *ad divites*, Τὰ δὲ ἐκ θαλάττης ἄνθη, ἡ κόχλος, ἡ πίννα (ἀποδέξεται) ὑπὲρ τὸ ἐκ τῶν προβάτων ἔριον· *Maris autem flores, concha, pinna, majore studio quæritur, quàm lana ex ovibus.* Lexicon *Cyrilli* apud me nondum editum, Πίνος, καὶ πινώδης, ῥύπος, καὶ ἔριον θαλάσσιον. Vult his vocibus non solùm *sordes*, sed & *lanam marinam* significari. Quartò, pinnino velleri color assignatur aureus. *Basilius* in *Hexaemeron* Homiliâ septima, Πόθεν τὸ χρυσοῦν ἔριον αἱ πίνναι τρέφουσιν, ὅπερ οὐδεὶς τῶν ἀνθοβάφων ἐμιμήσατο; *Unde lanam auream pinnæ nutriunt, quam nemo eorum imitatus est, qui floridis coloribus lanas imbuunt?* Quod more suo sic amplificat *Ambrosius* in *Hexaëmeron* lib. 5. cap. 11. *Aureum etiam vellus aqua nutrit, & lanam in memoratı speciem metalli gignunt littora, cujus colorem nullus adhuc eorum, qui fucis diversis obducunt vellera, imitari potuit: adeò natura maritima gratiam humanam implere nescit industria.* Et paulò post, *Hic naturalis color*

* Fortè נכגין

color est, quem nullus adhuc fucus æquavit: hoc quoq; pinnis est vellus. Inde πιννινότειχα πρόβατα vocari observat *Salmasius* oves, quæ lanam habent ejusdem coloris cum pinnarum vellere, id est, aurei. Et in *Ezechiele Tragœdo* phœnix, qui *Mosi* scilicet apparuit prope *Elim*, κροκοπίνοις μαλλοῖσιν ἐυπρεπίζετο, *croceo pinnæ vellere decorabatur.* Ita legit *Eustathius* in *Hexaemeron*, non κροκωτίνοις, ut *Eusebius* libro nono *Præparationis Evangelicæ.* Unde patet quorsum *Hebræa* verba *Prov.* 25,12. חלי כתם vetus aliquis interpres, quē citat *Scholiastes*, reddat, Καὶ πίννωσις χρυσῆ, ubi *Drusio*, & aliis hæret calculus. Πίννωσις χρυσῆ est *aureum pinnæ vellus.* Itaque videtur ille interpres pro חלי legisse חלך, verbum sono tam vicinum *Talmudico* כלך ut pro eodem sumpserit. Quintò, veteres etiam patet hanc lanam novisse, ut ex ea facerent comas adscititias. *Phile*, cap. 88. *De animalibus*,

Πίννη δ' ποιεῖ καὶ τριχῶν βλάστην ξένην,
Ὡς ἐξ ἀραχνῶν συμφυῶν τῶν ἐγκάτων·
Ἧς ἡ φεραυγὴς, καὶ χλιδῶσα λιπτότης,
Ξανθοῖσι πλοχμοῖς ἐνδεθεῖσα παρθένων,
Σπαργῶντας αὐταῖς μαστροπεύει νυμφίους.

Pinna autem pilorum mirabile facit germen; ac si ex aranearum visceribus produceret: cujus lucida, & deliciosa tenuitas, flavis virginum cincinnis illigata, procos in eas prurientes conciliat. Sed & ad ellychnia fuisse adhibitam hanc lanam *Talmudici* sic docent. אין מדליקין בלכש ולא בחוסן ולא בכלך *Lucernas die Sabbathi non accendunt cedri musco, nec stupâ lini, neq; τῷ calcb, seu colcha.* Verba sunt in Tractatu *De Sabbatho* cap. 2. Vestes quoque ex eadem materia sic describit *Procopius* in Commentario *De Justiniani fabricis* sub initium libri tertii, Χλαμὺς ἐξ ἐρίων πεποιημένη, οὐχ οἷα τῶν προβάτων ἐκπέφυκεν, ἀλλ' ἐκ θαλάσσης συνειλεγμένων (lege συνειλεγμένων) πίννους τὰ ζῶα καλεῖν νενομίκασιν, ἐν οἷς ἡ τῶν ἐρίων ἔκφυσις γίνεται. *Chlamus ex lanis facta, non quales sunt ovium, sed è mari sumptis: pinnas vocari censent animalia, in quibus hæ lanæ producuntur.* Marsupium ingens cum assutis è pinna fimbriis nobilem virum Dominum à *Beringen*, *Henrici Quarti* Regis Cubiculariorum primicerium, sibi ostendisse testatur *Casaubonus* in *Athenæum* lib. 3. cap. 11. Ex quo viro nata rari exempli mulier, nec minùs virtute, & pietate, quam genere nobilis, Domina *de la Lusserne* in hac ipsa urbe habitat. Lanam porro, quam diximus, Persæ قز *kaz*, & *Arabes* خز *chaz* vocant. *Giggeius* explicat *sericum crassius*, aut *vestem ex lana & serico*, id est, ex lana, quæ habetur pro crassiore serico. Et præstantissimus *Golius*, ex *Marnphide*, *lanam seu pilos animalis marini, ex quibus texuntur vestes, & pannum ex iis contextum.* Hinc in *Nasrio* (Scriptore *Arabe Onirocritico*, quem legi adolescens in *Oxoniensi* Bibliotheca) in illo, inquam, *Nasrio* libro 3. capite 43. sect. 25. ثياب خز *vestes chaz*, in somnis visæ, divitias significant. Fallitur vir doctissimus, qui marinum animal, ex quo lana illa desumitur, putat esse *castorem.* Castor enim marinum non est animal, sed fluviatile. Et ejus pilos *Arabes* وبر potius, quam صوف, seu *lanam*, appellant. Nec opus esset circumloqui, si de castore ageretur, qui *Persico* nomine, apud illos notissimo, جندبادستر *gendobadster* dicitur. Sextò, ut lector intelligat, cur *Talmudici* pinnam, & auream ejus lanam כלך *calcb*, vel כולכא *colcha* nuncupent, notandum est præter *Colchos* illos πολυθρυλλήτους, alios ad *Orientalem Oceanum* fuisse *Colchos*, de quibus *Ptolemæus*, & *Arrianus* in *Periplo.* Hodie *Cochin* appellant non multùm diverso nomine. Ibi porro, & in vicinis locis, multa est pinnici piscatio, id est, pinnarum, unde margaritæ. *Ptolemæus* in descriptione *Indiæ intra Gangem*, lib. 1. cap. 7. Καρεῶν, ἐν κόλπῳ Κολχικῷ, ἐν ᾧ κολύμβησις πιννικοῦ· *Careorum regio in sinu* Colchico, *in quo pinnici piscatio. Arrianus* in *Periplo*, Ἄλλη παρήκει χώρα, &c. ἡ Παραλία λεγομένη, πρὸς αὐτὸν τὸν νότον, ἐν ᾗ καὶ κολύμβησις ἐστιν, ὑπὸ τὸν βασιλέα Πανδίονα, πιννικοῦ, καὶ πόλις ἡ λεγομένη Κόλχοι. *Alia sequitur regio ad* Austrum *spectans*, Paralia (seu *Littorea*) *dicta, in qua pinnici est piscatio, sub rege* Pandione, *& urbs* Colchi *dicta.* Et paulo post de *Comari* (hodie *Comorin*) regione *Colchis* proxima, Ἀπὸ δὲ τοῦ Κομαρεὶ ἐκτείνουσα χώρα μέχρι Κόλχων, ἐν ᾗ κολύμβησις τοῦ πιννικοῦ ἐστιν· ὑπὸ δὲ καταδικασμένων κατεργάζεται. *A* Comari *regio quædam ad* Colchos *usque porrigitur, in qua margaritarum est piscatio, cui capite damnati operam navant.* Et rursus, Μετὰ δὲ Κόλχους ἐκδέχεται πρότερος αἰγιαλὸς ἐν κόλπῳ κείμενος, ἔχων χώραν μεσόγειον, λεγόμενος Ἀργάλου. ἐν ἑνὶ τόπῳ περονεῖται παρ' αὐτὴν τὴν Ἠπιοδώρου συλλεγόμενον πιννικόν. *Post* Colchos *autem sequitur primum littus in sinu situm*, Argali *dictum, regionem habens mediterraneam. In cujus unico loco margarita perforantur juxta* Epiodori *insulam collecta.* Pro Ἀργάλου *Ptolemæus* Ἀργείρου, vel Ἀργάρου, unde margaritæ putantur dictæ. Sed, sive scribatur Ἀργάρου vel Ἀργάλου, parum refert, cum *Syris margarita* sit, ܡܪܓܠ *margal*, & ܡܪܓܠܝܬܐ *margalith*, per L. Ex his igitur cùm constet satis magnam esse pinnarum copiam circa *Colchos*, justa fuit causa, cur, ab istis *Colchis* sumpto nomine, כולכא *colcha* diceretur aurea illa lana, quæ pinnis adnascitur. Nostram hanc in *Colchos* usque, vetustis illis longè remotiores, excursionem lector, ut quidem speramus, non iniquo feret animo, cum, *Argonautarum* instar, inde referamus aureum vellus. Quod me pene fugerat, ad pinnæ lanam multi referunt locum *Aristotelis*, *Hist.* lib. 5. cap. 15. Αἱ δὲ πίνναι ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βύσσου ἐν τοῖς ἀμμώδεσι, καὶ βορβορώδεσιν· quæ *Gaza* ita reddidit, *Pinnæ erectæ locis arenosis cœnosisq; ex bysso, id est, villo, sive lanâ illâ pinnali proveniunt. Scaliger* quoque, *Pinnæ surrectæ enascuntur ex bysso in sabuletis, & cœno.* Et *Rondeletius*, *Pinnæ, &c. ex bysso proveniunt.* Sed *Gesnero* id suspectum est, 1. Quia pinnarum villus non appellatur *byssus* uspiam, sed *lana*, aut *vellus.* 2. Sive *byssum*, aut *lanam* appelles, ex eo villo pinna non provenit, sed potius villus ex pinna. 3. *Byssus* pro *lino* Fœmininum est: itaque dicendum fuisse ἐκ τῆς βύσσου, non ἐκ τοῦ βύσσου. 4. Proinde, mutato accentu, legendum contendit ἐκ τοῦ βυσσοῦ, id est, *ex fundo maris proveniunt*, qui ferè pinnarum naturalis est locus. 5. Inde est, quod *Athenæus*, hunc ipsum locum *Aristotelis* referens, pro ἐκ τοῦ βύσσου habet ἐκ τοῦ βυθοῦ, *ex fundo.* Et de pinna dicit *Oppianus* libri secundi *Halieuticῶn* versu 186.

Ὄστρακον αὖ βυθίας μὲν ἔχει πλάκας,

Testa quidem profundas maris plagas obtinet. Et *Nicandri Alexiph.* vers. 391. quædam editiones sic legunt,

Κνώδαλα φυκιόεντα, βυθοὺς ἅτε βόσκεται ἅλμης,

Animalia in alga degentia, quæq; pascuntur in fundo maris. id est, pinnæ, & conchæ reliquæ, quas recenset continuo post. Quibus rationibus cum videatur vir doctissimus etiam ab invitis assensum extorquere, miror, cur *Casaubonus* ὁ μέγας inter utramque hanc sententiam hæreat ita suspensus, ut nesciat cui se addicat. Ego ut rem certam assero, *Græcos* vetustiores nihil scripsisse de lana pinnæ, nec ejus meminisse quenquam ante *Jubam*, & *Androsthenem*, quos pares, aut suppares fuisse putaverim. De ea saltem apud *Ctesiam* nihil extabat, nec apud eos, qui scripserunt de rebus *Alexandri*, quos *Strabo*, & *Diodorus* diligenter evolverant. Nec ante *Procopium Græcorum* ullus est, quod sciam, qui vestis meminerit ex ea materia confectę. Sed *Talmudici* Doctores, qui *Babylone* degebant, de mercibus *Indiæ* sui temporis potuerunt citius & certius edoceri, quam *Græci.* Tale est, quod margaritæ in *Græcia* diu ignotæ à *Jobo* & *Salomone* celebrantur disertis verbis. Atque ipsum nomen פנינים *peninim*, vi-

videtur ex *pinna* factum, translato conchæ nomine ad gemmam in ea inclusam. Quomodo nos *perlam* appellamus, voce ex *perna* deflexa. Quippe etiam *perna* dicitur concha margaritifera, quia pernæ figuram utcumque imitatur.

Sed, ut eo jam revertamur, unde digressi sumus, si quis quærat quorsum Deus lanæ cum lino mixtionem *Israelitis* interdixerit, cùm res per se sit prorsus ἀδιάφορος, pauca habebo, quæ respondeam. Neque verò hujusmodi rituum ratio exigenda est, cùm pleriq; ex mero pendeant legislatoris arbitrio. Veteribus tamen assentior, qui Deum volunt suos hoc ritu vocâsse ad morum simplicitatem. *Theodoretus* in *Leviticum* Quæstione vigesima septimâ nos ita doceri asserit πράξεις ἐναντίας μηδαμῶς ἐπιτηδεύειν, *non esse dandam operam contrariis actionibus.* *Cyrillus* libro septimo *De adoratione* confert *Lev.* 19. *v.* 16. Οὐ πορεύσῃ δόλῳ ἐν τῷ ἔθνει σου, *Non ambulabis dolose in gente tua*, cum versu decimo nono, quo vetatur ἱμάτιον ἐκ δύο ὑφασμένον, *vestis ex duobus texta*; quasi sit idem diversis verbis. Et iis, qui sunt duplici corde, opponit μονοτρόπους, de quibus *Psal.* 67. *v.* 7. Κύριος κατοικίζει μονοτρόπους ἐν οἴκῳ. Ubi tamen μονότροποι non dicuntur *viri simplices*, sed יחידים *solitarii*, id est, *qui liberis carent*. Ut sæpe μονότροπον pro *solitario* usurpant *Plutarchus* & *Basilius*. *Josephus*, utut Sacerdos, *Judaicarum* tamen Legum interpres quandoque pessimus, vult soli populo interdici vestes ex lana & lino, ut sic distinguatur à Sacerdotibus, quibus erat permissa. Verba sic habent *Antiq.* lib. 4. cap. 8. Μηδεὶς ἐξ ὑμῶν καλῶς τὴν ἐξ ἐρίου καὶ λίνου στολὴν φορείτω· τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι. *Nemo vestrûm ex lana & lino vestem honestè gerat. Sacerdotibus enim solis hæc concessa est.* Quod est oppido falsum. Nam quidquid habetur legum *Lev.* 19. & *Deut.* 22. ubi vestis heterogeneæ usus interdicitur, tam Sacerdotes, & *Levitas* respicit, quàm reliquas *Judæorum* tribus. Nihil ibi reperias peculiare plebi. Et verò, licet Sacerdoti variæ vestes assignentur, byssinæ, purpureæ, coccineæ, hyacinthinæ, tamen illarum nulla pars ex tali mistura constitit. Quin certi ministerii tempore lanearum vestium usus Sacerdotibus prorsus fuit interdictus. *Ezech.* 44. *vers.* 17. *Cum ingredientur portas interiores atrii, vestes lineas induent, nec laneum indumentum gerent.* Ad verbum, *Non ascendet super eos lana, cum ministrabunt in portis interioris atrii.* *Lana*, id est, כסות עמר *lanea vestis*, ut habet *Chaldæus* Interpres. Eodem refert *Junius* quod habetur versu sequente, *Non cingent se* ביזע, ad verbum *in sudore*, id est, si illum sequimur, *ullâ re sudatoriâ, ut sunt vestimenta lanea, quorum proximè meminerat.* Quod ille sumpsit ex *R. Selomone*. At vestimenta lanea non sunt semper sudatoria. Gausapa, & lanea fuerunt, ἀμφίμαλλα. Dicit tamen apud *Martialem* penula gausapina libro 14. *Epigr.* 144.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Ut me vel mediâ sumere messe velis.

Præterea de cingulo hic agitur, quod, ex quacunque sit materia, sudorem non excitat. Denique *sudoris* nomine durum est *rem sudatoriam* intelligere, seu *quæ sudorem provocet*. Proinde *Talmudicis* accedo potius, quibus *cingi in sudore* est (h) *cingi* במקום שמזיעין *in locis, in quibus sudant*, id est, vel ad axillas, vel infra lumbos. Quorum neutro Sacerdotes lineis vestitos cingi voluit Deus, ne sudor corporis sacras vestes inficeret. Proinde cingebantur in medio intervallo, id est, in costis, & circa mammas. Quam interpretationem valde confirmat, quod summum Ecclesiæ Sacerdotem, id est, Dominum nostrum *Jesum Christum* *Joannes* raptus in extasin, vidit περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μαζοῖς ζώνην χρυσῆν, *zona aurea cinctum circa mammas*, Apoc. 1. v. 13. Sed hæc sunt alterius loci. Hic observasse sufficiat, quod *Ægyptii*, in multis *Judæorum* æmuli, nonnisi lineas vestes Sacerdotibus suis permittebant. Et

h) Talmud. De sacrif. cap. 2. fol. 19. a.

alii quidem, auctore *Plutarcho* in *Iside*. τῶν μὲν ἐρίων, ὥσπερ τῶν κρεῶν, σεβόμενοι τὸ πρόβατον, ἀπέχεσθαι λέγουσι, *eos, ovem venerantes, tam lanis, quam ovillis carnibus abstinere dictitant*: φορεῖν δὲ τὰ λινὰ διὰ τὴν χρόαν, ἣν τὸ λίνον ἀνθοῦν ἀνίησι, τῇ περιεχούσῃ τὸν κόσμον αἰθερίῳ χαροπότητι προσεοικυῖαν, *& linum gerere propter colorem, quem florens habet, similem splendori ætheris mundum ambientis*: cum *Josepho* (i) linum terram significet, διὰ τὸ ἐξ αὐτῆς ἀνίεσθαι τὸ λίνον, *quia linum ex ea provenit.* At *Plutarchus* ipse rem sic expedit. Ab eo, qui purus est, impurum tangi non debet, qualia sunt excrementa omnia; ut lanæ, comæ, ungues, *&c.* Proinde raduntur Sacerdotes. Id autem esset valde absurdum, ut qui proprios deponit crines, quo mundior sit, pecorum lanis amiciretur. *Linum verò*, inquit, *nascitur ex immortali Tellure, & edulem fert fructum, tenuemq;, & puram vestem exhibet, quæ gerentem non gravat, & ad omnia anni tempora apta est, nec pediculos gignit.* Ita de lino *Plutarchus* multa philosophatur subtilius, quam solidius, ignarus ab *Hebræis* ad *Ægyptios* multa hujusmodi manâsse.

i) Antiq. lib. 3. cap. 9.

Superest, ut de lanæ corruptione dicatur, quæ vel est ex externa vi, ut si sit σητόβρωτος, vel ex interno morbo. De priore sic *Esa.* 51. *v.* 8. *Sicut vestimentum absumet eos tinea, & sicut lanam comedet eos blatta.* Quæ, cum bono Deo, explicabimus in libro *De insectis*. De posteriore *Moses* Levit. 13. vers. 47. &c. *Cum erit in aliqua veste plaga lepræ, in veste lanea, aut in veste linea, aut in stamine, aut subtegmine, lineis, laneisve, &c. eritq; plaga illa viridis, aut rubra in aliqua veste, aut in pelle, aut in stamine, aut in subtegmine, &c. plaga lepræ est.* De quo lepræ genere cum altum sit silentium apud Scriptores exoticos, tamen *Hebræi* loquuntur ut de re nota. Vide *Talmudicos* in Tractatu נגעים seu *De plagis* cap. 11. Et *Maimonidem* libro *De lepra* capp. 12. & 13. quorum prius ita incipit, צרעת בגדים כצרעת אדם אבל פחות מכגריס טהור ושלשה סימני טמאה יש בהן ירקרק אדמדם ופשיון ושלשתן מפורשין בתורה ירקרק הוא הירוק שבירוקין שהוא ירוק הרבה ככנף הטווס וכחריות הדקל ואדמדם הוא אדום שבאדומים שהוא אדום הרבה כזהורית יפה. *Lepra vestium lata ut faba fressa censetur ut lepra hominis; sed, si sit minus lata quàm faba fressa, vestis pro pura habetur. In vestibus porro tria sunt signa immunditiei, viror, rubedo, & extensio, quæ tria in Lege sunt explicata. Et viror, qui* ירקרק *dicitur* (geminatis Radicalibus) *est viror in viroribus* (id est, *viror intensissimus*) *qualis est in ala pavonis, aut in palmæ foliis. Et* אדמדם *rubedo est rubedinum*, (id est, *in intenso gradu*) *ut est pulchrum coccineum.* Idem tamen agnoscit hanc vestium affectionem nonnisi æquivocè *lepram* appellari, æquè ac *lepram domorum*, Levit. 14. v. 34. *&c.* & utramque fuisse miraculosam, & *Judææ* propriam. Verba sunt ejusdem libri cap. 16. §. 9. הצרעת הוא שם האמור בשותפות כולל ענינים הרבה שאין דומין זה לזה שהרי לובן עור האדם קרוי צרעת ונפילת קצת שער הראש או הזקן קרוי צרעת ושנוי עין הבגדים או הבתים קרוי צרעת וזה השינוי האמור בבגדים ובבתים שקראתו תורה צרעת בשותפות השם אינו ממנהגו של עולם אלא אות ופלא היה בישראל *Lepra est nomen æquivocum, res multas complectens, quæ nullo modo sunt similes. Nam exalbescentia cutis rubra lepra vocatur. Et defluvium partis pilorum capitis, aut etiam barbæ, lepra vocatur. Sed & alteratio coloris vestium, aut domorum, appellatur hoc eodem lepræ nomine. Hæc porro vestium, & domorum alteratio, quam per æquivocationem Scriptura lepram nominat, non accidebat juxta consuetum naturæ ordinem, sed signum, & miraculum erat in* Israele.

Obiter

Obiter dicendum quid sit lepra ממארת, quomodo vocatur *lepra vestium* Levit. 13. v. 51. & *lepra domorum* cap. 14. versu 44. cum per septiduum duravit. *Graci* reddunt ἔμμονον, & *Vulgatus perseverantem*, id est, מתמידה. *Jonathan* מחלטא *absolute declaratam*, & *pronunciatam*, id est, מאמירת. *Syrus* ܡܦܫܩܐ, & *Arabs in Suetia MSS.* مر *amaram*, id est, ממרת, tanquam ab המר. *Onkelos* מחסרא *minuentem*. *Arabs Erpenianus* ناقص eodem sensu; sed *Parisiis* editus ماحق *delentem*, id est, ut suspicor, מארת tanquam ab ארה, quod *carpere* est: unde *leonem* אריה dici volunt, tanquam *à carpenda præda*. *Samaritanus* ... quod veteribus est φιλόνεικος. Ita enim *Græcus* Scholiastes in *Leviticum*, Σαμαρειτικὸν φιλόνεικος. Junius *dolorificam*, quod non capio: cum plaga domûs, aut vestium, quam contagiosam fuisse non apparet, nemini sit dolorifica. Video tamen quid sequatur. *Ezech.* 28. *v.* 24. קוץ מכאב est *spina dolorem inferens*. Porrò סלון ממאיר quod immediatè præcedit, putavit idem significare, adeoque ממאיר & מכאב tam esse synonyma, quàm קוץ & סלון. Nunc in tanta interpretum turba, quorum ferè tot capita, quot sensus, ne lector in incerto fluctuet, conabor ignotæ vocis vim eruere, & aperire. *Arabicè* مار est *irritare*, unde مار الجرح *vulnus irritatum est*, aut *recruduit*. Ita explicat *Alcamus*. Sic *Hebraicè* צרעת ממארת est *lepra exasperata*, id est, *aspera*, & *acerba*. Quomodo *Græcum* παροξύνειν etiam ad morbos transfertur, qui dicuntur παροξύνεσθαι, cum exacerbantur, & ingravescunt. Et *Ezech.* 28. *v.* 24. סלון ממאיר est *spina, quæ acriter, & acerbè pungit*. Ita מאר est ejusdem significationis cum המרה *Hiphil* τοῦ מרה. Unde *Psal.* 78. *v.* 56. וימרו *Et irritaverunt Deum excelsum* Et *Psal.* 106. *vers.* 33. המרו *Irritaverunt spiritum ejus*. Sic etiam in *Samaritano* ... est *lepra irritata*. Veteres φιλόνεικον reddunt tanquam ex *Arabismo*. Nam مارى in tertia Conjugatione *rixari* est, & *altercari*. Sic 1. *Cor.* 11. *v.* 16. فان مارى الانسان *si quis contendit*. Et *Tit.* 3. *v.* 9. ممارات *contentiones* in *Arabe Erpeniano*.

In fine versus quinquagesimi quinti tres sunt voces בקרחתו או בגבחתו id est, ad verbum, *in calvitio occipitis ejus, aut in calvitio sincipitis ejus*, quæ eò translatæ videri possint ex versibus quadragesimo secundo & quadragesimo tertio, ubi de leprosi calvitie, & depilatione agitur. Neque enim facilè dixeris quomodo calvitium ad vestes pertineat. Itaque *Græci* Interpretes planè aliud habent, nempe ἐν τῷ ἱματίῳ, ἢ ἐν τῷ στήμονι, ἢ ἐν τῇ κρόκῃ. Ac si legerint בבגד או בשתי או בערב. Videntur tamen omnes alii interpretes stare receptæ lectioni, quamvis aliter atque aliter explicent, ut fit in re obscura. In his maximè placet, quod recentiores intelligunt utramque panni partem, quasi recta pars sincipiti, inversa occipiti respondeat, isque calvis, quia lepra tam pannos, quam homines depilabat, & deglabrabat.

In ovis partibus בדל האזן, *lobus auris*, alibi non legitur, quam *Amos* 3. *v.* 12. ubi Deus, populi sui reliquias hinc inde colligens, cum pastore confertur, qui *ex ore leonis eripit ovis duo crura, & lobum auris*. Itaque בדל in ove est, quod in homine תנוך *Exod.* 29. *v.* 20. & passim in *Levitico*. Eam particulam *Syri* ܫܘܦܐ *extremum* vocant, *Samaritani* ... *summum*; ineptè admodum, cum de homine res est, quia est ima pars auris. *Arabes* شحمة *pingue*, non malè, cùm in aure nihil sit pinguius. *Chaldæi* חסחוס, vel סחוס, *cartilaginem*, quod non capio, cum pars sit auris minimè cartilaginosa. *Græci* λοβὸν, ὑπὸ τῆ λαμβάνειν, quia veteres ut admonerent, aurem ea parte vellebant. Unde *Poeta*,

- - - - - - - *mihi* Cynthius *aurem*
Vellit & admonuit. - - - - - - -

Latini *lanam*, *lannam*, aut *lamnam*. *Glossarium* vetus, *Lana*, λοβὸς ὠτίυ. *Glossarium* B. *Benedicti*. *Lanna*, λοβὸς. Lexicon *Philoxeni*, λοβὸς ὠτίυ, *lamna*. Cujus vocabuli ratio planè me latet, ut & *Hebræi* תנוך Sed בדל propriè est *portio*, ut Verbum בדל in *Hiphil* est *dividere*. Falluntur, qui ad דל referunt, ut sit *tenerum auris*, quasi *Beth* esset Servile; quamvis id sequatur *Kimchius*. Nam in his *Prophetæ* שתי כרעים או בדל האזן *duo crura, aut lobum auris*, omnino constat *Beth* esse Radicale.

In reliquis animalibus *cauda Hebraicè* dicitur זנב (k) *zanab*, sed in ove אליה *aljah*; voce maximè propriâ. Sic *Exod.* 29. *v.* 22. *Et capies ex ariete adipem*, והאליה *& caudam*. Et *Levit.* 3. *v.* 9. de agno, qui offertur in sacrificium eucharisticum, האליה תמימה *caudam integram usq; ad coccygem removebit*. Et *Lev.* 7. *v.* 3. ubi de oblatione agni pro delicto, את האליה *caudam offeret, & adipem, qui operit exta*. Et *Levit* 8. *v.* 25. de agno consecrationum, *Et cepit adipem*, ואת האליה *& caudam*. Et *Levit.* 9. *vers.* 19. *Et ex ariete obtulerunt* האליה *caudam*. Alibi in Scriptura non extat. Sed eandem vocem usurpant *Samaritani*, *Syri*, *Chaldæi*, & *Arabes*. Quin apud hos الي *alia* Verbum, de ove, significat *caudam habere amplam, & adiposam*: unde ad homines transfertur, qui nates habent carne & arvina distentas. Et كبش الايان vel الي vel آل vel الي est *agnus ampla cauda*, ut ovis pari de causa dicitur نعجة اليانة, vel اليا. Et الا *mercator adipum hujusmodi*. Hic enim duo observanda sunt; 1. *Arabicè* الية quandoq; non solam *caudam* significare, sed العجيزة او ما ركب العجز من شحم او لحم *nates etiam, aut quidquid carnis, & pinguedinis nates operit*. Ita habet *Alcamus*. 2. Hoc ipso nomine non intelligi vulgares ovium caudas, ut in *Europa* nos habemus, sed, ut verè asserit *Lexicographus* longè optimus *Golius* noster, *quales in Oriente ovibus spectare est, quarum minima decem, vel duodecim libras pendent, nonnulla autem quadraginta libras pondere excedunt. Eas autem minutatim concisas liquant, & adipem in usus suos servant, vel ad condiendum inprimis frumentaceum cibum, vel etiam, ut in* Persia, *& alibi, ad conficiendas candelas*. Proinde caudam hujusmodi *Arabes* alio vocabulo nominant وافرة, quasi *divitem*, & *copiosam* dixeris, & وديلة *segmentum ejus*, cujusmodi multa prostant apud *Arabum* fartores, & macellarios. De his caudis multa legere est tam in veterum, quàm in recentiorum scriptis, quæ hic referre non est extra rem. Ut ab *Hebræis* ordiar, in *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* cap. 5. in *Misna* sic habetur, ואין הזכרים יוצאים בעגלה שתחת האליה שלהן *Arietes* (die Sabbathi) *non egrediuntur cum plostello cum cauda sua*. Et ibidem in *Gemara*, ואין הזכרין יוצאין בעגלה כי היכי דלא לחמטן אליתיהו *Non egrediuntur arietes cum plostello* (quod illis datur) *ne caudam suam inflectant*. *Glossa* etiam ad eum locum, עגלה כגון קרון קטן שעושין לו תחת זנבו שרצים

k) Exod. 4. v. 4. Iud. 15. v. 1. Iob. 4. ov. 12.

שראש זנב אותן האלים רחב כמין כר קטן ואין בו עצם אלא שומן ועב וכבד וכשנגרר לארץ נשרט ונשחת ועושין לו עגלה מתגלגלת אחריו כשהוא הולך והזנב קשור עליה:

Plostellum illud est parva rheda, quam caudæ supponunt, quia caput caudæ illorum arietum est latum, ad instar agniculi: neq; habet ossa, sed pinguedinem, & densitatem, & gravitatem: &, cum humum verrit, laceratur, & corrumpitur. Proinde plostellum ipsis aptant, quod post eos volvitur cum ambulant, & cauda illis alligatur. Ejusdem moris vestigia reperire est in *Græcis* Scriptoribus, in *Herodoto* inprimis lib. 3. cap. 113. ubi de *Arabibus*: Δύο δὲ γένεα ὀΐων σφι ἔστι θωύματος ἄξια, τὰ οὐδαμόθι ἑτέρωθι ἔστι. Τὸ μὲν αὐτῶν ἕτερον ἔχει τὰς οὐρὰς μακράς, τριπήχεων οὐκ ἐλάσσονας, τὰς εἴ τις ἐπείη σφι ἐπέλκειν, ἕλκεα ἂν ἔχοιεν, ἀνατριβομένων πρὸς τῇ γῇ τῶν οὐρέων. νῦν δ᾽ ἅπας τις τῶν ποιμένων ἐπίσταται ξυλουργέειν ἐς τοσοῦτο. ἁμαξίδας γὰρ ποιεῦντες, ὑποδέουσι αὐτὰς τῇσι οὐρῇσι, ἑνὸς ἑκάστου κτήνεος τὴν οὐρὴν ἐπὶ ἁμαξίδα ἑκάστην καταδέοντες. Τὸ δὲ ἕτερον γένος τῶν ὀΐων τὰς οὐρὰς πλατέας φορέουσι, καὶ ἐπὶ πῆχυν πλάτος. *Duo autem habent ovium genera admiratione digna, quæ nusquam alibi sunt. Quorum unum longas habet caudas, tricubitalibus non minores: quas trahere si permitterentur, ulcera contraherent, cum caudæ ad terram attererentur. Sed unusquisq; pastorum hactenus arte fabrili doctus est, ut plostella faciant, quæ illarum caudis subligent, singulas ovium caudas singulis plostellis devincientes. Alterum autem ovium genus ad cubitalem latitudinem caudas gerit.* Cum his conferat, qui volet, *Ælianum* lib. 10. cap. 4. *De animalibus*, ubi ex *Herodoto*, sed aliis verbis, describit utrumque hoc ovium genus. Ad posterius pertinent hæc *Philosophi*, *Hist.* lib. 8. cap. 28. Ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ τὰ πρόβατα τὰς οὐρὰς ἔχει τὸ πλάτος πήχεως. *In* Syria *autem oves caudas habent cubitalis latitudinis.* Et hæc *Plinii* lib. 8. cap. 48. Syriæ *cubitales ovium caudæ, plurimumq; in ea parte lanicii. Diodorus* quoque libro secundo *Arabiæ* partem ad Oceanum intimam scribit θρεμμάτων παντοδαπῶν πλῆθος, καὶ μάλιστα βοῶν, καὶ προβάτων, τῶν τὰς μεγάλας καὶ παχείας οὐρὰς ἐχόντων, *scatere pecoribus omnis generis, sed bobus maximè, & ovibus, ex iis, quæ magnas, & crassas caudas habent.* Et *Ctesias* de *Indis* apud *Ælianum* lib. 3. cap. 3. Πρόβατα τὰ ἐκείνων οὐρὰς πήχεως ἔχειν τὸ πλάτος φησίν· *Oves eorum alicubi caudas cubitum latas habere dicit.* Et libro 4. cap. 32. de eadem *India*, Καὶ τοῖς μὲν προβάτοις αἱ οὐραὶ πρὸς τοὺς πόδας τείνονται· *Et caudæ quidem ovillæ ad pedes usq; pertinent.* Et paulò post, Τῶν μὲν οὖν οἰῶν τῶν τίκτειν ἀγαθῶν ἀποκόπτουσι τὰς οὐρὰς οἱ νομεῖς, ἵνα ἀναβαίνωνται. ἐκ δὲ τῆς πιμελῆς τούτων καὶ ἔλαιον ἀποθλίβουσι· τῶν δὲ ἀρρένων διατέμνουσι τὰς οὐράς, καὶ ἐξαίρουσι τὸ στέαρ, καὶ ἐπιρράπτουσι, καὶ ἑνοῦται πάλιν ἡ τομή, καὶ ἀφανίζεται τὰ ἴχνη αὐτῆς. *Pastores igitur ovium, quæ ad partum idoneæ sunt, caudas amputant, ut facilius ineantur. Sed ex illarum adipe oleum exprimunt. Arietum quoq; caudas dissecant, atq; adipem extrahunt, & iterùm consuunt: & sectio ita coalescit, ut ejus vestigia nulla appareant. Photius* item in *Excerptis* ex *Ctesia*, Ἔχουσι οὐρὰς μεγάλας· διὸ τῶν τοκάδων ἀποτέμνουσιν, ἵνα δύνωνται ὀχεύεσθαι. *Caudas magnas habent: proinde idonearum ad partum caudas abscindunt, ut à mare iniri possint. Arabes* non abscindunt quidem, sed in altum sublatas tenent, dum ovem init aries, quod coitus genus غل *(l)* dicitur. Iidem de *Indicarum* ovium caudis referunt multò portentosiora. *Damir*, *De Animalibus*, capite الضان seu *De ove*, ويجلب من الهند نوع من الضان في صدره الية وعلي كتفيه اليتان وعلي فخذيه اليتان وعلي ذنبه الية وربما تكبر الية الضان حتي تمنعه من المشي *Affertur ex* India *ovis species, quæ in pectore caudam habet, & super humeros duas caudas, duas item in femoribus, & unam à tergo quæ quandoq; ita augetur, ut eam ab incessu prohibeat.* Jam sequentur alii recentiores. *Paulus Venetus* de *Camandu* in *Perside* lib. 1. cap. 22. *Arietes illius regionis non minores sunt asinis, caudam ferentes tam longam, & latam, ut triginta librarum pondus habeat. Ludovicus Vartomanus*, *Navigat.* lib. 2. cap. 5. *Ædibus Principis (Aden in Arabia Felice) inerrabat prapinguis vervex, cujus cauda adeò obesa erat, ut pondo esset librarum quadraginta.* Et capite nono, ubi de *Reame* urbe *Arabiæ Felicis*; *Ibi nonnulla vervecum genera, quorum ego caudam animadverti pondo esse librarum* XLIV. *Carent cornibus, adeoq; sunt obesi, & pingues, ut vix incedere possint.* Et capite decimo quinto de *Zeila* Æthiopiæ, *Sunt etiam illic verveces nonnulli, qui ponderosissimas trahunt caudas, utpote pondo sedecim librarum.* Easdem oves reperire est in *Asiæ* parte, quæ *Byzantio* vicina est. *Busbequius*, Epistola prima, in itinere *Nicæa* Ancyram; *Est quoq; frequens iisdem locis genus illud ovium (neq; enim ex alio ferè constant greges) quod pinguem, & ponderosam caudam trahit: quæ modò trium, aut quatuor, modò etiam octo, aut decem librarum est. Quinimò in eam aliquando magnitudinem excrescit in ovibus vetustioribus, ut duas rotulas cum media tabella subjici necesse sit, in quam illa recumbat, ut oves trahant quod ferre non possunt. Olearius* etiam harum ovium meminit, tanquam in *Syria*, *Mesopotamia*, *Gordyæa*, & *Perside* vulgarium. Illum vide *Moscovitici* & *Persici itineris* lib. 5. pag. 548. & *Indici* lib. 1. pag. 91. Sed & in *Africa*, & in *Ægypto* similes describit *Leo Africanus* libro nono; *His arietibus* (inquit) *nullum ab aliis discrimen est præterquam in cauda, quam latissimam circumferunt: quæ cuiq; quo opimior est, eò crassior obtigit, adeò ut nonnullis libras decem, aut viginti pendeat, cum sua sponte impinguantur. Verùm in Ægypto plurimi, farciendis vervecibus intenti, furfure, ordeoq; saginant: quibus adeò crassescit cauda, ut se ipsos dimovere non possint. Itaq; qui eorum curam gerunt, caudam exiguis vehiculis alligantes, gradum promovere faciunt. Vidi in* Asiota *Ægypti, ad* Nilum *civitate*, CL *passuum millia ab* Alcairo *sita, hujusmodi caudam libras* LXXX *ponderare, aliis se vidisse affirmantibus, quæ* CL *libras expendissent. Omnis itaq; horum animalium pinguedo in cauda consistit, nec usquam* (in Africa) *nisi* Tuneti, *& in* Ægypto *reperiuntur. Ludovicus Marmolius* (*Africæ* suæ libro 1. capite 23.) *Hispanicè* appellat *carneros de cinco quartos*: quia, cùm nostri solum in quatuor partes, hi in quinque dividuntur, quarùm partium una est cauda, eaque sæpe potissima. Has caudas cum sale comedi docet *Sirachides* capitis vigesimi versu vigesimo, juxta *Syrum* Interpretem, ubi legitur ܐܝܟܢܐ ܕܠܐ ܡܫܟܚܐ ܐܠܝܬܐ ܕܬܬܐܟܠ ܕܠܐ ܡܠܚܐ *Ut* (arietis) *cauda sine sale comedi non potest.* Ita etiam in *Arabe*, كما ان الالية لا توكل بغير ملح. Sed id unde sumpserint, nullus capio, cum in *Græcis*, & *Latinis* exemplaribus nihil simile reperiatur. Naturam porro in hac parte fuisse valdè providam his verbis docet *Cardanus*, *De Subtilitate* libro decimo, *Caudæ vervecum in peregrinis quibusdam regionibus tantæ sunt, quantus apud nos nullus vervex. Contingit hoc, quia humidissimum est animal,*

(l) Vide Golii Lexicon, pag. 1723.

animal, & inter quadrupedia frigidum. Cumque cætera ossa extendi nequeant, nè pinguedine propriâ obruatur animal, totum humorem in caudam transmittit. Hæc ideò docui pluribus, quia τῷ Ἑβραΐζοντι nemo notaverat hactenus quid propriè sit אליה, & à vulgari cauda quid differat, quod tamen intererat scire, nè quis miretur, quod *Moses*, qui in boum & hircorum sacrificiis de cauda nè γρῦ quidem habet, de ovilla tam est solicitus, quæ apud nos solet esse vervecini femoris appendix, tam parvæ rei, ut nè teruncium quidem ematur. Quid quod vocem apud omnes *Orientales* receptissimam *Græci* Interpretes usque adeò non intellexerunt, ut in *Exodo* planè omiserint, & in *Levitico* constanter τὴν ὀσφὺν, id est, *lumbum*, explicaverint? Ex quo errore natus est alius, ignoratio nimirum vocis עצה, de qua jam dicturi sumus.

In sacrificio eucharistico ex ovibus sumpto, Deus inter cætera vult adoleri האליה תמימה לעמת העצה quod *Græci* reddunt τὴν ὀσφὺν ἄμωμον σὺν ταῖς ψόαις, *lumbum immaculatum cum* vicinis *musculis*. In qua versione peccatum est quadruplex. Primum jam notavimus, quod האליה illis est ἡ ὀσφὺς *lumbus*, aut *pars circa lumbos*, cum eâ voce planè constet *caudam* significari, eamque *ovillam*. 2. Quòd תמימה, ἄμωμον *immaculatam* explicant, cùm ὅλην *totam* debuissent, vel ὁλόκληρον *integram*. Sic *Levit.* 23, 15 שבתות תמימות sunt *hebdomades integræ*, non ἄμωμοι, *inculpatæ*. Et *Ezech.* 15, 5. de ligno vitis, בהיותו תמים *cùm est integrum*, quod *ambusto* opponitur. 3. Particula לעמת, id est, *è regione, contra, usque, ad, propè*, malè redditur σὺν, *cum*; ac si Deus caudam adoleri velit unà cum העצה, cum nonnisi caudam postulet, sed *totam usq; ad* העצה. 4. Denique non potest ferri, quod τὰς ψόας habent, id est *musculos propè lumbos*, pro *Hebræo* העצה. Quod quidem verbum obscurum est, & ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. Unde est, quod in ejus interpretatione veteres in tam diversa abeunt. *Hieronymus renes* explicat. *Syrus* ܚܨܐ ܕܚܨܐ quo Gabriel *dorsi crepidinem*, ego *lumbos* expono ex *Hebræo* מתנים. *Hierosolymitanus* עציא, quæ est ipsa vox *Hebræa Chaldæo* more inflexa. *Samaritanus* ࠁࠓࠒࠉ id est, *vertebram*, ut 1. *Sam.* 4, 18. מפרקת. st *compages vertebrarum cervicis*. *Onkelos* שורתא. *Arabs Erpenianus* itidem الشزز. *Mardochaius* quoque, & *Pomarius* שדרה *dorsi spinam*. Arabs *Parisiis* editus العصعص *coccygem*. Kimchius, קצה השדרה *extremum spinæ*. R. Selomo, למעלה מן הכליות היועצות *quod est supra renes consiliarios*. Quibus verbis ad id alluditur, quòd *Hebræi* veteres partem renibus vicinam עצה dici voluerunt tanquam à Verbo יעץ, quod *consulere* est; quia dicit *David* Ps. 16, 7. *Erudiunt me renes mei*. Vide *Kimchium* in *Lexico*. Tamen inter tot interpretamenta non difficilis est optio. Primò enim illud ex ipso contextu liquet, העצה in ove partem esse caudæ proximam, & attiguam. Ita enim habet Sacer Textus, *Auferet caudam integram usque ad* העצה. Itaque העצה neque τὰς ψόας, neque *renes* significat, aut *lumbos*, aut *dorsum*, aut *dorsi crepidinem*, aut *spinam*. Harum enim partium nulla est caudæ proxima. De renibus, & ταῖς ψόαις res notissima est. Et infra dorsum sunt lumbi, ubi spina desinit, ad quam cauda non attingit, quia os sacrum & coccyx interjacent. Proindè, si pressè loqui velimus, ovilli corporis nulla pars est caudæ contigua, & continua, præter coccygem. Atque id omnino voluit *Moses* voce העצה. Et ejus verba sic reddenda sunt, *Caudam totam usque ad coccygem auferet*. Quod ipsum Nomen עצה evincet, si conferatur cum *Arabico* عصعص. Nam עצה & عصعص idem sunt, neque aliter differunt, quàm Radicalium geminatione in *Arabico* عصعص. Porrò عصعص esse *coccygem* constat ex *Avicennæ* definitione, quæ sic habet, (m) العصعص مولف من فقرات ثلث عضروفية لا زوايد لها ينبت العصب منها عن ثقب مشتركة كما الرقبة لصغرها واما الثالثة فيخرج عن طرفها عصب فرد id est, *Coccyx compositus est ex tribus ossibus cartilaginosis, quæ nulla habent additamenta.* (seu *nullas* ἐπιφύσεις.) *Et nervi quidem inde oriuntur ex communibus foraminibus, ut in collo, propter eorum parvitatem, & ex extremitate tertii nervus egreditur impar.* Coccygem reddo, quia descriptio convenit, qualis est in *Galeni* libro *De ossibus*, Ἐπὶ τῷ πέρατι τοῦ πλατέος ἕτερον ὀστοῦν ἐστὶ τὸ καλούμενον κόκκυξ, ἐκ τριῶν καὶ τοῦτο συγκείμενον ἰδίων μορίων χονδρωδῶν ἐστιν. *In extremitate ossis lati* (seu sacri) *aliud est os, coccyx nomine, ex tribus compositum propriis partibus cartilaginosis.* Et paulò post, Διεξέρχεται δὲ κατὰ τὰς τούτων συντάξεις ἐκ τῶν ὄπισθεν καὶ πρόσω μερῶν νεῦρα. *Nervi verò transeunt per eorum compositiones, tam ex posterioribus, quàm ex anterioribus partibus.* Et rursus, Ὅσον δὲ ὑπόλοιπον τοῦ νωτιαίου κατὰ τὸ πέρας αὐτοῦ τοῦ τρίτου διεξέρχεται μόνον ἄζυγές. *Et ad finem tertii transit nervus impar, qui ex spinali medulla solus superest.* Hæc igitur conferenti cum iis, quæ ex *Avicenna* descripsimus, clarum fiet עצה, vel עצעץ, esse *coccygem*. Neque verò hæc versio prorsus nova est. Nam, ut *Arabem* taceamus *Parisiis* editum, qui pro העצה habet العصعص, id ipsum est, quod *Kimchius* appellat קצה השדרה *extremitatem spinæ*, & *Samaritanus* ࠁࠓࠒࠉ *vertebram*, seu *spondylum*. Utut enim spina dorsi tota ex vertebris constet, tamen extremum illud os speciali nomine *spondylium* dicitur, id est, *vertebra*. *Pollux* de sacro osse, Ἄρχεται μὲν ἐξ ἰσχύτατος ὑπὸ τὴν ῥάχιν· ὑποστενοῦται δὲ κατὰ τὸ κοκκύγα καλούμενον, ὃς καὶ σπονδύλιον, καὶ ὀρροπύγιον ὀνομάζεται. *Incipit quidem sub spina dilatatur: coarctatur verò circa os, quod & coccygem vocant, & spondylium, & orrhopygium.*

Jam disquirendum quæ pars tam bovini, quàm ovilli, & caprini jecoris *Hebraicè* dicatur יותרת *jothereth*, Exod. 29. 13. 22. & passim (n) in *Levitico*. In quo frustra se fatigavit vir doctissimus, & in his rebus valde accuratus, *Nicolaus Fullerus*, *Miscellan. Sacr.* lib. 5. cap. 14. Vult enim is voce יותרת significari *membranam illam tenuissimam, quâ jecur integitur*, atque id ipsum in *Hieronymo* esse *reticulum jecoris*, & in *Græca* editione λοβὸν τοῦ ἥπατος. Quomodo in leguminibus λοβὸν vocant siliquam, aut folliculum, quo semen continetur. In quibus nè apparet quidem vel minima veri species, quod hæ rationes palàm facient. Deus in sacrificiis partes victimarum opimas, hoc est, optimas, & pinguissimas sibi deligit super altare suum adolendas. Puta in ove caudam, qualem suprà descripsimus, & arvinæ quidquid habent externæ partes; & in internis omentum, & renes, & si quid aliud adiposum est in ventre, & extis, usque ad ilia. In his porro censetur etiam יותרת *jothereth* jecoris: unde apertè concluditur eâ voce non intelligi cuticulam, quâ jecur integitur, quæ macra, & exilis, & jejuna

(m) Lib. 1. Fen. 1 Doct. 5. Sam. 1. cap. 12.

(n) Levit. 3, 4. 10. 15 & 4. 9. & 7. 4. & 8. 16. 25. & 9. 10.

jejuna est, stipulaque levior, & foliis farfari. Hanc igitur qui Deo assignant, idem faciunt, ac si ex nuce consecrarent solum putamen, aut sola culiola, aut nihil ex ovo darent præter testam, aut pelliculam, quæ albumen obtegit. Præterea cuticula illa jecoris substantiæ tam arctè nexa est, ut vix ab ea possit divelli. Saltem id plenum otium requireret, & lentam operam, qualem ad altare adhibere non potuerunt *Levitæ*, & Sacerdotes, quibus quandoque paucis horis plura pecudum millia immolare necesse fuit. Tertiò, quorsum jecoris membranula *reticulum* ab *Hieronymo* diceretur, cum in ea δικτυῶδες vel *reticulatum*, nihil quidquam sit? Denique quis nescit apud *Græcos* lobum jecoris non esse cuticulam, sed substantiæ partem, quomodo in aure, & pulmone lobus pars est substantiæ, non membrana, aut cuticula? Misso igitur *Fullero*, docebo, cum bono Deo, quid in jecore sit יותרת *jothereth*, tam ex *Hebrææ* linguæ genio, quam ex veterum interpretum collatione. *Hebraicè* יתר *jethar*, est *abundare*, & *superesse*: & יותר jother, *quod abundat, quod superest, quod excedit, quod superfluit*. Indè factum יותרת *jothereth*, solum addita Fœmina terminatione. Proinde in jecore יותרת *jothereth*, est pars aliqua, quæ excedit, quomodo lobi, & appendices. Inde est, quod ab *Arabibus* id ipsum vocatur زيادة *ziada* verbo maximè proprio, quodque *Hebræum* prorsus exprimit. Nam ut *Hebraicè* יתר *jathar*, sic *Arabicè* زاد zada, *excedere*, & *redundare* est. Et ex زاد *zada* factum زيادة *ziada* est *augmentum, exuberantia, additamentum*. In *Abenbitare*, capite *De hirundine*, زيادة القمر est *augmentum Lunæ*. In *Proverbiis Abi Ubeid*, جاء يطلب زيادة واتلف ما عنده *Venit petitum auctarium, & amisit quod penès se erat*. In Novo Testamento editionis *Erpenianæ* Act. 4,17. & 9,22. بزيادة *in augmento* respondet *Græcis* ἐπὶ πλεῖον, & μᾶλλον, & *Syris* ܛܒܐ & ܝܬܝܪ. Itaque, cum *Hebræum* יתר *jathar*, & *Arabicum* زاد *zada* verba sint ejusdem notionis, verissimum est in jecore *Hebræum* יותרת idem esse, quod *Arabicum* زيادة. Unde est, quod cum in quatuor inciderim *Pentateuchi* versiones *Arabicas*, quæ in multis differunt, quia unum *Hebræum* textum, alia *Chaldæum Onkelosi*, alia *Syram*, alia denique *Græcam Seniorum* editionem exprimit, tamen omnes hoc commune habent, quod יותרת *jothereth*, reddunt زيادة *ziada*. Quo semel animadverso, facile erit solvere quæstionem propositam. Jecoris enim partem aliquam *Arabicè* vocari زيادة *ziada*, vel زايدة & in Plurali زوايد *zavvaid*, discimus ex *Lexicographis*. *Golius* ex *Giauhari*. زايد Fœm. زايدة *Plur.* زوايد, *redundans. Et hinc Servilis litera apud Grammaticos*, &c. *Et res accessoria, adnata alteri. Peculiariter exiguum quid tale in latere hepatis.* Et *Avicenna* rem describit accuratiùs his verbis (o) وللكبد زوايد يحتوي بها على المعدة ويلزمها كما يحتوي على القبوض عليه بالاصابع واعظم زوايدها هي الزايدة المخصوصة باسم الزايدة وقد وضع عليها الزارة وجعل مدة الي اسفل وجملة زوايدها اربع او خمس

(o) Arab. pag. 455. Lat. lib. 3. Canon. Fen. 14. cap. 1.

Et hepar quædam habet zavvaïd (id est, augmenta, additamenta, vel processus quosdam) quibus stomachum amplectitur, & adhæret ei, quomodo quis id amplectitur, quod digitis tenet. Quorum augmentorum maximum illud est, quod speciali nomine vocatur zaida (*sive augmentum.*) *Illi autem fel incumbit, unde ad inferiora extenditur. Ejus porrò augmenta quatuor omnino, vel quinque sunt.* En perfectam definitionem ejus, quod quærebamus! Ex qua duo colliguntur: primò in jecore زوايد *Arabibus* id ipsum fuisse, quod *Græcis* λοβοὺς, de quibus *Hippocrates* in libro *De ossium natura* §. 6. Ἥπατος πέντε λοβοὶ, *Jecoris lobi quinque sunt.* Sed *Galenus Anatom.* lib. 6. cap. 8. Οὐ μὴν τό γε πλῆθος ἴσον ἀριθμῷ τῶν λοβῶν τοῦ ἥπατος ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστὶν, οὔτε κατὰ τὸ γένος, οὔτε κατ' εἶδος· ὥσπερ οὐδὲ τὸ μέγεθος, ἴσον οὐδὲ τῶν λοβῶν, οὔθ' ὅλου τοῦ σπλάγχνου. *Jecoris lobi non sunt numero pares in cunctis animantibus, neque secundùm genus, neque secundùm speciem: ut neque magnitudo æqualis est cum loborum, tum totius visceris.* Et apud eundem *Galenum Herophilus*, λοβοὺς γὰρ τισὶ μὲν οὐδ' ἔχει, ἀλλ' ἔστιν ὅλον στρογγύλον καὶ ἀδιάρθρωτον, τοῖς δὲ δύο, τοῖς δὲ καὶ πλείους, καὶ πολλοῖς καὶ τέτταρας ἔχει. *In quibusdam nè lobos quidem habet, sed ex toto rotundum est, minimeque rectum, quibusdam duos, aliis plures, multis etiam quatuor obtinet.* Secundò, in illis jecoris augmentis (seu lobis) ex *Avicenna* colligitur unum esse majus aliis, quod κατ' ἐξοχὴν زايدة *zaida*, seu *augmentum* dicitur. Illud nimirum, in quod fel incumbit, de quo *Hippocrates*, ubi suprà; Ἥπατος πέντε λοβοί· ἐπὶ δὲ τοῦ τετάρτου λοβοῦ ἐπίκειται ἡ χολή. *Jecoris lobi quinque sunt, quorum quarto fel incumbit.* Et *Galenus* in *Anatomia* de vesica fellis, Θέσις γε μία τοῖς ἔχουσιν αὐτὴν ζώοις ἐστὶ διαπαντὸς, ἡ κατὰ τὸν μέγιστον τῶν λοβῶν τοῦ ἥπατος ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστίν. *Eam habentibus animalibus semper idem situs est, nempe in omnibus ad maximum loborum hepatis.* Et *Pollux*, Τὸ δὲ μέγιστον ἔργον ἥπατος διακρίναι τὴν τροφὴν εἰς αἷμα, καὶ χολὴν, καὶ τῆς μὲν ἀγγεῖόν τι πληρῶσαι ὃ ἔγκειται τῷ μεγίστῳ λοβῷ. *Præcipuum jecoris officium est cibum in sanguinem bilemque distribuere, & bile implere quoddam vasculum, quod maximo jecoris lobo insidet.* Ergo maximus ille loborum hepatis, in quem incumbit vesica fellis, ut *Arabicum* زايدة *zaida*, vel زيادة *ziada* dicitur κατ' ἐξοχὴν id est; *augmentum*, vel *exuberantia*, ità *Hebraicè* יותרת *jothereth*, est appellatum eodem planè sensu. Atque hæc fuit pars jecoris, quam jussit Deus in altare suum adoleri. Hodiè multi tam *Arabes*, quàm *Græcos* erroris arguunt, quod hujusmodi lobos describunt etiam in humano jecore, cum nonnisi in brutis repeririuntur. Sed hæc disputatio ad nos nihil attinet. Neque enim hic de humano, sed de pecuino jecore cum *Mose* agimus, quod in plures lobos dividi, atque in illis unum esse reliquis crassiorem, & eminentiorem, nemo negavit hactenus. Quod ideo hic observamus, ut *Fullero* satisfiat, qui rogat, cur *Græci* Interpretes Singulari numero dixerint τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος, si plures illos lobos intelligant

gant, in quos fissum est brutorum jecur. Ad quod viri docti quæsitum jam facilis est responsio, nempe tam in *Mose* יותרת *jothereth*, quam in *Græca* versione τ̃ λοβ̃ non omnes jecoris lobos, sed maximum illum significâsse, quem Deus sibi selegerat. Quem زايدة id est, יותרת specialius fuisse dictum ex *Avicenna* probavimus. Frustra etiam id objicitur, lobos subesse jecori, cum יותרת *jothereth* a *Mose* describatur על־הכבד, *super jecur*, *Exod.* 29, 13. & in *Levitico* pluries. Nam על־הכבד iis locis reddendum est *ad jecur*, non *super jecur*. Neque aliud *Græcè* ἐπὶ τ̃ ἥπατος. Sic rectè dixeris ἐπὶ τὰς ὁδ̃ς, *ad viam*, ἐπὶ θύρῃσιν, *ad fores*, aut *pro foribus*, non *super fores*. Fateor tamen *Syrum*, & *Chaldæos* ad hunc lapidem impegisse: cum enim verba על־הכבד eodem modo, quo *Fullerus*, intellexerint; putaverunt nomine יותרת designari partem aliquam supra jecur, ac proinde חצר, vel חצרא reddiderunt, id est, *septum*, nempe transversum, seu διάφραγμα, à quo jecur immediatè dependet. *Septum* interpretor, cum *Gabriele Sionita*, ex *Arabica* linguâ, quâ حصار est *sepimentum*. Et diaphragma significari apertè docent hæc *Jonathanis*, *Exod.* 29, 13. modo rectè legantur, וית דמתשאר על חצר כברא *Et quod carnosum est in jecoris septo*. Nempe cum in diaphragmate, quod omnes nôrunt, ambitus sit carneus, medium nervosum, & membranosum, voluit *Jonathan* Deo servari solùm id, quod carneum est. Atqui *Jonathanis* hanc esse mentem ideò nemo vidit, quia in voce דמתשאר punctum sinistrum τ̃ *Sin* translatum est in cornu dextrum. Itaque planè aliter, & nullo sensu interpretantur, *Et quod residuum est*, &c. Sed neque ullus animadverterat rem, quæ valde erat obvia, apud *Syros* & *Chaldæos*, חצר כברא, *septum jecoris*, aut חצרא דעל כברא, *septum, quod est supra jecur*, esse diaphragma. Quod & *Talmudici* usurpant in *Joma* capite octavo, ubi morsum a cane rabioso cibari volunt מחצר כבד שלו, *septo jecoris illius*. id est, diaphragmate. *Septum jecoris* ideò appellant, quia jecur diaphragmati non solum vicinum, sed & junctum est, & ex eo appensum. Unde *Poeta Odyss.* ι.

- - - πρὸς στῆθος, ὅθι φρένες ἧπαρ ἔχουσι.

ad pectus, ubi diaphragma jecur continet. Hebræos jam si consulas, eos *Græcis* & *Arabibus* concinere reperies in interpretatione vocis יותרת *jothereth*, quod sententiæ nostræ, aliunde jam satis probatæ, non leve pondus addit. En ipsa eorum verba! *Mardochæus* in *Concordantiis*, יותרת מה שהוא שם הטרפשא Jothereth, *id, cujus aliud nomen est* τράπεζα. R. Selomo, ואת היותרת היא טרפשא דכבדא שקורין טיבריש Jothereth *est jecoris* τράπεζα, *quam Gallicè vocant Tibres*, lege פיברש *Fibres*. Kimchius, הוא הנקרא בלשון רז"ל טרפש ובלעז אברש *Id est, quod lingua patrum nostrorum beatæ memoriæ* τράπεζα *dicitur, & Hispanicâ vulgari* hebras. *Fibræ* in jecore, Gallis *fibres*, & Hispanis *hebras*, sunt lobi, & extremæ partes. *Varro, De Ling. Lat.* lib. 4. *Antiqui fibrum dicebant extremum. Unde in sagis extrema fimbria, & in jecore extremum fibra.* *Poeta* de *Tityo*, cujus immortale jecur vultur excedit, libro sexto,

- - - *nec fibris requies datur ulla renatis.*

Et ibi Servius, *Fibra, jecoris extremitas.* Festus, *Fibras jecinorum, & fimbrias vestimentorum dicimus.* Isidorus, *Fibræ jecoris sunt extremitates.* *Glossarium* vetus, *Fibra*, λοβὸς ἥπατος. *Philoxenus*, λοβὸς ἥπατος, *fibra, fiber.* *Hebræi* igitur rectè hactenus. Certum quoque in majorum scriptis, hoc est, in *Talmudicis*, טרפשין seu τραπέζας aliquid esse in jecore. Sic in *Cholin* capite tertio, טרפשיה דכבדא τράπεζαι *jecoris*. Item נגלודי כבד ומעורה בטרפשין *languidum jecur*, & *adhærens tra...* quod mutati sunt à *Græcis*. *Nicander* in *Theriacis* versu 559.

- - - - - - - ἢ ἀπὸ κάπρου
Ἥπατος ἀκρότατον κέρσας λοβὸν, ὅς τε τραπέζης
Ἐκφύεται, νεύει δὲ χολῆς σχεδὸν, ἠδὲ πυλάων·

Aut ex apro extremum jecoris lobum detondens, qui ex trapeza nascitur, & ad fel vergit, & jecoris portas. Ad quæ verba *Scholiastes*, τράπεζα, καὶ πύλαι, μέρη τινά εἰσιν ἐξημμένα τ̃ ἥπατος, ὥσπερ καὶ ὄνυξ, καὶ μάχαιρα, καὶ κανοῦν· *Trapeza* (aut *mensa*) & *porta, sunt partes quædam hepati adhærentes, ut & unguis, & gladius, & canistrum.* *Polyænus* libro quarto in *Attalo*, ὁ μάντις ἐπιδεικνὺς τοὺς λοβοὺς, καὶ τὴν χολὴν, πύλας τε ὁμοῦ, καὶ τράπεζαν, καὶ ὅσα ἄλλα σημεῖα κατασκοπῶν· *Haruspex victimæ lobos percurrens, & vesicam fellis, portas quoque, & trapezam, & quælibet alia signa inspiciens.* Hesychius, Δόλου τράπεζα, ἐπὶ τ̃ ἥπατος σημεῖον ἐν θυτικῇ· *Doli trapeza, in jecore signum in haruspicina.* *Rufus Ephesius* ubi de hepate, Ἃ δὲ ἐν ἱεροσκοπίᾳ πύλας, καὶ τραπέζας, καὶ μαχαίρας καὶ ὄνυχα καλοῦσιν· ἔστι μὲν καὶ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀσαφῆ δὲ, καὶ οὐκ εὔδηλα. *Quæ autem in haruspicina portas, & trapezam, & gladium, & unguem vocant, etiam in homine sunt, sed incerta, nec satis manifesta.* Tamen *Theophilus Proto-spatharius*, *De fabrica humani corporis* lib. 2. cap. 11. jecoris quatuor lobos nominari ait τράπεζαν, ἑστίαν, μάχαιραν, ἡνίοχον, *mensam, focum, gladium, aurigam*: & causas etiam addit, cur ita nominentur, sed quæ non sunt hujus loci. Utut sit, ex *Nicandro* constat τράπεζαν in jecore fuisse χολῆς σχεδὸν, *prope fel*, ubi etiam ille jecoris lobus, qui *Hebræis* יותרת & *Arabibus* زايدة. Et præter *Selomonem*, *Mardochæum*, & *Kimchium*, quibus hic *lobus* cum *trapeza* idem est, etiam *Talmudicus Glossator* ad locum *Cholin*, quem citavimus, postquam absurdè *trapezas* pronuntiavit esse *renes*, ומצאתי לשון אחרינא ביותרת הכבד איכא בלעז והן טרפשין *Etiam, inquit, reperi aliam Glossam, quæ* jothereth *jecoris fibras explicat, id est, trapezas.* Ubi notandum, *trapezas* Plurali numero dici, cum *Græci* nonnisi unam agnoscant. Nempe, cum apud *Græcos* τράπεζα, seu *mensæ* nomen maximo jecoris lobo fuerit peculiare, quia mensæ instar est latus, *Hebræi*, quibus verbi vis erat ignota, hoc idem nomen ad omnes jecoris lobos extenderunt. Ità ut illis טרפשא τράπεζα sit idem, quod *Græcis* λοβὸς, & *Romanis fibra*. Porrò fibris etiam suam inesse pinguedinem, cujus ratione potuerint cum aliis pinguioribus in altari adoleri, vel ex *Persio* discere est, qui ad fibrarum adipem sic alludit *Satyrâ* tertiâ,

Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue, &c.

Nunc, si roges quorsum יותרת *Hieronymus reticulum* interpretetur, cum in jecore nihil retiforme sit; duo habebo, quæ respondeam. Unum, videri vocem esse corruptam, & *Hieronymum* scripsisse *resticulum*, non *reticulum*. Nam ex *resti* utrumque deducitur, *resticula*, & *resticulus*. Et priori utitur *Hieronymus* 3. *Reg.* 7, 23. Alterum, cùm Vocales deessent, legisse יתרת *jethereth*, tanquam à יתר *jether*, quod *restim* sonat: ac *resticulum* reddidisse, non consultis iis, qui periti sunt anatomiæ, à quibus didicisset nullam esse partem jecoris, quæ ita nominetur.

Ventriculum, atque intestina pingui ac tenui omento integi dicit *Plinius* lib. 11. cap. 38. Unde est, quod à *Græcis* dicitur ἐπίπλοον, quasi visceribus *innatans*. Et definitur πιμελώδης ὑμὴν ἐπὶ τῆς κοιλίας, καὶ τ̃ ἐντέρων, *adiposa membrana super ventrem, & intestina.* Quin *Arabicum omenti* nomen ثرب *tharb*, vel *thirb*, (barbaris *zirbus*) est ab adipe factum. *Syris* enim ܬܪܒܐ *tharba* est *adeps*. Et apud ipsos

Quod penè omiseram, קבה putatur esse *victimæ stomachus, seu ventriculus*, Deut. 18. v. 3. ubi quisquis offert victimam, dare jubetur Sacerdoti הזרע, *humerum*, והלחיים *& maxillas*, והקבה, *& ventriculum*. A *Kimchio* קבה definitur שנו הבהמה שנכנס הכרס כנס חלב היונק וקרוש בו Quod *Mercerus*, apud *Pagninum* in *Lexico*, exponit *locum, seu receptaculum in bestia visceribus, in quo congregatur adeps exsugens, & concrescit.* Sed pessimè, & nullo sensu, quod tanti viri pace dixerim. Quid enim est *adeps exsugens?* Itaque hæc sic reddenda, קבה *est marsupium in pecoris intestinis, in quo lactentis lac collectum coagulatur.* Quæ vera est expositio. Nam & *Arabicè* قبة id ipsum significat. *Arabes ventriculum* explicant *ex agno resectum*, cujus aliud nomen انفحة. Porro انفحة est *lactentis agni, hœdi, aut leporis ventriculus*; & *lactis coagulum, quod in eo concrescit.* A quo كرش *Hebræum* כרש hoc solo differt, quod *jam ablactati animalis* est *ventriculus*. Itaque in *Græca* versione pro utroque occurrit ἤνυστρον. Nam, ut habetur pro הקבה cum legitur *Deut.* 18. *v.* 3. δώσεις τὸν βραχίονα τῷ ἱερεῖ, καὶ τὰ σιαγόνια, καὶ τὸ ἤνυστρον· ita in his *Malach.* 2. *v.* 3. Σκορπιῶ ἤνυστρον ἐπὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν, ἤνυστρον ἑορτῶν ὑμῶν, *Cappellus* ὁ μακαρίτης rectè observat ἤνυστρον ibi esse pro *Hebræo* פרש, quomodo legerunt pro פרש. Porro ἤνυστρον *Hesychio* est τὸ μέγα ἔντερον τῶν ζώων, ἡ κοιλία· *magnum animalium intestinum, venter.* Alii ἤνυστρον scribunt, quod ab eodem definitur ἡ πρώτη κοιλία τῶν μηρυκαζομένων ζώων, *primus venter animalium, quæ ruminant*; aut, ex aliorum sententia, ὑπογάστριον, *imus venter.* Prius videtur sequi *Suidas*, cum ventrem dicit εἰς τρία τμηθῆναι, ἤνυστρον, ἐχῖνον, κεκρύφαλον, *in tria dividi, enystrum, echinum, & reticulum*, cum ἤνυστρον primo loco censeat. Et disertè *Nicandri Scholiastes* ad *Theriaca* versu 579 Οἱ δὲ τῶν μηρυκωμένων ζώων τρεῖς τὰς κοιλίας λέγοντες, τὴν μὲν πρώτην ἤνυστρον καλοῦσι· τὴν δὲ δευτέραν ἐχῖνον· τὴν δὲ τρίτην κεκρύφαλον. Tamen apud *Philosophum* ἤνυστρον appellatur *ima ventriculi pars*, (*Hist.* lib. 2. cap. 17.) ubi animalia, quæ ruminant, quatuor ventriculos habere asserit, quorum primum ad os stomachi vocant τὴν κοιλίαν τὴν μεγάλην, *magnum ventrem*; secundum κεκρύφαλον, *reticulum*, à figura retiformi; tertium *ab asperitate* ἐχῖνον: quartum denique ἤνυστρον. Et libri tertii *De partibus animalium* capite decimo quarto docet hos quatuor ventriculos supplere vicem dentium, quæ illis ab una parte desunt. Neque enim sunt ἀμφώδοντα· ac proinde pluribus opus esse ventriculis, qui cibum prorsus digerant, & conficiant. Et illos rursus recensens eodem ordine, quo suprà, *Vocantur*, inquit, κοιλία, καὶ κεκρύφαλος, καὶ ἐχῖνος, καὶ ἤνυστρον. Nempe ἤνυστρον est ab ἤνυσε, *perfecit, & absolvit*: quia cibi digestio, in prioribus ventriculis solùm affecta, in isto planè perficitur, & consummatur; quod his verbis docet *Philosophus*, Ἡ τῶν κοιλιῶν ἑτέρα πρὸς ἑτέραν δέχεται τὴν τροφήν, ἡ μὲν ἀκατέργαστον, ἡ δὲ κατειργασμένην μᾶλλον, ἡ δὲ πάμπαν, ἡ δὲ λείαν, Inde vocatur ἤνυστρον, quasi *perfectorium*, ultimus ille ventriculus. Sed קבה, in quo agni, vel hœdi, vel lepusculi lactentis lac coagulari solet, sitne primus, vel ultimus, aut unus è mediis ventriculis planè nescimus. Utut sit, certum est ἤνυστρον à veteribus censeri inter cupedias. Hinc *Aristophanes* in *Equitibus*,

p) Act. 1. Scen. 3. (p) Ἐγὼ δέ γ' ἤνυστρον βοὸς, καὶ κοιλίαν ὑείαν καταβροχθίσας,

Ego verò cùm enystrum bovis, & ventrem porcinum deglutivero. Item,

q) Act. 4. Scen. 1. (q) Καὶ χόλικος, ἠνύστρου τι, καὶ γαστρὸς τόμον,

Et visceris, & enystri, & ventris tomaculum. Proinde *Hesychio* ἤνυστρον non est ὑπογάστριον simpliciter, sed ὑπογάστριον ἡδυσμένον, *imus ventriculus conditus.* Quod ideò hîc observamus, ne cui mirum videatur, quod à *Græcis* interpretibus, cum humero, & maxillis victimæ, etiam ἤνυστρον Sacerdoti assignetur. *Maxillarum* porro nomine etiam *labra* contineri, discere est ex *Josepho*, qui χελώνιον reddit, cùm è pecoribus, quæ quisque mactat domi, Sacerdotibus offerri ait ἤνυστρον τε, καὶ χελώνιον, καὶ τὸν δεξιὸν βραχίονα τοῦ θύματος, *enystrum, & labium, & occisi pecoris dextrum humerum*; *Antiq.* lib. 4. cap. 4. Neque enim *Henrico Stephano* assentiendum, cui χελώνιον in eo loco est *dorsi convexa pars, aut armus, aut quod prominet in scapulis, aut pecoris pectus.* Quin χελώνιον idem est, quod χελώνη. *Hesychio* autem χελώνη est χεῖλος, καὶ μέρος τῆς ἱερείου. Itaque ut χελώνη *labium* est, ita etiam χελώνιον. Frustrà objicitur idem *Hesychius*, cui χελύνιον est χελώνιον, quod *Stephanus* exponit *tegumentum testudinis, & convexam dorsi partem in modum testudinis tegminis*, cùm *labium* debuisset. Ita enim *Græci* usurpant, cùm de *Mose* dicunt *Deut.* 34. *v.* 7. Οὐκ ἠμαυρώθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ, οὐδὲ ἐφθάρησαν τὰ χελύνια αὐτοῦ· *Non caligaverunt oculi ejus, neque corrupta sunt labia ejus.* Pro *Græcis* χελύνια αὐτοῦ *Hebræa* habent לחה, *vigor ejus.* Sed *Seniores* legerunt לחיו *genæ*, vel *maxillæ ejus*, quomodo & plures alii. *Syrus* ܘܠܐ ܐܬܩܡܛ ܦܟܘܗܝ *Nec genæ ejus rugas contraxerunt.* *Arabum* unus in *Suecia* manuscriptus ولم ينقبض عارضيه eodem sensu. *Jonathan*, ולא נתרון ניבי לסתיה *Et non exciderant molares dentes maxillæ ejus.* Hieronymus, *Nec dentes illius moti sunt.*

Sed neque satis certum est quid propriè sint כסלים in bove, ove, aut capra, *Levit.* 3. *v.* 4. 10. 15. & 4. *v.* 9. & 7. *v.* 4. & in homine, *Job.* 15. *v.* 27. & *Psal.* 38. *v.* 8. *Hebræi* recentiores *ilia* reddunt; ut *Aquila* λαγόνας, *Symmachus* ψόας, vel ψοίας, *partes lumborum musculosas*: quomodo & *Seniores* in *Jobo*, sed alibi μηρούς, & μηρία, *femora.* *Hieronymus* in *Levitico*, *ilia*; in *Jobo*, *latera*; in *Psalmo*, *lumbos.* Syrus ܦܓܪܐ *latus*, Onkelos גיססיא *latera*, Arabs Erpenianus خواصر *hypochondria*, alter احشا *intestina.* Jonathan כפלי, quod idem esse puto, quamvis *lumbos*, aut *ilia* exponant *Lexicographi*. Nam vox כפל, quæ *duplicatum & tortuosum* sonat, intestinorum spiras, & anfractus optimè exprimit. Præterea *Talmudicum* effatum in *Cholin* cap. 7. חמשה חוטי אית בהו בכפלי *Quinque fila* (*seu ductus*) *sunt in* כפלי, videtur posse referri ad intestina quinque. Qui intestinorum est numerus juxta (r) *Philosophum*, (s) *Galenum*, (t) *Julium Pollucem*, & veterum alios, quamvis recentiores sextum addiderint. Sunt & ejusdem vocabuli versiones aliæ longè remotiores, quas consulto prætereo, cum quia ex prava lectione natæ sunt, tum quia quæ hactenus sunt allatæ plus satis docent veteres in meris tenebris hic versari. Quibus ut lux inferatur, primò id observandum est, כסלים partes esse renibus proximas, quod docent verba *Mosis* in *Levitico* sæpe repetita, *Renes duo cum adipe, qui est super ipsos, qui* (inquam) *est ad* הכסלים. Secundò partes esse adiposas tam ex hoc loco constat, quàm ex altero *Jobi*, *Adipe operuit facies suas, & fecit* (id est, *obduxit*) *arvinam super* כסל. *Arvina* Hebraicè est פימה *pima.* Alludit *Græcum* πιμελὴ, quod *Symmachus* hic usurpat. Recentiores ad פום referunt, id est, *ora*; quia obesi, ut inquiunt, strigas habent, & plicaturas in cute, quæ ora utcumque imitantur. Quod cùm sit remotum, malo פימה ex *Arabica* lingua deducere, quâ فيم *pinguescere* sonat. Sic in *Lexico Camus*, فيم البعير حارك *Obesum fuit intersti-*

tium

r) *De part. animal.* lib. 3. c. 14.
s) *De loc. affect.* lib. 6. c. 2.
t) *Lib.* 2. *cap.* 4. *sect.* 43.

tium scapularum cameli, & بعير مغلم *Camelus in ea parte obesus.* Tertiò, כסלים esse partes, quæ facilè incalescant, colligere est ex his *Psal.* 38. v. 8. כסלי מלאו נקלה: quibus illas queritur ardore esse plenas. Quæ omnia in lumbos cadunt. Lumbis enim non solum sunt vicini renes, sed & iis prorsus incumbunt. Et iisdem immergitur adeps, quo renes ambiuntur, de quo jam actum. Lumbis denique communis est renum ardor, quem non ex urina solùm, sed & ex tactu deprehendi docet *Avicenna* lib. 3. *Fen.* 18. tract. 1. c. 4. Huc accedit, quod ex כסל factum videtur ἰξύς: nam *Caph* & *Samech* latent in ξ, & *Lamed* Finale de more mutatum in S. Tale Ἀννίβας pro חניבעל *Hanni-baal*, Ἀσδρούβας pro אזרובעל *Azru-baal*, κύκλος pro גלגל *Gilgal*, Γόλγος in Cypro locus, pro Phœnicio *Golgol*. Quomodo & Liquidæ omnes. Ita כרכם *carcom* Græcè est κρόκος, לאם *leom* λαὸς, אגן *agan* ἄγγος, צפן *tsaphon* ζόφος, כהן *cohen* κοὴς, נציבין *Nesibin* Νισίβις, צפורין *Tsipporin* Σεπφωρίς, اسقنقور *iscancur* σκίγκος, אביר *abir* Ἄπις. Sic *Josepho Cain* est Καΐς, & *Jonathan* Ἰωνάθης. Eodem, inquam, exemplo factum ἰξὺς pro ἰξὺλ ex *Hebræo* כסל *cesel*, vel *csal*, ut scribitur in Regimine. Porrò ἰξὺς est *lumbus*. Ita plerique reddunt. *Hesychius Erotianus*, *Homeri* vetus *Scholiastes*, in librum tertium *Odyss.* Ἰξύϊ, ὀσφύϊ. *Suidas*, Ἰξύν, τὴν ὀσφύν. *Pollux* ubi de coccyge, οὗ τὸ ὑπεράνω ὀσφὺς, ἢ ἰξύς. *Etymologus*, Ἰξύς, ἡ ὀσφύς. *Eustathius* ad *Iliad.* δ'. Ἴξαλος de hirco, ὁ περὶ τὰς θηλειῶν ἰξύας, ἤγουν ὀσφύας ἀλλόμενος, *Nicandri Scholiastes* ad *Theriaca* versu 248. Τῇ ἰξύϊ, ἤγουν τῇ ὀσφύϊ. Et vetus auctor *Isagoges ad Medicinam* Ὀσφὺν καὶ ἰξὺν nominari dicit *eam partem, quâ cingimur, & quæ spinam excipit*, id est, *lumbos*. Estque id ex *Homero* planum, apud quem *Calypso Odyss.* ε', & *Circe Odyss.* κ'.

- - - - - - περὶ ζώνην βάλετ' ἰξύϊ,

id est, *zonam lumbo circumposuit.* Proinde *Centauros* & *Onocentauros* multi scribunt humanam habuisse formam usque ad ἰξὺν, id est, *usque ad lumbum*. *Callistratus* ad *Centauri* statuam, Τῆς μὲν γὰρ ἀνθρωπίνης (φύσεως) ὅσον ἀπ' ἰξύος εἰς ἄκραν ὑποφέρεται τὴν βάσιν, ἀφεῖλε· *Ab humana natura, quantum à lumbo ad imos pedes subtenditur, detraxit.* *Oppianus* ferè initio libri secundi *Cynegeticῶn*,

Ἀμφότεροι φολόης ἀνεμώδεος ἄγρια φῦλα,
Θηρομιγῆ, μερόπων μὲν ἐπ' ἰξύας, ἰξυόφιν δὲ
Ἵππων ἡμιβρότων, - - - - -

Utrinq; clivosæ, ventosæque Pholoes *sæva secula, hominum quidem* formâ *usq; ad lumbos, à lumbis autem equorum semi-hominum.* *Ælianus* lib. 17. cap. 9. in descriptione *Onocentauræ*, Ὦμοι δὲ, καὶ βραχίονες, καὶ πήχεις, ἔτι δὲ χεῖρες, καὶ στέρνα εἰς ἰξὺν, καὶ ταῦτα ἀνθρωπικά· *Humeri autem, & brachia, & cubiti, manus quoque, & pectus usque ad lumbum, omnia hæc humana erant.* Et *Phile* eandem describens capite 40.

Πρόσωπον ἀνδρὸς εἶδεν, Ἰνδὲ, καὶ κόμην,
Καὶ στέρνα, καὶ τράχηλον, ἄχρις ἰξύος,

Faciem virilem vidis, ô Inde, *& comas, & pectus, & collum usque ad lumbum.* Quale est, quod *Nonni Dionysiacῶn* libro sexto describuntur *Tritones*,

Ἔγχλοον αἰθύσσοντες ἐπ' ἰξύϊ δίπτυχον οὐρὴν,

Viridem moventes sub lumbo duplicem caudam. Et libro decimo quarto idem de *Satyris*,

- - ἵππείη δὲ, τιταινομένη διὰ νώτου,
Ὄρθιος, ἀμφιελικτος, ἐπ' ἰξύος ἔτρεχεν οὐρή·

Equina cauda per dorsum extensa, erecta, circumvolata, super lumbum fluitabat. Lumbum intelligi patet, quia dorsum & ἰξὺς ibi sunt synonyma. Sic in *Arato* cœlestes Ursæ duæ

- - κεφαλὰς μὲν ἐπ' ἰξύας αἰὲν ἔχουσαι
Ἀλλήλων. - - - - - - -

capita ad lumbos invicem semper habent. Quod *Germanicus* ita reddidit,

- - - - - - - - *obversa refulgent*
Ora feris caput alterius super horrida terga.

Et *Cicero*, ubi de Ursa minore,

Obstipum caput, & tereti cervice reflexum,
Obtutum in cauda majoris figere dicas.

Rursus apud *Maximum Tyrium*, Sermone quadragesimo, cervæ natatu maria trajiciunt, ἐπιθεῖσα ἑκάστη τὴν κορυφὴν τῇ τῆς ἡγουμένης ἰξύϊ, *unaquæque caput imponens anterioris lumbo.* Pro quo *Ælianus* in fine libri quinti, Τὰ γένεια αἱ ἑπόμεναι τῶν προηγουμένων τῇ ὀσφύϊ ἐπερείδουσαι, *Sequentes mentum super antecedentium lumbum inhærentes.* Ex qua collatione apparet *Maximo* τῇ ἰξύϊ id ipsum esse, quod *Æliano* τῇ ὀσφύϊ. *Hippocrates* quoque promiscuè sumit utramque vocem libro Περὶ γυναικ. φύσεως, ubi, postquam sæpe dixit, Ὀδύνη ἴσχει τὴν νειαίραν γαστέρα, καὶ τὰς ἰξύας, *Dolor imum ventrem, & lumbos detinet*, semel hoc idem repetens, pro τὰς ἰξύας, habet τὴν ὀσφύν. Non desunt tamen, quibus ἰξὺς aliud est. *Suidas* ex ignoto *Poeta*,

Ἐπ' ἠιόνι ψυχόμενον χηλάς τε, καὶ ἰξύας, τουτέστι τὴν ῥάχιν,

In littore exsiccantem ungulas, & ἰξύας, id est, dorsi spinam. *Hesychius*, Ἰξύϊ, ὀσφύϊ, λαγόσι, ac si non solum *lumbum*, sed & *ilia* significet. Quomodo accepisse videtur *Archias Poeta*, cùm de acheta, cicadæ genere, dicit *Anthologiæ* lib. 3. cap. 24. *Epigr.* 7.

Ἀχέτα, ἐυπτερύγοιο δι' ἰξύος, ἀχέτα, μολπάν,

O acheta, per alata ilia carmen canebas. Cicadas intelligit, de quibus *Plinius* libri undecimi capite vigesimo sexto, *Quæ canunt, vocantur acheta.* Et multo ante *Philosophus*, *Hist.* lib. 4. cap. 7. Τοὺς μὲν καλουμένους ἀχέτας ὑπὸ τὸ ὑπόζωμα διῃρῆσθαι, καὶ ἔχειν ὑμένα φανερόν· *Achetas, quas vocant, sub diaphragmate dividi, & membranam habere liquet.* Et canoras esse illa parte etiam *Ægyptii* observant. *Horus, Hierogl.* lib. 2. cap. 52. Διὰ τοῦ στόματος οὐ λαλεῖ, ἀλλὰ διὰ τῆς ῥάχεως φθεγγόμενος καλὸν μέλος ἀείδει· *Hæc, non ore, sed spinâ dorsi resonans, pulchrum concentum edit.* Et *Ælianus* lib. primo capite vigesimo. Τὰ μὲν ἄλλα τῶν Ἰνδικῶν (lege ᾠδικῶν) ὀρνίθων ἐυστομεῖ, καὶ τῇ γλώττῃ φθέγγεται δίκην ἀνθρώπων· οἱ δὲ τέττιγες κατὰ τὴν ἰξύν εἰσι λαλίστατοι. *Canora quidem aves aliæ ore valent, & lingua loquuntur hominum more; sed cicadæ circa lumbum sunt loquacissimæ*, membranulæ scilicet agitatione stridorem edentes. Quod ipsum voluit *Archias*, nisi quod illi ἰξὺς ἐυπτέρυγος, id est, *alata*, non potest esse lumbus, cum alæ non sint à tergo. Proinde *ilia* intelligo. Et *Heraclitus* Περὶ ἀπίστων, cum *Centauros* scribit τὰ μὲν ἐπάνω τῶν λαγόνων ἀνθρώπων ἐσχηκέναι, τὸ δὲ ἄλλο τὸ μέρος τῶν ἵππων, *quæ sunt supra ilia hominum habuisse, reliqua autem omnia equorum*, λαγόνας, id est, *ilia* vocat, quod alii ἰξύν. Quin ipse *Hippocrates*, ubi supra, videtur τὴν ὀσφὺν, & τὰς ἰξύας, tanquam diversa, distinguere, cum dicit, Ὀδύναι ἴσχουσι τήν τε ὀσφὺν, καὶ τὴν νειαίραν γαστέρα, καὶ τὰς ἰξύας. Itaque *Galenus* scribit ἰξύας quibusdam esse τὰ τῶν λαγόνων ὀστᾶ, *iliorum ossa*, aliis τὰ ὑπεράνω αὐτῶν, *superiorem partem, quæ propriè λαπάρα dicitur.* Et ipse definit τὸ μεταξὺ τῶν ἰσχίων καὶ τῆς ὀσφύος, *coxendicis & lumborum partem intermediam.* Et in *Etymologico* ἰξὺς vel est ἡ ὀσφὺς, *lumbus*; vel τὸ ἰσχίον, *coxendix.* Et in *Glossario Philoxeni* ἰξὺς *clunis* redditur. Quæ hic ideò affero, ut lector sciat *Græcis* ἰξὺν tam esse ambiguum, quam *Hebræis* כסל. Tamen utrumque puto primò *lumbum* significâsse, deinde per κατάχρησιν vicinas partes, putà *ilia*, & *ossa ilii*, adeoque *os femoris huic suppositum*, atque inde esse, quod כסל à *Græcis* μηρὸς redditur, & μηρίον, id est, *femur*. Et in *Talmude* כסול vocatur *qui femur unum habet altero longius.* Aliud agebat doctissimus *Bodersanus*, cum reddidit, tanquam ex *Aruch*, *æqui-crurem, habentem femora æquali altitudine.* Nam in Tractatu *Talmudico Bechoroth*, cap. 6. fol. 40. a. in ipso *Misna* textu, ut שחור is est, שנשמט ירכו

ירכו *cujus luxatum est femur* : ita כסול definitur שאחת מירכיו גבוהות *cujus unum femur est altius.* Quod ipsum exscribit *Aruch*, nisi quod pro גבוהות habet גבוהה, quæ melior est lectio.

Lumbi Hebræis aliter vocantur חלצים, & מתנים, quæ voces sunt frequentissimæ. Et à priore חלץ est *ad militiam se accingere*; quia super lumbos se accingebant. Quomodo etiam in *Homero Iliad.* ψ'. *Epeus*, & *Euryalus*, pugiles decertaturi,

- - ζωσαμένω βήτην ἐς μέσσον ἀγῶνα.

In quem locum vetus *Scholiastes*, Κατὰ δὲ τὴν λ' καὶ δευτέραν Ὀλυμπιάδα Ὀρίππου τοῦ Λακεδαιμονίου λυθὲν ἀγωνιζομένου τὸ περίζωμα αἴτιον αὐτῷ ἥττης ἐγένετο, ἐξ οὗ νόμος ἐτέθη γυμνοὺς τρέχειν· *Circa* Olympiadem XXXII Orippi Lacedæmonii *decertantis cingulum solutum causa fuit cur vinceretur, à quo tempore lege cautum est, ut nudi currerent.* Sed *Eustathius* rectius *Orsippum* scribit, & ad *Olympiadem* XIV. hoc idem refert. Verba sunt, Μετὰ τὴν ιδ' Ὀλυμπιάδα συνέβη, Ὄρσιππόν τινα, ἐμποδισθέντα ὑπὸ τοῦ περιζώματος, πεσεῖν, καὶ τελευτῆσαι, ἢ κατά τινας νικηθῆναι· ὅθεν ἐθεσπίσθη, γυμνοὺς τοὺς τοιούτους ἀγωνίζεσθαι· ἀφ' οὗ καὶ Γυμνάσιον ὁ τόπος, ἐν ᾧ τοὺς ἀγῶνας ἐποιοῦν. *Post* Olympiadem XIV *contigit, ut* Orsippus *quidam, à cingulo suo impeditus, caderet, & moreretur, aut juxta nonnullos vinceretur; unde sancitum est, ut deinceps hi nudi decertarent: ac proinde Gymnasium dicebatur locus, in quo edebantur hæc certamina.* Quin, ut ibidem additur, ex eo *Hesiodum* colligunt *Homero* esse juniorem; quia γυμνὸν εἰσάγει τὸν Ἱππομένην ἀγωνιζόμενον τῇ Ἀταλάντῃ, *nudum inducit* Hippomenem *cum* Atalanta *certantem.* Ex quo sequatur *Hesiodum* vixisse post *Olympiadem* XIV. quod scripserunt multi veterum, cùm *Homerus* primam *Olympiadem* uno, aut altero sæculo præcesserit. Sed hæc obiter. Pro חלצים *Chaldæi* חרצין scribunt, *Lamed* & *Res* permutatis: & *Syri* ܚܨܝܢ vel ܚܨܐ utroque eliso. Et *Tsade* illud *Arabes* & *Æthiopes* in *Koph* mutant. Illis enim حقو his ሐቌ: est *lumbus*. Sic *Chaldæis* ארקא est *terra* Jerem. 10. v. 11. pro *Hebræo* ארץ. Quæ mutatio alioqui est valde infrequens. Ita paulatim linguæ desciscunt à prima origine.

מתנים *mothnajim*, *Hebræum* pro *lumbis*, licet in Scriptura occurrat locis ferè quinquaginta, tamen apud *Hebræos* vox est incertæ originis. Sed rem, illis prorsus ignotam, ab *Arabibus* didicimus, quibus متن *mathana* Verbum, *firmum & solidum esse* significat. Et متين *mathin*, id est, *firmus*, & *solidus*, membrorum, quæ in humano corpore firmiora & validiora sunt, Epithetum, in *Avicenna* sæpe est in usu. *Lumbi* igitur *Hebraicè* מתנים *mothnajim*, & *Arabicè* متان *mithan*, meritò inde dicti, cum in iis consistat robur, & virtus corporis. Proinde dictum de *Behemoth*, seu *hippopotamo*, Job. 40. v. 11. כחו במתניו *robur ejus in lumbis.* Et *Esa.* 45. v. 1. מתני מלכים אפתח *lumbos Regum aperiam*, seu *solvam*, id est, juxta *Seniores*, ἰσχὺν βασιλέων διαρρήξω, *robur Regum confringam*: nisi scripserint ἰξὺν, quod, quia minus notum, scribæ in ἰσχὺν mutaverint. De re incerta nihil statuo, quamvis alii interpretes *dorsa*, aut *lumbos* hic habeant.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

Ovium propria, & mores.

Ovium mira fœcunditas, maximè in Judæa. *Pascua induuntur ovibus*, Psal. 65. v. 14. *Oves plerumq; unipara: tamen in* Judæa, *& alibi, quandoq; gemellipara.* Διδύμα ἀρνία, *&* ambegnæ oves *dictæ*, Græcos *id* Apollini Nomio *tribuisse. Alicubi etiam bis in anno pariunt. Sed nusquam ter, ut fabulantur. An* Labanis *oves bifera fuerint.* Decies, *id est*, multoties: *numerus finitus pro infinito. Quid sint agni* עטפים, *&* קשרים Gen. 30. v. 41. 42. Agnus *Chaldaicè* חורפא *ab hyeme, ut* hircus χίμαρος· *at* ἔαρος *à vere, quo nascitur.* שדי, *Dei nomen, unde. Ovis, & agni, diversa nomina juxta ætates. Agnus quando ad sacrificia aptus. Aries trimus in pleno robore.* Hesychius *emendatus. Agnus animal* ἀλτικόν· כרכר *circer*, in agni modum subsilire. *Viri docti oscitantia. Hippurus piscis cur* ἀρνευτής. *Urinator cur* ἀρνευτήρ. *Oves gaudere montibus. An inde montana loca* Homero οἰοπόλα. Hesychius *emendatus. Oves in palustribus majores, sed caro deterior. Oves in metu se colligunt, & mutuò premunt, unde* Homero ἀγχιστῖναι. *Oves* בצרה Botsræ, *vel* ἐν θλίψει, Mich. 2. v. 12. *Herba pastus ovium. Obiter de sacharo veterum, Arab.* tabaschir. *Ros pecori gratus, quando salubris, vel insalubris.* ترز tharz, *in ovibus quis morbus. Oves quando ad pastum, ad aquas, & ad umbram sint deducendæ; quò alludunt Sacri Scriptores.* Mesopotamiæ *pastores cur coarguerit* Jacob. *Sponsa quomodo* כעטיה Cant. 1. v. 7. *Literarum trajectio in hac voce. Hebræis* vaga, *id est*, meretrix. *Ovis animal mitissimum*, Syriacè ܢܩܝܐ *id est*, innocua, *dicta.* Fabius Maximus, *cur* Ovicula *vocatus. Agnus* אלוף aluph, *id est*, mansuetus, *Jer.* 11. v. 19. *quod probatur ex* Arabismo. *Oves quam sint dociles. Voces quasdam intelligunt. Pastori quam sint morigeræ.* Ovicula in sinu domini quiescens, *&c. in parabola* Nathanis. *Exempla hujusmodi in canibus, felibus, & draconibus. Vitia duodecim, quæ animal ab aris excludunt.* Levit. 22. *proponuntur, & explicantur.* Melitæus canis *quomodo* Arabicè. Cheth & Ajin *permutari. Castrandi quatuor modi. Clauda victima rejecta. Eunuchi à sacris exclusi. Ovis* كنوف canuph, *quæ à grege longius aberrat: quod per morbum quandoq; accidit. Ovis præ pinguedine lasciviens.* שמר perdere, *sed* שמר servare. *Saginari, & obfirmari; in malum. An oves pasta pascua proculcent, & aquas pedibus turbent.* Prophetæ *quandoq;* ἐν τῷ ἐπιμυθίῳ *plura habent, quam* ἐν τῷ μύθῳ. *Hirci, & arietes, petulci & cornu-petæ.* Κορύπτειν, κυρηβάζεσθαι, κυρίττειν, arietare, coniscare; *Synonyma.* Hesychius *emendatus, &* Glossarium *vetus.* Ventilare *quid* Hieronymo. *Aries & hircus mystici, à* Daniele *visi, quid portenderint.* Syllæ *visio similis, &* Tarquinii Superbi.

IN eo capite, in quo *Hebraica* ovium nomina explicavimus, illas צאן, vel צונה, docuimus (a) *à fœcunditate* dici. Neque verò id immeritò, cùm ovis sit pecudum omnium fertilissima. Proinde *Ps.* 144, 13. *David*

a) *Cap.* 44. *p.* 432. *supra.*

vid oves describit in *Judæa* plateis, & vicis, מַאֲלִיפוֹת, χιλιοστὰ ἀσπαζόμενας, & מְרֻבָּבוֹת, μυριοπλασιάζουσαι: id est, *per chiliadas, & myriadas fœtificantes.* Eodem recidit quod habetur *Psal.* 65. *v.* 14. לָבְשׁוּ כָרִים הַצֹּאן *Induuntur pascua ovibus.* Quâ Metaphorâ valde eleganti significatur ovibus ita obtegi terræ superficiem, ac si lanigerum pecus illi esset pro indumento. Neque id frustra dici patet ex prodigiosis ovium enumerationibus, quæ in Scriptura passim habentur. Sic in *Arabiæ* parte, non procul à *Judæa* dissita, *Job* primò septem, deinde quatuordecim habuit ovium millia, *Job.* 1. *v.* 3. & 42. *v.* 12. Et *Mesa*, Rex *Moabitidis*, *Israelitarum* Regi pro tributo annuo pendebat agnorum centum millia, & lanatorum arietum parem numerum, 2. *Reg.* 3. *v.* 4. Et ex *Agarenorum* gregibus *Rubenitæ* ovium abegerunt ducenta quinquaginta millia, 1. *Par.* 5. *v.* 21. Ut de *Solomone* taceam, qui in Templi initiatione obtulit in sacrificium millia ovium centum viginti, 2. *Par.* 7. *v.* 5. Et de *Josia*, nonnisi duarum tribuum regulo, qui suis largitus est agnorum triginta millia ad *Pascha* celebrationem, 2. *Par.* 35. *v.* 7. Quod leve videbitur præ eo, quod narrat *Josephus*, *De bello Judaico* libri septimi capite decimo septimo, duabus horis, vespera *Paschæ*, quæ sub *Cestio* celebrata est, cæsa fuisse *Hierosolymis* agnorum ducenta quinquaginta millia & sexcentos. Miraculum auget, quod ovem quotannis observant nonnisi semel parere. *Damir*, Scriptor *Arabs*,

جعل الله البركة في نوع الغنم
وهي تلد في عام مرة ويوكل منها
ما شاء الله ويتملا منها وجه
الارض خلاو السباع فانها تلد ستا
وسبعا ولا يربي منها الا واحد واحد
في اطراف الارض

In genus ovium Deus benedictionem suam effudit: ita ut, cùm in anno nonnisi semel pariant, & ex iis comedatur quantum vult Deus, tamen terræ superficiem repleant. Contrà quàm (b) *feræ, quæ, licet sex aut septem edant catulos, non videntur nisi singulæ in terræ finibus*, id est, in locis ab hominum consortio remotissimis. Sed, quòd ovem ajunt quotannis parere semel duntaxat, nec nisi unum agnum, verum quidem est ἐπὶ τὸ πολὺ, non tamen perpetuum. Primò enim in *Judæa* oves quandoque fuisse διδυμοτόκους, seu *gemelliparas* colligere est ex his *Cant.* 4. *v.* 2. *Dentes tui sunt ut grex* ovium *æqualium, quæ ex lavacro ascendunt, & omnes sunt gemellipara, neq; ulla est, quæ abortiat.* Vocem *ovium*, quæ deest, supplemus ex *Cant.* 6. *v.* 5. ubi disertè habetur. *Æqualium*, id est, הַקְּצוּבוֹת, quod jam ante explicavimus. *Gemellipara* Hebraicè sunt מַתְאִימוֹת, quod nonnulli aliter explicant. *Rabbi Selomo* reddit *integras*, tanquam ex מְתוֹם *Psal.* 38. *v.* 8. quod *Grammatica* non patitur. Nam à Singulari מְתוֹם Plurale Fœmininum esset מְתוּמוֹת, non מַתְאִימוֹת. Recentiorum aliis *oves* מַתְאִימוֹת sunt *quæ geminæ incedunt*: quod nihilo est verisimilius. Quippe, cum תְּאוֹמִים propriè *geminos in partu* sonet, ut *Gen.* 25. *v.* 24. & 38. *v.* 27. & *Cant.* 4. *v.* 5. & 7. *v.* 3. inde *Benoni Hiphil* מַתְאִימוֹת *eas* propriè significat, *quæ geminos faciunt*, id est, *pariunt.* Quod optimè cohæret cum sequentibus, *Omnes sunt gemellipara, neq; ulla est, quæ abortiat.* Cum hæc sint ἀσύνδετα, *Incedunt gemina, neq; ulla est, quæ abortiat.* Nihil enim

b) Vel leana.

commune habet incessus cum abortu. Vera igitur, & certa est interpretatio, quam diximus. Proinde illi mordicus hærent veterum interpretum quotquot sunt. Sic *Syrus*, ܡܬܐܡܢ *gemellipara*. Arabs, ذوات اتوام *gemellos habentes.* Chaldæus, ילדן תיומין בכל עדן *geminos parientes omni tempore.* Seniores, διδυμεύουσαι. Aquila, διδυμοτόκοι. Hieronymus, *omnes gemellis fœtibus.* Et, ex *Hebræis*, Kimchius, כלומר שכולם ילדות תאומים *Quasi diceret eas omnes gemellos parere.* Et *Pomarius*, הִתְאִים *Gemellos fecit*, Cant. 4. Et *Aquinas*, פי׳ שכולי ילדות תאמות תאמות ר״ל ב׳ ילדים *Significat omnes per paria peperisse, id est, duos fœtus.* Denique novæ interpretationi nemo favet præter *Aben Ezram*; qui, confundens *Cal* & *Hiphil*, dicit מַתְאִימוֹת, idem esse, quod תְּאוֹמוֹת, id est, *geminas*, quamvis fateatur alios intelligere שיש לפני כל אחת תאומים *singulas oves ante se habere geminos fœtus.* Itaque non video, cur ab interpretatione tam rectâ, & tam receptâ, discesserint novi interpretes, nisi, peregrinas oves ex suarum naturâ dimetientes, hoc pecus putaverint nuspiam esse gemelliparum. Tamen in eam rem expressa sunt veterum testimonia. *Aristoteles* (*Histor.* lib. 6. cap. 19.) de ovibus, & capris; Τίκτει δὲ τὰ μὲν πλεῖστα δύο· ἐνίοτε δὲ καὶ τρία, ἤδη δὲ καὶ τέτταρα. *Multa vero geminos pariunt; quandoq; etiam tres, aut quatuor.* Et rursus, Διδυμοτοκοῦσι δὲ καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες διά τε εὐβοσίαν, καὶ ἐὰν ὁ κριὸς, ἢ ὁ τράγος ᾖ διδυμοτόκος, ἢ ἡ μήτηρ. *Geminos pariunt tam oves, quàm capræ, & pabuli beneficio, & si aries, aut hircus, aut mater naturâ sint gemellipari.* Et in *Mirabilibus*, Λέγεται δὲ καὶ ἐν Ἰλλυριοῖς τίκτειν τὰ βοσκήματα δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ τὰ πλεῖστα διδυμοτοκεῖν. *In* Illyriis *pecora* (id est, oves, & capræ) *dicuntur bis in anno parere, & geminos pleraque edere.* Quin *Ælianus* libri quarti capite trigesimo secundo scribit *Indicas* oves ἀποτίκτειν τέτταρα ἑκάστην, οὐ μείω γε μὴν τῶν τριῶν, *singulas quatuor, aut tres ut minimum fœtus edere.* Oves gemelliparas ἀπὸ τοῦ δὶς κύειν *Græci* δικύμα πρόβατα vocant. *Suidas*, & *Phavorinus*; Δικύμα, τὰ διδυμοτόκα πρόβατα. Eædem priscis *Romanis* AMBEGNÆ dicebantur. *Fulgentius* in libello *De prisco sermone ad Chalcidium* cap. 6. Bebius Macer, *qui Fastos dies scripsit, ait* Junoni *eas, quæ geminos parerent, oves sacrificari cum duobus agnis altrinsecus alligatis; quas oves* ambegnas *vocari, quasi ex utraque parte agnos habentes.* Quam ovium fœcunditatem *Græci* ad *Apollinem Nomium* referebant. Proinde *Callimachus* Hymno in *Apollinem* petit, ut ejus beneficio

Ἢ δίκε μουνοτόκος, διδυμοτόκος ἄψα γένοιτο,
Quæ unipara erat, gemellipara repentè fiat.

Sed & aliud observandum est, oves quandoque non solum esse gemelliparas, sed & biferas, id est, bis in anno parere. Quod de *Illyricanis Philosophus* jam supra docuit. Quale est, quod idem habet *Hist.* lib. 6. cap. 18. Ἐν ἐνίοις τόποις, ὅπου ἀλεεινοί εἰσι, καὶ ἐν οἷς εὐημεροῦσι, καὶ τροφὴν ἄφθονον ἔχουσι, δὶς τίκτουσι. *Quibusdam in locis, qui mitiores sunt, & in quibus commodè degunt, & pabuli copiam habent, bis pariunt.* Et *Problem.* cap. 10. sect. 46. Τὰ αὐτὰ ἀλλαχοῦ μὲν ἅπαξ τίκτει, ἀλλαχοῦ δὲ πλεονάκις· οἷον τὰ πρόβατα ἐν Μαγνησίᾳ καὶ Λιβύῃ τίκτει δίς. *Eadem animalia alibi pariunt semel, alibi sapius, ut oves in* Magnesia *&* Libya *bis pariunt.* Quin *Odyss.* δ' *Homerus*, Poeticè rem augens, de eadem *Libya* scribit,

Τρὶς γὰρ τίκτει μῆλα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτόν,
Ter enim (ibi) *pariunt oves in anno perfecto.* Sed res merè est impossibilis, quia ovis uterum gerit per dies CL, vel, quod idem est, per quinque menses. *Plinius* lib. 8. cap. 47. *Gerunt partum diebus* CL. *Philosophus* ubi supra, Κύει δὲ πέντε μῆνας πρόβατον, καὶ αἴξ. Qui mensium numerus in anno bis quidem potest, sed non ter reperiri. Itaque valde suspectum est, quod legitur

in

in libro *Mirabilium*, Παρὰ τοῖς Ὀμβρικοῖς φασι τὰ βοσκήματα τρὶς τίκτειν τοῦ ἐνιαυτοῦ· *Apud* Ombricos *pecora ter in anno parere ajunt.* Utut sit, quàm incertum, imò & falsum est, quidquid de triplici fœtura; tam verum, & certum est, quod de duplici traditur. Nam & de sua *Italia Virgilius* lib. 2. *Georg.*

Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.

Ad quem locum *Servius*, *Verum est: inde enim est in* Bucolicis,

" *Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.*

Ibi scilicet *lac novum* Servio *colostrum* est, quod matrum partum statim sequitur. Quale hyeme & æstate haberi non potest, nisi biferæ sint oves. *Arabes* proprias habent voces, quibus id significent. Sic المغلة *almagla* in *Lexico Alcamus* est النعجة تنتج في عام مرتين *Ovis, quæ in anno bis parit.* Et مغل *magala*, vel اغيل *agiala*, de ove, est *bis in anno parere.* Sic in *Mesopotamiæ* parte, in qua degebat *Laban*, oves fuisse biferas ex eo multi probant, quod mercedem suam sexennii spatio decies à *Labane* mutatam fuisse, & interversam, queritur *Jacob*, *Gen.* 31, 7, 41. Cùm enim è fœtura pecoris sumeretur *Jacobi* merces, non potuisset per sexennium mutari supra sexies, si *Labanis* oves quotannis nonnisi semel peperissent. Proinde *Hieronymus* in *Quæstionibus* Hebraicis; *Hic magis sensus probatur, quod per singulos fœtus semper* Laban *conditionem mutaverit. Si videbat varium nasci pecus, post fœtum dicebat,* " *Volo, ut in futurum mihi varia nascantur. Rursus cum vidisset, unius coloris nasci pecora,* (Jacob *quippe, hoc audito, virgas in canalibus non ponebat) dicebat, ut futuros fœtus unius coloris sibi pecora procrearent. Ecquid plura? usque ad vices decem, semper à* Laban *pecoris sui, sive* Jacob, *mutata conditio est. Et quodcunque sibi proposuerat ut nasceretur, in contrarium colorem vertebatur. Ne cui autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege* Virgilium, *in quo dicitur,* " Bis gravidæ pecudes. *Naturâ autem* Italicarum *ovium, &* Mesopotamiæ, *una esse traditur. Augustinus* quoque in *Genesin* Quæst. 95. *Bis pariebant in anno.* Et quia videtur indè sequi *Labanis* oves sexennio illo duodecies peperisse, adeoque *Jacobi* mercedem mutatam fuisse duodecim vicibus, respondet primo anno à pacta mercede nonnisi semel peperisse, quia hoc eodem anno jam pepererant semel ante pactam mercedem; & rursus ultimo anno tantùm semel peperisse, quia *Jacob*, discedere coactus ante sextum annum prorsus completum, secundum partum non expectavit. Atque ita è toto partuum numero duos eximit, ut nonnisi decem supersint. Sed nihil opus est calculos tam accuratè subducere. *Mutâsti mercedem meam decem vicibus*, id est, *multis.* Numerus finitus pro infinito: ut *Num.* 14, 22. *Tentaverunt me jam per decem vices.* Et *Job.* 19, 3. *En decies mihi pudorem incutitis*, id est, *multoties.* Proinde, si aliud non esset, rationem haberemus dubitandi, an *Labanis* oves reverâ fuerint biferæ. At id ipsum videbitur constare certiùs ex *Gen.* 30, 41. 42. ubi, juxta receptam interpretationem, è duabus *Labanis* ovium fœturis prior, quæ multò erat potior, *Jacobo* semper cedebat, & *Labani* solùm posterior. Nascebantur enim agni *Jacobi* virgis concolores. Suas porrò virgas non objiciebat *Jacobus* nisi prioris fœturæ matribus. Itaque, ubi *Hebræa* habent *Labanis* fuisse העטפים & *Jacobi* הקשרים, pro העטפים *Syrus* & *Chaldæus* uterque habent לקשיא *serotinos*; *Arabs Erpenianus* المؤخرون *posteriores*, & alter *Lutetiæ* editus الخريفية *Autumnales*; Aquila, ὄψιμα· Symmachus, δευτερόγονα· Hieronymus, *ea quæ sunt serotina.* Et his oppositi הקשרים *Syro* & *Chaldæis* sunt בכיריא, *primitivi*, aut *primogeniti*; *Arabibus* الربيعية *vernales*; *Aquila*, ut suspicor, πρώϊμα, & *Symmacho* πρωτόγονα, ut Hieronymo *quæ primi temporis.* *Kimchius* quoque, *Aben Ezra*, *Pomarius*, *Aquinas*, & alii *Hebræorum* priorem fœturam referunt ad mensem *Nisan*, secundam ad mensem *Tisri*: quorum ille *Martio*, hic *Septembri* ferè respondet. Et agnos prioris fœturæ ideò קשרים, id est, *vinctos*, seu *ligatos*, dici asserunt, quia corpus habent compactius: & alios עטופים, id est, *deficientes*, quia sunt infirmiores. Tamen *Autumnales* vernis, & hyemales æstivis à plerisque præferuntur. *Plinius* lib. 8. cap. 47. *Multi hybernos agnos præferunt vernis, quoniam magis interſit ante solstitium, quàm ante brumam firmos esse, solumque hoc animal utiliter brumâ nasci.* Et *Columella* lib. 8. cap. 3. *Melior est agnus* Autumnalis *verno, sicut ait verissimè* Celsus, *quia magis ad rem pertinet, ut ante æstivum, quàm hybernum solstitium convalescat, solusque ex omnibus animalibus brumâ commodè nascitur.* Unde est, quod ab *Hebræo* חורף *choreph*, quod *hyemem*, vel ab Arabico خريف *chariph*, quod *Autumnum* sonat, *agnus Chaldæis*, & *Syris*, ܚܘܪܦܐ *churpha* dicitur, & *Arabibus* خروف *churuph*, tanquam χειμερινὸν, vel ὀπωρινὸν ζῶον, & *hyeme*, vel *Autumno nasci solitum.* Quale est quod *Hesychio* Κριὸς dicitur ὁ μικρὸς αἴξ ὁ ἐν τῷ ἔαρι φαινόμενος, ἤγουν ὁ πρώϊμος· χίμαρος δὲ, ὁ ἐν τῷ χειμῶνι. Verùm ut dicam quod res est, in *Hebræis Prophetæ* verbis nullum fœturæ duplicis vestigium reperio. Illa enim puto sic posse reddi commodissimè, *Evenit autem, ut quandocunque oves incalescerent,* Jacob *virgas poneret ante earum oculos in canalibus ut ad virgas illas incalescerent. Sed cum debiles erant oves, non poneret: & sic debiles* Labanis, *robusta autem* Jacobi *essent.* Nempe, ut ait *Poëta Venusinus*, libri quarti *Odâ* quartâ,

Fortes creantur fortibus, & bonis.

Itaque è robustis matribus robusti agni nascebantur. At, eædem si debiles erant, fœtus procreabant similes. A Verbo קשר, quod *ligare* est, *oves robustæ*, & *vegetæ* מקשרות, & *agni* pariter *vegeti* קשרים à *Mose* appellantur, quomodo illæ linguæ *ligandi* verbis ad corporis & animi vigorem significandum sæpe abutuntur. Sic *Arabica* Verba ربط *rabata*, & اوثق *authsaka*, primo *vincire*, & *ligare* significant; deinde *animum obfirmare*, & *confirmare.* Et, quod maximè ad rem facit, à Verbo شد *scadda*, in *ligandi* notione his Synonymo, شديد *scadid robustum* sonat, & Dei nomen שדי *scaddai* παντοκράτορα. Præterea ligari solent animalia, quæ saginantur, & in his oves. Quod *Arabicè* بنن *bannana* dicitur voce maximè propriâ. *Alcamus*, بنن ارتبط الشاة ليسمنها *Bannana, ligavit ovem, ut eam saginaret.* Itaque in ovibus מקשרות *ligatæ*, & in agnis קשרים *ligati*, dici potuêre obesissimi, & pinguissimi. Contrà עטפים *debiles* reddimus, & *viribus defectos*; quia Verbum עטף *languere* significat, *deficere*, & *labascere.* Exempla vide *Ps.* 61, 3. & 77, 4. & 102. in Titulo, & 107, 5. & 142, 4. & 143, 4. & *Thren.* 2, 11. 12. 19. & *Jon.* 2, 8. &c. Aut vehementer fallor, aut hæc est verborum *Mosis* vera interpretatio. In his igitur nihil est de diverso tempore, aut diversâ ovium

fœtura: cum nihil obstet, quò minùs matres, vigore & viribus impares, eâdem anni tempestate ineantur. Itaque *Græci* Interpretes, omnium antiquissimi, de diversitate à fœtura nihil quidquam habent. Tantum intelligunt *Labanis* pecora ita distingui in ἐπίσημα & ἄσημα, hoc est, *nobilia* & *ignobilia*: ita ut nobilia *Jacobo*, ignobilia *Labani* cesserint. Quâ arte porrò *Jacob* sit usus, ut varios agnos ex unicoloribus matribus eliceret, dicetur in sequentibus.

Judæos ovium sexus, & ætates accuratè distinxisse jam apparuit ex iis, quæ *De Hebræis Ovium nominibus* (c) disseruimus. Illis enim טלה *taleh*, erat *agnus lactens*, id est, usque ad quartum mensem; כר car, *pascualis agnus*; כבש *chebes*, aut כשב *chesebh*, nomen ad utrumque commune; איל ajil, aries; משנים mišnim, *bidentes*; כבשה chebasa, *agna*; רחל rachel, ovis; שה *seh*, & צאן *tson*, ad caprillum & ovillum pecus communes appellationes, ità tamen, ut שה de singulis, צאן de pluribus dicatur, quia Collectivum est nomen. Apud *Arabes* in *Alcamus*, الشاة

اول سنة حمل او جذع ثم جذع ثم

ثني ثم رباع ثم سديس ثم سالغ

(c) Cap. 41. pag. 421. 422. & supra.

Sah, (id est, *capra*, seu *ovis*) *primo anno dicitur* hamal, *aut* gedi, *deinde* giadsa, *deinde* tsani, *deinde* raba *deinde* sadis, *deinde* salig. Hæc ille in سلغ *salaga*. Agnus octavo die ad sacrificium erat aptus. Ita enim statutum in Lege *Exod.* 22, 30. *Septem diebus sit cum matre sua, & die octavo reddes illum mihi.* Et *Levit.* 22, 27. *Bos, aut agnus, aut capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub matre sua: die autem octavo, & deinceps, accepta erunt in oblationem ignitam Domino.* Quibus *Mosis* legibus conferenda sunt hæc *Plinii* lib. 8. cap. 51. *Suis fœtus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo.* Itaque cum in Lege toties (d) *agnum anniculum* Deus postulat sibi offerri, non significatur agnus præcisè ἐνιαύσιος, sed agnus ab octavo die usque ad annum completum. Cur vitulam, capram, & arietem, pro anniculis, trimos offerre jussus sit *Abraham* *Gen.* 15, 9. aliis disquirendum relinquo, hîc contentus id observâsse, trimum arietem esse in pleno robore, & vigore ætatis. Unde est, quod apud *Lucianum*, in *Deorum Dialogis*, *Ganymedes* à *Jove* raptus, & dimitti petens, pro λύτρῳ suo promittit se arietem *Jovi* immolaturum τὸν τριετῆ, τὸν μέγαν, ὃς ἡγεῖται πρὸς τὴν νομὴν, *triennem, magnum, qui gregi in pascua præit.* Qualis aries ἀρνειὸς, & μοσχίας *Græcè* dicitur. *Hesychius*, Ἀρνειὸς, ὁ τριετὴς κριός. Et *Phavorinus* in Ἀρνειὸς ex *Eustathio*, Ἰστέον ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι λέγεσθαι ἄρνα, εἶτα ἀμνὸν, εἶτα ἀρνειὸν, εἶτα λειπογνώμονα. Ἐλέγετο δὲ καὶ μοσχίας ὁ τριετὴς κριός. *Poetæ* τρίκουρον, id est, *ter-tonsum*, vocant. *Hesychius*, Τρίκουρος, ὁ ἐπὶ τρία ἔτη κεκαθαρμένος κριός (lege κεκαρμένος.) Cur has hostias *Abram* diviserit, cum fœdus sanxit cum Deo, *Gen.* 15, 10. quomodo *Israëlitæ*, *Jerem.* 34, 18. jam anteà docuimus.

(d) Exod. 29, 38. Levit. 1, 10. & 9, 3. &c.

Agnus est animal ἁλτικὸν & πηδητικὸν quo pertinet hæc *Psalmi* 114, 6. *Montes, subsilistis, ut arietes; colles, ut fœtus ovium*, id est, *agni*. Itaque ut כר *car*, est *agnus*; ità, geminatis Radicalibus, כרכר *circer*, est *in agni modum subsilire*. Hinc 2. *Sam.* 6, 14. ודוד מכרכר בכל עז *Et David saltavit totis viribus.* Et versu decimo sexto, *Et vidit* (Michal) *Regem David* מפזז ומכרכר *exsilientem, & saltantem.* Duo verba sunt Synonyma, nisi quod hoc ab agno, illud à dorcade sumptum est, ut suo loco dicetur. Non possum mirari satis viri docti oscitantiam, cui ܚܕܘܬܐ Syris *gaudium*, & מכרכר sunt Conjugata. Quin כרא pro *gaudio* est *Græcum* χαρά. Et, quod diximus, est verissimum, τὸ כרכר esse agnorum proprium. Itaque apud *Athenæum* libro septimo *Numenius* hippurum piscem ἀρνευτὴν vocat, tanquam ab agnino saltu, διὰ τὸ συνεχὲς ἐξάλλεσθαι, *quia jugiter saltat*, ut ibidem observatur. Et *urinator*, qui pronus in mare desilit, *Homero* est ἀρνευτὴρ, καθ' ὁμοιότητα τῆς τῶν ἀρνῶν πορείας, οἱ σκιρτῶντες τοῖς μὲν ὀπισθίοις ποσὶν ἅλλονται, τῇ δὲ κεφαλῇ τῇ γῇ πελάζουσι, *ab agnorum incessus similitudine, qui, cum saltu lasciviunt, pedibus posterioribus saliunt, & caput terræ admovent.* Hæc *Eustathius* in *Iliad.* π'. pag. 1110.

Arietem *Itali*, nos vervecem ideò *montonem* vocamus; quia montibus gaudet ovillum pecus. Sic *Exod.* 3, 1. Moses *pascebat oves* Jethronis *soceri sui Sacerdotis* Madian, *cumque minaret gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei* Horeb. Et *Theocriti Idyll.* 3. *Adonis.*

- - - ἐν ὤρεσι μᾶλα νομεύει,

in montibus oves pascit: ut *Idyll.* 8.

Μάλα τ' ἔνεμον (ὡς φαντί) κατ' ὤρεα μακρὰ Μενάλκας,

Oves pascens (ut ajunt) in montibus altis Menalcas. Et *Corydon* apud *Poëtam*,

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Quo nonnulli referunt, quod à *Poëtis* οἰοπόλα dicuntur montana loca, ut *Iliad.* ν'. versu 471.

- - - σῦς οὔρεσιν ἀλκὶ πεποιθὼς,

Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ - - -

& *Iliad.* ω'. versu 614.

Νῦν δέ που ἐν πέτρῃσιν, ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν·

& *Odyss.* λ'. versu 573.

Τοὺς αὐτὸς κατέπεφνεν ἐν οἰοπόλοισιν ὄρεσσι.

Quasi οἰοπόλα non tantum *solitaria loca* significet, à Nomine οἶος, quod *solum* sonat, sed & loca, in quibus οἶες πολοῦσι, *oves degunt*. Hinc *Eustathius* in *Iliad.* ν'. pag. 917. Οἰοπόλος δὲ χῶρος κἀνταῦθα ὁ ἔρημος. ἐν ᾧ εἴ τις, ὅ ἐστι μόνος, πολεῖ· ἢ ἔνθα οἰῶν ποίμνια πολλὰ βοσκόμενα. Vetus *Scholiastes*, Οἰοπόλῳ, ἤτοι ἐν ᾧ οἶες ἀναστρέφονται, ὅ ἐστι ἀμφιβάλλεται· πολεῖν γὰρ τὸ ἀναστρέφεσθαι· ἢ ἐν ᾧ οἶός τις, καὶ μόνος πολεῖται. *Hesychius*, Οἰοπόλος, ἐν ᾧ οἶες πωλοῦσιν, ἢ μόνος τις πωλεῖται· lege Οἰοπόλῳ, ἐν ᾧ οἶες πολοῦσιν, ἢ μόνος τις πολεῖται. Similia habent *Etymologus*, *Phavorinus*, alii. At *Arabicè* توشعث propriissimè de ove dicitur, quæ في الجبل لترعا صعدت *montem conscendit ad pastum.* Ita *Alcamus*. Procerior quidem est ovis, quæ in locis depressis alitur. *Columella* lib. 8. cap. 2. *Pinguis & campestris situs proceras oves tolerat; gracilis, & collinus, quadratas; sylvestris, & montosus, exiguas.* Sed caro est deterior. Τὰ κρέα χείρω, ὅπου, εἰς ἑλώδη χωρία νέμονται, ἢ ὅπου μετεωρότερα· *Carnes pejores sunt, cùm in locis palustribus pascunt, quam cum in editioribus.* Ita *Philosophus Hist.* lib. 8. cap. 10. Tamen cum oves utrobique degant, & pascere ament, meritò de mysticis ovibus suis, id est, *Israëlitis Babylone* captivis, Deus sic agit *Ezech.* 34, 12. 13. *Requiram* צאני *oves meas*, &c. *ut pascam eas in montibus* Israëlis; *in aquarum alveis*, &c. Nec erat, cur hîc *Kimchius* oves à capris distingueret; quia צאן utrumque significat, quasi alterum capris, alterum ovibus promittatur: כי העזים טוב מרעיתם בהרים והכבשים בעמקים ובאפיקים והרחלים *quia capræ libentiùs in montibus pascunt; agni autem, & oves in vallibus, & aquarum alveis.* Utut enim צאן tam capras quam oves sonet, tamen solùm oves significat, cùm agitur de *Israële*, qui passim cum ovibus, nunquam cum capris confertur.

Hoc quoque ad naturam ovium pertinet, ut in metu se colligant, & mutuò premant: unde est, quòd apud *Poëtam Iliad.* ι'. cum ovium gregem adoritur leo,

Ἀι

Αἱ μὲν τ' ἀγχιστῖναι ἐπ' ἀλλήλῃσι κέχυνται,

Hæ quidem coacervatæ aliæ super alias funduntur. Ἀγχιστῖναι ab aliis scribitur ἀγχηστῖναι, & ἀγχιστῖναι, & vel ab ἄγχιστα deducitur, id est, *proximè*, vel ab ἀγχιστᾶναι, id est, *propè stare.* Sed quomodocunque scribas, aut undecunque vocem deducas, tamen de sensu convenit. Explicatur enim à veteri *Scholiaste* ἐπάλληλοι, πυκναὶ, πλησίον, ἅμα ἀλλήλαις, *aliæ aliis incumbentes, densæ, quæ propè & simul sunt.* Ab *Hesychio* συνεγγὺς ἀλλήλων, ἢ συνεχεῖς, ὅ ἐστι πυκναὶ, ἢ ἄλλαι ἐπ' ἄλλαις, *sibi invicem proximæ, aut contiguæ, quod est conferta, & aliæ in alias.* Ab *Eustathio* αἱ ἄγχι ἀλλήλων ἑστηκυῖαι, ὅ ἐστι πυκναὶ, *quæ stant aliæ propè alias, id est, densæ.* Et *Phavorinus* addit ὃ ποιοῦσιν αἱ οἶες διὰ φόβον πυκνούμεναι, ὡς ἐπὶ συνασπισμῷ, *quod faciunt oves, cum præ metu coacervantur, ut in militari testudine.* Eodem pertinet vox κέχυνται, quam *Scholiastes* exponit κεῖνται ἀθρόαι, *conferta jacent.* Neque dubium, quin *Propheta Micheas* id respexerit cum Dei nomine minatur fore, ut præ metu hostium ingruentium, & terram devastantium, colligantur intra urbes, ut *Bosra* oves in caulis suis, nempe cum lupus, aut leo gregem infestat. *Colligendo, inquit, te colligam, O* Jacob, *totum: congregando congregabo residuum* Israëlis, *simul ponam illum, ut oves* Botsræ, *ut gregem in medio caulæ suæ: perstrepent præ hominibus*, id est, *præ copia hominum.* Falluntur enim, & totam seriem orationis abrumpunt, qui hæc in promissis censent, ut legenti statim constabit. Rectè igitur *Kimchius*,

ופי׳ אסף אאסף שיכנסו במצור בערים הבצורות מפחד האויב *Verbis* congregando congregabo *significatur fore, ut, præ metu hostium, ad arces, & urbes munitas confluant.* Et paulò post, אמר שידמו ישראל בבריחם אל הערים והאספם בהם מפחד האויב לצאן שיכניסו אותם אל הערים והאספם מפני האויבים כלומר שלא יהיה להם כח לעמוד לפני האויב כמו הצאן

Dicit Israëlitas *in urbes secessuros, & conventuros præ metu hostium, similes fore ovibus, quæ in urbibus, hoste ingruente, colliguntur, & congregantur; quasi dicas tam imbelles fore, quam oves, ad obsistendum hosti.* Non malè, nisi quod non satis intellexit hominum trepidationem, desertis agris, in loca munita magno numero confluentium, conferri cum ovium metu, quæ, lupo, aut leone viso, in arctum se colligunt. Quo fortasse pertinet, quod pro *ovibus Botsra* veteres aliis Vocalibus legerunt *oves* בִּצְרָה *betsara*, id est, *in angustia:* quod *Græci* reddunt πρόβατα ἐν θλίψει. Sed & extra metum ovibus naturale est, ut se condensent; contrà quam capris, quæ dispergunt se. *Varro* libri secundi capite tertio, *In gregibus est minor* (numerus) *caprino, quam in ovillo, quod capræ lasciva, & quæ dispergunt se: contrà quàm oves, quæ se congregent, ac condensent in locum unum.* Et *Columella* de capris, *Numerum generis hujus majorem, quàm centum capita sub uno clauso non expedit habere: cum lanigera mille pariter commodè stabulentur.* Vulgaris ovium pastus herba est. *Philosophus, Hist.* lib. 8. cap. 10. Πρόβατα δὲ, καὶ αἶγές εἰσι ποηφάγα· *Oves autem, & capræ sunt herbivoræ.* Unde *Psaltes* Psal. 23, 1. 2. *Dominus pastor meus est, nihil mihi deerit. In caulis* (vel *in amœnitatibus*) *herbosis* (Hebraicè בנאות דשא) *faciet, ut recubem.* Septuaginta εἰς τόπον χλόης, *in loco herbæ viridis.* Aquila, & Symmachus, ἐν ὡραιότητι χλόας, *in pulchritudine herbæ.* Et *Ezech* 34. vers. 14. *Ibi requiescunt* (oves meæ) בנוה טוב *in caula bona.* Septuaginta, ἐν τρυφῇ ἀγαθῇ, *in deliciis bonis*, aut ἐν τροφῇ, *in pabulo.* Hieronymus, *in herbis virentibus.* Et *Gen.* 47, 4. *Josephi* fratres *Pharaoni* dicunt, *Ad peregrinandum in hac terra venimus, quia* (in terra *Chanaan*) אין מרעה *non est pascuum ovibus, quas habent servi tui.* Hieronymus *non est herba.* At in *Prasiis*, quæ *Indiæ* gens est circa *Gangem*, pluit mel quoddam liquidum, (e) ὅπερ, ἐμπίπτον ταῖς πόαις, καὶ ταῖς τῶν ἑλείων καλάμων κόμαις, νομὰς τοῖς βουσὶ, καὶ τοῖς προβάτοις παρέχει θαυμαστὰς *quod, in herbas, & palustrium arundinum comas incidens, miras bobus & ovibus pabula præstat.* Pastores enim ex pecore eo rore depasto ἀμέλγουσι γλυκύτατον γάλα, καὶ οὐ δέονται ἀναμίξαι αὐτῷ μέλι, ὅπερ οὖν δρῶσιν Ἕλληνες. *suavissimum lac exprimunt, nec ei mel miscere opus habent, quomodo Græci faciunt.* Nempe mel illud est ipsissimum veterum Scriptorum saccharum, de quo *Dioscorides, Plinius, Galenus, Paulus Ægineta, Arrianus* in maris *Erythræi Periplo*, *Hesychius* verbo Σάκχαρον. *Aphrodisæus* lib. 2. *Problem.* 74. *Arabes* طباشير *tabascbir* vocant, & recentiores saccharū *Bambu*, aut *Mambu*. quod ideò hic observo, quia *Israelitarum* armenta, & greges aliquamdiu in deserto simili rore vixerunt, Manna scilicet cœlitus delapso, quod pecori nonnisi pabulum, Dei populo fuit pabulum, & sacramentum. Quin ros vulgaris pecori gratus, nec insalubris est, si *Poëtæ* credimus, qui in *Pharmaceutria* sic habet,

(e) Ælian Hist. lib. 15. cap. 7.

Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est.

Et rursus lib. 3. *Georg.*

Luciferi *primo dum sidere frigida rura*
Carpamus, dum manè novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba est.

Non tamen hoc verum ubique, si verè *Servius* ad hunc locum, *Manè pasci præcipit oves secundum morem provinciæ suæ: nam in aliquibus locis morbum contrahunt, nisi jam siccato rore pascantur.* Quod confirmari videtur ex *Arabum* testimonio, à quibus inter morbos pecudum unus est nomine ترز *tharz.* أن تاكل الغنم حشيشا فيه الندى فيتقطع اجوافها *cum oves rore madentes herbas comedunt, & venter earum diffinditur.* Ita definit *Alcamus.* Sed distinguenda sunt tempora. Æstivis enim solùm mensibus, capris, & ovibus salubres sunt herbæ roscidæ: quod *Poeta* his verbis disertè monet,

At verò Zephyris *cum læta vocantibus æstas,*
In saltus utrumque gregem, atque in pascua mittes,
Luciferi *primo cum sidere*, &c.

Neque aliter alii Scriptores. *Varro, Rusticorum* libri secundi capite secundo; *Æstate, prima luce exeunt pastum, præterea quod tunc herba roscida, meridianam, quæ est aridior, jucunditate præstat*, &c. *Hac ab* Vergiliarum *exortu ad Æquinoctium* Autumnale *maximè observant*, &c. *Reliqua pastiones hyberno ac verno tempore hoc mutant, quod pruina jam exhalata, propellunt in pabulum.* Et *Columella* libri octavi capite tertio, *De temporibus autem pascendi, & ad aquam ducendi per æstatem, non aliter sentio, quam ut prodidit* Maro,

" Luciferi *primo cum sidere*, &c.

Hyeme, & vere, matutinis temporibus, intra septa contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahat. Nam pruinosa iis herba pecudi gravedinem creat. Et *Palladius* libri duodecimi capite decimo tertio, *Æstivis mensibus pascantur sub lucis initio, cum graminis teneri suavitatem roris mixtura commendat. Hyeme autem, vel vere, resolutis gelicidiis, ad pascua prodire non debent. Calphurnius* tamen *Ecloga* quinta, sine ulla temporis distinctione,

- - - *ante diem pecus exeat, humida dulces*
Efficit aura cibos, quoties, fugientibus Euris,
Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutina lucent in gramine gutta.

Post matutinum pastum, oves horâ diei quartâ, quæ nobis est decima, deducebantur ad aquas, dein ad umbram, & quietem meridianam, unde rursus ad aquas. Quo facto, iterùm pascebant usque ad vesperam, & Solis occasum. *Virgilius* ubi suprà,

Inde, ubi quarta sitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ,
Ad puteos, aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam;
Æstibus & mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis *antiquo robore quercus*
Ingentes tendat ramos; aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacrâ nemus accubet umbrâ.
Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus
Solis ad occasum, cum frigidus aëra vesper
Temperat, & saltus reficit jam roscida Luna.

Varro, *Circiter meridianos æstus, dum defervescant, sub umbriferas rupes, & arbores patulas subjiciunt: quod refrigerato aëre vespertino, rursus pascant ad Solis occasum.* Et *Columella* Poëtam sequutus, *Indè, ubi quarta sitim cœli collegerit hora, ad puteos, aut alta greges ad stagna perducamus: medioque die, ut idem, ad vallem,* &c. *Rursus deinde, jam mitigato vapore, compellamus ad aquas,* &c. *Et iterùm ad pabulũ producamus.* Palladius, *Quarta hora calescente, potus puri fluminis, aut putei præbeatur, aut fontis. Medios Solis calores vallis, aut arbor umbrosa declinet. Deinde, ubi, flexo jam die, ardor infringitur, & solum primo imbre vespertini roris humescit, gregem revocemus ad pascua.* Nam in calidis regionibus, nisi pecora, horis meridianis ad umbram, & aquas subducta, vitarent æstum diei, in periculosos morbos inciderent. Hinc رمض *ramadha, torrere*, cum ovibus tribuitur, est illas *in pleno Sole circa meridiem pascere.* Alcamus رمضت الغنم *torruit oves*, id est, رعت في شدة الحر فقرحت اكبادها *pavit* illas *in summo diei æstu, & jecora earum ulcus contraxerunt.* Et lac per æstum corrumpitur. Hinc pastor *Menalcas* apud *Poëtam*,

Cogite oves pueri, si lac præceperit æstum,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

Quæ ideo huc afferimus, quia Sacri Scriptores ad hunc pascendi morem, quem diximus, alludunt aliquoties. Sic *Cant.* 1, 7. *Indica mihi ubi pascas, & ubi* gregem tuum *requiescere facias sub meridiem.* Et *Psal.* 23, 1.2. *Dominus pastor meus est,* &c. *In caulis herbosis facit ut recubem, ad aquas quietis me deducit*, id est, ad aquas, in quibus circa meridiem quiescunt greges, frigusque, & umbram captant. Et *Ezech.* 34, 13. *Pascam eos in montibus* Israelis, *& ad alveos.* Et versu decimo quarto, *Ibi recubabunt in caula bona.* Et versu decimo quinto, *Ego pascam gregem meum, & faciam ut recubent.* Es. 49, 10. *Non esurient, neque sitient, neque feriet eos æstus, aut Sol: nam qui miseretur eorum deducet eos; ad fontes aquarum minabit eos.* Cui loco parallelum vide *Apoc.* 7, 16.17. *Mesopotameni, Labanis* & *Jacobi* ævo, cum greges suos, circa meridiem adaquaverant, ad pascua non reducebant, pomeridianis horis. Quo nomine gentis illius pastores *Jacobus* his ferè verbis meritò coarguit, *Gen.* 29, 7. *En dies cum multum adhuc supersit, nec sit tempus cogendi pecoris, oves adaquate, & ad pascua reducite.*

Obiter nota in his verbis Sponsæ ad Sponsum *Cant.* 1.7. *Indica mihi ubi pascas, & ubi* gregem tuum *recubare facias circa meridiem, ne sim* כעטיה *ut operta* (ita habetur ad verbum) *ad caulas sociorum tuorum*, multùm laborare interpretes in expositione vocis כעטיה. *Kimchius* reddit כנוטה וסרה *sicut declinans, & recedens*, ex 1. *Sam.* 14. *v.* 32. & 15. *v.* 19. ubi ויעט, vel ותעט אל־השלל reddi vult, *Et declinavit*, vel *declinavisti ad spolium.* Quin עיט, vel עטה, unde יעט, & תעט, est *irruere, & involare more rapacis avis*, quæ *Hebraicè* dicitur עיט *ajit*, unde *Græcum* ἀετὸς, & αἰετὸς, *aquila.* Aliis כעטיה *ut operta*, seu *velata*, id est, *ut meretrix*; quia meretrices velantur. Et velari meretrices probant ex historia *Thamaris, Gen.* 38, 14.15. Verùm hæc frustrà adducuntur, cùm non sit meretricum proprium *velari*, sed *revelari* potiùs, *Es.* 46.3. *Ezech.* 16, 36.37. *Nahum.* 3, 5. Neque more meretricis *Thamar* se theristro obtexerit, sed nè agnosceretur. Aliis *ut operta*, id est, *ut lugens*; quia lugentes tegebant labrum superius, *Ezech.* 24, 17. quod quàm alienum sit nemo non videt. Quid si, trajectis literis, *Ajin* & *Teth*, כטעיה scriptum fuerit, pro כעטיה, *ut vaga, ut oberrans*, aut etiam *ut meretrix? Syris* enim, & *Chaldæis* טעיתא primò *vagam*, ut *Hebræum* טעיה, deinde etiam *meretricem* sonat. Sic *Es.* 1, 21. pro *Hebræis*, *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? Chaldæus* habet, *Quomodo mutata sunt opera ejus, ut essent* כטעיתא *tanquam meretricis?* Scribitur & מטעיא in *Onkelo* Levit. 21, 7. & מטעיה, vel מטעיתא, in *Jonathane, Gen.* 38, 21. & 42, 9.12. Quia טעה non solùm *errare*, & *divagari*, sed & *scortari* significat. Itaque, si *Solomon* scripsit כטעיה, reddi poterit vel *ut vaga*, vel ut *meretrix*. Utut sit, veterum nonnullos puto vel legisse כטעיה, vel ita legendum conjecisse. *Syrus* enim reddit ܐܝܟ ܛܥܝܐ. Et *Aquila*, ὡς ῥεμβομένη, *ut vaga.* Et *Hieronymus*, *nè vagari incipiam*, id est, *nè sim ut vaga.* Et *Chaldæus Paraphrastes*, ad populares suos hæc referens, totum hemistichium ita exponit, *Cur erunt* מטלטלין *divagantes inter greges filiorum* Esau, & Ismaël, (id est, inter *Romanos*, & *Saracenos*) *qui adjungunt tibi idola sua pro sociis.* In quibus verbis planum est טעיה explicari per מטלטלין *devagantes.*

Hactenùs non diximus, quod in ove præcipuum, placidissimum, & mitissimum esse animal. *Varro Rusticorum* libri secundi capite primo, *In queis* (animalibus) *primum non sine causa putant oves assumptas, & propter utilitatem, & propter placiditatem. Maximè enim hæ naturâ quietæ.* Festus, *Maximam hostiam ovillis pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore.* Unde est, quod *Herculis* abnepotes, *Eurysthenes*, & *Procleas*, ab oraculo moniti, ut ibi uxorem ducerent, ubi τὸ ἀγριώτατον ἀπαντήσῃ ζῷον φέρον τὸ πραότατον, *summè ferum occurreret animal mitissimum ferens*, de lupo id interpretati sunt, qui agnum ferens in *Cleonæorum* agro illis occurrit. Ita *Ælianus Hist.* lib. 12. cap. 31. Itaque *ovis Syriacè* ܢܩܝܐ id est, *innoxia*, dicitur. Et *Q. Fabium Maximum OVICULÆ* cognomen habuisse διὰ τὴν πραότητα τοῦ ἤθους, *à clementia morum*, ex *Plutarcho*, & *Plinio* scimus. Et *Christus* ipse non dedignatur cum agno & ove conferri. *Ecce agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, Joh. 1, 29. *Redempti estis pretioso sanguine, utpote agni immaculati, & incontaminati, nempe Christi*, 1. Pet. 1, 19. *Ductus est ad lanienam ut agnus, & ut ovis muta coram tondente*, Es. 53, 7. Et *Jeremias*, aut, ut volunt veteres, & multi recentiorum, ipse *Christus*, Jerem. 11, 19. *Ego fui ut agnus mansuetus; qui ducitur ad occisionem. Ut agnus mansuetus*, Hebr. ככבש אלוף cum *Hieronymo* ita interpretor, ex *Arabismo* scilicet. Nam אלף Hebraicè *discere* est, sed Arabicè *mansuefacere.* *Golius* noster ex *Lexico Ibnomarunphi*, الف (alapha) *mansuefactus fuit, etiam de brutis.* Inde igitur אלוף *aluph*, aptissimum agni Epithetum, quod, tanquam ex Deorum sententia, *Ælianus*, ubi suprà, ἡμερώτατον

ταῦτ ζῶον mansuetissimum animal esse asserit. Quin, ut scias hoc ipsum אלוף *aluph*, ovis Epithetum esse apud *Arabes*, in explicatione Verbi رووم *ravvum*, quod *ovem mansuefactam & cicuratam* sonat, ita habet *Alcamus*, شاه رووم الوف تلحس ثياب من مربها *Ovis ravvum* est ovis *aluph* (id est, *cicurata, mansueta*) *quæ lingit vestes educatoris sui.* Et facti diritatem id auget, ut talis ovis ducatur ad lanienam. Proinde à *Propheta* consulto additum, *Ego fui ut agnus* אלוף *aluph, qui ducitur ad occisionem*, id est, ut agnus tam mansuetus, ut illorum lambat vestes, à quibus ad lanium rapitur. Hæc vera notio vocis, in qua hærent interpretes. *Chaldæus* reddit בחיר; & *Syrus*, ܓܒܝܐ *electum*; *Græci*, ἄκακον, *innoxium*; *Hebræi* copulam supplent, *Ego fui ut agnus & aluph*, quod *bovem* explicant. Nempe nesciunt אלוף *aluph*, mansuetæ, vel mansuefactæ ovis esse Epithetum apud *Arabes* familiare.

Est & ovis animal valde docile. *Ælianus* libri septimi capite vigesimo septimo, Εὐπειθέστατα δὲ ἄρα τῶν ζώων τὰ πρόβατα ἦν, καὶ ἀρχῆθεν (lege ἀρχῆθεν) φύσει πεπαιδευμένα. ὑπακούει γοῦν καὶ τῷ νομεῖ, καὶ τοῖς κυσί, καὶ μήν τοι καὶ ἕπονται τῇ αἰγί. *Oves præ omnibus animalibus obedientes, & ad parendum naturâ facta sunt. Obtemperant enim & pastori, & canibus, & capras quoq; sequuntur.* Sed pastori inprimis morigeras se præbent, atque (ut ait *Christus* Joh. 10. v. 4.) *eum sequuntur, & vocem ejus audiunt.* *Aristoteles* (*Hist.* lib. 6. cap. 19.) singulis gregibus scribit arietem esse pro duce, ὃς, ὅταν ὀνόματι κληθῇ ὑπὸ τοῦ ποιμένος, προηγεῖται, *qui, suo nomine à pastore vocatus, antecedit.* Sed & pastores alias habent voces proprias, quibus assuescunt pecudes, ut σίττα, vel ψίττα, quod est βουκολικὸν ἐπιφώνημα apud *Theocritum*, & *Eustathium*. Cujusmodi pastores *Arabum* multa usurpant. Ita oves increpant voculis فع فع *pha pha*, & غير غير *gair gair*, & اوس اوس *ansa ansa*. Ad se vocant voculis بس بس *bus bus*, & رحالة رحالة *rihala rihala*. Et ad mulgendum vocibus ادهج ادهج *adhag adhag*, ازار ازار *azar azar*, & حبر حبر *habar habar*. Et ad aquas invitant voce هرهر *hirhir*, vel *harbar*. Sunt & alia plura hujus generis ἐπιφωνήματα, quæ oves intelligunt longâ assuetudine, atque iis obsequuntur. Nempe sentiunt se non posse aliter subsistere, & ab hostibus se tueri, quam si pastori sint morigeræ: cum neque astu valeant, neque viribus, neque pedum celeritate, & omnium animalium injuriis pateant, cùm à pastore deseruntur. Proinde nihil tam miserum est, quam oves sine pastore, quod Scriptura toties repetit, ut *Num.* 27. *v.* 17. & 1. *Reg.* 22. *v.* 17. & 2. *Par* 18. *v.* 16. & *Zachar.* 10 *v.* 2. & 13. *v.* 7. & *Matth.* 9. *v.* 36. & *Marc.* 6. *v.* 34. Et videtur apud *Hebræos* cessisse in Proverbium.

In Parabola *Nathanis* 2. *Sam.* 12. legitur pauper quidam unam habuisse oviculam à se emptam, & enutritam, quæ unà cum filiis ejus adoleverat, ejus pane vescens, ex ejus calice bibens, & in ejus sinu quiescens, & illi erat loco filiæ. Quæ Parabola quò minus videatur vero absimilis, non jam afferam insanum nobilium amorem in *Melitæos* catellos, quos in deliciis habent, qualis fuit *Issa Publii* apud *Martialem*, libro primo, *Epigr.* 110.

Issa est deliciæ catellæ Publî,
Collo nixa cubat, capitq; somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur.

Aut in feles, qualis *Mechlempe*, cui *Constantini Monomachi* uxorem lautos cibos, & opiparos, in aureis vasis quotidie apponi jussisse refert *Tzetzes Chil.* 5. *Hist.* 12. Sed, quod maximè fidem superat, dracones, immanem belluam, nonnulli enutrivisse non contenti, etiam in lecti consortium admiserunt. Quod in medium afferre non auderem, nisi rei tam paradoxæ haberem auctores idoneos. *Plutarchus* in libro *Utra anim.* &c. Ὁ δὲ δράκων, ὁ τῆς Αἰτωλίδος ἐρασθεὶς, ἐφοίτα νύκτωρ πρὸς αὐτήν, καὶ τοῦ σώματος ὑποδυόμενος ἐν χρῷ, καὶ περιπλεκόμενος, οὐδὲν οὔτε ἑκὼν, οὔτε ἄκων, ἔβλαψεν, ἀλλὰ καὶ κοσμίως ἀεὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀπηλλάττετο. *Draco verò, cum Ætolam virginem amaret, ad eam noctu veniebat, & ejus corpori maximè adrepens, atq; implicitus, eam neq; sponte, neq; invitus, ullo modo lædebat, sed appetente luce semper modestè secedebat.* In *Judæa* quoque sub Rege *Herode* draco maximus cum puella quadam συνεκάθευδε σφόδρα ἐρωτικῶς, *peramanter dormiebat*, ut *Ælianus* auctor est libri sexti capite septimo. Quale est, quod ejusdem libri capite sexagesimo tertio alium immanis magnitudinis draconem in *Arcadia* describit καθεύδοντα σὺν τῷ παιδὶ ἐπί γε τῆς κλίνης αὐτῆς, *in eodem lecto simul cum puero dormientem.* Et ex *Democrito* nos docet *Plinius* (lib. 8. cap. 17.) *Arcadi* illi puero *Thoanti* fuisse nomen. Sed & alter *Ælianus* (*Var.* lib. 13. cap. 46.) similem habet historiam de *Patrensi* puero, qui δράκοντα μικρὸν ἐπρίατο, καὶ ἔτρεφε μετὰ πολλῆς τῆς κομιδῆς, αὐξηθέντος δὲ αὐτοῦ ἐλάλει πρὸς αὐτὸν, ὡς πρὸς ἀκούοντα· καὶ ἄθυρε μετ' αὐτοῦ, καὶ συνεκάθευδεν αὐτῷ, *draconem parvum emit, & magna cura educavit, cumq; crevisset, eum alloquebatur tanquam intelligentem: ludebat quoque, & dormiebat cum ipso.* Ut jam nemini sit mirum de ove hoc idem asseri: maximè, cùm soleant *Arabes* insignem aliquam ovem apud se habere, quam mansuefaciunt, & domi mulgent, nec foras pastum dimittunt. Qualis ovis ثيمة *thima* dicitur, voce, cujus ratio mihi non est satis nota. Potest etiam رووم & الوف appellari, de quibus supra.

Ovium dotibus, de quibus hactenus, opponuntur vitia; quorum alia sunt corporis, putà morbi, & languores, & si claudæ sint, aut cæcæ, aut mutilæ, aut fracto crure, quales in sacrificiis offerre non licebat. Unde est, quod jubetur toties, ut offeratur agnus תמים *integer*, & ovis תמימה *integra.* Vide *Exod.* 12. *v.* 5. *Levit.* 1. *v.* 10 & 3. *v.* 6. & 4. *v.* 32. &c. Et *Levitici* capitis vigesimi secundi versibus 22. 23. 24. enumerantur vitia duodecim, quæ animal ab aris excludunt, quorum nonnulla sunt parum nota. I. Si fuerit עורת *cæcum*, seu *cocles*, utrumq; enim *Hebræi* intelligunt. Et quæ vox *Hebraicè cæcum*, eadem *Arabicè coclitem* sonat. II. שבור, *fractum*, ad ossa refertur, femoris putà, aut cruris. Proinde *Jonathan* reddidit תבירא גרמא, *quod osse confractum est.* III. חרוץ quid propriè sit valde incertum est. Pleriq; *mutilum* reddunt; *Græci*, γλωσσότμητον, *cui lingua excisa fuit*; Hieronymus, *cicatricem habens*; Jonathan, *cujus palpebræ, aut oculi contusi sunt*; Hebræi, *cujus palpebræ, aut labia sunt fissa, vel abscissa.* Quid si *capite contusum* sonet, ex *Arabico* حرصة quo *capitis contusionem* significari scribunt *Arabum Lexicographi*? IV. יבלת *verrucam*, aut *verrucosum* explicant *Hebræi* omnes, & *Græci* μυρμηκιῶντα, quia μυρμηκίαι sunt *verrucarum species.* Hieronymus *papulas* reddit, id est, ψυδράκια. V. גרב est ψώρα *scabies*, quod ex *Avicenna* constat, ubi scabies semper vocatur جرب Vide illum imprimis libro quarto *Fen.* 7. Tractatu 3. capitibus sexto & septimo, ubi de scabie, & cura ejus, multis agit. VI. ילפת *Græci* explicant λειχῆνας· Hieronymus, *impetiginem*; Hebræi, החזזית המצרית *porriginem Ægyptiam*, & *Arabes* حزاز. *Porriginem* explico ex *Avicenna* libro 4. *Fen.* 7. Tract. 2. capitibus 24. & 25. ubi حزاز id ipsum est, quod *Græcis* πιτυριάσεις, Latinis *porrigo*, & *furfures*, nobis *tinea.* VII. שרוע dicitur animal, cùm è partibus, quæ geminæ sunt, una est

est alterâ longior, & extensior. VII. קלוט contrà, cùm una pars justo brevior est, & contractior. Ita *Hebræi* omnes, & *Arabes* excusi duo, & *Samaritanus*, & *Chaldæus Jonathan*, & *Onkelos*. Quæ vera est interpretatio, & confirmatur ex his *Esa.* 28. *v.* 20. *Brevior est lectus* משתרע *quàm ut in eo quis se extendat*, ubi שרע, in *Hith-pael*, *extendere se* significat. Et ex *Arabibus*, quibus شراع est *cameli collum*, à longitudine sic dictum, & *herba super terram extensa*, & *via lata & ampla*. At قلطي contra, in cane, *nanum*, & *pumilionem* sonat; quia membris est contractior. Proinde *Melitæi* canes *Arabicè* sic appellantur. Hinc *Damir*, *De animalibus*, capite de ظوبان *Dhorban*, mustelæ specie, quam à putore Barbari Scriptores *putorium* vocant. الظوبان علي قدر الهر والكلب القلطي *Putorius accedit ad staturam felis, aut canis Melitæi.* Et capite de القنفذ seu *Herinaceo*, قنفد يكون بارض الشام وعراق في قدر الكلب القلطي *In terra* Syriæ, *&* Mesopotamiæ, *herinaceus statura æquat* Melitæum *canem*. Ideo קלוט in *Arabe Parisiis* edito قليط redditur, quod *Gabriel Sionita nanum* exponit. Itaque supplenda est hæc vox in *Lexico* doctissimi *Golii*, qui eam omisit imprudens. Quod penè omiseram, שרוע, vel סרוע (neque enim per *Schin* scribitur, sed per *Sin* cum puncto sinistro, quasi dicas per *Samech*) idem est, quod סרוח, *Cheth*, & *Ajin* permutatis, quod in illis linguis est frequens. Porro סרוח *superfluum* significat, & *quod redundat*. Ergo קלוט, huic oppositum, est *quod deficit*, & *justo est minus*. Hæc cùm sint manifesta, mirabere, quorsum *Græci* שרוע ὠτότμητον, & קלוט κολοβόκερκον exponant; unde *Hieronymus*, *aure & caudà amputatis*: & versionem tam alienam etiam *Syrum* sequi, & *Arabes* duos, quos in *Syria* vidi manu-scriptos. IX. מעוך *compressus*. X. כתות *contusus*. XI. נתוק, *avulsus*. XII. כרות, *excisus*, id est, *cui testiculi compressi*, vel *contusi*, vel *avulsi*, vel *excisi sunt*. Nam tot modis castratur agnus, ut ex agno fiat vervex. Quomodo etiam capri, & vituli, de quorum castratione vide *Philosophum Hist. anim.* lib. 9. cap. 50.) & ex *Magone Columellam* (lib. 7. cap. 25.) & *Palladium* (lib. 6. cap. 7.) & *Sotionem* in *Geoponicis*. Nam in his immorari non vacat. Tantum monebo, *Græcis* quatuor vocabula suppetere, quæ *Hebræis* totidem respondent ad amussim. Nam מעוך, *compressus*, est θλιβίας· כתות, *contusus*, θλαδίας, vel θλασίας· נתוק, *avulsus*, σπάδων· כרות, *excisus*, τομίας, vel ἐκτομίας. Proinde *Seniores* aut has ipsas voces usurpant, aut eorum conjugatas, nempe θλαδίαν, καὶ ἐκτεθλιμμένον, καὶ ἐκτομίαν, καὶ ἀπεσπασμένον. In quibus tamen non servatur verus ordo. Nam mediæ duæ voces debuerant esse in extremis. Vitiis, quæ diximus, à quibus victimas suas immunes esse voluit Deus, addi potest *claudicatio* ex *Deuter.* 15. *v.* 21. ubi de bovis, & ovis primogenito hæc habentur, *Si sit in eo macula, si sit claudus, aut cæcus, aut maculam ullam malam habeat, non offeres eum Domino Deo tuo.* Unde *Malach.* 1. *v.* 8. *Cum admovetis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et cùm admovetis claudum, & ægrotum, nonne malum est? Offer illud jam Duci tuo, num placebis ei, aut suscipiet ne vultum tuum, dicit Dominus exercituum?* Sed & in sacris suis *Græci* & *Romani* hoc accuratè observabant, ut hostiæ lectæ, & eximiæ essent, neque claudæ, & vitiosæ. Unde in *Poeta* libro 4. *Æneidos*,

- - - *mactant lectas de more bidentes.*

(f) *Lectæ dicuntur hostiæ majores, & uberius depastæ, quæ claudæ, morbosæ, aut vitiosæ non sunt.* Hinc *Dicæopolis* apud *Aristophanem* in *Acharn.* (g) de porca quadam,

f) Alex. ab Alex. Geniai. lib. 3. cap. 12. g) Act. 3. sc. 5.

Ἀλλ' οὐδὲ θύσιμός ἐστιν αὐτηί, &c.
Κέρκον γὰρ οὐκ ἔχει. - - - -

Sed neque ad sacrificia hæc apta est, caudam non habet. Ad quæ verba *Scholiastes*, Τὰ γὰρ κόλουρα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται, καὶ καθόλου ὅπερ ἂν ᾖ μὴ τέλειον, καὶ ὑγιὲς, οὐ θύεται τοῖς θεοῖς. *Nam quæ caudâ mutilata sunt, in sacrificiis non mactantur, &, in summa, quidquid perfectum, & sanum non est, Diis non offertur.* Quibus simillima reperire est apud *Suidam* in Κόλουρα, & *Plinium* lib. 8. cap. 45. *Victimarum probatio in vitulo, ut articulum suffraginis cauda contingat; breviore non litant. Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non ferè litare, sicut nec claudicantem*, &c. An etiam castratas hostias illis offerre fuerit nefas, haud quaquam scio. Sed, ut eunuchos à sacra congregatione excludit Deus, *Deut.* 23. *v.* 1. sic, in *Eunucho Luciani*, *Diocles* asserit, Μηδὲ τὴν ἀρχὴν θεμιτὸν εἶναι τῷ Βαγώᾳ μεταποιεῖσθαι φιλοσοφίας, καὶ τῶν ἐπ' αὐτῇ ἀριστείων, εὐνούχῳ γε ὄντι· ἀλλὰ τοὺς τοιούτους οὐχ' ὅπως τούτων ἀποκεκλεῖσθαι ἠξίου, ἀλλὰ καὶ ἱερῶν αὐτῶν, καὶ περιρραντηρίων, καὶ τῶν κοινῶν ἁπάντων συλλόγων· *Neque principio Bagoæ licere, cum Eunuchus esset, Philosophiam, ejusque præmia sibi vindicare; sed & tales non solum ab his excludendos censuit, sed & ab ipsis sacris, & aspergillis, & publicis omnibus cœtibus.* Hinc de Eunuchis *Claudianus* in *Eutropium* libro primo,

Hi nullas merita vittas, semperque profani.

Sunt & in pecore quædam animi vitia, ut ita dicam, puta cum ovis divagari solet, nec sequitur reliquum gregem. Ad quod ovium genus pertinet quod dicitur in fine *Psalmi* 119. *Erravi sicut ovis perdita*: & Esa. 53. v. 6. *Nos omnes, ut oves erravimus, quisque in viam suam conversi sumus*: & 1. *Pet.* 2. *v.* 25. *Eratis sicut oves errantes.* Qualem ovem *Arabes* peculiari nomine كنوف *canuph* vocant. *Alcamus* كنوف من الغنم القاصية لا تمشي مع الغنم Canuph *in ovibus est, quæ longiùs aberrat, nec incedit cum reliquo grege.* Quod in ovibus vitium quandoque est à natura, quandoque per morbum accidit, qui *Arabicè* dicitur ثول *thsavval*. Rursus *Alcamus*, الثول استرخا في الاعضا الشا خاصة او كالجنون يصيبها فلا تتبع الغنم وتستدير في مرتعها Thsavval, *Languor peculiariter in ovium, aut caprarum membris, aut maniæ genus, quæ cum accidit, non sequuntur alias oves, sed pascua sua circumeunt.* ثول *Hoc morbo laboravit.* اثول *Aries, aut hircus, hoc morbo laborans.* ثولا *Ovis, aut capra, sic affecta.*

Aliud in pecore vitium, cùm in opimis pascuis præ pinguedine lascivit, petulansque, & petulcum est. Cujusmodi oves *pingues*, & *robustæ* dicuntur: *ægrisque*, & *errantibus* sic opponuntur, *Ezech.* 34. *v.* 16. *Perditam requiram, & errantem reducam, & ægram confirmabo*; ואת השמנה ואת החזקה אשמיד *sed pinguem, & robustam perdam.* *Hebræum* אשמיד *Chaldæus* rectè reddidit אשיצי, *perdam*, *consumam*: sed alii veterum

terum, sensu non solùm diverso, sed & contrario, *servabo.* *Græci* enim hic habent, φυλάξω· *Hieronymus*, conservabo; *Syrus* اطر, *Arabs*, احفظ omnes in eandem mentem. Nempe, pro אשמיד legerunt, אשמיר, mutatione quoad scripturam levissimâ, sed quoad rem gravissimâ. Utut enim scripturâ parùm differant, tamen re nihil est tam oppositum, quàm שמד *perdere*, & שמר *servare*. Sed, ut priorem lectionem pateat esse veriorem, has oves observandum est *pingues*, & *robustas*, hic odiosè, & φορτικῶς dici: ut in Scriptura passim שמן *saginari*, & חזק *roborari*, pro vitio adscribuntur. De priore res notissima. Dicitur enim *Deuter*. 32. v. 15. וישמן *Et saginatus est rectus, & calcitravit.* Item, שמנת *Saginatus es, pinguefactus es, adipem obduxisti, & deseruit Deum.* Psal 78. v. 31. *Ira Dei ascendit in eos, & occidit* במשמניהם *eorum pinguissimos.* Esa. 6. v. 10. השמן *Saginato cor populi hujus, & aures ejus aggrava.* Jerem. 5. v. 28. שמנו *Saginati sunt, nitidi facti sunt, malefacta prætereunt, causam non judicant,* &c. Sed & חזק *roborari* sæpe idem significat: ut cum de *Pharaone* toties (h) legitur ויחזק לב פרעה *Et roboratum est cor Pharaonis,* id est, *obduratum, & ad malum obfirmatum.* Exod. 14. v. 17. *Ecce ego ero* מחזק *roborans* (id est, *obdurans*) *cor Ægyptiorum.* Josuæ 11. v. 20. de Chananæis, *A Domino hoc fuit,* לחזק לבם *quod roborabant cor suum,* id est, *obdurabant.* Jud. 8. v. 1. *Contenderunt cum eo* בחזקה *in robore,* id est, *asperis verbis.* Jerem. 5. v. 3. חזקו *Roborans,* (id est, *obdurant*) *facies suas præ petra, converti noluut.* Et in ipso *Ezechiele*, capitis secundi versu quarto, *Duri facie,* וחזקי לב *& robusti corde,* id est, *in malum obfirmati.* Et capitis tertii versu septimo, חזקי מצח *robusti fronte,* id est, *præfracti, & obstinati.* Itidem in loco, in quo versamur, oves *pingues*, & *robustæ* dicuntur, quæ *protervæ* sunt, & *petulantes*, & *præ pinguedine lascivientes*, ut jam ante monuimus. Quod *Arabicè* دَيِّصُ *daisa* dixeris cum *Je hamzato* voce maximè propriâ, quæque fugit *Lexicographos. Alcamus*, ديص اشر وبطر والسمال امتلا سمنا. Daisa, *Protervus fuit, petulans fuit, & pecus pinguedine distentum fuit*, atque inde protervum, & petulans. *Prophetam* ita hic usurpasse patet ex sequentibus, *Et pascam eas* (pecudes) *in judicio. Et vos* quod attinet, *ô mi grex, sic dicit Dominus Deus, Ecce ego dijudicabo inter pecus & pecus, inter arietes, & hircos.* Ad quæ verba *Christus* alludens *Matth.* 25. v. 32. 33. *Cogentur,* inquit, *coram eo omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dextra sua, hædos autem à sinistra.* Sequitur in *Propheta*, *Parumne est vobis pascuum optimum depasci, nisi etiam pabulorum vestrorum reliquias pedibus obteratis? Aut limpidissimam aquam bibere* (Hebraicè משקע מים *sedimentum aquarum*, id est, in quibus desidunt omnes sordes) *nisi insuper reliquam pedibus turbetis, ut oves meæ pedibus vestris obtrita pascant, & turbata bibant?* Quibus verbis, ovibus illis, aut hircis cum ovillo genere mixtis, duo tribuit *Propheta*: unum, quod pabuli sui reliquias pede obterunt, quod ferinum est potius, quàm pecuinum; proinde *Daniel*, capitis septimi versu septimo, de quarta illa fera cæteris ferociore, *Comedebat, ac comminuebat, & reliquum pedibus suis conculcabat.* Alterum, quod aquas limpidas pedibus suis turbant. Quod camelo tribuit *Philosophus*, qui (i) πίνῃ ὕδωρ θολερὸν, καὶ παχὺ, ὑφ' ἀπὸ τῆς πέδῳ(?) πρότερον πίνῃ, ἢ συνθράξῃ, *turbulentam, & crassam aquam suavius bibit, neq; ex fluviis potat, antequam turbaverit.* Sed, cum camelus aquam proturbet, antequam bibat, quia sic bibit suavius, hæ pecudes, postquam affatim ederunt, & biberunt, reliquias pedibus proculcant, & proturbant; quasi, ejusdem boni usuram aliis invidentes, timerent ne quid iis purum supersit, quæ postmodum pasturæ, aut bibituræ sunt. Quæ si minùs conveniunt veris ovibus, quadrant tamen in oves mysticas, quæ hic intelliguntur, id est, in *Israelitas*, in quibus multi divites, post plenam messem & vindemiam, pauperibus spicilegium & racemationem invidebant. Neque hoc insolens apud *Prophetas*, ut plus sit ἐν τῷ δημιουργῷ(?), quam ἐν τῷ μύθῳ, & ea tribuantur τῷ τυπωθέντι, quæ in typum minus cadunt. Nunc sequentia maximè adverte, *Propterea dicit iis Dominus Deus, Ecce ego dijudicabo inter pecus pingue & pecus macrum.* Ex quibus palam est oves *pingues macris* opponi, ut malos bonis; & protervos, qui rerum successu insolescunt, tenuibus, atque humilibus: ut ad utrosque pertinent quæ *Ezechiel* subjicit; *Quia latere & humero detrusistis, & cornibus vestris impetiistis infirmas, donec eas foras propelleritis.* In quibus minus recedit ab instituta Metaphora. Sive enim ad hircos, aut ad arietes referas, utrumque petulcum esse animal, & cornu-petam, etiam ii

- - - *sciunt, qui nondum ære lavantur.*

Unde *Poeta*,

Occursare capro (cornu ferit ille) caveto:

ex *Caprario Theocriti*, qui sic habet,

Τὸν Λιβυκὸν Κνάκωνα φυλάσσεο, μὴ τὺ κορύψῃ,

Cave tibi à Lybico *Cnacone* (hirco ejus nominis) *ne te cornu feriat.* Ubi *Scholiastes*, Τὸ κερατίζειν κορύτλειν (lege κορύπτειν) οἱ Ἀττικοὶ λέγουσιν, ὡς συντρεχόντων ἀλλήλοις τῶν κριῶν, καὶ τὰς κορυφὰς πλησσόντων, καὶ ῥηγνυμένων (lege ῥηγνυμένων) *Atticis* κορύπτειν *est cornu ferire, quia mutuo concursu arietes* τὰς κορυφὰς (id est, *capita*) *collidunt, & elidunt.* Unde colligas de arietibus propriè dici. Tamen de hirco usurpat *Theocritus* ubi supra: in *Bucoliastis* ab eo ipso Verbo hirci Epithetum est κορυπτίλος pro *cornu-peta*. Ita in *Hesychio* Κυρηβάσασθαι, arietum & hircorum est commune Verbum. Κυρηβάσασθαι, inquit, διαμαχήσασθαι ἀπὸ τῶν κριῶν, καὶ τῶν τράγων. Κυρηβάσασθαι *est dimicare*; desumpta voce *ab arietibus, & hircis.* Sed malim κυρηβάζεσθαι, quia in *Aristophanis Equitibus* lego

- - - - - πρὸς σκίλος κυρηβάσει·

& in *Scholiis*, Κυρηβασία λέγεται ἡ διὰ τῶν κεράτων μάχη, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις γίνεται· *Pugna, quæ cornibus fit,* κυρηβασία *dicitur; quæ inter animalia bruta evenit.* Et rursus, Κυρηβάσεις γὰρ λέγονται αἱ πλήξεις τῶν τράγων· καὶ γὰρ ἐκεῖνα ταῖς κεφαλαῖς διαμάχονται. *Ictus hircorum* κυρηβάσεις *dicuntur; illi quippe capitibus dimicant.* Nec multò aliter *Suidas* in Κυρηβασία. Eodem pertinet κυρίττειν. *Hesychius*, Κυρίξειν (lege κυρίσσειν) ἢ κυρίττειν, κέρασι μάχεσθαι. Item, Κυρίσσει, κερατίζει, τύπτει μετὰ τῆς κεφαλῆς ἡ βοῦ, lege ἢ βοῦς. Quamvis arietum sit magis proprium. Idem *Hesychius*, Διακυρίττεσθαι, ἀντιμάχεσθαι, κυρίως δὲ κριῶν. Proinde *Græcum* Proverbium, Κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν, *Aries nutricationis præmia persolvit*, in ingratos usurpari, scribit *Suidas*; quia τοὺς κριοὺς ἐκτραφέντας φασὶ κυρίττειν τοὺς θρεψαμένους, ὅ ἐστι πλήττειν, *nutritos* & jam adultos *arietes ajunt altores suos* κυρίττειν, *id est, percutere*, seu cornu ferire. Et rursus in altero Proverbio, Κριοῦ διακονία, *Arietis ministerium*, idem *Suidas*, Κυρίττει γὰρ τοὺς τρέφοντας, *Altores enim percutit.* Sed quod arietum proprium est, non solùm in hircos, sed & in boves transfertur: quomodo *Arabicum* نطح natacha *cornupetere*, & نطّاح nattach *cornu-peta*, quod de bove usurpant *Locmanus* Fabula prima, & *Paraphrasta Arabes* Exod. 21. v. 28. &c. Quamvis qui purè loquuntur, ad arietem velint maximè pertinere. Unde est, quòd duas illas stellas, quæ in capite cœlestis *Arietis* tanquam cornua eminent, *Astrologi* vocant النطح vel الناطح.

h) Exod. 7. v. 13. 22. & 8. 15. & 9. 35.

i) Hist. lib. 8. cap. 8.

الناطع Et de eo, qui ad incitas est redactus, dici solet ليس له ناطح ولا خابط, id est, *Neque ovem habet, neq; camelum.* Ita enim exponunt *Lexicographi.* *Romanis* quoque suæ sunt voces, quibus agnum, aut arietem cornu ferire significant, nempe *arietare*, & *coniscare*. Quarum prior ab animali sæpe transfertur ad cognominem machinam, quâ mœnia urbium capiuntur, & dejiciuntur, ut sit idem, quod κριοκοπεῖν. Sed & quandoque propriè sumitur, ut in *Accii Bruto*, quem paulo post citabimus, atque id ipsum est, quod κορύπτειν. Itaque quo loco legitur in Veteri *Glossario*, *Arcetat*, κρύπτει, utraque vox mendosa est, & legendum, *Arietat*, κορύπτει, quomodo in *Philoxeno*, Κορύπτει, *arietat*. Posterior *coniscare* à *Lucretio* sic usurpatur libri 2. versu 320.

Et satiati agni ludunt, blandeq; coniscant.

Et à *Cicerone*, sed in contemptum; *Caput opponis, cum eo coniscans*, ut testatur *Quintilianus* libri octavi capite tertio. Non *conificans*, ut rescribunt inepti correctores, tanquam à *cono* deducta voce. Sunt, qui *ventilandi* verbum his synonymum esse colligunt ex *Hieronymi* versione, in qua legere est *Deut.* 33. v. 17. *Cornua rhinocerotis, cornua illius: in ipsis ventilabit gentes.* Et 3. *Reg.* 22. v. 11. *His* (cornibus) *ventilabis* Syriam. Et *Ezech.* 32. v. 2. *Ventilabas cornu in fluminibus tuis.* Et 34. v. 21. *Cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora.* Et *Dan.* 8. v. 4. *Vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem.* Et *Zach.* 1. v. 19. 21. *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt* Judam. Et 1. *Macchab.* 7. v. 46. *Ventilabant eos cornibus.* Sed fallitur, quisquis putat *Latinam* esse Phrasim, cùm ex his *Zachariæ* sumpta sit, *Hæc sunt cornua, quæ* זרו *ventilaverunt* Judam: nec alibi legatur uspiam.

Danielis capite octavo, *aries*, qui cornibus suis omnes orbis partes ita impetebat, ut nullus ei obsisteret, est *Persarum* Rex. Dicitur *sedisse ad Eulæum*, quia *Susa*, regni metropolis, ad eum amnem sita erant. Et *cornua duo habuisse*, id est, duo regna, *Medicum*, & *Persicum*, *quorum postremum sublimius*, id est, *Persicum*, quod *Medicum* dignitate, & potentia superabat. *Hircus* huic oppositus, *Macedonum* Monarchiam in genere significat, & speciatim *Alexandrum*, primum Monarcham. Hircus ille fuit *è capris*, id est, *juvenis*, *Hebræa* Phrasi. Vix enim vigesimum annum agebat *Alexander*, cum bellum suscepit in *Persas*. *Venisse* dicitur *ex occasu*, & ex *Javan*, id est, ex *Græcia*, & *Macedonia*, quæ est ad occasum regni *Persici*: *In superficiem totius terræ*; quia orbis magnæ parti imperavit: *Nec tetigisse terram*; quia mira fuit ejus alacritas, & in victoriis celeritas: & *Arietem prostravisse*, & *utrumque ejus cornu fregisse*; quia, debellato Rege *Dario*, regnum ejus utrumque occupavit. Et *hirci cornu magnum*, quod primo unicum, deinde fractum, ut illi succederent minora quatuor, significabat *Alexandro Magno*, in ipso victoriarum cursu mortuo, successuros quatuor Reges, *Seleucum*, *Antigonum*, *Cassandrum*, & *Ptolemæum*, à quibus *Græcorum* Monarchia in totidem portiones divideretur. Sed quia hæc sunt alterius loci, sufficiet ad præsens institutum, ut observemus etiam aliis apparuisse visiones hujusmodi, quæ futura portenderent. Ita, *Plutarcho* teste in vita *Syllæ*, ἐν Καμπανίᾳ περὶ τὸ Ἥφαιον ὄρος (lego Τιφατῖνον) ἡμέρας ὤφθησαν δύο τράγοι μεγάλοι συμφερόμενοι, καὶ πάντα δρῶντες, καὶ πάσχοντες, ἃ συμβαίνει μαχομένοις ἀνθρώποις, *in* Campania, *circa* Tiphaton *montem* (qui aliis *Tifata*) *interdiu visi sunt confligere magni hirci duo, & ea omnia facere, & pati, quæ viri in pugna solent.* Spectrum autem, è terra sensim elatum, paulo post dissipatum, & ex oculis elapsum est. Nec multo post *Sylla*, *Mario Juniore*, & *Norbano* Consule, in eo ipso loco fusis, & profligatis, & cæsis hominum septem millibus, Consulem inclusit *Capuæ*. Et in *Accii Bruto*, qui à *Cicerone* citatur libro primo *De Divinatione*, *Tarquinius Superbus* suum hoc somnium narrat,

Visum est in somnis pastorem ad me appellere,
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Præclariorumq; alterum immolare me:
Deinde ejus germanum cornibus connitier
In me arietare, eoq; me ad casum dari:
Exin prostratum terrâ graviter saucium,
Resupinum, in cœlo contueri maximum.

Hi arietes consanguinei *L. Junium Brutum*, & fratrem ejus à *Tarquinio* cæsum significabant; quorum ille, in *Tarquinium* insurgens, cum regno suo spoliavit.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

Inter Oves & Lupos quanta sit antipathia.

Lupi odium in oves nunquam deponunt. Etiam saturi totos greges passim jugulant. Ovis vicissim lupum horret plusquam ullum aliud animal. Ovilla pellis lupinâ admotâ pili excidunt. Tympanum lupinum si percutiatur, ovilla tacent, aut etiam crepant. Ovis à lupo interempta pellis pediculis scatet, & varios gerenti morbos parit. Oves Scripturæ sæpe lupis opponit. Contra Esa. 11. v. 6. *&* 65. v. 25. lupus, *&* agnus *simul.* Poetarum *loca ejusdem argumenti.*

OVibus infestæ & infensæ sunt feræ quævis, leones, & ursi puta, 1. *Sam.* 17. v. 34. Sauli *dixit* David, *Cum servus tuus pasceret oves patris sui, venit leo, & ursus, qui abstulit ovem è grege.* Jerem. 50. v. 17. *Ovis vaga fuit* Israel, *quam leones dispulerunt.* Mich. 5. v. 8. *Ut leo inter sylvæ bestias, ut leunculus inter greges ovium; si transeat, & conculcet, & rapiat, non est qui eruat.* Amos 3. v. 12. *Ut pastor eripit ex ore leonis ovis duo crura, & lobum auris.* Sed, utut *leo* (a) sit *inter feras maximè terribilis*, & ursus, morum feritate & asperitate nulli cedat; ovis tamen hostem non habet lupo immaniorem, qui cum illa perpetuas exercet inimicitias, eique, ubique terrarum, mortiferum, & implacabile bellum indicit. Unde *Sirachides*, *Eccles.* 13. v. 9. τί κοινωνήσει λύκος ἀμνῷ; Quod *Arabs* ita reddidit, لمان يشارك الذيب الحمل الا ليهلكه *Quod consortium inibit lupus cum agno, nisi ut perdat eum?* Nec multo aliter *Poeta* summus *Iliad.* χ'.

Οὐ δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισι·

Neq; lupi & agni concordem animum habent, sed mala sibi semper invicem moliuntur. Et *Poeta* incertus apud *Platonem* in *Phædro*,

Ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ', ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί·
Ut lupi agnum amant, ita puerum amatores. Et *Horatius* in *Menam.* Epod. 4.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Sunt proinde, qui lupos scribant, quantumvis cicuratos, odium in oves nunquam deponere, &, iis visis, ad lupinum ingenium statim redire, & disciplinam omnem oblivisci:

a) Prov. 30. 30.

oblivisci: & in caulam ingressos non solùm interficere quod satis est ad famem sedandam, sed & totum gregem passim jugulare. Et ovis vicissim lupum horret plusquam ullum aliud animal. Unde *Cyclops* in *Theocrito*,

> Φεύγεις ὥσπερ ὄϊς, πολιὸν λύκον ἀθρήσασα·

Fugis ut ovis, cum canum lupum vidit. Et *Horatius* in *Gratidiam*, Epod. 12.

> *O ego non felix, quem tu fugis, ut fugit acres*
> *Agna lupos, capreaque leones.*

Et *Ovidius* libro primo *De Arte*,

> *Ut fugiunt aquilas timidissima turba columbæ;*
> *Utque fugit visos agna novella lupos.*

Quod *Damir*, Scriptor *Arabs*, his verbis censet inter miracula naturæ ovillæ, ومن عجيب امرها انها انا رات الفيل والجبوس لا تهابهما مع كبر ابدنهما وتري الذيب فيعتريها خوف غظيم لمعني خلقة الله تعالي في طبعها *E miraculis naturæ ejus est, quod, si elephantem, aut bubalum videat, eos non metuit, ut ut vasta habeant corpora: sed, si videat lupum, illam corripit timor maximus. Unde patet Deum Optimum Maximum hunc timorem ei à natura indidisse.* Sed, quod mirere magis, naturalis hæc antipathia etiam post mortem durat, si vera sunt, quæ idem habet in capite *De Lupo*, وعداوتة مع الغنم شديدة بحيث انه انا اجتمع جلد شاه مع جلد ذيب تمعط جلد الشاه *Summa illi est in oves antipathia, ita ut, si pellis ovillæ lupina admoveatur, ovillæ pili excidant.* Cui simile est, quod habetur in sectione *De propriis*, انا علق وتر من ذيب في شي من اللاهي وضرب بها تقطعت جميع اوتار الغنم التي تكون علي اللاهي *Si suspendatur lupi nervus supra aliquod Musicum instrumentum, & illud percutiatur, discinduntur omnes ovium nervi, qui sunt in illo instrumento.* Aliud exemplar addit, ولم يسمع له صوت *Neque auditur ulla vox.* Quale est, quod *Cardanus* tanquam rem certam asserit, lupi fidibus agninas malè obstrepere. Sequitur, وكذلك ان عمل من جلد طبل وضرب به بين طبول تشققت الطبول كلها *Iisdem, si ex pelle ejus tympanum fiat, quod inter* (ovilla) *tympana percutiatur, crepabunt omnia illa tympana.* Quod sumptum ex his *Oppiani* libro tertio *Cynegeticωn*,

> Εἰ δὲ λύκου δείρας, ῥινὸν ἀπὸ τεκτήναιο
> Τύμπανον εὐκέλαδον, Διδυμήϊον, ἠλεσίκαρπον,
> Μοῦνόν τοι μετὰ πᾶσι βαρύβρομον ἔκλαγεν ἠχήν,
> Καὶ μοῦνον παταγεῖ· τὰ δ' ἐν ἄζυγα πρόσθεν ἐόντα
> Τύμπανα σιγάζει, κώφησί τε πᾶσαν ἰωήν.

Sin autem, lupo excoriato, ex pellibus confeceris tympanum sonorum, Dindymeum, frugi-perdam (id est, *Dindymenes*, seu *Cybeles*, cujus ministri castrati erant) *solum inter omnia gravem edit sonum, & solum strepit: quæ verò anteà sonora fuerant tympana conticescere facit, obtunditque omnem strepitum.* Quæ de tympanis ex ovis pelle confectis intelligi docet qui sequitur versus,

> Καὶ φθίμεναι γὰρ ὄϊς φθίμενον λύκον ἐρρίγασι,

Quippe etiam oves mortuæ mortuum lupum perhorrescunt. Non possum non addere vivas oves a pediculis esse immunes, sed in iisdem à lupo cæsis vellus, & lanam esse φθειρώδεις vel maximè. Prius docet *Philosophus Hist.* lib. 5. cap. 31. Τὰ δὲ πρόβατα, καὶ αἶγες κρότωνας, φθεῖρας δὲ οὐκ ἔχουσιν· *Oves autem, & capræ ricinos quidem, sed pediculos non habent.* Posterius *Hist.* lib. 8. cap. 10. Τῶν δὲ λυκοβρώτων προβάτων τὰ κώδια, καὶ τὰ ἔρια, καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἱμάτια, φθειρωδέστερα γίνεται πολὺ μᾶλλον τῶν ἄλλων· *Cæsarum à lupis ovium vellera, & lana, & quæ ex iis fiunt vestes, sunt multò plùs quàm alia pediculis obnoxia.* Hinc *Plinius* lib. 11. cap. 33. *Pilos habentium asinum tantum immunem hoc malo* (pediculis) *credunt, & oves. Gignuntur autem & vestis genere, præcipuè lanitio interemptarum à lupis ovium.* *Plutarchus* etiam *Symposiακῶν* libri secundi capite nono hanc quæstionem accuratè tractat, Διὰ τί τὰ λυκόβρωτα τῶν προβάτων, τὸ κρέας μὲν γλυκύτερον, τὸ δὲ ἔριον φθειροποιὸν ἴσχει· *Cur oves à lupis cæsæ carnem quidem suaviorem, sed lanam habeant pediculis obnoxiam.* Quin *Phile* capite quadragesimo octavo indui nos vetat ἐκ δορᾶς λυκοσπαράκτου προβάτου, *pelle ovis à lupo discerpta*, hâc addita ratione,

> Ποιεῖ γὰρ εὐθὺς κνησμονήν τι, καὶ φρίκην,
> Παλμοὺς ἀτερπεῖς ἐμβαλὼν τῇ καρδίᾳ·

Statim enim pruritum excitat, & febrilem horrorem, & injucundas palpitationes in cor immittit. Quę quidem omnia ut pro veris præstare nolim, ita neque rejicienda puto ut falsa, & conficta prorsus. Atque ideò huc affero, ut illustrem Scripturæ loca, quibus *oves lupis* opponuntur. Sic *Matth.* 7, 15. *Cavete vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos cum indumentis ovium* (id est, ἐν μηλωταῖς, quæ *Prophetarum* erat vestis) *& intus sunt lupi rapaces.* Matth. 10, 16. & Luc. 10, 3. *Mitto vos ut oves* (Lucas, *ut agnos*) *in medium luporum:* quo referenda quæ de Ocolyco suprà diximus. Joh. 10, 12. *Mercenarius, videns lupum venientem, deserit oves, fugitque: lupus autem rapit, & dispergit eas.* Act. 20, 29. *Novi, quod post discessum meum ingressuri sunt inter vos lupi graves, non parcentes gregi.* Itaque magna rerum conversio significatur, cum dicitur *Es.* 11, 6. *Habitabit lupus cum agno.* Et *Es.* 65. 25. *Lupus & agnus pascentur simul.* Qualia hæc *Poeta*,

> *Nec lupus insidias pecori*, &c.

Et pseudo-*Sibyllina* libro tertio,

> Ἐν δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν οὔρεσιν ἄμμιγ' ἔδονται, &c.

Quæ cum iis, quæ sequuntur, tanquam ex *Erythræa Sibylla*, sed corruptissima, citat *Lactantius* libri septimi capite vigesimo quarto. Alludunt etiam hæc *Horatii* libri tertii *Odâ* 18.

> *Inter audaces lupus errat agnos.*

Audaces, id est, lupum non metuentes, *Fauni* præsidio freti. Neque dissimilia habent *Claudianus* de *Orpheo* canente, in præfatione libri secundi *De raptu Proserpinæ*,

> *Securum blandi leporem fovere molossi,*
> *Vicinumque lupo præbuit agna latus:*

& *Martialis* libri noni *Epigrammate* 73.

> *Massyli leo fama jugi, pecorisque maritus*
> *Lanigeri, mirum quâ coiere fide.*
> *Ipse licet videas, caveâ stabulantur in unâ,*
> *Et pariter socias carpit uterque dapes.*

Nisi quod de leone, non de lupo, ibi agitur.

Lupi ovibus quàm infensi, tam illis sunt amici canes, quos jam olim ad pecoris custodiam fuisse adhibitos docent hæc *Job.* 30, 1. *Quorum patres non dignabar ponere cum canibus ovium mearum*, id est, עם כלביא נטרי עני *cum canibus, qui custodiunt oves meas*, ut *Chaldæus* hic habet. In quibus, qui lupo veniente tacent, vocantur *canes muti, latrare non valentes*, Es. 56, 10. Sed de cane gregis custode suo loco (*b*) plura dicemus.

b) *Cap.* 56. *infra.*

CAPUT QVADRAGESIMUM. OCTAVUM.

Loca quædam in *Prophetarum* scripti Ovium proventu celebria.

Basan *terra pecoris: ejus pascua uberrima. Vox* Basan *ab interpretibus sæpe prorsus omissa, aut aliter reddita. Quid propriè sonet, ex* Hieronymo, *&* Arabibus. Carmeli *vox quid significet. Duo montes hujus nominis. Unus prope* Ptolemaidem, *ubi antrum* Eliæ, *& templum* Jovis *postmodum. Ipse mons pro Deo habitus. Alter prope* Hebronē. Amalekitis *à* Saüle *ibi devictis, &* Nabalis *pascuis celebris, de quo* Prophetæ *passim.* Saron *juxta* Joppen, *&* Lyddam. Saron, *id est*, campus. *Ibi pascua, & vites.* Syrus *Interpres emendatus.* Botsra, Idumæorum, *aut* Moabitarum *urbs, regio valde pecorosa. Vox* Bosra *Mich.* 2, 12. *à* Græcis *aliter lecta.* Carthaginis Byrsa *unde dicta.* Bosra, *id est*, Roma. Cedar, *&* Nebajoth; *id est*, Cedrei, *&* Nabatæi. *Horum opes solo pecore constitisse. Iidem cur* Dachareni *dicti.* Stephanus *notatus.* Nabatæis, *&* Cedarenis, *unac nomen. Illi clari, hi obscuri.*

LOca quædam à *Prophetis* memorantur ovium & boum etiam proventu celebria: ut in *Judæa* BASAN, CARMEL, & SARON; extra *Judæam* BOSRA, KEDAR, & NEBAJOTH.

Ad pascuorum BASAN commendationem maximè pertinet, quod filii *Ruben*, *Gad*, cum haberent pecora multa, assignari sibi petunt terram, quam percusserat Dominus in conspectu filiorum *Israël*, quia erat מקום מקנה *locus pecoris*, & ארץ מקנה *terra pecoris*. *Græci* reddunt τόπον κτήνεσι, & γῆν ἐπιτηδείαν ζῴοις, *aptas animalibus terras*, & *regionem uberrimam ad pastum animalium*, Num. 32, 1. 4. Sic ajo commendari pascua terræ *Basan*, ad quæ hæc referuntur versu trigesimo tertio, qui sic habet, *Dedit itaque Moses filiis* Gad, *&* Ruben *&c. regnum* Sihon *Regis* Amorrhæi *& regnum* Og *Regis* Basan, *& terram eorum.* Proinde de pecoribus *Basanitidis* in Scriptura passim agitur. Sic *Deut.* 32. 14. *Et arietum filiorum Basan*, id est, *Basaniticorum.* Psal. 22, 13. *Tauri* Basan *obsederunt me.* Ezech. 39, 18. *Sanguinem arietum, agnorum, hircorum, & taurorum, quæ omnia sunt altilia* Basan. Amos 4. 1. *Vaccæ* Basan, *&c.* Sed pleraque hæc veterum interpretum nonnulli aliò detorserunt, ità ut nomen *Basan* in iis non compareat. Sic *Deut.* 32. 14. pro *filiis Basan*, *Græci* habent υἱῶν ταύρων, *filios taurorum*; *Syrus* ܒܢܝ ܬܘܪܐ, & *Arabs*, quem in *Suecia* vidi manuscriptum, اولاد الوعول *filios ibicum.* Quasi pro בני בשן, illi בני שור, hi בני דישון legerint *Ps.* 22. alias 21, 13. pro *tauris Basan Seniores* habent ταῦροι πίονες. *Aquila*, ἀδρὰ μοσχάρια; *Symmachus* ταῦροι σιτευτοί, Vulgata, *tauri pingues*, quod sequuntur *Arabs* & *Æthiops*. Ezech. 39, 18. pro *altilia Basan omnia*, *Græci*, omissa voce *Basan*, ἐστεατωμένα πάντα. Hieronymus, *altilium, & pinguium omnium*; *Chaldæus*, tanquam Allegoriam explicans, עתירי נכסיא כלהון *omnes illi census divites.* Amos 4, 1. pro *vaccis Basan*, Symmachus, αἱ βόες εὔτροφοι Hieronymus, *vaccæ pingues.* Sic *Ps.* 78. (alias 77, 16.) pro Hebræo *mons Dei, mons Basan*, LXX ὄρος τοῦ Θεοῦ, ὄρος πῖον Hieronymus, *mons Dei, mons pinguis.* Jer. 50, 19. *Pascet in* Carmelo *& in* Basan. *Græci* in plerisque editionibus solùm habent Νεμήσεται ἐν Καρμήλῳ omissa voce *Basan.* Et *Es.* 33, 9. pro *Basan* est ἡ Γαλιλαία. Quas interpretum aberrationes hic sigillatim excutere non aggredimur. Tantùm, ne quis miretur *Basan*, toties per *pingue* reddi, & pro *tauris & vaccis Basan*, toties legi *tauros, & vaccas pingues*; & *altilia pinguia*, prò *altilibus Basan*; & *montem pinguem*, pro *monte Basan*: duo hic observanda sunt. Primò, pascua *Basan*, cum uberrima fuerint, & pinguissima, *pinguia* dici jure merito tam ipsum montem *Basan*, quàm pecora in eo saginata, quæ arvina distenta, ac quasi differta fuisse, vero consentaneum est. Secundo, illam ipsam vocem BASAN *pinguedinem* significasse. *Hieronymus* in *Es.* 33. BASAN, *regio trans* Jordanem, *quam duæ & dimidia tribus possederunt, & quæ interpretatur* uberrima, *& pinguis.* Et in *Locis*, capite *De Numeris*, BASAN, bruchus *sive* pinguedo. *Nam, quod interpretari solet* ignominia, *vel* confusio, BUSA *dicitur.* Quod quidem *Hebræos* statuit. Neque enim eorum ullus est, qui nos moneat *Basan* idem esse, quod *pingue*. Tamen id ab illo verè observari ex *Arabibus* scimus, qui بثنة vel بثنية quomodo hoc nomen scribunt, non multò aliter exponunt. In *Giauhari* بثنة redditur ارض سهلة *terra facilis, & mollis.* Et in *Alcamus*, البثنة والبثنية الارض السهلة والزبدة والمراة البضة ولنعمة وكوره بدمشق والبثنية الحنطة الجيدة منها والرملة اللينة Bathsana, & Bathsania, *terra facilis, fertilis. Item mulier speciosa, & venusta. Item, regio prope* Damascum. *Item*, Bathsania, *triticum optimum ex ea. Item, arena mollis.* Arabibus igitur بثنة, quod cum *Basane* idem est, *terram* significat *facilem, mollem*, & *fertilem.* *Facilem* hic voco, non *planam*, ut viri docti interpretantur, sed εὐάροτον, *facilè arabilem.* Qualis est *Byzacena*, de qua *Plinius* libri decimi quinti capite quinto, *In* Byzacio Africæ *illum centenâ & quinquagenâ fruge fertilem campum, nullis, cum sicci est, arabilem tauris, post imbres vili asello, & à parte altera jugi anu vomerem trahente, vidimus scindi.* Indè igitur nomen agro in *Judæa* fertilissimo, qui Hebraicè בשן *Basan* dicitur; Arabicè بثنة *Bathsana*, vel بثنية *Bathsania*; Syriacè ܡܬܢܝܢ *Mathnin*; Chaldaicè מתנן *Mathnan*, & בתנן *Buthnan*, & בתניא *Bathnaja*; Græcè Βαταναία, *Batanæa*, quæ vox in *Josepho, Ptolemæo, Stephano, Eusebio, Hieronymo*, & aliis passim occurrit.

CARMEL & BASAN sæpe junguntur; ut *Es.* 33, 9. *Jerem.* 50, 19. *Mich.* 7, 14. *Nahum.* 1. v. 4. Et CARMEL æquè ac BASAN *ubertatem* sonat. Nam vel appellativè sumitur, vel propriè. Et priore sensu כרמל *carmel*, dicitur *locus* quivis *arboribus consitus, frugibusque, aut gramine fertilis*, Es. 16, 10. Jerem.

Jerem. 48, 33. &c. Voce, ut suspicor, composita ex כר *car*, quod *pascuum*, aut *agrum* sonat, & מול *mul*, quod *succidere* est: ut כר־מל sit *pratum*, vel *ager succisionis*, id est, ex quo fœnum, vel spicæ succiduntur. Unde & *spica recens succisa* מלילה vocatur, & כרמל. Sed & כרמל *Carmel*, proprium nomen est duorum in *Judæa* montium: quorum unus ad Aquilonem est προσθαλάσσιος, prope *Ptolemaidem*, in confinibus *Aser* & *Zabulon*, de quo *Jos.* 12, 22. & 19, 26. Alter ad Meridiem μεσόγειος, prope *Hebronem* in tribu *Juda*, de quo *Jos.* 15, 55. In priore habitavit *Elias* 2. *Reg.* 2, 25. & 4, 25. & altare Deo erexit: & per insigne miraculum coram *Israëlitis* præstitum, *Baalitas* confutavit, & veri Dei cultum restituit. Sed illud ipsum altare postmodum in superstitionem versum, & *Jovi* consecratum est. Unde *Scylax*, ex doctissimi *Vossii* emendatione, Κάρμηλος ὄρος, καὶ ἱερὸν Διός, Carmelus *mons*, & *templum Jovis*. Quamvis in eo *Tacitus*, *Historiarum* libro secundo, templum ullum fuisse neget, sed montem ipsum asserit pro Deo fuisse cultum. *Est* (inquit) Judæam *inter* Syriam*que* Carmelus. *Ita vocant montem, Deumque. Nec simulacrum Deo, aut templum, sic tradidère majores, aram tantùm, & reverentiam.* Inde est, quod in *Suetonio Vespasianus Carmeli* Dei oraculum consuluisse legitur. In altero monte *Carmelo Saül*, devictis *Amalekitis*, מציב לו יד *fecit sibi plateam*, 1. Sam. 15, 12. vel *ad dividenda spolia*, ut *Chaldæus*; vel *ad castrametationem*, ut *Kimchius* intelligit; vel, juxta *Hieronymum*, *fornicem*, sive *arcum triumphalem* ibi *erexit*; vel denique altare ibi ædificavit, quod reparavit *Elias* 1. Reg. 18, 30. Ita *Midras*, & *R. Selomo*: sed ineptè admodum; quia *Carmelus*, de quo hic agitur, ab *Eliæ Carmelo* diversus est, & valde remotus. In eodem hoc *Carmelo* degebat *Nabal*, qui numerosos habuit greges, mille scilicet capras, & ovium tria millia, 1. *Sam.* 25, 2. Proinde ad hunc *Carmelum* referunt quæcunque habent *Prophetæ* de *Carmeli* pascuis. Ut *Jerem.* 50, 19. *Reducam* Israëlem *ad caulam suam, ut depascat* Carmelum, *&* Basanem. *Amos* 1, 2. *Luxerunt tuguria pastorum, quia exaruit* Carmeli *vertex.* Mich. 7, 14. *Pasce populum tuum cum pedo tuo, gregem possessionis tuæ, habitantem solitarie in sylva, in medio Carmeli.* Pro quo *Syrus* Interpres, ܢܥܡܪܘܢ ܠܒܠܚܘܕܝܗܘܢ ܐܝܟ ܥܢܐ ܒܓܘ ܟܪܡܠܐ *Habitent solitariè ut oves in medio Carmeli*; quasi pro יער legerint כצאן. Utut sit, hæc loca referri possunt etiam ad *Eliæ Carmelum*.

De SARONE sic *Es.* 65, 10. *Et erit* Saron *in caulam ovium.* Pro quo *Seniores*, Καὶ ἔσονται ἐν τῷ δρυμῷ ἐπαύλεις ποιμνίων. Et *Hieronymus*, *Et erunt campestria in caulas gregum. Campestria*, id est, πεδινά: quomodo *Es.* 35, 2. *Decor Carmeli, & Saron*, à *Symmacho* redditur εὐπρέπεια τοῦ Καρμήλου, καὶ τοῦ πεδίου, *decor Carmeli, & campi.* Et *Cant.* 2, 1. חבצלת השרון, *narcissus Saron*, Senioribus est ἄνθος τοῦ πεδίου, & Hieronymo *flos campi*. Itaque vocem שרון *Saron*, *campum* significâsse valde verissimile est, quamvis id *Hebræos* lateat. Nempe à Verbo ישר *rectum & planum esse*, unde מישור est *planities*, factum etiam ישרון formæ רענן, & per Aphæresin, שרון. Qualis in אור pro יאור, & לדה pro ילדה, & ערה pro יערה, & עצה pro יעצה, &c. Nisi potiùs à Verbo שור, id est, *à contemplando* deducatur; quia ex illa planitie latè patet prospectus, quod jam alibi diximus. Utut sit, in his *Esaiæ*, *Et erit* Saron *in caulam ovium*, *Saron* esse loci nomen omnino docet Comma sequens, *& vallis* Achor *erit in cubile boum*: ut in altero loco, quem citavimus, *Decor Carmeli & Saron*, ut *Carmelus* nomen est proprium, ita etiam *Saron*. Itaque in neutro *Saron* debuit appellativè sumi. Maximè, cum, *Hieronymo* teste in *Esaia* cap. 33. Saron *omnis juxta* Joppen Lyddamque *appelletur regio, in qua latissimi campi, fertilesque tenduntur.* Unde *Act.* 9, 35. *Et viderunt eum omnes, qui habitabant* Lyddæ, *&* Saronæ. Et 1. *Paral.* 27, 29. *Armentis, quæ pascebantur in* Sarone, *præpositus fuit* Setrai *Saronites.* Sic apud *Talmudicos* (a) יין השרוני *vinum Saroniticum* inter generosa censetur, in quibus miscebantur שני חלקי מים *duæ partes aquæ.* Sed *Cant.* 2, 1. potest ferri, quod חבצלת השרון pro *narcisso Saron* explicatur *flos campi*; quia sic meliùs cohæret cum eo, quod sequitur, שושנת העמקים *lilium convallium.* Nè quis roget, cur pro *narcisso*; aut *flore Saron*, *Syrus* habeat ܫܘܫܢܬ ܫܪܘܝܢܐ, quod *Gabriel* explicat *florem abietum*, sciendum vocem ܫܪܘܝܢܐ esse corruptam, & ablato *Jod*, legendum esse ܫܪܘܢܐ, *Sarona*. Flos abietis nullus est, quamvis aliter statuat *Theophrastus Historiæ Plantarum* libri tertii capite sexto. Neque, flos abietis si esset, ܫܘܫܢܐ diceretur, cum ܫܘܫܢܐ non sit *flos* quivis, sed *lilium*. Denique ܫܪܘܝܢܐ *Syris* (ità enim scribendum) *cedros* esse puto potiùs, quàm *abietes*: ut *Chaldæis* שורבין *surban*, & *Arabibus* شربين *scerbin*, est *cedrus*. Res clara est ex *Abenbitare* cum *Dioscoride* collato. Verè igitur *Sylvaticus* in *Pandectis*, *Scerbin* Arabibus *est arbor Alkitran, & est Cedrus apud* Dioscoridem. Corrigendusque est *Avicenna*, qui scribit شرهبي lib. 2. *Can.* Et supplenda hæc vox in *Giggeii* & *Golii Lexicis*, in quibus deest.

(a) *Tract. De Sabbatho. cap.* 7. *& Nidda, cap.* 2.

Ad BOSRÆ oves hæc pertinent *Mich.* 2, 12. *Congregabo residuum* Israëlis, *simul ponam illum ut oves Bosra.* Fuit hæc urbs *Idumæa* vetustissima, in qua natus est *Jobab*, Rex *Edom*, Gen. 36, 33. & 1. *Par.* 1, 44. *Idumææ* disertè adscribunt *Prophetæ* tres, *Esaias* 34, 6. & 63, 1. *Jeremias* 49, 13. & *Amos* 1, 12. Tamen unus ex hoc numero *Jeremias* 48, 24. *Bosram* censet inter *Moabitarum* urbes. Itaque vel utrique adscribitur, eo quod in utriusque regionis fuerit confinibus: vel, quod puto verius, gemina fuit *Bosra*; una *Idumæorum*, altera *Moabitarum*. Nec multum refert, utram intelligas in his *Michææ*, *ponam illum ut oves Bosra*: quia utraque regio fuit valdè pecorosa. De *Moabitide* res clara est ex 2. *Reg.* 3, 4. ubi *Mesa*, Rex *Moab*. *Israëlitis* pro tributo legitur annuatim solvisse agnorum, vel lanatorum arietum, ducenta millia. Et *Idumæos* quoque pecore abundâsse docent hæc *Es.* 34. 6. *Gladius Domini implebitur sanguine agnorum, & hircorum, adipe renum arietum; quia sacrificium erit Domino* Bosræ, *& mactatio magna in terra* Edom. Sed *Michææ* locum veteres multò aliter interpretantur. Nam, pro *Hebræis* כצאן בצרה *ut oves Bosra*, *Græcos* habere jam (b) monuimus ὡς πρόβατα ἐν θλίψει, quod sequuntur *Syrus* & *Arabs*; quia, mutatis Vocalibus, ex בָּצְרָה fecerunt בַּצָּרָה. *Chaldæus*, *Hieronymus*, & *R. Selomo*, *caulam*, aut *ovile* reddunt, quia caula est quasi vallum ovium, & בצרה *bosra*, propriè *vallum*, cut *munimentum* sonat. Indè *Carthaginis* arcem, à *Didone* conditam, *Pœni* BOSRAM, & *Græci* Βύρσαν appellârunt, barbarum vocabulum more suo emollientes. De *Idumæis* quidquid legitur in *Prophetarum* scriptis *Hebræi* perabsurdè ad *Romanos* transferunt. Quod sequutus *Abarbanel* in *Commentariis* in hunc locum *Bosram* vult esse *Romam*, à pastoribus, ut ait, conditam, & *Valentiam* olim dictam, à robore scilicet, & munimento, ut *Idumæorũ Bosram*.

(b) *Cap.* 46 *pag.* 517. *lin.* 50. *supra.*

Supersunt CEDAR & NEBAJOTH, de quibus *Es.* 60. 7. *Omnes oves* Cedar *congregabuntur ad te, arietes* Nebajoth *tibi servient.* Et *Ezech.* 27, 21. *Arabes, & omnes principes* Cedar *erunt negotiatores plateæ tuæ*

tua (id est, *fori tui*) *agnis, arietibus, & hircis erunt negotiatores tui.* *Nabajoth* sunt *Nabatæi*, quibus nomen fecit *Nabajoth*, filius *Ismaëlis* primogenitus; ut secundus *Cedar Cedarenis*, qui *Geographis Cedrei*, & *Cedranitæ*. Vide *Gen.* 25, 13. & 1. *Par.* 1, 29. Horum pecora tam illustribus verbis in Scriptura deprædicari non mirabitur, qui sciet gentis opes solo pecore constitisse. Quod de *Nabatæis Diodorus* disertè scribit libro decimo nono, pag. 722. Νόμ☉ δ' ἐστὶν αὐτοῖς, μήτε σῖτον σπείρειν, μήτε φυτεύειν μηδὲν φυτὸν καρποφόρον, μήτε οἴνῳ χρῆσθαι, μήτε οἰκίαν κατασκευάζειν· ὃς δ' ἂν εὑρεθῇ ταῦτα ποιῶν, θάνατον αὐτῷ πρόστιμον εἶναι. χρῶνται δὲ τῷ νόμῳ τούτῳ, διαλαμβάνοντες τοὺς ταῦτα κεκτημένους ἀναγκασθήσεσθαι ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν δυνατῶν ἕνεκα τῆς τούτων χρείας ποιεῖν τὸ προσταττόμενον. τρέφουσι δ' αὐτῶν οἱ μὲν καμήλους, οἱ δὲ πρόβατα, τὴν ἔρημον ἐπινεμοντες. *Lex ipsis est, ut neque fructus serant, neque fructiferam ullam arborem inserant, neque vino utantur, neque domos ædificent* (quæ sunt ipsissima *Rechabitarum* instituta *Jerem.* 35, 6. 7.) *Et ut quisquis reperietur his incumbere, mortis habeatur reus. Eos existimantes, qui hæc possident, talium rerum usu à potentioribus facilè cogi, ut imperata faciant. Sed eorum alii camelos, alii oves alunt, desertum depascentes.* Et *Strabo* libro decimo sexto, de hac eadem gente, Πρόβατα λευκότριχα, βόες μεγάλοι· ἵππους ἡ χώρα οὐ φέρει, κάμηλοι δὲ τὴν ὑπηρεσίαν ἀντ' ἐκείνων παρέχονται. *Oves iis sunt albi velleris, boves magni: equos non fert regio, sed cameli eorum officium implent.* De *Nabatæis* iidem, *Diodorus*, inquam, & *Strabo*, multa habent insignia, quæ non sunt hujus loci. *Nabatæos Stephanus* (ex *Uranio*, nisi fallor) alio nomine scribit Δαχαρηνοὺς appellari, quod significat ἀρσενικοὺς, sed legendum ἀρσενικοὺς *mares*, ut in *Eustathio* habetur. Nempe, ut *Hebræis* זכר *Zachar*, & *Syris* ܕܟܪ *dechar*, *marem* significat, ita ذكر *dachar Arabibus*, vel *dsachar* blæso sono propter punctum adscriptum τῷ *Dal*. Et illo nomine *Nabatæos* sese olim extulisse ex eo colligere est, quod hodiéque intima deserti sui فلاة مذكار *Phelath mudschar*, id est, *desertum masculeum*, vocant *Arabes*, tanquam solis maribus penetrabile, ut habetur in *Alcamus*. Idem *Stephanus Nabatæos* ἀπὸ Ναβάτου τινὸς, à *Nabate* quodam nomen habere verè asserit. Neque alius fuit ille *Nabates* ab *Ismaëlis* filio *Nabajoth*, de quo *Moses* Gen. 25, 13. Sed quod addit falsissimum, Ναβάτης δ' ἐστὶν ὁ ἐκ μοιχείας γενόμενος, nempe Ἀραβιστὶ, ut supplet *Eustathius*, Nabates *autem* Arabicè *cum significat, qui ex scortatione natus est.* *Arabicè* quidem نبذ *nabada*, vel *nabadsa*, est *aliquem ut spurium abjicere*; unde منبوذ *manbuds spurius*, quo videtur respexisse illius commenti auctor, quisquis est: sed نبا *naba*, unde *Nabajoth*, *eminere* est, & *excellere*. Et *Cedar* Hebraicè *fuscum* sonat, qui ferè *Arabum* color est; quia sunt à Sole adusti, quales propriè dicuntur קדרים *cedarim*. Unde est, quod *Job* queritur se קדר, id est, *fuscum* ambulâsse, quamvis à Sole intactum, *Job.* 30, 28. ut luctum in se doceat id ipsum præstitisse, quod in aliis Solis adustio. Et Sponsa *Cant.* 1, 5. nigram se esse dicit ut tentoria *Cedar*, id est, juxta *Chaldæum*, כבני דרעו דשרין במשכני קדר *ut filii Chus, qui habitant in tentoriis Cedar*: imò, ut *Ismaëlitæ*, quorum pars filii *Cedar*. Ex his plus satis constat ineptire *Etymologum*, cui Κέδαρ est *Græca* vox, quæ σημαίνει, ait, τὸ σκοτεινὸν, παρὰ τὸ κήδω τὸ κοιμῶμαι. A *Cedare Cedrei*, vel *Cedranitæ*, ut jam diximus. De quibus *Plinius* lib. 5. cap. 11. *His Arabes junguntur, ab Oriente* Chanclei (imò *Chavilei*) *a Meridie* Cedrei, *qui deinde ambo* Nabatæis. Et *Stephanus*, Κεδρανῖται, ἔθν☉ τῆς εὐδαίμον☉ Ἀραβίας, Οὐράνι☉ Ἀραβικῶν τρίτῳ. *Cedranitæ, gens Arabiæ Felicis, Uranius in tertio Arabicorum.* De cætero *Cedrei* tam obscuri & ignoti sunt, quàm *Nabatæi* celebres. Tamen Sacri Scriptores gentem *Cedar* sæpe nominant. Et, si *Suidæ* credimus, eorum nomen durabat usque ad illius ævum. Μέχρι σήμερον, inquit, οὐ πόῤῥω τῆς Βαβυλῶν☉ ἐκτέλουν. *Usque hodie non longè à* Babylone *habitant.* Sed credo hæc illum habere ex alio vetustiore: quia *Suidæ* ætate gentis *Cedar* apud *Arabes* dudum nomen interciderat. Itaque in scriptis *Arabum* nulla est, quod meminerim, *Cedreorum* mentio; quamvis illorum non pauci scripserint ante *Suidam*.

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

Miracula in Ovibus à Deo facta.

In verbis, ad *Abelem* respexit Deus, *tria quæruntur*: 1. *Quid sit respicere in Deo.* Resp. *Deum dici eos respicere, quorum miseretur, & oblationes respicere, quas benevolè accipit.* 2. *Cur* Abelis *oblatio Deo fuerit acceptior, cum* Cain *major natu fuerit, & matri charior. Causæ commentitiæ, cur* Cain *rejectus fuerit. Vera, quod* Abel *per fidem obtulit*, Hebr. 11, 4. Cain *non item. Quid sit* offerre per fidem. 3. *Quo signo innotuit* Abeli *Dei favor, &* Caino *Dei aversio. An per ignem è cœlo missum in* Abelis *sacrificium. Ità conjectant veteres. Exempla hujus miraculi.* Abraam *arietem in vepreto detentum pro filio obtulit. Aries ille creatus non fuit ab initio, ut* Judæi *fabulantur, sed à vicino grege aberraverat. Hujus historiæ lacinia in* Græcorum *fabulis. De hoc ariete* Hebrææ *lectio vetus hodierna collata. Aries detentus* בסבך, *id est*, in loco perplexo. *Aliæ vocis hujus interpretationes. An* Abraham *hunc arietem de suo obtulerit.* ET *pro* POSTQUAM. *Hic aries* Christi *figura. Ut oves agnos varios conciperent*, Jacob *triplici arte usus est. Fuitne hoc Naturæ opus, aut Dei solius virtute factum? Naturæ quidem opus fuit, quod multa probant; sed naturalibus mediis Deus extraordinariè benedixit.* Jacobo *licuisse hâc arte avunculum suum spoliare; quia Deo auctore fecit, qui partem opum, quas ingratus* Laban *ex* Jacobi *labore comparaverat, in* Jacobum *justè transtulit. Vellus, pro* Gedeonis *voto, modò siccum, modò roscidum. Area, in qua vellus, fuit sub dio.* Area *Hebræis* גרן *goren; unde* Græci γῦρον. Arabicè, *&* Æthiopicè *area quomodo dicta. Ros Dei donum.* ספי *an sit simpulum. Ros duplex, nocturnus, & matutinus. Utriusque nomen* Arabicum. *Ita* Manna *utroque tempore pluit. Dei beneficia parata, & obvia. An per diffidentiam duplex miraculum petierit* Gedeon, *& Deum sic tentaverit.*

E Scriptura quatuor de ovibus eliciuntur, vel θαύματα, vel θαυματώδη. Primum ex *Mosis* verbis de *Cain* & *Abelis* oblationibus, Gen. 4, 4. 5. *Et ad Abelem* וישע *respexit Deus, & ad oblationem ejus: sed ad Cainum* לא שעה *non respexit, nec ad oblationem ejus.* Secundum de ariete, qui in monte *Morija* repertus est, & pro *Isaaco* immolatus, *Gen.* 22, 13. Tertium de *Jacobi* ovibus, quæ agnos objectis virgis concolores concipiebant, *Gen.* 30, 37. &c. Quartum denique de vellere ad *Gedeonis* votum modo sicco, modo roscido, *Jud.* 6, 37. &c. De quorum singulis pauca dicemus.

I. Primum quod attinet: de his verbis, *ad* Abelem *respexit Deus*, &c. tria quæruntur. 1.) Quid sit in Deo *respicere*, vel *non respicere*. 2.) Cur ad *Abelem* respexerit Deus potius, quam ad *Cainum*. 3.) Quo signo patuerit Deum ad *Abelem* potius quàm ad *Cainum* respexisse. Quarum quæstionum *prima* est facilis. Deus enim *ἀνθρωποπαθῶς eos respicere* dicitur, quorum miseretur; & *oblationem respicere*, quam benevolè accipit. Sic de persona dicitur *Exod.* 2. *v.* 26. *Respexit Deus filios Israelis*, id est, eorum in *Ægypto* misertus est. *Judic.* 6. *v.* 14. de *Gedeone*, *Respexit ad eum Dominus*. Psal. 11. v. 7. *Rectum respicit facies ejus*. Psal. 25. v. 16. *Respice me, & miserere mei*. Esa. 66. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad afflictum, & contritum spiritu?* Et de oblationibus *Num.* 16. *v.* 15. *Ne respicias sacrificia eorum*, nempe sacrificia *Core*, *Dathanis*, & *Abirami*. Amos 5. v. 22. *Munera vestra non habebo accepta, & pingues pro salute hostias vestras non respiciam*. Et Malach. 2. v. 13. *Non amplius respiciam ad munus, nec illud benevolè recipiam è manu vestra*. Itaque *munus respicere* est *illud benevolè accipere*: Metaphorâ ab iis sumpta, qui oculorum nutu significant munus sibi esse acceptum; aut, si displicet, oculos avertunt, nec dignantur intueri. Quæ nemini non sunt obvia.

Sed aliquanto plus est operæ in *secunda quæstione*, quâ quæritur, cur *Abelis* munus Deo fuerit acceptius? Neque enim miramur, quod *Aaroni* postponantur *Nadab*, & *Abihu*; aut *Core*, *Dathan*, & *Abiram*: cum illi peregrinum ignem in altare intulerint, *Levit.* 10. *v.* 1. hi, sine vocatione, thus obtulerint, *Num.* 16. v. 1. &c. Nec immeritò *Elias* præfertur *Baaliticis*. Is enim erat *Propheta* verus, & veri Dei cultor; isti falsi Sacerdotes, & falso Deo devoti, 1. *Reg.* 18. *v.* 19. *&c.* Causa denique fuit sontica, & manifesta, cur *Judaica* sacrificia præferrentur *Samariticis*: cùm *Judæi Jerosolymis* sacra fecerint in loco, quem Deus elegerat; *Samaritani Sichemis*, & in monte *Garizim*, & colendo Dominum Diis quoque suis servierint, 2. *Reg.* 17. v. 33. At hic nihil tale occurrit. Agitur enim de duobus fratribus, qui in eodem ventre nati erant, in eadem Schola educati, & ejusdem Ecclesiæ pars erant, & eidem Deo sacrificabant, eodem tempore, & loco, & ex eadem occasione. Aut, si qua in re differebant, est, cur *Cain* videatur *Abeli* fuisse præferendus. Is enim prior obtulerat, & fratri præiverat exemplo suo: adeoque erat natu major, & dici potuit *virtus patris, ac principium roboris ejus*, æquè ac *Ruben Jacobi* Genes. 49. v. 3. Quin, ut matri gratiorem, & acceptiorem fuisse scias, illa *Caino* nascente dixerat, *Virum acquisivi à Domino*, & inde *Cainum* appellaverat, ac si Κτῆσιν *Græcè* dixeris, aut Ἐπίκτητον, quasi hac possessione se ditiorem esse credidisset: at *Abeli* à *vanitate* nomen à parentibus inditum, quasi fuerit homo nihili. *Abele* tamen accepto, *Cainum* rejecit Deus. Cujus rejectionis varias causas varii comminiscuntur. Nonnulli enim rejectum volunt, quòd terræ fruges obtulisset, cui Deus maledixerat. Sed hæc maledictio fideles non respicit, quibus omnia munda sunt, juxta illud *Pauli* Tit. 1. v. 15. *Omnia munda mundis*. Alii, quod in fine dierum obtulisset, id est, serius, & in exitu anni, cum Deus primitias sibi velit offerri: sed Lex, qua id jubetur, nondum fuerat promulgata. Et illa ipsa Lege jubentur *Israelitæ* festum solenne celebrare in exitu anni post omnes fructus congregatos, *Exod.* 23. v. 16. nec apparere vacui ante Dominum, *Deut.* 16. *v.* 16. Sunt, qui *Cainum* statuunt exiles Deo spicas, & parca manu, obtulisse: quod asseritur gratis, nec uspiam habetur in Sacro Textu. Quin *Hebræa* vox ויבא ad verbum *& venire fecit*, (id est, *jussit ferri*) *Cainum* subindicat aliorum operâ usum fuisse in iis afferendis, quæ Deo obtulit; unde colligere est largam fuisse oblationem. Plerique statuunt *Caini* munus Deo displicuisse, quia dissidebat à fratre. Debuerat igitur, inquiunt, *munus ad altare relinquere, & prius cum fratre conciliari*, Matth. 5. v. 24. ut *Deo manus puras attolleret sine ira & disceptatione*, 1. Tim. 2. v. 8. Frustrà enim pacem ambit apud Deum, qui cum fratre pacem non colit. Quæ quidem verè afferuntur, sed minùs ad rem: quia *Caini* cum *Abele* fratre dissidium post rejectum munus natum est. Sed oblationis vitium frustrà in externis quæras, cùm totum intus latuerit, nec patuerit nisi soli Deo. Itaq; adhuc nesciremus, nisi nobis revelâsset Deus per *Apostolum Hebr.* 11. *vers.* 4. ubi legitur *Abel per fidem obtulisse Deo præstantius sacrificium quàm Cain*. Utut igitur extrinsecus *Abelis* oblatio nihil habuerit supra fratris oblationem, tamen in offerentium animis magna fuit dissimilitudo. Fratrum enim unus fidelis, alter infidelis fuit. Et qui fidelis erat, acceptus est; qui infidelis, cum suo munere à Deo rejectus, & exclusus. Nam *sine fide quidquid fit, peccatum est*, Rom. 14. vers. 23. Nec *absq; fide possumus Deo placere*, Hebr. 11. v. 6. Itaque quâ fide servamur, eadem fide servati sunt ii, qui *Christum* præcesserunt: *& inter nos & illos nihil discrevit Deus, qui corda illorum fide purificavit*, Act. 15. v. 9. Porro, ut cum fide quid offeratur, tria requiruntur. 1. Ut sciamus actionem illam Deum verbo suo aut jussisse, aut permisisse. *Fides* enim est *ex auditu, & auditus ex verbo Dei*, Roman. 10. v. 17. Quo sensu *Apostolus*, *Rom.* 14. *v.* 23. vult, ut edamus *cum fide* id est, ut certi simus hunc esum esse licitum, neque à Deo prohibitum. 2. *Offerre cum fide* est offerre cum fiducia remissionis peccatorum, & gratiæ Dei per Mediatorem, vel mittendum, ut olim ante Legem, & sub Lege; vel missum, ut hodie sub statu gratiæ. 3. Quisquis offert cum fide, cum oblatione sua *seipsum offert in sacrificium vivum, sanctum, & Deo acceptum*, Rom. 12. v. 1. Quorum trium duo priora sunt de essentia fidei, & tertium est effectus inde necessariò consequens. Quisquis enim verè, & ex animo credit *Christum* pro se satisfecisse, aut quandoque satisfacturum, is, se, suaque omnia Deo deberi agnoscens, non potest illi non offerre sacrificium eucharisticum. Quomodo *Psaltes*, quem sensus Dei beneficentiæ ad hoc compellit ἐπιφώνημα, *Quid Domino retribuam?* &c. Psal. 116. v. 12. Trium porrò, quæ diximus, primum in *Caino* fuit, qui sacrificia sciebat à Deo esse imperata: sed reliqua duo illi deerant. Non accessit cum fiducia in Dei gratiam, nec cum certo consilio Deo totum se devovendi. Terræ fructum obtulit Deo, non fructum labiorum confitentium nomini ejus. Aut, si labiis Deum honorabat, cor ejus procul aberat. Et per opera eum negabat, quem ore confitebatur. Speciem habens pietatis, virtutem ejus abnegaverat. Oblationem è frugibus offerebat, non sacrificium contriti cordis, quo delectatur Dominus. Jactabat se Deum diligere, quem non viderat; nec amabat fratrem, quem videbat. Denique *Caini* victima cor nullum habuit, sed fellis plurimum, ac proinde à Deo rejecta est: sed in *Abele* fuerunt contraria omnia. Sciebat enim hæc agnorum sacrificia Deum constituisse in figuram sacrificii à *Christo* pro nobis offerendi, in quem solum totam salutis spem, & fiduciam collocaverat. Itaque, agnum immolans, cogitabat de agno ante jacta mundi fundamenta pro nobis immolato. Victimæ sanguinem fundens, *Christum* habebat in animo, qui sanguinem suum fusurus erat pro remissione peccatorum. In igne cœlitùs delapso, ut statim docebitur, quo consumebatur ea pars victimæ, quæ Deo servata fuerat, iræ Divinæ imaginem videbat in peccatores justè accensæ, & pœnas illis debitas à *Christo*, vade, & vindice nostro, meritò reposcentis. Reliquas denique ejusdem victimæ carnes comedens, *Christum* fide amplectebatur, cujus caro verè cibus est, & sanguis verè potus, ita ut quisquis manducat carnem ejus, aut bibit sanguinem ejus, vivat in sempiternum. Accedebat igitur cum fiducia in Dei gratiam, per Filii merita, & preces, nobis conciliati,

ciliati. Et in tanti beneficii memoriam, cum victima sua seipsum in posterum Deo consecrabat, certus vivere deinceps in Dei timore, ut in illius gratia moreretur, & in gloriam reciperetur. Quibus de causis, *Caino* rejecto, Deus *Abelem*, & oblationem ejus respexit, & benevolè accepit.

Superest *tertia quæstio*, quæ maximè est hujus loci, nempe quo signo innotuerit aut *Abeli* Dei favor, aut *Caino* Dei aversio: sive in ipsa oblatione, vel post peracta sacrificia. Et in genere quidem respondet *Apostolus* Hebr. 11. v. 4. *Abelis* justitiam patuisse, *μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ*, *ipso Deo muneribus testimonium perhibente*. Sed rursus quæritur, quo indicio Deus hoc testimonium perhibuerit. An visibili aliquo signo, aut cœlesti oraculo, aut Angelo misso è cœlis, qui *Abeli* dixerit, quomodo *Danieli* *Dan. 9. v. 23.* *Vir desideriorum es*, id est, Deo gratus, & acceptus? Si credimus *Aben Ezra*, יתכן שירדה אש ודשנה מנחת הבל ולא מנחת קין *Vero consentaneum est ignem è cœlo descendisse, & Abelis quidem oblationem in cineres redegisse; sed* Caini *oblationem non item.* Quod idem his verbis scribit auctor *Fasciculi myrrhæ*; *Descendit ignis à Domino, & consumpsit adipem, atque ita benevolentiam suam erga* Abelem, *& munus ejus, declaravit.* Cujus sententiæ vetustissimus auctor est *Theodotion*, qui verba *Mosis* sic reddiderat, Καὶ ἐνεπύρισεν, *Et inflammavit Dominus super* Abel, *& super sacrificium ejus: super* Cain *verò, & super sacrificium ejus οὐκ ἐνεπύρισεν, non inflammavit.* Et *Hieronymus* in *Traditionibus Hebraicis* hanc versionem calculo suo ita comprobat, *Unde scire poterat* Cain, *quod fratris ejus munera suscepisset Deus, nisi illa interpretatio vera esset, quam* Theodotion *posuit?* Et *Cyrillus* libro primo *Glaphyr.* Ἐπὶ μὲν τοῖς τοῦ Ἄβελ δώροις πῦρ, καθιὲν οὐρανόθεν, δαπανᾶν ἐδεδωρήκει τὰ ἱερώματα· ἐπὶ δὲ Κάϊν, καὶ ἐπὶ ταῖς θυσίαις αὐτοῦ, οὐ προσέσχε, φησίν· οὐ γὰρ τὸ συνήθες ἐπιπεσὸν πῦρ τοῖς προσενεχθεῖσιν. *In* Abelis *quidem dona ignis, cœlitùs descendens, ad oblationum consumptionem comparatus fuit: ad* Cainum *verò, & oblationes ejus, Deus, inquit, non attendit; neque enim solitus ignis in oblata ab eo immissus est.* Ita etiam *Procopius* in *Genesin*, & *Faustus Rhegiensis*, libri secundi capite sexto *De libero arbitrio*, & veterum Scriptorum alii. Quia divini favoris hoc erat indicium, cum ignis οὐρανοπετὴς sponte victimam incendebat. Cujusmodi exempla habemus in sacrificio, quod obtulit *Moses*, *Levit. 9. v. 24.* & in cibis Angelo à *Gedeone* oblatis, *Jud. 6. v. 21.* & in oblatione *Davidis* ad pestem amoliendam, 1. *Paral. 21. v. 26.* & in solenni *Solomonis* sacrificio in Templi encæniis, 2. *Paral. 7. v. 1. 3.* & in sacrificio, quo *Elias Baalitas* confutavit, & veri Dei cultum asseruit, 1. *Regum* 18. *v.* 38. Unde est, quòd *Israelitæ*, *Davidi* Regi suo fausta apprecantes, inter cætera bona hoc quoque petunt, *Psalm. 20. vers. 4.* ut omnium oblationum ejus Deus sit memor, & ejus holocausta ידשנה *incineret* (ut ita loquar) id est, *in cinerem redigat*. Sed de his alibi (a) jam actum.

(a) Cap. 35. supra pagg. 360. 361. &c.

II. Ecce aliud mirabile, quod *Abrahamo* accidit, filium immolaturo. Postquam Angelus illi subitò apparens, ὡς ἐκ μηχανῆς, gladium, in *Isaaci* jugulum jam intentatum, cohibuisset, *Abraham* sublatis oculis arietem animadvertit in vepreto detentum cornibus suis, quem statim arreptum pro filio in holocaustum obtulit, *Gen. 22. v. 13.* Arietem illum *Judæi* nugaces creatum fuisse volunt ante annos bis mille & ampliùs, nempe sub vesperam diei sextæ creationis. *Jonathan* in *Paraphrasi*, *Et* Abraham *sustulit oculos suos, & aspexit*, והא דכרא חד דאתברי ביני שמשתא דשכלול עלמא אחיד באישתא דאילנא בקרנוי *& ecce arietem unum, qui creatus fuerat inter duas vesperas perfectionis mundi, detentum in perplexitate arborum cornibus suis.* Rabbi Selomo, והנה איל מוכן היה לכך מששת ימי בראשית *Aries ille porro propterea paratus fuerat à sex diebus creationis.* Tanchuma, (b) זה אחד מי׳ דברים שנתבראו בין השמשות *Iste aries res una est è decem, quæ creata sunt inter duas vesperas.* Tamen in *Jonathanis* Paraphrasi *Num. 22. v. 28.* & in *Pirke Aboth* fol. 30. a. & in Tractatu *Talmudico Pesachim* fol. 54. a. & in *Capitulis R. Eliezer* initio capitis decimi noni, ubi enumerantur res illæ decem, quas sub vesperam sextæ diei creatas fuisse fingunt; arietis nulla est mentio. Itaque hac in parte *Judæi* sibi non constant, quod in tanta mentiendi licentia mirum non est. Arietem quidem creare potuit Deus statim initio, & per multa secula in hunc usum servare: sed nihil fuit necesse, nec miracula ex nostro ingenio confingenda sunt. Sufficit, ut ea credamus, quæ Deus revelavit. Cujus hîc providentiam, non potentiam celebrat *Moses*. *Isaaco* enim, inquirenti de holocausto, responderat *Abraham* fore, ut Deus provideret, *Genes. 22. vers. 8.* Et postquam providisse vidit multo aliter, quàm putaverat, hoc ariete illi oblato, ipsi loco nomen indidit *DOMINUS PROVIDEBIT*, unde natum est apud posteros hoc Proverbium, *In monte Dei providebitur*, *Gen. 22. v. 14.* Deus igitur non creavit arietem, quod potentiæ fuisset opus; sed solùm *Abrahamo* obtulit, & fecit, ut commodum occurreret, quod fuit providentiæ. Neque quærendum est anxiè hic aries unde venerit. Ovium à grege aberrantium Scriptura meminit passim. Et omnes sciunt vix quidquam esse, quod accidat frequentius. Proinde hunc arietem à vicino grege aberrasse verisimile est, & in *Abrahamum* incidisse, Deo rem sic dirigente, ne sanctus *Patriarcha*, qui sacrificandi animo illuc iverat, re infectâ discederet, & ut, filio à morte exempto, haberet unde Deo testaretur debitam gratitudinem. Hujus historiæ lacinias, sed de more interpolatas, *Græci* suis fabulis immiscuerunt. Sic *Iphigeniam* narrant à patre *Agamemnone Dianæ* fuisse oblatam: &, cum *Calchantis* ministerio jamjam esset mactanda, *Vox quædam*, inquiunt, *luco emissa, aspernari Numen sacrificii genus, & ob id abstinendum à corpore virginis*, &c. *Itaque curarent id, quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolari*, &c. *Interim, deliberantibus cunctis, quidnam, & ubi esset, quod immolari juberetur, cerva, forma corporis admirandâ, ante ipsam aram intrepida consistit. Eam prædictam hostiam rati, oblatamque divinitus, comprehendunt, moxque immolant.* Ita *Dictys Cretensis*, vel quisquis illius nomine abutitur, libro primo sub finem. Alii aliud animal, aut anum etiam pro *Iphigenia* mactatam scribunt. *Tzetzes* in *Lycophronem* pag. 40. Ἰφιγένειαν τῇ θυσίᾳ, καὶ μελλούσης θύεσθαι, ἄρκτος, ἢ ταῦρος, ἢ ἔλαφος διῆξε μέσον τοῦ τῶν Ἑλλήνων στρατοῦ, καὶ προσταγαῖς τοῦ μάντεως διελθὸν ἐκεῖνο ἀναιρεῖται. *Cùm ad immolationem adstaret* Iphigenia, *& esset immolanda, ursus, aut taurus, aut cervus, medium* Græcorum *percurrit exercitum, & quodcunque præteriit mandato vatis mactatum est.* Nec desunt, qui immolatam asserant ipsam *Iphigeniam*, aut, quod idem est, *Iphianassam*. *Lucretius* libro primo,

Aulide *quo pacto* Triviaï *virginis aram*
Iphianassæo *turpârunt sanguine fœdè*
Ductores Danaûm. - - - - -

Propertius de *Calchante* libri quarti *Eclogâ* primâ,

Idem Agamemnoniæ *ferrum cervice puellæ*
Tinxit, & Atrides *vela cruenta dedit.*

Et ipse *Calchas* ad *Græcos* libro secundo *Æneidos*,

Sanguine placâstis ventos, & virgine cæsâ.

Sed ibi *Servius*, *Virgine cæsâ non verè, sed ut videbatur. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi.* *Nempe*, ut paulò ante dixerat, *cùm* Iphigenia *in eo*

(b) Fol. 12. b. col. 2.

esset,

esset, ut immolaretur, Numinis miseratione sublata est, cervâ suppositâ. Et, cum mactaret ipse *Calchas* se virginem mactavisse, sensit se fuisse deceptum.

Ἔλαφος γὰρ ἀσπαίρουσ' ἔκειτ' ἐπὶ χθονί,

Cerva enim palpitans jacebat in terra. Ita refert nuntius, qui huic sacro interfuerat, apud *Euripidem* in *Iphigenia in Aulide* versu 1587. Et sequenti Dramate ipsa *Iphigenia*,

Ἀλλ' ἐξέκλεψεν, ἔλαφον ἀντιδοῦσά μου,
Ἄρτεμις, Ἀχαιοῖς. - - - -

Sed me subduxit, cervam pro me subjiciens, Diana *Græcis.* Unde *Metamorphoseos* libro duodecimo,

Victa Dea est, nubemq; oculis objecit, & inter
Officium, turbamq; sacri, vocesq; precantum,
Supposita fertur mutasse Mycenida *cervâ.*

Et *Hyginus* Fab. 98. *Cum parens eam immolare vellet,* Diana *virginis miserata est, & caliginem eis objecit, cervamq; pro ea supposuit.* In *Plutarchi Parallelis*, capite trigesimo quinto, similes fabulæ duæ sunt: una *Græca* ex *Aristodemo*, quæ sic habet: *Peste* Lacedæmone *grassante, cum ex oraculi monitu* Helena *fuisset aris admota, ut pro salute popularium immolaretur,* ἀετὸς καταπτὰς ἥρπασε τὸ ξίφος, καὶ εἰς τὰ βουκόλια κομίσας ἐπὶ δάμαλιν κατέθηκεν, *aquila devolans gladium arripuit, & in armentum deferens buculæ imposuit,* quæ proinde *Helenæ* substituta est. Altera *Romana*, ex *Aristidis Italicis*, de *Valeria Luperca*, quæ, in remedium grassantis pestis pariter immolanda, simili casu servata est, cùm arreptum gladium aquila injecisset δαμάλει τινὶ παρὰ τὸν ναὸν βοσκομένῃ, *in juvencam quandam prope templum pascentem.*

Hæc in genere ad historiam arietis, qui *Isaaco* substitutus est. Nunc, si libet expendere ipsa *Prophetæ* verba, *Abraham*, inquit, *sustulit oculos suos, & vidit, & ecce* איל אחר *arietem post tergum.* Ita *Hebræi* post *Hieronymum.* Sed exemplar *Samaritanum*, *Et ecce* ‍[Samaritan] *arietem unum*, id est, *Daleth* pro *Res*, quæ lectio magis arridet multis de causis. 1. Primò enim è veteribus longe plures habet assertores. Nam, si priori favet *Hieronymus*, posteriorem *Græci* sequuntur, & è *Chaldæis Jonathan*, & *Onkelos*, & *Samaritanus Paraphrastes*, & *Syrus*. *Arabes* quatuor vocem planè omiserunt, quia putârunt אחר hic esse superfluum, & verba *ecce arietem* tantum valere, quantum *ecce arietem unum*; hanc particulam non omissuri, si legissent אחר *à tergo*. 2. Si legas אחד per *Daleth*, planè parallelus erit hic locus cum altero *Dan.* 8. v. 3. *Et sustuli oculos meos, & vidi, & ecce* איל אחד *arietem unum*, &c. 3. *A tergo* Hebraicè esset אחור *achor*; non אחר *achar*. Et אחר ita solitarium potius est *temporis* Adverbium, quàm *loci*. 4. *Abraham* arietem à tergo *sublatis oculis* vidisse non diceretur, sed in posteriora reflexis. 5. Neque frustrà dicitur *Abraham unum* arietem vidisse. Aries quippe, cum gregarium sit animal, signanter dicitur hunc arietem *unum*, & *solum* fuisse, nec ulli gregi adjunctum. De eodem sequitur, fuisse detentum cornibus suis בסבך *in densitate*, aut *perplexitate* supple *sylvæ*, *fruticum*, aut *arborum*. Id enim esse supplendum patet, tam ex ipsa textûs serie, quàm ex locis similibus. Sic *Psalm.* 74. v. 5. *Prout secures sursum efferebat* בסבך עץ *in perplexitate lignorum*: Græci, ἐν δρυμῷ ξύλων. Esa. 9. v. 18. *Et incendet* (ignis) בסבכי היער *in perplexitatibus sylvæ*: Græci, ἐν τοῖς δάσεσι τοῦ δρυμοῦ. Esa. 10. v. 34. *Et ferro excidet* סבכי היער *perplexa sylvæ*. 2. Sam. 18. v. 9. *Venit* (Absalomi) *mulus* תחת שובך האלה הגדולה *sub perplexitate magnæ quercûs*: Græci, ὑπὸ τὸ δάσος τῆς δρυὸς τῆς μεγάλης. Nam שובך & סבך idem sunt, quamvis hoc per *Samech* scribatur, illud per *Sin*, ut שבכה *rete* Job. 18. v. 8. & passim in libris *Regum* & *Paralipomenon*. Unde *Arabum* شبكة & *Hispanorum* XABECA, vel XABEGA. Quomodo *rete* vocari constat; quia perplexum, & implicatum est opus. Itaque nihil hic fuit, quod remorari posset Interpretes. Et à mente *Prophetæ* plerique parum recedunt. Sic arietem *Jonathan* detentum fuisse ait באילנא ἐν ὀνόματι (ita *Hanoviensis* editio, non ברחישותא, ut aliæ perperam, & nullo sensu) *Onkelos*, באילנא, *in arbore*; *Syrus*, ܒܣܘܟܐ, *in ramis*; Arabs *Parisiis* editus, في شعب الشجر *in ramis arborum*; Arabs *Erpenianus*, في الشوك *in spinis*; alius *Arabs* manuscriptus, في شجرة *in arbore*; Aquila, ἐν συχνῷ, *in condenso* supple *arborum*; *Symmachus* tamen ἐν δικτύῳ, *in reti*, quod esset בשבכה. Et *Septuaginta Seniores*, & post eos *Theodotion*, ἐν φυτῷ Σαβέκ, ac si סבך *sabec*, sit arboris, aut fruticis peculiaris speciei, in qua hæserit ille aries. Quod *Hesychius* βάτος explicat, sed legendum βάτος, *rubus*. Et *Cyrillus*, & *Phavorinus*, χρυσάκανθον legerint χρυσόγονον. Sic à *Dioscoride* vocatur ὁ θάμνος πυκνὸς, *frutex densus*, cui folia quernis similia. At χρυσολάχανον, aliis ἀτράφαξις *atriplex*, olus est in hortis crescens, quod arietem detinuisse, aut implicasse, ne somniando quidem quisquam finxerit. Alios taceo, quibus סבך *sabec*, est ἄφεσις *remissio*, ut *Syrum* ܫܒܘܩ *schabok*, per *Schin* & *Koph*: & *Græci Scholiastæ* ineptias, qui σαβὲκ exponit ὄρθιον, *rectum*, aut ἐπηρμένον *sublatum*; ut aries, cornibus implicatis, erectus, aut sublatus hærens, meliùs referat *Christum* in cruce pendentem. Quale est, quod באחז *detentum* Melito κρεμάμενον, & unus *Arabum*, quos in *Suecia* legi, معلقا *suspensum* reddit. Hinc Pseudo-*Athanasius* in *Interpretatione Parabolarum*, Quæst. 66. Φυτὸν Σαβὲκ ὁ τίμιός ἐστι σταυρός. *Planta sabec est veneranda crux.* Et arietem ibi detentum idem asserit *Christum* significâsse ἐν τῷ σταυρῷ θάνατον ὑπομείναντα ὑπὲρ ἡμῶν, *qui pro nobis in cruce mortem subiit.* Sed nihil opus est *Hebræis* verbis vim facere, ut pateat hunc arietem fuisse figuram *Christi* pro nobis crucifigendi, cum res per se pateat satis, quod statim docebimus. Si *Hebræis* credimus apud *Jarchium*, ille aries היה רץ אצל אברהם והשטן סיבכו ועירבבו באילנות *sponte ad* Abrahamum *currebat*: *sed Satanas eum arboribus implicuit, & immiscuit.* Quod tamen tribuo potiùs Dei providentiæ, quâ sic detentum *Abrahamus*, jam annis gravis, nullo labore cepit pro *Isaaco* filio mactandum, & immolandum, ut *Propheta* subjungit, *Et* Abraham *accepit arietem illum, & obtulit eum in holocaustum* תחת בנו *pro filio suo.* Nempe, ut *Hebræi* volunt, *quidquid in ariete faciebat, Deum precabatur his verbis, Id benevole accipe tanquam factum in filio meo,* כאלו בני שחוט כאלו דמו זרוק כאלו בני מופשט כאלו הוא נקטר ונעשה דשן *ac si filius meus jugularetur, ac si sanguis ejus funderetur, ac si filius meus pelle nudaretur, ac si is adoleretur, & in cinerem redigeretur.* Hæc *Rabbi Selomo*, quibus similia tradunt *Rabbi Benajah* & *Rabbi Phinees* in *Bereschith Rabba* sectione quinquagesima sexta. Dices arietem ita repertum Deo non debuisse offerri. Nam quisquis sacrificat, de suo debet, non de alieno sacrificare. *Honora Deum de tua substantia*, Prov. 3. v. 9. *De injusto immolantis oblatio ridicula est*, Eccles. 34. v. 21. Proinde *David Araunæ* boves emit, & solvit, Deoque tum demum obtulit. *Emam*, inquit, *dato pretio, nec holocausta gratis offeram Domino Deo meo*, 2. Sam. 24. vers. 24. Et à *Christo* is damnatur, qui patri dicit, ne teneatur ejus inopiam sublevare, *Korban* (seu *Deo devotum*) *id omne est, quo à me juvari posses*, Matth. 15. v. 5. & Marc. 7. vers. 11. Quia qui Deo vovet quæ patri necessaria sunt, aliena vovet, non sua. Nam pars

pars bonorum, quâ pater eget, mea non est, sed patris. *Zacchæus* quoque Publicanus *Luc.* 19. *v.* 8. malè parta restituit, antequam det pauperibus: *Dimidium,* inquit, *bonorum meorum do pauperibus, &, si quid cuipiam per fraudem eripui, reddo quadruplum. Do & reddo*, id est, *dabo postquam reddidero*, ex *Hebræorum* Phrasi, apud quos Copulativa *Vau* quandoque est Ordinativa. Sic *Jos.* 7. *v.* 25. *Eos igne combusserunt, & lapidibus obruerunt*, id est, *postquam lapidibus obruissent.* Job. 14. v. 10. *Morietur vir, & debilitabitur*, id est, *morietur postquam debilitatus fuerit.* Ex præmissis sequi videtur, *Abrahamum* non potuisse offerre arietem in dumis repertum, quia non erat *Abrahami* aries, sed illius, à cujus grege aberraverat. Nostra esse respondeo, quæ in loco publico inveniuntur, quamdiu ignoratur prior dominus. Ita crumenam, aut pecuniam in via si quis reperit, ea utitur tanquam sua, si nesciat cujus fuerit. Et bovem, aut ovem, cujus dominus ignotus est, servare jubetur qui reperit, donec à domino repetatur, *Deut.* 22. *v.* 2. Itaque semper servabit, si dominus nunquam repetat, aut si nusquam apparet. Neque enim potest esse dominus, quamdiu non apparet. *Non esse* enim, & *non apparere* tantundem valet, quoad eum, cui non apparet. Vide *Grotium De Jure Belli & Pacis* lib. 2. cap. 10. §. 11.

Pro corollario addam quomodo hic aries *Christum* figuraverit. Et in genere *Christus* aut aries, aut certè agnus fuit innocentia, lenitate, humilitate, & patientia. *Qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ejus. Qui, conviciis affectus, non conviciabatur vicissim; &, cum malis afficeretur, non minabatur, sed committebat* causam suam ei, *qui juste judicat*, 1. Pet. 2. v. 22. 23. *Ut ovis ad mactationem ductus est, ut agnus coram se tondente mutus, non aperuit os suum*, Act. 8. v. 32. Et, ut carne sua nos alit, *Joh.* 6. *v.* 53. sic lana vestit, unde est, quod *Christum induere* dicimur *Rom.* 13. *v.* 14. *Galat.* 3. *v.* 27. &c. & *alba vestimenta* jubemur *ab eo comparare, ne nuditatis nostra dedecus appareat*, Apoc. 3. v. 18. Sed, ut ex his generalibus ad specialia descendamus; Hic aries ex *Abrahami* ovilibus sumptus non fuit, sed tanquam à Deo illi datus, & à non-quærente inventus: *Christus* itidem, de quo *Propheta* Esa. 9. vers. 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Et *Evangelista* Joh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit.* Et *Christus* ipse *Rom.* 10, 20. *Inventus sum à non-quærentibus me*, &c. *Abraham*, Deo loquente, sustulit oculos, & vidit arietem, quem antea non animadverterat: ita *Christus*, antea ignotus, per verbum Dei nobis patefactus est. *Hunc caro, & sanguis non revelavit; sed Pater, qui est in cœlis:* Matth. 16. v. 17. Quod si *Abraham* arietem vidit à tergo, ut fert hodie recepta *Hebræa* textus lectio, ita etiam *Christi* diem vidit illum pone sequuturi, *Joh.* 8. *v.* 56. Virgulta, & spinæ, in quibus hæsit aries, sunt incommoda vitæ, cruces, & tentationes perpetuæ, cum quibus conflictatus est *Christus*. Denique, ut aries pro *Isaaco* est oblatus, qui in lumbis habuit universum Dei populum: ita *Christus obiit pro populo*, Joh. 11. v. 50. *Animam posuit pro ovibus*, Joh. 10. v. 11. *Ecclesiam acquisivit sanguine suo*, Act. 20. v. 28. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit. Vulneratus est propter iniquitates nostras. Attritus est propter scelera nostra. Castigatio pacis nostræ super eum est, & livore ejus sanati sumus*, Esa. 53. v. 4. 5.

III. Hoc quoque in ovibus, si miraculum non fuit, saltem est admirabile, quod arte nova *Jacobus* usus gregum avunculi *Labanis* optimam partem suam fecit. Is nimirum *Labani* per annos quatuordecim servierat omnino gratis, idque tanta fide, & industria, ut *Labanis* greges, antea pauci, & tenues, in immensum excrevissent. Quo nomine *Laban* professus se multum *Jacobo* debere, mercedis illi dedit optionem. Petiit ille, ut è *Labanis* gregibus removerentur omnes oves variæ & maculosæ, illis solum relictis, quæ unius coloris essent. Ex quibus si quid varium in posterum procrearetur, id sibi in mercedem cederet. Quod facile concessit *Laban*, ex unicolore grege ratus discolores fœtus paucissimos oborituros, quia colores ferè sequuntur corporis temperamentum, quod plerumque propagatur à parentibus in sobolem: unde *Poeta*,

Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos, &c.

Sed planè aliter accidit, quia *Jacob* triplici arte usus est, ut in fœtura gregum *Labanis* quidquid erat eximium ad se transferret. Quarum *prima* hæc fuit, quod virgis sumptis ex arboribus, quæ in illis locis suppetebant, populis nimirum, amygdalis, & platanis, earum amovit corticem per certa intervalla usque ad alburnum, quod, apparens inter eminentem corticem fuscum, discolores virgas efficiebat. Et has virgas, sic adaptatas aquarum canalibus, circumposuit ipso admissuræ tempore, ut ex earum aspectu matres fœtus concolores conciperent, & suo tempore in lucem ederent. Huic similis ars *altera* fuit, quod, postquam res successisset, & hac arte agni maculosi nati fuissent aliquammulti, illos, à reliquo grege sejunctos, & in unum collectos, *Labanis* ovibus semper objiciebat, ut fœtas matres feriret perpetuum hoc objectum, & ad agnos similes procreandos induceret. Quas tamen artes non adhibuit, nisi erga habitiores & vegetiores *Labanis* oves; cæteris ideo neglectis, ut nè sibi parerent, sed *Labani*. Quæ *Jacobi* fuit ars *tertia*. Hinc natæ duæ quæstiones: *Prior*, An naturæ fuerit opus vel divinæ omnipotentiæ, quod *Labanis* oves fœtus, vel virgis, vel agnis objectis concolores, pariebant? *Posterior*, An *Jacobo* licuerit *Labanem* avunculum suum gregum parte maxima, & optima, his artibus spoliare?

Neque harum quæstionum *prior* uno modo solvitur. Nam *Græci* Patres plerique ad miraculum referunt, quod ad virgarum obtutum varios agnos concepêre *Labanis* oves. *Chrysostomus* Homil. 57. in *Genesin*, Ταῦτα ποιεῖ ὁ δίκαιος, οὐκ οἴκοθεν ὁρμώμενος, ἀλλὰ τῆς ἄνωθεν χάριτος ἐπιχυθείσης αὐτοῦ τῇ διανοίᾳ· οὐδὲ γὰρ ἦν κατὰ φύσεως ἀκολουθίαν τὸ γινόμενον, ἀλλὰ πολὺ τὸ παράδοξον, καὶ ὑπερβαῖνον τὴν φυσικὴν ἀκολουθίαν ἦν. *Hæc non fecit justus proprio ductu, sed superna gratia mentem ipsius inspirante. Non enim erat juxta naturæ ordinem quod fiebat, sed valde admirandum, & naturæ modum transcendens.* Et *Cyrillus* (*Glaphyr.* in *Gen.* lib. 5. pag. 147.) postquam videri dixit hoc opus naturali quâdam lege contigisse, per modum ἐπανορθώσεως statim addit, Ἄῤῥητα δὲ τὰ τοιαῦτα παντελῶς, καὶ ταῖς ἡμετέραις ἐννοίαις ἄβατα· *Quin talia prorsus sunt ineffabilia, & nostris mentibus inaccessa.* Et *Theodoretus* in *Gen.* Quæst. 89. Τὰς ῥάβδους ἐλέπισεν, οὐ ταύταις θαῤῥῶν, ἀλλὰ τὴν θείαν ἐπικουρίαν προσμένων· *Virgas decorticavit, non iis fretus, sed divinum auxilium expectans.* Sed videntur *Latini* Patres in diversa esse sententia. In quibus princeps *Hieronymus* in *Quæst. Hebr. Nec mirum*, inquit, *hanc in conceptu fœminarum esse naturam, ut quales perspexerint, sive mente conceperint in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreent: cùm hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud* Hispanos *dicatur fieri. Et* Quintilianus *in ea* Controversia, *in qua accusabatur matrona, quod* Æthiopem *peperisset, pro defensione illius argumentetur hanc conceptûs esse naturam, quam supra diximus. Et scriptum reperitur in libris* Hippocratis, *quod quadam suspicione adulterii fuerat punienda, quod pulcherrimum peperisset, utrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus Medicus solvisset quæstionem, monens quærere, ne forte talis pictura esset in cubiculo: quâ inventa, mulier à suspicione liberata est.* Et *Augustinus* in *Gen.* Quæst. 93. *Multa dicuntur similiter fieri in animalium fœtibus: sed & mulieri accidisse traditur. Et scriptum reperitur in libris antiquissimi & peritissimi Medici* Hippocratis. Et quæ sequuntur, ut apud *Hieronymum*, ex quo sumpta sunt.

Idem

Idem (*De Civitate Dei* lib. 18. cap. 5.) docens quî factum fuerit, ut, *Apide* mortuo, semper alius reperiretur iisdem notis insignitus; *Non magnum erat dæmonibus ad eos decipiendos phantasiam talis tauri, quam solà cernerent, ostentare vaccæ concipienti, atque prægnanti, unde libido matris attraheret, quod in ejus fœtu jam corporaliter appareret. Sicut* Jacob *de virgis variatis, ut oves & capræ variæ nascerentur, effecit.* Isidorus *Orig.* lib. 12. cap. 1. Jacob *contra naturam colorum similitudines procuravit. Nam tales fœtus oves illius concipiebant, quales umbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur.* Ex quo specimine satis apparet *Latinos* Doctores naturali *Jacobi* industriæ id tribuisse, quod *Græci* virtuti Divinæ supra Naturam operanti.

Nos, in hoc dissidio, *Latinorum* sententiam, ut veriorem, ideò amplectimur, quia Naturæ Scriptores illi suffragari videmus, cum matrum prægnantium oculis aut imaginationi objecta statuunt imprimere fœtui notas indelebiles. Et de mulieribus quidem id multi tradunt. Sic apud *Galenum* in *Historia Philosophica* vetustissimus Philosophus *Empedocles* docet τῇ κατὰ τὴν σύλληψιν ὄψει τε καὶ φαντασίᾳ τῆς γυναικὸς μορφοῦσθαι τὰ βρέφη, πολλάκις γὰρ ἀνδριάντων καὶ εἰκόνων ἠράσθησαν, καὶ ὅμοια τούτοις τετόκασιν, *visu & imaginatione mulieris inter concipiendum formari fœtus, ità ut sæpe mulieres statuas & imagines adamaverint, iisque similes liberos procreaverint.* Et *Galenus* ipse in libro *De theriaca ad Pisonem,* Τὸν ἄμορφον τινὰ δυνατὸν ἀξιοῦντα εὔμορφον θέλοντα γεννῆσαι παιδία, ἐπεῖσέ τις γράψαι ἐν πλατεῖ ξύλῳ εὐειδὲς ἄλλο παιδίον· καὶ λέγεται τῇ γυναικὶ συμπλεκόμενον ἐκείνῳ τῷ τύπῳ τὰς γραφὰς ἐμβλέπειν. ἡ δὲ ἀτενὲς ἐμβλέπουσα, καὶ, ὡς ἔστιν εἰπεῖν, ὅλον τὸν νοῦν ἔχουσα, οὐχὶ τῷ γεννήσαντι, ἀλλὰ τῷ γεγραμμένῳ, ὁμοίως ἀπέτεκε τὸ παιδίον. *Cum deformis quidam opibus potens formosum vellet procreare puerum, pingi curavit in lato ligno puerum alium valde elegantem: & uxorem in ipso complexu jussit, ut illam picturam inspiceret. Illa autem defixis intuens oculis, &, ut ita dicam, totam mentem illuc advertens, infantem non patri, sed picto similem peperit.* Quod *Galenus* factum addit, τῆς ὄψεως διαπεμψάσης τῇ φύσει τὴν γεγραμμένην τοὺς τύπους, *visu picti imaginem ad naturam transmittente.* Tale quid habet *Oppianus* de *Laconum* arte, ut formosos liberos consequantur, *Cynegeticωn* libri primi versu 357.

Ναὶ μὴν καὶ Λάκωνες ἐπὶ ξένα μητίσαντο
Αἰσὶ φίλαισ᾽ ἀλόχοισιν, ὅτε γαστέρι κυσκαίνουσι,
Γράψαντες πινάκεσσι, πέλας θέσαν ἀγλαὰ κάλλη,
Τοὺς πάρος ἀστράψαντας ἐν ἡμιθέοισιν ἐφήβους.

Certè hoc pacto Lacones *ingeniosa commenti sunt in caris suis uxoribus, cùm utero turgent, pingentes in tabulis, propè constituunt splendidas formas* (eos scilicet) *adolescentes, qui olim inter homines emicuerunt.* Et postquàm in his censuit ex hominibus, *Nireum, Narcissum,* & *Hyacinthum*; ex semi-Dois, *Castorem,* & *Pollucem*; ex Diis denique, *Apollinem,* & *Bacchum*; ità concludit,

Αἱ δ᾽ ἐπιτερπόμεναι πολυήρατον εἶδος ἰδοῦσαι,
Τίκτουσίν τε καλοὺς ἐπὶ κάλλεϊ πεπληγυῖαι.

Illa verò oblectantur amabilem formam intuita, pariuntque formosos, super formam obstupefacta. His adde quæ ex *Hippocrate* & *Quintiliano* suprà citavit *Hieronymus,* & historiolam recentiorum scriptis vulgatissimam, de muliere, quæ hirsutum puerum peperit, quia *Johannis Baptistæ* imago ei in conceptu obversabatur. Proinde *Isidorus* ubi suprà, *Indè est, quòd quidam gravidas mulieres jubent nullos intueri turpissimos animalium vultus, ut cynocephalos, & simias, ne visibus occurrentes similes fœtus pariant.* Et libro quarto *Heliodori,* cujus narrationes, quantumlibet fabulosæ, tamen veri speciem habent, *Charicleæ* mater, *Persina, Æthiopiæ* Regina, albam se filiam ideo peperisse dicit, quia, κατὰ τὴν ὁμιλίαν τὴν πρὸς τὸν ἄνδρα, προσβλέψαι τὴν Ἀνδρομέδαν ἡ γραφὴ προδείξασα, καὶ πανταχόθεν ἐπιδείξασα γυμνήν, ὁμοειδὲς ἐπεῖναι τὸ σπαρὲν οὐκ εὐτυχῶς ἐμόρφωσεν, *in consuetudine cum viro pictura Andromedam videndam offerens, & undequaque nudam exhibens, sparsum semen illi simile quid infeliciter efformaverat.* Hinc libro decimo ex ea tabula *Persina* legitur ἐπισπάσασθαι τινὰ εἴδωλα, καὶ φαντασίας ὁμοιοτήτων, *attraxisse quadam simulachra, & imaginationes similitudinum*: unde factum sit, ut *Andromedam Chariclea* planè referat. Ex horum igitur sententia, si in mulieribus imaginatio effigiem suam fœtui insculpsit, multò magis in brutis; quia ut brutorum animus humano est minùs mobilis, & quasi ad unum defixus, ità in embryo notas firmiùs atque altiùs imprimit. Unde est, quòd *Philosophus Problem.* sect. 10. §. 12.) fœtus in brutis parentum naturas ideò magis referre, quam in hominibus docet, ὅτι ὁ μὲν ἄνθρωπος πολλαχῶς διατίθεται τὴν ψυχὴν κατὰ τὴν ὁμιλίαν. καθὼς δ᾽ ἂν ὅτε πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ διατεθῶσιν, οὕτω ποικίλλεται καὶ τὰ τικτόμενα. τὰ δὲ ἄλλα ζῷα, τὰ μὲν πλεῖστα πρὸς αὐτὸ τοῦτό εἰσι· *quia sæpe in ipso congressu hominis animus variè afficitur: prout autem affecti fuerint pater & mater, ita fœtus evariant; at reliqua animalia pleraque ad hoc solum intenta sunt.* Quod sic imitatur *Plinius* lib. 7. cap. 12. *Similitudinum quidem in mente reputatio est, & in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam utriuslibet, animum subitò transvolans, effingere similitudinem, aut miscere existimatur. Ideoque plures in homine, quàm in cæteris omnibus, differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenii varietas multiformes notas imprimit: cùm cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulique in suo cuique genere.* Itaque quod in ovibus *Jacobus* legitur præstitisse, id alii in equis, & asinis, aliisque animalibus præstiterunt. Absyrtus, *Sunt, qui, rerum perpulchrarum studiosiores, asinum, equum, aut alium quemvis admissarium hujus coloris, vestimento contegunt, quem futuram pullationem referre volunt: siquidem qualem vestitu colorem si mentientur, in talem enata progenies degenerabit.* Oppianus, *Cynegeticωn* libri primi versu 327.

Ανθάδε δ᾽ ἄλλα βροτοὶ πανεπίφρονα μητίσαντο,
Πῶλον ἐπιγράψαι καὶ νηδύϊ μητρὸς ἐόντα.
Ὦ πόσση κραδίη, πόση μερόπεσσι πέλει φρήν!
Ἔρξαν ὅπως ἐθέλουσι. θέσαν πολυειδέας ἵππους
Μητρὸς ἔτι γλαγόεντι φερομένους λαγόνεσσιν,
Ὁππότε θηλυτέρην γδούπην φιλότητος ὁρμή,
Ἵππον δ᾽ ἐγγὺς ἰόντα κλυτὸν μεγαλήτορα μίμνῃ.
Δὴ τότε δαιδάλλουσι πόσιν καλὸν, ἀμφὶ δὲ πάντῃ
Πᾶν δέμας εὐστικτοισι διὰ χροιῇσι χαράσσουσι,
Καὶ ποτὶ λέκτρον ἄγουσιν, ἐπ᾽ ἀγλαΐῃ κομόωντα.

Sæpe verò alia homines ingeniosissima excogitârunt, ut (videlicet) *pullum stigmatizent etiam in matris utero latentem. O quantum ingenium, quanta hominibus inest solertia! Faciunt quomodocunque volunt. Faciunt versicolores equos lacteis etiamnum matris ilibus contentos. Cùm enim equam corripuerit amoris impetus, & equum accedentem inclytum & animosum expectat: tunc sanè pingunt maritum formosum, & usquequaque totum corpus variis coloribus insigniunt, & ad cubile ducunt forma se efferentem.* Et paulò post,

Ἡ δ᾽ ὑποκυσαμένη πολυανθέα γείνατο παῖδα,
Νηδὺϊ μὲν πόσιος γόνιμον θορὸν ἀείρασα,
Δεξαμένη μορφὴν δὲ πολύχροον ὀφθαλμοῖσι·

Illa autem gravida facta floridum parit filium, utero quidem mariti fœcundum semen auferens, versicolorem verò formam oculis recipiens. Sequitur de columbis, quæ in amore miscentur, versu 353.

Δὴ τότε μήτιν ὕφαινε κλυτὴν τιθασσοτρόφος ἀνήρ·
Ἀγχὶ δὲ θηλυτέρῃσιν ἐθήκατο δαίδαλα πολλὰ
Εἵματα πορφύρεα· ταὶ δ᾽ εἰσιδέειν ὅσσε βαλοῦσαι,
Θυμοῖ ἰαινόμεναι, τίκτουσ᾽ ἀλιπόρφυρα τέκνα.

Tunc equidem solers consilium texit, qui cicures aves nutrit: prope fœminas scilicet dædala multa vestimenta purpurea collocat; illa verò, limis oculis conjectis, animoque oblectata, purpureos pullos pariunt. *Isidorus* quoque cum equos, tùm columbas his artibus ad libitum effingi scribit. *Hoc ipsum*, inquit, *in equarum gregibus fieri fertur, ut generosos objiciant equos visibus concipientium, quo eorum similes concipere, & creare possint. Nam & columbarum dilectores depictas ponunt pulcherrimas columbas iisdem locis, quibus illæ versantur, quo, rapiente visu, similes generent.* Et quâ ratione id fiat, sic docet *Avicenna* libro quinto *De Animalibus*, quem *Arabicè* videre nondum contigit; *Fortis imaginatio spiritus aereos, & naturâ suâ mobiles, statim movet, hisque optatæ rei speciem insculpit; & spiritus sanguini, proximo fœtûs alimento, permisti eandem figuram imprimunt.* His auctoribus, atque exemplis freti, *Jacobi* factum, & successum, Naturæ quidem adscribimus: sed ità, ut Deum putemus naturalibus mediis extraordinariè benedixisse. Quod *Jacobo* significatum est per visionem Angeli, maculosos illi admissarios ostendentis, qui admissuræ tempore capras & oves inibant, & Deo patere asserentis quidquid à *Labane* passus esset, ut se à Deo protegi sciret, & illi curæ esse res suas. Vide *Gen.* 31, 11. 12. 13.

Priore quæstione sic soluta, difficile non erit etiam *alteram* solvere, qua quærebatur, Utrùm *Jacobo* licuerit iis artibus, quas diximus, avunculum spoliare gregis sui parte maxima, atque adeò præstantissima? Apparet enim licuisse, quandoquidem, Deo per Angelum monente, & movente, id factum constat. Alio qui videretur *Jacobus* cum avunculo non satis ingenuè egisse. Nam inter illos convenerat, ut variæ oves *Jacobi* essent: nempe quæ sorte, seu casu; non quæ arte sic nascerentur. Ea enim fuit mens *Labanis*. Et contractus intelligi debet ex communi mente contrahentium. Frustrà *Jacobum* regesseris clavum clavo trusisse, & artem arte delusisse, nec nisi graviter læsum ità egisse cum avunculo. *Laban* enim *Rachelem*, quam gratis dare debuerat, eamque non indotatam, *Jacobo* vendiderat septem annorum servitio. Quibus peractis, summa fraude *Leam* illi substituerat, & aliud servitii septennium pro ea extorserat, & in omnibus erga generű iniquissimè se gesserat. Nec ulli erant judices, apud quos de illatis ab avunculo injuriis posset conqueri: ità ut coactus fuerit jus ipsi sibi dicere, & suum repetere, quomodocunque potuit. Hæc, inquam, à nonnullis in *Jacobi* defensionem frustrà afferuntur. Neque enim malum malo repellere, & propr[illegible]as injurias ulcisci, & accepta damna sarcir[illegible] [illegible]vatis licet. Quin verè fidelium est *malum bono* [illegible], *Rom.* 12, 21. vindicemque, & ultorem Deum expectare, qui dicit, *Mea est ultio, & ego retribu*[illegible]*re*, Deut. 32, 35. Et verò id à *Jacobo* sanctè & relig[illegible] observatum est, qui, toties & tam graviter læsus ab avunculo, tamen se semper illi præstitit servum fidelem: donec eâ arte, quam diximus, suum repetiit, auctore Deo, qui partem opum, quas *Laban* ex *Jacobi* labore comparaverat, in *Jacobum* justè transtulit, quomodo vasa *Ægyptiorum* voluit ab *Israëlitis* auferri, in durissimæ servitutis mercedem, ingratis dominis absque ullo stipendio per multos annos exhibitæ. Unde *Philo*, vel quisquis alius auctor est libri *Sapientiæ*, capitis decimi versu decimo septimo; Ἀπέδωκεν ὁσίοις μισθὸν κόπων αὐτῶν. *Reddidit sanctis mercedem sanctitatis laborum suorum.*

IV. Superest quartum miraculum in *Gedeonis* vellere, qui à Deo ad id vocatus, quod videbatur supra vires, nempe ad liberandos *Israëlitas* à *Madianitarum* jugo, quo graviter premebantur, petiit aliquo signo in hac vocatione confirmari. *Si tu* (inquit) Israëlem *manu mea servaturus es, quemadmodum loquutus es: en ego statuo lana vellus in area; si ros fuerit in solo vellere, & in tota terra siccitas, sic novero te manu meâ servaturum* Israëlem, *Jud.* 6, 36. 37. Pro *lana velleris* alibi legas *ovium* aut *agnorum vellus*; ut *Deut.* 18, 4. & *Job.* 31, 20. Quæ adduntur ἐξηγητικῶς, quia *Hebræum* גזה, vel גז, non solùm *vellus* significat, sed & *herbam resectam*, *fænisecium*; ut *Ps.* 72, 6. & *Amos.* 7, 1. In area porrò ponitur vellus cœlesti rore imbuendum, quia tum erant sub dio illæ areæ, in quibus grana ventilabant, vel triturabant; non, ut nostræ, sub tecto clausæ. Proinde illas omni vento patuisse constat ex his *Os.* 13, 3. *Sicut palea turbine rapta ex area.* *Area* Hebræis est גרן *goren*. Fallor, an indè *Græci* γῦρον dixerunt pro *gyro*, & *ambitu*? Rotundas enim esse oportuit areas, ut boves, in iis in gyrum acti, grana pedibus triturarent. Quocircà *Græca* vox ἅλως, vel ἅλων, quæ *aream* significat, etiam pro *circulo* passim sumitur: ut in *Æschyli* Tragœdia, cui titulus *Septem ad Thebas*, versu 441.

Ἅλω τι πολλὴν (ἀσπίδος κύκλον λέγω)

Et multam halo, clypei circulum dico. Et in *Polluce* ἅλως in oculo est ὁ περὶ τὴν ἶριν κύκλος, ὁ τοῦ λευκοῦ πρὸς τὴν, *circulus ad irim albuginis proximus.* Apud *Physicos* quoque ὁ ἅλως est *circulus apparens circa solem & Lunam*, Senecæ *circulus siderum.* Sed & Æthiopicè ዐውድ፡ *area* (a) est à verbo ዐወደ፡ quod *circumire*, & *circumdare* (b) significat. Quod ideò hic observo, quia videtur *David Hebræum* verbum עוד eodem sensu usurpare *Ps.* 119, 61. ubi *Hebræa* חבלי רשעים עודני *Græci* reddunt Σχοινία ἁμαρτωλῶν περιεπλάκησάν μοι & *Vulgatus*, *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: quæ versio est aptissima, & loco maximè convenit. Dum in eo sumus, non possum non addere *areæ* nomen *Arabicum* أندر *ander*, ut *Chaldaicum*, & *Syriacum* אדרא *iddera*, pro *indera*, literâ N latente in *Daghes*, fieri, ut quidem suspicor, ex *Græco* ἄνδηρον, vel ἀνδηρίς, per κατάχρησιν. Neque enim ἄνδηρον est *area triturantium*, sed *horti area*, vel *areola*. Suidas, Ἄνδηρα, μέρος τι τοῦ κήπου, ὥσπερ ἡ πρασιά· Andera, *pars quadam horti, ut areola.* Ità etiam ἀνδηράς. *Hesychius*, Ἀνδηρίδες, πρασιαί. *Theocritus* in *Bucoliastis* ἄνδηρα usurpat pro *floribus* aliâ καταχρήσει, quia in hortorum areolis crescunt. *Gedeon* porrò, cùm à Deo petit, ut areâ siccâ madeat solum vellus, supponit roris distillationem divinum esse donum, quod Scriptura sæpe testatur. Sic *Gen.* 28, 28. *Det tibi Deus de rore cœli.* Et *Mich.* 5, 7. *Ros à Domino*: qui proinde dicitur *generare guttas roris*, Job. 38, 28. id est, virtute sua procreare. Hinc in peccatores infensus, 1. *Reg.* 17, 1. minatur per *Eliam* se rorem cohibiturum, ut ne terram aspergat: & *Agg.* 1, 10. se clausurum cœlum à rore, id est, ne dimittat rorem. Et idem pacatior *Zach.* 8, 12. pollicetur se facturum, ut cœli dent rorem suum. Itaque qui virtute ordinariâ rorem solet ubique ex æquo demittere, rogatur hic, ut extraordinaria virtute roris defluvium in *Gedeonis* aream ità moderetur, ut solum vellus irriget. Quod & à bono Deo factum est: cùm enim summo manè surrexisset *Gedeon*, reperit in area sicca vellus ità madere, ut ex eo expresserit *plenum aquâ simpulum.* *Hebræum* ספל sephel, *simpulum* reddo post *Scaligerum*, qui ex ספל *sephel*, deduci putat *simpulum*; ut *sindon* ex סדין *sedin*; & *camphora* ex كافور *caphur*; & τύμπανον ex תף *toph*. Hoc saltem vero similius, quam, quod vult *Varro*, *simpulum* à *sumendo* dici. Dubitari tamen potest, an ספל sit prorsus idem, quod *simpulum*. In Scriptura ספל bis solùm occurrit, hic, & in Cantico *Deboræ* capitis præcedentis versu vigesimo quinto, ubi *Jahel Sisaræ* butyrum offert בספל אדירים *in sephel*, seu *vase magnificorum*. Ex utroque loco colligere est ספל *sephel*

(a) In Æthiop. et Pentateucho. (b) Matth. 3. 12. & Luc. 3. 17. ibid. & Matth. 13. 43. & 23. 11. Luc. 9. 6. 43. 9. 13. & 18. 13. &c.

sephel, esse vas patens, & satis amplum. Quò facit, quod pro *pelvi* sumitur in *Misna*, Tractatus *Bava Bathra* capite quarto, ubi qui vendidit balneum, non censetur cum balneo etiam asseres vendidisse, והספלין *& pelves.* At simpulum vas parvum fuit. Festus, *Simpulum vas parvum fuit, non dissimile cyatho.* Unde *Glossæ* veteres, *Simpulum*, Κύαθος. Et pro vasculo videtur sumi in *Ciceronis* Adagio, libro tertio *De Legibus*; *Excitabat fluctus in simpulo, ut dicitur*, Gratidius, *quos post filius ejus Marius in Ægeo excitavit mari.* Præterea in *Misna* Tractatu *Succa*, capite quarto, memorantur ספלין של כסף id est, *argenteæ pelves.* At simpulum fictile fuit. *Plinius* lib. 35. cap. 12. *In sacris quidem, etiam inter has opes, non myrrhinis, crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpulis innocentius.* Et *Apuleius*, *Apologia* primâ, *Diis immortalibus simpulo & catino fictili sacrificat.* Tamen utrumque vas in sacris adhibitum fuisse constat. De simpulo jam probavimus ex *Plinii* & *Apuleii* locis, quibus adde ex *Varronis De lingua Latina* libro quarto, *In sacrificiis remansit guttum, & simpulum.* Et ex *Festo*, *Simpulum, vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabant. Unde & mulieres, rebus divinis deditæ, simpulatrices dicuntur.* Cui de ספל *sephel*, similis est locus in *Jonathane* Num. 15, 7. חמר ענבא תלתות הינא תקריב בסיפלי לניסוכא *Et vini uvarum trientem* ‡ *Hin offeres in siphle* (seu *simpulis*) *pro libatione.* Et in *Talmudico* Tractatu *De Sacrificiis*, cap. 10. in *Gemara*, יין תקריב לנסך לספלין *Et vinum offeres pro libamine in simpulis.* Et *Exod.* 24, 6. ubi è sacrificii sanguine legitur *Mosen* partem in altari fudisse, partem באגנות *in pelvibus*, *Hierosolymitanus* אגנות reddidit ספלין, ut *Aruch* auctor est. Itaque ספל & *simpulum* in sacris eundem usum habuerunt. Tamen *simpulum* propriè est *fictilis cyathus*; & ספל *sephel*, potius *pelvis* ex quacunque materia. Rectè igitur in *Gedeonis* historia, in qua versamur, *Græci* λεκάνην, id est, *pelvim*, reddunt; *Chaldæusque*, & *Syrus* ܠܩܢܐ *lakna*, quod idem est. Nec malè *Arabs* سطل *setel*, id est, *situlam*, vel, ut *Arabes* definiunt, *haustrum ansatum, quo ii balneis, qui lavantur, aquam hauriunt.* Et Hieronymus *concham*, id est, *pollubrum in conchæ formam.* Proinde idem 2. *Paral.* 4, 6. *Fecit quoque conchas decem*, &c. *ut lavarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant.* Et *Juvenalis* Sat. 6. *Cum bibitur conchâ*, Hyperbolicè pro grandiore poculo, aliter quàm apud *Græcos*, quibus κόγχη, vel κογχίον est *vasculum*, vel mensura naturali conchâ non major. Eodem facit, quod in Cantico *Deboræ* ספל *sephel*, redditur פילי, *phiala*, à *Chaldæo*, & *Hieronymo.* Quæ *Athenæo* non est *poculum*, sed χαλκεῖόν τι, χεκτίταλον, λεβητῶδες, δύο ὦτα ἔχον ἑξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, *æneum quid, & patulum, lebeti simile, ex utraque parte auritum.* At *Asclepiadi Myrleano*, ἡ μὲν φιάλη κατ᾽ ἀντιστοιχίαν ἐστὶ πιάλη, ἡ τὸ πιεῖν ἅλις ἔχουσα μείζων γὰρ τοῦ ποτηρίου, *phiala, per transelementationem dicitur, quasi piala, quia continet quantum ad bibendum satis: major enim poculo est.* Hæc omnia pertinent ad augendum miraculum, quo vellus in area sicca tam multo rore aspersum est, ut ex eo *Gedeon* expresserit quantum satis fuit ad implendum ספל *sephel*: quâ voce non intelligitur *Romanorum simpulum*, id est, vas parvum, sed phiala utrimque ansata, aut situla, aut pelvis, cujus in balneis usus est. *Gedeon* tamen, hoc miraculo nondum plenè confirmatus, audet aliud à Deo petere, nempe ut, versis vicibus, in area rore madida maneat siccum vellus: *Ne*, inquit, *ira tua in me accendatur, & loquar tantum hac vice*: אנסה *tentabo solum hac vice in vellere: sit precor siccitas in solo vellere, & super totam terram sit ros.* In quæ verba *Rabbi Levi*, לא הספיק לו האות הא כי מדרך הזה שתמשוה * הלחיות ולזה שאל אות שני הפך הא *Non suffecit ei miraculum primum, quia est de natura velleris, ut attrahant illud humores. Ac proinde petiit miraculum secundum, contrarium primo.* Et *Gedeonis* votum statim exaudiit Deus. *Et illa ipsa nocte siccitas fuit super vellus, & ros super universam terram.* *Illa ipsa nocte*, inquit, בלילה ההוא. Ros enim alius manè pluit, alius ipsa nocte. Ille in *Osea* dicitur טל משכים, δρόσος ὀρθρινὴ, *ros matutinus*, Os. 6, 4. & 13, 3. Et *Sap.* ῥανὶς δρόσου ὀρθρινή, *gutta roris matutina*, Sap. 11, 23. Hunc *guttas noctis* vocat *Solomon Cant.* 5, 2. ubi sic sponsus, *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctis.* *Arabes* hæc distinguunt propriis nominibus. Illis enim æquè, ac *Hebræis* طل tal *rorem* in genere sonat; & ندي nedan *matutinum*, ut سدي sedan *nocturnum rorem* sonat. Utroque tempore pluebat *Manna*, aut ros illi prævius, de quo dicitur *Exod.* 16, 13. *Manè quoque ros jacuit per universum castrorum.* Et *Num.* 11, 9. *Cumque descenderet nocte super castra ros.* At hic Deus, non matutinis horis, sed illa ipsa nocte, quâ rogatus fuerat, rore totam aspergit aream, sicco manente vellere. Sic enim parata & obvia esse solent Dei beneficia, ità ut preces nostras non tam sequantur, quam occupent, atque antecedant. Ut *Gen.* 24, 15. ubi *Abraham* servus exauditur, antequam intra se orationis verba complevisset. Et *David* Ps. 32, 5. *Dixi, Confitebor*, &c. *Et tu remisisti*, &c. Et *Dan.* 9, 21. *Adhuc me loquente in oratione, ecce Gabriel, &c.* Denique *Es.* 65, 24. *Eritque, ut, antequam clament, ego respondeam, & adhuc illis loquentibus ego exaudiam.* Quæ eò pertinent, ut sciamus Deum suis promptè adesse, quotiescunque urget periculum, & præsenti subsidio est opus.

* Lege תמשכוה

Nunc paucis occurremus iis, qui *Gedeonem* insimulant, quasi diffidentiæ suæ magnum specimen ediderit, petendo, ut Dei verbum, quod planum, & apertum erat, duplici miraculo confirmaretur, tanquam alioqui non crediturus. Illumque hoc ipso addunt Deum gravissimè tentâsse, & eâ responsione dignum fuisse, quâ *Christus Pharisæos* excepit; *Generatio mala, & adultera signum quærit*, &c. *Math.* 12, 39. & 16. 4. Quæ si vera sunt, quomodo Deo gratus fuit, & acceptus, & oratio ejus exaudita? Et quorsum *Gedeonis* fides ab *Apostolo* commendatur *Hebr.* 11, 32. Ut igitur quæstioni satisfiat, fatendum quidem est, *Gedeonem* non statim plenè credidisse, sed initiò vacillâsse, & fluctuâsse, ut qui dicebat, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*, Marc. 9, 24. Proinde *R. Levi* non malè *Gedeonem* ait fuisse מאמין ואינו מאמין *credentem & non credentem*, id est, ità credentem, ut tamen aliquid superfuerit hæsitationis. In quo statu cum esset, petiit, ut sua fides aliquo signo confirmaretur. Neque illum negaverim hâc suâ petitione Deum aliquo modo tentavisse. Habemus enim confitentem reum, cùm, post prius miraculum de solo vellere sicco, contrarium alterum petiit, *Tentabo*, inquit, *solum hac vice.* Sed duplici modo tentatur Deus. Nonnunquam infirmitate fidei, quæ, sentiens se labascere, confugit ad miracula, quibus fulciatur, & sublevetur, quomodo qui titubat baculum petit, quo sustentetur. Nonnunquam etiam insita animi pervicacia tentatur Deus ab iis, qui non solùm increduli sunt, sed & prorsus infideles, nec miraculum petunt ut credant, sed ne credant, quia de Dei potentia, & providentia quidquid dicitur, inter fabulas rejiciunt, & verbo ejus non acquiescunt, quin ut futile, & absurdum irrident. Priorum exemplum esto *Gedeon*, qui jam crediderat antequam signum à Deo peteret, &, prout fuerat jussus, aram idoli subverterat, & undequaque nuntios ad *Israelitas* mise-

rat, multaque hominum millia convocaverat, & copiosum exercitum jam conscripserat. Quibus fidei suæ signis editis, nondum tamen plenè confirmatus, ampliùs confirmari postulavit extraordinariâ ratione, ut vocabatur ad munus prorsus extraordinarium. Neque dubium, quin *Ezechias* (Rex omnino pius, & sanctus, & atavi *Davidis* vestigiis insistens 2. *Reg.* 18, 3.) ità fuerit affectus, cum petiit, ut Dei promissio de valetudine intra triduum perfectè restituenda signo aliquo confirmaretur, 2. *Reg.* 20, 8. Sed *Scribæ*, & *Pharisæi*, qui signum à *Christo* petebant, cum omnino rejecerant. Neque illis signis contenti, quæ multa, & valde illustria in terris jam ediderat, alia petebant e cœlitùs, *Matth.* 16, 1. quæ ut priora despexissent, atque insuper habuissent. Venerant enim ad eum, πειράζοντες, id est, ut rectè exponit doctissimus interpres, ut experirentur ecquid hoc posset præstare quod petebant, sed captiosè, & malo animo ad id petendum ipsos instigante, nempe quod sperarent se aliquid in eo reperturos, unde justæ reprehensionis occasionem arriperent. Duo tentandi genera, quorum unum licitum, alterum illicitum, *Saadias* ità distinguit. הנסיון ביכולת הבורא אסור כמו שאמר וינסו אל בלבבם ואמרו הגם לחם יוכל תת אבל גדעון לא היה לו ספק ביכולת הבורא אלא רצה לנסות אם הוא ראוי לנס גדול כזה: *Tentatio de potentia creatoris vetita est, prout dicitur* Psal. 78, 18. « *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, & dixerunt, An etiam poterit dare panem? Sed* Gedeoni *nulla fuit dubitatio de creatoris potentia. Tantùm tentare voluit, an dignus haberetur tam insigni miraculo.* Alii signum petiisse volunt, ut sciret an verè Dei esset Angelus, qui illum compellaverat.

CAPUT QVINQVAGESIMUM
De Agno *Paschali.*

Miraculum Paschalis *agni cur majus præcedentibus. In eo* Christi *typus valde expressus. Septem de* Paschate *tractanda. I. Nomen, quod* Chaldæum *est. Radix* פסח pasach, *significat* διαβαίνειν, & ὑπερβαίνειν. *Quid* διαβατήρια Græcis. *Ratio nominis.* ° *Cur* Baalitæ *altare transilierint,* 1. Reg. 18, 26. *variæ interpretationes.* Hieronymiana *præfertur.* Paschæ *vox quàm homonyma.* Πασχαλικὸς *quis.* Syri, Æthiopes, *&* Græci Paschæ *nomen quàm variè reddant. II.* Paschæ *tempus mensis* Abib, *quæ vox variè reddita. Mensis* Βύσιος Delphis, *quasi* Φύσιος. *Mensis* Nisan Chaldæis *unde dictus; quod nondum observatum. Hoc belli gerendi fuisse tempus, ut* Martium *nobis,* Στρατεῖος Bithynis, Φαμενὼθ Ægyptiis. Abib *è septimo factus mensium primus.* Pascha *inter duas vesperas. Quid sint duæ vesperæ. Idem* Chaldaicè *&* Talmudicè, duo Soles: Græcis δείλη πρωΐα, *&* δείλη ὀψία, *quæ Latinis* vesper serus. *Quam multa fecerint Sacerdotes inter duas vesperas, & quo ordine. Duabus illis vesperis tertiam addi perperam ex* 1. Sam. 20, 5. *Tempus medium inter duo extrema posse ab alterutro denominari.* Pascha *non celebratum est vespera diei* XIV. *incipientis; sed desinentis.* Christus *ultimum* Pascha *celebravit eodem die, quo* Judæi. *Quo sensu multi è nostris* Christum *velint diem à* Judæis *receptum anticipâsse. Canones* Judæorum *de* Paschate Christi *ætate nondum fuisse in usu, neque cum* Talmud *scriptum est, ex ipso* Talmude *probatur, & ex* Patribus. Judæos *olim* Pascha *constituisse per Lunæ* φάσεις. *Quod probatur ex* Maimone, *& ex* Karaita *quodam Anonymo. Quâ ratione id factum. Privato non licuisse id mutare. Mutatio, qualem volunt, fuisset inutilis.* Pascha Hierosolymis *nunquam per biduum celebratum. Nec iniculum* κατὰ τὴν σύνοδον. Mosis *ætate nulli in* Ægypto *Astrologi. Solvuntur objectiones. An* Christus *die festo morti sit traditus. Festo* Paschatis *quædam licuisse, quæ Sabbatho vetita. Horæ festi nocturnæ diurnis minus sacræ. Scelera gravissima diebus festis patrata.* Paschalis *agnus die festo non mactabatur, sed die* ἐργασίμῳ. Joh. 18, 28. Pascha manducare, *id est,* Paschalia *sacrificia ab agno diversa* Deut. 16, 2. Mactabis Pascha *eodem sensu dictum.* Parasceve, *id est, dies* Veneris Joh. 19, 14. Parasceve Paschæ *non est præparatio ad* Pascha, *sed ad* Sabbatum, *ideò* Paschæ *dicta, quia in* Paschæ *festum incidit.* Magnam diem *posse dici quodlibet festum.* Magnum Sabbatum *quando.* Philo *de more crucifixos è cruce die festo deponendi. An primi* Christiani *crediderint* Pentecosten, *de qua* Act. 2. *in diem* Dominicam *incidisse. An quinquaginta dies à* Paschate *ad* Pentecosten *potuerint à* Sabbato *incipere.* Impleri *Hebræis, id est,* impletum esse. *Quo anno* Christus *passus est.* Dominica in Ramis *nonnisi quinque diebus præcessit festum* Paschatis. Pascha *secundo mense cur institutum.* Pascha *primum, & secundum, quid commune, aut diversum habuerint.* Pascha *primum sub* Ezechia, *cur secundo mense celebratum. An* Pascha *potuerit in tertium mensem rejici. III. In* Ægypto *agni domi mactati, in* Judæa Hierosolymis, *& in Templi atrio.* Pascha *verum fuisse sacrificium tam ex Scriptura probatur, quàm ex ipso ritu. Sanguis agni Deo oblatus, & ad altare aspersus, in quo formalis ratio sacrificii. Quomodo in* Ægypto *hæc aspersio observata. Ibidem fuisse propitiatorium. Ejusdem adeps Deo adolebatur. Refelluntur, qui* Pascha *putant ubivis potuisse mactari, & comedi. Quomodo tot agnorum millia paucis horis potuerint in Templi atrio mactari, & offerre. IV. Ante Sacerdotes institutos primogeniti eorum munia obierunt. Etiam in* Judæa *plebeios die* Paschatis *pro Sacerdotibus fuisse* Philonis *error.* Θυσίαν ἀνάγειν, Lucæ, *&* Philonis *Phrasis. Plebeii quidem* Paschalem *agnum, sed & alias victimas æquè mactabant. Sed soli Sacerdotes sanguinem accipiebant, & aspergebant. In sacrificiis quinque res ad plebem attinent, quinque ad solum Sacerdotem. Populi census quomodo per agnos factus. V. Conviva vel genuini, id est, veri* Judæi; *vel adscititii, id est, qui* Judæi *fiebant, quorum plura genera. Nemo incircumcisus admissus. Baptismus* Judæorum. *Servos emptitios non potuisse invitos circumcidi. De verniis quid statuendum: & de apostatis.* Chaldæum *aliter legisse* Exod. 12, 43. *Fœminas ad tria festa venisse, & sacrificia participâsse: in his* Paschalia *etiam, nec pro incircumcisis habitas. Legalis immunditia excludebat. Immunditiæ quædam solùm in diem, aliæ diuturniores. Quomodo immundi ad* Pascha *admissi,* 2. Par. 30. Sanare, *id est* peccata remittere. *Remotum iter, quod à* Paschatis *communione excusabat, aliter à* Philone, *aliter à recentioribus* Hebræis *definiri. Agni convivæ per domos conveniebant.* Familia *latiùs patet, quam* domus. *Cùm minor erat domus, vicini advocati. Convivæ quot circiter. Quantum unusquisque comederit.* Contubernia *quomodo* Hebraicè *&* Græcè *dicta, & ex qualibus constiterint. VI. In ritibus observanda, 1. victimæ separatio, 2. mactatio, 3. assatio, 4. manducatio. 1. Seponi jubetur* שה seh, *id est,* agnus, *vel* hœdus: *tamen potiùs* agnus; *quod multis probatur.*

Fabu-

Fabulosum Isaaci Pascha in Eliezeris Capitulis. Agnus in Ægypto cur die decimo sepositus. Josephus notatus. Aries & Taurus cur prima Zodiaci signa. Seponi debet agnus integer, masculus, anniculus. Integer, id est, sine labe. Vitia ut eo quinquaginta à Maimonide recensita. In his טרפות teraphoth, id est, à feris discerpta; quorum septuaginta species. Masculus cur præferatur. Augustinus emendatus. שה communis generis Hebræis, & Arabibus. Agnus anniculus, id est, qui annum non superaverit. Nam octavo die jam erat aptus sacrificio. Idem in Plinio. Secundo anno cur vetitus. Judæi hic quam accurati. Agnorum fœtura duplex, quomodo, & quibus nominibus, distinguatur. 2. Mactatio toti populo communis. Infidelium Sacerdos, ara, & mactatio, quomodo Chaldæis dicta. Vasa, quibus sanguis excipitur ספות sippoth. Simpuvium quid. Sipo in Plinio σίφων ad restinguenda incendia. Hyssopi fasciculo agni sanguis aspergebatur. Ejusdem alii usus. Hebræum אזוב ezob, est hyssopus, non muscus, nec adiantum, nec libanotis. De ea voce quid Talmudici, Syrus, Arabs, Josephus. Probatur אזוב esse hyssopum. Josephus emendatus. Cur in Syro, 1. Reg. 4. v. 33. legatur ܠܘܦܐ lupha, id est, ἀείζωον, pro ܙܘܦܐ zupha, id est, hyssopus. De origano, maro, & sampsucho obiter. Fasciculum hyssopi quomodo Hebræi describant. De hyssopo qui nascitur in pariete, 1. Reg. 4. v. 33. Annon potius, qui nascitur in muro, id est, prope mœnia Jerusalem. Isaaci Ben-Omran locus de hyssopo in montibus Hierosolymitanis. IN aliquando idem, quod PROPE. Hyssopi quatuor species apud Hebræos. Conjectura de hyssopo Cochaliensi in Talmude. Elhanan cur legatur Goliathum percussisse 2. Sam. 21. v. 19. Quid sit Joh. 19. v. 29. ὑσσώπῳ περιθέντες. Calamus in aliis Evangelistis, & in Joanne hyssopus non idem sunt. Crucis altitudo, hyssopi humilitas. Hyssopus neque arbor, neque arbustum. Receptam lectionem variè sollicitari. Si pro ὑσσώπῳ scribas ὑσσῷ, omnia posse conciliari. Nova expositio Prophetiæ Davidis Psal. 69. v. 22. Veterum hyssopus ab Isaaco Ben-Omran descripta. Cur limen non fuit sanguine aspersum, sed superliminare, & postes. Quomodo utrumque Græcè, Hebraicè, Talmudicè, &c. obiter de vestibulo. Primogenitorum occisio in Ægypto, quam gravis plaga. Cur sanguis pro signo datus. 3. Assus agnus edi debuit, non crudus, nec elixus. Hebraicè נא na, non significat fractum, ut vult Oleastrius; sed crudum, aut semicoctum potius: quod probatur ex Hebræo, & Arabico. Μόλυνσις, & στάτευσις, quid in Aristotele. Caro sæpe semicocta comeditur, vel per coquorum incuriam, vel per helluonum immoderatam ingluviem, cujus etiam in sacrificiis multa exempla. De agno בשל dictum non est elixare, ut vulgò, sed in genere coquere, aut etiam assare. Par ambiguitas in Arabismo. Græca versio emendatur. Elixare, lix, lixæ, quid propriè. Hebræorum λεπτολογήματα in hujus Legis explicatione. Cur agnus assus potius quam elixus. Assatio antiquissima, simplicissima, saluberrima, expeditissima. Assa caro, id est, sola. 4. Manducare jubentur cincti, cum baculis, & calceati. Priora duo breviter explicata. Ad tertium quæritur, an Hebræi fuerint aliquando discalceati. Græcos quidem, & Romanos discalceatos accubuisse: sed hujus moris nulla vestigia apud Hebræos vetustiores, qui mensæ non accumbebant: sed, ut heroes Homerici, sedebant. Frustra hic viatorum calceos à vulgaribus distingui. Apud veteres quàm vulgaris fuerit ἀνυποδησία. Hujus exempla varia in multis gentibus. Ejusdem in Hebræis vestigia. Attæ quid propriè, & unde dicti. David & Esaias discalceati. Ita etiam qui lugebant mortuos. Berenice, Agrippæ Regis soror, cur coram Floro γυμνόπους. De quo Josephus, & Juvenalis. Stantes edisse Pascha in Ægypto, & cum festinatione, quorsum. Azyma Hebraicè מצות à sinceritate dicta: quo allusum 1. Cor. 5. v. 8. Fermentatio species corruptionis. Ideo ejus usus Flamini Diali interdictus. Error Taciti. Judæos azyma in exitu ex Ægypto per mensem comedisse. Sed exinde solum septem azymorum dies. Cur primus, & ultimus, festi. Cur capitale fuerit fermentum per illud septiduum edisse. Ad hanc legem exceptio duplex. Quid hic Suidas. Quinque segetum species, unde fermentum. Spica vulpis, & siphon quid. In herbis amaris, quæ cum agno comedebantur, quinque nota, & quinque species. 1. Lactuca, quæ Chaldæis, & Arabibus, cur חס chas, dicta: & Pythagoræis εὐνοῦχος, ἄστυτις, & νεκύων βρῶμα. Plinius emendatus. Cur dicatur Adonis in lactuca obiisse. Cur eadem Cypriis βρένθις. Lactuca Romanos ante Augustum abstinuisse, falsum. Plinius id non dicit. Locus, ex quo id elicitur, corruptus, & restitutus. Lactuca quando à fine convivii ad principium traducta. Lactucini unde dicti, & lactucæ Cæcilianæ. Cur lactuca חזרת Hebraicè. 2. עולשין ulsin, intuba. Eadem dici τρώξιμα escaria (unde scaria, & scariola) quæ nomina, ut & עולשין idem significant. Vir magnus obiter notatus. Duæ species ulsin. 3. מרור meror, idem, quod Græcum πικρίς, lactucæ, vel intubi amari species, aliàs cichorium. Lactuca Græcis recentioribus à Majo dicta μαϊούλιον, deinde etiam Μαρούλιον. Arabibus meruria idem, quod meror Hebræis. Lactuca meconis, quid. Lactuca unde dicta. 4. תמכא thamca, quam variè reddatur. Videtur esse parthenium, herba amara, & edulis, quæ Pœnis thamacath, Plinio aliter tamnacum, officinis tanacetum. 5. חרחבין charchabin, vel חרחלין charchalin, non esse eryngium, ut volunt, sed urticam potius, cujus Latinum, Græcum, Arabica nomina explicantur. Urtica edulis, & amara. Hebræorum הרדופני hardophnin, esse rhododaphnen ex descriptione probatur. Rhododaphne herba asinaria cur dicta. Glossæ emendata. Jumentis, & pecori herba mortifera; sed homini salutifera. Aquas Mara per eam edulcuisse. An etiam minuta agni ossa frangere vetitum. Quò pertinuerit hæc Lex. Agni ne in posterum diem quid relinquatur. Idem de Manna, & plerisque sacrificiis. Reliquiæ comburendæ, ut Romæ in sacro Protervia dicto; de quo Catonis jocus. Pridiana dapes quam contempta. Quorsum data hæc Lex. Cur totâ nocte exire vetitum. Cur è domo de carne agni nihil fuerit efferendum. Paschæ ritus quidam perpetui, quidam in sola Ægypto observati. In Judæa die decima, non seponebatur agnus, nec postes sanguine aspergebantur, nec accincti cum baculis, & raptim comedebant, nec è domo tota nocte exire vetitum. VII. Duo beneficia per hos ritus significata. 1. Liberatio ex Ægypti servitute, & plagis in Ægyptios inflictis, inprimis ab ultima. 2. Liberatio à peccato, & morte æterna per Christum. Amaræ herbæ, & azyma miseram Israelitarum in Ægypto vitam adumbrabant. Alii ritus significabant inde propere esse excedendum. Et ipsum Paschatis nomen monebat Angelum Judæis pepercisse. Iisdem ritibus significatur

Christi

Christi 1. *persona*, 2. *mors*, 3. *mortis fructus*, 4. *quomodo illorum simus participes.* Christus *cum agno collatus propter mansuetudinem, humilitatem, simplicitatem, patientiam. Leonis in agnum metamorphosis. Agnus ille nos alit, lavat, induit. Aries pro* Isaaco *immolatus. Agnorum juge-sacrificium.* Christus *quomodo agnus è grege sumptus, perfectus, masculus, anniculus, die decimo sepositus. Mactatus* Paschatis *festo, inter duas vesperas, idq;* Hierosolymis, *& ab universo* Israele. *Sanguis ejus pro Dei populo effusus, pretiosus, & Ecclesiæ thesaurus. Quotone fuerit assatus. Agno veru crucem imitatur. Ejus nullum os fractum. Mysterium in eo, quod è cruce sub vesperam est depositus. Deus iis solis parcit, qui hujus sanguine aspersi sunt. Nec illis quidquam timendum ab Angelis percussoribus. Cum agnus in* Ægypto *cæsus est,* Israelitæ *ex servitute liberati; & in Deos* Ægyptiorum *judicia Deus exercuit; & mensis* Abib *factus est primus mensium: quæ omnia in* Christum *quadrant. Ut horum simus participes, 1. ejus sanguine aspergendi postes, id est, corda nostra, quæ Deo tam patent, quam nobis postes adium. Quomodo fiat illa aspersio. Cavendum, ne hic sanguis è postibus, & superliminari in limen abjiciatur. Ejusdem agni caro verè edenda, quia verè cibus est, sed animæ. Ideo non editur ore, sed fide. Eadem caro quomodo cocta, & tota edatur, tamen absq; ossibus. Herbæ amaræ, & azyma quid hic sint. Polluti, peregrini, incircumcisi, cur excludantur. Quinam stantes, & accincti dicantur, & calceati, & baculis innixi. Viatorum hunc esse habitum, quales omnes fideles. Quam hic necessaria festinatio. Agnus cur in una domo edendus, nec inde excedendum.* Christus, Pascha *nostrum.*

MIraculis quatuor, quæ per oves, aut in ovibus Deum edidisse docuimus, hoc capite quintum addemus, de quo seorsim agere visum est, quia majoris est momenti. *Israelitarum* primogenitos intelligo, per agni sanguinem ædium postibus, & superliminari affusum, ab *Ægyptiorum* clade exemptos. Quod miraculum ad singulos, ut priora, non pertinuit, sed ad universam gentem: neque unicum fuit, sed multiplex. Tot enim miracula fuisse nemo negaverit, quot agnorum millia cæsa. Taceo in tota Lege nullum haberi *Christi* mortis typum ita expressum, quam in agno *Paschali*. Proinde dicit *Paulus* 1. Cor. 5. v. 7. *Pascha nostrum, Christum* scilicet, *pro nobis esse immolatum.* Et *Joannes*, capite decimo nono, *Christi* crura observat in cruce non fuisse fracta, quomodo crura latronum: ut in illo impleretur quod de agno Lex edixerat, *Non confringetur ullum os ipsius.* Itaque idem, in *Apocalypsi*, *agni* nomine *Christum* designat duodetriginta locis. Et *Joannes* alter, digito in illum intento, *Hic*, inquit, *est agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Johan. 1. v. 29. Ne igitur tantæ rei memoria periret, *Israelitas* jussit Deus eam renovare quotannis *Pascha* celebratione. De quo solenni plenè hoc loco tractare cum non sit opus, solum septem hæc levi calamo perstringemus, *Paschæ* nomen, tempus, locum, ministros, convivas, ritus, & mysterium.

I. NOMEN.

Paschæ nomen est *Chaldaicum*, ut rectè notat *Philo* libro tertio *De vita Mosis*. Sed *Hebræis* idem est פסח *Pesach* (veteribus *Phase*, & *Phasee*.) Radix פסח *pasach*, est διαβαίνειν *transgredi*, vel ὑπερβαίνειν *prætergredi*. *Josephus* ὑπερβασία reddit, & *Philo* διαβατήρια. Ita etiam *Origenes* libro octavo *Contra Celsum*. Proinde *Gregorius Nazianzenus* hoc idem festum διάβασιν vocat Oratione quadragesima tertia; & ἑορτὴν διαβατήριον Epistola quinquagesima quarta ad *Helladium*, voce *Græcis* non ignota. *Lacedæmone* enim τὰ διαβατή-ρια dicebantur *sacrificia pro transitu*, id est, pro felici expeditionis progressu; quibus si non esset litatum, expeditio in aliud tempus rejiciebatur. Hoc verbo utuntur non semel *Xenophon* & *Thucydides*. Et apud *Plutarchum Lucullus*, *Euphratem* trajecturus, θύσας τῷ Εὐφράτῃ τὰ ὑπὲρ διαβατήρια. Ita *Augustinus*, in *Joannem* Tractatu quinquagesimo quinto, putat *Pascha transitum* dici; *quia tunc primum* Pascha *celebravit populus Dei, quando, ex Ægypto fugientes, Rubrum mare transierunt. Gregorius* itidem Πάσχα, seu διάβασιν, vult appellari, διὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου πρὸς τὴν Χαναναίων φυγὴν, καὶ μετανάστασιν, *propter* (Israelitarum) *ex Ægypto fugam, & migrationem.* Sed conjecturis nihil est opus, cùm ex ipso *Mose* pateat *Pascha Hebræis* dici פסח *Pesach*: ut *Chaldæis* פסחא *Pischa*, vel *Pascha*, quia פסח, id est, *transivit*, vel *transilivit* Deus super *Israelitarum* ostia, postes eorum videns agni sanguine tinctos, prout habetur *Exod.* 12. v. 23. Nempe ita promiserat versu decimo tertio, *Videbo sanguinem*, ופסחתי עליכם. *& transibo super vos* vel *præter vos*, si mavis; quasi dicat, se illos transmissurum, & intactos præteriturum, cùm in *Ægyptios* animadvertet. Sic *Esa.* 31. v. 5. Deus *Jerusalem* liberat פסוח *transiliendo*; vel, ut *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotion* reddunt, ὑπερβαίνων *prætergrediens*, cum de reliquis populis commeritas pœnas reposcit. Et 1. *Reg.* 18. v. 28. de *Baalitis* dicitur, ויפסחו *Et transiliebant altare, quod fecerat* (faciens) id est, *quod factum fuerat.* Nempe, quasi furore Prophetico extra se rapti, incompositis motibus huc illuc ferebantur. *Prophetas* enim egisse patet ex versu vigesimo nono, *Et prophetaverunt usq; dum offerretur oblatio.* Proinde *Chaldæus* utrobique habet, ואשתטו *Et pro insanis se gerebant.* Pro eodem ויפסחו in *Græca* versione legas, καὶ διέτρεχον, *Et transcurrebant super altare*, &c. divisis hinc inde turmis mutui incursus imagine (qui propriè διαδρομὴ in *Suida*, & aliis.) In *Syra* ܘܡܬܛܠܩܝܢ *Et colluctabantur.* In *Arabica* واضطربوا *Et conturbabantur. Selomo* reddit ויפסעו, *Et incedebant*, quasi *Cheth* & *Ajin* permutatis. *Kimchius*, עשו עצמם כפסחים וכואבים הולכים ושבים על המזבח *Tanquam claudos, & dolentes se gerebant, euntes, & redeuntes super altare*; quia פסח alibi *claudicare* est. Sed *Hieronymus* optimè, *Transiliebantq; altare*; quod in monte *Carmelo* tumultuario opere factum non multum supra terram eminebat. Non nemo, *Et transiliebant altare, quod fecerat* (*Elias*) tanquam per ludibrium. Ut novos *Romæ* muros fratris ludibrio *Remus* (a) transiliisse fertur, ubi *Dionysius Halicarnassæus* voces ὑπερβαίνειν, & ὑπεράλλεσθαι adhibet. Sed *Elias* tum temporis altare suum nondum erexerat. Neque illi ludebant, sed precibus maximè seriis Dei sui opem implorabant. Itaque à Verbo פסח, *Pascha* deductum primò Angeli transitum significat; qui, *Ægyptios* percutiens, *Israelitarum* domos transiliit. Secundò, agnum, qui in hujus liberationis memoriam immolabatur; ut *Exod.* 12. v. 21. *Jugulate Pascha.* 2. Par. 35. v. 11. 13. *Et immolaverunt* Pascha, &c. *& assaverunt* Pascha *ad ignem juxta præceptum.* Luc. 22. v. 7. *Venit dies azymorum, quo oportebat mactari Pascha.* Tertiò, sacrificia tum temporis offerri Deo solita; ut *Deuter.* 16. v. 2. *Offeres* Pascha *Domino Deo tuo, oves, & boves.* Quartò, festos dies, quibus hæc celebrantur; ut *Luc.* 22. v. 1. *Prope erat festum azymorum, quod dicitur Pascha.* Hinc πασχαλικὸς nonnullis, qui *festorum observationi maximè est addictus. Marcus Hieromonachus*, Εἰ δέ τις ἴσως λίαν ἐστὶ πασχαλικὸς, καὶ φιλέορτος· *Si quis autem pariter festorum observationi valde est addictus, & illorum amans. Syri*, pro פסחא *Pascha*, scribunt ܦܨܚܐ *Petscha*, *Tsade* pro *Samech*, quasi *à lætitia* dicatur. ܦܨܚ est *exultare*,

(a) Liv. lib. 1.

Psal.

Psalm. 93. v. 4. & passim in *Esaia*. Unde in *Syro* Interprete ܠܟܘܢܝ *exulta*, Galat. 4. v. 27. & ܦܨܝܚܘܬܐ *hilaritas*, Rom. 12. v. 8. Quæ *Chaldæis* per Metathesin est חצפ *Ezech.* 25. v. 6. Sed *Æthiopibus* ፋሲካ: Ita ut *Hebræum Pascha* nomen *Æthiopicè* nihil quidquam, quàm *gaudium*, & *lætitiam* sonet. In qua vocum allusione ideò *Syri* sibi placent; quia hoc festo nihil lætius. Contrà, è *Græcis* non defuerunt, qui *Pascha* dici putaverunt ἀπὸ τῦ πάσχειν, quia *Paschæ* tempore *Christus passus* est. Hinc *Irenæus* libri quarti capite vigesimo tertio, *Diem passionis non ignoravit* (Moyses) *sed figuratim pronuntiavit, eum* Pascha *nominans*. Et paulo post, *Passus est Dominus adimplens Pascha*. Quod sequutus *Tertullianus*, adversus *Judæos* cap. 10. *Adjecit*, inquit, *Pascha esse Domini, id est, passionem* Christi. Et *Gregorius Nazianzenus*, *Oratione* quadragesima secunda, postquam ex *Hebraismo* vocem explicavit, quosdam addit credidisse τῦ σωτηρίυ πάθυς ὄνομα τὸ ἑῶ, *hoc salutiferæ passionis nomen esse*.

II. Tempus.

Paschæ tempus cum alibi notatur, tum maximè *Levit.* 23. *v.* 5. *Primo mense, die mensis decima quarta, inter duas vesperas erit* Pascha *Domino*. Ibi nempe tria notantur, mensis, dies, & pars diei, qua *Pascha* celebratur. *Mensis primus* hic appellatur, qui alibi mensis אביב *Abib*, seu ניסן *Nisan*, à quo veris initium. Is enim partim *Martio*, partim *Aprili* nostro respondet. Mensis *Abib* dicitur *Exod.* 13. *v.* 4. & 23. *vers.* 15. & 34. *vers.* 18. & *Deut.* 16. *v.* 1. Quod *Arabes* editi reddunt شهر الفريك *mensem granescentis segetis*. Et *Græci* τ̃ μῆνα τῶ νέων, supple καρπῶν, aut χίδρων, aut σπερμάτων, *mensem novarum frugum*; quia *Hebræis* אביב *abib*, *spicam adhuc recentem* sonat. Tum scilicet in *Judæa*, ut ait *Philo* ubi supra, τὰ μὲν σπαρτὰ ἡ ἀναγκαία τροφὴ τελεσφορεῖται, *maturescunt segetes ad vitam necessaria*. Ad *Hebræum* אביב, sono alludit *Syrum* ܒܒܒܐ *bababa*, quod *flores* sonat. Proinde *Syrus* hic habet ܝܪܚܐ ܕܗܒܒܐ *mensem florum*: & *Arabes* duo, quos in *Suecia* vidi manu-scriptos, *mensem* الزهر vel التفاح *florum*. Sed & *Macarius Ægyptius*, *Homilia* quadragesima septima, Deum scribit *Israelitas* ex *Ægypto* eduxisse ἐν τῷ μηνὶ τῶ ἀνθῶν, ὅτι πρῶτον ἐπιφαίνεται τὸ ἥδιστον ἔαρ, *mense florum, quo ver gratissimum primum apparet*. Sic *Delphis* unus mensium Βύσι☉ dici creditus est quasi Φύσι☉· quia, cùm incipiat ver, τὰ πολλὰ φύεται τηνικαῦτα, καὶ διαβλαςάνει, *multa eo mense nascuntur, & progerminant*. Ita *Plutarchus* in *Hellenicis*. Cur idem mensis à *Chaldæis* vocetur ניסן *Nisan*, *Nehem.* 2. *v.* 1. *Esther.* 3. *v.* 7. & passim in *Paraphrastis*, nondum à quoquam est observatum. Errant enim toto cœlo, qui deducunt à Verbo נוס *nus*, quod *fugere* est; quia illo mense *Judæi* ex *Ægypto* fugerunt. Ad *Chaldæos* enim, à quibus impositum est hoc nomen, nihil attinebat observare quando ex *Ægypto* excessissent *Israelitæ*. Sed fallor, aut scribendum נִסָּן *Nissan*, per duplex *S*, ut in *Josepho*, *Antiquitatum* libri tertii capite decimo, Τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, *Mense* Xanthico, *qui* Nissan *apud nos vocatur*. Vel in ניסן *Nisan*, Vocalis longa supplet defectum τῦ *Daghes*, ut sæpe in ניסין *nisin*, pro נסין *nissin*, id est, *vexilla*. Ita mensi *Nisan* nomen erit percommodum *à bellicis signis*, seu *vexillis*, quæ illo mense primùm educuntur. Quippe hoc ipsum tempus *Hebræi* intelligunt in his 2. *Sam.* 11. *v.* 1. *Et factum est, vertente anno, quo tempore Reges solent ad bella procedere*. Mense *Adar* scilicet, anno revoluto, & absoluto, alius annus primo vere succedebat mense *Nisan*, quod belli gerendi tempus est commodissimum, & usu maximè receptum. Unde est, quod *Julianus* Imperator, ut *Persas* imparatos aggrederetur, hoc antecessit tempus. *Socrates*, *Hist.* lib 3. cap. 21. Ὁ δὲ βασιλεὺς εἰς τὴν Περσῶν ἐνέβαλε μικρὸν πρὸ τῦ ἔαρ☉, πυθόμεν☉ ἀσθενέςατα, καὶ ἀνανδρότατα εἶναι χειμῶν☉ τὰ ἔθνη Περσῶν· κρυμὸν γὰρ μὴ φέροντες, ἀπόμαχοι μένυσι κατὰ τὸν χρόνον· *Imperator autem paulò ante ver in* Persarum *regionem irrupit, eam gentem audiens hyeme invalidissimam esse, & ignavissimam, illamq; adeò, cum non ferat frigus, eo tempore prorsus à pugna abstinere*. Illis igitur *Nisan* meritò dictus est ille mensis, quo ניסין *nisin*, id est, *militaria signa*, solebant primum emittere, postquam otiosa in armamentariis tota hyeme servata fuerant. Pari de causa verni menses priores duo *Bithynis* dicti sunt Στρατεῖ☉, & Ἄρει☉· ut *Romanis* MARTIUS à *Marte*. Proinde apud veterem *Poetam* sic loquitur *Martius* mensis,

Ἄρχει τ' Ἄρης ἀπ' ἐμοῖο, καὶ ἄνθεα, καὶ γλάγ☉ ἤδη,
Marti *principium, lactiq; & floribus à me est*.

Et alius ita habet de *Ægyptio* mense *Phamenoth*, qui *Martio* ferè respondet;

Ἄρει☉ ὅπλα φέρειν Φαμενὼθ δείκνυσι μαχηταῖς,
Militibus Phamenoth Mavortia *tela ministrat*.

Porro mensis *Abib*, seu *Nisan*, cum antea septimus fuerit, post exitum ex *Ægypto*, cœpit pro primo haberi, Deo sic sanciente *Exod.* 12. *v.* 2. *Hic mensis vobis erit principium mensium. Primus ille sit vobis inter menses anni*. Quod tamen non obtinuit, nisi in rebus sacris. *Judæos* enim omnes sciunt annum habuisse duplicem, civilem unum, alterum sacrum. Illius initium fuit mense *Tisri* circa Autumnum, hujus mense *Nisan* circa ver. Itaque תשרי *Tisri*, Chaldæis *initium* sonat. Servilis enim est litera ת, & Radix שרה est *incipere*. Neque solum anni, sed & mundi mense *Tisri* fuisse initium *Josephus Scaliger*, *Sethus Calvisius*, *Christianus Sebotanus*, atque alii magno numero asserunt, iis rationibus, quas non refellunt, qui in diversa sunt sententia. De civilis hujus anni usu apud *Judæos* consulendus est ipse *Moses Exod.* 23. *v.* 16. & 34. *v.* 22. & *Levit.* 25. *v.* 8. 9. 10.

Hæc de mense *Abib*, seu *Nisan*, quem legis-lator *Israelitis* significâsse non contentus, etiam diem, & pene horam indixit, qua *Pascha* voluit quotannis ab illis celebrari, diem nempe mensis decimam quartam בין הערבים, *inter duas vesperas*, quia eo ipso puncto temporis primum *Pascha* in *Ægypto* fuerat celebratum, *Exod.* 12. *v* 6. *Levit.* 23. *v.* 5. *Num.* 9. *v.* 3. 5. 11. *&c.* Diem naturalem apud *Judæos* à vespera incepisse, & in sequentem vesperam duravisse, apertè constat ex historia creationis. Proinde jubentur servare Sabbatum מערב עד ערב *à vespera ad vesperam*, Levit. 23. v. 32. Sunt, qui utramque hanc vesperam significari volunt, cum *Pascha celebrare* jubentur *inter duas vesperas*. Quod est absurdissimum: cum enim in illo spatio horæ viginti quatuor includantur, quavis hora *Paschalem* agnum mactare, & edere licuisset, contra Legis diserta verba, *Deut.* 16. *v.* 6. *Pascha immolabis* בערב כבוא השמש *vespere circa occasum Solis*. *R. Selomo*, *Kimchius*, & *Pomarius* hic per *duas vesperas* totum pomeridianum tempus cum prima parte noctis intelligunt, quasi Sol occasu suo duas vesperas dividat. Sed ex *Aben Ezra* sententiâ duæ vesperæ incipiunt ab occasu Solis, & in crepusculo desinunt, aut prima face, quod temporis intervallum horâ cum triente constare scribit. Pro *duabus vesperis Chaldæi* habent בין שמשיא, *inter duos Soles*: quod mendosum esse videri possit, &, una litera mutata, legendum esse בין רמשיא, *inter duas vesperas*: prout hic *Syrus* habet ܒܝܢܝ ܪ̈ܡܫܐ, & *Samaritanus*, [Samaritan]. Tamen nihil mutandum. Hæc est enim *Chaldæa* Phrasis, *Talmudicis* non ignota. Sic in *Talmude* Hie-

Hierosolymitano, Tractatus *Berachoth* capite primo: כל זמן שפני מזרח מאדימין זהו יום הכסיפו זהו בין השמשות השחירו נעשה העליון דומה לתחתון זהו לילה *Omne illud tempus, quo facies Orientis rubet, vocatur Dies; quando incipit pallescere, vocatur Inter-Soles; quando nigrescit, & superius fit simile inferiori, tum est Nox.* His simillima reperias in *Talmude Babylonico*, Tractatus *De Sabbatho* capite 2. fol. 34. b. sed ex parte corrupta, atque hinc restituenda. Duo Soles sunt duo tempora, quibus Sol à meridie lucet, quorum unum meridiei, alterum occasui propius. Id ipsum sunt duæ vesperæ. Et *Græci* quoque sic definiunt. *Hesychio* enim δείλη πρωΐα, ἡ μετ' ἄριστον ὥρα, *vespera matura tempus est à prandio* (proximum:) & δείλη ὀψία ἡ περὶ δύσιν ἡλίου, *vespera sera, quæ circa Solis occasum.* Hinc *Eustathius* in librum 17. *Odyss.* Αὐτὸ κατὰ τοὺς παλαιοὺς ἡ δείλη, ἡ μὲν γὰρ ὀψία δείλη, τὸ τελευταῖόν φασι τῆς δείλης μέρος, τὸ περὶ ἡλίου δυσμάς. ἑτέρα δὲ δείλη πρωΐα, τὸ πρῶτόν φασι τῆς δείλης, τὸ εὐθὺς ἐκ μεσημβρίας. *Juxta veteres duplex est vespera: sera enim vespera est, ut ajunt, vesperæ pars extrema; altera verò matura vespera, cujus initium statim à meridie.* Suidas addit *Atticum* esse hoc loquendi genus. Ejusque proferuntur exempla ex *Philemone*. Eodem pertinet illud *Varronis* in *Satyra Menippea*, *Nescis quid vesper serus vehat. Vesper serus*, id est, δείλη ὀψία, cui πρωΐα opponitur. Ita igitur *Hebræis* duplex fuit vespera, utraque ante Solis occasum; una meridiei, altera occasui propior. Et inter, vel potius intra illas vesperas, id est, intra illud spatium, quod ambæ complectuntur, præter *Paschalem* agnum etiam mactabatur juge sacrificium, accendebantur lampades, & fiebat suffimentum, *Exod.* 29. v. 39. & 30. v. 8. Quæ singula quo ordine facta sint ita docet *Maimonis* filius in Tractatu *De Paschate* cap. 1. sect. 4. שחיטת הפסח אחר חצות ואם שחטו קודם חצות פסול ואין שוחטין אותו אלא אחר תמיד של בין הערבים אחר שמקטירין קטרת של בין הערבין ואחר שמטיבין את הנרות מתחילין לשחוט את הפסחים עד סוף היום Paschæ *mactatio fit à meridie: nam antemeridiana mactatio profana est. Neque mactatur nisi post sacrificium juge, quod inter duas vesperas offerri debet post suffimenti oblationem. Deinde aptantur lampades. Et tum demum incipiunt jugulare* Paschata *usq; ad finem diei. Misna* in *Pesachim* statim initio capitis quinti horas ita definit. תמיד נשחט בשמונה ומחצה וקרב בתשע ומחצה בערבי פסחים נשחט בשבע ומחצה וקרב בשמונה ומחצה בין בחול בין בשבת חל ערב פסח להיות בערב שבת נשחט בשש ומחצה וקרב בשבע ומחצה והפסח אחריו *Cum juge sacrificium* (vespertinum) *mactari soleat horâ octavâ & semi, & horâ nonâ & semi offerri, vesperâ* Paschæ *horâ septimâ & semi immolatur, & octavâ & semi offertur, sive dies sit profanus, aut Sabbatum. At si vespera* Paschæ *in Sabbati Parasceven incidat, horâ sextâ & semi mactatur juge sacrificium, offerturq; septimâ & semi. Deinde* Pascha *sequitur. Hora septima & semi*, id est, inter primam & secundam à meridie. Hæc in *Misna*: & *Gemaristæ* tempus vespertinum dividi dicunt inter duas vesperas, ita ut sint שתי שעות ומחצה לכאן שתי שעות ומחצה לכאן ושעה אחת לעשיתו *inde duæ horæ cum dimidia, & illinc totidem aliæ, & in medio hora una ad parandum agnum.* Ibidem harum initium est tempus, משינטו צללי ערב, *à quo declinant umbræ vespertinæ*, vel מעידנא דמתחיל שמשא למערב, *tempus, à quo Sol incipit in occasum vergere.* Et vespera futuri Sabbati, cùm mactandus est *Paschalis* agnus post juge sacrificium, tempus jugis sacrificii ideò anticipat, ne agni assatio attingat Sabbatum. Et in *Glossa* Solis umbra legitur in neutram partem inclinare primâ semihorâ post meridiem, sed post semihoram illam palam ad occasum vergere. Ex quo colligitur vesperam inde habere initium. Itaque quidquid temporis superfuit usque ad occasum Solis, potuit tam ad jugis sacrificii oblationem, quàm ad *Paschatis* mactationem & assationem insumi. In *Josepho* (b) *Paschales* agni mactantur ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρις ἑνδεκάτης, id est, *ab hora tertia usque ad quintam vespertinam.* Et tertia illa hora videtur, ex *Josephi* sententia, priorem vesperam à posteriori distinxisse. His duabus vesperis sunt qui tertiam addunt ex 1. *Sam.* 20. v. 5. ubi *David* in agro se abscondit עד הערב השלשית *usque ad tertiam vesperam.* Verum inepte hæc proferuntur, cùm ibi tres vesperæ non sint unius diei, sed trium, ut docet contextus series. Neque verò post duas vesperas tertiæ fuit locus, cùm duas illas vesperas, intra quas mactari jubetur agnus, pateat ex *Deuter.* 16. v. 6. usque ad Solis occasum durâsse: post quem tertia non fuit ejusdem diei vespera, sed sequentis initium. Ita ut potuerit cœna *Paschalis* ad utrumque referri, cum in utriusque diei confinio comederetur agnus; & pars una cœnæ præcedebat, altera sequebatur Solis occasum, & in noctem usque producebatur. Quod *Christo*, Domino nostro, in ultima illa cœna accidisse colligas non solùm ex *Apostolo*, qui eum refert qua nocte traditus est sacram cœnam instituisse; sed & ex *Johan.* 13. v. 30. ubi *Judas*, accepta offula, statim exivit, cum jam nox esset. Et ex *Matthæo*, *Marco*, & *Luca*, apud quos hæc eadem cœna refertur ad primum diem *azymorum*, id est, mensis diem decimam quintam, cum, ex instituto Legis, *Pascha* celebrari debuerit die mensis decima quarta. Sed, ut rectè *Gellius* in argumento planè diverso, *tempora duo, cum inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert, utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis, locus ipse confinis demonstretur.*

(b) De bell. Jud. lib. 7. c. 17.

Hinc solvitur *duplex quæstio*, quam de præciso *Paschæ* tempore multi movent. *Prior*, cùm dies apud *Judæos* à vespera inceperit, & in vesperam desierit, an vespertinum illud tempus *Paschæ* celebrationi ex Lege destinatum fuerit in principio, aut in fine diei decimi quarti mensis *Abib*? Apparet enim in fine fuisse, quandoquidem *Paschæ* celebrationi statim successit dies decimus quintus, qui primus fuit *azymorum*, aut etiam *Paschalis* cœna celebrata sit illo die decimo quinto jam ineunte. Itaque in historia primi *Paschatis* in *Ægypto* celebrati, manè sequens, quo *Israelitæ* sine ulla mora discedere coacti sunt, non fuit decimi quarti pars, sed decimus quintus dies. Ita habetur *Num.* 33. v. 3. *Decimo quinto die mensis primi, postridie* Paschatis *egressi sunt Israelitæ.* Præterea à vespera diei decimi quinti, quâ comedebatur *Paschalis* agnus, usque ad finem diei vigesimi primi, numerabantur septem *azymorum* dies. Ita habetur *Exod.* 12. v. 18. *Pascha* igitur comedi oportuit non initio, sed in fine diei decimi quarti. Nam si ab initio inceperis, non jam septem *azymorum* dies, sed octo erunt numerandi. Denique ערבים id est, duas illas vesperas, intra quas mactari, & assari debuit agnus, præcessisse docuimus occasum Solis. Hujusmodi autem vesperas dies *Judaica* non habuerunt nisi in fine, cùm ab occasu Solis inceperint.

Altera quæstio, an *Christus* eodem, quo *Judæi* die, aut pridiè, ut *Græci* volunt, ultimum *Pascha* celebraverit, indidem quoque videtur solvi. *Judæi* enim *Pascha* celebrabant in fine diei decimi quarti, aut jam ineunte decimo quinto, qui primus erat *azymorum*. *Christus* autem eo ipso die cum *Apostolis* ultimum *Pascha* celebravit. Itaque *Matth.* 26. *vers.* 17. *Marc.* 14. v. 12. & *Luc.* 22. v. 7. *Pascha* illud parari, & celebrari legitur primâ die *azymorum*. Et fuisse id

id *Paschatis* apud *Judæos* celebrandi solenne tempus docent ista *Marci*, Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ Πάσχα ἔθυον, *Primâ azymorum die, quâ* Pascha *immolabant*, nempe *Judæi*. Quin *Lucas* itâ oportuisse fieri disertè asserit. Ἦλθε δὲ, inquit, ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ Πάσχα· *Venit* (prima) *dies azymorum, quâ* Pascha *mactari oportuit*. Frustrà, si *Christus* solitum tempus anticipavit, neque enim ita fieri necesse fuit. Eodem pertinet, quod Discipulis dixit *Matth.* 26, 2. *Scitis, quod post biduum* Pascha *fiet*; nempe à *Judæis*. Quâ ipsâ mente dicitur *Marc.* 14, 1. Pascha *autem, & azyma erant post duos dies.* Itaque, cum post duos illos dies *Pascha* celebravit *Christus*, celebravit quo tempore *Pascha* fiebat, & *azyma* erant apud *Judæos*. Et dies sequens, quo *Christus* traditus, & crucifixus est, festus fuit. Proinde *Bar-abbas* liberatus est, quia festo illo solebat reus aliquis liber dimitti. Itâ habetur *Matth.* 27, 15. *Marc.* 15, 6. *Luc* 23, 17. *Joh.* 18, 39. Unde novum emergit argumentum. Nam festum illud celebrationem *Paschatis* proximè sequens non potuit aliud esse, quàm festum *azymorum*, de quo *Moses* Levit. 23, 5. 6. *Primi mensis die decimâ quarta inter duas vesperas erit* Pascha *Domino. Et ejusdem mensis die decimâ quintâ inter duas vesperas festum* azymorum *erit Domino.* Hinc *Joh.* 13, 1. 2. solennis illa *Christi* cœna celebratur πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, *ante festum Pascha*, id est, *pridie festi Paschatis*, de quo in Lege. Et *Joh.* 13, 27. verba *Christi* ad *Judam*, cùm jam nox esset, exeuntem: *Quod facis fac citius*, *Apostoli* sic acceperunt quasi his verbis *Christus* emi jussisset quæ necessaria erant ad festum. Festum igitur fuit proximum. Nam, si totus dies intercessisset, non venisset *Apostolis* in mentem nocte intempestâ *Judam* ad ea comparanda fuisse missum. Quid enim opus fuisset tanta festinatione? Præterea non potuit *Paschalis* agnus alibi mactari, quam in *Hierosolymitano* Templo, post sanguinem ad altare fusum, & adipem ibidem igne absumptum, ut infrà probabimus. In Templo autem mactari non potuit citra generalem populi consensum. Proinde dies mactationis à privato homine non potuit anticipari. Aut, si anticipavit *Christus*, comedit agnum *Paschalem* in Templo non mactatum, atque eo facto, quod absit, Legem violavit. Sed & hoc ipsum, quod diem anticipavit, si *Græcorum* sententiæ statur, & celebravit die decima tertia, cum Lex præscribat decimam quartam, fuerit aperta violatio Legis. Maximè, si pro *azymo*, usus est ἐν ζύμῳ pane, quomodo iidem statuunt. Nec potest dari idonea ratio, cur *Christus*, *Judaicum* Sacramentum celebrans, non observaverit ritus, qui sunt in Lege præscripti; quos negligere, aut alterare non potuisset sine gravi scandalo, *Christique* hostes, à *Juda* moniti, id illi objecissent ut grande crimen: neque opus habuissent alios testes conquirere, ut eum violatæ Legis reum peragerent.

Sunt tamen etiam è nostris viri longè doctissimi, qui, *Græcis* ex parte accedentes, *Christum* diem à *Judæis* receptum anticipâsse volunt. Sed id accipiunt multò aliter. Cùm enim *Græci* censeant *Christum* die mensis decimo tertio, *Judæos* autem decimo quarto die celebrâsse: ex horum sententia *Christus* die decimo quarto celebravit, *Judæi* autem die decimo quinto, nè festum *azymorum*, in *Veneris* diem incidens, cum *Sabbato* continuum esset. Quia *Judæi* festis diebus ab omni opere tam scrupulosè abstinebant, ut continua duo festa ab illis observari non potuerint absque gravi incommodo. Et verò hodiè festum *azymorum* immediatè ante *Sabbatum*, vel continuò post nunquam servant. Non est tamen, quòd quis putet illos apertè Legi refragari. Nam *Paschale* convivium mensis *Nisan* decimâ quartâ, & festum *azymorum* decima quinta semper celebrant. Sed in *Calendariis* suis Neomenias ita disponût, ut festi dies cum *Sabbato* nunquam continui sint. Atque, ut vitent hoc incommodum, Canones quosdam habent de suis festis, quos accuratè observant, quale illud de *Paschate* לעולם לא בד״ו פסח *Nunquam Badu Pascha*: id est, *Pascha* nunquam incidat in secundam, quartam, aut sextam feriam voce בד״ו significatas. Sed hi Canones *Christi* tempore nondum erant in usu. Quin *Talmudici* libri, qui quinto demùm post *Christum* sæculo absoluti sunt, passim meminêre festorum, quæ *Sabbato* continua sunt. Ut in *Succa*, capite quinto, יום טוב סמוך לשבת בין לפניה בין לאחריה *Festum* Sabbato *conjunctum, sive præcedat, aut subsequatur.* Et in *Betsa*, capite primo, יום טוב שחל להיות אחר שבת *Festum quod post* Sabbatum *incidit.* Et in *Chagiga*, capite secundo, עצרת שחל להיות בערב שבת *Festum, quod in* Sabbati *Parasceven incidit* Verè igitur *Aben Ezra* in *Levit.* 23, 4. במשנה גם בתלמוד ראיית שהיה פסח בבד״ו *Tam ex* Misna, *quàm ex* Talmude *probatur* Pascha *in secundam, quartam, & sextam feriam quandoque incidisse.* Concinit *Epiphanius*, in *Ebionæis* sect. 32. ubi de *Judæorum* Neomeniis, festis Tabernaculorum, *Paschalibusque*, & jejuniis agens, Ὅτι ἐμπίπτουσιν, inquit, αὗται αἱ ἡμέραι ἤτοι ἐν δευτέρᾳ σαββάτων, ἢ ἐν τρίτῃ, ἢ ἐν τετράδι· *Cum hæ dies incidunt in hebdomadis secundam, tertiam, aut quartam.* Et in *Alogis* sect. 31. de *Paschali* festo, Ἡ τοιαύτη ἁγία ἡμέρα, εἰς Σάββατον ἁγιασθεῖσα, κἄν τε Κυριακὴ εἴη, κἄν δευτέρα, κἄν ἐν τρίτῃ καταντήσῃ· *Sancta illa dies in* Sabbatum *consecrata, sive in* Dominicam *aut secundam, aut tertiam feriam incidat* Itaque apud *Tessarescædecatitas*, qui *Pascha* celebrabant iisdem diebus, quibus *Judæi*, *Pascha* in quamlibet hebdomadis diem incidebat, nullâ exceptâ. Itâ habet *Eusebius*, *Hist.* lib. 5. cap. 23. Ὁποίᾳ ἂν ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος περιτυγχάνοι, *In quamcunque hebdomadis diem incideret.* Et *Epiphanius*, Hæresi 50. Ὁποίᾳ δ᾽ ἂν ἐμπίπτῃ ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτη τῆς σελήνης. *In quâcunq; diem incidat decima quarta Luna.* Et *Augustinus*, *De Hæresibus* cap. 29. *Quilibet septem dierum occurrat dies.* Et expressius *Philastrius* in *Heresi* de festo *Paschatis*, *Diem non* Dominicam *semper custodiunt* Paschæ, *sed secundâ, aut tertiâ, aut quartâ, aut quintâ, aut sextâ die celebrant.* Et *Theodoretus*, *Hæretic. Fab.* lib. 3. Ποτὲ μὲν τρίτῃ, ποτὲ δὲ πέμπτῃ, ποτὲ δὲ σαββάτῳ, ἢ ὅπως ἂν τύχῃ, πανηγυρίζουσι τοῦ πάθους τὴν μνήμην· *Interdum feriâ tertia, interdum quintâ, nonnunquam* Sabbato, *aut prout incidit, Passionis memoriam celebrant.* Itaque *Judæi* tum temporis Neomenias nondum loco suo moverant, nè *Paschale* festum cum *Sabbato* continuum esset.

Ut res sit compertior, notandum est *Judæos*, quamdiu stetit eorum Respublica, non aliter Neomenias & festa sua constituisse, quàm juxta Lunæ φάσιν. Quod *Judæorum* doctissimus *Maimonides* ità disertè docet in Tractatu *De consecratione Novi-lunii* cap. 5. sect. 2. ודבר זה הלכה למשה מסיני הוא שבזמן שיש סנהדרין קובעין על פי הראייה ובזמן שאין שם סנהדרין קובעין על פי החשבון הזה שאנו מחשבים בו היום ואין נזקקים לראייה אלא פעמים שיהיה יום שקובעין בו בחשבון זה הוא יום הראייה או קודם לו ביום או אחריו ביום *Hæc est constitutio* Mosis *in monte* Sinai, *quòd, quamdiu durarent* Sanhedrin, *Neomenias constituerent secundùm Lunæ* φάσιν. *At, ubi non sunt* Sanhedrin, *constituunt secundùm hanc computationem, quâ nos hodie utimur, quia ad* φάσιν *non adstringimur. Sed quandoque dies, quem per hanc computationem constituimus, est dies* τῆς φάσεως, *quandoque etiam uno die præcedit, aut subsequitur.* Et sectione tertiâ tempus, quo hæc computatio usurpari cœpit, ità indicat. ומאימתי התחילו כל ישראל

Lupi ovibus quàm infensi, tam illis sunt amici canes, quos jam olim ad pecoris custodiam fuisse adhibitos docent hæc *Job.* 30, 1. *Quorum patres non dignabar ponere cum canibus ovium mearum*, id est, עם כלביא נטרי עני *cum canibus, qui custodiunt oves meas*, ut *Chaldæus* hic habet. In quibus, qui lupo veniente tacent, vocantur *canes muti, latrare non valentes*, Es. 56, 10. Sed de cane gregis custode suo loco (*b*) plura dicemus.

b) *Cap.* 56. *infra.*

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

Loca quædam in *Prophetarum* scripti Ovium proventu celebria.

Basan *terra pecoris: ejus pascua uberrima. Vox* Basan *ab interpretibus sæpe prorsus omissa, aut aliter reddita. Quid propriè sonet, ex* Hieronymo, *&* Arabibus. Carmeli *vox quid significet. Duo montes hujus nominis. Unus prope* Ptolemaidem, *ubi antrum* Eliæ, *& templum* Jovis *postmodum. Ipse mons pro Deo habitus. Alter prope* Hebronē. Amalekitis *à* Saüle *ibi devictis, &* Nabalis *pascuis celebris, de quo* Prophetæ *passim.* Saron *juxta* Joppen, *&* Lyddam. Saron, *id est*, campus. *Ibi pascua, & vites.* Syrus *Interpres emendatus.* Bosra, Idumæorum, *aut* Moabitarum *urbs, regio valde pecorosa. Vox* Bosra *Mich.* 2, 12. *à* Græcis *aliter lecta.* Carthaginis Byrsa *unde dicta.* Bosra, *id est*, Roma. Cedar, *&* Nebajoth; *id est*, Cedrei, *&* Nabatæi. *Horum opes solo pecore constitisse. Iidem cur* Dachareni *dicti.* Stephanus *notatus.* Nabatæis, *&* Cedarenis, *unum nomen. Illi clari, hi obscuri.*

Loca quædam à *Prophetis* memorantur ovium & boum etiam proventu celebria: ut in *Judæa* BASAN, CARMEL, & SARON; extra *Judæam* BOSRA, KEDAR, & NEBAJOTH.

Ad pascuorum BASAN commendationem maximè pertinet, quod filii *Ruben*, *Gad*, cum haberent pecora multa, assignari sibi petunt terram, quam percusserat Dominus in conspectu filiorum *Israël*, quia erat מקום מקנה *locus pecoris*, & ארץ מקנה *terra pecoris.* *Græci* reddunt τόπον κτηνῶν, & γῆν κτηνοτρόφον, *aptas animalibus terras*, & *regionem uberrimam ad pastum animalium*, Num. 32, 1. 4. Sic ajo commendari pascua terræ *Basan*, ad quæ hæc referuntur versu trigesimo tertio, qui sic habet, *Dedit itaque Moses filiis* Gad, *&* Ruben *&c. regnum* Sihon *Regis* Amorrhæi *& regnum* Og *Regis* Basan, *& terram eorum.* Proinde de pecoribus *Basanitidis* in Scriptura passim agitur. Sic *Deut.* 32, 14. *Et arietum filiorum Basan*, id est, *Basaniticorum.* Psal. 22, 13. *Tauri* Basan *obsederunt me.* Ezech. 39, 18. *Sanguinem arietum, agnorum, hircorum, & taurorum, quæ omnia sunt altilia* Basan. Amos 4. 1. *Vaccæ* Basan, *&c.* Sed pleraque hæc veterum interpretum nonnulli aliò detorserunt, ità ut nomen *Basan* in iis non compareat. Sic *Deut.* 32, 14. pro *filiis Basan*, *Græci* habent υἱὲς ταύρων, *filios taurorum*; *Syrus* ܒܢܝ̈ ܬܘܪ̈ܐ, & *Arabs*, quem in *Suecia* vidi manuscriptum, اولاد الوعول *filios ibicum.* Quasi pro בני בשן, illi בני שור, hi בני רישן legerint *Ps.* 22. alias 21, 13. pro *tauri Basan Seniores* habent ταῦροι πίονες: *Aquila*, λιπαροί. *Symmachus*, σιτιστοί, Vulgata, *tauri pingues*, quod sequuntur *Arabs* & *Æthiops*. Ezech. 39, 18. pro *altilia Basan omnia*, *Græci*, omissa voce *Basan*, ἐστεατωμένοι πάντες. Hieronymus, *altilium, & pinguium omnium*; *Chaldæus*, tanquam Allegoriam explicans, כל מלכי עמיא עתירי נכסיא *omnes illi censu divites.* Amos 4, 1. pro *vaccis Basan*, Symmachus, αἱ βόες εὔτροφοι. Hieronymus, *vaccæ pingues.* Sic *Ps.* 78. (aliàs 77, 16.) pro Hebræo *mons Dei, mons Basan*, LXX ὄρος τοῦ Θεοῦ, ὄρος πῖον. Hieronymus, *mons Dei, mons pinguis.* Jer. 50, 19. *Pascet in* Carmelo *& in* Basan. *Græci* in plerisque editionibus solùm habent Νεμήσεται ἐν Καρμήλῳ omissâ voce *Basan.* Et *Es.* 33, 9. pro *Basan* est ἡ Γαλιλαία. Quas interpretum aberrationes hic sigillatim excutere non aggredimur. Tantùm, ne quis miretur *Basan*, toties per *pingue* reddi, & pro *tauris* & *vaccis Basan*, toties legi *tauros*, & *vaccas pingues*; & *altilia pinguia*, pro *altilibus Basan*; & *montem pinguem*, pro *monte Basan:* duo hic observanda sunt. Primò, pascua *Basan*, cum uberrima fuerint, & pinguissima, *pinguia* dici jure merito tam ipsum montem *Basan*, quàm pecora in eo saginata, quæ arvina distenta, ac quasi differta fuisse, vero consentaneum est. Secundò, illam ipsam vocem BASAN *pinguedinem* significasse. *Hieronymus* in *Es.* 33. BASAN, *regio trans* Jordanem, *quam duæ & dimidia tribus possederunt, & quæ interpretatur* uberrima, *&* pinguis. Et in *Locis*, capite *De Numeris*, BASAN, bruchus *sive* pinguedo. *Nam, quod interpretari solet* ignominia, *vel* confusio, BUSA *dicitur.* Quod quidem *Hebræos* latuit. Neque enim eorum ullus est, qui nos moneat *Basan* idem esse, quod *pingue.* Tamen id ab illo verè observari ex *Arabibus* scimus, qui بثنة vel بثنية quomodo hoc nomen scribunt, non multò aliter exponunt. In *Giauhari* بثنة redditur ارض سهلة *terra facilis, & mollis.* Et in *Alcamus*, البثنة ولينة والبثنية الارض السهلة والزبدة والمراة البضة ولنعمة وكورة بدمشق والبثنية الحنطة الجيدة منها والرملة اللينة Bathsana, & Bathsania, *terra facilis, fertilis. Item mulier speciosa, & venusta. Item, regio prope* Damascum. *Item*, Bathsania, *triticum optimum ex ea. Item, arena mollis.* Arabibus igitur بثنة, quod cum *Basane* idem est, *terram* significat *facilem, mollem*, & *fertilem.* *Facilem* hic voco, non *planam*, ut viri docti interpretantur, sed εὐάροτον, *facilè arabilem.* Qualis est *Byzacena*, de qua *Plinius* libri decimi quinti capite quinto, *In* Byzacio Africæ *illum centenâ & quinquagenâ fruge fertilem campum, nullis, cum siccus est, arabilem tauris, post imbres vili asello, & à parte altera jugi anu vomerem trahente, vidimus scindi.* Indè igitur nomen agro in *Judæa* fertilissimo, qui Hebraicè בשן *Basan* dicitur; Arabicè بثنة *Bathsana*, vel بثنية *Bathsania*; Syriacè ܡܬܢܝܢ *Mathnin*; Chaldaicè מתנן *Mathnan*, & בותנן *Buthnan*, & בתניא *Bathnaja*; Græcè Βαταναία, *Batanea*, quæ vox in *Josepho*, *Ptolemæo*, *Stephano*, *Eusebio*, *Hieronymo*, & aliis passim occurrit.

CARMEL & BASAN sæpe junguntur; ut *Es.* 33, 9. *Jerem.* 50, 19. *Mich.* 7, 14. *Nahum.* 1. v. 4. Et CARMEL æquè ac BASAN *ubertatem* sonat. Nam vel appellativè sumitur, vel propriè. Et priore sensu כרמל *carmel*, dicitur *locus* quivis *arboribus consitus, frugibusque, aut gramine fertilis*, Es. 16, 10. Jerem.

Jerem. 48, 33. &c. Voce, ut suspicor, composita ex כר *car*, quod *pascuum*, aut *agrum* sonat, & מול *mul*, quod *succidere* est: ut כרמל sit *pratum*, vel *ager succisionis*, id est, ex quo fœnum, vel spicæ succiduntur. Unde & *spica recens succisa* מלילה vocatur, & כרמל. Sed & כרמל *Carmel*, proprium nomen est duorum in *Judæa* montium: quorum unus ad Aquilonem est προσθαλάσσιος, prope *Ptolemaidem*, in confinibus *Aser* & *Zabulon*, de quo *Jos.* 12, 22. & 19, 26. Alter ad Meridiem μεσόγειος, prope *Hebronem* in tribu *Juda*, de quo *Jos.* 15, 55. In priore habitavit *Elias* 2. *Reg.* 2, 25. & 4. 25. & altare Deo erexit: & per insigne miraculum coram *Israelitis* præstitum, *Baalitas* confutavit, & veri Dei cultum restituit. Sed illud ipsum altare postmodum in superstitionem versum, & *Jovi* consecratum est. Unde *Scylax*, ex doctissimi *Vossii* emendatione, Κάρμηλος ὄρος, καὶ ἱερὸν Διός, Carmelus *mons*, & *templum Jovis*. Quamvis in eo *Tacitus*, *Historiarum* libro secundo, templum ullum fuisse neget, sed montem ipsum asserit pro Deo fuisse cultum. *Est* (inquit) Judæam *inter* Syriamque Carmelus. *Ita vocant montem, Deumque. Nec simulacrum Deo, aut templum, sic tradidere majores, aram tantùm, & reverentiam.* Inde est, quod in *Suetonio Vespasianus Carmeli* Dei oraculum consuluisse legitur. In altero monte *Carmelo Saül*, devictis *Amalekitis*, מציב לו יד *fecit sibi plateam*, 1. Sam. 15, 12. vel *ad dividenda spolia*, ut *Chaldæus*; vel *ad castrametationem*, ut *Kimchius* intelligit; vel, juxta *Hieronymum*, *fornicem*, sive *arcum triumphalem* ibi *erexit*; vel denique altare ibi ædificavit, quod reparavit *Elias* 1. Reg. 18, 30. Ita *Midras*, & *R. Selomo*: sed ineptè admodum; quia *Carmelus*, de quo hic agitur, ab *Eliæ Carmelo* diversus est, & valde remotus. In eodem hoc *Carmelo* degebat *Nabal*, qui numerosos habuit greges, mille scilicet capras, & ovium tria millia, 1. *Sam.* 25, 2. Proinde ad hunc *Carmelum* referunt quæcunque habent *Prophetæ* de *Carmeli* pascuis. Ut *Jerem.* 50, 19. *Reducam* Israëlem *ad caulam suam, ut depascat* Carmelum, & Basanem. *Amos* 1, 2. *Luxerunt tuguria pastorum, quia exaruit* Carmeli *vertex*. Mich. 7, 14. *Pasce populum tuum cum pedo tuo, gregem possessionis tuæ, habitantem solitariè in sylva, in medio Carmeli.* Pro quo *Syrus* Interpres, ܢܥܡܪܘܢ ܒܠܚܘܕܝܗܘܢ ܐܝܟ ܥܢܐ ܒܓܘ ܟܪܡܠܐ *Habitent solitariè ut oves in medio Carmeli*; quasi pro יער legerint כצאן. Utut sit, hæc loca referri possunt etiam ad *Eliæ Carmelum*.

De SARONE sic *Es.* 65, 10. *Et erit* Saron *in caulam ovium*. Pro quo *Seniores*, Καὶ ἔσονται ἐν τῷ δρυμῷ ἐπαύλεις ποιμνίων. Et *Hieronymus*, *Et erunt campestria in caulas gregum*. *Campestria*, id est, πεδινά: quomodo *Es.* 35, 2. *Decor Carmeli, & Saron*, à *Symmacho* redditur εὐπρέπεια τοῦ Καρμήλου, καὶ τοῦ πεδίου, *decor Carmeli, & campi*. Et *Cant.* 2, 1. חבצלת השרון, *narcissus Saron*, Senioribus est ἄνθος τοῦ πεδίου, & Hieronymo *flos campi*. Itaque vocem שרון *Saron*, *campum* significâsse valde verissimile est, quamvis id *Hebræos* lateat. Nempe à Verbo ישר *rectum & planum esse*, unde מישור est *planities*, factum etiam ישרון forma רבנן, & per Aphæresin, שרון. Qualis in אור pro יאור, & לדה pro ילדה, & ערה pro יערה, & עצה pro יעצה, &c. Nisi potiùs à Verbo שור, id est, *à contemplando* deducatur; quia ex illa planitie latè patet prospectus, quod jam alibi diximus. Utut sit, in his *Esaiæ*, *Et erit* Saron *in caulam ovium*, *Saron* esse loci nomen omnino docet Comma sequens, *& vallis* Achor *erit in cubile boum*: ut in altero loco, quem citavimus, *Decor Carmeli & Saron*, ut *Carmelus* nomen est proprium, ita etiam *Saron*. Itaque in neutro *Saron* debuit appellativè sumi. Maximè, cum, *Hieronymo* teste in *Esaiæ* cap. 33. Saron *omnis juxta* Joppen Lyddamque *appelletur regio, in qua latissimi campi, fertilesque tenduntur.* Unde *Act.* 9, 35. *Et viderunt eum omnes, qui habitabant* Lyddæ, *&* Saronæ. Et 1. *Paral.* 27, 29. *Armentis, quæ pascebantur in* Sarone, *præpositus fuit* Setrai *Saronites.* Sic apud *Talmudicos* (a) יין השרוני *vinum Saroniticum* inter generosa censetur, in quibus miscebantur שני חלק מים *duæ partes aquæ*. Sed *Cant.* 2, 1. potest ferri, quod חבצלת השרון pro *narcisso Saron* explicatur *flos campi*; quia sic meliùs cohæret cum eo, quod sequitur, שושנת העמקים *lilium convallium*. Nè quis roget, cur pro *narcisso*, aut *flore Saron*, *Syrus* habeat ܫܘܫܢܐ ܫܪܘܝܢܐ, quod *Gabriel* explicat *florem abietum*, sciendum vocem ܫܪܘܝܢܐ esse corruptam, & ablato *Jod*, legendum esse ܫܪܘܢܐ, *Sarona*. Flos abietis nullus est, quamvis aliter statuat *Theophrastus Historiæ Plantarum* libri tertii capite sexto. Neque, flos abietis si esset, ܫܘܫܢܐ diceretur, cum ܫܘܫܢܐ non sit *flos* quivis, sed *lilium*. Denique ܫܪܘܝܢܐ *Syris* (ità enim scribendum) *cedros* esse puto potiùs, quàm *abietes*: ut *Chaldæis* שורבן *surban*, & *Arabibus* شربين *scerbin*, est *cedrus*. Res clara est ex *Abenbitare* cum *Dioscoride* collato. Verè igitur *Sylvaticus* in *Pandectis*, *Scerbin* Arabibus *est arbor Alkitran, & est Cedrus apud* Dioscoridem. Corrigendusque est *Avicenna*, qui scribit شرهي lib. 2. *Can.* Et supplenda hæc vox in *Giggeii* & *Golii Lexicis*, in quibus deest.

a) *Tract. De Sabbatho. cap.* 7. *& Nidda, cap.* 2.

Ad BOSRÆ oves hæc pertinent *Mich.* 2, 12. *Congregabo residuum* Israëlis, *simul ponam illum ut oves Bosræ*. Fuit hæc urbs *Idumææ* vetustissima, in qua natus est *Jobab*, Rex *Edom*, Gen. 36, 33. & 1. *Par.* 1, 44. *Idumææ* disertè adscribunt *Prophetæ* tres, *Esaias* 34, 6. & 63, 1. *Jeremias* 49, 13. & *Amos* 1, 12. Tamen unus ex hoc numero *Jeremias* 48, 24. *Bosram* censet inter *Moabitarum* urbes. Itaque vel utrique adscribitur, eo quod in utriusque regionis fuerit confinibus: vel, quod puto verius, gemina fuit *Bosra*; una *Idumæorum*, altera *Moabitarum*. Nec multum refert, utram intelligas in his *Michææ*, *ponam illum ut oves Bosræ*: quia utraque regio fuit valde pecorosa. De *Moabitide* res clara est ex 2. *Reg.* 3, 4. ubi *Mesa*, Rex *Moab*, *Israëlitis* pro tributo legitur annuatim solvisse agnorum, vel lanatorum arietum, ducenta millia. Et *Idumæos* quoque pecore abundâsse docent hæc *Es.* 34. 6. *Gladius Domini implebitur sanguine agnorum, & hircorum, adipe renum arietum; quia sacrificium erit Domino* Bosræ, *& mactatio magna in terra* Edom. Sed *Michææ* locum veteres multò aliter interpretantur. Nam, pro *Hebræis* כצאן בצרה *ut oves Bosræ*, *Græcos* habere jam (b) monuimus ὡς πρόβατα ἐν θλίψει, quod sequuntur *Syrus* & *Arabs*; quia, mutatis Vocalibus, ex בָּצְרָה fecerunt בְּצָרָה. *Chaldæus*, *Hieronymus*, & *R. Selomo*, *caulam*, aut *ovile* reddunt, quia caula est quasi vallum ovium, & בצרה *bosra*, propriè *vallum*, cui *munimentum* sonat. Indè *Carthaginis* arcem, à *Didone* conditam, *Pœni* BOSRAM, & *Græci* Βύρσαν appellârunt, barbarum vocabulum more suo emollientes. De *Idumæis* quidquid legitur in *Prophetarum* scriptis *Hebræi* perabsurdè ad *Romanos* transferunt. Quod sequutus *Abarbanel* in *Commentariis* in hunc locum *Bosram* vult esse *Romam*, à pastoribus, ut ait, conditam, & *Valentiam* olim dictam, à robore scilicet, & munimento, ut *Idumæorū Bosram*.

b) Cap. 46 pag. 517. lin. 50. supra.

Supersunt CEDAR & NEBAJOTH, de quibus *Es.* 60. 7. *Omnes oves* Cedar *congregabuntur ad te, arietes* Nebajoth *tibi servient.* Et *Ezech* 27, 21. Arabes, *& omnes principes* Cedar *erunt negotiatores plateæ tuæ*

tuæ (*id est, fori tui*) *agnis, arietibus, & hircis erunt negotiatores tui.* Nabajoth sunt *Nabatæi*, quibus nomen fecit *Nabajoth*, filius *Ismaëlis* primogenitus; ut secundus *Cedar Cedarenis*, qui *Geographis Cedrei*, & *Cedranitæ*. Vide *Gen.* 25, 13. & 1. *Par.* 1, 29. Horum pecora tam illustribus verbis in Scriptura deprædicari non mirabitur, qui sciet gentis opes solo pecore constitisse. Quod de *Nabatæis Diodorus* disertè scribit libro decimo nono, pag. 722. Νόμ@ δ' ἐςὶν αὐτοῖς, μήτε σῖτον σπείρειν, μήτε φυτεύειν μηδὲν φυτὸν καρποφόρον, μήτε οἴνῳ χρῆσθαι, μήτε οἰκίαν κατασκευάζειν· ὃς δ' ἂν εὑρεθῇ ταῦτα ποιῶν, ἰυρίσκηται, θάνατον αὐτῷ πρόστιμον εἶναι. χρῶνται δὲ τῷ νόμῳ τούτῳ, διαλαμβάνοντες τοὺς ταῦτα κεκτημένους ἀναγκασθήσεσθαι ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν δυνατῶν ἕνεκα τῆς τούτων χρείας ποιεῖν τὸ προσταττόμενον. τρέφουσι δ' αὐτῶν οἱ μὲν καμήλους, οἱ δὲ πρόβατα, τὴν ἔρημον ἐπινέμοντες. *Lex ipsis est, ut neque fructus ferant, neque fructiferam ullam arborem inserant, neque vino utantur, neque domos ædificent* (quæ sunt ipsissima *Rechabitarum* instituta *Jerem.* 35, 6. 7.) *Et ut quisquis reperietur his incumbere, mortis habeatur reus. Eos existimantes, qui hæc possident, talium rerum usu à potentioribus facile cogi, ut imperata faciant. Sed eorum alii camelos, alii oves alunt, desertum depascentes.* Et *Strabo* libro decimo sexto, de hac eadem gente, Πρόβατα λευκότριχα, βόες μεγάλοι· ἵππων ἄφορος ἡ χώρα, κάμηλοι δὲ τὴν ὑπουργίαν ἀντ' ἐκείνων παρέχονται. *Oves iis sunt albi velleris, boves magni: equos non fert regio, sed cameli eorum officium implent.* De *Nabatæis* iidem, *Diodorus*, inquam, & *Strabo*, multa habent insignia, quæ non sunt hujus loci. *Nabatæos Stephanus* (ex *Uranio*, nisi fallor) alio nomine scribit Δαχαρηνοὺς appellari, quod significat ἀρσενικούς, sed legendum ἀρσενικοὺς *mares*, ut in *Eustathio* habetur. Nempe, ut *Hebræis* זכר *Zachar*, & *Syris* ܕܟܪ *dechar*, *marem* significat, ita دكر *dachar Arabibus*, vel *dsachar* blæso sono propter punctum adscriptum τῷ *Dal*. Et illo nomine *Nabatæos* sese olim extulisse ex eo colligere est, quod hodiéque intima deserti sui فلاة مذكار *Phelath midschar*, id est, *desertum masculeum*, vocant *Arabes*, tanquam solis maribus penetrabile, ut habetur in *Alcamus*. Idem *Stephanus Nabatæos* ἀπὸ Ναβάτου τινὸς, à *Nabate* quodam nomen habere verè asserit. Neque alius fuit ille *Nabates* ab *Ismaëlis* filio *Nabajoth*, de quo *Moses* Gen. 25, 13. Sed quod addit falsissimum, Ναβάτης δὲ ἀπὸ ἐκ μοιχείας γενόμενος, nempe Ἀραβιςί, ut supplet *Eustathius*, *Nabates autem Arabicè eum significat, qui ex scortatione natus est.* *Arabicè* quidem نبذ *nabada*, vel *nabadsa*, est *aliquem ut spurium abjicere*; unde منبوذ manbuds *spurius*, quo videtur respexisse illius commenti auctor, quisquis est: sed نبا *naba*, unde *Nabajoth*, *eminere* est, & *excellere*. Et *Cedar* Hebraicè *fuscum* sonat, qui ferè *Arabum* color est; quia sunt à Sole adusti, quales propriè dicuntur קדרים *cedarim*. Unde est, quod *Job* queritur se קדר, id est, *fuscum* ambulâsse, quamvis à Sole intactum, *Job.* 30, 28. ut luctum in se doceat id ipsum præstitisse, quod in aliis Solis adustio. Et Sponsa *Cant* 1, 5. nigram se esse dicit ut tentoria *Cedar*, id est, juxta *Chaldæum*, כבני דכוש דשרין במשכני קדר *ut filii* Chus, *qui habitant in tentoriis Cedar*: imò, ut *Ismaëlitæ*, quorum pars filii *Cedar*. Ex his plus satis constat ineptire *Etymologum*, cui Κήδαρ est *Græca* vox, quæ σημαίνει, ait, τὸ σκοτεινὸν, παρὰ τὸ κήδω τὸ κοιμῶμαι. A *Cedare Cedrei*, vel *Cedranitæ*, ut jam diximus. De quibus *Plinius* lib. 5. cap. 11. *His* Arabes *junguntur, ab Oriente* Chanclei (imò *Chavilei*) *a Meridie* Cedrei, *qui deinde ambo* Nabatæis. Et *Stephanus*, Κεδρανῖται, ἔθνος τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας, Οὐράνιος Ἀραβικῶν τρίτῳ. *Cedranitæ, gens Arabiæ Felicis*, *Uranius in tertio Arabicorum*. De cætero *Cedrei* tam obscuri & ignoti sunt, quàm *Nabatæi* celebres. Tamen Sacri Scriptores gentem *Cedar* sæpe nominant. Et, si *Suidæ* credimus, eorum nomen durabat usque ad illius ævum. Μιγάδες σήμερον, inquit, οὐ πόρρω τῆς Βαβυλῶνος ἰσκηνωμένοι. *Usque hodiè non longè à* Babylone *habitant*. Sed credo hæc illum habere ex alio vetustiore: quia *Suidæ* ætate gentis *Cedar* apud *Arabes* dudum nomen interciderat. Itaque in scriptis *Arabum* nulla est, quod meminerim, *Cedareorum* mentio; quamvis illorum non pauci scripserint ante *Suidam*.

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

Miracula in Ovibus à Deo facta.

In verbis, ad *Abelem* respexit Deus, *tria quæruntur*: 1. *Quid sit respicere in Deo.* Resp. *Deum dici eos respicere, quorum miseretur, & oblationes respicere, quas benevolè accipit.* 2. *Cur* Abelis *oblatio Deo fuerit acceptior, cum* Cain *major natu fuerit, & matri charior. Causæ commentitiæ, cur* Cain *rejectus fuerit. Vera, quod* Abel *per fidem obtulit*, Hebr. 11, 4. Cain *non item. Quid sit* offerre per fidem. 3. *Quo signo innotuit* Abeli *Dei favor, & Caino Dei aversio. An per ignem è cœlo missum in* Abelis *sacrificium. Ità conjectant veteres. Exempla hujus miraculi.* Abraam *arietem in vepreto detentum pro filio obtulit. Aries ille creatus non fuit ab initio, ut* Judæi *fabulantur, sed à vicino grege aberraverat. Hujus historiæ lacinia in* Græcorum *fabulis. De hoc ariete* Hebræa *lectio vetus hodiernæ collata. Aries detentus* בסבך, *id est*, in loco perplexo. *Aliæ vocis hujus interpretationes. An* Abraham *hunc arietem de suo obtulerit.* ET pro POSTQUAM. *Hic aries* Christi *figura. Ut oves agnos varios conciperent*, Jacob *triplici arte usus est. Fuitne hoc Naturæ opus, aut Dei solius virtute factum? Naturæ quidem opus fuit, quod multa probant; sed naturalibus mediis Deus extraordinariè benedixit.* Jacobo *licuisse hâc arte avunculum suum spoliare; quia Deo auctore fecit, qui partem opum, quas ingratus* Laban *ex* Jacobi *labore comparaverat, in* Jacobum *justè transtulit. Vellus, pro* Gedeonis *voto, modò siccum, modò roscidum. Area, in qua vellus, fuit sub dio.* Area *Hebræis* גרן goren; *unde* Græci γῦρον. Arabicè, & Æthiopicè *area quomodo dicta. Ros Dei donum.* ספל *an sit* simpulum. *Ros duplex, nocturnus, & matutinus. Utriusque nomen* Arabicum. *Ita* Manna *utroque tempore pluit. Dei beneficia parata, & obvia. An per diffidentiam duplex miraculum petierit* Gedeon, *& Deum sic tentaverit.*

E Scriptura quatuor de ovibus eliciuntur, vel θαύματα, vel θαυματώδη. Primum ex *Mosis* verbis de *Cain* & *Abelis* oblationibus, Gen. 4, 4. 5. *Et ad* Abelem שעה *respexit Deus, & ad oblationem ejus: sed ad* Cainum לא שעה *non respexit, nec ad oblationem ejus.* Secundum de ariete, qui in monte *Morija* repertus est, & pro *Isaaco* immolatus, *Gen.* 22, 13. Tertium de *Jacobi* ovibus, quæ agnos objectis virgis concolores concipiebant, *Gen.* 30, 37. &c. Quartum denique de vellere ad *Gedeonis* votum modo sicco, modo roscido, *Jud.* 6, 37. &c. De quorum singulis pauca dicemus.

I. Primum quod attinet: de his verbis, *ad* Abelem *respexit Deus*, &c. tria quæruntur. 1.) Quid sit in Deo *respicere*, vel *non respicere*. 2.) Cur ad *Abelem* respexerit Deus potius, quam ad *Cainum*. 3.) Quo signo patuerit Deum ad *Abelem* potius quàm ad *Cainum* respexisse. Quarum quæstionum *prima* est facilis. Deus enim *ἀνθρωποπαθῶς eos respicere* dicitur, quorum miseretur; & *oblationem respicere*, quam benevolè accipit. Sic de persona dicitur *Exod.* 2. *v.* 26. *Respexit Deus filios Israelis*, id est, eorum in *Ægypto* misertus est. *Judic.* 6. *v.* 14. de *Gedeone*, *Respexit ad eum Dominus.* Psal. 11. v. 7. *Rectum respicit facies ejus.* Psal. 25. v. 16. *Respice me, & miserere mei.* Esa. 66. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad afflictum, & contritum spiritu?* Et de oblationibus *Num.* 16. *v.* 15. *Ne respicias sacrificia eorum*, nempe sacrificia *Core*, *Dathanis*, & *Abirami*. Amos 5. v. 22. *Munera vestra non habebo accepta, & pingues pro salute hostias vestras non respiciam.* Et Malach. 2. v. 13. *Non amplius respiciam ad munus, nec illud benevolè recipiam è manu vestra.* Itaque *munus respicere* est *illud benevolè accipere*: Metaphorâ ab iis sumpta, qui oculorum nutu significant munus sibi esse acceptum; aut, si displicet, oculos avertunt, nec dignantur intueri. Quæ nemini non sunt obvia.

Sed aliquanto plus est operæ in *secunda quæstione*, quâ quæritur, cur *Abelis* munus Deo fuerit acceptius? Neque enim miramur, quod *Aaroni* postponantur *Nadab*, & *Abihu*; aut *Core*, *Dathan*, & *Abiram*: cum illi peregrinum ignem in altare intulerint, *Levit.* 10. v. 1. hi, sine vocatione, thus obtulerint, *Num.* 16. v. 1. &c. Nec immeritò *Elias* præfertur *Baaliticis*. Is enim erat *Propheta* verus, & veri Dei cultor; isti falsi Sacerdotes, & falso Deo devoti, 1. *Reg.* 18. *v.* 19. *&c.* Causa denique fuit sontica, & manifesta, cur *Judaica* sacrificia præferrentur *Samariticis*: cùm *Judæi Jerosolymis* sacra fecerint in loco, quem Deus elegerat; *Samaritani Sichemis*, & in monte *Garizim*, & colendo Dominum Diis quoque suis servierint, 2. *Reg.* 17. v. 33. At hic nihil tale occurrit. Agitur enim de duobus fratribus, qui in eodem ventre nati erant, in eadem Schola educati, & ejusdem Ecclesiæ pars erant, & eidem Deo sacrificabant, eodem tempore, & loco, & ex eadem occasione. Aut, si qua in re differebant, est, cur *Cain* videatur *Abeli* fuisse præferendus. Is enim prior obtulerat, & fratri præiverat exemplo suo: adeoque erat natu major, & dici potuit *virtus patris, ac principium roboris ejus*, æquè ac *Ruben Jacobi* Genes. 49. v. 3. Quin, ut matri gratiorem, & acceptiorem fuisse scias, illa *Caino* nascente dixerat, *Virum acquisivi à Domino*, & inde *Cainum* appellaverat, ac si Κτησίαν *Græcè* dixeris, aut Ἐπίκτητον, quasi hac possessione se ditiorem esse credidisset: at *Abeli* à *vanitate* nomen à parentibus inditum, quasi fuerit homo nihili. *Abele* tamen accepto, *Cainum* rejecit Deus. Cujus rejectionis varias causas varii comminiscuntur. Nonnulli enim rejectum volunt, quòd terræ fruges obtulisset, cui Deus maledixerat. Sed hæc maledictio fideles non respicit, quibus omnia munda sunt, juxta illud *Pauli* Tit. 1. v. 15. *Omnia munda mundis.* Alii, quod in fine dierum obtulisset, id est, serius, & in exitu anni, cum Deus primitias sibi velit offerri: sed Lex, qua id jubetur, nondum fuerat promulgata. Et illa ipsa Lege jubentur *Israelitæ* festum solenne celebrare in exitu anni post omnes fructus congregatos, *Exod.* 23. v. 16. nec apparere vacui ante Dominum, *Deut.* 16. *v.* 16. Sunt, qui *Cainum* statuunt exiles Deo spicas, & parca manu, obtulisse: quod asseritur gratis, nec uspiam habetur in Sacro Textu. Quin *Hebræa* vox יבא ad verbum *& venire fecit*, (id est, *jussit afferri*) *Cainum* subindicat aliorum operâ usum fuisse in iis afferendis, quæ Deo obtulit; unde colligere est largam fuisse oblationem. Plerique statuunt *Caini* munus Deo displicuisse, quia dissidebat à fratre. Debuerat igitur, inquiunt, *munus ad altare relinquere, & prius cum fratre conciliari*, Matth. 5. v. 24. ut *Deo manus puras attolleret sine ira & disceptatione*, 1. Tim. 2. v. 8. Frustrà enim pacem ambit apud Deum, qui cum fratre pacem non colit. Quæ quidem verè afferuntur, sed minùs ad rem: quia *Caini* cum *Abele* fratre dissidium post rejectum munus natum est. Sed oblationis vitium frustrà in externis quæras, cùm totum intus latuerit, nec patuerit nisi soli Deo. Itaq; adhuc nesciremus, nisi nobis revelâsset Deus per *Apostolum Hebr.* 11. *vers.* 4. ubi legitur *Abel per fidem obtulisse Deo præstantius sacrificium quàm Cain.* Utut igitur extrinsecus *Abelis* oblatio nihil habuerit supra fratris oblationem, tamen in offerentium animis magna fuit dissimilitudo. Fratrum enim unus fidelis, alter infidelis fuit. Et qui fidelis erat, acceptus est; qui infidelis, cum suo munere à Deo rejectus, & exclusus. Nam *sine fide quidquid fit, peccatum est*, Rom. 14. vers. 23. Nec *absq; fide possumus Deo placere*, Hebr. 11. v. 6. Itaque quâ fide servamur, eadem fide servati sunt ii, qui *Christum* præcesserunt: *& inter nos & illos nihil discrevit Deus, qui corda illorum fide purificavit*, Act. 15. v. 9. Porro, ut cum fide quid offeratur, tria requiruntur. 1. Ut sciamus actionem illam Deum verbo suo aut jussisse, aut permisisse. *Fides* enim est *ex auditu, & auditus ex verbo Dei*, Roman. 10. v. 17. Quo sensu *Apostolus*, *Rom.* 14. *v.* 23. vult, ut edamus *cum fide* id est, ut certi simus hunc esum esse licitum, neque à Deo prohibitum. 2. *Offerre cum fide* est offerre cum fiducia remissionis peccatorum, & gratiæ Dei per Mediatorem, vel mittendum, ut olim ante Legem, & sub Lege; vel missum, ut hodie sub statu gratiæ. 3. Quisquis offert cum fide, cum oblatione sua *seipsum offert in sacrificium vivum, sanctum, & Deo acceptum*, Rom. 12. v. 1. Quorum trium duo priora sunt de essentia fidei, & tertium est effectus inde necessariò consequens. Quisquis enim verè, & ex animo credit *Christum* pro se satisfecisse, aut quandoque satisfacturum, is, se, suaque omnia Deo deberi agnoscens, non potest illi non offerre sacrificium eucharisticum. Quomodo *Psaltes*, quem sensus Dei beneficentiæ ad hoc compellit ἐπιφώνημα, *Quid Domino retribuam?* &c. Psal. 116. v. 12. Trium porrò, quæ diximus, primum in *Caino* fuit, qui sacrificia sciebat à Deo esse imperata: sed reliqua duo illi deerant. Non accessit cum fiducia in Dei gratiam, nec cum certo consilio Deo totum se devovendi. Terræ fructum obtulit Deo, non fructum labiorum confitentium nomini ejus. Aut, si labiis Deum honorabat, cor ejus procul aberat. Et per opera eum negabat, quem ore confitebatur. Speciem habens pietatis, virtutem ejus abnegaverat. Oblationem è frugibus offerebat, non sacrificium contriti cordis, quo delectatur Dominus. Jactabat se Deum diligere, quem non viderat; nec amabat fratrem, quem videbat. Denique *Caini* victima cor nullum habuit, sed fellis plurimum, ac proinde à Deo rejecta est: sed in *Abele* fuerunt contraria omnia. Sciebat enim hæc agnorum sacrificia Deum constituisse in figuram sacrificii à *Christo* pro nobis offerendi, in quem solum totam salutis spem, & fiduciam collocaverat. Itaque, agnum immolans, cogitabat de agno ante jacta mundi fundamenta pro nobis immolato. Victimæ sanguinem fundens, *Christum* habebat in animo, qui sanguinem suum fusurus erat pro remissione peccatorum. In igne cœlitùs delapso, ut statim docebitur, quo consumebatur ea pars victimæ, quæ Deo servata fuerat, iræ Divinæ imaginem videbat in peccatores justè accensæ, & pœnas illis debitas à *Christo*, vade, & vindice nostro, meritò reposcentis. Reliquas denique ejusdem victimæ carnes comedens, *Christum* fide amplectebatur, cujus caro verè cibus est, & sanguis verè potus, ita ut quisquis manducat carnem ejus, aut bibit sanguinem ejus, vivat in sempiternum. Accedebat igitur cum fiducia in Dei gratiam, per Filii merita, & preces, nobis conciliati,

ciliati. Et in tanti beneficii memoriam, cum victima sua seipsum in posterum Deo consecrabat, certus vivere deinceps in Dei timore, ut in illius gratia moreretur, & in gloriam reciperetur. Quibus de causis, *Caino* rejecto, Deus *Abelem*, & oblationem ejus respexit, & benevolè accepit.

Superest *tertia quæstio*, quæ maximè est hujus loci, nempe quo signo innotuerit aut *Abeli* Dei favor, aut *Caino* Dei aversio: sive in ipsa oblatione, vel post peracta sacrificia. Et in genere quidem respondet *Apostolus* Hebr. II. v. 4. *Abelis* justitiam patuisse, *μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ*, *ipso Deo muneribus testimonium perhibente*. Sed rursus quæritur, quo indicio Deus hoc testimonium perhibuerit. An visibili aliquo signo, aut cœlesti oraculo, aut Angelo misso è cœlis, qui *Abeli* dixerit, quomodo *Danieli* Dan. 9. v. 23. *Vir desideriorum es*, id est, Deo gratus, & acceptus? Si credimus *Aben Ezra*, יתכן שירדה אש ודשנה מנחת הבל ולא מנחת קין *Vero consentaneum est ignem è cœlo descendisse, & Abelis quidem oblationem in cineres redegisse; sed Caini oblationem non item*. Quod idem his verbis scribit auctor *Fasciculi myrrhæ*; *Descendit ignis à Domino, & consumpsit adipem, atq; ita benevolentiam suam erga* Abelem, *& munus ejus, declaravit*. Cujus sententiæ vetustissimus auctor est *Theodotion*, qui verba *Mosis* sic reddiderat, Καὶ ἐνεπύρισεν, *Et inflammavit Dominus super* Abel, *& super sacrificium ejus: super* Cain *verò, & super sacrificium ejus οὐκ ἐνεπύρισεν, non inflammavit*. Et *Hieronymus* in *Traditionibus Hebraicis* hanc versionem calculo suo ita comprobat, *Unde scire poterat* Cain, *quod fratris ejus munera suscepisset Deus, nisi illa interpretatio vera esset, quam* Theodotion *posuit?* Et *Cyrillus* libro primo *Glaphyr*. Ἐπὶ μὲν τοῖς τοῦ Ἄβελ δώροις πῦρ, καθιὲν οὐρανόθεν, δαπανᾶσθαι παρεσκεύασε τὰ ἱερώματα· ἐπὶ δὲ Κάϊν, καὶ ἐπὶ τῆς θυσίαις αὐτοῦ, οὐ προσέσχε, φησίν· οὐ γὰρ τὸ συνήθες ἐπεφοίτα πῦρ τοῖς προσκομιζομένοις. *In Abelis quidem dona ignis, cœlitùs descendens, ad oblationum consumptionem comparatus fuit: ad Cainum verò, & oblationes ejus, Deus, inquit, non attendit; neq; enim solitus ignis in oblata ab eo immissus est*. Ita etiam *Procopius* in *Genesin*, & *Faustus Rhegiensis*, libri secundi capite sexto *De libero arbitrio*, & veterum Scriptorum alii. Quia divini favoris hoc erat indicium, cum ignis οὐρανοπετὴς sponte victimam incendebat. Cujusmodi exempla habemus in sacrificio, quod obtulit *Moses*, *Levit*. 9. v. 24. & in cibis Angelo à *Gedeone* oblatis, *Jud*. 6. v. 21. & in oblatione *Davidis* ad pestem amoliendam, 1. *Paral*. 21. v. 26. & in solenni *Solomonis* sacrificio in Templi encæniis, 2. *Paral*. 7. v. 1.3. & in sacrificio, quo *Elias Baalitas* confutavit, & veri Dei cultum asseruit, 1. *Regum* 18. v. 38. Unde est, quòd *Israelitæ*, *Davidi* Regi suo fausta apprecantes, inter cætera bona hoc quoque petunt, *Psalm*. 20. *vers*. 4. ut omnium oblationum ejus Deus sit memor, & ejus holocausta ידשנה *incineret* (ut ita loquar) id est, *in cinerem redigat*. Sed de his alibi (*a*) jam actum.

(a) Cap. 35. supra pag. 360. 361. &c.

II. Ecce aliud mirabile, quod *Abrahamo* accidit, filium immolaturo. Postquam Angelus illi subitò apparens, ὡς ἐκ μηχανῆς, gladium, in *Isaaci* jugulum jam intentatum, cohibuisset, *Abraham* sublatis oculis arietem animadvertit in vepreto detentum cornibus suis, quem statim arreptum pro filio in holocaustum obtulit, *Gen*. 22. v. 13. Arietem illum *Judæi* nugaces creatum fuisse volunt ante annos bis mille & ampliùs, nempe sub vesperam diei sextæ creationis. *Jonathan* in *Paraphrasi*, *Et* Abraham *sustulit oculos suos, & aspexit*, והא דכרא חד דאתברי ביני שמשיא דשכלול עלמא אחיד בחרישותא דאילנא בקרנוי *& ecce arietem unum, qui creatus fuerat inter duas vesperas perfectionis mundi, detentum in perplexitate arborum cornibus suis*. Rabbi Selomo, והנה איל מוכן היה לכך מששת ימי בראשית *Aries ille porro propterea paratus fuerat à sex diebus creationis*. Tanchuma, (*b*) זה אחד מי דברים שנתבראו בין השמשות *Iste aries res una est è decem, quæ creatæ sunt inter duas vesperas*. Tamen in *Jonathanis* Paraphrasi *Num*. 22. v. 28. & in *Pirke Aboth* fol. 30. 2. & in Tractatu *Talmudico Pesachim* fol. 54. 2. & in *Capitulis R. Eliezer* initio capitis decimi noni, ubi enumerantur res illæ decem, quas sub vesperam sextæ diei creatas fuisse fingunt; arietis nulla est mentio. Itaque hac in parte *Judæi* sibi non constant, quod in tanta mentiendi licentia mirum non est. Arietem quidem creare potuit Deus statim initio, & per multa sæcula in hunc usum servare: sed nihil fuit necesse, nec miracula ex nostro ingenio confingenda sunt. Sufficit, ut ea credamus, quæ Deus revelavit. Cujus hîc providentiam, non potentiam celebrat *Moses*. *Isaaco* enim, inquirenti de holocausto, responderat *Abraham* fore, ut Deus provideret, *Genes*. 22. *vers*. 8. Et postquam providisse vidit multo aliter, quàm putaverat, hoc ariete illi oblato, ipsi loco nomen indidit *DOMINUS PROVIDEBIT*, unde natum est apud posteros hoc Proverbium, *In monte Dei providebitur*, *Gen*. 22. v. 14. Deus igitur non creavit arietem, quod potentiæ fuisset opus; sed solùm *Abrahamo* obtulit, & fecit, ut commodum occurreret, quod fuit providentiæ. Neque quærendum est anxiè hîc aries unde venerit. Ovium à grege aberrantium Scriptura meminit passim. Et omnes sciunt vix quidquam esse, quod accidat frequentius. Proinde hunc arietem à vicino grege aberrasse verisimile est, & in *Abrahamum* incidisse, Deo rem sic dirigente, ne sanctus *Patriarcha*, qui sacrificandi animo illuc iverat, re infectâ discederet, & ut, filio à morte exempto, haberet unde Deo testaretur debitam gratitudinem. Hujus historiæ lacinias, sed de more interpolatas, *Græci* suis fabulis immiscuerunt. Sic *Iphigeniam* narrant à patre *Agamemnone Dianæ* fuisse oblatam: &, cum *Calchantis* ministerio jamjam esset mactanda, *Vox quædam*, inquiunt, *luco emissa, aspernari Numen sacrificii genus, & ob id abstinendum à corpore virginis*, &c. *Itaq; curarent id, quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolari*, &c. *Interim, deliberantibus cunctis, quidnam, & ubi esset, quod immolari juberetur, cerva, forma corporis admirandâ, ante ipsam aram intrepida consistit. Eam prædictam hostiam rati, oblatamq; divinitus, comprehendunt, moxq; immolant*. Ita *Dictys Cretensis*, vel quisquis illius nomine abutitur, libro primo sub finem. Alii aliud animal, aut anum etiam pro *Iphigenia* mactatam scribunt. *Tzetzes* in *Lycophronem* pag. 40. Ἰφιγενείας τῇ θυσίᾳ, καὶ μελλούσης θύεσθαι, ἄρκτος, ἢ ταῦρος, ἢ ἔλαφος διέδραμε μέσον τοῦ τῶν Ἑλλήνων στρατοῦ, καὶ προσταγαῖς τοῦ μάντεως διελθὸν ἐκεῖνο ἀναιρεῖται. *Cùm ad immolationem adstaret* Iphigenia, *& esset immolanda, ursus, aut taurus, aut cervus, medium* Græcorum *percurrit exercitum, & quodcunq; præteriit mandato vatis mactatum est*. Nec desunt, qui immolatam asserant ipsam *Iphigeniam*, aut, quod idem est, *Iphianassam*. *Lucretius* libro primo,

> Aulide *quo pacto* Triviai *virginis aram*
> Iphianassæo *turpârunt sanguine fœdè*
> *Ductores* Danaûm. - - - - -

Propertius de *Calchante* libri quarti *Eclogâ* primâ,

> *Idem* Agamemnoniæ *ferrum cervice puellæ*
> *Tinxit, &* Atrides *vela cruenta dedit*.

Et ipse *Calchas* ad *Græcos* libro secundo *Æneidos*,

> *Sanguine placâstis ventos, & virgine casâ*.

Sed ibi *Servius*, *Virgine casâ non verè, sed ut videbatur. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi. Nempe*, ut paulò ante dixerat, *cùm* Iphigenia *in eo esset*,

(b) Fol. 12. b. col. 2.

esset, ut immolaretur, Numinis miseratione sublata est, cervâ suppositâ. Et, cùm : ut ne ipse *Calchas* se virginem mactavisse, sensit se fuisse deceptum.

Ἔλαφος γὰρ ἀσπαίρουσ᾽ ἔκει᾽ ἐπὶ χθονί,

Cerva enim palpitans jacebat in terra. Ita refert nuntius, qui huic sacro interfuerat, apud *Euripidem* in *Iphigenia in Aulide* versu 1587. Et sequenti Dramate ipsa *Iphigenia*,

Ἀλλ᾽ ἐξέκλεψεν, ἔλαφον ἀντιδοῦσά μου,
Ἄρτεμις, Ἀχαιοῖς. - - - -

Sed me subduxit, cervam pro me subjiciens, Diana *Græcis.* Unde *Metamorphoseus* libro duodecimo,

Victa Dea est, nubemq; oculis objecit, & inter
Officium, turbamq; sacri, vocesq; precantum,
Suppositâ fertur mutasse Mycenida *cervâ.*

Et *Hyginus* Fab. 98. *Cùm parens eam immolare vellet,* Diana *virginis miserata est, & caliginem eis objecit, cervamq; pro ea supposuit.* In *Plutarchi Parallelis*, capite trigesimo quinto, similes fabulæ duæ sunt : una *Græca* ex *Aristodemo*, quæ sic habet: *Peste* Lacedæmone *grassante, cum ex oraculi monitu* Helena *fuisset aris admota, ut pro salute popularium immolaretur*, ἀετὸς καταπτὰς ἥρπασε τὸ ξίφος, καὶ εἰς τὰ βουκόλια κομίσας ἐπὶ δάμαλιν κατέθηκεν, *aquila devolans gladium arripuit, & in armentum deferens buculæ imposuit*, quæ proinde *Helenæ* substituta est. Altera *Romana*, ex *Aristidis Italicis*, de *Valeria Luperca*, quæ, in remedium grassantis pestis pariter immolanda, simili casu servata est, cùm arreptum gladium aquila injecisset δαμάλει τινὶ παρὰ τὸν ναὸν βοσκομένῃ, *in juvencam quandam prope templum pascentem.*

Hæc in genere ad historiam arietis, qui *Isaaco* substitutus est. Nunc, si libet expendere ipsa *Prophetæ* verba, *Abraham*, inquit, *sustulit oculos suos, & vidit. & ecce* איל אחר *arietem post tergum.* Ita *Hebræi* post *Hieronymum*. Sed exemplar *Samaritanum*, *Et ecce* ࠀࠉࠋ ࠀࠇࠃ *arietem unum*, id est, *Daleth* pro *Res*, quæ lectio magis arridet multis de causis. 1. Primò enim è veteribus longe plures habet assertores. Nam, si priori favet *Hieronymus*, posteriorem *Græci* sequuntur, & è *Chaldæis Jonathan*, & *Onkelos*, & *Samaritanus Paraphrastes*, & *Syrus*. *Arabes* quatuor vocem planè omiserunt, quia putârunt אחד hic esse superfluum, & verba *ecce arietem* tantum valere, quantum *ecce arietem unum*; hanc particulam non omissuri, si legissent אחר *à tergo.* 2. Si legas אחד per *Daleth*, planè parallelus erit hic locus cum altero *Dan.* 8. *v.* 3. *Et sustuli oculos meos, & vidi, & ecce* איל אחד *arietem unum*, &c. 3. *A tergo* Hebraicè esset אחור *achor*; non אחר *achar.* Et אחר ita solitarium potius est *temporis* Adverbium, quàm *loci.* 4. *Abraham* arietem à tergo *sublatis oculis* vidisse non diceretur, sed in posteriora reflexis. 5. Neque frustrà dicitur *Abraham unum* arietem vidisse. Aries quippe, cum gregarium sit animal, signanter dicitur hunc arietem *unum*, & *solum* fuisse, nec ulli gregi adjunctum. De eodem sequitur, fuisse detentum cornibus suis בסבך *in densitate*, aut *perplexitate* supple *sylvæ, fruticum*, aut *arborum.* Id enim esse supplendum patet, tam ex ipsa textûs serie, quàm ex locis similibus. Sic *Psalm.* 74. *v.* 5. *Prout secures sursum efferebat* בסבך עץ *in perplexitate lignorum*: Græci, ἐν δρυμῷ ξύλων. Esa. 9. v. 18. *Et incendet* (ignis) בסבכי היער *in perplexitatibus sylvæ*: Græci, ἐν τοῖς δάσεσι τοῦ δρυμοῦ. Esa. 10. v. 34. *Et ferro excidet* סבכי היער *perplexa sylvæ.* 2. Sam. 18. v. 9. *Venit* (Absalomi) *mulus* תחת שובך האלה הגדולה *sub perplexitate magnæ quercûs*: Græci, ὑπὸ τὸ δάσος τῆς δρυὸς τῆς μεγάλης. Nam שובך & סבך idem sunt, quamvis hoc per *Samech* scribatur, illud per *Sin*, ut שבכה *rete* Job. 18. v. 8. & passim in libris *Regum* & *Paralipomenon*. Unde *Arabum* شبكة & *Hispanorum* XABECA, vel XABEGA. Quomodo *rete* vocari constat; quia perplexum, & implicatum est opus. Itaque nihil hic fuit, quod remorari posset Interpretes. Et à mente *Prophetæ* plerique parum recedunt. Sic arietem *Jonathan* detentum fuisse ait באחוזתא ἐν ὑλήματι (ita *Hanoviensis* editio, non בחרושתא, ut aliæ perperam, & nullo sensu) *Onkelos*, באילנא, *in arbore*; *Syrus*, ܒܣܘܟܐ, *in ramis*; Arabs *Parisiis* editus, في شعب الشجر *in ramis arborum*; Arabs *Erpenianus*, في الشوك *in spinis*; alius *Arabs* manuscriptus, في شجرة *in arbore*; Aquila, ἐν συσχισμῷ, *in condenso* supple *arborum*; *Symmachus* tamen ἐν δικτύῳ, *in reti*, quod esset בשבכה. Et *Septuaginta Seniores*, & post eos *Theodotion*, ἐν φυτῷ Σαβὲκ, ac si סבך *sabec*, sit arboris, aut fruticis peculiaris speciei, in qua hæserit ille aries. Quod *Hesychius* βάθος explicat, sed legendum βάτος, *rubus*. Et *Cyrillus*, & *Phavorinus*, χρυσόλαχανον legerim χρυσόγονον. Sic à *Dioscoride* vocatur ὁ θάμνος πικρὸς, *frutex densus*, cui folia quernis similia. At χρυσόλαχανον, aliis ἀτράφαξις *atriplex*, olus est in hortis crescens, quod arietem detinuisse, aut implicâsse, ne somniando quidem quisquam finxerit. Alios taceo, quibus סבך *sabec*, est ἄφεσις *remissio*, ut *Syrum* ܫܒܩ *schabok*, per *Schin* & *Koph*: & *Græci Scholiastes* ineptias, qui σαβὲκ exponit ὀρθὸν, *rectum*, aut ἐκκρεμάμενον *sublatum*; ut aries, cornibus implicatis, erectus, aut sublatus hærens, melius referat *Christum* in cruce pendentem. Quale est, quod נאחז *detentum* Melito κρεμάμενον, & unus *Arabum*, quos in *Suecia* legi, معلقا *suspensum* reddit. Hinc Pseudo-*Athanasius* in *Interpretatione Parabolarum*, Quæst. 66. Φυτὸν Σαβὲκ ὁ τίμιός ἐστι σταυρός· *Planta* sabec *est veneranda crux.* Et arietem ibi detentum idem asserit *Christum* significâsse ἐν τῷ σταυρῷ θάνατον ὑποστάντα ὑπὲρ ἡμῶν, *qui pro nobis in cruce mortem subiit.* Sed nihil opus est *Hebræis* verbis vim facere, ut pateat hunc arietem fuisse figuram *Christi* pro nobis crucifigendi, cum res per se pateat satis, quod statim docebimus. Si *Hebræis* credimus apud *Jarchium*, ille aries היה רץ אצל אברהם והשטן סיבכו ומערבבו באילנות *sponte ad* Abrahamum *currebat: sed* Satanas *eum arboribus implicuit, & immiscuit.* Quod tamen tribuo potiùs Dei providentiæ, quâ sic detentum *Abrahamus*, jam annis gravis, nullo labore cepit pro *Isaaco* filio mactandum, & immolandum, ut *Propheta* subjungit, *Et* Abraham *accepit arietem illum, & obtulit eum in holocaustum* תחת בנו *pro filio suo.* Nempe, ut *Hebræi* volunt, *quidquid in ariete faciebat, Deum precabatur his verbis, Id benevolè accipe tanquam factum in filio meo*, כאלו בני שחוט כאלו דמו זרוק כאלו בני מופשט כאלו הוא נקטר ועשוי דשן *ac si filius meus jugularetur, ac si sanguis ejus funderetur, ac si filius meus pelle nudaretur, ac si is adoleretur, & in cinerem redigeretur.* Hæc *Rabbi Selomo*, quibus similia tradunt *Rabbi Benajah* & *Rabbi Phinees* in *Bereschith Rabba* sectione quinquagesima sexta. Dices arietem ita repertum Deo non debuisse offerri. Nam quisquis sacrificat, de suo debet, non de alieno sacrificare. *Honora Deum de tua substantia*, Prov. 3. v. 9. *De injusto immolantis oblatio ridicula est*, Eccles. 34. v. 21. Proinde *David Araunæ* boves emit, & solvit, Deoque tum demum obtulit. *Emam*, inquit, *dato pretio, nec holocausta gratis offeram Domino Deo meo*, 2. Sam. 24. vers. 24. Et à *Christo* is damnatur, qui patri dicit, ne teneatur ejus inopiam sublevare, *Korban* (seu *Deo devotum*) *id omne est, quo à me juvari posses*, Matth. 15. v. 5. & Marc. 7. vers. 11. Quia qui Deo vovet quæ patri necessaria sunt, aliena vovet, non sua. Nam pars

pars bonorum, quâ pater eget, mea non est, sed patris. *Zacchæus* quoque Publicanus *Luc.* 19. *v.* 8. malè parta restituit, antequam det pauperibus: *Dimidium*, inquit, *bonorum meorum do pauperibus*, &, *si quid cuipiam per fraudem eripui, reddo quadruplum. Do & reddo*, id est, *dabo postquam reddidero*, ex *Hebræorum* Phrasi, apud quos Copulativa *Vau* quandoque est Ordinativa. Sic *Jos.* 7. *v.* 25. *Eos igne combusserunt*, & *lapidibus obruerunt*, id est, *postquam lapidibus obruissent*. Job. 14. v. 10. *Morietur vir*, & *debilitabitur*, id est, *morietur postquam debilitatus fuerit*. Ex præmissis sequi videtur, *Abrahamum* non potuisse offerre arietem in dumis repertum, quia non erat *Abrahami* aries, sed illius, à cujus grege aberraverat. Nostra esse respondeo, quæ in loco publico inveniuntur, quamdiu ignoratur prior dominus. Ita crumenam, aut pecuniam in via si quis reperit, ea utitur tanquam sua, si nesciat cujus fuerit. Et bovem, aut ovem, cujus dominus ignotus est, servare jubetur qui reperit, donec à domino repetatur, *Deut.* 22. *v.* 2. Itaque semper servabit, si dominus nunquam repetat, aut si nusquam apparet. Neque enim potest esse dominus, quamdiu non apparet. *Non esse* enim, & *non apparere* tantundem valet, quoad eum, cui non apparet. Vide *Grotium De Jure Belli & Pacis* lib. 2. cap. 10. §. 11.

Pro corollario addam quomodo hic aries *Christum* figuraverit. Et in genere *Christus* aut aries, aut certè agnus fuit innocentia, lenitate, humilitate, & patientia. *Qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ejus. Qui, conviciis affectus, non conviciabatur vicissim*; &, *cum malis afficeretur, non minabatur, sed committebat* causam suam ei, *qui juste judicat*, 1. Pet. 2. v. 22. 23. *Ut ovis ad mactationem ductus est, ut agnus coram se tondente mutus, non aperuit os suum*, Act. 8. v. 32. Et, ut carne sua nos alit, *Joh.* 6. *v.* 53. sic lana vestit, unde est, quod *Christum induere* dicimur *Rom.* 13. *v.* 14. *Galat.* 3. *v.* 27. &c. & *alba vestimenta* jubemur *ab eo comparare, ne nuditatis nostræ dedecus appareat*, Apoc. 3. v. 18. Sed, ut ex his generalibus ad specialia descendamus; Hic aries ex *Abrahami* ovilibus sumptus non fuit, sed tanquam à Deo illi datus, & à non-quærente inventus: *Christus* itidem, de quo *Propheta* Esa. 9. vers. 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Et *Evangelista* Joh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit.* Et *Christus* ipse *Rom.* 10. 20. *Inventus sum à non-quærentibus me*, &c. *Abraham*, Deo loquente, sustulit oculos, & vidit arietem, quem antea non animadverterat: ita *Christus*, antea ignotus, per verbum Dei nobis patefactus est. *Hunc caro, & sanguis non revelavit; sed Pater, qui est in cælis*: Matth. 16. v. 17. Quod si *Abraham* arietem vidit à tergo, ut fert hodie recepta *Hebræi* textus lectio, ita etiam *Christi* diem vidit illum pone sequuturi, *Joh.* 8. *v.* 56. Virgulta, & spinæ, in quibus hæsit aries, sunt incommoda vitæ, cruces, & tentationes perpetuæ, cum quibus conflictatus est *Christus*. Denique, ut aries pro *Isaaco* est oblatus, qui in lumbis habuit universum Dei populum: ita *Christus obiit pro populo*, Joh. 11. v. 50. *Animam posuit pro ovibus*, Joh. 10. v. 11. *Ecclesiam acquisivit sanguine suo*, Act. 20. v. 28. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit. Vulneratus est propter iniquitates nostras. Attritus est propter scelera nostra. Castigatio pacis nostræ super eum est, & livore ejus sanati sumus*, Esa. 53. v. 4. 5.

III. Hoc quoque in ovibus, si miraculum non fuit, saltem est admirabile, quod arte nova *Jacobus* usus gregum avunculi *Labani* optimam partem suam fecit. Is nimirum *Labani* per annos quatuordecim servierat omnino gratis, idque tanta fide, & industria, ut *Labanis* greges, antea pauci, & tenues, in immensum excrevissent. Quo nomine *Laban* professus se multum *Jacobo* debere, mercedis illi dedit optionem. Petiit ille, ut è *Labanis* gregibus removerentur omnes oves variæ & maculosæ, illis solum relictis, quæ unius coloris essent. Ex quibus si quid varium in posterum procrearetur, id sibi in mercedem cederet. Quod facile concessit *Laban*, ex unicolore grege ratus discolores fœtus paucissimos oborituros, quia colores ferè sequuntur corporis temperamentum, quod plerumque propagatur à parentibus in sobolem: unde *Poeta*,

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos, &c.

Sed planè aliter accidit, quia *Jacob* triplici arte usus est, ut in fœtura gregum *Labanis* quidquid erat eximium ad se transferret. Quarum *prima* hæc fuit, quod virgis sumptis ex arboribus, quæ in illis locis suppetebant, populis nimirum, amygdalis, & platanis, earum amovit corticem per certa intervalla usque ad alburnum, quod, apparens inter eminentem corticem fuscum, discolores virgas efficiebat. Et has virgas, sic adaptatas aquarum canalibus, circumposuit ipso admissuræ tempore, ut ex earum aspectu matres fœtus concolores conciperent, & suo tempore in lucem ederent. Huic similis ars *altera* fuit, quod, postquam res successisset, & hac arte agni maculosi nati fuissent aliquammulti, illos, à reliquo grege sejunctos, & in unum collectos, *Labanis* ovibus semper objiciebat, ut fœtas matres feriret perpetuum hoc objectum, & ad agnos similes procreandos induceret. Quas tamen artes non adhibuit, nisi erga habitiores & vegetiores *Labanis* oves; cæteris ideò neglectis, ut ne sibi parerent, sed *Labani*. Quæ *Jacobi* fuit ars *tertia*. Hinc natæ duæ quæstiones: *Prior*, An naturæ fuerit opus vel divinæ omnipotentiæ, quod *Labanis* oves fœtus, vel virgis, vel agnis objectis concolores, pariebant? *Posterior*, An *Jacobo* licuerit *Labanem* avunculum suum gregum parte maxima, & optima, his artibus spoliare?

Neque harum quæstionum *prior* uno modo solvitur. Nam *Græci* Patres plerique ad miraculum referunt, quod ad virgarum obtutum varios agnos concepère *Labanis* oves. *Chrysostomus* Homil. 57. in *Genesin*, Ταῦτα ποιεῖ ὁ δίκαιος, οὐκ οἴκοθεν ὁρμώμενος, ἀλλὰ τῆς ἄνωθεν χάριτος ἐνηχούσης αὐτοῦ τῇ διανοίᾳ· οὐδὲ γὰρ ἦν κατὰ φύσεως ἀκολουθίαν τὸ γινόμενον, ἀλλὰ πολὺ τὸ παράδοξον, καὶ ὑπερβαῖνον τὴν φυσικὴν ἀκολουθίαν ἦν. *Hæc non fecit justus proprio ductu, sed superna gratia mentem ipsius inspirante. Non enim erat juxta naturæ ordinem quod fiebat, sed valde admirandum, & naturæ modum transcendens.* Et *Cyrillus* (*Glaphyr.* in *Gen.* lib. 5. pag. 147.) postquam videri dixit hoc opus naturali quâdam lege contigisse, per modum ἀπεμφαινόντως statim addit, Ἄῤῥητα δὲ τὰ τοιαῦτα παντελῶς, καὶ ταῖς ἡμετέραις ἐννοίαις ἄβατα· *Quin talia prorsus sunt ineffabilia, & nostris mentibus inaccessa.* Et *Theodoretus* in *Gen.* Quæst 89. Τὰς ῥάβδους ἐλέπισεν, οὐ ταύταις θαῤῥῶν, ἀλλὰ τὴν θείαν ἐπικουρίαν ἀναμένων· *Virgas decorticavit, non iis fretus, sed divinum auxilium expectans.* Sed videntur *Latini* Patres in diversa esse sententia. In quibus princeps *Hieronymus* in *Quæst. Hebr. Nec mirum*, inquit, *hanc in conceptu fœminarum esse naturam, ut quales perspexerint, sive mente conceperint in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreent: cùm hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud* Hispanos *dicatur fieri. Et* Quintilianus *in ea* Controversia, *in qua accusabatur matrona, quod* Æthiopem *peperisset, pro defensione illius argumentetur hanc conceptus esse naturam, quam supra diximus. Et scriptum reperitur in libris* Hippocratis, *quod quadam suspicione adulterii fuerat punienda, quod pulcherrimum peperisset, utriq; parenti generiq; dissimilem, nisi memoratus Medicus solvisset quæstionem, monens quærere, ne forte talis pictura esset in cubiculo: quâ inventa, mulier à suspicione liberata est.* Et *Augustinus* in *Gen.* Quæst. 93. *Multa dicuntur similiter fieri in animalium fœtibus: sed & mulieri accidisse traditur. Et scriptum reperitur in libris antiquissimi & peritissimi Medici* Hippocratis. Et quæ sequuntur, ut apud *Hieronymum*, ex quo sumpta sunt.

Idem

Idem (*De Civitate Dei* lib. 18. cap. 5.) docens qui factum fuerit, ut, *Apide* mortuo, semper alius reperiretur iisdem notis insignitus; *Non magnum erat demonibus ad eos decipiendos phantasiam talis tauri, quam solà cerneret, ostentare vaccæ concipienti, atque prægnanti, unde libido matris attraheret, quod in ejus fœtu jam corporaliter appareret. Sicut* Jacob *de virgis variatis, ut oves & capræ variæ nascerentur, effecit.* Isidorus *Orig.* lib. 12. cap. 1. Jacob *contra naturam colorum similitudines procuravit. Nam tales fœtus oves illius concipiebant, quales umbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur.* Ex quo specimine satis apparet *Latinos* Doctores naturali *Jacobi* industriæ id tribuisse, quod *Græci* virtuti Divinæ supra Naturam operanti.

Nos, in hoc dissidio, *Latinorum* sententiam, ut veriorem, ideò amplectimur, quia Naturæ Scriptores illi suffragari videmus, cum matrum prægnantium oculis aut imaginationi objecta statuunt imprimere fœtui notas indelebiles. Et de mulieribus quidem id multi tradunt. Sic apud *Galenum* in *Historia Philosophica* vetustissimus Philosophus *Empedocles* docet τῇ κατὰ σύλληψιν ὄψει τε καὶ φαντασίᾳ τῆς γυναικὸς μορφοῦσθαι τὰ βρέφη, πολλάκις γὰρ ἀνδριάντων καὶ εἰκόνων ἠράσθησαν, καὶ ὅμοια τούτοις τετόκασιν, *visu & imaginatione mulieris inter concipiendum formari fœtus, ità ut sæpe mulieres statuas & imagines adamaverint, iisque similes liberos procreaverint.* Et *Galenus* ipse in libro *De theriaca ad Pisonem*, Τὸν ἄμορφόν τινα δυνατὸν εὔμορφον θέλοντα γεννῆσαι παῖδα, ἐπὶ πίνακι γράψαι ἐν πλατεῖ ξύλῳ εὐειδές ἄλλο παιδίον· καὶ λέγειν τῇ γυναικὶ συμπλεκόμενος ἐκείνῳ τῷ τύπῳ τῆς γραφῆς ἐμβλέπειν. ἡ δὲ ἀτενὲς ἐμβλέπουσα, καὶ, ὡς ἔστιν εἰπεῖν, ὅλον τὸν νοῦν ἔχουσα, οὐχὶ τῷ γεννήσαντι, ἀλλὰ τῷ γεγραμμένῳ, ὅμοιον ἀπέτικε τὸ παιδίον. *Cum deformis quidam opibus potens formosum vellet procreare puerum, pingi curavit in lato ligno puerum alium valde elegantem: & uxorem in ipso complexu jussit, ut illam picturam inspiceret. Illa autem defixis intuens oculis, &, ut ita dicam, totam mentem illuc advertens, infantem non patri, sed picto similem peperit.* Quod *Galenus* factum addit, τῆς ὄψεως διαπεμπούσης τῇ φύσει τοὺς γεγραμμένους τύπους, *visu picti imaginem ad naturam transmittente.* Tale quid habet *Oppianus* de *Laconum* arte, ut formosos liberos consequantur, *Cynegeticῶν* libri primi versu 357.

Ναὶ μὴν ὧδε Λάκωνες ἐπὶ φρεσὶ μητίσαντο
Αἷσι φίλαις ἀλόχοισιν, ὅτ' ἐγκύμονες πέλοιντο,
Γράψαντες πινάκεσσι, πέλας θέσαν ἀγλαὰ κάλλη,
Τοὺς πάρος ἀστράψαντας ἐν ἠϊθέοισιν ἐφήβους.

Certè hoc pacto Lacones *ingeniosa commenti sunt in caris suis uxoribus, cùm utero turgent, pingentes in tabulis, propè constituunt splendidas formas* (eos scilicet) *adolescentes, qui olim inter homines emicuerunt.* Et postquàm in his censuit ex hominibus, *Nireum*, *Narcissum*, & *Hyacinthum*; ex semi-Dæis, *Castorem*, & *Pollucem*; ex Diis denique, *Apollinem*, & *Bacchum*; ità concludit,

Αἱ δ' ἐπιτερπόμεναι πολυήρατον εἶδος ἰδοῦσαι,
Τίκτουσίν τι καλοὺς ἐπὶ κάλλεϊ τερπόμεναι·

Illa verò oblectantur amabilem formam intuita, pariuntque formosos, super formam obstupefactæ. His adde quæ ex *Hippocrate* & *Quintiliano* suprà citavit *Hieronymus*, & historiolam recentiorum scriptis vulgatissimam, de muliere, quæ hirsutum puerum peperit, quia *Johannis Baptistæ* imago ei in conceptu obversabatur. Proinde *Isidorus* ubi suprà, *Indè est, quòd quidam gravidas mulieres jubent nullos intueri turpissimos animalium vultus, ut cynocephalos, & simias, ne visibus occurrentes similes fœtus pariant.* Et libro quarto *Heliodori*, cujus narrationes, quantumlibet fabulosæ, tamen veri speciem habent, *Charicleæ* mater, *Persina*, *Æthiopiæ* Regina, albam se filiam ideo peperisse dicit, quia, παρὰ τὴν ὁμιλίαν τὴν πρὸς τὸν ἄνδρα, προσβλέψαι τὴν Ἀνδρομέδαν ἡ γραφὴ παρασχοῦσα, καὶ πανταχόθεν ἐπιδείξασα γυμνὴν, ὁμοειδὲς ἐκείνῃ τὸ σπαρὲν ἐκ τῆς ὁμιλίας ἐμόρφωσεν, *in consuetudine cum viro pictura* Andromedam *videndam offerens, & undequaque nudam exhibens, sparsum semen illi simile quid infeliciter efformaverat.* Hinc libro decimo ex ea tabula *Persina* legitur ἐσπακέναι τινὰ εἴδωλα, καὶ φαντασίας ὁμοιότητος, *attraxisse quædam simulacra, & imaginationes similitudinum*: unde factum sit, ut *Andromedam Chariclea* planè referat. Ex horum igitur sententia, si in mulieribus imaginatio effigiem suam fœtui insculpsit, multò magis in brutis; quia ut brutorum animus humano est minùs mobilis, & quasi ad unum defixus, ità in embryo notas firmiùs atque altiùs imprimit. Unde est, quòd *Philosophus* (*Problem.* sect. 10. §. 12.) fœtus in brutis parentum naturas ideò magis referre, quam in hominibus docet, ὅτι ὁ μὲν ἄνθρωπος πολλαχῶς διατίθεται τὴν ψυχὴν κατὰ τὴν ὁμιλίαν. καθὼς δ' ἂν ὅτε πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ διατίθωσιν, οὕτω ποικίλλεται καὶ τὰ τικτόμενα. τὰ δὲ ἄλλα ζῶα, τὰ μὲν πλεῖστα πρὸς αὐτὸ τοῦτό εἰσι· *quia sæpe in ipso congressu hominis animus variè afficitur: prout autem affecti fuerint pater & mater, ita fœtus evariant; at reliqua animalia pleraque ad hoc solum intenta sunt.* Quod sic imitatur *Plinius* lib. 7. cap. 12. *Similitudinum quidem in mente reputatio est, & in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam utriuslibet, animum subitò transvolans, effingere similitudinem, aut miscere existimatur. Ideoque plures in homine, quàm in cæteris omnibus, differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenii varietas multiformes notas imprimit: cùm cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque in suo cuique genere.* Itaque quod in ovibus *Jacobus* legitur præstitisse, id alii in equis, & asinis, aliisque animalibus præstiterunt. Absyrtus, *Sunt, qui, rerum perpulchrarum studiosiores, asinum, equum, aut alium quemvis admissarium hujus coloris, vestimento contegunt, quem futuram pullationem referre volunt: siquidem qualem vestitu colorem ii mentientur, in talem enata progenies degenerabit.* Oppianus, *Cynegeticῶν* libri primi versu 327.

Ἀνθάκι δ' ἄλλα βροτοὶ πανεπίφρονα μητίσαντο,
Πῶλον ἐπιγράψαι καὶ νηδύϊ μητρὸς ἐόντα.
Ὦ πόση κραδίη, πόση μερόπεσσι πέλει φρήν!
Ἔρξαν ὅπως ἐθέλουσι. θέσαν πολυειδέας ἵππους
Μητρὸς ἔτι γλαγόεντι περισχομένους λαγόνεσσιν,
Ὁππότε θηλυτέρην γ' ἕλη φιλότητος ἐρωή,
Ἵππον δ' ἐγγὺς ἰόντα κλυτὸν μεγαλήτορα μίμνη.
Δὴ τότε δαιδάλλουσι πόσιν καλὸν, ἀμφὶ δὲ πάντη
Πάντ' δέμας εὐστίκτοισι περὶ χροιῇσι γράφουσι,
Καὶ ποτὶ λέκτρον ἄγουσιν, ἐπ' ἀγλαΐῃ κομόωντα.

Sæpe verò alia homines ingeniosissima excogitârunt, ut (videlicet) *pullum stigmatizent etiam in matris utero latentem. O quantum ingenium, quanta hominibus inest solertia! Faciunt quomodocunque volunt. Faciunt versicolores equos lactentes etiamnum matris ilibus contentos. Cùm enim equam corripuerit amoris impetus, & equum accedentem inclytum & animosum expectat: tunc sanè pingunt maritum formosum, & usquequaque totum corpus variis coloribus insigniunt, & ad cubile ducunt forma se efferentem.* Et paulò post,

Ἡ δ' ὑποκυσαμένη πολυανθέα γείνατο παῖδα,
Νηδύϊ μὲν πόσιος γόνιμον θορὸν ἀείρασα,
Δεξαμένη μορφὴν δὲ πολύχροον ὀφθαλμοῖσι·

Illa autem gravida facta floridum parit filium, utero quidem mariti fœcundum semen auferens, versicolorem verò formam oculis recipiens. Sequitur de columbis, quæ in amore miscentur, versu 353.

Δὴ τότε μήτιν ὕφαινε κλυτὴν τεθασσοτρόφος ἀνήρ·
Ἀγχι δὲ θηλυτέρῃσιν ἐθήκατο δαίδαλα πολλὰ
Εἵματα πορφύρεα· ταὶ δὲ κλιδὸν ὥστε βαλοῦσαι,
Θυμὸν ἰαινόμεναι, τίκτουσ' ἀλιπόρφυρα τέκνα.

Tunc equidem solers consilium texit, qui cicures aves nutrit: prope fœminas scilicet dædala multa vestimenta purpurea collocat; illæ verò, limis oculis conjectis, animoque oblectatæ, purpureos pullos pariunt. *Isidorus* quoque cum equos, tùm columbas his artibus ad libitum effingi scribit. *Hoc ipsum*, inquit, *in equarum gregibus fieri fertur, ut generosos objiciant equos visibus concipientium, quo eorum similes concipere, & creare possint. Nam & columbarum dilectores depictas ponunt pulcherrimas columbas iisdem locis, quibus illæ versantur, quo, rapiente visu, similes generent.* Et quâ ratione id fiat, sic docet *Avicenna* libro quinto *De Animalibus*, quem *Arabicè* videre nondum contigit; *Fortis imaginatio spiritus aëreos, & naturâ sua mobiles, statim movet, hisque optata rei speciem insculpit; & spiritus sanguini, proximo fœtûs alimento, permisti eandem figuram imprimunt.* His auctoribus, atque exemplis freti, *Jacobi* factum, & successum, Naturæ quidem adscribimus; sed ità, ut Deum putemus naturalibus mediis extraordinariè benedixisse. Quod *Jacobo* significatum est per visionem Angeli, maculosos illi admissarios ostendentis, qui admissuræ tempore capras & oves inibant, & Deo patere asserentis quidquid à *Labane* passus esset, ut se à Deo protegi sciret, & illi curæ esse res suas. Vide *Gen.* 31, 11. 12. 13.

Priore quæstione sic soluta, difficile non erit etiam *alteram* solvere, qua quærebatur, Utrùm *Jacobo* licuerit iis artibus, quas diximus, avunculum spoliare gregis sui parte maxima, atque adeò præstantissima? Apparet enim licuisse, quandoquidem, Deo per Angelum monente, & movente, id factum constat. Alioqui videretur *Jacobus* cum avunculo non satis ingenuè egisse. Nam inter illos convenerat, ut variæ oves *Jacobi* essent: nempe quæ sorte, seu casu; non quæ arte sic nascerentur. Ea enim fuit mens *Labanis*. Et contractus intelligi debet ex communi mente contrahentium. Frustrà *Jacobum* regesseris clavum clavo trusisse, & artem arte delusisse, nec nisi graviter læsum ità egisse cum avunculo. *Laban* enim *Rachelem*, quam gratis dare debuerat, eamque non indotatam, *Jacobo* vendiderat septem annorum servitio. Quibus peractis, summa fraude *Leam* illi substituerat, & aliud servitii septennium pro ea extorserat, & in omnibus erga generũ iniquissimè se gesserat. Nec ulli erant judices, apud quos de illatis ab avunculo injuriis posset conqueri: ità ut coactus fuerit jus ipsi sibi dicere, & suum repetere, quomodocunque potuit. Hæc, inquam, à nonnullis in *Jacobi* defensionem frustrà afferuntur. Neque enim malum malo repellere, & proprias injurias ulcisci, & accepta damna sarcire, privatis licet. Quin verè fidelium est *malum bono vincere*, *Rom.* 12, 21. vindicemque, & ultorem Deum expectare, qui dicit, *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore*, Deut. 32, 35. Et verò id à *Jacobo* sanctè & religiosè observatum est, qui, toties & tam graviter læsus ab avunculo, tamen se semper illi præstitit servum fidelem: donec eâ arte, quam diximus, suum repetiit, auctore Deo, qui partem opum, quas *Laban* ex *Jacobi* labore comparaverat, in *Jacobum* justè transtulit, quomodo vasa *Ægyptiorum* voluit ab *Israëlitis* auferri, in durissimæ servitutis mercedem, ingratis dominis absque ullo stipendio per multos annos exhibitæ. Unde *Philo*, vel quisquis alius auctor est libri *Sapientiæ*, capitis decimi versu decimo septimo; Ἀπέδωκεν ὁσίοις μισθὸν ἐσιότητος κόπων αὐτῶν. *Reddidit sanctis mercedem sanctitatis laborum suorum.*

IV. Superest quartum miraculum in *Gedeonis* vellere, qui à Deo ad id vocatus, quod videbatur supra vires, nempe ad liberandos *Israëlitas* à *Madianitarum* jugo, quo graviter premebantur, petiit aliquo signo in hac vocatione confirmari. *Si tu* (inquit) Israëlem *manu mea servaturus es, quemadmodum loquutus es: en ego statuo lanæ vellus in area; si ros fuerit in solo vellere, & in tota terra siccitas, sic novero te manu meâ servaturum* Israëlem, *Jud.* 6, 36. 37. Pro *lanæ vellere* alibi legas *ovium* aut *agnorum vellus*; ut *Deut.* 18, 4. & *Job.* 31, 20. Quæ adduntur διορθωτικῶς, quia *Hebræum* גזה, vel גז, non solùm *vellus* significat, sed & *herbam resectam, fœnisecium*; ut *Ps.* 72, 6. & *Amos.* 7, 1. In area porrò ponitur vellus cœlesti rore imbuendum, quia tum erant sub dio illæ areæ, in quibus grana ventilabant, vel triturabant; non, ut nostræ, sub tecto clausæ. Proinde illas omni vento patuisse constat ex his *Os.* 13, 3. *Sicut palea turbine rapta ex area.* *Area* Hebræis est גרן *goren.* Fallor, an indè *Græci* γῦρον dixerunt pro *gyro*, & *ambitu*? Rotundas enim esse oportuit areas, ut boves, in iis in gyrum acti, grana pedibus triturarent. Quocircà *Græca* vox ἅλως, vel ἅλων, quæ *aream* significat, etiam pro *circulo* passim sumitur: ut in *Æschyli* Tragœdia, cui titulus *Septem ad Thebas*, versu 441.

Ἅλω τε πολλὴν (ἀσπίδος κύκλον λέγω)

Et multam halo, clypei circulum dico. Et in *Polluce* ἅλως in oculo est ὁ ὑπὸ τὴν ἶριν κύκλος, ὁ τοῦ λευκοῦ προσεχὴς, *circulus ad irim albuginis proximus.* Apud *Physicos* quoque ἡ ἅλως est *circulus apparens circa solem & Lunam*, Senecæ *circulus siderum.* Sed & Æthiopicè ዐውድ: *area* (a) est à verbo ዐወደ: quod *circumire*, & *circumdare* (b) significat. Quod ideò hic observo, quia videtur *David Hebræum* verbum עוד eodem sensu usurpare *Ps.* 119, 61. ubi *Hebræa* חבלי רשעים עודני *Græci* reddunt Σχοινία ἁμαρτωλῶν περιεπλάκησάν μοι & *Vulgatus*, *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: quæ versio est aptissima, & loco maximè convenit. Dum in eo sumus, non possum non addere *areæ* nomen *Arabicum* اندر *ander*, ut *Chaldaicum*, & *Syriacum* ܐܕܪܐ *iddera*, pro *indera*, literâ N latente in *Daghes*, fieri, ut quidem suspicor, ex *Græco* ἄνδηρον, vel ἀνδηρὰς, per κατάχρησιν. Neque enim ἄνδηρον est *area triturantium*, sed *horti area*, vel *areola*. Suidas, Ἄνδηρα, μέρος τι τοῦ κήπου, ὥσπερ ἡ πρασιά· Andera, *pars quadam horti, ut areola.* Ità etiam ἀνδηρὰς. *Hesychius*, Ἀνδηράδες, πρασιαί. *Theocritus* in *Bucoliastis* ἄνδηρα usurpat pro *floribus* alià καταχρήσει, quia in hortorum areolis crescunt. *Gedeon* porrò, cum à Deo petit, ut areâ siccâ madeat solum vellus, supponit roris distillationem divinum esse donum, quod Scriptura sæpe testatur. Sic *Gen.* 28, 28. *Det tibi Deus de rore cœli.* Et *Mich.* 5, 7. *Ros à Domino*: qui proinde dicitur *generare guttas roris*, Job. 38, 28. id est, virtute sua procreare. Hinc in peccatores infensus, 1. *Reg.* 17, 1. minatur per *Eliam* se rorem cohibiturum, ut ne terram aspergat: & *Agg.* 1, 10. se clausurum cœlum à rore, id est, ne dimittat rorem. Et idem pacatior *Zach.* 8, 12. pollicetur se facturum, ut cœli dent rorem suum. Itaque qui virtute ordinariâ rorem solet ubique ex æquo demittere, rogatur hic, ut extraordinaria virtute roris defluvium in *Gedeonis* aream ità moderetur, ut solum vellus irriget. Quod & à bono Deo factum est: cùm enim summo manè surrexisset *Gedeon*, reperit in area sicca vellus ità madere, ut ex eo expresserit *plenum aquâ simpulum.* *Hebræum* ספל sephel, *simpulum* reddo post *Scaligerum*, qui ex ספל *sephel*, deduci putat *simpulum*; ut *sindon* ex סדין *sedin*; & *camphora* ex كافور *caphur*; & τύμπανον ex תוף *toph.* Hoc saltem vero similius, quam, quod vult *Varro*, *simpulum* à *sumendo* dici. Dubitari tamen potest, an ספל sit prorsus idem, quod *simpulum.* In Scriptura ספל bis solùm occurrit, hic, & in Cantico *Deboræ* capitis præcedentis versu vigesimo quinto, ubi *Jahel Sisaræ* butyrum offert בספל אדירים *in sephel, seu vase magnificorum.* Ex utroque loco colligere est ספל *sephel*

(a) In Æthiopico Paralipomenis(?) Matth. 3, 12. & Luc. 3, 17.
(b) Ibid. & Matth. 12, 45. & 23, 15. Luc. 9, 6. Act. 9, 13. & 21, 13. &c.

sephel, esse vas patens, & satis amplum. Quò facit, quod pro *pelvi* sumitur in *Misna*, Tractatus *Bava Bathra* capite quarto, ubi qui vendidit balneum, non censetur cum balneo etiam asseres vendidisse, והספלין *& pelves*. At simpulum vas parvum fuit. Festus, *Simpulum vas parvum fuit, non dissimile cyatho.* Unde *Glossæ* veteres, *Simpulum*, κύαθος. Et pro vasculo videtur sumi in *Ciceronis* Adagio, libro tertio *De Legibus*; *Excitabat fluctus in simpulo, ut dicitur*, Gratidius, *quos post filius ejus* Marius *in Ægeo excitavit mari.* Præterea in *Misna* Tractatu *Succa*, capite quarto, memorantur ספלין של כסף id est, *argenteæ pelves.* At simpulum fictile fuit. *Plinius* lib. 35. cap. 12. *In sacris quidem, etiam inter has opes, non myrrhinis, crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpulis innocentius.* Et *Apuleius*, *Apologia* primâ, *Diis immortalibus simpulo & catino fictili sacrificat.* Tamen utrumque vas in sacris adhibitum fuisse constat. De simpulo jam probavimus ex *Plinii* & *Apuleii* locis, quibus adde ex *Varronis De lingua Latina* libro quarto, *In sacrificiis remansit guttum, & simpulum.* Et ex *Festo*, *Simpulum, vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabant. Unde & mulieres, rebus divinis deditæ, simpulatrices dicuntur.* Cui de ספל *sephel*, similis est locus in *Jonathane* Num. 15, 7. וחמר ענבא תלתות הינא תקריב בסיפלי לניסוכא *Et vini uvarum trientem* ☩ *Hin offeres in siphle* (seu *simpulis*) *pro libatione.* Et in *Talmudico* Tractatu *De Sacrificiis*, cap. 10. in *Gemara*, יין תקריב לנסך לספלין *Et vinum offeres pro libamine in simpulis.* Et *Exod.* 24, 6. ubi è sacrificii sanguine legitur *Moses* partem in altari fudisse, partem באגנות *in pelvibus*, *Hierosolymitanus* אגנות reddidit ספלין, ut *Aruch* auctor est. Itaque ספל & *simpulum* in sacris eundem usum habuerunt. Tamen *simpulum* propriè est *fictilis cyathus*; & ספל *sephel*, potiùs *pelvis* ex quacunque materia. Rectè igitur in *Gedeonis* historia, in qua versamur, *Græci* λεκάνην, id est, *pelvim*, reddunt; *Chaldæusque*, & *Syrus* ܠܩܢܐ *lakna*, quod idem est.

Nec malè *Arabs* سطل *setel*, id est, *situlam*, vel, ut *Arabes* definiunt, *haustrum ansatum, quo in balneis, qui lavantur, aquam hauriunt.* Et Hieronymus *concham*, id est, *pollubrum in conchæ formam.* Proinde idem 2. *Paral.* 4, 6. *Fecit quoque conchas decem*, &c. *ut lavarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant.* Et *Juvenalis* Sat. 6. *Cum bibitur conchâ*, Hyperbolicè pro grandiore poculo, aliter quam apud *Græcos*, quibus κόγχη, vel κόγχιον est *vasculum*, vel mensura naturali conchâ non major. Eodem facit, quod in Cantico *Deboræ* ספל *sephel*, redditur פילי, *phiala*, à *Chaldæo*, & *Hieronymo*. Quæ *Athenæo* non est *poculum*, sed χάλκεόν τι, κοῖλον πέταλον, λεβητῶδες, δύο ὦτα ἔχον ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, *æneum quid, & patulum, lebeti simile, ex utraque parte auritum.* At *Asclepiadi Myrleano*, ἡ μὲν φιάλη κατ' ἀντιστοιχίαν ἐστὶ πιάλη, ἡ τὸ πιεῖν ἅλις ἔχουσα· μείζων γὰρ τῶν ποτηρίων, *phiala, per transelementationem dicitur, quasi piala, quia continet quantum ad bibendum satis: major enim poculo est.* Hæc omnia pertinent ad augendum miraculum, quo vellus in area sicca tam multo rore aspersum est, ut ex eo *Gedeon* expresserit quantum satis fuit ad implendum ספל *sephel*: quâ voce non intelligitur *Romanorum simpulum*, id est, vas parvum, sed phiala utrimque ansata, aut situla, aut pelvis, cujus in balneis usus est. *Gedeon* tamen, hoc miraculo nondum plenè confirmatus, audet aliud à Deo petere, nempe ut, versis vicibus, in area rore madida maneat siccum vellus: *Ne, inquit, ira tua in me accendatur, & loquar tantum hâc vice:* אנסה *tentabo solum hac vice in vellere: sit precor siccitas in solo vellere, & super totam terram sit ros.* In quæ verba *Rabbi Levi*, לא הספיק לו האות הא׳ כי מדרך הגזה שתמשוך* הלחות ולזה שאל אות שני הפך הא׳ *Non sufficit ei miraculum primum, quia est de natura velleris, ut attrahant illud humores. Ac proinde petiit miraculum secundum, contrarium primo.* Et *Gedeonis* votum statim exaudiit Deus. *Et illa ipsa nocte siccitas fuit super vellus, & ros super universam terram. Illa ipsa nocte*, inquit, בלילה ההוא. Ros enim alius manè pluit, alius ipsa nocte. Ille in *Osea* dicitur טל משכים, δρόσος ὀρθρινή, *ros matutinus*, Os. 6, 4. & 13, 3. Et ῥανὶς δρόσου ὀρθρινῆς, *gutta roris matutina*, Sap. 11, 23. Hunc *guttas noctis* vocat *Solomon Cant.* 5, 2. ubi sic sponsus, *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctis.* *Arabes* hæc distinguunt propriis nominibus. Illis enim æquè, ac *Hebræis* طل tal *rorem* in genere sonat; & ندي *nedan matutinum*, ut سدي *sedan nocturnum rorem* sonat. Utroque tempore pluebat *Manna*, aut ros illi prævius, de quo dicitur *Exod.* 16, 13. *Manè quoque ros jacuit per universum castrorum.* Et *Num.* 11, 9. *Cumque descenderet nocte super castra ros.* At hic Deus, non matutinis horis, sed illa ipsa nocte, quâ rogatus fuerat, rore totam aspergit aream, sicco manente vellere. Sic enim parata & obvia esse solent Dei beneficia, ità ut preces nostras non tam sequantur, quàm occupent, atque antecedant. Ut *Gen.* 24, 15. ubi *Abrahami* servus exauditur, antequam intra se orationis verba complevisset. Et *David* Ps. 32, 5. *Dixi, Confitebor*, &c. *Et tu remisisti*, &c. Et *Dan.* 9, 21. *Adhuc me loquente in oratione, ecce Gabriel, &c.* Denique *Es.* 65, 24. *Eritque, ut, antequam clament, ego respondeam, & adhuc illis loquentibus ego exaudiam.* Quæ eò pertinent, ut sciamus Deum suis promptè adesse, quotiescunque urget periculum, & præsenti subsidio est opus.

* Lege תמשכוה

Nunc paucis occurremus iis, qui *Gedeonem* insimulant, quasi diffidentiæ suæ magnum specimen ediderit, petendo, ut Dei verbum, quod planum, & apertum erat, duplici miraculo confirmaretur; tanquam alioqui non crediturus. Illumque hoc ipso addunt Deum gravissimè tentâsse, & eâ responsione dignum fuisse, quâ *Christus Pharisæos* excepit; *Generatio mala, & adultera signum quærit*, &c. *Matth.* 12, 39 & 16, 4. Quæ si vera sunt, quomodo Deo gratus fuit, & acceptus, & oratio ejus exaudita? Et quorsum *Gedeonis* fides ab *Apostolo* commendatur *Hebr.* 11, 32. Ut igitur quæstioni satisfiat, fatendum quidem est, *Gedeonem* non statim plenè credidisse, sed initio vacillâsse, & fluctuâsse, ut qui dicebat, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*, Marc. 9, 24. Proinde *R. Levi* non malè *Gedeonem* ait fuisse מאמין ואינו מאמין *credentem & non credentem*, id est, ità credentem, ut tamen aliquid superfuerit hæsitationis. In quo statu cum esset, petiit, ut sua fides aliquo signo confirmaretur. Neque illum negaverim hâc suâ petitione Deum aliquo modo tentavisse. Habemus enim confitentem reum, cùm, post prius miraculum de solo vellere sicco, contrarium alterum petiit, *Tentabo*, inquit, *solum hac vice.* Sed duplici modo tentatur Deus. Nonnunquam infirmitate fidei, quæ, sentiens se labascere, confugit ad miracula, quibus fulciatur, & sublevetur, quomodo qui titubat baculum petit, quo sustentetur. Nonnunquam etiam insita animi pervicacia tentatur Deus ab iis, qui non solùm increduli sunt, sed & prorsus infideles, nec miraculum petunt ut credant, sed ne credant, quia de Dei potentia, & providentia quidquid dicitur, inter fabulas rejiciunt, & verbo ejus non acquiescunt, quin ut futile, & absurdum irrident. Priorum exemplum est to *Gedeon*, qui jam crediderat antequam signum à Deo peteret, &, prout fuerat jussus, aram idoli subverterat, & undequaque nuntios ad *Israelitas* miserat,

rat, multaque hominum millia convocaverat, & copiosum exercitum jam conscripserat. Quibus fidei suæ signis editis, nondum tamen plenè confirmatus, amplius confirmari postulavit extraordinariâ ratione, ut vocabatur ad munus prorsus extraordinarium. Neque dubium, quin *Ezechias* (Rex omnino pius, & sanctus, & atavi *Davidis* vestigiis insistens 2. *Reg* 18, 3.) ità fuerit affectus, cum petiit, ut Dei promissio de valetudine intra triduum perfectè restituenda signo aliquo confirmaretur, 2. *Reg*. 20, 8. Sed *Scribæ*, & *Pharisæi*, qui signum à *Christo* petebant, cum omnino rejecerant. Neque illis signis contenti, quæ multa, & valde illustria in terris jam ediderat, alia petebant e-di cœlitùs, *Matth*. 16, 1. quæ ut priora despexissent, atque insuper habuissent. Venerant enim ad eum πειράζοντες, id est, ut rectè exponit doctissimus interpres, ut experirentur ecquid hoc posset præstare quod petebant, sed captiosè, & malo animo ad id petendum ipsos instigante, nempe quod sperarent se aliquid in eo reperturos, unde justæ reprehensionis occasionem arriperent. Duo tentandi genera, quorum unum licitum, alterum illicitum, *Saadias* ità distinguit. הנסיון ביכולת הבורא אסור כמו שאמר וינסו אל בלבבם ואמרו הגם לחם יוכל תת אבל גדעון לא היה לו ספק ביכולת הבורא אלא רצה לנסות אם הוא ראוי לנס גדול כזה: *Tentatio de potentia creatoris vetita est, prout dicitur* Psal. 78, 18. « *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, & dixerunt, An etiam poterit dare panem? Sed* Gedeoni *nulla fuit dubitatio de creatoris potentia. Tantùm tentare voluit, an dignus haberetur tam insigni miraculo.* Alii signum petiisse volunt, ut sciret an verè Dei esset Angelus, qui illum compellaverat.

CAPUT QVINQVAGESIMUM
De Agno *Paschali.*

Miraculum Paschalis *agni cur majus præcedentibus. In eo* Christi *typus valde expressus. Septem de* Paschate *tractanda. I. Nomen, quod* Chaldæum *est. Radix* פסח pasach, *significat* διαβαίνειν, & ὑπερβαίνειν. *Quid* διαβατήρια Græcis. *Ratio nominis. Cur* Baalitæ *altare transilierint,* 1. Reg. 18, 26. *variæ interpretationes.* Hieronymiana *præfertur.* Paschæ *vox quàm homonyma.* Παχαλικὸς *quis.* Syri, Æthiopes, *&* Græci Paschæ *nomen quàm variè reddant. II.* Paschæ *tempus mensis* Abib, *quæ vox variè redditur. Mensis* Βύσιος Delphis, *quasi* Φύσιος. *Mensis* Nisan Chaldæis *unde dictus; quod nondum observatum. Hoc belli gerendi fuisse tempus, ut* Martium *nobis,* Στρατεῖον Bithynis, Φαμενὼθ Ægyptiis. Abib *è septimo factus mensium primus.* Pascha *inter duas vesperas. Quid sint duæ vesperæ. Idem* Chaldaicè *&* Talmudicè, duo Soles: Græcis δείλη πρωΐα, *&* δείλη ὀψία, *quæ Latinis* vesper serus. *Quam multa fecerint Sacerdotes inter duas vesperas, & quo ordine. Duabus illis vesperis tertiam addi perperam ex* 1. Sam. 20, 5. *Tempus medium inter duo extrema posse ab alterutro denominari.* Pascha *non celebratum est vespera diei* XIV. *incipientis, sed desinentis.* Christus *ultimum* Pascha *celebravit eodem die, quo* Judæi. *Quo sensu multi è nostris* Christum *velint diem à* Judæis *receptum anticipâsse. Canones* Judæorum *de* Paschate Christi *ætate nondum fuisse in usu, neque cum* Talmud *scriptum est, ex ipso* Talmude *probatur, & ex* Patribus. Judæos *olim* Pascha *constituisse per Lunæ φάσεις. Quod probatur ex* Maimone, *&* ex Karaita *quodam Anonymo. Quâ ratione id factum. Privato non licuisse id mutare. Mutatio, qualem volunt, fuisset inutilis.* Pascha Hierosolymis *nunquam per biduum celebratum. Nec inventum* κατὰ τὴν σύνοδον. Mosis *ætate nulli in* Ægypto *Astrologi. Solvuntur objectiones. An* Christus *die festo morti sit traditus. Festo* Paschatis *quædam licuisse, quæ Sabbatho vetita. Horæ festi nocturnæ diurnis minùs sacræ. Scelera gravissima diebus festis patrata.* Paschalis *agnus die festo non mactabatur, sed die* ἐργασίμῳ. Joh. 18, 28. Pascha manducare, *id est,* Paschalia *sacrificia ab agno diversa.* Deut. 16, 2. Mactabis Pascha *eodem sensu dictum.* Parasceve, *id est, dies* Veneris Joh. 19, 14. Parasceve Paschæ *non est præparatio ad* Pascha, *sed ad* Sabbatum, *ideò* Paschæ *dicta, quia in* Paschæ *festum incidit.* Magnam diem *posse dici quodlibet festum.* Magnum Sabbatum *quando.* Philo *de more crucifixos è cruce die festo deponendi. An primi* Christiani *crediderint* Pentecosten, *de qua* Act. 2. *in diem* Dominicam *incidisse. An quinquaginta dies à* Paschate *ad* Pentecosten *potuerint à* Sabbato *incipere.* Impleri *Hebræis, id est,* impletum esse. *Quo anno* Christus *passus est.* Dominica in Ramis *nonnisi quinque diebus præcessit festum* Paschatis. Pascha *secundo mense cur institutum.* Pascha *primum, & secundum, quid commune, aut diversum habuerint.* Pascha *primum sub* Ezechia, *cur secundo mense celebratum. An* Pascha *potuerit in tertium mensem rejici. III. In* Ægypto *agni domi mactati, in* Judæa Hierosolymis, *& in Templi atrio.* Pascha *verum fuisse sacrificium tam ex Scriptura probatur, quàm ex ipso ritu. Sanguis agni Deo oblatus, & ad altare aspersus, in quo formalis ratio sacrificii. Quomodo in* Ægypto *hæc aspersio observata. Ibidem fuisse propitiatorium. Ejusdem adeps Deo adolebatur. Refelluntur, qui* Pascha *putant ubivis potuisse mactari, & comedi. Quomodo tot agnorum millia paucis horis potuerint in Templi atrio mactari, & offerri. IV. Ante Sacerdotes institutos primogeniti eorum munia obierunt. Etiam in* Judæa *plebeios die* Paschatis *pro Sacerdotibus fuisse* Philonis *error.* Θυσίαν ἀνάγειν, Lucæ, *&* Philonis *Phrasis. Plebeii quidem* Paschalem *agnum, sed & alias victimas æquè mactabant. Sed soli Sacerdotes sanguinem accipiebant, & aspergebant. In sacrificiis quinque res ad plebem attinent, quinque ad solum Sacerdotem. Populi census quomodo per agnos factus. V. Convivæ vel genuini, id est, veri* Judæi; *vel adscititii, id est, qui* Judæi *fiebant, quorum plura genera. Nemo incircumcisus admissus. Baptismus* Judæorum. *Servos emptitios non potuisse invitos circumcidi. De vernis quid statuendum: & de apostatis.* Chaldæum *aliter legisse* Exod. 12, 43. *Fœminas ad tria festa venisse, & sacrificia participâsse: in his* Paschalia *etiam, nec pro incircumcisis habitas. Legalis immunditia excludebat. Immunditia quædam solùm in diem, alia diuturniores. Quomodo immundi ad* Pascha *admissi,* 2. Par. 30. Sanare, *id est* peccata remittere. *Remotum iter, quod à* Paschatis *communione excusabat, aliter à* Philone, *aliter à recentioribus* Hebræis *definiri. Agni convivæ per domos conveniebant.* Familia *latiùs patet, quàm* domus. *Cùm minor erat domus, vicini advocati. Convivæ quot circiter. Quantum unusquisque comederit* Contubernia *quomodo* Hebraicè *&* Græcè *dicta, & ex qualibus constiterint. VI. In ritibus observanda, 1. victimæ separatio, 2. mactatio, 3. assatio, 4. manducatio. 1. Seponi jubetur* שה seh, *id est,* agnus, *vel* hœdus: *tamen potiùs* agnus; *quod multis probatur.*

Fabu-

Fabulosum Isaaci Pascha *in* Eliezeris Capitulis. *Agnus in Ægypto cur die decimo sepositus.* Josephus *notatus.* Aries *&* Taurus *cur prima* Zodiaci *signa.* *Seponi debet agnus* integer, masculus, anniculus. Integer, *id est*, sine labe. *Vitia in eo quinquaginta a* Maimonide *recensita. In his* טרפות teraphoth, *id est*, à feris discerpta; *quorum septuaginta species.* *Masculus cur praefertur.* Augustinus *emendatus.* שה *communis generis* Hebræis, *&* Arabibus. Agnus anniculus, *id est*, qui annum non superaverit. *Nam octavo die jam erat aptus sacrificio. Idem in* Plinio. *Secundo anno cur vetitus.* Judæi *hic quam accurati. Agnorum foetura duplex, quomodo, & quibus nominibus, distinguatur.* 2. *Mactatio toti populo communis. Infidelium Sacerdos, ara, & mactatio, quomodo* Chaldæis *dicta. Vasa, quibus sanguis excipitur* ספות sippoth. Simpuvium *quid.* Sipo *in* Plinio σίφων *ad restinguenda incendia. Hyssopi fasciculo agni sanguis aspergebatur. Ejusdem alii usus.* Hebræum אזוב ezob, *est* hyssopus, *non* muscus, *nec* adiantum, *nec* libanotis. *De ea voce quid* Talmudici, Syrus, Arabs, Josephus. *Probatur* אזוב *esse* hyssopum. Josephus *emendatus. Cur in* Syro, 1. Reg. 4. v. 33. *legatur* ܠܘܦܐ lupha, *id est*, ἀείζωον, *pro* ܙܘܦܐ zupha, *id est*, hyssopus. *De origano, maro, & sampsucho obiter. Fasciculum hyssopi quomodo* Hebræi *describant. De hyssopo* qui nascitur in pariete, 1. Reg. 4. v. 33. *Annon potius*, qui nascitur in muro, *id est*, prope mœnia *Jerusalem.* Isaaci Ben-Omran *locus de hyssopo in montibus* Hierosolymitanis. *IN aliquando idem, quod PROPE. Hyssopi quatuor species apud* Hebræos. *Conjectura de hyssopo* Cochaliensi *in* Talmude. Elhanan *cur legatur* Goliathum *percussisse* 2. Sam. 21. v. 19. *Quid sit* Joh. 19. v. 29 ὑσσώπῳ περιθέντες. Calamus *in aliis* Evangelistis, *&* in Joanne hyssopus *non idem sunt. Crucis altitudo, hyssopi humilitas. Hyssopus neq; arbor, nec arbustum. Receptam lectionem varie sollicitari. Si pro* ὑσσώπῳ *scribas* ὑσσῷ περ, *omnia posse conciliari. Nova expositio Prophetiæ* Davidis *Psal.* 69. v. 22. *Veterum hyssopus ab* Isaaco Ben-Omran *descripta. Cur limen non fuit sanguine aspersum, sed superliminare, & postes. Quomodo utrumq;* Græcè, Hebraicè, Talmudicè, *&c. obiter de vestibulo. Primogenitorum occisio in* Ægypto, *quam gravis plaga. Cur sanguis pro signo datus.* 3. *Assus agnus esse debuit, non crudus, nec elixus.* Hebraicè נא na, *non simpliciter* fractum, *ut vult* Oleastrius; *sed* crudum, *aut* semicoctum *potius: quod probatur ex* Hebræo, *&* Arabico. Μέλωψ, *&* σάτιωνς, *quid in* Aristotele. *Caro sæpe semicocta comeditur, vel per coquorum inscitiam, vel per helluonum immoderatam ingluviem, cujus etiam in sacrificiis multa exempla. De agno* בשל *dictum non est* elixare, *ut vulgo, sed in genere* coquere, *aut etiam* assare. *Par ambiguitas in* Arabismo. *Græca versio emendatur.* Elixare, lixa, lixæ, *quid propriè.* Hebræorum λεπτολογία *in hujus Legis explicatione. Cur agnus assus potius quam elixus. Assatio antiquissima, simplicissima, saluberrima, expeditissima.* Assa caro, *id est*, sola. 4. *Manducare jubentur cincti, cum baculis, & calceati. Priora duo breviter explicata. Ad tertium quæritur, an* Hebræi *fuerint aliquando discalceati.* Græcos *quidem, &* Romanos *discalceatos accubuisse: sed hujus moris nulla vestigia apud* Hebræos *vetustiores, qui mensæ non accumbebant sed, ut heroes* Homerici, *sedebant. Frustra hic viatorum calceos à vulgaribus distingui. Apud veteres quàm vulgaris fuerit ἀνυποδησία. Hujus exempla varia in multis gentibus. Ejusdem in* Hebræis *vestigia.* Attæ *quid propriè, & unde dicti.* David *&* Esaias *discalceati. Ita etiam qui lugebant mortuos.* Berenice, Agrippæ *Regis soror, cur coram* Floro γυμνόπους. *De quo* Josephus, *&* Juvenalis. *Stantes edisse* Pascha *in* Ægypto, *& cum festinatione, quorsum.* Azyma *Hebraicè* מצות *à* sinceritate *dicta: quo allusum* 1. Cor. 5. v. 8. *Fermentatio species corruptionis. Ideo ejus usus* Flamini Diali *interdictus. Error* Taciti. Judæos *azyma in exitu ex* Ægypto *per mensem comedisse. Sed exinde solum septem* azymorum *dies. Cur primus, & ultimus, festi. Cur capitale fuerit fermentum per illud septiduum edisse. Ad hanc legem exceptio duplex. Quid hic* Suidas. *Quinque segetum species, unde fermentum.* Spica vulpis, *&* siphon *quid. In herbis amaris, quæ cum agno comedebantur, quinque notæ, & quinque species.* 1. Lactuca, *quæ* Chaldæis, *&* Arabibus, *cur* חס chas, *dicta: &* Pythagoræis εὐνοῦχος, ἄστυτις, & νεκύων βρῶμα. Plinius *emendatus. Cur dicatur* Adonis *in lactuca obiisse. Cur eadem* Cypriis βρένθις. *Lactuca* Romanos *ante* Augustum *abstinuisse, falsum.* Plinius *id non dicit. Locus, ex quo id elicitur, corruptus, & restitutus. Lactuca quando a fine convivii ad principium traducta.* Lactucini *unde dicti, &* lactucæ Cæcilianæ. *Cur* lactuca חזרת Hebraicè. 2. עולשין *ulsin*, intuba. *Eadem dici* τρώξιμα escaria (*unde* scaria, *&* scariola) *quæ nomina, ut &* עולשין *idem significant. Vir magnus obiter notatus. Duæ species* ulsin. 3. מרור meror, *idem, quod* Græcum πικρίς, lactucæ, *vel* intubi amari *species, aliàs* cichorium. *Lactuca* Græcis *recentioribus à* Majo *dicta* μαϊούλιον, *deinde etiam* Μαρούλιον. *Arabibus* meruria *idem, quod* meror *Hebræis.* Lactuca meconis, *quid.* Lactuca *unde dicta.* 4. תמכא thamca, *quam variè reddatur. Videtur esse* parthenium, *herba amara, & edulis, quæ Pœnis* thamacath, *Plinio aliter* tamnacum, *officinis* tanacetum. 5. חרחבין charchabin, *vel* חרחלין charchalin, *non esse* eryngium, *ut volunt, sed* urticam *potius, cujus* Latinum, Græcum, Arabica *nomina explicantur. Urtica edulis, & amara.* Hebræorum הרדופני hardophnin, *esse* rhododaphnen *ex descriptione probatur. Rhododaphne* herba asinaria *cur dicta.* Glossæ *emendatæ. Jumentis, & pecori herba mortifera; sed homini salutifera. Aquas* Mara *per eam edulcuisse. An etiam minuta agni ossa frangere vetitum. Quò pertinuerit hæc Lex. Agni ne in posterum diem quid relinquatur. Idem de* Manna, *& plerisq; sacrificiis. Reliquiæ comburendæ, ut* Romæ *in sacro* Protervia *dicto; de quo* Catonis *jocus. Pridiana dapes quam contemptæ. Quorsum data hæc Lex. Cur totâ nocte exire vetitum. Cur è domo de carne agni nihil fuerit efferendum.* Paschæ *ritus quidam perpetui, quidam in sola* Ægypto *observati. In* Judæa *die decima, non seponebatur agnus, nec postes sanguine aspergebantur, nec accincti cum baculis, & raptim comedebant, nec è domo tota nocte exire vetitum. VII. Duo beneficia per hos ritus significata.* 1. *Liberatio ex* Ægypti *servitute, & plagis in* Ægyptios *inflictis, inprimis ab ultima.* 2. *Liberatio à peccato, & morte æterna per* Christum. *Amara herba, & azyma miseram* Israelitarum *in* Ægypto *vitam adumbrabant. Alii ritus significabant inde propere esse excedendum. Et ipsum* Paschatis *nomen monebat Angelum* Judæis *pepercisse. Iisdem ritibus significatur* Christi

Christi 1. persona, 2. mors, 3. mortis fructus, 4. quomodo illorum fiamus participes. Christus cum agno collatus propter mansuetudinem, humilitatem, simplicitatem, patientiam. Leonis in agnum metamorphosis. Agnus ille nos alit, lavat, induit. Aries pro Isaaco immolatus. Agnorum juge-sacrificium. Christus *quomodo agnus è grege sumptus, perfectus, masculus, anniculus, die decimo sepositus. Mactatus* Paschatis *festo, inter duas vesperas, idq;* Hierosolymis, *& ab universo* Israele. *Sanguis ejus pro Dei populo effusus, pretiosus, & Ecclesiæ thesaurus. Quo igne fuerit assatus. Agnus verus crucem imitatur. Ejus nullum os fractum. Mysterium in eo, quod e cruce sub vesperam est depositus. Deus iis solis parcit, qui hujus sanguine aspersi sunt. Nec illis quidquam timendum ab Angelis percussoribus. Cum agnus in* Ægypto *cæsus est,* Israelitæ *ex servitute liberati; & in Deos* Ægyptiorum *judicia Deus exercuit; & mensis* Abib *factus est primus mensium: quæ omnia in* Christum *quadrant. Ut horum simus participes, 1. ejus sanguine aspergendi postes, id est, corda nostra, quæ Deo tam patent, quam nobis postes ædium. Quomodo fiat illa aspersio. Cavendum, ne hic sanguis è postibus, & superliminari in limen abjiciatur. Ejusdem agni caro verè edenda, quia verè cibus est, sed animæ. Ideo non editur ore, sed fide. Eadem caro quomodo cocta, & tota edatur, tamen absq; ossibus. Herbæ amaræ, & azyma quid hic sint. Polluti, peregrini, incircumcisi, cur excludantur. Quinam stantes, & accincti dicantur, & calceati, & baculis innixi. Viatorum hunc esse habitum, quales omnes fideles. Quam hic necessaria festinatio. Agnus cur in una domo edendus, nec inde excedendum.* Christus, Pascha *nostrum.*

Miraculis quatuor, quæ per oves, aut in ovibus Deum edidisse docuimus, hoc capite quintum addemus, de quo seorsim agere visum est, quia majoris est momenti. *Israelitarum* primogenitos intelligo, per agni sanguinem ædium postibus, & superliminari affusum, ab *Ægyptiorum* clade exemptos. Quod miraculum ad singulos, ut priora, non pertinuit, sed ad universam gentem: neque unicum fuit, sed multiplex. Tot enim miracula fuisse nemo negaverit, quot agnorum millia cæsa. Taceo in tota Lege nullum haberi *Christi* mortis typum ita expressum, quam in agno *Paschali*. Proinde dicit *Paulus* 1. Cor. 5. v. 7. *Pascha nostrum, Christum* scilicet, *pro nobis esse immolatum.* Et *Joannes*, capite decimo nono, *Christi* crura observat in cruce non fuisse fracta, quomodo crura latronum: ut in illo impleretur quod de agno Lex edixerat, *Non confringetur ullum os ipsius.* Itaque idem, in *Apocalypsi, agni* nomine *Christum* designat duodetriginta locis. Et *Joannes* alter, digito in illum intento, *Hic*, inquit, *est agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Johan. 1. v. 29. Ne igitur tantæ rei memoria periret, *Israelitas* jussit Deus eam renovare quotannis *Paschæ* celebratione. De quo solenni plenè hoc loco tractare cum non sit opus, solum septem hæc levi calamo perstringemus, *Paschæ* nomen, tempus, locum, ministros, convivas, ritus, & mysterium.

I. Nomen.

Pascha nomen est *Chaldaicum*, ut rectè notat *Philo* libro tertio *De vita Mosis*. Sed *Hebræis* idem est פסח *Pesach* (veteribus *Phase*, & *Phasec.*) Radix פסח *pasach*, est διαβαίνειν *transgredi*, vel ὑπερβαίνειν *prætergredi*. *Josephus* ὑπερβασία reddit, & *Philo* διαβατήρια. Ita etiam *Origenes* libro octavo *Contra Celsum*. Proinde *Gregorius Nazianzenus* hoc idem festum διάβασιν vocat Oratione quadragesima tertia; & ἑορτὴν διαβατήριον Epistola quinquagesima quarta ad *Helladium*, voce *Græcis* non ignota. *Lacedæmone* enim τὰ διαβατήρια dicebantur *sacrificia pro transitu*, id est, pro felici expeditionis progressu; quibus si non esset litatum, expeditio in aliud tempus rejiciebatur. Hoc verbo utuntur non semel *Xenophon* & *Thucydides*. Et apud *Plutarchum Lucullus, Euphratem* trajecturus, ἔθυσε τῷ Εὐφράτῃ ταῦρον διαβατήρια. Ita *Augustinus*, in *Joannem* Tractatu quinquagesimo quinto, putat *Pascha transitum* dici; *quia tunc primum* Pascha *celebravit populus Dei, quando, ex Ægypto fugientes, Rubrum mare transierunt. Gregorius* itidem Πάσχα, seu διάβασιν, vult appellari, διὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου πρὸς τὴν Χαναναίαν φυγὴν, καὶ μετανάστασιν, *propter* (Israelitarum) *ex Ægypto fugam, & migrationem.* Sed conjecturis nihil est opus, cùm ex ipso *Mose* pateat *Pascha Hebræis* dici פסח *Pesach*: ut *Chaldæis* פסחא *Pischa*, vel *Pascha*, quia פסח, id est, *transivit*, vel *transilivit* Deus super *Israelitarum* ostia, postes eorum videns agni sanguine tinctos, prout habetur *Exod.* 12. v. 23. Nempe ita promiserat versu decimo tertio, *Videbo sanguinem*. ופסחתי עליכם. *& transibo super vos*, vel *præter vos*, si mavis; quasi dicat, se illos transmissurum, & intactos præteriturum, cùm in *Ægyptios* animadvertet. Sic *Esa.* 31. v. 5. Deus *Jerusalem* liberat פסוח *transiliendo*; vel, ut *Aquila, Symmachus*, & *Theodotion* reddunt, ὑπερβαίνων *prætergrediens*, cum de reliquis populis commeritas pœnas reposcit. Et 1. *Reg.* 18. v. 28. de *Baalitis* dicitur, ויפסחו *Et transiliebant altare, quod fecerat* (faciens) id est, *quod factum fuerat.* Nempe, quasi furore Prophetico extra se rapti, incompositis motibus huc illuc ferebantur. *Prophetas* enim egisse patet ex versu vigesimo nono, *Et prophetaverunt usq; dum offerretur oblatio.* Proinde *Chaldæus* utrobique habet, ואשתטו *Et pro insanis se gerebant.* Pro eodem ויפסחו in *Græca* versione legas, καὶ διέτρεχον, *Et transcurrebant super altare*, &c. divisis hinc inde turmis mutui incursus imagine (qui propriè διαδρομὴ in *Suida*, & aliis.) In *Syra* [illegible] *Et collactabantur.* In *Arabica* واضطربوا *Et conturbabantur. Selomo* reddit ויפסעו, *Et incedebant*, quasi *Cheth* & *Ajin* permutatis. *Kimchius*, עשו עצמם כפסחים וכואבים הולכים ושבים על המזבח *Tanquam claudos, & dolentes se gerebant, euntes, & redeuntes super altare*; quia פסח alibi *claudicare* est. Sed *Hieronymus* optimè, *Transiliebantq; altare*; quod in monte *Carmelo* tumultuario opere factum non multum supra terram eminebat. Non nemo, *Et transiliebant altare, quod fecerat* (*Elias*) tanquam per ludibrium. Ut novos *Romæ* muros fratris ludibrio *Remus* (a) transiliisse fertur, ubi *Dionysius Halicarnassæus* voces ὑπερβαίνειν, & ὑπεράλλεσθαι adhibet. Sed *Elias* tum temporis altare suum nondum erexerat. Neque illi ludebant, sed precibus maximè seriis Dei sui opem implorabant. Itaque à Verbo פסח, *Pascha* deductum primò Angeli transitum significat; qui, *Ægyptios* percutiens, *Israelitarum* domos transiliit. Secundò, agnum, qui in hujus liberationis memoriam immolabatur; ut *Exod.* 12. v. 21. *Jugulate Pascha.* 2. Par. 35. v. 11. 13. *Et immolaverunt* Pascha, &c. *& assaverunt* Pascha *ad ignem juxta præceptum.* Luc. 22. v. 7. *Venit dies azymorum, quo oportebat mactari Pascha.* Tertiò, sacrificia tum temporis offerri Deo solita; ut *Deuter.* 16. v. 2. *Offeres* Pascha *Domino Deo tuo, oves, & boves.* Quartò, festos dies, quibus hæc celebrantur; ut *Luc.* 22. v. 1. *Prope erat festum azymorum, quod dicitur Pascha.* Hinc πασχαλικὸς nonnullis, qui *festorum observationi maximè est addictus. Marcus Hieromonachus*, Εἰ δέ τις ἴσως λίαν ἐστὶ πασχαλικὸς, καὶ φιλέορτος. *Si quis autem pariter festorum observationi valde est addictus, & illorum amans. Syri*, pro פסחא *Pascha*, scribunt ܦܨܚܐ *Petscha*, *Tsade* pro *Samech*, quasi *à lætitia* dicatur: ܦܨܚ est *exultare*,

a) Liv. lib. 1.

Psal.

Psalm. 93. v. 4. & passim in *Esaia*. Unde in *Syro* Interprete ܐܬܦܨܚܝ *exulta*, Galat. 4. v. 27. & ܒܦܨܝܚܘܬܐ *hilaritas*, Rom. 12. v. 8. Quæ *Chaldæis* per Metathesin est פצח *Ezech.* 25. v. 6. Sed *Æthiopibus* ፋሲካ: Ita ut *Hebræum Pascha* nomen *Æthiopicè* nihil quidquam, quàm *gaudium*, & *lætitiam* sonet. In qua vocum allusione ideò *Syri* sibi placent; quia hoc festo nihil lætius. Contrà, è *Græcis* non defuerunt, qui *Pascha* dici putaverunt ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia *Pascha* tempore *Christus passus* est. Hinc *Irenæus* libri quarti capite vigesimo tertio, *Diem passionis non ignoravit* (Moyses) *sed figuratim pronuntiavit, eum* Pascha *nominans*. Et paulo post, *Passus est Dominus adimplens Pascha*. Quod sequutus *Tertullianus*, adversus *Judæos* cap. 10. *Adjecit, inquit, Pascha esse Domini, id est, passionem* Christi. Et *Gregorius Nazianzenus*, *Oratione* quadragesima secunda, postquam ex *Hebraismo* vocem explicavit, quosdam addit credidisse τοῦ σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο, *hoc salutiferæ passionis nomen esse*.

II. Tempus.

Pascha tempus cum alibi notatur, tum maximè *Levit.* 23. *v.* 5. *Primo mense, die mensis decima quarta, inter duas vesperas erit* Pascha *Domino*. Ibi nempe tria notantur, mensis, dies, & pars diei, qua *Pascha* celebratur. *Mensis primus* hic appellatur, qui alibi mensis אביב *Abib*, seu ניסן *Nisan*, à quo veris initium. Is enim partim *Martio*, partim *Aprili* nostro respondet. Mensis *Abib* dicitur *Exod.* 13. *v.* 4. & 23. *vers.* 15. & 34. *vers.* 18. & *Deut.* 16. *v.* 1. Quod *Arabes* editi reddunt شهر الفريك *mensem granescentis segetis*. Et *Græci* τὸν μῆνα τῶν νέων, supple καρπῶν, aut χιδρῶν, aut ἀπαρχῶν, *mensem novarum frugum*; quia *Hebræis* אביב *abib*, *spicam adhuc recentem* sonat. Tum scilicet in *Judæa*, ut ait *Philo* ubi supra, τὰ μὲν σπαρτὰ ἤδη ἀναγκαίας τροφῆς τελεσφορεῖται, *maturescunt segetes ad vitam necessariæ*. Ad *Hebræum* אביב, sono alludit *Syrum* ܗܒܒܐ *hababa*, quod *florens* sonat. Proinde *Syrus* hic habet ܝܪܚܐ ܕܗܒܒܐ *mensem florum*: & *Arabes* duo, quos in *Suecia* vidi manu-scriptos, *mensem* الزهر vel النقاح *florum*. Sed & *Macarius Ægyptius*, *Homilia* quadragesima septima, Deum scribit *Israelitas* ex *Ægypto* eduxisse ἐν τῷ μηνὶ τῶν ἀνθῶν, ὅτι πρῶτον ἐπιφαίνεται τὸ ἥδιστον ἔαρ, *mense florum, quo ver gratissimum primùm apparet*. Sic *Delphis* unus mensium Βύσιος dici creditus est quasi Φύσιος quia, cùm incipiat ver, τὰ πολλὰ φύεται τηνικαῦτα, καὶ διαβλαστάνει. *multa eo mense nascuntur, & progerminant*. Ita *Plutarchus* in *Hellenicis*. Cur idem mensis à *Chaldæis* vocetur ניסן *Nisan*, *Nehem.* 2. *v.* 1. *Esther.* 3. *v.* 7. & passim in *Paraphrastis*, nondum à quoquam est observatum. Errant enim toto cœlo, qui deducunt à Verbo נוס *nus*, quod *fugere* est; quia illo mense *Judæi* ex *Ægypto* fugerunt. Ad *Chaldæos* enim, à quibus impositum est hoc nomen, nihil attinebat observare quando ex *Ægypto* excessissent *Israelitæ*. Sed fallor, aut scribendum נסן *Nissan*, per duplex *S*, ut in *Josepho*, *Antiquitatum* libri tertii capite decimo, Τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, *Mense* Xanthico, *qui* Nissan *apud nos vocatur*. Vel in ניסן *Nisan*, Vocalis longa supplet defectum τοῦ *Dagbes*, ut sæpe in ניסין *nisin*, pro נסין *nissin*, id est, *vexilla*. Ita mensi *Nisan* nomen erit percommodum *à bellicis signis*, seu *vexillis*, quæ illo mense primùm educuntur. Quippe hoc ipsum tempus *Hebræi* intelligunt in his 2. *Sam.* 11. *v.* 1. *Et factum est, vertente anno, quo tempore Reges solent ad bella procedere*. Mense *Adar* scilicet, anno revoluto, & absoluto, alius annus primo vere succedebat mense *Nisan*, quod belli gerendi tempus est commodissimum, & usu maximè receptum. Unde est, quod *Julianus* Imperator, ut *Persas* imparatos aggrederetur, hoc antecessit tempus. *Socrates*, *Hist.* lib 3. cap. 21. Ὁ δὲ βασιλεὺς εἰς τὴν Περσῶν ἐνέβαλε μικρὸν πρὸ τοῦ ἔαρος, πυθόμενος ἀσθενέστατον, καὶ ἀνανδρότατον εἶναι χειμῶνος τὸ ἔθνος Περσῶν· κρυμὸν γὰρ μὴ φέροντες, ἀπόμαχοι μένουσι κατὰ τὸν χρόνον. *Imperator autem paulo ante ver in* Persarum *regionem irrupit, eam gentem audiens hyeme invalidissimam esse, & ignavissimam, illamq́; adeò, cum non ferat frigus, eo tempore prorsus à pugna abstinere*. Illis igitur *Nisan* meritò dictus est ille mensis, quo ניסין *nisin*, id est, *militaria signa*, solebant primum emittere, postquam otiosa in armamentariis tota hyeme servata fuerant. Pari de causa verni menses priores duo *Bithynis* dicti sunt Στρατεῖος, & Ἄρειος· ut *Romanis* Martius à *Marte*. Proinde apud veterem *Poetam* sic loquitur *Martius* mensis,

Ἄρχιτ' Ἄρης ὑπ' ἐμοῖο, καὶ ἄνθεα, καὶ γλάγος ἤδη,
Marti *principium*, *lactisq́*, *& floribus à me est*.

Et alius ita habet de *Ægyptio* mense *Phamenoth*, qui *Martio* ferè respondet;

Ἄρεος ὅπλα φέρειν Φαμενὼθ δείκνυσι μαχηταῖς,
Militibus Phamenoth Mavortia *tela ministrat*.

Porro mensis *Abib*, seu *Nisan*, cum antea septimus fuerit, post exitum ex *Ægypto*, cœpit pro primo haberi, Deo sic sanciente *Exod.* 12. *v.* 2. *Hic mensis vobis erit principium mensium. Primus ille sit vobis inter menses anni*. Quod tamen non obtinuit, nisi in rebus sacris. *Judæos* enim omnes sciunt annum habuisse duplicem, civilem unum, alterum sacrum. Illius initium fuit mense *Tisri* circa Autumnum, hujus mense *Nisan* circa ver. Itaque תשרי *Tisri*, Chaldæis *initium* sonat. Servilis enim est litera ת, & Radix שרה est *incipere*. Neque solum anni, sed & mundi mense *Tisri* fuisse initium *Josephus Scaliger*, *Sethus Calvisius*, *Christianus Schotanus*, atque alii magno numero asserunt, iis rationibus, quas non refellunt, qui in diversa sunt sententia. De civilis hujus anni usu apud *Judæos* consulendus est ipse *Moses Exod.* 23. *v.* 16. & 34. *v.* 22. & *Levit.* 25. *v.* 8. 9. 10.

Hæc de mense *Abib*, seu *Nisan*, quem legis-lator *Israelitis* significâsse non contentus, etiam diem, & pene horam indixit, qua *Pascha* voluit quotannis ab illis celebrari, diem nempe mensis decimam quartam בין הערבים, *inter duas vesperas*, quia eo ipso puncto temporis primum *Pascha* in *Ægypto* fuerat celebratum, *Exod.* 12. *v.* 6. *Levit.* 23. *v.* 5. *Num.* 9. *v.* 3. 5. 11. *&c.* Diem naturalem apud *Judæos* à vespera incepisse, & in sequentem vesperam duravisse, apertè constat ex historia creationis. Proinde jubentur servare Sabbatum מערב עד ערב *à vespera ad vesperam*, Levit. 23. v. 32. Sunt, qui utramque hanc vesperam significari volunt, cum *Pascha celebrare* jubentur *inter duas vesperas*. Quod est absurdissimum: cum enim in illo spatio horæ viginti quatuor includantur, quavis hora *Paschalem* agnum mactare, & edere licuisset, contra Legis diserta verba, *Deut.* 16. *v.* 6. *Pascha immolabis* בערב כבוא השמש *vespere circa occasum Solis*. *R. Selomo*, *Kimchius*, & *Pomarius* hic per *duas vesperas* totum pomeridianum tempus cum prima parte noctis intelligunt, quasi Sol occasu suo duas vesperas dividat. Sed ex *Aben Ezra* sententiâ duæ vesperæ incipiunt ab occasu Solis, & in crepusculo desinunt, aut prima face, quod temporis intervallum horâ cum triente constare scribit. Pro *duabus vesperis Chaldæi* habent בין שמשיא, *inter duos Soles*: quod mendosum esse videri possit, &, una litera mutata, legendum esse בין רמשיא, *inter duas vesperas*: prout hic *Syrus* habet ܒܝܬ ܪ̈ܡܫܐ, & *Samaritanus*, [illegible]. Tamen nihil mutandum. Hæc est enim *Chaldæa* Phrasis, *Talmudicis* non ignota. Sic in *Talmude* Hie-

id *Paſchatis* apud *Judæos* celebrandi ſolenne tempus docent iſta *Marci*, Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ Πάσχα ἔθυον, *Primâ azymorum die, quâ* Paſcha *immolabant*, nempe *Judæi*. Quin *Lucas* itâ oportuiſſe fieri diſertè aſſerit. Ἦλθε δὲ, inquit, ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ Πάσχα· *Venit* (prima) *dies azymorum, quâ* Paſcha *mactari oportuit*. Fruſtrà, ſi *Chriſtus* ſolitum tempus anticipavit, neque enim ita fieri neceſſe fuit. Eodem pertinet, quod Diſcipulis dixit *Matth.* 26, 2. *Scitis, quod poſt biduum* Paſcha *fiet*; nempe à *Judæis*. Quâ ipſâ mente dicitur *Marc.* 14, 1. Paſcha *autem, & azyma erant poſt duos dies*. Itaque, cum poſt duos illos dies *Paſcha* celebravit *Chriſtus*, celebravit quo tempore *Paſcha* fiebat, & *azyma* erant apud *Judæos*. Et dies ſequens, quo *Chriſtus* traditus, & crucifixus eſt, feſtus fuit. Proinde *Bar-abbas* liberatus eſt, quia feſto illo ſolebat reus aliquis liber dimitti. Itâ habetur *Matth.* 27, 15. *Marc.* 15, 6. *Luc.* 23, 17. *Joh.* 18, 39. Unde novum emergit argumentum. Nam feſtum illud celebrationem *Paſchatis* proximè ſequens non potuit aliud eſſe, quàm feſtum *azymorum*, de quo *Moſes* Levit. 23, 5. 6. *Primi menſis die decimâ quartâ inter duas veſperas erit* Paſcha *Domino. Et ejuſdem menſis die decimâ quintâ inter duas veſperas feſtum* azymorum *erit Domino*. Hinc *Joh.* 13, 1. 2. ſolennis illa *Chriſti* cœna celebratur πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, *ante feſtum Paſcha*, id eſt, *pridie feſti Paſchatis*, de quo in Lege. Et *Joh.* 13, 27. verba *Chriſti* ad *Judam*, cùm jam nox eſſet, exeuntem: *Quod facis fac citiùs*, *Apoſtoli* ſic acceperunt quaſi his verbis *Chriſtus* eini juſſiſſet quæ neceſſaria erant ad feſtum. Feſtum igitur fuit proximum. Nam, ſi totus dies interceſſiſſet, non veniſſet *Apoſtolis* in mentem noctè intempeſtâ *Judam* ad ea comparanda fuiſſe miſſum. Quid enim opus fuiſſet tanta feſtinatione? Præterea non potuit *Paſchalis* agnus alibi mactari, quam in *Hieroſolymitano* Templo, poſt ſanguinem ad altare fuſum, & adipem ibidem igne abſumptum, ut infrà probabimus. In Templo autem mactari non potuit citra generalem populi conſenſum. Proinde dies mactationis à privato homine non potuit anticipari. Aut, ſi anticipavit *Chriſtus*, comedit agnum *Paſchalem* in Templo non mactatum, atque eo facto, quod abſit, Legem violavit. Sed & hoc ipſum, quod diem anticipavit, ſi *Græcorum* ſententiæ ſtatur, & celebravit die decima tertia, cum Lex præſcribat decimam quartam, fuerit aperta violatio Legis. Maximè, ſi pro *azymo*, uſus eſt ἐνζύμῳ pane, quomodo iidem ſtatuunt. Nec poteſt dari idonea ratio, cur *Chriſtus*, *Judaicum* Sacramentum celebrans, non obſervaverit ritus, qui ſunt in Lege præſcripti; quos negligere, aut alterare non potuiſſet ſine gravi ſcandalo, *Chriſtique* hoſtes, à *Juda* moniti, id illi objeciſſent ut grande crimen: neque opus habuiſſent alios teſtes conquirere, ut eum violatæ Legis reum peragerent.

Sunt tamen etiam è noſtris viri longè doctiſſimi, qui, *Græcis* ex parte accedentes, *Chriſtum* diem à *Judæis* receptum anticipâſſe volunt. Sed id accipiunt multò aliter. Cùm enim *Græci* cenſeant *Chriſtum* die menſis decimo tertio, *Judæos* autem decimo quarto die celebrâſſe: ex horum ſententia *Chriſtus* die decimo quarto celebravit, *Judæi* autem die decimo quinto, nè feſtum *azymorum*, in *Veneris* diem incidens, cum *Sabbato* continuum eſſet. Quia *Judæi* feſtis diebus ab omni opere tam ſcrupuloſè abſtinebant, ut continua duo feſta ab illis obſervari non potuerint abſque gravi incommodo. Et verò hodiè feſtum *azymorum* immediatè ante *Sabbatum*, vel continuò poſt nunquam ſervant. Non eſt tamen, quòd quis putet illos apertè Legi refragari. Nam *Paſchale* convivium menſis *Niſan* decima quartâ, & feſtum *azymorum* decima quinta ſemper celebrant. Sed in *Calendariis* ſuis Neomenias ita diſponût, ut feſti dies cum *Sabbato* nunquam continui ſint. Atque, ut vitent hoc incommodum, Canones quosdam habent de ſuis feſtis, quos accuratè obſervant, quale illud de *Paſchate* לעולם לא בד״ו פסח *Nunquam Badu Paſcha*: id eſt, *Paſcha* nunquam incidat in ſecundam, quartam, aut ſextam feriam voce בד״ו ſignificatas. Sed hi Canones *Chriſti* tempore nondum erant in uſu. Quin *Talmudici* libri, qui quinto demùm poſt *Chriſtum* ſæculo abſoluti ſunt, paſſim meminêre feſtorum, quæ *Sabbato* continua ſunt. Ut in *Succa*, capite quinto, יום טוב סמוך לשבת בין לפניה בין לאחריה *Feſtum* Sabbato *conjunctum, ſive præcedat, aut ſubſequatur*. Et in *Betſa*, capite primo, יום טוב שחל להיות אחר שבת *Feſtum quod poſt* Sabbatum *incidit*. Et in *Chagiga*, capite ſecundo, עצרה שחל להיות בערב שבת *Feſtum, quod in* Sabbati *Paraſceven incidit*. Verè igitur *Aben Ezra* in *Levit.* 23, 4. במשנה גם בתלמוד ראיות שהיה פסח בבד״ו *Tam ex* Miſna, *quàm ex* Talmude *probatur* Paſcha *in ſecundam, quartam, & ſextam feriam quandoque incidiſſe*. Concinit *Epiphanius*, in *Ebionæis* ſect. 32. ubi de *Judæorum* Neomeniis, feſtis Tabernaculorum, *Paſchalibusque*, & jejuniis agens, Ὅτι ἐμπίπτουσιν, inquit, αὗται αἱ ἡμέραι ἤτοι ἐν δευτέρᾳ σαββάτων, ἢ ἐν τρίτῃ, ἢ ἐν τετράδι· *Cum hæ dies incidunt in hebdomadis ſecundam, tertiam, aut quartam*. Et in *Alogis* ſect. 31. de *Paſchali* feſto, Ἡ τοιαύτη ἁγία ἡμέρα, εἰς Σάββατον ἁγιασθεῖσα, κἄν τε Κυριακὴ εἴη, κἂν δευτέρα, κἂν τε τρίτη καταντήσῃ· *Sancta illa dies in* Sabbatum *conſecrata, ſive in* Dominicam *aut ſecundam, aut tertiam feriam incidat*. Itaque apud *Teſſareſcadecatitas*, qui *Paſcha* celebrabant iiſdem diebus, quibus *Judæi*, *Paſcha* in quamlibet hebdomadis diem incidebat, nullâ exceptâ. Itâ habet *Euſebius*, *Hiſt.* lib. 5. cap. 23. Ὁποίᾳ ἂν ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος περιτυγχάνοι, *In quamcunque hebdomadis diem incideret*. Et *Epiphanius*, Hæreſi 50. Ὁποίᾳ δ' ἂν ἐμπίπτῃ ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτη τῆς σελήνης. *In quâcunque diem incidat decima quarta Luna*. Et *Auguſtinus*, *De Hæreſibus* cap. 29. *Quilibet ſeptem dierum occurrat dies*. Et expreſſius *Philaſtrius* in *Hæreſi* de feſto *Paſchatis*, *Diem non* Dominicam *ſemper cuſtodiunt* Paſchæ, *ſed ſecundâ, aut tertiâ, aut quartâ, aut quintâ, aut ſextâ die celebrant*. Et *Theodoretus*, *Hæretic. Fab.* lib. 3. Ποτὲ μὲν τρίτῃ, ποτὲ δὲ πέμπτῃ, ποτὲ δὲ σαββάτῳ, ἢ ὅπως ἂν τύχῃ, πανηγυρίζουσι τοῦ πάθους τὴν μνήμην· *Interdum feriâ tertia, interdum quintâ, nonnunquam* Sabbato, *aut prout incidit, Paſſionis memoriam celebrant*. Itaque *Judæi* tum temporis Neomenias nondum loco ſuo moverant, nè *Paſchale* feſtum cum *Sabbato* continuum eſſet.

Ut res ſit compertior, notandum eſt *Judæos*, quamdiu ſtetit eorum Reſpublica, non aliter Neomenias & feſta ſua conſtituiſſe, quàm juxta Lunæ φάσεις. Quod *Judæorum* doctiſſimus *Maimonides* itâ diſertè docet in Tractatu *De conſecratione Novi-lunii* cap. 5. ſect. 2. ודבר זה הלכה למשה מסיני הוא שבזמן שיש סנהדרין קובעין על פי הראייה ובזמן שאין שם סנהדרין קובעין על פי החשבון הזה שאנו מחשבים בו היום ואין נזקקים לראייה אלא פעמים שיהיה יום שקובעין בו בחשבון זה הוא יום הראייה או קודם לו ביום או אחריו ביום *Hæc eſt conſtitutio* Moſis *in monte* Sinai, *quòd, quamdiu durarent* Sanhedrin, *Neomenias conſtituerent ſecundùm Lunæ* φάσιν. *At, ubi non ſunt* Sanhedrin, *conſtituunt ſecundùm hanc computationem, quâ nos hodie utimur, quia ad* φάσιν *non adſtringimur. Sed quandoque dies, quem per hanc computationem conſtituimus, eſt dies τῆς φάσεως, quandoque etiam uno die præcedit, aut ſubſequitur*. Et ſectione tertiâ tempus, quo hæc computatio uſurpari cœpit, itâ indicat. ומאימתי התחילו כל ישראל לחשב

לחשב בחשבון זה מאימתי חכמי התמרה בעת שחרבה ארץ ישראל ולא נשאר שם בית דין קבוע אבל בימי חכמי משנה וכן בימי חכמי הגמרה עד ימי אביי ורבא על קביעת ארץ ישראל היו סומכין *Quando primum cœpit totus* Iſraël *hanc computationem uſurpare? Poſt finem Doctorum* Gemaræ, *cum deſolata eſt terra* Iſraël, *neque ibi ſuperfuit judicii domus ſtata, & fixa. Sed in diebus Doctorum* Miſnæ, *& ſimiliter in diebus Doctorum* Gemaræ, *usque ad diem* Abijæ *&* Rabbæ, *à deciſione terræ* Iſraëlis (reliqui *Judæi*) *pendebant.* Itaque in manu-ſcripto cujusdam *Karaitæ* libro, quem in hoc argumento citat egregius Scriptor *Anglicanus*, id in confeſſo eſſe legitur apud omnes *Iſraëlitas*, שמזמן המלכות היו מקדשים החדשים בראיית הירח *quod a Regum tempore Neomenias conſecraverunt per Lunæ φάσεις.* Addit idem Lunarem menſem vocari חדש *chodes*, ab innovatione Lunæ, quæ *Hebraicè* dicitur חדוש *chiddus.* Et *Rabbanaos* gravis in Deum criminis arceſſit; quia feſtorum indictiones non dirigunt ex ſola Luna: *quo facto,* inquit, מרו ועצבו את רוח קדשו *Irritaverunt, & affixerunt Spiritum ſanctitatis ejus.* Hinc multa poſſent inſeri de curia in fine menſis convocari ſolita in loco dicto בית יעזק *Beth-jaazek* prope Templi atrium, ut audirentur idonei teſtes, quotquot de Lunæ naſcentis φάσει certum aliquid referrent. Et his auditis, quomodo vel per πυρσοὺς, ſeu *faces in celſis locis accenſas*, vel per nuntios undequaque miſſos, curiæ decretum ſignificaretur uſque ad loca, quæ ab urbe diſtabant decem dierum itinere. De quibus multa *Maimonides* ubi ſupra poſt *Talmudicos* in *Ros haſana* capite ſecundo. Sed puto jam conſtare ſatis *Judæos Chriſti* ævo *Paſcha* tempus in Lege *Moſis* præſcriptum accuratè obſervaſſe, quantum poterant per Lunæ φάσεις.

At, dato, non conceſſo, veteres illos *Judæos* ferias *Paſchales* ea ratione computaſſe, quâ *Judæi* poſteriores, non licuiſſet tamen alio tempore *Paſcha* celebrare, quam quo celebrabat tota gens. Hic ſcilicet locum habere potuit *Judaicus* Canon, בית דין שקדשו את החדש בין שתגים בין מטעים הנה זה מקודש חייבין הכל לתקע המועדים על היום אעפי שזה יודע טעו *Cum domus judicii Neomeniam conſecravit, ſive erret, aut in errorem inducat, illa tamen eſt conſecrata: nec quisquam eſt, qui non teneatur feſta obſervare ſecundum illam diem, licet errorem noverit.* Nam, in feſtivitatibus certo anni tempore celebrandis, non jubemur præciſè ſequi rationes Aſtronomicas, quæ vulgus plerumque latent; ſed illorum ſequi definitiones, quibus id incumbit muneris, ut *Calendariis* præſint. Hoc potiſſimum, quod qui *Judæos* volunt *Paſcha* in diem ſequentem ideo tranſtuliſſe, ut primus dies *azymorum* in *Sabbatum* incideret, ne duo feſta eſſent continua, non vident ſe incommodo hâc ratione non mederi. Quia, ſi ſeptem *azymorum* primus dies in *Sabbatum* eſt tranſlatus, ultimus in *Veneris* diem incidit, & cum ſequente *Sabbato* fuit continuus. Primus autem & ultimus ex æquo fuêre feſti. Utroque enim indicitur ſancta convocatio, & ſervile opus interdicitur, *Levit.* 23, 7. 8. Quin *Deut.* 16, 8. ultimus vocatur עצרת *feſtum.* Itaque hujus tranſlationis primus auctor, quisquis fuit,

Incidit in Scyllam, *dum vult vitare* Charybdim.

Sunt viri doctiſſimi, & piiſſimi, qui, ne incidant in hæc ἄτοπα, alias cauſas ſibi fingunt, cur *Chriſtus* & *Judæi* diverſis diebus *Paſcha* celebraverint. Liberum erat, inquiunt, ſingula feſta per duos dies celebrare; quia de vero tempore, quo debebant celebrari, non erant ſatis certi. Atque id quidem convenit cum eorum praxi hodierna. Recentiores enim *Judæi*, מספק מחברות המאורים *propter dubium conjunctionis luminarium*, Paſcha *celebrant XV & XVI Niſan.* Ita *Scaliger.* Et *Buxtorfius* in *Synagoga*, *Feſtum* Paſchatis *per duos dies celebrant, ut eo certiores ſint, & a vero feſti die omnino non aberrent.* Veteres quoque, ſi qui erant à *Judæa* remotiores, binos dies obſervabant; quia latebat illos, qua die *Hieroſolymitani* decreviſſent celebrare cujusque menſis Neomeniam, ex qua reliqua feſta pendebant. *Maimonides* in libro *De die feſto* cap. 6. ſect. 14. הי בזמן שהיו בית דין של ארץ ישראל מקדשין על פי הראיה והיו בני הגלות עושין שני ימים כדי להסתלק מן הספק לפי שלא היו יודעין יום שקדשו בני ארץ ישראל *Quamdiu ſtetit judicii domus in terra* Iſraelis, *Neomenias conſecrabant κατὰ φάσιν. Sed qui erant in captivitate, per biduum eas celebrabant, ut ex dubio ſe expedirent, quia ignorabant quem diem conſecraſſent incolæ terræ* Iſraëlis. At in *Judæa*, & *Hieroſolymis*, alios uno die, alios altero *Paſcha* immolâſſe, nuſquam habetur. Quod tamen probandum illis incumbit, qui *Chriſtum Hieroſolymis* negant eâdem die celebrâſſe, qua aut *Judæi* reliqui, aut *Judæorum* pars maxima. Non erat *Hieroſolymis* ullum eâ de re diſſidium, quia quidquid decreviſſet domus judicii, id ſequebantur.

Eadem obſervatio iis eſt opponenda, qui *Judæorum* alios putant Neomenias indixiſſe κατὰ τὴν φάσιν, alios κατὰ τὴν σύνοδον, id eſt, ſecundum Lunæ cum Sole συζυγίαν, quæ τὴν φάσιν præceſſerit integro ut minimum die. Quorum utrumque potuerit fieri legitime, cum Lex non definiat quando inchoanda ſit Neomenia, an à συνόδῳ, an vero à φάσει. *Chriſtum* igitur, eos ſecutum, qui ἀπὸ τῆς συνόδου Neomeniam inchoabant, alios, quibus ἀπὸ τῆς φάσεως menſis initium erat, uno die ante ceſſiſſe. Quæ omnia gratis dicuntur, & ſine ullo teſte vetuſtatis. Doctores enim *Talmudici*, quorum nonnulli ſæculum *Apoſtolicum* proximè attingunt, ne γρῦ quidem habent de Neomeniarum indictione ἀπὸ τῆς συνόδου. Quæ tamen eos non potuit latere, ſi tum fuit in publico uſu. Prætereà, ſi Legiſlatorem ſtatuas hanc voluiſſe reſpici, neceſſaria fuerit *Iſraëlitis* Aſtronomiæ peritia, ut Legi Divinæ obſequerentur, idque ea ætate, quâ, hujus primi inventores, *Chaldæi* has artes aut adhuc ignorabant, aut nondum evulgaverant. In *Beroſo* quidem decima poſt diluvium generatione vixiſſe narratur apud *Chaldæos* vir quidam juſtus, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος, *& rerum cœleſtium peritus*, quem *Joſephus* vult *Abrahamum* fuiſſe, & eundem *Ægyptiis* tradidiſſe τὰ περὶ ἀστρονομίαν, *Antiq.* lib. 1. cap. 8. & 9. Sed hæc palàm fabuloſa ſunt, cum apud *Ægyptios Moſes* מכשפים *Magos*, & חרטמים *incantatores*, ſed Aſtrologos nullos cenſeat. Itaque *Janni*, & *Jambri*, qui *Moſi* in *Ægypto* obſtiterunt ſolum Magiæ peritia tribuitur, non item Aſtronomiæ. Aſtronomiam igitur *Ægyptii* aut ab *Abrahamo* non didicerunt, aut ſtatim oblivioni tradiderunt. Sed nec apud *Iſraelitas* ullum apparet hujus ſcientiæ veſtigium, ne quidem poſt reditum è captivitate *Babylonica*, ubi erant הוברי שמים החוזים בכוכבים מודיעים לחדשים *Aſtrologi, ſtellarum inſpectores, Neomenias declarantes*, Eſ. 47, 13. Id eſt, ut quidem puto, qui ex ſiderali ſcientia hæc ipſa deprehendebant, quæ *Iſraelitæ* ex ſola φάσει. Itaque mihi non apparet hactenus aut *Paſchalis* agni ſolennia, aut *Paſchale* feſtum ſubſequens *Hieroſolymis* per biduum fuiſſe celebratum. Neque verò hujus ſententiæ primi auctores eam alia de cauſa amplexi ſunt, quàm quia non crediderunt *Johannem* cum *Matthæo*, *Marco*, & *Luca* poſſe conciliari, niſi hoc præſupponatur. Et fatendum ab illis nonnulla objici, quæ ſpecie non carent. Ea igitur obiter excutere erit operæ pretium.

Primo objicitur ſacram *Chriſti* cœnam & lotionem pedum fuiſſe πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, *ante feſtum Paſchatis*, Joh. 13, 1. 2. unde colligunt feſtum *Paſchatis* nonniſi poſtridiè fuiſſe celebratum. Reſpondeo πρὸ

τῆς

τῆς ἑορτῆς idem esse, quod ἐν τῷ προεορτίῳ, quod ita præcedit festum, ut tamen sit pars festi. Ut πρόλογος est pars orationis, πρόδομος pars domus, προγλωσσὶς pars linguæ, προκόμιον pars comæ, προμετωπὶς pars frontis, προάστειον pars urbis, προτείχισμα pars muri, & multa hujus modi. Itaque *ante festum Paschatis* idem est, quod *in ipso festi exordio*. Ante occasum Solis agnum mactari, & assari oportuit, die *Nisan* decimo quarto, & comedi in ipso occasu Solis ineunte festo diei decimi quinti. Quod suo loco jam probavimus. *Johannes* igitur illius cœnæ tempus accuratè designat. Et mirum ab illis id objici, quod tam facilè queat in ipsos retorqueri. Sed in sequentibus plus videbitur esse vitium.

Joh. 18, 28. *Judæi*, qui ex *Caipha* domo *Christum* ad *Pilatum* deduxerunt, noluerunt in Prætorium ingredi, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ Πάσχα, *ne pollucrentur, sed ut* Pascham *manducarent*; id est, ne ingressus in Prætorium in capitali causa eos ita pollueret, ut à *Paschali* convivio excluderentur, ad cujus communionem se parabant. Ergo, inquiunt, *Judæi* nondum *Pascha* manducaverant. At *Christus* pridiè manducaverat. Non igitur eâdem die *Christus* & *Judæi* manducaverunt. Respondeo *Paschatis* nomine agnum non intelligi, quem jam manducaverant, sed pacifica sacrificia per septem dies offerri solita. Sic in solenni *Paschate* sub *Ezechia* Rege 2. *Par.* 30. *v.* 22. *Comederunt septem diebus solennitatis, immolantes victimas pacificorum*, &c. Nempe populo Rex prisilimus de suo dederat mille juvencos, & ovium septem millia, & magnates juvencos totidem, & ovium decem millia, ut sequitur versu vigesimo quarto. Quam *Ezechiæ* munificentiam *Josias* longè superans in idem festum contulit agnorum, aut hœdorum triginta millia, & boum tria millia. Hujusque æmuli Principes pecudum etiam, & boum aliquot chiliadas his addiderunt, 2. *Par.* 35, 7. 8. 9. Ubi notandum hæc ita narrari, ut videantur tam boves, quam oves, & hœdi destinari לפסחים *ad Paschata* inprimis, versu octavo, & nono: quorum prior sic habet, *Sacerdotibus dederunt* לפסחים *ad* Paschata *bis mille & sexcentos* (supple *agnos, & hædos*, quod ex prioribus repetendum) *& boves trecentos*. Et posterior, *Largiti sunt* Levitis *ad* Paschata *quinquies mille* (agnos, aut hœdos) *& quingentos boves*. Proinde *Hieronymus* versu octavo, *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum* Phase *pecora commixtim* MMDC. *& boves* CCC. Et *Græci* ibidem, Ἔδωκαν εἰς τὸ φασὲκ πρόβατα, καὶ ἀμνοὺς, καὶ ἐρίφους δισχίλια ἑξακόσια, καὶ μόσχους τριακοσίους. Et versu nono; Ἀπήρξαντο τοῖς Λευίταις εἰς τὸ φασὲκ πρόβατα πεντακισχίλια, καὶ μόσχους πεντακοσίους: quomodo etiam *Syrus* & *Arabs*. Et apocryphus *Esdras* capitis primi versu octavo, & nono, utrobique εἰς Πάσχα. In his igitur vix causam dixeris, cur non vox לפסחים, *ad Paschata*, bobus, & agnis censeatur esse communis. Tamen, quia id negari poterit à contentioso interprete, res constabit certius ex his *Deut.* 16, 2. וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר *Mactabis* Pascha *Domino Deo tuo, oves, & boves*: ubi *Pascha* nomen oves & boves palàm complectitur. Scio non paucos interpretes hic *Paschatis* nomine solum agnum intelligere, quasi tria hic jubeat *Moses*, nempe ut Deo mactentur *Paschata*, seu *Paschales* agni, oves, & boves. Sed huic interpretationi repugnare verborum ordinem attentus lector animadvertet. In confesso enim est hæc omnia Deo fuisse mactanda, quod ut significetur, si *Pascha*, oves, & boves sint tria diversa, Lex sic erat concipienda, *Mactabis Deo* Pascha, *oves, & boves*; vel, *Mactabis* Pascha, *oves, & boves Deo Domino tuo*. At in verbis ità conceptis, *Mactabis* Pascha *Deo Domino tuo, oves & boves*, solum *Pascha* jubetur Deo mactari, quia est genus ad sequentia, quasi dicat, *Mactabis Pascha Deo*, nempe *oves, & boves*. Quæ adduntur ἐπεξηγητικῶς, ut sciamus quid sit illud *Pascha*, quod Deo est immolandum. Bene igitur *Hieronymus*, *Immolabis* Phase *Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. *Syrus* itidem, ܡܢ ܥܢܐ ܘܡܢ ܬܘܪܐ *Ex ovibus, & bobus*. Neque aliter *Arabes* duo inediti. Et *Saadias*, من الغنم ومعه من البقر *Ex ovibus, & insuper ex bobus*. Ità etiam pleræque vernaculæ. Maluerim tamen *Hebræa* verbatim sic reddere, *Mactabis* Pascha *Deo Domino tuo*, nempe *oves & boves*. Ut sensus sit apertior, suppleo vocem *nempe*, ut in similibus locis. Sic *Exod.* 20, 24. *Immolabis*, &c. *pacifica sacrificia tua*, nempe *oves tuas, & boves tuos*. Exod. 24, 5. *Obtulerunt sacrificia pacifica Domino*, nempe *vitulos*. *Num.* 28, 11. *Offeretis holocaustum Domino*, nempe *juvencos fœtus boum duos, arietem unum, agnos*, &c. 1. *Par.* 29, 21. *Obtulerunt holocausta Domino*, nempe *juvencos mille, arietes mille, agnos mille*, &c. 2. *Par.* 7, 5. *Mactavit Rex* Solomon *hostias*, nempe *boum viginti millia, & ovium centum viginti millia*. *Pascha* igitur *Deut.* 16, 2. tam est genus ad ea, quæ sequuntur (nimirum *oves*, & *boves*), quàm *holocausti, sacrificii*, & *hostiæ* voces in locis modò citatis. Et מנחה *mincha*, id est, *munus*, in iis, quæ subjiciemus. Genes. 43, 11. *Deferte ad virum* מנחה *munus*, nempe *parum resinæ, parum mellis, styracem, mastichem, pistacia, amygdala*. Nehem. 13, 5. *Ubi ponebant munus*, nempe *thus, & vasa, & decimam frumenti, musti, & olei*. Et de *Salomone* 1. Reg. 10, 25. *Quisque illi afferebat munus suum*, nempe *vasa argentea, & vasa aurea, & vestes, & arma, & aromata, & equos, & mulos*. Quisquis attentè hæc loca conferet cum eo, de quo agitur, vix, ac nè vix quidem à se impetrabit, ut dubitet de veritate nostræ interpretationis. Itaque ibi loci *Pascha* vocantur oves, & boves, quæ *Paschalibus* feriis in pacifica sacrificia mactare moris erat. In his חגיגת ארבעה עשר *chagiga diei* XIV. dicebatur victima, vel pars victimæ quæ unà cum agno *Paschali* mensæ imponebatur. Cujus esus poterat in posterum diem differri, ut pacificorum omnium *Levit.* 7, 16. & 19, 6. De *chagiga* qui plura volet, consulat *Maimonidem De oblatione Paschatis* cap. 10. sect. 12, 13. 14. Ibi videbit ad *chagigam* speciatim referri locum, in quo versamur. Verba sic habent, וזו היא הנקראת חגיגת י״ד ועלי׳ זה נאמר בתורה וזבחת פסח להשם אלהיך צאן ובקר *Hæc est, quæ vocatur* chagiga *diei* XIV, *& de qua dicitur in Lege*, "*Et mactabis* Pascha *Domino Deo tuo, oves, & boves*. Nos quoque aut *chagigam*, aut quodvis aliud *Paschale* sacrificium e pacificis intelligimus tam *Deut.* 16, 2. quam *Joh.* 18, 28. ubi *Judæi* pollui timent, nè prohibeantur ab esu *Pascha*, id est *Paschalis* victimæ. Quia res sanctas comedere iis non licebat, qui legali immunditia quoquo modo polluti erant, *Levit.* 7, 19. 20. & 22, 3. &c. Quod me penè fugerat, *Paschatis* nomine *Deut.* 16, 2. non significari solùm agnum, sed *Paschalia* sacrificia quæcunque per septem *azymorum* dies comedebantur, maximè docent hæc sequentis versûs, שבעת ימים תאכל עליו מצות *septem diebus comedes cum eo* (Paschate) *azyma*. Neque enim per septiduum azyma cum agno comedebantur, sed illâ solum hora, quâ comedebatur agnus. Ut *azyma* cum *Paschate* comedantur per septem dies, necesse est *Paschatis* nomine significari septiduana sacrificia.

Inprimis id urgetur tanquam palmarium argumentum, quod *Joan.* 19. *v.* 14. dies, quo *Christus* crucifixus est, vocatur *Parasceve Paschæ*. Unde invictâ, ut inquiunt, ratione id evincitur, *Pascha* nondum venisse tum, cum *Christus* crucifixus est. Aliud enim *Pascha*, aliud *parasceve Paschæ*; ut aliud festum, aliud

aliud vigilia festi. Respondeo hic *parasceven* idem esse, quod *Hebrais* ערב, vel ערובתא, qua voce non solum *parasceve* vel *Sabbati*, vel alius festi vocatur, sed & speciatim *Veneris* dies, quia *Sabbati* fuit *parasceve*. Proinde in *Beresith Rabba* cap. 11. dies hebdomadis sic numerantur, חד בשבתא תרי תלתא ארבעתא חמשתא ערובתא שבת *Prima hebdomadis, secunda, tertia, quarta, quinta, parasceve, Sabbatum*. Quod vocabulum ita obtinuit, ut etiam inter *Arabes*, qui *Sabbatum* non observabant, *Veneris* dies vocata sit العروبة *parasceve*. Ita asserit *Giaubar* (c) & fuisse hanc vocem veteris *Arabismi*. Nam post *Mahumetem* dici cœpit يوم الجمعة *dies algiuma, seu congregationis*; quia illa die populus in *Moscheas* convocatur. Itaque cum *Veneris* dies *parasceve* vocabatur tam ab *Hebrais*, quàm ab *Arabibus*, quidni *Parasceve Pascha* dicta fuerit illa dies *Veneris*, qua fuit *Pascha*, quomodo *Dominica Pascha*, vel *Dominica Pentecostes* dicitur, quæ concurrit cum festo *Paschæ*, vel *Pentecostes*? Nam, cum alibi *Parasceve* pro *præparatione* sumitur, non refertur nisi ad *Sabbatum*. Sic *Marc.* 15, 42. ἐπεὶ ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον, *quia erat Parasceve, id est, ante Sabbatum*. Et *Luc.* 23, 54. *Et dies erat Parasceve, & Sabbatum illucescebat*. Et in ipso *Joanne* ubi supra versu 31. *Ne manerent in cruce corpora* Sabbato; *erat enim Parasceve*. In quibus locis nota, non dici *Parasceven Sabbati*, sed simpliciter *Parasceven*; quia Sacri Scriptores aliam *Parasceven*, seu *præparationem* non nôrunt, quam *Sabbati*. *Sabbato* nempe cum (d) nec ignem accendere, nec parare cibum licuerit, ut jam supra monuimus, necessaria fuit *Parasceve*, id est, horas aliquot ante *Sabbati* vesperam insumere in iis instruendis, & adornandis, quæ ad festum erant necessaria. Quo pertinent hæc Legis *Exod.* 15, 5. *Die sexto præparent quod intulerunt*. Et rursus versu 23. *Requies* Sabbati *sancti cras est Domino*. *Quod vobis pinsendum est pinsite, & quod coquendum coquite*, &c. Ne scilicet harum rerum cura *Sabbati* quietem interturbet. At aliis festis præter *Sabbatum* Lex non fuit ità præcisa. Iis enim servilia opera ita prohibita fuêre, ut tamen licuerit parare cibos. Quod de *Paschalibus* festis diserte legas *Exod.* 12, 16. ubi de *azymorum* die primo & ultimo dicitur, *Nullum opus fiet in iis: at quod unicuique comedendum est, illud solum parabitur vobis*. Itaque de illorum παρασκευῇ nihil in Lege præscribitur. Sed dies, quo *Christus* crucifixus est, cum alibi προσάββατον, & παρασκευὴ dicatur (nempe *Sabbati*) à *Joanne* appellatur παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, quia hoc habuit peculiare, quod in *Paschatis* festum incidit, unde hoc illi proprium, quod à *Pascha* denominatur: ut *Veris*, vel *Autumni æquinoctium* vocamus, quod in Ver, vel in Autumnum incidit. Quin, ut ab ipso præparationis verbo desumamus exemplum (quamvis *parasceven* hic aliter sumi docuerimus) nonne *Assueri* puellæ, de quibus *Esther.* 2, 12. dici queant præparatione primi semestris unctæ fuisse oleo myrrhino; & præparatione secundi semestris aliis aromatibus, ità ut præparatio nomen habeat à tempore, quo fiebat? Sic *præparatio Paschæ* dici potuerit, quæ in diem *Paschatis* incidebat. Sed eo devenire non est opus, cum *parasceve* hoc loco non aliud significet, quam diem *Veneris*.

c Vide Golium pag. 1551. & Giggeium Tom. 3. p. 282.

d Vide Exod. 35. 3.

Etiam objicitur locus *Joan.* 19, 31. *Ut non manerent in cruce corpora* Sabbato, *quoniam erat* Parasceve: ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου, *erat enim magna dies illius* Sabbati. Sensus est, ut volunt, tam *Christi*, quàm latronum corpora fuisse de cruce properè deponenda, quia erat *parasceve*, adeoque parasceve dies, qui apud *Judæos* fit maximè in honore, propter *Sabbati* concursum cum prima *azymorum*, ac proinde à *Joanne* vocetur *magnus dies*. Quasi non alia possit esse causa, cur dies aliqua *magna* vocetur, nisi in [illegible] festorum concursus. Quin apud *Judæos* nullum fuit festum, in quod non quadret hoc nomen. *Joh.* 7, 37. *magna dies festi* vocatur ultima *Scenopegiæ*; Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς, &c. quæ tamen supra primam nihil habuit. *Es.* 1, 13. pro *Hebrais* חדש ושבת קרא מקרא לא אוכל *novi-lunium, & Sabbatum, & solennem convocationem non feram*, *Græci* habent τὰς νεομηνίας ὑμῶν καὶ τὰ σάββατα, καὶ ἡμέραν μεγάλην οὐκ ἀνέχομαι. Ex qua versione pro *magna* haberi debet quæcunque dies sacris cœtibus convocandis est destinata. Proinde ad illum locum *Procopius magnam diem* appellari asserit [illegible] *diem quamlibet in Lege* κλητὴν (à populi convocatione) *dictam*, *quales azymorum prima & septima*, & pentecoste, & *decima mensis* (Tisri) *uno verbo festa quævis solemnia*. Itaque nullum est Sabbatum, quod non possit sic appellari. Inprimis, si in aliquem *azymorum* diem incidat, ad quorum celebrationem *Hierosolymam* undequaque confluebant *Judæi* omnes. Tamen hodie שבת הגדול, *Sabbatum magnum*, *Judæi* vocant non quod in *Paschales* dies incidit, sed quod illos proximè præcedit. Cujus appellationis ratio fabulosa est in *Synagoga Buxtorfii* cap. 12. Nota obiter ad morem crucifixos è cruce eximendi, ut festi honori consulatur, insignia esse hæc *Philonis* in *Flaccum*, ubi de festo *Imperatoris* natalitio, Ἤδη τινὰς οἶδα [illegible]. *Quosdam novi jam crucifixos, instante tali festo, de cruce depositos, & cognatis redditos, ut sepulturam, & post exequiarum consequentium decebat, etiam vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris natalibus, simulque solennitatis sacrum honorem servari*.

Iis, quæ ex *Joanne* afferuntur, ità solutis, cætera erunt minoris momenti, ut quod *Matth.* 26, 5. inter *Judæorum* Sacerdotes & Scribas hoc convenisse legitur, ut ne *Christus* morti traderetur die festo, ne tumultus in populo fieret. Unde colligunt quo die *Christus* crucifixus est, nondum fuisse festum *azymorum*. Respondeo, illos quidem id in animo primum habuisse, ut ne festo die quidquam in *Christum* molirentur metu populi, quem sciebant eum magnifacere. Sed ab hoc consilio discessisse, oblata per *Judam* occasione: neque id sine numine. Ita enim factum, ut *Christi* mors plures haberet testes, & in ipsum *Pascha* festum incideret, ut vel hinc *Christum* sciremus per *Paschalem* agnum fuisse adumbratum. Sed & hinc constat à *Christo* morti tradendo ipsâ festi religione non fuisse deterritos, sed solo populi metu. quod notandum in sequentem objectionem: ea sic habet.

Primâ die *azymorum* omne opus servile prohibetur, *Levit.* 23, 7. qualia multa *Judæos* fecisse constat eâ die, qua *Christus* traditus est. Ità *Josephus Arimathæus* emit sindonem, qua *Christi* corpus, è cruce sublatum, aromatibusque conditum, involvit, in monumentum deposuit, ostioque monumenti saxum advolvit, *Marc.* 15, 46. Sanctæ mulieres paraverunt aromata, *Luc.* 23, 56. *Judæi Christum* in jus traxerunt, interrogârunt, testes produxerunt, *Romanis* tradiderunt, accusârunt, & importunis clamoribus condemnationem ejus à *Pilato* extorserunt. Itaque, inquiunt, illa dies non potuit esse prima *azymorum*, quâ hæc omnia Lex prohibebat. Respondeo die *azymorum* licuisse parare cibum, *Exod.* 12, 16. quod die *Sabbati* nefas, *Exod.* 16 versu 2. &c. Et quodvis iter conficere. Nam qui è locis remotis veniebant in locum, quem Deus elegerat, puta *Hierosolymam*, ut *Pascha* celebrarent,

post-

postquam agnum vesperè mactaverant, & comederant, poterant manè redire ad suos, id est, ipso *Paschatis* festo, ut diserte habetur *Deuter.* 16. v. 5. 6. 7. Itaque eo ipso die *Judæi* ex *Ægypto* summo manè discesserant, & ex oppido *Ramese Succotham* se contulerant, *Num.* 33. v. 3. 5. cum iter *Sabbati* brevissimum fuisse constet ex *Act.* 1. v. 12. Et multi planè prohibitum fuisse colligerunt ex *Exod.* 16. v. 29. Proinde *Judæos Christus* monet, ut Deum orent, ne fugæ necessitas illis in *Sabbatum* incidat, *Matth.* 24. v. 20. Unde illos colligas reliqua festa non observasse tam scrupulose, quam quietem *Sabbati*. Itaque die *Pentecostes* mortuum effert *Tobias*, ut ejus sepulturæ prospiciat, *Tob.* 2. vers. 1. 4. &c. Quidni de *Christo* idem licuerit, cum res non posset differri, quia instabat *Sabbatum*? Jam de *Christi* hostibus quid statuatur nostra nil refert. Eos, qui divina, & humana jura omnia pedibus insolenter proculcant, nil mirum est festi religione non retineri. Neque tum primum devenerant eo furoris, & vesaniæ. Nam magna & ultima die festi Tabernaculorum Sacerdotes & *Pharisæi* lictores immiserant, qui in *Christum* manus injicerent. *Joh.* 7. v. 2. 37. 44. 45. Et festo encæniorum *Judæi* lapides sustulerant, quibus illum obruerent, *Joh.* 10. v. 22. 31. Denique in pleno Synhedrio jam ante deliberatum fuerat, an *Christum* ipso festo morte mulctarent. Neque festi religio, ut supra observatum, sed solus populi metus eos ab hoc consilio absterruerat. Quid quod ipsa die *Sabbati* lignator quidam coram *Mose* & *Aarone* sistitur, & in carcerem conjicitur, *Num.* 15. v. 32. 33. 34? Neque ex sacro textu satis constat, an *Moses*, consulto Deo, cum ipso momento lapidibus obrui jusserit, aut supplicium in sequentem diem distulerit, quamvis posterius sentiant *Hebræi* omnes. Præterea, etsi festa *Judæorum* noctem & diem duraverint, tamen nocturnis horis putaverim multo plura licuisse, quam diurnis, quibus populus convocandus, & cultui Divino vacandum erat. Nocturnis autem pleraque hæc facta. Sic illa ipsa nocte, qua *Christus* cum *Apostolis Pascha* celebraverat, à *Judæis* missi lictores eum invaserunt, & primò ad *Annam*, deinde ad *Caipham* adduxerunt, à quo interrogatus est, cum eo convenissent Scribæ, Sacerdotes, & Seniores profunda nocte, & jam concubia, quod probabimus in capite *De Gallicinio*. Et, orto Sole, cætera *Pilato* commiserunt. Rursus illa ipsa die *Christo* crucifixo, *Josephus Arimathæus Pilatum* adiit, ut *Christi* corpus impetraret, ὀψίας γενομένης, *cum jam esset vespera*, Matth. 27. v. 57. Quo facto corpus è cruce depositum polinxit, & sepelivit. Et sanctæ mulieres, quæ id viderant, aromata paraverunt, *Luc.* 23. v. 55. 56. Itaque τὸ ἔσχατον retorqueri posse puto quod de *Judæis* objicitur, qui videntur ob id ipsum profunda nocte convenisse, ut de *Christi* capite agerent, quia propalam, & pleno die his vacare vix potuissent absque gravi scandalo propter festi religionem.

Ecce alteram objectionem priori non absimilem. *Judæos* vespera *Paschatis*, & statim post esum *Paschalis* agni, in *Christum* tanto impetu irruisse non videri verisimile. *Resp.* Quidni vero, si eodem spiritu acti sunt, quo proditor *Judas*, qui, *Paschate* jam modò cum *Christo* celebrato, tam sceleratæ cohortis ducem, & incentorem se præstitit? *Cainum* à fratricidio non prohibuit sacrificium solenni more nuper oblatum. Adultera mulier, post consecratas victimas, & vota sua Deo reddita, mox in libidines ruit, *Prov.* 7. v. 14. 15. *Zachariam*, vel *Jojadæ*, vel *Barachiæ* filium, in ipso Templi atrio prope altare *Judæi* lapidibus obruerunt, 2. *Paral.* 24. v. 21. & *Matth.* 23. v. 35. idque die propitiationum, si *Hebræis* credimus. Plebejus furor nullos habet limites, maximè, cum religionis velum illi obtenditur. Quo prætextu in *Christum*, & ejus servos *Judæi* sæviebant. Unde illud *Christi* Joh. 16. v. 2. *Veniet tempus, quo quisquis vos interfecerit, putabit se* λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ, *cultum Deo præstare* vel *oblationem Deo offerre*, ut hic habent *Syrus* & *Arabs*.

Objectio ultima sumitur à *Pentecoste*, quam omnis *Christianitas*, inquiunt, ab ultima usque antiquitate credidit anno Passionis *Christi* in *Dominicam* incidisse. Ergo vel tota Ecclesia hac in parte erravit, vel primus *azymorum* fuit *Sabbatum*, non dies *Veneris*. Id prima fronte videtur ἀναντίρρητον. Nam à secunda die *azymorum* numerabantur septem hebdomades, id est, dies quadraginta novem, quibus pro colophone addebatur quinquagesima, unde *Pentecoste* dicta. Itaque si prima *azymorum* fuit *Sabbatum*, prout illi contendunt, prima septem hebdomadum, adeoque sex reliquæ inceperunt die *Dominica*, & in *Sabbatum* desierunt. Et post *Sabbatum* septimæ hebdomadis dies *Dominica* sequuta est, id est, *Pentecoste*. At, si prima *azymorum* in diem *Veneris* incidit, in eandem *Veneris* diem omnes hebdomades desierunt, & quinquagesima fuit *Sabbatum*. Respondemus primò, gratis id dici, ab omnibus *Christianis* ab ultima usque antiquitate creditum *Pentecosten* anno Passionis in *Dominicam* incidisse. Nam, si *Clementis Constitutiones* excipias, & *Augustini* Sermonem *De Tempore* CLIV, quæ scripta sunt ψευδεπίγραφα, nemo citatur, qui id asserat ante *Leonem Primum*, ad *Romanum* Episcopatum evectum sæculo quinto plus dimidio. Secundò, ex ipsa Lege dubium oboritur de vero die *Pentecostes*. Ita enim habetur *Deut.* 16. v. 9. *Ex quo cœpit falx in segetem immitti, incipe numerare septem hebdomadas.* Falx autem in segetes immittebatur postridie festi primi *azymorum*, quod vocatur *Sabbatum Levit.* 23. v. 15. ut ex demessis frugibus offerretur Deo manipulus. At, cùm festum *azymorum* sequebatur *Sabbati* dies, manipulus ille frugum non postridie, sed perendie videtur fuisse oblatus; quia *Sabbato* non licebat falcem in segetes immittere. Quo dato nulla fuerit objectio, cùm quo anno *Christus* passus est primo post festum die *Sabbatum* fuerit, unde sequatur frugum oblationem, & septem hebdomadum enumerationem in primam feriam fuisse rejiciendam, adeoque *Pentecosten* in eundem diem incidisse. Tertiò, *Lucæ* verba *Actor.* 2. v. 1. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς, sic accipi possunt quasi dixisset, μετὰ τὸ συμπληρωθῆναι, *postquam impleti sunt dies Pentecostes.* Quod non est sine exemplo. *Hebræi* enim sic loqui amant. Sic *Levit.* 12. v. 6. de puerpera dicitur ובמלאת ימי טהרה ad verbum καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς, *cum implerentur dies purgationis ejus.* Tamen *Græci* Interpretes, ὅταν ἀναπληρωθῶσιν & *Hieronymus*, *Cum impleti fuerint dies*, &c. Rectè omnino. Agitur enim de oblatione, quam offerebant puerperæ post quadraginta dies, si marem, aut post octoginta dies à partu impletos, si fœminam peperissent. Proinde *Maimonides* in libro *De iis qui non egent sacrificio expiatorio* cap. 1. sect. 5. היולדת אינה מביאה קרבנה ביום ארבעים לזכר או ביום שמונים לנקבה אלא מערבת שמשה ומביאה קרבנה למחר שהוא יום מא׳ לזכר ויום פא׳ לנקבה והוא היום שנא׳ בו ובמלאת ימי טהרה *Puerpera non offert oblationem suam die quadragesimo pro mare, aut octogesimo pro fœmina, nisi postquam ei occubuit Sol* (ultimæ diei, id est, post diem plenè completam) *Offert igitur oblationem suam postridie, id est, die quadragesima prima pro mare, & octogesima prima pro fœmina. De qua die dicitur* Levit. 12. vers. 6. " *Et cum implentur dies purgationis ejus*, καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι, &c. Id est, ut vult intelligi, *Postquam plenè & planè impleti sunt.* Rursus *Num.* 6. *vers.* 13. ביום מלאת ימי נזרו *Quando complentur* (id est, *quando completi sunt*) *dies nazireatus ejus.* Et *Esther* 1. v. 5. ובמלאת הימים האלה, ἐν τῷ ἀναπληρωθῆναι τὰς ἡμέρας ταύτας, id est, ὅτε ἀνεπληρώθησαν, *cum impleti sunt illi dies*, ut ibi habent Interpretes. Sic, dato, non concesso, *Judæorum Pentecosten* in *Sabbatum* incidisse quo anno

Christus

Christus passus est, posset tamen intelligi Spiritus Sanctus in *Apostolos* die *Dominica* descendisse, quia *Græca* ἐν τῷ συμπληροῦσθαι, &c. *Hebraico* loquendi more non solum significant impleri dies *Pentecostes*, sed & jam impletos fuisse. Non fuerunt autem perfecti adimpleti usque ad diem sequentem. Denique argumento à *Pentecoste* ducto, nos sumptum opponemus à *Dominica in Ramis*, quod hæc *Joannis* suggerunt capitis duodecimi versu primo, *Jesus ergo sex diebus ante* Pascha *venit Bethaniam*. Et versu duodecimo, *Postero die multa turba, quæ venerat ad festum, cum audissent* Jesum *venire* Hierosolymam, *acceperunt termites palmarum, & prodierunt ei obviam*. *Postero die* id est, *Dominica in Ramis*, cujus in cujusdam *Homiliæ* titulo meminit *Maximus Taurinensis* circa annum 420. *Jesus* igitur *Bethaniam* venerat die *Sabbati*; qui si fuit sex diebus ante *Paschale* festum, festum illud die *Veneris*, non *Sabbati*, celebratum est. Sextus enim à *Sabbato* dies non est *Sabbatum*, sed dies *Veneris*.

Præter *Pascha* primi mensis aliud celebrabatur die decimo quarto secundi mensis, in eorum gratiam, qui tempore primi *Paschatis* immundi erant, aut in locis ab urbe tam dissitis, ut adeam maturè se conferre non possent. Hujus institutio & praxis habentur *Num.* 9. *vers.* 6. &c. *Maimonides* in libro *De Paschate* cap. 6. & 7. multa habet de iis, qui à primo *Paschate* excludi debent, & ad secundùm ablegari, quæ hic referre longum esset, & tediosum. Sed, si quis aveat scire quomodo *Judæi* secundum *Pascha* à primo distinguant, id ille docet his verbis cap. 10. sect. 15. מה בין פסח ראשון לפסח שני הראשון אסור בחמץ בבל יראה ובל ימצא ואינו נשחט על החמץ ואין מוציאין ממנו חוץ לחבורה וטעון הלל באכילתו ומביאין עמו חגיגה ואיפשר שיבא בטומאה אם נטמא רוב הקהל טומאת מת כמו שביארנו אבל פסח שני חמץ * ומצה עמו בבית ואינו טעון הלל באכילתו ואין מביאין עמו חגיגה ואינו בא בטומאה ושניהן דוחין את השבת וטעונין הלל בעשייתן ונאכלין צלי בבית אחד על מצה ומרור ואין מותירין מהן ואין שוברין בהן את העצם *Quid inter se differunt* Pascha *primum & secundum? In primo vetitum est, ne fermentum* (in domo) *videatur, aut reperiatur, nec cum fermento mactetur. Neq; ex eo quidquam auferatur extra* τὴν φρατρίαν. *Et hymnus inter comedendum est decantandus. Et cum eo offertur* chagiga. *Et fieri potest, ut cum immunditie celebretur, si contactu mortui polluta est major pars congregationis, ut supra docuimus. Sed cum* Paschate *secundo possunt fermentum & azymum simul cum eo esse in domo. Nec necesse est, ut inter comedendum canatur hymnus. Nec cum eo offertur* chagiga. *Nec cum immunditie celebratur. At ambo impellunt Sabbatum* (id est, celebrantur, etiamsi sit Sabbatum) *Et dum paratur agnus, hymnum oportet cani. Et tostus comeditur in una domo cum azymo, & herbis amaris. Neq; ex iis quidquam servatur. Neq; frangitur ullum os.* His merito potest objici, secundum *Pascha* in omnibus primo debere æquari; quia de eo dicitur *Num.* 9. *v.* 12. *Juxta omnem ritum primi* Paschatis *illud celebrabunt*. Quod ut solvatur, observat à *Mose* quosdam *Paschatis* ritus ibidem exponi, qui sint בגופו *in corpore ejus*, id est, illi essentiales, ut sciamus in his solùm secundum primo exæquari. Sed hæc non satisfaciunt. Quippe, cùm jubet *Moses Pascha* secundum celebrari juxta omnem prioris ritum, aperte docet hæc duo *Paschata* nullo modo differre ab invicem, nisi in sola temporis circumstantia. Quamvis ne tempore quidem prius ab altero differat, nisi respectu mensis. Nam de cætero æquè ac prius die mensis decima quarta, atque inter duas vesperas celebratum est, *Num.* 9. *v.* 11. Addi potest prius fuisse altero solennius, quia ad illius celebrationem confluebant mares omnes, iis tantùm exceptis, quos vel legalis immunditia, vel major ab urbe distantia prohibebat. Hi enim soli in alterum *Pascha* se reservabant. Non tamen id perpetuum fuit: nam sub *Ezechia* Rege *Pascha* primo mense celebratum non fuit, sed solum secundo. At causa est in promptu. *Achaz*, *Ezechiæ* pater, Dei altare loco suo moverat, ut alterum, *Damasceno* simile, ei substitueret, Templum clauserat, Liturgiam aboleverat, totum Dei cultum subverterat, idola ubique erexerat, & omnia susque deque miscuerat, 2. *Regum* 16. *v.* 10. Hæc restituere conatus *Ezekias* primo regni sui anno ineunte mense *Nisan*, non habuit satis temporis, ut Templum, Sacerdotes, *Levitas*, & populum ipsum repurgaret ante diem mensis *Nisan* decimam quartam. Templi enim consecratio absolvi non potuit ante diem decimam sextam, 2. *Paral.* 29 *v.* 27. Neque dum sanctificati fuerant Sacerdotes *ad sufficientem numerum*. Nec populus potuerat *Hierosolymam* convocari 2. *Paral.* 30. *v.* 3. Ideoque primi *Paschatis* celebratio in secundum mensem necessario fuit differenda. *Augustinus* in *Numeros* Quæst. 15. dubitat, an *Pascha* possit etiam in tertium mensem rejici, *si fortè talis immunditia etiam ad secundum mensem occurreret*. Ego tempus à Deo in Lege sua indictum non puto quacunque de causa potuisse prorogari. Præstat enim a *Paschatis* celebratione ad tempus abstinere, quam illud observare tempore non suo. Inter *Jerobeami* peccata hoc unum est, quod solenne festum celebravit בחדש אשר ברא מלבו *mense, quem commenxerat ex corde suo*, 1. Reg. 12. v. 32. 33. id est, ברעותיה *arbitrio suo*, ut *Chaldæus* hic habet. Hæc de *Paschatis* tempore: jam de loco.

III. Locus.

In genere ex Scriptura docemur *Pascha* non solum in *Judæa*, sed in *Ægypto* quoque fuisse celebratum, *Exod.* 12. *v.* 21. & in deserto *Sinai*, Num. 9. v. 5. *Pascha* autem in *Ægypto* in propria domo mactavit quisque *Israelitarum*, quia non licebat alibi, cùm in *Ægypto* nullum fuerit altare, nec ullus locus, ad quem convenire illi populo esset liberum. At post excessum ex *Ægypto* res aliter se habuit. Tum enim non potuit *Pascha* alibi mactari, quam in loco, quem Deus elegerat. Ita habetur *Deut.* 16. *v.* 5. 6. *Non poteris immolare* Pascha *intra ullam è portis tuis, quas Dominus Deus dat tibi: sed in loco, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi collocet nomen suum*. Id est, non solum *Hierosolymis*, postquam ibi Templum ædificavit *Salomon*, sed & in ipso Templi atrio, ubi reliquas victimas mactare moris erat. Locus enim, quem Deus elegit, ut in eo collocet nomen suum, quid aliud sit, quam sacer locus? Itaque in eo loco holocausta, & sacrificia quævis, oblationes, vota, decimas, primitias, primogenita offerri, & absumi legas, *Deut.* 12. & 14. & 15. & 27. Et ibidem non solum *Pascha*, sed & reliqua festa cum lætitia celebrari, *Deuter.* 16. Et Sacerdotes consuli, *Deut.* 17. *v.* 8. 9. Et convenire *Levitas*, *Deuter.* 7. *v.* 6. Adeoque totum *Israelem* ante Domini faciem comparere, *Deut.* 31. *v.* 11. Itaque ex illo ipso *Deuteronomii* loco, quem citavimus, probat *Maimonides Pascha* etiam in celsis locis, tum, cum licita fuere, mactari non potuisse, sed solum in Templi atrio. Verba sic habent libri *De Paschate*, cap. primo sectione tertia. אין שוחטין הפסח אלא בעזרה כשאר הקדשים אף בשעת היתר הבמות לא היו מקריבין את הפסח בבמת יחיד והמקריב את הפסח בבמת יחיד לוקה שנאמר לא תוכל לזבוח את הפסח באחת שעריך *Non mactant* Pascha *nisi in Templi atrio, ut reliqua sacra. Etiam tum cùm licita fuere loca celsa*, Pascha *in loco celso privato non offerebant. Et vapulabat quisquis in loco celso privato offe-*

* Legitur ימצא *reperitur.*

offerebat, quia dicitur Deut. 16. v. 5. "*Non poteris im-*" *molare* Paſcha *in ulla portarum tuarum*. Neq; obſcurum eſt, cur *Paſcha* in loco ſacro mactari oportuerit. Nempe *Paſcha* non ſolum ſacramentum, ſed & ſacrificium fuit. Quod *Moſes* non ſemel docet. Sic *Exod.* 12. v. 27. *Hoc eſt ſacrificium* Paſchatis *Domino*. Exod. 23. 18. & 34. v. 25. *Non immolabis cum fermentato ſanguinem ſacrificii mei*, id eſt, *Paſchalis* agni, ut ſtatim docebimus. *Num.* 19. *v.* 7. qui propter immunditiem excluſi fuerant, petunt cur prohibeantur, *ne oblationem offerant Domino ſtato tempore ſuo*, quæ eadem locutio repetitur verſu decimo tertio. Et *Deut.* 16. *v.* 4. *Neque pernoctabit de agni carne, quam ſacrificabis veſpere*. Et verſu quinto, *Non poteris ſacrificare Paſcha*. Et verſu ſexto, *Paſcha ſacrificabis veſpere*. Neque aliter loquuntur novi fœderis Scriptores. *Marc.* 14. *v.* 22. Ὅτε τὸ Πάσχα ἔθυον. *Luc.* 22. *v.* 7. Ἔδει θύεσθαι τὸ Πάσχα. 1. *Cor.* 5. *v.* 7. Τὸ Πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη. Sacrificium autem fuiſſe propriè dictum, ex ipſo ritu apparet. Sanguis enim agni Domino offerebatur. Quod colligere eſt ex verbis *Moſis* Exod. 23. v. 18. *Non offeres ſanguinem* זבחי *ſacrificii mei cum pane fermentato: nec adeps feſti mei remanebit uſq; manè. Sacrificii mei*, id eſt, *Paſchatis mei*. Itaque *Onkelos* hic habet דם פסחי, *ſanguinem Paſchatis mei*. Et *Jonathan*, ארם נכסת פסחי *ſanguinem hoſtiarum Paſchatis mei*. Et *Saadias* in *Arabica* Paraphraſi, *Non immolabis* فسحي *Paſcha meum*. Neque aliter ſumunt *R. Selomo*, *Aben Ezra*, *Menachem*, *Abarbanel*, aut *Hebræorum* ullus, quòd quidem ſciam. Et hanc ſuam interpretationem duplici ratione probant. 1. Ex loco parallelo *Exod.* 34. *v.* 25. *Non immolabis cum pane fermentato ſanguinem ſacrificii mei, nec remanebit uſq; manè* זבח חג הפסח *ſacrificium feſti* Paſchatis. Ubi vides in poſteriore hemiſtichio Legem *Paſchatis* diſertè meminiſſe. 2. Ex ſequentibus utroque loco, *Principium primitiarum terræ tuæ feres in domum Domini tui. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*. Quorum unum ad *Pentecoſten*, alterum ad feſtum Tabernaculorum pertinere volunt, ut dicetur ſuo loco. Ita ut *Exodi* 23. *v.* 18. 19. & 34. *v.* 25. 26. duobus verſibus continuis tres habeantur Leges, quæ tria feſta reſpiciunt in *Judæa* ſolennia, *Paſcha*, *Pentecoſten*, *Scenopegiam*. Hoc præcipuum, quod agni ſanguis per Sacerdotem ſpargebatur. Quod diſertis verbis teſtatur *Eſdras* 2. Paral. 30. v. 16. הכהנים זורקים את הדם מיד הלוים *Sacerdotes ſpargentes* (*Paſchalis agni*) *ſanguinem è manibus Levitarum* (acceptum.) Et rurſus cap. 35. v. 11. *Et mactârunt* Paſcha, ויזרקו הכהנים מידם *& aſperſerunt Sacerdotes è manu eorum*. Quod ad ſacrificium pertinere nemo neſcit. Ac proinde, quoties offeruntur victimæ in *Exodo*, & *Levitico*, toties Sacerdos ſpargit ſanguinem ad altare circumcirca. Et idem victimæ ſanguis libris, vaſibus, veſtibus, Sacerdotibus, populo univerſo inſpergitur. Id *Paulo* eſt τῷ αἵματι ῥαντίζειν, *Hebr.* 9. *v.* 21. Et *Petrus*, eodem alludens, nos electos fuiſſe ſcribit εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in aſperſionem ſanguinis* Jeſu Chriſti, 1. *Pet.* 1. *v.* 2. Itaque *Judæorum* hic Canon eſt notiſſimus, עקר הזבח בהזית הדם *Radix* (ſeu *eſſentia*) *ſacrificii eſt in aſperſione ſanguinis*. Hinc *Maimonides*, *De Paſchate* cap. 2. ſect. 6. שהזריקה חמורה שהיא עקר הקרבן *quia aſperſio magni momenti eſt, cum ſit radix oblationis*. Et pelvis, aut crater, quo Sacerdotes ſanguinem aſpergendum excipiebant, מזרק dicitur, quod ῥαντιστήριον, *aſperſorium*. Quid quod in primo illo *Paſchate*, quod in *Ægypto* celebrârunt *Iſraelitæ*, cum nullum eſſet altare, ad quod conveniret populus, ut agni ſanguis ad illud ſpargeretur, tamen huic aſperſioni id fuit analogum, quod agni ſanguine ſuperliminare, & poſtes illinere juſſi ſunt, *Exod.* 12. *v.* 22. Itaque multi interpretes *aſpergendi* vocem hic adhibent. Ita *Onkelos*, & *Jonathan* ותדון *& aſpergetis*. *Syrus* quoque eodem ſenſu, ܘܬܪܣܘܢ. Et *Hieronymus*, *Aſpergite ex eo ſuperliminare*. *Apoſtolus* vocat πρόσχυσιν *affuſionem*, cùm dicit *Moſem* fide fecisſe *Paſcha*, καὶ τὴν πρόσχυσιν τοῦ αἵματος, *& affuſionem ſanguinis*: ubi rurſus *Syrus* habet ܘܣܘܣܛܐ ܕܕܡܐ *& aſperſionem ſanguinis*. Nec quiſquam negaverit propitiatorium fuiſſe illum ſanguinem, cum ejus vel illitu, vel aſperſione Deum placaverint. Jam, ſi *Hebræos* conſulas, diſces non ſolum ſanguinem ad altare effundi, ſed & ejus viſcera, & adipes adoleri debuiſſe, ut in aliis ſacrificiis, *Lev.* 17. *v.* 6. *Maimonides*, *De Paſchate* cap. 1. §. 6. דם הפסח טעון שפיכה כנגד היסוד ואחר כך ששופכין דמו מפשיטין אותו וקורעין את בטנו ומוציאין את אמוריו ומקטירין אותן חלבין כל זבח וזבח לבדו ובעל הזבח נוטל פסחו עם העור שלו ומביא לביתו לירושלים וצולהו ואוכלו לערב *Sanguinem* Paſchatis *ad baſim altaris effundere neceſſe eſt. Et poſt ſanguinem effuſum illud pelle denudant, & ex ejus ventre diffiſſo extorum adipes educunt, & eos adolent, in unoquoq; ſacrificio ſeorſim. Et ſacrificii dominus*, Paſcha *ſuum unà cum pelle auferens, defert in domum, quam habet* Hieroſolymis, *& aſſatum veſperè comedit*. Et ſectione ſeptima, המניח אמורין ולא הקטיר עד שלנו ונפסלו בלינה הרי זה עובר בלא תעשה שנאמר לא ילין חלב חגי עד בוקר *Qui reponit extorum adipes, nec adolet donec pernoctaverint, ita ut pernoctatione illiciti fiant, peccat in mandatum negativum; quia dicitur* Exod. 23. v. 18. "*Non pernoctabit adeps feſti mei uſq; manè*. Et ſectione octava, ומקטירין חלבי פסחין כל הלילה עד שיעלה עמוד השחר *Et tota nocte adolent* Paſchatum *adipes, donec aſcendat columna Auroræ*. Et ſectione decima quarta, poſtquam longam Sacerdotum ſeriem circa altare deſcripſit cum aureis & argenteis pelvibus, addit, cum quis *Paſcha* mactaviſſet, ſanguinem in pelvi fuiſſe exceptum à Sacerdote vicino, qui eum alteri traderet, & ſic deinceps, עד שתגע הדם אצל כהן הקרוב למזבח שופכו שפיכה אחת כנגד היסוד *donec perveniret ſanguis ad Sacerdotem vicinum, qui eum unica effuſione ad altaris baſim effunderet, & quam pelvim plenam acceperat, vacuam redderet*. Et ſectione decima octava, שחיטת הפסח וזריקת דמו ומיחוי קרבו והקטר חלביו דוחין את השבת *Jugulatio* Paſchatis, *& aſperſio ſanguinis ejus, & ventris ejus percuſſio, & adipum ejus ſuffitus impellunt Sabbatum*. Senſus eſt, his vacandum eſſe etiam die *Sabbati*, quia Lex jubet, ut fiant במועדו *ſtato tempore ſuo*, ac proinde non poſſunt in aliud tempus rejici. Hæc omnia ferè totidem verbis legas in *Miſna* Tractatu *De Paſchate* capp. 5. & 6. Nec leviter prætereundum eſt etiam *Karaitas*, qui *Judaicas* Traditiones rejiciunt, ut ex ſola Scriptura pendeant, pleriſque his aſſentiri. Id probat doctiſſimus *Anglus* ex his veteris cujuſdam *Karaitæ* verbis, quem penes ſe eſſe aſſerit, דע שהקרבת הפסח הוא במקום המובחר כתוב לא תוכל לזבח את הפסח באחד שעריך ומקום שחיטתו בעזרה ושפיכת דמו אל יסוד המזבח ואמוריו היו נקטרים במזבח *Scito* Paſchæ *oblationem fieri in loco* [à Deo] *electo, ſicut ſcriptum eſt*, "*Non poteris immolare* Paſcha *in ulla portarum tuarum*. *Locuſque mactationis ejus eſt in Templi atrio: & ſanguinis ejus effuſio ad altaris baſin. Extorum denique adipes in altari adolentur*. Hæc ille in capite, cui titulus eſt במקום הקרבת הפסח ואכילתו *De loco, in quo* Paſcha *offerendum eſt*, &

& ejus esu. Vir quidam piissimus & doctissimus, qui *Pascha* putat potuisse ubivis mactari, & comedi, quamdiu stetit *Jerusalem*, non cogitabat frustra toties (*e*) juberi mares omnes, ut quotannis veniant *in locum, quem Deus elegerit*, hoc festum celebraturi, si tum potuit agnus ubivis mactari, & manducari. Nec fuisset opus, ut qui erant בדרך רחוקה *in via remota* tempore primi *Paschatis*, *Hierosolymam* se sisterent secundo mense, & in eorum gratiam *Pascha* alterum observaretur. Neque, ut Deus illorum urbes ab invasione per miraculum servaret, dum ad festa celebranda in unum locum se conferrent; quomodo se facturum pollicetur *Exod.* 34. *v.* 24. Neque enim opus est miraculis, cum media ordinaria non desunt. Illa autem non defuissent, si viri potuissent *Pascha* alibi celebrare, quia vacuas urbes non reliquissent. Temporis & loci angustia frustra objicitur, quasi inter duas vesperas non potuerint tot agnorum millia ad unum altare sisti, & offerri. Templi enim atrium latissimè patuisse docent viginti duo millia boum, & ovium centum viginti millia in Templi encæniis à *Salomone* ibi oblata, 1. *Reg.* 8. *v.* 63. & à reliquo populo sacrificia sine numero, 2. *Par.* 5. *v.* 6. Neque parvum fuit altare, quod in secundo Templo describit *Josephus* τετράγωνον, tam latum, quàm longum, cubitis quinquaginta, id est, pedibus septuaginta quinque, *De bello Jud.* lib. 6. cap. 6. In illud autem altare non toti agni, sed solum extorum adipes imponebantur, & sanguis fundebatur ad basim. Quibus offerendis vacabant plurimi & expediti Sacerdotes per horas quatuor, si res ita postularet; quod ex *Talmudicis*, *Maimonide*, & *Hebræorum* aliis probare sit obvium. Quin supra docuit *Maimonides* agni adipes tota nocte potuisse adoleri, & donec ascenderet columna Auroræ.

(*e*) *Exod.* 23. *v.* 17. & 34. 23. *Deut.* 16, 16.

IV. Ministri.

Sed, ut jam de ministris agamus accuratius, hi vel è plebe fuerunt, vel *Levitæ*, vel Sacerdotes. Plebejos fuisse nonnulli probant ex primo illo *Paschate*, quod in *Ægypto* celebratum est. Quæ probatio non valet: quia tum temporis, cùm Sacerdotes nondum instituisset Deus, necesse erat plebeios Sacerdotum implere locum. Ita tamen, ut hoc muneris vel cederet patrifamiliâs, vel ejus filio natu majori. Quod obtinuit maximè post exitum ex *Ægypto*. Tum enim Deus, *Israelitarum* primogenitos ex communi clade eximens, novum jus in eos sibi acquisivit, *Exod.* 13. *v.* 15. & *Num.* 8. *vers.* 17. Illos igitur vel redimi oportuit, *Exod.* 13. *v.* 13. pretio nempe quinque siclorum, *Num.* 18. *v.* 16. vel Deo consecrari. Atque ut mundarum pecudum fœtus primogeniti pro victimis fuêre; ita hominum primogeniti Sacerdotum loco habiti sunt: donec, iis in deserto recensitis, & supra viginti duo millia numeratis, *Levitas*, qui ferè totidem reperti sunt, Deus in illorum locum sibi adscivit, & cultui suo dicavit, *Num.* 3. & 8. Itaque, cùm Sacerdotes, qui ad Deum accedunt, jubentur se sanctificare, *Exod.* 19. *v.* 22. plerique *Sacerdotum* nomine primogenitos intelligunt, quia tum nulli erant Sacerdotes propriè dicti. Neque aliter accipitur, quod *Exod.* 24. *v.* 5. *juvenes de filiis Israelis* Deo leguntur holocausta obtulisse, & pacificas victimas immolavisse. Unde est, quod, pro *juvenibus*, *Onkelos*, & *Jonathan Chaldæi*, *Saadias Arabs*, & *Tavvasius Persa*, *primogenitos* habent. Atque eosmet ipsos intelligunt *Rabbi Selomo*, & *Aben Ezra*. Quidni igitur pari ratione *Pascha* in *Ægypto* fuerit administratum aut à patrefamiliâs, aut ab hujusmodi primogenitis? At etiam in terra *Chanaan* non pauci plebejis putant idem fuisse juris. Quibus præivisse videtur *Philo Judæus*, cum dicit de festo *Paschatis* in libro *De Decalogo*, Ἐν ᾗ (ἑορτῇ) θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος, τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες, ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει παντὶ μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος, εἰς αὐτουργίαν θυσιῶν· *Quo festo passim singuli sacrificant, non expectatis Sacerdotibus, Lege sacerdotium quotannis universæ genti una die eximia concedente, ut sacrificia per se faciat.* Et rursus libro tertio *De vita Mosis*, Ἐν ᾗ οὐχ οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δ' οἱ ἱερεῖς· ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται, τῶν κατὰ μέρος ἑκάστου τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ θυσίας ἀνάγοντος τότε, καὶ χειρουργοῦντος. *Quo festo non* (ut aliàs) *plebeji homines victimas ad altare adducunt à Sacerdote mactandas: sed, jubente Lege, tota gens sacrificat, dum pro se quisq; hostiam offert, & propriis manibus immolat.* In quibus verbis obiter nota *Philoni* θυσίας ἀνάγειν idem esse, quod *Lucæ*, *Act.* 7. *v.* 41. ἀνήγαγον θυσίαν τῷ εἰδώλῳ, *obtulerunt sacrificium idolo*: cujus locutionis alioqui rara exempla. Sed, ut eò redeat, unde digressa est oratio, non *Philo* solus, sed ipse Deus videri possit id toti populo concessisse, ut *Pascha* mactet. Sic enim Lex de agno *Exod.* 12. *v.* 6. *Eum mactabunt* כל קהל עדת ישראל *tota congregatio Synagogæ Israelis.* Proinde in solenni *Paschate* sub *Ezekia* videtur id fuisse extraordinarium, quod agni non à populo, sed à *Levitis* immolati sunt. *Esdras* enim rem ita refert, ac si præter morem facta sit propter populi immunditiam. Verba sunt 2. *Par.* 30. *v.* 17. *Quia plerique è congregatione non se sanctificaverant, ideo* Levitæ *vacabant mactationi* Paschatum *pro omni immundo, ut ea Domino sanctificarent.* In quem locum *R. Selomo*, *Ne mireris, cur non ipsi* Paschatum *domini illa mactaverint, ideo scriptum continuo post*, " *Quia plerique non se sanctificaverant*, &c. Eodem hæc pertinent *Esd.* 6. *v.* 20. *Mundaverant se Sacerdotes, ac* Levitæ *pariter, omnes mundi erant. Ideo mactaverunt* Pascha *pro omnibus iis, qui ex captivitate redierant.* Qui nimirum ipsi mactassent, si fuissent æquè mundi. Plebejis igitur agnos mactare per Legem fuit liberum, modo ne immunditiès obstaret. Non tamen inde sequitur, quod contendit *Philo*, Oratorum more rem exaggerans, plebejos die *Paschatis* Sacerdotum egisse partes. Neque enim hic fuit quidquam peculiare, cum in quovis alio sacrificio idem fuerit concessum plebejis hominibus. Sic de holocausto dicitur *Levit.* 1. *v.* 3. 4. 5. *Si quis holocaustum offerat*, &c. *manum imponet holocausti capiti*, &c. *Et mactabis filium bovis* (id est, *vitulum*) *coram Domino. Et Sacerdotes, filii* Aaron, *sanguinem offerent, & ad altare spargent circumcirca.* Et de sacrificio pacifico *Levit.* 3. *vers.* 2. *Manum imponet capiti oblationis suæ, & mactabit eam præ foribus tabernaculi conventus: Sacerdotes autem*, &c. Et de sacrificio pro peccato *Levit.* 4. *v.* 24. *Et manum imponet hirci capiti, & mactabit eum in loco, ubi jugulatur holocaustum coram Domino. Et Sacerdos accipiet de sanguine*, &c. Hinc *Maimonides* in libro *De ingressu Sacerdotis in Sanctuarium*, cap. 9. sect. 6. שחיטת קדשים כשרה בזרים אפילו קדשי קדשים בין קדשי יחיד בין קדשי ציבור שנאמר ושחט את בן הבקר לפני ״ והקריבו בני אהרן *Mactatio victimarum per peregrinos legitima est* (id est, facta per eos, qui non sunt ex *Aaronis* familia) *etiam sanctissimarum, sive sint privati hominis victima, aut totius congregationis. Dicitur enim* Levit. 1. v. 5. " *Et mactabit vitulum coram* " *Domino, & filii* Aaron *offerent.* Sed additur continuo post, מקבלה ואילך מצות כהונה *Receptio* (sanguinis) *& quæ sequuntur, pertinent ad sacerdotium.* Ita *Talmudici* in *Zebachin* capite quinto, שחט ישראל וקבל הכהן *Mactat Israel* (id est, *quivis Israelita*) *sed Sacerdos* sanguinem *accipit.* Et ibi *Bartenora*, שוחט ישראל אם ירצה שהשחיטה כשרה בזרים בכל הקרבנות *Mactat Israel* (quivis è plebe) *si velit. quia victimæ mactatio per peregrinos legitimè fit in omnibus sacrifi-*

tiis: sed Sacerdotum est accipere sanguinem. Proinde *Abarbanel in Leviticum* res decem in sacrificio numerat, quarum quinque ad eos attinent, qui victimas offerunt, quinque ad solum Sacerdotem. Illæ sunt, 1 manuum impositio in caput victimæ, 2 mactatio, 3 excoriatio, 4 dissectio, 5 extorum ablutio: hæ, 1 sanguinem in pelvi accipere, 2 eundem aspergere, 3 ignem super altare accendere, 4 ligna digerere, 5 & partes carnium, quæ adolentur. Hæc pluribus refert egregius Scriptor *Anglicanus* ignoti nominis, quem hic me sequi ingenue profiteor. Ex illis autem abundè patet in oblatione *Paschatis* nihil licuisse privatis, quod non in iis æque licuerit in quovis alio sacrificio. Nam, ut in aliis sacrificiis, ita etiam in *Paschate* solus Sacerdos sanguinem, vel à *Levitis*, vel à plebeiis acceptum, in altare spargebat, ut suprà docuimus ex 2. *Par.* 30, 16. & 35, 11. Solus item extorum adipes in altari adolebat, quod *Hebræi* omnes asserunt. Hinc Sacerdotes non latebat quot numero essent *Paschata*. Et sub *Nerone* οἱ ἀρχιερεῖς, ut *Cestio* satisfacerent, *Judæorum* numerum ab iis sciscitanti, responderunt se *Pascha* solenni die numerâsse (f) τῶν μὲν θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας, πρὸς δὲ τετρακισχίλια ἑξακόσια, *hostiarum viginti quinque myriades, & insuper quinque millia, & sexcenta.* Ut 1. *Sam.* 15, 4. in *Chaldæa* Paraphrasi *Saul Israelitas* numerâsse legitur באמרי פסחיא *per agnos Paschales.* Quod, licet fabulosum, ut alibi docuimus, probat tamen ex illius interpretis sententia, qui creditur esse *Jonathan*, *Israelitas* sic potuisse numerari. Quod ne concipi quidem potest, si agnum domi suæ mactatum quisque comedit. Hæc de sacrorum ministris. In *Paschali* autem convivio pater-familias, ministri vices gerens, cæteris in eadem mensa accumbentibus panem, & agni carnes, & poculum distribuebat.

(f) Joseph. De bello, lib. 7. cap. 17.

V. Convivæ.

Convivas quod attinet, ii vel genuini fuerunt, vel adscititii *Judæi*. *Genuinos* hic voco, quotquot erant ex *Abrahami* genere. *Adscititios* verò מתיהדים, id est, quotquot, aliunde orti, περιτεμνόμενοι, καὶ ἰουδαΐζον, *circumcidebantur, & Judæi fiebant*, ut habetur *Esther.* 8, 17. Horum alii עבדים ילידי בית *vernæ*, seu *servi domi-nati*, alii מקנת כסף servi ἀργυρώνητοι, alii שכירים *mercenarii*, alii תושבים *inquilini* terræ *Chanaan*, nulli servitio addicti: de quibus omnibus *Gen.* 17, 12. & *Exod.* 12, 44. 45. Qui ad *Judaismum* convertitur *Hebraicè* dicitur גר *ger*, & *Chaldaice* גיורא *giora*, unde *Græcum* γειώρας *Exod.* 12, 19. & *Es.* 14, 1. sed frequentius προσήλυτος. Ante circumcisionem nemo ad *Pascha* admittebatur, in quam rem est diserta lex *Exod.* 12, 48. *Nemo incircumcisus ex eo comedet.* Et proselytos insuper baptizari oportuit, postquam circumcisionis vulnus coaluerat, de quo baptismo multa *Judæi*. Mercenario, & inquilino, inter *Judæos* degentibus, haud dubiè liberum fuit à circumcisione abstinere. Sed servos ἀργυρωνήτους ad circumcisionem potuisse cogi multi colligunt ex *Gen.* 17, 12. ubi *Abraham* circumcidere jubetur tam servum emptitium, quam dominatum. Quibus concinere videntur hæc Legis de *Paschate* Exod. 12, 44. *Omnem servum, argento emptum, circumcides, tum vero de eo comedat.* Tamen vix crediderim quemquam ad circumcisionem mera vi fuisse adactum: quia sic sumenti imponeretur peccandi necessitas, & juberetur hypocrisis. Nec talis circumcisio sacramentum esset Dei fœderis, quo non trahimur inviti, sed id volentes amplectimur. Denique vera religio suaderi debet, non imperari; nec hominum metu suscipi, sed solius Dei timore. Quem qui colit invitus, eo non est melior, qui idolis sponte servit. In Lege igitur dominos non puto juberi simpliciter, ut servos à se emptos circumcidant, sed ut circumcidant, quantum in se est, aut aliter à se abdicent. Hanc Legem ab *Hebræis* sic intelligi docent illa *Maimonidis De circumcisione* cap. 1. sect. 6. לקח עבד גדול מן הכותים ולא רצה העבד למול מגלגל עמו כל שנים עשר חדש יתר על כן אסור לקיימו כשהוא ערל אלא חוזר ומוכרו לכותים *Si quis servum jam adultum à* Cuthæis *comparavit, qui circumcidi nolit; revolvuntur cum eo omnes duodecim anni menses* (id est, toto anno servatur) *sed non licet eum servare diutius incircumcisum. Debet igitur* Cuthæis *iterum venundari.* Vernas tamen, seu infantes à servis dominatos, etiam invitis parentibus, à dominis octavo die potuisse circumcidi palam est; quia liberi in servitute nati non tam erant patris, quàm heri. Proinde servus, anno *Sabbatico* Legis beneficio ex servitute exiens, liberos ex ancilla creatos secum non abducebat, sed domino relinquebat, *Exod.* 21, 4. Quæ Lex excludebat incircumcisos, excludebat etiam apostatas, & rebelles in Dei Legem. Nempe, ut ait *Apostolus* Rom. 2, 25. *Circumcisio quidem prodest, si Legem exsequaris, sed si transgressor Legis fueris, circumcisio tua facta est præputium.* Hinc *Exod.* 12, 43. ita habuit *Hierosolymitana* Paraphrasis, prout *Elias* citat in *Thisbi*, *Nemo Israelita*, דאשתמד *qui defecit* (vel *apostata fuit*) *ex eo comedet.* Pro quo *Onkelos*, דאסתלק, *qui recessit.* Et *Jonathan* cum auctario, דאסתלק ולא הדר *qui recessit, nec reversus est*; ne quis putet non relinqui locum pœnitentiæ. Sed in *Hebræo* solùm est, כל בן נכר *Quisquis est peregrini filius non comedet ex eo. Peregrini filius*, id est, ἀλλογενὴς *alienigena, ut Græci & Hieronymus* rectè reddunt. Itaque hæc verba ad *Gentes* pertinent, non ad *Judæos* apostatas. Sed *Chaldæos* pro בֶּן־נֵכָר *ben nechar*, id est, *filio peregrini*, puto legisse בֶּן־נֵכֶר *ben necher*, id est, *filium alienationis*, & eos intellexisse, qui per apostasiam à Deo alienantur. Videri possit qua Lege excluduntur incircumcisi etiam excludi fœminas, quæ non circumcidebantur: maximè, cum in Lege soli mares ad tria festa se conferre jubeantur. Vide *Exod.* 23, 17. & 34, 23. & *Deut* 16, 16. Sed *Exod.* 12, 6. 47. כל עדת ישראל *omnis cœtus Israel* jubetur *Pascha* celebrare. Itaque fœminas, unà cum viris, solennia hæc festa celebrâsse patet exemplo *Elkanæ*, qui quotannis ambas uxores, cum filiis & filiabus, secum ducebat *Silunem* ad solennia festa, 1. *Sam.* 1, 3. 4. *Joseph* quoque, & sancta virgo, festo *Paschatis Hierosolymam* annuatim se conferebant, *Luc.* 2, 41. Neque dubium, quin idem præstiterint omnes eorum temporum piæ mulieres. Proinde illis fuit sua pars in sacris conviviis. Et quo die sacrificabat *Elkana*, uxori suæ *Peninnæ*, ejusque filiis, & filiabus omnibus dabat sacrificii partes. Et *Annæ*, quam amabat, dabat מנה אחת אפים *portionem unam honorariam*, 1. *Sam.* 1, 4. 5. *David* quoque, oblatis sacrificiis eucharisticis, horum partem impertiit omnibus *Israelitis* למאיש ועד אשה *à viro ad mulierem*, id est, tam his, quam illis, 2. *Sam.* 6, 18. 19. Et Sacerdotum filiæ sacris cibis vescebantur, *Num.* 18, 11, 19. Quidni igitur credamus mulieres etiam *Pascha* participasse, quod eucharistici sacrificii fuit genus, ut docuimus? *Hebræos* certè *Maimonides*, *Pasch.* cap. 2. §. 4. non solum mulieres admittere docet in *Paschalibus* conviviis, sed & nonnunquam, ut ait, עושים חבורה כלם נשים אפילו בפסח שני *contubernium faciunt totum ex mulieribus etiam in secundo* Paschate. Neque verò illas exclusit lata Lex in incircumcisos: cum mulier incircumcisa dici nequeat, quia ad eam non pertinet circumcisio. Quid quod ערל *arel*, propriè ἀπερίτμητον *incircumcisum* non sonat, quomodo reddi solet, sed ἀκρόβυστον *præputiatum*, si ità loqui liceat, quod sequutus est *Aquila*. Mulierem autem non

posse esse *ἀκρόβυστον præputiatum*, eos non latet, qui sciunt quid sit *ἀκροβυστία præputium*.

Legalis etiam immunditia *Israëlitas* à *Paschatis* communione excludebat, donec ab ea expurgati essent. *Josephus*, *De Bello* lib. 7. cap. 17. Οὔτε γὰρ λεπροῖς, οὔτε γονορρόιοις, οὔτε γυναιξὶν ἐπιμηνίοις, οὔτε τοῖς ἄλλως μεμιασμένοις ἐξῆν ταύτης τῆς θυσίας μεταλαμβάνειν. *Neque enim leprosis, neque gonorrhœa laborantibus, neque menstruatis mulieribus, neque aliter pollutis licebat hujus sacrificii participem esse.* Sic *Num.* 9, 6. *Quidam fuerunt, qui, cum immundi essent ex contactu humani cadaveris, Pascha illo die celebrare non potuerunt.* Itaque, ut tam illis, quam aliis deinceps in simili casu provideretur, alterum *Pascha* Dei jussu in sequentem mensem est indictum. Non, quod eo recurrere semper necesse fuerit. Quædam enim immunditiæ non durabant nisi in diem, & sub vesperam expurgabantur. Hinc *Maimonides*, *Pasch.* cap. 6. sect. 1. *Quisnam est ita immundus, ut ad* Pascha *secundum impellatur? Quisquis non potest comedere* Pascha *nocte decima quinta mensis* Nisan *propter immunditiam suam:* כגון זבים וזבות נדות ויולדות ובועלי נדות *ut viri seminii, & mulieres sanguinis fluxu laborantes, menstruata, puerpera, & qui cum menstruatis mulieribus rem habuerunt. Sed qui cadaver* reptilis *tetigit, aut reptile, aut quid aliud simile die decima quarta, is lavatur, &, postquam lotus est, pro eo* Pascha *mactant. Et sub vesperam, cum Sol ei occubuit, comedit* Pascha. Quia qui se polluerat rerum hujusmodi contactu, nonnisi usque ad vesperam immundus erat, *Levit.* 11, 24. At per septem dies erant polluti, qui humanum cadaver tetigerant, *Num.* 19, 11. &c. Item, qui viri seminis, & quæ mulieres sanguinis fluxu laboraverant, & qui menstruatam inierat, *Levit.* 15, 13. 19. 24. 28. Quæ marem pepererat, per hebdomadem; quæ fœminam, per duas hebdomades impura fuit: nec illa ante quadragesimum, hæc ante octogesimum diem perfectè purgari potuit, *Levit.* 12, 2. &c. Proinde donec purgationis tempus esset elapsum, non licebat illis vel agni *Paschalis*, vel ullam eucharistici sacrificii carnem morsu libare sub pœna excisionis. Ità de Sacerdotibus pronuntiat Lex *Levit.* 22, 3. &c. *Quicunque è toto semine vestro accesserit ad res sacras, quas Domino sanctificaverint filii* Israelis, *dum ejus immunditia in ipso est; is utique exscindetur à facie mea,* &c. *Quisquis è semine* Aaronis *est leprosus, aut gonorrhœa laborat, de rebus sacris ne comedat usque dum mundus fuerit: similiter qui tetigit ullum immundum a mortuo, aut ullum, ex quo exiit semen concubitus. Aut quicunque tetigerit ullum reptile*, &c. *Quisquis illud tetigerit, immundus erit usque ad vesperam. Ne igitur comedat de rebus sacris, donec laverit corpus suum aqua. Et postquam occubuerit Sol, mundus erit, & postea comedere poterit de rebus illis sanctis, quia sunt ejus cibus.* Et de quovis *Israëlita* Levit. 7, 20. *Quisquis comederit carnem è sacrificio eucharistico, quod est Domini, cum immunditia sua in se, exscindetur vir ille è populis suis.* Ideoq; supra nos docuit *Joannes* noluisse *Judæos* in Prætorium ingredi, ne *Paschatis* comesuri pollunerentur, *Joh.* 18, 28. Ubi, sive *Paschatis* nomine *Paschalem* agnum intelligas, ut plerique volunt; aut sacrificia eucharistica, quæ vel cum agno, aut post agnum diebus *azymorum* comedebantur: tamen hic locus omnino ad rem est, quia quisquis erat pollutus ab utriusq; esu prohibebatur. At sub *Ezechia* Rege pissimo hanc Legem violaverunt multæ tribus *Israelis*, de quibus ita habetur 2. *Paral.* 30, 17. כי רבת בקהל *Quia multitudo erat in congregatione, qui se non sanctificaverant.* Et rursus versu decimo octavo כי מרבית העם *Quia magna pars populi.* רבה *multitudo ex* Ephraim, & Manasse, & Isachar, & Zabulon, *non se mundaverant, sed comederant* Pascha בלא ככתוב *aliter quam scriptum est.* Tamen verè conversis ignovit Deus, pii Regis; oratione pacatus. Proinde sequitur, *Sed pro iis oravit* Ezechias, *dicens, Bonus Dominus propitius illi sit, qui totum animum suum comparaverit ad quærendum Deum, Dominum Deum patrum suorum, licet non* כטהרת הקדש *secundum purificationem sanctitatis.* Id est, licet ab immunditia sua se non purificaverit secundum ritus in Lege ceremoniali præscriptos. *Et exaudivit Dominus* Ezechiam, וירפא את העם & *sanavit populum*, id est, et ignovit, ità ut ex peccati reatu, tanquam ex morbo convalesceret. Sic *Psal.* 41, 5. *Sana animam meam, quia peccavi*, id est, ignosce mihi. Et *Prophetæ* verba *Es.* 6, 10. *Et convertatur*, ורפא לו & *sanetur*, *Christus* sic reddit *Matth.* 13, 15. *convertantur, & sanem eos*; & *Marc.* 4, 12. *convertantur*, καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα, & *remittantur eis peccata.* *Maimonides* (*Pasch.* cap. 7. §. 1.) censuerit, qui primò *Paschate* immundi sunt propter contactum mortui, rejici in secundum *Pascha*, ut alios immundos, si sint, מיעוט הקהל *minor pars congregationis*: sed, si sint רוב הקהל *major pars congregationis*, omnes ità admitti, ut pro immundis habeantur. Si præcisè dimidia, omnes quidem admitti, sed ita, ut mundi cum mundis, immundi cum immundis separatim coeant. Idem in libro *De ingressu summi Sacerdotis in Sanctuarium* cap. 4. §. 1. quærit an eo anno, quo *Ezechias* solenne illud *Pascha* celebravit, intercalaris *Adar* in fine anni sit additus, ut differretur *Nisan*, quia plerique nondum erant sanctificati. Sed Scriptura disertè docet *Pascha* celebratum fuisse secundo mense 2. *Par.* 30, 2. id est, mense *Jiar*, non mense *Nisan* per intercalationem dilato.

Sed & remotum iter non tam excludebat, quam excusabat *Israëlitas* à celebratione *Paschatis*. Itaque quisquis mense primo erat בדרך רחקה *in via remota*, ita ut non posset stato die venire *Hierosolymam*, differebat in mensem secundum, *Num.* 9, 10. 11. *Via remota* definitur in *Misna* Tractatu *Pesachim* cap. 9. statim initio, spatio, quo urbs מודיעים *Modiim* (è qua oriundi *Macchabæi*) distabat *Hierosolymis*. Et in *Gemara* dicuntur esse בין מודיעים לירושלם חמשה עשר מיל è Modiim Hierosolymas *quindecim milliaria*, (longè aliter, quam *Eusebius*, qui solum decem numerat.) Hinc *Maimonides*, *Pasch.* cap. 5. §. 8. 9. ואיזו היא דרך רחוקה חמשה עשר מיל חוץ לחומת ירושלם מי שהיה בינו ובין ירושלם יום ארבעה עשר עם עליית השמש חמשה עשר מיל או יתר הרי זה דרך רחוקה היה בינו ובינה פחות מזה אינו בדרך רחוקה מפני שהוא יכול להגיע לירושלם אחר חצות כשיהלך ברגליו בנחת *Quænam est via remota? Millia quindecim extra Hierosolymitana mœnia: si quis igitur die decima quarta* (mensis *Nisan*) *inter se &* Hierosolymam, *orto jam Sole, millia quindecim, aut amplius interjecta habeat, hæc est via remota. Sed, si quid habeat minus, non est via remota: quia potest* Hierosolymam *post meridiem pervenire, etiam si pedes eat, & lento gradu.* Si quem, qui in viam se dedit, remoratur jumentorum ferocitas indomita, aut morbus pedum, aut carcer, quo detinetur extra urbis mœnia, is non censetur esse in via remota, sed אנוס *per vim detentus.* Vide plura in *Maimonide* ubi supra. Illud solum addo, longinquum iter à *Philone* libro tertio *De vita Mosis* longè aliter accipi, nempe pro peregrinatione in regionem a *Judæa* procul distitam, cum secundum *Pascha* permitti dicit τοῖς μακρᾶς χάριν ἀποδημίας κωλυομένοις ἅμα τῷ παντὶ ἔθνει συμπαρεῖναι· οὐ γὰρ οἱ ξενιτεύοντες, ἢ ἑτέρωθι οἰκοῦντες, ἀδικοῦσιν, ὡς στέρεσθαι τῆς ἴσης τιμῆς· καὶ ταῦτα, μὴ χωρούσης (f) ἐπὶ πολυανθρωπίαν (f) τὸ ἔθνος μιᾶς χώρας, ἀλλ' ἀποικίας πολλαχόσε διαπεμψαμένης, *iis, qui longinquæ peregrinationis ergo prohibiti sunt, necum reliqua gente sacrificia*

(f) Leg. ... τὸ ἔθνος ... πολυανθρωπίας

ficarent. Neque enim qui peregrinantur, & alibi terrarum degunt, ullum peccatum admittunt, cur honore eum cæteris communi priventur. Maximè, cum una regio gentem tam populosam non capiat, sed colonias in multa loca mittat. Et vero hæc videtur fuisse legis vera mens. Nam qui solum quindecim ab urbe milliaribus abfuit die mensis decima quarta, si non potuit illa ipsa die *Hierosolymam* se conferre, cur non pridiè discessit, ut festo interesset, nec pateretur à tempore se intercipi. Hæc exceptio si valeat, in ipsa *Judæa* potuit *Israëlitarum* pars maxima à festo impune abesse, nempe quotquot quindecim passuum millibus ab urbe aberant. Itaque Doctores videntur interpretatione tam diluta *Israëlitis*, sacra festa negligentibus, consuisse pulvillos, ut molliùs caderent in peccatum prolabentes.

Agni convivæ per domos convenire jubentur *Exod.* 12, 3. *Accipiant sibi quisque agnum pro domo patrum, agnum pro unaquaque domo.* Sunt nonnulli interpretes, qui pro *domo familias* habent, id est, משפחות, minùs rectè. Aliud enim *familia*, aliud *domus*. *Familia* latiùs patet, atque ut tribus in plures familias, sic familia dividitur in plures domos, *Jos.* 7, 14. Itaque, cum in una familia plures agni comederentur, sæpe minor fuit domus, quam ut agno comedendo par esset. In quo casu Lex jubet vicinos advocari, ita ut conveniant, quantum sit satis ad comedendum agnum, *Exod.* 12, 4. Nec convivarum numerus sit infra decem, aut supra viginti excrescat. Quo faciunt hæc *Jonathanis* in *Paraphrasi* ואין זעירין אינשי ביתא סמנין עשרא כמיסת למיכל אמריא *Et si homines domûs numero sint minùs quàm decem, quantum ad comedendum agnum satis est.* Item hæc *Josephi*, *De bello* lib. 17. cap. 7. Πάσης δὲ φρατρία περὶ ἑκάστην γίνεται θυσίαν, οὐκ ἔλασσον ἀνδρῶν δέκα (μόνον γὰρ οὐκ ἔξεστι δαίνυσθαι) πολλοὶ δὲ καὶ σὺν εἴκοσιν ἀθροίζονται) *Tanquam cognatio erit circa unamquamque victimam hominibus decem non minor (solum enim convivari non licet) multi autem adusque viginti congregantur.* Nec fortasse minor fuit convivarum numerus in suprema *Christi* mensa, si cum *Apostolis* duodecim, ut nonnulli conjectant, illi adfuit ædium dominus cum domesticis suis. Nec debuit excedi ille numerus, ut adstantium unusquisque saltem haberet agninæ offulam, vel, ut *Hebræi* definiunt, כזית *quantum olivam*. Itaque *Baal Hatturim* observat verba *Mosis* Exod. 12, 4. איש לפי אכלו *unusquisque secundum id, quod comedit*, per *Gematriam* idem valere, quod אכל כזית *comedit quantum olivam*. Nempe apud *Cabalisticos* nullum momentum habet unitas, qua sola differunt duo numeri ex illis vocibus emergentes. Porrò contubernia, in quibus comedebatur agnus, *Josephus* φρατρίας vocat, *Hebræi* חבורות *sodalitia*, & commensales בני חבורות *filios sodalitii*. In his contuberniis simul accumbebant viri & mulieres, senes & pueri, sani & ægri, domini & servi, *Judæorum* denique quotquot poterant comedere carnis offulam, nè infantibus quidem exclusis, modò ne essent ἀρτιγέννητα βρέφη, *infantes modo geniti*, quales lacte egere dicit *Paulus*, & non solido cibo, *Hebr.* 5, 12. Interim *Maimonides*, *De Pasch.* cap. 1. sect. 4. sodalitium iniri negat inter mulieres & servos, ne fit קלות ראש *levitas capitis inter eos*, id est, ne levius & protervius se gerant, quam in tali festo deceat. Sed idem approbat sodalitium totum ex mulieribus, aut totum ex servis conflatum, non tamen totum ex pueris, quia nondum sunt rationis compotes. Neque totum ex ægris, aut ex senibus, aut ex אוננים, id est, *propter mortuum lugentibus*, quia tales parum comedunt. Timendum igitur, nè quid supersit, & agni reliquiæ vilescant, & profanæ fiant. Quod idem sit periculum, si omnes essent proselyti, qui agni carnes dissecare solent in tenuissimas partes. Sed piget hic referre tam futilia λεπτολογήματα.

VI. Ritus.

In præscriptis à *Mose* ritibus quatuor sunt examinanda. 1. Victimæ separatio. 2. Ejusdem mactatio. 3. Assatio. 4. Manducatio. Primum quod attinet, *Exod.* 12, 3. שה *seh*, jubetur seponi, id est, *agnus*, vel *hœdus*. Nam, ut capræ, & oves in natura multas habent communes dotes, ita in sermone communia habent non pauca vocabula. Sic suo loco (g) *Homerum* observavimus μῆλων nomine utrumque pecus sæpe complecti. Et σηκὸς tam *caprarum*, quam *ovium* esse *caulas*. *Pellem* utramque dici νάκος, & μηλωτὴν, *excrementa* σπυράδας, *vocem* βλῆχημα, *seu balatum*; & κυρίσσειν, vel κυρηβάζειν, tam hircis, quam arietibus convenire, qui cornibus se mutuo impetunt. Ità etiam *Hebræis* צאן *tson*, tam *capram*, quam *ovem*; & שה *seh*, tam *hœdum*, quam *agnum* sonat. Quod ex *Mose* abunde patet, qui *Gen.* 30, 32. meminit ה שה *seh nigri in ovibus, & maculosi in capris*. Et *Num.* 15, 11. *Sic fiet*, inquit, לשה *seh*, *in ovibus, & in capris*. Et *Deut.* 14, 4. *Comedetis* שה כבשים ושה עזים *seh ovium, & seh caprarum*. Cum igitur *Exod.* 12, 3. jubet seponi ה שה *seh*, per singulas domos, non dubium est, quin intelligat utrumque pecus. Itaque signanter addit versu quinto, *Ex ovibus, & ex capris eum accipietis:* id est, ex ovibus, aut ex capris. Neque enim utrumque seponi oportuit, sed alterutrum, prout libebat. Qua tamen libertate pios putaverim sic esse usos, ut agnum frequentius, & libentius obtulerint, tanquam victimam Deo gratiorem; quia major est in ovibus mansuetudo, docilitas, innocentia. Unde factum est, ut olim ovis etiam apud *Ethnicos* pro maxima hostia haberetur. *Paulus* ex *Festo*, *Maximam hostiam ovilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo pacatiore.* Et ipse *Festus*, *Agnus dicitur à* Græco ἁγνὸς, *quod significat* castum; *eo quod sit hostia pura, & immolationi apta.* Proindè *Ezech.* 34, 17. dijudicari dicit *Prophe ta inter pecus & pecus, inter arietes & hircos.* Quo *Christus* alludens *Matth.* 25. 32. 33. electorum à reprobis separationem, quam faciet ultima die, confert cum pastore, qui separat oves ab hœdis. Adeoque cum idem nobis proponatur tot locis sub *agni* typo, ne semel quidem *hœdi* nomine illum insigniri videas. Et utrique commune *Hebræum* שה *seh*, *Græci* Interpretes ἀμνὸν, κριὸν, πρόβατον, id est, *agnum*, *arietem*, *ovem* reddunt quadraginta locis; χίμαρον *hœdum* semel tantùm. Et *Chaldæi* tres Interpretes vix uspiam aliter reddunt, quàm אמר *immar*, vel אמרא *immera*, id est, *agnum*. Et jam olim pro *Christi* typo fuerat aries *Isaaco* substitutus, *Gen.* 22, 13. Itaque etiam in *Paschate* videtur agnus communior fuisse victima; neque hœdus mactatus, nisi cum agni deerant. Quo faciunt hæc *Theodoreti* in *Exodum*. Quæst. 24. Ἵνα ὁ μὲν πρόβατον ἔχων, θύσῃ τοῦτο· ὁ δὲ ἀπορῶν προβάτου, τὸν ἔριφον. *Ut qui ovem habet, eam immolet; & qui ove caret, hœdum.* Et in *Chaldæa* Paraphrasi 1. *Sam.* 15, 4. *Saul* populum dinumerâsse legitur באמרי פסחיא *per agnos Paschales*, *non per Paschales hœdos.* Non me latet (quod *Eliezer* refert in *Capitulis* sect. 32. *Jacobum* duos hœdos patri ideo apposuisse, cum ab illo benedictus est, quia dies erat *Paschatis*; & horum alterum fuisse pro *Paschate*. Sed nihil fingi potuit ineptius. Nam, ut cætera taceam, *Pascha* non instituit Deus nisi in exitu ex *Ægypto*.

Præparatio ad *Pascha* incepit à die decimo, quo Deus agnum seponi jussit mactandum die decimo quarto, *Exod.* 12, 3. Mira igitur est *Josephi* ἀβλεψία, qui, decimæ diei decimam tertiam substituens, Deum *Mosem* jussisse dicit, (h) ut populo nuntiaret θυσίαν ἑτοίμην ἔχειν, παρασκευασαμένους τῇ τρισκαιδεκάτῃ τοῦ Ξανθικοῦ μηνὸς εἰς τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην, *ut paratam habeant victimam*, Xanthici *mensis die decimo tertio in* deci-

g) Cap. 42. pag. 418. lin. 56. & c. supra.

h) Antiq. lib. 2. cap. 5.

decimum quartum præparatum. Cur autem tanto tempore antequam mactaretur præparari voluerit Deus, *Hebræi* has causas afferunt. 1. Ne in ipso discessu, si eo usque hanc curam distulissent, negotiorum turba obruti, id oblivioni traderent. 2. Ut accuratius observarent, an fortè aliquis defectus in agno esset. 3. Ut ex agni aspectu occasionem haberent inter se colloquendi de sua ex *Ægypto* redemptione. 4. Ut se maturè accingerent, ad futurum festum celebrandum. *Sabbatum* fuisse addunt decimum illum diem; & ab eo ad diem decimum quartum singulos *Israëlitas* agnum habuisse lectorum fulcro alligatum; rogantibusque *Ægyptiis*, quorsum id fieret, respondisse se mactaturos in Dei honorem die decimo quarto. Quod *Ægyptios* male habebat; quia signum *Arietis* illo ipso mense colebant. Itaque *Judæos* malè mulctâssent, nisi divina vis eos coërcuisset. In cujus miraculi memoriam *magnum* vocant quodcunque *Sabbatum* proximè præcedit *Paschatis* festum. In quibus, licet fabulosis, tamen haudquaquam absurdum est, quod arietem volunt jam olim ab *Ægyptiis* pro Deo fuisse cultum. *Ægyptii* enim à *Cham* oriundi sunt, cujus filius מצרים *Mitsrajim*, *Ægypto* nomen dedit. Et ille quidem *Hammon* dictus est; hic *Mizraim* vel *Osiris*: quorum prior in *Ariete*, posterior in *Tauro* cultus est. Id Mythologorum neminem latet. Proinde a *Judæis* utrumque immolari vult *Tacitus* in *Ægyptiorum* contemptum. *Cæso*, inquit, *ariete velut in contumeliam* Hammonis. *Bos quoque immolatur, quem Ægyptii* Apim *colunt*. Valde igitur verisimile est eodem esse referendum, quod in *Zodiaci* signis *Aries* primum locum, *Taurus* secundum obtinet. Maximè, cum *Chaldæos Ægyptii* in *Astrologiæ* studio proximè sequuti sint. Itaque *Ptolemæus Petosirin Ægyptium* κατ' ἐξοχὴν passim appellat τὸν ἀρχαῖον, quasi nullum *Astrologum* noverit antiquiorem. Et ejusdem meminerunt *Græci* vetustiores, ut *Aristophanes* in *Danaidibus*,

Καὶ τὸν Κολλάσιν φθέγγει, καὶ τὸν Πετόσιριν.

Ægyptios tamen æquè, ac *Chaldæos Astrologiam* primos reperisse, *Clementi* non concesserim, cujus verba sunt libro primo *Stromatωn*, Αἰγύπτιοι γοῦν πρῶτοι ἀστρολογίαν εἰς ἀνθρώπους ἐξήνεγκαν· ὁμοίως δὲ καὶ Χαλδαῖοι. Ægyptii *siquidem primi Astrologiam inter homines intulerunt; ut &* Chaldæi. *Chaldæos* enim præcessisse facile esset docere, si hæc res ageretur.

In agno, aut hœdo mactando Legis-lator tria requirit, ut sit *integer*, *masculus*, & *anniculus*, Exod. 12, 5. Quæ jam ex parte explicavimus libri secundi capite trigesimo tertio. Et docuimus τέλειον *perfectum* dici agnum, aut quodvis aliud victimæ genus, omnis vitii, & labis expers. Ita Legis-lator explicat *Levit.* 22, 19. 20. *Perfectum marem ex bobus, ex agnis, aut ex capris, in quo nullum sit vitium offerte. Alioqui non esset acceptus pro vobis.* Et rursus versu vigesimo primo, *Perfectum sit* (sacrificium vestrum) *ut sit acceptum, nullum in eo sit vitium.* Et *Malach.* 1, 8. *Cum admovetis cæcum ad immolandum, nunquid malum est? Et cum admovetis claudum, & ægrotum, nunquid malum est? Offer illud jam Duci tuo, num placebis ei, aut an suscipiet vultum tuum?* Quæ sint in victima vitia pluribus recenset *Moses Levit.* 22, 22. *Si sit* (animal) *cæcum, aut fractum, aut mutilum: si sit verrucosum, aut scabie, aut impetigine laboret.* Et versu vigesimo tertio. *Si sit* שרוע וקלוט, id est, *si membrum aliquod justo longius, aut brevius habeat.* Et versu vigesimo quarto, *si sit* (testiculis) *compressum aut contusum, aut avulsum, aut excisum*; Græcè θλιβίαν, θλαδίαν, σπάδωνα, & ἐκτομίαν dixeris. Quæ quasi non sufficiant, & solùm לדוגמא in exemplum proferantur, *Hebræi* longè plura de suo comminiscuntur, propter quæ nec offerre potuerit Sacerdos, nec offerri victima. Itaque *Maimonides* in libro *De ingressu Sanctuarii* cap. 7. hujusmodi vitia quinquaginta recenset. Quinque in auriculis, si sint fractæ, fissæ, perforatæ, tabidæ, duplicatæ. In palpebra tria, si sit perforata, fissa, fracta. Octo in oculo, si quis cæcus sit, aut cocles; si humores suffusi visum intercipiant, si scotomate laboret, quod *Hebraicè* סנורים; si tanquam ענב *uvam* in oculo habeat; si carnem superfluam, quâ pupillæ pars obtegatur; si albuginem, quæ *Hebraicè* תבלול; si punctum album habeat in pupillæ medio, aut etiam nigrum profundum: quorum utrumque דק *Hebræis*. In naso tria, si solùm ab una parte perforatus est, aut si fissus, aut si fractus est. In ore sex, si labium est perforatum, fractum, aut fissum; si maxilla inferior superiorem excedat; si os naturâ balbum, & lingua impedita (quæ duo vitia nonnisi ad Sacerdotem pertinent.) In pudendo duodecim, si nervus compressus, contusus, avulsus, aut excisus est. Testiculi itidem si compressi, contusi, avulsi, aut excisi sunt. Si quis μόνορχις duplex scrotum habeat, aut duos testiculos in uno scroto. Si sit טומטום *ambiguus sexus*, aut *androgynus*. Sex in manibus, & pedibus: si sit claudus, si femur unum habeat longius, qui *Hebraicè* שרוע, aut si habeat altius. Si in osse manus, aut pedis anterioris, est fractura notabilis. Si idem in posteriore. Si pedes natura habeat עכולמות *constrictos*: *vacciumne* velit, *Græci* βλαισὸν aut *compernem*, *Græce* σκαμβὸν, aut tertium aliquid, non satis scio.) In toto corpore sunt quatuor, scabies sicca, verruca, impetigo *Ægyptia* חזית מצרית, quæ *Hebraicè* לפת. Os aliquod excisum, quod *Hebraicè* חרוץ His adduntur tria vitia, ut absolvatur πεντηκοντάς, si præ senio tremat, aut si præ morbo, & si victima sit טרפה *terepha*, id est, à *feris discerpta*. Sed nihil actum hactenùs, cùm *Talmudici* in *Cholin* cap. 3. fol. 42. a. meminerint שמנה עשרה טרפות שנאמרו למשה בסיני *Octodecim terephoth, quæ Mosi tradita sunt in monte* Sinai Hinc *Jonathan* Levit. 11, 1. *Ut caveant & separent se* מסואבות תמניסרי טריפן *à pollutione octodecim terephoth*. Quod tamen leve est præ *Maimonidis* δεινότητι in libro *De mactatione* cap. 10. sect. 9. ubi reperiri contendit septuaginta species *terephoth*, quas dinumerat singulas.

Idem agnus debuit esse *masculus*, quia mas præstat fœmina, & præstantiora Deo sunt immolanda. Itaque *mas corrupto* opponitur in his *Malach.* 1, 14. *Maledictus esto vir dolosus, qui, cum habeat masculum in grege suo, corruptum Domino vovet, & sacrificat.* Ità Nomine איש, *vir*. Verbum אתאשש *proprio significare*, & *fortem esse* significat, ut *Græcum* ἀνδρίζεσθαι. Sic *Es.* 46, 8. *Hujus mementote*, והתאששו *& viriliter agite*; Chaldæus, ואתקפו *& roboramini*. Ut 1. *Cor.* 16, 13. *Vigilate, state in fide*, ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε, *viriliter agite, estote fortes.* Unde est, quod in holocaustis, quæ sacrificii species perfectissima fuit, soli mares offerebantur, *Levit.* 1, 3. 10. Et ab *Hebræis* manavit ille ritus ad *Ægyptios*, quos alibi (a) probavimus ex *Herodoto* nihil aliud Diis suis mactavisse, quàm τοὺς καθαροὺς ἄρσενας βοῦς, καὶ τοὺς μόσχους, *boves, & vitulos mundos, eosque mares.* Miratur *Augustinus* in *Exod.* 4, 42. cur dicatur *agnus masculus, quasi agnus possit esse masculus*, legendum *non masculus*. Nempe virum magnum latuit *Hebraæum* שה *seh*, quo hic pro *agno* utitur *Moses*, communis esse generis. Itaque שה פזורה *seh dispersa* legitur *Jerem.* 50, 17. שה בריה *seh opima*, & שה רזה *seh macra*, Ezech. 34, 20. ושה אחת *& seh una*, Ezech. 45, 15. Sed & *Arabicum* شاة *sah* est utriusque generis, & tam fœminam, quam marem sonat. *Damir*, الشاة من الغنم الذكر والانثى *sah ex pecore, mas, & fœmina.*

(a) Cap. 31. lib. III.

Tertia

Tertia in agno conditio est, ut sit *anniculus*, Hebraicè בן שנה *filius anni.* Qua locutione agnum non intelligunt, qui primum annum attigerit, sed qui nondum superaverit. Neque enim solus agnus, sed & hœdus, & bos quoque jam inde ab octavo die sacrificio purus erat. Ita sancit Legis lator *Exod.* 22. *v.* 30. ubi postquam de hominum primogenitis Deo consecrandis actum, *De bobus quoq;*, inquit, *& ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octavo reddes illum mihi.* Et *Levit.* 22. *v.* 27. *Bos, aut agnus, aut capra, cùm nata fuerit, diesq́; septem fuerit sub matre sua, postmodum à die octavo, & deinceps accepta erit in oblationem ignitam Domino.* Cujus ritûs ratio licet maximè pendeat ex arbitrio sancientis, non inscitè tamen hic observat non nemo, recens natas animantes, quia brevem lucis usuram habuêre, & incertum adhuc est, an vita illis vitalis sit, ante octavum diem vix in censu animantium æstimari. Ad hoc, nondum spurcitiem defluxisse, quæ ex utero illis, atque ex partu, credita est adhærescere. Eamque causam esse, cur ex hoc genere mactari sibi victimas vetuerit Deus, cui ingratum est quidquid semi-perfectum, aut impurum est. Sed aliud afferunt *Hebræorum* Magistri, nempe in septem diebus, qui octavum præcedunt, aliquod esse *Sabbatum*, quo mundari oporteat quæ Deo sunt offerenda. Atque ob id ipsum pueros ante octavum diem Deo per circumcisionem consecrari non debuisse. Mirabere, quisquis hæc leges, etiam gentes, à veri Dei cognitione remotissimas, observâsse similes ritus. Quod planum faciunt hæc *Plinii* lib. 8. cap. 51. *Suis fœtus sacrificio die quinto purus est;* PECORIS, DIE OCTAVO. Ab octavo igitur die offerri potuit agnus usque ad primum annum impletum. At secundo tales hostias ideo non accepit Deus, quia tum demum puræ, & intactæ esse desinunt. Secundo enim anno agnorum libido accendi solet, quâ in coitum feruntur, rarò primo, sed hœdorum potiùs. *Philosophus* lib. 5. cap. 14. Πρόβατον μὲν, καὶ αἲξ αὐτοετὲς ὀχεύεται, καὶ κύει· μᾶλλον δ' ἡ αἲξ. καὶ οἱ ἄῤῥενες δ' ὀχεύουσιν ὡσαύτως. *Ovis quidem, & capra anniculæ ineunt, & concipit; capra autem potius. Mares autem pariter ineunt.* Interim *Judæos* vetustiores non putaverim in exigendis temporum minutiis tam fuisse accuratos, ut prima statim hora secundi anni ineuntis putaverint agnos, aut boves hoc ipso fieri profanos, quòd Legis terminum excessissent. Quod his verbis asserit *Maimonides* in libro *De sacrif. offer.* cap. primo sect. 13. קרבן שמצותו להיות בן שנה אם הוסיף עליו השנה שעה אחת נפסל *Victima, quam anno primo Lex jubet offerri, si ad annum addatur hora unica, fit profana.* Proinde in sacrificiis numerari dicit horas, ne profana fiant, אם הוסיף שעה אחת או פחתו *si una hora vel addatur, vel desit.* *Judæos* scilicet credibile est pecorum natalia ephemeridibus suis inscripsisse, ne vel momento aberrarent. Quin alibi (*k*) notavimus in illis locis pecora fuisse bifera, & fœturæ unius tempus in mensem *Nisan*, alterius in mensem *Tisri* incidisse, adeoque primæ fœturæ pecudes الربيعية *vernales*, posterioris الخريفية *autumnales* Arabicè appellari: ut *Chaldæis* בכוריא, & לקישיא *Aquilæ* πρώϊμα, & ὄψιμα· *Symmacho* πρωτόγονα, & δευτερόγονα· Hieronymo *pecora primi temporis*, & *serotina*. Quæ *Columella* inter se conferens (libro 8. capite 3.) *Melior*, inquit, *est agnus autumnalis verno, sicut auctor verissime Celsus.* Et *Plinius* libro 8. cap. 47. *Multi hybernos agnos præferunt vernis, &c.* Proinde agnus ab *hyeme*, *Syris*, & *Chaldæis* חורפא *churpha*, & *Arabibus*, ab *autumno* خروف *churuph* dicitur: ut *Græcè* hœdus à *vere* ἔριφος, & ab *hyeme* χίμαρος, si *Grammaticis* credimus. Utriusque porro fœturæ agnos die *Nisan* decimo quarto puto potuisse haberi pro ἐνιαυσίοις, etiamsi in priore nonnulli annum unâ aut alterâ hebdomade jam excessissent: in posteriore plerique solum essent semestres. Nam, si absit superstitio, hæc censentur ex æquo, & bono, non κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον. Quin agni, illo ipso mense nati, quo *Pascha* celebrabant, modò superâssent octavum diem, habebantur pro *anniculis*. Agni igitur *anniculi* triplicis erant fœturæ, nati scilicet jam ante annum mense *Nisan*, nati ante sex menses mense *Tisri*, & illo ipso mense nati nondum menstrui.

k) Cap. 46. p. 514. supra.

Agni *sepositionem* sequitur *mactatio*, quam Deus, *Mosem* alloquens, toti *Israelis* cœtui vult imperari: *Et mactabunt eum*, inquit, *omnis congregatio Synagogæ* Israelis, *Exod.* 12. *v.* 6. Proinde omnibus dicit *Moses* versu vigesimo primo, *Mactate Pascha*, id est, *Paschalem agnum*: non solùm, quia tum temporis quisque pater-familiâs, aut quilibet primogenitus in familia sua erat Sacerdos, sed & quia mactatio tam ad populum, quàm ad Sacerdotes pertinebat, ut jam (*l*) probatum. Mactatio legitima, *Hebraicè* שחיטה *schita*, ut *Hebræorum* Magistri tradunt, acutissimo cultro fit per animalis jugulum ducto, & reducto. Sed נחירה *nechira*, mactatio illegitima est, qua nares discinduntur, quali usus est *Balak*, Rex *Moabitarum*. De eo enim legitur in *Jonathane* Num. 22. v. 40. ונחר בלק תורין ועאן *Et mactavit* Balak *boves, & oves*, mactatione scilicet à naso inchoata; quod ex Verbo נחר *nechar*, colligunt nasuti homines, quia alludit נחיר *nechir*, *nasus*. Sed nos hujus libri capite octavo (*m*) docuimus *partem pectoris superiorem*, quæ *Græcis* στῆθος, *Arabibus* dici نحر *nachar*. Unde est, quod in equi descriptione *Job.* 39. *vers.* 23. pro *Hebræis* הוד נחרו *Græci* habent δόξα στηθέων αὐτοῦ, *gloria pectoris ejus.* Inde igitur نحر *nachara*, *mactare* est, cultro non in nasum, ut nugantur, sed in summum pectus adacto prope jugulum. Quod verbum *Arabibus* notissimum etiam *Chaldæi* usurpant, cùm de victimæ mactatione agitur in infidelium sacrificiis, in quo numero erat *Balak*. Itaque, ut *infidelium Sacerdos* כומר, & *ara* אגורא dicitur; ita נחר *sacrificare* nonnisi de infideli usurpatur.

l) Pagg. 575. 576. supra.

m) Pagg. 124. 125. 126. supra.

Vas, quo agni sanguis excipitur, סף *saph* vocatur *Exod.* 12. *v.* 22. voce æquivocâ, quæ etiam *limen* sonat. Quomodo hic perperam sumunt nonnulli interpretum. Sed *Onkelos*, & *Syrus* ܡܐܢܐ *vas* reddunt, & *Jonathan* בן פחרא *vas fictile*, & alibi קולא *hydriam*. Reperitur *Zach.* 12. *v.* 2. סף רעל pro *calice horroris*. Et plurale ספים *sippim*, ספות *sapptoh*, vel *sippoth*, in (*n*) *Jeremia*, & libris (*o*) *Regum*, ubi de vasis Sanctuarii. An hinc *simpuvium* dictum vasis lignei genus in sacris adhibitum apud *Nonium* ex *Varrone*? Putavit non nemo *siponem* indidem appellari vas ad restinguenda incendia, quia in *Plinio* legerat, *Epistolarum* libro decimo, ubi de *Nicomedia* incendio ad *Trajanum*, *Nullus usquam in publico sipo, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda.* Sed *sipo* est σίφων, seu *tubus subterraneus, ex quo emittitur aqua in incendiis.* Ita *Hesychius*, Σίφων, ὄργανον τι εἰς ἄφεσιν ὑδάτων ἐν τοῖς ἐμπρησμοῖς. *Hero Mechanicus*, in libro Περὶ πνευματικῶν, hujusmodi siphonum rationem, & fabricam docet, qui adversus incendia aquam in ipsa quoque ædium fastigia ejaculabantur, ut observat *Turnebus*, *Advers.* lib. 19. c. 23. Ita *Romæ* tantum aquæ esse per aquæ-ductus derivatæ scribit *Strabo* lib. 5. *ut flumina per meatus subterraneos labantur*, ὥστε πᾶσαν δ' οἰκίαν σχεδὸν δεξαμενὰς, καὶ σίφωνας, καὶ κρουνοὺς ἔχειν ἀφθόνους, *& omnis prope domus cisternas, siphones, & canales habeat copiosos.* Sed supra (*p*) cap. trigesimo tertio

n) Jer. 52. 19.
o 1. Reg. 7. 50
2. Reg. 12. 13.

p) Pagg. 323. 324.

tertio nos quædam habemus de vasis, quibus victimarum sanguis excipitur, quæ *Moses* alibi vocat אגנות *aganoth*.

In agni porro sanguine intingi jubetur אגדת אזוב, *fasciculus hyssopi*, qua aspergantur ædium postes, & superliminaria. Ita *Levit.* 14. *v.* 6.7. ex cedro, coccino, & hyssopo fit aspergillum, quâ in aquam, & immolati passeris sanguinem, immersa leprosus aspergitur septies, ut à lepra sua mundetur. Et versibus 49. 50. 51. 52. hac ipsa ratione purgatur domus lepra infecta. Neque aliter aspergebantur aquis נדה, *separationis*, homines, tentoria, vasa, & quidquid aliud cadaveris contactu pollutum fuerat, *Num.* 19. *vers.* 6. 18. Quo alludens *Propheta David* à peccatis suis purgari petit באזוב, *hyssopo*, ut sit mundus, *Psal.* 51. *v.* 9. Et ob id ipsum ὕσσωπος *Hesychio* est βοτάνη σμήχουσα, *herba abstergens*, seu *purgans*; nempe in Lege *Mosis*. Alioqui enim in hyssopi natura nihil est σμηκτικόν. *Hebræum* אזוב ezob, *hyssopum* reddo cum vetustissimis interpretibus, quos palam sequitur *Apostolus*, cum *Mosem* scribit, sumpto sanguine vitulorum, & hircorum, cum aqua, lana coccinea, & hyssopo, ipsum Legis librum, & totum populum, tabernaculum quoque, & omnia vasa ministerii aspersisse, *Hebr.* 9. *v.* 19. 21. Tamen hodie in quæstionem vocatur hæc versio: & *Tremellius* maluit *muscum* exponere; *Levinus Lemnius*, & ex eo *Schindlerus*, *adiantum*; *Piscator* denique *libanotidem*. seu *rorem marinum*, *Ochinum* sequutus, qui prior sic reddiderat in libro *De harmonia mundi*. Sed multò ante de vocis אזוב *ezob*, significatione *Talmudici* disputaverant. Et in Tract. *De Sabbatho* cap. 14. fol. 109. b. alius vult *ezob* esse אברתא (junci speciem apud *Arabes*) alius אזובין, quod divisis vocibus legerim אזוב יון *ezob Javan*, id est, *hyssopum Græcam*; alius מריא חיוורא *marum album*; alius שמשוק *sampsuchum*. Et cap. 16. fol. 128. a. videntur פאה *peah*, & סיאה *seah*, & צתרי *tsithri*, & קורנית *kornith*, censeri inter hyssopi species, aut herbas huic congeneres. Rursus in *Cholin* cap. 3. fol. 62. b. mentio fit אזוב יון, *hyssopi Græca*, & אזוב כוחלית, *hyssopi Cochaliensis*, & אזוב רומי *hyssopi Romanæ*, & אזוב מדברי *hyssopi sylvestris*, vel *ex deserto*. Ita etiam in *Succa* cap. 1. fol. 13. a. & in *Negaim* capitis ultimi sect. 6. *Syrus* Interpres pro אזוב *ezob*, habet ܠܘܦܐ *lupha*, id est, ἀείζωον, *semper-vivum*, 1. Reg. 4. v. 33. Sed idem alibi constanter ܙܘܦܐ *zupha*, id est, *hyssopum*, interpretatur. Quod sequuntur *Arabes*, *Psalm.* 51. *v.* 9. & *Hebr.* 9. *vers.* 19. Quamvis in Lege صعتر id est, *origanum*, exponant, quomodo etiam *Kimchius*. *Josephus* (cui אזוב *ezob*, est *hyssopus*, *Antiq.* lib. 8. cap. 2.) videtur insinuare hyssopum, sua ætate, in *Judæa*, *ebor*, vel *echor* fuisse dictam, cum nomen pagi Βαθεχώρ explicat οἶκον ὑσσώπου, *domum hyssopi*; *De Bello* lib. 7. cap. 8. Et novum scrupulum injicit *Aruch*, cum תמרות *themaroth*, definit מין גרגרין קטנים שיש בראש האזוב *parvorum acinorum speciem, qui sunt in vertice* τοῦ *ezob*; quia in hyssopi apice nulli sunt tales acini.

Mihi tamen אזוב *ezob*, esse *hyssopum* multa non solum suadent, sed & persuadent. 1. Vocum similitudo: neque enim quisquam est, qui non fateatur ad אזוב *ezob*, alludere *Græcum* ὕσσωπον, quæ ratio, utut sola non multum prosit, tamen, cum aliæ accedunt, suum pondus habet. 2. Hyssopus *Chaldaicè* אזובא *ezoba*, dicitur, & Æthiopicè ኣዛብ: *ezob*, planè ut *Hebraicè*. 3. Et vix credibile est hujus versionis primos auctores, id est, *Græcos* Interpretes, qui ὕσσωπον constanter reddunt, in voce אזוב *ezob*, potuisse falli. Quia, cum sacros libros interpretati sunt, stabat adhuc *Judæorum* Respublica, in qua τοῦ אזוב *ezob*, quotidianus erat usus in iis aspergendis, & repurgandis, quæ per τὸν אזוב *ezob*, aspergi, & repurgari Lex jusserat. Neque enim absque אזוב *ezob*, mundari poterat quisquam, qui mortui contactu se polluerat, ut qui morientibus adstabant, & pollinctores, & vespillones, & libitinarii. Idem de leprosis judicium, quos à morbo sanatos *Christus* ad Sacerdotes amandabat, ut ea facerent, quæ præscripserat *Moses*, *Matth.* 8. *v.* 4. *Marc.* 1. *v.* 44. *Luc.* 17. *v.* 14. Sacerdos igitur tum nullus fuit, quem latuerit quid esset אזוב *ezob*. Et *Græc.* Interpretes si ignorassent, rei tam protritæ doctores habuissent passim obvios. 4. Neque in errore tam crasso illos sequutus esset Divinus Scriptor; qui *Corinthiis*, πολυγλωττίαν suam in plena Ecclesia non sine aliqua jactantia ostentantibus, se pluribus loqui linguis scribit, quam illos omnes, 1. *Cor.* 14. *v.* 18. 5. Sed neque hic contemnenda est *Josephi* auctoritas, qui, cum Sacerdos fuerit unus è primis, & in eo ministerio consenuerit, τῷ *ezob* sæpe usus est propter causas supra jam allatas. Tamen is, *Græcos* sequutus, Regem *Solomonem* tradit de qualibet arbore suam dixisse parabolam ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου, *ab hyssopo ad cedrum*. Et frustra objicitur *Batechor* ab eodem exponi *hyssopi domum*. Nam, ut *hyssopum* taceam potuisse apud *Hebræos* esse πολυώνυμον, non dubito quin pro Βαθεχώρ, voce nihili, legendum sit Βαθεζώβ, vel Βαθεζωβά, *domus hyssopi*, cum in veteri versione, solum R in fine inserto, legam *Vetezobra*, pro *Vetezoba*: ut illo ævo B sæpe expressum est per V consonum, quod constat ex *Glossariis* vetustissimis. In *Latino Nicephoro* scribitur *Batechzor*, *Hist.* lib. 3. cap. 7. Sed *Græca* consulenda essent, quæ jam non sunt ad manum. 6. *Syrus* quoque, cum alibi ܙܘܦܐ *zupha*, id est, *hyssopum*, reddiderit, illi non imputo, quod 1. *Reg.* 4. *v.* 33. pro ܙܘܦܐ *zupha* legitur ܠܘܦܐ *lupha*, id est, ἀείζωον· sed scribæ semidocto, qui putaverit locum esse mendosum, & quod ibi legebatur *zupha in pariete nasci*, hyssopo non convenire, sed ἀειζώῳ quod est parietariæ species. Itaque, unius literulæ mutatione, ex ܙܘܦܐ *zupha* factum ܠܘܦܐ *lupha*. Obiter nota, cavendum, ne in illis linguis promiscuè sumantur ܠܘܦ *luph*, & ܠܘܦܐ *lupha*: quorum illud *arum*, aut *dracontium* sonat, ut omnes sciunt; hoc *semper-vivi* speciem. Hujus longam descriptionem ita orditur *Abulabas*,

لوفا حي العالم المسمي باذن القسيس
بالديار المصرية وبالشام ايضا عصارته
عندهم من الدهن مغلاة تنفع من
وجع الاذان وكثير اما يتخذونها
في البساتين وعلي القبور وفي
السطوح في المراكن وهي ايضا
مخمرة في الاسهال Lupha *est semper-vivum*.

In Ægypto, & Syria vocatur Auricula Sacerdotis. Inde exprimitur oleum dolori aurium mirè conferens. Magna copia colligitur in hortis, sepulchris, & tectorum angulis. Sed & in campestribus locis reperitur. Cætera ibi vide. 7. *Arabes* autem, & *Kimchius*, qui צעתר, id est, *origanum* exponunt, à recepta sententia parum recedunt. Hyssopus enim veterum origano fuit similis. *Dioscorides* libro tertio, ὀρίγανος Ἡρακλεωτική, &c. φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ· *Origanus* Heracleotica *folium habet hyssopo simile*. Et infra de origano onitide, Ἡ δὲ ὀνῖτις καλουμένη λευκοτέρα τοῖς φύλλοις ἐστί, καὶ μᾶλλον ἐοικυῖα ὑσσώπῳ. *Quæ verò onitis*

onitis dicitur, candidiore est folio, & hyssopo similior. 8. Hinc etiam *Talmudici* ציתרי *tsithri*, id est, *origanum*, numerant inter hyssopi genera. Marum quoque, & sampsuchum, majoranæ species, ab illis habentur pro herbis hyssopo congeneribus. Neque id mirum, cum hodieque idem sentiant viri in re herbaria non infimi nominis. Sic in *Historia plantarum Lugdunensi* lib. 8. cap. 29. Pena *hyssopum genuinum Dioscoridis putat esse communem illam majoranam in Gallia & Belgio notam, quæ majorana crassa, & Anglica vocatur, quæ in Anglia lætior & cibo aptior provenit. Quod ut probet*, &c. Aliis majorana est marum. Ibidem capite quarto, *Quidam, teste etiam* Dodonæo, *Marum esse existimant id plantæ genus, quod ille origani speciem statuit, quam cultores colunt, &* amaracum Britannicum, *sive* crassum *vocant*. At veteribus idem sunt שמפיטוק *sampsuchum*, & *amaracus*. *Dioscorides* de sampsucho libro tertio, Κράτιστον τὸ Κυζικηνὸν, καὶ τὸ Κύπριον· δεύτερον δὲ τούτου τὸ Αἰγύπτιον, καλεῖται δὲ ὑπὸ Κυζικηνῶν, καὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ, ἀμάρακον· *Optimum est Cyzicenum, & Cyprium: huic autem proximum Ægyptium; vocatur autem a Cyzicenis, & Siculis, amaracum.* *Plinius* lib. 21. cap. 11. *Amaracum* Diocles *Medicus, & Sicula gens appellavere, quod Ægyptus, & Syria, sampsuchum.* *Hesychius*, Σαμψυχον πλεῖστον γίνεται ἐν Αἰγύπτῳ, ἄλλοι δὲ μάραθον (lege ἀμάρακον) καλοῦσιν αὐτόν. *Sampsuchus multus nascitur in Ægypto, alii autem* amaracum *illum appellant. Servius* in illud *Poetæ* libro primo *Æneid.*

- - - - - *ubi mollis amaracus illum*, &c.

Hic puer regius unguentarius fuit, qui, casu lapsus, dum ferret unguentum, majorem ex confusione odorem creavit. Unde optima unguenta amaracina dicuntur: hic postea in herbam sampsuchum versus est, quam nunc amaracum dicit. Ex his omnibus colligimus vetustiores interpretes vocem אזוב, ita variè explicâsse, ut non multum inter se dissentiant. Et vel majoranam ab illis intelligi patet, vel herbæ genus majoranæ non absimile. Et verò ad aspersiones majorana nostra esset percommoda, cùm parva, frequentia, & tenera habeat folia, eaque leviter villosa, quæ, in aquam, aut sanguinem immersa, humorem statim imbibunt, & eundem excussa facilè emittunt. Et ex hujusmodi plantis aptum fieret aspergillum tribus caulibus in unum fasciculum colligatis, quomodo his verbis describit *Maimonides, De vacca rufa* cap. 11. sect. 1. לוקח אדם טהור שלשה קלחים של אזוב ואוגדן אגודה אחת כל בד ובד גבעול אחד וטובל ראשי גבעולין במי נדה שבכלי *Sumit vir mundus tres hyssopi caules, quos in fasciculum unum compingit, & singuli rami spicas habent, quarum apices immergit in aquam separationis, quæ est in vase.* *Jonathan* quoque in *Paraphrasi* Num. 19. v. 18. ויסב אזוב תלת קלחין באיסרא חדא *Et capiet hyssopum, tres nempe caules in uno fasciculo.* Et *Talmudici* in *Para* cap. 11. in fine אזוב שלשה קלחין ובהן שלשה גבעולין *Hyssopus triplici caule, in quibus totidem culmi, seu spicæ.* In his autem spicis sunt תמרות *themaroth*, id est, grana seminis tenuissima, quæ describit *Aruch*. Itaque hactenus omnia bellè procedunt. Sed jam sequentur duo Scripturæ loca, quæ videntur subvertere quidquid hactenus adstruximus, unum in veteri Testamento, alterum in Novo.

Prior est celebris de *Solomone* locus 1. *Reg.* 4. *v.* 33. *Disseruit etiam de plantis à cedro, quæ est in* Libano, *usq; ad* ezob, *qui nascitur in pariete.* Unde colligunt *ezob* non esse *hyssopum*, neque herbam congenerem; quia neque hyssopus, neque herbæ congeneres in pariete nascuntur. Antequam respondeamus, audiendus est *Isaac Ben-Omran* de hyssopo, زوفا يابس هي حشيشة تنبت في جبال البيت المقدس وتتفرش اغصانها علي وجه الارض في طول الذراع او اقل ولها ورق واغصان فوقها يشبه قدره قدر مرزنجوش ولها رايحة وطعم مر وتجمع في ايام الربيع *Hyssopus sicca* (cui opponitur زوفا رطب hyssopus humida, ita *Arabes* Oesypum vocant) *herba est in montibus* Hierosolymitanis *proveniens, cujus rami super faciem terræ extenduntur ad cubiti longitudinem, aut aliquanto minus. Folio enim, & ramis luxuriat. Et folii mensura eadem, quæ folii sampsuchi: suavis odor, sapor amarus, verno tempore colligitur.* Ista *Arabis* celeberrimi, & αὐτόπτου, proferre necesse habui, cum aliis de causis, ut patebit ex sequentibus, tum maximè ut constet hyssopum circa *Hierosolymam* copiosè provenire, nempe in illis montibus, quibus inædificata, & cincta fuit, ut habetur *Psal.* 87. *v.* 1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Et Psal. 125. v. 2. *Montes in circuitu ejus.* Itaque, cum tradit Sacer Scriptor cedrum in *Libano*, & hyssopum in muro nasci, fortasse hoc solum voluit, ut in *Libano* cedri magna copia sobolescunt, ita hyssopum ad mœnia urbis feliciter provenire. Quippe, cum auctor libri *Regum Hierosolymis* scripserit, fieri potest, ut illud בקיר *in muro* de suæ urbis mœnibus intellexerit. Neque enim *Hebræum* קיר *kir*, solum *privatos parietes* significat, sed & *urbium mœnia*. Sic *Num.* 35. *v.* 4. *Levitis* assignantur agri mille cubiti circumquaque מקיר העיר, *à muro urbis*. Et *Jos.* 2. *v.* 15. *Rahab* domum habuit בקיר, id est, *in ipsis mœnibus* urbis *Jerichuntinæ*. Neque dubium, quin *Moabitarum* urbs קיר־הרש *Kircheres*, *Jerem.* 48. *v.* 31. à testaceis mœnibus nomen habuerit. Porro *in muro* crescere dici potest herba summœniana, etiamsi ex ipso muro non crescat. Ita ut בקיר *in muro* hic sit idem, quod על־קיר *ad murum*, vel *prope murum*; ut cum dicitur *Jos.* 10. *v.* 10. *percussit eos cæde magna* בגבעון *in Gabaone*, id est, *prope Gabaonem*. Neque enim in ipsa urbe pugnatum fuerat. Et *Jud.* 18. *v.* 12. *Castrametati sunt* בקרית־יערים *in Kirjath jearim*, id est, *prope Kirjath-jearim*. Nam sequitur continuò post, locum vocatum fuisse *castra Dan, qui est post Kirjath-jearim*, id est, ab occidente ejus. *Christum* quoque passum esse dicimus in urbe *Jerusalem*, quia passus est in vicinia. Et *Hebr.* 9. *v.* 4. *in arca* fuisse leguntur urna aurea *Mannâ* plena, & virga *Aaronis*, id est, *prope arcam*. Nam in ipsa arca nihil fuit præter duas Legis tabulas, 1. *Reg.* 8. *v.* 9. Sic אזוב *ezob*, non fuerit herba parietaria, & nulla erit objectio. Dato tamen, non concesso, agi de planta verè parietaria, hoc tantùm inde sequetur, *Hebræũ* nomen אזוב *ezob*, patere latius, quàm *Græcum* ὕσσωπος. Quod ultrò concedimus, cùm *Græci* nonnisi unam, aut alteram, *Hebræi* quatuor hyssopi species numerent. *Maimonides* in Tractatu *De vacca rufa* cap. 3. sect. 2. ומיני אזוב ארבעה *Et quatuor sunt species ezob*, nempe *Græca*, *Cochaliensis*, *Romana*, & *sylvestris* seu *deserti*: quas *Talmudici* enumerant tribus locis suprà citatis. In his porro quia nescitur quæ sit hyssopus *Cochaliensis* אזוב כוחלי, & plerique *fuscam* ineptè reddunt, cùm nulla sit hyssopus fusca, & reliquæ tres à locis denominentur: pro כוחלי *cochali*, libenter rescripserim כותלי *cothali*, quod vel *parietariam*, vel *summœnianam* redderem

reddere possis, à voce כותבל *cotbel*, quæ *parietem*, aut *murum* sonat. Certè literæ ה & ח, ut sunt figura persimiles, facilè permutantur. Hinc 2. *Sam.*21.*v.*19. *Elhanan* percussisse legitur את גלית *Goliathum*, cum tamen verè *Goliathum* non percusserit, sed את גלית *fratrem Goliathi*, ut scimus ex 1. *Paral.*20, *v.*5. *Goliath* autem à *Davide* percussum fuisse neminem latet. Itaque in *Samuele* את scriptum pro אח, ut rectè observat *Ludovicus Capellus* ὁ μακαρίτης.

Alter locus est *Joh.*19. *v.*29. *Illi autem, cum spongiam aceto implevissent*, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, *& hyssopo circumdedissent, ori ejus admoverunt.* Quem si conferas cum *Matth.*27. *v.* 48. *Cum spongiam cepisset, & aceto implevisset*, καὶ περιθεὶς καλάμῳ, *& calamo circumdedisset*; & cum *Marc.*15. *vers.*36. *Cum spongiam aceto implevisset*, περιθείς τε καλάμῳ, *calamoq; circumdedisset*: statim colliges in *Johanne* ὑσσώπῳ περιθέντες idem esse, quod περιθεὶς καλάμῳ in *Matthæo*, & *Marco*. In his enim ut calamus, ita in illo hyssopus spongia aceto plena circumdatur, & *Christo* in cruce sitienti offertur. *Johannis* igitur cum *Matthæo* & *Marco* non conveniet, nisi statuas illis *calamum* idem esse, quod *hyssopum Johannis*. Ut sensus sit, impios homines, ut *Christo* in cruce sitienti illudere pergerent, spongiam aceto plenam pro vero potu illi obtulisse. Et, quia in cruce sublimis erat, nec sola manu poterant ad illius os pertingere, spongiam hyssopi cauli circumposuisse, qui caulis à *Johanne hyssopus*, à *Matthæo*, & *Marco*, *calamus* appelletur. Sunt viri pii, & docti, qui, loca hæc duo ἐναντιοφανῆ sic conciliare conati, ut unum incommodum vitarent, in alterum inciderunt. Nam, ut vocetur *calamus* herbæ caulis, in qua nihil est ἀνα-κλάσις, res est sine exemplo. Κάλαμος quidem non est sola *arundo*, sed propriè τοῦ σίτου ὁ καυλὸς, *frumenti caulis*, ut habetur in *Hesychio*. Unde ad alia transfertur, & *calamus* dicta fistula ex calamis conflata, & *stipula* καλάμη. Et *propriè calamitatem rustici granditatem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est, culmum, ac segetem.* Ita *Donatus* ad *Comicum*. Et *calamus* scriptorius, quomodo cum *Græci* κάλαμον nunquam sumpserint, hujus tamen usus à *Romanis* ad *Chaldæos*, *Arabes*, *Æthiopes*, & *Persas* est propagatus. Sed calamum pro herbæ caule, qui neque sit nodosus, neque concavus, qualis est hyssopi caulis, non puto me legisse uspiam. Præterea nullus video, quomodo spongia, hyssopi cauli defixa, vel involuta, potuerit ad *Christi* crucifixi os admoveri. Debent, qui in magna turba in exemplum statuuntur, tam sublimes evehi, ut omnibus sint conspicui, nec visum intercipiant peditibus, si qui equites proximè adstant. Non dubium igitur, quin, ut cæteri patibularii, ita etiam cruciarii in sublime evecti fuerint. Unde est, quod *Artemidori Onirocriticon* libri quarti capite quinquagesimo quinto *gloriam* significat, si quis se crucifigi somniat, διὰ τὸ ὑψηλότερον εἶναι τὸν σταυρούμενον, *quia qui crucifigitur sublimior est.* Itaque, ut de *Hamane* (q) taceam, in crucem cubitorum quinquaginta sublato, de *Regulo* legitur apud *Silium*,

q) Esther. 8. v. 9.10.

[illegible] *vidi, cum, robore pendens,*
Italiam *cruce sublimis spectares ab alta.*

Et de *Hippolyto Martyre* in *Prudentio*,

[illegible] *crux istum tollat in auras.*

Et apud *Nonnum* de ipso *Christo*,

Εἰς δόρυ τετράπλευρον, ἐπήορον, ὑψόθι γαίης
Ὄρθιον ἐξετάνυσσαν· [illegible]

Supra lignum quadratum, sublime, supra terram arduum extenderunt. Proinde זקף Chaldæis *in altum evehere*, sed Syris *crucifigere* est. Et ipsa crux זקיפא utrisque dicitur *ab attollendo*. Quò *Christus* respiciens *Joh.*3. *v.*14. *Ut Moses*, inquit, *serpentem exaltavit in deserto, ita Filium hominis* ὑψωθῆναι δεῖ, *exaltari oportet.* Et rursus *Joh.*12. *v.*32. Ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, *Si exaltatus fuero ex terra.* Ad hanc porro altitudinem quid faciat hyssopi caulis, quem ferè cubitalem suprà descripsit *Isaacus Ben-Omran*, at alii minorem. *Mesue* hyssopi habet duo genera, hortensem, & montanam; quarum illa semicubitalis, hæc brevior est. Ajunt hyssopum in *Judæa* majorem esse, ut sinapi, de quo *Christus Matth.*13. *v.*31. Et arborescere colligunt ex eo, quod dicitur *Solomon* de omni arbore disseruisse à cedro usque ad hyssopum, quasi hyssopus sit arbor. Unde *Josephus*, Καθ' ἕκαστον γὰρ εἶδος δένδρων παραβολὴν εἶπεν, ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου. Respondeo pro *arboribus Hebraicè* haberi עצים *ligna*, quæ vox extenditur usque ad λινοκαλάμην *Jos.*2. *v.*6. Hoc præcipuum, quod hyssopi rami non solùm exiles describuntur, sed & humi jacentes. *Isaacus* ubi suprà, وتنفرش اغصانها على وجه الارض *Et extenduntur rami ejus in terræ superficiem.* Ne quisquam sibi fingat illos esse firmos, & rigidos, ita ut calamorum vicem præstare possint.

Sunt, qui receptam *Johannis* lectionem sollicitant, &, pro ὑσσώπῳ, ὑσσῷ legi volunt, vel ὕσσῳ, vel ὑσσώπῳ. Tot enim diversas reperio de hoc loco conjecturas, quas expendere in præsens non est nostri otii, nec instituti. Sed, ut de meo aliquid afferam, puto omnia posse conciliari, si, solum Casu mutato, pro ὑσσώπῳ, scribas ὑσσωπον. Ita enim habebit locus; *Illi autem, cum spongiam aceto implevissent*, καὶ ὑσσωπον περιθέντες, *& hyssopum circumdedissent, ori illius admoverunt.* Sic spongia hyssopum non circumdederit, sed hyssopus spongiam, ut, aceti acore cum hyssopi amaritudine mixto, fieret potus ingratior. Reliqui duo *Evangelistæ* de aceti spongia egerant, & quomodo calamo alligata *Christi* ori fuisset admota. Sed hoc unum præterierant, quod *Johannes* hic supplet, spongiam illam fuisse hyssopo circumdatam, ut non solum acerbus, sed & amarus esset *Christi* potus. Quod scire nos intererat, quia sic perfectè adimpletum est *Davidis* vaticinium, quo, sub persona *Christi* loquens, *Psal.*69. *v.*22. *Fel*, inquit, *in cibum mihi dederunt, & aceto me potaverunt in siti mea. Fel* reddimus *Hebræum* ראש cum vulgo interpretum, cùm sit propriè herbæ amaræ genus in segetibus nascens, *Ose.*10. *v.* 4. quæ cum absinthio sæpe jungitur ut æquè amara. Exempla vide *Deut.*29. *v.*18. *Jerem* 9. *v.*15. *Thren.*3. *v.*19. & *Amos* 6. *v.*12. Mirabilis igitur est hæc Prophetia, in qua & aceti fit mentio, & herbæ amaræ illi adjunctæ. Amaram enim in *Judæa* esse hyssopum ex *Isaaco Ben-Omran* jam diximus. Quia plerisque visum est *hyssopum* in *Johanne* idem esse, quod *calamum* in aliis, Casus à Scribis mutatus, & pro ὑσσωπον περιθέντες, scriptum ὑσσώπῳ, ut Casu conveniret cum aliorum καλάμῳ.

Quod *Isaacum* de nostra hyssopo egisse volunt, non de hyssopo veterum, puto esse falsissimum. Neque enim is nostram hyssopum, sed *Judaicam* describit, in montibus prope *Jerusalem* hodieque nascentem, & priscum nomen, & naturam in *Judæa* servantem. Itaque, cùm nostra hyssopus oblonga & angusta habeat folia, ille hyssopum describit samsuchi foliis, quæ rotunda ferè sunt, quomodo & origani, cui *Dioscorides* & *Plinius* hyssopi folium tribuunt. Agit ergo de eadem hyssopo, de qua ab illis actum. Præterea in hyssopo nostra nullus est insignis amaror. Proinde illam non solum officinarum, sed & culinarum causa coli asserunt auctores *Historiæ Plantarum Lugduni* editæ. Et *Levinus Lemnius* eandem in *Belgio* scribit condimenti vice juri innatare; *quod eximii sit odoris, ac saporis non ingrati: sic ut elixa quæq; non minus salubria efficiat, quam sapida.* Sed frustra hæc disputantur, cùm tam edulis hyssopus, quàm quæ propter amaritudinem edulis non erat, vetustioribus *Hebræis* nota fuerit. Et prior quidem simpliciter vocatur אזוב *ezob*, de qua in Lege agi volunt: altera אזוב יון, *hyssopus Græca*, quæ nonnisi in Medicinis recepta fuit.

Itaque

Itaque in Tractatu *De Sabbato* cap. 14. fol. 109. b. ità habet *Misna*, אין אוכלין אזוב יון בשבת שאינו מאכל בריאים *Non comedunt hyssopum Græcum die Sabbati; quia non est sanorum cibus.* Nam quæ fuit illorum superstitio, putabant die *Sabbati* ægro non licere ullis uti remediis, quantumvis urgeret morbus, sed solùm iis vesci cibis, quibus utuntur qui valent. Proinde die *Sabbati* hyssopi *Græca* usum vetabant, quia illius in cibum nullus fuit usus, sed solùm in Medicinam. At alteram concedebant, id est, אזוב דכתיב באורייתא *hyssopum, de qua in Lege scriptum est*, ùt habetur in *Gemara*. Quo respiciens *Maimonides* hæc habet *Sabbat.* cap. 11. sect. 22. אוכל אדם אכלין ומשקין שדרך הבריאין לאכולן ולשתותן כגון הכסברא הכשות והאזוב אעפ שהן מרפאין ואכלן כדי להתרפאות בהם מתר האיל והם מאכל בריאים *Si quis comedat, & bibat (Sabbato) cibos, & potus, quos sani homines comedere, & bibere solent, ut coriandrum, lupulum, & hyssopum, etiamsi remedia sint, & illa comedat, ut per ea sanetur, tamen id licitè fit, quia sunt sanorum hominum cibus.*

Hæc de hyssopo hactenus, quo in agni sanguinem immerso Lex aspergi jubet utrumque ostii postem, & superliminare. Superliminare, inquam, non limen, nè sanguinem sacrum, quique tam sacrificii, quàm sacramenti loco fuit, transeuntes pedibus conculcarent. Quidni enim in illis vera religio præstiterit quod in *Azotiis* superstitio, qui à calcando Templi sui limine diu abstinuerunt, postquàm in eo *Dagon* cernuus cecidisset, 1. *Sam.* 5, 5. & *Sophon.* 1, 9. Ut *feræ* Hebræis זיזים *à motu* dicuntur, quomodo *Græcis* κνώδαλα, & κινώπετα· ità etiam *postes* מזוזות, non quod ipsi moverentur, sed à valvarum motu, quæ illis innituntur. At *Græcis* fortasse melius σταθμοὶ, & παραστάδες, quia ipsis sunt immobiles. Proinde hic *Græca* versio ἐπὶ τῶν δύο σταθμῶν· & *Syriaca* ܥܠ ܬܪܝܗܘܢ ܦܪܣܛܕܐ ἐπὶ τὰς δύο παραστάδας, voce à *Græcis* mutuatâ. *Pollux*, Σταθμοὶ δὲ τὰ ἑκατέρωθεν ξύλα κατὰ πλευρὰν τῶν θυρῶν, ἃ καὶ παραστάδας φασίν. *Arabs* quoque, qui ex *Græca* versionem suam expressit على قايمة الباب *super stantes* (partes) *ostii*, id est, *super postes*. At alius MSS. على اعضاب الباب *super brachia ostii.* Et *Erpenianus*, على زوج الخدود *super duas maxillas.* Quomodo in *Lexico Kimchii* מזוזות *postes* voce *Talmudicâ* vocantur לחיי השערים *maxillæ ostiorum*, quæ miræ sunt Metaphoræ, & nostris prorsus ignotæ. *Superliminaris Hebræum* nomen משקוף extra hoc caput non reperitur. A prospectu sic dici puto, propter cancellos, aut clathros summis foribus apponi solitos, ut per eos prospicerentur, qui fores pultaverant, antequàm recluderetur ostium. Cujusmodi januas *Polybius* appellat θύρας διαφανεῖς δικτυωτὰς; Paulinus, *Epistolâ* duodecimâ ad *Severum*, *pellucentem transennam*; Cassiodorus, *tralucidas fores.* Potest & vestibulum intelligi, ex quo in viam patet prospectus, *Græcè* πρόθυρον & προπύλαιον. Quò fortasse pertinet, quòd *Græci* τὴν φλίαν hic habent. *Hesychio* enim φλία est πρόθυρον. Neque aliud المطل in *Arabico Saadiæ.* Nam *Arabicè* طلل in quarta est *extrà eminere.* Porrò, ne videretur superfluum, postes, & superliminare ædium, agni sanguine inungere, Deus mandati sui rationem *Mosi* aperire non dedignatur, se nempe per *Ægyptum* illâ nocte transiturum, & percussurum omnem primogenitum ab homine usque ad pecus: illis autem parsurum, quorum ædes agni sanguine tinctæ fuerint, *Exod.* 12. v. 12. 13. Quibus verbis gravem plagam *Ægyptiis* interminatur, & iis, quæ præcesserant, longè acerbiorem. Nam liberi omnes chari sunt, sed in his primogeniti; maximè, si sint unici, ùt tum *Ægyptus* multos habuit. Notum illud *Zach.* 12. v. 10. *Plangent de eo secundum planctum de unico, & amarè dolebunt de eo, ut quis amarè dolet de primogenito.* Et hi omnes primogeniti unâ nocte sublati novo & ignoto mortis genere; Deo, per Angelos malos, cunctos fere uno temporis momento percutiente, ità ut nullus pater alii possit esse solatio, quia illorum nemo fuit, quem non communis clades tangeret, præter solos *Israelitas*, quos pollicetur Deus se ab hoc malo immunes præstiturum, si modò agni sanguine ostia aspergant. *Erit*, inquit, *sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.* Non, quòd in agni sanguine naturalis esset ulla vis; aut quod externo signo DEUS egeat, ut suos dignoscat ab hostibus, & *Israelitas* ab *Ægyptiis.* *DEI fundamentum manet firmum*, inquit (t) *Paulus: hoc sigillum habens, Novit Dominus, qui sint* (t) 1. Tim. 2. 19. *sui.* Et *Christus* non semel dicit se nôsse oves suas, *Joh.* 10. v. 14. 27. Itaque hoc signum Deo non datur, sed *Hebræis*, ut, eo confirmati, de liberatione certi sint. Quod de *Mose* dicitur *Hebr.* 11. v. 28. *Per fidem fecit Pascha, & affusionem sanguinis, ne qui perimebat primogenitos ipsos tangeret.*

Agni *immolationem* sequitur *assatio* Exod. 12. v. 9. *Non comedetis ex eo crudum quidquam, aut coctum in aqua, sed assum igne.* *Crudum* est *Hebraicè* נא *na*, quæ vox una est ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. Tamen inter veteres de ejus expositione convenit. Nec recentiorum alicujus nominis quisquam dissentit, quod meminerim, præter unum *Oleastrium*, qui receptam interpretationem tanquam absurdam exsibilat, quasi non sit verisimile DEUM *Judæis* crudæ carnis esum prohibuisse, ac si fuissent λύκοισιν ἐοικότες ὠμοφάγοισιν, aut immani illi *Cyclopi*, de quo apud *Poetam Achæmenides*,

— vidi, atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.

Is igitur נא *na*, *fractum*, & *dissectum* reddidit, tanquam à Verbo נוא *no*, quod *frangere*, & *dissecare* sonat. Nempe DEUS, ùt quidem putat, agnum integrum assari, & comedi jubet, non per partes dissecari, ùt fit in iis, quæ elixantur. Quæ fateor me non capere. Nam potest quidem agnus integer vel assari, vel elixari; at comedi non potest, nisi divisus, atque dissectus. Quis igitur est, qui animo concipiat quod vult *Oleastrius*, Deum *Mosi* dixisse, *Non comedetis agnum dissectum?* Tamen idem jam antè senserant anonymi quidam Doctores è recutitorum grege, quos jure merito refellit *Aben Ezra.* Neque verò ullius momenti est *Oleastrii* objectio: cùm נא *na*, præcisè loquendo, non significet *planè crudum*, sed *imperfectè coctum.* Ità rectè omnino reddit *Maimonides* in *Pasch.* cap. 8. §. 6. נא שהזהירה עליו תורה הוא הבשר שהתחיל בו מעשה האור ונצלה מעט ואינו ראוי לאכילת אדם עדיין *Illud* na, *de quo Lex admonet, carnem significat, quam ignis incepit afficere, ità ut nonnihil tosta sit, sed nondum ad hominis esum idonea.* *Selomo* quoque, & *Kimchius* explicant *quod non est tostum, aut quod non est coctum* כל צרכו *quantum satis est.* Et *Pomarius*, *quod est* בלתי אפוי בשלמות *sine perfecta coctione.* Res ex *Arabica* lingua certior, quâ נא, vel ני idem sonare verè observant *Selomo* & *Aben Ezra.* Cl. *Golius* ex *Giauhari*, & *Camus*, Lexici sui pag. 2491. ناء (*Naa*) *semi-cocta, cruda fuit caro. Et in secunda Transitivè, crudam, vel semi-coctam reliquit carnem.* نيء *cruda, semicocta caro.* Itaque pro נא hoc loco نيا habet uterque *Arabs.* Vide & 1. *Sam.* 2. v. 15. Eódem pertinet, quòd *Avicenna*

cenna نيا vocat *carnem in stomacho nonnisi ex parte concoctam, neque dum perfectè digestam.* Locus est *Can.* lib. 1. *Fen.* 3. Doct. 2. cap. 4. cui titulus *De regimine infantium*, ويجنبون ما امكن شرب الما في الطعام لئلا ينفذ فيهم نيا قبل الهضم *Et, quantum fieri potest, à potu aquæ post cibum eos prohibeant, nè crudus* (id est, nonnisi semi-concoctus) *in eos penetret ante* (perfectam) *digestionem.* Itaque, cum de carne coquenda agitur, *Hebræis* נא, & *Arabibus* ني dicitur *caro*, quæ non prorsus cruda est, sed solùm *ex parte cocta.* In *Aristotele, Meteorol.* lib. 4. cap. 3. duæ censentur species hujus imperfectæ coctionis, μώλυνσις & στάτευσις· quarum illa ἑψήσει *elixationi*, hæc ὀπτήσει *assationi* opponitur. Ità ut in μωλύνσει caro maneat ἡμίεφθος *semi-elixa*, ùt ἡμίοπτος *semi-assa* in σταθεύσει. Utrumque complectitur *Hebræum* נא in *Mose*, & *Arabicum* ني quo utuntur ejus interpretes. Itaque non prohibet Deus, nè comedatur agnus omnino crudus, quod, etiam nullo vetante, *Judæi* facturi non erant: sed, nè comedatur semi-coctus, & solùm מהבהב *ustulatus*, ut hic habet *Hierosolymitana* versio. Nempe coquorum incuria sæpe accidit, ut non perfecta sit coctio. Hinc apud *Alexim* in *Pannychide* quidam coquum ità objurgat,

— ἡμίοπτα μοι

Τὰ κρεάδι' ἐστὶ, τὸ τρίχωμ' ἀπόλλυται·

Semicocta sunt hæ carnes, corruptum est minutal. Et *Martialis Nævic*, lib. 3. *Epigr.* 13.

Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit. —

Et *Rufo, Epigr.* 93.

Esse negas coctum leporem, poscisque flagella.

Quandoque etiam caro semi-cocta comeditur per immoderatam helluonum ingluviem, quæ nullas patitur moras. Et fuêre, qui dapes propè crudas eripuerint non solùm ex popinis, sed etiam ex locis sacris. Sic 1. *Sam.* 2. v. 13. *Cùm quis immolabat victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, tridentem fuscinam habens in manu, eámque in labrum, aut in ollam, aut in caccabum, aut in lebetem immittens: & quidquid fuscinâ illâ depromebat, id accipiebat Sacerdos.* Qualis apud *Athenæum* describitur ab *Archestrato* mulier quædam, quæ sacra nondum immolata devorabat, ἱερὰ πρὸ τοῦ ἐσθίουσα, *à veru illa rapiens.* Et in *Suetonio* Vitellius, *Homo non profunda modo, sed intempestivæ quoque, ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem unquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem statim viscus, & farra penè rapta è foco manderet, circáque viarum popinas fumantia obsonia.* Denique, ùt *Poëta* auctor,

Est etiam è mediis victima rapta focis.

Cujusmodi ventres ferit illud *Simonidis*, quod tandem in *Proverbium* cessit.

Ἄθυτα δ' ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει,
Nondum immolata sacra sæpe devorat.

Proinde in *Hesiodo*, inter alia præcepta, quæ ad mores pertinent, hoc quoque habetur in *Operibus*, versu 746.

Μηδ' ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιρρέκτων ἀνελόντα
Ἐσθειν — —

Neque ab ollis nondum sacrificatis (cibum) *rapiens comedito.* Nam, ùt ῥέζειν, & ἐπιρρέζειν, *sacrificare* est, ita ἀνεπίρρεκτος est ἄθυτος, *nondum sacrificatus*, vel *immolatus*, prout à *Tzetze* redditur. Quod ideò profero, nè quis cum *Oleastrio* communem versionem erroris suspectam habeat, quasi ex ea DEUS Legem *Israelitis* sanciat, quam nemo unquam violaverit. Quanquam aliud μυστικώτερον respiciat hæc prohibitio, ùt infrà docebimus.

Sed agnum perfectè coquere non sufficiebat, nisi coqueretur eo modo, quo Deus præscripserat, nempe assando, non elixando. *Nè comedatis*, inquit, *ex eo crudum* ובשל מבשל במים *& coquendo coctum in aquis, sed* צלי באש *assum ad ignem*, Exod. 12. v. 9. Contra quam reliqua sacrificia pacifica, quorum carnes, tam à populo, quàm à Sacerdotibus comedendas, elixare moris erat, etiam ipso *Paschali* festo. Proinde 2. *Paral.* 35. *v.* 13. hæc accuratè distinguuntur, *Et Pascha igne coxerunt juxta morem, reliqua verò sacrificia coxerunt in lebetibus, & caccabis, & ollis.* Ubi nota utrobique adhiberi Verbum בשל, ut illud scias tam ad assationem, quàm ad elixationem pertinere, pro ratione subjecti. Itaque, cùm in *Exodo* dicatur de *Paschate, Nè comedatis* מבשל, sed צלי tamen de eodem legitur *Deut.* 16. *v.* 7. ובשלת. Nempe, etiamsi בשל ut plurimùm ad *elixationem* pertineat, non tamen id est perpetuum. Nam בשל in genere est *coquere*: & alia est בשילה באש *coctio ad ignem*, id est, צליה *assatio*, cujus respectu dicitur in loco *Paralipomenon*, quem citavimus, ויבשלו הפסח באש כמשפט *Et Pascha igne coxerunt juxta morem*; alia בשילה במים *coctio in aquis*, id est, *elixatio*, quæ vetatur in *Exodo*. Itaque in *Paralipomenis*, postquam actum de *Paschate* igne cocto, sequitur, *Reliqua verò sacrificia coxerunt in lebetibus*, &c. Et ad *Deuteronomii* vocem ובשלת dicit *R. Selomo* זהו צלי אש שאף הוא קרוי בשול *Hæc est assatio ad ignem, quæ & ipsa vocatur* בשול. Quod probat *Aben Ezra* ex loco *Paralipomenon.* Et ibidem ויבשלו *Kimchius* exponit ויצלו *& assaverunt.* Sic pro ובשלת in *Jonathane* legas ותטוי *& assabitis.* Eódem potest referri, quòd habent *Saadias* وانضجه & alter *Arabs* وتطبخ. Quamvis enim نضج & طبخ sæpe nihil quàm *coquere* sonent, tamen utrumque ad *assationem*, vel *tostionem* nonnunquàm pertinere certum est. Nam ex نضج factum منضاج est *veru*, quo assantur carnes. Et ex طبخ factum طابخ vel طباخ *Arabibus* est *Angelus, qui damnatos in Inferis torret.* Et طبيخ *febris vehemens*, quâ ægroti torrentur quasi. Et طبايخ *venti fervidi, & torridi.* Sed *Græcâ* versione quid absurdius, in qua ובשלת redditur, καὶ ἑψήσεις, καὶ ὀπτήσεις, *& elixabis, & assabis*; quod est oppositum in apposito. Absit igitur à nobis, ut utrumque putemus eorundem esse interpretum. Quin cùm alii ובשלת reddidissent καὶ ἑψήσεις, *& elixabis*, quomodo plerumque sumitur; alii καὶ ὀπτήσεις, *& assabis*, quod necessario hic significat, ineptè Scribæ duas versiones in unam compegerunt. Interim, quamvis vox בשל sit ambigua, tamen in Lege *Exod.* 12 *v.* 9. nihil est ambiguum. Neque enim Deus simpliciter vetat comedere agnum מבשל *coctum*, sed מבשל במים *coctum in aquis*, cui opponit צלי באש *assatum igne.* Quæ fuissent superflua, si מבשל per se *elixum* significaret. Neque enim dicimus aliquid aquâ elixari, quia *elixari* per se id sonat. Nempe *lixa* veteribus fuit aqua; *lix* cinis aquâ maceratus, unde *lixivium*; *lixæ*, qui militibus in castris aquam portabant, ùt calones, qui ligna. Quales inter *Judæos Gabaonitæ.* Sed, ut ad pensum redeamus, *Hebræi* in hac Lege explicandâ se produnt mirè superstitiosos. In *Maimonide*

illius

illius violatæ reus est, non solùm qui in aquis, sed & qui in aliis, quæ bibuntur, aut in succo fructuum agnum elixat. Item qui prius elixum assat, aut qui prius assum elixat. Quamvis agnus inter assandum vino, oleo, aut fructuum succo rigari possit, aut jam assatus lavari, excepta tamen aquâ. Nec debet assari super lapidem (putà super *Arabum* رضفة *ridpham*, de qua nos alibi) nec in vase fusili, vel conflato ex metallo, (patellâ putà, aut sartagine æreâ, vel terreâ) quia dicitur *assum igne*: nisi vas sit perforatum (ùt craticula) ut ignis illud penetret. Neque assatur veru fusili, sed ligneo. Quia veru ferreum cùm incaluit, assat locum suum, id est, agni partem, quam attingit. Nec in medio furno suspensum assare licet, cùm igne nuper ejecto adhuc calet, aut super ollæ tergum, aut ad tegulam, aut ad thermas *Tiberiadis*. Sed assatur veru ligneo, quo ab ore ad podicem transfigitur, aut in medio furno cum igne subjecto suspensus. Veru ex ligno mali punicæ ad assationem egregiè purgatur, ne humor indè sparsus in agni carnes eas elixet. Si easdem furni tegulas alicubi attingunt, locus excoriatur, quia carnem illam coxit tegula, non ignis immediatè. Eò quòd *Exod.* 12. v. 9. non solum corporis truncum, sed caput quoque agni, cum cruribus, & intestinis, Deus assari jubet; monet idem crura, & viscera (à trunco corporis divulsa, ut purgentur) separatim esse suspendenda, nec in agni ventrem inserenda; quia, si sic coquerentur, hoc esset כמין בשול *tanquam species elixationis*. Agni venter scilicet videretur illis esse instar ollæ. Hæc, & plura alia ejusdem commatis, quæ consulto prætereo, leguntur in *Maimonide, De Paschate* cap. 8. §. 7. &c. Neque dubium, quin in his Traditionum minutiis multa fuerint superstitiosa, & præter mentem Legis observata: de quibus meritò,
(f) Esa. 1. v. 12. dicatur, (f) *Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* Et
(g) Matth. 15. v. 9. (g) *Frustrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt, mandata hominum.* At saltem hæc Legis diserta, *Non comedetis coctum in aqua, sed assum igne.* Cujus prohibitionis variæ causæ à nostris afferuntur. 1. Hunc coquendi modum esse antiquissimum. Proinde *Homerum* Diis suis nunquam elixas carnes, sed solum assas apponere. 2. Esse etiam simplicissimum, cùm neque ollâ, neque aquâ, neque ullo saporis alieni condimento ad carnem assandam sit opus, sed solo igne. Unde veteri voce *assa caro*, id est, *sola*, dicitur: ùt *assâ voce cantare*, id est, *solâ voce*, nullo organo adhibito. Ità ex *Varrone*, & *Catone*, *Nonius*. 3. Assà carne vescentes robustiora habere corpora, qualia esse debuerunt *Israëlitis* ad longum iter se comparantibus. 4. Sic iisdem esse significatum quâ festinatione esset opus, quia celerius assatur caro, quàm elixatur. Quò pertinet, quod *Iliad.* ξ. *Eumæus* subulcus,

Ὀπτήσας δ' ἄρα πάντα φέρων, παρέθηκ' Ὀδυσῆϊ;

Omnia assata afferens, apposuit Ulyssi; quia videbat rem urgere. Hinc *Eustathius* ad illum locum, Ὅρα δὲ ὅτι ὀπτὰ καὶ ταῦτα ὁ συβώτης Εὔμαιος τῷ Ὀδυσσεῖ κρέα παρέθηκε, σχεδιάσας διὰ τάχος. *Nota hic diligentem* Eumæum *assas carnes* Ulyssi *apponere, cum eas tumultuariè parasset præ festinatione.* Hæc tamen Deum respexisse, cùm agnum jussit assari, vix concesserim, cùm pleraque sint valde incerta, nec satis ad rem. Itaque videntur potiùs hic subesse aliquid mysticum, de quo deinceps.

Assationem excipit manducatio, in qua multa notanda. 1. Manducantium habitus, ut lumbis essent succinctis, calceatis pedibus, & cum baculo in manu, *Exod.* 12. v. 11. Qui viatorum est habitus, & eorum, qui operosum aliquid moliuntur. *Orientalium* enim vestes, cum longæ, & fluxæ fuerint, & plerumque discinctæ, eas oportuit succingi, cùm vel ad iter se parabant, vel ad opus laboriosum, nè essent impedimento. Hinc *Elisæus* servo dicit 2. *Reg.* 4. v. 29. *Accinge lumbos tuos, & sume baculum meum in manu tua, & vade.* Et uni è filiis *Prophetarum* capitis noni versu primo, *Accinge lumbos tuos*, &c. *& abi* Ramotham *Galaadis.* Et *Jerem.* 1. v. 17. Deus *Prophetam* sic alloquitur, *Accinge lumbos tuos, & surge, ut eloquaris apud eos, quæ præcepero tibi.* Nec in *Evangelio* minùs frequens hæc locutio. Nam *Luc.* 12. v. 35. jubemur *lumbis esse præcinctis.* Et *Luc.* 17. v. 8. dominus servo suo imperat, ut cœnam paret, & præcinctus sibi ministret. Et *Joh.* 13. v. 4. *Christus*, ut lavet pedes Discipulorum, accepto linteo, præcingit se. Proinde *Latinè* dicimus *aliquem ad iter*, vel *ad opus accingi*. Et *Poeta* summus *Æn.* lib. 7.

Accingunt omnes operi. —

Neque rarò *accinctus* sumitur pro *homine industrio*, & *expedito*, qui *Græcis* εὔζωνος ἀνὴρ & *Hebræis* חלוץ *chalutz*, quia חלצים *chalatsim*, sunt *lumbi*, ubi cingulum. Sic *Jos.* 4. v. 13. *Græci* εὔζωνοι εἰς μάχην ubi *Hebræis* חלוצי הצבא. Baculum quoque ad iter pertinere nemo nescit, cum eo viatores fulciantur in locis lubricis, & ab aggressoribus se tueantur. Itaque *Gen.* 32. v. 10. *Jacob* cum baculo transit *Jordanem*. Et *Gen.* 38. v. 18. *Juda*, *Timnam* se conferens, baculum in manu habuit. Neque aliud fuit virga *Mosis* tam decantata, quàm iter facientis baculus, *Exod.* 4. v. 2. Unde est, quòd *Christus* profecturis Discipulis præcepit, ut nihil ad iter sumerent, nisi baculum solum, *Marc.* 6. 8.

Hæc igitur facilia hactenus: sed mirari subit, quorsum *Israelitæ Pascha* jubeantur calceati comedere, quasi antea fuissent discalceati. Sunt, qui referant ad morem apud veteres receptum deponendi calceos inter edendum, nè lectos inquinarent, in quibus discumbebant. Quasi voluerit Deus *Paschale* convivium à reliquis hac in parte differre, ut nè calceos pro more deponerent. Sed mos accumbendi mensæ non fuit tam vetustus. Prisci enim mortales mensæ assidebant, ùt nos hodie. *Athenæus* libri primi capite decimo quarto, Καθίζονται δ' ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται. *Sedebant in conviviis Heroes (apud Homerum) non accumbebant.* Quem morem apud *Macedones*, *Alexandri*, & *Cassandri* ævo, nondum planè exolevisse, ex *Duri* & *Hegesandro* probat. Itaque in *Prophetarum* libris convivas in mensa semper sedere reperias, nusquam accumbere. Sic *Gen.* 27. v. 19. *Jacobus* patri dicit, *Sede, & comede de venatione mea.* Gen. 37. v. 25. *Josephi* fratres *sedent ad comedendum cibum.* Gen. 43. v. 33. iidem in *Ægypto* à *Josepho* invitati, *sederunt coram eo.* Exod. 16. v. 3. ajunt *Israelitæ* se ibidem, *ollis carnium assidentes, ad saturitatem comedisse.* Et *Exod.* 32. v. 6. post aurei vituli cultum in deserto *sedit populus ad edendum, & bibendum.* Judic. 19. v. 6. *Levita*, & socer ejus, *sedentes comederunt ambo unà, & biberunt.* Ruth. 2. v. 14. *Booz* Ruthæ, *messoribus assidenti, porrexit aristas tostas.* 1. Sam. 20. v. 5. *Jonathani* dicit *David*, *Novi-lunium est cras, quo ego cum Rege sedere soleo ad comedendum.* Et versibus 24. & 25. *Saule* ad cibum sedente, *Abner* illi assidet. Et, cùm eidem *Sauli*, apud *Pythonissam* cœnaturo, lectus esset oblatus, quia vires defecerant, in eo tamen non recubuit, sed sedit, 1. *Sam.* 28. v. 23. Tale est, quòd de duobus *Prophetis* dicitur *Bethele* convivantibus, *cumque sederent ad mensam*, 1. Reg. 13. v. 20. Et de *Assuero* prandente, *Dixit verò mihi Rex, & conjux ei assidens*, Nehem. 2. v. 6. Hinc *Proverb.* 23. v. 1. *Cùm sedebis, ut comedas cum principe.* Jerem. 16. v. 8. *In domum convivii ne ingrediaris, ut sedeas cum eis.* Et *Ezech.* 44. v. 3. *Princeps ibi sedebit, ut comedat panem coram Domino.* Ex tot *Prophetarum* locis cùm veteres illos pateat in mensa sedisse, non accubuisse, causa non fuit, cur ad mensam accedentes calceos eximerent. Proinde quosdam legas, qui aliud comminiscuntur, Deum scilicet sanxisse, ut *Israelitæ*, *Paschale* convivium celebraturi, viatorum calceos sumerent, quos à vulgaribus fuisse diversos asserunt, non

tamen probant, cùm Lex nihil tale habeat. Solùm enim *Judaeos* jubet ùt calceati comedant, sed de calceorum genere nihil praescribit. Haec igitur est mera divinatio. Proinde hoc unum habeo, quod objectioni respondeam, *Judaeos*, ùt non semper cincti, aut baculis instructi fuêre, ità nec semper fuisse calceatos. Quod non difficulter credet, quisquis sciet quàm vulgaris fuerit ἀνυποδησία apud veteres. Sic in *Lycophrone Baleares*.

Ἄχλαινοι ἀμφιρύνοι, νήλιποι βίον,

Sine tunica trahunt, discalceatam vitam. *Lycurgus Lacedaemonum* noluit pedes calceis emolliri, sed eorum privatione firmari, & obdurari, ἀντὶ γὰρ μὲν τοῦ ἁπαλύνειν τοὺς πόδας ὑποδήμασιν, ἔταξεν ἀνυποδησίᾳ κρατύνειν. Ità *Xenophon* in libro *De eorum politia.* In *Nicolao Damasceno*, *De moribus gentium*, describuntur οἱ Κρητῶν παῖδες καὶ θήρας, καὶ δρόμους τε ἀνάντεις ἀνυπόδητοι κατανύοντες, Cretensium *pueri venationes, & cursus arduos discalceati conficientes.* Et ad id ipsum *Oppianus* venatorem suum his verbis instituit libro primo *Cynegeticωn*,

——— γυμνοῖσι δὲ ποσσὶν ἰοῦεν

Κείνοις, τοῖσιν ἴχνη μέμηλεν δυσδήρια θηρῶν

Nudis pedibus illi incedant, quibus obscura ferarum vestigia curae sunt. Ibidem libro quarto puella, veris tempore.

Ἀβλαύτοισι πόδεσσιν ἀν' οὔρεα πάντ' ἀλάληται,

Ἄνθεα διζομένη, ———

discalceatis pedibus, per omnes montes oberrat, flores quaerens. Et *Cyrenaicae* virgines sic loquuntur in *Callimachi* Hymno in *Cererem*,

Ὡς δ' ἀπεδίλωτοι, καὶ ἀνάμπυκες, ἄστυ πατεῦμες,

Ut discalceatae, & sine vittis, urbem perambulamus. Quin, virgo regii sanguinis, *Antigone* in *Sophoclis Oedipo Coloneo* describitur,

——— πολλὰ μὲν κατ' ἀγρίαν

Ὕλην ἄσιτος νηλίπους τ' ἀλωμένη,

Saepe in horridis sylvis jejuna, & nudipes oberrans. Quod si ùt fabulosum rejeceris, saltem pro comperto haberi debet quod de *Phocione* tradit *Plutarchus*: *Peregrè, & in bello* ἀνυπόδητος ἀεί, καὶ γυμνὸς ἐβάδιζε, *sine calceis semper, & nudus incedebat, nisi frigus esset immodicum, & intolerabile.* Et de *Lycurgo Rhetore* in ejus vita, Ὑπεδέδετο δὲ ταῖς ἀναγκαίαις ἡμέραις, *Calceos nonnisi necessario tempore sumebat.* De *Catone* etiam, Πολλάκις δ' ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων εἰς τὸ δημόσιον προῄει μετ' ἄριστον. *Crebro sine calceis, & tunica in publicum a prandio procedebat.* Sic etiam in *Achaica* peregrinatione *Nero* plerumque in publicum prodibat *sine cinctu, & discalceatus*, ùt *Suetonius* auctor est capite quinquagesimo primo. Et apud *Martialem* libro duodecimo, *Cotta*, cùm soleas inter coenandum bis perdidisset.

Excalceatus ire coepit ad coenam.

Quin, si *Clementis* judicio stamus *Paedag.* lib. 2. cap. 11. Ἀνδρὶ δὲ εὖ μάλα ἁρμόδιον ἀνυποδησία, πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο· *Viro maximè convenit, ut sit discalceatus, nisi ad militiam proficiscatur.* Nimirum τὸ ὑποδεδέσθαι *calceari*, ut ait, penè idem est, quod τὸ δεδέσθαι *vinciri*. Allusione captatâ in verbis, ac si *caligatum* dixeris posse pro *ligato* haberi.

Jam, ut constet clariùs non esse παράδοξον, quòd *Judaeorum* plurimos conjectamus in *Aegypto* fuisse excalceatos, tria hic observanda sunt. 1. *Aegyptum* esse in fervida plaga fere sub sidere *Cancri*, ac proinde ejus incolas posse calceis carere faciliùs. Ut hodieque non paucos *Afros*, sub eodem cum *Aegypto* parallelo, magnâ anni parte, nudis pedibus incedere nemo nescit. 2. *Judaeos* in *Aegypto* sub jugo miserae servitutis fuisse pressos, ac penè oppressos: in quo statu valde credibile est illis multa defuisse, quae ad vitam commodè degendam requisita sunt. 3. *Judaeorum* ἀνυποδησίας etiam in ipsa *Judaea*, rebus illorum maximè florentibus, vestigia superfuisse. Quod pluribus exemplis constaret, si sequeremur Interpretes. Sic enim de *Samaria* habet *Graeca* versio *Mich.* 1. v. 8. Πορεύσεται ἀνυπόδητος, καὶ γυμνή, *Incedet discalceata, & nuda.* Ad quae verba *Cyrillus*, Ἡ δὲ γυμνότης, καὶ ἀνυποδησία, τοῦτ' ἔστιν αἰχμαλώτων σχῆμα δεικνύει· *Nuditas autem, & excalceatio, captivorum habitum significant.* Et de Rege *Achabo*, ad *Eliae* verba resipiscente, scribunt *Chaldaeus*, *Syrus*, & *Arabs*, 1. Reg. 21. v. 27. *Cum cilicio jacuit, & ivit discalceatus.* Sed neutrum exemplum est ad rem. Nam in primo persona mutata est, nec de *Samaria* dicit *Propheta*, sed de se ipso אֵלְכָה שׁוֹלָל וְעָרוֹם *Ibo spoliatus, & nudus*: nec de ἀνυποδησίᾳ ullum est verbum. In altero Rex *Achabus* non legitur ivisse discalceatus, quod esset יָחֵף *jacheph*; sed ivisse אַט *at*, id est, *leniter, sensim, pedetentim*, tanquam prae moerore languens. Quo eodem verbo *Jacobus* usus *Esavo* dicit Gen. 33. v. 14. אֶתְנָהֲלָה לְאִטִּי *Lentè progrediar*, nempe, ut ad greges, & pueros, quos secum habebat, gressum suum attemperaret. Et *Es.* 8. v. 6. *Aquae* Siloe *fluentes* לְאַט *sensim.* Fortasse ab illo אַט *at*, quod propriè *gressûs tarditatem*, & *lentitudinem* sonat אטא *atta*, primò *Punicè*, deinde etiam *Latinè* dictus est, qui propter crurum vitium nonnisi lentè incedit. *Festus*, Attae *appellantur, qui propter vitium crurum*, (t) *aut pedum plantis insistunt, & attingunt magis terram, quam ambulant: quod cognomen Quintio Poeta adhaesit.* Glossae, *Atta*, ὁ τοῖς ποσὶν ἀργόμενος περιπατεῖν.

(t) Festi hunc [illegible] per lum plane ut assilis.

Sed jam vera sequentur ἀνυποδησίας exempla, & ex *Hebraeo* textu petita. *David*, regno suo pulsus, à rebelli filio, (u) *ascendit montem* Olivarum *flens, & operto capite, & ibat* יָחֵף *discalceatus.* Es. 20. v. 2. *Esaias* jubetur ire עָרוֹם וְיָחֵף *nudus, & discalceatus*: ut similem *Chusaeis*, & *Aegyptiis* nuditatem, & discalceationem in triennium portenderet. *Ezech.* 24. v. 17. *Prophetam* lugere vetat DEUS propter ademptam uxorem, & calceos deponere, ùt fiebat in luctu. Quod *Judaei* cùm tanquam insolens mirarentur, quia tum aliter fiebat, praedicit ipsos quoque, liberis gladio sublatis, calceato pede mansuros, nec ullum luctûs signum edituros. In *Josepho* quoque (*De bello Judaico* lib. 2. cap. 15.) *Judaea* Gubernator *Florus*, narratur in *Judaeos* immanem in modum saevisse. Quorum miseria, Regis *Agrippae* soror, *Berenice* γυμνόπους πρὸ τοῦ βήματος ἱκετεύουσα τὸν Φλῶρον, *nudipes coram tribunali Florum deprecata est.* Hinc de eodem *Floro Hegesippus* lib. 2. cap. 8. *In conspectu* Beronices, *quae soror* Agrippae *Regis*, *ad templum religionis causâ venerat, acerbissimâ caede in populum desaeviebat: nec obsecrantem deferendum arbitratus, cum inservientem religioni nudis pedibus adstantem cerneret.* Nec alio referenda haec *Juvenalis Satyrâ* sextâ,

(u) Sam. 15. v. 30.

——— *deinde adamas notissimus, & Bernices*
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestae, dedit hunc Agrippa *sorori,*
Observant ubi festa mero pede Sabbata *Reges.*

Agitur enim de *Bernice*, *Agrippae* sorore, & ejus γυμνοποδία obiter perstringitur. Itaque nugatur vetus *Scholiastes*, qui *Agrippam Augusti* nepotem, & sororem ejus *Juliam* hic intelligit. Haec de *Judaeorum* ἀνυποδησία, quae cum in *Aegypto* minùs fuisset periculosa, iisdem, longum, asperum, & senticosum iter jam aggressuris, voluit DEUS de calceis prospici: ut qui amicum suum sic monet in *Theocriti Pastoribus.*

Εἰς ὄρος ὅκχ' ἕρπῃς, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο, Βάττε.

Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε, καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

In monte cùm ambulas, ne discalceatus eas, Batte: *in illo enim rubi, & aspalathi frondent.* Quin, ut religio quoque eos ad rei tam necessariae curam adigeret, sancit, ut nonnisi calceati *Pascha* manducarent. Neque passus est calceos, quos ad hoc solenne festum sibi comparaverant, per annos quadraginta deteri, *Deut.* 29. v. 5.

Porrò,

Porrò, an stantes ederint, vel sedentes, Lex disertè non dicit. Tamen stantes edisse multa suadent. 1. Neque enim sedisse credibile est, qui lumbis præcincti, calceati, baculis innixi, & ad iter instructi comedebant. 2. A *Philone* (in libro *De Sacrificio* Abelis & Caini) *Pascha* comedisse leguntur ἀνδρικῶς, καὶ πεπηγόσι τοῖς ποσί, *pedibus immobiliter & firmiter stantibus*. 3. Ad eundem ritum videntur alludere hæc *Apostoli* Ephes. 6. v. 15. Στῆτε οὖν· *State igitur lumbis veritate cincti*, &c. *Calceatis pedibus præparatione Evangelii pacis*.

Additur edendum esse בחפזון *in festinatione*; quia res maximè urgebat. Erant enim in procinctu, & illâ ipsa nocte ex Ægypto exituri. *Aquila* reddit ἐν θάμβῳ, *in pavore*; quia חפז alicubi *pavere*, & *trepidare* sonat. Sed prior interpretatio videtur præferenda; quia pavor non jubetur, neque percellit nisi invitos. Præterea quæ præcesserant de lumbis præcinctis, calceatis pedibus, & baculo in manu, festinationem quidem indicant, sed non pavorem. Denique cum hoc loco alia duo sunt conferenda. Unus *Deut.* 16. v. 3. ubi *Israelitæ* jubentur *azyma* comedere; *quia ex Ægypti terra egressi erant* בחפזון *in festinatione*, antequàm panis esset fermentatus. Alter *Es.* 52. v. 12. *Non exibitis* בחפזון *in festinatione*, *neque* ובמנוסה *in fuga*, id est, tanquam fugientes; *quia præiturus est vobis Deus*, & *in extremo agmine erit Deus* Israelis. Docet *Israelitas* è *Babylone* non exituros, quomodo ex *Ægypto* exierant properè, & fugientium in morem, sed pacatè, & quietè; quia Deus & primam & postremam aciem aget.

Cum *Paschali* agno duo comedenda præscribuntur; מצות *azyma*, מרורים *herbæ amaræ*. *Azyma* cur dicantur מצות, non constat. Falluntur enim viri docti, qui *a comprimendo* deducunt, quasi *Hebræum* מצץ id sonet. Quin *Hebræis*, *Chaldæis*, *Syris*, & *Arabibus* מצץ est *emungere*, *exsugere*, *exprimere*, non *comprimere*. Azyma autem ab exprimendo nullis ridiculis expresseris, nec extorseris. Et panis *azymus* non comprimitur, sed manet in naturali statu, cùm fermentatus intumescat. Sed aliud occurrit, nempe *Arabicum* مصاص iisdem Radicalibus; quod *Lexicographi* خالص exponunt, id est, *purum*, & *sincerum*. Itaque מצות propriè sunt *puri* & *sinceri panes*, & *ab omni fermento expurgati*, quod corruptionis esse genus voluerunt multi veteres. Hinc *Hieronymus* 1. *Cor.* 5. 6. & rursus *Gal.* 5. 9. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, ubi *Græcè* est ζυμοῖ *fermentat*. Et *Plutarchus* in *Romanis Quæstionibus* vult fermenti usum *Flamini Diali* fuisse interdictum; quia ἡ ζύμη, καὶ γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτή, καὶ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη, *fermentum*, *cùm ipsum fit ex corruptione natum*, *massæ admixtum illam corrumpit*. Et paulo post, ὅλως ἐστὶ σῆψις ἡ ζύμωσις, *atque omnino fermentatio videtur esse putrefactio*. *Sinceris* igitur jure vocatur *panis*, cui nihil fermenti est admixtum. Quò fortasse alludit *Gentium* Doctor ὁ ἀπόστολος, qui jubet, ut festum celebremus ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας, *in azymis sinceritatis*, 1. Cor 5. 8. Hunc panem putavit *Tacitus Judæis* fuisse perpetuum. *Raptarum*, inquit, *frugum argumentum*, *panis Judaicus nullo fermento detinetur*. Sed Lex illius usum non præscribit ultra septiduum, cujus initium vesperâ diei decimi quarti, finis vesperâ diei vigesimi primi mensis *Nisan*. Quin, si *Judæis* credimus, septem illis diebus fermentato pane vesci fuit nefas, sed *azymum* edere nonnisi primo fuit necessarium, sex reliquis liberum. Itaque pro *azymis* per sex illos dies אורז *oryzam* edere licuit, aut דוחן *panicum*, aut קליות *fruges tostas*, aut פירות *fructus*, quod ex *Maimonide* & *Selomone* rectè probat *Petavius* in *Epiphanium*, ad *Audianorum Hæresin* pag. 293. Semel quidem *Israelitæ azymos* panes per totum mensem comederunt, nempe in exitu ex *Ægypto*, a die decimo quinto primi mensis usque ad decimum quintum & decimum sextum mensis, quibus Deus illis largitus est *Mannam*, & coturnices, *Exod.* 16. v. 1. 13. &c. Sed necessitate id factum; quia in deserto nihil illis fuit, unde se toto illo mense sustentarent præter φυράματα, quod ex *Ægypto* infermentatum attulerant, quia præ festinatione expectare non licuerat donec fermentatum esset, *Exod.* 12. v. 39. Quod autem illo anno necessitate factum sequentibus repetierunt, ut Legi obsequerentur, in qua Deus, septem dies *azymos* indixisse contentus, de cætero concessit illis fermentati panis usum. Neque frustra id institutum. Sic enim illæ ex *Ægypto* liberationis memoriam quotannis refricabant, ne tanti beneficii sensum ex eorum animis ulla deleret ætas. E septem autem *azymorum* diebus cum medii quinque fuerint ἑορτώδεις, primum, & ultimum pro festis haberi voluit Deus; quia ùt primo ex tam dura servitute in libertatem asserti fuerant, ita septimo *Pharaonem* cum omnibus copiis suis mare *Erythræum* absorpserat. Proinde, cum maximi momenti fuerit illa Lex; ad ejus observationem omnes præcisè adstricti sunt. Et vetitum fuit per illos dies non solum fermentum comedere; sed & domi habere, idque sub gravi pœna, excisionis scilicet ex *Israele*. Unde multi concludunt id capitale fuisse crimen: quomodo *Sabbati* violatio, cujus quisquis erat reus, è medio populorum suorum excindebatur, *Exod.* 31. v. 14. id est, morti tradebatur, ut explicatur versu sequente. Nec pœna delicto gravior: nam eadem debebatur *Paschæ* reverentia, quæ circumcisioni. Circumcisionem autem qui rejecerat, excindebatur è populis suis; quia irritum fecerat Dei fœdus: *Gen.* 17. v. 14. Idem igitur de *Pascha* judicium, cujus contemptor cum signo rem etiam significatam, id est, ipsum DEI fœdus irritum fecisse censebatur. Ab hac pœna tamen excipit *Maimonides* hominum duo genera: 1. eos, qui בשגגה *per errorem*; 2. eos, qui פחות מכזית *minus, quam quantum olivam*, ex fermentato pane comederant. Quorum illis imponit sacrificium offerri solitum pro delicto per errorem admisso: hos autem cœdi vult (x) מכת מרדות *plagâ rebellionis*. Non memini me alibi legere quod in *Suida* habetur voce Ζύμη, ab hora sexta decimi quarti diei mensis, σάλπιγγος φωνῆς, *signo tubæ dato*, omnem panem fermentatum, si quis apud *Hebræos* reliquus fuisset, igne cremari, & penitùs absumi solitum. *Maimonides* quinque granorum species enumerat (y) quarum fermentum in *Paschate* vetitum, duas tritici, nempe החטה והכוסמת *triticum propriè dictum*, & *speltam*; & duas hordei, nempe השעורה ושבולת שועל והשיפון *hordeum propriè dictum*, *spicam vulpis*, & *siphonem*. *Spica vulpis* est avena, cujus spica caudam vulpis imitatur. Et *siphon* est αἰγίλωψ, qui alio nomine σίσυμ dicitur in *Auctario Dioscoridis*. Idem *Arabicè* est دوصر *dausar*. Addit *Maimonides*. *Oryza*, *panicum*, *fabæ*, *lentes*, & *similia nullum fermentum habent*. *Nam etiamsi depsatur farina oryzæ*, & *similium*, *in aquis ferventibus*, & *obtegatur vestibus ita*, *ut intumescat ut massa quæ fermentatur*, *tamen ejus esus concessus est*: *quia non est fermentum*, *sed putredo*. *Quin quinque granorum species*, *si solum depsantur in succo fructuum sine ullis aquis*, *nunquam fermentantur*; & *quamvis totâ die relinquantur*, *donec intumescat massa*, *licitus est illius esus*: *quia succi fructuum non fermentant*, *sed putrefaciunt*.

(x) De ferm. & azym. cap. 1. sect. 1. & 7.

(y) Ibid. cap. 5.

Herbæ amaræ, quas cum agno comedi voluit Deus, minùs notæ sunt. Paucis tamen conveniunt quinque notæ, quas dicturus sum, in iis requisitæ. 1. Ut sint amaræ: inde enim vocantur מרורים *merorim*, ab ama-

amaritudine facto nomine. Nam מרר marar, *amarum esse*; מרירי meriri, *amarum*; & מרורה merora, *fel* sonat. 2. Ut sint edules; quia illas cum agno edi oportuit. 3. Ut vernæ sint, & vere vigeant; quia edebantur mense primo, & secundo, qui verni erant, *Exod.* 12. v. 8. *Num.* 9. v. 11. 4. Ut in *Ægypto*, & *Judeâ*, & in vicino deserto reperiantur, in quibus locis *Pascha* celebratum est. 5. Ut sint obviæ, & in usu promiscuo: nam herbæ rariores, & δυσεύρετοι, nec facilè occurrissent, nec sufficere potuissent tantæ multitudini. Et has quidem *Hebræi* designant, sed iis nominibus, quæ intelligere non est cujusvis. In *Jonathanis* Paraphrasi, & anonymo *Cantici* Paraphraste, capitis secundi versu nono, solum censentur תמכא *thamca*, & עולשין *ulsin*: sed ab auctore *Misna* in *Pesachim* cap. 2. fol. 39. a. his adduntur חזרת *chazareth*; חרחבינא *charchabina*; & מרור *meror*. Unde *Maimonides* in libro *De ferm.* cap. 7. §. 13. מרורים האמורים בתורה הן החזרת והעולשין והתמכה והחרחבינה והמרור *Herba amara in Lege memorata sunt* chazareth, *&* ulsin, *&* thamca, *&* charchabina, *&* meror. Quæ herbarum quinque nomina si coner interpretari, erranti, ut spero, facilè ignoscetur, quia rem aggrediar nondum à quoquam attentatam.

Ut à facilioribus ordiar, חזרת *chazareth*, esse *lactucam* in confesso est. Et nomen maximè convenit lactucæ sessili, & capitatæ, cujus caput orbiculare est. Nam חזר *chazar*, est circuire; חזור chizur, *sphara*, חזורא chazora *tintinnabulum*; חזרר chizrar, *pomi species*; חזרא chizra, *carduus*, à figura capitis; חזרן chazran, *ambitus*; מחזור machzor, *cyclus*, aut *circulus*. Ergo חזרת *chazareth*, est propriè *lactuca capitata*, quam à pomi forma vulgus apud nos *pomatam* appellat. Nomine tamen à specie translato ad genus, sic dicitur lactuca quævis. Et in *Gemara* explicatur per Synonymum חסא *chassa*; quam vocem esse *Arabicam Hebræi* monent. *Arabibus* scilicet خس *chas* est *lactuca*. Quod ex Medicorum scriptis constat, ex *Avicenna* inprimis, & *Abenbitare*, ubi ad خس *chas* refertur quidquid habent de *lactuca Dioscorides* & *Galenus*. Et خس *chas* est à Verbo خسّ *chassa*, quod *ignobile*, *vile*, & *contemptum esse* sonat. Neque vero est absimile, *Arabes lactucam* indè appellâsse, quia olim fuit in maximo contemptu propter frigidam facultatem, quâ viros evirare credebatur, & ad Venerem inutiles reddere. Ac proinde εὐνοῦχον & ἀςυτίδα à *Pythagorais* dictam esse auctor est *Ibreus* ipse *Pythagoraus*, Plinius *Eunuchion* scribit, & *Astylida*, libri decimi noni capite octavo quorum posterius palàm corruptum est. Nam ἀςυτὶς cur dicatur, neminem doctorum latet: at ἀςυλὶς *Hesychio* aliud est, nempe φυτὸν, ὅθεν ὁ ἰξὸς, *herba*, *unde viscus*; cujus una species ςυλὶς in (z) *Theophrasto*. *Eubulus* quoque in Ἀςύτοις *lactucam* vocat νεκύων βρῶμα, *mortuorum cibum*. Unde *Amphis* in *Jalemo*,

(z) De Caus. lib. 2. cap. 23.

> Ἐν ταῖς θριδακίναις, ταῖς κακῶς ἀπολουμέναις,
> Ἃς εἰ φάγοι τις ἐντὸς ἑξήκοντ' ἐτῶν,
> Οὐ πώποτε γυναικὸς λαμβάνει κοινωνίαν.

Inter lactucas, qua pessime pereant, quas si quis edat nondum sexagenarius, is cum muliere consuetudinem nunquam habebit. Eodem referunt fabulam de amasio *Veneris*, *Adonide*, in lactuca latente, aut etiam ibi mortuo, tanquam ἀλληγοροῦντες τῶν ποιητῶν. ὅτι ἀδυνάτους ποιεῖ πρὸς Ἀφροδίσια ἡ συνεχὴς θριδακῶν χρῆσις, *Allegorizantibus Poetis, quia qui lactucis continuò utuntur, sunt ad Venerea impotentes.* Ità *Athenæus* libro secundo. Quo fortasse pertinet, quòd in *Cypro* lactuca βρένθις appellabatur. *Arabicè* scilicet برد *berd*, vel *bered*, est *frigus*, & ابردة ibreda, *morbus*. *quo quis ad Venerem frigidus, & impotens redditur.* Indè igitur à *Phœnicibus*, tum *Cypri* dominis, quorum lingua semi-Arabica fuit, *lactuca* ברדת *beredeth*, vel ברדתא *beredtha* dici potuit, & *Græcis* in *Cypro* βρένθις. Asserit *Casaubonus* (a) superstitiosam hanc opinionem adeò in animis hominum inveterâsse, ut *Romæ* etiam ad *Augustum* Principem multis esset religio vesci lactucis. Nempe id sibi velle videntur hæc *Plinii* ubi supra, *Divus certè* Augustus *lactucâ conservatus in ægritudine fertur prudentiâ* Musæ *Medici*, *cum priores eam ob religionem minimè commanducarent*; aut, ùt alii, *cum priores caverent, religione nunc omni caret*: & alii rursus, *cum priores eam minimè ob religionem manducarent.* Sed non dissimulabo hunc *Plinii* locum esse insigniter corruptum, & partim ex codicibus *Turnebi*, *Thuani*, *Rigaltii*, & *Chifletii*, partim ex nondum edito *Apuleii* libro *De remediis salutaribus*, à magno *Salmasio* (b) sic fuisse restitutum: *Divus certe* Augustus *lactucâ conservatus in ægritudine fertur prudentiâ* Musæ, *Medici*, *cum prioris* Camelii *religio nimia ei abnegaret.* Sensus est *Camelium* Medicum, quo *Augustus* ante *Musam* usus est, lactucarum esum ægrotanti *Augusto* negâsse: *Musæ* verò opera ex ancipiti valetudine convaluisse lactucæ usu. Itaque hæc ad rem non faciunt. Et verò lactucarum esum *Romæ* tum primùm incepisse mera fabula est. Notissimum illud *Martialis* libro decimo tertio,

a. In Athen. lib. 2. cap. 27.

(b) In Solinum pag. [illegible]

> *Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,*
> *Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes?*

Ex quo constat lactucas in *Romanis* mensis situm mutâsse, & à fine convivii in principium fuisse traductas; ùt ostrea, & echinos, & cruda omnia olera, de quibus ità *Plutarchus Sympos.* lib. 8. Quæst. 9. Αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι πρότερον, ὀστρέων, ἐχίνων, ὠμῶν λαχάνων, ὥσπερ ψιλὸν ἀπὸ τῆς οὐρᾶς ἐπὶ τὸ στόμα μεταχθεῖσαι, τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσι. *Quæ enim frigida mensæ prius vocabantur, ostreorum putà, echinorum, crudorum olerum, tanquam levis armatura militum, à caudâ ad os translata, primum pro ultimo ordinem obtinent.* Et facta videtur hæc mutatio *Augusti* ævo, quo priorum error deprehensus, de quo plura *Plutarchus*. *Augusto* enim æqualis *Horatius* cum errorem obiter sic tangit lib. 2. *Sat.* 4.

> ——— *nam lactuca innatat acri*
> *Post vinum stomacho.* ———

Itaque avi illi, quorum cœnas claudere solebat lactuca, *Augustum* præcesserunt. Quid? quòd in ipso *Plinio* legere est LACTUCINOS *in* Valeria *familia non puduisse appellari*, nempe à *lactucarum* cultu, ut *à cæpis* COEPIONES, *a fabis, pisis, lentibus, ciceribus*, FABIOS, PISONES, LENTULOS, CICERONES. Itaque anno Urbis conditæ CCXCVIII, id est, annis ferè quadringentis ante *Augustum* natum, *Romani* Consulem creaverunt cum *Sp. Virginio*, *Tricosto* Μάρκον Οὐαλέριον Λακτουκῖνον *Marcum Valerium Lactucam*. Is ità vocatur *Diodoro* libro duodecimo. Lactucarum igitur cultus *Romæ* jam tùm ità viguit, ut ab eorum studio cognomen desumpserit illustrissima familia. Vicissim inter lactucarum species idem *Plinius Cæcilianæ* meminit: *Purpuream*, inquit, *maximæ radicis* Cæcilianam *vocant*: nempe à *Cæcilio Metello*, quod docent hæc *Columella* in horto, ubi varia describit lactucarum genera,

> *Altera crebra viret, fusco nitet altera crine,*
> *Utraque* Cæcilii *de nomine dicta* Metelli.

Qui primo *Punico* bello *Romæ* Consul creatus anno Urbis conditæ DIII, annis circiter CCXX antequam imperaret *Augustus*. Unde prisca lactucarum apud *Romanos* nobilitas altero emergit argumento.

Sequens עולשין *ulsin*, variè reddunt, *intybum*, *charo-*

chærophyllum, *cicerbitam*, *sonchum*, *troximum*. Plerique tamen דינרבי *intuba*, de quibus *Poeta* famosus,

——— *& amaras intuba fibras.*

Quam versionem veram esse multa probant. Primò, *Gemara Hierosolymitana Talmudis* in *Pesachim*, ubi עולשין *ulsin*, explicantur טרוקסימון τρώξιμον. *Troximum* autem est *intubum*, *Græcè* Σέρις. Hinc *Didymus*, *Geoponicων*, lib. 12. cap. 28. Σέρις, τουτέστι τρώξιμα. *Intuba*, *id est*, *troxima*. Et ipsum caput inscribitur Περὶ σέρεως, καὶ τρωξίμων. *De intubo*, *& troximis*: quod additur ἰντύβης ἤτοι, ut in *Tralliano* passim, ἴντυβον. καὶ τρώξιμον. *Ætii* lib. 9. cap. 48. Ἀναλάμβανε χυλοὺ τρωξίμων, *Excipe succo intuborum*. Porrò τρώξιμον, id est, *edule*. Inter tot herbarum edulium species *intubum* sic vocatur; quia in acetariis crudum comeditur. Unde *Glossæ* à *Stephano* editæ pag. 12. *Acetaria*, τρώξιμα. Et pag. 256. *Escaria*, τρώξιμα. Et in vetusto *Salmasii* codice, τρώξιμα, *Scaria*. Hinc vernaculum *scariola* pro *intubo*. Proinde fallitur Vir magnus, qui *scariolam* dici vult, vel quasi *seriolam* ex *Græco* σέρις, vel quasi *serriolam*, quia folia ejus *instar serræ* pungunt. *Scariola* enim ex *scaria* factum, quod rursus pro *escaria* ab *esca*, & *esu*; ut τρώξιμον ἀπὸ τοῦ τρώγειν. *Chaldæum* etiam עולשין *ulsin*, similem habet originem. Nam *Arabicè* علس *alasa* Verbum est *edere*; Nomen علس *als*, vel *alson*, *cibus*, علاس *eulas*, vel علوس *alus*, *edule*. Neque dubium, quin עלש *alas*, *Chaldæis* idem fuerit, quod *Arabibus* علس *alasa*, unde Nominis עולשין *ulsin*, vera est origo. In *Gemara* leguntur עולשין *ulsin*, duarum esse specierum, עולשי שדה ועולשי גינה *ulsin agri*, *& ulsin horti*. Et additur, וחזרת עולשי גינה *ulsin horti esse lactucam*: non quòd verè lactuca sint, sed quod lactucæ sint similes. Hinc *Dioscorides* σέρις ἡμερος ἐοικυῖα θριδακίνῃ, καὶ πλατύφυλλος, *intubum sativum lactucæ similius est*, *& latifolium*.

Jam dicemus quid sit מרור *meror*. Hujus Plurale מרורים *merorim*, videtur esse generale nomen ad omnes herbas amaras, quarum in *Paschate* usus fuit. Sed Singulare מרור *meror*, ad certam speciem restringi, ut *Græcum* πικρὶς etiam *ab amaritudine* factum. Videndum igitur quid propriè sit πικρὶς, ut eâdem operâ discamus quid sit מרור *meror*. Πικρὶς aliquando sumitur pro lactucæ specie, quæ reliquis est amarior. Ità *Plinii* lib. 19. cap. 8. *Pessimum autem lactucæ genus cum exprobratione amaritudinis appellavère picrida*. Et lib. 8. cap. 27. *Draco vernam nauseam sylvestris lactucæ succo restinguit*. *Sylvestris lactucæ succo*, id est, *picridis succo*. Ita enim *Philosophus*, *Hist.* lib. 9. cap. 6. Ὁ δὲ δράκων ὅταν ἀπογεύσῃ, τὸν ὀπὸν τῆς πικρίδος ἐκροφεῖ. Neque aliter *Ælianus* lib. 6. cap. 4. Οἱ δράκοντες, ὅταν ὀπώρας μέλλωσι γεύσασθαι, τῆς πικρίδος καλουμένης ῥοφοῦσι τὸν ὀπόν. Hinc *Apulejus Herbarii* cap. 30. cui titulus *De lactuca sylvestri*. *Græci* θρίδαξ ἀγρία dicitur &c. *aliquibus* πικρίς. Quod sequutus *Hieronymus* in *Exodo*, & *Numeris*, *Græcum* ἐπὶ πικρίδων reddidit *cum lactucis agrestibus*. Sed & πικρὶς est *sylvestre intubum*. Dioscorides, Σέρις, ἀγρία καὶ ἡμερος· ὧν ἡ μὲν ἀγρία πικρὶς, ἡ καὶ κιχώρειον καλουμένη· *Intubum*, *vel sylvestre*, *vel sativum est*: *sylvestre est picris*, *quæ etiam cichorium dicitur*. *Ætio* utrumque intubum *cichorii* nomen habet, sed solùm agreste πικρὶς vocatur. Σέρις, inquit, ἡ κιχώρειον, ὑπόπικρόν ἐστι λάχανον, καὶ μᾶλλον τὸ ἄγριον, ὅπερ καὶ πικρὶς προσαγορεύεται, τινὲς δὲ καὶ κιχώρειον. *Intubum*, *sive cichorium*, *subamarum est olus*, *agreste inprimis*, *quod & picris dicitur*, *quibusdam etiam cichorium*. Suidas, Σέρρεις (lege Σέρις) εἶδος λαχάνου, τὰ παρ' ἡμῖν σέρικα (imo σέρικα) λεγόμενα· αἱ πικρίδες παρ' ἄλλοις, ἢ μᾶλλον, τὸ ἀληθέστερον εἰπεῖν, Μακεδονικά. *Seres* (intuba) *genus oleris*, *quod apud nos serica vocatur*, *ab aliis picrides*, *vel*, *ut veriùs dicamus*, *Macedonica* (à loco.) Et his omnibus longè antiquior *Theophrastus Hist.* lib. 7. cap. 11. ponit picridem inter τὰ κιχωριώδη. Horum enim species percurrens, Ὡσαύτως δὲ, ait, καὶ ἡ πικρὶς, καὶ γὰρ αὕτη τοῦ ἦρος ἀνθεῖ· *Similiter & picris*, *nam & ipsa vere floret*. Et paulò post, Τῇ γεύσει δὲ πικρά, διὸ καὶ τοὔνομα εἴληφε· *Gustu amara est*, *unde illi nomen*. Unde *Plinius* lib. 21. cap. 17. *Amara aphace*, *& quæ picris nominatur*, *& ipsa toto anno florens*: *nomen ei amaritudo imposuit*. Itaque tam in intubis, quàm in lactucis, quæ est reliquis amarior, *picris* vocatur. Nisi quis *lactucæ sylvestris*, & *intubi sylvestris* nomine velit unum idémque significari. Quâ mente videri possit hæc scripsisse *Neophytus*, Σέρις τὸ κιχώρειον ἤτοι τὸ ἄγριον μαρούλιον, ὃ καὶ πικρομάρουλον λέγεται, καὶ πικρίς· *Seris* (intubum) *cichorium*, *aut lactuca sylvestris*, *quæ & picromarulum* (amara lactuca) *dicitur*, *& picris*. Μαρούλιον, vel μαρούλιον, pro *lactuca* vox est *Græciæ* recentioris, deflexa ex μαϊούλιον, quomodo *lactucas* vocaverat superior ætas, quia *Majo* maximè vigent. *Hesychius*, Θριδακῖναι, &c. αἱ παρ' ἡμῖν θρίδακες, ἤτοι μαϊούλια. *Suidas*, Θριδακίνη, τὸ παρ' ἡμῖν μαϊούλιον. *Etymologus*. Θριδακίνη, τὸ μαϊούλιον. At posteriores μαρούλια dixerunt. *Symeon Sethi*, Μαρούλια, ἃ καὶ θριδακῖναι καλοῦνται. Et *Nicomedes Jatro-sophista* in *Lexico*, Ἀδωνία, θρίδαξ, ὅπερ μαρούλιον. Jam apparet quid sit πικρὶς, & מרור *meror*. id ipsum est. Itaque, cùm חזרת *chazareth*, propriè *lactucam sativam* sonet, & עולשין *ulsin*, *sativa intuba*. מרור *meror* (ut *Græcum* πικρὶς) ab utroque in eo differt, quod nonnisi *sylvestrem lactucam* significat, aut verò *sylvestre intubum*. Ea enim sic vocantur speciali nomine ratione amaritudinis, quæ in illis major, quàm in sativis. Quibus illustrandis ista conferent, ex *Abenbitare* petita, مرورية هو صنف من الهندبا البري شديد المرارة وفي الكتاب الحاوي المرورية صنف من الخس له مرارة ويسيل منه لبن Meruria *est intubi sylvestris species maximè amari*. *In libro* Alhavi (id est, *aggregatoris*, cujus auctor *Serapio*) meru*ria est lactucæ species*, *in qua est amaritudo*, *& unde fluit lac*. Vides lector ab *Hebræo* מרור *meror*, factum *Arabicum* مرورية *meruria*, illa duo significare, quæ diximus; 1. *sylvestre intubum* valde amarum: 2. *lactucam amaram*, & *lacte fluentem*, quæ sunt lactucæ sylvestris notæ. De eo enim *Dioscorides*, Πικρὰ δὲ πρὸς τὴν γεῦσιν ὑπάρχει, ἔοικε δὲ κατὰ πᾶσαν τὴν δύναμιν μήκωνι· ὅθεν καὶ τὸν ὀπὸν αὐτῆς ἔνιοι μίσγουσι τῷ μηκωνίῳ. *Gustu amara est*; *papaveri similes vires habet*: *ideoque lac ejus quidam papaveri miscent*. Et multò antè *Theophrastus* (*Hist.* lib. 7. cap. 4.) descripserat hoc lactucæ genus ὀπώδης σφόδρα, *lactiferum valde*: & capite sexto, Θριδακίνη *lactuca sylvestris* τὸν ὀπὸν ἔχει δριμὺν, καὶ φαρμακώδη, *succum acrem habet*, *& medicatum*. *Succum*, id est, *lac*, ut interpretes rectè accipiunt. Ità in *Plinio* lactucæ sylvestris species una est, *quæ* meconis *vocatur à copia lactis soporiferi*. Addit *olim in* Italia *hoc solum genus fuisse*, *& ideò* lactucæ *nomen adeptum*. Ità ex *Apuleii Herbario* ἀνεκδότῳ hæc citat *Salmasius*: *Lactuca alba* μηκωνὶς *vocatur à copia lactis soporiferi*. &c. *In* Italia *hoc solum genus fuit*, *& ideo a lacte* lactucæ *dicta*.

Nihil tam incertum, quàm quid sit תמכא *thamca*; quod *R. Selomo* exponit מרוביא *marrubium*; Baal Aruch קרדו *carduum*; Gemaristæ Hierosoly-

Hierosolymitani ג׳ינגיד, *gingidium*; ibidem alii סיב הנדרי סביבות הדקל, *muscum crescentem circa palmam*; *Judei* recentiores, & ex iis *Buxtorfius* in עולשין, *raphanum majorem*; nos ex conjectura *parthenium*, quod *sapore amaro* describit *Plinius*, & *Dioscorides* τῇ γεύσει πικρίζον, *Arabes* quoque في طعامة مرارة *in sapore ejus est amaritudo*. Vide *Avicennam*, & *Abenbitarem* in اقحوان *Ukhuen*; quomodo *parthenium* vocant *Arabes*. Idem ab *Afris*, seu *Pœnis*, *thamacath* dicebatur. Ità habetur in *Auctario Dioscoridis*, Παρθένιον, Ἄφροι θαμακάθ. Et in *Plinio*, *alii Tamnacum vocant*. Quæ ad תמכה *thamca*, palàm alludunt. Quin una parthenii species hodiéque in officinis vocatur *tanacetum* (Gallis *tanaisie*) quâ condiuntur artolagana. Plura vide in nostro *Phaleg* pag. 873.

Solum superest חרחבינן *charcabinin*, in cujus explicatione interpretes ferè obmutescunt. *Maimonides*, & *Bartenora*, post *Isaacum*, exponunt per *Arabicum* קרצינא vel קרצעינה. Id esset *eryngium*, quod *Arabicè* قرصنة *kersenna*, dicitur vel قرصعنة. Id me docuit *Abenbitar*, qui hùc refert quidquid de *eryngio* habent *Galenus* & *Dioscorides*. Idem ab *Hispanis* vocari dicit شويكة ابراهيم *Spinulam Abrahami*. Et *Abulabas* id se vidisse asserit propè *Hierosolymam*. *Dioscorides* herbam esse dicit τῶν ἀκανθωδῶν, ἧς ἐν ἀρχῇ τὰ φύλλα λαχανεύεται εἰς ἁλμαίας συντιθέμενα, *è spinosarum genere, cujus initio* (id est, primum nascentia) *folia sale condita olerum modo comeduntur*. Et ad eum scribit *Marcellus* pluribus in *Italia* locis melle servari radicem ejus, nec habere ingratum in cibis saporem. His igitur subscriberem libens, si quid amarum esset in eryngio, quod mihi nondum constat, cui non ignotum est eryngium. *Gemaristæ* videntur חרחבין *charchabin*, & חרחלין *charchalin*, pro eodem usurpare. Sed non constat quid sit חרחלין *charchalin*. Et in margine id solum habet *Glossa* לא אתפרש שמו *Non explicatur nomen ejus*. *Aruch Talmudis* locum de *charchabin* descripsisse contentus, nullam expositionem addit. Et *Pomarius* tantum esse dicit מין עשב או ירק, *herba, aut oleris genus*. Illis igitur palam est calculum hìc hærere. Aliquando suspicatus sum pro חרחבין *charchabin*, scribendum esse חרחכין, *carcachin*, id est, *Caph* pro *Beth*, quæ literæ sunt similimæ: & *Arabicè* قريصين *karitsin*, vel قريصون *karitsun* potiùs; ùt *urtica* significetur, cui *ab urendo* nomen, eò quòd *tactus ejus corpus adurat*. Ità habetur in *Isidoro*. Sic eadem esset ratio *Hebræi* nominis. *Hebræis* enim חרך *charac*, est *urere*, unde *urtica* diceretur חרחכין *charchacin*, per primæ geminationem: ut in *Gemara* voce חרחלין *charchalin*, pro חרולין *charulin*. Nam חרול *charul*, pro *urtica* occurrit *Job* 30. v. 7. & *Sophon.* 2. v. 9. Et Plurale חרולים *charulim*, Proverb. 24. v. 31. ubi *Chaldæus* חרלי. Cui conjecturæ robur videantur addere *Arabica urticæ* nomina حريق *chorraik*, & قريص *korraits*: quorum priùs *ab urendo* factum, ut *Latinum* urtica; & posterius *à vellicando*, ùt *Græcum* κνίδη. *Arabibus* enim حرق *charaka* est *urere*, ùt *Hebræis* חרך *charac*; & قرص *karatsa* est *vellicare*, ùt *Græcis* κνίζειν: & *urtica* ab illo حريق *chorraik*, ab hoc قريص *korraits* dicta est. Cujus Plurale Genitivum قريصين *karitsin* maximè accedit, ad illud קרצינה, quo חרחבין explicari video.

Urticam porrò in cibis adhiberi, non solùm in extrema fame, quòd docet *Procopius* libro tertio *Gothicorum*; aut in morborum remedia, quod Medici sæpe præscribunt, sed & in quotidianum usum hæc *Chrysippi* me docuerunt apud *Athenæum* libro quarto, Μὴ τὴν ἐλαίαν ἴσθι ἀκαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ. *Ne comede unquam olivam* (id est, optima quæq;) *si urticam habeas hyemis tempore*. Et *Horatium* ad *Iccium*, Epistolâ duodecimâ.

Si fortè in medio positorum abstemius herbis
Vivis, & urtica. ———

Amaram denique esse urticam ex *Plinio* colligere est, à quo urticæ tribuitur *amaritudo mordax* libri vigesimi primi capite decimo tertio. Fateor tamen ipsi mihi hæc non satisfacere, & si quid afferatur melius me libenter amplexurum.

Ad *Misna* locum de *Paschalibus* herbis cum agno comedi solitis *Gemaristæ* nonnullas alias de suo interciunt: in quibus הירדופנין *hirdophnin*, non tam herba, quam arbustum est. Nam הירדופנין *hirdophnin*, est *rhododaphne*, vel *rhododendron*, quod miror *Lexicographos* non potuisse divinare, cùm præter nomen etiam plantæ descriptio, quam *Hebræi* nobis exhibent, maximè conveniat. In *Schemoth Rabba* capite quinquagesimo legitur *ad aquas crescere, florésque habere rosis similes, & folia, quæ bestiis sint venenum*. Ita etiam in *Jelammedenu* est אילן הנדרי על שפת הנהר ועושה פרחין דומין לשושנים והן מרין ביותר והוא סם המות של בהמה *Arbustum est crescens ad oras amnium, floribus liliorum instar, valde amaris, quæque bestiis sunt lethifera*. Ità citat *Baal Aruch*, & addit *Hispanorum* nonnullos vocare סנגיגו *Sangiago*. In *Cholin* cap. 3. fol. 58. b. ad *Misna* verba ושאכלה הרדופני, *& quæ comedit hirdophnen*, notant *Rambam*, & *Bartenora*, *hirdophnen* bestiis esse lethiferam, sed homini nihil nocere. Quæ de rhododaphne dici qui non videt nihil videt. Illam enim τόποις παραποταμίοις, secus *amnes crescere* observat *Dioscorides*, & *habere* τὸ ἄνθος ῥοδοειδές: quod ex ipso nomine constat. Is proinde flos, si credimus, *Apuleio* propè imposuit, qui, in asinum mutatus, cùm, rosas quærens, quarum esu pristinam formam recuperaret, in rhododendri flores incidisset, illud venenum rosarium sumere gestiebat, quod fuisset illi lethale. Hinc *Lucianus* in *Lucio*, de hoc eodem arbusto, Κακὸν ἄριστον, inquit, ὄνῳ τούτῳ (lege τοῦτο) καὶ ἵππῳ· φασὶ γὰρ τὸν φάγοντα ἀποθνήσκειν αὐτίκα. *Malum hoc est prandium omni asino, & equo; ajunt enim eo vescentem illico mori*. Itaque *Arabes* non solùm دفلي *diphla* vocant, nomine ex *daphne* deflexo; sed & سم الحمار *semolhimari*, id est, *venenum asini*. Abenbitar, سم الحمار هو الدفلي *semolhimari* (id est *venenum asini*) *est diphla*, seu *rhododaphne*. Rescribe igitur in *Glossario*, *Herba asinaria*, ῥοδοδάφνη, pro eo, quod nullo sensu legitur, *Herba sinaria*, &c. *Strabo* libro decimoquinto in *Ariana* docet multa *Alexandri* jumenta hujus plantæ esu periisse: Ἦν δέ τι ὅμοιον τῇ δάφνῃ φυτὸν, inquit, οὗ τὸ γευσάμενον τῶν ὑποζυγίων ἀπέθνησκε, μετὰ ἐπιληψίας, καὶ ἀφροῦ. *Planta erat lauro similis, qua gustatâ jumenta comitiali morbo correpta, & spumantia, moriebantur*. Quanquam non solis jumentis, sed & pecori sit mortifera. *Dioscorides*, Δύναμιν δὲ ἔχει τὸ ἄνθος, καὶ τὰ φύλλα, κυνῶν μὲν, καὶ ἡμιόνων, καὶ ὄνων, καὶ τῶν πλείστων τετραπόδων ζώων φθαρτικήν. *Flos, & folia vim habent canibus, mulis, & quadrupedum plerisque letiferam*. Et infrà τὰ δὲ ἀσθενέστερα τῶν ζώων, ὡς αἶγες, καὶ πρόβατα, ἐπὰν τὸ ἀπόβρεγμα αὐτῶν πίῃ, ἀποθνήσκει. *Infirmiores bestiæ, ut capræ, & oves poto tantùm eorum diluto, moriuntur*. Quæ ita contrahit *Plinius* lib. 16. cap. 20. *Jumentis, caprisque & ovibus venenum est*. Quod ùt à primi hominis labe

labe derivet *Prudentius* in *Hamartigenia*; cicutam ante peccatum & rhododaphnen innoxias fuisse his verbis docet,

Cùm prius innocuas tulerit Natura cicutas,
Roscidus & viridem qui vestit flos rhododaphnem
Pabula lascivis dederit sincera capellis.

Sed in hac planta veteres id mirantur inprimis (quàm verè jam non quærimus) quod quæ bestiis venenum est, non modò homini non nocet, sed & plurimum prodest. Ità *Dioscorides* vim ejus esse dicit quadrupedibus quidem perniciosam, ἀνθρώποις δὲ σωτήριον πρὸς δήγματα θηρίων, *sed hominibus salutarem contra venenatorum morsus*. Et *Plinius* lib. 24. cap. 11. *Mirum, folia ejus quadrupedum venenum esse, homini verò contra serpentes præsidium.* Quibus similia habet *Isidorus* de *rodandaro*, sic enim *rhododendrum* corruptè vocat *Orig.* l. 17. c. 7. Jam igitur nulli non patet *Hebræorū hirdophnin* esse veterū *rhododaphnen*: sed hoc *Hebræis* peculiare est, quod hujus arbusti ramo in aquas *Maræ* injecto volunt eas edulcuisse. *Jonath.* in *Paraph. Exod.* 15, 25. וצלי קדם יי ואחוי ליה יי אילן מריר ארדפני וכתב עלוי שמא רבא ויקירא וטלק לגו מיא ואתחלין מיא *Et oravit* Moses *coram Domino, qui indicavit illi arborem amaram* nempe *ardophnen*, *cui inscripsit* (Dei) *nomen magnum, & pretiosum, eâque in aquas projectâ, illæ statim dulces factæ sunt.* Miraculum scilicet ut esset illustrius, Deum contrariis mediis usum esse sibi fingunt, & amari ligni injectione amaras aquas edulcavisse. Cur agnum oportuerit cum herbis amaris comedi, & quid illæ significaverint, infra dicetur.

In ritibus, qui supersunt, vix quidquam est, quod nos detineat; Quod dicitur *Exod.* 12, 46. *Os in illo ne confringatis*; & repetitur *Num.* 9, 12. *Os in eo non confringent*, ubi de *Paschate* secundi mensis, *Judæi* non intelligunt de minusculis ossibus. *Maimonides, Pasch.* cap. 10. sect. 3. *Rei non sunt nisi propter fractionem ossis, quod carnem super se habet quantum olivam, aut in quo est medulla. Sed, si medulla caret, aut carnis habet olivâ minus, reus non est, qui illud fregit.* Et sectione septima, *Qui frangit os candæ non vapulat; quia ad esum apta non est.* Sed ad generalem Dei Legem, nostrum non est quidquam excipere. Itaque ad agni ossa potuit transferri quod in alio argumento dicit *David, Psal.* 34, 20. *Omnia ossa ejus servat* (Deus) *ne unum quidem frangitur.* Et ipse *Maimonides* scribit, ubi suprà sectione nona, שאחר השובר עצם קשה או עצם רך *Idem esse, si quis durum os, aut tenerum confringat*; id est, reatum utrobique parem esse. Videri poterat ea Lex ad id pertinuisse, quod raptim edere jussi fuerant. Neque enim qui properant, in enedullandis ossibus tempus terunt, quâ ferè de causa franguntur. Sed & in ea Lege latebat mysterium, de quo *Johannes*.

Ecce aliam Legem *Exod.* 12, 10. *Ne relinquite quidquam ex ea* (id est, ex agni carne) *usque ad matutinum tempus, sed si quid reliquum erit comburite.* Cujusmodi fuêre Leges in omnibus sacris conviviis. Sic de *Manna* dicitur *Exod.* 16, 19. *Nemo ex ea quidquam relinquat usque in crastinum.* Et de sacrificio Eucharistico *Levit.* 22, 30. *Eodem die illud comedetis, nec ex eo quidquam reliquum facietis ad usque manè.* Ita etiam *Levit.* 7, 15. Sed versibus decimo sexto, & decimo septimo, excipitur votivi & voluntarii sacrificii caro, quæ poterat in posterum diem servari: at in tertiam diem quod supererat, comburebatur. Tale quid *Romæ* observatum *Macrobius* narrat his verbis *Saturnalium* lib. 2. cap. 2. *Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur* Protervia. *In eo mos erat, ut, si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc* Catonis *jocus est. Namque* Albidium *quemdam, qui sua bona comedisset; & novissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset,* "Proterviam *fecisse dicebat, quod comesse non potuerit, id combussisse.* Nec solum in sacris conviviis, sed in privatis quoque veteres pridianas dapes aspernabantur. Unde ἕωλον, id est, τὸ εἰς τὴν ἕω λειπόμενον, *quod in Auroram usque relinquitur*. *Suidæ* idem est, quod ψυχρὸν, μάταιον, ἀνωφελὲς, ἀνίσχυρον, *frigidum, vanum, inutile, invalidum*: Metaphora sumpta à cibis, qui in crastinum servantur. His porro legibus sacris cibis consultum voluit Deus, ut ne corrumperentur, nec in profanos usus cederent. In agno inprimis cavendum fuit, ne aut ejus λείψανα discessuros *Israelitas* onerarent, si auferrentur, aut *Ægyptiis* essent ludibrio, vel canibus prædæ, si domi relinquerentur. Fortasse etiam hæ reliquiæ ab *Israelitis* servatæ cessissent in objectum idololatriæ, quomodo serpens æneus: cum Deus per agnum non minus miraculum patrâsset, quàm per serpentem. His igitur incommodis non potuit aliter melius prospici, quam agni reliquiis, id est, carne, pelle, & ossibus, igne consumptis.

Et versu vigesimo secundo, *Nullus vestrum exeat è foribus domus suæ usque manè.* Ne in percussorem Angelum incidat, qui quidem potuisset etiam extra ædes *Israelitas* dignoscere: sed ut doceret eorum salutem in eo esse sitam, ut se continerent veluti sub custodia sanguinis agni qui effusus fuerat, ne eorum sanguis effunderetur. Quod salutis suæ sacramentum si rejecissent, hoc ipso, gratia quoque, illo signo significata, indignos se reddidissent. Sic, grassante diluvio, *Noacho*, & suis nulla salus fuit, nisi in arca inclusis. Neque familiæ *Raab* in *Jerichuntis* excidio præterquam in domo, ex qua pendebat funiculus coccineus; cui respondet hic agni sanguis. Proinde huc videtur alludi *Es.* 26, 20. ubi populum suum Deus jubet, ut in conclavia sua ingrediatur, & foribus occlusis ibi latitet donec præterierit indignatio.

Et versu quadragesimo sexto, *In unâ domo edatur, nec de carne ejus quidquam effer ex domo.* Hæc ex præcedentibus videbuntur necessariò consequi. Neque enim agni caro potuit è domo efferri illa nocte, quâ stare in domo jussi sunt, & totum agnum vel esu, vel igne consumere, antequam oriretur dies. Sed hic *domus* nomine *Judæi* חבורה, id est, τὴν φρατρίαν, *contuberninm* intelligunt. Ità ut quisquis uni alicui contubernio se addixit, ex illo non possit ad alterum se conferre, quamvis sit in eadem domo, priusquam agni sui carnes viderit planè consumptas. Mihi videtur hæc lex jungenda cum versu quarto, in quo familiæ minores, quam ut totum agnum comedere possint, jubentur cum vicina societatem inire. Hic autem, ne quis putet agnum posse dimidiari, ita ut ad absentem familiam pars una deferri possit; Lex monet, ut, duabus familiis in unam coëuntibus, agnus in domo una edatur, nec ex ejus carne quidquam efferatur. Quia non potuit dividi victima tam salutaris, nec nisi integer agnus in unaquaque domo potuit domesticos imminenti cladi eripere.

Sunt & alii *Paschalis* ritus, quos invexit superstitio: sed eos referre sat habuimus, qui in Lege præscribuntur. In quibus id notandum; horum alios fuisse perpetuos; ut agni immolationem, assationem, manducationem cum azymis & herbis amaris, absque ulla ossium fractione, &c. alios semel tantum, neque alibi, quàm in *Ægypto* observatos. Quod his verbis agnovit *Maimonis* filius in fine libri *De Paschate*; שלקיחת הפסח מבעשור ושהיא טעון הגעת דם באגודת אזוב למשקוף ולשתי המזוזות ושיאכל בחפזון אין הדברים נוהגות לדורות ולא נעשו אלא בפסח מצרים בלבד *Quod decima die sumendus* Paschalis *agnus, & aspergendus sanguis ejus hyssopi fasciculo in superliminare, & duos postes, & raptim comedendus, non sunt res usurpatæ* (sequentibus) *generationibus, neque enim facta sunt, nisi in Ægypti* Paschate *solum.* Id ut distinctius percipiatur, primò

cum *Maimonide* non putamus extra *Ægyptum*, & in *Judæa* necesse fuisse, ut agnus, die decima quarta mactandus, decima seponeretur, id est, quatriduo ante tempus mactationis. Id enim in *Ægypto* fieri voluit Deus, ne inter infensos populos, quales erant plerique *Ægyptii*, agnos non facilè reperirent, si nonnisi extremo tempore iis quærendis incumberent. At in *Judæa* non fuit, cur id timeretur, cum in id conspiraverit tota gens, ut huic sacrificio nihil deesset. Nec iis, qui è remotis *Judææ* partibus in urbem se conferebant, facile fuisset tanto ante festum sibi de agno prospicere. Plerisque enim *Jerosolymam* venire moris non erat, nisi festi παρασκευῇ, aut ad summum προπαρασκευῇ. Itaque tum demum agnos ab iis comparabant, qui boves, oves, & columbas in Templo venum exponebant, cum *Judæorum Pascha* instabat, *Joh.* 2, 13. 14. Proinde *Josephus*, pro Lege *Mosis* sui ævi morem respiciens, *Judæos* in *Ægypto* scribit *Paschales* victimas præparâsse τῇ τρισκαιδεκάτῃ τοῦ Ξανθικοῦ μηνὸς εἰς τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην, *decima tertia* Xanthici *mensis in decimam quartam*. Secundò, in sola *Ægypto* ædium superliminaria, & postes agni sanguine fuisse aspersos credimus. 1. Quia Deus, hoc jubens, eam addit mandati sui rationem, quæ solam *Ægyptum* respicit, *Exod.* 12, 12. 13. *Transibo per terram Ægypti eaipsa nocte, & percutiam omnem primogenitum in terra Ægypti, &c. Erit autem sanguis ille pro vobis in signum super illas domos, in quibus eritis, ut sanguinem illum videns vos prætercam.* 2. Ex 2. *Paral.* 30, 15. 16. & 35, 5. 6. 10. 11. docemur in *Judæa Paschales* agnos in atrio Templi fuisse cæsos, ibique effusum eorum sanguinem. Neque apparet in privatas domos fuisse delatam ullam hujus sanguinis partem, qua postes ædium aspergerentur. Tertio, id etiam *Judæis* in *Ægypto* videtur fuisse peculiare, quod accincti, & calceati, cum baculis in manu, & raptim, *Pascha* comederunt, tanquam iter longum, & operosum, post paucas horas, in hostili terra suscepturi. Quo emenso, quietos, non jam accinctos, sed discinctos; nec stantes, sed sedentes; nec raptim, sed lentè, & pacatè comedisse, verisimile est. Ita *Christus* non solum sedens, sed &, more *Romano*, cum Discipulis discumbens, in triclinio ἐστρωμένῳ *Pascha* ultimum celebravit. Proinde in illorum censu, quibus differt nox *Paschatis* à reliquis noctibus, *Judæi* hoc quoque observant, בכל הלילות אנו אוכלים ושותים בין יושבים ובין מסובים והלילה הזה כלנו מסובים *In omnibus aliis noctibus edentes, & bibentes, vel sedemus, vel discumbimus: Hac autem nocte omnes discumbimus.* Objiciuntur hæc *Chrysostomi* de *Judæis*, *Homilia* vigesima tertia in Epistolam ad *Ephesios*; *Ideò nunc præcincti, & calceati vescuntur, ut rogati dicant, Quoniam ad iter faciendum eramus parati.* Et cum respondetur de prima illa actione, ut de re præsenti, loqui, cum dicit, NUNC *præcincti, & calceati*, Sed addi potest voculam NUNC, quâ potissimum nititur objectio, in *Græco* textu non legi, sed hoc solum, Διὰ τοῦτο γὰρ ἐζωσμένοι, καὶ ὑποδεδεμένοι ἐσθίουσιν, &c. Quarto, nonnisi in *Ægypto Judæi* tota nocte ex ædibus egredi prohibiti sunt, ne scilicet inciderent in Angelum à Deo missum, ut *Ægyptiorum* primogenitos percuteret. Itaque id in *Judæa* non fuit observatum. Quod patet exemplo *Christi*, & *Apostolorum*. Ii enim illa ipsa nocte, qua *Pascha* celebraverant, in montem *Oliveti* se contulerunt, *Matth.* 26, 30.

VII. MYSTERIUM.

Superest, ut breviter doceamus quo tantus ceremoniarum apparatus collimaverit. Et in genere id certum est, duo beneficia his fuisse adumbrata. Unum temporarium, & genti *Judaicæ* peculiare, nempe liberationem non solum ex *Ægyptiaca* servitute, sed & à plagis in *Ægyptios* inflictis; maximè, qua nocte Angelus percussit eorum primogenitos. 2. Alterum æternum, & omnibus verè credentibus commune; nempe liberationem à peccato, morte, & inferis, per Dominum nostrum *Jesum Christum*. Herbæ amaræ, cum agno comedendæ, vitam amaram significabant, quam in *Ægypto* egerant. Prout *Hebræis amara* dicuntur *quæcunque animum graviter angunt*. Ità *Esau*, cum scivit se à paterna benedictione per *Jacobi* artes excidisse, clamâsse legitur *clamore magno, & amaro valde*, Gen. 37, 34. Dicitur etiam de *Josepho*, qui, à fratribus divenditus, gravia multa in *Ægypto* pertulerat; *Amaritudine affecerunt eum*, Gen. 49, 23. Et *Ruth.* 1, 20. dicit *Noema*; *Ne vocetis me* Noemi (id est, *amœnam*;) *sed vocate me* Mara (id est, *amaram*:) *quia me Omnipotens amaritudine replevit.* Sed hujus locutionis exempla alibi quærere necesse non est, cum de *Israëlitis* in *Ægypto* dicatur *Exod.* 1, 14. *Amaram fecerunt vitam eorum servitute durâ in luto, & lateribus*, &c. Ita ut exclamare meritò potuerint, ut in *Babylonica* captivitate, *Thren.* 3, 15. se amaritudine fuisse satiatos, & absinthio inebriatos. Quoties igitur *Paschatis* festo vescebantur intubis, & lactucis sylvestribus, quibus vix quidquam est amarius, toties in animum revocabant acerba illa tempora suæ in *Ægypto* servitutis. Quod testabantur his verbis apud *Maimonidem*, *De Paschate* cap. 8. sect. 4. מרור זה שאנו אוכלים על שם שמררו המצרים את חיי אבותינו שנא׳ וימררו את חייהם *Amarum istud comedimus, quia amaritudine affecerunt Ægyptii vitam patrum nostrorum in Ægypto, prout dicitur* Exod. 1, 14. " *Et amaritudine affecerunt vitam ipsorum.* Panis quoque *azymus*, qui palato parùm gratus est, eodem fine comedebatur. Proinde pater-familias, ejus κλάσματα domesticis distribuens hæc verba proferebat הא לחמא עניא די אכלו אבהתנא בארעא דמצרים *Hic est panis miseriæ, quem comederunt patres nostri in terra Ægypti.* Sic nempe vocatur ab ipso *Mose* Deut 16, 3. *Septem*, inquit, *diebus comedes cum eo* (Paschate) מצות לחם עני *azyma, panem miseriæ.* Hæc proinde non apponunt, nisi frustulatim divisa; quia pauperibus frusta panis dantur, non panes integri. *Maimonides* ubi supra, sectione sexta, מפני מה אינו מברך על שתי ככרות כשאר ימים טובים משום שנאמר לחם עוני מה דרכו של עני בפרוסה אף כאן בפרוסה *Cur non recitat benedictionem super duobus panibus* (integris) *ut reliquis diebus festis? Quia vocatur* Deut. 16, 3. *Panis miseriæ,* (aut *paupertatis*) *Pauperis autem consuetudo quænam est? frustis panis* (donari) *Ita hic frustis panis* (supple *utimur*) Plerique alii ritus *Israëlitis* significabant, ut, ad libertatem à Deo vocati, quam citissimè possent, ex hac servitute se eriperent. Ideò enim stantes, & accincti, & calceati, & baculis innixi, & raptim comedere jussi sunt, tanquam illo ipso momento discessuri. Nec elixo cibo, sed asso vesci; quia sic parabilior est. Et *azymis* panibus, ne discedendi occasio è manibus elaberetur, si tantillas moras necterent, dum massa fermentaretur. Et ipsum nomen *Paschatis*, quo *præteritionem* significari diximus, monebat Angelum suas domos intactas præteriisse, qua nocte in *Ægyptios* ita grassatus est, ut eorum nulla domus à cæde esset immunis, *Exod.* 12, 30. Tamen, quia muta signa per verbum explicari necesse est, liberis rogantibus quid hic cultus significaret, respondere jubentur, *Hoc sacrificium* Paschæ *Domino, qui transiens præter domos* Israelitarum *in* Ægypto, *tum, cum percussit* Ægyptios, *domos nostras liberavit*, Exod. 12, 27. Sed hæc obiter attigisse sufficiat, ut ad alia transeamus, quę sunt majoris momenti, & magis ad nos pertinent. Docendū enim est, hoc ipso ritu significari nos ab æterna morte per *Christi* sanguinem esse redemptos. Quod ut fiat accuratius, probabimus hoc sacramento quatuor hæc nobis depingi, & quasi ob oculos poni;

1. Ipsam

1. Ipsam *Christi* personam; 2. Mortem, quam in cruce passus est; 3. Mortis fructus; 4. Quomodo illorum fiamus participes.

Primò enim *Christi* personam sub agni typo nobis exhibent *Prophetæ*, & *Apostoli*. In illis scilicet *Esaias* ita de *Christo*, (*a*) *Sicut agnus ad occisionem ducetur.* Et *Jeremias*, de se ipso sub *Christi* persona loquens, (*b*) *Ego eram ut agnus mansuetus, qui ducitur ad mactationem.* Ut, in his, *Petrus* nos redemptos fuisse scribit (*c*) *agni pretioso sanguine.* Et *Johannes* passim *agni* meminit (d) *qui occisus fuerat, & nunc in solio sedet, & coram quo procidunt quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores.* Cujusmodi loca in libro *Revelationum* ferè triginta reperias. *Philippus* (*e*) quoque ad *Christum* refert quæcunque de agno habet *Esaias.* Et, qui inter *Prophetas* & *Apostolos* medius fuit, *Christi* præcursor, digito in *Christum* intento, dixit, (*f*) *Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* *Christus* nempe agnus fuit mansuetudine, & humilitate. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth. 11, 29. Et morum simplicitate, *Neque enim inventus est dolus in ore ejus*, 1. Pet. 2, 22. Sed patientia imprimis *Christus* agnum se præstitit. Nam, *ut agnus, coram suo tonsore mutus, non aperuit os suum*, Act. 8, 32. *Non contendit, non litigavit, neque audiit quisquam vocem ejus in plateis*, Es. 42, 2. & Matth. 12, 19. *Conviciis lacessitus, non vicissim conviciabatur; cum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat causam suam Deo, qui justè judicat*; 1. Pet. 2, 23. Non quod esset expers virium; *data* enim illi fuerat *omnis potestas in cœlo, & in terra*, Matth. 28, 18. Et penes se habuit (*g*) *plusquam duodecim Angelorum legiones*, quorum unus facilè potuisset omnes *Christi* hostes dissipare, & pessumdare. *At non venerat, ut sibi ministraretur; sed ut ipse ministraret, daretque animam suam in redemptionis pretium pro multis*, Matth. 20, 28. Proinde *ipse se submisit, factus obediens ad mortem, mortem autem crucis.* Et leo tribus *Judæ*, mira metamorphosi, ex leone factus est agnus. Sicque ænigma *Samsonis* in *Christo* impletum est: & *ex edente exivit cibus, & ex acri dulcedo*, Jud. 14, 14. Idem ille agnus carne sua nos alit: sanguine potat, lavat, redimit: lana denique sua induit! Proinde *Christum induere* dicimur *Rom.* 13, 14. & *Gal.* 3, 27. Et *vestes albas ab eo accipere, quibus nuditatis nostræ dedecus obtegatur*, Apoc. 3, 18. Quocirca, diu ante *Pascha* institutum, aries, pro *Isaaco* immolatus, *Genes.* 22, 13. non obscura fuit *Christi* figura. Et juge illud sacrificium, quo agni duo in dies offerebantur, unus manè, alter vesperi, *Exod.* 29, 38. *Israëlitis* significabat victimam æternæ virtutis à *Christo* pro nobis offerendam. Quod sacrificii genus à *Christo* semper oblatum est, donec id morte sua *Christus* aboleverit, ut prædixerat *Daniel* capitis noni versibus 26, 27. Quia corpori umbras, & veritati typos cedere necesse fuit. Sed in agno *Paschali* hoc ipsum apparuit multò expressius, ut sequentia palàm facient.

a) Es. 53, 7.
b) Jerem. 11, 19.
c) 1. Pet. 1, 18. 19.
d) Apoc. 5, 6. 7. 8. 12. &c.
e) Act. 8, 32.
f) Joh. 1, 29. 36.
g) Matth. 26, 53.

Nam, ut agnus è grege sumptus est, *Exod.* 12, 3. ità *Christus* ex fratribus suis, *Deut.* 18, 15. Æquè *particeps carnis, ac sanguinis, illis denique per omnia similis*, Hebr. 2, 14. 17. *peccato tamen excepto*, Hebr. 4, 15. Quod ipsum Lex apertè innuit, cum agnum jubet *integrum* eligi, *Exod.* 12, 5. Pro quo *Græci* τέλειον *perfectum* habent, aut ἄμωμον *immaculatum.* Quo patet *Petrum* alludere, cum redemptionem nostram tribuit sanguini (*h*) ἀμνοῦ ἀμώμου, καὶ ἀσπίλου, *agni immaculati, & incontaminati*, id est, à peccato immunis. Peccata enim sunt animæ maculæ. Ab his autem *Christum* fuisse prorsus immunem in confesso est. *Quis enim eum arguit de peccato*, Joh. 8, 46? *Non peccavit, neque inventus est dolus in ore ejus*, 1. Pet. 2, 22. Ille ipse *Pilatus*, qui *Christum*, tanquam reum damnavit, eundem, tanquam insontem, suffragio suo absolvit, professus coram *Judæis* se nullam in eo noxam reperisse, *Luc.* 23, 14. *Talis* scilicet *decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Hebr. 7, 26. *Qui per Spiritum æternum seipsum Deo* ἄμωμον *immaculatum offerret*, Hebr. 9, 14. Neque enim (*i*) pro nobis potuisset satisfacere, qui victimas offerre pro peccatis propriis necesse habuisset, ut Sacerdotes sub Lege. Neque immeritò à *Judæis* id illi fuisset objectum, *Alios servavit, seipsum non potest servare*, Matth. 27, 42. Proinde *Joannes* hæc duo jungit ut ἀχώριστα, & ἀδιαίρετα, *Scitis illum apparuisse, ut peccata nostra tolleret*, & *Peccatum in eo non esse*, 1. Joh. 3, 5. Idem agnus *masculus* debuit esse, *Exod.* 12, 5. atque illud quidem, etiam ad literam, in *Christo* completum; quem masculum esse oportuit, ut esset Dei filius, Regisque & Sacerdotis, & Prophetæ in Ecclesia munus cum dignitate obiret. Itaque *Luc.* 2, 23. ad *Christum* referuntur hæc verba Legis, *Omnis masculus primogenitus sanctus erit Domino.* Et de Ecclesia dicitur *Apocal.* 12, 5. *Peperit filium masculum, qui omnes gentes virga ferrea regeret*: id est, *Christum*, qui masculus dicitur, non tam sexûs, quàm virtutis ratione; ideò additur ὃς μέλλει ποιμαίνειν, *qui regeret*, &c. Agnum denique oportuit esse *anniculum*; quia, cum primum annum assequutus est agnus, incipit esse in pleno vigore. Tum igitur oblatus meliùs expressit vim, & vigorem, sacrificii à *Christo* in cruce pro nobis oblati. Nec frustrà est, quod agnus per quatriduum à caula segregatus est, nempe à die decimo, quo seponi, ad diem decimum quartum, quo immolari jussus est, *Exod.* 12, 3. 6. Id enim etiam in *Christo* observatum, si more *Prophetarum* (*k*) *dies* pro *annis* usurpentur. Cum enim è materna domo, tanquam ex caula, in qua natus, & educatus fuerat, anno ætatis trigesimo discessisset, quarto post anno crucem subiit. Sed & id notatu dignum est, *Christum* illa ipsa die venisse *Hierosolymam*, quâ Deus agnum in *Ægypto* seponi jusserat, nempe decima mensis *Nisan*, Joh. 12, 1. 12.

h) 1. Pet. 1, 19.
i) Hebr. 5, 28.
k) Vide Ezech. 4, 6.

Jam, ut de morte agamus, mactabatur *Paschalis* agnus medio mense *Nisan*, in pleni-lunio, inter duas vesperas: quo ipso tempore *Christus* è medio sublatus est. Sunt, qui mense *Nisan* observant, præterito æquinoctio, dies noctibus fieri longiores; ut significetur nova lux mundo tum affulsisse, pulsis per *Christum* erroris atque ignorantiæ tenebris. Nec desunt, qui per *plenilunium* velint (*l*) *plenitudinem temporum*, aut per *duas vesperas mundi vesperam*, & *novissima tempora* adumbrari, quibus *Christus* seipsum in sacrificium obtulit, juxta illud *Apostoli* Hebr. 9, 26. *Semel in consummatione sæculorum patefactus est, ad peccatum per sui ipsius immolationem abolendum.* Sed nihil hic opus μετεωρολογεῖν, & remota consectari, cum *Christi* mors inciderit in ipsum tempus *Paschatis*, sive illis accedas, qui *Christum* expirasse volunt quo ipso momento à *Judæis* mactatus est *Paschalis* agnus; aut eos sequaris, qui *Christi* mortem in sequentem diem differunt, id est, in *Paschatis* festum. Et de hora saltem convenit. Nam mactabatur agnus inter duas vesperas, id est, *Josepho* interprete, ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *ab hora nona usque ad undecimam.* *Christum* autem hora diei circiter nona (quæ nobis est tertia post meridiem) animam egisse scribitur *Matth.* 27, 46. 50. Locus etiam prorsus idem est. Nam inde à *Davidis* ævo *Paschales* agnos mactari oportuit *Hierosolymis.* Ibi autem *Christus* passus est, prout ipse prædixerat non contingere, ut *Propheta* pereat extra *Jerusalem* Luc. 13, 33. Et quod de agno dicitur *Exod.* 12, 6. *Mactabit eum tota multitudo congregationis* Israëlis, *Christus* suo modo implevit; in quem conspiraverant Sacerdotes, Scribæ, *Pharisæi*, & universus populus. Itaque, cum *Pilatus* petiit, ut *Christum* dimitti paterentur pro more apud illos re-

l) Gal. 4, 4. Ephes. 1, 10.

cepto, ut aliquem festo dimitterent, *Matth.* 27,22. *Omnes illi dixerunt, Crucifigatur.* Et *Luc.* 23, 18. *Exclamaverunt autem παμπληθεὶ, simul universa turba, dicentes, Tolle hunc, & dimitte nobis* Bar-abbam. Et *Johan.* 18, 40. *Rursus igitur omnes clamaverunt, Non hunc* (dimitte) *sed Bar-abbam.* Genus quoque mortis convenit. Nam, ut agni, ita & *Christi* sanguis in morte est effusus. Uterque pro Dei populo. Neque agni sanguis humi fusus est, sed, tanquam quid pretiosum, pelvi exceptus, *Exod.* 12, 22. quia significabat *pretiosum illum sanguinem agni immaculati*, de quo *Petrus Apostolus.* Ille enim sanguis perpetuus est Ecclesiæ thesaurus, quem Patri hodieque pro nobis offert Filius, & in æternum oblaturus est. Agni insuper ad ignem assatio, quam plenam esse oportuit *Exod.* 12, 8. 9. iræ divinæ ardorem exprimit in peccatores meritò accensæ. Nam cum *igne* passim (*m*) confertur iræ Dei ardor in impios. Quo cum torreri oportuit, qui peccatorum se vadem præstiterat, ut pœnas pateretur ab illis commeritas. Hinc graves illæ querelæ *Psal.* 22, 15, 16. *Cor meum cera instar est, liquescit in visceribus meis. Aruit ut testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Hic quoque momentum habet modus assationis, qui in *Maimonide* sic describitur in libro *De Paschate*, cap. 8. sect. 10.

m) Ierem. 4, 4. Thren. 1, 13. & 2, 4.

כיצד צולין אותו תוחבו מתוך פיו עד בית נקובתו
בשפוד של עץ ותולהו לתוך התנור והאש למטה

Cum eum assant, à medio ore usque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo, & subjecto igne in medio furno suspendunt. Illum igitur ut assarent, non versabant in veru ferreo, more nostro, sed veru ligneo transfixum suspendebant, quod *Christum* in cruce pendentem utcunque referebat. Maximè, si hæc *Justini* vera sunt in *Dialogo* cum *Tryphone Judæo*, (*n*) Τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται· εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. *Agnus enim assus, in figuram crucis similem conformatus, ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur, & aliud rursus ad interscapilium, cui appenduntur agni manus* (seu pedes *anteriores*) Quidni vero illi hac in parte credamus, viro non solum sancto, sed & rerum *Judaicarum* peritissimo, cum *Sichemis* natus fuerit ex patre *Samaritano*. Sed in eo maximè elucet Dei providentia, quod latronum crura fracta sunt, *Christi* non item, quia jam expiraverat: ut in *Christo* impleretur quod de agno Lex edixerat, (*o*) *Ossa ejus non confringetis.* Quomodo, cum *Christum Judæi* è cruce eximerunt, propter instans *Sabbatum*, Legi imprudentes obsequuti sunt, quæ agnum servari vetabat usque ad matutinum tempus, *Exod.* 12, 10.

n) Pag. 259 B

o) Exo. 12, 46. Num. 9, 11. Ioh. 19, 31. &c.

Sequitur, ut hujus sacrificii fructus, & consectaria dicamus, quæ nobis plura se offerunt. Primò enim hujus agni sanguine aspersi sunt *Israelitarum* postes, & superliminaria, ut communem cladem evaderent, neque eos attingeret Angelus, à quo cæsi sunt *Ægyptiorum* primogeniti. Ut sciamus Dei justitiam iis solis parcere, quorum conscientiæ *Christi* sanguine aspersæ sunt. Quippe, ut agni, ita & *Christi* sanguis non alia de causa effusus est, quàm ut aspergeretur, & aspersione sua nos è morte eximeret, & liberaret. Quo fortasse sensu de *Christo* dictum est *Es.* 52, v. 15. *Iste asperget gentes multas.* Quomodo prima *Petri* Epistola iis inscribitur, *qui electi sunt εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, in aspersionem sanguinis* Jesu Christi. Et *Hebr.* 12, 24. *sanguis aspersionis* Christi *meliora loqui* legitur, *quam sanguis* Abel. Atque, ut de agni sanguine *Judæis* dixit Deus, *Videns sanguinem illum, Transibo præter vos, nec erit in vobis plaga disperdens, cum percutiam terram Ægypti.* Ita, viso Filii sanguine, quo electos suos aspergit, ex communi peccatorum maledictione illos excipit, ne eâdem cum reliquis ruina involvantur. Inde *Petrus* ubi supra. *Redempti estis pretioso* Christi *sanguine, tanquam agni immaculati, & incontaminati*, Et *Paulus* Rom. 5, 9. *Justificati sanguine ipsius multò magis servabimur ab ira per eum?* Non est igitur, quod timeamus ampliùs ultoris Angeli gladium. Sive enim tenebrarum is fuerit Angelus, *Deus eripuit nos ex potestate tenebrarum*, &c. *per sanguinem Filii sui*, Col. 1, 13. 14. Sive fuerit cœlestis Angelus, *Pace per sanguinem ejus facta, reconciliavit omnia sibi, tam quæ in terra, quam quæ in cœlis sunt*, ibidem versu 20. Itaque qui nos olim versatili gladio ex *Paradiso* terrestri excluserant, nunc in cœlestem deferunt, *Luc.* 16, 22. Suntque *administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui heredes sunt salutis*, Heb. 1, 14. Secundò, qua nocte cæsus est agnus, data est *Israelitis* plena potestas ex *Ægyptiaca* servitute in libertatem se asserendi: ut sciremus *Christum* sanguine suo nos ex mundi & Diaboli servitute redemisse, ut vocaret in libertatem gloriæ filiorum Dei, *Rom.* 8, 20. Inde 1. *Cor.* 7, 23. *Pretio redempti estis, nolite fieri servi hominum.* Et *Hebr.* 2, 14. 15. *Ut per mortem liberaret eos, qui metu mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Et *Joh.* 8, 36. *Si vos Filius in libertatem vindicaverit, verè liberi eritis.* Tertio, hâc eâdem nocte Deus in *Ægyptiorum* Deos judicia exercuit, *Exod.* 12, 12. & *Numer.* 33, 4. Judicia nempe quatuor, si *Jonathans* fides, cujus in *Paraphrasi* hæc verba sunt,

טעוות מתכא מתרככין טעוות אבנא מתגדעין טעוות
פחרא מתעברין בקקין טעוות אעא מתעברין קטם

Idola fusilia liquefacta sunt; idola lapidea succisa sunt: idola fictilia in frusta contrita sunt; idola lignea in cinerem redacta sunt. Quæ ut vera præstare nolim, quia, cum Scriptura taceat quale fuerit judicium, id divinare, aut definire nostrum non est: tamen has minas inanes non fuisse, neque effectu caruisse certum est. Et quidquid illæ significent, etiam hac in parte agnus in *Ægypto* mactatus figura fuit *Christi*, in cujus morte soluto intergerini parietis septo (*p*) quo à *Judæis* dividebamur, plurimæ gentes ad veri Dei cognitionem vocatæ, talpis, & vespertilionibus idola sua objecerunt, *Es.* 2, 20. Et *Deus emaciavit omnes Deos terræ, ut eum adorarent omnes insulæ gentium, unaquæque è loco suo*, Sophon. 2, 11. Quartò, cum mensis *Abib*, ante *Pascha* institutionem, in anno *Judaico* mensium septimus fuerit, Deus, instituto *Paschate*, statuit, ut deinceps pro primo haberetur, & ex eo *Judæi* sacrum annum ordirentur. Quo ipsum nomen *Abib*, videbatur eos invitare. Nam אביב *abib*, est *spica recens*. Itaque hunc mensem veteres vocabant *mensem novarum frugum*, aut simpliciter μῆνα τῶν νέων *mensem novorum.* Eique initium cum vere commune fuit, quo, cum Deus spiritum suum emisit, omnia recreantur, & renovatur terræ facies, *Psal.* 104, 30. Et hoc quoque ad *Christum* refertur, qui novum induxit sæculum, & vetera abolevit, ut ea in melius mutaret, ac recuderet quasi. *Ecce*, inquit, *nova facio omnia*, Apocal. 21, 5. (*q*) *Creavit novos cœlos & novam terram.* (*r*) *Dedit nobis mandatum novum.* (*s*) Novum instituit fœdus (*t*) Novum nomen victori pollicetur. (*u*) Novam nobis viam per carnem suam consecravit, (*x*) Nos invitat ad novam *Jerusalem*. (*y*) Ex duobus populis condidit in semetipso unum novum hominem. (*z*) Vult, ut Deo serviamus in novitate spiritûs, non in vetustate literæ. (*a*) Et veterem hominem crucifigamus, ut (*b*) novo induamur. Proinde *si quis est in Christo*, ut ait (*c*) *Apostolus, nova sit creatura: vetera enim præterierunt, & nova facta sunt omnia.*

p) Ephes. 2, 14.

q) 2. Pet. 3, 13. r) Ioh. 13, 34. s) Matth. 26, 28. t) Apoc. 2, 17. u) Hebr. 10, 20. x) Apoc. 21, 2. y) Ephes. 2, 15. z) Rom. 7, 6. a) Rom. 6, 6. b) Ephes. 4, 24. c) 2. Cor. 5, 17.

Ut

Ut absolvatur hæc tabula, superest, ut doceamus qua ratione *Israelitæ* eorum bonorum facti fuerint participes, quæ per agnum consequebantur. Duo autem requirebantur. 1. Ut agni sanguine ædium postes, & superliminare, aspergerent. 2. Ut ejusdem carnem ederent. Nam, si quis *Israelitarum* alterutrum neglexisset, eo ipso respuisset ipsam gratiam, quæ his mandatis erat annexa. Per postes autem ædium, quibus hic jubentur *Israelitæ* agni sanguinem aspergere, & *Deut.* 11. *v.* 20. mandata Dei inscribere, corda nostra significari puto: quia hæc aspergit Deus sanguine filii sui, ut dicitur *Hebr.* 10. *vers.* 22. *Aspersis cordibus à conscientia mala*, id est, *Christi* sanguinis aspersione à peccati labe purgatis. Et iisdem Leges suas inscribit. *Indam*, inquit, *legem meam menti eorum*, *& cordi eorum illam inscribam*, Jerem. 31. v. 33. Et corda hominum Deo æque patent, quam nobis postes ædium. *Ego*, inquit, *non judico juxta intuitum hominis: homo enim videt ea, quæ patent*; *Dominus autem intuetur cor*, 1. Sam. 16. v. 7. Cordium autem postibus *Christi* sanguinem aspergimus, cùm firma fide amplectimur doctrinam crucis, certi Dei Filium pro nobis sanguinem suum fudisse, ut quisque nostrum dicat cum *Apostolo* 1. Tim. 1. v. 15. *Certus est hic sermo*, *& dignus*, *qui modis omnibus recipiatur*, Christum Jesum *venisse in mundum ut peccatores servaret*, *quorum primus ego sum.* Ut Dei Legem cordi inscribimus, cùm, Deum toto corde amantes, ejus mandatis plenè nos submittimus, ei in omnibus pro virili obsequi certi. Cavendum interim, ne quæ superliminari, & postibus jubemur inspergere, & inscribere, limini inspergamus, & inscribamus, tanquam pedibus proculcandum: ne nos feriant *Apostoli* fulmina in eos, qui Dei Filium proculcant, & sanguinem fœderis, per quem sanctificati fuerant, profanum ducunt, *Hebr.* 10. *v.* 29. Hi sunt canes, & porci, quibus sancta, & margaritas projicere vetamur, ne eas pedibus conculcent, *Matth.* 7. *v.* 6.

Eadem fide, qua docuimus veri agni sanguinem cordis postibus aspergi, etiam ejus carnes comeduntur. Et comedi quidem necesse est. *Amen*, *amen dico vobis*, *nisi ederitis carnem Filii hominis*, *non habebitis vitam in vobis*, Joh. 6. v. 53. Et versu quinquagesimo quinto, *Caro mea verè cibus est*; sed animæ cibus, non corporis. Proinde non editur ore corporis, sed animæ, quæ est fides. *Quid paras dentes*, *& ventrem? crede*, *& manducasti.* Ea ratione hujus agni caro manducatur, & sanguis bibitur, qua animæ fami & siti satisfit, id est, veniendo ad *Christum*, & in illum credendo. *Qui venit ad me*, inquit, *nequaquam esuriet*; *& qui credit in me*, *non sitiet unquam*: Johan. 6. v. 35. Eo modo recipitur, quo habitat in nobis. *Habitat* autem *in cordibus nostris per fidem*, Ephes. 6. v. 17. Itaque *illum recipere est credere in nomen ejus.* Quomodo exponit *Johannes* capitis primi versu duodecimo, *Quotquot eum receperunt*, *dedit eis hoc juris*, *ut filii Dei fiant*, nempe *iis*, *qui credunt in nomen ejus.* Ita fuit cibus, & potus *Israelitarum* in deserto, de quibus *Apostolus* 1. Corinth. 10. v. 3. 4. *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt*, *& omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat* Christus. Sed non aliter, quam per fidem, eum biberunt, & manducaverunt. Neque enim ore potuit manducari corpus, quod nondum erat, nec nisi post multa sæcula in ventre Sanctæ Virginis formatum est. Cruda autem agni caro edi non debet, nec semi-cocta. Cujus criminis rei sunt, qui hæc mysteria non concoquunt assidua meditatione. Meditatio autem id est animo, quod stomacho concoctio & digestio. Hinc, apud Petronium, *cruda adhuc studia in vulgus propellere* est ea proferre, quæ nondum attenta meditatione concocta, & digesta sunt. Debuit idem agnus totus comedi, ita ut nihil esset residuum, *Exod.* 12. *v.* 10. Neque enim sufficit illum ex parte comedere: ut, si quis *Christi* gloria frui velit, nec passionum ejus esse particeps; aut illum habere pro redemptore, non pro Legislatore, & domino. Aut, si quis *Christi* meritis non satis tribuens, in propriis operibus, aut in aliorum mediatione, ac intercessione, salutis fiduciam ex parte ponat. Sed nec totum *Christum* recipiunt *Arriani*, qui divinam; & *Eutychiani*, qui humanam naturam ipsi adimunt; & *Apollinaristæ*, qui animam negant. Carnes interim sic edendæ sunt, ut ne ossa confringamus. Agni autem ossa confringere est ea rimari, & scrutari velle, quæ captum nostrum superant: quasi fidem obviis pasci, & sustentari non sufficiat, nisi conemur ea indagare, quorum cognitio vetita est, & investigatio periculosa. Qualia velle scrutari est in ossibus genuinum frangere; & eadem populo proponere, est pro pane lapidem esurienti porrigere, *Matth.* 7. *v.* 9. Hic igitur succurrat illud *Mosis* Deuter. 29. v. 29. *Quæ occulta sunt penes Dominum Deum nostrum sunto*; *at quæ revelata*, *nobis sint*, *& filiis nostris in seculum.* Et eximium illud *Hieronymi*, Proverb. 25. v. 27. quamvis cum *Hebræo* minus congruum; *Qui scrutator est majestatis*, *opprimetur à gloria.* Herbæ amaræ, cum quibus agnum oportuit comedi, significant *omnes qui volunt pie vivere in* Christo Jesu, *persecutionem pati*, 2. Timoth. 3. v. 10. *Ut*, *per communionem passionum illius*, *conformes fiamus morti ejus*; Phil. 3. v. 10. Eodem enim tendentibus idem iter est prosequendum. Et spinea corona nobis cum *Christo* ferenda est, ut succedat corona gloriæ, juxta illud *Apostoli*, *Si sustinemus*, *etiam cum illo regnabimus*, 2. Timoth. 2. v. 12. Etiam ad mores illud pertinet, quòd iis, qui vocantur ad agni manducationem, fermentum toties, & tam disertè prohibetur. In Scriptura enim fermentum corruptionis est symbolum. Hinc *Psal.* 71. *v.* 4. *David* liberari petit *à manu impii*, *à manu prævaricatoris*, חומץ *& fermentati*, id est, cujus animus fermenti instar acidus est. Qualem *Arabes* حامض الفواد *corde acidum*, Græci ὀξίνην, & Romani *vappam* appellant, quod jam alibi pluribus explicavimus. Proinde *Christus* suos monet, ut sibi caveant à fermento *Pharisæorum*, quod ad doctrinam refert (d) d) Matth. 16, 12
Matthæus, (e) *Lucas* ad hypocrisin. Et *Paulus fer-* e) Luc. 12, 1.
mento malitiæ opponit *azyma sinceritatis*, *& veritatis*, 1. Cor. 5. v. 8. Alii ad superbiam referunt; quia massa fermentata statim intumescit. Alii ad odia, & simultates; quibus acescunt animi, & exacerbantur. Ab his nempe vitiis expurgari debet quisquis cum *Christo* communicat. Cùm hypocritas is non ferat (f) *in cu-* f) 1. Pet. 2, 22.
jus ore dolus non est inventus; nec superbos, qui (g) *se* g) Phil. 2, 8.
demisit usq. ad mortem crucis; nec contentiosos, qui (h) *pax nostra est*, *& ideo seipsum obtulit*, *ut nos recon-* h) Eph. 2, 14.
ciliaret. Sed & à *Paschalis* agni communione exclude- 15. 16. 17.
bantur polluti, peregrini, incircumcisi; quia nullum est consortium justitiæ cum iniquitate, nec communio lucis cum tenebris, nec concordia *Christi* cum *Belial*: 2. Cor. 6. v. 14. 15. Rursus *Israelitæ* agnum comedere jussi sunt accincti, calceati, & baculis nitentes. Ad quos ritus alludi videas in variis Scripturæ locis. Ut *Luc.* 12. *vers.* 35. *Sint lumbi vestri præcincti*, *& lucerna vestra accensa.* Et 1. *Pet.* 1. *v.* 13. *Quapropter succincti lumbis mentis vestræ*, *sobrii*, &c. Et *Ephes.* 6. *v.* 14. 15. *State igitur lumbis circumcinctis veritate*, &c. *Calceatis pedibus præparatione Evangelii pacis.* Et fides proponitur ut baculus, quo innitimur, cùm dicimur *stare fide*: ut *Rom.* 11. *vers.* 20. *Tu autem fide constitisti.* Et 1. *Cor.* 16. *v.* 13. *Vigilate*, *state in fide.* Sed notandum inprimis hunc viatorum esse habitum, quæ omnium eorum est conditio, qui *Christi* sunt participes. Illi enim in hac vita peregrini sunt, & ad meliorem tendunt. Itaque non solùm *Patriarchæ* peregrinos se pro-

profitentur, sed & *David*, solio insidens, & rebus maximè florentibus, Deum tamen ita compellat *Psal.* 39. *v.* 13. *Advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Nempe id commune fuit *Israelitis* omnibus, ut Deus ipse disertè docet, *Levit.* 25. *v.* 23. *Mea est terra* (Chanaan:) *sed vos peregrini estis, & inquilini apud me.* Quin *Christus* ipse, licet omnium dominus, tamen à propriis fratribus pro (i) *peregrino*, & (k) *ignoto* est habitus; & in diversorio natus est: neque habuit (l) *ubi caput reclinaret:* & agnovit coram *Pilato* (m) *regnum suum non esse de hoc mundo.* Et quæ capitis, ea membrorum est conditio. Ideò nos hortatur *Petrus*, (n) ut, *tanquam advenæ, & peregrini, abstineamus à carnis cupiditatibus.* Quale est, quod *Apoc.* 12. v. 14. alæ dantur Ecclesiæ, ut in desertum avolet, ibique per tempus alatur. Addo hunc habitum *Israelitis* in Ægypto maximè convenisse; quia in procinctu erant, & continuò post discessuri, & *Ægyptii* instabant. Itaque jubentur raptim edere, quia periculum erat in mora. Quod ipsum ad nos pertinet; quia multi hostes imminent, & iter longum est, & tempus breve, nosque infirmi sumus, & facilè fatiscimus. Proinde, ut (o) *Lot* è *Sodoma*, & *Israelitæ* ex *Ægypto* exituri (p) properare jubemur, & magna vi contendere, ut tanquam è Diaboli faucibus eripiamur, & *violentos* (q) illos imitemur, qui *rapiunt regnum cælorum.* Sic *Petrus* jubet (r) *properemus in adventum diei Domini.* Et *Christus*, ut (s) *memores simus uxoris Loti*, quæ cunctatione sua periit. Nec temerè prætereundum, quod agnus in una domo edi debuit, ex qua nefas erat egredi, ne in Angelum mortis inciderent. Hæc enim domus est *Ecclesia, extra quam nulla est salus*, nulla cum *Christo* communio. Quod Pseudo-*Nicomeditæ* notent, qui inter *Ægyptios* putant se tuto posse latere, & sufficere, *si corde crediderint*, etiamsi *ore suo non confiteantur Dominum Jesum*; sic divellentes quæ disertis verbis conjungit *Apostolus Rom.* 10. *v.* 9. Itaque, si sapiant, ne deserant congregationem nostram, *Hebr.* 10. *v.* 35. Et in hanc domum semel ingressi, ex ea nunquam excedant, ad illud de apostatis seriò attendentes, (t) *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, permansissent nobiscum: sed,* egressi sunt ex nobis,) *ut pateret non omnes esse ex nobis.* Nemo est, qui, his lectis, non agnoscat quam meritò *Christum* Apostolus *Pascha* nomine indigitet, cùm dicit *Pascha nostrum*, nempe *Christum, pro nobis esse immolatum*, 1. Cor. 5. v. 7.

i) Psal. 69. v. 9.
k) Ioh. 9, 29.
l) Luc. 9, 58.
m) Ioh. 18, 36.
n) 1. Pet. 2, 11
o) Gen. 19, 15. 22.
p) Deut. 16, 3.
q) Matt. 11, 12
r) 2. Pet. 3, 12.
s) Luc. 17, 32.
t) Ioh. 2, 19.

CAPUT QVINQVAGESIMUM PRIMUM.

De Caprarum nominibus, pilis, & lacte plurima.

Ovibus & capris multa communia. Capra *Hebrais* עז ez, *quia ove robustior: Phœnicibus* aza; *Syris* izza, *unde* ἰζάιη. Chaldæum, Arabicum, & Græcum capræ *nomen inde dem deducta. N sæpe insertum loco* Daghes. *Literæ permutabiles Z & X; item Z & G. Greges caprarum semper parvi.* חשף grex caprarum, 1. *Reg.* 20. *v.* 27. *aut potius* capreæ hinnulus. Binarius *numerus* paucitatem *significat. Hinnulus quam imbelle animal, & fugax.* Arabicæ *de* Christo *fabulæ. Quid sint* teraphim, & κενοτάφια, 1. Sam. 19. v. 13. *Ibidem quid* caprarum כביר cebir. *Variæ interpretationes* כביר, *id est*, magnus, *unde* Cabiri. Magnus caprarum, *supple* pilus, *quæ vox sæpe suppletur. Capra longiore pilo ubi sint.* Plinius *emendatus. Mulieres in* Syria *pilos caprinos nevisse. De pilis*, شعر chabara *est* crescere. *Pilus caprarum subtilior unde dicatur* merhazi, & *crassior* mescha. *Lana caprina. Caprini pili in* Oriente *humanis similes. Capilli sponsæ cum caprinis pilis collati* Cant. 4. vers. 1. *Ibidem vox* שגלשו, *parum nota, variè redditur. Sed* גלש *est* ascendere, *quod multis probatur. Capræ, cum ascendunt pilos habent in naturali situ. An capræ dici possint è monte ascendere. In his verbis trajectio, cujus varia exempla. Mons* Galaad *celsissimus. Regio* Galaad ἰυδοτ☉-, *& capris aptior. Ibi* צרי *est* resina *non* balsamum, *ut* Hebræi *reddunt, & multi recentiores; quod planè est ἀνιςόρητον. Lac caprinum in cibum.* Varro *præfert ovillum: sed Medici aliter statuunt.* Jupiter *caprino lacte nutritus.* Amalthea *capra unde dicta. Mel cur cum caprino lacte jungatur. Quod in* Jove *infante observatum. Alii etiam infantes primo melle, deinde lacte nutriti. Spongia melle plena iis sugenda offerebatur. Notandum in* Es. 7. v. 15. *Utrumq; in Baptismo veterum.*

OVes & capras multa habere communia ex *Philosopho* & aliis suprà (a) docuimus. Utrisq; pro ungulis χηλαὶ *forcipes*, & dentes ab una solùm parte, quibus ruminant, iique ferè plures maribus, quam fœminis; & pro adipe sebum, quod facilè concrescit: & rotundus lien: & fel alicubi amplissimum, alibi nullum prorsus: & lac pro corporis magnitudine plurimum, quod augetur fabarum esu. Rursus in utroque pecore fœminæ primo statim anno, atque exinde quamdiu vivunt, ineuntur, & uterum ferunt, menstruis coëundi tempus paulò ante significantibus, tertioque, aut quarto initu implentur, & quinto mense pariunt, & patiuntur abortum, si post coitum imber ingruat. Et, cum plerumque fœtum unum pariant, nec nisi semel quotannis, tamen alicubi, pabuli beneficio, biferæ sunt, & gemellıparæ. Atque, ut in *Ægypto* sunt fœcundiores, ita sæpius monstra pariunt. Utrisque porro castrandi tempus idem est, idem quoque pascendi modus, & morbi plerique similes, atque eadem remedia. Unde est, quod in unum gregem capræ & oves facillimè coëunt: & in doctorum linguis communia habent nomina, qualia *Hebræis* צאן, & שה quæ abundè sunt explicata.

a) Cap. 42. lib. 4. 16. 60

At *capræ* nomen *Hebraicum* peculiare est עז *ez*, à *robore* ductum; quia capra & ovis inter se sunt ita similes, ut capra sit robustior. Unde *Philosophus*, *Hist.* lib. 8. cap. 10. ὑγιεινότεραι μὲν οὖν εἰσι τῶν αἰγῶν, ἰσχυρότεραι δὲ μᾶλλον αἱ αἶγες τῶν οἰῶν· *Oves quidem capris sunt saniores, sed capræ sunt ovibus robustiores.* Nomen עז *ez*, vicinæ linguæ variè inflexerunt. Nam inde *Phœnicibus* capra erat *aza*. *Stephanus* de *Palæstinæ* urbe *Azoto*, Ταύτην ἔκτισεν εἷς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ' Ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων, καὶ ἀπὸ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Ἄζας ὠνόμασεν, ὅ ἐστι χίμαιρα· *Eam ædificavit exulum unus è Rubro mari redeuntium, & ab uxore sua* Aza *nominavit, quod capram sonat. Phœnices* intelligit, quos ex *mari Rubro*, id est, *Persico*, venisse veteres crediderunt; quia *Phœnicia* partem tenebant *Samaritani* è *Perside* advecti, 2. *Reg.* 17. *v.* 24. quod alibi multis docemus. Sed hos *Azotum* condidisse, aut ab *Aza* nominasse falsum est. *Azotus* est *Philistæorum* urbs condita multis sæculis ante *Samaritanorum* è *Perside* migrationem. Neque ab *Aza*, id est, *capra*, dici potuit; cum *Phœnicia* nomina אשדוד *Asdod*, id est, *Azotus*; & עזא *aza*, vel *azza* potius, id est, *capra*, commune nihil habuerint. Pro *ez*, vel *azza*, capra *Syris*, & *Chaldæis* עזא *izza*, dicitur; Plur. עזין *izzan*, unde *Græcum* ἰζάιη, *caprina pellis. Julius Pollux* libri quarti

capite

capite decimo octavo, qui est *De histrionum apparatu*, Ἡ δὲ σατυρικὴ ἐσθὴς, νεβρὶς αἰγῆ, ἣν καὶ ἰξάλην ἐκάλουν, καὶ τραγῆν. *Satyrica autem vestis, hinnulea, aut caprina pellis, quam etiam ixalen, & hircinam vocabant.* In *Chaldais Paraphrasibus* pro עזים, seu *capris*, passim occurrit מעזי *maze*, quod fit ex *Hebræo* עז *ez*, præfixo servili M. Proinde etiam apud *Arabes* معز *maz* est *capra*. Neque diversæ est originis عنز *enz*, quod iidem pro *capra* sæpe usurpant. Quippe *Hebræum* עז *ez*, mutatum in عنز *enz*, inserto N loco *Daghes*, quod crescente voce apparet. Tale سنط *sent* pro שטה *sitta*, spinæ genere, ex quo fabricata est arca fœderis: عنكبوت *ancabuth*, id est, *aranea*, pro *Hebræo* עכביש *acchabis*: قنفد *kunphud*, id est, *hystrix*, pro *Hebræo* קפד *Kippod*: حنطة *chinta*, id est, *triticum*, pro חטה *chittah*. Sed & ex *Hebræo* עז *ez*, videtur factum *Græcum* αἶξ, αἰγὸς. Vocali nempe mutata in Diphtongum vicini soni, & Z in Ξ recti Casus, & Γ obliqui; quia Z, Ξ, & Γ literæ sunt homogeneæ, & facile permutabiles. De Z & Ξ en exempla. Eadem *Palæstinæ* regio זיף *Ziph*, *Hebraicè* dicitur, & *Josepho* Σιφήνη, & *Stephano* Ξιφήνη. Iidem populi *Troadis Hesychio* Ἀζιῶται, & Ἀξιῶται. Eadem gens circa *Colchidem* Κοραξοὶ, & Κοραζοὶ, *Tzetzi*, Hist. *Chiliad.* 9.329. & 11.388. Eadem *Africæ* urbs ad *Oceanum Ptolemæo* Ζίλια, & *Stephano* Ξίλεια: ut circa *Syrtim* urbs eadem *Straboni* Ζοῦχις, quæ *Artemidoro* Ξοῦχις, utrumque apud *Stephanum*. Quo ipso teste *Topazia* insulæ nomen ἀπὸ τοῦ Ξ ἰσχάνειν πρότερον. Et ἐξάμιτον, panni genus, *Græcis* recentioribus etiam dicitur ζαμῖτον. Et apud *Chalcondylam* libro septimo *Turcici* quidam milites βιτάξιδες, & βιτάζιδες: ut *Scacchorum ludus* Persis est *xatrang*, Hispanis *axedres*, & *Græcis* hodie ζατρίκιον. Iidem G *Arabum* per Z efferunt; ut in ζοῦπα pro جبة *giubba*, & ζιζῦλαν pro جلجلان *giulgiulan*, & ζουλάπιον pro جلاب *giulab*. Contrà, Hispanis *girafa* pro Arabico زرافة *zirafa*. Ita in literarum ordine *Latinum* G locum obtinet *Græci* ZETA.

Grex caprarum חשיף *chasiph*, dicitur voce maximè propriâ, quæ solum extat 1. *Reg.* 20. *v.* 27. ubi *Israelitarum* turmæ pusillæ duæ, immensæ hostium multitudini nullo modo conferendæ, fuisse dicuntur præ iis כשני חשפי עזים *ut caprarum duo greges*. Hieronymus, *quasi duo parvi greges caprarum*. Quomodo etiam *Kimchius* & *R. Levi*, & *Pomarius*, & *Aquinas*. Ac si חשפים non *quosvis caprarum greges*, sed *parvos* solum significet. Quod supponere nihil est necesse, cum caprarum greges semper parvi sint. *Varro*, *Rust.* lib. 2. cap. 3. *In gregibus est minor* (numerus) *caprino, quàm in ovillo, quod capra lascivæ sunt, & quæ dispergant se: contra oves, quæ se congregent, ac condensent in locum unum: Itaq; in agro* Gallico *greges plures faciunt potius quam magnos; quod in magnis cito existat pestilentia, quæ ad perniciem eos perducat. Satis magnum gregem putárunt esse circiter quinquagenas. Quibus assentiri putant ed, quod usu venit* Gaberio *Equiti* Romano. *Is enim, cum in suburbano mille jugerum haberet, & à caprario quodam, qui adduxit capellas ab urbe decem, sibi in dies singulos denarios singulos dare audisset, coëgit mille caprarum, sperans se capturum de prædio in dies denarios mille. Tantum enim fefellit, ut brevi omnes amiserit morbo. Contra, in* Salentinis, *& in* Calinati, *ad centenas pascunt.* *Columella* libri octavi capite sexto, ubi de caprino pecore; *Numerum generis hujus majorem, quàm centum capitum sub uno clauso non expedit habere; cum lanigera mille pariter commodè stabulentur.* Quæ ipsissima causa est, cur *Israelitarum* paucitatem potius cum caprinis gregibus, quàm cum ovillis, contulerit Sacer Scriptor.

De cætero plane nescitur, quorsum *grex caprarum* חשיף *chasiph*, dicatur. Neque enim huc pertinet *Hebræum* verbum חשף *chasaph*, quod vel *haurire* significat, vel *denudare*. Et quæ hic afferunt Interpretes pudet referre, cum ne speciem quidem veri habeant. Quid, si כשני חשפי העזים, pro *gregibus caprarum*, ex *Arabica* lingua *hinnulos caprearum*, id est, *capreolos*, interpretemur? Nam vox *Arabica* عنز *enz*, quæ respondet *Hebrææ* עז *ez*, non solum *capram* sonat, sed & *capream*. Ita explicant *Alcamus*, & *Giauhari*. Et خشف *chisph*, vel *chusph*, est *hinnulus*, vel *capreolus*. *Alcamus*. الخشف ولد الظبي اول ما يولد اول مشية او التي انفسرت من اولادها وتشرت Alchispho, *fœtus capreæ, cum primum natus est, aut cum primum incedit. Aut fœmina, quæ à patre & matre recedit, & divagatur.* Nec multo aliter *Damir*, & *Giauhari*. Quod si sequaris, *Israelitas*, qui & pauci erant, & destituti viribus, quibus adversus ingruentes tot hostes se tuerentur, Sacra Historia contulerit cum duobus caprearum hinnulis. Et *binarius* quidem numerus *paucitatem* significabit, ut in Scriptura passim. Sic 1. *Reg.* 17. *v.* 12. *colligam duo ligna*, id est, pauca numero. Et *Esa.* 17. *v.* 6. de *Israele* dicitur, *Tantum relinquetur in eo racematio, ut cum stringitur olea, duæ, tresve baccæ in summis ramis.* Et *Jerem.* 3. *v.* 14. *Assumam vos, unum ex civitate, & duos ex familia*, id est, paucissimos. Et *Os.* 6. *v.* 2. *Vivificabit nos post duos dies*, id est, intra breve tempus. Rursus *Israelitica* plebis consternatio, & debilitas, per hinnulos designabitur, quod imbelle est animal, pavidumque, & fugax. Unde *Anacreon*, Οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα, γαλαθηνὸν, ὅς τ' ἐν ὕλῃ κεροέσσης ἀπολειφθεὶς ἀπὸ μητρὸς ἐπτοήθη. *Ut hinnulum recens editum, lactentem, qui q; in sylva derelictus à matre cornigera, attonitus est.* Quod *Horatius* sic imitatur libri primi *Ode* 23.

Vitas inuleo me similis Chloë
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum & sylvæ metu:
Nam, seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, seu virides rubum
Dimovêre lacertæ;
Et corde, & genibus tremit.

Pro *hinnulo* occurrit *Arabicum* الخشف *alchispho* apud *Damirem* in Historia de *Christo*, quam, utut fabulosam, libet hic obiter referre, ut pateat quàm celebre & venerabile sit etiam apud infideles *Jesu Christi* Domini nostri nomen. Ea sic habet ad verbum, *Narrat* Giarir ex Laithso (qui sunt *Arabici* Scriptores vetusti satis, nec incelebres) *quemdam convenisse* Jesum *filium* Mariæ, *super quem pax, & ei dixisse, Ero tecum, ô Spiritus Dei, & comitabor te. Iverunt igitur simul, donec ad ripam fluminis devenissent, ad quam sederunt cibum sumpturi. E tribus porro placentis, quas habebant, cum duas comedissent, una superfuit. Tum surrexit* Jesus, *ut iret ad flumen, & biberet. Unde, cum rediisset, nec reperisset placentam, ab illo petiit, quis cepisset placentam, & is respondit se nescire. Tum profecti sunt* فراي ظبية معها خشفان لها

Et capream vidit (Jesus) *& cum ea hinnulos duos ipsius. Et vocavit* Jesus, *super quem pax, unum eorum. Qui cum venisset, mactavit eum, & ex assata carne ejus uterq; comederunt.* ثم قال للخشف قم باذن الله *Tum hinnulo dixit, Surge cum bono Deo. Et surrexit is, & abiit. Quo facto,* Jesus *viro dixit, Jam peto à te, postquam ostendi tibi hoc signum, quis ceperit placentam: qui rursus se ignorare respondit. Unde profecti cum ad alium amnem venissent,* Jesus *virum manu sumpsit, & incessit super aquas. Et, amne trajecto, dixit, Postquam alterum hoc signum ostendi tibi, rogo te quis ceperit placentam: quod is se scire iterum dissimulavit. Cum inde ad antrum venissent, & consedissent,* Jesus, *terram & arenam colligens, dixit, Fiat id aurum cum bono Deo, & factum est aurum. Quo in tres partes diviso, dixit* Jesus, *Triens esto mihi, triens tibi, & triens illi, qui cepit placentam. Tum verò is placentam se cepisse confessus est. & totum aurum* Jesus *illi tradidit. Quo accepto, cum* Jesum *reliquisset & abiisset, ut staret prope aurum in antro, ad eum accesserunt viri duo, qui, ut aurum surriperent, mortem illi intentaverunt. Quam ut vitaret, promisit se unicuiq; daturum auri trientem. Et cum inter eos sic convenisset, miserunt ad urbem unum è suo numero, ut emeret cibos: qui ita missus apud se dixit, quorsum dividerem has opes? Quin venenum immittam in cibos, ut eos conficiam, quod & præstitit. Interim, eo absente, dixerunt socii duo, Quorsum is aurum erit particeps? Itaq;, cum redierit, interficiamus eum, ut opes dividamus in duas partes. Et venientem adorti interemerunt. Sed & ipsi, cibo comeso, mortui sunt. Et mansit aurum in antro: & tres illi circa aurum mortui jacebant. Quo cum venisset* Jesus, *& sic jacentes invenisset, discipulis suis dixit, Ita agit mundus cum suis. Et timuerunt eum.*

Jam videndum, an aliqua ratione possit exsculpi quid propriè sit כביר העזים cebir *caprarum*, 1. *Sam.* 19. *v.* 13. ubi *Mical, Davide* elapso, ad cervical ejus posuisse legitur כביר העזים. Quod ita obscurum est, ut plerique veterum hic in diversa abeant. Ut res repetatur altiùs, *Saulem* Regem sciendum est in *Davidem* generum, quamvis optimè de se meritum, ira tam graviter exarsisse ut eum, indicta causa, morti adjudicaverit, & misisse lictores, qui noctu domum obsiderent. Quo comperto, *Mical* uxor virum suum per fenestram fune dimisit, & sumpsit תרפים *teraphim*, quæ posuit in lecto pro *Davide*. *Teraphim* hic *idola* non sunt, ut in Scriptura passim. Quippe veri Dei cultui addictior fuit *David*, quàm ut in ædibus suis ulla servaret idololatriæ monumenta. Neque, cum *Aben Ezra*, *imagines* intelligo *cœlestis influentiæ capaces:* quod si minus idololatricum, saltem est superstitiosum, & *Davidis* ævo multo recentius. Sed hoc loco *teraphim* sunt *grandes pupæ*, cujusmodi unam aliquam fecit *Mical* tumultuario opere, quæ ad hominis formam utcunque accederet. Quales erant, quæ tauris objiciebantur in *Circo*, aut *Argei*, seu scirpeæ effigies è ponte *Sublicio Romæ* Maji Idibus in *Tiberim* jaci solitæ, aut μορμολύκεια in hortis, aut in agris, ad terrendas aves poni solita. Proinde, pro *teraphim*, *Aquila* hic habet μορφώματα. Hieronymus, *statuam*, & *simulachrum*; *Chaldæus* צלמניא, *Syrus* ܨܠܡܐ *Arabs* تمثالا omnes eodem sensu. Soli *Septuaginta* κενοτάφια reddunt, quod non capio, nisi sit verum, quod quidam volunt, *imagines* intelligi, *quales cenotaphiis imponi tum solebant, quæ absentem aliquo modo referrent.* Quò hæc *Suidæ* referunt, Κενοτάφιά τινα εἶχεν (b) ἐλασσώματα ὡς τύπον νεκροῦ, μὴ ἔχοντα νεκρόν. Utut sit huic *theraph*, seu imagini, quam pro *Davide* in lecto posuerat *Mical* imposuit כביר העזים, quod *Septuaginta Seniores* exponunt ἧπαρ τῶν αἰγῶν, *jecur caprarum.* Ad quem locum scribit *Theodor.* quæst. 49. in lib. primum *Regum*, Τὸ τῶν αἰγῶν ἧπαρ ὑποτεθεῖσαι, ἵνα κινούμενον τὸ σχῆμα πιθανὸν ἀπεργάσηται. ἡ γάρ φασι τῶν αἰγῶν τὸ ἧπαρ κινεῖσθαι μέχρι πολλοῦ. *Jecur caprarum* (stragulis) *fuisse suppositum, ut, cum moveretur figmentum efficeret verisimile: ajunt enim caprarum jecur aliquamdiu moveri.* Quod ex *Josepho* sumptum, apud quem similia legas *Antiquitatum* libri sexti decimo quarto. Sed, quod illorum pace dixero, ne umbram quidem veritatis id habet, exenteratæ capræ jecur stragulis suppositum, μέχρι πολλοῦ, id est, *per longum tempus* ita palpitare, ut stragula sublevet, & motu suo vitam mentiatur. Et כביר, quidquid fuerit, non latebat sub stragulis, sed eminebat מראשתיו, *ad pulvinar ejus*, nempe *Davidis*, ut habetur in Sacro Textu. Sed pravum hunc sensum peperit prava versio. Et prava versio nata est ex *Græcorum* prava lectione, qui, pro כביר, legerunt כבד, id est, *jecur.* Alii Interpretes mirè dissident. Sic כביר *Chaldæus* interpretatur נודא *utrem*; *Aquila*; στρογγύλωμα τριχῶν, *orbem pilorum*; Kimchius, כר *pulvinar*; Pomarius *modium*, aut *lagenam*, quia in *Kimchio* pro כַּר *car*, legit כֹּר *cor*, seu *corum*, mensuræ genus: Hieronymus, *pellem pilosam.* Fortè ex *Syro*, in quo hic ܡܣܟܐ *mesco*, id est, μόσχος, vox ex *Nicandro* nota, quam *Hesychius* κώδιον & δέρμα exponit. Quæ singula expendere nostri non est otii. Tantùm ea hic afferam, quæ videntur vero proxima, ne inter tot interpretamenta suspensus hæreat lector, & incertus quid eligat. Vox כְּבִיר *cebir*, est in Regimine: status Absolutus est כָּבִיר *cabir*. Et כָּבִיר *cabir*, idem, quod כַּבִּיר *cabbir*, vox notissima, quam pro *multo*, aut *magno*, *Jobus* & *Esaias* sæpe usurpant. Sic *Job.* 8. *v.* 2. רוח כביר *ventus multus*, aut *ventus magnus*, גדול, ut *Aben Ezra*. Et *Job.* 15. *v.* 10. כביר ימים *multus*, aut *magnus diebus*, id est, *grandævus*, ubi rursus *Aben Ezra* גדול *magnus*, tanquam ex lingua *Kedar*, id est, *Arabica*, qua كبير cabir, *magnus*, etiam ad ætatem refertur. Et *Job.* 31. *v.* 25. כביר מצאה ידי *multum quid*, aut *magnum quid invenit manus mea.* Et *Job.* 34. *v.* 17. צדיק כביר *justus magnus*, quo sensu *Gallis, un grande homme de bien.* Et *Job.* 34. *v.* 24. ירוע כבירים *conteret magnos*, id est, *potentes.* Et *Job.* 36. *v.* 5. אל כביר *Deus magnus.* Item כביר כח לב *magnus virtute animi.* Et *Esa.* 16. *v.* 14. *Et residuum* Moab *paucum, parvum*, לא כביר *non magnum.* Et *Esa.* 17, 12. & 28. *v.* 2. מים כבירים *aqua multa*, aut *aquæ magnæ.* Inde Cabiri *Phœnicibus* apud vetustissimum Scriptorem *Sanchoniathonem*; de quibus nos alibi multa. Et, quod jam *Aben Ezra* notavit, hodieque apud *Arabes* كبير *cabir* est *magnus.* Itaque etiam verba *Samuelis*, in quibus versamur, ואת כביר העזים שמה מראשתיו significare puto, *Et magnum caprarum posuit ad cervical ejus.* Quæ quidem Elliptica est oratio, & in qua aliquid est necessariò supplendum. Sed quid illud sit linguæ periti statim animadvertent. Supplendum nempe שער *pilum.* Et hæc sunt accipienda, quasi scripsisset Sacer Vates, ואת שער העזים הכביר *Et magnum* (seu *longiorem*) *caprarum pilum posuit ad cervical ejus*, Quæ Ellipsis vocis שער ante העזים nemini dura videri debet, cùm in Scriptura sit valde frequens. Sic *Exod.* 25. *v.* 4. ושש ועזים *byssus & capra*, id est, *& pilus caprarum.* Et *Exod.* 26. *vers.* 7. יריעת עזים *aulæa caprarum*, id est, *è pilo caprarum.* Et

b) Fortè πλασσώματα.

Et *Exod.* 35, 26. טוו את העזים *neverunt capras*, id est, *pilos caprarum*. Et *Cant.* 4, 1. *Capillus tuus est* כעדר העזים *ut grex caprarum*, id est, *ut pilus gregis caprarum*. Hic itidem כביר העזים *magnus caprarum*, id est, *magnus pilus caprarum*. Nam alicubi capræ sunt longiore pilo, & tondentur ut oves & in varios usus adhibentur earum villi. Sic in *Hispania* circa *Cynetas*. *Festus Avienus* in ora maritima,

Hirta hic capella, & multus incolis caper,
Dumosa semper intererrant cespitum,
Castrorum in usum, & nauticis velamina,
Productiores & graves setas alunt.

Et in *Phrygia*. *Varro* sub finem libri secundi *Rust*. *Tondentur, quod magnis villis sunt in magna parte* Phrygiæ: *unde Cilicia, & cætera ejus generis fieri solent.* Et in *Lycia*. *Ælianus* libri decimi sexti capite trigesimo, Ἐν Λυκίᾳ λέγει Καλλισθένης ὁ Ὀλύνθιος κείρεσθαι καὶ τὰς αἶγας, ὥσπερ οὖν πανταχῇ τὰ πρόβατα, γίνεσθαι καὶ δασυτάτας, καὶ εὐτρίχας δεινῶς τὰς αἶγας, ὡς ἐπεὶ βοστρύχους, ὥς τινας ἕλικας κόμης ἐξηρτῆσθαι αὐτῶν. *In Lycia dicit* Callisthenes Olynthius *etiam capras tonderi, ut oves ubique locorum: Ibi enim esse hirsutissimas, & egregiis villis, ita ut ab iis cincinni, & tanquam retorti capilli dependere videantur.* Et in *Africa* circa *Cinypem* amnem. *Virgilius* libro tertio *Georgicorum*.

Nec minùs intereà barbas, incanaque menta
Cinyphii *tondent hirci, setasque comantes,*
Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Et in *Cilicia*. *Aristoteles Hist.* lib. 8. cap. 22. Ἐν Κιλικίᾳ αἱ αἶγες κείρονται ὥσπερ τὰ πρόβατα παρὰ τοῖς ἄλλοις. *Plinius* quoque libri octavi capite quinquagesimo, *In* Cilicia, *circaque* Syrtes *villo tonsili vestiuntur*. Alii *circaque Syrias*, non malè: cum in *Israële* mulieres pilos caprarum nevisse constet, & ex iis aulæa facta, quibus tectum fuerit tabernaculum (vide *Exod.* 25, 4. & 26, 7. & 35, 6. 23. 26. & 36, 14.) Quomodo *Scenitarum Arabum* tentoria *Solinus cilicina* fuisse scribit, id est, ut ipse interpretatur, *è caprarum pilis texta*. *Caprarum* porrò *villus tonsilis*, ex quo saga fiebant, & tentoria, rectè כביר appellatus est; quia major & prolixior: ut *pilorum incrementa* significantur *Arabico* verbo كبر *cabara*. Sic in *Erpeniana Paraphrasi* quæ ex *Chaldæa Onkelosi* expressa est, *Levit.* 10, 6. *Caput vestrum* (id est, *pilos capitis vestri*) لا تكبروا *non sinetis crescere*. *Chaldæus* habet לא תרבון *non nutrietis*, Et *Levit.* 21. v. 10. *Capillum capitis sui* لا يكبر *non sinet crescere*; Chaldæus לא ירבי *non nutriet*. Et *Num.* 6, 5 يكبر سبولة شعر راسه *sinet crescere cæsariem pilorum capitis sui*; Chaldæus ירבי. Et *Hebræus* textus גדל. Sed & *Hebraicè* כבר in *Hiphil* est *augere*, & *multiplicare* Job. 35, 16. & 36, 31. Caprarum igitur villum, indies crescentem, & fruticantem כביר inde fuisse dictum valde verisimile est. Hujus duæ sunt species: unus crassior, ex quo fit pannus مسحة *mescha* nomine, cujus usus est بمسوح in saccis, & ciliciis; alter longè subtilior, ex quo fiunt panni cymatiles tantæ tenuitatis, ut sericeis parum cedant. Latere ajunt hanc quasi lanuginem sub crassioribus caprarum pilis. Ea vocatur مرعزي *mirizza*, vel *marizza*, voce, quæ usu est *Arabica*, sed origine *Syriaca*. Facta enim est ex *Syris* vocibus ܥܡܪܐ ܕܥܙܐ *amarizza*, quasi *lanam caprinam* dixeris. Ut *Horatius* ad *Lollium*,

(c) Lib. 1, Epist. 18.

(c) *Alter rixatur de lana sæpe caprina.*

Vox occurrit in *Lexicographis*, & in *Pentateucho Parisiis* edito *Exod.* 25, 4. & passim. Lanam *merhazi* vocat *Andreas Bellunensis*. *Lana* (inquit) *merhazi, est lana capræ subtilissima, ex qua fiunt* Zambelotti, *& alia vellera subtilia*: ut eidem *Mescha rudius est panni genus, contextum ex pilis asinorum & caprarum, ac interdum ex solis caprinis, ex quo qui deserta habitant* Arabes *tentoria & saccos sibi conficiunt*. Jam facile erit conjicere, cur hujusmodi caprarum villos *Mical* in *Davidis* cervical imposuerit; nempe, ut ejus cæsariem aliquo modo referrent. Caprini enim in Oriente pili humanis non sunt prorsus absimiles. Unde est, quod in *Apuleii Asino*, libro tertio *Photis*, cum non potuisset *Bœotii* juvenis capillos apud tonsorem surripere, prout à domina jussa fuerat, quia tonsor prohibuerat id scelus, *cum tristis*, inquit, *inde discederem, ne prorsus vacuis manibus redirem, conspicio quemdam forficulis tondentem caprinos utres; quos cum probè constrictos, inflatosque, & jam pendentes cernerem, capillos eorum humi jacentes*, FLAVOS, AC PER HOC ILLI BOEOTIO JUVENI CONSIMILES, *aufero, eosque dominæ meæ, dissimulata veritate, trado.* Quale est, quod ex *Callisthene* supra didicimus, capras in *Lycia* esse εὐτρίχας: *bene capillatas*, ita ut ab iis dependere dixeris βοστρύχους *cincinnos*, & ὥς τινας ἕλικας κόμης, *quasi quosdam comarum cirros*. Proinde galericuli ex hœdina pelle confecti ad dissimulandam calvitiem *Martialis* ita meminit, libri duodecimi *Epigrammate* 45.

Hœdina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticesque calvæ.

Et *Rebecca* hœdinis pellibus texit *Jacobi* collum, & manus, *Gen.* 27, 16. ut haberetur pro fratre *Esavo*, qui hirsutus erat toto corpore. Non immerito igitur *Mical* viri sui cæsariem quomodocunque imitari conata est mollioribus illis & tenuioribus caprarum pilis, quos eam in promptu habuisse nihil mirum, cum illorum temporum matronæ inter cætera nere discerent caprinos villos, ut suprà probavimus ex *Exod.* 35, 26.

Ut ad caprini pili commendationem valde pertinent quæ dicta sunt ad præcedentem locum, ita etiam quæ dicentur ad sequentem *Cant.* 5, 1. ubi capilli sponsæ cum caprarum pilis conferuntur, sed iis verbis, quæ Interpretes non parum torquent. Nos illa putamus ità reddenda, *Capillitium tuum est ut gregis caprarum, quæ ascendunt è monte Galaad*, vel *è Galaad*, ut habetur in loco parallelo *Cant.* 6, 4. *Ut gregis caprarum* supple *pili*. Nam, cum de capris agitur, eam vocem supra docuimus sæpe suppleri. Et hic supplendam esse ex sermonis contextu patet. Neque enim sponsæ capilli capris in genere, sed caprarum pilis, sunt similes, quas alicubi habere ὡς βοστρύχους καὶ ὥς τινας ἕλικας κόμης ex *Callisthene* jamjam asseruit *Ælianus*: id est, *Gesnero* interprete *pilos ut muliebres crines implexos*; quia ex multorum sententia βόστρυχος propriè est *muliebris cirrus*. Proinde *Gregorius Nyssenus* in *Canticum Homilia* decimatertia pilos hic in capra propriè respici animadvertit: Τὸ γὰρ, inquit, τῆς αἰγὸς ζῶον εἰς τὸν τριχῶν ἔπαινον παρελήφθη, τάχα μὲν ὅτι καὶ ἡ φύσις τοῦ τοιούτου ζώου καταλλήλως πρὸς τὴν γένεσιν τῶν τριχῶν κατεσκεύασται, ὥστε αἴνιγμα τοῦ διὰ τῶν τριχῶν κόσμου γενέσθαι τὸ ζῶον, τὸ ταῖς θριξὶ φυσικῶς δασυνόμενον· *Caprinum autem animal ad capillorum laudationem ideò fortasse sumptum est, quod hujus natura idoneè ad pilorum laudationem comparata sit: Ità ut ornamenti, quod in capillis situm est, imago quadam sit hoc animal, cum densis pilis sit naturaliter hirsutum.* Et hæc quidem facilia sunt: sed quæ sequuntur non item, שגלשו מהר גלעד quæ nos reddimus, *quæ ascendunt è monte Galaad*. Nam, ut supra vox כביר, ità hic valde ambigua est vox שגלשו; quia verbum גלש non occurrit uspiam, præterquam in duobus locis parallelis, quæ expendimus. *Græci* videntur legisse שגלו pro שגלשו, posteriore ש omisso. Nam duobus verbis synonymis expli-

cant, αἱ ἀπεκαλύφθησαν, & αἱ ἀνεφάνησαν. Unde *Hieronymus*, posteriore loco, *quæ apparuerunt*. Ita etiam *Arabs*. Et *Aben Ezra*, שנשקפו ונראו או יתגלו מן העין *quæ apparent, & videntur, aut deteguntur ab oculo*. Rescripsimus יתגלו pro יתגרלו voce nihili, quam habent nostra exemplaria. *Rabbi Jonas*, השכימו *manè surrexerunt*, tanquam ex lingua Arabica, quâ *auroram* גלש vocari asserit. Alii observant vocem גבח quæ *recalvastrum* significat, ab *Onkelo* reddi מלוש, & à *Jonathane* גלשלשן, *Levit*. 13, 41. Unde inferunt שגלשו reddendum esse *quæ depilantur*; nempe inter dumeta, & spinas montis *Galaad*, in quibus hærere par est longiores caprarum villos. In qua sententia sunt, præter *Jarchium*, *Pomarium* & *Aquinas*. Sed, quia id videtur incommodum, ut sponsæ crines conferantur cum capris calvis, & depilibus; capræ, inquiunt, in illo monte non planè depilantur, sed נמרטו ונסרקו בינות עצי היער ונחיפו כאלו נסרקו במסרק *poliuntur, & comuntur inter arbusta sylvæ, atque ita decora fiunt ac si pectine pecterentur*. Quæ res est sine exemplo, ut pili, dumis hærentes, sic digerantur, ac si cum arte, & industria, pexi fuissent. Nec, si fieret, voce גלש id significaretur, si גלש est *depilari*. Aliud enim est *comi*; aliud *depilari, & deglabrari*. Et pecten ad glabrum, & calvum nihil attinet: Unde *Poëta* in *Apophoretis*,

Quid facies nullos hic inventura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

Et *Phædrus*, Fabula octogesima septima,

Invenit calvus fortè in trivio pectinem.
Accessit alter æquè defectus pilis.
Heia, inquit, commune, quodcunque est lucri.
Ostendit ille prædam, & adjecit simul,
Superûm voluntas favit, sed fato invido:
Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.

Proinde ex *Aben Ezra* sententia הוא רחוק בענין *hoc significatione remotum est*, aut *hoc remotum est* בעיני *in oculis meis*: quod illum scripsisse puto, quia sic ferè loquitur, cum aliquid rejicit tanquam ineptum, & absurdum. Neque minus hic dissidium est inter recentiores, quorum alius habet *quæ nitescunt*, alius *emicantium*, alius, *quæ detondent* supple *dumeta*, alius *quæ detondentur*, alius *quæ se depilârunt*, alius *quæ aspiciunt*, vel *quæ prospectant*. Nos reddimus *quæ ascendunt*, quomodo non pauci veterum. Ita enim *Græci* Interpretes in *Complutensi* editione, & *Parisiensi* nupera, *Cant* 6, 4. αἱ ἀνέβησαν. Et *Hieronymus* Cant 4, 1. *quæ ascenderunt*. Et *Syrus* utrobique ܐܝܟ ܓܙܪܐ ܕܥܙܐ ܕܣܠܩ *ut grex caprarum, qui ascendit*. Quod sumptum ex *Arabica* lingua, qua جلس *gialasa* Verbum non solum *sedere*, sed & *ascendere* significat. Ita *Golius* noster ex *Giauhari*, جلس *sedit*, &c. *& vasit, ascenditque, & venit in elatiorem terram*. Et ibidem جلس *gels* Nomen idem est, quod نجد *negid*; nempe *elatior terra*. Et in *Giggeio* جلس *gels* est *mons excelsus*. Quo eodem facit, quod *Auroram* גלש *Arabicè* vocari ait *R. Jonas*. Aurora enim nihil quidquam est, quam ascens' Solis. Præterea *Chaldæis* quoq; גלשושיתא, *galsusitha*, vox palàm indè deducta, *collem*, & *eminentiam* sonat. Sic in graphica illa senilis ætatis descriptione *Eccles*. 12, 8. pro *Hebræis* גם מגבה יראו *etiam ab excelso loco timebunt*, sic habetur in *Chald. Paraphrasi*, וגלשושיתא קלילא סתילא באנפי נפשך לטור רם *Et parva eminentia in facie animæ tuæ similis erit excelso monti*, i. e. tibi videbitur esse instar montis excelsi. In editione *Buxtorfii* legitur ובשושיתא per *Beth*, sed in *Antverpiana*, & *Parisiensi*, melius per *Lamed* וגלשושיתא.

Quin in *Paraphrasi* locorum, in quibus versamur, *Chaldæus* μετεωρολογῶν, & palam ad hoc verbum alludens, per *capras Galaaditicas* שגלשו, *Jacobi filios* intelligit; qui collectis lapidibus, עבדו גלשושיתא בטורא גלעד *eminentiam*, (id est, *acervum*) *fecerunt in monte Galaad*. Neque corrumpi potuit vox גלשושיתא ut in loco *Ecclesiastis*; quia propter allusionem prorsus est necessaria. Proinde illam retinent editiones, quotquot sunt. Itaque versionem vocis שגלשו, quam adduximus, præter *Græcos*, & *Syrum*, & *Romanum* interpretem, *Arabica* insuper, & *Chaldaica* lingua confirmant. Neque vero frustra dicuntur sponsæ capilli similes esse caprarum villis, cum *ascendunt*, non cum *descendunt*. Quia capræ, cum ascendunt, longiores illi villi sunt in naturali situ; at cum descendunt, iidem reflectuntur, & invertuntur, quod minus decorum est. Sed huic interpretationi unum est, quod possit opponi, nimirum id non quadrare, ut capræ dicantur *ascendere* מהר גלעד *è monte Galaad*. Neque enim *è monte ascenditur*, sed *descenditur*. Absonum proinde videbitur quod hic habet *Syrus* Interpres, *Ut grex caprarum*, ܐܝܟ ܓܙܪܐ ܕܥܙܐ ܕܣܠܩ ܡܢ ܛܘܪܐ ܕܓܠܥܕ *qui ascendit è monte Galaad*. Et Hieronymus *Sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*. Unde est, quod *Aponius*, hic hærens, libro sexto in *Cant*. *De monte*, inquit, *descendere dicitur, & in montem ascendere*. Et, cum aliud non succurreret, confugit ad mysteria, quæ non sunt hujus loci. Sed duo sunt, quæ respondeam, Primo etiam è monte ascendi, nempe è monte inferiore ad alterum superiorem, vel ex ejusdem montis partibus inferioribus ad alias superiores: Sic qui ex *Alpium*, vel *Pyrenæorum* media parte ad cacumen enititur, dici potest è monte ascendere. Itaque, utut verum sit, quod à *Brocardo* asseritur, montem *Galaad* vicinorum omnium esse altissimum, & ut reliquorum caput ob sui eminentiam, tamen ex illo monte capras ascendere verè dixeris, cum illius partem emensæ, nituntur ad fastigium. Secundò potest hic esse verborum trajectio, ita ut illa intelligas quasi hæc ordine sita sint, *Capillitium tuum est, ut gregis caprarum è monte* Galaad *quæ ascendunt* supple *ad illum montem*. Cujus trajectionis exempla sunt obvia. Sic 2. *Sam*. 11, 2. *Et vidit mulierem se lavantem ex tecto* (ita est in *Hebræo*) id est, *vidit è tecto mulierem se lavantem*. Et Psal. 68, 24. *Ut tingas pedem tuum in sanguine, linguam canum tuorum ex hostibus*, &c. Ordo est, *Ut tingas sanguine ex hostibus*, seu *hostili, pedem tuum, & linguam canum tuorum*. Et rectè dicitur *caprarum è monte Galaad*; quia regio fuit εὔβοτος, & compascua. Unde *Galaad* dicitur *Num*. 32, 1. מקום מקנה *locus pecuariæ*: & *Mich*. 7, 14. *Depascent* Basan, *&* Galaad: & *Jerem*. 50, 19. *Pascetur* Carmel, *&* Basan; *& in monte* Ephraim, *&* Galaad. Quin ut terra *Basan* ovibus, ita terra *Galaad* est capris aptior; quia montosa, & sylvosa est. *Dioscorides* libro secundo in capite *De lacte*, capras pasci dicit δρυῒ, καὶ σχίνῳ, καὶ ἐλαίᾳ, καὶ τερμίνθῳ, *quercu, lentisco, olea, & terebintho*; cujusmodi arboribus scatent montana *Galaad*. Resiniferas saltem arbores, quales sunt lentiscus, & terebinthus, in iis locis non defuisse docent Sacri Scriptores, qui *resinæ de terra Galaad* non semel meminerunt. Sic *Gen*. 38, 25. *Ismaelitæ* mercatores resinam è *Galaad* in *Ægyptum* deferunt. Et *Jerem*. 8, 22. *Nunquid resina non est in* Galaad? Et *Jerem*. 46, 11. *Ascende in* Galaad, *& tolle resinam, virgo filia* Ægypti. *Resina* Hebræis est צרי *tseri*, *Græcè* ῥητίνη per Metathesim, & צ mutato in T: ut in Τύρος ex צור *Tsor*; & Τάνις ex צען *Tsoan*. Quod novi interpretes, post *Kimchium*, *balsamum* reddunt, est prorsus ἀνιστόρητον. Constat enim ex historiis balsamum cis *Jordanem* crevisse prope *Engadi*, & *Hierichuntem*; non trans *Jordanem* in terra *Galaad*

laad. *Strabo*, ubi de *Phœnicone Hierichuntis* libro decimo sexto; Ἐςι δ' αὐτῷ καὶ ὁ τ̃ βαλσάμυ παράδεισος, καὶ ἐνταῦθα μόνον γίνεται. *Ad illum etiam pertinet balsami paradisus, & ibi* SOLUM *nascitur. Diodorus*, etiam de hoc eodem *Phœnicone* loquutus libro decimo nono, pag. 724. Γίνεται δ' ἐν τῆς τόποις ἐν αὐλῶνί τινι καὶ τὸ καλύμενον βάλσαμον, ἐξ ὗ πρόσοδον ἁδρὰν εἶναι συμβαίνει· ὑδαμῦ μὲν τῆς ἄλλης οἰκυμένης εὑρισκομένη τ̃ φυτ̃. *Nascitur autem in valle quadam circa illa loca balsamum, quod vocant, unde maximi colliguntur reditus, nec alibi terrarum usquam reperitur hac planta. Trogus* libro trigesimo sexto, *Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevêre, quod in his tantum regionibus gignitur: est namque vallis, quæ, continuis montibus, velut muro quodam, cincta, ad instar hortorum clauditur: spatium loci CC. M jugera, nomine* Jericho *dicitur. In ea valle sylva est & ubertate & amœnitate insignis: siquidem palmeto & balsameto distinguitur. Josephus* de *Hierichunte*, *Antiquitatum* libri quarti capite tertio, Πόλις δ' ἐστὶν, εὐδαίμων αὐτη, φοίνικάς τε φέρειν ἀγαθὴ, καὶ βάλσαμον τιμωμένη· *Ea est beata urbs, cujus solum est palmis ferax & balsamum distribuit.* Et *Belli Judaici* libri quinti capite quarto, de eodem agro rursus, Φέρει δὲ καὶ ὀποβάλσαμον· *Fert etiam opobalsamum. Hegesippus* libri quarti, capite decimo septimo, *Illic opobalsamum gignitur. Gorsonides* libri quarti capite vigesimo secundo, במקום ההוא היה צומח בלסמו הוא שמן הטוב הנקרא אפרסמן והוא פנג *In illo loco crescebat balsamum, id est, oleum suavissimum, quod* apharsemon *vocant, &* pannag. *R. Levi* in 2. *Reg.* 20. v. 13. השמן הטוב והוא שמן אפרסמן שלא היה נמצא כי אם בארצו ובמקום אחד ממנו לבד ההוא נקרא בשמי בלת *Oleum illud* (quod legatis *Babylonis* ostendit *Ezechias*) *est apharsemon, quod alibi non reperiebatur, quàm in regno ejus, idque in uno solum loco* (nempe prope *Jericho*, nam terra *Galaad* non erat pars regni *Ezechiæ*) *atque id ipsum est, quod balsamum vulgò appellant.* Et, quod maximè notandum, in eundem locum ipse *Kimchius*, שמן טוב זה שמן אפרסמן שלא היה נמצא בכל העולם אלא בירחו *Oleum pretiosum*, id est, *apharsemon, seu balsamum, quod nuspiam terrarum erat, præterquam prope Jericho.* Proinde ipso *Kimchio* teste, צרי terræ *Galaad* non potest esse *balsamum*, cum à valle *Jerichuntis* terra *Galaad* plurimum distet. Quid quod in terra *Galaad* jam erat צרי ævo *Jacobi* Patriarchæ *Gen.* 37, 25. & 43, 11. At balsamum in *Judæa* notum non fuit ante *Solomonis* tempora, quibus eo translatum est ex *Arabia Felici* à Regina *Sabæorum*, ut docet *Josephus Antiquitatum* libri octavi capite secundo.

Pro corollario hic addam lactis caprini laudes, quod non solum est in Medicina magni usus, sed & apud quosdam populos in quotidianis cibis. Hinc *Solomon* Prov. 27, 27. *Et sufficiet lac caprarum in cibum tuum, & in cibum domus tuæ, & in victum ancillarum tuarum.* Et *Hieronymus* in *Jovinianum* libri secundi capite quarto, *Esto*, inquit, *bos ad arandum, ad sedendum equus, canis ad servandum, capra ad lac, oves ad lanitia condita sint.* Et *Locmanus* in Fabula *De homine, & porco*, الكبش لصوفه والعنز يطلب للبنها *Agnus propter lanam, & capra propter lac quæritur.* Et *Galenus* in libro Περὶ εὐχυμίας, &c. capite quarto, Αἰγείῳ μὲν ὗν γάλακτι πλείςῳ χρῶνται παρ' ἡμῖν, ὥσπερ ἐν ἄλλοις ἔθνεσι βοείῳ. *Caprino lacte apud nos* (in victu quotidiano) *multùm utimur, ut bubulo apud alios populos.* Et *Varro*, *Rusticorum* libri secundi capite undecimo; *Est omnium rerum, quas cibi causa capimus, liquentium* (lac) *maximè alibile, & id ovillum, inde caprinum.* Quibus verbis in alimentis, quæ ex rebus liquidis constant, dat primas ovillo lacti, & caprino solum secundas. Sed Medicorum filii caprinum ovillo præferunt. *Dioscorides* libro secundo, de lacte, Τὸ δ' αἴγειον ἥττον κοιλίας ἅπτεται, διὰ τὸ τὰς αἶγας τὸ πλεῖον ςυφόντα νέμεσθαι, δρυΐ, καὶ σχίνῳ, καὶ θαλλίᾳ, καὶ τερμίνθῳ. ὅθεν καὶ εὐςόμαχον τυγχάνει· τὸ δὲ προβάτειον δὲ παχύ τε, καὶ γλυκὺ, καὶ πάνυ λιπαρὸν, ὑχ' ὕτω δ' εὐςόμαχον. *Lac caprinum alvum minus tentat, propterea quod capræ multo adstringente pabulo utuntur, quercu, lentisco, olea, terebintho: unde & stomacho bonum est. Ovillum vero crassum, & dulce est, & valde pingue; nec ita utile stomacho.* Et *Galenus* ubi suprà, postquam lac ovillum crassum esse dixit, contrà quam asinorum, & bovinum pinguius, de caprino addit; Ἀπάντων δ' ἔχει συμμέτρως τὸ τῶν αἰγῶν, ὅτε γὰρ ἱκανῶς ἐστι, ὅτε λιπαρὸν, ὅτε παχὺ, καὶ διὰ τ̃ το μέσον τι τῶν ἄλλων ὑπάρχει κατὰ τὰς ἐνεργείας, ὡς ἐνεργεῖ κατὰ τὸ τῶν ἀνθρώπων σῶμα. *Sed omnia moderatè habet caprinum, quippe cum nec immodicè pingue, neque verò crassum sit: ideoque aliorum medium quid est, quoad operationes, quas in humano corpore edit.* Paulus Ægineta, *Lac muliebre temperatissimum est, mox caprillum; hinc asininum, ovillumque, postremo vaccinum. Ætius* in *Tetrabiblo* primo, *Serm.* 2. cap. 87. *Caprinum lac moderatum compagem habet, & ad purgandum debilius bubulo est, de cætero æquè commodum, & multum nutriens. Ovillum hoc crassius est, verùm vitiligines albas sub cute inducere solet, si quis eo assiduè utatur.* Proinde summus Deorum *Jupiter*, aut *Cretæ* Regulus verius, circa *Abrahami* tempora, capræ lacte nutritus fertur. Et capram illam *Astronomi* in cœlum transtulerunt. Qui nôrunt *N* & *L* esse literas maximè permutabiles, facilè credent *Amaltheam* fuisse dictam ex *Phœnicio* אמנתא *amantha*, deflexo ex *Hebræo* אמנת, quod pro *nutrice* occurrit *Ruth.* 4, 16. & 2. *Sam.* 4, 4. Sed observandum ex *Galeno* ubi suprà, Οὐκ ἀσφαλὲς, ἄνευ μέλιτος προσφέρειν τὸ τῶν αἰγῶν γάλα· πολλοῖς γὰρ τῶν μόνον αὐτὸ πιόντων ἐτυρώθη κατὰ τὴν γαςέρα, καὶ θαυμαςὸν ὅπως βαρύνει τε, καὶ πνίγει τὸν ἄνθρωπον· *Non tutò lac caprarum absque melle offerri: cum multis, qui solum sumpserant, in ventre sit coagulatum, quod hominem miré gravat, atque suffocat.* Quod vetustissimos illos mortales non latuit, qui *Jovi* duas nutrices assignârunt: unam *Amaltheam*, quæ lac caprinum; alteram *Melissam*, quæ mel illi administraret. *Lactantius*, libri primi capite vigesimo secundo *De falsa religione*: Didymus *in libris* ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς *ait* Melissea, Cretensium *Regem primum, Diis sacrificasse, ac ritus novos, sacrorumque pompas introduxisse. Hujus duas fuisse filias*, Amaltheam, *ac* Melissam, *quæ* Jovem *puerum caprino lacte ac melle nutrierunt. Unde Poëtica illa fabula originem sumpsit, advolasse apes, atque os pueri melle complêsse.* Hinc *Callimachus* Hymno in *Jovem*;

- - - - - - σὺ δ' ἐθήσαο πίονα μαζὸν
Αἰγὸς Ἀμαλθείης, ἐπὶ δὲ γλυκὺ κηρίον ἔβρως,

Tu autem suxisti pingue uber capræ Amaltheæ, *& insuper dulcem favum comedisti.* Nec desunt è veteribus, qui quoslibet infantes primò melle, deinde lacte nutritos fuisse testentur. Epistola *Barnabæ*, τί δὲ τὸ γάλα, καὶ μέλι; ὅτι πρῶτον τὸ παιδίον μέλιτι, εἶτα γάλακτι ζωοποιεῖται. *Quid ergo lac; & mel? Quia primum infans melle, deinde lacte vivificatur*, id est, *alitur.* Quod ex Medicorum præscripto factum, ut ad eum locum observat doctissimus *Vossius*, magni patris magnus filius. *Paulus* ὁ Θεοδωρήτης, Περὶ τῶν τροφῶν εἰσφέρειν δεῖ τῷ νεογνεῖ παιδίῳ τ̃ μέλιτος, μετὰ δὲ τ̃ γάλακτος, &c. *Aetius* Περὶ παιδοτροφίας Δοτέον δ' αὐτῷ πρὸ πάσης τροφῆς μέλι κάλλιςον ἀπηφεισμένον ἐκλείχειν, &c. Itaque in χυτειδίῳ, seu *ollula*,

ſpongia melle plena infanti ſugenda offerebatur. Quò pertinent hæc *Ariſtophanis* in *Acharn.*

Δός μοι χυτρίδιον σφογγίῳ βεβυσμένον.

Ad quæ *Scholiaſtes*, Ὅτι χύτραν φέρουσιν, ἐν ᾗ σπόγγος πεπληρωμένος μέλιτος· καὶ τιθέασιν ἐν τῷ στόματι τῶν παιδίων. Itaque etiam *Eſ.* 7, 15. mel infanti præſcribitur cum lacte & butyro. Et in baptiſmo veterum ſcribit *Hieronymus* adverſus *Luciferianos* capite quarto, è lavacro egreſſos *lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ ſignificationem.* Quomodo *Tertullianus*, *De corona militis* capite tertio, *Dehinc ter mergitamur*, &c. *Indè ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.*

CAPUT QVINQVAGESIMUM SECUNDUM.

Explicantur Scripturæ loca de Hœdis; in his Lex, quæ Hœdum coquere vetat in lacte matris ſuæ.

Hœdus Hebraicè גדי. *Cur dicatur hœdus caprarum. Vicus* Engadi *cur ab hœdis nomen habuerit. Aliud ejus nomen* Haſaſon-thamar. *Ibi palma, & balſamum.* Vineæ Engadi, *id eſt*, balſameta. *Hœdi olim in deliciis. Horum caro ſaluberrima.* Iſaacus *per hœdos duobus modis deceptus. Hœdus capreolo ſimilis. Hiſtriones, ut Satyros referrent, hinnuli pelle tecti, quomodo hœdina* Jacobus, *ut pro* Eſavo *haberetur. Lex, quæ hœdum in lacte matris coquere vetat, ter repetita. Verborum verſio multiplex.* Samaritanus *Interpres emendatus, & notatus.* Auguſtinus *negat hanc Legem ad literam poſſe intelligi. Hujus quinque interpretationes; quarum quatuor rejiciuntur, quinta probatur, & confirmatur. Refelluntur objectiones. Cur hœdus in lacte matris coctus ſit potius quam aliud animal quodvis. Ratio prohibitionis. Aliquid in ea Lege tropologicum. Crudelitatem etiam in mortua animalia poſſe exerceri.* Aben Ezræ *eâ de re locus. Quomodo* Judæi *recentiores hanc Legem ampliaverint, & quàm ſuperſtitioſè obſervent. De eadem Lege quid* Abarbanel, *&* Karaita *anonymus.*

HOEdi nomen *Hebræum* גדי *gedi*. *Syri* etiam uſurpant, & *Chaldæi*, & *Arabes*, qui definiunt الذكر من اولاد المعز *capræ fœtum maſculum.* In libris *Moſis*, *Judicum*, & *Samuelis* paſſim occurrit. Sic *Gen.* 38, 23. *Ecce miſi*, הגדי הזה, *hunc hœdum.* *Jud.* 14, 6. de leone *Samſonis*, *Et dilaceravit eum*, כשסע הגדי, *ac ſi dilaceraſſet hœdum.* Et 1. *Sam.* 10, 3. *Unus ferens* שלשה גדיים, *tres hœdos.* Sed & *Eſ.* 11, 6. *Et pardus* עם גדי, *cum hœdo accubabit.* Fœmininum גדיה, *capella:* Unde *Cant.* 1, 8. ורעי את גדיתיך, *Et paſce capellas tuas.* Et *Arabicè* Levit. 4, 18. in *Erpeniana* Paraphraſi, *Et offeret oblationem ſuam* جدية من المعز *capellam è capris:* unde deductum جداية *Algidaia* eſt *capreæ catulus.* *Damir*, الجداية الذكر والانثي من اولاد الظبي اذا بلغ ستة اشهر او سبعة وخص بعضهم به الذكر منهم Algidaia, *maſculus, aut fœmina ex capreæ catulis, cum ſextum, aut ſeptimum menſem attigit, quamvis nonnulli velint capreæ fœtum maſculum peculiariter hâc voce deſignari.* Quod mirum, cum terminatio ſit Fœminina.

Sæpe in Scriptura *hœdus* non dicitur גדי ſimpliciter, ſed גדי העזים *hœdus caprarum.* Sic *Gen.* 27, 9. *Ito ad gregem, & inde cape mihi* שני גדיי עזים, *duos hœdos caprarum.* Et verſu decimo ſexto, *Et pelles* גדיי העזים, *hœdorum caprarum.* Et *Gen.* 38, 17. *Ego mittam* גדי עזים, *hœdum caprarum.* Et verſu vigeſimo *Et miſit* Juda את גדי העזים *hœdum caprarum.* Et *Jud.* 6, 19. *Et* Gedeon *ingreſſus eſt, & paravit* גדי עזים *hœdum caprarum* Et *Jud.* 13, 15. Manoa *dixit Angelo*, &c. *Parabimus tibi* גדי עזים, *hœdum caprarum.* Et verſu decimo nono, *Et cepit* Manoa את גדי העזים, *hœdum caprarum.* Et *Jud.* 15, 1. *Viſitavit* Samſon *uxorem ſuam* בגדי עזים, *cum hœdo caprarum.* Et 1. *Sam.* 16, 20. *Iſai* per *Davidem* ad Regem *Saulem* mittit *aſinum panis* (id eſt, pane onuſtum, quomodo apud *Athenæum* *Soſibius* dixit ἄρτων τρεῖς ὄνους κανθηλίους, *panum tres aſinos cantherios*) *& vini utrem*, וגדי עזים אחד, *& hœdum caprarum unum.* Indè colligit *Kimchius* nomen גדי eſſe commune agnis, & hœdis, & גדי *caprarum* dici διαχριτικῶς, ut diſtinguatur à גדי *ovium.* Sed, cum גדי nec *Hebræi*, nec *Syri*, nec *Arabes* de agno unquam uſurpent, accedo potiùs *Aben Ezræ*, qui גדי עזים *hœdum caprarum* ideò dici autumat; quia עדיין צריך לעזים *capris adhuc indiget*, id eſt, quia, cum ſit tenellus adhuc, nondum poteſt matre carere. Quamvis ne hoc quidem ſatisfaciat, quia tam dicitur שעיר עזים, & צפיר עזים, id eſt, *hircus caprarum*, quàm גדי עזים, *hœdus caprarum.* Sic *Gen.* 38, 31. *Et jugulaverunt* שעיר עזים, *hircum caprarum:* cujuſmodi loca propè triginta reperire eſt tam in libris Legis, quàm apud *Ezechielem.* Et צפיר עזים, vel העזים, occurrit 2. *Par.* 9, 21. *Eſd.* 6, 17. & *Dan.* 8, 5. ubi *hirci* nomine non poteſt hœdus intelligi, quia cornutus deſcribitur, & in arietem æquè cornutum incurrit, cumque victum proſternit, & pedibus proculcat; quæ in hœdum haudquaquam quadrant. Itaq; aliud ſubeſſe oportet, cur *Hebræi hœdum caprarum*, aut *hircũ caprarũ* dicant, potius quam *agnum ovium*, aut *vitulum vaccarum*, quod ampliùs quærendũ. An quia שעיר primò *piloſum*, deinde *hircum* ſignificat, שעיר עזים, quaſi *piloſum caprarum* dixerunt διαχριτικῶς, ut ſciretur non piloſum in genere, ſed hircum deſignari? Quo exemplo dictum etiam צפיר עזים, & גדי עזים, quamvis non par ſit homonymia.

Ab hœdis nomen habet *Engedi* vicus in agro *Jerichuntino*, qui *Plinio En-gadda*, *Ptolemæo*, & *Stephano Engada*, ſed *Hebræis* עין־גדי *En-gedi* dicitur, id eſt, *fons capri*, ut in libro *Nominum* rectè interpretatur *Hieronymus.* Hoc nomen à ſitu adeptus, ut quidem ſuſpicamur. Eſt enim in celſis rupibus, quæ in valles ſubjectas caſum minari videntur, & terrorem tranſeuntibus incutiunt. Itaque fons inde promanans ideò *fons hœdi*, vel *capreæ*, videtur appellatus; quaſi ſolis capris eſſet pervius. Et pagus ibi conditus fontis nomen retinuit. Idem ille pagus 2. *Par.* 20, 2. vocatur חצצון־תמר *Chaſaſon-thamar*, à tuguriis in palmeto ſitis. Saltem pars prior nominis alludit ad *Arabum* خصاص *chuſas*, quod *caſas* ſonat, ſeu *tuguria.* Poſteriore *palmam* ſignificari nemo eſt qui neſciat. Circa pagum illum ſcilicet palmetum fuit nobiliſſimum, & longè palmeto præſtantior hortus opobalſami, de quo jam actum capite præcedenti. Proinde *Joſephus* *Antiquitatum* libri noni capite primo

primo, de *Moabitis*, & *Ammonitis*; *Bello oppugnabant* Engadde, *oppidum* Asphaltiti *lacus vicinum, stadiis trecentis disjunctum à* Jerosolymis. Γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῇ φοῖνιξ ὁ κάλλιςος, καὶ ὀποβάλσαμον. *In eo autem nascuntur egregiæ palmæ, & opobalsamum.* Nempe *Engedi* pars erat agri *Jerichuntini*, ubi balsamum provenisse supra docuimus. Unde est, quod per כרמי עין גדי *vineas Engedi* Cant. 1. v. 14. multi *Solomonem* putant balsameta significâsse, quia balsametis vinearum species fuit. *Plinius* lib. 12. cap. 25. *Ostendêre arbusculam hanc urbi Imperatores* Vespasiani, &c. *In totum alia naturâ, quam nostri externique prodiderant. Quippe viti similior est quam myrto. Malleolis seri dicitur, nuper vincta, ut vitis, & implet colles vinearum modo.* *Justinus* lib. 36. *Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur.* Et è recentioribus *Marinus Sanutus* lib. 3. cap. 14. *Arbuscula illa est sicut lignum vitis trium annorum.*

Hœdi apud *Hebræos* maximè erant in deliciis. Hinc, cùm *Isaac* ab *Esavo* מטעמים *cupedias* petiit, quibus senilis palati fastidiis aliquo modo subveniret, *Rebecca* illi paravit duos hœdos. Non, ut unus *Paschalis* esset, alter in cibum, quod *Hebræi* stulte asserunt, cum *Pascha* multis demum sæculis post *Isaacum* fuerit institutum: sed ut condirentur الوانا diversis modis, quomodo hic habet Interpres *Arabs Parisiis* editus *Gen.* 27. *v.* 9. 14. 17. Et è variis condimentis eligeret *Isaacus* quod maximè arrideret. *Gedeon* quoque *Jud.* 6. v. 10. & *Manoah. Jud.* 13. v. 15. hospites suos lautè excepturi, Angelos nempe qui latebant sub hominum specie, hœdos illis apponunt. Et *Davidis* pater, *Isai*, Regi hœdum audet offerre 1. *Sam.* 16. *v.* 20. Ut de *Juda* taceam, qui pro אתנן seu *concubitûs mercede* hœdum *Thamari* obtulit *Gen.* 38. *v.* 17. Et de *Samsone*, qui *Dalila* hoc idem munus destinat *Judic.* 15. *v.* 1. Ut qui dicit apud *Poetam*,

Præterea duo nec tutâ mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera, quos tibi servo.
Jam pridem à me illos abducere Thestylis *orat,*
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.

Et verò antequam tot gulæ mangonia reperta essent, quibus harum artium magistri id tandem obtinuerunt, ut ad communes dapes palatum obbrutesceret, magni fiebat hœdina caro, & in conviviis apud veteres sæpe laudatur inter præcipuos cibos. Sic *Athenæus* libri noni capite decimo quarto, Περιεφέροντο καὶ ἔριφοι πολλάκις ποικίλως ἐσκευασμένοι, ἄλλοι δὲ καὶ πολὺ τὸ ὀπὸν ἔχοντες, οἵτινες οὐ τὴν τυχοῦσαν ἡδονὴν παρεῖχον ἡμῖν. *Sæpe etiam hœdi circumferebantur vario apparatu, quorum nonnulli, multum habentes laserpicii, nos non vulgari voluptate afficiebant.* Et *Aristophanes* in *Ciconiis* inter dapes opiparas censet κωλᾶς ἐρίφων, *hœdorum pernas*. Et *Xenophanes Colophonius* in *Elegis*,

Πέμψας γὰρ κωλῆν ἐρίφου, σκέλος ἤραο πῖον
Ταύρου λαρινοῦ - - - -

Missa hœdi pernâ, crus pingue reportâsti Larini *tauri.* Et *Juvenalis Persico*, quem ad cœnam invitat, hœdum his verbis pollicetur, *Sat.* 11.

De Tiburtino *veniet pinguissimus agro*
Hœdulus, & toto grege mollior, inscius herbæ,
Nec dum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quàm sanguinis. - -

Quin sibi fingit *Isidorus*, Orig. lib. 12. cap. 1. *hœdum ab edendo dici, quasi appellari mereatur edullium* καὶ ἐξοχὴν propter saporem eximium. Nec hœdina caro minoris fit à Medicis, qui saluberrimam censent. *Galenus* Περὶ λεπτυνούσης capite quarto, postquam agnorum, & porcellorum recens natorum, membra, quia sunt valde humida, βλεννώδη *mucosa* esse notavit, ac proinde difficulter concoqui, τὰ δὲ τῶν ἐρίφων, inquit, ἐπειδὰν ξηρότερα φύσει τὰ ζῶα, πολὺ βελτίω, καὶ πρὸς πέψιν ἐςὶ, καὶ πρὸς τροφὴν, *hœdorum autem membra, quia hæc animalia naturâ sunt sicciora, multò meliora sunt tam ad concoctionem, quàm ad alimentum.* Et capite octavo libri, *De attenuante victus ratione*, qui Græcè non habetur: *Ex terrestribus vero animalibus hirci & arietes, & genus omne ovinum, & caprarum, non undequaque laudabilis sunt alimenti. Solis autem hœdis innoxie utere.* Et *Symeon Sethi* capite *De cibariorum facultate*, Τὰ τῶν ἐρίφων κρέα εὔπεπτά ἐςι, καὶ σύμμετρα. γεννῶσι δὲ αἷμα λεπτὸν, καὶ ὑγρὸν, ὠφελοῦσι δὲ τὰς θερμὰς, καὶ ξηρὰς κράσεις. *Hœdorum carnes facilè concoquuntur, & temperatæ sunt; sanguinemq; tenuem & humidum gignunt, calidas autem & siccas habitudines juvant.* Et è recentioribus *Platina* in libro *De honesta voluptate, & valetudine*; *Hœdorum carnem, quæ nulla inter domestica animalia potior habetur, edito. Parum enim excrementi in se habet, facilè concoquitur, bene alit, sanguinem bonum generat, calido & frigido contemperatum. Hic cibus convenit lautè viventibus.*

Isaacus Genes. 27. per hœdos *Jacobi* deceptus est duobus modis. Primò, sapore carnis, quam putavit esse ferinam. Secundò, tactu pellium, quibus *Jacobus* collum, & manus obvolverat, ut haberetur pro *Esavo*. Nec difficile fuit *Isaaco* tum valde seni sic imponere, cui ætas ingravescens ut hebetaverat oculos, ita etiam reliquos sensus obstupefecerat. Præterea ut capra capreæ, sic hœdus capreolo est persimilis, neque carnes multum differunt, maximè si condimenta accedant, quibus naturalis sapor ita alteratur, ut vix possit internosci. Memini me vidisse viros, rei venatoriæ non imperitos, qui bubulam in artocrea pro cervina comederint. *Esavum* quod attinet, is natus erat hirsutus ad instar villosi pallii, *Genes.* 25. v. 25. quomodo *Poetæ Satyros* nobis describunt. Ac proinde qui *Satyrorum* in theatris personam sustinebant, binnulorum, aut hircorum pellibus induebantur. *Pollux*, Ἡ δὲ Σατυρικὴ ἐσθὴς νεβρὶς αἰγῆ, ἣν καὶ ἰξάλην ἐκάλουν, καὶ τραγῆν. Ita *Jacobum* oportuit, ut *Esavum* fratrem referret, hœdinâ obtegere eas partes, quæ nudæ esse solent, nempe collum, & manus. Notant *Hebræi* eundem *Jacobum*, qui patrem per hœdum fefellerat, vicissim à filiis suis deceptum fuisse per hœdum illum, cujus sanguine *Josephi* tunicam cruentaverunt, ut *Jacobus* crederet feras illum discerpsisse.

Lex est in *Mose* de hœdo ter repetita, scilicet *Exod.* 23. *v.* 19. & 34. *v.* 26. & *Deut.* 14. *v.* 21. *Hœdum non coques in lacte matris suæ.* Cujus verba, utut facilia, tamen Interpretes variè torquent. *Græci Seniores*, quibus alibi גדי semper est ἔριφος, vel αἰγίδιον, id est, *hœdus*, constanter ἄρνα *agnum* hic habent. *Symmachus*, Οὐ σκευάσεις ἔριφον ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ, *Non condies hœdum lacte matris suæ.* Cùm enim de cibis agitur, σκευάζειν Græcè *condire* est. *Onkelos* non tam verba respiciens, quam quem credidit sensum esse verborum, לא תיכלון בשר בחלב *Non comedes carnem cum lacte*, quod sequitur *Arabs Erpenianus*. Et utrisque præiit *Hierosolymitana* hæc Paraphrasis לא אתון רשאין לא לבשלא ולא למיכלא בשר חלב מעורבין כחדא *Vobis licitum non est coquere, nec edere carnem, & lac simul commixta.* Quæ ferè eadem habet *Jonathan* cum auctario pleno minarum. Et in *Paraphrasi* quidem illud est tolerabile. Sed *Samaritanos* quis ferat, qui post verba Legis, *Hœdum non coques*, &c. in ipsum *Mosis* textum hæc inserere ausi sunt, [Samaritan text] *Et qui hoc facit est, ut qui macrum sacrificat, quod irritat Deum Jacobi.* Vox [Samaritan] *oblivionem* sonat, quod cum hic sit prorsus extra rem, muto in [Samaritan] id est, *macrum*. Aliud conjectat doctissimus *Hottingerus* in *Anti-Morinianis* suis capite septuagesimo, quem consulat, & sequatur, qui volet. Hæ

de verbis: rem quod attinet, vix ulla est Lex in toto *Mosis Pentateucho*, de cujus sensu minus constet. Sunt, qui literalem sensum prorsus excludunt, ut substituant Allegoricum. In his *Augustinus* in *Exodum* Quæst. 90. multis probare nititur hæc non posse intelligi secundùm verborum proprietatem: quod & alii sequuntur veterum, & recentiorum. Itaque nihil non movent, ut his verbis doceant Allegoricum sensum subesse. At nobis non licet esse tam acutis, quibus id solum est propositum, ut ad literam singula exponamus, certi nullam esse Dei Legem, quæ juxta literalem sensum non possit, & debeat intelligi. Quo posito, & explicato, si quis ex illo conatur Allegorias elicere, per nos non stabit, dummodo ne in eo sit nimius, & remota ac aliena non consectetur. Sed in hac Lege statuere quis sit literalis sensus, hoc opus, hic labor est. Nonnulli verba, *Hœdum in lacte matris suæ*, simul connectunt, quasi hic coqui prohibeatur hœdus, qui est in lacte matris suæ. Alii malunt hæc jungere, *Non coques in lacte matris suæ*, quasi hœdus prohibeatur in lacte materno coqui. Et priores in tres classes, posteriores in duas dividuntur, unde enascuntur horum verborum quinque interpretamenta, quæ singula ordine proponemus. 1. Sunt, quibus *hœdus in lacte matris suæ* hœdus est in matris utero latens, ubi nonnisi lacte matris alitur, atque augetur. Et rem explicant verbis *Clementis Alexandrini*, qui sic habet libro secundo *Stromatum*, Οἱ δὲ καὶ ἀπολακτίζοντες τὰς γαστέρας πρὸ τῆς ἀποτέξεως ζώων τινῶν, ἵνα δὴ γάλακτι ἀνακεκραμένην σάρκα θοινάζωνται, τάφον τὴν κυοφορημένον τὴν εἰς γένεσιν κληθεῖσαν μήτραν πεποιήκασι, διαρρήδην τοῦ νόμου τε κελεύοντος, ἀλλ' οὐδὲ ἑψήσεις ἄρνα ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ. μὴ γὰρ γινέσθω ἡ τοῦ ζῶντος τροφὴ ἥδυσμα τοῦ ἀναιρεθέντος ζώου, φησίν, ἡ σάρξ. μηδὲ τὸ τῆς ζωῆς αἴτιον, συνεργὸν τῇ τοῦ σώματος καταναλώσει γινέσθω. *Qui autem in aliquorum animantium ventres ante partum calces impingunt, ut contemperatâ carne lacte vescantur, matricem, quæ est creata ad generationem, faciunt sepulchrum fœtus, qui gestatur in utero: cum Lex aperte statuat,* " *Sed neq; coques agnum in lacte matris suæ. Non fiat enim, inquit, quæ viventis nutrimentum est, interempti animalis condimentum: neque quod est causa vitæ ad corporis destructionem inserviat.* Quale illud *Plutarchi* Περὶ Σαρκοφαγίας lib. 2. Οἱ δὲ οὔθασι συῶν ἐπιτόκων ἐναλλόμενοι, καὶ λακτίζοντες, ἵνα αἷμα, καὶ γάλα, καὶ λύθρον ἐμβρύων ὁμοῦ συμφθαρέντων ἐν ὠδῖσιν ἀναδεύσαντες (ὦ Ζεῦ καθάρσιε) φάγωσι τοῦ ζώου τὸ μάλιστα φλεγμαῖνον. *Alii autem suum partui vicinarum uberibus insilientes, ea calcibus feriunt, ut sanguinem, & lac, & tabum embryonum simul peremptorum in doloribus partûs immiscentes (proh piacularis* Jupiter) *maxime æstuantem animalis partem devorent.* 2. Alii hœdum in lacte matris censent primo post partum septiduo, quo maximè tempore hœdus eget lacte materno, ut ejus suctu invalescat, & cibo reddatur idoneus. Itaque ex horum sententia Lex vetat hœdum coquere, Deo scilicet offerendum, ante octavum à partu diem: ut hic aliis verbis idem dicatur, quod *Exod.* 22. *v.* 30. ubi, postquam hominum primogenitos sibi consecrari jussit Deus, de brutis addit, *De bobus quoq;, & minuto pecore* (id est, de ovibus, & capris) *idem facies: septem diebus esto cum matre sua, die autem octavo illud reddes mihi.* Et *Levit.* 22. *v.* 27. *Bos, aut agnus, aut capra, cum nata fuerit, & septem dies manserit sub matre sua, die octavo, & deinde offerri Deo poterit in ignitam oblationem.* Cujus sententiæ vel auctores, vel assertores, *Junius*, *Piscator*, alii hoc potissimum fundamento niti videntur, quod ut *Exod.* 22. *v.* 30. Legi de primitiis Deo offerendis subjicitur Lex de pecore ante diem octavum Deo non offerendo: ita *Exod.* 23. *v.* 19. & 34. *vers.* 26. eandem Legem de primitiis inibi repetitam sequitur Lex de hœdo in lacte matris non coquendo. Quod *Deut.* 14. *vers.* 21. ideò volunt rursus interdici, ut non sacer solum, sed & privatus usus prohibeatur hœdi, qui adhuc est in lacte matris. Neque enim ibi agitur de primitiis, ut in *Exodo*: sed post vetitum esum morticinii additur *Non coques hœdum in lacte matris suæ*: ut in privatis cibis hœdi septiduani esus tam esse vetitus intelligatur, quàm esus morticinii. Nec desunt, qui ad *Paschalem* hœdum, aut agnum hæc referant ex *Exod.* 34. *vers.* 26. quia præcedente versu de *Paschali* sacrificio actum fuerat. 3. Tertia interpretatio eorum est, quibus hœdus, aut agnus in lacte matris esse censetur, ac proinde in cibis interdictus, non solum per septiduum, sed quamdiu à matre lactatur. Lactationis porro tempus tres in hœdis, quatuor in agnis menses durat. *Varro*, *Rusticorum* libri secundi capite primo, *Ferè ad quatuor menses à mamma non disjunguntur agni, hœdi tres.* Et capite secundo, *In nutricatu hœdi trimestres cùm sunt facti, tum submittuntur, & in grege incipiunt esse.* Itaque toto illo tempore horum usum, & esum *Judæis* interdictum fuisse volunt, cum quia tum sunt minùs salubres, &, quod ait *Poeta*,

Plus lactis habent quam sanguinis,

tum quia lactantem fœtum ab uberibus matris avellere, ut occidatur, videtur aliquid habere immanitatis. 4. Quartò, lac matris aliis per Hypallagen est mater lactans. Et *hœdum coquere in lacte*, aut *cum lacte matris*, est hœdum coquere unà cum matre, quæ vivum lactavit, quod hac Lege vetitum esse censent. Quomodo *Levit.* 22. *v.* 28. vaccam, aut ovem, aut capram eadem die cum fœtu mactare prohibetur. Et *Deuter.* 20. *v.* 6. matrem in avium nido cum pullis accipere. Quale est illud Pseudo-*Phocylidis*,

Μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω,
Μητέρα δ' ἐκπρολίπῃς, ἵν' ἔχῃς πάλι τῆς δὲ νεοττούς.

Neq; quis aves è nido simul omnes auferat: sed matrem dimittat, ut pullos ex ea rursus habeas. 5. Quinta denique interpretatio id solum hac Lege sanciri statuit, quod verba præ se ferunt, nempe ut ne in lacte materno coquatur hœdus.

Jam de singulis interpretationibus liberè dicemus quid videatur. 1. In prima supponit *Clemens Mosis* sæculo jam fuisse in usu rem sui ævi, nempe ut gravidæ matris uterum, & mammas, lurcones calcibus ideò impeterent, ut fœtus per abortum ex vulva excidens esset palato gratior. Quod ut credam mihi non possum in animum inducere. Neque enim tam docta & ingeniosa fuit gula prioribus illis sæculis. Nonnisi post multas ætates *magister artis, ingeniiq; largitor, venter* has artes excogitavit. Itaque illarum nemo, quod sciam, meminit ante *Plutarchum*, qui *Mose* junior fuit annis circiter mille quingentis. Ut taceam de hœdis, aut agnis, hæc in eo non legi; sed de porcellis, quorum esus *Judæis* prorsus erat interdictus. 2. Sed neque eos probo, qui volunt *hœdum in lacte matris* eum dici, qui recens natus est, neque dum attigit octavum diem. Quia hœdus tam est in lacte matris, quamdiu lactatur, quam prima hebdomade. Neque ulla ratio est, cur septimo à partu die dicatur esse in lacte potius quam octavo, aut nono. 3. Hoc quoque parum est verisimile hœdum lactentem toto lactationis tempore *Judæis* fuisse interdictum, quia quidquid per Legem sacrificare licuit, licuit etiam comedere. Neque enim ullus cibus per Legem fuit interdictus, nisi propter legalem immunditiem. Id porro per Legem immundum censeri non potuit, quod Deus habebat acceptum, & in sacrificiis admittebat. Admittebat autem hœdos, & agnos nondum ablactatos, nempe statim ab octavo die, ut expresse habetur *Exod.* 22. *v.* 30. & *Levit.* 22. *v.* 27. Unde est, quod *Samuel* Deo obtulit טלה חלב *agnum lactis*, id est, ἄρνα γαλαθηνόν, *agnum subrumum*, ut habent *Græci* Interpretes. Et Deus multo fragore tonitruum, & *Israelitarum* hostibus fusis fugatisque, testatus est se ratum, & gratum habere hoc sacrificium, 1. *Sam.* 7. *v.* 9.

v. 9. 10. & *Eccles.* 46. *v.* 20. 21. Itaque, ut lactentem hœdum, vel agnum licuit offerre Deo, ita etiam comedere non fuit illicitum. 4. Videtur etiam dura Hypallage, qua per lac matris matrem ipsam significari volunt, quæ simul cum hœdo coquatur. Quod si voluisset *Moses* quidni dixisset, *Hœdum cum matre non coques*; cùm verba legum clara, & diserta esse oporteat, ne ulla sit excusatio.

5. Itaque nihil superest, nisi ut statuatur Legislator hoc voluisse, quod verba sonant, nimirum, ut ne coquatur hœdus in lacte matris suæ. In quam interpretationem nihil objici video, quod non possit facile refelli. Frustra, inquiunt, id vetetur, quod non fit, neque verò unquam factum est. Quis enim hœdum unquam audiit in lacte matris fuisse coctum? Non respondebo cum *Aben-Ezra* in hunc locum id hodieq; fieri apud *Ismaelitas*, neque cum *Thoma* in *prima secunda* Quæst. 102. artic. 6. *Gentiles* in idolorum solemnitatibus hœdorum carnes in matrum lacte decoxisse ad immolandum, & comedendum. Quippe incerta hæc esse fateor, cùm e veteribus neminem sciam, qui tale quidquam asserat. Sed & æquè incertum est nihil tale fuisse in usu ætate *Mosis*. Quin ad vicinarum gentium ritum aliquem alludi puto, cujus in tanta vetustate vestigia non superesse quis miretur, cùm è profanis Scriptoribus nullum habeamus superstitem, qui non sit *Mose* posterior multis sæculis. Addunt nihil esse causæ, cur id de hœdo vetetur potius, quam de agno aut vitulo. Sed in promptu est responsio, de solo hœdo id vetari; quia vicini populi solùm hœdum ita coquebant. Neque desunt rationes saltem verosimiles, cur solus hœdus ita coctus sit. Nonnisi carnem tenerrimam in lacte posse coqui planum est; quia nisi esset tenerrima, non coqueretur tam cito, quam ipsum lac, quod ferè momento coquitur. Porro caro tenerrima non est nisi in animali recens nato. At ex animalibus recens natis solus hœdus ad cibum est idoneus; quia siccior. Ne agnum quidem hic excipimus, quamvis ad hœdi naturam proximè accedat. *Galenus*. *De attenuante victu* capite octavo, *Solis hœdis innoxiè utare. Agnorum esus propter insignem humiditatem est fugiendus.* Et *De alimentorum facultate* libri tertii capite secundo, postquam hœdinam caprinæ prætulit, & porcellos rejecit propter humiditatem, ὑγρὸν ἅτε ἔχων, καὶ φλεγματώδη σάρκα, καὶ οἱ ἄρνες, *sed & agni humidissimam, & pituitosam carnem habent.* Quæ eadem habet *Aetius*, *Tetrab.* 2. cap. 121. Itaque agni tenelli, & recens nati, vel planè non comeduntur, aut saltem ad ignem assantur, ut nimia illa humiditas ex parte consumatur. Et pessimè sibi consuleret, qui comederet in lacte coctos, quia humidissimo humidissimum sic admoveret. Proinde agnos in lacte qui coquerent nulli fuerunt, neque id prohibere fuit necesse quod à nemine fiebat. Jam si petatur quæ fuerit ratio prohibitionis, rogabo vicissim quorsum vetuerit Deus trituranti bovi os alligare, *Deut.* 25. *v.* 4. Et animalia virium inæqualium, ut bovem & asinum, sub eodem jugo copulare, *Deut.* 22. *v.* 10. Et vaccam, ovem, aut capram mactare unà cum fœtu, *Lev.* 22. *v.* 28. Et in avibus matrem unà cum pullis accipere, *Deut.* 22. *v.* 6. Quæ non ideò sanxit Deus, quod illi curæ essent bestiæ. Sed illæ Leges propter nos latæ sunt, 1. *Cor.* 9. *v.* 9. 10. Nempe ut iis doceremur, quam humani & æqui esse debeamus erga homines, qui nobis sunt similes, & ad imaginem Dei facti. Quandoquidem in bruta etiam Lex ea vetat admitti, quæ speciem habent immanitatis. Itaque hæ fuerunt Leges ita ceremoniales, ut tamen includerent aliquid tropologicum. Sed & *Athenienses* in puerum animadverterunt, qui configebat cornicum oculos, & τῷ ζῶντα τὸν κριὸν ἐκδείραντι δίκην ἐπιθεῖναι, *pœnam illi irrogârunt, qui vivum arietem excoriaverat*, ut testatur *Plutarchus* σαρκοφ. libro primo. Et in secundo idem in eos acriter invehitur, qui verua candentia in suum jugulum intrudunt, ut sanguis, circa ferri incturam extinctus, atque diffusus, carnem teneram & friabilem reddat: Aut qui in suum ubera insiliunt, & calcibus impetunt eo fine, quem jam diximus, aut qui saginandis gruibus, & oloribus oculos consuunt. At, inquiunt, sic conferuntur quæ non sunt similia satis. Nam Leges de asino & bove sub eodem jugo non copulandis, & de bove triturante non obligando, & de matre cum fœtu non capiendâ, vel mactandâ; exempla quoque ex *Plutarcho* allata respiciunt animalia viva, quæque vel immanitatis, vel misericordiæ possunt quadantenus esse objectum. Quod de hœdo dici non potest, qui in lacte matris coquitur. Neque enim ad animal occisum attinet, qua ratione coquantur ejus carnes. Cum *Thoma* respondemus (*prima secunda* Quæst. 102. artic. 6.) etsi hœdus occisus id non sentiat, tamen id in decoquentis animo crudelitatis speciem habere, si lac matris, quod ei pro nutrimento datum est, adhibeatur ad carnium ipsius consumptionem. Falsum enim est, quod hi supponunt, nonnisi in vivos, & sentientes crudelitatem exerceri. Annon immanitas fuit in *Fulvia*, (a) quod mortui *Ciceronis* linguam acu crinali pupugit? *a) Dio in Aug.*
Et in *Nerone* (b) quòd matris à se interfectæ membra curiosius inspexit, & contrectavit? Et in uxore *Tarquinii Tullia*, quod (c) supra cadaver patris adhuc cruentum, vecta carpento, consternatos equos egit. Et in *Scythis* apud *Herodotum*, (d) quod hostium corio pro amiculis utebantur, & iisdem pharetras integebant? Quæ tamen mortuos non sensisse in confesso est. Ita sunt, qui in pecudes tam mortuas, quam vivas atrociores se exhibent: quorum utrumque divina Lex *Israelitis* interdixit, ne qui in bruta sævire incepissent, inde etiam in homines grassari paulatim assuescerent.

b) Suet. in Ner. cap. 34.
c) Florus lib. 1. *cap.* 7.
d) Lib. 4. *c.* 64.

In hunc locum qui plura volet consulat *Aben Ezra* Commentaria, ex quibus non piguit hæc *Latinè* reddere in eorum gratiam, quibus *Hebræa* sunt inaccessa: *Vulgo non comeditur caro cum lacte, cum quia cibus est insuavis, tum quia caro nonnisi per multum tempus coquitur; quod in lacte secus se habet. Quin hodieq; in regione* Arabum *non solet comedi agnus in lacte elixus, quia in agno multa est humiditas, quomodo etiam in lacte, quocirca id esset noxium, ac proinde non comeditur. At quia hœdus non est carnis humidæ, sed calidæ statim a tenero, ideò in lacte coquitur. Neq; id mirum videri debet; quia horum locorum homines hœdo caprarum* (id est, lactente) *vesci non solent. Nam fatentur Medici nullam esse talem carnem* (id est, tam salubrem) *Unde est, quod ejus esum ægrotis concesserunt. Et in morbis ea vescuntur in* Hispania, *&* Africa, *& terra* Israelis, *&* Perside, *&* Babylonia. *Quod etiam apud veteres receptum fuit. Proinde dicitur* Gen. 27. v. 9. "*Hœdos caprarum duos bonos accipe. Et* Jud. 13. v. 15. "*Parabimus tibi hœdum caprarum. Et unum pro peccato comedebat Sacerdos. Porro, quia caro viva non comeditur, vetitum est coquere hœdum in lacte matris suæ. Sunt, qui dicunt Verbum* בשל (quo hic utitur *Moses*) *non usurpari nisi de coctione, quæ fit per ignem* (id est, assatione) *Sed nonne idem verbum usurpatur, cùm scribitur* Exod. 12. v. 9. "*Et coquendo coques in aquis, Et* 1. Paral. 35. v. 13. "*Et coxerunt in ollis? Neque verò solemus esse sollicitì de ratione prohibitionum* (ceremonialium) *quæ doctissimos etiam latent. Sed fortasse hæc facta est, quia coquere hœdum in lacte matris suæ habet aliquid atrox: ut Lex sit isti similis:* "*Bovem, & ovem, & capram cum fœtu suo non mactabitis* Lev. 22. v. 8. "*Et matrem cum pullis non accipies*, Deut. 22. v. 6. In sequentibus hoc solum notandum duxi והנה גם הישמעאלים מורים כי אם יבושל הגדי בחלב אמו שהתולדת שוה אז הוא יותר ערב *Etiam* Ismaelitæ *asserunt hœdum in lacte matris elixum longè esse suaviorem propter æqualitatem temperamenti.* Cætera consulto prætereo, quibus majores suos excusare conatur, quod hanc prohibitionē non parum ampliaverint. Nam

Nam *hædi* nomine bovis etiam, & agni carnem, & *coctionis* nomine quemvis carnium illarum usum intelligunt: neque lac solum matris, sed aliud quodvis negant cum carne debere comedi. *Maimonides* libro *De cibis vetitis* cap. 9. בשר בחלב אסור לבשלו ואסור לאכלו מן התורה ואסור בהנאה וקוברין אותו ואפרו אסור כאפר כלי הנקברים ומי שבשל משניהם כזית מאחד לוקה שנאמר לא תבשל גדי בחלב אמו וכן האוכל כזית משניהם מבשר וחלב שנתבשלו כאחד לוקה ואפי׳ שלא בשל *Carnem in lacte coquere vetitum est, & comedere etiam Lege vetitum. Vetitum denique est omne ex ea lucrum. Itaque sepelitur, & cinis quoque ejus vetitus est, ut cinis eorum omnium, quæ sepulta sunt. Et vapulat quisquis ex illis duobus mixtis elixaverit ad olivæ magnitudinem. Quia dictum est, « Non coques hædum in lacte matris suæ. Sed & vapulat quisquis ex iis duobus comederit quantum olivam, ex carne, inquam & lacte simul elixis, etiamsi ipse non coxerit.* Hic primus est ex viginti octo paragraphis, quos in illo capite habet *Maimonides* de hac eadem prohibitione, qui tamen hoc argumentum *Hebræorum* omnium brevissimè transcurrit. Alii enim libros integros de ea Lege scripserunt, ex quibus illos habere constat duplicia vasa culinaria, altera ad carnes, altera ad cibos lactarios. Quorum lactaria tribus distinctis notis signant, eò quod hæc prohibitio ter in *Mose* repetatur. Aliquando iisdem inscribunt vocem חלב, id est, *lac*, ut reliquis בשר *caro*. Quale est, quod singuli *Judæi* duos semper cultros deferunt, unum ad carnes, alterum ad caseum, pariter tribus incisuris notatum. Duo quoque in mensa habent salina; quorum alterum eodem modo notatur. Et, si alterum pro altero usurpatur, sal effunditur, nec eo amplius uti licet. Vasa item si mutata sunt, cibos in illis coctos non edunt, fictilia confringunt, lignea probè abluunt, ferrea in igne mundant. Carnes, & lacticinia non coquuntur simul in eodem foco, nec simul mensæ apponuntur, sed pro utrisque peculiares habentur mappæ, & mantilia inscripta, quomodo diximus, ne ab incautis permisceantur. Qui carne, vel jure è carnibus vescitur, per horam integram caseo, & lacticiniis abstinet; nonnulli etiam per sex horas. Qui tamdiu expectare nequit, carnem dentibus curiosè eximat, os abluat, & panis frustulo carnium saporem detergat, & auferat. Si sebum in lac inciderit, cibus ille vetatur, nisi sebum sexagies quantitate superet. Hæc & alia hujus generis vide apud *Buxtorfium Synagoga Judaica* cap. 26. & apud *Fagium* in hunc locum, ubi bonam hodie partem religionis *Judaicæ* observat in horum rituum observatione consistere. Quod me penè fugerat, *Exod.* 23. *v.* 18. 19. & *Deuter.* 34. *v.* 25 26. Deus, *Israelitas* cohortatus ad tria festa quotannis celebranda, hæc quatuor illis præscribit, 1. Ne cum fermentato pane fiat: 2. Nec in posterum servetur *Paschale* sacrificium. 3. Primitiæ afferantur in Dei domum. 4. Ne coquatur hœdus in lacte matris. Quorum ut duo priora palam ad *Pascha* pertinent, & tertium ad *Pentecosten*, ita quartum refert *Abarbanel* ad festum Tabernaculorum, seu collectionis frugum. Quasi hoc festo Deus ideò prohibuerit coquere hœdum in lacte matris, quia tum solebant Idololatræ לבשל גדיים בחלב בזמן אסיפת התבואות לחשבם שבזה יתרצו לאלהיהם *hædos in lacte coquere, quo tempore legebant fruges, ut sic magis propitios haberent Deos suos.* Est & *Karaita* Scriptor anonymus, qui factum id fuisse dicit דרך כשפה magica ratione, & veteres idololatras post collectionem frugum hoc lacte arbores, agros, hortos, & paradisos ideò aspersisse, ut in sequentem annum feraciores essent. Ac proinde cavisse Legem, ne tale quid admitterent *Israelitæ*. Id in *Anglicano* libro reperi *Londini* edito *Anno* 1642. in quo vir doctissimus *Pascha Judaicum* cum cœna Domini mira ratione confert.

CAPUT QUINQUAGESIMUM TERTIUM.

Hebræa Hircorum nomina quatuor explicantur.

I. שעיר sair, *id est*, pilosus. Vulgata *emendatur.* Τράγος *unde.* Cilicii *hirci.* *Hircipili.* Festus *emendatus.* Hircus & hirtus *conjugata.* C & T *permutantur.* Israelitæ *in* Ægypto *cum* pilosis *fornicati sunt.* *Hirci à* Mendesiis *culti.* *Ibidem mulieres hircis fœdè se submittebant.* *Ut* Jupiter *arietis*, Anubis *canis*, Diana *felis*, *ita* Pan hirci *specie in* Ægypto *cultus.* *Idola cur* Græcè τὰ μάταια. Pilosi, *id est*, dæmones. *Dæmonum in desertis voces.* Τραχιῶτες, *dæmonum genus.* *Dæmones hircorum specie sæpe visi.* *Tragœdia unde dicta.* Satyri τράγοι *dicti.* *Arabibus* asatiro *hirci.* Mendes *hircus* Ægyptiacè. Ægyptii *ætate* Mosis *à veri Dei cultu jam alieni.* *Quid sit* immolare abominationem Ægyptiorum, *Exod.* 8. *v.* 26. Græcanici *mores cum* Ægyptiacis [illegible]. *De eo locus* Anaxandridis. *Cur pastores* Ægyptiis *odiosi.* *Magia jam olim in* Ægypto. Jannes, & Jambres. Plinius *notatus.* Janis, & Jambris κενοτάφιον *in* Ægypto. Israelitæ *ibidem idololatræ.* II. עתוד atud, *hircus* Hebræis, & Arabibus. עתודים atudim, *id est*, parati. *Hirci cur ita dicti.* *Principes etiam.* Alexander *hircus caprarum.* Attidis, *vel* Atydis *nomen indidem.* Arnobius *emendatus.* Atages *hirci* Phrygibus. Ἄτταγοι *idem.* III. צפיר *tsaphir*, hircus, *vox* Chaldæa *potius*, *propriè* matutinum *sonas.* *Capra summo manè ad pascua deducenda, certo anni tempore ad orientem Solem convertuntur.* IV. תיש thais, *hircus* Hebræis, Chaldæis, Syris, & Arabibus. *Ad denas capras hirci singuli.* *Hirci in* Arabia *plurimi.* *Hircus dux gregis quam magnificè incedat.* Chaldæus *interpres à gravi mendo expurgatus.* Thais *Arabicè non solum* mas caprarum, *sed &* ibicum, & caprearum. Asima *al.* hircus, *al.* agnus, *al.* simia. Pithecusæ, Enariæ, & Arimi, *idem locus.*

HEbraica *hircorum* nomina quatuor sunt. Primum שעיר *saïr*, *Hebræis* peculiare. Secundum עתוד *atud*, Arabibus. Tertium צפיר *tsaphir*, Chaldæis. Quartum תיש *tajis*, utrisque commune cum *Hebræis*. Nisi quod *Arabes* تيس *tais* scribunt, literis *Sin* & *Scin* suo more permutatis.

I. Ut שער sear, *pilum*, *villum*, ita שעיר *saïr*, propriè *pilosum*, aut *villosum* sonat. Sic *Genes.* 27. *v.* 11. *Et dixit* Jacobus *matri suæ*, *Frater meus est* איש שעיר (is saïr) *vir pilosus: & ego sum* איש חלק (is chalak) *vir levis*, seu *glaber*, *Græcè* ἀνὴρ λεῖος, non *lenis* per *N*, ut hodie perperam legitur in *Vulgata*. Ibidem versu vigesimo tertio, *Manus ejus erant sicut manus* Esau *fratris sui* שעירות (seiroth) *villosæ*. Inde igitur eadem vox שעיר *sair* hircum etiam significat, quasi *pilosum* dixeris. Sic *Gen.* 37. *v.* 31. *Et jugulaverunt* שעיר עזים (seir izzim) *pilosum caprarum*, id est, *hircum*. Levit. 4. v. 23. 24. *Et afferet oblationem suam pilosum caprarum, masculum integrum. Et ponet manum*

suam

suam super caput pilosi, id est, *hirci*. Et Fœm. genere, versu vigesimo octavo, *Et afferet oblationem suam* שעירת עזים *pilosam caprarum*, id est, *capellam*. Talia *pilosus peccati* Levit. 9. v. 15. *Pilosus Azazel* Levit. 16. v. 5. *Pilosus vivus* Levit. 16. 20. id est, *hircus*. Cujusmodi loca plus quinquaginta occurrunt in *Prophetarum* scriptis. Sed & *Græce* τράγ☉ dictus putatur παρὰ τὸ τραχὺ δέρμα ἔχειν, *ab asperitate pellis*. Et Κιλίκιοι τραγοπλίζονται οἱ δασεῖς, τουτέστι γὰρ ἐν Κιλικίᾳ γίνονται τράγοι. ὅθεν καὶ τὰ ἐκ τριχῶν σωστιθέμενα κιλίκια λέγονται. *Cilices hirci dicuntur, qui sunt pilis densioribus. Tales enim hirci fiunt in* Cilicia. *Unde est, quod quæ ex pilis constant cilicia vocantur.* Utrumque habet *Etymologus*. Et *Festus*; *Hircipili, densorum pilorum homines.* Malè legunt *duorum*. *Theocritus* in *Thalysiis* de caprario *Lycida*,

Ἐκ μὲν γὰρ λασίοιο δασύτριχ☉ εἶχε τράγοιο
Κνακὸν δέρμ' ὤμοισι ——

Habebat enim ex hirsuto, & densioris pili hirco, flavam pellem super humeros. Fortasse etiam conjugata sunt *hircus*, & *hirtus*; C & T. permutatis: quod non est sine exemplo. Sic pro κεῖν☉ οἱ Δωριεῖς τῆν☉ λέγουσι, τὸ Κ τρέποντες εἰς Τ. Ità *Moschopulus*. Περὶ σχεδῶν pag. 15. Et *aurium sordes*, vulgò κυψέλη, etiam dicuntur τυψέλη. *Hesychius*, Τυψέλη, ὁ ἐν τοῖς ὠσὶ ῥύπ☉. Et *bestia* est pro *bescia* à Græco βόσκημα. Et *closportes* Gallis *clausæ portæ* pro *clausis porcis*. Vide doctissimi *Mesnagii Gallicas Origines* pag. 220.

Obiter docendum, quos hircos, aut pilosos intelligat *Moses Levit.* 17. v. 7. ubi *Israelitas* ex *Ægyptiaca* servitute liberatos offerre vetat amplius sacrificia sua לשעירים אשר הם זונים אחריהם *pilosis, cum quibus fornicati erant.* Tria responderi possunt. Primò, hircos intelligi, seu pilosa animalia, quæ in *Ægypto* coluerant. Secundò, illorum statuas, & imagines. Tertiò, dæmonia in iis culta, juxta illud *Psalm.* 95. (al. 96.) v. 5. in editione *Græca* & *Vulgata*, Πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, *Omnes Dii gentium dæmonia.* Unde est, quod *Apostolus* gentes dæmoniis sacrificare disertè pronunciat 1. *Cor.* 10. v. 20. De quorum singulis ut dicamus, *Ægyptios* multa pilosa animalia, puta boves, canes, lupos, cebos, simias, cynocephalos, ichneumones, feles, mustelas, & in his hircos, qui κατ' ἐξοχὴν שעירים, id est, *pilosi*, dicuntur, impensè coluisse certum est. Atque, ut de reliquis taceamus in præsens, en de hircis in *Ægypto* cultis diserta veterum testimonia. *Herodotus* libri secundi capite quadragesimo sexto, Σέβονται δὲ πάντας τὰς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τοὺς ἔρσενας τῶν θηλέων. *Omnes autem capras Mendesii (in Ægypto) colunt, sed mares plusquam fœminas.* *Diodorus* libro primo pag. 55. Τὸν δὲ τράγον ἀποθεῶσαι, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι τετιμῆσθαι λέγουσι τὸν Πρίαπον, διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον. *Hircum autem deificarunt, ut apud* Græcos Priapum *coli dicunt propter genitalem partem.* *Strabo* libro decimo septimo, Μένδης ὅπου τὸν Πᾶνα τιμῶσι, καὶ ζῶον τράγον. Mendes, *ubi* Panem *colunt, & vivum hircum.* Et rursus. Αἶγα δὲ, καὶ τράγον (τιμῶσι) Μενδήσιοι *Capram autem, & hircum colunt, Mendesii.* Hinc *Lucianus* in *Imaginibus* inter *Ægyptiorum* numina hircum censet, cum in magnificis illorum Templis ἢν ζητῇς τὸν θεὸν, inquit, ἢ πίθηκός ἐστιν, ἢ ἶβις, ἢ τράγ☉, ἢ αἴλουρ☉, *si Deum quæras, aut simia est, aut hircus, aut ibis, aut felis.* *Plutarchus* denique in *Iside*, *Stephanus*, *Suidas*, *Phavorinus* voce Μένδης, aut Μένδην, *Nonnus*, & *Elias Cretensis* in illud *Nazianzeni* Oratione quartâ, οἱ Μενδήσιοι θεοί, *Mendesios* aut hircum coluisse testantur, aut *Panem* in hirci forma. Nempe ΜΕΝΔΗΣ, unde oppido & nomo fuit nomen, *Ægyptiace* hodieque *hircum* sonat. Proinde *Pan* quoque *Mendes* dictus est. Ex in ejus honorem ab hircis, & capris abstinebant, ùt scribunt *Herodotus*, *Nonnus*, *Suidas*, alii. Quò hæc *Poetæ* pertinent.

——— *nefas illic fœtum jugulare capellæ.*

Neque festa defuisse hircis consecrata scribit *Elias*. Meritò igitur *Moses Israelitas* dehortatur ab hircorum illorum cultu, cum quibus in *Ægypto* fornicati fuerant. Et haud dubiè *fornicandi* verbum, ut passim, ad idololatriam refertur. Ità tamen, ut simul alludat ad *Ægyptiorum* impurissimas libidines, quas horresco referens. In parte hircini cultûs id fuit, quod quædam mulieres, tanquam religione addictæ, sacris scilicet hircis fœdè se submittebant.

Tantum relligio potuit suadere malorum.

Unde *Pindarus*.

Μένδητα παρὰ κρημνὸν θαλάσσας,
Νείλου κέρας ὁ αἰγιβάται
Ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται.

Hinc *Strabo*, Ὡς δὲ Πίνδαρός φησιν, οἱ τράγοι ἐνταῦθα γυναιξὶ μίγνυνται. Et *Ælianus*, *Hist.* lib. 7. cap. 19. Ἀνὰ λάσιοι δὲ κυνοκέφαλοι τε, καὶ τράγοι ὅτι μὲν καὶ ὁμιλεῖν γυναιξὶ φασὶν αὐτούς· καὶ ἰσχειν αὐτὸ θαυμάζειν ὁ Πίνδαρ☉. Quin *Herodotus* id propalam factum asserit, cum esset in *Ægypto*, & in hominum notitiam devenisse: Ἐγένετο δὲ, inquit; ἐν τῷ νομῷ τούτῳ ἐπ' ἐμεῦ τοῦτο τὸ τέρας γυναικὶ τράγ☉ ἐμίσγετο ἀναφανδὸν· τοῦτο ἐς ἐπίδειξιν ἀνθρώπων ἀπίκετο. Quamvis salacissimum animal, & à mulieribus formosissimis provocatum, ab hac fœditate nonnunquam abhorruisse testentur ista *Plutarchi* in libro, quòd *bruta ratione utuntur*: Ὁ δὲ Μενδήσι☉ ἐν Αἰγύπτῳ τράγ☉ λέγεται πολλαῖς καὶ καλαῖς συνειργνύμεν☉ γυναιξὶν, οὐκ εἶναι μίγνυσθαι πρόθυμ☉, ἀλλὰ πρὸς τὰς αἶγας ἐπτοῆσθαι μᾶλλον. Nempe sola in brutis natura sæpe plus potest, quàm in homine ratio.

Secundò nomine שעירים *seirim*, prohiberi à *Mose* diximus hircorum atque animalium quorumvis imagines, quibus *Ægyptii* ad idololatriam maximè abutebantur. *Panem* enim, ut jam tetigimus, pingebant τραγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελῆ, *caprina facie, hircinisque cruribus.* Ità habetur in *Herodoto*. Et *Jupiter Thebanus* erat κριοπρόσωπ☉, *arietina facie.* Latrator *Anubis* הנובח *canina.* *Bubastis*, sive *Diana* feli erat similis, quem ΒΟΥΒΑΣΤΟΝ *Ægyptii* appellabant. *Stephanus*, Οἱ δὲ Αἰγύπτιοι βούβαστιν τὸν αἴλουρον φασι. Neque obscurum, cur *Diana* sic ab *Ægyptiis* vel dicta, vel picta fuerit. Cùm illam, ut reliquos Deos, *Typhœus* persequeretur, in felem mutata est.

Fele soror Phœbi, *nivea* Saturnia *vacca*,
Pisce Venus *latuit*, Cyllenius *ibidis alis*.

Ità *Ovidius* lib. 5. *Metam.* Fab. 5. Et quòd *Jupiter* arietis habet speciem, nititur fabellâ non absimili, quam vide apud *Herodotum*. Hujusmodi ergo statuas, quæ in *Ægypto* frequentes erant, *Græci* videntur intellexisse in loco *Mosis*, quem ità reddunt, Οὐ θύσουσιν ἔτι τὰς θυσίας αὐτῶν τοῖς ματαίοις, *Non immolabunt ampliùs hostias suas vanis*, id est, idolis, quibus nihil est vanius. *Idolum enim nihil est in mundo* 1. *Cor.* 8. v. 4. Unde est, quòd in *Prophetis* הבל, & און, *vanitas*, quandoque pro *idolo* sumitur. Et *Act.* 14. v. 15. ἀπὸ τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν est *converti ab idolis*. Itaque juxta *Paulum* Rom. 1. v. 21. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, *vani facti sunt in sermonibus suis*, qui *mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* Nec omittendum est etiam, 2. *Par.* 11. v. 5. in *Græca* versione legi *Jeroboamum* Sacerdotes excelsorum constituisse τοῖς εἰδώλοις, καὶ τοῖς ματαίοις, *idolis, & vanis.* Quæ ambo respondent *Hebræo* לשעירים, *τοῖς seirim*. Sed alterum videtur esse Glossema ex alia versione hùc intrusum. Utùt sit, ibi שעירים *seirim*, esse *idola* suadent, quæ sequuntur ולעגלים אשר עשה *& vitulis, quos fecerat.* Idola enim erant ii vituli, quos erexeat *Jeroboam*.

Tertiò, שעירים *seirim, Mosi* esse *dæmones, qui coluntur in idolis*, putant plerique Interpretes. Ità enim *Chaldæi* reddunt, & *Syrus*, & *Arabs* uterque, & *Hieronymus*, & *Hebræi* omnes. Neque res est sine exemplo. Nam ad dæmones referunt *Græci, Chaldæus, Syrus*, & *Arabs* quod habetur *Es.* 13. v. 21. de *Babylonis* futura desolatione, השעירים *Et pilosi saltabunt ibi*. Et *Es.* 34. v. 14. de *Idumææ* desertis, ושעיר *Et sair (seu pilosus) ad socium suum clamabit*, id est, dæmon ad dæmonem, quorum ululatus *Arabicè* vocantur الهدهدة. *Alcamus* الهدهدة اصوات الجن Alhadhada, *dæmonum voces*. Quomodo idem explicat زيزي zizi & ضمري dsizi & العزيف *alaziphο*, de qua voce hæc habet hic observanda, العزيف صوت الجن وهو جرس يسمع بالمغاوز بالليل Alazipho, *vox dæmonum; id est, susurrus, qui noctu auditur in desertis locis.* Et paulò post العزاف جبل بالدهناء علي اثني عشر ميلا من المدينة سمي لانه كان يسمع به عزيف الجن Alazapho, *mons in* Dahana *ad milliare duodecimum à* Medina, *ità dictum, quòd in eo dæmonum susurri audiantur.* Neque aliud voluit *Aquila*, cùm שעירים *seirim*, reddidit τετχιῶτας, unde Hieronymus *pilosos*. Saltem, si *Procopio* credimus, cui τετχιῶτες sunt dæmonum genus sylvestre, & tenebrosum. Verba sunt, Τούτους δέ φασι τετχιῶτας Ἀκύλας ὠνόμασε, δηλῶν καὶ ὕλαῖον, καὶ ἐσκοτισμένον δαίμονα. Et *Hebræi* varias afferunt causas, cur dæmones sic appellantur. *Aben Ezra* in *Leviticum*, נקראו כן שנצטער הנוף הרואה אותם *Sic vocantur, quia mæret quisquis illos videt.* Sequitur; והקרוב בעבור שיראו אותם המשוגעים כדמות שעירים *Sed vero similius est sic vocari, quia maniaci vident eos in specie hircorum.* Quod idem sequitur *Abarbanel* in *Esaiam*. Et *Kimchius* in *Lexico*, *Eos ità nominat* Moses, *quia hircorum specie sibi credentibus apparent.* *Maimonides* itidem in *More Nebochim* lib. 3. cap. 46. *Ex Zabiis quidam fuerunt, qui dæmones colebant, & eos existimabant habere formam hircorum. Unde etiam dæmones* שעירים seirim, *hoc est, hircos appellabant. Quæ opinio* Mosis *ævo jam longè lateque in orbe diffusa fuit, sicut ait*, Levit. 17. v. 7. "*Et non sacrificabunt ultra sacrificia sua* לשעירים *hircis, id est, dæmonibus ità appellatis.* Hùc refer, quòd in *Jamblichi Babylonicis* apud *Photium* τράγου τι φάσμα ἐρᾷ Σινωνίδος, *hirci spectrum quoddam deperit Sinonidem*, id est, diabolus hirci specie; Et totam veterum Theologiam de *Pane, Fauno, Sylvano, Silenis*, & *Satyris*, qui & ipsi *hirci* dicti sunt. Proinde *Etymologus* Tragœdiam ex eo nomen habere asserit, ὅτι τὰ πολλὰ οἱ χοροὶ ἐκ Σατύρων συνίσταντο, οὓς ἐκάλουν τράγους, *quod chori plerumque ex Satyris constabant, quos hircos appellabant.* Quin *Arabicè satar*, Plur. *asatir*, *hircum* sonat. *Alcamus*, الساتر العتود من الغنم Satar, *hircus è grege.* Et plurale ibidem est اساطر *asatiro.* Scribitur etiam الصطر per *Sad*. Et *Panis* nomen *Ægyptium* MENDES *hircum* significabat, ut jam antè monuimus. Neque obscurè colligitur ex ipso *Mose*, has superstitiones illius ævo in *Ægypto* jam invaluisse. Nam præter locum, in quo versamur, sunt & alia, quæ *Ægyptios* apertè docent gentem fuisse à vero DEI cultu prorsus alienam, & idololatriæ addictissimam. Profitetur enim *Pharao* se Deum planè ignorare *Exod.* 5. v. 2. *Quis*, inquit, *est Dominus, ut illius voci obsequar? Ego non novi Dominum.* Et de *Ægyptiacis* idolis palam agitur *Exod.* 12. v. 12, ubi minatur DEUS foré, ut judicia sua exerceat in omnes *Ægypti* DEOS. Atque id impletum legitur *Num.* 33. v. 4. Quo respiciens *R. Eliezer* Capitulo 48. *Cùm*, inquit, *ex Ægypto egressi sunt* Israëlitæ, *quid fecit Sanctus Benedictus? Deturbavit omnes imagines abominationum ipsorum, juxta illud* Num. 33. v. 4. "*Et Dominus in illorum Deos judicia exercuit.* Quin eosdem coluisse bestias ex eo colligunt, quòd, cùm *Pharao* juberet *Israelitas* in *Ægypto* sacrificare, respondit *Moses* Exod. 8. v. 26. *Non expedit ità facere, quia abominationem Ægyptiorum immolaremus Deo nostro*, &c. *Et, si immolaremus abominationem* Ægyptiorum, *nonne illi nos lapidarent? Abominationem Ægyptiorum*, id est, boves, & oves, & capras, quas illi colunt, quas si immolaremus, id illis esset abominabile. Proinde *Onkelos* reddit, *Si immolaverimus* ית בעירא דמצראי דחלין לה *animal, quod* Ægyptii *colunt.* Et *Jonathan*, אמריא דהנון טעוותהון דמצראי מנהון ניסב ונקרבא קדם אלהן "*Agni cùm sint* Ægyptiorum *idola, ex iis sumeremus quod offerremus Domino Deo nostro.* Et *Syrus*, *si sacrificamus* ܕܚܠܬܐ ܕܡܨܪܝܐ ܠܥܝܢܝܗܘܢ *Deos* Ægyptiorum *in oculis ipsorum.* Et *Hieronymus*, *Quod si mactaverimus ea, quæ colunt* Ægyptii *coram iis.* Et *Gen.* 43. v. 32. ubi *Ægyptios* legimus non posse panem comedere cum *Hebræis*; *quia id* Hebræis *est abominatio*, ultima verba sic interpretatur *Jonathan*, ארום בעירא דמצראי דחלין לה יהודאי אכלין *Quia bestias, quas* Ægyptii *colunt*, Judæi *comedunt.* Nec multò aliter *Onkelos*, & *Arabs Parisiis* editus, لان طعامهم مكروه عندهم *quia illorum cibus his est abominabilis.* Quâ in parte non solùm *Judaici*, sed & *Græcanici* mores cum *Ægyptiacis* erant ἀσύστατοι. Unde est, quòd *Athenæi* libro septimo Comicus *Anaxandrides* *Ægyptios* ità deridet.

Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ,
Οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ' οὔθ' οἱ νόμοι
Ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσιν πολύ.
Βοῦν προσκυνεῖς, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς.
Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγεῖ δαίμονα.
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.
Ego esse vester non queam commilito,
Quando nec leges, nec mores consentiunt,
Sed multis inter se intervallis dissident.
Bovem tu adoras, ego quem sacrifico Diis.
Anguillam numen esse reris optimum,
Quæ mihi putatur esse optimum obsonium.

Proinde non licebat *Ægyptio Græcum* hominem suaviari, ejusve cultro, veru, aut ollâ uti, ut scribit *Herodotus* libri secundi capite quadragesimo primo. Eodem quoque multi referunt, quòd *Ægyptii* pastores aversabantur *Gen.* 36. v. 34. qui nimirum pecora non solùm pascere, & saginare, sed & mactare solent. Unde in hunc locum *Jarchius Ægyptios* pecudum pastores ideò abominari asserit; לפי שהן להן אלוהות *quia illas pro Diis habent.* Nec *Mosis* solùm & *Josephi* ætate Magia jam in *Ægypto* vigebat, *Gen.* 41. v. 8. Et *Jannes*, & *Jambres*, qui *Mosi* obsistere ausi sunt, tam ex *Paulo* noti sunt 2. *Tim.* 3. v. 8.

quàm ex *Judæorum, Græcorum, Romanorum*que monimentis. Sic *Exod.* 7. v. 11. verba *Mosis*, *etiam Ægypti Magi similiter fecerunt per incantationes suas*, *Jonathan* sic παραφράζει, ועבדו לחוד הנון ציס ומצרים חרשין דמצרים בלחשי קוסמיהון היכדין *Etiam similiter fecerunt* Janes & Jambres, *Ægyptii Magi, per mussitationes incantationum suarum.* Et *Talmud Babylonicum* Tractatu *Menachoth* capite nono in *Gemara*, אמר ליה יוחני וממרא למשה תבן אתה מכניס לעפריים ואמר להו אמרי אנשי למתא ירקא ירקא שקול Mosi *dixerunt* Janes & Jambres, *Stramen tu infers in* Aphraim (Ægypti urbem, ubi multum straminis) *Et respondit* Moses, *Vulgo dicere homines, In urbem oleris olera deferto.* *Numenius* apud *Eusebium, Præpar. Evang.* lib. 9. pag. 241. Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι, ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου. Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ ἀνδρὶ γενομένῳ θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ τῶν Αἰγυπτίων, οὗτοι ἦσαν, τῶν τε συμφορῶν, ἃς ὁ Μουσαῖος ἐπῆγε τῇ Αἰγύπτῳ, τὰς νεανικωτάτας αὐτῶν ἐπιλύεσθαι ὤφθησαν δυνατοί. Janes & Jambres *sacri scribæ Ægyptii, viri Magicis artibus excellere judicati, tum cùm* Judæi *ex Ægypto expulsi sunt.* Musæo (Mosi) *igitur* Judæorum *duci, viro, qui precibus apud Deum multùm poterat, hi opponi digni habiti sunt ab Ægyptiorum populo. Et calamitatum, quas* Musæus *Ægypto intulit, potissimas solvere posse visi sunt.* *Plinius* lib. 30. cap. 1. *Est & alia Magices factio à* Mose, & Jamne, & Jochabele, *Judæis pendens.* In his erratum multiplex. 1. Quòd *Mosem* Prophetam sanctissimum in Magorum censu numerat. 2. Quòd *Jamnem*, vel *Jannem*, *Mosis* in *Ægypto* antagonistam, pro *Judæo* habet. 3. Quòd *Jochabelem*, seu *Jochabedem* veriùs, matrem *Mosis Exod.* 6. v. 20. & *Num.* 26. v. 59 inter Magos recenset; quia in aliquo *Græculo* legerat Magorum factionem aliquam cœpisse ἀπὸ τοῦ Μωσέως τοῦ Ἰωχαβήλου, καὶ τοῦ Ἰαννοῦ, quod reddi debuerat à *Mose, Jochabelis* filio, & *Janne*, non à *Mose, Jochabele*, & *Janne*, quomodo putavit *Plinius*. Sunt, qui pro *Jochabele* scribunt *Jotape*, nullo sensu. *Apuleius Apologiâ* secundâ, *Ego ille sim* Carinondas, *vel* Damigeron, *vel* Hismoses, *vel* Joannes (lege *vel is* Moses, *vel* Jannes) *vel* Apollonius, *vel ipse* Dardanus, *vel quicunque alius post* Zoroastrem & Hosthanem *inter Magos celebratus est.* Ubi rursus *Moses* cum *Janne* inter Magos recensetur eodem errore, quo priùs. In *Palladii Lausiacis* capite vigesimo narratur *Macarius* in vasta solitudine *Jannis* & *Jambris* fratrum, qui propter Magicæ artis peritiam apud *Pharaonem* primo loco erant, κηποτάφιον, id est, *sepulchrum*, in horto visitâsse. Verba sunt, Ἐπεθύμησεν ποτε εἰς τὸ κηποτάφιον εἰσελθεῖν τοῦ Ἰαννοῦ, καὶ Ἰαμβροῦ, τῶν μάγων τῶν ἐπὶ τοῦ Φαραώ, γ' εἶεν ἱστορίας, ὃ καὶ συντυχίας τῶν ἐκεῖσε δαιμόνων. Ἐλέγετο γὰρ παμπόλλους, καὶ χαλεποὺς ἀποκεκληρῶσθαι παρ' αὐτῶν ἐκεῖνων τῷ τόπῳ ἐκείνῳ δαίμονας διὰ ὑπερβολὴν τῆς αὐτῶν τέχνης αὐτῶν. Τοῦτο δὲ τὸ κηποτάφιον γέγονε παρ' αὐτοῦ τοῦ Ἰαννοῦ καὶ Ἰαμβροῦ τῶν ἀδελφῶν, δι' ὑπερβολὴν τῆς μαγικῆς τέχνης τὰ πρῶτα ἐχόντων κατ' ἐκεῖνο καιροῦ παρὰ τῷ Φαραώ. *Optavit aliquando in sepulchrum ingredi, quod in horto habebant* Jannes & Jambres *sub* Pharaone *Magi, ut videret, & occurreret dæmonibus, qui illic sunt. Dicebantur enim infames illorum artis vi locum illum esse sortiti multi, & molesti dæmones. Fatiumque fuerat hoc hortense sepulchrum ab illis ipsis fratribus* Janne & Jambre, *qui propter Magicæ artis præstantiam tum temporis apud* Pharaonem *primas tenebant.* Hæc de superstitione *Ægyptiorum*, cui *Israelitas* in multis adhæsisse, dum in *Ægypto* erant, ex *Josua*, & *Ezechiele* constat. Quorum ille sic habet *Jos.* 24. v. 14. *Auferte Deos, quibus* patres vestri servierunt trans fluvium, & in Ægypto. Hic autem *Ezech.* 20. v. 5. 6. &c. *Apparui eis in terra Ægypti, & levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra* Ægypti. *Et illis dixi, Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, & in idolis Ægypti nolite pollui: ego enim Dominus sum Deus vester. Sed irritaverunt me, noluerunt que me audire. Unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit: nec idola Ægypti reliquerunt.* Et capite 23. v. 2. 3. *Duæ mulieres matris unius filiæ fuerunt* (nempe *Juda*, & *Israel*) *quæ in Ægypto fornicatæ sunt in adolescentia sua*, id est, idolis se prostituerunt. Meritò igitur *Israelitis* ex *Ægypto* eductis dixit *Moses, Non offerent ampliùs sacrificia sua pilosis* (id est, *hircis*, vel *idolis*, vel *dæmonibus*) *cum quibus* (in *Ægypto*) *scortati fuerant*. Et, ut rectè notat *Aben Ezra*, מלת עוד תורה שכן היו ישראל עושין במצרים *Dictio* עוד (id est, *adhuc*, vel *ampliùs*) *docet* Israelitas *in Ægypto ità fecisse*.

Secundum *hircorum* nomen, עתודים *atthudim*, vel *athudim*, in sacris libris non occurrit, nisi in Plurali numero, sed Singulare عتود *athud* apud *Arabes* est frequens, & definitur in *Alcamus* الحول من اولاد المعز *E capra catulus qui anniculus est.* Idem alibi الجذع dicit esse ولد الضان كالعتود من المعز *fœtum ovis, ut alathud est fœtus capræ.* Damiri *athud* est الصغير من اولاد المعز اذا قوي ورعي واتي عليه حول *Parvus è capra catulis cum invaluit, & pascitur, & primum annum attigit.* Ut ferè idem sit, quod שעיר, quamvis distinguat *Kimchius*, cui è capræ catulis הגדולים נקראו עתודים *majores vocantur* athudim, & thajatim, *& minores* seirim. Quod illum colligere puto ex eo, quod nunquam legas עתודי עזים, nec תישי עזים, quomodo passim שעירי עזים, quasi שעירים adhuc subsint matribus. Sed fortasse שעיר עזים, ad verbum *pilosi caprarum*, dicuntur διακριτικῶς non ratione ætatis, sed ut ità distinguantur ab aliis pilosis animalibus, quod jam antè monuimus. Utùt sit, vox עתודים propriè *paratos* sonat. Et in hircos quadrat id nomen, cùm ad sacrificia, ad lanienam, ad commercia, ad coitum, ad præcedendum gregem, & ad alia, ut ità dicam, hircorum munia obeunda parati sunt, & idonei. Itaque עתודים ad hæc omnia adhiberi videas. Ad sacrificia, *Ps.* 65. v. 15. *Holocausta pinguium arietum offeram tibi cum suffitu. Parabo boves* עם עתודים *cum hircis.* Ad commercia, *Ezech.* 27. v. 21. Arabes, *& omnes Principes* Kedar *erant negotiatores mercium manûs tuæ, agnis, arietibus*, ועתודים *& hircis.* Et *Prov.* 27. v. 26. *Agni erunt ad vestitum tuum, & pretium agri* עתודים *hirci*, id est, ex eorum pretio agrum comparare poteris. Ad coitum, *Gen.* 31. v. 10. *Et ecce* העתודים *hircos, qui pecudes ineunt.* Denique ad præcedendum gregem, *Jerem.* 50. v. 8. *Estote* כעתודים *velut hirci ante gregem.*

Itaque, ut Principes (a) אילים, & (b) כרים id est, *arietes*, ità etiam עתודים, id est, *hirci*, quandoque appellantur; quia ùt arietes, ità etiam hirci gregem præcedunt. Sic *Es.* 14. v. 9. כל עתודי ארץ *omnes hirci terræ*, id est, omnes Principes terræ. Ità sumunt *Græci, Hieronymus, Chaldæus, Syrus, Arabs, Rabbini* omnes. Et ipse *Propheta* ità explicat, cùm addit ἑρμηνευτικῶς כל מלכי גוים *omnes Reges gentium.* Sic etiam *Zachar.* 10. v. 3. *Contra pastores istos excan-*

(a) *Exod.* 15. v. 15. *Ps.* 29 v. 1. *Ezech.* 17. v. 13. & 32. v. 21.
(b) 2. *Reg.* 11. v. 4. 19. *Ezech.* 21. v. 22.

duit ira mea, על עתודים *& in hircos animadvertam:* quod *Chaldæus* ità reddidit, *In Reges fuit furor meus* על שולטניא *& in Sultanos* (*seu principes*) *ego eorum peccata visitabo.* Et *Jarchius, Aben Ezra, Kimchius,* & *Abarbanel* hæc referunt ad *Seleucidas*, qui in *Judæos* superbè dominati sunt. Quale est, quòd *Dan. 8. v. 5. Alexander* vocatur *hircus caprarum.*

Est, cur *Attidis*, vel *Athydis Phrygium* nomen fluxisse credam ex illo עתוד *atthud*, vel *athud. Arnobius* hircinum esse nomen *Atydis*, & ab hirco sumptum apertè docet, cùm de *Atyde* sic habet libro quinto; *Repertum nescio quis formas lacte alit hirquino* (lege (c) *formos lactis alit hirquini*, id est, caseis) *Et quoniam Lydia scitulos sic vocat, vel quia hircos Phryges suis atages locutionibus nuncupant, indè Atys nomen ut sortiretur effluxit.* Et infrà eodem libro, *Atydem cum nominamus, Solem, inquit significamus, & dicimus,* &c. Item, *Quid tandem de vobis Sol aureus meruit, ut ei cum semi-viro faceretis vocabulum istud esse commune: sin hirquinum, & Phrygium est.* Sic alicubi apud *Eustathium* ἄτ͂ηγες dicuntur ἄῤῥενες ἀἶγες. Ex his constat *Arnobium* in ea fuisse sententia *Atydem* habuisse nomen à *Phrygia voce Atages*, quâ hircos vocant. At mihi nomen *Atydis* est purum putum *Hebræum* עתוד *athud*; quod *Phryges* putaverim in *atages* deflexisse ævo posteriore, quomodo ex *Carthada Carthago* facta, ùt alibi docuimus.

(c) *Vide Menagii Gall. orig. in voce Fromage.*

Tertium *hircorum* nomen צפיר *tsaphir*, nemo *Hebræorum* usurpavit ante (d) *Danielem*, & (e) *Esdram*; quorum ille in captivitate *Babylonica*, hic paulò post reditum scripsit. Et *Dan. 8. v. 21.* post הצפיר additur השעיר ἐπεξηγητικῶς, quia צפיר potiùs *Chaldæum* est. Itaque, ùt in Ἀββᾶ, ὁ πατὴρ, *Marc. 14. v. 36. Rom. 8. v. 15. Gal. 4. v. 6.* vox prior, quæ *Syra* est, per posteriorem explicatur, quæ est *Græca*, ità, quo loco diximus, *Chaldæum* צפיר explicatur per *Hebræum* שעיר. *Chaldaicè* porrò ùt צפר *manè surgere*, & צפרא *auroram*, ità צפיר propriè *matutinum* sonat. Quo nomine cur primùm à *Chaldæis*, deinde etiam ab *Hebræis* appellatus fuerit *hircus*, nemo facilè dixerit. An quia per æstatem summo manè capræ æque, ac oves ducuntur ad pascua? *Varro, Rusticorum* libri secundi capite secundo, *Æstate, primâ luce exeunt pastum.* *Virgilius* libro tertio *Georgicorum*,

(d) *Dan. 8. v. 5. 21.*
(e) *Esd. 6. v. 17. & 8. v. 35. 2. Par. 29. v. 21.*

At verò Zephyris cùm læta vocantibus æstas,
In saltus utrumque gregem, atque in pascua mittes,
Luciferi *primo cum sidere.* ———

Columella lib. 8. cap. 3. *De temporibus autem pascendi, & adaquam ducendi per æstatem, non aliter sentio quàm ut prodidit* Maro &c. *Palladius* lib. 12. cap. 13. *Æstivis mensibus pascantur sub lucis initio. Calphurnius* Ecl. 5. *ante diem pecus exeat.* Aut si quæ ratio quæritur caprino generi peculiaris, eò fortè pertinebit, quòd à *Plutarcho* refertur in libro *Utra animal,* &c. capras certo anni tempore (nempe tum cùm canicula oritur unà cum Sole) ἐπιστρεφομένας ἀποβλέπειν πρὸς τὴν ἀνατολὴν, *eo conversas ortum respicere.*

Quartum & ultimum hirci nomen est תיש *thajis*. Neque enim תיש est *aries*, ùt reddidit *Hieronymus*, *Prov. 30. v. 31.* nec *taxus*, ùt nonnullis placet, nec hircus minor, id est, *hædus*, ut habetur in *Pagnini* Lexico, sed hircus, ùt tres illæ voces, quas jam explicavimus. Quòd planum facit 1. consensus interpretum, qui in hanc versionem magno numero concurrunt: 2. vicinæ linguæ *Chaldæa*, & *Syra*, cui ܬܝܫܐ *thajesa*, & *Arabica* præcipuè, cui تيس *thais*, hircum sonat. Sic *Avicenna* lib. 2. لحية التيس est τραγοπώγων *barba hirci*. Ibid. cap. *De carne*, لحم التيس ردي مطلق *Caro hirci est absolutè mala*, Et lib. 3. (f) دم التيس *Hirci sanguis in domo defossus fugat pulices.* In *Alcamus* حيد كالتيس معنز اللحية explicatur *cujus barba est instar hirci.* Et الوغف ibidem est corii, aut panni frustum, quod alligatur على بطن العتود او التيس *super ventrem athud, aut thais, nè lotium suum ebibat, aut fœminam subigat.* Unde colliges *athud* & *thais* illi esse synonyma. Sic in versione *Psalm. 65. v. 14. Offeram tibi boves,* وتيوس وجدا *& hircos, & hædos.* Utrumque respondet *Græco* χιμάρων, & *Hebræo* עתודים. Sed videtur id ex duplici versione natum, quarum una جدا *hædos*, altera وتيوس *hircos* reddiderat. Ut *Hebr. 9. v. 13.* δι' αἵματος τράγων, *Erpeniana* versio reddidit بدم الجدا *per sanguinem hædorum*, & *Paris.* per *sanguinem* التيوس *hircorum*. 3. Sed hoc potissimum, quod ex ipso contextu palam est תיש esse *hircum*, ubi in Scriptura occurrit. Sic *Gen 30. v. 35. Removit in illa die* את התישים *hircos fasciatos & maculosos, & omnes capras punctis distinctas, & maculosas.* Et *Gen. 32. v. 14. Jacob* offert *Esavo capras ducentas,* ותישים עשרים *& hircos viginti, & oves ducentas, & arietes viginti* proportione decupla utrobique servatâ; quàm *Varro, De re rustica*, suo commendat exemplo libri secundi capite tertio, *De maribus*, inquit, *& fœminis idem ferè discrimen, ut alii ad denas capras singulos parent hircos, ut ego.* 2. Paral. 17. v. 11. *Arabes Josaphato* Regi pro tributo solvisse leguntur *arietum septem millia, & septingentos,* תישים *& hircorum septem millia, & septingentos.* Nempe utriusque in *Arabia* pecoris magnum fuisse proventum constat ex *Ezech. 27. v. 21. Es. 60. v. 7.* &c. Et de *Arabum, Nabatæorumque* hircis, & capris in historia ladani nonnulla habent (g) *Herodotus*, & (h) *Plinius.* Vocis תיש in Scripturis nullum est alibi vestigium, præterquàm *Prov. 30. v. 31.* ubi תיש recensetur inter animalia מיטיבי צעד id est, quæ magnificè incedunt. Quod intelligunt prisci Interpretes de hirco, qui præcedit gregem. Hinc *Septuaginta*, τράγος ἡγούμενος αἰπολίου. Et *Arabs*, التيس المتقدم القطيع Et *Syrus*, ܬܝܫܐ ܕܡܕܒܪ ܡܪܥܝܬܐ Omnes eodem sensu, quia ùt leo, & equus, de quibus proximè actum in *Salomonis* loco, quem citavimus, ità etiam hircus cum quadam pompa incedit, tum cùm, barbæ, & sexûs fiduciâ, præit gregem. Hoc *Ælianum* non latuit, qui cùm de capra dixisset, quæ in ovillo grege est, libri septimi capite vigesimo sexto, Οὐκ ἀξιοῖ γὰρ προβάτων ἔσχατος εἶναι, ἀλλ' ἡγεῖσθαι αὐτὴν δεῖν καὶ ἐκ τῆς βαδίσεως ὁμολογεῖ· *Dedignatur autem in extremo ovium agmine subsistere, sed se præcedere debere ipso incessu profitetur*, de hirco statim addit, Προθεῖ γοῦν ἐκείνα (malim ἐκείνη) καὶ μέν τοι καὶ αὐτὰς τὰς αἶγας ὁ τράγος τῷ γενείῳ θαῤῥῶν, καὶ κατά τινα φύσιν θαυμαστὴν τὸ θῆλυ προκρίνειν (lege προκεῖνειν) τὸ ἄῤῥεν· *Illic autem etiam ipsas capras præcurrit hircus, barbâ fretus, & mirabili quodam naturæ instinctu marem fœminæ præferendum judicans.* Unde *Pollux*, (i) Ὁ δὲ τῶν αἰγῶν ἡγεμὼν τράγος, *Caprarum verò dux hircus est.* Et *Jerem. 50. 8. Estote velut hirci* לפני צאן *ante gregem.* In quæ verba *R. Selomo*, דרך העתודים ללכת לפני העדר בראש העזים *Hirci gregem præire solent in capite caprarum.* Quæ quidem facilia sunt. At *Chaldæi* Interpretis quis hæc capiat חישא דאזיל בית גיורא *Et hircus, qui it in peregrini domum?* Quid hæc ad mentem *Salomonis*? Quis fando unquam audiit hircum magnificentiùs ferri, & majori pompâ incedere in advenæ, quàm in civis ædibus? Res certè est

(f) *Fen. 6. tract. 3. c. 11.*
(g) *Lib. 3. cap. 111.*
(h) *Plin. lib. 12. cap. 17.*
(i) *Lib. 1. cap. 12. sect. 14.*

est tam ridicula, ut Interpretes ne conati quidem sint illam explicare, ne viderentur velle cum ratione insanire. Sed locus est de mendo suspectus, & pro בית גזרא, legendum suspicor בינת גזרא, *inter gregem* גזרא, vel גיורא, est *grex*, unde Plural. גזרי עזין *greges caprarum*, 1. Reg. 10. v. 27. Et *Syrus* hoc ipso loco ܘܬܝܫܐ ܕܐܙܠ ܩܕܡ ܥܢܐ *Et hircus, qui incedit in capite gregis.* Et בינת pro בין, id est, *inter*, passim usurpat *Proverbiorum Chaldeus* Paraphrastes. Exempla sunt *Prov.* 1. *v.* 14. & 8. *v.* 2. & 14. *v.* 9. & 15. *v.* 31. & 17. *v.* 2. & 18. *v.* 18. Quin בית retineri potest ex *Syrorum* dialecto, quâ בית est idem, quòd בין. Itaque, si solùm ו mutaveris in ז, ùt ex גיורא fiat גזרא, quæ mutatio est levissima, cùm *Vau* & *Zajin* sint persimiles literæ, ex ἀτοπίᾳ illa, quam diximus, sensus emerget valde commodus, nempe hircum cum fastu, & pompa ferri, cùm incedit inter gregem, id est, in medio grege, quasi capris suis se venditet. Et *incedere inter gregem* hic idem erit, quod in aliis *ante gregem*, aut *in capite gregis*. Unum addo apud *Arabes* ùt عنز non solùm *capram*, sed & *capream* significat, ità تيس etiam ad *ibices*, & *capreolos* extendi. *Alcamus*, التيس الذكر من الظبا والمعز والوعول واذا اتي عليه السنة Thais *mas est caprarum, caprearum, & ibicum, cùm primum annum attigit.* Idem etiam in *Damire* habetur, & in *Giauhari*. Et rursus in *Alcamus*, البغيبغ *Albogaibag* redditur تيس الظبا السمين *hircus caprearum pinguis.* A voce تيس *capra in hirci modum cornuta* تيساء dicitur, & تيّاس *qui hircos multos possidet*, & تيسية *fœtor hircinus*, & استتيس τραγίζειν, id est, *hircum libidine, vel fœtore referre.*

Quintum hirci nomen aliqui sumunt ex 2. *Reg.* 17. *v.* 30. Ubi *Hamathæorum* idolum אשימא *asima*, Talmudici ברחא קרחא *hircum glabrum* explicant in *Sanhedrin* capite septimo. Sed hoc tam fabulosum puto, quàm quod habet *Aben Ezra* in Præfatione in librum *Esther*, *Cuthæos* seu *Samaritanos* initio *Pentateuchi* pro ברא אלהים, *Creavit DEUS*, scripsisse ברא אשימא, *Creavit asima*, quod falsum esse, vel pueri jam sciunt, cùm in omnium manibus versetur *Samaritanorum Pentateuchus*, in quo primus versus idem est, qui in editione *Judaica*, nec *Asima* in toto opere nominatur uspiam. Aliis *asima* est *agnus*, quod habent ex *Talmude Hierosolymitano*. Aliis denique est הקוף, *simia*. credo propter allusionem cum *Latino simia* nomine. In qua sententia est *Elias* in *Thisbi*, voce אשמאי: quasi *simia* vox ab *Asima* sit deducta, cum à *simitate* dicatur. Unde etiam *enarus*, quasi sine naribus, & *Phœnicibus* חרים *harim*. Unde *Arimi* in *Pithecusis* insulis, quæ *Romanis Enaria*, ùt alibi multis probavimus.

CAPUT QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

De Hirco *Azazel*, qui vulgò *emissarius* dicitur.

Vox Azazel *ignota. In eam mysterium. Nonnullis montis nomen. Vox composita, ut multis placet, qui refelluntur. Aliis* Azazel emissarius *tanquam ex* Græca *versione. In quâ tamen aliud* ἀποπομπαῖος, nempe ἀποτρόπαιος, averruncus, depulsor malorum. Hesychius *emendatus.* Πομπαῖος Ἑρμῆς. Ἀποδιοπομπαῖος. *Sors una Domino, altera τῷ ἀποπομπαίῳ, id est,* averrunco Dæmoni, *juxta* Julianum Apostatam. *Ita* Hebræis Azazel *Dæmon, cui hircus oblatus die propitiationum. Hoc uno die cur* Satan *in homines nihil possit, ratio* Cabalistica. Valentinianis *etiam & Magis* Azazel *Dæmon. Qui omnes confutantur. Etiam hircus* Azazel *Deo devotus.* Azazel *neque mons est, neque* hircus emissarius. *Nova vocis explicatio ex* Arabismo. Tityrus, & musimon, *quid propriè. Victima.* DEI *cibus. Etiam hircus* Azazel *coram Deo sistitur. Lingua coccinea, capiti hirci* Azazel *imponi solita die propitiationum, exalbescebat in signum propitiationis. A* Christi *morte desiit hoc miraculum, & Templi valvæ sponte apertæ sunt. Cur manus à Sacerdote victimæ capiti imposita. Manu-missionis ritus. Idem in* Ægypto *factum. Ibidem ab animantium capite abstinebant. Oratio summi Sacerdotis ad Deum die propitiationum. Quis sit vir* עתי Levit. 16. v. 21. *Quò hircus sit ablegatus, & quo ritu, & per quos. Iter* Sabbati. *Hircus in præcipitium detrusus vi* θανάτῳ. *Potiùs* ἄφετος, *id est,* liber dimissus, *ut apud* Græcos *& Arabes sacra animalia. Horum* Græca *nomina &* Arabica. *Iste hircus, ut passer emissus* Levit. 14. v. 4. 49. *Uterque Christi redivivi typus. Hircus ille* κάθαρμα, *& piacularis hostia.* Jonathan *emendatus.* Græcos *vulgari Adagio* Κατ' ἀγρὰς αἶγας, in sylvestres capras *imminentia mala amandasse.*

LOcus postulat, ut discutiamus quid sit עזאזל *Azazel* Levit. 16. ubi legitur versu 8. *Aaron sortes jaciet super duos hircos, sortem unam Domino, & sortem unam* לעזאזל *Azazeli.* Et versu 10. *Et hircus, in quem ceciderit sors,* Azazeli *stabit vivus, coram Domino, ut per eum fiat propitiatio, & mittatur ad* Azazelem *in desertum.* Et versu 26. *Et qui miserit hircum ad* Azazelem, *lavabit vestes suas,* &c. In iis locis quid propriè sit *Azazel*, magno molimine quærunt interpretes, neque dum id constat satis. Prudentiores vocem *Hebræam* relinquunt ἀνερμήνευτον, ut è multis interpretationibus lectori libera sit optio. Ità *Jonathan*, *Onkelos*, *Samaritanus*, & plerique recentiorum. *Aben Ezra* in hac dictione magnum aliquod mysterium subesse significat, quod nemo possit capere ante annos virilitatis. Multis *Azazel* est nomen montis, in quem hircus deducebatur. *R. Selomo* עזאזל הוא הר עז וקשה צוק וגבוה שנאמר ארץ גזרה חתוכה Azazel *est mons asper, & confragosus, angustus, & celsus, qui (versu vigesimo secundo) dicitur terra* גזרה *id est, ab aliis divulsa; & excisa.* Quod ex *Jonathane* sumptum, qui cùm alibi vocem עזאזל *Azazel*, invariatam retineat, tamen in fine decimi versus *Hebræa* verba, לשלח אתו לעזאזל

לעזאזל למדברה admittendum eum ad Azazelem in desertum, ità reddit לשדרא יתיה כמתת באתר תקיף וקשי במדברא דצוק דהוא בית הדורי ad mittendum eum ad mortem in locum asperum, & confragosum, in deserto Tluk, qui est locus flexuosus. Arabes quoque pro ad Azazelem ubique habent جبل العزاز ad montem azaz, vel ad montem asperum. Nam عزاز azaz id propriè sonat. Et R. Saadias Gaon, putat esse vocem compositam ex עז & אל ut mons עזאזל azâzel dicatur pro עזזאל azazel id est, mons asper Dei. Quo sensu celsos montes David appellat הררי אל montes Dei Pl. 36. v. 7. Idem sensisse videtur Syrus, qui hic habet ܠܥܙܐܙܝܠ. Sed R. Levi meritò rejicit hanc originationem; quia Moses non scribit עזזאל azazêl, sed עזאזל azâzel, literâ Aleph insertâ inter duo Zajin. Quod esset divellere literas Sacri nominis monosyllabi, & biliteri. Itaque Hebræorum alii, Kimchius, Pomarius, Aquinas, &c. literarum ordine servato, vocem עזאזל azâzel, conflatam esse dicunt ex עז ez, caper, & אזל azal, abiit, & indè nomen inditum monti, in quo caper oberrabat, eò missus à Sacerdote. Quæ originatio priore nihilo est melior. Nam עז non est caper, aut hircus, sed capra. Nec genere conveniunt עז & אזל. Illud Fœmininum est, hoc Masculinum. Proinde vox non potuit ex utroque conflari.

Tamen id ipsum sequuntur, quotquot volunt עזאזל azazel fuisse nomen hirci in desertum emissi: in quâ sententia est magna pars recentiorum. Itaque ex illorum mente verba Mosis sic reddenda sunt, Aaron jaciet sortes super duos hircos, sortem unam Domino, id est, in hircum Domino mactandum; & alteram in Azazelem, id est, in hircum in desertum abiturum, & dimittendum. Quo pertinere volunt quod habet Symmachus, εἰς τράγον ἀπερχόμενον, in hircum abeuntem. Et Aquila, εἰς τράγον ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον, in hircum, qui in desertum dimittitur. Et Seniores, τῷ ἀποπομπαίῳ, vel εἰς τὴν ἀποπομπήν. Atque in hanc rem citantur Græci Patres, quibus ὁ τράγος ὁ ἀποπομπαῖος hircus est, qui in desertum emittitur. Theodoretus in Leviticum, Ὁ τράγος ὁ ἀποπομπαῖος ἐκλήθη, ὡς ἀποπεμπόμενος εἰς τὴν ἔρημον. Cyrillus in Glaphyris, Τῶν τράγων ὠνομασμένων, τοῦ μὲν ἑνὸς κυρίου, τοῦ δὲ ἑτέρου ἀποπομπαίου, διὰ τὸ ἀποπέμπεσθαι. Unde est, quòd ὁ ἀποπομπαῖος Hieronymo est caper emissarius. Interim certum est has voces longè alium habere usum apud Græcos Scriptores. Illis enim ἀποπομπὴ ferè est ἀποτροπὴ, id est, malorum depulsio, quæ fit per sacrificia, & preces. Quales fieri ἀποπομπάς dicit Isocrates in Oratione ad Philippum, ut avertantur mala quæ nobis à noxiis Diis imminent. Unde Harpocration, ἀποπομπάς, ἀποτροπάς· Ἰσοκράτης Φιλίππῳ. Et Suidas, Ἀποπομπή, ἀντὶ τοῦ ἀποτροπή. Quin festa hujusmodi sacrificiis dicata ἀποπομπαὶ dicebantur. Et ἀποπομπαῖοι Θεοὶ, Dii averrunci, id est, qui mala credebantur avertere. Hesychius, Ἀποπομπαί, ἡμέραι τινὲς, ἐν αἷς θυσίαι ἐτελοῦντο τοῖς πομπαίοις Θεοῖς. Legendum ἀποπομπαίοις. Θεὸς πομπαῖος unus est Mercurius, quem in Ajace Sophoclis versu. 844. Ajax ità invocat, gladio suo se confossurus,

——— καλῶ δ' ἅμα
Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον, εὖ με κοιμίσαι·

Rogo simul Pompæum Mercurium subterraneum, ut me suaviter consopiat. Πομπαῖον, id est, τὸν ψυχοπομπὸν, ùt exponit Scholiastes, seu Deum illum, qui animas (a) sub tristia Tartara mittit. Sed ἀποπομπαῖοι Θεοὶ, vel δαίμονες, iidem, qui ἀποτρόπαιοι, vel averrunci. Pollux lib. 5. cap. 26. Οἱ δὲ δαίμονες, οἱ μὲν λύοντες τὰς ἀρὰς, ἀλεξίκακοι λέγονται, ἀποπομπαῖοι, ἀποτρόπαιοι, λύσιοι, φύξιοι. Hinc Suidas, Ἀποπομπαῖοι, Θεοί τινες οὕτως ἐκαλοῦντο. De his scripsisse Apollodorum libro sexto De Diis, qui hodiè non habetur, ex his Harpocrationis scimus: Ἀποπομπαῖοι τινὲς ἐκαλοῦντο Θεοὶ, περὶ ὧν Ἀπολλόδωρος ἐν ἕκτῳ περὶ Θεῶν διείλεκται. In eo numero Herculem censebant, & Apollinem, & Διοσκούρους, & Jovem omnium principem. Unde natum verbum elegans ἀποδιοπομπεῖσθαι, id est, ἀποτρέπεσθαι διὰ τοῦ ἀποπομπαίου Διός. Itaque, cum hircum Septuaginta Seniores in desertum mitti scripserant εἰς τὴν ἀποπομπήν, Josephus intellexit ἀποτροπὴν, vel, quod idem est, ἀποτροπιασμόν. Is enim ità de hirco illo Antiquitatum libri tertii capite decimo, Εἰς τὴν ὑπερόριον ἐρημίαν πέμπεται, ἀποτροπιασμός, καὶ παραίτησις τοῦ πλήθους παντὸς ὑπὲρ ἁμαρτημάτων ἐσόμενος, In remotum desertum amandatur, ut sit malorum depulsio, & populi pro peccatis satisfactio. Et Julianus Apostata hoc Mosis loco abutitur, ut eum scripsisse probet ὑπὲρ ἀποτροπαίων, id est, De Diis averruncis, quod multis refellit Cyrillus libro nono in Julianum. Sed & inter ejusdem Cyrilli Epistolas una extat bene longa ad Melitenes Episcopum Acacium (b) Περὶ τοῦ ἀποπομπαίου, quâ in eos acriter disputat, qui ex eo, quòd in Græca versione legerant in duos hircos jactas fuisse sortes, unam Domino, & alteram τῷ ἀποπομπαίῳ, colligebant ex duobus hircis unum quidem Deo ad sacrificium deputari, τὸν γε μὴν ἕτερον ἀποπομπαίῳ τινὶ, καὶ πονηρῷ, καὶ ἀκαθάρτῳ δαίμονι σταλῆναι εἰς τὴν ἔρημον, καὶ τοῦτο διὰ χειρὸς ἱερᾶς, καὶ ἐκ νομικοῦ θεσπίσματος, alterum autem ad averruncum aliquem malum & impurum Dæmonem in desertum fuisse amandatum, idque per sacram manum, atque ex decreto Legis. Nec est, quòd quis hic dicam scribat Græcis interpretibus, quasi ambiguâ versione huic errori ansam dederint, cùm ex Hebræis etiam in hunc eundem lapidem multi impegerint. Ità Menachem in Leviticum ex hoc loco colligit עזאזל Azazel unum esse ex quatuor Dæmonum antesignanis, quorum hæc sunt nomina, si recutito credimus, סמאל עזאזל עזאל מחזאל Sammael, Azazel, Azael, & Machazael. At in Capitulis R. Eliezer Azazel Dæmon idem, qui Sammael, cui cur Israelitæ hircum obtulerint die propitiationum, prout concludere se putat ex verbis Mosis, en tibi jocularem rationem capite quadragesimo sexto: Die, quo data fuit Lex, Deum Sanctum, & Benedictum ità compellavit Sammaël, Domine mundi, cur in reliquos totius orbis populos mihi dedisti potestatem præter solos Israelitas: Respondit DEus, Etiam in illos habebis potestatem, si diei propitiationum peccatum in illis inveneris. At, si peccati sunt expertes, nihil erit tibi juris in illos. לפיכך היו נותנין שוחד ליום הכפורים לסמאל שלא יבטל קרבנם שנאמר גורל אחד ליהוה גורל אחד לעזאזל גורלו של הקבה הוא קרבן העולה וגורל עזאזל שעיר חטאת כל עונות של ישראל עליו Ideò Sammaëli dant munus die propitiationum, nè irritam reddat illorum oblationem. Hinc dicitur, Una sors DEO, altera Azazeli. Sors Sancti & Benedicti Dei est oblatio holocausti, & sors Azazelis est hircus peccati, super quem sunt omnes iniquitates Israelis. Hinc legas in libro Caphthor pag. 71. prout citat Buxtorfius Syntag. cap. 21. Judæos ideò Satanæ dedisse munus, ut illius oculos præstringerent, nè ab illo accusarentur; quia scriptum est, Exod. 23. v. 8. Munus excæcat oculos videntis. Alii Satanam asserunt hoc uno die nihil posse, atque indè esse, quòd literæ numericæ nominis השטן, id est, Satana, valent CCCLXIV, quia per anni dies totidem imperium suum exercet in homines, nec ullus excipitur in toto anno præter diem, quem diximus. Valentinianos quoque Azazelem pro Dæmone habuisse suadent veteris Poetæ Christiani carmina in Marcum, Valentini discipulum, qui præstigiis suis credebatur spectatoribus illudere:

(a) Æneid. lib. 4.

(b) Tom. I. pag. 131.

Εἰδω-

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε, καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σου πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
Ἃ σοὶ χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατὰν ἀεὶ,
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.

Hos versus ex *Irenæo* citat *Epiphanius Hæresi* trigesimâ quartâ, & vir doctus itâ reddidit.

Idola fingens Marce, *monstrorum artifex*,
Fraudisque gnare magica, & astrorum sciens,
Erroris inde dogma perfidum struis.
Portenta cæca ficta dum turba exhibes,
Per te rebellis qualia aggreditur manus:
Hac tu illa Satanæ *fretus auxilio patris*
Azazelique *mira designas ope.*

Quin hodieque in Magorum libris censetur *Azazel* inter Dæmones, qui elementis præsunt. Sed hæc commenta præter *Cyrillum*, de quo diximus, *Theodoretus*, *Hsychius*, & *Procopius* meritò rejiciunt. Cùm nihil quidquam fingi potuerit absurdius, quàm DEum ex duobus hircis alterum sibi, alterum Diabolo destinâsse, & offerri jussisse; Cùm sequentis capitis versu septimo sacrificare dæmonibus vetet disertis verbis. Et ille ipse hircus, qui servabatur vivus, *coram Domino* sisti jubeatur *Levit.* 16. *v.* 10. Itaque hircus uterque Deo fuit ex æquo devotus, & solum differebant in offerendi modo. Unus enim super altare mactabatur, alter in desertum vivus emittebatur. Quid igitur hæc sibi volunt, *sors una Domino, altera Azazeli?* An ibi *Azazel* est montis nomen, ùt statuunt *Arabes*, & non pauci ex *Hebræis?* Non videtur verisimile; quia in regione toties peragratâ, & tam accuratè descriptâ, nemo est, qui meminerit montis *Azazel*. Itaque nemo situm indicat præter anonymum in *Aben Ezra*, qui admovet monti *Sinai*. Quò hircum ab urbe quotannis *Israelitas* deduxisse non facilè illis persuadebitur, qui norunt quàm vastæ sint interjectæ solitudines. Præterea, si *Azazel* est nomen montis, cur id tacuisset *Moses?* Quidni dixisset הר עזאזל, *montem Azazel*, æquè ac *montem Abarim*, Num. 27. v. 12. *montes Ararat*, Gen. 8. v. 4. *montem Ebal*, & *montem Garizim*, Deut. 11. v. 29. *montem Galaad*, Gen. 31. v. 21. *montem Hermon*, Deut. 3. v. 8. *montem Hor*, Num. 20. v. 22. *montem Horeb*, Exod. 33. v. 6. *montes Kedem*, Num. 23. v. 7. *montem Nebo*, Deut. 34. v. 1. *montem Pharan*, Deut. 33. v. 2. *Sephar montem Orientis*, Gen. 10. v. 30. *montem Seir*, Gen. 36. v. 8. *montem Sepher*, Num. 33. v. 23. *montem Sion*, Deut. 4. v. 48. &c. *montem Sinai*, Exod. 29. v. 11. *Libanum* & *Horeb*, & *Sinai* frustrà regeras non semper montes nominari. Neque enim id necesse fuit, quia tum erant notissimi, quod de monte *Azazele* dici non potest. Nihilò magis arrident qui *Azazelem* dici volunt hircum ipsum emissarium. Nam, ùt hanc interpretationem niti taceam falsâ originatione vocis *Azazel*, ùt abunde docuimus, hæc videntur valde implicata, *Sortes ponet* Aaron *super duos hircos, sortem unam Domino, & sortem alteram hirco emissario*. Neque illa potuit *Cyrillus* aliter interpretari, quàm supponendo hircorum unum vocatum fuisse יהוה *Iehova*, quòd nomen est incommunicabile. Fateor interim me de voce עזאזל *azazel*, nihil habere satis certum. Sed conjecturam affero, quam doctorum judicio submitto libens. Ea sic habet. *Arabicè* verbum عـزل *azala*, *removere*, & *separare* est. Exempla passim extant. *Abenbitar* cap. اسفيداج *asphidegi* seu *De cerussa*, اخـذ مـا كان مـن الخل صـافـيـا وعـزل في ناحـيـة *Sumitur quod ex aceto purum est; & seorsim seponitur*. Historia *Saracenica* capite decimo sexto, *Præfecit* Jezidus *fratrem suum regionibus* Irak, *&* Chorasan, ثم عزله عنهما *deinde removit eum ab illis*, id est, à præfectura deposuit. Et paulò post, عـزل ايـوب *Removit* Jobum, *qui gubernaverat* Ægyptum. *Paulus* 1. Cor. 16. v. 2. *Unusquisque vestrûm prima* (hebdomadis) *die* فليعزل في بـيـتـه *domi suæ seponat*: Græcè, παρ' ἑαυτῷ τιθέτω. Et octavâ Conjugatione *Act.* 23. v. 19. واعـتـزل بـه نـاحـيـة *Et seorsùm recessit*: Græcè, ἀναχωρήσας κατ' ἰδίαν. Et *Gal.* 2. v. 12. اعـتـزل *Separavit se*, ἀφώριζεν ἑαυτόν. Et 1. *Corinth.* 7. v. 10. لا تـعـتـزل الـمـراة من زوجـهـا *Uxor à viro suo nè separetur*. Et versu sequente, فان اثرت ان تعتزل *Et si maluit separari*: Græcè χωρισθῇ, & χωρισθῆναι. Et versu decimo quinto فـلـيـعـتـزل χωριζέσθω, *separetur*. Et 2. *Cor.* 6. v. 17. *Exite è medio eorum*, واعتزلوا مـنـهـم *& separamini ab illis*, ἀφορίσθητε. *Esaiæ* locus est capitis quinquagesimi septimi versu undecimo, ubi *Arabs* habet Conjugatione septimâ انـعـزلـوا ùt *Ezech.* 34. v. 12. خرافة المنعزلة *agni separati*: Græcè, διακεχωρισμένων, Indidem apud *Arabes* معتزلة est secta quædam Schismaticorum. Et عـازل & معزال qui ab aliis se subducit. Et اعزل tam de pastore, quàm de pecude dicitur, cùm seorsim pascunt. Fallor, an hinc factum عزازل *azazil* (quod *Hebræi* עזאזל *azazel*, efferunt) cujus formæ Pluralia multa sunt apud *Arabes*, quibus mediam Radicalem itâ duplicare solenne est cum *Elif* inter duas geminatas inserto. Talia sunt; بزازل *bazâzil* mammæ in *Arabe Erpeniano* Gen. 49. v. 25. ذرارج *dsarârig* cantharides, خطاطف *chatâtiph* hirundines, عجاجل *agiâgil* vituli, خنانص *chanânis* porcelli, سنانر *sanânir* feles, زقاقح *zakâki* pulli coturnicum, خفافش *chaphâphis* vespertiliones, فرارج *pharârig* pulli gallinacei, كرارز *carâriz* accipitres anniculi cùm mutant plumas, نساسف *nasâsiph* aves quædam ùt hirundines زرارق *zarârik* accipitres albi, دراج *darârig* attagenes, زبابر *zabâbir* vespæ, زمامج *zamâmig* aquilarum genus, ابابل *abâbil* hominum & equorum agmina hinc inde sparsa, اجاجر *agiâgir* tecta, ارارس *arâris* agricolæ, بلالط *balâlit* pavimenta, عقاقل *akâkil* θῖνες, sive arenarum aggeres, عكاكز *acâciz* hastilia, تنانر *thananir* furni, دنانر *danânir* denarii, جمامس *giamâmis* tuberum genus, دبابس *dabâbis* clavæ, كلالب *calâlib* uncini صـنـانـر *sanânir* ansæ clypei, سكاكس *sacâcin* cultri, قطاطس

قطاطس *phatâtis* mallei, كتاتب *chathâthib* puerorum parvæ sagittæ, quibus jaculari discunt, شبابك *sabâbic* cancelli, شقاقل *sakâkil* ἠρύγγιον, vulgo carduus centum capitum. Vides, lector, totidem voces à radice triliterâ deductas quâ ratione diximus. Itàex Verbo عزل *azala*, quod *separare* & *recedere* est, potuerunt *Arabes* formare Nomen عزازل *azâzil*, quod χωρισμοὺς, vel ἀναχωρήσεις, id est, *separationes*, aut *recessus*, & *secessus* significaverit, & ex عزازل *azâzil Hebræi* mutuari suum לעזאזל *azâzel*, ac eodem sensu usurpare. Itâ hircorum unus rectè dicetur Domino fuisse servatus, nempe ut super altare mactatus illi esset in cibum, quod de victimis legitur *Levit.* 21. *v.* 6. & passim. Alter servatus לעזאזל *ad azâzel*, πρὸς ἀναχωρήσεις, id est, ut in locum deserti remotum & separatum deducatur, qui vocatur versu vigesimo secundo ארץ גזרה, *terra excisa*, aut *devulsa*.

Ut resplanior fiat, libet explicare obiter quidquid dicitur de *azazel Levit.* 16. *v.* 5. Jubetur *Aaron* duos hircos die propitiationum ab *Israelitis* sumere in oblationem pro peccato. *Jonathan* habet תרי צפירי בני עזי דלא עירובין *duos hircos filios caprarum, qui non sint mixti*, seu *heterogenei*; quomodo *tityrus*, qui ex hirco & ove; aut *musimon*, qui ex ariete & capra nascitur. *Epigramma* vetus de ambigenis,

Tityrus ex ovibus oritur hircoque parente;
Musimonem, & capra ex vervegno semine gignit.

Requirebatur insuper, ut hi duo hirci essent שוין במראה בקומה ובדמים ולקיחתן כאחד *pares specie, staturâ, & pretio, & simul comparati.* Itâ *Talmud* in *Joma* cap. 6. &. *Maimonides De die propitiationum* cap. 5. §. 14.

Versu 7. & 8. *Et capiet duos hircos, & statuet eos coram Domino ad ostium Tabernaculi conventûs. Et sortes ponet* Aaron *super duos hircos, sortem unam pro Domino, & sortem alteram pro Azazele.* De situ hircorum itâ *Maimonides* ubi supra cap. 3. §. 2. ומעמידים שני השעירים פניהם למערב ואחוריהן למזרח וכהן גדול בא לשם והסגן מימינו וראש בית אב משמאלו ושני השעירים לפניו אחד לימינו ואחד לשמאלו *Et hircorum duorum facies statuunt versùs Occasum, & terga versùs Ortum: &, magno Sacerdote ad Dominum ingrediente,* Sagan, (seu *secundus Sacerdos*) *adstabat illi à dextra, & princeps domus patrum à sinistra, quomodo & hirci duo, unus à dextris, alter à sinistris.* Quorum pleraque sumpta sunt ex *Joma* cap. 3. Jam, sortes quod attinet, ibidem §. 1. אחד כתוב עליו לשם ואחד כתוב עליו לעזאזל *Super unam scriptum erat pro Domino, & super alteram scriptum erat pro Azazele.* Quamvis enim uterque hircus Deo fuerit consecratus, unde est, quòd uterque coram illo statuebatur, tamen in Dei sortem cedere videbatur, magis speciali jure qui super altari mactabatur; quia victimæ in illius honorem immolatæ *Hebræâ* Phrasi vocantur Dei cibus *Levit.* 21. v. 6. & passim. Et huic opponitur alter hircus לעזאזל, id est, πρὸς χωρισμοὺς, vel πρὸς ἀναχωρήσεις, id est, hircus ad id destinatus, ut ad loca remota deductus à grege seponeretur. Porrò ut hircos, itâ & sortes oportuit esse pares, nè ab extrinsecùs intuentibus dignoscerentur. Unde *Jonathan*, *Et super duos hircos ponet* Aaron עדבין שוין *sortes pares.* Et *Maimonides* disertiùs, והן כשרים מכל דבר בין מן העץ בין מן האבן בין מן המתכת אבל לא יהיה אחד גדול ואחד קטן אחד כסף ואחד זהב אלא שניהם שוין *Et hæ aptæ sunt ex quavis materia, sive ex ligno, aut ex lapide, aut ex metallo: modo ne una magna sit, altera parva; una argentea, altera aurea; sed ambæ sint æquales.* In *Joma* capite tertio, שני גורלות של אשכרוע היו ועשאן בן גמלא של זהב *Duæ sortes erant buxeæ, sed* Gamlæ *filius fecit aureas.* Itâ *Maimonides* has sortes scribit olim fuisse ligneas, sed in Templo secundo aureas. Et ambas in uno vase reconditas, quod caperet utramque manum כדי שיכניס שתי ידיו ולא יתכוין *ut* Sacerdos *duas manus in illud immitteret, nec attenderet*, id est, ut sortes utrâque manu indiscriminatim tolleret, neque hanc, vel illam alteri præferret, sed omnia sortis arbitrio permitteret, aut Dei potiùs, qui sortes dirigit, juxta illud *Solomonis* Prov. 16. v. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Sequitur, vas fuisse profanum, & ligneum, & קלפי, κάλπην, seu κάλπιν appellatum. Itâ *Aristophanis Scholiastes* in *Vespas*, Τὰς κάλπεις, ἔνθα τὰς ψήφους καθίεσαν δικάζοντες, *urnas, in quas calculos* (seu *sortes*) *mittebant judices.* Et *Lucianus* in *Hermotimo*, Κάλπις ἀργυρᾶ πρόκειται ἱερὰ τοῦ θεοῦ· ἐς ταύτην ἐμβάλλονται κλῆροι μικροὶ, ὅσον δὴ κυαμιαῖοι τὸ μέγεθος, ἐπιγεγραμμένοι. *Argentea urna Deo sacra in medio posita est: in eam inscriptæ conjiciuntur parvæ sortes fabæ magnitudine.* Addit *Maimonis* filius hanc urnam ad Orientem atrii, & Aquilonem altaris fuisse sitam; &, câ motâ, sortes in Sacerdotis manus incidisse juxta nomen duorum hircorum. Et, si Dei sors in manum dextram incidisset, dixisse Saganem, qui à dextris adstabat, אישי כהן גדול הגבה ימינך *Domine mi, magne Sacerdos, tolle dexteram tuam.* Et, si incidisset in sinistram, dixisse principem domûs patrum, *Domine mi, magne Sacerdos, tolle sinistram tuam*, tum verò Sacerdotem dexteram sortem hirco dextero, & sinistro sinistram imposuisse: quæ eadem in *Joma* legas capite quarto. De his quoque *Jonathan* versu octavo, ויטרף בקלפי ויפקינון וישלקינון על צפיריא *Et movet urnam, & educit eas* (sortes) *& super hircos illas projicit.*

Versu 10. *Et hircus, in quem cecidit sors ad azazel* (id est, cui sorte id obtigit, ut separetur, & seponatur) *sistetur vivus coram Domino.* (Unde *Theodoretus* rectè colligit hunc hircum æque ac alterum Domino fuisse consecratum) *ut per eum fiat propitiatio, & dimittatur ad azazel* (id est, *ad loca remota*) *in desertum.* Jonathan, *ut expiet iniquitatem populi domûs* Israël, *& mittatur ad mortem in locum asperum, & confragosum, nempe in desertum* צוק Tsuk, *qui locus est flexuosus.* *Chaldaica* verba jam suprà protulimus. Apud *Rambam* ubi suprà §. 4. *Sacerdos* קושר לשון של זהורית משקל שתי סלעים בראש שעיר המשתלח ומעמיד כנגד בית שלוחו *ligabat linguam coccineam* (id est, panni frustum in linguæ formam cocco tinctum) *ponderis duorum siclorum in capite hirci emissarii, & eum dirigebat versus locum, in quem dimittendus erat.* Olim hanc linguam alligabant ad ostium porticûs exterioris, aut etiam interioris. Et, cum exalbescebat, quod passim contigisse referunt, id habebatur pro fausto omine: indè scilicet conjectabant remissa sibi esse peccata, juxta illud Prophetæ *Es.* 1. v. 18. *Si rubra ut coccinum fuerint peccata vestra, tanquam nix exalbescent.* Hinc *Gemara* in *Joma* capite sexto, תנו רבנן בראשונה היו קושרין לשון של זהורית על פתח האולם מבחוץ הלבין היו שמחין לא הלבין היו עצבין ומתביישין התקינו שיהיו קושרין על פתח אולם מבפנים ועדין היו מציצין ורואין הלבין היו שמחין לא הלבין היו עצבין *Tradunt Magistri linguam coccineam olim alligatam fuisse ad ostium porticûs exterioris: tum vero si exalbescebat, lætabantur: sin minùs, dolebant, & pudore suffundebantur. Statuerunt etiam, ut ligaretur ad ostium porticûs interioris, & tum quoq; introspiciebant, & videbant: &, eâ exalbescente, læti erant; non exalbescente, mœsti.* Sed observari desiit hoc signum remissionis peccatorum annis quadraginta ante Templi *Hierosolymitani* excidium, ut iidem *Talmudici*

dici scribunt in *Joma* cap. 4. fol. 39. b. תנו רבנן ארבעים שנה קודם חורבן הבית לא היה גורל עולה בימין ולא היה לשון של זהורית מלבין ולא היה נר מערבי דולק והיו דלתות ההיכל נפתחות מאליהן *Magistri docuerunt quadraginta annis ante Templi desolationem non ascendisse amplius sortem in manum dextram, neque linguam coccineam amplius exalbuisse, & neque lucernam vespertinam amplius arsisse, Templi fores per se patuisse.* Nempe annis quadraginta ante Templi desolationem *Christus* passus est. Et illius morte legalibus sacrificiis omnis virtus adempta, lumen cognitionis in ea gente extinctum, nec Templum solum, sed & cœlum hactenus clausum gentibus tum demum patere cœpit. Quod significabant Templi fores sponte apertæ. Seu mavis *velum Templi, quod medium, scissum est*, ut habent *Evangelistæ*. Idem enim intelligi suadet *Syra* versio, quæ sic habet. *Matt.* 27, 51. ܘܡܚܕܐ ܐܨܛܪܝ ܐܦܝ ܬܪܥܐ ܕܗܝܟܠܐ ܠܬܪܬܝܢ ܦܠܓܘܬܐ *Et illico facies portæ Templi divisa est in duas partes.*

Vers. 20, 21. 22. *Et offeret hircum vivum: & imponet* Aaron *utramque manum super caput hirci vivi, & confitebitur super eum omnes iniquitates filiorum* Israëlis, *& omnes prævaricationes eorum ex quibusvis peccatis. Et, cum eas hirci capiti imposuerit, amandabit eum in desertum per manum viri parati. Et portabit hircus omnes iniquitates eorum* אל ארץ גזרה *in terram* ab aliis, quæ habitantur, *divulsam, & ideò hircum in desertum mittet.* Ritus imponendi manus super caput victimæ non hic solùm usurpatus. Ejusdem vestigia videre est *Levit.* 1, 4. & 3, 2. & 4, 4. 33. & 8, 14. 18. & 16, 21. in sacrificiis omne genus, id est, tam pacificis, quàm expiatoriis. Ritum multis describit *Maimonides* in libro *De oblationibus* cap. 3. sect. 6. 8. 9. &c. Neque obscura fuit hujus instituti ratio. Primò enim victimam offerens eam hoc ritu Deo tradebat, & quasi manu-mittebat, professus se renunciare juri, quod in istud animal habebat, seque illud dominio suo eximere, & cultui Divino dicare. Quomodo prisci *Romani* servum in libertatem asserendum manu tenebant dicentes, *Hunc hominem liberum esse volo.* Unde est, quod assertio in libertatem *manu-missio* appellabatur. Secundò, hoc eodem ritu iram Dei peccator deprecabatur, eamque immitti petebat in illius victimæ caput, quam suo loco ponebat. Proinde hic summus Pontifex solenni expiationis festo, totius Ecclesiæ personam sustinens, jubetur, utrâque manu in hirci caput imposita, *Israëlitarum* omnia peccata confiteri, eoque ipso hircum devovere, ut quidquid pœnarum in populum propter admissa peccata impenderet in illum converteretur. Neque dubium quin inde apud *Ægyptios* manaverit similis ritus. De iis enim sic *Herodotus* libri secundi capite trigesimo nono, Καταρῶνται τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι, ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. *Execrantur autem* (victimarum) *capita in hæc verba, ut si quid mali aut ipsis immolantibus, aut toti Ægypto futurum sit, id in hoc caput convertatur.* Sequitur per *Ægyptum* universam idem fieri κατὰ τὰς κεφαλὰς τῶν θυομένων κτηνέων, *circa capita pecudum immolandarum*: & indè esse, quod οὐδὲ ἄλλου οὐδενὸς ἐμψύχου κεφαλῆς γεύσεται Αἰγυπτίων οὐδείς, *nemo Ægyptiorum de ullius animantis capite gustat.* In *Joma* cap. 6. fol. 66. a. legitur summus Sacerdos, utrâque manu in hirci caput imposita, talem orationem habuisse; אנא השם חטאו עוו פשעו לפניך עמך בית ישראל אנא השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאו ושעוו ושפשעו לפניך עמך בית ישראל ככתוב בתורה משה עבדך לאמור כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני ה׳ תטהרו *Rogo te, Domine, peccarunt, inique egerunt, prævaricati sunt coram te populus tuus domus* Israel. *Quæso, Domine, expia nunc peccata, iniquitates & prævaricationes, quibus peccârunt, inique egerunt, & prævaricati sunt in te populus tuus domus* Israel, *prout scriptum habetur in Lege* Mosis *servi tui* (Levit. 16. 30.) " *Quia isto die* " *vos expiabit ad vos mundandos ab omnibus peccatis* " *vestris: coram Domino mundabimini.* Et Sacerdotes, & populus, qui stabant in atrio, cum audiebant שם המפורש *nomen explicatum*, id est, nomen יהוה, prolatum ex ore summi Sacerdotis, flexis genibus adorantes proni in faciem dicebant, ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Benedictus sit Dominus, gloria regni ejus sit in æternum.*

Hac oratione peracta, hircus in solitudinem deducebatur ביד איש עתי *per manum viri* ad id *parati*. Ita rectè veteres vocem עתי reddunt, quæ alibi non extat, quia עת *Hebraicè tempus* significat, ut *Chaldaicè* זמן. Indè עתי collegerunt idem esse, quod זמין, vel מזומן, id est, *paratum*, & *instructum*. Alii *commodum & opportunum* malunt, quasi sit idem, quod *Græcè* καίριος, & εὔκαιρος. Quidquid sit, vir ille ad id paratus, & destinatus erat מן אשתקד *ab anno præterito*, si *Jonathæ* credimus: at, si *Jarchio*, solum מיום אתמול *ab hesterno die.* R. *Moses* scribit quoslibet aptos fuisse ad id muneris, modo summi Sacerdotes eos designarent, neque ullum *Israëlitam* eò amandatum. Quod ipsum *Talmudici* habent in *Joma* cap. 6. Iidem tamen addunt ערסלא מצפורי *Arsalam Tsipporensem* hircum deduxisse, quamvis esset *Israëlita*. Locus, in quem deducebatur hircus à *Mose*, vocatur מדבר *desertum*, & עזאזל *azazel*, *secessus*, vel *recessus*, ut nos quidem putamus, & terra גזרה *gezara*, *excisionis*, id est, excisa, vel divulsa, ut volunt, à locis habitatis: quomodo *Arabicè* جزيرة *gezira* est *insula*, quia à continente divulsa. *Græci* γῆν ἄβατον reddunt, Hieronymus *terram solitariam*, Jonathan צדיא אתר *locum desolatum*, Onkelos ארע לא יתבא *terram inhabitabilem*, Syrus ܐܪܥܐ ܚܪܒܬܐ *terram incultam*. Arabs uterque, omnium optimè, nisi fallor, ارض منقطعة, ad verbum *terram excisam*, ut *Hebræum* ארץ גזרה. Nam *Arabicum* قطع idem est, quod *Hebræum* גזר. Sed & منقطع propriè *invium* sonat, ut notant *Lexicographi*; quia montes, & rupes, cum excisæ, & abruptæ sunt, etiam sunt inviæ. Itaque hæc *Arabum* versio eadem, quæ *Græcorum*, qui habent γῆν ἄβατον. Sed ideò *Græca* præferenda, quod *Hebrææ* vocis vim aperit, & effert per simile loquendi genus. Locum eundem à *Jonathane* vocari diximus מדברא דצוק *desertum Tsuk*, id est, *angustum*, & אתר תקיף וקשי *locum asperum, & confragosum*, & בית הדורי ad verbum *domum anfractuum*, id est, locum flexuosum, & tortuosum. Eos egregiè falli constat, qui desertum illud volunt fuisse prope *Sinai*, si verum est, quod *Talmudici* asserunt, ab urbe non distâsse supra תשעים ריס *nonaginta stadia*, id est, duodecim milliaria; quorum singula sunt septem stadiorum cum dimidio. Verba sunt ubi suprà, fol. 66. b. יקירי ירושלם היו מלוין אותו עד סוכה הראשונה עשר סוכות מירושלם ועד צוק תשעין ריס שבעה ומחצה לכל מיל *Nobiles* Jerusalem *comitabantur ipsum* (nempe deductorem hirci) *usque ad primum Tabernaculum. Decem erant Tabernacula ab* Hierosolymis *usque ad* Tsuk, *& nonaginta stadia, & septem stadia cum semisse in unoquoque milliari.* Quæ quia subobscura sunt,

sunt, audi *Maimonidem*, qui pleraque hæc sic effert disertius, וסוכות היו עושין מירושלים עד תחלת המדבר ושובת איש אחד או אנשים הרבה בכל סוף וסוף מהן כדי שיהיו מלוין אותו מסוכה לסוכה *Et faciebant Tabernacula ab* Hierosolymis *usque ad initia deserti. Et in singulis Tabernaculis unus, aut multi viri degebant, ut essent qui illum comitarentur* (seu *deducerent*) *ab uno Tabernaculo ad aliud Tabernaculum.* Quia res agebatur magni momenti, ne quid hirci deductori in via secùs accideret, illum necesse fuit per totum iter aliquos habere comites. Sed obstabat festi religio, ne quis illi comes esset perpetuus. Quia die *Sabbathi*, vel alio quovis festo, nefas erat supra quindecim stadia emetiri. Quod institutum violare cum nemini liceret præterquam soli hirci ductori, quem ipsa Lex apertè excipit, comites mutari necesse erat per singula milliaria, quæ in reditu duplicabantur. Proinde à primo urbe milliari, quo illum deducebant nobiles *Hierosolymitani*, decem stationes erant dispositæ, atque in singulis unus, aut plures, qui illi adstarent, usque ad milliare undecimum. Et על כל סוכה וסוכה אומרין לו הרי מזון הרי מים אם כשל כחו וצריך לאכל אוכל ומעולם לא צריך לאדם לכך *Et ad singula tentoria illi dicebant, En tibi cibum, en potum! Et, si vires fatiscerent, ità ut cibo egeret, edebat. Quod tamen haud unquam ulli contigisse observatum est.* Sequitur in *Maimonide*, ואנשי הסוכה האחרונה עומדין בסוף התחום ורואין את מעשיו מרחוק *Et viri extremi tentorii stabant in fine termini, visuri eminùs quid faceret.* Neque enim iis licebat ulteriùs progredi. Itaque hirci deductor conficiebat solus milliare ultimum, & sic perveniebat ad desertum צוק *Tsuk*. In quo, si *Misna* fides, & eum sequuto *Maimonide*, hirci ductor היה חולק לשון של זהורית שבקרניו חציו קושר בסלע וחציו קושר בין שתי קרניו ודוחפו לאחוריו והוא מתגלגל ויורד לא היה מגיע לחצי ההר עד שהוא נעשה איברים איברים *dividebat coccineum panni frustulum, quod hircus habebat in cornibus, & illius parte rupi, parte altera hirci cornibus alligata, eum à tergo impellebat. Is verò è summa rupe devolvebatur, & cadebat preceps, & membratim discerpebatur, priusquam præcipitii mediam partem attigisset.* Qua in parte *Talmudicis* cum *Jonathane* non convenit, qui detrusum fuisse scribit vi quâdam Θυελλάτῳ· quod apertè hæc significant *Levit.* 16, 22. ויפטר גברא ית צפירא למדברא דצוק ויסוק צפירא על טוריא דבית הדורי ודחיניה רוח זיקא מן קדם יי וימות *Et vir dimittebat hircum in desertum* Tsuk, *& hircus ascendebat super montes, ubi loca sunt anfractuosa, & impellebat eum ventus procellosus à facie Domini, & moriebatur.* Sed hæc sunt palàm falsa. Hircum enim à ductore suo dimissum scribit *Moses*, non in præceps detrusum, aut ventorum turbine abreptum. Hinc in *Græca* versione *Levit.* 16, 26. *segregatus* fuisse legitur *in dimissionem*, διεσταλμένος εἰς ἄφεσιν. Quomodo scilicet sacra quædam animalia, quæ *Græci* ἄφετα vocabant, quia in Dei alicujus honorem libera dimittebantur. Quo alludens *Plato* libro sexto *De Republica*, eos, qui jam senes à reipublicæ administratione ad Philosophiam se conferunt, ἀφέτους νέμεσθαι scribit. *Synesius* itidem *Epistola* LVII. Ἔζων μεθ' ἀγαθῶν τῶν ἐλπίδων, ὥσπερ ἐν ἱερῷ περιβόλῳ τῷ κόσμῳ ζῶον ἄφετον. *In mundo bona cum spe vivebam, ut in sacro septo solutum animal.* Aliis idem ἄνετος. Hinc *Athenæus*, libri septimi capite septimo, ἱερὸν ἰχθὺν dici vult τὸν ἄνετον. Et *Harpocration* in *Hyperidis Deliaco* ἄνετον exponit τὸν ἀνεῖσθαι, καὶ ἀνειμένον θεῷ τινι. *Cœlius Rhodiginus*, in fine libri septimi, ejusdem ritûs vestigia trans *Euphratem* observat, ubi pascebantur, inquit, boves *Dianæ Persicæ* sacræ, nullo custode, & ἄφετοι, Deæ charagmate insignes. Et *Suetonius* in *Julio* capite octuagesimo primo memorat equorum greges, quos *in trajiciendo* Rubicone *flumine consecraverat* (Cæsar) *ac vagos, & sine custode dimiserat.* Sic *Arabes* في الجاهلية *in Ethnicismo*, id est, antequam impuro *Mahumeti* nomen dedissent, quædam jumenta, & pecora, puta camelos fœminas, oves, & capras Diis suis sic devovebant. Et pecudem ita devotam يبحروها ويتركوها وترعى *auribus fissis relinquebant, ut liberè pasceretur* فتكان حراما عليهم لحمها ولبنها وركوبها *Et erat ipsis interdicta caro ejus, lac ejus, & equitatio ejus.* Et dicebatur سايبة *saibah*, id est, ἄφετος. Quomodo *Deut.* 15, 1. 2. pro *Hebræo* שמטה, quod *Græci* reddunt ἄφεσιν, *Arabs* uterque habet تسييب *remissionem, dimissionem.* Sed & *Arabicè* pecus ità dimissa بحيرة *bahirah* dicitur ab auribus fissis, quia بحر *bahara* est *aures findere*; & صربي *sarba*, quia libera erat à mulctura, & lac retinebat in mamis, à Verbo صرب *saraba* quod *lac in vase colligere* significat. وصيلة *wasilah* vocatur, quæ ideò dimissa est, quia in septimo partu marem & fœminam junctos peperit, quia وصل *wasala jungere & copulare* est. Hircum ità fuisse dimissum verba Legis planum faciunt. Quod ingenuè agnovit *AbenEzra*, qui hæc habet in *Lev.* 16. השם צוה להוליך השעיר ולהעלותו שם עד שישפט *Deus jussu, ut eò deduceretur hircus, & ad ascensum promoveretur, ἕως ἂν ἀφεθῇ, donec dimitteretur.* Et rursus de quodam anonymo, וזה פה אמר כי השעיר ישולח במדבר כי כן כתוב ושלח את השעיר במדבר וטעמו כטעם צפור המטהר מהצרעת שהוא על פני השדה מקום שאין שם ישוב והעד אל ארץ גזרה ואנחנו כי השעיר שלחו במדבר כאשר הוא כתוב ורדפך אחריך עד יכרת ותעל אל הצור על כן אמרו חז״ל ודחפו *Et iste sic interpretatur, Dicit Deus, ut hircus mittatur in desertum; ita enim scriptum est* Levit. 16, 22. " *Et mittet hircum in desertum: quo sensu de passere dicitur, qui mundabat à lepra, ut mittatur in superficiem agri* (ità etiam hircus mitti jubetur) *in locum inhabitabilem, quod testantur hæc Legis verba, in terram excisam* (vel *abruptam*) *Et nos quoque* eodem modo intelligimus, *ut hircum mittas in desertum, sicut scriptum est,* " *Et eum insequatur donec evadas, & rupem* " *conscendat. Proinde dixerunt sapientes beatæ me*" *moriæ, Et impellat eum.* In quibus hoc placet imprimis, quod Lex de duobus hircis, quorum unus mactari jubetur, alter in desertum emitti, confertur cum Lege simili de duobus passeribus *Levit.* 14. 4. 49. quorum uno jugulato, alteri liber in agros volatus permittebatur. Nam, ut *Pharaonis* duplex somnium ad eundem scopum collimabat, ita hoc duplici typo, quamvis in argumento dissimili, Deus videtur idem significâsse; nempe *Christi*, Servatoris nostri, mortem, & resurrectionem. Quippe, cum animæ lepra sit peccatum, tam *Christum* figurabant duo passeres pro mundatione lepræ, quam hirci duo pro peccatis oblati. Atque, ut mactatus hircus, & jugulatus passer, *Christi* in cruce sublati, ità ejusdem redivivi typus erant hircus, & passer, qui vivi emittebantur.

bantur. Aliis hircus, aut passer, emissi, *Christi* animam significant, aut naturam divinam, aut *Barabbam*, aut humanum genus in morte *Christi* servatum.

Versu 26. *Et qui emiserit hircum ad azazel (seu recessum) abluet vestes suas, & lavabit aqua carnem suam, & postea redibit ad castra.* Qui deduxerat hircum, redibat, & manebat sub ultimo tentorio usque ad vesperam. *Maimonides* עד חחשך *donec tenebræ invalescerent*; quia legalem immunditiam contraxerat ex hirci contactu, qui erat instar καθάρματ@, & piacularis hostiæ. Et hæc immundities durabat usque ad vesperam, *Levit.* 15, 5. Et, cum simplicem lotionem præscribat *Moses*, *Jonathan* corpus & vestes ablui vult בארבעין סאוון רמי *quadraginta lotionibus aquarum.* סאוון, vel סוין, ut paulò pòst scribitur, vox est nihili. Sed puto legendum סחין à סחה, quod *lavare* est. Unde in *Syro* Interprete ܡܣܚܝܐ est *lavacrum*, *Ephes.* 5, 26.

Non possum non addere videri *Græcos* ad hunc *Hebræorum* ritum allusisse, cum ad capras sylvestres imminentia mala amandabant. *Erasmus* Adagio 2178. Κατ' αἶγας ἀγρίας, *In capras feras. Abominantis est sermo, & malum deprecantis, inque sylvestres capras avertentis.* Quod ex *Athenæi* loco probat.

Cui poterant addi hæc *Hesychii*, Κατ' αἶγας ἀγρίας, παροιμία λεγομένη εἰς ἀγρίας αἶγας τρέπειν τὰς νόσους, μάλιστα δὲ τὴν ἱεράν *In capras agrestes, Proverbium, quo morbi, & maximè comitialis, converti dicuntur in capras agrestes.* *Suidas* etiam usurpari dicit ἐπὶ κατάρας, κατ' αἶγας ἀγρίας τρέπειν τὰ κακά, *per execrationem in feras capras mala convertere.*

CAPUT QUINQUAGESIMUM QVINTUM.

Canum *Hebræum* nomen, latratus, gannitus, hirritus, fames, cibus, potus, & mictus.

Hebræum כלוב club, *cavea (unde* κλωβὸς, & κλωβὸς idem *Græcis)* Item *uncinus, forceps. Hinc* canis כלב celeb, *dictus a tenacitate morsus. Ferreus harpax Latinis*, lupus, *&* canicula. *Canis compedis genus.* Davidis *ex* Abigale *filius* Daniel, *&* Cileab *vocatus.* Caleb *à cane dictus.* Nabal Calebita, *non* κυνικὸς, *ut* Græci *reddunt.* Æsculapius *canino lacte nutritus, unde illi nomen. Canes in ejus Templo. Alia nomina ex cane sumpta.* Casinæ *cur latrans nomen. Male rescriptum* Canissa. קסנא casna, *in* Talmude *parvi & teneri canis Epithetum.* נבח nabach, latrare, *canum proprium.* Albasus, Arabica *mulier in canem mutata, ut* Hecuba. نبح *nabacha* Arabicum *de cane, hirco, & serpente.* Anubis *unde dictus.* Nubæ *canem pro Rege habuerunt.* Nibchaz *Deus effigie canis.* Psal. 59, 7. 15. יהמו fremere ut canes. *Græcè* λιμώξουσιν, esurient. *Legendum* μαιμάξουσι, tumultuabuntur. Athenis Jupiter Μαιμάκτης, *&* mensis *hybernus* Μαιμακτηριών. Græcæ *versionis duo loca in eadem voce corrupta. Hoc verbum* Hieronymo, *& aliis ignotum, ac proinde corruptum. Canis animal famelicum.* Κυνάδης: ὄρεξις, *morbi genus.* Λαφυγμός. *Proverbium* Arabicum *de cane, qui propriam caudam comedit. Et* Talmudicum, Famelicus ut canis. Κυνοπεῖναι *monstrosi populi, potius* Cynopanes. Γρύζειν *de cane* Exod. 11, 7. *suum potius, ut Rom.* grunnire. *Sed* ῥύζειν *canum. R litera canina. Id* Latinè gannire, *&* hirrire, *ut* Arabicè هر harra. *Gannitus etiam blandientis canis, ut* Græcum κνυζηθμός. Hesychius *emendatus.* Γρύζει *pro* Hebræo יחרץ *quod propriè acuere est, ut* שנן. *Ante Activum verbum* Hebræi *sæpe omittunt nomen agentis.* خرش *&* هرش frendere, *de cane irritato.* Κυνάεια, *qui canes. Horum cibus mica,* Matth. 15, 27. *id est, panis frustula, non mica propriè dicta.* Philostrati *locus similis.* Res Hebræum *post primam Radicalem à* Syris *sæpe inseritur. Canes* τραπεζῆες *in* Homero. *Canum* ἀπομαγδαλία, *quid propriè.* Eustathius *&* Hesychius *emendatus. Canis panes somniat. Canis media natura inter feram & pecus domesticum. Caro ejus cibus. Cur caro discerpta cani projicienda,* Exod. 21, 31 *Miræ prædictiones de* Achabo, Jezabele, *&* Ascletarione *Mathematico.* Σκύβαλα, *cibus canum.* Canem redire ad vomitum. Ἐξέραμα *quid propriè.* Laërtius *emendatus. Quid* Syris ܡܢܟܠܒܐ *Canes lingendo vulnera sanant. Aquas lambere, canum proprium,* Græcè λάπτειν, *Gallicè* laper. *Quomodo id* Arabicè. *Cur canes in* Nilo *aquam currentes lambant.* Hesychius *ter emendatus. Qui sint equi* λυκοσπάδες. *Equi* Heneti *prope* Adriam, *non in* Paphlagonia. *De* Lycospadum *nomine nova conjectura. Cur exclusi* Gedeonis *milites, qui aquam non lambebant more canum. Canis, crure ad parietem sublato, mingit. Quomodo id* Arabicè. *Quid in* Prophetis *sit* neminem relinquere, qui mingat ad parietem. *Refelluntur, qui canes intelligunt. Quid sit* clausus, & derelictus, 1. *Reg.* 14, 10. Mingens ad parietem, *id est*, vir. *Post victoriam tum soli viri cædebantur. Viros in oriente mulierum more minxisse falsum. Lotium cur Hebræis* aqua pedum. *Voces* mingentem ad parietem *quomodo veteres aliò detorserint.*

POstquam de gregibus abundè actum est, jam libet in custodiam canes illis apponere, ne feris cedant in prædam. *Canis Hebræum* nomen est כֶּלֶב *celeb*; quod alii *quasi cor* explicant, id est, כְּלֵב; alii *totum cor*, id est, כל לב; alii denique, *sicut leo*, id est, כְּלָבִיא; quæ non tam sunt vocis origines, quam ad illam frigidæ allusiones. Neque enim compositum, sed simplex Nomen est כלב Proinde conabimur aliquid afferre vero propius. *Hebraicè* כלוב *club*, est *cavea.* Sic *Jerem.* 5, 27. ככלוב מלא עוף *ut cavea plena avibus.* Unde *Græcorum* κλυβὸς, vel κλωβός. *Philostorgius*, apud me MSS. edito multò emendatior, libri decimi capite undecimo; ὁ δὲ Αἰγύπτι@ οὕτω κατεβραχύνετο, ὥς τε μηδ' ἀχαρίστως τοὺς ἐν τοῖς κλωβοῖς πέρδικας ἐκμιμεῖσθαι, καὶ συναθύρειν αὐταῖς πρὸς ἔριν ἐκείν@· *Ægyptius autem* (pumilio) *ità contrahebatur, ut non malè imitaretur perdices caveis inclusas, & ea cum ipso per contentionem luderent.* Hesychius, Κάρταλος, τὸ πλεκτὸν ἀγγεῖον ἐν τοῖς ὀψαρτυτικοῖς, κλοβὸς (malim κλωβός.) *Cartallus, vas textile in libris de re culinaria, cavea. Philoxenus in Glossis,* Κλωβὸς, *cavea. Poeta* vetus apud *Suidam*, Κλωβοὺς ἀμφιῤῥῶγας, *caveas undequaque ruptas, seu apertas.* *Cedrenus* pag. 592. B. Ζῶον δὲ τι ποικίλον ἐν κλωβῷ κατὰ τὰ βασίλεια αἰωρούμενον· *Avis quædam erat in regia, caveâ appensa.* Oppiani *Scholiastes Halieut.* lib. 3. Κύρτον, ζωγρεῖον, κλωβίον. Et in *Ixeuticis* ipse *Oppianus* ægithum capi κλωβῷ asserit, in quo ægithus illex includitur. Hæc obiter de *Hebræa* voce à *Græcis* pridem usurpata. Sed & כלוב *club*, Amos 8. 1, 2. *uncinum* reddit *Hieronymus*. Et verò apud Ara-

Arabes كلوب vel كلاب id omnino significat. Et كلبتان vel كلابات sunt *forcipes.* Utrumque habent *Arabica Pentateuchi* Paraphrases: prius *Parisiensis,* posterius *Erpeniana* editio *Num.* 4, 9. Neque *Chaldæis* fuit ignota vox, quibus כולבא non solum *securis* est, sed & צבת *forceps,* juxta autorem *Aruch,* & *Kimchium* in 1. *Sam.* 13,20. Et *Hebræum* כבל *cebel,* pro *compede* videtur indidem factum per literarum trajectionem. Canis igitur potuit inde appellari כלב *celeb,* à *firmitate dentium,* quibus tanta est morsus tenacitas, ut harpagonum, & forcipum, & ferreorum compedum instar esse videri queant. Nisi forcipi, & harpagoni, & compedi malis à cane nomen esse. Tale, quod *Isidori Orig.* lib. 20. cap. 15. *lupus,* & *canicula* nominatur ferreus harpax, quo extrahitur quod in puteum decidit. Et apud *Festum, Catulus genus quoddam est vinculi, quod interdum canis appellatur.* Hinc *Plautus* in *Casina,* Scenâ *Face Chalino,*

Taceo, Deos quæso, ut quidem hodie canem, & furcam feras.

Sunt, qui *canum* perperam legunt.

Tractatum *De Cane Damir* ita orditur الكلب حيوان معروف وربما وصف به فنقيل للرجل كلب وللمراة كلبة Alcelb (id est, *canis*) *animal notum est, à quo sæpe viro cognomentum inditur, ut mulier vocatur Celba,* id est, *canis fœmina.* Quò refertur paulò pòst, quod كلاب اسم رجل من اجداد النبي Cilab *fuit nomen unius ex Prophetæ avis,* id est, impuri *Mahometis.* Sed nomen כלאב *Cileab* filio *Davidis* inditum, quem illi peperit *Abigail, Hebræi* multò aliter interpretantur. Eum enim observant fuisse binomium, & alibi (*a*) *Danielem,* alibi (*b*) *Cileabum* vocari. Et *Daniel* quidem, inquiunt, fuit שמו העיקר *nomen ejus fundamentale,* seu *primarium;* quia dixit *David,* illo nascente, דנני אל מנבל *Deus à* Nabale *me vindicavit,* sed & *Cileabum* appellavit, id est, *patri similem,* quia cum ליצני הדור ævi illius derisores *Abigailem* assererent ex priore viro *Nabale* concepisse, & nasciturum infantem *Nabalis* esse filium, ad amoliendam hanc calumniam permisit Deus, ut קלסתר פניו *figura faciei ejus Davidis* vultum planè referret. Utut sit, *Calebo* saltem nomen à cane fuisse, quacunque tandem de causa, certum atque indubitatum est Et *Nabalem* dici כלבי, *Calebi,* id est, *Calebitam,* 1. *Sam.* 25,3. quia erat מדבית כלב *ex Calebi domo,* ut *Chaldæus;* vel *de genere Caleb,* ut *Hieronymus* reddidit. Quanquam alii veterum *caninum* interpretentur, ac si hac voce illum innuat Sacer Scriptor caninos habuisse mores, & caninum ingenium. Inde in *Græca* versione vocatur ἄνθρωπος κυνικός, *homo cynicus,* vel *caninus.* Et in *Syra* ܟܠܒܐ *rabiosus ut canis* Et *Arabs* ferè يشبه الكلاب في صنيعه *canis similis erat in actionibus suis.* Æsculapius quoque *Phœnicum* Deus, ut ex *Sanchoniathone* patet, & *Damascio* apud *Photium,* fortasse *Phœnicie* dictus est איש־כלבי, *is-calbi, vir caninus,* unde *Græcè* Ἀσκλήπιος, & *Romanè* ÆSCULAPIUS. Neque verò causa defuit, cur à cane nomen desumeret. *Hunc* Tarquitius, *de illustribus viris disserens, ait incertis parentibus natum, expositum, & à venatoribus inventũ,*

a) 1. Par. 3,1.
b) 2. Sam. 3,3.

canino lacte nutritum. Ita *Lactantius, De falsa religione* lib. 1. cap. 10. Et *Festus* vocibus, *In insula Æsculapio,* &c. *Canes adhibentur ejus Templo, quod is uberibus canis sit nutritus.* Sed, si *Arabum, Hebræorum,* & *Phœnicum* nonnulli à cane nomen habuerunt, nihil hic illis fuit peculiare: cum apud *Græcos* Κύων, vel Κυνίδης, unde Κυνίδαι genus sacrum *Athenis,* & Κυναίγειρος, & Σκύλαξ, & Κυνίσκα, & Κυνών, & Κυνίσκος & apud *Romanos Catulus, Catullus, Caninus, Caninius, Canidius, Canuleius* sint ex eadem origine. De *Casina* quoque videtur idem esse statuendum, quia Comœdiam ità inscriptam *Plautus* dicit habere *latrans nomen,* id est, *caninum.* Is enim ità in *Prologo,*

Κληρούμενοι *vocatur hæc Comœdia*
Græcè. Latinè *Sortientes,* Diphilus
Hanc Græcè *scripsit: post, id rursum denuò*
Latinè Plautus *cum latranti nomine.*

Fateor tamen mihi calculum hic hærere cum viris longè doctissimis, qui vel hoc securè transmittunt, vel ea dicunt, quæ tacuisse præstitisset. *Plautum* (inquit *Canterus Nov. Lect.* lib. 7. cap. 22.) *canis & Casina nomen idem valere Comicè dixit, quoniam ab eadem incipiunt Syllaba.* Et *Samuel Petitus* ἐμμανεῖ τῆς *Miscellan.* lib. 2. cap. 18. pro *Casina Canissam* scribit, quomodo *Plautum* reddidisse vult *Græcum* Κυνίσκης nomen, quo *catella* significatur, aut *canicula.* Sed *Canissa* vox est nihili. *Plautus* vel retinuisset *Græcum cyniscæ* nomen, vel mutasset in *Latinum catella,* aut *caniculæ.* Præterea, si loca expendas in quibus occurrit *Casina* nomen, in plerisque videbis non posse in *Canissam* sine flagitio mutari; quia id non patitur metri ratio. Exemplo sint pauca hæc è multis Actu primo,

Bellam, & tenellam Casinam, *conservam tuam.*

Et Actu secundo,

Ne Casinam *uxorem ducam.* St. *Quid tum postea?*

Et rursus,

Sorti sum victus, Casina *nubet villico.*

Et Actu quarto,

Quem dent pro Casina *nuptum nostro villico.*

Et in fine ejusdem Actus,

Quin imus ergo? St. *Bellatu, mea* Casina.

His, inquam, locis *Canissam,* pro *Casina* scribe, & versum claudicare facilè deprehendes. Proinde *Grammatici* veteres, quotquot supersunt, *Varro,* (*De Ling. Lat.* lib. 6. in *Fringutis*) *Festus* (in *Casina,* & *Nepa*) *Nonnius Marcellus* (in *Calvitur,* & *Lingulaca*) *Fulgentius* (in *Catillare,* & *Sculponeas,* & *Titivillitium*) hoc Drama non aliter citant, quam sub *Casinæ* nomine. *Gellius* quoq; libri primi capite septimo. Plautus *etiam in* Casina, *cum de puella loqueretur, occisurã dixit, non occisurã, his verbis:* " *Etiamne habet* Casina *gladiũ,* &c. Deniq; *Casinæ* nomen præferunt sex Acrostichi versus, quibus argumentum Fabulæ continetur. Quorum versuum auctor fuit vel ipse *Plautus,* vel alius propè æqualis, ut ex ipso stylo docti colligunt. *Casinam* igitur à *Plauto* dictam fuisse hanc fabulam tam certum est, quàm quod est certissimum. Et potuit esse canis nomen, aut attributum apud vicinos barbaros. Ut קסנא *kasna,* in *Talmude,* quod de catulo *parvum* & *tenerum* sonat. Hinc in Tractatu *Cetubim* capite quinto in *Gemara* ומטללא בגוריתא קסניתא *Et qui ludit cum catulis parvulis.* Ibi enim *Glossator* בכלבים דקים *cum canibus teneris,* aut [illegible] *parvis.*

Ut homini *ridere,* ità cani *latrare* proprium: quod *Hebraicè* est נבח *nabach.* Hinc *Es.* 56, 10. *Omnes illi canes muti sunt,* לא יוכלו לנבח, *latrare non possunt.* Vox alibi non habetur in Sacræ Scripturæ libris. Sed apud *Hebræos* passim occurrit. Ut, cum de decrepito sene dicitur in *Talmudico* Tractatu *De Sabbato* cap. 23. fol. 152. 2. כלבוהי לא נבחין [illegible]

טוחנוהי לא טחנין *Canes ejus non latrant, mole ejus non molunt:* id est, vox ita submissa est, ut non amplius audiatur, & dentes ita detriti, aut confracti, ut non possint mandere. Et in *Eruvin* cap. 8. fol. 86. a. in *Gemara* נבח בך כלבא עול נבח בך גוריתא פוק *Si te allatrat canis masculus, ingredere; sed, si canis fœmina te allatrat, exi.* Nec immerito observat *Aben Ezra* sic efferri בלשון קדר *linguâ Kedar*, id est, *Arabicâ*, qua frequentius nihil est. Sic ipsum Esaiæ hunc locum *Arabs* ita expressit لا يستطيعون ان ينبحوا *latrare non poterunt.* Et *Exod.* 11. *v.* 7. versio *Parisiis* edita لا ينبح كلب بفيه *Canis ore suo non latrabit.* Et de cane فقفق *phakphaka* explicatur in *Alcamus* نبح فرقا *Timide latravit.* Et البسوس *Albasus* eidem est *mulier, quam Deus* جعلها كلبة نباحة *mutavit in canem latrantem*, quod de *Hecuba Græci* fabulantur. Sed cum *Hebræi* נבח nonnisi de canu usurpent, latius patet نبح apud *Arabes*. Nam in *Alcamus* نبح الكلب الظبي والتيس والحية Quibus verbis significatur نبح dici de latratu canis, de capreæ, ac hirci balatu, & de sibilo serpentis. Indidem *Ægyptiis* dictus *latrator Anubis*, quod *Hebrais* esset הנובח, *hannobeah*. Quamvis enim *Ægyptia* lingua plurimum ab *Hebræa* differat, *Ægyptii* tamen à *Syris*, & *Hebræis* multas voces mutuati sunt, quod docere esset obvium. *Nubiæ* quoque nomen eodem puto referri posse, quia *Nubarum* pars *Ptoëmphanæ* (Ptolemæo Πτοεμφανεῖς) *canem pro Rege habuerunt, motu ejus imperia augurantes.* Ita *Plinius* lib. 6. c. 30. Et *Hermippus* ex *Aristocleone* apud *Ælianum De Animalib.* lib. 7. c. 40. Sed & à latratu dictus est *Avæorum* Deus נבחז *nibchaz*, 2. *Reg.* 17. *v.* 31. si verè habuit latrantis canis effigiem; ut asserunt *Jarchius*, & *Kimchius* post *Talmudicos* in libro *Sanhedrin* cap. septimo fol. 63. b.

Id etiam ad latratum canum multi referunt, quod habetur *Psal.* 59. *v.* 7. 15. יהמו ככלב *frement*, vel *obstrepent ut canes.* Proinde hic *Hieronymus*, *latrent ut canes.* Et *Aben Ezra*, דמה אותם לכלבים שהם נובחים בלילה *Confert eos cum canibus, qui noctu latrant.* Et *Kimchius*, כמו הכלב שהולך ונובח בלילה *ut canis it noctu latrans*, &c. Alii ad ululatum malunt. Ita *Syrus*, ܢܥܘܘܢ ܐܝܟ ܟܠܒܐ Et *Arabs*, يعوون مثل الكلاب *ululabunt ut canes.* Sed *Hebræa* vox ad omnem strepitum & tumultum generalis est. Rectè igitur *Symmachus* σωνηχήσουσιν ὡς κύνες, *perstrepent ut canes.* Et *Chaldæus* מתרגשין איך כלבא *Et tumultuantur ut canes.* At *Græci* planè aliter, λιμώξουσιν ὡς κύων· unde Vulgatus, *Famem patientur ut canes.*

Et *Æthiops* ይርኅቡ፡ ከመ፡ ከለብ፡ *Esurient ut canis.* Et *Apollinaris*, Καὶ κυσὶ πειναλέοις ἴκελοι, *Et canibus famelicis similes.* Quod novum iis videbitur, qui has literas colunt, cùm verbum המה, quo hic utitur *Psaltes*, commune nihil habeat cum iis verbis, quæ *famem* aut *esuritem* significant. Itaque vox λιμώξουσιν, utut jam olim lecta, mihi tamen de mendo suspecta est, & *Seniores* pro λιμώξουσιν scripsisse puto μαιμάξουσιν: Quod apprimè hic quadrat. Μαιμάσσειν quippe, vel μαιμάζειν, inter cætera *strepere est*, *turbari, tumultuari.* *Suidas*, Μαιμάζει, σφύζει, προθυμεῖ, κυματοῦται, πηδᾷ, καχλάζει, κλονεῖται· *Salit, promptius est, fluctuat, saltat, strepit, turbatur.* *Hesychius*, Μαιμάξ, ταραχώδης. Μαιμάσσει, σφίζει (lege σφύζει) προθυμεῖται. Inde Ζεὺς Μαιμάκτης dictus *Athenis*, quasi furiosus, & turbulentus. Et Μαιμακτηριών hyemalium mensium primus, quo aer incipit turbari, & commoveri. Proinde *Jovi Mæmacti* sacra fiebant *Mæmacteria* dicta, ut pacatior esset hyems. *Harpocration* in voce Μαιμακτηριών, Ὠνόμασται δὲ ἀπὸ Διὸς Μαιμάκτου. Μαιμάκτης δ' ἐστὶν ὁ ἐνθουσιώδης, καὶ ταρακτικὸς, ὥς φησι Λυσιμαχίδης ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀθήνησι μηνῶν. ἄρχει γὰρ λαμβάνοντος τοῦ χειμῶνος ἐν τούτῳ τῷ μηνὶ, ὁ ἀὴρ ταράττεται, καὶ μεταβολὴν ἴσχει. Nec fuit ignota vox *Græcis* interpretibus, qui de mari dixerunt *Job.* 38. *vers.* 8. Ὅταν ἐμαίμασσεν ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτῆς ἐκπορευομένη, *Cum tumultuaretur ex utero matris suæ prodiens.* Et *Jer.* 4. *vers.* 19. Τὰ αἰσθητήρια τῆς καρδίας μου μαιμάσσει, *Cordis mei sensoria tumultuantur*, vel *concitantur.* Et, quod maximè notandum, ibi μαιμάσσει est pro *Hebræo* הומה. Vero proinde consentaneum est, eosdem Interpretes idem verbum reddidisse μαιμάξουσιν in *Psalmi* loco, in quo versamur. Sed scribæ tribus de causis hunc locum corruperunt. Prima & præcipua hæc est, quod *Græcum* verbum μαιμάσσω, licet elegans, & *Atticum*, tamen parum est in usu. Proinde in *Jeremiæ* loco, quem citavimus, multos torsit interpretes. Et profitetur *Hieronymus* se non intelligere. *Ubi*, inquit, *juxta* Symmachum *posuimus* turbati sunt, *in* Hebræo *scriptum est* הומה. Septuaginta, *&* Theodotio *posuerunt* μαιμάσσει, *quod verbum usq; in præsentiarum quid significet ignoro.* Aquila *autem posuit* ὀχλάζει, *quod & ipsum tumultum sonat. Hoc de verbo dictum sit, super quo scio apud plerosq; magnum esse certamen.* Hæc *Hieronymus* hactenus. Itaque etiam in *Jeremia* vox corrupta est, & pro μαιμάσσει scriptum μὴ μάσσει, tanquam à μάσσω *premo, subigo*, in editione *Complutensi*, & *Parisiensi* nupera. Sed μαιμάσσει rectè scribi tam ex *Hieronymo* constat, quàm ex *Theodoreto* in hunc locum, & *Gregorii Nazianzeni* Orat. 17. ubi statim initio hæc *Jeremiæ* verba citantur, & explicantur. In *Jobo* denique pro ἐμαίμασσεν quidam legerunt ἐμαιεῦθη, ut hic notat *Olympiodorus*. Ex quibus apparet scribas huic voci tanquam ignotæ ἄσπονδον πόλεμον indixisse, & omnem movisse lapidem, ut illam è Scripturis eliminarent. Præterea hæc verba *Psal.* 59. (al. 58.) vers. 15. λιμώξουσιν ὡς κύων, *Famem patientur ut canis*, videbantur bellè cohærere cum sequentibus, quæ in eadem versione sic habent, Καὶ κυκλώσουσι πόλιν, αὐτοὶ διασκορπισθήσονται τοῦ φαγεῖν, ἐὰν δὲ μὴ χορτασθῶσι, καὶ γογγύσουσιν. Et in Vulgata, *Et circuibunt civitatem, Ipsi dispergentur ad manducandum, si vero non fuerint saturati, murmurabunt.* Esuritio denique, quæ canibus sic adscribitur ad illorum naturam pertinere visa est: quia canis est animal valde famelicum, à quo κυνώδης ὄρεξις, *Arabicè* الشهوة الكلبية, *caninus appetitus* dicitur morbus in homine τῇ βουλιμίᾳ non absimilis, de quo *Galenus De locis affectis* lib. 5. cap. 5. *Aëtius* lib. 9. cap. 21. *Avicenna* lib. 3. Canonis Fen. 13. tract. 2. cap. 2. & seq. Proinde λαφυγμὸς dicitur immensa *canum aviditas.* *Aristophanis Scholiastes* in *Nubibus*: Λαφυγμὸν γὰρ λέγει τὸ ἀπλήστως ἐσθίειν. Et paulo post, Ἔστι γὰρ λάπτω, καὶ λαφύσσω, τὸ ῥοφῶ, κυρίως ἐπὶ κυνῶν, καὶ χοίρων· ὅθεν παράγεται καὶ ὁ λαφυγμός. Et meminerunt *Arabes* mulieris cujusdam حومل *Haumal* nomine, cujus canis اكلت ذنبها جوعا *caudam suam præ fame comedit.* Unde natum est Proverbium vulgare apud illos, اجوع من كلبة حومل *Cane Haumalis plus esuriens.* Ita habe-

habetur in *Alcamus*, & in *Talmudico* Tractatu *Gittin* cap. 5. fol. 56. 2. quidam ideò vocabatur בן כלבא שבוע *Ben calba sebua*, id est, *filius saturi canis* שכל הנכנס לביתו כשהוא רעב ככלב יוצא כשהוא שבע *quia quisquis in domum ejus ingrediebatur famelicus ut canis, ex ea satur exibat*. His addi posse videbitur, quòd inter monstrosos populos censentur *Cynopena* in *Tertulliani Apologetico* capite octavo, & libro primo *ad Nationes*. Ibi enim *Cynopena Salmasio* sunt Κυνοπεῖναι, id est, *qui canina fame laborant*. *Vossio* tamen nostro potius assentior, qui *Cynopanes* mavult, ut κυνόπανες dicantur, quomodo τραγόπανες, αἰγόπανες, ἱππόπανες. Proximè accedit scilicet *Pamelii* lectio, *Cynophanes*.

Ecce aliud de cane, latratui proximum *Exod*. 11. *v*. 7. Οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ. *Canis lingua sua non hirriet*, vel *non ganniet*. Unde *Judith*. 11. *v*. 19. Οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ ἀπέναντί σου· *Canis lingua sua contra te non hirriet*. Tamen apud *Græcos* Scriptores γρύζειν non est canum, sed suum, aut porcellorum, ut *grunnire* apud *Romanos*. *Pollux* de vocibus animalium libri quinti capite 13. Συῶν δὲ γρυλλισμὸς, γρυλλίζειν, γρυλλίζοντες, καὶ γρύζειν, καὶ γρύζοντες. *Hesychius*, Γρυλλίζοντα, γρύζοντα. *Aristophanis Scholiastes* in *Plutum* Act. 2. Sc. 5. Κυρίως δὲ γρύζειν ἐπὶ τὸ τοὺς μικροὺς χοίρους φωνὴν προΐεσθαι. *Alcæus* in *Palæstra* apud *Athenæum* lib. nono cap. 12.

Οἴει δ' ἀκούειν αὐτὸν, εἰ μὴ γρύξομαι,
Ἅ σοι λέγω, πλέον τι γαλαθηνοῦ ὑός;

Censen' istum quæ dicam tibi intellecturum magis quàm lactantem porcellum, nisi grunniam? Unde γρυσμὸς *porci grunnitus*. *Agathocles Babylonius* de *Jove* apud *Athenæum* libri noni capite quarto, λέγεται γὰρ ὡς ἄρα θήλειαν ὑπέχειν ὗς, καὶ τῷ σφετέρῳ γρυσμῷ περιοιχνεῦσα τὸν κνυζηθμὸν τοῦ βρέφεος ἀνεπάϊστον τοῖς παριοῦσιν ἐτίθει. *Ajunt enim suem illi sugendam mammam præbuisse, & circumcursantem grunnitu suo impedivisse ne illius vagitus posset intelligi*. Sed ut γρύζειν *porcorum*, ita ῥύζειν est *canum*, quod & ῥόζειν scribitur, & ῥοίζειν, & ἀῤῥάζειν, & ἀῤῥείζειν. *Pollux* ubi supra de canum vocibus, Εἴποις ἂν καὶ ἀῤῥάζειν, καὶ ἀῤῥάζοντας, καὶ ῥύζειν, καὶ ῥύζοντας. *Suidas*, Ῥόζειν, ῥέγχειν, ὑλακτεῖν, κυρίως μὲν ἐπὶ τῶν κυνῶν, μεταφορικῶς δὲ ἐπὶ ἀνθρώπων. In *Eustathio* ῥοίζειν pro eodem habetur, & in *Ammonio* ἀῤῥείζειν, tanquam ἀπὸ τῆς ἂρ φωνῆς, à voce AR, quam edunt canes lingua inter dentes vibrata. Unde est, quod *canina* vocatur *litera* R. *Persius* Sat. 1.

- - - - - *sonat hic de nare canina*
Litera. - - - - - - - - -

Canis igitur propriè loquendo non γρύζει, sed ῥύζει, vel ῥόζει, &c. Quod *Arabicè* هر *harra*, ut *Latinè hirrire*, & *gannire*. Alcamus, هر الكلب اليه هو صوته دون نباحة من قلة صبرة علي البرد *Hirrivit canis in eum*. *Hæc est vox ejus infra latratum, ut fit ex impatientia frigoris*. Festus, *Hirrire, garrire, quod genus vocis est canis rabiosa*. Lege *Hirrire, gannire*, &c. Neque enim *garrire* canum est, sed *gannire*. Nonnus cap. 6. *Gannire cùm sit propriè canum*, Varro, *asinos rudere, canes gannire, pullos pipare dixit*. Festus, *Gannitio, canum querula murmuratio*. Sed cum *hirrire* sit irati canis, *gannire* vox media est. Quippe blandiuntur etiam gannitu canes: de quibus *Lucretius*,

a) Lib. 5. versu 1069. - - - - - (a) *gannitu vocis adulant*.

Itaque gannitus quandoque est κνυζηθμός. Sic appellatur canum vox blanda, quam latratui opponit *Poeta* summus, apud quem canes ad stabuli fores, visa *Pallade* (b)

b) Odyss. π'. versu 162.

- - - - - - - - - οὐχ' ὑλάοντο,
Κνυζηθμῷ δ' ἑτέρωσε διὰ σταθμοῖο φόβηθεν·

Non latrabant, sed blando gannitu ex altera parte per stabulum fugiebant. Ex iis, quæ diximus, colliget aliquis in Sacro Textu, pro οὐ γρύξει κύων, legendum esse οὐ ῥύξει, vel οὐ ῥόξει. Tamen rectum esse οὐ γρύξει collige ex eo, quod in *Exodo*, & in libro *Judith* constanter legitur οὐ γρύξει· & *Jos*. 10. *v*. 21, de quo statim, οὐκ ἐγρυξεν. Eodem faciunt hæc *Hesychii*, Γρύξαι, ἠρέμα κράξαι, ἠρέμα φθέγξασθαι, ἢ ὑλακτῆσαι· *Leniter clamare, leniter loqui, aut latrare*. In exemplaribus nostris pravè legitur Γρύψαι, ἠρέμα κράξαι· sed reponimus, Γρύξαι, ἠρέμα κράξαι, quia sensus ita postulat, & literarum ordo. Nam τὸ γρύψαι est inter γρὺξ & γρυπαί. Constat igitur ex *Hesychio* etiam γρύξαι de canibus usurpari cùm leniter latrant, id est, hirriunt, aut ogganiunt. *Græcum* porro γρύξαι respondet *Hebræo* חרץ. Ita enim habet *Moses*, לא יחרץ כלב לשנו; quod exponit *Kimchius*, *Non movebit*; sed *R. Selomo* rectius לא ישנן *Non exacuet canis linguam suam*, id est, in acumen non exeret, linguam inter dentes vibrando non producet, ut canes hirrientes solent. Nam verbum חרץ, *movere* non est, ut multi volunt, sed *acuere, acrem esse, acriter agere*. Hinc *Job*. 41. *v*. 21. *Sternit sibi* חרוץ, *rem acutam in luto*. Et *Esa*. 41. *v*. 15. מורג חרוץ, est *tribula acuta*. Et per Metaphoram חרוצים, *acuti* dicuntur *Prov*. 10. *v*. 4. qui sunt diligentes, solertes, industrii. Ita hoc loco לא יחרץ *Non acuet canis linguam suam*, id est, *Non hirriet*. Antecedens pro Consequente. Locus est huic parallelus *Jos*. 10. *vers*. 21. לא חרץ לבני ישראל לאיש את לשונו *Non acuit* (supple *acuens*, id est, canis) *linguam suam in filios* Israel *in eorum ullum*. Vocem *canis* suppleo ex usu linguæ *Hebraicæ*, quæ ante Verbum Activum sæpe omittit nomen agentis, ac proinde id supplendum est. Sic *Esa*. 9. *v*. 6. de *Jesu Christo*, *Vocabit nomen ejus Dominum, admirabilem*, &c. *Vocabit*, supple *vocans*, id est, Deus, aut fidelis, qui in eum credit. *Mich*. 2. *v*. 4. *Tollet super vos parabolam*, nempe המשל *parabolis utens*. Amos 4. v. 2. *Tollet vos sentibus, & posteros vestros spinis piscatoriis*, nempe *qui tollit*, id est, hostis. *Hab*. 3. *v*. 6. *Abscindet ab ovili gregem*, nempe *abscissor*, seu *devastator*. Ita hic, *Non acuit* (*acuens* scilicet, seu canis) *linguam suam*, &c. Obiter nota tam שנן, quam חרץ de lingua dici, quæ exerendo acuitur. Sed ut חרץ ad canem, ita שנן ad hominem pertinet, & ad serpentem,

- - - - *qui linguis micat ore trisulcis*.

Sic *Psal*. 140. *v*. 4. שננו לשונם כמו נחש *Exacuerunt linguam suam ut serpens*. Et *Psal*. 64. *v*. 4. שננו כחרב לשונם *Exacuerunt ut gladium linguam suam*. Ab *Hebræo* חרץ factum *Arabicum* خرش de cane *irritari* significat, & *dentibus frendere*. *Giggeio* كلب مخترش vel مخارش vel مخروش est *canis multum irritatus*. Et تخارشت الكلاب *Canes irritati fuerunt*. Et كلب خراش *Canis incitatus, canis dentibus in alium frendens*. Scribitur etiam هرش per *He*. Unde *Arabica* versio 1. *Sam*. 3. *v*. 8. كلاب تهارش *canes irritantur*.

Pastus canum primò panis est, *Matth*. 15. *v*. 27. Τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν. *Catelli comedunt de micis, quæ cadunt è mensa dominorum suorum*. Catellos hic intellige, non præcise *Melitæos*, qui plerumque micas panis sub mensa non colligunt, sed in ipso sinu dominæ iisdem cum illa ciborum deliciis lautè vescuntur. *Tzetzes Chil*. 5. Hist. 12.

- ῥῶ

- - - - - νῦν δ᾽ κυνίδιόν τι
Παρὰ ἀρχηίσης γυναικὸς φερόμενον τοῖς κόλποις
Δίαιταν ἔχει τὴν αὐτὴν, καὶ τ᾽ ἄλλα ὁμοίως·

Nunc autem catellus quispiam, à principe muliere gremio delatus, victum habet eundem, & alia similiter. Hic igitur κυνάρια sunt canes quivis infra molossos, & vertagos, quibus cadentes è mensa micæ non sufficerent, sed majoribus offis opus est. Nempe domestici canes sunt ut plurimum in hoc genere, id est, infra majores illos, ac proinde κυνάρια merito dicti, non tamen è minimis, quos habent mulieres in deliciis. *De micis*, id est, *de frustulis*: neque enim canes colligunt micas propriè dictas, sed gallinæ, aut aves aliæ, quibus rostrum est acutius, aut minora animalcula. Ita de *Diogene* narrat *Plutarchus* in libro *De Prof. virt. sent.* Μῦν τινα προσερπύσαντα, περὶ τὰς ψίχας αὐτοῦ τῆς μάζης ἀναστρέφεσθαι, *Murem quendam adrepentem circa mazæ ejus micas fuisse obversatum.* Itaque ψίχες hic aliud sunt, nempe οἱ σμικρότατοι, καὶ ψιχώδεις ψωμοὶ, frusta tam p[illegible], ut micarum instar haberi possint. Proinde *Arabs* reddidit الفتات *frusta*, voce deductâ ex *Hebræo* פת. Unde פת לחם, *frustum panis*, *Gen.* 18. *v.* 5. *Jud.* 19. *v.* 5. 1. *Sam.* 2. *v.* 36. & 28. *v.* 22. 1. *Reg.* 17. *v.* 11. &c. Et פתי לחם *frusta panis*, Ezech. 13. v. 19. *Syrus* quoque hic habet ܦܪܬܘܬܐ, de more inserto R post primam Radicalem. Talia גרמיד, *cubitus* pro גמד, דרמשק, *Damascus* pro דמשק, ערגל *volvere* pro עגל, פרנק, *deliciari* pro פנק, שרנק, *suffocari* pro שנק, שרביט *sceptrum* pro שבט, פרצד, *rivus* pro פצד. *De micis, quæ cadunt è mensa*, sive fortè fortuna id fiat, sive à domino projiciantur. Itaque etiam *Philostratus* quosdam scribit πλησίον τοῖς κυσὶ πράττειν τοῖς σιτουμένοις τὰ ἐκπίπτοντα τῆς δαιτὸς, *facere canum instar, qui vescuntur dapibus quæ excidunt.* Quomodo saturari voluit *Lazarus* ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου, *de micis, quæ cadebant è mensa divitis.* Apud *Homerum* canes τραπεζῆες, seu *mensarii* sæpe nominantur. Sic *Iliad.* χ'. versu 69. de canibus suis *Priamus*,

Οὓς τρέφον ἐν μεγάροισι τραπεζῆας πυλαωρούς,

Quos in ædibus alui mensarios janitores. Et *Iliad.* ψ'. versu 173. de *Patroclo*,

Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν,

Novem huic Regi mensarii canes erant. Et *Odyss.* ρ'. versu 309.

- - - οἷοί τε τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν
Γίγνοντ᾽, ἀγλαΐης δ᾽ ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες,

Quales sunt virorum mensarii canes, quos deliciarum gratia nutriunt Reges. Τραπεζῆες, id est, οἱ ἐν τραπέζῃ τρεφόμενοι, παράσιτοι, *qui ad mensam aluntur, parasiti.* Prius est in veteri *Scholiaste*, posterius in *Rhetorico Lexico* apud *Eustathium.* Ita *Luc.* 16. *v.* 21. ad mensam purpurati divitis canes adstabant. Ad hujusmodi canes pertinet illud *Poetæ Odyss.* κ'. versu 216.

Ὡς δ᾽ ὅταν ἀμφὶ ἄνακτα κύνες δαιτηθεν ἰόντα
Σαίνωσ᾽ (αἰεὶ γάρ τε φέρει μειλίγματα θυμοῦ·

Ut cùm è convivio proficiscentem canes circum blandiuntur. Is enim semper affert animi delinimenta, id est, juxta veterem *Scholiastem*, πρὸς ἡδονὴν δωρήματα, ἢ κρέα τινὰ, ἢ τὴν ἀπομαγδαλίαν, ἣν προσδεχόμενοι οἱ κύνες ἐγρηγόρασι, *dona ad delicias, sive sint carnes, aut apomagdalia, quam expectantes canes vigilant. Apomagdalia* quid sint *Julius Pollux* accuratè docet his verbis lib. 6. cap. 14. Οἱ δὲ πάλαι ταῖς καλουμέναις ἀπομαγδαλίαις ἐχρῶντο, αἳ ἦσαν τὸ ἐν τῷ ἄρτῳ μαλακὸν, καὶ σταιτῶδες, εἰς ὃ ἀποψησάμενοι, τοῖς κυσὶν αὐτὸ παρέβαλλον· ὅθεν καὶ Λακεδαιμόνιοι κυνάδα τὴν ἀπομαγδαλίαν καλοῦσιν. ὑποδηλοῖ δὲ καὶ Ὅμηρος, &c. *Apomagdaliis, quas vocant, veteres utebantur. Ea erant quod in pane molle, & pastaceum est*, (utor voce barbarâ, quia *Latina* nulla suppetit) *quo postquam se absterserant, canibus id projiciebant. Unde est, quod apomagdaliam* Lacedæmonii *cynadem* (quasi *caninam*) *vocant. Atque id subinnuit Homerus*, nempe eo loco, qui supra. In quem etiam *Eustathius* tanquam ex *Pausania*, Ἀπομαγδαλία, καὶ ἀπομαγδαλὶς, ψωμὸς, εἰς ὃν ἐκματτόμενοι τὰς χεῖρας, μετὰ δεῖπνον ἐρρίπτουν κυσίν. *Apomagdalia, & apomagdalis, frustum panis est, quo cum manus detersissent, illud à cœna canibus projiciebant.* Addit à *Dioscoride* κυνὰ, id est, *canem*, appellari. Sed κυνάδα legendum, ut in *Polluce*, & *Athenæo*. *Hesychius*, Ἀπομαγδαλία, στέαρ, ἐν ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο ἐν τοῖς δείπνοις· βαλόντες δὲ αὐτὸ τοῖς κυσὶν ἀναλύοντες ἀπὸ τοῦ δείπνου. *Apomagdalia, adeps, quo manus inter cœnandum abstergebant, è cœna autem redeuntes canibus id jaciebant.* Non probo, quod στέαρ vocat, id est, *adipem*: de quo meritò rogaveris, unde abstergantur, qui inde absterguntur. Itaque ab aliis σταὶς appellatur, non στέαρ, & à *Polluce* σταιτῶδες. Et σταὶς quidem quandoque est *adeps*. Sed & plerumque σταὶς est massa farinacea, quam *pastam* appellamus, quo sensu hic omnino sumitur. Plura de magdalia, & apomagdalia, habent *Aristophanes* in *Equitibus*, & ibi *Scholiastes*, *Athenæus* lib. 4. & 9. *Plutarchus* in *Lycurgo*, *Suidas*, *Eustathius* in lib. 4. *Iliados*, *Erasmus* in *Adagio*, *Canis vivens ex magdalia*, *Rhodiginus* lib. 28. cap. 1. quos consulat cui hæc non sufficiunt. Piscator quidam in *Theocrito Idyll.* 21. pisces se somniare ait, ut canis panes somniat. Verba sunt,

- - - - - - καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις
Πᾶσα κύων ἄρτους μαντεύεται· ἰχθύας κἠγών.

Etenim in somnis canis omnis panes auguratur; & ego pisces. Vir doctus ἄρτους non probat, & legi mavult ἄγρας *agros*. Quorsum nullus video. Nam ut piscator pisces, quidni canis panes somniet, quorum esu impense delectatur? Maxime, si apomagdaliæ intelligantur, quæ panum erant cupediæ, atque, ut ait *Poeta*, μειλίγματα θυμοῦ, *canini animi delinimenta.*

Secundò, canum cibus est caro, qua ferino more vescitur. Unde canem *Arabes* colligunt mediæ esse naturæ inter feras & pecus domesticum. *Damir*,

وهو لا سبع ولا بهيمة حتى كانه
من الخلق المركب لانه لو تم
له طباع السبعية ما الف الناس ولو
تم له طباع البهيمة ما اكل الحم
الحيوان *Neq; fera est, neq; pecus, quin est tanquam composita natura. Nam, si ferina natura in eo esset perfecta, non degeret cum hominibus: nec animalium carne vesceretur, si perfectè esset pecuina.* In Scriptura canibus ea maximè caro destinatur, quam homines attingere est nefas. Sic *Exod.* 22. *v.* 31. *Carnem à feris discerptam non comedetis, sed eam canibus projicietis.* Unde Pseudo-*Phocylides* versu 136.

Μηδέ τι θηρόβορον δαίσῃ κρέας, ἀργίποσιν δὲ
Λείψανα λεῖπε κυσίν - - - - -

Ne quam à feris depastam comedas carnem, sed velocibus reliquias linque canibus. Et *Jonathan*, לכלבא תרמון יתיה לסוטריה *Cani projicies eam pro mercede sua.* Nempe quia, cum *Israëlitæ* ex *Ægypto* excesserunt, canis in eos לא יחרץ *non exacuit linguam suam*; Scripturâ sic docente שאין הקב״ה מקפח שכר כל בריה *Deum Sanctum, & Benedictum nulli creaturæ denegare mercedem suam.* Ita *Rabbi Selomo* in hunc locum, & *Kimchius* in *Psalmo* 145. ex *Talmudico* Tractatu *Bava Kama* cap. 4. Canum etiam est cadavera trahere, lacerare, & devorare, quibus pœnis sæpe mulctantur impii

impii. Sic *Jerem.15.v.3.* quatuor pœnarum generibus minatur Deus se in *Judæos* animadversurum, in quibus sunt הכלבים לסחוב *canes ad trahendum*, vel lacerandum eorum cadavera, qui gladio interempti sunt. Et *Psal.68.v.24. Ut immergas pedem tuum, & linguam canum tuorum in hostilis sanguine.* Et 1.*Reg.14.v.11. Morientem* Jeroboamo *in civitate comedent canes, morientem verò in agro comedent volucres cœli.* Quod idem de *Baasa* prædicitur 1.*Reg.16.v.4.* Et de *Achabo*, 1.Reg.21.*v.9. Ut linxerunt canes sanguinem* Nabothi, *ita etiam canes sanguinem tuum lingent.* Et versu vigesimo tertio, *Canes* Jezabelem *comedent ad castrum* Jezraëlis. Et versu vigesimo quarto, *Morientem* Achabo *in urbe comedent canes*, &c. Quarum prædictionum veritatem comprobavit eventus. Eorum enim Regum familiæ deletæ sunt funditus, & ad internecionem cæsæ: & insepulta cadavera canibus aut avibus cessêre in prædam, prout Prophetę prædixerant. Atque id in primis memorandum est, quod de *Achabo* refertur, eum in curru fuisse ictum lethali vulnere; & dum currus regio sanguine cruentatus in *Samaria* piscina lavaretur, canum ingruentium turbam juxta divinum oraculum ejus sanguinem linxisse, 1.*Reg.22. v.38.* Et *Jezabelem* in castro *Jezraëlis* captam, & è fenestra dejectam, qui post paucas horas sepeliendam quæsiverunt nihil de ea reperisse, præter calvariam, & pedes, & volas manuum, quia canes reliqua omnia absumpserant, 2.*Reg.9.v.35.* Tale aliquid refert *Suetonius* de *Ascletarione* Mathematico, aut Mago veriùs, qui cùm affirmâsset fore ut brevi à canibus laceraretur, eum *Domitianus* interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissimè imperavit. Quod cum fieret, evenit, ut, repentinâ tempestate dejecto funere, semi-ustum cadaver discerperent canes. Nec multò aliter *Dio*, Ἐρωτηθεὶς ὁποίῳ αὐτὸς τέλει τοῦ βίου χρήσεται, καὶ ἀποκρινάμενος ὅτι ὑπὸ κυνῶν ἀναλωθήσεται, ἐκελεύσθη μὲν ζῶν κατακαυθῆναι, καὶ τὸ πῦρ αὐτῷ προσήχθη· ὑετοῦ δὲ ἐν τούτῳ πολλοῦ καταῤῥυέντος, ἥ τε πυρὰ ἐσβέσθη, καὶ ἐκεῖνον κύνες, ὀπίσω τὼ χεῖρε δεδεμένον, καὶ ἐπικείμενον ἐπ' αὐτῆς εὑρόντες, διεσπάραξαν. Sed *Ascletarioni* hoc inspiraverat Dæmon, cui facile est prædicere quid sit futurum de suis mancipiis, cùm id exequatur ipse, quod eventurum prænunciavit.

Tertiò vescuntur canes rebus impurissimis. *Damir*,

الجيف احب اليه من اللحم العريض
وياكل العذرة ويرجع في قيه

Cadaver fœtidum illi gratius est carne capri anniculi, & stercus comedit, & redit ad vomitum suum. De cadavere jam actum. Stercus *Græcè* dicitur σκύβαλον, etiam à *Paulo*, *Philipp.3.v.8.* quasi κυσίβαλον, id est, τὸ τοῖς κυσὶ βαλλόμενον, *quod canibus projicitur*, ut volunt *Suidas* & magnus *Etymologus*. Inde *Vulturius* cani apud *Phædrum* Fab.27.

- - - O canis, meritò jaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Trivio nutritus, & educatus stercore.

Et *Martialis* lib.1. *Epigr.84.*

Non miror merdas si libet esse cani.

Et canem redire ad vomitum, ut quod evomuit rursus comedat, pridem observavit *Solomon*, cujus verba sunt *Prov.26.v.11.* ככלב שב על קאו *Ut canis redit ad vomitum suum, ita stultus iterat stultitiam suam.* In quæ verba sic *Aben Ezra*, *Ut canis* אחר (lege אכל) *cibum quem vomuit edit denuo: ita stultus iteratis vicibus recidit in stultitiam suam, nec erubescit.* Et Rabbi Levi, *Ut canis, qui repetit cibum, quem evomuerat, non sentiens illum sibi fuisse noxium: ita est de stulto, qui stultitiam suam iterat, postquam jam expertus est eam sibi malè cessisse.* Ex *Solomone* sumptum hoc *Petri* 2.*Pet.2.v.22.* Κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα, *Canis ad proprium vomitum rediens*: quamvis *Græca* versio ἔμετον habeat, non ἐξέραμα. Quam vocem alibi me legere non memini. Sed ἐξεραᾶν, id est, *educere, expromere, evacuare*, passim occurrit. Sic apud *Dioscoridem* libro sexto in *Pharico*, quod est veneni genus, Δεῖ δὲ, μετὰ τὸ ἐξερᾶσαι αὐτοὺς, ποτίζειν οἶνον ἀψινθίτην, *Oportet autem, postquam evacuati sunt, absinthite vinum bibendum dare.* Et apud *Laërtium Heraclitus*, aquâ intercute laborans, Medicos interrogavit, Εἴ τις δύναται ἔντερα ταπεινώσας ὑγρὸν ἐξερᾶσαι, *An quis posset ex intestinis pressis humidum educere*: ubi ἐξερᾶσαι pro ἐξεράσαι perperam scribunt recentiores editiones, etiam *Casauboniana*. *Syris* uno verbo ܡܣܬܗܦܟܐ dicitur *canis qua vomuit resorbens*, si *Ferrario* creditur *Syriaci Nomenclatoris Romæ* editi paginâ 860. Sed pro *Caph* scripserim *Koph*; quia *Hebræum* מקיאה est *vomitus*. Compositi nominis prima pars unde fiat, non satis notum.

Sed & canis tam propria lingit vulnera, quam aliena. De his *Luc.16.v.21.* in parabola de *Lazaro*, *Canes venientes* ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ, *ipsius ulcera lambebant.* De propriis ita *Lipsius* ex *Sexto Empirico* libro primo *Pyrrhon. Hypotyp.* cap.14. *Si festuca sit impacta, eam extrahit dentium ministerio: si ulcus alibi (quoniam ea sordentia ægrè, facilè autem munda curantur) leviter tabem inde fluentem absterget*, linguâ scilicet, cui nihil sordet. Hinc *Ælianus*, *De anim.* lib.8. cap.9. Τρωθέντες δὲ ἔχουσι τὴν γλῶτταν φάρμακον, ἥν περιελιχμώμενοι τὸ τρωθὲν μέρος εἰς ὑγείαν ἐπανάγουσι. *Vulnerati linguam habent pro pharmaco, quâ partem læsam circumlabentes sanitate restituunt.* Et *Gratius* de cura vulnerati canis.

Quod si districto levis est in vulnere noxa,
Ipse habet auxilium validæ natale salivæ,

quam lambendo vulneri obducit.

Aqua canis est potus, quam non sorbet pleno haustu, sed solum lambendo bibit. Inde *Judic.7.vers.5.* *Quisquis lambet aquas lingua sua* כאשר ילק הכלב *ut lambit canis*. Quod rectè *Onkelos*, כמא דמלחיך כלבא. Rectè etiam *Syrus* ܐܝܟ ܕܡܠܚܟ ܟܠܒܐ *ut lingit canis.* Sed *Arabs* minùs expressè, *Quisquis bibet linguâ suâ*, كما يشرب الكلب *ut bibit canis.* Non linguæ culpâ, sed interpretis, cum *Arabicæ* voces plures suppetant, quibus id poterat efferri. In his ولغ *vvalaga* vox notissima. *Alcamus*,

ولغ الكلب في الانا وفي الشراب
شرب ما فيه باطراف لسانه اذا
ادخل لسانه فيه

Canis vvalaga in vase, aut in potu, id est, quod in vase erat linguâ extremâ bibit, lingua in illud immissâ. Ibidem huic synonyma verba sunt لغب & مغمغ & قفن Et ندق feris omnibus generale est, quæ aquam linguis lambunt. Ita enim *Alcamus*, ندقت السباع شربت الما بالسنتها At *Græcis* id ipsum λάπτειν, nobis *laper*, voce fictitiâ dicitur, quæ bibentis canis strepitum utcunque imitatur. Hinc *Græca* versio *Jud.7.v.5.* Πᾶς, ὃς ἂν λάψῃ τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ ὕδατος, ὡς ἂν λάψῃ ὁ κύων. Et *Ælianus* de canibus, qui ex *Nilo* bibunt, *Animal.* lib.7. cap.53. Τὴν μὲν ὄχθην περιθέουσι, λάπτουσι δὲ τῇ γλώττῃ ἁρπάζοντες, ὡς ἂν εἴποι τις, ἢ καὶ νὴ Δία κλέπτοντες τὸ πόμα· *Ripam quidem percurrunt, lambunt autem (aquam) linguâ, quasi potum subripientes, ut ita dicam, aut per Jovem suffurantes.* Et

alter

alter *Ælianus Var.* lib. 1. c. 4. Οὐκ ἀθρόως, οὐδὲ ἀνέδην, οὐδὲ ἐλευθέρως ἐκ τοῦ ποταμοῦ πίνουσιν, ἐπικλέπτοντες ἅμα, καὶ ὑπὸ δέους λάπτοντες, &c. *Non continuè, neque ad satietatem, neque liberè ex amne bibunt, inclinati simul, & quantum sitiunt lambentes*, &c. Ut *Plinius* lib. 8, cap. 40. *Certum est* (canes) *juxta* Nilum *amnem currentes lambere.* Et *Solinus* in capite de *Borysthene*, Ægyptii *canes* è Nilo *nunquam nisi currentes lambitant.* Hinc *Phædrus* lib. 1. Fab. 25.

Igitur cum currens bibere cœpisset canis,
Sic crocodilus, Quamlibet lambe otyus.

Et *Macrobius Saturnal.* lib. 2. cap. 2. *Post* Mutinensem *fugam quærentibus quid ageret* Antonius, *respondisse familiaris ejus ferebatur, Quod canis in* Ægypto, *bibit, & fugit: quoniam in illis regionibus constat canes rapiu crocodilorum exterritos currere, & bibere.* Itaque Verbum λάπτειν à *Grammaticis* ferè ad canes refertur. *Philoxenus*, Λάπτω, ἐπιχωὼς, *lambo. Suidas*, Λάπτοντες, τῇ γλώττῃ πίνοντες οἱ κύνες. Et ad eandem vocem *Hesychius*, Πεποίηται δὲ ἀπὸ τῶν κυνῶν τῶν πινόντων (lege ἡ τῶν πινόντων) ὥσπερ πιόντων μετὰ ψόφου. *Fictitia vox est à canibus, aut ab hujusmodi animalibus, qui cum strepitu bibunt.* Et *Aristophanis Scholiastes* in *Nubibus* ad vocem Ἀπολέψεις) ἀπολεπίσεις. ἐὰν δὲ, ὡς τοῖς πολλοῖς, ἀπολάψεις, ἐκπίῃ, ἀπὸ τῶν κυνῶν ἡ μεταφορά, ἢ ὅσα λάπτοντα πίνει, id est, *decorticabis*; *aut, si legas* ἀπολάψεις, (*ut plerisque* legendum videtur) *ebibes, à canibus* erit *Metaphora, vel quotquot lambendo bibunt.* Neque enim id cani peculiare, sed iis omnibus convenit, quibus serrati sunt dentes. *Aristoteles Hist.* lib. 8. cap. 6. Πίνει δὲ τῶν ζώων τὰ μὲν καρχαρόδοντα, λάπτοντα· τὰ δὲ συνόδοντα σπᾷ, οἷον ἵπποι, καὶ βόες. Quæ sic *Plinius* lib. 11. cap. 73. *In potu, quibus serrati dentes, lambunt; quibus continui dentes, sorbent, ut equi, & boves.* Serratos porrò dentes præter canem etiam lupi habent, hyænæ, vulpes, thoes, &c. Quocirca de lupis scribit *Poëta* summus *Iliad.* π'. versu 161.

Λάψοντες γλώσσῃσιν ἀραιῇσιν μέλαν ὕδωρ,

Lambentes linguis tenuibus nigram aquam. Ad quem locum *Eustathius*, Ἄκρον δὲ λάπτουσιν ὕδωρ, διότι κατὰ τοὺς παλαιοὺς οὐ καθιᾶσι τὴν γλῶσσαν εἰς τὸ ὕδωρ, ὡς οἱ βόες. οὐδὲ κατὰ τοὺς λυκοσπάδας ἵππους τὸ ἥμισυ τῆς ὄψεως, ἀλλὰ τὸ ἐπιπολῆς ὕδατος πίνουσιν, ὡς οἷόν τε καὶ ὀλίγον. *Summam aquam lambunt: propterea juxta veteres linguam in aquam non demittunt, ut boves, neque medium vultum, ut equi lycospades, sed aquæ superficiem delibant, ac si lingerent.*

Si quis scire laborat qui sint equi *lycospades*, consulat *Plutarchum* in *Symposiacis* lib. 2. Quæst 8. ubi multa de his equis. Quibus hoc solum addo, ab *Hesychio* dici λυκοσπαδεῖς, & poni circa *Andriam* περὶ τὴν Ἀνδρίαν, sed errore manifesto. Legendum enim περὶ τὴν Ἀδρίαν *circa Adriam*, ubi nobiles equi *Veneti* à veteribus tam decantati. Idem *Hesychius*, Ἐνετίδας, πώλους στεφανηφόρους ἀπὸ τῆς περὶ τὴν Ἀνδρίαν (lege περὶ τὴν Ἀδρίαν) Ἐνετίδος. διαφέρουσι γὰρ ἐκεῖ. Henetidas, *pullos equinos coronatos, ab* Henetide (id est, *Venetia*) *quæ circa* Adriam *est. Ibi enim excellunt. Euripides* in *Hippolyto* versu 230.

Εἴθε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις
Πώλους Ἐνέτας δαμαζομένα·

Utinam essem in tuis campis, pullos Henetos (id est, *Venetos*) *domans.* Et versu 1131.

Οὐκ ἔτι συζυγίαν
Πώλων Ἐνετᾶν ἐπιβάσῃ·

Non amplius jugum equorum Henetorum (Venetorum) *conscendes.* Ubi *Scholiastes*, Ἐνετᾶν) Παφλαγονικῶν. Ἐνετοὶ γὰρ ἔθνος Παφλαγονίας. Sed meliùs in priorem locum, Πώλους Ἐνέτας) τοῦτο ἀναχρονίσαι. οὐδέπω γὰρ Ἕλληνες ἐχρῶντο ἵπποις (adde Ἐνετοῖς vocem hic omissam) Οἱ γὰρ Ἐνεταί, Παφλαγονίαν πρότερον οἰκοῦντες, ὕστερον ἐπὶ τὴν (lege τὴν) Ἀδρίαν διέβησαν. Λέων δὲ πρῶτος Λακεδαιμόνιος ἐνίκησεν Ἐνεταῖς ἵπποις, ὡς Πολέμων ἱστορεῖ, καὶ ἐπέγραψεν ἐν ἀκτῇ, ΛΕΩΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΣ ΙΠΠΟΙΣΙ ΝΙΚΩΝ ΕΝΕΤΑΙΣ, ΑΝΤΙΚΛΕΙΔΑ ΠΑΤΗΡ. *Equos Venetos* cum *Phædra*, *Hippolyti* noverca, nominâsse fingitur, *committitur anachronismus. Nondum enim equis* Venetis Græci *utebantur.* Heneti *enim, qui priùs* Paphlagoniam *habitaverant, tandem ad* Adriam *trajecerunt.* Leo *autem Lacedæmonius* (in *Olympico* Certamine) *Venetis equis primus vicit, ut refert* Polemo, *& in tabula scripsit,* LEO LACEDÆMONIUS, ANTICLIDÆ PATER, EQUIS VENETIS VICTOR. Unde equos illos liquet *Henetos* non dici ab *Henetis Paphlagoniæ*, nisi ratione primæ originis, sed ab *Henetis* prope *Adriam*, id est, *Venetos*. Quod ipsum *Strabo* pluribus docet libro quinto, ubi *Henetos*, vel *Venetos* circa *Padum* nonnullos deducere refert à *Gallia Venetis*, alios ab *Henetis Paphlagoniæ*, unde muli apud *Homerum*. Quo pertinere volunt, quod *Veneti*, tanquam priscæ originis memores, equis alendis olim tantoperè studebant. Unde est, quod *Dionysius*, *Siciliæ* Tyrannus, ἐντεῦθεν τὸ ἱπποτροφεῖον συνεστήσατο τῶν ἀθλητῶν ἵππων, ὥστε καὶ ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλησι γενέσθαι τῆς Ἐνετικῆς πωλείας, καὶ πολὺν χρόνον εὐδοκιμῆσαι τὸ γένος. *Inde certatorum equorum armentum instituit, ita ut inter* Græcos Veneticorum *pullorum fama innotuerit, & genus illud diu fuerit in magna existimatione.* Res porrò est valde incerta, cur equi illi dicti fuerint *Lycospades*, nec quidquam affert *Plutarchus*, quod cordatis satisfaciat. *Græcos* ego putaverim ad suæ linguæ genium deflexisse vocem barbaram, quæ significaverit equos ad *Padum*, aut *Padusam* natos, aut equos *lacus Padusa*, siquidem in illa gente vox *lacus* prisca fuit.

Sed, ut ad canes redeam, quæritur cur eos *Gedeonis* milites, qui aquam, manu è flumine haustam, lambebant more canum, illis prætulerit Deus, qui flexis genibus pleno flumine se proluebant. *Josephus* putat τοὺς μὲν κατακλιθέντας, καὶ οὕτως πίνοντας, *eos qui se inclinaverant, atque ita biberant*, hoc indicio εὐψύχους *animosos* patuisse. Quotquot vero biberant ἐπειγομένους, καὶ μετὰ θορύβου, *festinanter, & cum perturbatione*, (ut canis è *Nilo* bibit, & fugit) id fecisse præ metu hostium. Et Deum hos timidos cæteris prætulisse, ut victoria esset illustrior, & uni Deo accepta referretur. Quod cum historia sacra parùm convenit. Nam versu tertio timidos omnes Deus jam excluserat. Nec trecenti viri timidi *Gedeonem* sequi voluissent contra tot *Madianitarum* millia proficiscentem. Et hoc ipso, quod tam pauci numero hostilem exercitum aggredi ausi sunt, illustre animi sui specimen ediderunt. Itaque malo accedere sententiæ *R. Levi*, qui indicium חריצות גבורה *alacritatis, & fortitudinis* fuisse vult, quod quidam stantes biberint, & manu solùm ad os admota, qua è flumine aquam hauserant; cum se prodiderint עצלים, id est, *ignavos*, qui genua flexerant, & toto corpore inclinato potaverant. Itaque eundem Deum, qui trepidos jam excluserat, etiam hos ignavos amandavisse, ut ii soli superessent, qui strenuos, & alacres se exhibuerant. Auctor *Midras* in hunc librum, & ex eo *Selomo*, & *Kimchius*, statuunt eos omnes, qui biberant flexis genibus, etiam coram *Baale* flexisse genu, & voluisse Deum, ut qui per idololatriam se polluerant hoc signo dignoscerentur: quod mysticum est, & valde incertum.

Est & canis ex animalibus, qui mingunt crure sublato. Hinc de leone *Philosophus Hist.* lib. 8. cap. 5. Οὐρεῖ γὰρ αἴρων τὸ σκέλος, ὥσπερ οἱ κύνες. Quod sequutus *Plinius* libri octavi capite decimo sexto tradit *urinam mares* (leones) *crure sublato reddere ut canes.* Nec desunt *Arabibus* propriæ voces, quibus id significetur. *Alcamus*, سفح الكلب رفع رجله

لبول *Canis sakacha*, id est, *sustulit pedem suum ut mingeret.* Adde ex eodem huic Synonyma قزح *kazacha*, & قحز *kachaza*, quæ ex سقح *sakacha* per Metathesin facta sunt, & *Sin* cum *Ze* permutato. Ibidem شغر الكلب *sagara* de cane, id est, رفع احدي رجليه بال او لم يبل او فبال *sustulit unum pedum suorum ut mingeret, sive minxerit, aut non minxerit.* Indè شغري *sagra* dicitur lapis quidam prope *Mecchàm*, ex quo jumenta conscendunt, quia يشغر عليه الكلاب *canes ad eum pedem tollunt tanquam micturi.* Quapropter in diversis Scripturæ locis, cum in aliqua domo ad internecionem delenda, vel deleta, legitur neminem esse relinquendum, aut neminem esse relictum משתין בקיר, *qui mingat ad parietem*, puta in domo *Nabalis*, 1. Sam. 25, 22. 23. *Jeroboami*, 1. Reg. 14, 10. *Babasa*, 1. Reg. 16, 10. *Achabi* denique 1. *Reg.* 21, 21. & 2. *Reg.* 9, 8. id ad canes multi extendunt. Neque aliter accipiunt, quam *Aureliani* minas, quas *Vopiscus* refert his verbis, *Cum* Thyanam *venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur, Canem in hoc oppido non relinquam.* In ea sententia fuit *Arabs* Interpres, qui 1. *Reg.* 21, 21. משתין בקיר reddidit كلبا بايلا حايط *canem ad parietem* supple بايلا *mingentem*; quod puto à scribis omissum. Ex *Hebræis* quoque *Jarchius*, *Kimchius*, *R. Esaias*, *Aquinas*, alii plures canem intelligi asserunt שדרכו להשתין בקיר *quia ad parietem meiere solet.* Et recentiorum magna pars hanc interpretationem ut veram amplectitur. In ea tamen multa desidero. Primò, quod hæc descriptio pertinere non potest ad canum genus universum. Neque enim omnes canes ad parietem sublato crure mingunt, sed soli mares, iique sexto demùm, aut etiam octavo mense. *Aristoteles Hist.* lib. 6, cap. 20. Τὸ δὲ σκέλος αἴροντες οὐροῦσιν οἱ ἄρρενες, ὡς μὲν ἐπὶ τὸ πολὺ ὅταν ἑξάμηνοι ὦσι· ποιοῦσι δέ τινες καὶ ὕστερον τούτου, ἤδη ὀκτάμηνοι ὄντες. Et paulò post, Αἱ δὲ θήλειαι πᾶσαι καθιζόμεναι οὐροῦσιν. Quæ in pauca contraxit *Plinius* lib. 10. cap. 63. *Existimantur in urina attollere crus ferè semestres, id est signum consummati roboris. Fœmina hoc idem sedentes.* Neque id fugit *Eliam*, qui ad vocem שתן sic habet in suo *Thisbi*, אם נפרשהו על הכלב אין נקבה הכלב בכלל כי הכלבה אינה משתנת בקיר *Si interpretamur de cane, canis fœmina non poterit includi, quia canis fœmina non mingit ad parietem.* Secundò, in his verbis, *Exscindam*, &c. משתין בקיר עצור ועזוב בישראל *mingentem ad parietem, clausum, & derelictum in* Israële 1. *Reg.* 14, 10. & 21, 22. & 2. *Reg.* 9, 8. ad canes si referas τὸ *mingentem ad parietem*, nulla ratione cohærebunt quæ sequuntur, *clausum & derelictum in Israële*, quoquo modo interpreteris. Sunt, qui *captivos*, & *liberos* hic intelligunt. Alii *in urbibus clausos*, & *in agris sparsos*. Alii *conjuges*, & *cœlibes*, quam interpretationem ex *Arabica* lingua multis asserit vir in his literis, dum vixit, doctissimus *Constantinus L'Empereur.* Sed quidquid eligas, hæc non cohærebunt, *Exscindam canes*, & *captivos*, & *liberos*, aut *cœlibes*, & *conjugatos*, &c. Et in his 1. *Reg.* 16, 11. *Percussit omnem domum* Bahasæ; *non reliquit ei mingentem ad parietem*, & *cognatos*, & *amicos ejus*, eadem erit ἀναλογία. Neque enim dixeris alicujus familiam ita fuisse deletam, ut neque canis in ea relictus sit, neque cognatus, aut amicus ullus. Iis igitur accedo potius, quibus *mingens ad parietem*, *maris*, aut *viri* est Periphrasis, ut statuunt quidam *Hebræorum.* In quo numero *R. Levi*, משתין בקיר והוא הזכר *mingens ad parietem; id est, mas.* Et *Elias* ubi supra, ואני אומר שיותר נכון לפרש משתין בקיר כל זכר שדרכו להשתין בקיר כי הנקבה אינה משתנת בקיר *At ego dico magis convenire, ut mingens ad parietem de omni viro intelligatur, cum ad parietem viri mingant, quod mulieres non solent.* Itaq;, ex hac sententia, *Exscindam mingentem ad parietem, clausum, & derelictum*, &c. id est, Exscindam omnem marem, seu captivum, seu liberum, vel in urbe degentem, aut in agris, vel conjugatum, aut cœlibem. Et in domo *Babasæ non reliquit mingentem ad parietem, & cognatos, & amicos ejus*, id est, Non pepercit ulli viro tam ex cognatis, quam ex amicis *Bahasæ.* Et in *Achabi* domo, quia quod prædictum fuerat fore, ut deleretur quisquis mingit ad parietem, pertinebat ad solos mares, sequitur Prophetia peculiaris de nece *Jezabelis* uxoris 2. *Reg.* 9, 8. 9. 10. Proinde cum hoc oraculum implevit *Jehu*, præter *Joramum*, *Achabi* filium natu maximum, ejusdem filios, aut nepotes septuaginta interemit, 2. *Reg.* 10, 11. &c. sed fœminam omnino nullam, sola *Jezabele* excepta. Nempe solos viros cædere etiam in atroci bello tum fuit usitatissimum. Sic in *Sichemitis*, *Gen.* 34, 25. in *Madianitis*, *Num.* 31, 7. in *Idumæa*, 1. *Reg.* 11, 16. in urbibus *Bosor*, & *Maspha*, & *Ephrone*, 1. *Macchab.* 5, 28. 35. 51. & *Josephi* libri duodecimi capite duodecimo ensis strictus est in solos viros, fœminis omnibus cladi exemptis. Lege etiam ità jubente *Deut* 20, 13. 14. *Cum civitatem tradiderit Dominus Deus tuus in manum tuam, percuties omnem marem ejus acie gladii. Tantùm fœminas, parvulosque, & jumenta, & quidquid erit in civitate, omnia spolia ejus diripies tibi.* Proinde *Deut.* 25, 19. ubi jubentur *Israëlitæ* delere *memoriam Amalek*, pro זֵכֶר *zeker*, id est, *memoria*, nonnulli aliis Vocalibus זָכָר *zakar*, id est, *marem*, legebant, de quo vide historiolam, aut fabellam veriùs, in *Bava Bathra* cap 2. fol. 21. a, b. Frustrà vir doctus objicit viros in *Oriente* ad parietem non mingere, sed mulierum more subsidere. *Europæis quidem*, inquit, *is mos est, qui vestes ad id aptatas habent, sed non* Asiaticis, *qui vestes gestant talares. Et quamvis sub iis habeant quoque femoralia, non tamen ad eum usum aperta sunt, ut* Europæis, *sed crumena instar contrahuntur, & laxantur, quibus laxatis, & demissis subsidunt viri instar mulierum, ut sub vestium talarium latebra, quibus pedes teguntur, honeste lotium reddant.* Hæc, inquam, frustra afferuntur. Neque enim illa concesserim nisi de solis *Persis.* Saltem *Turcas* more nostro ad parietem mingere plane certum est. *Olearius*, testis αὐτόπτης, *Persici Itiner.* lib. 5. pag. 570. *Persæ stantes non mingunt, sed mulierum more subsidunt, & posteà lavantur. Proinde* Turcas Seksunni *per contumeliam appellant, quia canum instar ad parietem mingunt.* Præterea veteres eo, quo *Persæ* hodiè, situ minxisse nullo probatur argumento. Et verò præter Sacerdotes, cum ad altare accedebant, non reperio quemquam è priscis *Judæis* gestasse femoralia. Proinde ad hæc verba *Misna* in *Bava Bathra* cap. 8. §. 1. המבייש את ערום *qui ignominia afficit nudum*, ille ipse vir doctus hanc habet notam, *Observa, non quemvis nudum hic spectari, sed eum hic speciatim ab ignominia defendi, cui casu quodam contingit, ut exterior vestis elevetur. In Oriente vestes talares* Judæis *in usu erant, quas ita subduci, ut corpus videretur, ignominiosum habebatur. Quapropter gradibus ad altare ascendere vetitũ, ne sublatis pedib⁹ lacinia & vestis ala attollerentur, adeoq; femora conspicerentur*, Exod. 20, 26. &c. *Ne ergo, si ventus alã attollat, alterius nuditatẽ quis augeat, vestemq; amplius subducat, hic interdicitur. Alioqui ignominia illata*

nomine

nomine quicunque id fecerit mulctam soluturum. Nam qui Sacerdotes non erant femoralibus sæpe (meliùs dixisset *semper*) *caruisse videntur* ex Deut. 25, 11. *Indè in* Gemara *legimus*, מאי ערום דאתא זיקא כרכנה למאנידה יאתא חוא דליגו טפי ובישיה: *Quid est, quod dicitur* Nudus? *cum irruente vento, qui sursum inflectit ipsas vestes, accedens quis eas magis sursum subducit, ipsumque dedecore afficit.* Hæc de veterum *Judæorum* vestibus. Mingentium situm quod attinet, ad rem non est *Saulis* exemplum, qui *texit pedes suos*, 1. *Sam.* 24, 4. ut *Eglon*, *Jud.* 3. 24. id est, in terram se dimisit, non micturus, ut vult solus *Kimchius*, sed להפנות הנקבים הגדולים ut alii ex *Misna* probant. *Hieronymus* rotundè, *ut purgaret ventrem*; *Aquila*, ἀποκενῶσαι *Seniores*, παρασκευάσαι. Pro quo ex *Polluce* scripserim ἀποσκευάσαι. *Atticè* θακεύειν dixeris, quod propriè *sedere* est, ut in lege *Pisistrati*, quæ vetabat ἐν Πυθίῳ θακεύειν. At *Græcos* in eo situ minxisse nullibi reperias præterquam in *Hesiodo*, ubi damnatur is, qui contra Solem erectus mingit, aut προβάδην *incedendo*, & ἀπογυμνωθεὶς *denudatus*. Cum contra

Ἑζόμενος δ' ὅγε θεῖος ἀνὴρ πεπνυμένα εἰδὼς,
Ἢ ὅγε πρὸς τοῖχον πελάσας ἐυερκέος αὐλῆς·

Sedens mingat *vir Deorum amans, & prudens, aut ad parietem accedens bene-septi atrii.* Itaque *Hesiodi* ævo *Græci* bene-instituti vel sedentes mingebant, vel ad parietem accedentes. Sed, posterioribus sæculis, prius illud à viris usurpari desiit, & mulieribus relictum. Itaque in *Græcorum* monumentis nullum extat exemplum viri, qui sedens minxerit. In *Æsopi* vita *Xanthus* ἐν τῷ περιπατεῖν τὸν χιτῶνα ἀνασυράμενος οὔρει, *incedens veste sursum retracta mingebat*. In *Laertio Diogenes*, in quosdam infensus, qui ossa tanquam cani projecerant ἀπαλλαττόμενος προσούρησεν αὐτοῖς ὡς κύων, *digressus eos perminxit ut canis.* *Hesychius* voce Ἐν Πυθίῳ refert *Athenienfium* nonnullos in *Pisistrati* odium προσουρεῖν τῷ περιφράγματι, *minxisse ad sepem templi Apollinis*, quod is in *Pythio* ædificabat. In *Plutarchi* libro *De Stoicis contrar.* *Chrysippus* dicit ἀνεκτέον εἶναι τὸ πρὸς βωμὸν οὐρεῖν, ἢ ἀφίδρυμα Θεοῦ, *non ferendum esse, si quis ad aram mingat, aut ad Dei statuam*, quod nonnisi stantes faciunt. Sed *Herodoto* nihil expressius, qui, ut probet *Ægyptios* in plerisque aliter se gerere, quam reliquos homines, inter cætera hæc habet libri secundi capite trigesimo quinto, Οὐρέουσι αἱ μὲν γυναῖκες ὀρθαὶ, οἱ δὲ ἄνδρες κατήμενοι, *Fœminæ quidem stantes mingunt, viri autem sedentes.* Alibi igitur viri stabant. Et de *Græcis* id jam probatum. De *Romanis* quoque idem patet ex his *Lucretii* de pueris libri quarti versu 1020.

Pusi sæpe lacum propter se, ac dolia curta,
Somno devincti, credunt extollere vestem,
Totius humorem saccatum ut corpori fundant.

Credunt nimirum in somnis se id facere, quod vigilantes solent. Sed & *Judæos* in eo situ lotium excrevisse docet *Talmudica* Lex, quam in Radice שתן citat *Kimchius* לא ישתן בצד כותלו של חבירו אלא אם הרחיק ממנו שלושה טפחים *Nemo mingat ad vicini sui parietem, nisi postquam ab eo tribus palmis recesserit.* Quam ipsam Legem cum citet vir doctus, quem refellimus, quomodo idem *Judæos* neget ad parietem minxisse, nullus video. Addit lotium ab *Hebræis* מי הרגלים *aquam pedum* appellari, quia, dum subsidunt, inter pedes emittitur. Quasi nescierit *Hebraicè pedum* nomine censeri quidquid est infra ventrem, & maximè partes illas, unde emittitur lotium. Sic *Gen.* 49, 10. Et *legis-lator* מבין רגליו, *è medio pedum illius.* Jonathan, מזרעיה *è semine illius.* Onkelos, מבני בנוהי, *è filiis filiorum ejus.* Deut. 28, 57. *Et in secundinam ejus, quæ prodit* מבין רגליו *è medio pedum ejus*; Græci, διὰ τῶν μηρῶν αὐτῆς. Hieronymus, *de medio feminum ejus*; Jonathan, מבית תורפה בעידן מולדה *è loco pudendo tempore partûs ejus.* Es. 7, 20. *In die illa radet*, &c. *caput* ושער הרגלים, *& pilum pedum*, id est, הערוה *pudendi*, juxta *Kimchium*. Ex quibus patet quorsum urina dicatur *aqua pedum*. At, si *mingens ad parietem* nec canem designet, nec virum, ut vir doctus utrumque excludit, quid igitur intelligemus? *Puerilem*, inquit, *ætatem, quam non pudet ad parietem mingere.* Verùm enim verò, viris exclusis, ne pueri quidem supererunt, quia *viros* hic accipimus, non ut *pueris*, sed ut *fœminis* opponuntur. Itaque viri hic sunt mares omnes, הזכרים ut disertè statuunt *Elias* & *R. Levi.* Et verò par est ratio. Proinde utrique hic vel admittendi, vel excludendi. Aut si qui excludendi essent, id ad pueros potiùs pertineret, qui ob id ipsum, quod eos nihil pudet, non tam mingunt ad parietem quam ubivis in propatulo. Nibilo magis placet *Theodoreti* sententia, qui in 3. *Regum* Quæst. 41. per *mingentem ad parietē* putat significari τὸν ἀσθενῶς διακείμενον, καὶ στῆναι δίχα τοῦ ἐρείσματος τῷ τοίχῳ παντελῶς μὴ δυνάμενον, *eum, qui ita infirmus est, ut nullo modo stare possit, nisi parieti innitatur.* Qui ad parietem micturi obvertuntur, fulcrum non quærunt, sed latebras, & pudori sic consulunt, non infirmitati virium. Sed in his diutiùs immorari pudet, & piget.

Tamen, antequam manum è tabula tollimus, lector obiter monendus est, quosdam veterum, ante Vocales appositas, pro משתין בקיר. id est, *mingentem ad parietem*, legi voluisse משתין בקיר, *ponentes*, vel *positos ad parietem.* Quæ lectio, ut multis de causis inepta, & absurda est, duas interpretationes peperit æquè absurdas. Una est eorum, qui intelligunt omnia, quæ in domo sunt, ità vastari, & destrui, ut ne quidem iis parcatur, quæ ad parietem sunt appensa, vel apposita. In quam mentem apud *Syrum* interpretem, 1. *Sam.* 25, 21. jurat *David* in *Nabalis* domo se nihil relicturum, ܕܡܬܬܠܐ ܒܟܘܬܠܐ *quod apponatur ad parietem.* Et, apud *Arabem*, se non relicturum شي يعلق على الوتد *quidquam, quod appendatur è paxillo.* Altera interpretatio *Jonathanis* est, qui משתין בקיר constanter reddit ידע מדע *scientem scientiam*, id est, aliquâ rerum cognitione imbutum, ut ii omnes intelligantur, qui infantiæ annos excesserunt, in qua ætatula non novimus bonum, aut malum, *Deut.* 1, 39. nec quid à sinistra dextra differat, *Jon.* 4, 11. Cujus interpretationis ratio nos lateret absque *Hebræis*, qui *Jonathanem* observant alludere ad locum *Jerem.* 4, 19. ubi præcordia vocantur *parietes cordis*, ac proinde, ex illius mente, *ponentes in pariete*, supple, *cordis sui*, eos dici, qui per ætatem rationis jam sunt aliquo modo compotes. At, ut cætera taceam, hæc interpretatio cum Historia Sacra stare non potest, quæ docet in *Achabi* domo nulli ætati parcitum. Nam in septuaginta illius liberis, aut nepotibus, haud dubiè nonnulla fuerunt ἀρτιγέννητα βρέφη. Tamen omnes ex æquo cæsi sunt.

CAPUT QVINQVAGESIMUM SEXTUM.

Canum vitia, & virtutes, quarum in Scriptura mentio. Alia quædam.

Canes esse somniculosos perperam probari ex Es. 56, 10. *cum contra sint vigilantissimi.* הזה Hebræum *quid propriè. Canes somniant, & somnia sua gestu, & latratu patefaciunt. Inter dormiendum*

σκύζειν. Pollux *emendatus. Canum somnia Poëtæ definiunt. Canes quorsum, in* Psalmo, noctu circumire *dicantur. Quomodo id* Arabicè *dicatur.* Σαίνειν, & αἰκάλλειν, Arabicè بصبص. *Canum erga dominos mira fides. De eo nova historia. Canes* Melitæi *in utra* Melite *nascantur. Quomodo* Arabicè *vocentur. Aliud in* Evangelio κυνάρια. *Nam ad contemptum vox pertinet.* Prov. 30, 31. זרזיר מתנים *quibusdam venaticus canis.* Aristoteles *emendatus. Canes, pecoris custodes*, Job. 30, 1. Gargittius Geryonis *canis.* Canis Apollinis. Canis Abelis. *Pastores cum canibus collati.* Es. 56, 10. *ut in Ægypto sacri scriba. Præfici canibus quàm probrosum.* Caput canis *quid. Canis, vile animal.* Canum *nomine significari infideles, profanos, piorum hostes, impuros homines, & pastores mercenarios. Vitia canum.* Χαμαίδουλοι, *canes pigri. Canum proprium* τὸ λοιδορόν *Baculo in canes.* Arabicum هطر baculo canem ferire. Hecuba *cur fingatur fuisse mutata in canem. Mulier rixosa ex cane facta. Canina facundia. Canis valde iracundus, & rabiei obnoxius. Cane nihil incivilius, nec inhospitalius. Canum impudentia. Canes post coitum diu colligati. Gula canum.* Cynosargi *unde nomen. Canes firmi animi* Es. 56, 11. Pandoræ *canina mens.* Κυνόμυια. Hesychius *emendatus.* Κυναλώπηξ· Κυνοκέφαλος Cleonis *cognomen, non* Periclis, *qui* Plutarcho χινοκέφαλος. Pollux *emendatus.* Cynici *summè impudentes. Tres valde impudentes. Canis immundum animal. Canes & sues cur sæpe juncti. Canem vel pretium canis offerre nefas*, Deut. 23. *Vox* canis *ibi variè reddita. Canes in* Ægypto *mirè culti.* Anubis *canino capite. Canis* Ægyptiacè ΣΩΘΙΣ. *Canis ubi in sacrificiis admissus. Per dissecti canis partes transire, expiatio publica.* Περισκυλακισμός. Plinius *emendatus.* Genitæ Manæ *canis immolatus. Canina sacra non ita pridem inventa. Hyæna canis adversa*, Eccles. 13. *Vomitus imitatione canes allicit, & umbra sua stupefacit.* Hyæna *vox in* Sirachide *ab Interpretibus secus accepta.* Κύων ἐπὶ δεσμά, *sacrum Adagium sumptum ex* Græca *versione* Prov. 7, 22. *Legendum* κύφων *pro* κύων. Κύφων *quid propriè.* Hesychius *emendatus.* Κύφων *pro* scelerato. Τραχηλίξιος.

EX eo, quod falsi pastores *Es.* 56, 10. conferuntur cum canibus, שכבים אהבי לנום *qui dormiunt, & somnum amant, Hebræi* canem colligunt somniculosum esse animal. *Kimchius*, מנהג הכלבים לנום תמיד לפיכך המשילם לכלבים *Canes solent semper dormire, proinde comparat eos canibus.* Et *Aben Ezra*, לפי שהכלבים הם ארוקים בתנומה יותר משאר כל בעלי חיים *Quia canes somno plùs dediti, quam reliqua animalia.* Quod esse falsissimum nemo est, qui nesciat, cum canis sit potiùs unum è vigilantissimis. Hinc *Lucretius* libri quinti versu 862.

Et levi-somna canum fido cum pectore corda.

Et *Ovidius Fastorum* libri quarti versu 488.

- - - - - *jam vigiles conticuêre canes.*

Et *Fastorum* libri quinti versu 142.

Pervigilantque Lares, *pervigilantque canes.*

Et *Horatius* lib. 3. *Od.* 16.

Inclusam Danaën *turris ahenea,*
Robustaque fores, & vigiles canum
Tristes excubiæ munierant satis.

Et *Columella* de canibus lib. 8. cap. 12. *Quis fidelior comes? Quis custos incorruptior? Quis inveniri potest vigilantior?* Fateor canes dormientes *Gallis Capitolium* silentio suo prodidisse. Sed id accidit præter morem. Et Historici, qui rem referunt, mirantur magis, quod *Galli* canes, quam quod custodes latuerint. *Livius* libro quinto, *Tanto silentio in summum evasêre, ut non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal, ad nocturnos strepitus excitarent.* *Plutarchus* libro *De Fort. Roman.* Ἀνέβαινον λαθόντες οὐ μόνον τοὺς φύλακας, ἀλλὰ καὶ τοὺς συνήθως, καὶ τοὺς φρουροῦντας τὸ φρούριον κύνας ὑπνωμένους ... Canibus igitur somnolentia tribuitur ab *Esaia*, non ut proprium, & naturale quid, sed ut vitium præter naturam. Et ex illis *Prophetæ* verbis canes esse somnolentos tam ineptè colligitur, quam si quis eos esse mutos, nec latrare posse colligat ex iis, quæ præcedunt, *Omnes illi canes muti sunt, qui latrare nequeunt.*

In eodem versu הזים *Chaldæus* reddit נימין *dormientes*, tanquam iis Synonymum, quæ jam explicavimus. Atque id sequuntur *Hebræi* ferè quotquot sunt, *R. Donès, R. Jonas, R. Selomo, Aben Ezra, Mardochæus, Pomarius, Aquinas*, &c. *Kimchius* quoque, sed ita, ut quosdam in *Lexico* citet Interpretes, qui הזים vocari dicunt המדברים בשינה דברי תהו ובקצת החלאים *eos, qui loquuntur in somnis verba vana, & in quibusdam morbis*, quod vernaculè, inquit, id est, (*Hispanicè* dixeris) פרלאר אין סוניו *parlar en sueño.* Et *Arabicè* هذيان cum *Daleth* raphato (id est, *Dsal*) loco *Hebræi Zajin.* Quæ, licet obiter dicta, & ab *Hebræorum* aliis omissa, & neglecta, veriora tamen sunt iis, quæ ad Sagram. Omnino enim *Hebræum* הזה *baza*, quod hic solùm occurrit, idem est, quod *Arabicum* هذي *hadsa*, literis *Zajin* & *Dsal* de more permutatis. Et هذي *hadsa, delirare* est, unde هذيان *hadsian, deliratio*, sive per somnum, aut per morbum fiat. Vox passim occurrit in *Avicenna*, sed inprimis *Can.* lib. 3. *Fen.* 1. tract. 4. cap. 8. & sequentibus, ubi agitur de natura, causis, signis, & cura delirationis, quæ est ex morbo. *Abenationem* vocat vetus interpres. Et הזיות pro *somniis, & deliramentis*, occurrere in præfatione *Moreh Nebochim*, & libri secundi capite trigesimo sexto observat *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico.* Utitur quoque *Abarbanel*, cum in hunc ipsum locum de pseudo-Prophetis dicit היו עשים הזיות ובדיות מלבם *Somnia, & mendacia è corde suo confingebant.* Neque aliud voluit *Esaias.* Proinde הזים à *Græcis* non male redditur ἐνυπνιαζόμενοι, id est, *somniantes*, & ab *Aquila* φανταζόμενοι, id est, *phantasiis, & vanis imaginationibus acti.* Quo eodem referri potest *Symmachi* versio ὁραματισταὶ, & Hieronymi *videntes vana*, modo ne legerint חוזים per *Cheth*, pro הוזים per *He.* Quod mihi fit verisimile, quia חזון est ὅραμα *visio.* Unde est, quod *Prophetæ* passim dicuntur חוזים *videntes.* Sed, quamvis חוזים, & הוזים, scriptura, & sono parùm differant, tamen sensus multum est diversus. Nam veri *Prophetæ* ideò dicuntur חוזים *videntes*; quia vident Dei visiones: at falsi הוזים *delirantes, & somniantes*; quia vanis rerum imaginibus & ipsi deluduntur, & credentes in se deludunt. Et in hac parte cum canibus meritò conferuntur, qui non modò somniant ut multa animalia, sed somnia sua vel latratu, vel gestu saltem ex parte patefaciunt. Proinde *Philosophus Hist.* lib. 4. cap. 10. postquam non solos homines, sed & omnes quadrupedes somniare asseruit, de solis canibus addit; Δηλοῦσι δὲ οἱ κύνες τῷ ὑλακτεῖν, *Canes autem latratu significant* supple *sua somnia.* Quamvis plenus non sit latratus, sed murmuratio quædam, cujus respectu dicuntur σκύζειν. *Hesychius*, Σκύζειν, ἡσυχῆ ὑποβρυχᾶσθαι ... ὥσπερ κύνες. *Pollux*, ubi de canum vocibus,

Σκυζᾶν δὲ (imò σκύζεσθαι) τὸ καθεύδοντας ὑποφθέγγεσθαι. Emendo σκύζεσθαι ex *Hesychio*, quia σκυζᾶν aliud est. Hac porro demurmuratione sua somnia tam apertè produnt, ut *Poeta* ea definire ausi sint. *Theocritus* jam supra allatus,

- - - - - - καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις
Πᾶσα κύων ἄρτον μαντεύεται, - -

Nam in somnis omnis canis panes auguratur. Et *Æschylus* in *Diris*,

Ὄναρ διώκεις θῆρα, κλαγγαίνεις δ' ἅπερ
Κύων, μέριμναν οὔποτ' ἐκλιπὼν πόνου.

Feram per somnium persequeris, & latras ut canis, laboris sollicitudinem nunquam deponens. *Lucretius* libri quarti versu 988.

Venantumq; canes in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subitò, vocesq; repentè
Mittunt, & crebras reducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum.

Canum alii in urbibus, alii in agris degunt. De prioribus dicitur 1. *Reg.* 14. v. 11. *Morientem* Jeroboamo *in civitate comedent canes.* Et *Psal.* 59. v. 7. 15. *Redibunt sub vesperam frementes ut canes, & circuibunt urbem*, noctu scilicet. Quod *Arabicè* uno verbo يعسوا rectè dixeris. Nam عس *assa* est طاف في الليل *noctu circumivit.* Unde عاس *vigil, qui noctu circumit.* Et عساس *lupus, qui noctu circumiens prædam quærit.* Et القنافذ id est, *ericii* vocantur العساس لكثرة ترددها بالليل *asaiso, quia noctu multum discurrunt.* Sed maximè huc facit, quod de cane noctu sic circumeunte *Arabes* hoc Proverbium habent, ut auctor est *Alcamus*,

كلب اعتس خير من كلب ربض

Canis noctu circumiens præstat cane jacente. Et in Fulgentio *Catillare est per alienas domos gyrare, tractum à catulis, quòd per omnes domos circumeant.* In urbibus porro canes plerique sunt οἰκουροὶ, *custodes domus*, aut *dominum sequi soliti.* Ita, *Tobia* cum Angelo proficiscente, ὁ κύων τοῦ παιδαρίου μετ' αὐτῶν, *Tobiæ junioris canis erat cum ipsis.* Et iisdem redeuntibus, Συνῆλθεν ὁ κύων ὄπισθεν αὐτῶν, *Simul ivit canis post ipsos*, Tobiæ cap. 5. vers. 23. & cap. 11. vers. 3. Neque plura *Græcum* exemplar. Sed *Vulgatus* hæc addit, undecunque sumpta sint, *Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.* Canes caudam sic agitantes vocat *Hesychius* σαινούρους, & σαινουρίδας, quia σαίνειν est *cauda* vel *aurium motu blandiri.* Sic apud *Poetam* *Argus* canis, *Ulyssem* dominum agnoscens, *Odyss.* ρ'. versu 302.

Οὐρῇ μέν ῥ' ὅ γ' ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.

Cauda quidem est adulatus, & ambas dejecit aures. Quod ita imitatur *Hesiodus Theogon.* versu 771.

Σαίνει ὁμῶς οὐρῇ τε, καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισι.

Cui Synonymum est αἰκάλλειν. *Hesychius*, Αἰκάλλει, σαίνει, θωπεύει. *Aristophanis Scholiastes* in *Equitibus*, Αἰκάλλειν ἐστὶ τὸ τὴν κινεῖν τοῖς ὠσὶ, καὶ τῇ οὐρᾷ σαίνειν τοὺς ἰδόντας. Proinde *Ælianus* (*Anim.* libri undecimi capite tertio) verbum utrumque jungens scribit de *Ætnæis* canibus, qui sunt in æde *Vulcani*, Οἳ δὲ σαίνουσι, καὶ αἰκάλλουσι. *Arabicè* بصبص *basbasa* dixeris. *Alcamus*, بصبص الكلب حرك ذنبه *Canis basbasa, id est, movit caudam suam*, nempe blandiendi causa. Unde est, quod idem Verbum in *Giauhari* redditur تملق *blanditus est.* Hinc de cane *Damir*, ومن طباعه البصبصة بذنبه *Etiam è natura ejus est adulatio cauda sua.* Ita habet unum exemplar. In altero vox بذنبه *caudâ suâ* omissa est; quia البصبصة per se id significat, ut *Græcum* σαίνειν. Itaque idem alibi rursus de cane,

يبصبص له ويخشع بين يديه

Blanditur ipsi (caudæ motu) *& se demittit coram eo.* Sic in his *Persii*

- - - - - - *caudam jactare popello*

est *populo blandiri*, translatione sumpta à canibus, qui, cum blandiuntur, dominis caudam movent. Ita *Cornutus* ad eum locum. Hic locus esset agendi de fide canum erga dominos. Sed, quia res est protrita, solum hæc ex *Damire* notentur, يجيب اذا دعي بعد الضرب ويرجع بعد الطرد واذا لاعبه ربه عض العض الذي لا يولم *Respondet cum vocatur, etiam post verbera; & redit postquam expulsus fuit. Et, cum dominus cum eo ludit, morsicat illum morsu innoxio.* Historiam, à *Scaligero* (o) & aliis descriptam, & in cœnaculo regio pictam de cane in *Gallia*, qui domini homicidam magnis & continuis latratibus, & fossam, in quam cadaver ejus projectum fuerat, prodidit, illuc identidem eundo, & redeundo, hoc loco non attingerem, nisi huic parallelam reperissem in libro *Mirabilium* ante annos ferè quingentos ab *Alkazuinio* scripto. Ea sic habet, شخص قتل شخصا باصبهان والقاه في بير وكان للمقتول كلب ينظر اليه فكان ياتي كل يوم الي راس البير ويبحث التراب عنها ويشير اليه واذا راي القاتل نبح عليه فلما تكرر منه ذلك حفروا الوضع فوجدوا المقتيل فيها ثم اخذوا الرجل وقرروه فاقر فقتلوه به *Quidam alium interfecerat in* (urbe *Persidis*) Espahan, *& in puteum projecerat. Et qui occisus est habebat canem, qui hoc viderat, & quotidie ad os putei veniebat, terram ex eo eruens, numq; rem indicans. Idem, quoties videbat homicidam, eum allatrabat. Quod cum sæpe repetivisset, nonnulli locum effoderunt, repertoq; ibi cadavere, hominem ceperunt, & de crimine interrogaverunt, quod cum confessus esset, merita morte pœnas luit.* Sed veteres historias replicare nihil opus est, cum hodieque *Lutetiæ Parisiorum* vivat canis, qui domini in *S. Innocentii* cœmetrio sepulti tumulo jam penè triennium incubuit, nec ullis inde blanditiis abduci potuit. Quin à nonnullis vi abstractus, & ad aliam partem urbis translatus, ibique aliquandiu detentus, quamprimum fuit sui juris, pristinam stationem

o) *Scal. in Card. exercit.* 202. *sect.* 6.

tionem repetiit, domini cadaveri, ut videtur, tandem immoriturus, niſi obſtet vis major. Res, anno, quo hæc ſcribo, Æræ ſcilicet *Chriſtianæ* milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo, ideo viſa eſt mirabilior, quod in illo cœmeterio per hyemales menſes nix fuit altiſſima, & frigus intenſiſſimum. Si de tam fidi canis victu lector eſt ſollicitus, ſciat locorum accolas, rei novitate perculſos, huic abunde proſpicere, pane, & aqua ad tumulum, cui aſſidet, ſubinde miſſis.

Sunt & in urbicis canibus *Melitæi* catelli, quos opulentæ mulieres in deliciis habent. *Melitæos* dici vult *Strabo* à nobiliore illa *Melita*, quæ *Siciliæ* ſubjacet. At *Callimachus*, *Plinius*, *Stephanus*, *Etymologus* ad alteram *Meliten* referunt, quæ pertinet ad *Illyricum*. Neque lis facilè poteſt decidi, cum hodie catelli ſimiles in neutra reperiantur. *Melitæi* canis apud *Arabes* nomen eſt multiplex, ſed vulgatiſſimum *kalati*.

القلطي هو صغير الجرم قصير جدا ويسمى الصيني وبعض الناس يسمونه زغاري Alkalati *canis eſt parvo corpore, membris valde contractis, qui etiam* Sini *vocatur. Sunt & qui* Zagari *appellent.* Ita *Damir*. *Sini*, id eſt, *Sinenſis*: *Zagari*, id eſt, *parvus*, ut ܙܥܘܪܐ *Syris*. Hoc nemini non eſt apertum. Sed cur dicatur *Kalati* non eſt æquè obvium. An à *Græco* Καλαθίνη, quod in *Adæi* Epigrammate lib. 1. cap. 33. *Melitææ* catellæ aptum nomen eſt, quia in calatho, ſeu quaſillo circumfertur. An potius ab *Hebræo* verbo קלט *kalat*, quod ſignificat *membra habere contracta*, ut שרוע ſara, *æquo longiora*, Levit. 22. v. 23. Hos catellos *Græci* plerumque κυνίδια, ſed & κυνάρια nominant, ut *Athenæi* libro duodecimo, ubi *Timon Sybaritas* habere dicit κυνάρια Μελιταῖα, ἅπερ αὐτοῖς καὶ ἕπεσθαι εἰς τὰ γυμνάσια, *catellos* Melitæos, *qui ſequuntur ad balneum euntes.* Et *Epictetus* in *Arriano* lib. 2. cap. 22. Κυνάρια οὐδέποτ᾽ εἶδες σαίνοντα καὶ προσπαίζοντα ἀλλήλοις; *Nonne aliquando vidiſti catellos abblandientes invicem, & inter ſe colludentes?* Proinde *Matth.* 15. & *Marc.* 7. κυνάρια illa, quæ micas è menſa cadentes colligunt, vir longè doctiſſimus vult eſſe *Melitæos* catellos. Quod mihi non probatur, quia ibi vox κυναρίων ad contemptum pertinet, quaſi viliſſimos canes dixeris. Ut ſi pro *homine* dicas *homuncionem*, & pro *muliere mulierculam*. Quomodo *Apoſtolus* 2. Tim. 3. v. 6. αἰχμαλωτίζοντες γυναικάρια, *captivas ducentes mulierculas.* Et *Græci* Interpretes *Job.* 24. v. 21. γύναιον οὐκ ἠλέησε, *mulierculæ miſertus non eſt.* Nempe menſarii canes, qui ſub menſa cibi reliquias abliguriunt, ferè minoris ſtaturæ ſunt, ut jam ante monuimus. Proinde *Agaſæos* in *Britannia*, ſagaces canes, qui non ſunt magnæ molis, cum his ita confert *Oppianus* libro primo *Venat.* verſu 471.

Τῶν ἤτοι μέγεθος μὲν ὁμοίιον οὔτι δαναοῖσι
Λίχνοις οἰκιδίοισι τραπεζήεσσι κύνεσσι,

Quorum quidem magnitudo æqualis eſt vilibus, catillonibus, domeſticis, menſariis canibus.

b) Plut. Περὶ παιδ. & in Apophtheg. Lacon.

Canibus urbicis quantò ſint præſtantiores qui in agris educantur *Lycurgus* (b) palam fecit exemplo duorum canum ex eadem ſtirpe: quorum qui in urbe nutritus fuerat inter culinæ lautitias in patinam oblatam irruit; alter, qui in agris vixerat, emiſſum leporem inſequutus eſt. Nempe canes plerique in agris venationi aſſueſcunt, quæ abſque canibus mutila eſt, & imperfecta. Proinde *venatio Græcè* dicitur κυνηγεσία, *venari* κυνηγεῖν, *venator* κυνηγός, vel κυνηγέτης, à ducendis canibus. Sic de *Nimrodo* dicit *Græca* verſio *Geneſ.* 10. v. 9. Οὗτος ἦν γίγας κυνηγός. Et de *Eſavo* Geneſ. 25. v. 27. Ἡσαῦ ἄνθρωπος εἰδὼς κυνηγεῖν. Et *Pſal.* 22. *verſ.* 17. Ἐκύκλωσάν με κύνες πολλοί· pro quo *Aquila*, & *Theodotio*, Κυνηγέται πολλοί. Tamen in *Hebræo* textu nulla apparent veſtigia venationis, quæ fit per canes. Niſi fortaſſe *Proverb.* 30. v. 31. ubi זרזיר מתנים, ad verbum *renibus ſuccinctum*, *Hebræorum* non pauci volunt eſſe canem leporarium, qui aliis *vertagus*, & *Gallicus* dicitur, aut *Laconicus*. *R. Levi*, הוא הכלב הדק המתניים שיוליכוהו הצידים לצוד *Canis eſt lumbis tenuibus, quo ad venationem utuntur venatores.* *R. David* in *Lexico*, ויש אומרים שהוא כלב הצד ציד לבר״י בלעז ונקרא כלפי שהוא דק במתניו כאלו הוא חבוש או חגור במתניו *Sunt, qui dicant canem eſſe venaticum, qui vulgari lingua leporarius vocatur, ita dictum, qui lumbos habet tenues, ac ſi lumbis conſtrictus, aut cinctus eſſet.* Ita etiam *Pomarius*, & *Aquinas*, & auctor *Portæ cœli* fol. 19. a. & 21. d. Proinde *Gratius*, in *Cynegetico*, de hoc eodem cane,

- - *adſtricti ſuccingant ilia ventris.*

Et *Ovidius* ubi *Actæonis* canes deſcribit,

Et ſubſtricta gerens Sicyonius *ilia* Ladon.

Eodem hæc refero, quæ habet auctor *Alcamus*, الازور كلب سيدق جوشن صدره *Azur (id eſt, ſuccinctus) canis tenui pectoris ambitu.* Ubi nota ازور *azur*, & זרזיר *zarzir*, voces eſſe vicinas, & quarum una videri poſſit ex altera deducta. Neque hic omittenda, quæ habet *Ariſtoteles* in *Phyſiognomonicis* capite ſexto, Οἱ ζωσοὶ (lege οἱ εὔζωνοι) φιλόθηροι, ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς λέοντας, καὶ τοὺς κύνας. ἴδοι δ᾽ ἄν τις καὶ τῶν κυνῶν τοὺς φιλοθηροτάτους ζωσοὺς ἔχοντας (lego εὐζώνους ὄντας) *Qui* (ilibus) *ſuccincti ſunt venationis ſunt ſtudioſi. Refertur* hoc *ad leones, & canes. E canibus enim maximè venaticos* ilibus *ſuccinctos videre eſt.* Plura huic verſioni firmandæ vide apud *Fullerum Miſcellan.* libri quinti capite duodecimo, *Venaticus canis* Arabicè سلوقي *ſaluki* dicitur à *Saluk*, urbe *Jeman*, id eſt, *Arabiæ Felicis*, à qua etiam السلوقية *lorica* denominantur. Ita *Damir*, & *Alcamus*.

Venaticis canibus adde paſtoritios, quibus pecoris cuſtodia committitur. De his diſertè *Job.* 30. *verſ.* 1. *Quorum patres non dignabar ponere cum canibus ovium mearum.* Unde conſtat jam olim id in uſu fuiſſe, ut canes feris à grege arcendis adhiberentur. Itaque hujuſmodi canum frequens eſt mentio apud *Poetas* vetuſtiſſimos. *Homerus Iliad.* κ´. verſu 183.

Ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσωνται ἐν αὐλῇ,
Θηρὸς ἀκούσαντες κρατερόφρονος - -

Ut autem canes circum oves moleſtam cuſtodiam agunt in caula, audità feroce ferà. Et *Iliad.* μ´. verſu 302.

- - - - - - - - βώτορας ἄνδρας
Σὺν κυσὶ, καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα·

Paſtores viros, cum canibus, & haſtis cuſtodiam agentes circa oves. Et *Iliad.* ρ´. verſu 109.

- - - - - - ὥς τε λῖς ἠϋγένειος,
Ὅν ῥα κύνες τε, καὶ ἄνδρες ἀπὸ σταθμοῖο δίωνται

Ut bene-jubatus leo, quem canes, & viri à ſtabulo abigunt. Quin ipſe *Homerus* circa *Boliſſum*, cum ad *Glauci* greges acceſſiſſet, ὑλάκτουν αὐτὸν οἱ κύνες, *cum pecoris cuſtodes canes allatrabant, quos* Glaucus, *commodum ſuperveniens*, ἀνεκαλεῖτο, καὶ ἀπεσόβησεν ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου, *revocavit, & ab* Homero *excuſſit.* Ita *Herodotus* in ejus vita. *Heſiodus* quoque *Poeta*, qui prope *Heliconem* paſtor fuit, canes habuit, qui, παραμείναντες αὐτῷ ἀναιρεθέντι, κατήλεγξαν ὑλακῇ τοὺς φονεύσαντας *juxta eum occiſum manentes, occiſores latratu prodidêre*, ut refert *Pollux* lib. 5. cap. 5. Sed *Plutarchus* in libro *Utra animalia*, &c. canem unum memorat

morat τοὺς Γανύκτορος ἐξ ἐγκάρτα τοῦ Ναυκλήτου παῖδας, ἀφ' ὧν ὁ Ἡσίοδος ἀνῃρέθη, *qui* Ganyctoris Naucletii *filios prodiderit, a quibus* Heliodus *interemptus est.* Et in Fabulis apud *Pollucem*, ubi supra, ὁ Γηρυόνου κύων, ὁ τὰς βοῦς φυλάττων, Geryonis *canis, illius boves custodiens, Cerberi* frater, *Gargittus* nomine, ab *Hercule* cæsus est. De quo cane plura qui volet *Albricum* consulat in *Deorum imaginibus*, capite de *Hercule*. Sed & *Mercurius*, ut boves *Apollinis* surriperet, πρῶτα μὲν ἐμβάλλει τῇ κυσὶν, αἳ ἐφύλαττον αὐτὰς, λήθαργον, καὶ κυνάγχην, *primum canibus, qui eos custodiebant, veternum anginamq; immisit*, ut post *Hesiodum*, & alios, scribit *Antoninus Liberalis Metam.* 23. Quin, si cum *Hebræis* nugari licet, usque ad *Abelem* ascendemus, quo à *Caino* fratre cæso, *canis, qui custodiebat gregem* Abelis, *tutatus est illum adversus omnem feram agri, & volucrem cœli.* Ita habet *R. Eliezer* Capitulo vigesimo primo.

Cum his maximè canibus *Esa.* 56. *v.* 10. pastores conferuntur, quorum munus est invigilare gregi, & lupos, id est, Ecclesiæ hostes, latratu prodere. Proinde etiam *Ægyptii* per canem ἱερογραμματέα, seu *sacrum scribam* significabant: Ἐπειδήπερ τὸν βουλόμενον ἱερογραμματέα τέλειον γίνεσθαι, χρὴ πολλὰ μελετᾶν, ὑλακτεῖν τε συνεχῶς, καὶ ἀπηνῆ εἶναι καὶ μηδενὶ προσχαριζόμενον, ὥσπερ οἱ κύνες· *Quoniam quicunq; voluerit perfectus esse sacer scriba, eum oportet multa curare, & assiduè latrare, & ferum esse, nec ulli gratificari, more canum.* Ita *Horus Apollo* libro primo *Hieroglyph.* capite trigesimo septimo. Meritò igitur *Esaias* in eos pastores invehitur, qui sunt ut muti canes, nec latrare possunt, &c, neglecto munere suo, somno tantùm, & gulæ indulgent. In quem locum ita *Kimchius*, *Comparat eos canibus, quia canes gregem custodiunt, & cum malam feram gregi imminentem sentiunt, latrant donec ea recesserit. At falsi Prophetæ, qui se vigiles, & custodes* Israelis *esse profitentur, sunt instar canum mutorum, quiq; latrare nequeunt, & gregi sunt inutiles, ita ut ingruens fera oves pro libitu diripiat. Aut sunt ut somnolenti canes, qui, ferâ rugiente, & ad prædam imminente, non excitantur. Itaq; sunt hi canes ac si non essent, neq; solum sunt inutiles, sed & noxii, quia pecoris custos, iis fretus, feras ad deprædandum venturas haud quaquam timet.* Hæc & alia non malè recutitus ille Doctor.

De cætero in *Jobi* verbis, *Non dignabar eos ponere cum canibus gregis mei, ponere cum canibus* est *in canes præficere*, quod munus est abjectissimum. Huc pertinere putatur, quod *Abner* à Rege suo se contemptim haberi putans 2. *Sam.* 3. *v.* 8. *Sumne*, inquit, *ego caput canis?* id est, *caput canum*, ut reddit *Syrus*. Ita etiam *Hebræi* omnes. R. Selomo, *Quasi diceret, Ego habitus sum* כראש שומר הכלבים *instar ducis, qui custodit canes.* Kimchius, אפילו לא הייתי ממונה אלא על הכלבים *Etiamsi non fuissem præfectus nisi super canes.* R. Esaias, אני ראש לכל ישראל ובזיתני כאלו הייתי ראש הכלבים *Cum sim caput* (id est, *Imperator*) *totius* Israelis, *sprevisti me, quasi solum fuissem caput* (seu *præfectus*) *canum.* Græcè κυναγωγὸν dixeris. Ita nominat *Xenophon* in libro *De Venatione*. Et *Juvenalis* Satyrâ sextâ *dominum*, nempe canis illi commissi:

- - - - - nam, si latratibus alti
Rumpuntur somni, fustes huc ocyùs, inquit,
Afferte, atq; illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem. - - - - - -

Et præfectura canum ideò vilis est, quia canis ipse vile est animal. Proinde leonem & canem ponit in extremis *Solomon*, & illi hunc opponit, ut fortissimo & præstantissimo vilissimum, cum dicit *Eccles.* 9. *v.* 4. *Canis vivus melior est leone mortuo.* Quale *Græcorum* est Adagium,

Νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Et κατ' ἐξουθενισμὸν nonnulli *canes* se vocant, atque etiam *canes mortuos.* Ita *David Sauli* 1. Sam. 24. v. 15. *Post quem egressus est Rex* Israelis? *Quem persequeris? Persequeris canem mortuum.* Et *Davidi Mephiboseth* 2. Sam. 9. v. 8. *Quid est servus tuus, ut respexeris ad canem mortuum, qualis sum ego?* Et *Eliseo Hazael* 2. Reg. 8. v. 13. *Quid est servus tuus? canis? ut magnam hanc rem præstet. Græci*, ut supra, Τίς ἐστιν ὁ δοῦλός σου, ὁ κύων ὁ τεθνηκώς, Sed *Hebræi* solum, *Quid est servus tuus? canis?* Nec multo aliter *Helena Hectori Iliad.* ζ. versu 356.

Δᾶερ, ἐπεί σε μάλιστα πόνος φρένας ἀμφιβέβηκεν
Εἵνεκ' ἐμεῖο κυνός· - - - - - -

O levir, quoniam animum tuum labor maximè invasit propter me, quæ sum canis.

Atque id quidem humilitatis est, cum quis eo usque se abjicit, ut *canis* vocari non dedignetur. Sed alterum qui sic appellat, eum docet se prorsus spernere, & pro nihilo habere. Ut, cum *Abisai* dicit de *Semei* 2. Sam. 16. v. 9. *Cur malediceret canis iste mortuus domino meo Regi?* Et *Ulysses* procis *Odyss.* χ'. Ὦ κύνες, *O canes.* Et *Diomedes Hectori* Iliad. χ'. Ἐξ αὖ νῦν ἔφυγες θάνατον, κύον· *Rursus jam effugisti mortem, ò canis.* Et cum sperat *Hector Iliad.* θ'. Ἐξελάαν ἐνθένδε κύνας κηρεσσιφορήτους, *se expulsurum inde canes à fatis advectos*, id est, *Græcos Trojam* obsidentes. 1. Et Scriptura quidem *canum* nomine primo infideles significat: ut *Matth.* 15. *v.* 26. *Non est bonum capere panem filiorum, & canibus projicere*, id est iis, qui à Dei fœdere sunt alieni. 2. Profanos verbi Divini contemptores, qui crudeliter sæviunt in veritatis præcones. Quo sensu *Matth.* 7. *v.* 6. prohibemur *projicere sanctum canibus, & margaritas porcis, ne conculcent eas pedibus, & conversi nos dilacerent.* 3. Quosvis piorum hostes, & invasores: ut *Psalm.* 22. *v.* 17. *Circumdederunt me canes, cœtus maleficorum circumvenerunt me.* Et vers. 21. *Eripe à gladio animam meam, & à cane unicam meam.* 4. Impuros, qui variis sceleribus polluti, & contaminati sunt: ut *Apoc.* 22. *v.* 15. *Foras canes, & venefici, & scortatores, & homicidæ, & idololatræ*, &c. 5. Pastores mercenarios, qui pro Domini grege seipsos pascunt: ut *Es.* 56. *v.* 10. *Episcopi ipsius*, &c. *sunt canes muti, qui non possunt latrare. Delirant, jacent, sunt somnolenti. Sunt canes avidissimi* (aut, ut alii, *impudentissimi*) *qui non nôrunt saturitatem. Propterea ipsi se pascunt, docere nesciunt*, &c. Et *Phil.* 3. *v.* 2. *Cavete à canibus: cavete à malis operariis.*

Nempe aut in genere canes, aut saltem nonnulli canum iis vitiis laborant, quibus hæc sunt analoga. Nam, ut taceam multos esse canes somno & gulæ deditos, ut describuntur *Esa.* 56. *v.* 10. 11. Multos ἀγαθοὺς ὑλακτεῖν, καὶ διαλείχειν τὰς χύτρας, *qui nihil quam temere latrare sciunt, atq; ollas lingere*, ut ait *Labes Aristophanicus* in *Vespis*: multos denique χαμαιζήλους cognomento lignissimos, quomodo vocari refert *Hesychius* testudines, cochleasque, & τὰς νωθροτάτας τῶν κυνῶν, *canum tardissimas, & pigerrimas.* Et scatere privatas ædes

- - - - - - - - - ὑπὸ δαπανῶσι,
Λίχνοις, οἰκιδίοισι, τραπεζήεσσι κύνεσσιν,

domesticis canibus, nullius usus, catillonibus, & mensariis. Hæc, inquam, ut taceam, quæ non sunt omnium canum vitia, sed plurimorum, in canino genere universo multa sunt, quæ meritò desideres.

Sic notat *Philosophus Physiognomicωn* capite quarto canum proprium esse τὸ λοιδορεῖν *conviciari.* Et *Clearchus Solensis* de cane apud *Athenæum* libro decimo tertio, Λοίδορον δὲ, καὶ παμφάγον τὸ ζῶον πεφυκότος, *Cum canis sit animal contumeliosum, & vorax.* Canis enim, quantumvis mansuetus, & cicur, ignotos quoslibet latratu, sæpe etiam morsu lacessit, nullâ injuriâ provocatus. Id viatorum neminem latet, qui baculis, &

& lapidibus adversus canum impetum se tueri necesse habent. Unde *Goliath Davidi* 1. Sam. 17. v. 43. *An canis ego sum, quod venis ad me cum baculis?* Septuaginta, Ὅτι ἐξῆλθες ἐν ῥάβδῳ καὶ λίθοις ἐπ' ἐμέ· *Quod in me egressus es cum baculo, & lapidibus.* Sed illud καὶ λίθοις, *& lapidibus*, addunt de suo, & contra historiæ fidem, cujus series *Davidem* docet tum habuisse lapides in pera reconditos, neque dum exhibuisse. Gigas igitur *Davidi* solum objecit baculum, quo viatores solent canes à se repellere, & abigere, aut ferire, cum res postulat. Quod *Arabes* efferunt Verbo هطر *hatara* maxime proprio. Nam de cane هطر in *Alcamus* est قتله بالخشبة *eum baculo læsit*, aut *occidit*. *Græcè* κυνοκοπεῖν dixeris: ut apud *Aristophanem* in *Equitibus*,

Κυνοκοπήσω σε τὸν νῶτον,

ubi *Scholiastes*, Τυπήσω σε καθάπερ κύνα, *Te verberabo ut canem*, id est, tergum tuum fustibus egregiè dedolabo. Itaq; cum canis genium sit, quale descripsimus, vel merè Hyperbolicum est, quod habetur *Exod.* 11. v. 7. nullum canem hirrivisse in tot *Israelitarum* millia ex *Ægypto* excedentia, vel id fuit insigne miraculum, quo Deus testatum voluit se huic populo specialius invigilare, & prospicere. Nec immeritò fingitur *Hecuba* in canem fuisse mutata, quia *Græcorum* proceribus perpetuis convitiis quasi oblatrabat. *Plautus* in *Menæchmis* Act. 5. S. 1.

Me. *Non tu scis mulier* Hecubam *quapropter canem*
Graii *esse prædicabant?* Mu. *Non equidem scio.*
Me. *Quia idem faciebat* Hecuba, *quod tu nunc facis.*
Omnia mala ingerebat, quemquam aspexerat
Itaq; adeò jure cœpta appellari est canis.

Cicero lib. 3. *Tuscul. Quæst.* Hecubam *autem putant propter animi acerbitatem quandam, & rabiem, fingi in canem esse conversam.* Quale est, quòd mulieres, prout diversa habent ingenia, *Poetæ* fingunt ex diversis animalibus esse conflatas, & in his clamosam, ac rixosam ex cane. Sic *Phocylides* apud *Stobæum* Serm. 71. Ἡ δὲ κυνὸς χαλεπή τε καὶ ἄγριος· *Quæ verò est ex cane, molesta & fera est.* Et *Simonides* τὴν ἐκ κυνὸς semper latrare scribit, neque silet, inquit, sive vir conetur minis aut blanditiis eam compescere, ἀλλ' ἐμπεδῶς ἄπρηκτον αὑονὴν ἔχει, *sed pertinaciter inutilem clamorem habet.* Hinc in Adagio *canina* eorum dicitur *facundia*, qui tantùm ad maledicendum eloquentiæ studium exercent. Eo utuntur *Sallustius*, *Quintilianus*, *Hieronymus* ad *Rusticum*, &c. Et *Ovidius* in *Ibin*,

Latrat & in toto verba canina foro.

Quapropter *Oneirocriticus* Scriptor apud *Suidam*,

Κυνῶν ὑλαγμὸς ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην,

Canum latratus damnum ab hoste significat. Et quàm sint irritabiles, ex eo maximè patet, quòd etiam in baculum, & in lapidem morsu sæviunt, & iræ vehementiâ quandoque occæcantur. *Plutarchus* in *Symposiacis* libri quinti capite septimo, Θυμοὶ κυνῶν ἐν ταῖς πρὸς τὰ θηρία γινομέναις ἁμίλλαις ἀποσβεννύουσι τὰς ὁράσεις πολλάκις, καὶ τυφλοῦσι· *Ira canum, dum in feras decertant, sæpe visum eorum extinguit, & excæcat.* Quid si rabies accedat, cui morbo canis omnium animalium maximè est obnoxius? Hinc *Arabicè* ut كلب *celb* est *canis*, sic اكلب *aclaba*, *quasi canire* dixeris, *rabiosum esse* significat, & كلب *calib rabiosum*, & كلاب *celab à rabie furorem*, & *delirium*, & اكتلب *ictelaba ita furere*, & *delirare.* Nec de cane solum dicitur, sed & de homine, & de animali quovis, quasi quisquis rabiosus est, canino morbo laboret. Proinde canes irritare, atque in se concitare, tutum non est. Et quod tam *Græco*, quàm *Romano* Proverbio, Τῶν ὤτων λύκον κρατεῖν, *Auribus lupum tenere* fertur, qui iis implicatur malis, unde eluctari difficile est, *Hebræi* ad canem transferunt. Et *Solomon Prov.* 26. v. 17. eum, qui, alienæ liti se immiscens, ultrò malum in se accersit, confert cum eo, qui canem auribus prehendens eum irritat, & provocat ad se mordendum. *Qui prehendit canem auribus*, in *Hebræo* est מחזיק באזני כלב, pro quo *Græci*, ὁ κρατῶν κέρκου κυνὸς, *Arabs* itidem من يمسك ذنب كلب *Qui tenet caudam canis.* Ac si pro באזני legerint בזנב. Sed prius sequuntur *Chaldæus*, *Syrus*, *Hieronymus*, & *Hebræi* omnes. Atque id præferendum docet simile de lupo Proverbium, quod jam diximus: & quòd in majus periculum se conjicit, qui aures tenet, quæ dentibus sunt propiores, & è manibus facilius elabuntur, quia sunt cauda plerunque breviores. (c) Non possum non addere *Scaligeri* de cane judicium. *Nullum penè animal cane incivilius. Duo namq; pacifico animo etiam in vastis ædibus vix habitare possunt. Canem heri asseclam, viatorem, ingenio pavidum, natura imbecillum, de via fessum, canis amici hospes, ferox animo, robore invictus, otio exultans, aggressus interficiet. Hoc enim à nobis visum est.* Item, *Nihil profectò est inhospitalius cane. Hoc enim penè solus habet, aut cum paucis commune, ut nullam cum suis popularibus ineat societatem.* Item, *Invidiam habet pertinacem.* Et *canis id ingenium est, ut nulli, præterquam sibi soli, quidquam esse velit.*

(c) In Cœd. Exerc. 101. Sect. 1.

Canum quoque vitium est summa impudentia. Reliqua enim animalia hominum reverentia nonnihil coercentur. At canis, sive gulæ, sive libidini indulgeat, nihil non patrat in propatulo. Et in *Venerea* copulatione manet mas cum femina colligatus aliquamdiu. *Oppianus* lib. 1. *Halieut.* versu 534.

- - - - - - μάλα δηρὸν ἕκαστοι
Ἐξόπιθεν συνέχονται, ἀρηρότες ἠύτε δεσμῷ,

Valde diu singuli à tergo cohærent, nexi tanquam vinculo. Quasi non sufficiat, ut canina libido hominum oculis pateat, nisi & diu pateret. Cur ita post coitum colligentur, quærit *Aphrodisiensis* lib. 1. *Problem.* 73. Hanc canum colligationem *Arabes* vocant العظال *alidhal.* Alçamus العظال الملازمة في السفاد من الكلاب والجراد وغيره *Alidhal* est *in coitu mutua cohæsio canum & locustarum, aliorumq; animalium.* Gulam quod attinet, quis canes nescit in media hominum turba exta, & carnes victimarum ex sacerdotum, & poparum manibus nonnunquam diripuisse: atque inde nomen inditum *Cynosargi*, loco *Athenis* notissimo, eò quòd, sacra faciente quodam *Didymo*, κύων ἀργὸς (id est, λευκὸς) ἥρπασε τὸ ἱερεῖον, *canis albus victimam rapuit?* Proinde *Esa.* 56. v. 11. *Hebræa* verba הכלבים עזי נפש, id est, *canes firmi animâ*, LXX. reddunt οἱ κύνες ἀναιδεῖς τῇ ψυχῇ, *Arabs* quoque الكلاب الوقحة النفس *canes impudentes animâ.* Et Hieronymus *canes impudentissimi.* Neque fortasse id male, cum huic gemina Phrasi עז פנים *firmi faciæ* dicantur, qui sunt *perfrictæ frontis.* Exempla vide *Deut.* 28. v. 50. *Prov.* 7. v. 13. & 21. v. 19. *Eccles.* 8. v. 1. *Dan.* 8. v. 23. Alii interpretes reddunt, *canes avidi animâ*, id est, gulosi, & voraces: ut hæc melius cohæreant cum sequentibus, *nesciunt saturitatem.* Sed & voracitatis inverecundia ferè comes est: ita ut helluones, & parasitos paucos videas, qui non iidem sint summè impudentes. Præterea id bellè convenit, ut iis tribuatur impudentia, qui traducuntur *canum* nomine, cùm in omnibus vitiis nullum sit caninum magis. Inde plerasque voces, quæ *impudentiam* significant, *Græci* à cane desumunt. *Hesychius*, Κυνατος, λίαν ἀναιδής. Item, Κυνώδης, ἀναιδής. Item, Κυνικῶς, ἀναιδῶς. Item, Κυνῶπα, ἀναιδεστάτη. Item,

Κυνῶπες,

κύντατον, ἀναιδέστερον, & κύντερον, ἀναιδέστατον, quasi κυνώτερον, & κυνώτατον dixeris, id est, *caniniorem*, & *caninissimum*, ut ità loquar. Etiam ipsum *canis* nomen pro *impudente* sumitur. Idem *Hesychius* in voce Κύων, δηλοῖ δὲ καὶ τὸν ἀναιδῆ. Item, Κύνες, ἀναιδεῖς, & Κυνὸς, ἀναιδοῦς. Sic apud *Pollucem* lib. 5. cap. 11. Ἀριστογείτων ὁ Κυδιμάχου (alii Λυσιμάχου) κύων διὰ τὴν τόλμαν ἐκαλεῖτο, *Aristogiton Cydimachi* (aut *Lysimachi*) *filius canis propter audaciam appellabatur.* Et *Achilles Agamemnoni*,

- - κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο,

quasi cervorum timiditati junxerit caninam impudentiam. Proinde eundem vocat κυνώπην, tanquam canino aspectu. Quo ipso sensu κυνῶπις, & κυνοβλὰψ passim usurpantur. & κυνοφθαλμίζονται, id est, ἀναιδῶς ἐμβλέπει. Hinc est, quod cum *Pandoræ* tribuit *Hesiodus*

- - κύνεόν τε νόον, καὶ ἐπίκλοπον ἦθος,

caninam mentem, & furaces mores, per caninam mentem interpretes ἀναιδῆ τε, καὶ τολμηρὸν λογισμὸν, *impudentem, & audacem rationem* intelligunt. Et κυνάμυια mulier vel Dea dicitur διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἀναιδείας, *propter immodicam impudentiam*, quia vox composita est ὅτι ἐκ δύο ἀναιδῶν τελείων, τοῦ τε κυνὸς, καὶ τῆς μυίας, *ex duobus summè impudentibus, cane, & musca.* Ita ad *Homerum Grammatici.* Et *Ælianus Anim.* lib. 7. cap. 19. Ἀναιδῆ δὲ, καὶ μὴ ῥᾳδίως ὑποστελλόμενα μυῖαι, καὶ κύνες· *Impudentes sunt, neque facilè cedunt musca & canes.* Et *Hesychius*, Κυνόμυια, ἀναιδὴς, καὶ ἰταμὴ, καὶ θρασεῖα. Τοιαῦτα γὰρ τὰ ζῶα ὁ κύων, καὶ ἡ κυνόμυια (lege καὶ ἡ μυῖα) *Cynomyia, impudens, & inverecunda, & audax. Talia enim animalia canis, & musca.* *Athenæus* libro quarto, κυνάμυια Νικίου scortum *Niciæ* cognomine *Cynamia* propter impudentiam. Tale, quod à *Comico* quidam vocatur κυναλώπηξ, cui cum vulpina vafritie canina fuit impudentia. *Cleon* quoque ab eodem in *Equitibus* dictus est κυνοκέφαλος, ἀντὶ τοῦ δεινὸς καὶ ἀναίσχυντος, *pro gravi, & inverecundo*, vel, ut alii, ἰταμὸς, ἀναιδὴς, καὶ ἁρπακτικὸς, *pro audaci, impudente, & rapaci.* Sed in *Periclis* viri optimi memoriam injurius est *Rhodiginus*, cùm hoc idem cognomentum ei adhæsisse scribit lib. 17. cap. 27. *Cynocephali*, inquit, *cognomentum, quod cum aliis, tum verò* Pericli *adhæsisse legimus, non ferè aliud, quàm impudentiam, & rapacitatem signat.* Neque veriùs *Pollux* (d) Σχινοκέφαλον δὲ Κρατῖνος τὸν Περικλέα εἶπε. Nec enim *Cynocephalus*, aut *Echinocephalus*, sed *Schinocephalus* à *Cratino* vocatus est *Pericles*, quia fuit κεφαληγερέτας, id est, oblongi capitis, quomodo idem eum appellavit, & caput habuit ad squillæ formam, plantæ bulbacei generis, quam *Athenienses* σχῖνον vocabant. *Plutarchus* in *Pericle* pag. 279. Οἱ δ' Ἀττικοὶ ποιηταὶ σχινοκέφαλον αὐτὸν ἐκάλουν, τὴν γὰρ σκίλλαν ἔστιν ὅτε καὶ σχῖνον ὀνομάζουσι. Τῶν δὲ κωμικῶν ὁ μὲν Κρατῖνος ἐν Χείρωσι, &c. μέγιστον τίκτει τὸν τύραννον, ὃν δὴ κεφαληγερέταν θεοὶ καλέουσι. Et pag. 291. Διὸ καὶ πάλιν Κρατῖνος ἐν Θρᾴτταις παίζει πρὸς αὐτὸν,

d lib. 2. cap. 4. parag. 3.

Ὁ σχινοκέφαλος Ζεὺς ὁδὶ προσέρχεται Περικλῆς.

Quod *Rhodiginus* ipse agnovit lib. 20. cap. 12. At *Cynicis* certum est nomen à canibus esse inditum, quia erant summè impudentes. Οὗτοι γὰρ ἤλεγχόν τινα δημοσίᾳ, οὐ κατ' ἰδίαν· καὶ ὅτε ἤσθιον, ἢ ἄλλο τι ἔπραττον, ἀναφανδὸν αὐτὸ ἐποίουν ὡς οἱ κύνες. *Illi enim publicè, non privatim reprehendebant: & sive comederent, sive quid aliud agerent, id faciebant in propatulo ut canes.* Ità edocti scilicet à sectæ suæ principe *Diogene*, qui εἰώθει πάντα ποιεῖν ἐν τῷ μέσῳ, καὶ τὰ Δήμητρος, καὶ τὰ Ἀφροδίτης· *Solebat omnia palam facere, & quæ ad Cererem, & quæ ad Venerem pertinent.* Quamvis in his fortasse nimii fuerimus, non possum non addere *R. Jakimi* Apophthegma in *Semoth Rabba* cap. 42. שלשה חצופי' הם הצוף בחיה כלב בעוף תרנגו' ובאומות ישרא' *Tres sunt valde impudentes, in quadrupedibus canis, in avibus gallus, & in Gentibus* Israel. Sic confitentem reum habemus, & αὐτοκατάκριτον.

Est etiam canis immundum animal. Hinc *Poëta* lib. 1. *Georg.*

Obscœnique canes, importunæque volucres,

Et *Horatius* de *Ulysse* lib. 1. *Epist.* ad *Lollium*,

Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Ubi nota canem & suem simul jungi, quomodo lib. 2. *Epist.* ad *Julium Florum*,

Hàc rabiosa fugit canis, hàc lutulenta ruit sus.

Et lib. 4. *Tibulli*,

Canisque sævà, susque ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus.

Et in Scriptura passim. Sic *Es.* 56, 3. *Qui mactat pecus, quasi decollaret canem: qui offert oblationem, quasi sanguinem suillum offerret.* Et *Matth.* 7, 6. *Ne date quod sanctum est canibus, ne projicite margaritas vestras coram porcis.* Et 2. *Pet.* 2, 22. *Canis reversus est ad suum vomitum, & sus lota ad volutabrum cæni.* Nempe utrumque animal ex æquo immundum est, cum quia utrique ex æquo eæ notæ desunt, quas requirebat Lex *Mosis* in mundis animalibus, tum ratione victûs, qui tam in cane, quàm in sue valde impurus est. Quippe supra jam docuimus nihil esse visu tam fœdum, aut odore tam fœtidum, quo non vescatur canis. Putridâ cadaverum carne maximè delectatur, lingit saniem ulcerum, σκατοφαγεῖ, *quod evomuit resorbet.* Proinde *Deut.* 23, 18. Lex vetat offerri Deo non solùm canem, sed & canis pretium מחיר כלב Hoc est non tantum فلوس كلب *folles canis*, seu *obolos*, id est, pecuniam, quam dedit emptor, ut habet *Arabs Erpenianus*: sed etiam quodvis aliud ἀντάλλαγμα. Itaque *Græci* habent ἄλλαγμα κυνός. *Onkelos*, חולפן, *Jonathan*, & *Jerosolymitanus* פירוג, *Samaritanus* [Samaritan], quæ voces significant quidquid datur in compensationem. In qua Lege *Hebræi* de more omnia pensiculatè tanquam ad trutinam exigunt. *Maimonides* in *Issure Mizbeach* cap. 4. §. 16. *Si aliquis socio dixerit, En tibi agnum hunc pro isto cane: aut si canem permutaverit cum aliquot bestiis, aut avibus, aut aliis hujusmodi, omnia illa sunt interdicta.* Et §. 17. *Duo, qui societatem inierant, inter se diviserunt. Horum unus decem agnos, alter novem accepit cum uno cane. Qui sunt cum cane sunt liciti. Sed è decem oppositis si unus tantum valet, quantum canis, aut etiam plus quàm canis, is è numero eximitur, ut cedat in compensationem canis, & alii novem agni sunt liciti. At, si singulorum pretium minus est pretio canis, omnes decem sunt interdicti.* Et §. 18. *Si alteratur pretium, exempli causa, si canis cum tritico permutatur, ex quo commolito farina fiat, ea farina est licita.* Cætera ibi vide. *Josephus Antiq.* lib. 4. cap. 8. vult hac Lege vetari, ne Deo quis offerat mercedem acceptam pro admissura canis venatici, aut pastoralis. Μηδ' ἄν, inquit, ἐπ' ὀχείᾳ κυνὸς, ἢ θηρευτικοῦ, ἢ ποιμνίων φύλακος, λάβοι τις μισθὸν, ἐκ τούτου θύειν τῷ Θεῷ. Quod sequutus *Castellio* hanc Legem ita reddidit, *Admissura canis pretium in* Jovæ *Dei tui Templum ullum ob votum nè inferto.* Junio *canis* hoc loco est *meritorius puer*: quia cum scorto jungitur. Ità enim habet Lex, *Ne inferto mercedem scorti, aut pretium canis in domum Domini Dei tui.* Et in præcedente versu, *Ne esto meretrix è filiabus* Israëlis, *neque esto meritorius è filiis* Israëlis. Ex quibus inter se collatis colligit vir acutissimus eundem hic dici *canem*, quem supra *meritorium*; quia meritorii cum canibus impudentiâ, & obscœnitate certant. Mihi tamen videtur simplicius, ut verus canis intelligatur, quia Legis-latores Tropis, & Metaphoris uti non solent, sed edicta sua verbis propriis efferre, ne ulla subsit æquivocatio. Eò nos ducit *Esaiæ* locus, quo Deus canis, & suis, sacrificia rejicit, ut

ut pariter abominanda *Es.* 66, 3. Nec defuit causa, cur Deus id speciali Lege prohibere voluerit. In *Ægypto*, unde nuper excesserant *Israëlitæ* cum Lex est *Mosi* data, canis impensè colebatur. *Juvenalis Satyra* decima quinta,

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Diodorus lib. 1. pag. 52. Σέβεται γὰρ ἔνια τῶν ζώων Αἰγύπτιοι καθ᾽ ὑπερβολὴν, οὐ ζῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτήσαντα· οἷον τούς τε αἰλούρους, καὶ τοὺς ἰχνεύμονας, καὶ ἴκτιδας, καὶ κύνας. *Quadam enim animalia Ægyptii impensè colunt, non viva solum, sed & mortua: ut feles, ichneumones, mustelas, & canes.* Sed canes potissimum, ut constat ex *Herodoto*, quo teste, *in quibuscunque ædibus felis est ex se mortuus, omnes eorum incolæ sola radunt supercilia*, παρ᾽ ὅτοισι δ᾽ ἂν κύων, πᾶν τὸ σῶμα, καὶ τὴν κεφαλὴν, *at in quibus moritur canis, totum corpus, & caput.* Et feles *Bubasti* solùm, sed canes per totam *Ægyptum* aromatibus conditi sacris in loculis sepeliebantur. Quid quod *Anubis*, unus ex summis *Ægypti* Diis, caninum habuit caput? *Diodorus* pag. 54. Τὸν Θεὸν τὸν παρ᾽ αὐτοῖς καλούμενον Ἄνουβιν παρεισάγουσι κυνὸς ἔχοντα κεφαλήν. Unde apud *Lucianum* in *Deorum concilio* Momus, Σὺ δὲ, ὦ κυνοπρόσωπε, καὶ σινδόσιν ἐσταλμένε, Αἰγύπτιε, τίς εἶ, ὦ βέλτιστε, ἢ πῶς ἀξιοῖς Θεὸς εἶναι ὑλακτῶν; *Tu verò canino vultu, Ægyptie, quisque sindonibus obvolutus es, quis es, O optime, & quomodo te dignum censes, qui sis Deus, cum latres?* Et *Virgilius Æn.* lib. 8.

Omnigenúmque Deûm monstra, & latrator Anubis.

Et *Ovidius Metam.* lib. 9. ubi de *Iside*,

- - - - - *cum qua latrator* Anubis.

Et *Propertius* lib. 3. de regina *Ægypti Cleopatra*,

Ausa Jovi *nostro latrantem opponere* Anubin.

Quæ confirmant quod supra diximus, *Anubin Ægyptiis latrantem*, vel *latratorem* significasse, ut *Hebrais* הנובח *hannobeah*. *Plutarchus* proinde *canem* videtur explicare, cum de *Anubi* dicit in *Iside* Τὴν τοῦ κυνὸς ἐπίκλησιν ἔσχεν. Sed *canis Ægyptiis* erat ΣΩΘΙΣ, ut hodieque apud *Coptos*. Ità asserunt præter eundem *Plutarchum Horus Hieroglyph.* lib. 1, cap. 3. & *Porphyrius* in libro *De Nympharum antro*. Verum canem in *Ægypto* jam olim tam impensè cultum ajunt his honoribus ex parte excidisse, postquam *Apidis*, à *Cambyse* mactati, & projecti carnes solus omnium animalium morsu violare ausus esset. *Plutarchus* ubi suprà, Πάλαι μὲν τὰς μεγίστας ἐν Αἰγύπτῳ τιμὰς ὁ κύων ἔσχεν· ἐπεὶ δὲ Καμβύσου τὸν Ἄπιν ἀνελόντος, καὶ ῥίψαντος, οὐδὲν προσῆλθεν, οὐδ᾽ ἐγεύσατο τοῦ σώματος, ἀλλὰ ἢ μόνος ὁ κύων, ἀπώλεσε τὸ πρῶτος εἶναι, καὶ μάλιστα τιμᾶσθαι τῶν ἄλλων ζώων. Alibi canis non quidem cultus est, sed in sacrificiis admissus. Ità *Cares Marti* canem immolabant (e), qui proinde dictus est (f) Καρικὸν θῦμα, Quamvis *Spartanos Carum* exemplum esse imitatos doceant hæc *Plutarchi*, *Rom. Quæst.* CXI. Ἐν δὲ Λακεδαίμονι τῷ φονικωτάτῳ Θεῶν Ἐνυαλίῳ σκύλακας ἐντέμνουσι. Et ibidem pro publica expiatione habitum fuerit apud *Bœotos*, κυνὸς διχοτομηθέντος τοῦ μεσοῦ διεξελθεῖν *per canis in duo dissectis partes transire.* Quod *Macedones* quoque usurpàrunt. *Livius* lib. 40. ubi de *Philippo* Rege *Macedonum*, non *Alexandri* patre, sed *Demetrii* illius, qui obses *Romæ* fuerat: *Fortè lustrandi exercitus venit tempus, cujus solenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ; & prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad lævam viæ ponitur. Inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur.* Et in *Lycophronem*,

Ζηρινθοῦ ἄντρον τῆς κυνοσφαγοῦς Θεᾶς.

Samothraciæ antrum est, in quo canes in *Hecates* honorem mactari soliti. Unde κυνοσφαγοῦς Θεᾶς nomen habuit. Omnes denique *Græcos* in sacris expiatoriis canem immolasse *Plutarchus* his verbis disertè asserit *Quæst.* 68. Τῷ δὲ κυνὶ πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, Ἕλληνες ἐχρῶντο, καὶ χρῶνται μέχρι νῦν ἔνιοι σφαγίῳ πρὸς τοὺς καθαρμούς. Quod genus expiationis περισκυλακισμὸν ibidem appellat. Et *Luperces* vult hoc exemplo mactasse canem mense *Februario*, qui à *februando*, seu *purgando* dictus est, quod urbem eo mense lustrari, & expurgari oportebat. Quibus hæc *Plinius* consonant lib. 29. cap. 4. *Catulos lactentes adeò puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur his. Genito maniè catulo, res divina fit, & in cœnis Deûm etiam ponitur catulina.* Sed in his *Plinii* verbis insigne esse mendum vir doctus pridem monuit, & pro *genito manè catulo* legendum, *Genitæ* Manæ *catulo res divina fit.* Ita enim *Plutarchus* Quæst. 52. Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι; *Cur* Genitæ Manæ *quæ dicitur, canem immolant?* Sic vocabatur Dea generationis præses, ut apparet ex sequentibus. Interim, ut agnoscit ille ipse *Plutarchus Quæst. Rom.* III. Οὐ μὴν οὐδὲ καθαρεύειν φασὶ παντάπασιν οἱ παλαιοὶ τὸ ζῶον, καὶ Ὀλυμπίων μὲν γὰρ οὐδενὶ Θεῶν καθιέρωται· *Veteres hoc animal nullo modo purificare non putaverunt, ac proinde cœlestium Deorum nulli immolabatur.* Itaque canina illa sacra non ita pridem in mundum invexerat immundus ille spiritus, atque omnis immunditiei pater Diabolus.

Hyæna cani maximè adversa est. Unde *Siracides Eccles.* 13, 20. al. 21. Τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα; *Quæ pax hyænæ cum cane?* Et auctor *Homiliarum* in *Marcum*, quæ *Chrysostomo* tribuuntur *Homil.* 13. *Hyæna hanc naturam habet: maximè canibus delectatur, & ipsos rapit, ac devorat.* Item, *Non delectatur nisi cadaveribus mortuorum, & canibus: eos vult occidere, qui servant domum.* Canes venari dicitur duobus modis, primò dum hominum vomitum imitatur, atque eos ad se hac arte allicit. *Aristoteles Hist.* lib. 8. cap. 5. Τοὺς δὲ κύνας καὶ ἰμεῦσα θηρεύει, ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι. *Ælianus Hist.* lib. 7. cap. 22. Ἡ δὲ νῦν ὕαινα πρὸς τὰ αὔλια νύκτωρ φοιτᾷ, καὶ μιμεῖται τοὺς ἐμοῦντας· ἀκούοντες δὲ οἱ κύνες προσίασιν ὡς ἐπ᾽ ἄνθρωπον, ἡ δὲ αὐτοὺς συλλαμβάνει, καὶ ἐσθίει. *Plinius* quoq; lib. 8. cap. 30. eandem scribit *vomitionem hominis imitari ad sollicitandos canes, quos invadat.* Et *Solinus*, *Vomitus quoque humanos mentitur, falsisque singultibus sollicitatos canes sic devorat.* Secundò, hyæna dicitur homines, & quodvis animal, sed præcipuè canes stupefacere, & mutos, aut immotos reddere, vel præcipites dejicere, si umbram eorum calcaverit. *Aristoteles* in *Mirabilibus*, Ἐν δὲ τῇ Ἀραβίᾳ ὑαινῶν τι γένος φασὶν εἶναι, ὃ ἐπειδὰν προΐδῃ τὸ θηρίον, ἢ ἀνθρώπου ἐπιβῇ τὴν σκιὰν, ἀφωνίαν ἐργάζεται καὶ πῆξιν (al. πνῖξιν) τοιαύτην, ὥς τε μὴ δύνασθαι κινεῖν τὸ σῶμα· τοῦτο δὲ ποιεῖν καὶ ἐπὶ τῶν κυνῶν. *In Arabia hyænarum quoddam genus esse ajunt, quæ si priùs feram viderint, aut hominis umbram calcaverint, vocem illis auferunt, atque ità stupefaciunt (aut defigunt) ut corpus movere non possit. Et in canes quoque idem operatur.* *Damir*, in capite *De cane*, بينه وبين الضبع عداوة شديدة وذلك انه اذا كان في موضع مرتفع ووطيت الضبع ظله في القمر رمي نفسه اليها مخذولا فتاكله *Inter eum & hyænam gravis est antipathia: ità ut si canis in loco celso existentis umbram hyæna ad Lunam calcaverit, is ad hyænam præcipitem se conjiciat, mox ab illa devorandus.* Et in capite *De hyæna* وهي اذا وطيت ظل الكلب في القمر وهو على سطح وقع الكلب اليها فتاكله *Cum umbram canis*, qui

e) *Arnob.* lib. 4
f) *Suidas.*

qui supra tectum est, hyæna ad Lunam calcat. Canis ad eam decidens devoratur. Hæc illi. At ex aliorum sententia hyæna non calcat umbram canis, sed propriæ umbræ contactu vocem, aut vires iis adimit. Ita *Plinius umbræ ejus contactu canes obmutescere* tradit. Et *Ælianus* lib. 3. cap. 7. Κύνας δ' αἱ ὕαιναι ἀποφαίνειν τὰς ὑαίνας, ὅταν αὐταῖς τὴν σκιὰν ἐπιβάλῃ· *Hyænas canes mutos reddere, umbra sua in illos injecta.* Et *Solinus, Si venantes (canes) umbram ejus dum sequuntur contigerint, latrare nequeunt voce perdita.* Et *Phile* capite 43.

Ὅταν γὰρ αὐγῆς δαψιλοῦς ἐν ἑσπέρᾳ
Πεσῇ ἐν αὐλαῖς τὴν σκιὰν τοῦ σώματος,
Τὸ κατόπιν κρύπτουσα τοῦ δρόμου σέλας.
Καὶ καταστραγγαλίζει τρὶς τοὺς ἀθλίους,
Ὡς φαρμακὶς ἔντεχνος ἐξ ἐπασμάτων,
Ἀνεῖλε πικρῷ μέν ἀγρεύει τῷ δόλῳ.

Cum enim vespere lucis abunde est, immittit in canes umbram corporis, cursus sui fulgorem retro occultans; & ter miseros obmutescere faciens, ut perita venefica per incantationes, ignaros doli amara morte tollit. Magorum vanitatem sapit quod habetur apud *Plinium* lib. 28. cap. 8. *Eos, qui hyænæ linguam in calceamento sub pede habeant, non latrari a canibus.* Idem tamen est in *Damire*, انا حمل انسان لسانها لم تنبح عليه الكلاب *Si quis linguam ejus ferat, eum canes non allatrabunt.* Quod idem præstat, si credimus جلد الضبع انا امسكه انسان *hyænæ pellis, quam quis tenet.* وانا دهن كلب بشحمها جن واختلط *Et, si ejus adipe ungatur canis, furit, & perturbatur.* Multas hujusmodi nugas legere est apud *Arabes*, quibus nescio an veriora sint hæc *Plinii* ubi supra, carnes hyænæ, si edantur, contra canis rabidi morsus efficaces esse, adipem quoque illitum, & corium substratum.

Mira metamorphosi *Arabica Sirachidis* versio *hyænam* transmutavit in *crocodilum terrestrem*, & *Vulgata* in *sanctum hominem*. Nam hæc *Græcus* textus Τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα; *Quæ pax hyænæ cum cane?* *Arabica* sic exponit, لمان يعاشر الكلب للضب *Quorsum societatem inibit canis cum crocodilo terrestri?* Et *Vulgata* sic, *Quæ communicatio sancto homini ad canem?* Sed *Arabica* facilè est restituere; nempe, si pro للضب, id est, *cum crocodilo terrestri*, adjecto *Ain* finali, scribas للضبع *cum hyæna*. In *Vulgata* non ità patent fontes erroris. Dicam tamen quid sentiam. Interpres rectè scripserat, *Quæ communicatio hyænæ ad canem?* Sed pro *hyænæ* scriptum est *homini*, per scribarum imperitiam, quos latebat quid esset hyæna; &, Epitheto postmodum addito, *sancto homini*: quasi hic *sancti* homines *impuris* opponerentur, quos Scriptura *canes* vocat.

Erasmus Adagiorum Chil. 2. Cent. 7. num. 67. unum habet in hæc verba, Κύων ἐπὶ δεσμά, id est, *Canis in vincula. Dicebatur ubi quis seipsum in servitutem, aut in malum aliquod injiceret. A canibus sumptum ultro se præbentibus vinciendos cibi lenocinio. Auctor Zenodotus.* In *Hesychio* quoque est, Κύων ἐπὶ δεσμά, παροιμία ἐπὶ τῶν ἑκόντων ἐπὶ κολάσεις ἐπιδιδόντων. Λέγεται δὲ καὶ βοῦς ἐπὶ δεσμά. Nec dissimilia habent *Suidas* & *Phavorinus*. Illud Adagium pro corollario hic addo, quia, quod *Erasmum* & alios latuit; factum est Adagium. Extat enim in *Græca* editione *Prov.* 7, 22. ubi de eo dicitur, qui adulteræ lenociniis inescari, & irretiri se sinit, ὥσπερ δὲ βοῦς ἐπὶ σφαγὴν ἄγεται, καὶ ὥσπερ κύων ἐπὶ δεσμούς· *Ut bos ducitur ad lanienam, & ut canis ad vincula.* Sed & in *Chaldæa* legas, ואיך כלבא לאסורא Et in *Syra* ܘܐܝܟ ܟܠܒܐ ܠܐܣܘܪܐ *Et ut canis ad vinculum, vel ad vincula.* In *Arabica* itidem ومثل الكلب يساق الي الساجور *Ut canis, qui ducitur ad sagiur. Arabes* ita vocant خشبة تعلق في عنق الكلب *lignum, quod è collo canis appenditur.* Sic definit *Alcamus*: ut sit idem, quod *Græcè* κλοιὸς. Sed in ea versione mirum est concurrere tot Interpretes, cùm *Hebræa* de cane ne γρῦ quidem habeant. Neque enim עכס est *canis*, quod illi volunt, sed *cippi*, aut *compedis* genus. Ita ex *Hebræis* explicant *Aben Ezra, R. Levi, Kimchius, Pomarius, Aquinas.* Et Plurale עכסים Es. 3, 18. *muliebres periscelides* sonat, ut ex *Talmude* abundè probat *Buxtorfius* in *Hebraico Lexico*. Quin ipse *Propheta* docet עכסים fuisse *pedum ornamenta*. Et *Arabicè* العكس iisdem literis est ان تشد حبلا في خطم البعير الي يديه ليذل *cum funem à jumenti naso ad anteriores ejus pedes deligas, ut subigatur.* Et hujusmodi funis عكاس *ucas* vocatur. Quod me docuit *Alcamus*. Proinde in loco, in quo versamur, *Hebræum* עכס *Græcè*, ut suspicor, redditum fuerat κύφων, non κύων. Κύφων est *catastæ* genus, qua rei vinciebantur, aut torquebantur. Ita scribit *Aristoteles Politicorum* lib. 5. cap. 6. *Heracleæ Eurytionem, & Thebis Archiam* in adulterii pœnam δεδέσθαι ἐν ἀγορᾷ ἐν τῷ κύφωνι, *in foro cyphoni fuisse alligatos. Suidas* quoque legis cujusdam fragmentum his verbis refert, Ἐὰν δέ τις θρασυνόμενος τὰ ἐκ τοῦ νόμου παρ' οὐδὲν ποιήσηται, δεδέσθω ἐν κύφωνι πρὸς τῷ Ἀρχείῳ ἡμέρας εἴκοσι ἐπιρρεόμενος μέλιτι γυμνὸς, καὶ γάλακτι· ἵνα ᾖ μελίτταις, καὶ μυίαις δεῖπνον. *Si quis vero per protervìam ea, quæ Legis sunt, nihili fecerit, per viginti dies prope archivum cyphoni nudus alligetur, melle & lacte perfusus, ut apibus & muscis sit pabulum.* Hinc in *Aristophanis Pluto* Actus secundi Scena quarta exclamat *Blepsidemus*, ut Πενίαν, id est, *Paupertatem*, accedentem à se abigat,

Ὦ τύμπανα, καὶ κύφωνες, οὐκ ἀρήξετε;

O tympana, & cyphones, non succurretis? Et eandem Scena sequenti *Chremylus* amandat ἐς τὸν κύφωνα, *in cyphonem*. Sic in *Luciani* Νεκυομαντείᾳ inter Inferorum supplicia sunt στρέβλαι, καὶ κύφωνες, καὶ τροχοὶ, *tormenta, & cyphones, & rotæ.* Definitur porrò *cyphon* ab *Aristophanis Scholiaste* δεσμὸς ξύλινος, ὃν οἱ μὲν κλοιὸν ὀνομάζουσι, οἱ δὲ καλιόν. *Suidas* scribit καλιόν. Dicitur παρὰ τὸ τοὺς δεσμίους ἀναγκάζεσθαι κύπτειν, διπλῶς ἄρα κολαζομένους, τῇ τε τοῦ τραχήλου πιέσει, καὶ τῷ μηδαμῶς ἀνανεύειν δύνασθαι, *ab eo, quod qui sunt in iis vinculis incurvari coguntur, ita ut duplici pœna mulctentur: una, quod collum premitur; altera, quod nullo modo possunt sursum se erigere.* Alii definiunt ξύλα ἐπιτιθέμενα εἰς τοὺς τένοντας τῶν καταδίκων, ἵνα μὴ δύνωσιν ἀνακύψαι, καὶ τὸ τὸν κείμενον ποιοῦσι κύφειν, *ligna damnatorum cervicibus imposita, ne possit sursum aspicere, reum enim deorsum inclinant.* Et *Hesychius* ξύλον βασανιστικὸν κολαστήριον, ᾧ κατέτεμνον τοὺς θανάτῳ καταδεδικασμένους, *lignum tortorium, & pœnale, quo morti addictos concidebant.* Legerim κατέτεινον, *extendebant*. Neque enim ligno concidimus. Neque ad hanc rem pertinet τὸ κατατέμνειν. Sed κατατείνειν tortorum verbum est. Sic apud *Demosthenem*, Καταταθεὶς ὑπὸ τῆς βασάνου ὡμολόγησε. Et in *Basilio* ὅτι τροχῷ κατατει-

τεινόμενος. Et in *Sophista Themistii*, Στιβλοῦν τι αὐτὸν, καὶ κατατείνειν. Κύφων, porrò non solum *lignum tortorium* significabat, sed & *reum hac pœna dignum*. *Aristophanis Scholiastes* ubi suprà, Ἔνθεν καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος κύφων, *Unde & vir scelestus vocatur Cyphon*. Item, Ἀρχίλοχος ὁ ἀντὶ τοῦ κακὸς, καὶ ὀλέθριος· *Archilochus autem pro malo, & pernicioso usurpat*. Quo ipso sensu puto *Seniores* usurpâsse, cum de mulierario dixerunt, si nostra conjectura valet, *ut bos ducitur ad lanienam*, καὶ ὡς κύφων ἐπὶ δεσμούς, *& ut reus ad vincula*. Illis enim עכס, id est, *cippus*, aut *catasta*, idem fuit, quod עכס איש, id est, *vir cippo*, aut *catastâ dignus*. In qua ipsa sententia esse video viros doctissimos, *Junium*, & *Buxtorfium*. Non absimile est, quod *Diogenes* de *Dioxippo* dixit, *Olympionico* pugile, quem mulierculæ forma detinebat, Ὁρᾶτε τὸν ἀθλητὴν ὑμῶν τὸν μέγαν ὑπὸ παιδίσκης ἐκτραχηλιζόμενον· *Videte magnum illum pugilem vestrum, quem puella tanquam obtorto collo trahit*. Ità *Ælianus* in *Variis* lib. 12. cap. 58. Nec multò aliter *Laërtius* in *Diogene*, & *Plutarchus* in libro *De curiositate*. Pari ratione τραχηλίζεσθαι dici poterat, qui cyphoni alligabatur, quandoquidem rei cervicibus imponebatur hoc lignum, collumq; gravissimè premebat & coarctabat. Ità ut in eodem argumento eadem utrobiq; servata sit Metaphora. Nec malè respondet *Græcum* κύφων *Hebræo* עכס, quo *cippum*, vel *catastam* significari probavimus. Tamen, ut anteà μαιμάσσω verbum elegans, ità hic nomen κύφων per scribarum imperitiam depravatum est, & mutatum in κύων. Et, quod mirere magis, ex scriptura sic depravata versionem suam expresserunt tres veteres Interpretes, *Chaldæus*, *Syrus*, & *Arabs*. Alii jam observârunt, in hoc eodem Hemistichio pro אל־ מוסר, *ad castigationem*, *Græcos* legisse אל־ מסרת *ad vinculum*; &, pro אויל *stulto*, איל *cervum*; & hanc eandem vocem ab hoc versu detractam sequenti copulâsse. Itaque in his non hæremus.

CAPUT QVINQVAGESIMUM SEPTIMUM.

De Suibus, & Siliquis.

Sus, חזיר *chazir*, Hebraicè *ab oculi angustia*. Arabicè خزر chizron μυωπία. *Oculi suibus quàm profundi*. *Vel sus* חזיר *dicitur, quia teres, & rotundus*. *Nulli in* Judæa *sues, nulli subulci*. *Acolastus non in* Judæa, *sed in remota regione porcos pavit*. Gadara, *ubi porcorum duo millia*, Græca *fuit urbs, non* Judaica. Gadareni *cur* Gergeseni *Matth*. 8. *&* Hieronymo Geraseni. Gerasa *&* Gadara *diversæ urbes, sed vicinæ*. Christum Judææ *limites quandoque excessisse*. *Porcus ad solam mortem nutritur*. Phrygia *de eo fabula*. *Cur* Judæi *à sue abstinuerunt*. *Causa commentitia à* Græcis *allata*. *Alia veriores in* Hebræorum *&* Patrum *scriptis*. *Cur Deus non admiserit nisi animalia quæ ruminant, & ungulam fissam habent*. *Porcus natura non immundus, sed significatione*. *Quinque hic observanda*. I. *Legem, quæ porcinæ esum prohibet, fuisse valdè præcisam*. II. *Indè* Judæorum *hostes occasionem sumpsisse eos protervè deridendi, & acriter persequendi*. III. *Non tamen verè pios ab exacta ejus observatione sic potuisse absterreri*. *Quin suem alere vetuerunt sub pœna maledicti atque etiam nominare*. IV. *Vicinos etiam populos multos à sue abstinuisse; ut* Arabes, *&* Saracenos, Phœnices, *&* Ægyptios, *Hirundo* Barcæos, Æthiopes, *&* Indos. Hieronymus *emendatus*. V. *Has Leges à* Christo, *&* Apostolis *fuisse antiquatas*. *A suibus Parabola*. נזם nezem, ἐνώτιον, vel ἐμπλόκιον. *Margaritæ cur porcis non projiciendæ, nec sacra mysteria profanis proponenda*. *Non solum ab apris, sed & à suibus homines dilacerari*. Strabonis *locus malè redditus*. *Lota sus cur ad volutabrum suum redeat*. *Sues in cœno pinguescere*. Συφεὸς *Gall.* fuet. *Lustra*, *lamæ*, *lacunæ*, *budia*, *Gal.* bauge. Κολαβρίζω porcellus, *unde* κολαβρισθήσονται *Job*. 5, 4. *Hesychius ter emendatus*. *Subulci vilissimi*: *In* Ægypto *profani*, *in* Græcia *contemptissimi*. *Itaque in* Bucolicis *nullus his locus*. *Porcorum siliquæ* Luc. 15. *non sunt leguminum λοβοὶ, sed κεράτια* *Syr.* ܚܪܘܒܐ charub, *Gall.* carouge, *ut* ξυλοκέρατα, & ξυλόγλυκα, *quia prædulces*. *Arbor κερωνία*, & κερατωνία, *non est* glycyrrhiza, *ut vult non nemo*, *nec* Ægyptia *ficus*. *Hujus variæ species ex* Avicenna, *& aliis*. *Siliqua victus tenuiorum*. *Siliqua per miraculum creata*. *Siliquæ porcorum pabulum*. *Siliquæ* janbuth *dictæ descriptio ex* Arabibus.

TRansimus à canibus ad sues, quæ duo genera animalium in Scriptura quandoque jungi ut pariter immunda jam supra observavimus. Sus *Hebræis*, & *Syris* חזיר *chazir*, & *Arabibus* خنزير *chinzir* dicitur cum *Nun* epenthetico. Neque origo vocis satis certa est. *Ibn Saida*, & reliqui *Arabum* sic appellari contendunt من خزر العين *ab oculi angustia*. Nam *Arabicè* خزر *chazara* est *angustos oculos habere*. Et تخازر *thechâzara* in sexta Conjugatione de homine dicitur اذا ضيق جفنه ليحدد النظر *cum contrahit palpebras suas, ut videat acutius*. Ita *Damir*, & *Alcamus*. Et خزر *chizr* est μυωπία. Et اخزر μύωψ, idest, μύων ὦπα *oculis connivens*. Proinde apud *Philosophum Problematum* Sect. 31. §. 16. μύωπες ii vocantur qui συνάγοντες τὰ βλέφαρα ὁρῶσιν, *contractis palpebris vident*. Neq; id in sues malè quadrat, quibus oculos, ita cavos, profundosque tribuit *Gesnerus*, ut eximi non possint absque vitæ periculo. Eodem referri queat, quod tradit *Plutarchus Sympos.* lib. 4. Quæst. 5. Τὰ ὄμματα τῶν ὑῶν οὕτως ἀνακέκλασται καὶ κατεσπάσθαι τὴν ὄψιν, ὥστε μηδενὸς ἀντιλαμβάνεσθαι, μηδέποτε τῶν ἄνω, μηδὲ προσορᾶν τὸν οὐρανὸν, ἂν μὴ φερόμενον ὕπτιον ἀναστροφὴν τινα παρὰ φύσιν αἱ κόραι λάβωσιν· *Suum oculos visum habere tam reflexum, & retractum, ut eorum quæ supra sunt nihil percipere possint, neque cœlum intueri, nisi cum supini jacent, & pupillæ præter naturam invertuntur*. Alii חזיר referunt ad *Chaldæum* & *Syrum* ܚܕܪ *chazar*, quod *redire*, & *volvere* significat; quia sus lota redit ad cœni volutabrum, ut in eo volvatur, seu volutetur. Sed & hoc observandum est, cum in se redeant quæ rotunda sunt, ab eodem verbo deduci חזור *chizur*, pro *sphærula*; חזורא *chazora*, pro *tintinnabulo*; חזרר *chizrar*, pro *pomi* specie; חזרא *chizra*, pro *carduo*, cujus caput est orbiculare; חזרזרת *chazarzeth*, pro *lactuca* propriè *sessili*, seu *capitata*, cujus folia in orbem circumvolvuntur; חזרן *chazran*, pro *ambitu*; מחזור *machzor*, pro *Solis*, aut *Lunæ cyclo*; atque alia hujus generis. Itaque etiam *porcus*, maximè qui saginatus est, חזיר *chazir*, dici potuit, quia est totus teres, atque rotundus.

De sue pauca habent Sacri Scriptores, quia, quamdiu stetit *Judæorum* respublica, in *Judæa* nulli erant sues. Hinc 1. *Par*. 27, 29. 30. legitur *David* alios habuisse

habuisse præfectos על הבקר *super boves*, alios על הגמלים *super camelos*, alios על הצאן *super oves, & capras*; sed de subulcis nulla est mentio. Et *Patriarcharum* opes camelis, asinis, bobus, ovibus, & capris constituisse cùm identidem memoret *Moses*, suum, quos habuerint cum reliquo pecore, non meminit uspiam. Quin, in vicina *Arabia*, *Job* i. tot pecudum millibus ne unum quidem suem possedisse legitur. Et, cum è vicinis gentibus armenta, & greges sæpe abegerint *Israelitæ*, sues in prædâ bellicâ nusquam censentur, sive nulli fuerint, aut nullo loco habiti. Quin *Porphyrius* in libro *De abstinentia à cæde animalium* ullos in *Judæa* nasci sues disertè negat. Οὐδ' ὅλως, inquit, ἐν τοῖς τόποις ἐφύετο ὗς. Unde est, quod in Parabola *Luc.* 15. *v.* 11. filius acolastus porcos in *Judæa* non pavit, sed in longinqua regione: Ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακράν, &c. Et urbs *Gadara*, in cujus agro pascebantur porcorum duo millia, *Marc.* 5. *v.* 1. 13. & *Luc* 8. *v.* 26. 32. *Græca* fuit, non *Judaica*. *Josephus Antiq.* lib. 17. cap. 13 Γάδαρα, καὶ Ἵππος, Ἑλληνίδες εἰσὶ πόλεις· Gadara, *&* Hippos, *urbes* Græcæ *sunt*. Proinde idem, libri decimi tertii capite vigesimo tertio, inter urbes peregrinas, quas *Judæi* tenebant sub Rege *Alexandro*, censet *Gadara* oppidum ab *Alexandro* occupatum post decem mensium obsidionem, ut habetur capite vigesimo primo. Et à *Judæis* dirutum *Pompejus*, in liberti sui *Demetrii Gadarensis* gratiam, restituisse narratur *Bell. Jud.* libri secundi capite quinto. Sed *Augustus* cum *Herodis* regno attribuisset, *Antiq.* libri decimi quinti capite undecimo, *Herode* fatis functo, *Romanorum* provinciæ *Syriæ* adjunxisse *Antiq.* lib. 17. cap. 14. Et verò *Matth.* 8. *vers.* 28. ubi pro *Gadarenis Gergeseni* nominantur, apertè significatur locorum illorum incolas non fuisse *Judæos*, sed è stirpe *Chanaanis*, in cujus filiis *Moses* censet את הגרגשי *Gen.* 10. *v.* 16. pro quo *Græci* habent τὸν Γεργεσαῖον. Nisi quis pro *Gergesenis* Evangelistam *Gerasenos* scripsisse colligat ex *Hieronymo*, qui tam in *Matthæo*, quàm in *Marco*, & *Luca*, constanter habet *Gerasenos*, ut *Gadarenos* Syrus, & *Gergesenos* Arabs, & Æthiops. Ita ut hujus loci vera lectio ex veterum interpretum collatione non possit erui. Atque id quidem certum est, *Gerasam*, & *Gadara* diversa fuisse oppida. Ita enim distinguit *Josephus* libri secundi capite decimo nono, *De bell. Jud.* Τάς τε κώμας τῶν Σύρων, καὶ τὰς προσεχεῖς ἐπόρθουν πόλεις, Φιλαδέλφειάν τε, καὶ Ἐσεβωνῖτιν, καὶ Γέρασαν, &c. ἔπειτα Γαδάροις, καὶ Ἵππῳ, καὶ τῇ Γαυλανίτιδι προσπεσόντες· Syrorum *autem vicos, & vicinas urbes* (Judæi) *devastârunt*, Philadelphiam, Gebonitin, *&* Gerasam, &c. *Deinde in* Gadara, *&* Hippon, *&* Gaulanitidem *irruentes*, &c. Et capite vigesimo, Ἱππηνοί τε, καὶ Γαδαρεῖς ὁμοίως τοὺς μὲν θρασυτέρους ἀπεσκευάσαντο, τοὺς δὲ φοβεροὺς διὰ φυλακῶν εἶχον· Hippeni *autem*, *&* Gadarenses Judæorum *quidem audacissimos amoliebantur*, *metuendos autem in custodiis habebant*. Et paulò post, Γερασηνοί τε οὔτε εἰς τοὺς ἐμμείναντας ἐπλημμέλησαν, καὶ τοὺς ἐξελθεῖν ἐθελήσαντας προέπεμψαν μέχρι τῶν ὅρων· *Et* Geraseni *neq; in manentes iniquè se gesserunt, & egredi volentes usq; ad fines suos deduxerunt*. Sed cum *Gadara*, & *Gerasa*, vicina fuerint oppida, ab utroque potuit idem ager denominari, & fortasse etiam a *Gergesæis*, qui fuerint horum locorum prisci incolæ. Itaque *Gergesa* pagus ibi ostendebatur. *Hieronymus* in *Locis*. Gergesa, *ubi eos, qui à dæmonibus vexabantur, Salvator restituit sanitati. Et hodieq; super montem viculus demonstratur juxta stagnum* Tiberiadis, *in quod porci præcipitati sunt*. *Eugesippus* in Tractatu *De distantiis locorum terræ sanctæ*. *Decimo sexto milliari à* Nazareth *contra Orientem supra mare* Galilææ, Gergesa *viculus*, &c. Sed sive *Gadarenos*, aut *Gerasenos*, aut *Gergesenos* legas, constat *Græcos*, aut *Syros* ibi degisse non *Judæos*. Ut eos, porcis alendis contra morem *Judæorum* operam dedisse nihil sit mirum. Ad hæc si quis objiciat id parùm videri verisimile, ut *Christus* excesserit extra *Judææ* limites, cum ipse profiteatur se non fuisse missum, nisi ad oves perditas domus *Israelis*, *Matth.* 15. *v.* 24. facilis erit responsio. Nam ea ipsa verba protulit *Christus* extra *Judæam* in finibus *Tyri* & *Sidonis*, *Matth.* 15. *vers.* 21. *Marc.* 7. *v.* 24. 31. Potuit igitur pari ratione etiam ire ad *Gadarenos*, maximè cum apud eos non fuerit nisi ad tempus brevissimum, & post patratum in ipso appulsu miraculum, quo edidit virtutis suæ insigne documentum, rogatus ab incolis statim excesserit, ad suos postliminio rediturus.

Neque obscurum, cur sues *Judæi* non aluerint. Verè observat *Lactantius Instit.* lib. 4. cap. 17. porcum ad solam mortem nutriri: cùm nullum, quamdiu vivit, præstare possit usum, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel copiâ lactis exuberant, vel custodiendis domibus & gregibus invigilant. Proinde in *Locmani Fabulis* porcus, qui cum agno & capra ad urbem deferebatur, rogatus, cur, cum illi pacatè degerent, solus se distorqueret, ita respondit, انا اعلم ان الكبش لصوفة والعنز يطلب للبنها وانا الشقي لا صوف لي ولا لبن انا عند وصولي الي المدينة ارسل الي المسلخ لا محالة *Agnum propter lanam, & capram propter lac quæri scio: at ego miser, qui neque lanam, neque lac habeo, cùm in urbem venero, haud dubiè mittar in lanienam.* Quod licet in *Æsopi Fabulis*, quas *Planudes* colligit, nusquam reperiatur, tamen ex *Æsopo* citat *Ælianus* in *Variis* libri decimi capite quinto, Φρύγιος, inquit, ὅδε λόγος· ἔστι γὰρ Αἰσώπου τοῦ Φρυγός. Ὗν, ἐάν τις ἅψηται αὐτῆς, βοᾶν, καὶ μάλα γε εἰκότως, οὔτε γὰρ ἔρια ἔχει, οὔτε ἄλλο τι, καὶ ὑποπτεύει εὐθὺς τὸν θάνατον, εἰδυῖα εἰς ὅτι τοῖς χρωμένοις λυσιτελεῖ. Porcus igitur vulgo hominum nonnisi mortuus prodest, at *Judæis* ne mortuus quidem ulli usui esse potuit, cum neque eum ad sacrificia, neque ad esum adhiberi Lex permiserit. Cujus prohibitionis varii varias causas afferunt. *Tacitus Hist.* lib. 5. *Sue abstinent* Judæi *memoriâ cladis, quod eos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium*. *Callistratus* apud *Plutarchum Sympos.* lib. 4. cap. 5. *Judæos* à suibus ideò abstinere suspicatur, quod eos in honore habeant, quomodo *Ægyptii*, qui suem colunt, eo quod τῷ προέχοντι τοῦ ῥύγχους, id est, summo rostro, terram proscindens, arationem primus docuit, & usum vomeris, qui ὗνις dicatur ἀπὸ τοῦ ὑός. Ac ibidem *Lampridius Judæos* suem abominari sibi fingit. 1. Quia sub ventre solet esse λέπρας ἀνάπλεως, καὶ ψωρικῶν ἐξανθημάτων, *leprâ plenus, & scabiei pustulis*. 2. Quia nullum aliud est animal βορβόρῳ χαίρειν οὕτω, καὶ τόποις ῥυπαροῖς, καὶ ἀκαθάρτοις, *cœnotam gaudens, sordidisq; & impuris locis*. 3. Quia cœlum nunquam videt nisi supinus. 4. Eò quòd a sue *Adonis* interemptus est, quem alii *Bacchi* in deliciis, alii eundem cum *Baccho* fuisse putant, *Bacchum* autem eum esse Deum, quem *Judæi* colebant, his contendit argumentis, quæ veriùs figmenta dixeris, & febricitantis somnia. In his ut multa vana & inepta sunt, tanquam ab eo profecta, qui, utut cætera vir magnus, tamen *Judaicorum* rituum fuit planè imperitus, tamen quædam habentur, quæ ipsi *Judæi* hic afferunt. Ita *Maimonides* in *More Nevochim* part. 3. cap. 48. *Potissima autem causa, propter quam Lex nobis prohibuit carnibus suillis vesci, est fœda porcorum sordities, & quod multis sorditiebusque*

res comedant. Nosti enim quam anxiè Lex omnes sordes, omnemque immunditiam prohibuerit, in agris quoque, & in castris, ut nil dicam de ipsis urbibus. Quod si autem permissum esset porcos comedere, plateæ, & domus omnes longe sordidiores essent, quam sterquilinia, & latrinæ. Hæc *Buxtorfius* ex textu *Hebræo*, qui jam non est ad manum. Aliud addunt *Talmudici* Tractatus *De Sabbatho* fol. 129. b. פגע בדבר אחר קשה לדבר אחר *Qui incidit in rem aliam periclitatur de re alia*: id est, juxta *Glossatores*, *Porcum comedenti periculum est à lepra.* Hinc *R. Bechai* in Legem scribit in quibusdam libris Medicinalibus se reperisse, *Infantem, si lac suillum sugat, fieri leprosum.* Quod est in *Plutarchi Iside*, τῶν τὸ (ὑὸς) γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν, καὶ ψωρικὰς τραχύτητας· *In eorum, qui lac suillum bibunt, corporibus lepra pullulat, & scabiei aspredines.* Et *Plutarchus* id habet ex *Manethone*. *Ælianus* libri decimi capite 16. *De animalibus*, Ἀκούω δὲ καὶ Μανέθωνα τὸν Αἰγύπτιον, σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακότα ἄνδρα, εἰπεῖν, ὅτι γάλακτος ὑείου γευσάμενος ἀλφῶν ὑποπίμπλαται, καὶ λέπρας· *Manethonem porro Ægyptium virum, qui sapientiæ summum attigit fastigium, audio dicere, eum, qui suillo lacte vescatur, vitiliginibus & lepra oppletum iri. Judæi* ergo hanc Legem putant Physicas habere causas: sed *Patres* eam ad mores referunt. *Clemens Alexandrinus* libro tertio *Pædagogi*, per sues, quorum esus in Lege prohibetur, vitandos intelligit impuros homines, qui more suum ἡδοναῖς σωματικαῖς, καὶ δειλαίαις τροφαῖς, καὶ γαργαλισμοῖς ἀσελγέσι κνησιῶντες, περὶ Ἀφροδίτης κακότεχνον ἡδονὴν χαίρουσιν, *corporeis voluptatibus, stercoreisque cibis, & impudicis titillationibus prurientes, ad perniciosam Veneris voluptatem exultant.* Et libro secundo *Stromatum* Deum *Judæis* prohibuisse dicit quæcunque sunt φύσει πίονα *naturâ pinguia*, ut suum genus, quod est εὐσαρκότατον, *maximè corpulentum.* Τρυφῶσι γὰρ ἡ τοιαύτη χρῆσις χορηγεῖται, *Luxuriosis enim talium usus conceditur.* Et libro septimo suem edere quosdam negat διὰ τὸ κατωφερὲς εἰς συνουσίαν εἶναι τὸ ζῶον, *quia proclive est animal ad coitum.* Nec multo post suillam addit, cùm sit multi nutrimenti, τοῖς μὲν ἀσκοῦσι τὸ σῶμα χρήσιμεύειν, τοῖς δὲ αὐτὴν τὴν ψυχὴν αὔξειν ἐπιχειροῦσι· διὰ τὴν νωθρίαν τὴν ἀπὸ τῆς κρεοφαγίας ἐγγινομένην, οὐκ ἔτι, *iis qui corpus exercent* (id est, *athletis*) *esse utilem, iis autem, qui ipsam animam augere conantur, non item, propter hebetudinem, quam ingenerat esus hujusmodi carnium. Novatianus* capite tertio *De cibis* Judaicis, *Cùm suem cibo prohibet assumi, reprehendit utique cœnosam, & luteam, & gaudentem vitiorum sordibus vitam, bonum suum non in animi generositate; sed in sola carne ponentem. Lactantius* ubi supra, *Eodem spectat suillæ carnis interdictio, ut se à peccatis atque immunditiis abstinerent. Est enim lutulentum hoc animal, & immundum. Nec unquam cœlum aspicit, sed in terra, toto & corpore, & ore, projectum, ventri semper, & pabulo servit.* Item, *Interdixit ergo, ne porcina carne uterentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur: ne, ventri ac voluptatibus servientes, ad faciendum justitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se ingurgitat cœno: vel ne terrenis serviant simulacbris, ac se luto inquinent. Luto enim se oblinunt, qui Deos, id est, qui lutum terramque, venerantur.* Procopius in Leviticum, *Animalia quædam, quæ divino cultu prosequebatur Ægyptus, ut ovem, & bovem, Deus ut pura in cibo haberi voluit, ut contemnere ea discerent* Judæi: *illa verò, quæ Ægyptii avidius lurcabantur prohibuit, ut suillam, quam in solitudine etiam desiderabant.* Plura hujusmodi possent ex *Patrum* aliis congeri; sed hi sunt instar omnium, quia illorum vestigiis reliqui ferè insistunt. E recentioribus addit non nemo Deum hac abstinentia voluisse, ut *Judæorum* pietas, & docilitas elucesceret: quia, cum suilla caro sit suavissima, & ad humanam naturam maximè accommodata, his propter Deum deliciis in perpetuum orbari arduum fuit, & operosum. Nec desunt, qui balsameis, aliisque aromatibus ea ratione consultum velint, quorum radices hoc animal rostro potuisset subvertere, atque eruere, si liber illi fuisset in *Judæam* accessus. Tamen interdicti sui hanc solam rationem affert Legis-lator, suem immundum esse animal, quia non ruminat, *Lev.* 11. *v.* 7. & *Deuter.* 14. *v.* 8. Quippe Lex ceremonialis pro mundis ea solum admittit animalia, quæ & ruminant, & ungulam habent fissam. Itaque, utut porcus fissam habeat ungulam, tamen quia non ruminat, censetur in immundis. Quæ, si mysticè intelligas, dicetur is ruminare, qui cibum animæ, id est, verbum Dei, assiduâ meditatione recolens, ita mandit, & concoquit, ut in alimentum suum convertat. Et fissam habet ungulam homo spiritualis, qui omnia discernit, & dijudicat, ut, postquam probavit omnia, id retineat, quod bonum est. Animalia porro, quæ his notis carebant, natura immunda non erant, sed significatione solum, ut rectè observat *Augustinus* contra *Faustum* libri sexti capite septimo, & in *Psalmum* 141. Natura enim immundum nihil est. Quippe creavit Deus omnia valde bona. Et omnis creatura Dei bona est. Et omnia munda mundis. Proinde naturâ suâ porcus tam mundus erat, quam agnus: sed significatio fuit diversa. Hic enim aliquid mundum, ille immundum aliquid significat.

Sed quæcunque fuerit hujus interdicti ratio, quinque habemus hic observanda. Primò legem fuisse valde præcisam, & in hujus transgressores Dei Prophetas graviter intonâsse. Ita enim *Esaias* capitis sexagesimi quinti versu tertio & quarto, *Populus eorum est, qui me coram semper provocant: qui sacrificant in hortis*, (seu, lucis idolorum, ut *Exod.* 34. *vers.* 13.) *Qui adolent in tegulas* (id est, super tecta domorum, ut idololatræ tum solebant. (Vide 2. *Reg.* 23. *v.* 12. *Jerem.* 19. *v.* 13. & 32. *v.* 29. *Sophon.* 1. *v.* 5.) *Qui habitant in sepulchris, & in locis desolatis pernoctant* (ut dæmones consulant arte necromanticâ, ut 1. *Sam.* 28. *v.* 8. & *Esa.* 8. *vers.* 19.) *Qui comedunt carnem suillam, & jus immundarum carnium habent in vasis suis* (id est, in ollis, in quibus suillæ carnes elixantur; quæ est sceleris in Legem admissi oratoria exaggeratio) Et capitis sequentis versu, 17. *Qui se sanctificant & purificant in hortis, post unam* arborum, quæ *in medio sunt* (suppleo vocem *arborum*, cum quia locus postulat, tum quia implicitè continetur in *Hebræo* הגנות, quod non quosvis hortos significat, sed hortos arboribus consitos, uno verbo *lucos*, aut *paradisos*) *Qui porci carnem comedunt, & rei abominabilis, & muris, pariter consumentur, inquit Dominus.* Et de hypocritarum sacrificiis agens ejusdem cap. 5. v. 3. *Qui jugulat bovem ac si occideret hominem: qui mactat ovem, ac si decollaret canem: & qui offert oblationem, ac si offerret sanguinem porci.* Quæ duplex est abominatio. Nam ut suis, ita sanguinis esus *Judæis* fuit interdictus. Unde hic *Abarbanel*, הדה פגול מצד היותו דם ומצד היותו חזיר *Fuit id abominatio, tam quia sanguis, quam quia porcus fuit.* Et tale sacrificium confertur cum mactatione hominis aut canis in victimam, quorum uterque erat exsecrandum.

Addi queat ex *Græca* versione *Psal.* 16. (*Heb.* 17.) versu 14. Ἐχορτάσθησαν ὑείων, καὶ ἀφῆκαν τὰ κατάλοιπα τοῖς νηπίοις αὐτῶν, *Saturati sunt porcina, & dimiserunt reliquias parvulis suis.* Nisi constaret tam ex emendatis exemplaribus, quam ex collatione cum *Hebræo*, pro ὑείων, aut ὑῶν legendum esse υἱῶν. Sed melius *Symmachus* Χορτασθήσονται υἱοί, *Saturabuntur filii. Hebræa* enim habent ישבעו בנים. Tamen spuria lectio jam olim ita prævaluit, ut ejus vestigia reperias in *Psalterio Romano*, & *Arabico*, & apud *Paulinum*. & *Augustinum* in hujus Epistola 58. & 59. Et in *Arnobii*

nobis Commentariis in *Psalmos.* Unde *Apollinaris* in *Paraphrasi,*

Πλησθέντες σιάλων λίπον υἱέσι λείψανα δαιτός,

Impleti porcis pinguibus reliquerunt filiis reliquias convivii. Et *Arabica* versio ex utraque conflata in editione *Savariana Romæ*, & *Parisiensi* nupera من لحم الخنازير شبع بنوهم *E carne porcorum saturati sunt filii eorum.* Quod me penè fugerat etiam *Antiochenorum Canonum* ab *Apostolis* editorum, si *Turriano* credimus, nonus sic habet, *Bellaina* Judæorum *Synagoga suem quidem abominatur, turpem vero vitam vivit, & impietate tenetur constricta, sicut ait Propheta,* Ἐχορτάσθησαν ὑείων, *Saturati sunt porcinâ.* Sed quo numero illi *Canones* habendi sint disce ex doctissimi *Dallæi Pseudepigraphis Apostolicis.*

Secundo, cùm *Judaici* nominis hostes hanc ab esu suillæ abstinentiam habuerint pro superstitione, & dementia, inde sumpserunt occasionem *Judæos* aut protervè deridendi, aut acriter persequendi. Quorum *Antiochus* antesignanus *Eleazarum* ad esum suillæ carnis sollicitans, Διὰ τί, inquit, τῆς φύσεως κεχαρισμένης καλλίστην τήνδε τοῦ ζώου σαρκοφαγίαν βδελύττῃ; καὶ γὰρ ἀνόητον τοῦτο μὴ ἀπολαύειν τῶν χωρὶς ὀνείδους ἡδέων, καὶ ἄδικον ἀποστρέφεσθαι τὰς τῆς φύσεως χάριτας. *Cur, cum optimam ejus animalis carnem natura indulserit, illius esum abominaris? Insanum enim est, non frui deliciis, quæ probrosum nihil habent, neq; justum est naturæ dona repudiare.* Ita refert *Josephus* in libro *De Macchabæis.* Et apud *Macrobium Saturnalium* lib. 2. cap. 4. Augustus, *cum audisset inter pueros, quos in* Syria *Herodes, Rex* Judæorum, *infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, Melius est* Herodis *porcum esse, quàm filium.* Eum scilicet suggillans, quòd porcis parceret, qui filio non pepercerat. Et apud *Philonem* libro *De Legatione ad Cajum.* Cum *Judæos Cajus* interrogasset, cur à suilla abstinerent, qui adstabant in risum effusi sunt, ὑπὸ γὰρ τοῦ τὸ λεχθὲν δοκεῖν σὺν εὐτραπελίᾳ καὶ χάριτι εἰρῆσθαι, *quia videbatur id facete & cum lepore dixisse.* Et in *Plutarchi Sympos.* lib. 4. cap. 5. *Lampria* avus dictitabat, τοὺς Ἰουδαίους ἐπισκώπτων, ὅτι τὸ δικαιότατον κρέας οὐκ ἐσθίουσι, Judæos *subsannans, eos à carne omnium justissima abstinere,* id est, quam edere justissimum est, quia porcus videtur ad id solum creatus, ut nobis esset in cibum. Et *Josephus* contra *Apionem* libro secundo, *Nos accusat* (Apion) *eò quod animalia sacrificamus,* καὶ χοίρεια οὐκ ἐσθίομεν, *& sue non vescimur.* Nec defuit hic *Poetis* cavillandi materia. *Juvenalis* enim de *Judæis Satyra* quarta.

Nec distare putant humana carne suillam.

Id est, ab utriusque esu æquè abhorrent. Et *Satyra* sexta,

Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Senibus dicit, quia senescunt, cum non mactentur. Falsum enim, & absurdum est, quod ait vetus *Scholiastes, Senibus, id est, majoribus parcunt; nam minores manducant.* Sed leves & tolerabiles fuerunt hi profanorum hominum Sarcasmi præ *Antiochi* immanitate, qui, postquam in ipso *Hierosolymorum* sacrario mactasset sues, fanis, & aris oppidatim extructis, in quibus hostiæ similes Diis suis offerrentur, *Judæos* ad impura hæc sacra passim adegit, metu mortis intentato. Et in eos, qui suum immolatione & esu pollucre se recusabant, diris modis animadversum. Vide 1. *Macchab.* 1. v. 50. & 2. *Macchab.* 6. v. 18. & 7. v. 1. &c. Et *Josephum Antiq.* lib. 12. cap. 7. & *De bell. Jud.* lib. 1. cap. 1.

Interim, quæ tertia sit observatio, nec profanorum hominum judicia, nec tyrannorum minæ verè pios absterruerunt ab exacta & accurata horum rituum observatione. Nam, ut *Ezechielem* taceam, qui aliquid immundum delibare jussus respondit: *Ah! Domine Deus, ecce anima mea non est polluta. Nam cadaver, aut discerptum, à pueritia mea huc usq; non comedi, neq; intravit in os meum ulla caro immunda,* Ezech. 4. v. 14. Et *Petrum*, qui in pari occasione simile dedit responsum, *Absit, Domine, nunquam enim edi quidquam pollutum, vel impurum,* Actor. 10. v. 14. Et *Danielem* cum sociis, qui maluerunt solis leguminibus vesci, quàm regio cibo pollui, *Dan.* 1. v. 8. 12. Hæc inquam, exempla, ut taceam, *Eleazarum*, qui ἀναχανὼν ἠναγκάζετο φαγεῖν ὑείων κρεῶν, *hians* (id est, ore per vim deducto) *cogebatur suillam edere,* 2. Macchab. 6. v. 18. extrema quæque passius est potius quàm ut Regi hac in parte obsequeretur, Μὴ μικρὰν, ait, εἶναι νομίσῃς ταύτην εἰ μιαροφαγήσαιμεν ἁμαρτίαν. τὸ γὰρ ἐπὶ μικροῖς, καὶ μεγάλοις παρανομεῖν ἰσοδύναμόν ἐστι. δι' ἑκατέρου γὰρ ὁ νόμος ὁμοίως ὑπερηφανεῖται. *Ne parvum hoc peccatum esse æstimes, si pollutos cibos cibamus. Perinde enim est, sive in magnis, aut in parvis transgrediaris, quia per utrumque lex pariter contemnitur.* Ita ille apud *Josephum*: Et *Eleazari* virtutem imitati septem fratres unà cum matre eâdem de causa multa perpessi vitam martyrio finierunt. Horum agon describitur 1. *Macchab.* 7. & in *Josephi* libro de *Macchabæis.* Neque dubium quin Regis æstuantis furor sævierit in multo plures. Nam, ut testatur *Josephus Antiq.* lib. 12. cap. 7. Διὰ τοῦτο καθ' ἡμέραν αἰκιζόμενοι καὶ πικρὰς βασάνους ὑποφέροντες ἀπέθνησκον, *Propterea quotidie discruciati, & dira tormenta perpessi moriebantur.* Proinde cum ab hac tyrannide *Judæi* respirare cœperunt, feruntur hanc legem sanxisse ארור מי שיגדל חזיר *Maledictus, quisquis suem aluerit.* Ea habetur in libro *Juchasin.* Et eorum nonnulli suem ita detestati sunt, ut ne nominare quidem dignati pro *sue* dicerent דבר אחר *rem aliam*, ut in loco *Talmudico*, quem supra citavimus פגע בדבר אחר, *qui incidit in rem aliam*, id est, *in porcum.* Et in Tractatu *De Sabbatho* fol. 100. b. דבר אחר חוטראנא *res alia maculosa*, id est, *porcus maculosus*, seu *punctis latis respersus.* Et in *Beracoth* fol. 43. b. תלי ליה קורא לדבר אחר ואיהו דידיה עביד *Appende palma cerebrum rei aliæ, tamen illa quod suum est facit.* Sensus est, suem, etiam delicatissimis cibis appositis, tamen stercore vesci, & rebus impurissimis. Et *suis* nomen apud eos ideò taceri asserit *Elias* in *Thisbi*, ne pueri, eo audito, inde occasionem habeant inquirendi de sue, דבאו לידי אכילה *& ad esum usque devenirent.* Quapropter etiam panem fermentatum non nominant festo *Paschatis.*

Sed & è vicinis populis nonnulli, *Judæorum* æmuli, etiam à sue abstinebant, quod quarto loco hic observamus. In his primò *Arabes*, apud quos porcus ne vivere quidem potest, si veteribus creditur. *Plinius* lib. 8. cap. 52. *In* Arabia *suillum genus non vivit.* Et *Solinus* capite de *Arabia*, *Suillis carnibus prorsus abstinent. Sane hoc animalis genus, si invectum illo fuerit, moritur illicò.* Hinc *Hieronymus* de *Saracenis*, qui *Arabum* pars erant, libri secundi in *Jovinianum* capite sexto, *Hi nefas arbitrantur porcorum vesci carnibus. Sues enim, qui glande, castaneis, radicibus filicum, & hordeo ali solent, aut raro apud eos, aut penitus non inveniuntur, & si inventi fuerint, alimentaq; non habent, supra diximus.* Lege *alimenta non habent, quæ supra diximus*, atque ob id ipsum ibi non vivunt. II. Et *Phœnices*; *Herodianus* libro quinto *de Heliogabalo*, Ζῷα τε πάντα, ὅσα ἥμερα, ὅσα ἀτίθασσα, πλὴν χοίρων, τούτων γὰρ ἀπείχετο Φοινίκων νόμῳ· *Bestias quoque omne genus, sive cicures, sive feras,* (populo dabat in missilibus) *exceptis suibus. His enim, lege* Phœnicum, *abstinebat.* Tamen de eodem *Lampridius* in ejus vita, *Exhibuit & summa aprugna per dies decem tricena quotidie cum suis bulbis.* Item, *Habuit etiam istam consuetudinem, ut cœnas*

cœnas sibi exhiberet tales: una die nonnisi de fasianis tantùm ederet, omnesq; missus sola fasianorum carne strueret. Item alia die de pullis, alia de pisce illo & item illo, alia de porcis, &c. Quæ quomodo concilientur fateor me non videre satis. III. *Ægyptii. Herodotus* libri secundi capite quadragesimo septimo, Ὗν δὲ Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι. Καὶ τοῦτο μὲν, ἤν τις ψαύσῃ αὐτῶν παριὼν ὑὸς, αὐτοῖσι τοῖσι ἱματίοισι ἀπ' ὧν ἔβαψε ἑωυτὸν, βὰς ἐς τὸν ποταμόν. *Suem autem Ægyptii pollutum animal esse putant. Et eum si quis vel transeundo contigerit, abit immersum se flumini cum ipsis vestibus. Græcus* aliquis apud *Anaxandridem* ἐν Πόλεσι varias causas afferens cur *Ægyptiam* militiam detrectet,

Οὐκ ἐσθίεις ὕει, ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι
Μάλιστα τούτοις, - - -

Suilla non vesceris, ego autem eâ maximè delector. Ælianus *Hist.* lib. 10. cap. 16. Ἡ ὗς καὶ τῶν ἰδίων τέκνων ὑπὸ τῆς λαιμαργίας ἀφειδῶς ἔχει. Καὶ μέν τοι καὶ ἀνθρώπου στόματι (lege σώματι) ἐντυχοῦσα οὐκ ἀπέχεται, ἀλλ' ἐσθίει. ταύτῃ τοι καὶ ἐμίσησαν Αἰγύπτιοι τὸ ζῶον ὡς μιαρὸν καὶ πάμβορον. *Sus præ voracitate ne propriis quidem fœtibus parcit, & cum in humanum corpus incidit, non abstinet, sed illud mandit. Proinde hoc animal Ægyptii oderunt ut abominandum, & omnivorum.* Plutarchus *in* Iside, Τὴν ὗν ἀνίερον ζῶον ἡγοῦνται. ὡς μάλιστα γὰρ ὀχεύεσθαι δοκεῖ τῆς σελήνης φθινούσης· *Suem animal impurum esse æstimant: plerumq; enim coire videtur cum Luna decrescit. Josephus* contra *Apionem* libro secundo de *Ægyptiis* Sacerdotibus, Ἐκεῖνοι τοίνυν ἅπαντες καὶ περιτέμνονται, καὶ χοιρείων ἀπέχονται βρωμάτων· *Illi omnes & circumciduntur, & porcinis abstinent carnibus.* IV. *Barcææ* mulieres in *Africa Cyrenaica. Herodotus* libri quarti cap. 186. Αἱ δὲ τῶν Βαρκαίων γυναῖκες οὐδὲ ὑῶν πρὸς τῇσι βουσὶ γεύονται· Barcææ *quidem mulieres præter vaccas etiam à suibus abstinent.* V. Porphyrius *etiam Æthiopes* ab iisdem abstinere vult, ἐπεὶ ἐν Αἰθιοπίᾳ φασὶν οὐχ ὁρᾶσθαι τὸ ζῶον τοῦτο, *quia in* Æthiopia *negant hoc animal usquam videri.* VI. His denique *Indos* addimus ex *Æliani* libri decimi sexti capite trigesimo septimo, Ὗν δὲ ἐν Ἰνδοῖς οὔ φασι γίνεσθαι, οὔτε ἥμερον, οὔτε ἄγριον· μυσάττονται δὲ καὶ ἐσθίειν τοῦδε τοῦ ζώου Ἰνδοί, καὶ οὐκ ἂν γεύσαιντό ποτε ὑείων, ὥσπερ οὐδὲ ἀνθρωπείων οἱ αὐτοί· *Suem autem apud* Indos, *neq; cicurem, neq; ferum nasci asserunt, &* Indos *tam à suillæ, quàm ab humanæ carnis esu abhorrere.* Hæc ille haud dubiè ex *Ctesia.* Ita enim *Philosophus Histor.* libri octavi capite trigesimo octavo, Ἐν δὲ τῇ Ἰνδικῇ, ὥς φησι Κτησίας, οὐκ ὢν ἀξιόπιστος, οὔτε ἥμερος, οὔτε ἄγριος σῦς· *In* India, *ut dicit* Ctesias, *auctor parum fide dignus, sus neq; cicur, neq; ferus est.* Et *Photius* in *Excerptis* ex *Ctesia*, Ὗς δὲ οὔτε ἥμερος, οὔτε ἄγριός ἐστιν ἐν τῇ Ἰνδικῇ·

Superest, ut quinto loco doceamus has de cibis immundis Leges pridem fuisse antiquatas, & abrogatas à *Christo*, & *Apostolis*; quorum hæc sunt diserta verba, *Quod ingreditur in os non polluit hominem*, Matth. 15. vers. 11. *Quod Deus purificavit, tu pollutum ne dixeris*, Actor. 5. v. 15. *Novi, & persuasum habeo nihil esse impurum per se*, Rom. 14 v. 14. *Regnum Dei non est esca, & potus.* Ibidem versu decimo septimo. *Esca nos non commendat Deo: neq; enim, si vescamur, plus habemus; neque, si non vescamur, minus habemus: Quidquid in macello venditur edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra, & plenitudo ejus. Quod si quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quidquid apponitur vobis edite*, &c. 1. *Corinth.* 10. *v.* 25. 26. 27. *Ne quis vos damnet ob cibum, vel potum*, &c. *Quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est* Christi, Col. 2. v. 16. 17. *Si mortui cum* Christo, *liberi estis ab elementis mundi: quid ut viventes in mundo ritibus oneramini? Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris*, Ibidem versu 20. 21. *Quidquid creavit Deus bonum est, nec quidquam rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur*, 1. Tim. 4. v. 4. *Omnia munda mundis*, Tit. 1. v. 5. Itaque, si quis adhuc more *Judaico* distinguit cibos, ut hodie præter *Judæos*, *Arabes*, & *Mahumetani*, quotquot sunt, inani scrupulo tenetur, nec eâ fruitur libertate, quam *Christus* sua morte nobis peperit.

A suibus quasdam Parabolas mutuantur Sacri Scriptores. Ita *Solomon* cum dicit *Prov.* 21. *v.* 22. *Ut annulus aureus in naso suis, ita mulier pulchra*, וסרת טעם *& perversi animi. Annulus* Hebraicè נזם *nezem*, propriè est *circulus, qui, ornatus causa, vel auribus, vel naso appenditur.* Illud *Græcè* ἐνώτιον, id est, *inauris*; hoc dicitur ἐπιῤῥίνιον. Ad ἐνώτια hæc pertinent *Gen.* 35. *v.* 4. *Dederunt Jacobo*, &c. את הנזמים *annulos, qui erant in auribus suis.* Et *Exod.* 32. *v.* 2. *Tollite* נזמי הזהב *annulos aureos, qui sunt in auribus uxorum vestrarum*, &c. Et versu tertio, *Et totus populus sustulit* את נזמי הזהב *annulos aureos, qui erant in auribus suis.* Et ad τὰ ἐπιῤῥίνια quod habetur *Genes* 24. *v.* 47. ואשים הנזם על אפה *Et posui annulum super nasum ejus.* Et *Esa.* 31. *v.* 21. ונזמי האף *& annulos nasi*; Vulgata, *Et gemmas in fronte pendentes.* Et *Ezech.* 16. *v.* 12. ואתן נזם על אפך *Et posui annulum super nasum tuum.* Ad quem locum *Hieronymus*, *Verbum* Ebraicum נזם *nezem* (perperam legitur משי *masi*, in nostris editionibus) *excepto* Symmacho, *qui interpretatus est* ἐπιῤῥίνιον, *omnes* inaurem (ἐνώτιον) *transtulerunt. Non, quod inaures ponantur in naribus, quæ ex eo, quod de auribus pendeant*, inaures *vocantur: sed quod circulus, in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupatur. Et usque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Ad hujusmodi annulos palam alludunt hæc *Solomonis*, נזם זהב באף חזיר *ut annulus aureus in naso suis.* Et sensus est formam corporis mulieri perversæ mentis tam male convenire, quam sui talis ornatus. Quia cum corporis species sit egregium Dei donum, eam fœde prostituit prava mulier, dum in stupris, & spurcis libidinibus volutatur, ut sus in volutabro cœni. Ibi enim prava mulier, vel mulier perversæ mentis, *Hebraicè* סרת טעם est *cujus animus recedit*, vel *avertitur*, nempe ab amore viri sui, ut ad alium transferatur. Itaq; ut adulteræ forma cum annulo aureo, sic ipsa mulier adultera cum sue comparatur, impuræ vitæ ratione, & fœdarum libidinum.

Alio respectu vetat *Christus* projicere porcis margaritas, *Matth.* 7. *v.* 6. *Ne date*, inquit, *sanctum canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis: ne quando conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos.* Planum enim est per *margaritas* eo loco *Evangelii mysteria* significari, & per *canes*, & *porcos*, *profanos homines*, qui hæc despiciunt, & susque deque habent. In genere quidem jubemur *quæ audivimus in tenebris dicere in pleno lumine, & quæ in aure nobis dicta sunt nuntiare super tecta*, Matt. 10. v. 27. & *Evangelium prædicare omni creaturæ*, Marc. 16. v. 15. Nempe quamdiu aliqua spes successus affulget, & ii, quibus prædicamus, non sunt prorsus immorigeri. At, cum quis Sanctæ doctrinæ profanum contemptorem, aut obstinatum hostem se præbet, ita ut veritatis præcones non modò non audiat, sed & iis acre bellum indicat, tum is pro *cane*, & *porco*, habendus est, id est, pro eo homine, cui sacra hæc mysteria exponere tam sit absurdum & incongruum, quàm si quis cani rem sanctam, puta sub Lege partem aliquam sacrificii, projecisset, aut porco pretiosissima quæque putà gemmas, & margaritas. Inde est, quod *Apostoli* à gente *Judæorum*, cui primum prædicaverant, variis affecti contumeliis, & indignis modis repulsi, ita demum concludunt: *Vobis necesse fuit primum exponi verbum Dei: sed, cùm illud repellatis, & vosmetipsos vitâ æternâ indignos decernatis, jam ad gentes convertimur*, Act. 13. v. 26. Et *Christus* ipse eadem de causa *Pharisæis* concionabatur

per

per Parabolas, *ut videntes non viderent , & audientes non audirent*, Matth. 13. v. 13. ut illi, de quibus *Prometheus* apud *Æschylum* in *Prometheo* versu 435.

Οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην,
Κλύοντες οὐκ ἤκουον. ———

Hic enim propriè locum habet, quamvis in re dissimili, dictum illud vetus, quo excludebantur ἀμύητοι,

Procul, ô procul, este profani,
vel,
——— ἑκάς, ἑκάς, ὅς τις ἀλιτρός,
aut,
——— θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις.

Quia, cùm profanis hominibus sacrosancta mysteria promiscuè objiciuntur, duplex indè malum exsurgit. Unum, quod contemnuntur, & pedibus proculcantur, ut margaritæ à porcis, qui earum pretium nesciunt. Quo ipso verbo usus *Apostolus Hebr.* 11. v. 29. dicit impios τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καταπατῆσαι, *filium Dei tanquam pedibus proculcare.* Atque id in contemptorum perniciem cadit, qui hoc ipso contemptu reatum suum non parum augent, & semet ipsos gravioribus suppliciis addicunt. Tum *Evangelii* contemptus redundat in auctorem, id est in ipsum Deum, cujus gloria sic offuscatur, ut lumen Solis nube interpositâ. Et, quamvis verbo Dei semper maneat sua sanctitas, utùt ab impiis despiciatur, tamen idem illi accidit, quod margaritis, quas cùm porci pedibus proculcant, quamvis de illarum pretio nihil minuatur, tamen aliquid decedit de dignitate. Præterea, cùm profani homines Dei verbum non solùm contemnant, sed & oderint, timendum est, nè dum illos intempestivè hortamur etiam irritemus, atque ità grave malum in nosmet ipsos accersamus, si ex contemptoribus persecutores fiant, & Ecclesiæ bellum denuntient. Quod his verbis insinuat *Christus*, *Ne quando conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos.* Atque id quidem apris convenit potiùs, quàm porcis domesticis. Tamen etiam sues hominem quandoque lacerare veteres scribunt. *Plinius* lib. 10. cap. 63. *Fœminas subantes in tantum efferari ajunt, ut hominem lacerent, candidâ maximè veste indutum.* Et *lacerare* Græcè est ῥῆξαι, cujus compositum συῤῥῆξαι, vel συῤῥηγνύναι tam de sue, quàm de apro dicitur, *Pollux* lib. 5. cap. 15. Εἴποις δ' ἂν σῦν καὶ κάπρον συῤῥηγνύναι, λέοντα δ' ἰσχυρὰν, &c. Et de *Belgarum* suibus ità *Strabo* libro quarto, Ἃς δ' ἐπὶ καὶ ἀγραυλεῖν, ὕψει τι, καὶ ἀλκῇ καὶ τάχει διαφέρουσας κίνδυνος γοῦν ἐστὶ τῷ ἀήθει προσιόντι, ὡσαύτως καὶ λύκῳ. *Sues etiam in agris pernoctant, proceritate, robore, & celeritate præstantes, ad quas nemo insuetus nisi cum periculo accedit, ut neque lupus.* Male interpres, *à quibus accedenti non minus quàm à lupo est periculi.* Notandum in his *Christi* verbis, *Ne projicite margaritas vestras coram porcis*, aliquid esse Proverbiale, ùt probat *Drusius* ex *Hebræo* libro, cui titulus מבחר הפנינים *Electio Margaritarum.* Ibi enim legitur de sapientia capite primo, *Ne projicite margaritas coram porcis. Hebraicè.* ut quidem puto, quia liber non est ad manum לא תשליכו את הפנינים לפני החזירים Et in *Scholio* Adagium est, quod mox explicat, *Ne tradite sapientiam ei, qui non novit dignitatem ejus. Nam est pretiosior margaritis, & qui non quærit eam pejor est porco, qui fœdat, & volutat se in sterquilinio: sic qui non novit dignitatem sapientiæ prophanat gloriam ejus, &c.*

Ecce aliud de sue 2. Pet. 2. v. 22. Ὗς λουσαμένη (ἐπιστρέψασα) εἰς κύλισμα βορβόρου. *Sus lota* rediens *ad volutabrum cœni* (illud ἐπιστρέψασα suppleo ex præcedente hemistichio, κύων ἐπιστρέψας, &c.) Cui simile illud *Crateti* in *Apostolio*, Adagio 1910. Ὗς ἐν βορβόρῳ ἐλυσπᾶται, *Sus in cœno se provolvit.* Est Adagium à sue sumptum, quem frustrà laveris, quia statim ad volutabrum redit, cùm luto maximè gaudeat, & volutatione in cœnosis locis pinguescat. *Aristoteles Hist.* lib. 8. cap. 6. Τὰς τὲ ὗς (πιαίνει) καὶ τὸ λούεσθαι ἐν πηλῷ, *Sues autem* pinguefacit *lavatio in cœno.* Ælianus *Anim.* lib. 5. cap. 45. Παχύνεσθαι δὲ τὴν σῦν ἀκούω μὴ λυόμενον μάλιστα, ἀλλ' ἐν τῷ βορβόρῳ διατρίβοντα τε, καὶ στρεφόμενον, (lege στρεφόμενον) καὶ πίνοντα ὕδωρ τεθολωμένον. *Suem autem pinguescere audio, non cum maximè lavatur, sed cum in luto versatur, & volutatur, & aquam turbidam bibit.* Varro *Rust.* lib. 2. cap. 4. *Admissuras (suum) cum faciunt, prodigunt in lutosos limites, ac lustra, ut volutentur in luto, quæ est illorum requies, ut lavatio hominis.* *Columella* lib. 8. cap. 9. *In luto volutentur, quod est huic pecori gratissimum.* Et capite decimo, *Cùm sit æstuosissimum* (animal) *non est contentum potione aquæ, nisi obesam illuviem, atque distentum pabulo alvum demerserit, & refrigeraverit: nec ullâ re magis, quàm rivis, atque cœnoso lacu volutari.* Et lib. 9. cap. 4. Ephesius Eraclitus *ait sues cœno, cohortales aves pulvere, vel cinere lavari.* *Plinius* lib. 8. cap. 5. *In luto volutatio suillo generi grata.* Clemens in Protreptico, Ὕες ἥδονται βορβόρῳ μᾶλλον, ἢ καθαρῷ ὕδατι, καὶ ἐπὶ φορυτῷ μαργαίνουσι κατὰ Δημόκριτον. *Sues luto delectantur magis quàm aquâ mundâ; & juxta* Democritum *in cœno lasciviunt.* Quod *Aratus* imitatur, cùm dicit versu 1123.

——— σύες φορυτῷ ἐπιμαργαίνουσαι.

Suum aut *aprorum volutabra* Græcè συῆλαι dicuntur. *Hesychius*, Συῆλαι, τόποι βορβορώδεις, Latinè *lustra*, *lacunæ*, *lamæ*. Festus, *Lustra significant lacunas* (alii *lamas*) *lutosas, quæ sunt in sylvis aprorum cubilia: A qua similitudine ii, qui in locis abditis, & sordidis ventri, & desidiæ operam dant, dicuntur in lustris vitam agere.* Idem, *Lacuna, aquæ collectio, à lacu derivatur, quam alii lamam, alii lustrum dicunt.* Glossæ veteres, *Lama*, πηλώδεις τόποι. Nobis id ipsum *sevil*, & *bauge*: quorum illud est *Græcum* Συῆλα· hoc ex *budia* deflexum, & *budia* ex *buda*. *Buda* propriè est *ulva*. *Servius* in lib. 2. *Æn. Ulvam dicunt rem, quam vulgus budam vocat.* Hinc *Epigramma* vetus,

Ut devota piis clarescant lumina flammis,
Niliacam *texit ceteâ lamna budam.*

Indè factum, ut *buda* primo *palustrem uliginem*, deinde etiam *lutum quodvis* significaverit, unde lutum Gallicè *boue*, & apri volutabrum *bauge*, id est, *budia*, ùt diximus. Porrò cur sui, quæ ad volutabrum redit, *Petrus* eos conferat, qui flagitia jam expiata iterant, tam clarum est, ut non egeat ampliori explicatione.

Psal. 80. ut *Judæorum* Ecclesia viti confertur ex *Ægypto* translatæ, quæ ramos suos a mari, sive *Rubro*, sive *Mediterraneo*, usque ad amnem *Euphratem* emiserat, ità hostium Ecclesiæ figura est porcus sylvestris, qui vitem illam suffodit, & depascitur. Sed hoc pluribus exponemus in capite De *Apro*.

In *Græca* versione 3. *Reg.* 21. v. 19. narratur *Elias* Propheta hæc *Achabo* Regi dixisse, Ἐν παντὶ τόπῳ, ᾧ ἔλειξαν αἱ ὕες καὶ οἱ κύνες τὸ αἷμα Ναβουθαί, ἐκεῖ λείξουσιν οἱ κύνες τὸ αἷμά σου· *Ubicunque linxerunt sues, & canes sanguinem* Nabuthæ, *ibi lingent canes sanguinem tuum.* Illud αἱ ὕες, *sues*, merum est *glossema*, ut quod additur continuò post in fine ejusdem versus, Καὶ αἱ πόρναι λούσονται ἐν τῷ αἵματί σου, *Et meretrices lavabuntur in sanguine tuo.* Tamen in Prophetiæ impletione capitis 22. versu 38. rursus, Καὶ ἐξέλειξαν αἱ ὕες, καὶ οἱ κύνες τὸ αἷμα, καὶ αἱ πόρναι ἐλούσαντο ἐν τῷ αἵματι· *Et sanguinem linxerunt sues, & canes, & meretrices in sanguine se lavârunt.* Veteres hunc locum aliter atque aliter citant. *Canum*, & *suum*, & *fornicariarum* hic meminit *Lucifer Caralitanus.* Sed *sues* omittunt *Ambrosius* & *Theodoretus*. Nec tale quidquam *Hebræi* habent, neque *Chaldæus*, neque *Syrus*, neque *Arabs*, neque *Latinus* interpres. Adeoque id absurdum esset, cùm suprà probaverim in *Judæa* nullos fuisse sues. At meretricum mentio unde venerit non est obscurum. *Hebræa* verba והזנות

רחצו *Et arma laverunt*, Græcè reddita, Καὶ αἱ πόρναι ἐλούσαντο, quia *Hebræum* הזנות tam *meretrices*, quam *arma* sonat.

Κόλαβρος *Græcè* est *porcellus*. In *Olympiodoro* & *Suida* redditur ὁ μικρὸς χοῖρος, & in *Hesychio* τὸ κοινίδιον. sed legendum τὸ χοιρίδιον. Indè κολαβρίζειν Hellenistis *contemnere*; quia porcello apud *Judæos* nihil fuit contemptius. Hinc de impiorum posteris dicitur *Job.* 5, 4. in *Græca* versione Κολαβρισθείησαν δὲ ἐπὶ θύραις ἡσσόνων. *Hebraicè* ידכאו בשער *Atterantur in porta*, id est, in judicio damnentur, & causâ cadant. Nam ad portas urbium sedebant seniores, ut jus dicerent. Vide *Deut.* 21. *v.* 19. & 22. *v.* 15. & 25, *v.* 7. *Ruth.* 4. *v.* 1. 2. *Ps.* 128. *v.* 5. &c. *Jobi* verba rectè à nobis exponi patebit illa conferenti cum his *Prov.* 22. *v.* 22. *Ne diripias tenuem quia ipse tenuis est*, אל־תגזל דל כי דל הוא *& nè atteras pauperem in porta*, id est, judicio iniquo nè opprimas, ut apparet ex sequentibus versu vigesimo tertio, *Quia Dominus causam eorum aget, & rapiet animam eos diripientium.* Sed *Græci* videntur utrumque locum ad eos retulisse, qui mendicantes ostiatim, dum stant pro foribus ædium, variis contumeliis sunt obnoxii. Habent enim in Proverbiis, Μὴ ἀποβιάζου πένητα· πτωχὸς γάρ ἐστι, καὶ μὴ ἀτιμάσῃς ἀσθενῆ ἐν πύλαις· *Ne vim facias pauperi; pauper enim est, & infirmum in ostiis ne ignominiâ afficias.* Et in *Jobi* loco, ut diximus Κολαβρισθείησαν δὲ ἐπὶ θύραις ἡσσόνων, *Despiciantur autem* etiam *in inferiorum ostiis*. Addita voce ἡσσόνων, quæ in *Hebræo* nusquam est, quia gravior est contumelia, si quis ab inferiore despiciatur. Et monent interpretes voce κολαβρισθείησαν, à porcellis deductâ, summum contemptum significari. *Olympiodorus*, Τοῦτ᾽ ἔστιν ἐπιτριβείησαν, ἐξευτελισθείησαν, *Hoc est, atterantur, vilescant*, Et rursus, Εὐτελεῖς νομισθήσονται, καὶ οὐδενὸς λόγου ἄξιοι, ἀλλοτρίαις θύραις προσφθειρόμενοι, καὶ ταῦτα τῶν ἐπὶ ἐλαττόνων· *Viles reputabuntur, neque digni ut eorum ulla habeatur ratio, alienis portis contabescentes, idque inferiorum.* Suidas Κολαβρισθεῖν, χλευασθεῖν, ἐκτιναχθεῖν, ἀτιμασθεῖν, &c. οὐδενὸς λόγου ἄξιος νομισθεῖν· *Irrideatur, excutiatur, ignominiâ afficiatur, nullius pretii habeatur.* *Hesychius* per α loco ο, Καλαβρισθείησαν, χλευασθείησαν. Et per ω Κωλαβρισθείησαν, κοπησθείησαν, ποδοκρουσθείησαν. *Irrideantur, contundantur, pedibus percutiantur.* Pro κολαβρισθείησαν *Complutensis* ἐπιτριβήσονται *atterentur*, quod ex *Aquila* sumptum, ut nos docent *Olympiodori Scholia* in hunc locum.

Neque dubium, quin ut sues, ità etiam subulci apud *Judæos* vilissimi fuerint. Unde est, quòd acolastum, ut ad extremas incitas sciatur fuisse redactus, *Christus* ad pascendos porcos rus amandatum fuisse narrat *Luc.* 15. *v.* 15. Sic *Ægyptii* subulcos usque adeò contemnebant, ut tanquam profanos homines à templorum aditu arcerent, neque ex fæce plebis quisquam esset, qui cum illorum familiis ullam conjugii societatem inire vellet. *Herodotus* lib. 2. cap. 47. Οἱ συβῶται ἐς ἱρὸν οὐδὲν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἐσέρχονται μοῦνοι πάντων· οὐδέ σφι ἐκδίδοσθαι θυγατέρα οὐδεὶς ἐθέλει, οὐδ᾽ ἄγεσθαι ἐξ αὐτέων, ἀλλ᾽ ἐκδιδόνται οἱ συβῶται, καὶ ἄγονται ἐξ ἀλλήλων. Atque, utut *Eumæum* subulcum *Poeta* summus tam multis commendaverit, subulcos tamen in *Græcia* non fuisse multo meliore loco suadet, quòd nusquam eos *Theocritus* introducit cum opilionibus aut bubulcis colloquentes. Quin, ut *Donatus* observat, tria sunt tantùm pastorum genera, quæ dignitatem in *Bucolicis* habent, bubulci, opiliones, & omnium minimi αἰπόλοι, seu *caprarii*. Proinde etiam in *Virgilio* de subulcis altum silentium. Et *Eclogâ* decimâ,

Venit & upilio, tardi venêre bubulci,

rectè observat vir doctus à *Servio* pro *bubulci* perperàm legi *subulci*. Quod docet *tardi* Epithetum, bubulcis apprimè congruum, sed subulcis non item, quibus per porcorum celeritatem tardis esse non licet. Et *Theocriti* versus, (a) quem *Poeta* hic imitatur,

(a) *Idyl.* 1. *versu* 80.

Ἦλθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, ᾡπόλοι ἦνθον,

ubi subulcorum nulla mentio.

Jam pauca de siliquis porcorum cibo *Luc.* 15. *v.* 16. ubi acolastus in fame repleri cupit ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι, *Siliquis, quas porci comedebant.* Nec desunt, qui leguminum siliquas intelligant (Gall. *gousses*) quales habent pisa, fabæ, lupini, phaseoli, atque alia hujus generis. Sed *Græca* vox κερατίων eos abunde refellit. Nam leguminum siliquæ non sunt κεράτια, sed λοβοί. Sic apud *Theophrastum* lib. 4. cap. 8. *De Causis* Τὰ χεδροπὰ περιεχόμενα τῷ λοβῷ, *Legumina siliquâ comprehensa.* Et *Hist.* lib. 3. cap. 14. de colytea, τὸν δὲ καρπὸν ἐλλόβον ἔχει, καθάπερ τὰ χεδροπά. *Fructum habet siliquâ inclusum, ut legumina.* Et lib. 8. cap. 3. τὰ μὲν ἔχει στάχυν, τὰ δὲ χεδροπὰ λοβόν· *Illa quidem spicam habent, sed legumina siliquam.* Et capite sequente, Πολύλοβον δὲ καὶ ἡ τίφη, καὶ ἡ ὀλύρα· *Multis siliquis est typha, & olyra:* nisi sit legendum πολύλοπον *Multis tunicis.* Utut sit, κεράτια sunt planè aliud, nempe *fructus arboris ceratoniæ siliquis digitalibus inclusi*, aut etiam ipsæ *siliquæ*. Κεράτια propriè sunt *cornicula*, quomodo dici potuit vel ipse fructus à corniculis, quæ in eo eminent, vel etiam siliquæ, quæ in modum cornuum curvatæ sunt. Unde *falcatas* vocat *Plinius* lib. 5. cap. 14. *Digitorum*, inquit, *hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari latitudine.* Arbor *Theophrasto* κερωνία, *Galeno* & *Paulo* κερατωνία, Plinio *siliqua* & *cerannia*, *Syris* & *Hebræis* חרוב *charub*, *Arabibus* quoque خروب *charub*, & خرنوب *charnub.* Quomodo etiam *siliquam* & *fructum* vocant. Unde χάρουβα *Græcis* recentioribus, *algaroba* Hispanis, *caroba* Italis, *carouge* Gallis. Id ipsum *Symeoni Sethi* ξυλοκέρατα, ἃ καὶ κέρατα, quia siliquæ illæ lignosæ sunt. Unde *Plinius* lib. 15. cap. 28. *In siliquis verò quod manditur, quid nisi lignum est?* Alii ξυλόγλυκα appellant ab insigni dulcedine. Idem *Plinius* ubi suprà, *Alia siliquis gignuntur, ipsis dulcibus, semen complexis amarum.* Et ejusdem libri capite vigesimo quarto, postquàm egit de quadam castanearum specie, quæ suum pabulo gignuntur: *Haud procul abesse videantur & prædulces siliquæ, nisi quod in iis cortex ipse manditur.* Proinde siliquam *Glossæ* veteres κεράτιον reddunt, & ξυλόγλυκον, quod insigni errore vir doctissimus, in *Glossario Græco-barbaro*, *glycyrrhizam* exponit. Neque leviùs peccat *Isidorus Orig.* lib. 17. cap. 7. cùm *xyloglycon* confundit cùm *acaciæ siliqua*, & *Latinum siliquæ* nomen deducit ex *xyloglyco*. *Xyloglycon* (inquit, ità enim scribendum pro *silicon* sequentia palàm faciunt) *quam* Latini *corruptè* siliquam *vocant, ideò à* Græcis *tale nomen accepit, eò quod ligni ejus fructus dulcis; ξύλον quippe dicunt* lignum, γλυκὺ dulce. *Hujus arboris pomo succus expressus acacia* Græcis *dicitur.* Sed & jam olim veteres de hac arbore si egerunt, quasi eadem esset cum Ægyptia ficu. Unde *Hesychius*, Κερωνία, τὸ δένδρον, ἡ συκῆ Αἰγυπτία. Item, Κερατωνία, συκῆ Αἰγυπτία. Et rursus, Συκῆ Αἰγυπτία, ἡ λεγομένη κερατία τὸ δένδρον. Et multò antè *Theophrastus Hist.* lib. 1. cap. 18. Ἥ τε κερωνία, ἣν τινα καλοῦσι συκῆν Αἰγυπτίαν. Sed hunc errorem idem refellit his verbis libri 4. cap. 2. Ταύτῃ δὲ παραπλησία καὶ ἣν οἱ Ἴωνες κερωνίαν καλοῦσιν. ἐκ στελέχους γὰρ καὶ αὕτη φέρει τὸν πλεῖστον καρπὸν, ἀπὸ δὲ τῶν ἀκρεμόνων, ὥσπερ εἴπομεν ὀλίγον. ὁ δὲ καρπὸς ἐλλοβος, ὃν καλοῦσί τινες Αἰγυπτίαν σῦκον διημαρτηκότες· οὐ φύεται γὰρ ὅλως περὶ Αἴγυπτον. Quæ *Plinius* ità contrahit lib. 13. cap. 8. *Similis his siliqua, quam Iones ceranniam vocant* (imò *ceroniam*) *trunco, & ipsa fertilis, sed pomo siliqua. Ob id quidam* (quòd sit trunco fertilis) Ægyptiam *ficum dixêre errore manifesto: neque enim in* Ægypto *nascitur.*

In *Abenbitare Abuchanipha* siliquæ meminit *Janbuth*, vel *Almagri* dictæ. Hujus duas habet species, quarum descriptionem hic apponere visum est. Ex sic ha-

habent. ينبوت هو خروب المغري عند اهل الشام ابوحنيفة هو ضربان احدهما هذا هو الشوك القضار الذي يسمي الخرنوب النبطي له ثمرة كانها نفاخة فيها حب احمر وهو عقول للبطن والاخر شجر عظيمة تكون مثل شجرة التفاح العظيمة ورقها اصغر من ورق التفاح ولها ثمرة اصغر من الزعرور سودا شديدة السواد شديدة الحلاوة ولها عجمة توضع في الموازين وهي شبه الينبوته في كل شي الا انها اصغر ثمرة وهي عالية كثيرة والاولي تنفرش علي الارض وله شوك وقد يتوقد به النار الناس اذا لم يجدوا غيره Janbuth *est siliqua* Almagri *Syris*. Abuchanipha. *Ea est duarum specierum, quarum una spinas habet breves. Vocatur siliqua* Nabatæa. *Fructus est tanquam vesicula, in qua granum est rubrum ventrem adstringens. Altera est arbor ut magna malus, sed flaviore folio, fructu minore mespilo, insignis nigredinis, & dulcedinis, cujus grana in trutinis ponuntur. Priori siliquæ in omnibus est similis, nisi quod fructus minor est, & maximè attollitur, cùm prior spargatur per terram. Habet spinas, quibus accenditur igni, cum aliud non suppetit.* Sequitur ejusdem arboris altera descriptio priori non absimilis, in qua ad rem nostram hæc nota imprimis.

وحمل احمر خفيف كانه تفاح شبيع لا يوكل الا في المجهدة

Et fructus ejus ruber, levis sicut pomum (uno puncto ablato, lege كانه نفاخ *sicut vesicula*) *mali saporis; nec comeditur nisi in summa penuria. Avicenna* etiam libro secundo *Canonis* duo facit genera خرنوب *charnub*, sive *siliquæ*, quorum unum, idque optimum est الشامي *Syrum*, vel *Damascenum*; alterum النبطي *Nabatæum*. Et *Alihemthemi* in libro, cui titulus المرشد id est, Ὁδηγὸς, *Syram siliquam* subdistinguit in tres species, quarum الصيدلاز *seidalaz* nomine, reliquis mollior & dulcior. Proinde, ut addit idem هو ماكول عندنا بالشام من الخرنوب *Hæc sola siliquæ species apud nos, id est, in Syria, edulis est.* Hæc *Arabes* de *Syra*, & *Nabatæa* siliqua. De *Ionica*, *Græca*, *Italica*, & *Gallica*, alii. *Theophrastus* de ceronia *Hist.* lib. 4. cap. 2. Περὶ Συρίαν (γίνεται) καὶ ἐν Ἰωνίᾳ (γ), περὶ Κνίδον, καὶ Ῥόδον. Lege καὶ περὶ Κνίδον, καὶ Ῥόδον· ut *Plinius* rectè omninò. *In Syria* (nascitur) *Joniaque, & circa* Gnidum, *atque in* Rhodo. Unde *Græcam* nonnulli vocant. *Columella* lib. 6. cap. 8. *Siliquam* Græcam *quam quidem* κεράτιον *vocant, & persicum ante brumam per autumnum serito. Plinius* lib. 17. cap. 18. *Siliqua* Græcæ, *& persicis ante brumam per Autumnum conserendi tempus.* Ne quis tamen in *Italia* peregrinam fuisse putet, idem lib. 15. cap. 24. & 28. describit ut notam arborem, & indigenam. *Matthiolus* quoque, & *Dalechampius*; *Multum hæc cognita* Nicææ, *& maris* Ligustici *accolis.* (in *Provincia Galliæ*) *Nascitur* & *in agro* Neapolitano, *præsertim in* Apulia, *ac etiam in* Campania. *In via* Appia *frequentissimè conspicitur. Incolæ* Salequa *vocant, nomine à Siliqua detorto.* Siliquas æstate & Autumno profert, quæ recentes ab arbore decerptæ gustui sunt ingratæ, sed diu in cratibus siccatæ adeò mitescunt, ut dulces fiant, neque insuaves. Ità ut iis pro cibo utantur tenuiores. Unde est, quòd siliquas *Poeta* pro tenui victu sumunt. *Horatius* lib. 2. *Epist.* 1. de Poeta,

— *vivit siliquis, & pane secundo.*

Persius, *Satyrâ* tertiâ, de juvenibus, qui *Stoicis* in disciplinam se tradunt,

— *insomnis quibus & detonsa juventus*
Invigilat, siliquis & grandi pasta polentâ.

Juvenalis, *Satyrâ* undecimâ,

Sed laudem siliquas occultus ganeo.

id est, viles cibos extollam, gulæ meæ luxum dissimulans. *Talmudici* in Tractatu *De Sabbatho* cap. 2. fol. 33. b. narrant *Simeonem Jochai* filium, qui martyrio vitam finiit in *Adriani* bello contra *Judæos*, in spelunca quadam cum filio per duodecim annos metu Imperatoris latuisse. *Tum autem*, inquiunt, איתרחיש ניסא איברי להו חרובא ועינא דמיא *factum est miraculum. Creata est ipsis siliqua, & scaturigo aquæ.* Et ibi *Glossa*, איברי להו הרובא לאכול פירותיו ועינא דמיא לשתות *Creata est ipsis arbor siliqua, ut ejus fructibus vescerentur, & scaturigo aquæ ex qua biberent.* Porcorum quoque pabulum sunt hæ siliquæ. *Columella* lib. 8. cap. 6. *Nemora* (suibus) *sunt convenientissima, quæ vestiuntur, quercu, subere, fago, cerris, ilicibus, oleastris, termitibus, corylis, pomiferisque sylvestribus, ut sunt albæ spinæ, Græcæ siliquæ,* &c. *Hæc enim diversis temporibus mitescunt, ac penè toto anno gregem saturant. Plinius* ubi de castaneis, *Cætera suum pabulo gignuntur*, &c. *Haud procul abesse videntur & prædulces siliquæ, nisi quod in iis cortex ipse manditur. Dalechampius* de ceratonia, *Eam esitant pueri, etiamque porci.* Hoc proinde siliquæ genus à *Luca* significari non est quòd quisquam dubitet. Et verò vetustiores interpretes sic accipiunt. Ità *Syrus* hic habet ܚܪܘܒܐ *charubo*. *Arabs* الخرنوب *alcharnub*. Æthiops ሐመረ:ጸሪን *chamar tsere*, id est, *siliquam Græcam*, quomodo illam vocant *Columella*, & *Plinius*. Neque aliud voluit *Theophylactus*, cùm scriptit ad hunc locum, Κεράτιον παραβάλλεται ἡ ἁμαρτία γλυκύτητα ἔχουσα, καὶ τραχύτητα.



DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS, PRIMÆ PARTIS Liber Tertius:

DE *Feris quadrupedibus.*

CAPUT PRIMUM.

Leonum nomina, & natalia, in *Prophetarum* Scriptis.

Initium à leone, quia Rex ferarum est. Isidorus *notatus,* *Leo cur* Arabicè basil, & السبع fera κατ' ἐξοχὴν, *ut* Græcè θὴρ, *Latine* Africana, *aut* Libyca, *supple* fera. Hebræa *leonum nomina septem totidem ætatum gradus significare falso creditur.* *I.* גור gur, *catulus non solùm* leonis, *sed & ursi, canis, ceti,* &c. *à congregando; quia catuli circa matrem congregantur.* *II.* כפיר cephir, *pro* כביר cebir, *ab adolescendo, ut* Arabibus شبل λεόντισκος, *qui jam adolevit, & prædari incipit.* *III.* ארי ari, *leo cujuscunque ætatis, aut sexûs, pro* ראי, *per Metathesin; ut* λέων *a* λάω video. *Hæc Metathesis frequens.* *Leonis tota vis in oculis, quibus sago opertis facile capitur.* Ariel, *id est,* leo Dei, *olim virorum fortium cognomen, ut hodieque inter* Arabes. *Athletæ, & milites,* leones *dicti.* *Altare cur dictum* Ariel. *IV.* שחל sachal, *pro* שחר sachar, *leo niger.* *Leones ferè fulvi, quidam tamen nigri, ut in* Syria, &c. שחלת onyx, *à nigredine.* *V.* שחץ sachats, *non est* leo, *ut volunt, sed* proceritas corporis, *vel* elatio, & fastus animi. *Animalia quædam* בני שחץ *dicta, ut* Græcè ὑπερέχοντα. *VI.* לביא labi, *leæna* Copticè ΛΑΒΟΙ, Arabice لبو labwa. *Quædam Masculina terminatione, sed Fœminina genere.* *Leæna marem æquat robore, & feritate, aut etiam superat.* *VII.* ליש lais, *non est leo decrepitus, sed fortissimus, ut* archoleon, *vel* acroleon. *Origo vocis.* Μυρμηκολέων *leonis species.* Tigris *leoni quam similis.* *Leonis apud* Arabes *plusquàm quingenta nomina, præcipua viginti quatuor.* *Leones in* Judæa *multi, maximè prope* Jordanem. *Leonum urbs, & fluvius.* *Leones in* Syria, & Arabia. *In* Ægypti Thebaide, Æthiopiâ sub Ægypto, Cyrenaicâ, Marmaricâ, & Libyæ *parte vicinâ* Alexandriæ.



IAM de feris acturus non diu deliberabo unde initium faciam. Primus enim se offert leo, qui propter eximias dotes Rex ferarum esse putatur. Ità *Poetæ* statuunt; ut *Oppianus* (*a*) in quo leones,

(*a*) Cyneg. lib. 3.

Δώροισιν μετόπισθε Διὸς μέγα κοιρανέουσι
Θηρσὶν ὀρειαύλοις, ———

Donis Jovis postmodùm potenter imperant feris montivagis. Proinde idem vocat.

(*b*) Ibid.

——— (*b*) κλυτὸν βασιλῆα λέοντα,

inclitum Regem leonem. Et *Phile* capite trigesimo primo,

Θηρῶν τε βασιλεὺς ὁ θρασὺς ἄναξ λέων,

Et qui ferarum strenuus Rex est leo. Ità *Philosophi:* ut *Apollonius* (*c*) qui *Amasim* olim *Ægypti* Regem, conversum fuisse asserebat ἐς τὸ βασιλικώτατον τῶν θηρίων, *in feram maximè regiam,* nempe leonem. Et *Ælianus* (*d*) qui, leonem cum delphino conferens, βασιλεύουσιν, inquit, ὁ μὲν τῶν χερσαίων, ὁ δὲ τῶν ἁλίων. *Regnant, ille quidem in terrestribus, hic autem in aquareis.* Et apud *Suidam* Anonymus, Ἀρχὴ ἡ μὲν φυσική, ὡς λέοντος ἐν ζώοις, καὶ ἀετοῦ ἐν ὀρνέοις· ἡ δὲ χειροτονητή, ὡς ἐπὶ βασιλέως ἀνθρώπων· *Principatus quidem alius est naturalis, ut leonis in quadrupedibus, & aquilæ in avibus, alius verò per electionem, ut in hominum Rege.* Ità *Mythologi:* ut *Æsopus* Fab. 72. & passim. Et *Phædrus* Fab. 20.

(*c*) Philostra. lib. 5. cap. 17.

(*d*) Lib. 15. cap. 17.

Cum se ferarum Regem fecisset leo,
Et æquitatis laudem vellet consequi.

Ità plebeii homines: ut, apud *Ælianum* libri tertii capite primo, *Maurusana* muliercula, quæ leonem sic affatur,

fatur, Σὺ δὲ ὢν αἰδῇ λέων ὤν, ὁ τῶν ζώων βασιλεὺς, ἐπὶ τὴν ἐμὴν καλύβην ἰών, καὶ γυναικεῖ διαμένων ἵνα τραφῇς. *Nunquid te pudet, leo cum sis, & Rex animalium, in meum ingredi tugurium, & muliercula operâ egere, ut vitam tuam sustentes:* Ità etiam *Patrum* chorus: ut *Epiphanius*, cui (e) leo est βασιλικώτατον γένος ἐπὶ τὰ ἄλλα ζῶα, *maximè regium genus supra reliqua animalia.* Et *Isidorus*, qui vocat (f) *principem bestiarum.* Quamvis magno errore asserat id *Græco leonis* nomine significari. *Leo* (inquit) *Græce, Latinè Rex interpretatur, eo quod sit princeps bestiarum.* Quod quam falsum, & absurdum, tam vero consentaneum est, *leonem Arabicè* dici الباسل *albasil*, quasi τὸ βασιλία, nomine à *Græcis* mutato. Saltem id certum *leonem Arabes* appellare السبع idest, *feram, ut Græcos,* θῆρα κατ' ἐξοχὴν, eò quòd inter feras sit eximia. Quale est, quod apud *Romanos* Scriptores *Libyca*, aut *Africana* (fera) est leo. *Suetonius* in *Caligula* capite decimo octavo, *Interjectâ modo Africanarum venatione*, id est, *leonum*. *Plinius* libri sexti Epistolâ ultimâ, *Vellem, Africanæ, quas coemeras plurimas, ad præfinitum diem occurrissent*, id est, *leones*. *Symmachus* libri secundi Epistolâ quadragesimâ sextâ, *Libycarum largitione*, id est, *leonum*: ut Epistolâ septuagesimâ quintâ ejusdem libri, *Et de leonibus fama conticuit, quorum adventus posset efficere, ut ursorum defectum congressio Libyca compensaret*. Et libri septimi Epistola 122. *Ut aliarum Libycarum emptio mihi sacra auctoritate præstetur*. Itaque non solùm de feris, sed de universis animalibus magnum opus à leone incipit *Damir Arabs* cum hac præfatione انما ابتدانا به لانه اشرف الحيوان المتوحش ان منزلته منها منزلة الملك الهاب لقوته وشجاعته وقساوته وشهامته وشراسة خلقه *Ab eo utique nobis initium est, quia ferarum est nobilissima, & dignitas ejus præ aliis tanquam timendi Regis propter ejus robur, & audaciam, & asperitatem, & generosum animum, & naturalem protervitam.*

(e) Hær. 78. Sect. 12.

(f) Orig. lib. 12. cap. 2.

Hippocrates Medicus (g) in septem ætatum gradus distribuit humanæ vitæ tempora. Idem in leonibus à *Judæis* præstitum, si Magistris credimus, qui *Hebræa* septem leonum nomina, scilicet גור *gur*, vel *gor*; כפיר *cephir*; ארי *ari*, vel אריה *arjeh*; שחל *sachal*; שחץ *sachats*; לביא *labi*; & ליש *lajis* totidem ætatis gradus continere sibi persuadent. Nempe גור *gur*, vel *gor*, ut inquiunt, est catulus leonis: כפיר *cephir*, leunculus, si verbo sit venia: ארי *ari*, vel אריה *arjeh*, leo jam adultus, sed junior: שחל *sachal*, leo jam ætate & viribus confirmatior: שחץ *sachats*, leo in pleno vigore: לביא *labi*, leo jam annosus: ליש *lajis*, denique leo decrepitus, qui viribus præ senio fractis & imminutis prædam ampliùs consequi nequit. De quibus præter *Lexicographos* vide *Drusium Observationum* lib. 10. cap. 4. Sed, ut mollissimè dicam, hic *Grammatici* videntur mirè sibi indulgere, cùm pleraque hæc de suo afferant sine ulla probatione idonea. Neque verò credibile est priscos illos mortales tam accuratos fuisse in re tantula; atque in animali fero, cuique cum homine ferè nihil est commercii, tam pensiculatè singulas annorum minutias ad normam exegisse, neglectis interim specierum & sexûs differentiis, quæ oculis primò se ingerunt, & sunt momenti multò majoris. Itaque lectori nè sit grave, si pleraque hæc alio pertinere jam docuero.

(g) Censorin. De die Nat. cap. 14.

Fateor quidem de גור *gur*, & כפיר *cephir*, illos id pronunciare, quod verum est. Nam, ut a priore ordiar, omnino גור *gur*, vel *gor*, est *catulus leonis*. Sic *Gen.* 49. *v.* 9. Juda *est* גור אריה, *gur arjeh*, id est, *catulus leonis*. Quod ipsum de *Dane* legitur *Deut.* 33. *v.* 22. Et *Jerem.* 51. *v.* 38. *Fremuerunt* כגורי אריות, *ut gore arjoth*, id est, *ut catuli leanarum*. Et *Ezech.* 19. *v.* 2. de leæna, *nutrivit* גוריה *gureah*, id est, *catulos suos*. Et *Nahum.* 2. *v.* 13. *Leo rapiens* בדי גורותיו *bede gorothau*, id est, *quantum sufficit catulis suis*. Tamen, ut σκύμνους *Hesychius* exponit ἐκγόνους λεόντων, καὶ ἄλλων ζώων, *fœtus leonum, & aliorum animalium*, ità גור *gur*, etiam aliis tribuitur præter leonem animalibus. Sic *Thren.* 4. *v.* 3. *Jeremias* ait תנים *thannim*, seu *cete* præbere mammam, ut lactent גוריהן *gurehen*, *catulos suos*. Et *Midras* in 1. *Sam.* 17. tam de urso, quàm de leone usurpat. Dicit enim שהיו שם חמש חיות רעות כיצד ארי ושני גורותיו והדוב וגורו. *quia ibi erant quinque malæ bestiæ, leo nimirum, & duo gurothau* (id est, *catuli ejus*) *& ursus & guro* (id est, *catulus ejus*) Et *gur* de catulo canis *Hebræi* passim usurpant. Ut in *Seder Olam* capite 25. מכלבא בישא גורא טבא לא נפיק *E cane malo catulus bonus non nascitur.* Et in *Vaikra Rabba* sect. 9. גור טוב מכלב ביש לא תרבי גור ביש מכלב ביש על אחת כמה וכמה *catulum bonum ex cane malo non educabis, quanto magis catulum malum ex cane malo.* Sic *Arabicum* جرو *giarou* factum ex *Hebræo* גור *gur*, literis *Re* & *Vau* transpositis, tam de catulo canis, quàm de catulo leonis usurpatur. Ut in *Abi Obeid* Prov. 170. *A cane malo nè compara* جروا *catulum*. Et in *Alcamus* النفة دويبة كجرو الكلب Nuffa, *animalculum, ut catulus canis* Et alibi, قرنس جروا الكلب دعاه Kardasa *catulum canis id est, vocavit illum.* Et eidem كلبة est canis ذات جرو مجرية *quæ catulum habet.* Et الجرو ibidem ولد الكلب والاسد *Catulus canis, & leonis.* Occurrit etiam in eodem de catulo lyncis, ursæ, hyænæ, vulpis, &c. Neque obscura est origo vocis. Apud *Hebræos* אגר *agar*, est *congregare, & colligere*, unde *Græcum* ἀγείρω. Quâ eâdem notione etiam occurrit גור *gur*, Hab. 1. v. 15. & Ps. 56. v. 7. & 59. v. 4. & 140. v. 3. & passim. Inde igitur גורים *gurim*, sunt catuli, qui circa matrem colliguntur, & congregantur quomodo pulli in avibus, quos mater ἐπισυνάγει, & sub alis suis congregat, *Luc.* 13. *v.* 34. Unde est, quòd *Arabes gallinam* vocant ام حفص *matrem congregationis.*

Jam כפיר *cephir*, leunculus, *Græcè* λεοντιδεύς, λεοντίδης, λεοντίδιον, *Arabicè* شبل tantùm differt à גור אריה *gur arjeh*, seu *catulo leonis*, quantum à vitulo juvencus, aut ephebus à puero. Res clara, *Ezech.* 19. *v.* 2. 3. *Mater tua leana*, inquit *Propheta*, *evexit unum* מגוריה *è catulis suis, ut esset* כפיר *cephir* (*id est, leunculus*) *& assuesceret ex rapto vivere, & comederet homines.* Itaque quam primum catulus leonis, à lacte depulsus, prædari incipit, & sibimet victum quærere sine matris opera, tum desinit esse גור *gur*, & rectè vocatur כפיר *cephir*. Sic

الشبل definit *Alcamus* ولد الاسد ان ادرك الصيد *catulum leonis, cùm prædari incipit.* Hujusmodi λεοντιδεὺς *Horatius* ità describit lib. 4. *Od.* 4.

Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta, fulva matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit.

Cùm nihil sit usitatius permutatione literarum *Beth* & *Pe*, puto כפיר *cephir*, dici pro כביר *cebir*, à Verbo كبر *cabara, adolescere*, ut sit *leo jam adolescens*. Hanc conjecturam valde confirmat, quòd كبر *cabara*, & شبل *sabala* sunt verba Synonyma. Nam, ut كبر *cabara*, ità etiam شبل *sabala*, *adolescere* significat, sic in *Alcamus*, شبل الغلام *sabala-lgulamo, crevit adolescens*, seu *adolevit*. Atque hinc شبل *sablon* nomen est λεοντίσκος, ut *Hebræum* כפיר *cephir*. Itaque nobis convenit hactenus cum vulgo interpretum in explicatione nominum גור *gur*, & כפור *cephir*. Sed reliqua, quæ afferunt, leonum vocabula nihil minùs significare, quàm ætatum discrimina patebit ex sequentibus.

Primum est, ארי *ari*, vel אריה *arjeh*, quo designari volunt *leonem* jam *adultum*, sed juniorem, mediæ ætatis inter כפיר *cephir*, & שחל *sachal*. At nihil videt, qui non videt ארי vel אריה speciei totius esse nomen sine ullo respectu ad ætatem, cùm hoc solum leonis nomen semper adhibeant Sacri Scriptores in narrationibus historicis. Nisi quòd *leunculus*, qui à *Samsone* cæsus est, semel appellatur כפיר *cephir*, Jud. 14. v. 5. Sed & idem paulò pòst vocatur אריה *arjeh*, ut scias qualibet ætate leonem esse *arjeh*. Quale est, quòd iisdem animalibus tribuuntur פני אריה, *facies arjeh*, seu *leonis*, *Ezech*. 1. *v*. 10. & 10. *v*. 14. & פני כפיר, *facies cephir*, seu λεοντιδέως, *Ezech*. 41. *v*. 19. *Chaldæis* quoque, & *Syris* ܐܪܝܐ *leonis*, אריא, vel אריות in regimine *leana* generale nomen est. Quod vel ex *Hesychio* discas, cujus verba sunt, Ἀρέαθ, ἡ λέαινα ὑπὸ Σύρων. Radix non est אריה, ùt putant. Nam ארה *arah*, *Hebræis* est *carpere*, vel *decerpere*. Sic de mystica vite, quam ex *Ægypto* Deus in *Judæam* transtulit legitur *Psal*. 80. *v*. 13. *Cur rupisti macerias ejus* וארוה, *& decerpserunt eam omnes viatores?* Et *Cant*. 5. *v*. 2. אריתי מורי *Decerpsi myrrham meam*. Vox alibi non extat. Itaq; aliud nihil significat, ac proinde ad leonem pertinere non potest, qui proventum terræ non carpit, sed carnivorum est animal. Aliud igitur quærendum, neque à scopo aberrabimus, si *Græcos* sequamur duces, qui λέοντα *leonem* dici volunt à λεύσσω, vel λάω, id est, *video*, unde ἀλαὸς *cæcus*. Ità *Porphyrius*, *Eustathius*, *Etymologus*, & *Grammaticorum* alii, quia leo est ὀξυδερκέστατον θηρίον, *animal visûs acerrimi*, ut scripsit *Manethon Ægyptius* in notis ad *Herodotum*. Unde est, quòd tam lucidos habet oculos, ut aliorum animalium visum fulgore suo perstringat. *Oppianus* de leonibus *Venat*. lib. 3.

Καὶ πυρὸς ἀστράπτουσιν ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν ἀμαρυγὰς,
Et scintillæ ignis ab oculis fulgurant. Et libro quarto de equis,

—— τρείουσι καὶ ἀγκλίνουσιν ὀπωπὰς
Δειμαίνοντες ἄνακτος ἐϋ πυριλαμπέα χανθὸν,
Tremunt, & avertunt oculos metuentes Regis sui (id est, *leonis*) *fulgentem aspectum*. *Callimachus* Hymno in *Cererem* de *Erysichthone*, in illam concitato,

Τὰν δ᾽ ἄρ᾽ ὑποβλέψας χαλεπώτερον ἠὲ κυναγὸν
Οὔρεσιν ἐν Τμαρίοισιν ὑποβλέπει ἄνδρα λέαινα
Ὠμοτόκος (τᾶς φαντὶ πέλειν βλοσυρώτατον ὄμμα)
Hanc verò cum limis oculis aspexisset torviùs quam in montibus Tmariis *virum venatorem aspicit leæna crudipara, cujus dicunt atrocissimum esse oculum.* Quo pertinet, quòd ab *Homero* χάροποι vocantur, & σμερδαλέοι. Nam χάροπες dicuntur, qui glaucos & fulgidos, atque ideò truces habent oculos. Et σμερδαλέοι *Eustathio* sunt οἱ τῇ ὄψει καταπληκτικοὶ, *qui visu sunt terribiles*. Ut μέρδειν *videre* est, & ἀμέρδειν *excæcare, offuscare*. Itaque *Plinius* leonem capi scribit sago contra ingruentis impetum objecto, quia hujus vis omnis constat in oculis, libri octavi capite decimo sexto: ut *Lucani* libro quarto legitur venator *Afer*,

Vestibus iratos laxis operire leones.

Proinde à Verbo ראה *raa*, quod *videre* significat, *leo* primò ראי *rai*, & ראיה *rajeh*, deinde per Metathesim dictus ארי *ari*, & אריה *arjeh*. Itaquandoque medium *Aleph* mutat situm & primam Radicalem præcedit. Sic *gemere* est נאק *naak*, & אנק *anak*; *gemitus* נאקה *naaka*, & אנקה *anaka*; *dolere* דאב *daab*, & ארב *adab*; *labrusca* in *Esaia* באשים in *Talmudicis* אובשים. Quid quòd etiam *Arabicè* leo vocatur مبصر *mubsir*, id est, *videns*, quia يبصر الفريسة من بعد فيقصدها *prædam suam videt eminùs, & ad eam contendit?* Ita est in *Alcamus*.

Ex ארי *ari*, & אל *el*, compositum אריאל *ariel*, propriè est *leo Dei*, id est, leo magnus, ut montes Dei, cedri Dei, luctationes Dei. *Ariel* fuit virorum fortium cognomentum in terra *Moab*. Unde est, quod *Benaja* percussisse legitur שני אריאל מואב, *duos Ariel Moabitarum*, 2. *Sam*. 23. *v*. 20. Et hinc fortasse אראלם, *viri fortes eorum*, Es. 33. v. 7. ùt recentiores multi volunt. Sed notandum inprimis hodieque apud *Arabes* virum fortem dici اسد الله *asedollahi*, leonem Dei. *Damir*, وقيل لحمزة بن عبد المطلب اسد الله ويقال من قبل الاسد انه اشتق لحمزة بن عبد المطلب وكذلك لابي قتادة فارس النابي صلي الله عليه وسلم *Et* Hamza *filius* Abdolmutalibi *vocatus est* Asedollahi (seu *leo Dei*) *quod cognomentum ferunt propter leonis præstantiam illi fuisse inditum. Quomodo etiam* Abuketadæ, *equiti Prophetæ, cui Deus misericordiam, & pacem præstet*, (id est, uni ex equitibus *Mahumeti* pseudo-Prophetæ.) Et in libro juridico, cui titulus صحيح مسلم *Verus fidelis*, in capite *De occisi spoliis occisori distribuendis*, de quodam alio dicit *Abubeker*, وندع اسد من اسد الله يقاتل عن الله وعن رسوله ونعطيه سلبه *Et vocavimus eum leonem è leonibus Dei, ut nomine DEI & Prophetæ ejus interimeret, & dedimus ei spolia. Marmolius Africæ* suæ lib. 2. cap. 12. *Por muerte de* Solyman *succedio en el imperio de los* Arabes Omar Aben Moadi *hijo de* Abdulmelic, *aquien tambien llaman* Açedalla, *que quiere dezir leon de Dios.*

Id est, "Per *Solimani* mortem *Arabum* imperio successit *Omar Ibnom...* *Abdolmelici* filius, quem etiam vocabant *Ased-allah*, quod *leonem Dei* significat. A *Persis* quoque τῷ *Hali* sectæ suæ principi idem cognomen est inditum. Itaque, ut fabulantur, is, dum esset adhuc in vivis, unà cum *Mahomete* in Paradisum se contulit, neque in eum est admissus, donec janitori significasset se esse شير خدا *schirchoda*, id est, *leonem Dei*. Vide *Olearium Pers. itiner.* lib. 5. pag. 562. Tale est, quòd athletas *Græci* leones nuncupabant. *Lucianus* in *Demonact.* Τοὺς νῦν ἀθλητὰς οἱ φαρμακῶντες λέοντας καλοῦσι. *Athletas hujus temporis leones appellant qui sunt eorum asseclæ.* Et in his *Claudiani* de bello *Gildonico*.

Dictaque ab Augusto *legio, nomenque probantes*
Invicti clypeoque animosi teste leones.

Leonum nomine videntur intelligi milites, qui clypeo leonem appingebant.

Idem nomen אריאל *ariel*, etiam altari inditum *Ezech.* 43. *v.* 15. 16. adeoque Templo, & urbi *Es.* 29 *v.* 1. nisi fallor propter altare, cujus ignis perpetuo accensus holocausta, leonis instar, vorabat, & consumebat. Frigidum enim est, quod vult *Aben Ezra Jerusalem Ariel* dici, שמזלה אריה quia leonis sydus ei dominabatur. Neque iis assentior magis, qui leonis figuram Templo assignant, quia erat צר מאחוריו ורחב מלפניו *angustum à posteriori parte, latum ab anteriori.* In libro *Juchasin Hebræi* dicunt, posterius Templum cum priore conferentes, אש על המזבח רובץ ככלב כי כשל׳ מה שחסרו חמשה דברים בבית שני ובבית ראשון היה כאריה *Ignis super altare cubat, ut canis, quia periit vis ejus, postquam defecerunt quinq; res in domo secunda. Sed in prima domo erat sicut leo.* In *Talmudico* Tract. *Succa*, *Maria* quædam, *Bilgæ* filia, Templum ingressa, sandalio detracto, eo percussit altare, dicens, לוקוס לוקוס עד מתי אתה מכלה ממונן של ישראל *Lupe, lupe, quamdiu consumes* Israelitarum *opes?* Quod quidem ab illa factum est malo animo, erat enim apostata. Tamen vel hinc colligas quo sensu Templi altare cum fera conferatur, quia scilicet omnes victimas, quas offerebat populus, vorabat ignis in altari semper accensus feræ rapacis instar.

Sequitur aliud *leonis* nomen שחל *sachal*; quem medium esse dictitant inter אריה *arjeh*, & שחץ *sachats*, hoc juniorem, illo seniorem. Cujus assertionis causam si roges, nihil aliud respondebitur, quam sic placuisse *Grammaticis*. At אריה *arjeh*, leonem dici quâvis ætate jam docuimus: & שחץ *sachats*, ne leonem quidem esse statim dicetur. Jam שחל *sachal*, quod attinet, puto *nigrum esse leonem*, quem *Arabes* ادلم *adlamon* vocant. *Alcamus*, من الادلم الاسد الاسود Aladlamo *de leone, niger*: ut الاكلف *Alachlapho* dicitur leo, in quo est السواد في الصفرة *nigredo cum flavedine.* Nempe à Verbo שחר *sachar*, *nigrum esse*, leo pro שחר *sachar*, dicitur שחל *sachal*. L & R ità passim permutari nemo est, qui nesciat. Sic signa quædam cœlestia vel מזלות *mazzaloth*, dicuntur, vel מזרות *mazzarot*: *palatia* אלמנות *almenoth*, vel ארמנות *armenoth*: *conari*, & *contendere*, השתדל *histaddel*, vel השתדר *histadder*. Ecce *Chaldæis* אלו *alu*, vel ארו *aru*, bos sylvestris: תורבלא *thorbâla*, vel תורברא *thorbara*, vidua: *Hebraicè* אלמנה *Almana*, *Chaldaicè* ארמלא *armelah*. Ità videtur leo niger pro שחר dictus שחל. Leonum quidem color ferè fulvus est. Proinde *fulvos* nostri *Poetæ*, & *Græci* appellant αἴθωνας, ξανθοὺς, πυῤῥοὺς, & ξανθοχαίτας. Atque id esse perpetuum credidit *Philosophus*, qui sic habet *De generat. anim.* lib. 5. cap. 6. Τῶν δὲ ζώων τὰ μέν ἐστι μονόχροα. Λέγω δὲ μονόχροα, ὧν τὸ γένος ὅλον ἓν χρῶμα ἔχει· οἷον οἱ λέοντες πυῤῥοὶ πάντες. *Animalium quædam sunt unicoloria. Dico autem unicoloria, quorum universum genus unum habet colorem, quomodo leones omnes fulvi sunt.* Tamen quosdam leones esse nigros ex *Oppiano* constat, qui de *Lybico* leone scribit libro 3. *De venatione*,

Σμερδαλέος δὲ πρόσωπα, καὶ αὐχένα, πᾶσι δὲ γυίοις
Ἦκα μέλαν κυάνεον φέρει μεμορυγμένον ἄνθος·

Facie & cervice terribilis est, & omnibus membris subnigrum fert fusco temperatum florem, id est, colorem. Et de *Æthiopico* idem paulò pòst,

Ἔκ ποτ' Αἰθιόπων Λιβύην ἠμείψατο γαῖαν,
Θαῦμα μέγ' εἰσιδέειν, μελανόχροος ἠϋκομός τε·

Aliquando ex Æthiopibus *in* Libyam *venit terram (mirabile visu) leo nigri-color & bene-jubatus.* Atque, ut eum scias de re comperta loqui, statim addit, Ἔδρακον, οὐ μῦθον ἀκούω, *Vidi, non audivi.* Proinde idem agens de leonum in *Æthiopia* venatore libro quarto, *Excitat*, inquit, *feram nigram*, ὀρίνει θῆρα κελαινόν. Quale est, quòd in epistola *Hebraica* Regis *Abyssinorum*, quam *Munsterus* edidit, quatuor leonum in *Abyssinis* colores memorantur, aureus, fulvus, albus, & niger. Sed & *India* nigros habet leones, ut *Ælianus* auctor est lib. 17. cap. 26, Δέρη ἐκείνων λεόντων μελαινά τε ἰδεῖν, καὶ φρίξασα, ὀρθή τε ἀνίσταται, καὶ συνεκπίμπει δέος οἷον ἐκπλήττειν. Denique, quod maximè ad rem facit, etiam in *Syria* sunt leones hujusmodi. *Plinius* lib. 8. cap. 17. *Leonum color tantum in* Syria *niger.* Nempe *Æthiopicos* illos & *Indicos* non noverat, de quibus *Oppianus* & *Ælianus*. Omnino igitur è *Syriæ* leonibus, qui nigri erant, primò שחרים, deinde שחלים sunt appellati. Ut res sit confirmatior, en tibi exemplum simile in hac ipsa Radice! Unguis odoratus *Hebraicè* שחלת *secheleth* vocatur, *Exod.* 30. *v.* 34. nempe ab atro colore pro שחרת *sechereth*. Hoc conchæ genus *Græci* ὄνυχα, *Chaldæi* טופרא, *Arabes* اظفار *unguem*, vel *ungues* à forma, sed *Hebræi*, שחלת *secheleth*, à colore nominant. Niger enim est ὁ ὄνυξ unguis odoratus, saltem *Babylonicus*, qui notior *Judæis*, quia propior. Unde *Dioscorides*, postquam egit de onyche *Erythræo*, seu *Persico*, addit de *Babylonico*, Μέλας δὲ ὁ Βαβυλώνιος, καὶ μικρότερος· ἀμφότεροι δὲ εὐώδεις θυμιώμενοι. *Sed* Babylonius *onyx niger, & minor est; utrique autem in suffitu sunt boni odores.* Et *Avicenna* libro secundo, واما البابلي فاسود صغير جدا *Et verò* Babylonicus *unguis niger est & valde parvus.* Et *Alchalil Ben Achmed*, الاظفار شي من العطر اسود شبيه بالظفر يجعل في الدخن ولا تفرد منه الواحدة *Adhphâr* (seu *ungues*) *res est aromatica, nigra, ungui similis, ex qua fit suffitus, Singulari caret.* Porrò ut nigros leones, ità conchas videre nigras valde insuetum est. Proinde utrisque fecit nomen color inusitatus.

Succedit שחץ *sachats*, leo scilicet medius inter שחל *sachal*, & לביא *labi*. Ità plerisque persuasum, cum nè leo quidem sit שחץ *sachats*, nec animalis ullius nomenclatura, sed *elatio*, vel *proceritas*. *Arabicè* certè شخص *sachatsa*, est *attollere, procerum esse*. Ità de visu شخص est *oculos sursùm tollere*: de loquelâ, *vocem intendere*, vel *attollere*: de via, *per sublimiora loca iter facere*: de statura, *pinguis & proceri esse corporis*. Hinc ad animam translatum שחץ apud *Talmudicos* pro *superbia* sumitur, atque *animi elatione*. Sic in Tractatu *De Sabbatho* cap. 4. אנשי שחץ

אנשי שחץ, *viri elationis* ii dicuntur, qui inani fastu turgent, & supra alios se efferunt. Quocirca בני שחץ *Job.* 28. *v.* 8. & 41. *v.* 26. (quibus Scripturæ locis occurrit, neque uspiam alibi) nihil quidquam significare reor, quàm *filios elationis*, aut verò *proceritatis*, id est, procera animalia. Hæc interpretatio utrique loco bellè convenit. In primo Sacer Scriptor humanam industriam hâc ratione extollit, quòd ut aurum effodiat, & gemnas ex terræ sinu, ea loca pervadat homo, quæ neque avibus pervia sunt, neque *filiis elationis*, id est, feris procerioribus, quantumvis hominem superent mole, & vastitate corporis. In *Græca* versione pro בני שחץ sunt υἱοὶ ἀλαζόνων, *filii superborum.* Ad quæ verba *Olympiodorus*, Λέοντες, ἢ τὰ ἕτερα μεγάλα θηρία, ταῦτα γὰρ υἱοὺς ἀλαζόνων καλεῖ· *Leones, aut alia majores feræ, has enim vocat filios superborum.* In altero loco *Leviathan*, id est, *crocodilus*, quamvis verè reptilis, despicere tamen dicitur quidquid altum est, & Rex esse על כל בני שחץ *supra omnes filios elationis*, id est, suprà animalia procerissima, ut explicabitur pluribus in capite *De Leviathan.* Procera hæc animalia *Græcè* rectè dixeris τὰ ὑπερέχοντα ζῶα, quomodo apud *Herodotum* lib. 7. cap. 10. dicit *Artabanus Persa* τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ Θεὸς, *procera animalia fulmine ferit Deus*

Ità לביא *labi, leo annosus* non est, ùt volunt, sed *leæna*, ut *Copticè* ΛΑΒΟΙ, & *Arabicè* لبــاة *laba*, لبوة *labua*, & لبية *labia*. Radix لبــا *labaa* in prima Conjugatione *mulgere* est propriè *colostrum*, seu *primum lac*, in quarta *lactare colostro.* Indè nomen *leæna*, cujus lac crassius est instar colostri. Itaque לביא *labi*, propriè *leæna* est ἡ τοὺς σκύμνους θηλάζουσα. Sic *Ezech.* 19. *v.* 2. 3. אמך לביא, *mater tua leæna*, &c. *inter leones* רבצה *cubavit. In medio leunculorum* רבתה *educavit catulos suos.* Vides לביא Fœmininum, & pro leæna sumi, quæ catulos educat. *Masorethæ*, quibus persuasum erat לביא *leonem* esse *marem*, cùm hoc loco viderent palàm pro *leæna* sumi, pro לביא *labi*, punctis mutatis, legi voluerunt לְבִיָּא *lebija*: sed contra analogiam. Nam, ut ex נביא *nabi*, *propheta*, נביאה *nebiah*, est *prophetissa*: sic ex לָבִיא labi, *leone* fieret לְבִיאָה lebiah, *leæna*; non לְבִיָּא *lebija. Kimchium* id non latuit, qui vult in לְבִיָּא, *lebija*, *Jod* esse loco *Aleph*, & *Aleph* loco *He*, & *Jod* protractionis absorberi in *Daghes*, &c. Sed nihil opus est tot ambagibus, si לביא *labi*, simpliciter dicatur esse *leæna*, quomodo plerumque reddit *Hieronymus*. Nihil obstat terminatio, quæ propria Masculinorum est, cùm alia multa occurrant animalium nomina, ut רמך, *equa*, עז, *capra*, שלו, *coturnix*, אפעה, *vipera*, רחל, *ovis*, אתון, *asina*, quæ genere Fœminina sunt, quamvis Masculina terminatione. לביא *labi*, duplex habet Plurale, unum לבאים *lebaim*, *Ps.* 57. *v.* 5. in ים *im*, desinens more Masculinorum (qualia sunt רמכים, *equæ*, עזים, *capræ*, רחלים, *oves*, &c.) alterum לבאות *lebaoth*, apertè Fœmininum, *Nahum.* 2. *v.* 13. *Leo rapiens sufficienter catulis suis, & suffocans* ללבאתיו, *leænis suis.* Nec est, quòd quis miretur לביא *labi*, seu *leænam*, in Scriptura sæpe censeri inter leones ferocissimos. Putà *Gen.* 49. *v.* 9. *Num.* 23. *v.* 24. & 24. *v.* 9. *Deut.* 33. *v.* 20. *Job.* 4. *v.* 11. & 39. *v.* 1. *Psal.* 57. *v.* 5. *Es.* 5. *v.* 29. & 30. *v.* 6. *Os.* 13. *v.* 8. *Nahum.* 2. *v.* 11. 12. Leonem enim æquat leæna, aut etiam superat robore, & feritate. Hinc *Herodotus* lib. 3. cap. 108. Ἡ δὲ λέαινα ἐὸν ἰσχυρότατον, καὶ θρασύτατον. Et *Gellius*, *Animalium acerrimum leæna, & audacissimum.* Et *Plutarchus* in Tractatu, *Quod bestiæ ratione utantur*, Αὐτὸς δὲ καὶ παρδάλεις, καὶ λεαίνας πολλάκις ἑώρακας, ὡς οὐδέν τι τὰ θήλεα τοῖς ἄρρεσιν ὑφίεται τοῦ θυμοῦ, καὶ ἀλκῆς. *Ex pantheris etiam, & leænis ipse crebro animadvertisti fœminas animo & robore maribus haudquaquam cedere.* Proinde φασὶ γοῦν καὶ Σεμίραμιν τὴν Ἀσσυρίαν, οὐχ ὅτε τινὰ εἷλε λέοντα, ἢ πάρδαλιν κατέβαλεν, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ἀλλ᾽ εἰ λεαίνης ἐγκρατὴς ἐγένετο, μέγα ἐφρόνει· *Semiramidem Assyriam dicunt, non si leonem, aut pardalim, aut aliam similem feram interfecerat, sed si leænam cœperat, magnopere se extulisse.* Hæc *Ælianus* in *Variis* lib. 12. cap. 39. unde natum hoc illius axioma, quòd πεπίστευται οὐ μόνον παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀλκιμώτατόν τι, καὶ δυσμαχώτατον τῶν θηρίων ἡ λέαινα, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις, *non solum apud Græcos sed etiam apud Barbaros leæna creditur esse robustissimum, atque invictissimum animal.*

Superest ultimum leonum nomen ליש *lajis*, vel *leis* ἀρχαϊκῶς, quo leonem decrepitum, & virium tam effœtarum, ut prædam assequi nequeat, significari volunt. Cujusmodi leonum graphicas descriptiones *Poetæ* sæpe nobis exhibent. In his *Smyrnæus*, cum hæc *Nestori* tribuit libri secundi versu 329.

Νῦν δ᾽ ὥς τίς τε λέων ὑπὸ γήραος ἄχθομαι αἰνοῦ,
Ὅντε κύων σταθμοῖο πολυρρήνοιο δίηται
Θαρσαλέως. ὁ δ᾽ ἄρ᾽ οὔτι λιλαιόμενός περ ἀμύνει
Οἷ αὐτῷ. οὐ γάρ οἱ ἔτ᾽ ἔμπεδοί εἰσιν ὀδόντες,
Οὐδὲ βίη· κρατερὸν δὲ χρόνῳ ἀμαθύνεται ἦτορ.

At nunc molesto gravor senio, ut leo aliquis, quem canis à caula agnis repletâ audacter fugat. Qui licet cupiat, tamen non sese vindicat. Non enim solidos dentes, neque vires habet amplius: sed validum cor temporis longinquitate marcescit. Et *Cornelius Gallus* Elegiâ primâ.

Fracta diu rabidi compescitur ira leonis,
Lentaque per senium Caspia *tigris erit.*

Et *Statius Thebaidos* lib. 11.

——— *qualis leo rupe sub alta,*
Quem viridem quondam sylvæ montesque tremebant,
Jam piger & longo jacet exarmatus ab ævo.

Et *Phædrus* Fab. 21.

Defessus annis, & desertus viribus
Leo cùm jaceret spiritum extremum trahens.

Ut Fabulator *Æsopus*, Λέων γηράσας, καὶ μὴ δυνάμενος διαρκέσαι αὐτῷ εἰς τροφήν. Et *Ælianus* statim initio libri noni, Ὁ λέων ἤδη προήκων τὴν ἡλικίαν, καὶ γήρᾳ βαρὺς γεγενημένος θηρᾶν μὲν ἥκιστός ἐστιν. Et *Eustathius* in *Hexaemeron*, Γηράσας γὰρ ὁ λέων, καὶ εἰς ἄγραν βαδίζειν ἀτονῶν, &c. Leonem ità affectum voce ליש *lajis*, designari probare conantur ex *Job.* 4. *v.* 11. ubi ליש *lajis*, perire dicitur *absque præda*, vel *inopia prædæ*. At ex iis *Jobi* verbis planè sequitur contrarium, nempe ליש leonem esse robustissimum, & prædæ consequendæ vel maximè idoneum. Ibi enim in eo totus est sacer vates, ut Dei potentiam hâc ratione commendet, quòd impiorum conatus, quamlibet sint potentes, solo halitu difflet, atque dissipet. Verba describam eò libentius; quod in iis diversa leonum nomina quinque sunt, id est, quæcunque habent *Hebræi*, præter solum גור *gur*, quo catulum non solum leonis, sed & canis, & ursi, &c. significari docuimus. *Vidi*, inquit: *arantes scelus, & seminantes molestiam, eam metere*, *halitu Dei pereunt, & flatu furoris ejus deficiunt. Deficiunt*, inquam, *rugitus* אריה, *leonis, & vox* שחל, *leonis nigri, & evelluntur dentes* כפירים, *leunculorum*: ליש (lajis) *perit inopiâ prædæ, & filii* לביא, *leænæ disperguntur.* Summa est, homines rapacissimos, quique immanium leonum instar prædæ semper inhiant, & potentiâ suâ freti nihil non audent, solo Divini numinis halitu ità percelli, atque prosterni, ut de spe conatuque depulsi ad summam rerum omnium inopiam redigantur. Cui loco en alterum geminum *Psal.* 34. *v.* 11. *Leunculi destituuntur, & esuriunt, sed qui quærunt Dominum, non egebunt ullo bono.* His ità explicatis, nemo non videt

ליש

ליש non posse esse *leonem effœtum*, & *decrepitum*. Nisi quis Sacrum Scriptorem velit Dei potentiam sic extollere. Etiam leonem effœtum & decrepitum Deus halitu suo ita percellit, ut inopia prædæ pereat. Quod encomii genus, tam ridiculum & præposterum, videatur cedere potius in Dei contumeliam. Huc accedit, quod *Prov.* 30, 30. *Solomon* dicit ליש *fortem esse in animalibus, nec ab ullius conspectu retrocedere.* Itaque ליש *lajis*, in leonum genere is est potius, qui robore maximè valet. Nempe auctore *Philosopho Hist.* lib. 9. cap. 44. Γένη δ' ἐστὶ λεόντων δύο· τούτων δ' ἐστὶ τὸ μὲν στρογγυλώτερον, καὶ οὐλοτριχώτερον, καὶ δειλότερον· τὸ δὲ μακρότερον, καὶ εὐθυτριχώτερον, ἀνδρειότερον. Et hunc sequutus *Plinius* libri octavi capite decimo sexto tradit esse *leonum duo genera, compactile, & breve, crispioribus jubis. Hos pavidiores esse, quàm longo simplicique villo, eos contemptores vulnerum.* *Ælianus* etiam leones ita distinguit, quamvis verbis prorsus aliis *Hist.* lib. 4. cap. 34. Sunt, qui fortiores illos à *Julio Capitolino* in *Gordiano juniore* dici putant *archoleontes*, aut, si mavis *acroleontes*. Nam diversa est lectio: & pro utroque alii legendum contendunt *agrioleontes*, alii *argoleontes*; quod subalbi sint, & vulgaribus minus flavi. Nec desunt, qui *jubatos* appellari asserant in his *Plinii* ubi supra, *Leonum plurium pugnam Romæ princeps dedit Q. Scævola, &c. Centum autem jubatorum primus omnium L. Sylla, &c. Post eum* Pompejus Magnus *in* Circo DC, *ac in iis jubatorum* CCCXV. Utut enim jubati sint mares leones omnes, tamen in fortioribus illis juba maximè notabilis, quia promissior, longoque & simplici villo. Et fortasse hoc ipsum est leonum genus, quod *Hebraicè* dicitur ליש *lajis*, *Chaldaicè* ליתא *lajith*, & *Arabicè* ليث *laith*. Unde passim in *Paraphrastis* شبل الليث *catulus leonis*. Et in vita *Tamerlanis* pag. 15. وهجموا الي العساكر هجوم الليث *Et in castra irruerunt impetu leonis.* *Græcè* uno verbo λεοντηδὸν dixeris, ut 2. *Macchab.* 11, 11. Λεοντηδὸν δὲ ἐντινάξαντες εἰς τοὺς πολεμίους, *Cum leonum impetu in hostes irruissent.* Utut sit, hoc leonis genus à robore & audacia nomen habet. Nam *Arabicè* لايث *lajathsa*, & تلايث *thelajathsa* est *strennè se gerere*, & اليث *alaitso* idem quod شجاع *strenuus, animosus.* Et in *Alcamus* مليث est شديد القوي *robore maximè valens.* Indidem λὶς mutuatum, *Græcum leonis* nomen frequens apud *Poëtas*, in cujus origine investiganda *Grammatici* incassum se fatigant, cum merè sit *Hebraicum.* Hinc in *Aquila* λὶς pro ליש legebatur *Job.* 4, 11. Quod mihi se probat magis quam *Vulgati* Interpretis *tigris* & *Seniorum* μυρμηκολέων. Quamvis μυρμηκολέων sit leonis species, sed in intima *Africa*, ut alibi docebimus. Et tigris animal leoni quàm simillimum, nisi quod habet virgatam cutem. *Varro De Ling. lat.* lib. 4. *Tigris est ut leo varius.* *Oppianus* lib. 3. *Cynegeticῶν*,

Πάντα μὲν ἀθρήσειας ὀρέστερον διὰ λέαιναν,
Νόσφι μόνου ῥινοῖο, τὸ ἀμφὶ ποικίλον ἐστεφάνωται·

Per omnia ipsum videas montanam uti leænam, præter solam pellem, quæ varia circumdatur. Proinde טגריס *tigris* definitur à *Talmudicis* ארי דבי עילאי *leo, qui est in sylva Elai* in Tractatu *Cholin* fol. 59. b.

Hæc de leonum nominibus apud *Hebræos*, quæ utut multa, valde pauca sunt præ *Arabicis*, quæ numerantur per centurias. *Damir*, قال ابن خالويه للاسد خمس ماية اسم وزاد عليه علي بن قاسم اللغوي ماية وثلثين اسما *Dixit* Ibno Chalvvia, *leonem habere quingenta nomina. Quibus centum & triginta superaddidit* Ali Ben Kasim *Allagviensis.* Ex his اشهر id est, *celebriora*, viginti quatuor recenset *Damir*, & aliquot cognomina. Nempe in hoc argumento illorum *Poëtæ* ludunt, quia leo nobilissimum est animal, & in *Judæa*, *Syria*, & *Arabia* valde frequens. Quod probare est obvium. Nam leonum in *Judæa* Scriptura sæpe meminit. *Libanum, Amanum, Sanirem, & Hermonem*, montes in terra *Chanaan*, lustris leonum scatere scribit *Solomon Cant.* 4, 8. Et *Jeremias* minatur fore, ut leones, è sylvis erumpentes, *Judææ* urbibus sic immineant, ut ex iis in agros exituri plerique discerpantur *Jerem.* 5, 6. Ita in *Samaritanos* leones immisit Deus 2. *Reg.* 17, 25. Et à leone discerptus est Propheta quidam prope *Beth-el*, 1. *Reg.* 13, 24. Alius item ad oppidum *Aphek* 1. *Reg.* 20, 36. Contrà, *Samson*, *Jud.* 14, 5. *David* 1. Sam. 17, 24. *Benaja* 2. Sam. 23, 20. leones obvios fortiter aggressi peremerunt. Unde in *Judæa* leonum abundè fuisse colligas. Proinde *Johannes Phocas*, qui de *Judæa* scripsit ante annos quingentos dicit capite vigesimo tertio circa *Jordanem* μέγα τι καλάμων χρῆμα ἐκφύεσθαι, ἐν οἷς λεόντων φῦλα εἰώθασι κατοικεῖν, *magnam nasci vim arundinum, in quibus leonum catervæ degere soleant.* *Hieronymus* itidem in *Zachar.* 11. *Jordani fluvio, qui maximus in* Judæa *est, juxta quem morantur leones.* Sic in *Phœnice* proxima inter *Berytum*, & *Sydonem*, à leonibus dicta est Λεόντων πόλις, *Leonum urbs*; ad fluvium cognominem. Urbis meminêre *Strabo*, & *Plinius*, fluvii *Ptolemæus.* Et de *Syriæ* leonibus agunt (a) *Aristoteles*, & (b) *Plinius*. *Curtius* quoque libro octavo, ubi *Lysimachum*, cum in *Syria* venaretur, leonem occidisse refert eximiæ magnitudinis. Eosdem in *Mesopotamia* describit *Ammianus* libro octavo. De *Arabicis* sic habet *Agatharchides* lib. 5, cap. 33. Οἱ κατὰ τὴν Ἀραβίαν μὲν λέοντες ψιλότεροι μέν εἰσι, καὶ θρασύτεροι. *Leones quidem circa Arabiam minus hirsuti sunt, & ferociores.* Et *Diodorus* lib. 2. pag. 93. Θηρίων τι πλῆθος ἀλκίμων ἡ προσεχὴς τῇ Συρίᾳ τρέφει· καὶ γὰρ λέοντας καὶ παρδάλεις ἐν αὐτῇ πολλῷ πλείονας καὶ μείζους καὶ ταῖς ἀλκαῖς διαφέροντας συμβαίνει ἤπερ ἐν τῇ Λιβύῃ συμβέβηκε· *Robustarum vim ferarum alit Arabiæ pars Syriæ vicina. Leones enim & pardi in ea multò plures & viribus præstantiores quam in Libya procreantur.* Et lib. 3. pag. 124. ubi de *Nabatæis*, Φοιτῶσιν ἐκ τῆς ἐρήμου λεόντων, καὶ λύκων, καὶ παρδάλεων ἀγέλαι, πρὸς ἃς οἱ κτηνοτροφοῦντες ἀναγκάζονται, καὶ μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ θηριομαχεῖν ὑπὲρ τῶν θρεμμάτων. *Ex deserto commeant leonum, luporum, & pardorum catervæ, in quos pro pecoribus die nocteque depugnare coguntur pecuarii.* A *Strabone* quoque libro decimo sexto, in iisdem locis describuntur λέοντές τε, καὶ πάρδαλεις, καὶ λύκοι συχνοί, *leones, pardi, & lupi plurimi.* *Oppianus* etiam libro tertio *Cynegeticῶν*, genera leonum enumerans,

Τοὺς δὲ τρέφει μεγάδωρος Ἐρεμβῶν αὐθις ἄρουρα,

Alios autem nutrit Ermborum (sive *Arabum*) *fertilis terra.* Et his omnibus vetustior *Xenophon* in libro *De Venatione* leones capi asserit ἐν τῇ Νύσῃ τῇ ὑπὲρ τῆς Συρίας, *in* Nysa *monte supra* Syriam.

In *Judæa* porrò, & regionibus, quæ *Judæam* attingunt, cum sit leonum tanta vis, quorsum ex *Ægypto* venire לביא וליש *leænam & leonem* scribit *Esaias* capitis 30. versu 26. An, ut nonnulli asserunt, leones intel-

a) *Hist. lib.* 6. *cap.* 31.
b) *Lib.* 8. *cap.* 16.

intelligit Metaphoricos, id est, immanes homines, & truculentiæ plenos? Vel, quod puto verius, in *Ægypto*, ac vicinis locis leones aut plures esse significat, aut immaniores, quam in *Judæa*. De feris *Thebaidis* sæpe mentio est in vitis *Patrum*. Et cum *Nili* catadupa præteriisset *Apollonius* cum sociis, ἴδομεν καὶ λέοντας ἀρχὴ τῆς ὁδοῦ, καὶ παρδάλεις, καὶ τοιαῦτα θηρία ἕτερα, *viderunt & leones prope viam, & pardos, & alias hujusmodi feras*. Sic apud *Strabonem* lib. 7. in *Æthiopia* circa *Meroen* θήρα καὶ ἐλεφάντων ἐστὶ, καὶ λεόντων, καὶ παρδαλέων, *venatio elephantorum est, & leonum, & pardorum*. Et libro 16. agitur de leonibus τοῖς καλουμένοις μύρμηξιν, *qui formicæ vocantur*, quibus abundat *Troglodytica*. *Oppianus* quoque memorat leones *Æthiopicos* lib. 3. *Venat*. Et *Cyrenaicos Pindarus*, quos fugavit colonia eò à *Batto* deducta. Ad quem locum vetus *Scholiastes*, Ἀρίσταρχος κατὰ τὸν τόπον φησὶ τοῦτον, καθ' ὃν ἐκτίσθη ἡ Κυρήνη, λέοντας διατρίβειν πολλούς· τῷ δὲ Βάττῳ τὸν Ἀπόλλωνα δοῦναι τινὰς ἐπῳδὰς, δι' ὧν αὐτοὺς ἔμελλεν ἀποσοβῆσαι, καὶ τὸν τόπον ἡμερῶσαι. Aristarchus *circa illum locum in quo Cyrene condita est, multos degisse leones refert: Batto autem Apollinem quasdam incantationes dedisse, quibus illos abigeret, & locum mansuefaceret*. Sunt & *Marmarici* leones *Ægypto* proximi. *Seneca* in *Agamemnone* versu 735.

- - - - - Marmaricus *leo*
Morsus cruentos passus audacis lea.

Nemesianus Ecloga quarta,

Et sua Marmaricos *coget juga ferre leones.*

Nec *Diodoro* facilè crediderim *Arabicos* leones prope *Syriam Libycis* præferenti. Quia de *Libycis Oppianus* planè aliter lib. 3. *Venat*.

ἀλκῇ δ' ἐν μελέεσσιν ἀπείριτος, ἠδὲ λεόντων
κοιρανικοὶ Λίβυες μέγα κοιρανέουσι λέοντες.

Robur verò in membris immane est, atque inter leones regios Libyci *leones potenter dominantur.* Quod ipsum *Leo Africanus* asserit, hac addita ratione, quæ valde est vero similis: *Quantò fervidioribus locis, tantò major eorum est rabies, & audacia. Veluti in* Temesnæ *&* Fessæ *regnorum confiniis*, Angad *deserto juxta* Telesinam, *quique inter* Hipponam *&* Tunetum *degunt, quos inter celebriores & truculentiores totius* Africæ *leones referunt.* Apud *Athenæum* lib. 15. κατὰ τὴν πλησίον τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Λιβύην in *Libya Alexandriæ* proxima leonem inter venandum prostravisse legitur *Adrianus* Imperator, immanem belluam, quæ diu *Lybiam* universam ità vastaverat, ut ejus magna pars esset deserta.

CAPUT SECUNDUM.

De natura Leonum multa insignia in Sacris Scriptoribus.

Leo ferarum fortissimus. Nihil timet. Limis non intuetur. Dormit ubivis. Non retrocedit, etsi multi ingruant. Si tandem numero cedat, sæpe restitat, & convertitur. In leone Scriptura notat quinque terribilia. I. Faciem. Ita etiam Poetæ. *Virilem illi speciem tribuit* Philosophus. *In* Aristotelem *&* Hesychium *conjectura. Quid sit in leone* ἡ τῶν ὀφθαλμῶν *demissio. Vox in* Stephani Thesauro *omissa, nec ab* Aristotele *satis explicata. Nube obduci videtur facies irati hominis.* II. *Magnificum incessum*, Prov. 30, 30. *Hujus accurata descriptio ex* Philosopho, *&* Arabibus. III. *Rugitum*, Amos 3, 8. *&c. Leonum rugitum* Parthi *pugnaturi imitantur.* Oppianus *eum* Gange *confert. Post rugitum leonis statim sequitur cædes, & dilaceratio. Hinc* terram *rugitu suo vastare dicitur. Antecedens pro Consequente. Non tamen in eo vis magica, quæ audientes detineat. Rugire in* Græca *versione* ὠρύεσθαι. Aquilæ βρυχᾶσθαι *melius: quia* ὠρύεσθαι *Græci minoribus feris tribuunt, sed & leoni quandoque.* Rugire *Hebraicè* 1. שאג *locis quindecim*, 2. נהם *idest*, fremere. 3. נער rudere. *Et* Johannes Apoc. 10, 3. μυκᾶσθαι, *quorum illud asinorum, hoc boum. Tamen utrumque de leone in* Poetis, *&c.* 4. הגה, mussitare, murmurare, *sono demissiore, cum sua præda jam est compos. Idem de engastrimuthis* Es. 8, 19. *Ita Magi, umbræ, dæmones exili sono loquuntur.* IV. Os, *& dentes.* *Os leonis rectè dici. Os illi vastissimum: & dentibus cataphractum, qui durissimi. Ex ossibus leonis collisis ignis elicitur. Medulla carent. Dentibus quam valeant. Syris animal dentis, idest, fera.* V. *Manum, idest, pedes anteriores.* Arabes *quoque sic vocant, &* Græci. *Sub manu* Oppianus *illi tribuit* χεῖρα θολὴν, *non* θάρσα, *ut pravè corrigunt. Idem de hyæna tradit. Leonis digiti quinque, id est, ungues, qui maximi, & acutissimi. Eos solicitè servat.* Exarmare leonem *quid. De eo fabella* Eumenis. *Leones sylvicolæ, & monticolæ. Cur leo dicatur à præda ascendere*, Gen. 49. *Cur leonibus vehatur* Cybele. *Leo cur ad urbes quandoque accedat, & ad pastorum casas. Leonis lustra apud* Arabes *pro varietate situs diversa habent nomina.* רבץ *de leone* in lustro cubare. *Leo noctu venatur. Animal esse insidiosum probatur, quod negat* Philosophus. *Quid sit* זנק Deut. 33, 22. *Variæ versiones.* Chaldæus *notatus.* זנק in prædam insilire, *ut* Arabibus نـزق *per Metathesin, &* Æthiopicè ቀነጸ: *per inversionem. In prædam insilire leonum proprium.* Theocriti *locus explicatus. Leo lingit sanguinem, ossa frangit, carnes discerpit, præcipue cor appetit*, Os. 13, 8. *quæ singula multis probantur. Refellitur commentum de ave coredulo. Loca à leonibus vastata, & desolata. Magna in* Libya *provincia ab uno leone vastata. Similia in* Prophetis. *Leænam tantum semel, nec nisi unum catulum parere, quia matris vulvam discerpit catulus, mera fabula. In* Prophetis *leæna multos catulos tribui, & in* Aristotele. *De numero catulorum* Græcæ *&* Arabicæ *fabulæ refelluntur. Similes nugæ de partu felis. Leonis halitus fœtens* Job. 6, 7. *in* Græca *versione. Quod quidem verum, sed in* Hebræo *nihil tale. Unde sit hoc glossema.*

LEoni regnum assignatur super reliqua animalia propter insignem fortitudinem, quam disertis verbis passim deprædicant Sacri Scriptores. Sic *Jud.* 14, 18. *Quid leone fortius?* Prov. 30, 30. *In bestiis leo fortissimus est.* Hinc de *Saule*, & *Jonathane*, 2. Sam. 1, 23. *Erant aquilis leviores, & leonibus fortiores.* Et 2. Sam. 17, 10. *Fortissimus quisque, cujus cor erat ut cor leonis.* Græcè uno verbo θυμολέοντα, vel λεοντόθυμον dixeris. Ita *Herculem* (a) & *Achillem* (b) θυμολέοντα *Poetæ* vocant. De leone scilicet idem pronunciant *Græci* & *Romani* Scriptores, illo nihil esse fortius. *Aristoteles*, *Hist.* lib. 1. cap. 1. Τὰ δὲ θηρία, ἐλεύθερα, καὶ ἀνδρεῖα, καὶ εὐγενῆ, οἷον λέων· *Feræ quædam liberæ sunt, & strenuæ, & generosæ, ut leo. Lucretius* libro quinto,

Principio genus acre leonum sævaque sæcla
Tutata est virtus, vulpes dolus, & fuga cervos.

Germanicus ad *Aratum*. *Leonem beneficio* Junonis *inter astra collocatum dicitur, eo quod virtute cæteras præcelleret. Ælianus Var.* lib. 12. cap. 39. Ἀλκιμο-

a) Iliad. lib. [illegible] Odyss. [illegible] b) Iliad. [illegible] Hesiod. [illegible] versu 100.

μέν τά ἐν τε, καὶ δυσμαχώτατον θηρίον, ἡ λέαινα· *Omnium robustissimum, & invictissimum est animal leana.* Fortitudinis in leone & generositatis indicium est, quod nihil timet. *Nahum.* 2, 11. *Ubi est lustrum leonum, & pascuum leunculorum, quo it leo, ubi est leana cum catulis suis,* ואין מחריד *nec est, qui terreat.* Hinc *Solomon Prov.* 28, 1. צדיקים ככפיר יבטח *Justi ut leunculus confidit*, id est, Sunt ut leunculus, qui confidit, vel *confidit*, id est, *confidunt.* Sic *Ps.* 125, 1. *Qui confidunt Domino, instar montis* Sion, לא ימוט *non commovebitur*, id est, *non commovebuntur. Hebraismus* est, quo Verbum cum propinquo nomine convenit, non cum remotiore. Ad leonis fiduciam pertinent hæc *Philosophi Hist.* lib. 9. cap. 44. Ἔστι δὲ τὸ ἦθος, οὐχ ὑπόπτης οὐδενὸς, οὐδ' ὑφορώμενος οὐδέν· *Mores quod attinet, non est suspicax, neque limis oculis aspiciens*, ut suspiciosi solent. Quo *Plinius* alludens lib. 8. cap. 16. *Dolis*, inquit, *carent, & suspicione, nec limis intuentur oculis.* Hoc quoque fiduciæ argumentum est, quod ad dormiendum non secedit in loca remota, & abdita, sed somnos capit ubivis. *Oppianus, De Venat.* lib. 3.

Οὐδ' ὕπνον μυχάτοισιν ἔχει περὶ τέρμασι πέτρης.
Ἀμφαδὸν ὑπνώει δὲ θρασύφρονα θυμὸν ἐλίσσων,
Εὕδει δ' ἔνθα κίχησιν ὑπείροχος ἑσπερίη νύξ.

Nec somnum capit ad extremos scopuli terminos. Quin dormit in propatulo, audacem animum versans. Dormit autem ubicunque eum eminens deprehendit vespertina nox. Quasi sciat neminem esse, qui ubivis sic dormientem excitare audeat. Unde *Jacob* de *Juda* Gen. 49, 9. *Decubuit leonis aut leanæ instar, quis excitabit eum?* Et *Balaam* de populo *Israelitico* Num. 24, 9. *Inclinavit se, & dormivit ut leo, & ut leana, quis excitabit eum?* Sed leonis generositas maximè apparet in periculis. Dum enim prædæ suæ incumbit, *licet convocetur in eum multitudo pastorum, voce eorum non terretur, nec propter strepitum eorum cedit*, Es. 31, 4. *Nec ullius metu retrogreditur*, Prov. 30, 30. Quale illud *Homeri Iliad.* μ'. versu 299.

- - ὥς τε λέων ὀρεσίτροφος, ὅς τ' ἐπιδευὴς
Δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ
Μήλων πειρήσοντα, καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν·
Εἴ περ γάρ χ' εὕρῃσι παρ' αὐτόφι βώτορας ἄνδρας
Σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα,
Οὔ ῥά τ' ἀπείρητος μέμονε σταθμοῖο δίεσθαι.
Ἀλλ' ὅγ' ἄρ ἢ ἥρπαξε μετάλμενος, ἠὲ καὶ αὐτὸς
Ἔβλητ' ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.

Sicut leo in montibus nutritus, jam diu carnium indigens, quem impellit animus superbus oves tentaturum etiam in densam caulam ire. Et si inveniat apud ipsas pastores viros cum canibus, & hastis, custodiam agentes circa oves, non tamen re intentata à caula pelli sustinet: sed aut is rapit transiliens, aut etiam ipse vulneratur inter primos jaculo ab expedita manu emisso. Et *Iliad.* σ'. v. 461.

Ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἴθωνα δύνανται,
Ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι·

Ut fulvum leonem, cùm valde esurit, à corpore abigere non possunt pastores, qui in agris degunt. Ubi σώματος *corporis* nomine ἄψυχον τὸ σῶμα, id est, *cadaver*, intelligit *Eustathius*, ut *Iliad.* γ'. 23. Sed vetus *Scholiastes* utrobique vivum animal, quia νεκροῦ φασι σώματος μὴ ἅπτεσθαι λέοντα, *leonem cadaver attingere negant.* Quod si venatorum & canum numero tandem cedere cogitur, tamen illum apparet, nonnisi coactum cedere, quia subinde restitat, & convertitur. Unde *Poëta Iliad.* ρ'. *Menelaus Hectori* cedit,

Ἐντροπαλιζόμενος, ὥστε λῖς ἠϋγένειος,
Ὅν ῥα κύνες τε καὶ ἄνδρες ἀπὸ σταθμοῖο δίωνται
Ἔγχεσι, καὶ φωνῇ· τοῦ δ' ἐν φρεσὶν ἄλκιμον ἦτορ
Παχνοῦται, ἀέκων δέ τ' ἔβη ἀπὸ μεσσαύλοιο.

Subinde se convertens, ut leo bene-jubatus, quem canes & viri à stabulo hastis & clamore abigunt: hujus autem in præcordiis fortis animus mœrore afficitur, invitusque abit à caula. Nec multò aliter *Poëta* summus libro nono *Æneidos*,

- - - - ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis, atteritus ille,
Asper, acerba tuens, retrò redit. Et neque terga
Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contra
Ille quidem, hoc cupiens, potis est per tela, virosque.

Nec est, quod quis *Poëtas* putet more suo leonis animum plus justo efferre. Quippe etiam Naturæ Scriptores leonem apertè & contento cursu fugere negant, quantacunque vis canum, aut venatorum, in illum ingruat. *Aristoteles Hist.* lib. 9. cap. 44. Ἐν δὲ ταῖς θήραις ὁρώμενος μὲν οὐδέποτε φεύγει, οὐδὲ πτήσσει, ἀλλ' ἐὰν καὶ διὰ πλῆθος ἀναγκασθῇ τῶν θηρευόντων ὑπαγαγεῖν, βάδην ὑποχωρεῖ, καὶ κατὰ σκέλος, καὶ κατὰ βραχὺ ἐπιστρεφόμενος. *In venationibus autem, dum videtur, nunquam fugit, nec consternatur. Sed, si per venatorum copiam cedere cogitur, sensim recedit, & pedetentim, & crebrò se convertens.* Et *Plinius* lib. 8. cap. 16. *Quamlibet magna canum & venantium urgente vi, contemptim restitansque cedit in campis, quamdiu spectari potest.* Et *Solinus*, *Cum premuntur à canibus, contemptim recedunt, interdumque ancipiti recessu dissimulant timorem.* Et *Ælianus* lib. 4. cap. 34. Καὶ φύγοι δὲ οὐκ ἄν ποτε τὰ νῶτα τρέψας λέων, ἡσυχῇ δὲ ἐπὶ πόδα ἀναχωρεῖ, βλέπων ἀντίος, καὶ ὑποβρύχων· *Nunquam terga vertit in fuga, sed sensim pedetentimque se recipit, cum rugitu contrà intuens.*

Quinque hæc Scriptura notat in leone terribilia, 1. faciem, 2. incessum, 3. rugitum, 4. os, seu dentes, 5. manum denique, vel ungues aduncos. Terribilem esse faciem *Esdras* apertè insinuat, cum fortissimos illos *Gaditarum* duces undecim, qui stabant à *Davidis* partibus, refert habuisse *leonum facies*, 1. Par. 12, 8. Sic etiam *Ovidius* de *Hippomene*, & *Atalanta* jam leonibus,

Iram vultus habet. - - - -

Et *Oppianus De Venat.* lib. 3. versu 8.

Σμερδαλέος δὲ πρόσωπα καὶ αὐχένα.

Terribilis est facie, & cervice. Et apud *Statium Thebaidos* libro undecimo leonem præ senio jam viribus effœtum commendat tamen faciei majestas. Verba sunt,

- - - - *qualis leo rupe sub alta,*
Quem viridem quondam sylva montesque tremebant,
Jam piger, & longo jacet exarmatus ab ævo:
Magna tamen facies, & non adeunda senectus.

Magnam illam faciem ita graphicè describit *Philosophus* in *Physiognomonicis* capite quinto, Φαίνεται γὰρ τῶν ζώων ἁπάντων λέων τελεώτατα μετειληφέναι τῆς τοῦ ἄρρενος ἰδέας· ἔστι γὰρ ἔχων στόμα εὐμεγέθες· τὸ δὲ πρόσωπον τετραγωνότερον, οὐκ ἄγαν ὀστῶδες, τὴν ἄνω γένυν οὐ προεξεστηκυῖαν, ἀλλὰ ἰσορροποῦσαν τῇ κάτω· ῥῖνα δὲ παχυτέραν, ἢ λεπτοτέραν· χαροποὺς ὀφθαλμοὺς, ἐγκοίλους, οὐ σφόδρα περιφερεῖς, οὔτε ἄγαν προμήκεις, μέγεθος δὲ μέτριον, ὀφρὺν εὐμεγέθη, μέτωπον τετράγωνον, ἐκ μέσου ὑποκοιλότερον, πρὸς δὲ τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν ῥῖνα ὑπὸ τοῦ μετώπου οἷον νέφος ἐπανεστηκὸς, ἄνωθεν δὲ τοῦ μετώπου κατὰ τὴν ῥῖνα ἔχει τρίχας ἐκκλινεῖς, οἷον ἂν ἄσυλον· *Virilem speciem leo videtur omnium animalium perfectissimè referre. Habet enim os magnum, faciem quadratam, neque osseam nimis, superiorem mandibulam non eminentem, sed deorsum æqualiter pendentem: nasum magis crassum, quam tenuem: oculos casios, concavos, non valde rotundos, neque nimis oblongos, sed mediocris magnitudinis, supercilium magnum, frontem quadratam, in medio aliquantum cavam, ad supercilia autem & nasum sub fronte tanquam nubem incumbentem: & supra frontem ad nasum habet pilos inclinatos tanquam asylum.* Quid ibi vocet ἄσυλον ignoro cum ignarissimis. Vox fortasse est corrupta, & pro ἂν ἄσυλον divisis vocibus, scribendum ἀνάσυλλον, vel ἀνάσιλλον, id est, *coronam. Hesychius*, Ἀνασισυλιακῶς, ἐστεμμένας ἔχειν τὰς τρίχας, ἀνάσιλλος στιφρός. Legendum ἀνασισυλλιακῶς, & ἀνάσυλλος, vel

ἀνασπᾶσθαι, & ἀνάσιλλος. In *Etymologico* ἀνάσιλλον τρίχωμα est *capillitium* ἀπὸ μετώπου εἰς κορυφὴν ἀνεσπασμένον *à fronte in verticem versum.* Sed *Hesychius* hoc idem scribit ἀνάσιμον. Verum est, quod primum diximus, legendum esse, ἀνάσιλλον, vel ἀνάσυλλον. Voluit enim *Philosophus* leonis antias, sive capronas, in frontem propendere in coronæ modum. Nubes porrò, quam sub fronte ad nasum, & supercilia describit, creditur id esse, quod *Poeta* vocat τὸ ἐπισκύνιον, cum de leone dicit *Iliad.* ρ'. versu 135.

- - - - ὁ δέ τε σθένεϊ βλεμεαίνει,
Πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε καλύπτων·

Ille autem robore ferociens totum episcynium deorsum trahit, oculos tegens. Τὸ ἐπισκύνιον veteri *Scholiasti* ad hunc locum est τὸ ἐπάνω τῶν ὀφθαλμῶν μέρος, ἤτοι δέρμα, τὸ συνοφρύωμα τοῦ μετώπου· ὅθεν καὶ σκύζεσθαι τὸ ὀργίζεσθαι διὰ τὸ ἐσθλάζεσθαι γίγνεσθαι τὸ μέρος τοῖς ὀργιζομένοις, *pars, quæ est supra oculos, aut cutis; locus frontis, in quo supercilia concurrunt: unde & σκύζεσθαι est irasci; quia in iratis hæc pars afficitur.* Et *Eustathio* ἐπιδέρμιον ὃ ἐπιχαλᾶται τοῖς τῶν λεόντων ὀφθαλμοῖς, καὶ καλύπτει αὐτοὺς προνοίᾳ φύσεως, οὐ τοσοῦτον διὰ θυμὸν, ὅτε σκύζεται τὸ θηρίον, ὅ ἐστιν ὀργίζεται, ὅσον ἵνα μὴ βλέπων τὰ ἐπιρριπτόμενα βέλη, δειλαίνηται, *cuticula, quæ in leonum oculos demittitur, & eos obtegit providentia naturæ, non tam in ira, cum fera σκύζεται, id est, irascitur, quam ne tela, quæ conjiciuntur, videns, timore percellatur.* In *Hesychio* redditur τὸ ἐπάνω τῶν ὀφθαλμῶν ὀφρύδιον, ἢ τὸ μεσόφρυον, *parvulum supra oculos supercilium, aut quod inter supercilia medium est.* Et in *Cyrillo* τὸ ἐπικείμενον τῷ μετώπῳ, ἢ ἡ αἰδὼς ἢ τὸ, ὀφθαλμοῖς δέρμα τὸ ἐπάνω τῶν ὀφρύων· *Quod fronti superjacet, aut verecundia, aut in oculis cutis super supercilia.* In *Polluce* σκύνια est *superior palpebra*, unde ἐπισκύνια dicuntur, τὰ περὶ τὰς ὀφρῦς γεῖσα, *superciliorum suggrundia*, seu *partes prominentes.* In *Theocriti Scholiaste* Idyll. 16. λέγεται ἡ τῶν ὀφρύων κάθεσις ἐπισκύνιον· τοῦτο δὲ ποιεῖ ὁ λέων, ὅταν κυσὶ κυκλωθῇ, καὶ μέλλει πολεμεῖν αὐτοῖς. Episcynion *dicitur superciliorum demissio, quod facere leo dicitur, cum, à canibus obsessus, in eos pugnaturus est.* Eandem vocem usurpat *Aristophanes* in *Ranis*, ubi *Æschylum* cum leone confert his verbis,

Φρίξας δ' αὐτοκόμου λοφιᾶς λασιαύχενα χαίταν,
Δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων, βρυχώμενος ἥσει
Ῥήματα γομφοπαγῆ· - - - -

Cervicis per se comatæ hirsutam jubam erigens, horrendumque episcynium contrahens, cum rugitu mittet verba tanquam clavis compacta. Et ibi *Scholiastes pellem* interpretatur quæ est circa supercilia, voce à σκύλος deducta, λ & ν permutatis. Σκύλος enim, inquit, *pellis* dicitur, unde σκυλοδέψης *coriarius*, ut βυρσοδέψης. Ità etiam *Etymologus. Oppianus* etiam, tigridem cum leone conferens, libro tertio *Cynegeticῶν*,

- - - - τοῖον ὕπερθεν
Νεύει ἐπισκύνιον, τοῖον καναχοῦσιν ὀδόντες·

Tale supernè nutat episcynium, ità crepitant dentes. Et *Suidas* ex *Epigramate*, ut videtur,

Γυμνώσαντα βίου παντὸς ἐπισκύνιον,

Nudato vitæ totius episcynio. Philostratus quoque utitur, cum de *Achille* dicit in *Heroum Imaginibus*, Ἐπισκύνιόν τε, καὶ θυμοειδὲς φρύαγμα ἔστι μὲν ἤδη τῷ παιδί. *Episcyniumque, & iracunda ferocia puero jam inest. Glossarium* vetus in capite *De membris* ἐπισκύνιον *cilium* reddit, & Philoxenus *supercilium. Tzetzes Chil.* 10. Hist. 305. exponit τὸ μέρος τῶν ὀφρύων, ὅπερ ποτὲ χαλάσαντες τοῖς τόποις τῶν βλεφάρων δοκοῦμεν ἄγριοί τινες εἶναι, καὶ θηριώδεις, *pars ciliorum, quam aliquando demittentes in loca palpebrarum, videmur rustici quidam esse, atque ferini.* Addit à feritate dici τῶν σκύμνων, id est, *catulorum leonis*, ἢ ἐκ τοῦ σκύζω, id est, *irrito.* Mirabere vocem à *Græcis* toties usurpatam, & tam accuratè explicatam in *Thesauro Stephani* fuisse prorsus omissam. Et τὸ τῶν λεόντων ἐπισκύνιον à *Philosopho*, qui *Homerum* tanta cura legerat, solum describi hac Periphrasi, ὀφρῦς τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν ῥῖνα ὑπὸ τοῦ μετώπου, οἷον νέφος ἐπανεστηκός, *superciliis, & naso sub fronte, tanquam nubes, incumbens.* Ubi tamen eleganti Metaphora *nubes* vocatur episcynii in ira demissio, quo & oculi pars obtegitur, & vultus, tanquam nube obductus, fit tristior, & morosior. Hinc de *Ismene Sophocles* in *Antigone* versu 533.

Νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν
Ῥέθος αἰσχύνει, - - - -

Nubes autem super supercilia cruentam faciem deformat. Et *Euripides* in *Hippolyto*, de nutrice *Phædræ*,

Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὐξάνεται,

Tristis superciliorum nubes augetur. Et in ejusdem *Electra Clytemnestræ* imputatur, quod, cum res *Trojanorum* malè cederent, illam viderent συννεφοῦσαν ὄμματα *oculos obnubilantem.* Et in *Phœnissis* Regem *Creontem* συννεφῆ *nubilosum*, id est, *tristem*, & *morosum* appellat Chorus. Quale illud *Ciceronis* Orat. 37. in *Pisonem*, *Frontis tuæ nubeculam pertimescerem.* Et *Horatii* ad *Lollium* lib. 1. Epist. 18. *Deme supercilio nubem.* Id explicavi pluribus, quia nihil est in irritati leonis facie terribilius, quàm illa, quam diximus episcynii demissio. Et tum verè est عابس *abis*, vel عوبس *ubas*, vel عباس *abbas*, vel عبوس *abus*. Quibus nominibus *leonem* vocant *Arabes* à tetrico & austero vultu.

De leonis incessu ita *Solomon*, *Prov.* 30, 30. *Tria sunt, imò quatuor, quæ magnificè incedunt: Leo, in bestiis fortissimus, qui nullius metu retrogreditur*, &c. Et *Philosophus Hist.* lib. 2. cap. 1. Κατὰ σκέλος δὲ βαδίζουσιν ὅ τε λέων, καὶ αἱ κάμηλοι ἀμφότεραι, αἵ τε Βακτριαναί, καὶ αἱ Ἀράβιαι. τὸ δὲ κατὰ σκέλος ἐστὶν, ὅτι οὐ προβαίνει τὸν ἀριστερὸν τὸ δεξιὸν, ἀλλ' ἐπακολουθεῖ. *Pedatim incedunt leo, & cameli utrique*, Bactriani & Arabici. *Pedatim autem incedere est, cùm pes dexter sinistrum non transgreditur, sed subsequitur.* Idem in *Physiognomonicis* leoni tribuit βάσιν νεανικὴν *juvenilem gressum*, id est, strenuum, qualis est juvenum. Et describit tanquam animal βαδίζον βραδέως, καὶ μεγάλα διαβαῖνον, καὶ διασαλεῦον ἐν τοῖς ὤμοις ὅταν πορεύηται, *tardè incedens, & magnis passibus, & humeros quatiens cum ambulat.* Unde capite sequenti, Οἱ τοῖς ὤμοις ἐπανασαλεύοντες ἀνακεκυφότες, μεγαλόφρονες· ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς λέοντας. *Qui* (inter gradiendum) *curvatis humeros quatiunt sunt magnanimi: refertur* enim *ad leones.* Nec multò aliter *Adamantius*, Ὁ δὲ ἐν τοῖς ὤμοις ὑποκινούμενος, καὶ ἅμα βραχέως κεκυφὼς, μεγαλονοίας καὶ ἀνδρείας ἐχόμενος· οὕτω γὰρ καὶ λέων βαίνει. *Movere humeros leviter inflexum, magnanimitatis & fortitudinis convenit: ita enim graditur leo.* Sed, cum *Græcis* & *Romanis* propriæ voces nullæ sint, quæ leonis incessum peculiariter designent, en tibi multas apud *Arabes*! اخبعث in *Alcamus* مشي مشية الاسد *incessit more leonis.* Ibidem المتدلف est *leo, qui lentè incedit*, id enim propriè est تدلف. Et المتندي in leonibus est المختر id est, *cum fastu incedens.* Ita etiam المياس *leo, qui inter eundum corpus in latera movet*, qui superbus est incessus. Sed & الهواس *leonis* genus est *à gressu dicti.* Nempe الهوس المشي الذي يعتهد فيه صاحبه على الارض

Alhaus

Alhaus *est incessus genus, quo qui utitur terræ firmiter innititur.* Hæc de leonum incessu apud *Arabum Lexicographos*, quibus *Solomonis* locus non parùm illustratur.

Rugitus quoque leonis terribilis est. Hinc *Amos* 3. v.8. *Leo rugit, quis non timebit?* Leonis scilicet rugitus valde sonorus est. Unde *Esa* 12. v. 8. de eo, qui in excubiis est, *Et clamavit ut leo*, quid videat significaturus. Et *Apoc*.10.v.3. de Angelo, *Et clamavit voce magna; ut rugit leo.* Sed & dirum aliquid habet, & omninò lugubre, quodque comparatum videtur ad terrorem incutiendum. Proinde apud *Plutarchum* in *Crassi* vita, *Parthi*, ad prælium se comparantes, ut hostes metu percellerent, partim æreis quibusdam crepitaculis, partim militari ululatu, βύθιόν τι, καὶ φοβερὸν ὠρυγῇ θηριώδει, καὶ τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον, *profundum quiddam, & dirum rugitu ferino* (id est, leonino) *& tonitrus asperitate mistum* exprimebant. Neque successu res caruit. Sequitur enim, ἐκπεπληγμένων δὲ τῶν Ῥωμαίων διὰ τὸν ἦχον, Romanis *eo strepitu perterritis.* Nempe, ut idem addit, τῶν αἰσθητηρίων ἡ ἀκοὴ ταρακτικώτατόν ἐστι τῆς ψυχῆς, καὶ τὰ περὶ ταύτην πάθη τάχιστα κινεῖ, καὶ μάλιστα ἐξίστησι τὴν διάνοιαν, *auditus omnium sensuum maximè turbat animum, ejusq; affectus ocyssimè ciet, ac potissimum mentem de statu dejicit.* Apud Oppianum, *De Venatione* libro quarto *Ganges*, maximus *Indiæ* fluvius, qui, viginti fluviis auctus, magno impetu per scopulosa & abrupta dejicitur, non tantùm edit fragorem,

Οἷον ὑπομαραγεῖ δρυμὸς ἄσπετον, ἠδὲ χαράδραι
Βρυχηθμοῖς ὀλοοῖσιν, ὑπηχεῖται δ' ὅλος αἰθήρ·

Quàm resonat sylva vehementer, & valles leonis *rugitibus perniciosis, reboat verò totus æther.* Sed in rugitu leonis hoc maximè terribile est, quod hac quasi clarigatione, aut hoc classico, si mavis, bellum indicit. Et post rugitum statim sequitur strages, & dilaceratio. Neque enim acri illo, & contento rugitu rugire solet, nisi cum videt prædam, in quam protinus irruat. Unde *Amos* 3. v.4. *An rugiet leo in sylva, cum præda non est ei? An edet leunculus vocem suam è cubili suo, nisi sit quod capiat?* Et *David* Psal. 104. v.21. *Leunculi rugientes ad prædam.* Et *Esaias* capitis quinti versu vigesimo nono, *Rugitus ei ut leana, & rugiet ut leunculi, & fremet, & capiet, & salvam prædam auferet, nec erit qui eripiat.* Et capitis trigesimi primi versu quarto, *Ut rugit leo, & leunculus ad prædam suam.* Et *Jerem.* 2. vers.15. *In eum rugient leunculi. Ediderunt vocem suam, & posuerunt terram ejus desolationi.* Et *Ezech.* 22. v.25. *Ut leo, qui rugiens rapit prædam.* Et capitis decimi noni versu septimo, *Desolata est terra, & plenitudo ejus voce rugitus illius.* Antecedens pro Consequente. Nam præcisè loquendo per rugitum suum leo terram non desolat, sed per ea, quæ rugitum consequuntur. Nempe cum rugitu edito in homines & greges insilit, eosque immanem in modum contritos, & discerptos vorat. Sumptâ tamen occasione ex hujusmodi Scripturæ locis, nonnulli veterum leonis rugitui vim tribuunt, prope dixerim magicam, quâ animalia sic detineat, ut eo semel audito obtorpescant, & fugere haud quaquam possint. *Glossa* vetus in *Amos* 3. v.4. ex *Remigio Altissiodorensi*: *Leo, cùm famem patitur, si videt prædam, dat rugitum, quo audito feræ stant fixo gradu stupefactæ.* Et de eodem *Basilius* in *Hexaëmeron Homilia* nona, Ὧι καὶ τηλικαῦτα τῆς φωνῆς τὰ ὄργανα ἡ φύσις ἐνέθηκεν, ὥστε πολλὰ τῶν ζώων ὑπερβάλλοντα τῇ ταχύτητι μόνῳ πολλάκις ἁλίσκεσθαι τῷ βρυχήματι· *Cui natura talia præstitit vocis organa, ut animantium complura, quæ ipsum celeritate superant, solo sæpe rugitu vocis capiantur.* Quod *Ambrosius* sic imitatur in *Hexaëmeron* libri sexti capite tertio, *Cujus vocis tantus naturaliter inest terror, ut multa animantium, quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu, velut quadam vi attonita, atq; illa* deficiant. *Græcis Rugire* est βρυχᾶσθαι, & *rugitus* βρύχημα· quas voces sæpe adhibuit *Aquila* pro *Hebræis* שאג, & שאגה, ut apparet ex fragmentis, quæ supersunt *Psal.* 22. v.2. & 32. v.3. & 38. v.9. *Esa.* 5. v.29. &c. Sed *Seniores* utuntur libentius vocibus ὠρύειν, vel ὠρύεσθαι, & ὤρυμα, ac si sint Synonyma prioribus, quas diximus. Sic *Jud.* 14 v.5. Σκύμνος λέοντος ὠρυόμενος. *Psal.* 22. v.22. al. 21. v.23. Ὡς λέων ἁρπάζων, καὶ ὠρυόμενος. *Psal.* 104. al. 103 v. 22. Σκύμνοι ὠρυόμενοι. *Jer.* 2. v.15. Ἐπ' αὐτὸν ὠρύοντο λέοντες. *Ezech.* 19. v.7. de leone, Ἀπὸ φωνῆς ὠρύματος αὐτοῦ. *Ezech.* 22. vers. 25. & *Soph.* 3. v. 4. Ὡς λέοντες ὠρυόμενοι. *Zachar.* 11. v.3. Φωνὴ ὠρυομένων λεόντων. Unde *Petrus Apostolus* 1. Pet. 5. v. 8. Ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ. Proinde *Esa.* 5. v.29. pro ὀργιῶσιν ὡς λέοντες, legendum est, ὠρύωσιν. Nam *orgia* nihil ad leonem. Et *Hebræa* habent, שאגה לו כלביא. *rugitus illi tanquam leana.* Sunt, quibus hæ locutiones minus *Græca* videntur, quia in *Polluce* (lib. 5. cap. 13.) luporum, vulpium, & thoum est, ὠρύεσθαι, ut leonum, ursorum, & pantherarum βρυχᾶσθαι. Et verò ὠρύεσθαι de canibus plerumque dicitur, & minoribus feris. Sic *Lucianus* meminit τῶν κυνῶν ὠρυομένων. In *Oppiani* lib. 4. *De Venatione* canis

- - - - - ἀτλαστεχὴς ὀδύνῃσιν
Ὠρυθμοῖς ὑλάει. - - - - -

In *Bione Adonidem*

- - - - - φίλοι κύνες ὠρύσαντο.

Et de *Daphnide* dicit *Theocritus*,

Τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο.

In *Nonni Dionysiacis*, libro secundo, inclamante *Typhæo*,

Ὠρυγὴ κελάδησε λύκων, βρύχημα λεόντων.

In *Theophrasti* libro *De signis tempestatis*, λύκος ὠρυόμενος χειμῶνα σημαίνει· ut in *Arato*,

Καὶ λύκος ὁππότε μακρὰ μονόλυκος ὠρύηται.

Tamen etiam leonibus τὸν ὠρυθμὸν tribui videas, & τὸ ὠρύεσθαι. Nam apud *Theocritum* de leone *Nemeæo* dicit *Hercules*,

Ἦμαρ ἔην τὸ μεσηγύ, καὶ οὐδέ πη ἴχνια τοῖο
Φρασθῆναι δυνάμην, οὐδ' ὠρυθμοῖο πυθέσθαι·

Jam diei medium erat, neque usquam illius vestigia poteram animadvertere, neque rugitum audire. Et *Apollonius Argonauticῶν* lib. 4. versu 1338.

- - - λέων ὥς, ὅς ῥά τ' ἀν' ὕλην
Σύννομον ἣν μεθέπων ὠρύεται - -

Ut leo, qui per sylvam compascuam suam sequens rugit. Ubi *Scholiastes*, Ὠρύεται, ἀντὶ τοῦ βοᾷ· ἔστι δὲ τῆς τῶν λεόντων φωνῆς. *Hesychius* itidem, Ὠρυομένων, κραζόντων. Κυρίως δὲ ἐπὶ λιμῷ κλαιόντων λύκων, ἢ λεόντων ἢ κυνῶν. Et *Philoxeni Glossæ*, Ὠρύομαι, *rugio.* Hæc de *Græcis.* At *Hebræi* quatuor vocibus hoc ipsum efferunt, quarum prima שאג in *Prophetis* pro *rugitu leonis* occurrit quindecim locis. Insuper Deo tribuitur, qui, rugientis leonis instar, voce sua graviter intonat, ut *Job.* 37. v. 4. *Jer.* 25. v.30. *Joel.* 3. v.16. *Amos* 1. v. 2. Et hominibus, sive minentur, ut *Psal.* 74. v. 4. sive graviter ingemiscant, ut *Psal.* 22. v. 2. & 32. v. 3. & 38. v. 9. Quin pro lacrymis sumitur, quæ gemitum comitantur, in his *Job.* 3. v.24. *Stillant, ut aqua rugitus mei.* Sed & *Græcè* ὠρυθμὸν *rugitum* pro *ejulatu*, & *planctu* adhibet *Quintus Calaber.* Et in *Nicandri Alexipharmacis* versu ducentesimo vigesimo primo, qui toxicum bibit βρυχανάαται ὠρυδὸν *rugit cum fremitu*, aut *cum rugitu*, id est, *graviter ejulat.*

II. Verbo שאג *faag*, synonymum נהם *naham*, Sacri Scriptores nonnisi de leunculis usurpant. Sic *Prov.* 19. v.12. & 20. v. 2. נהם ככפיר, *rugit*, vel *fremuit, ut leunculus.* Et *Esa.* 5. vers. 29. וישאג ככפירים וינהם, *Et rugiet ut leunculi, & fremet. Chaldæi* tamen, & *Arabes*, cuivis leoni tribuunt. Proinde *leo Arabicè* dicitur نهام. Propriè נהם est *fremere*, ut המה. Itaque quomodo המה *fremere* de mari passim oc-

occurrit (ut *Psal.* 46. *v.* 4. *Esa.* 17. *v.* 12. & L. 42. & 51. *v.* 55. *Jerem.* 5. *v.* 22. & 6. *v.* 23. & 31. *v.* 35. & 51. *v.* 55.) ita legas *Esa.* 5. *v.* 30. וינהם, *Et fremet super illum in ea die* כנהמת ים, *juxta fremitum maris*, id est, *prout mare fremit*. Unde in leonem rectè transfertur. Nam & de leone *Poeta* dixit *Æneidos* libro nono, & duodecimo,

- - - - - - - *fremit ore cruento.*

Et *Lucanus* lib. 1.

- - *vasto & grave murmur hiatu*
Infremuit. - - - - - -

Et *Seneca* in *Oedipo*.

- - *cessat irati fremitus leonis.*

Et *Plinius* lib. 8. cap. 16. *Ubi sævit in viros, priusquam in fœminas, fremit.* Et *Licentius Hipponensis* de *Proteo*,

Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis.

Græcis quoque *leonum* Epitheta sunt ἐριβρεμέτης, & ἐρίβρομος, ut *Oppiani Cynegeticῶν* lib 4.

- - - - - ἐρίβρομος ἠΰκομος λίς,
Graviter fremens bene-jubatus leo.

III. Magis insolens videbitur, quòd *Jeremias* leonum catulos rudere scribit capitis quinquagesimi primi versu 38. *Ut leunculi*, inquit, *rugiunt*, *rudunt ut catuli leonum*. Id enim propriè נערו. Itaque ad hunc locum *R. Selomo*, & *Kimchius* observant *asinum rudentem Hebraicè* dici חמור נוער. Sed eadem Catachresi dixit *Poeta* summus lib. 7. *Æneidos*,

- - - - - - - *iraque leonum*
Vinc'la recusantum, & serâ sub nocte rudentum.

Ubi *Servius*, *Ruditus propriè clamor est asinorum, ut grunnitus porcorum, ranarum autem coax.* *Johannes* etiam *Apoc.* 10. *v.* 3. Ὥσπερ λέων μυκᾶται, *ut leo mugit*: cum *mugire* sit boum. Sed rationem κατηχήσεως ita docet *Plutarchus* in libro *De terrestribus & aquaticis animalibus*, Κἂν λάβωσιν ὁτιοῦν, ἀνακαλοῦνται μόσχου μυκήματι τὸ βρύχημα ποιοῦντες ὅμοιον· *Si quid capiant* (patres leones) *advocant* (catulos suos) *rugitum vituli mugitui similem edentes.* Hinc *Theocritus* in *Bacchis* de *Agave Penthei* matri,

Μάτηρ μὲν κεφαλὰν μυκήσατο παιδὸς ἑλοῖσα,
Ὅσσον περ τοκάδος τελέθει μύκημα λεαίνης·

Mater quidem mugiit capite filii sublato tanto mugitu, quantus est fœtæ leænæ mugitus. Et *Seneca* in *Hercule Oetæo*,

At ille, ut ingens, nemore sub Nasamonio,
Æger reclivi pectore admugit leo.

Oppianus quoque mugitum videtur cum rugitu confundere, cum dicit ubi supra.

Μυκᾶται βρύχημα πελώριον, - - -
Gravi rugitu mugit. Et in *Ajace Sophocles* versu 323.

Ὑπεστέναζε ταῦρος ὣς μυκώμενος,
Gemebat ut taurus mugiens, pro μυκώμενος quædam editiones habent βρυχώμενος *rugiens*, pro *mugiens*.

IV. Quid quod הגה Verbum, quod *meditari* & *mussitare* significat, de leone sic usurpatur? *Esa.* 31. *v.* 4 כאשר יהגה האריה והכפיר על טרפו ad verbum, *Ut mussitabit leo, & leunculus, super prædam suam*: nempe analogicâ ratione. Neque enim intelligitur plenus leonis rugitus, sed demissior sonus, qualem edit leo prædæ suæ jam compos. Qui à pleno rugitu non minùs differt, quàm à latratu gannitus, aut à pleno sermone mussitatio. *Græcè* dixeris ὑποβρύχημα. *Ovidius murmur* appellat, cum de *Hippomene* & *Atalanta* in leones mutatis dicit,

Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt.

Atque id propriè est הגה. Hinc *Esa.* 8. 19. *Consulite* Pythonicos, *& ariolos*, המצפצפים והמהגים *qui susurrant, & qui mussitant.* Agitur de engastrimuthis, & vatibus necromanticis, qui mortuorum umbras evocant, ut docent sequentia. Hi porro exili solent & submissa voce loqui. Hinc *Nonnus* libri quarti *Dionysiacῶn* versu 272.

Καὶ κρυφίην μάγον ὕμνον ἀνέκλαγε θυάδι φωνῇ
Λεπτὸν ἔχων ὀλόλυγμα· - - - -

Et magicum hymnum resonavit occulta voce sacra exile murmur edens. Qualem etiam dæmonibus vocem tribuunt hujus artis ἐπόπται. *Psellus* de dæmonibus Ἐξεπίτηδες τὸ γένος τοῦτο ἀμυδρὸν ἦχον ἐπιτηδεύοντα, ἵνα διὰ τὴν ἀσάφειαν τῆς φωνῆς τὸν τοῦ ψεύδους διαδιδράσκωσιν ἔλεγχον. *Datâ operâ hoc genus exili sono loqui studet, ut per vocis obscuritatem mendacii reprehensionem effugiant.* Inde in *Alcamus* التهويد تجاوب الجن الترجيع بالصوت في لين Atthahuido, *responsa dæmonum, & vocis lenis percussio*; qualis scilicet putatur esse dæmonum. Item, العزيف صوت الجن وهو جرس يسمع بالمفاوز بالليل Alazipho, *vox dæmonum, id est, levis sonus, qui noctu auditur in desertis.* Unde nomen habet mons العزاف *Alazipho* in *Dahna* milliaribus duodecim à *Medina* dissitus, in quo hujusmodi sibili creduntur sæpe audiri. Sic apud *Petrum Crinitum* (lib. 6. cap. 11. *De honesta Disciplina*) profitetur *Hermolaus Barbarus vocem se dæmonis pertenuem & pene subsibilantem audisse, quâ ille de* Aristotelis *fortè* Entelechia *interrogatus, sibi ipsi &* Georgio Placentino *responsitavit.* Quod nominatim asserit *Procopius* in *Esaiam* de iis dæmonibus, qui animarum vicem præstant, cùm evocantur arte Necromanticâ. Λεπτὰ λέγοντες, inquit, καθάπερ ἐπὶ νεκρομαντείας οἱ δαίμονες ψυχὰς τὰς καλουμένας ὑποκρινόμενοι· *Exiliter loquentes ut dæmones, qui simulant se esse animas, quæ per Necromantiam evocantur.* Itaque etiam *Poetæ* mortuorum umbris tenuem hanc loquelam assignant. Ita, cùm *Æneam* viderunt in Inferis lib. 6. *Æneidos*,

- - - - - - - *pars tollere vocem*
Exiguam, inceptus clamor frustratur hiantes.

Et *Horatius* lib. 1. *Satyra* 8. postquam multis descripsit, quibus artibus usæ sint *Canidia*, & *Sagana*, veneficæ, ut elicerent animas responsa daturas.

Singula quid memorem, quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Sagana *resonarent triste & acutum?*

Et *Lucanus* lib. 6.

Auribus in certum feralis strideat umbra.

Stridere Græcè est τρίζειν, qua voce *Homerus* usus est in argumento simili, nempe in *Odyssea*, libri ultimi ferè initio, ubi procorum animas, quas in Inferos deducebat *Mercurius*, striduisse refert more vespertilionum, quæ in intimo magni antri sinu stridentes volant.

- - - - - ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.
Ὡς δ᾽ ὅτε νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο
Τρίζουσαι ποτέονται. - - - - -

Nempe, ut ait *Eustathius*, μυθικὸς ὁ τῶν ψυχῶν ἐπὶ ἀλόγῳ τρισμός, οἷα λόγου μὲν ἐνάρθρου ἐστερημέναις, *fabulose animabus tribuitur stridor, quia sermone articulato carent.* Sed hæc obiter ad locum *Esaiæ*.

Præter leonis faciem, & gressum, & rugitum, etiam os est terribile, de quo Scriptura passim. Ita *Psal.* 22. *v.* 22. *Libera me ex ore leonis.* Dan. 6. v. 22. *Dominus meus misit Angelum suum, & clausit os leonum, ne me perderent.* 2. Timoth. 4. *v.* 17. *Ereptus sui ex ore leonis.* Hebr. 11. v. 33. *Occluserunt ora leonum.* Apoc. 13. v. 2. *Et os ejus ut os leonis.* Mirum fuisse, qui negarent os feræ Latinè dici, quos *Nonius Marcellus* ita refellit: *Os hominum tantum dici putant, cum auctoritate veterum, & pecudum, & ferarum dici possit*, &c. Virgilius *de leone*, *lib.* 7.

" *Im-*

Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Addi poterat quod idem etiam de leone dicit libro undecimo,

- - - - - - lavit improba teter
Ora cruor. - - - - - -

Et ex *Statio* lib. 2. *Thebaidos*,

- - - - - - - excussaq; leonum
Ore dapes. - - - - - - -

Os porro leonis vastum, & immane est. *Aristoteles* in *Physiognomonicis*, Ἔςι γὰρ ἔχων ςόμα ευμέγεθες. *Virgilius* libro decimo,

Gaudet hians immane. - - - - -

Lucanus lib. 1.

- - vasto & grave murmur hiatu
Infremuit. - - - - - - - -

Sed os quam vastum habeat leo nihil tam docet, quàm quod asserit *Phile* cap. 31.

Ῥοφεῖ δὲ νεβρὸν ἐυχερῶς ὅλον βρύχων,

Frendens autem totum facile absorbet hinnulum. Proinde leonis os *Oppianus* libro 4. *Cynegeticῶν* appellat φόνιον χάος *lethiferum chaos*, seu *hiatum*. Et *Phile* καταφράκτον ςόμα, propter septum dentium, quorum quanta sit firmitas, & durities, vel hinc collige. Στερεὰ δὲ μάλιςα ὁ λέων πάντων ἔχει τὰ ὀςᾶ· οὕτω γὰρ ἐςὶ σκληρὰ, ὥςε συντριβομένων, ὥσπερ ἐκ λίθων, ἐκλάμπειν πῦρ. *Ossa habet leo omnium firmissima: nam ita dura sunt, ut ex iis collisis ignis, tanquam ex silice, eliciatur.* Proinde medullam nullam habet, aut ferè nullam. Hoc utut rideat *Epicurus* in Epistola, quam citat *Athenæus* lib. 8. cap. 12. tamen ut rem compertissimam repetit *Philosophus* ejusdem libri cap. 20. & *De partibus* lib. 2. cap. 6. & 9. *Ælianus* quoque *Histor.* lib. 4. cap. 34. Εἰ δέ τις τὰ ὀςᾶ τοῦ λέοντος ἐξαράξειε, πῦρ ἐξ αὐτῶν ἐξάλλεται· μυελοὺς δὲ οὐκ ἔχει· οὐδὲ γὰρ ἐςὶ κοῖλα αὐλῶν δίκην. *Si quis ossa leonis collidat, ignis ex ipsis elicitur. Medullis autem carent: neque enim fistularum modo cava sunt.* Et *Phile*,

Καὶ κοῖλον ὀςοῦν οὐκ ἔχει τὸ θηρίον,

Et os cavum hæc fera non habet. Porro in quovis animali dentes ossa reliqua duritie, firmitate, & soliditate longè superant, molares præcipuè. Ideo in Sacris libris res maximè noxiæ cum leonum dentibus & molaribus conferuntur. Et de locustis dicitur *Joel.* 1. *v.* 6. *Gens ascendit contra terram meam valida, & innumerabilis. Dentes ejus ut dentes leonis, & ei sunt leænæ molares.* Quod in mysticas locustas *Johannes* ita transtulit *Apoc.* 9. *v.* 8. *Dentes earum erant ut leonum dentes.* Et *Sirachides* εἰς τὴν ἁμαρτίαν *in peccatum*, de quo scribit *Eccles.* 21. *v.* 3. *Dentes leonis dentes ejus sunt, perimentes animas hominum.* Et, cum tyrannorum potentiam retundit Deus, *molares leonum avellere, aut confringere* dicitur. Ita *Job.* 4. *v.* 8. *Quemadmodum vidi, quod arantes iniquitatem metunt illam. Flatu Dei pereunt, & spiritu furoris ejus deficiunt. Rugitus leonis, & vox leonis nigri, & dentes leunculorum excutiuntur.* Et *Psal.* 58. *vers.* 7. *O Deus, destrue dentes eorum in ore ipsorum. Molares leunculorum avelle, Domine.* Quapropter leones dentibus maximè valere hæc *Anacreontis* insinuant *Odâ secundâ*,

Φύσις κέρατα ταύροις,
Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίην λαγωοῖς,
Λέουσι χάσμ' ὀδόντων.

Natura cornua tauris, ungulas dedit equis, celeritatem leporibus, leonibus hiatum dentium. Itaque cum *Syro* sermone fera quævis vocetur ܚܝܘܬܐ ܕܫܢܐ *animal dentis*, *Apocal.* 6. *v.* 8. & 11. *v.* 7. & 13. *v.* 1. &c. hoc nomine credibile est leonem potissimùm intelligi, cujus dente tam *Syria*, quàm vicinæ regiones maximè infestantur. Et cum *Alcibiadi* dixisset colluctator ab ipso morsus, Δάκνεις, ὦ Ἀλκιβιάδη, καθάπερ αἱ γυναῖκες. Οὐκ ἔγωγε εἶπεν, ἀλλ' ὡς οἱ λέοντες. *Mordes*, ô Alcibiade, *more mulierum. Minime vero, inquit, sed more leonum.* Ita *Plutarchus*.

Quintò in leone timenda est manus, de qua *David* 1. Sam. 17. v. 37. *Dominus, qui eripuit me è manu leonis, & è manu ursi, idem eripiet me è manu* Philistæi *istius.* Et *Darius* in edicto suo *Dan.* 6. *v.* 27. *Liberavit* Danielem *à manu leonum.* Neque ulla est κατάχρησις in hoc loquendi genere, ut viri docti sibi fingunt. Nam pedes leonis anteriores, quibus potissimum discerpit, dum posterioribus nititur, verè & propriè dicuntur *manus*. Et sic *Arabes* constanter vocant. *Alcamus*

قمط الاسد جمع بين يديه ورجليه

Leo kamata, *id est, collegit inter manus suas, & pedes suos.* Ex usu *Romanæ* linguæ dixeris *inter anteriores & posteriores pedes.* Sed & a *Græcis manus* vocatur leonis pes anterior. Cujus locutionis ecce illustre exemplum in *Oppiani* libro tertio *Cynegeticῶν*, quodque non tam propter verba, quam propter rem ipsam hic profero,

Ἔκλυον αὖ χαλεπὸν λεοντοβρόμων αἰζηῶν,
Δεξιτερὴν ὑπὸ χεῖρα φέρειν αἴθωνα λέοντα
Νάρκα θολὴν, τῇ πάντα λύειν ὑπὸ γούνατα θηρῶν.

Hoc porro etiam audivi de mansuetariis leonum juvenibus, fulvum leonem sub dextra manu gestare promptam torpedinem, quæ omnia solvat ferarum genua. Quod nihilo videtur verius, quàm quod alii supra asseruerunt, reliqua animalia leonis rugitu stupefieri. Tamen hæc non alia de causa conficta sunt, quàm propter leonis robur immensum, quo reliquas feras tam facilè obruit, quam si vis ναρκωτικὴ illarum artus stupefaceret. Pro νάρκα θολὴν *Brodæus* legi voluit σάρκα θολὴν, quia νάρξ, unde Accusativus νάρκα, alibi nusquam legitur. *Torpedo* enim νάρξ non dicitur, sed νάρκη vel νάρκα. Proinde *Rittershusii* editio, atque aliæ recentiores, contra veterum fidem, habent σάρκα, non νάρκα. Sed præferenda videtur lectio vetus, quia sensus ita postulat. Νάρκα θολὴν, id est, *torpedinem*, quæ statim obstupefacit. At per σάρκα θολὴν quid intelligi possit nullus video. Itaque per Metaplasmum, cujus exempla non desunt, νάρκα, pro νάρκαν, aut νάρκην, *Poeta* scripsit. De hyæna veteres aliquid simile scripserunt. *Ælianus Hist.* lib. 6. cap. 14. Ἡ ὕαινα, ὡς Ἀριςοτέλης λέγει, ἐν τῇ ἀριςερᾷ χειρὶ ἔχει δύναμιν ὑπνοποιὸν, ᾗ ἐπαγάζεται κάρον μόνον προσθιγοῦσα. *Hyæna, ut tradit* Aristoteles (nempe in *Mirabilibus*, ubi locus de hyænis hodie mutilus est) *in læva manu vim habet soporiferam, & solo tactu vim conciliat.* *Phile* capite quadragesimo tertio.

Καὶ τὴν ἑαυτῆς ἐντιθεῖσα δεξιὰν,
Καθ' ὕπνον εἰς τὴν ῥῖνα τοῦ κοιμωμένου,
Κάρου γὰρ εἶναί φασιν αὐτὴν ἰσχυράν.

Et suam dexteram parans mittit in dormientis nasum, eam enim ajunt vim habere soporiferam. Vides tam hyænæ, quam leoni manum tribui, eique manui vim soporiferam. Et *Aristoteles* quidem sinistram manum dixerat, sed *Phile* dexteram. Ita ut, mutato nomine, de hyæna idem, quod de leone narretur. In manu leonis *digiti* inprimis sunt terribiles. *Ungues* ita nominat *Philosophus*, cùm de leone dicit libri quarti *De partibus* capite decimo, Πενταδακτύλους ἔχει τοὺς προσθίους πόδας, τοὺς δὲ ὄπισθεν τετραδακτύλους. *Priores pedes quinis digitis distinctos habet, posteriores quaternis.* Cujusmodi digitos idem lupis tribuit, & canibus, & pantheris. Sed illorum ungues parvi sunt præ leonum unguibus. Proinde est inter leonum imperii notas, quas in *Jambis* collegit *Phile*,

- - - - - - - - ποδῶν μέγας ὄνυξ,

pedum magnus unguis. In quo tam notabilis est magnitudo, ut inde natum sit Adagium, Leonem ex ungue dignosci. Idem quoque est acutissimus. *Herodotus* lib.

lib. 3. cap. 108. de leone, ὃ δ' ἔχων ὄνυχας θηρίων πολλὸν πάντων ὀξυτάτους, *Cum ex omnibus feris ungues habeat longè acutissimos.* Quin quasi scirent leones quantum unguibus valeant, eos summa cura custodiunt. Atque, ut ex *Plinio, Solinus* refert, *Gradientes mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur.* Leonis ungues *Arabicè* مخالب *machalibo*, & pulpæ, seu digiti, quibus adhærent, براثن *barathsino* dicuntur, & عكازيل *achazilo.* De leonum dente, & ungue multa habet *Oppianus Cynegeticῶν* lib. 4. in quibus hæc notanda,

Αὐτὰρ ὅ γ' ἐν τ' ὀνύχεσσι γένυσσί τε λευγαλέῃσιν
Ἄγριος, ὅν κεν ἕλῃσιν ἐπαΐσσων κεραΐζει.

At ipse quidem unguibus maxillisq; perniciosis indomitus, quemcunq; corripuerit, eum concutiens trucidat. Proinde in leonum venatione *Æthiopes* habere dicit clypeos è bubulis pellibus,

Ἄλκαρ ἔμμεν ὀνύχων βριαρῶν, γενύων τε δαφοινῶν,

Ut sint tutamen adversus robustos ungues, & cruentas maxillas. Ac leonem impunè lacessere, iis clypeis fretos,

Τοὺς οὔ τι κρατεροὶ γενύων τάμνουσιν ὀδόντες,
Οὔτε σιδηρείων ὀνύχων πείρουσιν ἀκωκαί.

Quos neq; validi maxillarum secant dentes, neq; unguium ferreorum perforant cuspides. Et de utroque sic *Horatius* lib. 2. *Oda* 19. ad *Bacchum*,

Rhœcum *retorsisti leonis*
Unguibus horribiliq; mala.

Rhœcum enim *Gigantem Bacchus* leonis specie dentibus, & unguibus, vicisse fertur. Hinc *exarmare leonem* est illi dentes, & ungues avellere, apud *Lampridium* in *Heliogabalo.* Et apud *Diodorum* (*a*) libro decimo nono *Eumenes* fabellam refert de leone, qui cum virginem, cujus amore tenebatur, in conjugem petiisset, eam concessit pater, modo leo dentes, & ungues eximeret. Quo facto, τὸν πατέρα θεωρήσαντα πάντα, δι' ὧν ἦν φοβερὸς, ἀποβεβληκότα, τύπτοντα τῷ ξύλῳ ῥᾳδίως ἀποκτεῖναι, *patrem, cum leonem illa omnia deposuisse videret, quibus erat formidabilis, illum baculo concisum facile interfecisse.*

a) Pag. 684.

Leones in solitudine plerumque degunt, in sylvis puta, & montibus, ab humano commercio remotissimis. De leonibus sylvicolis ecce aliquot Scripturæ loca! *Psal.* 104. *vers.* 20. *Disponis tenebras, ut sit nox, quâ erepunt omnes bestiæ sylvæ. Leunculi rugientes ad prædam,* &c. Jer. 5. v. 6. *Percutiet eos leo è sylva,* &c. Jer. 12. v. 8. *Est mihi hæreditas mea* ut *leo in sylva,* &c. Amos 3. v. 4. *An rugiet leo in sylva?* &c. Mich. 5. v. 8. *Erunt reliquiæ* Jacobi *in gentibus inter populos multos velut leo inter bestias sylvæ.* Sic è *Poetis Theocritus* Idyll. 1.

Τῆνον χ' ὡ 'κ δρυμοῖο λέων ἀνέκλαυσε θανόντα,

Etiam morientem illum leo ex sylva flevit. Ovidius de *Hippomene* & *Atalanta* jam leonibus,

Pro thalamis celebrant sylvas.

Seneca in *Thyeste*,

Sylvæ jubatus qualis Armeniâ *leo.*

Ecce itidem Scripturæ loca de monticolis leonibus! *Deut.* 33. *v.* 22. Dan *est catulus leonis, insiliet ex* monte *Basan.* Cant. 4. v. 8. *Mecum è* Libano *veni, ô sponsa, contemplare ex* Amani *vertice, ex vertice* Senir, *&* Hermon, *è lustris leonum, è montibus pardorum.* Ezech. 19. v. 9. de leone mystico, id est, de Rege *Juda*, quem *Babylonii* captivum abduxerant, *Non audietur amplius rugitus ejus super montes* Israëlis. Jerem. 49. v. 19. & 50. v. 44. *Ut leo ascendet ex* Jordanis *fastigio in loca aspera.* Gen. 49. v. 9. *Catulus leonis est* Juda. *A præda, fili mi, ascendisti.* A leonibus sumptum, qui, postquam in planis prædati sunt, saturi ad montes redeunt. Unde *Xenophon, De Venat.* Τὰ δὲ αὐτῶν καταβαίνοντα εἰς τὸ πεδίον τῆς νυκτὸς, ἀποκλεισθέντα μεθ' ἵππων καὶ ὅπλων, ἁλίσκεται εἰς κίνδυνον καθιστάντα τοὺς αἱροῦντας. *Quæ fera noctu in plana descendunt, equis & armis a reditu interclusa, non sine venatorum discrimine capiuntur.* Ibidem leones, pardi, lynces, pantheræ, & ursi degere dicuntur in montibus, puta in *Pangæo*, & *Cisso* supra *Macedoniam*, & *Olympo Mysiæ*, & *Pindo Macedoniæ*, & *Nisa* supra *Syriam*. Hinc *Homerus Iliad.* μ'.

Ὥς τε λέων ὀρεσίτροφος, - - - -

Ut leo in montibus nutritus. Theocritus *Idyll.* 13.

- - - τις ἐν ὤρεσιν ὠμοφάγος λίς,

Aliquis in montibus crudivorus leo. Dionysius libr. 3. *Bassaric.* apud *Stephanum* in Κάσσωπος,

Ὅσσον γάρ τ' ἐν ὄρεσσιν ἀρείονες εἰσὶ λέοντες,

Quantum enim in montibus virtute præstant leones. Oppianus lib. 3. *Cynegeticῶν*

- - - - - Ὀρίσβιον οἷα λέαιναν,

Ut montanam leænam. Actæon apud *Nonnum*, cum à canibus laceraretur *Dionysiacῶν* lib. 5.

Αἴθε λέων με δάμασσεν ὀρειδρόμος, - -

Utinam me domâsset leo in montibus currens. Catullus de *Rufa*,

Num te leæna montibus Libystinis.

Virgilius,

Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

Proinde *Pollux*, Τῶν δὲ θηρίων τὰ μὲν ὄρεια ἐπὶ πλεῖστον εἰσὶν ὡς οἱ λέοντες. *Ferarum quædam sunt plerumq; montana, ut leones.* Et *Aristophanis Scholiastes* in *Avibus*, Κυβέλην φασὶ τὴν Ῥέαν παρὰ τὰ Κύβελα ὄρη. ὀρεία γὰρ ἡ θεὸς, διὸ καὶ ἐποχεῖται λεόντων ζεύγει. Cybelem Rheam *vocant a* Cybelis *montibus: montana enim est Dea, ac proinde bigâ leonum vehitur.*

Tamen ad urbes, & loca culta, leones interdum accedunt, & feræ aliæ. *Jerem.* 5. *v.* 6. *Percutiet eos leo è sylva; lupus vespertinus vastabit eos; pardus vigilabit ad civitates eorum: quisquis egredietur ex iis discerpetur.* Ita *Samaritanos* leones interimebant 2. *Reg.* 17. 25. 26. Et præ metu leonis piger non audet è domo egredi. *Leo*, inquit, *est foris, in mediis plateis occidar,* Prov. 22. v. 13. Et rursus, *Proverb.* 26. *v.* 13. *Leo niger est in via, leo est in plateis.* Porro leones è desertis locis ad cultiora veniunt, sive vis quædam θεήλατος ad impiorum ultionem eos impellat, ut suo loco dicetur, sive naturâ propriâ eò ferantur. Ita enim *Philostratus Hist.* libri noni capite quadragesimo quarto. Πρὸς δὲ τὰς πόλεις ἔρχονται μάλιστα, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἀδικοῦσιν, ὅταν γηράσωσι πρεσβύται, διά τε τὸ γῆρας ἀδύνατοι θηρεύειν ὄντες, καὶ διὰ τὸ πεπονηκέναι τοὺς ὀδόντας. *Ad urbes veniunt, & hominibus infesti sunt, maximè cum senuerunt, & propter senium, & dentium imbecillitatem, venari nequeunt.* Et apud *Plinium* lib. 8. cap. 16. *Polybius, Æmyliani comes, in senecta hominem appeti ab iis refert, quoniam ad persequendas feras vires non superant. Tunc obsident Africæ urbes,* &c. *Origenes Catena* in *Jeremiam*, Ὁ δὲ λέων, ὡς ἱστορεῖται, γηράσας περὶ τὰς πόλεις νέμεται, θηρεύειν θέλων ἀνθρώπους. *Leo, cum senuit, ut refertur, circa urbes degit, ut venetur homines. Eustathius* in *Hexaemeron*, Γηράσας δὲ, καὶ εἰς ἀγρὰν βαδίζειν ἀτονῶν, ἐφεδρεύει τῇ πόλει, θηρεύειν εἰς βίωσιν τοὺς ἀνθρώπους γλιχόμενος. *Cum senuit, & ad venandum est impar, urbibus insidiatur, hominibus inhians; ut inde vitam sustentet.* Alii non ad urbes, sed ad pastorum casas tum leonem accedere scribunt. *Ælianus* lib. 4. cap. 34. Τοῦ γήρως δὲ ὑπαρχόμενος, καὶ ἐπὶ τὰ αὔλια ἔρχεται, καὶ ἐπὶ τὰς καλύβας, καὶ ἐπὶ τὰς οἰκήσεις τὰς τῶν νομέων τὰς ὑπαντρους. οὐ γὰρ ὀρείοις ἔτι θήραις ἐπιτρέχειν ἀδύνατός ἐστι. *Cum senescere incipit, ad caulas, ingruit, & subterraneas pastorum casas proficiscitur. Infirmus enim cum sit, montanis prædis non confidit amplius.* Unde *Phile* cap. 31.

Ὅταν δὲ γηρᾷ, καὶ προσῇ χρείαν ἔχει,
Ἐπεὶ τὸ θαρρεῖν εἰς τὸ θηρᾶν οὐκ ἔχει,
Φοιτᾷ πρὸς αὐλὰς, καὶ νομαῖς ὁμιλεῖ.

Leo, ubicumque degat, lustrum habet vel in antro, vel

vel in vepretis, vel in densis arboribus, ubi latet interdiu tanquam in insidiis. Id *Arabicè* dicitur خدر *chidron*, & ناموس *namuson* à latendo; مريسة *irrisaton* à quiescendo; اجمة *agiamaton*, & خيس *cheison*, cum est in arundineto; غيل *ghilon*, & عرين *arinon*, cum est in sylva; خيفة *chaiphaton*, cum est in declivi montis. Tot enim vocabulis, & fortasse multo pluribus *leonis lustrum* significant. *Hebræi* quoque non pauca habent, quibus id ipsum designent, sed aliunde mutuata. Ita סך *soc*, vel סכה *succa*, propriè *tugurium*, *tabernaculum*, pro *leonis lustro* sumitur *Job.* 39, 2. *Ps.* 10, 9. & *Jerem.* 25, 38. Et מעון *maon*, vel מעונה *meona*, eodem sensu occurrit *Job.* 39, 2. *Ps.* 104, 22. *Cantic.* 4, 8. *Amos* 3, 4. *Nahum.* 2, 11, 12, cum vox sit generalis ad quodvis habitaculum. מסתר *misthar* quoque, id est, *latibulum*, pro *lustro leonum* usurpant *David Ps.* 10, 9. & *Jeremias Thren.* 3, 10. Quomodo *Jerem.* 4, 6. *Exivit leo* מסבכו, *ex perplexitate sua*, id est, ex vepreto, cujus rami perplexi pro lustro illi sunt. Et *Nahum.* 2, 11. *Ubi* מעון, *habitaculum leonum*, ומרעה, & *pascuum est leunculorum*? id est, lustrum. Et versu statim sequente. *Et prada replebat* חוריו, *foramina sua*, id est, antra, seu lustra. Quippe in lustris leones prædam colligunt, quâ & ipsi vescantur, & catulos suos alant. *Nahum* ubi suprà, *Leo rapiebat sufficienter pro catulis suis, & suffocabat pro leanis suis, & præda replebat foramina sua, & habitacula sua rapina.* Hinc apud *Gellium* libri quinti capite decimo quarto, *Androdus* (aut *Androcles* veriùs) *triennium*, inquit, *totum ego & leo in eadem specu eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat.* In iisdem lustris cubat leo. *Job. cap.* 39. *vers.* 1. (al. 38, 39.) *Numquid venaris leoni prædam, & animam leunculorum imples, cum* ישחו, *inclinantur in habitaculis, &* ישבו, *sedent in tugurio?* Psal. 17. vers. 12. *Et ut leunculus* ישב *sedens in latibulis.* Psal. 104. vers. 22. *Et in habitaculis suis* ירבצון, *recubant.* Quod leonum proprium: unde *Jacob* Gen. 49. vers. 9. *Incurvavit se,* רבץ כאריה, *recubuit ut leo.* Et *Ezech.* 19, 2. *Leana inter leones* רבצה, *recubans.* Hinc *Arabicè* رباض est leo, quasi *recubitorem* dicas. Leones porrò, ut reliquæ feræ, diurnis horis potissimum in lustris suis recubant, somnoque indulgent, ut noctu ad prædam quærendam divagentur. Unde *Psal.* 104. *vers.* 20. *Disponis tenebras, ut sit nox, & erepunt omnes sylvæ bestiæ. Leunculi rugiunt ad prædam, & ut à Deo quærant escam suam. At, exorto Sole, recipiunt se, & in habitaculis suis recubant.* Nec desunt *Arabibus* voces, quibus significetur *leonis nocturna venatio.* *Alcamus*, العوف الاسد لانه يتعوف بالليل *Alaupho, leo*, sic dictus, *quia noctu venatur.* Idem, ما عواف *Uvvafon*, & عوافة *Uvvafathon* بالليل الاسد يتعوفه *quod leo nocte venatur.* Item, في الصيد طلب الاسد تقمر الغمر *ὁ λέων ἰσελήνιον*, id est, *Leo ad Lunam quæsivit prædam.* Nonnunquam etiam leones ex latibulis suis, aut reliquis animalibus, aut hominibus insidias struunt. *Job* ubi suprà, *Sedent in tugurio suo* לםו ארב, *ad insidias.* Psal. 10, 10. יארב, *Insidiatur in latibulo ut leo in tugurio.* Psal. 17, 12. *Similis est leoni, qui prædam appetit, & leunculo, qui sedet in latibulis.* Thren. 3, 10. *Ursus insidians est mihi, leo in latibulis.* Sirach. 27, 10. *Leo venationi insidiatur.* Et ejusdem capitis versu vigesimo nono, *Ultio, tanquam leo, illis insidiatur.* Leonem in antro suo insidiantem ita describit *Statius* libri septimi versu 670.

Qualis ubi primam leo manè cubilibus altis
Erexit rabiem, & sævo speculatur ab antro
Aut cervum, aut nondum bellantem fronte juvencum.

Itaque non probo, quod *Philosophus* leonem insidiosis animalibus ità opponit *Hist.* lib. 1. cap. 1. Τὰ δ' ἀνελεύθερα, καὶ ἐπίβουλα· οἷον οἱ ὄφεις. τὰ δ' ἐλεύθερα, καὶ ἀνδρεῖα, καὶ εὐγενῆ· οἷον λέων. τὰ δ' γενναῖα, καὶ ἄγρια, καὶ ἐπίβουλα· οἷον λύκος. *Bestia quadam sunt illiberales, & insidiosa; ut serpens: quadam liberales, fortes, & nobiles; ut leo: quadam generosa, & insidiosa; ut lupus.*

Leo ex insidiis erumpens in prædam oblatam plerumque insilit. Hinc *Deut.* 33, 22. Dan *est catulus leonis*, יזנק, *insiliet ex* monte *Basan.* Verbum יזנק unum est ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. Proinde in ejus expositione valde laborant interpretes. Pro יזנק, *Syrus*, una litera minus, aut legit, aut legi voluit ינק, Unde nata est illa versio, *Dan catulus leonis* ܓܘܪܝܐ ܕܢ ܡܢ ܡܬܢܝܢ *qui lac sugit ex Mathnin.* Idem sequutus unus *Arabum*, quem in *Suecia* MSS legi, sic habet شبل الليث دان الذي يرضع من البثنية *Catulus leonis* Dan, *qui lactatus fuit ex Batanea*, seu *Basan*: quam regionem scatere leonibus scribit *Chazkuni* in hunc locum. Huic lectioni favere videtur, quod גור אריה *catulus leonis* leunculum designat, quâ ætate lac sugit. Secunda interpretatio *Chaldæorum* est, qui id referunt ad amnes, quibus irrigatur terra *Dan.* Ità *Onkelos*, דן תקיף כגור אריון ארעיה שתיא מן נחליא דנגדין מן מתנן Dan *robustus est ut catulus leonum, terram ejus potant amnes, qui fluunt ex Mathnan*, seu *Basan.* Nec multo aliter *Jonathan*, & *Jerosolymitanus* interpres. Unde *R. Selomo*, יזנק מן הבשן כתרגומו שהירדן יוצא מהלקו ממערת פמיאס והיא לשם שהיה בחלקו של דן שנאמר ויקראו לשם דן ומנוזו וקלחו מן הבשן *Hac verba* יזנק fluet ex Basan *intelligenda sunt secundum* Thargum *eorum*, (id est, secundum *Chaldaicam* Paraphrasin) *quia* Jordanes *ex ejus portione fluebat, nempe ex antro Pamias* (id est, *Paneadis*) *qua aliter dicta est* לשם Lesem. *Erat enim ea urbs in portione* Danis, *Unde est, quod dicitur* Jos. 19, 47. "*Et vocaverunt* Lesem Dan. Jordanis *autem emanatio, & defluxus est ex* Basan. *Hieronymus* quoque hic habet, *Fluet largiter de Basan.* Et verò זנק *zanak*, in *Talmude* passim *fluere* significat: Et זנק מים, *fluxus aquarum.* Et *Arabicè* زرنوق inserto R, *rivulus* aut *fluentum* est. Est tamen, cur huic interpretationi non possim meum calculum addere. Si זנק hic est *fluere*, verba *Mosis* sic habebunt, *Dan est catulus leonis, fluet ex Basan*: quæ verba nullum habent sensum commodum. Itaque *Chaldaus* interpres cogitur hic multa supplere, nempe amnes; qui rigant terram ejus, fluere ex *Basane.* Sed ne sic quidem quidquam profecit. Nam, ut taceam hæc non cohærere, *Dan est catulus leonis, amnes, qui rigant terram ejus, fluunt ex Basan*, rem asserit, quæ planè falsa est, nempe *Danitarum* solum rigari amnibus ex *Basanitide* ortis. *Danitæ* enim alii habitabant prope *Philistæos* ad rivum *Sorek* à *Basane* remotissimum; alii ad fontes *Jordanis*, qui nec ipse ex *Basane* oritur, sed ex *Trachonitide*, quæ à *Basane* prorsus diversa est. Itaque jam superest eorum interpretatio, quibus זנק est exsi-

exsilire, vel *insilire*. In his *Græci* interpretes, Δὰν σκύμνος λέοντος, καὶ ἐκπηδήσεται ἐκ τοῦ Βασάν. Et *Arabs Erpenianus*, يقفز من البثنية *Hebræi* quoque, *Aben Ezra*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*, ידלג. Et recentiores ferè omnes, *insiliet*, *saltabit*, *exsiliet*. Huc facit, quod *Arabicè* نزق *nazaka*, *Nun* & *Zain* transpositis, hoc ipsum sonat. Sed & ex *Hebræo* זנק *zanak*, palàm factum est *Æthiopicum* ቀነጸ: *kanatsa*, inversis nempe literis, & permutatis *Zain* & *Tsade*, quæ literæ sunt maximè permutabiles. Et familiaris est *Æthiopibus* vocum *Hebræarum* inversio. Talia መሐረ: *machara*, *misertus est*, pro רחם *racham*: ሰለቀ: *salaka*, *illusit*, pro קלס *kalas*: ረድአ: *rada*, *juvit*, pro עזר *azar*: አንጐርጐረ: *angurgur*, *murmuravit*, pro רגן *ragan*, &c. Ita ቀነጸ: *kanatsa*, factum ex זנק *zanak*. Extat in *Æthiopica* Paraphrasi *Cant.* 2,8. pro *Græco* πηδῶν *saliens*. Præterea in his verbis, *Dan est ut catulus leonis*, *qui ex* Basan *exsiliet*, sensus apprimè quadrat, modò ne catulus leonis præcisè intelligatur adhuc lactens, sed qui jam est כפיר, *leunculus*. Quomodo hæc sæpe confunduntur. Et suo loco (b) docuimus עגל *vitulum* sæpe vocari, qui jam est פר *par*, *juvencus*. Nempe leonibus id naturale est, ut in prædam insiliant. *Aristoteles Hist.* lib. 9. cap. 44. Διώκων μέντοι ἐπιῤῥίπτει ἑαυτὸν, ὅταν ᾖ πλησίον· *Cum insequitur, injicit sepsum, cum in propinquo est.* *Plinius* lib. 8. cap. 16. *Dum sequitur, insilit saltu.* Solinus, *Cum insequuntur, nisum saltu adjuvant.* *Pollux* lib. 5. cap. 14. Τὰ θηρία ταῦτα, οἷον παρδάλεις, καὶ λέοντες, δρόμῳ μέχρι τοῦ κυνηγέτου φερόμενα, πλησιάζοντα πηδᾷ. *Feræ istæ, pardi puta, & leones, cursu ad venatorem, usque delata, cum propinqua sunt, insiliunt.* Et capite decimo quinto, Ἐρεῖς δ' ἀνεῤῥαφὸν θεῖν, λαγωὸν φεύγειν, σῦν καὶ κάπρον συῤῥήγνυσθαι, λέοντα ἐφορμᾶν· *Dices autem cervum currere, leporem fugere, suem & aprum irrumpere, leonem irruere*, saltu scilicet. *Alcamus*, الاسد السبطر الذي يمتد عند الوثبة Assibatro, *leo, qui ad insiliendum se extendit.* التقبض الاسد المستعد للوثوب Attekabbadho, *leo paratus ad insiliendum.* Tamen hæc duo nomina السبطر & التقبض aliquo modo sunt contraria, unum enim *ab extensione*, alterum *à contractione* factum. Sed utrumque præcedit leonis saltum, qui ad insiliendum primò membra contrahit, deinde eadem extendit. Et contractionis quidem meminit *Theocritus* in *Hercule* λεοντοφόνῳ. *Cum prius* (inquit *Hercules*) *flexus fuisset in arcûs modum*,

Ὣς ἐπ' ἐμοὶ λὶς αἰνὸς ἀπόπροθεν ἀθρόος ἆλτο,

sic in me leo sævus collectus prosilit. *Collectus*, seu *contractus*, *Græcè* est ἀθρόος, quod interpretes non satis animadverterunt. De cætero non est obscurum, cur *Danitæ* conferantur cum leone, qui in prædam saltu irruit. Sic enim illi, tanquam saltu, ab uno *Judææ* extremo ad alterum progressi, *Laisam*, seu *Lesem* oppidum invaserunt, quod de suo nomine postmodum *Dan* appellárunt, *Judicum* capite decimo octavo.

b) *Lib. 2. cap. 28. supra, initio ferè.*

Leone porrò in prædam, id est, in homines, & pecora, aut alias feras insiliente, statim fit horrenda strages, cum immanis monstri dentes, & ungues, quotquot habet, in unius homuncionis, aut pecudis cædem conspirant. Quod Historici Sacri simpliciter efferunt, & absque ullo apparatu verborum. Sic 1. *Reg.* 13,24. de *Propheta* misso in *Bethel*, *invenit eum leo in via*, & *occidit eum*. Et 1. *Reg* 20,36. de alio prope *Samariam*, *inveniens eum leo percussit eum*. Et de *Cuthæis* 2. Reg. 17,25. *Dominus misit in eos leones, qui interficiebant eos.* Sed *Prophetæ* iis verbis utuntur, quæ magis afficiunt, & rem quasi ob oculos ponunt. Horum libet quædam exponere.

Num. 23,24. *Iste populus ut leæna surget, & ut leo se eriget, neque cubabit, donec prædam comederit, & sanguinem confossorum biberit.* Rem leoni familiarem propriè significant *Arabes* Verbo العف *alapha*. *Alcamus*, العف الاسد ولغ الدم Alapha *leo, idest, linxit sanguinem.*

Es. 38,13. *Ut leo, sic* ישבר *confringet omnia ossa mea.* Dan. 6,24. *Invaserunt eos leones, & omnia ossa eorum* הדיקו *comminuerunt.* Unde patet, quid sit *frangere* in his 1. *Reg.* 13, 26. *Tradidit enim Dominus leoni*, וישברהו *& fregit eum.* Et paulo post versu vigesimo octavo, ולא שבר את החמור *Et non fregit asinum*, id est, ossa ejus non comminuit, neque contrivit. Sic *Arabicè* in *Alcamus* الاسد هصر فريسته *Leo fregit prædam suam*: unde vocatur الهيصر & الهصور. Ibidem aliud *leonis* nomen الهموس exponitur الاسد الكسار الفريسته *Leo confractor prædæ suæ.* Et *Poetæ* quoque sic loqui amant. *Homerus Iliad.* λ'.

Ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα
Ῥηϊδίως συνέαξε, λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν.

Ut leo cervæ velocis parvos catulos facilè confregit, arripiens validis dentibus. *Horatius* ad *Chloën* libri secundi *Odâ* vigesima tertia,

Atqui non ego te, tigris ut aspera,
Getulusve *leo, frangere persequor.*

Statius libro quinto *Thebaidos*,

Sic ubi ductorem trepidi stabulique maritum,
Quem penes & saltus & adulta gloria gentis,
Massylo *frangi stupuere sub hoste juvencæ.*

Et libro undecimo,

— — *indomitos ut cum* Massyla *per arva*
Armenti Reges magno leo frangit hiatu.

Seneca in *Troade*,

At ille sævus, matre submota, leo,
Prædam minorem morsibus vastis fremens
Frangit, velutque. — — —

Verbo שבר propè Synonymum est פרק, tamen nonnihil differunt. Illud enim *frangere* significat, hoc *discerpere* potiùs, *lacerare*, & *divellere*; ut in loco, quem citat doctissimus *Buxtorfius*, מתחין ליה עד דמפרקי אברוי *illum extendebant donec divellerentur membra ejus.* Ita igitur sumo in his *Davidis* Psal. 7,3. *Ne rapiat ut leo animam meam*, פרק *discerpat, & non sit qui eripiat.* Propriè franguntur ossa; sed caro & membra divelluntur. Leo dentibus frangit, unguibus discerpit, & dilacerat. Hujus dilacerationis en exempla! *Deut.* 33,20. *Resedit ut leæna, abrepto brachio, & vertice.* Amos. 3,12. *Ut eripiet pastor ex ore leonis duo crura, aut lobum auriculæ.* Os. 13,8. *Dilacerabo clausuram cordis eorum*, id est, τὸ περικάρδιον, *& comedam eos ibi ut leo.* Quod non obiter prætereundum: notant enim Naturæ consulti leonem præcipuè cor appetere. Proinde ad hunc locum *Kimchius* קורעם הארי. כטרפו יקרע הגוף עד הלב ויאכלהו וישתה דמו *Ita facit leo cum discerpit: dilacerat corpus usque ad cor, quod comedit, & bibit sanguinem ejus.* Et *Scaliger* contra

Carda-

Cardanum ex Historia Navigationis cujusdam *Troglodytæ* id ità probat, ut interim profiteatur se nescire qui fiat, ut cor intus rimetur, ac si sciret ibi esse, quod palato magis sapiat. Idem testatur *Franciscus Alvarez*, *Navigationis Æthiopicæ* capite vigesimo tertio, *Venit*, inquit, *leo & hominem interfecit, & cor ipsius discerpsit.* Neque *Homerum* id latuit, apud quem leo hinnulos, dentibus abreptos, tulit in lustrum,

- - ἁπαλόν τέ σφ' ἦτορ ἀπηύρα, - - -

tenerumque ipsis cor abstulit, *Iliad.* λ'. versu 115. Eodem hæc referri possunt *Apollinaris* in *Paraphrasi Psalmi* septimi,

Μήποτ' ἐφαρπάξειε λέων ἐμὸν διά τις ἦτορ,

Ne quando, ut leo aliquis, meum cor rapiat. Et *Psalmi* quinquagesimi sexti,

Ῥύσατο δ' ἐκ σκύμνων ὀλοῶν μέσον ἦτορ ἐμεῖο,

Liberavit autem cor meum è medio leunculorum perniciosorum. Avem naturæ similis, & indè *coredulum* dictam, nonnulli sibi fingunt. *Isidorus Orig.* lib. 12. cap. 7. *Coredulus, genus volatilis est, quasi cor edens.* Cui commento hoc de suo superstruit *Vincentius* in *Doctrinali*, *Carne namque & præda vivens corde maximè inhiat saturari.* Uterque ridicule. Neque enim ulla est avis *coredulus*. Sed κορύδαλος *corydalus* est *alauda*.

Quisquis seriò cogitabit, quantum roboris, quæ agilitas, qualis sit animi vigor in animali, quod hactenus descripsimus, regiones integras facilè credet ab eo vastari posse, & desolari, cum Deus ita permittit. Quod de quadam *Africæ* regione multi scribunt. *Agatharchides* lib. 5. cap. 28. Ὑπὸ λεόντων ἐπιπολασάντων πόλεις μεταναστῆναι, ὡς ἐπὶ Λιβύης. *A leonibus increbrescentibus civitates alio migrare coactæ sunt, ut in* Libya. *Diodorus* lib. 3. pag. 115. Ἀνάστατοι δὲ κατὰ τὴν Λιβύην πόλεις τινὲς ἐγένοντο, πλήθους λεόντων ἐπελθόντος ἐκ τῆς ἐρήμου. *Quædam in* Libya *civitates subversæ sunt, cum leonum vis ex solitudine supervenisset.* *Ælianus* lib. 17. cap. 41. Τινὸς μέντοι Λιβυστινῶν, ἐπιφοιτησάντων αὐτοῖς λεόντων, εἶτα τούτους ἀναστῆναι πατρῴας γῆς ἐξενίκησαν. *Gentem quandam* Libycam *leones ingruentes à patria terra migrare coëgerunt.* Quod idem narrat pluribus ejusdem libri capite vigesimo septimo, ubi gentem *Nomæam* appellat, id est, *Nomadem* seu *Nomadicam*, & fortunatam describit, neque solùm mutâsse sedes, sed planè fuisse extinctam & abolitam asserit, λεόντων αὐτοῖς ἐπελθόντων, πλήθει τε παμπόλλων, καὶ μεγέθει μεγίστων, καὶ τὴν τόλμαν ἀμάχων, *cum ipsis leones & multi numero, & proceritate maximi, & audacia invicti supervenissent.* Unde pro coronide hoc πόρισμα ille elicit, Λεόντων γὰρ ἀθρόων ἐπιδημία χρῆμα ἀπρόσμαχον, *Leonum enim confertorum adventus res est inexpugnabilis.* Quin apud *Athenæum* libro octavo. *Pancrates Alexandrinus* leonem refert ab *Adriano* Imperatore cæsum, πολλῷ χρόνῳ καταναιμηθέντα πᾶσαν τὴν Λιβύην, ὃ καὶ πολλὰ ἀοίκητα ἐπεποιήκει, *cum universam* Libyam(*Marmaricam* scilicet, quæ vicina est *Alexandriæ*) *ita vastasset, ut magna ex parte fecisset inhabitabilem.*

His illustrantur Scripturæ loca, quæ leonibus adscribunt regionum devastationes. Sic *Jerem.* 2, 15. *Contra eum* (Israelem) *rugierunt leunculi, ediderunt vocem suam, & posuerunt terram ejus in desolationem.* Et *Jerem.* 4, 7. *Ascendit leo ex vepreto suo, & interfector gentium prodiit è loco suo, ut exponeret terram tuam desolationi, & civitates tuæ destruerentur, & nemo inhabitaret.* Et *Ezech.* 19, 17. *Et civitates eorum vastavit* (leunculus) *& desolata est terra, & plenitudo ejus à voce rugitus illius.* In quibus quidem locis mystici leones designantur. De *Assyriis* enim agit *Jeremias*, & de *Nebucadnetzare*: & *Ezechiel* de *Judææ* Rege. Sed ob id ipsum regionum vastatoribus assignatur leonum nomen, quod habitata loca vastare, & desolare leones soleant. Sic *Levit.* 26, 22. minatur Deus se in *Judæos* feras immissurum, quæ regionem depopulentur, & pecora disperdant, & eos ità imminuent, ut in solitudinem viæ redigantur. Et *Jerem.* 15, 3. *Præficiam iis*, inquit, *ista quatuor* pœnarum *genera, gladium ad necandum, canes ad trahendum, aves cœli, & bestias terræ* (id est, feras) *ad vorandum, disperdendum.* Porrò in feris leones suprà monuimus ità regnum obtinere, ut sæpe *ferarum* nomine tam *Græci* quàm *Arabes* solos leones intelligant. Proinde *Es.* 15, 9. *Moabitarum* reliquias Deus leoni tradit. Neque aliud feræ genus in *Cuthæos* idem immittit 2. *Reg.* 17, 25. Ità enim Scriptura, *Et misit Dominus in eos leones, qui occidebant eos.* Unde tamen sequuta strages hanc ab incolis apud *Salmanassarem* querelam elicuit (si creditur *R. Eliezer*, aut quisquis auctor est *Capitulorum*, quæ extant sub illius nomine) *Domine Rex noster, terra ista, in quam nos misisti, non recipit nos: Pauci enim ex magno numero relicti sumus.* Sed de his pluribus capite sequenti.

Naturam providisse ajunt, ne in generis humani perniciem hæc fera nimium sobolesceret, atque indè esse, quod leæna in tota vita semel parit, nec nisi unum catulum. *Herodotus* lib. 3. cap. 108. Ἡ δὲ λέαινα, ἐὸν ἰσχυρότατον, καὶ θρασύτατον, ἅπαξ ἐν τῷ βίῳ τίκτει ἕν. *Leæna, cum fortissimum & audacissimum sit animal, semel in vita & unum parit.* Antigonus *Hist.* 25. Ἡ δὲ λέαινα δὶς οὐ κυΐσκεται, *Leæna bis non concipit.* Horus *Hieroglyph.* lib. 2. cap. 78. Γυναῖκα γεννήσασαν ἅπαξ βουλόμενοι σημῆναι, λέαιναν ζωγραφοῦσιν, αὕτη γὰρ δὶς οὐ κυΐσκει. *Cum* Ægyptii *semel enixam significare volunt, leænam pingunt, hæc enim bis non parit.* Epiphanius in *Antidicomarianitas*, Φασὶ τὴν λέαιναν μὴ τίκτειν πλὴν μιᾶς γαστρὸς μόνης. *Leænam ajunt nonnisi semel parere.* *Basilius* in *Hexaem.* Homil. 9. λέοντος ἑνὸς μόλις ἡ λέαινα μήτηρ γίνεται. *Leonis unius leæna vix fit mater.* *Eustathius* in *Hexaem.* pag. 35. Ἡ δὲ λέαινα μόλις ἑνὸς σκύμνου ὑπομένει τὴν κύησιν, *Leæna vix patitur unius catuli futuram.* Etiam additur causa, cur non possit plures parere, nempe quod leæna pariens uterum catuli unguibus laceratum unà cum fœtu emittit. *Herodotus*, Τίκτων γὰρ συνεκβάλλει τῷ τέκνῳ τὰς μήτρας. Et paulò pòst, ὁ δὲ, ἔχων ὄνυχας θηρίων πολλὸν πάντων ὀξυτάτους, ἀμύσσει τὰς μήτρας. *Antigonus*, Τοῖς γὰρ ἐμβρύοις συνεκβάλλει τὰς μήτρας. *Ælianus* in *Variis* lib. 10. cap. 3. Οἱ τῶν λεόντων σκύμνοι καταξαίνουσι τοῖς ὄνυξι τὰς μήτρας τῶν μητέρων, πρὸς φῶς ἐπειγόμενοι. *Epiphanius*, Διὰ τῶν ὀνύχων (φασὶ) κατασπᾶν, ξύειν τε τὰς ἐγκυμονικὰς, μήτρας τε, καὶ ὑστέρας. Et paulò post, Μετὰ τοῦ τοκετοῦ, καὶ τὰς ὑστέρας, καὶ τὰς μήτρας ἐκκενοῖ ἅμα φασὶν οἱ φυσιολόγοι. *Basilius* quoque & *Eustathius* nascentem catulum asserunt ταῖς ἀκμαῖς τῶν ὀνύχων τὴν μήτραν διασπαράσσειν. Sunt & alii plures, qui idem asserunt, quod tamen ut fabulosum merito rejiciunt magni Scriptores. *Aristoteles Hist.* lib. 6. cap. 31. Ὁ δὲ λεχθεὶς μῦθος περὶ τοῦ ἐκβάλλειν τὰς ὑστέρας τίκτουσαν, ληρώδης ἐστί. *Quod leænam ajunt unà cum partu uterum ejicere, delira fabula est.* *Plinius* lib. 8. cap. 16. *Semel autem edi partum, lacerato unguium acie utero in enixu, vulgum credidisse video:* Aristoteles *diversa tradit.* *Ælianus Hist. anim.* lib. 4. cap. 34. Ὁ λόγος δὲ, ὅστις λέγει διεξαιρεῖν αὐτοὺς τὰς μήτρας, μῦθός ἐστι. *Quod dicitur eos vulvam dilacerare, fabulosum est.* *Philostratus* in *Apollonio* lib. 1. cap. 16. Οὐ γὰρ προσεκτέα τοῖς λέγουσιν, ὡς ξήναντες οἱ σκύμνοι τὰς τῶν λεαινῶν μήτρας, ἐκδίδονται τῶν σπλάγχνων. *Neque enim fides iis adhibenda est, qui catulos nasci dicunt leæna utero laniato.* Oppianus *Cynegeticῶν* libro tertio,

Βάξις ἄρ' ἀτρεκίης ἀπομώλιος, ὡς ἕνα τίκτει,

Fama est omnino inanis, quod unum pariat. Hoc ipsum commentum *Gellius* libri decimi tertii capite septimo ex *Homero* refellit, qui *Iliad.* ρ'. & σ'. leones ait plures gignere, atque educare catulos. Nos majoris momenti testes hic adhibemus, duos scilicet *Prophetas*. Unus est *Ezechiel*, cujus de leæna verba sunt capitis deci-

decimi noni versu secundo, *Inter leunculos educavit catulos suos, & è catulis suis unus in leunculum adolevit.* Alter *Nahum*, qui sic habet capitis secundi versu duodecimo, *Leo sufficienter rapiens catulis suis.* Interim non constat satis quoties leæna parere, aut quot catulos edere soleat in uno partu. Apud *Eustathium* in *Iliad.* ξ'. Γράφουσιν οἱ παλαιοὶ, ὅτι ἡ λέαινα δύο τίκτει, ἔχουσα δύο μαζούς. *Veteres leænam ajunt duos parere, cum duas habeat mammas.* *Philostratus* leænam ter parere scribit, & prima vice tres catulos, secunda duos, tertia unum eximium, & natura ferociorem. Τρὶς δὲ, inquit, ἀποτίκτουσιν, ἀριθμὸς δὲ τῶν σκύμνων τῶν μὲν τὴν πρώτην τρεῖς· ἐπὶ δὲ τῆς δευτέρας δύο, τρίτη δὲ ἀπὸ μιᾶς τίκτει μονήρη σκύμνον ἀποτίκτει, μέγαν οἶμαι, καὶ ἀγριώτερον τῆς φύσεως. Alii leænam statuunt quinquies ferre uterum, & quinque, vel sex catulis primo partu editis, ad unius partum ita venire per gradus. Et vix de leone quidquam est, quod tam unanimi consensu veteres tradant. *Aristoteles, De generat. anim.* lib. 3. cap. 1. de leæna, Τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τίκτει πέντε, ἢ ἕξ, εἶτα τῷ ὑστέρῳ τέτταρα· πάλιν δὲ τρεῖς σκύμνους, εἶτα τὸν ἐχόμενον ἀριθμὸν ἕως ἑνὸς, εἶτ' οὐθέν. Et capite decimo de leonibus, Οἱ τὸ πρῶτον τίκτει γεννήσαντες, ὕστερον ἐλάττω γεννῶσι, καὶ τέλος ἓν, εἶτ' οὐδέν. *Plinius* quoque ex eodem tradit *leænam primo fœtu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minus, ab uno sterilescere.* Et *Solinus*, *Leæna fœtu primo catulos quinque edunt, deinde per singulos partus numerum decoquunt annis insequentibus: sed postremo, cum ad unum materna fecunditas recidit, steriles fiunt in æternum.* Ælianus *Hist.* lib. 4. cap. 34. Τίκτει δὲ ἡ λέαινα πεντάκις, καὶ τῇ μὲν ὠδῖνι τῇ πρώτῃ πέντε, δευτέρα τέτταρα, τρία δ' ἐπὶ ταύτῃ, καὶ δύο ἐπ' ἐκείνῃ, καὶ ἓν ἐπὶ πάσαις. *Oppianus* libro tertio *Venat.*

Πεντάκι θηλυτέρη δὲ τόκον ἀπολύεται ζώνην.
Πέντε φέρει πρώτιστον· ἀτὰρ πίσυρας μετέπειτα
Ὠδῖνι σκύμνους. κατὰ δ' ἑξείης ὑπένερθεν
Νηδύος ἐκ τριτάτης τρεῖς ἔκθορον· ἐκ δὲ τετάρτης
Ἀμφίδυμοι παῖδες. πύματον δ' ἐνὶ γαίνεται μήτηρ,
Γαστρὸς ἀειζωτόκοιο κλυτὸν βασιλῆα λέοντα.

Quinquies autem fœmina partuum solvit zonam. Quinque fert primum; tum deinde quatuor catulos parit. Et deinceps uno minus ex utero tertio tres prodeunt. At e quarta gemini catuli. Postremo autem unum parit mater utero fœcundo, inclytum Regem leonem. Et *Phile* capite trigesimo secundo,

Λέαινα δ', ὡς ἀκούω, πεντάκις κύει,
Καὶ πέντε μὲν τὸ πρῶτον, εἶτα δὶς δύο,
Καὶ τρεῖς ἐφεξῆς, τῷ τετάρτῳ δ' αὖ δύο,
Καὶ σκύμνον ἁπλοῦν εἰς τὸ πέμπτον ἐξάγει,
Εἶτα τίθεται λοιπὸν τῆς γονῆς τὰς ἐξόδους,
Τῆς γε φύσεως τὴν ἐντελῆ εἰργούσης τόκον.

Rem tamen a veteribus tanto consensu traditam recentiorum nemo confirmat. Et cum sciret *Philosophus* in patriæ suæ leonibus nihil tale observari, id nonnisi *Syris* tribuit, *Hist.* lib. 6. cap. 31. Verba sunt, Οἱ δ' ἐν Συρίᾳ λέοντες τίκτουσι πεντάκις· τὸ πρῶτον πέντε, εἶτα ἀεὶ ἑνὶ ἐλάττονα· μετὰ δὲ ταῦτα οὐκέτι οὐδὲν τίκτουσιν, ἀλλ' ἄγονοι διατελοῦσιν. Quanquam de *Syriæ* leonibus id nihilo putem verius, quam quod apud *Plutarchum* in *Iside & Osiride*, ut felem probent esse Lunare animal, cum tradunt primo ἓν τίκτειν, εἶτα δύο, καὶ τρία, καὶ τέσσαρα, καὶ πέντε, καὶ καθ' ἓν οὕτως ἄχρι τῶν ἑπτὰ προστίθεσθαι, ὥστε ὀκτὼ καὶ εἴκοσι τὰ πάντα τίκτειν, ὅσα καὶ τῆς σελήνης φῶτα, *catulum unum parere, deinde duos, & tres, & quatuor, & quinque, unoque subinde plures usque ad septem; ita ut in universum viginti octo pariat, qui est numerus dierum Lunæ.* Quod invertit *Damascius* in *Isidori vita*, dicens τὴν αἴλουρον τίκτειν μὲν τὸ πρῶτον, ἐξ δὲ τὸ δεύτερον τόκον, τὸ τρίτον πέντε, καὶ τέσσαρα τὸ τέταρτον, καὶ τρία τὸ πέμπτον, ἐφ' οἷς δύο τὸ ἕκτον, καὶ ἐν ἐπὶ πᾶσι τὸ ἕβδομον, καὶ γίνεσθαι τοσαῦτα γεννήματα τῆς αἰλούρου, ὅσα καὶ τὰ τῆς σελήνης φῶτα, *felem septem primo, sex secundo partu, tertio quinque, quarto quatuor, quinto tres, sexto duos, septimo unum edere, ut ita sint tot fœtus felis, quot dies habet Luna.* En aliud commentum simile! *Arabice* سَبْعٌ *sabon* significat *septem*, & سَبُعٌ *feram* in genere, & in specie *leonem*. Cujus allusionis causam disquirens *Ibno Abas* leonem ita vocari fabulatur, لانه يكمن في بطن امه سبعة اشهر ولا تلد الانثي اكثر من سبعة اولاد ولا ينزو الذكر علي الانثي الا بعد سبع سنين من عمره *Quia per septem menses hæret in matris utero, nec nisi septem catulos parit fœmina, nec eam init mas ante annum ætatis suæ septimum.* In quibus nihil verum est. Neque enim leo septimo anno coire incipit, sed secundo, aut tertio. Neq; leæna septem menses, sed sex solum uterum gerit. Et catulorum numerum quod attinet, τίκτει ὡς ἐπιτοπολὺ δύο, τὰ μὲν δὲ πλεῖστα ἕξ, τίκτει δὲ καὶ ἕν, *geminos parit ut plurimum, & ad summum sex, nonnunquam etiam unum.* In *Sulpitii Dialogo* primo, capite nono, leæna in *Thebaide* miræ magnitudinis adultos jam quinque catulos male sana nutriebat. Tamen apud *Philostratum* ingens leæna circa *Ctesiphontem* σκύμνους ἀναμηθεῖσα ὀκτὼ ἔχειν, *cæso ventre octo catulos habere reperta est.* Hæc de leænæ partu numeroso, ad subvertendam fabulam, qua fingitur esse unipara, quam præter cæteros *Epiphanius* cupide amplectitur, ut sanctam virginem hac in parte cum leæna conferat.

Quædam de victu leonum haberemus hic addenda de quibus anxie quæritur, quo pabulo vixerint in arca *Noæ* cum feris aliis carnivoris. Sed huic quæstioni jam abunde satisfactum est libro primo, cap. *De quadrupedibus.* Tantum libet aliquid addere de leonis fœtido halitu in illud *Iob* 6. 7. juxta *Græcam* editionem. Βρόμον γὰρ ὁρῶ τὰ σιτία μου, ὥσπερ ὀσμὴν λέοντος. *Fœtorem enim video esse cibos meos, sicut est odor leonis.* Et ibi *Chrysostomus*, Δυσώδης γὰρ τὰ βρώματα τοῦ ζώου ὑπερβολῆς. *Supra modum enim fœtet hæc bellua.* Et paulo post, Φασὶ δὲ, ὅτι τὰ λείψανα τῆς τούτου τροφῆς ἀβάτα τοῖς ἄλλοις ζώοις, διὰ τὴν ἐπιπνεομένην αὐτοῖς ἐξ αὐτοῦ δυσωδίαν. *Ferunt autem alia animantia hujus reliquiis non posse vesci, propter teterrimum odorem, quem illis inspirat.* Philosophus *Hist.* lib. 8. cap. 5. Ἐμπεσοῦσα δὲ καὶ ἡ ὀσμὴ ἰσχυρὰ ἐν τοῖς σιτίοις τοῖς καταλειπομένοις· καὶ γὰρ ἀναπνευθεὶς αὐτὸς τὰ ἔσω ἀτμίδα ἀφίησι ἰσχυράν. *Fœtum quoq; odorem in cibo relinquit ex suo halitu. affecto namque leone, interiora gravem odorem emittunt.* *Plinius* quoque libro octavo capite decimo sexto leonem tradit *gravem odorem, nec minus halitum reddere.* Et libro undecimi capite quinquagesimo tertio, *Anima leonis virus grave, ursi pestilens. Contacta halitu ejus nulla fera attingit, citiusque putrescunt afflata reliquis.* Ælianus *Hist.* lib. 5. cap. 39. Ἐμπνεῖ ταῖς μένει τῆς καθ' αὑτὸν θοίνης, καὶ τοῦτο τὴν φυλακὴν ἐπιτρέπει. *Hians, cibi reliquiis halitu suo inspirat, & huic custodiam permittit.* Vult cibi reliquias servari per se sine custode, quia gravis odor, quem iis afflatu suo inspirat, arcet cætera animalia. Quomodo *Phile*, capite trigesimo tertio,

Καὶ πνεῖ τι δεινὸν εἰς χανὼν τοῖς λειψάνοις.
Καὶ γίνεται τὸ πνεῦμα δεινὸν φυλακὴν ξένην.

Et hians reliquiis grave aliquid inspirat. Et halitus ille iis est mira custodia. *Martialis* libri sexti *Epigrammate* 93. *Thais* tam male olet, ut ne fœtidissima quidem pejus oleant,

Non ab amore recens hircus, non ora leonis,

Non

*Non detracta cani trans-*Tyberina *cutis.*

His igitur bellè convenit cum *Græcis* interpretibus: *Græcis* non item cum *Hebræo* textu, in quo nihil simile. Sed pro המה כדוי לחמי *Ea sunt tanquam dolores cibi mei*, id est, *cibus meus dolorificus*, legerunt חמה סרוי לחמי *Video fœtorem cibum meum*, unde nata illa versio, βρῶμον ἐγὼ τὰ σῖτά μου. Et quod sequitur ὥσπερ ὀσμὴν λέοντος est Glossema, quo aliquis βρῶμον explicaverat. βρῶμος nempe duo significat diversissima, *fremitum*, & *fœtorem*: & priori significatu leoni sæpe tribuitur, quem ἐρίβρομον, & ἐριβρύχητον à *Poetis* vocari observavimus. Inde collegit *Glossator* βρῶμον de leone dici etiam, cum *fœtorem* sonat. Et *Glossa*, quam in margine scripserat, tandem in ipsum textum irrepsit.

CAPUT TERTIUM.

Quæ judicia Deus per Leones exercuerit.

Leones in Cuthæos *immissi, non pestis (ut* Josepho *placet.) Fons erroris. Hæc historia quomodo in* R. Eliezere. *Qui* Prophetam *percutere noluit à leone meritò cæsus, quia jussus fuerat* in verbo Domini, *& ipse erat* Propheta, *ac ob id ipsum magis reus.* Propheta *cur in capite voluerit percuti juxta* Arabem, *& in eo mysterium.* Belkis, *Regina* Sabæ, *dæmonem habuit inter majores suos, si* Arabibus *creditur. Viri unius uxores quatuor ex dæmonum genere.* Daniel Babyloniæ *trium virorum primus. Iniquum Regis edictum, quo non tantum invocari ut Deus, sed & solus invocari voluit ut solus Deus. Cur oraverit* Daniel *fenestra versus* Jerusalem *aperta. Edicta Regum* Persidis *ne ab ipsis quidem Regibus potuisse revocari. Rex* Danielis *Deum invocans ejusdem criminis cum ipso reus. Cur saxum fossæ leonum impositum, in quam* Daniel *conjectus est? De eo fabulæ* Selomonis, Saadiæ, *&* Arabum. *In fossa illa quot leones. Rex de Dei potentia dubitavit:* Daniel *non item, qui per fidem obstruxit ora leonum.* Hebr. 11. v. 33. Daniel *à Deo servatus, quia insons, non tamen propter merita. Fabulæ in* Saadia *de leone domus superioris, qui & leo throni gloriæ.* Habacuc *in Apocryphis ad* Danielem *missus, in* Arabibus Jeremias, *aut Angelus. Leones* Danielem *linxisse scribunt* Arabes, *& id in ejus annuli pala fuisse pictum. Fidei vis. Fidelis tamen* Ignatius *à leonibus discerptus.* Danielis *insontis accusatores per legem talionis in idem barathrum jure conjecti. Leones antea multo cibo satiati, sed frustrà. Verus Deus à* Babyloniis *cultus, ut jam ante à* Ninivitis. *Ad vocationem gentium* προοίμια.

JAm in genere docuimus Deum quandoque per feras judicia sua exsequi, ut ipse minatur *Lev.* 26. *v.* 22. & *Jerem.* 15. *v.* 3. Unde est, quod *Moabitarum* residuum leoni tradidit, *Esa.* 15. *v.* 9. Et in *Cuthæos* leones immisit, qui occidebant eos, 2. *Reg.* 17. *v.* 25. 26 Quod cum disertissimis verbis Scriptura nos edoceat, mirum, quid *Josephum* moverit, ut pro leonibus pestem scriberet *Antiquitatum* libro nono ferè in fine, ubi hanc ipsam historiam narrans, λοιμὸς ait, αὐτοῖς ἐνέσκηψεν, ὑφ᾽ οὗ φθειρόμενοι, καὶ μηδεμίαν τῶν κακῶν θεραπείαν ἐπινοοῦντες, *pestis ipsos invasit, quâ afflicti cum nullum malorum levamen excogitarent.* Et paulò post, Καὶ τοῦ λοιμοῦ παραχρῆμα ἐπαύσαντο, *Et à peste statim liberati sunt.* Mihi nihil quidquam occurrit, quàm *Josephum* id sumpsisse ex aliquo *Judæorum* Historico, qui leonum in *Samaritanos* incursum *pestem* vocaverit per Metaphoram. Ut cum de locustis agros nostros devastantibus dicit *Plinius* lib. 11. cap. 29. *Deorum iræ pestis ea intelligitur.* Et apud *Poetam Ulysses* de *Polyphemo*,

- *Dii talem terris avertite pestem.*

Ex sacra porro Historia notum est Deum propter neglectum numinis sui cultum *Cuthæos* afflixisse hac clade. Cùm enim in locum *Israelitarum* à *Salmanassare* abductorum è *Babylonia* in *Judæam* traducti fuissent, & in terra, quam speciali jure Deus cultui suo consecraverat, idola sua colere pergerent, leones suscitavit Deus, qui novos illos incolas miserè divexarent. A qua calamitate liberari non potuerunt, antequam unum è captivis Sacerdotibus eò remisisset *Salmanassar*, à quo veri Dei colendi ritum utcunque edocerentur. In *Capitulis* R. *Eliezer* capite trigesimo octavo res narratur his ferè verbis: *Cum* Israelitæ *è loco suo captivi abducti sunt, misit Rex* Salmanassar *servos suos, qui* Samariæ *habitarent, & tributum illi penderent. Quid fecit Deus Sanctus Benedictus? Immisit in illos leones, qui eos interfecerunt, ut habetur* 2. Reg. 17. v. 25. " *Et fuit*, &c. *Tum illi miserunt, qui dicerent Regi* Babyloniæ, *Domine Rex noster, terra ista, in quam nos misisti, non recipit nos. Pauci enim ex magno numero relicti sumus. Rex autem misit, & convocavit omnes Seniores* Israelis, *& dixit illis, Omnibus istis annis, quibus fuistis in terra vestra, nulla fera agri absumpsit vos, & jam non recipit illos. Darent igitur sibi consilium, an eos in terram suam reducturus esset. Responderunt illi, Domine Rex noster,* הארץ ההיא אינה מקבלת גר שאינו נמול *Terra ista non recipit gentem incircumcisam. Regessit Rex, Date duos de vobis, qui eò profecti eos circumcidant, & librum Legis edoceant. Nec verbo Regis erat quidquam reponendum. Miserunt igitur R.* Dosithæum, *& R.* Zachariam, *qui flentes circumciderunt eos, & docuerunt eos librum Legis* בכתב נוטריקון *scripturâ* notarikon, id est, *compendiosâ.*

Leonibus etiam utitur Deus in privatorum supplicium. Et in capite (a) *De miraculis, quæ per asinos, aut in asinis gessit Deus*, jam actum est de leone, qui *Prophetam* interfecit in pœnam rebellionis, & ejus asino pepercit, 1. *Reg.* 13. *v.* 24. Cui simile aliud exemplum est 1. *Reg.* 20. *v.* 35. 36. *Vir autem quidam ex filiis Prophetarum filiis dixit sodali suo in verbo Domini, Percute me, obsecro: Et vir ille renuit eum percutere. Tum dixit illi* Propheta, *Propterea quod verbo Domini non fuisti auditus, Ecce te à me discedentem leo percussurus est! Cumque is abiisset, eum invenit, & percussit leo.* Quæ pœna videri possit æquo atrocior, quia qui alium jubebat, ut se percuteret, rem jubebat immanem, nec ulla lege permissam. Immane enim illud est, & prorsus illicitum, hominem insontem percutere: quique nulla te prius injuriâ provocavit: maximè, si is sit in ordine sacro, qualis erat *Propheta*, qui jubebat se percuti. Sed duo hîc observanda sunt, primò *Prophetam* id jussisse בדבר יהוה *in verbo Domini*, hoc est, non sponte, nec proprio & privato motu id jussisse, sed verbo Dei præeunte: quasi dixisset, ut hîc habet *Theodoretus*, Οὐκ ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἀλλὰ τὸ ἐν ἐμοὶ πνεῦμα, *Non ego hoc tibi præcipio, sed spiritus, qui in me est.* Secundò, hoc dixisse *Prophetam* אל רעהו, quod non reddiderim cum *Græcis* πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ, *ad proximum suum*, sed cum *Hieronymo* potius *ad socium suum.* Ita *Chaldæus*, & *Syrus* ܠܚܒܪܗ : & *Arabs* لصاحبه *ad sodalem suum*, id est, ad symmystam suum, qui eodem cum ipso *Prophetæ* munere fungebatur, ac proinde melius noverat illorum verborum pondus, *Rogo te in verbo Domini.* Et quidquid obtenditur, lethale tamen esse, si quis, verbo Domini diserto, &

a) Lib. 2. cap. 16. supra.

& expreſſo, quale hoc fuit, ſe præbeat immorigerum. De cætero, qui à leone ideo interemptus eſt, quod à Deo juſſus *Prophetam* percutere noluiſſet, *Achabum* graviter puniendum ſignificabat, quod *Ben-hadadum*, *Syrorum* Regem, à Deo morti addictum, impunè dimiſiſſet. Proinde ſunt, qui *Prophetam* juſſiſſe, vel innuiſſe volunt, ut in capite ſibi vulnus infligeretur, quia caput Regis eſt ſymbolum. In qua ſententia fuiſſe *Arabem* interpretem ex eo patet, quod *Propheta* verba *Percute me* reddidit شججني id eſt, *Percute me in capite.* Id enim propriè eſt شج. Unde *Marc.* 12. *v.* 4. وشججوه pro *Græcis*, κἀκεῖνον ἐκεφαλαίωσαν, *& illum in capite vulneraverunt.* Et *Avicenna* lib. 2. capite *De ſanguine*, *Sanguis columbæ, & liviæ, & turturis calidus diſtilletur* علي الشجاج *ſuper capitis vulnera.* Et in *Damire* capite الجن id eſt, *De dæmonibus*, quo loco diſputat, an in dæmonibus ſit ſexuum differentia, de quodam agitur, في راسه شجة *in cujus capite vulnus erat*, quod ſibi inflictum ab uxore queritur, quam ex dæmonum genere eſſe aſſerit. *Duxi*, inquit, *uxorem* من الجن *è dæmonibus, & rixa inter me & illam oborta eſt*, فشججتني *& ea in capite me vulneravit.* Obiter nota à recutitis illis aſſeri coitum cum dæmone non eſſe prorſus illicitum, cùm auctor ſit magnus, ſcilicet Propheta *Mahumetes*, unum è majoribus *Belkis*, Reginæ *Saba*, fuiſſe dæmonem. Et *Damir* ipſe Doctorem *Mahumetanum* ſe vidiſſe, & audiviſſe refert, qui palàm profitebatur انه تزوج اربعا من الجن واحدة بعد واحدة *ſe quatuor uxores duxiſſe ex dæmonum genere, unam poſt aliam.* Sed hæc ſunt alterius loci.

Jam dicendum ſupereſt de *Babylonicis* leonibus, qui quam in *Danielem* mites fuerunt, tam truces, & immites ſe præbuerunt in ejus obtrectatores. Illis grave id erat, nec ferendum videbatur, quod *Daniel*, vir peregrinus, & diverſæ religionis, & captivus è *Judæa* in *Babyloniam* traductus, non ſolum ſederet inter magnates, ſed & in his primas teneret. Nam è tribus סרכין *ſarechin*, ſive exarchis, qui toti regno præſidebant, *Daniel* erat primus, & Rex in animo habebat eum ſolum univerſis præficere. Neque facile erat eum deturbare ex tanto dignitatis faſtigio, quia Regi erat percharus, & demandato ſibi munere optimè fungebatur: niſi ex diverſo cultu aliqua eum criminandi occaſio oboriretur. Quam viam tentare viſum eſt, cùm aliæ omnes occluſæ eſſent. Hoc igitur animo Regem adeunt, &, tanquam illius honori & majeſtati conſulentes, edictum ab eo extorquent, quo ſanciebatur, ut quiſquis per totum menſem alium quàm Regem coleret, atque invocaret, in leonum foſſam conjiceretur. Quo edicto nihil iniquius. Sic enim Rex non ſolum pro Deo ſe gerebat, quod & alii ante eum *Perſarum* Reges attentaverant, ſed & pro ſolo Deo à ſuis haberi voluit, aliis omnibus ſaltem ad tempus excluſis. Rem igitur veri Dei cultoribus prorſus intolerabilem, atque ipſis etiam idololatris haud dubiè gravem, publica profeſſione *Daniel* teſtatus eſt ſe execrari. Et, hoc edicto inſuper habito, ter quotidie de more Deum invocavit, palam aperta feneſtra verſus *Hieroſolymam*, quia Deus promiſerat ſe captivos auditurum facie verſus Templum obverſa precantes, 1. *Reg.* 8. *v.* 46. &c. Quo nomine ſtatim delatus, & magnatum ſententia morti addictus eſt. Neque Rex ipſe, quantumvis in *Danielem* propenſus, reum potuit eripere è tam præſenti periculo, quia Lex in eam rem erat diſerta, nec revocari poterant edicta Regum *Perſidis*, ut habetur *Eſther.* 8. *v.* 8. & *Dan.* 6. *v.* 8. 12. 15. Proinde *Diodorus* libro decimo quarto cum *Darius Charidemum* morti adjudicaſſet, Εὐθὺ μετενόησε, καὶ κατεμέμψατο ἑαυτὸν, ὡς τὰ μέγιστα ἡμαρτηκότα· ἀλλ' οὐ γὰρ ἦν δυνατὸν τὸ γεγονὸς διὰ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας ἀγένητον κατασκευάσαι, *Statim pœnituit, & ſe ipſum ut graviter lapſum accuſabat: ſed quod regiâ auctoritate factum fuerat infectum reddere nefas erat.* Proinde *Daniel* in foſſam leonum conjectus eſt, invito & mœrente Rege, & illi ipſi, quem damnaverat, fauſta apprecante. *Liberet*, inquit, *te Deus tuus, quem aſſiduè colis.* Quo ipſo criminis *Danielis* objecti particeps, & conſcius fit, dum eum ipſum Deum invocat, quem invocaverat *Daniel*. Oſtio foſſæ ſaxum impoſitum Regis & Magnatum annulis obſignatum eſt ad majorem cautionem, quia timebant Magnates ne vel ipſe *Daniel* ex illa foſſa quomodocunque evaderet, aut aliorum opera extraheretur, quia magnam apud omnes gratiam & auctoritatem, tam Propheticis donis, quam ſanctiſſima adminiſtratione, ſibi comparaverat. Aliud comminiſcitur *Saadias*, nempe ſaxum ori ſpeluncæ juſſu Regis eſſe impoſitum; שאם היה הבור פתוח היו זורקין עליו לונכיות וחצים ששונאין אותו ואומרים כי האריות הרגוהו *Quia, ſi foſſa manſiſſet aperta*, Danielis *inimici lanceas & miſſilia in eum jaculati eſſent, & à leonibus interemptum fuiſſe dictitaſſent.* Quaſi cuiquam illorum id veniſſet in mentem, fore, ut *Danieli* leones parcerent. *Rabbi Selomo* hoc ſaxum contendit ideò *unum* appellari אבן חדה *Dan.* 6. *v.* 17. quia nullum aliud fuit in tota *Babylonia* præter hoc ſolum, quod ab Angelis, inquit, in hunc uſum allatum fuerat, ac proinde lateribus ſtructam fuiſſe *Babylonem* Gen. 11. v. 3. *Arabes* quoque hanc hiſtoriam multis modis interpolant. Sic *Ibnoſſuni* in libro, cui titulus *Opus diei & noctis*, دانيال طرح في الجب والقيت عليه السباع فجعلت السباع تلحسه وتبصبص اليه Daniel *in foſſam miſſus eſt, & ad eum projecti ſunt leones, qui illum lingebant, more canum adblandientes, & caudam agitantes.* Et apud *Damirem Ibno Abiddunia*, بختنصر ضرا اسدين عظيمين والقاهما في جب وجاء بدانيال فالقاه عليهما فمكث ما شاء الله Nebucadnetſar *venationi aſſuefecerat duos leones magnos, quos in foſſam conjecit, & ad* Danielem *veniens eum illis objecit. Atq; is ibi ſtetit quamdiu voluit Deus.* Ita *Nebucadnetſari* tribuitur quod à *Dario* factum. Et leonum numerus ad binarium redigitur, cùm multo plures fuiſſe ex eo conſtet, quod integras accuſatorum *Danielis* familias contriverunt, antequam ſolum attigiſſent, *Dan.* 6. *v.* 24. Additiones ad *Danielem* ſeptem leones in illa foſſa numerant, Ἦσαν δὲ ἐν τῷ λάκκῳ ἑπτὰ λέοντες. Utut ſit, Rex, *Danielo* illuc projecto, in luctu fuit: & cum veſperè incœnatus nocte manſiſſet inſomnis, ſummo manè ad foſſam ſe conferens, lugubri voce clamavit, O Daniel, *ſerve Dei viventis, potuitne Deus iſte tuus, quem tu perpetuò coluiſti, à leonibus te defendere?* Utut enim Dei cognitione aliquo modo imbutus, prout dicit *Apoſtolus* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ etiam infidelibus ex Dei revelatione eſſe manifeſtum, tamen de potentia dubitabat.

Non

Non ſic ſocii *Danielis*, qui in ignem conjiciendi plena fide pronunciant Deum poſſe eos liberare ex fornace ignis ardentis, *Dan.* 3. *v.* 17. Nec ipſe *Daniel*, qui *credidit in Deum ſuum*, Dan. 6. v. 23. & *per fidem obſtruxit ora leonum*, Hebr. 2. v. 33. id eſt, per fidem hoc beneficium a Deo impetravit, qui *miſit*, inquit, *Angelum ſuum, qui occluſit os leonum, ne me læderent, quoniam & erga eum innocens inventus ſum, nec adverſum te, ô Rex, ullum crimen admiſi.* Cum leonum ore etiam manum intellige (a qua Deus *Danielem* liberaſſe traditur verſu vigeſimo ſeptimo hujus capitis) & quidquid in leonibus homini pernicioſum eſt. Illorum enim vim noxiam Deus ad tempus cohibuit, ne ſervum ſuum læderent. Quomodo ſuſpendit vim ignis in ſuorum gratiam, ita ut ex fornace egreſſi ſint ab ignis afflatu intacti, & ne capillo quidem aduſto, *Dan.* 3. *v.* 27. *Danielis* porro Deus ideo miſertus eſt, quia ejus innocentiam noverat, nempe in eo facto, cujus tanquam reus arceſſebatur. Neque enim ſignificat ſe fuiſſe perfectè juſtum, atque illa juſtitia aliquid meruiſſe erga Deum. Quin *Dan.* 9. *v.* 18. Dei miſericordia, non propria juſtitia, niti ſe profitetur his verbis, *Non propter juſtitias noſtras nos procidentes deprecamur te, ſed propter miſerationes tuas ampliſſimas.* Et ne quis *Iſraelitarum* in genere, non etiam ipſius *Prophetæ* reſpectu hæc dici putet, addit verſu vigeſimo, *Me autem adhuc loquente, & orante, & confitente peccatum meum, & peccatum populi mei* Iſraelis. *Hebræi* nugatores apud *Saadiam Danielis* ad Regem reſponſionem ita efferunt, *Leo domus ſuperioris, id eſt, leo throni gloriæ rugiens dixit, O leones, cavete, ne lædatis leonem catuli leonini filium. Ideoq; dentes, & maxillæ eorum ita cohæſerunt, ut ſuperari non potuerint præ metu leonis rugientis, qui clauſit ora leonum, ne me perderent. Sed & aliud ingens miraculum mihi obtigit: nempe Prophetam* Habbacuc *adduxit è terra* Judææ *ſecum habentem* ארוחות פועלי שדהו *cibaria operariorum agri ſui, quæ mihi obtulit: & ſimul comedimus, atq; bibimus, & laudavimus nomen creatoris: quo facto is abiit viam ſuam, duce Angelo, qui illum attulerat. Proinde adhuc vivo, prout videt Dominus meus.* In quibus quidquid aſſuunt de *Propheta Habbacuc* ſumptum eſſe patet ex Additamentis ad *Danielem*. *Arabes* id ipſum tribuunt *Jeremiæ*. *Ibno Abiddunia* ubi ſupra,

فمكث ما شاء الله ثم اشتهي
الطعام والشراب واوحي الله الي ارميا
عليه السلام وهو بالشام ان يذهب
الي دانيال بطعام وشراب وهو بارض
العراق وذهب بذلك اليه حتي وقف
علي راس الجب فقال دانيال دانيال
وقال من هذا قال ارميا قال ما
جاء بك قال ارسلني اليك ربك بطعام
وشراب فقال دانيال الحمد لله

Et ſubſtitit (*Daniel* in foſſa leonum) *quamdiu voluit Deus. Tum cibum & potum appetiit. Et inſpiravit Deus* Jeremiæ, *cui bene ſit, qui in* Syria *tum erat, ut cum cibo & potu iret ad terram* Irak (ſeu *Babylonia*) *ubi erat* Daniel. *Quibus inſtructus iter fecit, donec veniſſet ad caput* (ſeu os) *foſſæ. Et dixit*, Daniel, Daniel. *Quo reſpondente, Quis es tu? Is regeſſit ſe eſſe* Jeremiam. *Et rogatus quorſum veniſſet, reſpondit, Ad te miſit me Dominus tuus cum cibo, & potu. Et dixit* Daniel, *Laus Deo. At Ibnoſſuns* neque *Habbacuc*, neque *Jeremiam*, ſed Angelum inſtruit hoc viatico. Verba ſunt,

فاتاه ملك فقال يا دانيال
فقال من انت قال انا رسول ربك
اليك ارسلني اليك بطعام وشراب

Et veniens ad eum Angelus dixit, ô Daniel: *quo rogante quis eſſet, reſpondit, Ego ſum Domini tui ad te legatus, & ad te miſſus cum cibo, & potu.* Nihil opus tot ambagibus, ſi ſtamus Scripturæ verbis, quæ *Danielem* docet in foſſa leonum nonniſi una nocte ſtetiſſe, quo temporis ſpatio facile potuit cibo, & potu carere. Sed Additamentorum auctor *Danieli* de victu providere neceſſe habuit, quia usque ad ſextum diem illum affixit huic foſſæ. Οἱ δὲ, inquit, ἔβαλον αὐτὸν εἰς τὸν λάκκον τῶν λεόντων, καὶ ἦν ἐκεῖ ἡμέρας ἕξ. Et *Arabes* non pauca alia comminiſcuntur hujus commatis. In quibus is, quem jam citavimus, *Ibno Abiddunia*;

للملك الذي كان دانيال
في سلطانه جاه المنجمون واصحاب
العلم فقالوا له انه يولد ليلة كذا
وكذا غلام يفسد ملكك فامر
بقتل كل من يولد في تلك
الليلة فلما ولد دانيال القته امه في
اجمة الاسد فبات الاسد ولبوته
يلحسانه فنجاه الله تعالي بذلك

Ad Regem, ſub cujus imperio erat Daniel, *venerunt Aſtrologi, & Magi* (quos nota vocari اصحاب العلم unde eſt quod *Elymas* redditur *Magus* Actor. 13. v. 8.) *qui ipſi prædixerunt fore, ut tali nocte naſceretur puer, qui regnum ejus ſubverteret. Proinde interfici juſſit omnes, qui illa nocte nati ſunt* (ſumptum id ex *Herodis* παιδοκτονία) *Et poſtquam natus eſt* Daniel, *conjecit illum mater ejus in antrum leonis. Et venit leo cum leæna ſua, qui lingebant eum* (aliud exemplar habet يحرسانه *qui cuſtodiebant eum*) *Et ſic eum ſervavit Deus.* Et in libro اسنادة *Allegationum*, ſeu *Exemplorum*, *Abdorrachman*, filius *Abizenadæ*, patrem ſuum dixiſſe refert

رايت في يد ابي
بردة بن ابي موسي الاشعري خاتما
نقش فصه اسدان بينهما رجل وهما
يلحسانه

ايلحسانذ قال ابو بردة هذا خاتم
دانيال اخذه ابوموسى يوم دفنه وان
اباموسى سال علما تلك البلدة فقالوا
ان دانيال نقش صورته وصورة الا
سدين وهما يلحسانه في فص خاتمه
لیلا ينسى نعمة الله عليه في ذلك

انتهى *Vidi in manu* Abubardæ, *filii* Abumusæ Asariensis, *annulum, in cujus pala sculpti erant duo leones, in quorum medio vir erat, quem lingebant. Et dixit* Abubarda *annulum esse* Danielis, *quem sumpsit* Abumusa *solenni die sepulturæ ejus. Et* Abumusam *interrogasse Doctores regionis illius, qui* Danielem *dixerunt in annuli sui pala figuram suam sculpsisse cum figura duorum leonum se lingentium, ne immemor esset gratiæ Dei super se, per quam liberatus est.*

Sed, his missis, ad Sacrum textum nos conferimus, in quo sequitur mirabilis totius tragœdiæ catastrophe *Danieli* tam læta, quàm tristis ejus obtrectatoribus. *Daniel* enim, ab exultante Rege è leonum fossa eductus, repertus est prorsus illæsus, quia crediderat in Deum suum, *Dan.6.v.23.* Prout capitis tertii versu vigesimo octavo (al. nonagesimo quinto) idem Deus ab igne eruerat servos suos, qui crediderant in eum. Nam (a) *per fidei clypeum extinguimus omnia ignea tela Satanæ, & ministrorum ejus.* Non, quòd Deus servos suos ea ratione semper liberet. Notum enim est infinitos martyres in mediis cruciatibus periisse. Et *Ignatium, Antiochiæ* Episcopum, fidissimum *Christi* servum, propter ipsius nomen à leonibus sub *Trajano* fuisse discerptum. Tamen nemo fidelium est, qui non debeat credere quod crediderunt *Daniel* & tres socii ejus: nempe eam esse in Deo potentiam, quâ possit nos liberare; & voluntatem etiam, quâ id ipsum velit, si modò illud gloriæ suæ & saluti nostræ servire videat. *Daniele* porro sic liberato, qui eum accusaverant in idem barathrum, Rege sic statuente, conjecti sunt. Quod talionis lex postulabat, & criminis perpetrati gravitas, quo non solum in *Danielem*, sed & in Regem peccaverant, & totum regnum. *Daniel* enim Regi & regno ita erat necessarius, ut eo carere non potuerint sine insigni detrimento. Itaque, ut pœnæ gravitas alios à tam gravi scelere in posterum deterreret, Rex, unà cum reis, eorum uxores, & liberos leonibus tradi voluit, qui fortasse æquè erant sontes, & Regis sententia damnato petulanter insultaverant. Unde est, quòd, Deo sic permittente, illi ipsi leones, qui *Danieli* pepercerant, hos in medio aëre avidis faucibus exceperunt, & horrendo morsu contriverunt, antequam essent prolapsi, ita ut in illorum ossibus nihil integrum superesset. Quomodo ille ipse ignis, qui *Danielis* socios non attigit, statim consumpsit Regis ministros, à quibus in fornacem conjecti sunt. Et *Pharaonem* cum suis demerserunt eædem aquæ, quas *Israëlitæ* incolumes pertransierant. *Josephus* rem ita amplificat. Danielis *inimici, cum videntes mali nihil esse perpessum, fateri noluerunt per Deum fuisse servatum, & per ejus providentiam. Sed leones, cibo satiatos,* Danielem *intactum præteriisse existimantes, hoc Regi defitabant. Qui, eorum malitiam execratus, jussis multum carnium objici leonibus. Et, iis satiatis,* Danielis *inimicos in fossam conjici, ut addisceret, an propter saturitatem eos non attingerent. Satrapis autem ad leones conjectis,* Dario *apparuit* Danielem *à numine fuisse servatum. Illorum enim nemini leones pepercerunt, sed omnes discerpserunt, ac si fuissent valde famelici, & ciborum indigi.* Inde hic fructus emanavit, quod Rex *Darius*, edicto per totum imperium promulgato, coli jussit Deum *Danielis*. Non quidem vero cultu. Neque enim *Assyrii* idolis suis renunciaverunt, quorum cultus cum veri Dei cultu stare non potest. Proinde *Darius* Deum non vocat Deum suum, sed *Deum Danielis*. Nondum scilicet venerat tempus vocationis gentium. Tamen hoc edictum *Darii*, & aliud simile *Nebucadnetsaris Dan. 3.v.29.* & jejunium *Ninivitis* indictum ad avertendam summi numinis iram *Jon. 3. vers. 5.* & quæ alia fuerunt hujus generis, videntur fuisse totidem προπαρασκευαὶ ad populorum conversionem, quæ *Christi* adventum subsequuta est. Ita enim paulatim, & quasi per gradus, innotuit Dei virtus, & magnitudo, iis etiam populis, *qui alieni erant à republicâ Israëlis*, & cum *Pharaone* dicebant, (b) *Quis est Dominus, ut illi obsequamur? Nos non novimus Dominum.*

a) Eph. 6, 16.

b) Vide Exo. 5. v. 2.

CAPUT QVARTUM.

Leones quandoque ab hominibus, vel Marte, vel arte, victi.

Samsonis *cum leone pugna prope* Thimnatham. Thimnatha *diversum à* Thimna *oppidum. Illud in tribu* Dan, *hoc in tribu* Judæ. *Illud in valle, hoc in monte. Vites* Sorek *prope* Thimnatham. *Vicina oppida à leonibus dicta.* Kimchius notatus. *Leo ab inermi* Samsone *laceratus.* Josephus *suffocatum scribit. Ita leo* Nemees *ab* Hercule, *& alius à* Phylio, *alius item à* Polydamante *pugile. Leonem & ursum simul eandem ovem abstulisse, &* Davidem *utrumque eodem tempore vicisse, malè colligi ex* 1. Sam. 17. v. 34. *Leo venationis socium non admittit. ET in Scriptura sæpe pro AUT: & Perfectum tempus pro Imperfecto.* Venit leo, & ursus, *id est*, Veniebat leo, aut ursus. David *non tantum semel* θηριομάχησε. *Ejus in feras duplex pugnæ genus: & robur non vulgare. Barba leonis.* זקן *&* barbam *&* mentum *sonat.* φάρυγξ, *propriè* fauces, *etiam* os *significat. Serpentis venenum in ore.* Επαισεν *in* Sirachide *pro* ἔπαιζεν. Benaja *sub* Davide *dux Prætorianæ cohortis, sub* Solomone *Imperator exercitus loco* Joabi. *Hujus pater*, Jojada *Sacerdos, vir fortissimus. An tum arma permissa fuerint Sacerdotibus, quibus mortui contactu pollui nefas.* Romanæ *leges similes.* Ariel Moab *quid sit.* Moab *&* Arsal *in* Arabica *versione duo gigantes à* Benaja *cæsi. Historia certaminis* Benajæ *cum leone à* Josepho *&* Judæis *interpolata. In eam conjectura. Quorsum hoc die nivis contigisse observetur. In* Syra *Paraphrasi mendum. Explicatur Allegoria elegans à leonum venatione sumpta,* Ezech. 19. *Ibidem versu 7.* וידע *pro* וירע Daleth *pro* Res. *Leones in foveis capi solere. Fovea talis descriptio, &* Arabica *nomina. Leones etiam retibus capi, idq; ad* Euphratem, *probatur ex* Ezechiele, *&* Oppiano, *contra* Pollucem, *qui negat.* חחים, *id est*, unci, *&* uncini, *Ezech. 19. v. 4. 9. quod multis probatur. In* Græca *versione* σφραγίδας *pro* ψαλίδας. סוגר *Hebr.* leonis cavea *à claudendo dicta, ut* Græcè κλεῖθρον. Γαλεάγρα *idem.* Glossæ *emendata.* קולרין kolarin, *Chald. non est* κολλάριον, *ut putant, sed* κλωβάριον. נדל nedal, *Chald.* Græcè *μύδαλος.*

Leo-

LEonem, utut ferum animal, tamen ab hominibus, Marte, vel Arte subjici, ut reliqua animalia, nemo est, qui nesciat. Marte, id est, aperta vi. Arte, id est, venatorum technis, & dolis. Prioris exemplo sint, quod in Scriptura memorantur viri tres, *Samson*, *David*, & *Benaja*, qui, congressi cum leonibus, illustres de iis victorias reportarunt. De horum singulis ut aliquid dicamus res postulat.

De *Samsone* ità habetur *Jud.* 14. *v.* 5. *Et descendit* Samson, *& pater ejus, & mater ejus* Thimnatham. *Et venerunt ad vineas* Thimnathæ. *Et ecce! leunculus leonum rugiens in occursum ejus. Et cum eum invasisset Spiritus Domini, laceravit illum, ut laceratur hædus, cum nihil haberet in manu.* *Thimnatha* oppidum fuit in tribu *Dan. Jos.* 19. *v.* 43. diversum à *Thimna* in tribu *Juda*, *Jud.* 15. *v.* 10. 57. & 2. *Paral.* 28. *v.* 18. Quod ideò notandum duxi, quia qui pro eodem habent multum laborant in hujus loci collatione, *Descendit Samson Thimnatham*, cum altero de *Juda* Gen. 38. *v.* 12. 13. *Ascendit* Thimnnam *ad tondendum gregem suum*. Neque enim satis capiunt quomodo ad idem oppidum *ascendi* dicitur, & *descendi*. Drusius, *Ne mireris: nam pro ratione loci, in quo sumus, vel ascendimus, vel descendimus. Forte locus erat infra* Tsorah, *ubi* Samson *habitabat, nisi verius, ut dicamus eum fuisse tunc in castris* Danitarum. *Midras* apud *Kimchium*, יהודה שנתעלה בה כתיב ביה עליה שמשון שנתגנה בה כתיב בה ירידה Judas *qui in eo oppido exaltatus fuit, eo ascendisse scribitur.* Samson *autem, qui ibidem ignominiosè est habitus, scribitur eo descendisse.* Multò verius, quod & agnoscunt nonnulli *Hebræorum*, duo esse oppida, quorum unum *Thimna* dicitur, alterum *Thimnatha*. Illud erat in tribu *Juda*, hoc in tribu *Danis*. Ad illud ascendebatur, quia monti incumbebat: ad hoc descendebatur, quia situm erat in valle. Hic vinearum fit mentio prope *Thimnatham*. Nempe circa hæc loca fuit vallis *Sorek*, *Jud.* 16. *v.* 4. unde vites illæ eximiæ, de quibus *Gen.* 49. *v.* 11. *Es.* 5. *v.* 2. & *Jer.* 2. *v.* 21. Nec eadem loca leonibus fuisse inaccessa docent à leænis appellatæ vicinæ urbes *Lebaoth*, *Jos.* 15. *v.* 32. & *Beth-lebaoth Jos.* 19. *v.* 6. Ibidem igitur כפיר אריות *leunculus leonum, aut leanarum*, qua Phrasi dicitur גדי עזים *hædus caprarum*, quam suprà explicavimus. Hic rectè observat *Kimchius* כפיר *leunculum* esse majorem גור *gur*, id est, *leonis catulo*. Sed quæ sequuntur falsissima sunt האריה גדול מכפיר והלביא גדול מהאריה והליש גדול מהלביא *Et arjeh major est* τῷ chephir, *&* labi *major est* τῷ arjeh, *&* lajis *major* τῷ labi. Nam ea nomina docuimus ad leonum ætatem haud quaquam pertinere, ut neque שחל, & שחץ, quæ hodie his interferunt. Nec verius quod ab eodem additur וכל זמן שמזקין גבורתו נוספת בו *Et quamdiu senescit augetur robur ejus.* Quippe leonum etiam vires in senio decrescere abunde suprà probatum est. Ad *Samsonem* porrò rugiens venit leunculus, qui rugitu suo, tanquam classico, bellum illi indicebat. *Sed cum invasit Spiritus Domini.* Hac præfatione utitur Sacer Scriptor, quia rem de *Samsone* narraturus est, quæ alioqui videatur superare vires humanas, illum scilicet leonem lacerasse, ut laceratur hædus, cùm nihil haberet in manu, id est, cùm inermis esset, nec ullo telo instructus. *Græci* in *Complutensi* rectè habent διέσπασεν *dilaceravit*, in aliis minùs rectè συνέτριψεν *contrivit*. *Josephus* tamen *Antiquitatum* libri quinti capite decimo hunc leonem non laceratum, sed ab inermi *Samsone* suffocatum fuisse scribit. Συντυγχάνει, inquit, λέοντι, καὶ γυμνὸς ὤν, ἐνδεξάμενος αὐτὸν ἄγχει ταῖς χερσί. *in leonem incidit, & nudus* (id est, *inermis*) *cum manibus suffocavit.* Et *Ambrosius* Epistola 23. *Vigilio*, *Irruentem in se brachiis amplexus necas, & lacertorum nodo exanimatum.* Quo ferè modo *Nemees* leonem *Hercules* interemisse dicitur. Hinc apud *Euripidem* in *Hercule Furente* (a) *Lycus*, *Herculis* gesta, referens,

(a) *Versu* 153.

Ἢ τὸν Νεμείας θῆρ' ὃν ἐν βρόχοις ἑλὼν
Βραχίονός φησ' ἀγχόναισιν ἐξελεῖν.

Aut Nemeæum leonem, quem, retibus captum, brachiorum laqueis se interemisse dicit. Et apud *Sophoclem* in *Trachiniis* (b) ità loquitur ipse *Hercules*.

(b) *Versu* 1096.

——— ὦ φίλοι βραχίονες,
Ὑμεῖς ἐκεῖνοι δὴ καθέσταθ', οἵ ποτε
Νεμέας ἔνοικον βουκόλων ἀλάστορα
Λέοντ' ἄπλατον θρέμμα κἀπροσήγορον
Βίᾳ κατειργάσασθε. ———

Quæ *Cicero* libro secundo *Tusculanarum Quæstionum* liberiùs ità reddidit,

——— *ô lacertorum tori*
Vestrone pressu quondam Nemeæus *leo*
Frendens efflavit graviter extremum halitum?

Et *Ovidius* libro nono *Metamorphoseωn*,

His elisa jacet moles Nemeæa *lacertis.*

Quod imitatus *Seneca* in *Hercule Oetæo*,

His ego lacertis spolia Nemeæi *mali*
Elisa pressi. —

Et in *Agamemnone*,

Te sensit Nemeæus *arcto*
Pressus lacerto fulmineus leo.

Et in *Hercule Furente*.

——— *maximus* Nemeæ *timor*
Gemuit lacertis pressus Herculeis *leo.*

Et *Claudianus* in laudibus *Herculis*,

— *invadis trepidum solisque lacertis*
Grandia corripiens eluso guttura morsu,
Imbellem fractis prosternis faucibus hostem.

Et *Nonnus* *Dionysiacωn* libro vigesimo quinto.

— Λέοντι βραχίονα λοξὸν ἑλίξας
Εὐπαλάμῳ πήχυνε περίπλοκον αὐχένα δεσμῷ,
Πότμον ἄγων ἀσίδηρον. ———

Leoni brachium obliquum involvens, vinculo valida manus circumdatam cervicem complexus est, mortem inferens sine ferro. Ità etiam Mythologi, *Apollodorus* libro secundo, Καὶ περιθεὶς τὴν χεῖρα τῷ τραχήλῳ κατέσχεν ἄγχων ἕως ἔπνιξε. *Diodorus* libro quarto, Συμπλακεὶς, καὶ τὸν αὐχένα σφίγξας τοῖς βραχίοσιν ἀπέπνιξε. *Tzetzes* chil. 2. Hist. 101. Γυμναῖς χερσὶ λαβόμενος συνέθλασεν ὡς ἥρως. *Arati Scholiastes* nondum editus, φιλοδοξῶν γὰρ μόνον τοῦτον οὐχ ὅπλοις ἀνεῖλεν, ἀλλὰ συμπλακεὶς ἀπέπνιξε. Sed & apud *Antonium liberalem* Metam. 12. *Phylius* quidam, περιβαλὼν τὸν βραχίονα τῇ ἐσθῆτι, ἣν ἐφόρει, ἐνέβαλε τὸ στόμα τοῦ λέοντος, ἀνέλων δ' αὐτὸν, καὶ ἀναθέμενος ἐπὶ τὸν ὦμον, ἀπήνεγκε πρὸς τὸν Κύκνον, *brachio, cui vestem circumvolverat, in os inserto leonem suffocavit, sublatumque in humeros ad* Cygnum *attulit.* Et apud *Suidam Polydamas Scotusæus* pugil, omnium suæ ætatis hominum procerissimus, νέος ὢν ἀπέκτεινε λέοντα ἐν τῷ Ὀλύμπῳ Μακεδονίας, οὐδενὶ ἐσκευασμένος ὅπλῳ, *juvenis adhuc leonem in* Olympo Macedoniæ *monte, nullo telo armatus interfecit.* Quod sumptum est ex *Pausania Eliacis* posterioribus. Qui factum sit, ut in leonis à *Samsone* cæsi cadavere apes nidulatæ sint, dicetur ubi *De Apibus*.

Quod *David Sauli* narrat 1. *Sam.* 17. *v.* 34. Ità exponit *Castellio*, *Cùm patris mei pecus pascerem, leo, unà cum urso gregem adortus, ovem sustulit. At ego hunc persecutus occidi, eique de faucibus prædam extorsi. Tum illum in me insurgentem rostro prehensum afflixi, & necavi. Quod si & leonem & ursum occidi*, &c. Atque id ipsum sequuntur multi recentiores, quos miror non vidisse quàm multa habeat incommoda hæc versio. Primò enim supponit leonem & ursum, quasi ex compacto, venari simul, cùm leo ne leænam quidem in venationis societatem admittat. *Ælianus* libri quarti capite tertio, Λύκῳ συννόμῳ καὶ ἴσως, λέοντι γε μὴν οὐκ ἔστιν· λέαινα γὰρ καὶ λέων ὅτι τὴν αὐτὴν iam

ἰασιν, οὔτ' ἐπὶ θῆρας, οὔτε ποίμνας. *Lupi duo, & equi duo simul pascuntur, leones duo non item: leæna enim & leo neque ad venationem, neque ad potum eandem viam insistant.* Damir *Arabs* de eodem, لا يالف شيا من السباع لانه لا يرى فيها ما يكافيه *Nullam ferarum in societatem admittit; quia nullam videt, quæ sit illi par.* Proinde à *Poetis* dicitur μουνόλυκος, quia *solitarium* est animal. Vide *Anthologiæ* libri primi capitis trigesimi tertii *Epigramma* trigesimum. Secundo, cùm *Hebræa* ad verbum ita habeant, *Venit leo, & ursus*, ונשא שה מהעדר & *abstulit ovem à grege, & exivi post eum, & percussi eum, & ovem ex ore ejus eripui, & insurrexit in me, & barbâ suâ* aut *maxillâ suâ, arreptum percussi, & necavi*: Ad quem referes illud *abstulit*, & *exivi post eum*, &c. An ad solum leonem, aut ad solum ursum, aut verò ad utrumque? Si de uno solum agatur, quomodo concludit *David*, *Quòd & leonem & ursum occidi?* An plus habet in conclusione, quam fuit in præmissis? Si de utroque agi dixeris, cur non Plurali numero dixit *David*, *Ovem abstulerunt, & exivi post eos, & percussi eos?* &c. Præterea, qui fieri potest, ut leo & ursus unam oviculam conjunctim abstulerint? Aut ut *David* utrumque simul barba aut mento correptum interfecerit? Nisi *Davidem* fingas non quidem ἑκατόγχειρα, sed saltem πολύχειρα fuisse, ut una manu leonis, aliâ teneret ursi maxillas, tertia ovem ex illorum faucibus eriperet; quæ plane sunt ἀδύνατα. Denique quidni locum hic habeat veterum Adagium, nè *Herculem quidem stare posse contra duos*, id est, unum *Davidem*, quamlibet generosum, contra leonem, & ursum, conjunctis viribus pugnantes? Si ad miraculum confugias, nihil egeris. Quippe, si leonem & ursum nonnisi per miraculum vicit *David*, eâ victoriâ fretus non debuit gigantem aggredi. Eum enim auxilio DEI ordinario, & solitâ virtute uti oportuit, non miraculo, quod Deus non promiserat. Proinde, ut vitentur incommoda, quæ diximus, notandum est Copulativam E T in Scriptura non rarò sumi pro Disjunctiva AUT. Ita *Gen.* 13. v. 8. *Ne sit contentio inter me & te, & inter meos pastores & tuos*, id est, *aut inter*, &c. *Gen.* 19. v. 12. *Tum viri illi Loto dixerunt, Quis præterea hic tuus est, gener, & filii tui, & filiæ tuæ?* Id est, *aut filii tui, aut filiæ tuæ*. Exod. 12. v. 5. ubi de agno, seu hœdo Paschali; *Ex ovibus tuis, & ex capris illum accipietis*, id est, *aut ex capris*. Exod. 21. v. 15. *Qui percusserit patrem suum, & matrem suam*, id est, *aut matrem suam*. Et versu 17. *Qui maledixerit patri suo, & matri suæ*, id est, *aut matri suæ*; quomodo *Matth.* 15. v. 4. interpretatur ipse *Christus*. Psal. 8. v. 5. *Quid est homo, ut memor sis ejus? & filius hominis, ut visites eum?* id est, *aut filius hominis*, ut reddit *Apostolus Hebr.* 2. v. 6. Ita omnino in loco *Davidis*, in quo versamur, *Venit leo, & ursus*, id est, *Venit leo, aut ursus*. Nam ut cætera taceam, si E T esset Copulativa, Plurali numero dixisset באו *venerunt*. Hoc quoque hic observandum; Tempus Imperfectum apud *Hebræos* nullum esse, sed Perfectum per Imperfectum *Latinè* reddi, quoties res ita postulat, quod nôrunt quotquot has literas à limine salutârunt. Quibus animadversis, verba *Davidis* obvium erit ita reddere; *Cùm pascebat servus tuus pecora patris sui*, ובא הארי ואת הדוב & *veniebat leo, aut ursus & auferebat ovem è grege*: id est, sive leo, sive ursus irruens auferret, &c. *egrediebar in eum, & percutiebam eum, & ovem ex ore ejus eruebam, & in me insurgentem barba* (vel *mento*) *arreptum percutiebam, & necabam*. Itaque non agitur de singulari eventu, sed de re, quæ non semel acciderat. Deus enim, qui *Davidem* ad magna destinaverat, cum ab adolescentia voluit his periculis exerceri, ut, Dei auxilium sæpe expertus, animum in rebus adversis obfirmaret, & vocationis suæ quidquid esset intrepide aggrederetur. Et, nè putentur ad singularem eventum hæc pertinere, duplex hic pugnæ genus describit *David*, quo hujusmodi feras solebat prosternere. Illas enim quandoque cum præda fugientes, primo statim congressu (pede, aut venabulo lethaliter feriebat, & è morientium ore ovem eruebat: aut, si, prætérito grege, in pastorem recta irruerent (quomodo leones & ursi solent; illi, ut dilacerent; hi, ut hominem amplexu necent) eas *David*, maxillâ aut faucibus una manu correptas, alterâ confodiebat. Et periculosum quidem est, & propè supra vires humanas,

Esurienti leoni ex ore exsculpere prædam,

ut in *Lucilio* habetur. Unde *Nævius* alicubi,

Deprandi autem leoni obdas os cas.

Os cas pro *ora*, vetus verbum, ut *deprandi* pro *impransi*. Quod dici consuevit tanquam de re, quam attentare sit nefas. Sed *Davidi*, præter magnam animi præsentiam fuit robur corporis non vulgare. Unde est, quòd *Psalm.* 18. v. 35. arcum chalybeum brachiis suis frangi asserit. Quod pene omiseram, in editione *Complutensi Græca* versio reddit quomodo diximus, Ὅταν ἤρχετο λέων, ἢ ἄρκτος, καὶ ἐλάμβανε πρόβατον ἐκ τῆς ἀγέλης, καὶ ἐξεπορευόμην κατόπισθεν αὐτῆς, καὶ ἐπάτασσον αὐτὸν, καὶ ἐξέσπων ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· καὶ, εἰ ἐπανίστατο ἐπ' ἐμὲ, ἐκράτουν τοῦ φάρυγγος αὐτοῦ, &c. *Cum veniebat leo, aut ursus, & capiebat ovem ex grege, cum & ponè insequebar, & percutiebam, & ovem ex ore ejus eruebam: & si in me insurgebat, eum faucibus arripiebam*, &c. A versione tam appositâ nullus capio cur recentiores recesserint, ut alteram huic substituerent, quam pluribus incommodis premi palam fecimus. *Hebræa* והחזקתי בזקנו, *Et barbâ ejus corripiebam*, cur *Græci* reddant Ἐκράτουν τοῦ φάρυγγος αὐτοῦ. *Et faucibus ejus corripiebam*, puto me deprehendere. Leoni quidem barba convenit. Unde *Homerus* aliquoties,

——— λὶς ἠϋγένειος,

leo bene-barbatus. Et *Martialis* lib. 10. Epigr. 9.

Barbam vellere mortuo leoni.

Sed cum hic tam de urso, quàm de leone agatur, maluerunt eâ voce uti, quæ utrique esset communis. Et fortasse *Hebræum* זקן non solum *barbam*, sed & *mentum* significat, ùt *Arabicum* ذقن indè deductum, & *Græcum* quoque, γένειον. Itaque *Chaldæus* hic habet, *Et apprehendi* בלועיה, & *Arabs* بلحيته *per maxillam ejus*. Et Hieronymus; *Et apprehendebam mentum eorum*. Φάρυγξ etiam, quamvis propriè *fauces* significet, potest tamen eò pertinere. Nam in *Hesychio* Φάρυγξ inter cætera στόμα redditur. Quomodo *Homerum* sumpsisse volunt *Odyss.* τ', ubi *Ulysses*, timens nè *Euryclea* se proderet,

Χεῖρ' ἐπιμασσάμενος φάρυγος λάβε δεξιτερῆφι,

id est, *Os manu dextra capit comprimens*. Ibi igitur vetus *Scholiastes*, Φάρυγος, τοῦ στόματος. Neque aliud intelligo in *Heracliseo Theocriti*, quo loco describitur *Hercules*, adhuc puer, duos angues

Δραξάμενος φάρυγος, τόθι φάρμακα λυγρὰ τέτυκται
Οὐλομένοις ὄφιεσσι, ———

id est, *Ore corripiens, ubi mala sunt venena perniciosis serpentibus*. Os interpretor, quia serpentis venenum est in ore ad radices dentium. *Davidis* ἀνδραγαθήματα *Sirachides* his verbis deprædicat *Eccles.* 47. v. 3. Ἐν λέουσιν ἔπαιξεν, ὡς ἐν ἐρίφοις· καὶ ἐν ἄρκτοις, ὡς ἐν ἄρνασι προβάτων. *Cum leonibus lusit, ut cum hædis; & cum ursis, ut cum agnis ovium*. Hoc est leones, & ursos occidere illi lusus fuit, quomodo non loqueretur, qui hoc crederet nonnisi semel factum. Ἔπαιξεν *Syrus* reddit ܩܛܠ, *Arabs*

Arabs قتل *occidit*, quasi esset à παίω *ferio*. Quod *Sirachides* si voluisset, non dixisset ἐν λύκοις, sed λέοντας ἔπαιζεν. Itaque ἔπαιζεν fit à παίζω *ludo*. *Atticum* est pro ἔπαιζεν, quomodo nonnulli scribunt. Alii etiam ἐνεξέτασεν *versatus est cum leonibus*. Ita exemplar *Complutense*, & *Parisiense* nuper editum. Sed verum est ἔπαιζεν. Porrò, quòd cum hœdis leones conferuntur, sumptum ex his de *Samsone* Jud. 14. v. 6. *Leonem dilaceravit, quasi dilacerâsset hœdum.*

Tertium habemus exemplum in *Banaja*, *Jojadæ* filio, 2. *Sam.* 23. *v.* 20. & 1. *Par.* 11. *v.* 22. *Et* Banaja, *filius* Jojadæ, *viri strenui, & rebus gestis clari*, è Cabseel, *percussit duos* Ariel Moab. *Et ipse descendit, & percussit leonem in media fossa die nivis.* Is ille est *Banaja*, qui sub *Davide* præfuit *Cerethæis*, & *Pelethæis*, id est, Regiis stipatoribus, seu militibus Prætorianis, 2. *Sam.* 8. *v.* 18. & 20. *v.* 23. Et sub *Salomone*, *Joabo* occiso, qui Imperator erat exercitûs, in illius locum suffectus est, 1. *Reg.* 2. *v.* 35. & 4. *v.* 4. Pater, vir fortissimus, Sacerdos fuisse legitur 1. *Paral.* 27. *v.* 5. 6. Proinde illi non licebat mortui contactu pollui, *Levit.* 21. *v.* 1. Quin, si *Hebræis* credimus, nè ad quartum quidem cubitum poterat accedere. Ità definit *Maimonides* in Tractatu *De luctu* cap. 3. sect. 13. *Romanæ* etiam leges *Pontificis* oculos à funere arcebant, ut testatur *Seneca* in *Consolatione ad Marciam* capite decimo quinto. Et *Flamen Dialis* (a) locum, in quo bustum esset, nunquam ingrediebatur, nec mortuum unquam attingebat. Proinde moris *Romanis* fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam *Pontifex* per ignorantiam pollueretur ingressus. Ità *Servius* ad librum tertium *Æneidos*. Tamen quia *Jojada* Sacerdos in Scriptura commendatur ut vir insignis propter res in bello gestas, unde fit verisimile multos ab eo fuisse cæsos, dicit *Kimchius* in hunc locum, Deum non distinxisse Sacerdotes à reliquo populo, cùm jussit *Israëlitas*, ut septem gentes oppugnarent, & quascunque alias, quæ *Israëlitas* opprimebant: quin instituisse, ut Sacerdotes ad bellum ungerentur, & cum *Israëlitis* ad militiam se conferrent. Ac proinde *Phineem* non timuisse, nè pollueretur, cùm interfecit *Zimri*, & *Cozbi*, & bello contra *Madianitas* suscepto interfuit. Urbs *Cabseel*, in qua natus est vir ille fortis, fuit in tribu *Juda* in *Idumeæ* confinio, *Jos.* 15. *v.* 21. Filius non degener primò percussisse legitur duos *Ariel Moab*, id est, juxta *Hieronymum*, *duos leones*, & juxta *Castalionem*, *duos* Moabiticos *leones immanes*: quia אריאל *ariel*, ad verbum *leonem Dei*, aut *leonem fortem* sonat. Sed Principum & virorum fortium apud *Orientales* hoc esse Epithetum hodieque in usu ex *Arabismo* suprà docuimus. *Chaldæus* hic habet רברבי *magnates*. Et *Kimchius* cognomen esse dicit הגדולים והגבורים *magnorum & fortium*: quia ארי *ari*, id est, *leo*, magnitudine, fortitudine, & robore inter feras excellit; & אל *el*, etiam *robur*, & *vires* sonat. Eodem per multas ambages *Rabbi Levi* tandem devolvitur. *Turris*, inquit, *valida vocatur* Ariel, *unde &* Ariel *dicitur domus sanctitatis.* (seu *Templum.*) *Is itaque videtur percussisse defensores turrium validarum, quæ erant in terra* Moab. *Composita autem est dictio ex* ארי ari, *&* אל el, *& significat leonem validum; quia leo robore maximè valet. Sed & illi potuerunt leonum speciem habere in roboris & fortitudinis argumentum.* *Syrus* etiam, *Ille interemit* ܠܬܪܝܢ ܓܢܒܪ̈ܐ ܡܘܐܒܝ̈ܐ *duos gigantes, Moabitas.* *Arabs* in *Samuele*, *Occidit* جبارا من المويبين *gigantem è Moabitis.* Et in *Paralipomenis*, *Occidit* الجبارين وهما مواب وارسل *duos gigantes, nempe Moab, & Arsal*: quæ deflexa sunt ex *Hebræis* אריאל מואב *Ariel Moab*, malè lectis, & intellectis

(a) Gellius lib. 10. cap. 15.

Ecce aliud facinus ejusdem *Banaja*! *Et ille descendit, & leonem percussit in media fovea die nivis.* Quod signanter additum vult *Kimchius*: כי הארי ביום צנה ושלג נוספת גבורתו *quia tempore frigoris & nivis leonis vires augentur.* Aliud affert *R. Levi*, *Dixit in die nivis, ut indicaret quantum valeret robore. Quamvis enim tum temporis vis illi esset infirmior propter frigoris vehementiam, maximè in media fovea, ubi frigus erat intensius, prout ferebat natura loci; & tam ipsi, quam leoni nullum pateret effugium, ne se mutuò perderent: descendit tamen* Banaja, Jojadæ *summi Sacerdotis filius, leonis in ipso descensu insultum haud quaquam timens, & eum fortiter interemit.* At eandem historiam *Josephus* sic adornat, *Cùm ningeret, in quandam foveam lubrico lapsu decidit leo, cujus os, quod angustum esset, videbat brevi fore, ut oppleretur nivibus. Atque ità cum nullam exitûs & salutis viam videret, rugiebat. Banajas autem, auditâ ferâ, illac enim iter faciebat, & ad rugitum veniens, descendit in os foveæ, & repugnantem ictu baculi, quem habebat in manu, statim exanimavit.* Hæc illi, quibus ideo haudquaquam assentior; quia credibile non est *Banajam*, virum eximium, quemque *David* Prætorianæ cohorti, & *Salomon* toti exercitui præfecerat, tam fuisse temerarium, & vitæ suæ prodigum, aut tam futilem virium suarum ostentatorem, ut ultrò cum leone captivo includi voluerit, & subire pugnæ aleam. Dicam igitur quid suspicer. *Anthologia* libri primi capite trigesimo tertio leonem narrat incertus *Poeta* in caprariorum stabulum secessisse, ut nivem vitaret, & grandinem. Verba sic habent,

> Χειμερίῃ δὲ νύκτα χαλαζήεντά τε ὄγμὸν,
> Καὶ νιφετὸν φεύγων, καὶ ῥιγόεντα πάγον,
> Μουνολέων, καὶ δὴ κεκακωμένος ἀθρόα γυῖα,
> Ἤλυθε φιλοκρήμνων αὖλιν ἐς αἰγονόμων.

Hibernâ nocte, grandinis impetum & nivem fugiens, & frigidum collem, solitarius leo, & omnibus membris male affectus, venit in stabulum caprariorum locis præruptis gaudentium. Ità leo, de quo hic agitur, nive ingruente, in foveam descenderat, id est, in antrum profundius, cujus umbrâ adversus aëris inclementiam aliquamdiu se tueretur. Quâ ipsâ de causâ *Banaja*, in idem antrum aliquantò post ingressus, in leonem ex improviso incidit, & obluctantem peremit. Non frustra igitur Sacer Scriptor id *die nivis* contigisse observat. Ità enim subindicat quâ ratione factum sit, ut ad speluncam ille leo dux & *judæus* eandem devenerit. *Foveam* hic pro *antro* sumo, aut pro *fovea in antri modum excisâ*, quia res ità postulat. Et *Hebræum* בור significat *foveam* omne genus. Quandoque *puteum*, aut *cisternam*, in quam aquæ confluunt, ùt *Levit.* 11. *v.* 36. *Deut.* 6. *v.* 11. & 2. *Sam.* 23. *v.* 15. Aliquando *fossam sine aqua*, in qua captivi detinentur, ut *Jerem.* 38. *v.* 6. & *Zachar.* 9. *v.* 11. Et *carcerem*, seu *cryptam* quamvis *subterraneam*, ut *Gen.* 40. *v.* 15. & 41. *v.* 14. *Exod.* 12. *v.* 29. &c. Non rarò etiam *sepulchrum*, ut *Ps.* 28. v. 1. & 30. *v.* 4. Item *foveam insidiosam*, in quam decidant prætereuntes, ut *Psalm.* 7. *v.* 16. Foveam denique in antri modum excisam, in quam se subducant homines, ut ibi delitescant. Sic 1. *Sam.* 13. *v.* 6. *Abscondit se populus in speluncis, in spinetis, in petris, in locis altis,* ובבורות *& in foveis.* Et *Jerem.* 41. *v.* 9. הבור *Et fovea, in quam projecit* Ismaël *omnia cadavera hominum illorum* (septuaginta) *quos percusserat ad latus* Godoliæ, *ea est, quam fecerat Rex* Asa *metu* Baasæ *Regis* Israëlis; nempe ut in ea lateret. In hujusmodi foveam nivoso cœlo cùm descendisset *Banaja*, necesse habuit cum leone decertare, qui jam eodem se subduxerat. *Arabs* hic habet نزل الي الغيض *Descendit in sylvam*, &c. *Syrum* sequutus, cujus

verba sunt, *Is descendit, & occidit leonem* ܒܓܘ ܥܒܐ *in medio sylvæ.* Sed, unâ literâ mutatâ, ex ܓܒܐ *fossâ* factum ܥܒܐ *sylva.* Cum *Banaja* conferri queat *Alexander* Rex, qui leonem raræ magnitudinis in se incurrentem non excepit modo, sed & uno vulnere occidit. Rem pluribus narrat *Curtius* libri octavi ferè initio. Ibidem *Lysimachus* quondam, cum venaretur in *Syria*, occiderat eximiæ magnitudinis leonem solus. Sed, lævo humero usque ad ossa laceratus, ad ultimum periculi pervenerat. Addit fabulam, quæ objectum leoni à Rege *Lysimachum* temere vulgavit, ab eo casu ortam esse. Tamen apud *Plutarchum* in *Demetrio* ipse *Lysimachus*, altas in cruribus & brachiis suis leoninorum unguium cicatrices ostendens, narrat τὴν γενομένην αὐτῷ μάχην πρὸς τὸ θηρίον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου συγκαθειρχθέντι τοῦ βασιλέως, *suam cum leone pugnam, quam ab* Alexandro *Rege cum illo conclusus conseruerat.*

De iis actum est hactenus, qui leones apertâ vi, & tanquam collatis signis debellârunt, & devicerunt. Jam ad venatorum artes convertimur, de quibus insignis est locus *Ezech.* 19. *v.* 2. & sequentibus, ubi *Josiæ* filios, & successores (*Joachazum*, & *Joachimum*, qui, cùm *Hierosolymis* aliquamdiu regnâssent, captivi abducti sunt, ille in *Ægyptum*, hic in *Babylonem*) *Propheta* eleganti Allegoriâ confert cum leunculis, qui, cum prædari & rapto vivere jam inciperent, in venatorum foveas & casses inciderunt. *Prophetæ* verba sic habent, *Quiderat mater tua? Leæna, quæ inter leones recubabat, & in medio leunculorum educabat catulos suos. Et evexit unum è catulis suis, qui leunculus factus est, & didicit rapere prædam, & voravit homines. De quo cùm audivissent Gentes, eum, foveâ suâ captum, uncis in terram* Ægypti *deduxerunt. At illa, videns periisse spem & expectationem suam, alterum sumpsit è catulis suis, quem effecit leunculum. Atque is, inter leones ambulans, pro leunculo se gessit, & prædam rapere didicit: & homines voravit, & destruxit palatia eorum, & urbes eorum vastavit, & terra desolata est, & plenitudo ejus à voce rugitûs illius. Et disposuerunt contra eum Gentes circumquaque de provinciis, & extenderunt in eum rete suum, Et foveâ suâ captum uncis in cavea posuerunt, & adduxerunt ad Regem* Babyloniæ, *& deduxerunt in munitiones, ne audiretur vox ejus ampliùs in montibus* Israelis. *Mater leæna*, juxta *Chaldæum*, est כנישת דישראל *Synagoga Israelis. Leones*, inter quos recubabat, sunt vicinarum gentium Reges. *Catuli*, quos educabat, sunt filii *Josiæ* Regis. *Primus*, quem in leunculum evexit, fuit *Joachaz*, qui *Josiæ* patri suffectus est, 2. *Reg.* 23. *v.* 30. & 2. *Paral.* 36. *v.* 1. & 3. *Esd.* 1. 34. *Didicit is rapere prædam, & voravit homines*, id est, *fecit malum coram Domino, sicut fecerant patres ejus* 2. *Reg.* 23. *v.* 32. Hinc *Josephus Antiquitatum* libri decimi capite sexto; Ἀσεβὴς δὲ, καὶ μιαρὸς τὸν τρόπον, *Impius & impuris fuit moribus. Et Gentes foveâ captum uncis in* Ægyptum *deduxerunt*, id est, *Ægyptii*, duce *Pharaone Nechone*, à quo *Riblam* vocatus in terra *Hamath*, quæ *Græcis Epiphania*, captivus in *Ægyptum* deductus est, ubi supremum diem obiit, 2. *Reg.* 23. *v.* 33. 34. Et leæna *alterum* è catulis suis constituit leunculum, id est, *Israelitæ* Regi captivo *Joachimum* fratrem substituerunt, 2. *Reg.* 23. *v.* 34. & 2. *Paral.* 36. *v.* 4. Sed hic *leunculus factus, & inter leones ambulans*, id est, pro Rege se gerens, & cum vicinis Regibus, *Ægyptio* putà, & *Babylonio*, pacis fœdera contrahens, *etiam ipse didicit prædam rapere, & voravit homines, & destruxit palatia, & vastavit urbes*, &c. id est, impiè se gessit æquè ac frater, & in eadem crimina incidit, in quæ inciderat *Manasse*, & in ipsa urbe metropoli fudit sanguinem innoxium, 2. *Reg.* 23 *v.* 37. & 24, *v.* 3. 4. & *Jerem.* 22. *v.* 17. Obiter nota interpretes hærere in his verbis initio septimi versus וידע אלמנותיו id est, ad verbum; *Et novit viduas ejus*, aut, si mavis, *palatia ejus.* Nam postrema vox est ambigua, neque solùm *viduas*, sed & *palatia* sonat; ut ארמנות per *Res*. Sic *Es.* 13. *v.* 22. *Et alternis ululabunt thoes* באלמנותיו *in palatiis ejus.* Sed, sive *viduas*, aut *palatia* reddas, id omnino videtur esse præter rem, *Novit viduas*, aut *Novit palatia ejus*, id est, reipublicæ *Israelis*. Nec mihi satisfaciunt quæ afferunt hic interpretes. Nisi quod *Chaldæus*, qui habet ואצדי בירניתיה *Et desolavit palatia ejus*, videtur legisse וירע per *Res*, pro וידע per *Daleth*. Propriè וירע significat *Et contrivit*, ut *Dan.* 2. v. 40. הדק ותרע *Comminuet, & conteret.* Sed, ad ædificia translatum, *desolare*, & *diruere* est. Sic in *Chaldaica* Paraphrasi *Ps.* 62. *v.* 4. היך גודא רעיעתא *ut maceria dirupta*, vel *diruta*. Et *Ezech.* 40. *v.* 1. *Anno decimo quarto* בתר דאתרעת קרתא *postquam contrita est civitas*, id est *destructa, & desolata.* Ità omnino *Ezechiel*, ubi suprà, videtur scripsisse וירע אלמנותיו *Et destruxit palatia ejus.* Saltem ità legit *Chaldæus*, & sensus apprimè convenit. Et hæc cohærent cum sequentibus, *Et urbes eorum vastavit, & terra desolata est.* Sed, si per *Daleth* legas וידע *Et novit*, quicquid afferas, nihil occurret, quod non sit valde coactum, addo etiam prorsus alienum. Itaque hic putaverim propter similitudinem, literas *Res* & *Daleth* fuisse permutatas, ut locis aliis fere viginti, quæ collegit vir, dum vixit, doctrinâ & pietate illustris, *Lud. Capellus Sacra Critica* suæ libri primi capite septimo. Sed hæc obiter. Jam quod additur contra leunculum illum, qui regionem, palatia, & urbes vastaverat, & desolaverat, vicinas gentes undequaque convenisse, eumque, retibus suis implicitum, & in fovea captum, & uncis tractum, & caveâ inclusum, ad Regem *Babyloniæ* fuisse adductum, & munitionibus detentum, ne rugitus illius amplius audiretur super montes *Israelis*, valde verisimile est ad *Joachimum* Regem pertinere, de quo supra. Is enim propter flagitia sua, & vitam impiè actam, tandem à Deo desertus est. Et in eum convenerunt *Chaldæi*, *Syri*, *Moabitæ*, & *Ammonitæ*, qui *Judæos* malè mulctârunt, 2. *Reg.* 24. *v.* 2. Quin ipse *Joachimus*, catenis chalybeis duabus vinctus, in *Babylonem* captivus deductus est, 2. *Paral.* 36. *v.* 6. & 3. *Esd.* 1. *v.* 40. Sunt tamen, qui hæc omnia malunt ad *Joachimi* filium *Jechoniam* referre, qui & ipse *Babylonem* adductus est, 2. *Reg.* 24. v. 12. &c. Cui sententiæ maximè favet, quod *Jerem.* 22. *v.* 18. 19. prædicitur fore, ut *Joachimi* cadaver insepultum projiciatur extra portas *Hierosolymorum*. Unde colligunt *Joachimum* in *Babylonem* non fuisse deductum, sed eo deducendum in via periisse, non procul ab *Hierosolymis*, ibique jacuisse insepultum. Proinde *Hieronymus*, *Theodoretus*, & *Polychronius*, in altero illo leunculo, qui *Babylonem* perductus est, *Jechoniam* intelligunt. Sed, utrumvis intelligas, notanda sunt, quæ hic habet *Hieronymus*, hæc de *Jechonia* dici, *ut leonis servetur translatio, quo capitur in foveis, catenisque constringitur, & in caveis reservatur.* Quibus hæc *Theodoreti* consona, Εἰκότως δὲ ὡς ἐπὶ λέοντος τὴν μὲν τῆς στρατείας προσβολὴν ὠνόμασε δίκτυα· κημὸν δὲ, καὶ γαλεάγραν, τὰ περιτεθέντα αὐτῷ δεσμά. ἐπειδὰν γὰρ τροπικῶς αὐτὸν ἐκάλεσε λέοντα, ἀκολούθως καὶ τὰ συμβάντα αὐτῷ τροπικῶς ὀνομάζει. τῷ γὰρ λέοντι καὶ τὰ δίκτυα καὶ ἡ γαλεάγρα ἁρμόττει. *Jure autem tanquam contra leonem exercitus impetum retia nominavit; camumque, & caveam, injecta ipsi vincula. Cum enim per translationem eum leonem vocaverit, congruenter quoque ea, quæ ipsi acciderunt, per translationem appellat; leoni enim & retia & cavea conveniunt.* Quæ ut intelligantur, de singulis jam agendum est.

Primò de leunculo dicitur versu quarto, & rursus versu octavo, בשחתם נתפש *In fossa eorum captus est.*

est. Græci, Συνελήφθη ἐν τῇ διαφθορᾷ αὐτῶν, *Captus est in corruptione eorum*. Quod *Hieronymus* sic exponit versu quarto, *Non absque vulneribus suis ceperunt eum*. Et versu octavo, *In vulneribus eorum captus est*. Nempe שחת est *corrumpere*, unde שַׁחַת quandoque est *corruptio*. ut *Psalm*. 16. *v*. 10. *Non permittes, ut sanctus tuus videat corruptionem*; quomodo interpretantur insignes *Apostoli* duo, *Petrus* Act. 2. v. 31. & *Paulus* Act. 13. v. 35. Tamen plerumque שַׁחַת est *fossa*, tanquam corruptionis locus, nisi malis deducere à Verbis שוח, aut שחח, quæ *deprimere* & *inclinare significant*. Ità *Iob*. 9. *v*. 31. *Demerges me* בשחת *in foveam*. Et 17. v. 14. *Clamavi* לשחת *fossæ, Pater meus es*. Et 33. v. 18. *Educat animam ejus* מני שחת *à fovea*. Et ejusdem capitis versu 22. *Anima ejus propinqua sit* לשחת *foveæ*. Et versu 24. *Redime eum* פדהו שחת *nè descendat in foveam*. Et versu 28. *Redemit animam meam, ne transiret* בשחת *in foveam*. Et versu 30. *Reducendo animam ejus* מני שחת *à foveà*. Psal. 7. v. 16. *Et cadet* בשחת *in fossam, quam fecit*, Græcè εἰς βόθρον Ps. 94. v. 13. *Donec fodiatur improbo* שחת *fovea*, Græcè βόθρος. Plura si desideras, vide *Ps*. 9. *v*. 16. & 30. *v*. 10. & 35. *v*. 7. & 49. *v*. 10. & 55. *v*. 14. & 103. *v*. 4. & 107. *v*. 20. & 119. *v*. 85. *Es*. 51 *v*. 14. *Ezech*. 28. *v*. 8. *Jon*. 2. *v*. 7. Ità igitur *Ezechiel* de leone. *Captus est* בשחתם *in fossa eorum*. Quam veram esse versionem in *Commentario Hieronymus* confitetur his verbis, *Cœpit eum*, inquit, *non absque vulneribus suis, sive in fovea, ut propriè in* Hebraico *continetur, ut conservet tropologicam captionem leonum. quâ semper in foveis capi solent*. Malim, *quâ sæpe*. Neque enim *semper*, sed *sæpe* leones in foveis capiuntur. *Plinius* libri octavi capite decimo sexto. *Capere eos ardui erat quondam operis, foveisque maximè*. *Statius* libro secundo, *Sylvarum* de leone mansueto *Domitiani*,

Non formidato supra venabula saltu
Incitus, aut caco foveæ deceptus hiatu.

Claudianus, in *Stilichonem* Panegyrico secundo, de *Diana* leonibus,

Non illos tæda ardentes, non strata supernè
Lapsuro virgulta solo, non vocibus hædi
Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit.
Ultrò se voluère capi, gaudensque videri
Tanta præda Deæ. ———

Sed venatoriam illam fossam capiendis leonibus nemo pluribus describit *Oppiano* in libro quarto *Cynegeticῶn*, ubi, postquam observari dixit viam à leone tritam à spelunca ad aquas proximas, ex quibus bibere solet, addit continuo post:

Ἔνθ' ἤτοι βέθρον μὲν ἐύδρομον ἀμφὶς ὄρυξαν,
Εὐρύ, καὶ περίμετρον· ἀτὰρ μεσάτῃ ἐνὶ τάφρῳ
Κίονα δειμάσθην μέγαν, ὄρθιον ὑψικόλωνον.
Τοῦ δ' ἄπο μὲν κρεμάσαντο μετήορον αὖ ἐρύσαντες
Ἀρνειὸν νεογιλὸν ὑπ' ἀρτιτόκοιο τεκούσης
Ἔκτοθι δ' αὖ βέθροιο περίτροχον ἐστεφάνωσαν
Αἱμασιὴν πυκάσαντες ἐπασσυτέροις μυλάκεσσιν.
Ὄφρα κε μὴ πελάσας δολιχὸν χάος ἀθρήσειε·
Καὶ ῥ' ὁ μὲν ὑψικρέμαστος ἐπομάζιος ἀμνὸς ἀυτεῖ.
Τοῦ δέ τε πειναλέην κραδίην ἐπάταξεν ἰωή.
Μαιόμενος δ' ἴθυνε φίλον κεχαρημένος ἦτορ
Ἴχνος ἐπιστείχων βληχῆς, ἠδ' ἔνθα καὶ ἔνθα
Παπταίνων πυρόεν. τάχα δ' ἤλυθεν ἄγχι δόλοιο.
Ἀμφὶ τε δινεῖται, κρατερὸς δὲ ὁ λιμὸς ἐείγ.
Αὐτίκα δ' αἱμασιὴν μὲν ὑπέρθορε γαστέρι πιθήσας·
Δέκτο δέ μιν χάος εὐρὺ περιστεφὲς, οὐδ' ἐνόησεν.
Ὡς ἐπὶ βυσσὸν ἵκανεν ἀνωίστοιο βερέθρου.

Quæ versibus *Latinis* totidem *Bodinus* ità utcunque expressit,

Effodiunt illic foveam latam orbe rotundo,
In cujus medio defigunt ore columnam
Sublimem, teneri quâ pendet velleris agnus.
At paries foveam summo præcingit ab ore,
Saxeus, ut lateant constructo tegmine fraudes.
Sic alti pendens agnus sublimis in æthera
Claros effundit balatus ore tenello.
Perculsi extemplo jejuna palata leonis,
Exacuens fauces, auditu in æthere clamor.
Quærit ovans claro balantis in æthere voces:
Fulmineisque orbes volvens loca lustrat aperta.
Tandem quæsitas reperit non conscius artes.
Circuit hunc illuc præclusum mœnibus antrum,
Indè famis rabies subigit transcendere muros,
Ut pingui prædà jejunum compleat alvum.
Sic insperatum recipit conclusus hiatus
Undique, nec sensit miser improvisa barathra.

Quod ipsum multo ante ità scripserat *Xenophon*, Ἔστι δὲ οἷς αὐτῶν καὶ ὀρύγματα ποιοῦσι περιφερῆ, μεγάλα, βαθέα, ἐν μέσῳ λείποντες κίονα τῆς γῆς. Ἐπὶ δὲ τοῦτον εἰς νύκτα ἐπέθησαν δήσαντες αἶγα, καὶ ἔφραξαν κύκλῳ τὸ ὄρυγμα ὕλῃ, ἵνα μὴ προορῶσιν, εἴσοδον οὐ λείποντες. Τὰ δὲ, ἀκούοντα τῆς φωνῆς ἐν τῇ νυκτὶ, κύκλῳ τὸ φράγμα περιθέουσι, καὶ, ἐπειδὰν μὴ εὑρίσκῃ δίοδον, ὑπερπηδᾷ, καὶ ἁλίσκεται. *Sunt etiam (è feris) quibus foveas magnas in orbem ducunt, profundam in medio relinquentes terra columnam, cui capram sub noctem religatam imponunt, & foveam ramis circumsepiunt, ne videatur, nullo aditu relicto. Illæ autem, audità per noctem voce, sepem obambulant, &, ubi transitum non inveniunt, transiliunt, & capiuntur.* Hæc in libro *de venatione Xenophon*, duobus ad summum sæculis *Ezechiele* posterior. Hoc idem venationis genus est *Arabibus* hodieque notissimum, qui propriis vocibus singula designant. *Fovea, in qua capitur leo* vocatur زبية *Zubia*, vel *zubiathon*, à Verbo زبا *zaba*, quod *hujusmodi foveam fodere* significat. Domos quoque leonibus capiendis ædificant, in quorum aditu est lapis سهم *sahmon*, vel شهم *scahmon* nomine, in quem leo impingens capitur. *Alcamus*,

السهم حجر على باب بيت يبني
ليصطاد فيه الاسد واذا انحله وقع
فتشدوه Alsahmo, *Lapis pro foribus domûs* (id est decipulæ) *quæ ad venandum leonem ædificatur. In quam leo ingrediens cadit, & eum devinciunt.* Idem alibi scribit الشهم per *Scin*. *Hœdum ad columnam appensum ad leonem alliciendum* يعر *jaar* appellant. Idem *Alcamus*, اليعر الجدي يشد زبية الذيب والاسد Aljaaro, *hœdus qui ad foveam lupi aut leonis ligatur*. Unde Adagium apud illos هو اذل من اليعر *Is est vilior* τοῦ *jaar*. Quia in hœdis nonnisi vilissimi sic appenduntur. Porrò à balatu يعر *jaar* vocatur: nam يعر *jaara* Verbum *balare*, & اليعار *aljoar* est صوت الغنم والمعزي *vox ovium, & caprarum*. Quandoque pro balante hœdo, vèl agno, assa caro appenditur, cujus nidore leo pelliciatur. Atque id significatur Verbo قتر *Katbara*, id est, *suffumigare*. Alcamus قتر للاسد وضع له لحما يجد قتاره *Suffumigavit leoni, id est, carnem illi posuit, cujus nidorem deprehenderet.*

Secundò, de leunculo *Propheta* scribit *Ezech*. 19. v. 8. ויפרשו עליו רשתם *Et extenderunt super eum rete*

rete suum. Et capitis trigesimi secundi versu secundo, postquam de Rege *Ægypti* dixit, *Fuisti leunculo similis in gentibus*, addit versu proximè sequenti, *Ità dixit Dominus Deus, extendam super te rete meum.* Et *Jobs* verba capitis decimi versu decimo sexto כשחל תצודני *ut leo*, vel (ut alii) *ut leonem venaris me*, Rabbi *Selomo* sic παραφράζει תפרוש לי מצודה כאלו אני גבור כשחל *Rete in me expandis, ac si tam robustus essem quàm leo.* Quæ videbuntur minus congruere, si *Pollucem* audimus, qui de leone hæc habet libri quinti capite duodecimo, Θηρᾶται δὲ ἥκιστα μὲν ὁ τέλειος, οὐ πλέγμασιν, ἀλλὰ μηχανήμασι, καὶ σοφίσμασι. *Rarissimè (aut difficillimè) capitur adultus leo, non pedicis, sed machinamentis, & dolis.* Sed *Oppianus* multò aliter. Docet enim pluribus, ubi suprà, leones, clypeorum collisione & facibus accensis territos, in retia ad id expansa se conjicere, atque ità capi

—— παρ' ὄχθαις
Εὐφρήταο, ——

ad ripas Euphratis. Quod maximè notandum, quia ad *Euphratem* scripsit *Ezechiel*, qui solus *Prophetarum* leones memorat hâc arte captos. Quia ipsos *Poetæ* versus apponere longum esset, rem in pauca contraham, iis solùm ad verbum insertis, quibus describit hæc retia. *Ad ripas Euphratis*, inquit libri quarti *Cynegeticῶν* versu 411. equos habent ad cursum expeditos, & ad certamen intrepidos, quibus instructi equites ad leonum venationem proficiscuntur:

Πεζοὶ δ' ἐκτανύσαντο λίνοις περίδρομον ἕρκος,
Ἀγκύλας ἀσσυτέρῃς ἐπιδησάμενοι σαλίκεσσι,
Τέτρατον δ' αὖ ἑκάτερθεν ἐπιπρονένευκε κεραίη,
Ὅσσον ἐπημύει κέρας ἀρτιτόκοιο σελήνης,
Τρισσοὶ δ' αὖ λοχόωσι λίνων ὕπο θηρητῆρες·
Εἷς μέσατος, δοιοὶ δ' ἄρ ἐπ' ἀκροτάτοισι κορύμβοις,
Ὁππόσον ἐκ μεσάτοιο γεγωνότος ἀμφοτέροισιν
Εἰσαΐειν ἑκάτερθε διπλῶν ἀκρότατα φυτῶν.

Quæ *Bodinus* ità expressit,

Retia tum pedites sinuosà indagine pandunt,
Prælongos denso figentes ordine varos.
Ut cornu cassis tanto flectatur utrimque,
Quanto curvatur reparans nova cornua Phœbe.
Tres statione ratâ insidiantur cassibus: unus
In medio, latitant alii per cornua summa,
Quò facilè à medio voces utrimque capessant.

Retibus ità dispositis, alii faces intentant, alii collisis clypeis obstrepunt, gnari leones strepitu non minùs quàm igne terreri. Et, magno clamore sublato, universi equites & pedites in eos impetum faciunt, ut impellant versus retia.

Καὶ τότε, δειδιότες κύκλον ἀνδρῶν, καὶ φλόγα πυρσῶν,
Αὐτόματοι πλεκτοῖσι λίνων λαγόνεσσι πέλασσαν,

Et tunc leones, metuentes turmam virorum, & flammam lampadum, ultro plexis retium lateribus accedunt. Capiebatur igitur leo

—— πλεκτοῖσι λίνων λαγόνεσσι, ——

id est, πλέγμασι (quod negaverat *Pollux*) idque iis ipsis in locis, in quibus *Ezechiel Propheta* vixit, & scripsit. Nec desunt, qui ἀγκύλας, quâ voce *Poeta* suprà usus est, *retia* interpretentur *quibus capiuntur leones. Suidas*, Ἄγκυς, τὸ θηρευτικὸν δίκτυον· τὰ λίνα, ἃ ἵστασι πρὸς ἄγραν τῶν λεόντων. *Etymologus*, Ἄγκυς, εἶδος δικτύου ἐκ παχέος σχοινίου, ὃ ἵστασι πρὸς θήραν λέοντος, ἢ ἄρκτου, ἢ ἐλάφου.

Arabice شاصرة *sasira* dixeris, quod *Alcamus* exponit حبايل السباع *pedicas leonum.* Jam quis nescit in sylvis, & saltibus, qui indagine, id est, perpetuâ plagarum serie, circumcinguntur, etiam capi leones? Unde *Statius* ubi suprà de leone *Domitiani*,

Non grege Massylo *curvâque indagine clausus.*

Et libri primi *Achilleidos* versu 460.

—— *sic torva feras indago latentes*
Claudit, & admotis paulatim cassibus arctat:
Illæ ignem sonitumque pavent, diffusaque linquunt
Avia, mirantur que suum decrescere montem,
Inque vicem stupuere greges, socioque timore
Mansuescunt: simul hirtus aper, simul ursa, lupusq;
Cogitur, & captos contemnit cerva leones.

Jam in *Propheta* sequitur de leone in fossa capto *Ezech. 19. v. 4. Et duxerunt eum* בחחים *uncis* (vel *uncinis*) *in terram* Ægypti. Et rursus de altero, versu nono, ויתנהו בסוגר בחחים *Et posuerunt eum in caveâ uncis* supple *attractum.* Non est omnino certum quid sint חחים, & quid סוגר. Nos *uncos*, & *caveam* reddimus, alii multo aliter. Nam pro בחחים *Hieronymus* habet *catenis*, vel *in catenis*, & *Chaldæus* בשלשלין quod idem est. Atque id ipsum sequuntur nonnulli *Hebræorum.* At *Græci* ἐν κημῷ, & *Syrus* [illegible], & *Arabs* بحكمة id est *camo*, vel *capistro.* Sed nos ad verum proximè accedere multa docent. Primò, id certum חוח propriè esse *spinam.* Sic 2. *Reg.* 14. *v.* 9. החוח *spina, quæ est in Libano.* Job. 31. v. 40. *Pro tritico prodeat* חוח *spina.* Prov. 26. v. 9. חוח *spina ascendit in manum ebrii.* Cant. 2. v. 2. *Ut lilium* בין החוחים *inter spinas.* Unde est, quod *Es.* 34. v. 13. & *Os.* 9. v. 6. in locis desolatis חוח crescere dicitur, cum קמוש, & סירים, quæ sunt spinarum species. Et חוחים, sunt *spineta*, & *dumi*, in quibus homines latent. Sic 1. *Sam.* 13. *v.* 6. *Abscondit se populus in antris*, ובחוחים *& in spinetis.* Et 2. *Par.* 33. v. 11. *Ceperunt* Manassem בחוחים *in spinetis.* Inde translatâ significatione *Exod.* 35. *v.* 22. inter aurea mulierum ornamenta חח putatur esse *acus*, aut *fibula*, aut *acicula*. *Kimchius* explicat החלי שהוא כמין מחט שנקבין ומחברין שתי שפתות החלוק תחת הגרון *Ornamentum instar acûs, quâ perforant, & jungunt duas oras indusii sub gutture.* Addit vernaculè vocari אגו די פומולו *ago de pomolo*, vel *da pomolo* potiùs. *Aciculam* sic vocant *Itali* propter pomulum in summa parte. *Hispani* quoque nonnunquam, sed frequentiùs *Alfiler*, ab *Arabico* الخلال *alhilal.* Nos *espingle*, id est, *spinulam*, à figurâ: & quia spinæ olim fibularum & acicularum vicem præstabant. Hinc *Æneidos* libro 3. *Achæmenides*, inter *Cyclopes* degens habuit

Consertum tegmen spinis. ——

Ad quæ verba *Tacitus* palàm alludens in libro *De moribus* Germanorum, *Tegmen*, inquit, *omnibus sagum fibulâ, aut, si desit, spinâ consertum.* Videndi eâ de re *Fullerus Miscellaneorum* libri quinti capite decimo tertio, & *Mesnagius*, *Gallicus Varro*, in doctissimo opere *De lingua* Gallicæ *originibus* pag. 703. Rursus חוח pro *hamo* sumptum, qui spinæ & fibulæ est similis. *Job.* 40. *v.* 21. de *Leviathane*, seu crocodilo, *Ponesne juncum* (*ferreum*) *in naribus ejus*, ובחוח תקב לחיו *aut maxillas ejus hamo perforabis? Ezech.* 29. *v.* 3. 4. ubi sub ceti aut crocodili figura *Pharao* describitur; Pharao *Rex* Ægypti, *cetus magnus, qui cubat in medio fluminum suorum, qui dixit, Mihi est rivus meus, quem ego mihi feci: at indam ego* חחים *hamos genis tuis*, &c. Denique חח est *uncinus ferarum naribus aut malis affixus, quo invita trahuntur.* Quomodo hodieque *Itali* bubalos, annulo naribus inserto, quovis ducunt. Huc videtur alludi, cum Deus *Rabsaci* dicit *Es.* 37. v. 29. & 2. *Reg.* 19. v. 28. *Ponam* חחי *uncinum meum in naribus tuis, & frænum meum in labiis tuis.* Et principi *Gog* Ezech. 39. v. 4. *Indam* חחים *uncinos maxillis tuis, & reducam te*, &c. Atque id ipsum intelligo, cùm de leone dicitur *Ezech.* 19. *v.* 4. *Duxerunt eum* בחחים *uncinis*

uncinis in terram Ægypti. Et rursus versu nono, *Et posuerunt eum in cavea attractum uncis, & deduxerunt ad Regem* Babylonis. Ità tamen, ut prior locus per posteriorem explicetur. Cum enim leones non soleant uncis trahi per longum iter, cum versu quarto leo, in fossa captus, inde in *Ægyptum* uncis deductus fuisse legitur, cum è fovea intelligo in caveam fuisse uncis tractum; at que ita in *Ægyptum* deductum, quomodo versu nono alterum leonem in *Babyloniam* tuisse translatum scribit idem *Propheta*.

Cavea Hebraicè סוגר *sugar*, vocatur, id est, κλεῖθρον: nam סגר *sagar*, est κλείειν *claudere*. Et verò *leonum caveas Plutarchus* in *Arato* appellat κλεῖθρα, quo loco leones narrat magnam *Megarensibus* cladem intulisse, cùm ἤδη τῆς πόλεως καταλαμβανομένης διασπάσαντα τὰ τῶν λεόντων κλεῖθρα, καὶ τοὺς δεσμοὺς ἀπῆκαν, *dum jam caperetur urbs, leonum fregerunt claustra* (seu *caveas*) & *vincula dissolverunt*. Cum illis non venisset in mentem vetus *Hebræorum* scitum, ארי חרפה ארי אסור בחבל ואם אותו תשלח יאכלך *Ne dimittas leonem ligatum fune tuo, is enim te vorabit, si eum dimiseris*. Sed usitatior est pro *feræ cavea* vox γαλεάγρα, quâ hic utuntur *Græci* interpretes. Eam enim in simili argumento veteres passim adhibent. Sic *Plutarchus* in libro *Uti animalia*, &c. tigrim esurientem narrat γαλεάγραν σπαράσσειν *caveam discerpere*, non *felem*, ut *Grynæus* pessimè reddit. Apud *Laertium* libro sexto *Diogenes*, ἰδὼν γυναῖκα ἐν φορείῳ, Οὐ κατὰ τὸ θηρίον, ἔφη, ἡ γαλεάγρα, *mulierem in lectica intuitus, Non secundùm feram, inquit, est cavea*. Et libri quinti ferè initio *Callisthenes*, cùm putaretur insidiarum in *Alexandrum* cum *Hermolao* fuisse conscius, ἐν σιδηρᾷ περιῄει τῷ γαλεάγρᾳ, φθειριῶν, καὶ ἀκόμιστος, *caveâ ferreâ circumducebatur, pediculosus, & squallidus*. Apud *Athenæum* libro decimo quarto *Lysimachus Telesphorum* ἐμβληθῆναι ἐκέλευσεν εἰς γαλεάγραν καὶ δίκην θηρίου τι ἐκφερόμενον, καὶ τρεφόμενον, κολαζόμενον οὕτως ἐποίησεν ἀποθανεῖν, *in caveam conjici jussit, & feræ instar circumferri, & ali, donec hac pœna illum ad mortem adigeret*. Quod ità expressit *Seneca* capite decimo septimo lib. 3. *De ira*, Lysimachus Telesphorum Rhodium *amicum suum decurtatum, cum aures illi nasumque abscidisset, in cavea velut novum animal aliquod & inusitatum dimpavit*. Apud *Dionem Caligula*, quodam equite interfecto, quasi *Agrippinæ* matri suæ fecisset injuriam, τὸν τε πατέρα αὐτοῦ μηδὲν ἀδικήσαντα, εἰς τε γαλεάγραν, ὥσπερ καὶ ἄλλους συχνοὺς καθεῖρξε, καὶ τοῦτο διεφθειρεν, *patrem etiam ejus, qui nihil commiserat, conjectum in caveam, sicut alios multos interfecit*. Constat igitur γαλεάγραν *ferarum* esse *caveam*, τῶν θηρίων ἀποδοχὴν, ut est in *Etymologo*: quamvis si originem vocis respicias, sit *mustelarum decipula*, ut μυάγρα *murium*. Unde *Philoxenus* in *Glossis*, Γαλεάγρα, *Cavea, viverrarium, muscellarium* (forte *mustelarium*) Et *Pollux*, Ἐκ δὲ τῶν σκευῶν καὶ γαλεάγρα, καὶ μυάγρα. Superest, ut doceamus, quomodo סוגר *sugar*, reddant alii veteres. Hieronymus *caveam*; & *Arabs*, quod idem est, قفص interpretatur, *Syrus* ܢܛܪܐ, quasi παρδαλεάγραν, vel *pantherarium* dixeris; *Chaldæus* קולרין *kolarin*, cujus vocis originem libet obiter aperire, quia hactenus prorsus ignota est. Nam viri docti falluntur, qui κολλάριον explicant. *Græci* quidem recentiores κολλάριον usurpant pro *collari*, seu *collario*, id est, vinculo circa collum. *Aristophanis Scholiastes* ad *Vespas*, Κλῳὸς (seu κλοιὸς) τὸ κολλάριον τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον, ᾧ ἐνδέουσι τοὺς κύνας δραπετεύειν ἐν τοῖς ἀγροῖς. λέγεται, ὁ ἐνδέουσι τοὺς κύνας, ὅσοι ... Et ad *Plutum*, Κύφων δὲ δεσμός ἐστι ξύλινος, ἐν ᾧ μὲν. Lege οἱ δὲ κολλάριον. *Hesychius*, κλοιὸν ἐνομάζουσι, οἱ δὲ χαλιόν. Lege ἢ περιτραχήλιον. *Hesychius*, Κλοιός, μιγὸς τι τῆς κυνός, ἢ περιτραχήλιον, κολλάριον, ἤτοι μανιάκης. *Philoxenus* in *Glossis*, Κολλάριον, *Collarium*. *Plautus*, in *Captivis*, *collariam* Fœminino genere dixit.

Hoc quidem, inquit, haud molestum est, quid collus collaria caret.

Alii *collare*, ut apud *Nonnium Lucilius*.

Cum mancis, catulo, collarique, ut fugitivum Deportem. ——

Sed hæc nihil ad rhombum. Neque enim *Chaldaicum* קולר *kolar*, vel, קולרין *kolarin*, est *torquis*, vel *vinculum circa collum*, sed vel *pœna*, vel *carcer*. Pro *pœna* sumunt *Hebræi* cum dicunt עשרה שישבין בדין קולר תלוי בצואר כולן *Cum decem in judicio sedent, omnium collo impendet* kolar, id est, *pœna*, si iniqui sunt, & judicium pervertant. Pro *carcere* in *Thargum Jerosolymitano* Num. 21. v. 30. *Tradidistis filios vestros* כפיתין בקולריא *ligatos in carcerem*. Et *R. Selomo* in *Thren*. 5, 13. כשהיו אויבים מוליכין אותם בקולרין *Ac si essent hostes ducentes eos in carcerem*. Et in *Eccles*. 10. v. 7. מוליכין את שבוי ישראל אסורים בקולרין *Captivos* Israelis *vinctos deducentes in carcerem*. Neque aliter accipiendum quod de leone mystico, id est, *Joachimo, vel Jechonia*, scribit *Chaldæus Paraphrastes*, *Et conjecerunt* בקולרין *in kolarin*, id est, *in carcerem*. Nempe קולרין *kolarin*, est *Græcum* κολαστήριον, quod non solum *pœnam*, & *supplicium*, sed & *carcerem* sonat: ut apud *Synesium* libro *De insomniis*, Ἐφ' οἷς ἄρτι μὲν ἐστενοχωρεῖτο τὰ κολαστήρια. *Quibus nuper carceres repleti sunt*. *Græcum* κολαστήριον contractum est in קולרין *kolarin*, tertiâ syllabâ detractâ ex voce παντισυλλάβῳ. Ità נדל nedal, *vermis genus*, aut *reptile multipes*, contractum ex *Græco* σκόλοπενδρα. הרדפני *hardaphne*, & הירדוף *hirdoph*, ex ῥοδοδάφνη. בורני *burni* ex *Liburnica*, &c.

CAPUT QUINTUM.

Variæ in Scriptura similitudines ex Leone in bonum aut malum sumptæ.

In laudem leoni conferuntur I. Deus, sive suos castiget, aut in impios animadvertat, tum enim cum leone confertur, qui frangit, & dilacerat; quæ θεοπρεπῶς *intelligenda. Et cum leone rugiente, cum minatur.* Prophetas *etiam invitos mala prænuntiare, nec posse DEUM excutere. II.* Christus, *qui nobis agnus, impiis leo de tribu* Juda. *Quomodo Evangelium leonis rugitui similе. III. Angeli. Quatuor Angeli in leonis, vituli, hominis, & aquilæ specie qui sint, & cur ità adumbrati. IV. Justi, qui instar leunculi confidunt, nempe conscientiæ suæ theatro tuti. V. Viri fortes, quibus tribuitur cor, & facies, fortitudo leonis. VI. Reges, qui hominibus imperant, ut leones feris.* Pharao, Joachaz, Joachim, Assuerus, Tiberius, Nero, *leones dicti. Leones in* Solomonis *throni gradibus, & sub Ori solio. VII.* Judæi *olim, roboris & potentiæ nomine. Quo sensu dicantur* discerptam hostium carnem deglutire, & confossorum sanguinem bibere, & in sanguine lavare pedes suos. *Synagoga,* Babylone *captiva, quomodo leænæ similis. Ezech.* 19. *VIII. Tribus* Judæ, Gad & Dan *leonibus similes. Jerusalem* Ariel, *id est,* leo DEI. *Quomodo, & quando tribus* Juda *leoni fuerit similis. Multis refellitur fabula de quatuor animalibus in* Judæorum *vexillis.* דודאים *dodaim, non sunt*

sunt mandragoræ, *nec mandragora sunt* ἀνθρωπόμορφοι; *ut volunt.* Judæos *nullas habuisse imagines. Ex* Ps. 68. v. 11. *perperam hæc citari*, Animalia tua habitaverunt in ea. *Nomini Singulari collectivo Plurale verbum sæpe jungi. In malam partem cùm leone confertur.* I. *Diabolus Cur* rugire, *dicatur*, obambulare, *&* homines vorare. *Angeli quoque obambulant sed alio fine, & à DEO missi. Diabolus quàm leoni in multis similis.* Hesychius *emendatus.* II. *Impii, & Dei hostes, & fidelium. Leones etiam, & feræ aliæ in Ecclesia, sed feritate depositâ.* Davidis *hostes cum leonibus sæpe collati. Pios etiam ad literam calcare leonem, & aspidem.* III. *Tyranni, & quicunque potentiâ suâ in aliorum perniciem abutuntur.* IV. *Gentes bellicosæ, & rapaces; ut* Ægyptii, Chaldæi, Ninivitæ. *In* Daniele *leo est imperium* Babylonicum. V. Judæi *in Deum rebelles, qui in eum rugiunt, id est, obloquuntur.* VI. *Morosi, contentiosi, & facile irritabiles. Quid sit* φανταστοκομπῶν, *In* Aristophanis Scholiasten *conjectura.* VII. *Quidquid noxium; ut* 1. *peccatum*, 2. *ultio*, 3. *mala lingua*, 4. *gladius.* VIII. *Leonis partes; ut dentes, maxilla, os, caput in malum partem.*

QUia in leone multa sunt, quæ laudamus, & admiramur, multa item, quæ execramur, Sacri Scriptores leonem interdum *in laude* ponunt, interdum *in vituperatione*, ut verè observat *Augustinus* in *Psalmum* quadragesimum nonum, & De Doctrina Christiana libri tertii capite vigesimo quinto. Itaque nihil est in cœlo, & terra, tam sacrum, & eximium; vicissim in terra, & inferis, nihil tam dirum, & infaustum: quod cum leone non conferatur. Id breviter exequemur; quia instituti nostri ratio non patitur, ut in his diu immoremur. Et res per se tam claræ sunt, ut sufficiat eas subindicâsse.

Prioris exemplum esto I. Deus Opt. Max. qui sive severius castiget suos, sive in impios atrocius animadvertat, nobis proponitur ut leo, qui, è lustro suo prodiens, obvios discerpit, & dilacerat, nec quisquam est, qui ei obsistat. Ità *Job.* 10. v. 16. Deum ita compellat vir sanctus; *Ut leo venaris me, & mecum agis mirificè. Jeremias* quoque *Thren.* 3. *v.* 10. *Ursus insidians est mihi* (Deus) *leo in latibulis.* Et *Jerem.* 25. *v.* 37. 38. *Succisa sunt caulæ pacatæ per æstum iræ Domini, qui dereliquit ut leunculus habitaculum suum.* Et *Esaias* 31. *v.* 4. *Ut murmurans leo, aut leunculus super prædam suam, cùm convocatur in eum multitudo pastorum, eorum voce non terretur, nec propter illorum tumultum demittit se: ità descendit Dominus exercituum ad pugnandum pro monte* Sionis, *& pro colle ejus*, nempe in hostes Ecclesiæ. Et *Judæa* Rex *Ezechias* Es. 38. *v.* 13. *Ponebam, dum mane erat, tanquam leonem, ita Deum fracturum esse omnia ossa mea.* Denique ipse DEUS *Os.* 5. *v.* 14. *Ego ut leo ero* Ephraimo, *& ut leunculus domui* Judæ. *Ego, ego rapiam, & abibo; auferam, & nemo eripiet.* Et *Os.* 13. *v.* 7. 8. *Et ero illis ut leo, ut pardus in via observabo. Occurram eis ut ursa orbata: & lacerabo præcordia eorum, exedamque eos ibi ut leæna, ut agrestis fera diffindens.* Hæc eo pertinent, ut sciamus quam tremenda sint Dei judicia, & quam *terribile sit cadere in manus DEI viventis*, Hebr. 10. v. 31. Cavendum interim, ne, si humanos, aut quod pejus esset, ferinos, & belluinos affectus Deo tribuamus, in nos aliquando insurgat non solùm *Ethnicus*, sed & profanus *Poeta*, *Lucretius*, qui tamen de Dei natura hæc scripsit (a) non contemnenda:

(a) Lib. 2. versu 645.

Omnis enim per se Divûm natura, necesse est,
Immortali ævo summâ cum pace fruatur.
Semota a nostris rebus, sejunctaque longè.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur irâ.

Quamvis illum cum *Epicuro*, magistro suo, constet ulterius processisse, quàm oportuit, & Deo humanis affectibus sic liberalisse, ut omnem rerum humanarum curam illi adimeret. Itaque pro Ethnico, & profano Poeta satiùs est *Poetam* audire *Christianum*, & *Theologum*, & verè pium, *Nazianzenum* scilicet, qui *Iambico* carmine vigesimo primo postremum *Oseæ* locum, quem protulimus, iis Verbis interpretatur, quæ, quia sunt elegantissima, non grave erit hic adscribere:

Θὴν δ' ἀκύων ἐν χαφαῖς χελύμενον,
Ἡ πάρδαλίν τιν', ἢ ταχυσπῶσαν πέδῳ
Ἄρκτον, &c. ———
Καλῶς ἄκυε, μὴ κακῶς, τὸ πράγματος.
Παχὺ γὰρ ὐδὲν ἂν ἐγὼ πάχω Θεῷ.
(Μή τις τόδ' εἴπῃ) Καὶ γὰρ ὐδ' ἐξίσαται
Αὐτὸς παρ' αὐτῷ. Ταῦτα γὰρ τῶν συνθέτων,
Καὶ τῶν μάχεσθαι ἠργμένων ἐκ πλείονος.
Ὁ δ' ἐςί, τῦτ' εὔδηλον, ἄτρεπτος φύσις.
Πῶς ἂν τυπῦται ταῦτα; τῆς τρεπτῆς νόμοις.
Πῶς; δειματῦσαι τῶν ἀπλυστέρων φρένας·
Ὥσπερ τὰ πολλὰ τῶν λέγω δηλυμένων.
Ἀντιστροφὴν δὴ τόδ, (b) καὶ τὸ πᾶν ἔχεις.
Ἐπεὶ γὰρ αὐτοὶ πλήσσομεθα χελύμενοι,
Χολᾷν τὸ πλῆσσον τὺς κακὺς ἐγράψαμεν.

(b) Aliquid deest.

Deum autem in Scripturis iratum esse cùm audis, aut pantheram esse, aut ursum æstro affectûs percitum, &c. Rem bono non malo sensu accipe. Neque enim quidquam eorum, quæ patior patitur DEUS. (*Hoc nemo dixerit*) *Nam extra se ipsum Deus nunquam rapitur. Quod natura composita proprium est, & eorum qui pugnare* (id est, contrariis affectibus agitari) *dudum cœperunt. Ille autem est immutabilis natura, hoc palam est. Quomodo igitur hæc designantur? Tropi legibus. Quomodo? ut terreat simpliciorum animos: ut multa, quæ verbo significantur. Fac conversionem, & rem omnem habebis. Quia enim ipsi plectimur irati, irasci scripsimus numen, quod plectit impios.*

Porrò, ut DEUS, jam malos plectens, cum leone comparatur, qui frangit, & dilacerat quæcunque habet obvia, ità idem, futura judicia per *Prophetas* pernuntians, cum rugiente leone comparatur. *Amos* 3. *Audite* (inquit *Propheta*) *Verbum hoc, quod loquutur Dominus contra vos, filii* Israel, &c. *Visitabo contra eos omnes iniquitates vestras*, &c. *An rugiet leo in sylva, cùm præda non est ei? An edet leunculus vocem suam è cubili suo, & non capiet?* Leonem enim fremere & rugire supra docuimus, cùm prædam ob oculos videt: Ità Deus verbi sui rugitu & minaci prædicatione mundum terret, cùm homines per scelera sua quodammodo in laqueos ruere, & sibi ex his quasi prædam paratam esse animadvertit. Cùm enim sit justus & verax, nequaquam inanibus minis cuiquam obstrepit. At vos cum auditis subinde rugientem, & multa minantur vobis summo consensu *Prophetæ* omnes, quos ille ceu leunculos suo spiritu excitat. Nè putetis igitur hæc incassum fieri, aut Deum minarum suarum veritati defuturum esse, si scelerati esse pergatis. Jam quia *Israelitæ Prophetas* incusabant, quasi malorum prædictione delectarentur, docet se vi quâdam θεηλάτῳ ad id adigi, ità ut hoc prædicandi munus nullo modo possit defugere. In quam mentem capienda sunt quæ habentur versu octavo, *Leo rugiit, quis non timeat? Dominus Deus loquutus est, quis non prophetet?* Si enim leonis rugitu omnes moventur, quantò magis Dei mandato ii moveri debent, quos constituit Deus verbi sui præcones? *Jonæ* quàm malè id cessit, quod Prophetandi munus, à Deo sibi impositum, detrectare ausus est? Quamvis non semper fuerit penes *Prophetas* Deo obluctari, & spiritum in se loquentem, tanquam ex sinu suo, excutere. Nam

Ba-

Balaamus, velit nolit, ei populo benedicere cogitur, cui maledicturus venerat. Et *Jeremias*, cum apud se constituisset non prophetare amplius, sensit sibi loquendi necessitatem impositam. Et majore vi coactum se fuisse profitetur his verbis *Jerem.* 20, 9. *Dixeram, Illum non commemorabo, nec loquar amplius ejus nomine. Sed fuit in animo meo tanquam ignis ardens, clausus in ossibus meis, quem, quantumvis laboraverim, continere non potui.* Ut vates *Thyodamas* apud *Statium* libro decimo *Thebaidos*, (si non sit nefas sacris nostris hæc profana miscere)

Prosilit in medio, visu audituque tremendus,
Impatiensque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit. - - - - - - -

II. *Leonis* nomine *Christus* significatur *Apoc.* 5, 5. *Ecce! vicit leo, qui est de tribu Juda.* Qui tamen versu statim sequente, & toto libro passim, vocatur *agnus occisus.* In *Æliani Variis*, libri primi capite vigesimo nono, Λέγουσι Κῷοι παῖδας ἐν Κῷ τίκτειν ἔν τινι ποίμνῃ Νικίππου τοῦ τυράννου· τίκτειν δὲ οὐκ ἄρνα, ἀλλὰ λέοντα. Coi *dicunt in Co insula, in quodam* Nicippi *Tyranni pascuo ovem peperisse: peperisse autem non agnum, sed leonem.* Quam verè id illi asserant, meâ nil refert. Tantùm aliquid majus *Christo* evenisse affirmo, qui, cum agnus in morte fuerit, in resurrectione factus est leo, postquam, *dæmone & inferis morte sua devictis, omnem accepit potestatem in cælo, & in*
c) Philip. 2, 9. *terra, & (c) nomen supra omne nomen, ut in nomine* Jesu *flectatur omne genu*, &c. Et rectè vocatur *leo de tribu Juda*, qui ipse *leo* vocatur *Gen.* 49, 9. ut infrà docebimus. Ad hujus leonis rugitum pertinent, quæ habentur *Os.* 11, 10. 11. *Post Dominum ambulabunt, qui tanquam leo rugiet. Quando ipse rugiet, tunc properabunt filii à mari. Properabunt, inquam, ut aves ex Ægypto, & ut columba ex terra* Assyriorum; *& habitare faciam eos in domibus suis, inquit Dominus.* quibus verbis *Hebræi Judæorum* reditum ex captivitate *Babylonica* perperam intelligunt. Nam ex versibus 8, & 9. constat agi de *Ephraimitis*, quos *Salmanassar* abduxerat. Illos verò semel abductos in *Chanaanam* postliminio rediisse non apparet. Itaque cum hoc vaticinium ad literam non sit impletum, mysticè debet intelligi de restauratione spirituali, & vocatione gentium, quæ facta est per Evangelii prædicationem. Proinde significatur idem ille rugitus, de quo *Joel.* 3, 16. *Dominus è* Sione *rugiet, & è* Jerusalem *edet vocem suam: commovebuntur cæli & terra: & Dominus refugium erit, populi sui, robur filiorum* Israëlis. Nec immeritò *rugitus* appellatur Evangelii prædicatio, cum tam sit clara, & sonora, ut per totum orbem audita fuerit, nec solum aures, sed & auditorum animos vi suâ perculerit, & solicitos reddiderit de salute sua cum metu & tremore procuranda.

III. Angelos quoque per leones significari docent quatuor Angeli, qui in leonis vituli & aquilæ specie
d) Ezech. 1, 10 & 10, 14. primò (*d*) *Ezechieli*, deinde etiam (*e*) *Johanni* ap-
e) Apoc. 4, 7. paruerunt. Nam quidquid alii hic afferant, aut asserant, ipsi *Ezechieli* malo credere, qui *Cherubinos* appellat toto capite decimo minimum viginti locis. Pro-
f) Confer. Es. 6, 2. 3. cum Apoc. 4, 8. inde (*f*) alæ ipsis tribuuntur, ut *Seraphinis*, atque idem ferè canticum, *Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus*, &c. in honorem τοῦ Θεοῦ τοῦ τρισαγίου. Et ab iis-
g) Apoc. 6, 1. 3. 5. 7. dem arcana visionum *Johanni* (*g*) aperiuntur, ut ab
h) Ezech. 11, &c. angelis (*h*) *Ezechieli*, (*i*) *Danieli*, (*k*) *Zachariæ*. Denique ab horum uno in terram effundendæ traduntur
i) Dan. 8, & 9. & 10. & 11. (*l*) septem angelis aureæ phialæ septem, plenæ septem ultimis plagis, quibus ira Dei consummatur. Unde
k) Zachar. 1, & 2. &c. valde verissimili argumento colligitur quatuor illa a-
l) Apoc. 15, 6. 7 nimalia non solùm esse angelos, sed & archangelos, qui aliis angelis præfecti sint, & eorum unicuique pensum suum assignent. *Zachar.* 2, 1. 2. quatuor cornua ventilant *Judam*, *Israëlem*, & *Jerosolymam*. His fabri totidem opponuntur versibus, tertio & quarto, qui quatuor illa cornua retundunt, & comminuunt. Atque ut *quatuor cornibus* quatuor imperia significari putant, quæ in Ecclesiam insurrexerunt, ita per *quatuor fabros* quatuor Angelos intelligunt, qui obstiterunt horum conatibus, & fideles in media tentatione tanquam in accensa fornace conservârunt. Quod ipsum adumbrâsse quatuor illas quadrigas, quas idem *Propheta* vidit, scimus ex angeli revelatione, qui, ab illo consultus quid essent eæ quadrigæ, ita respondit, *Hi sunt quatuor cæli spiritus egredientes inde ubi se stiterunt apud Dominum totius terræ*, Zachar. 6, 6. Itaque quot sunt mundi partes, Oriens, Occidens, Meridies, & Septentrio, *Dan.* 7, 2. &c. quot in templo facies describuntur *Ezech.* 48, 30. &c. Quot novæ *Jerusalem* latera tribuit *Johannes*, *Apoc.* 21, 13. tot esse archangelos, tam Ecclesiæ, quam terrarum orbi præfectos, vero consentaneum est, per quos inferiora omnia administrentur, & gubernentur. Et varias mundi revolutiones, & rerum vices per rotas designari, quas horum impulsu, & nutu, aut moveri, aut sisti *Propheta* scribit. Atque oculis ideò scatere rotas, ut hæc sciamus non cœco motu ferri, sed per summam sapientiam gubernari, & ad certos fines dirigi. Formas quod attinet, per *leonem* significatur in Angelis robur, generositas, majestas Dei hostibus terribilis. Per *bovem* constantia, patientia, firmitas, assiduitas in obeundo munere sibi à Deo demandato. Per *hominem* humanitas, lenitas, φιλανθρωπία. Per *aquilam* naturæ cœlestis vigor, agilitas, nisus ad sublimia. Ut taceam singula hæc animalia habere aliquid eximium: quippe leo in feras, aquila in aves, bos in domesticum pecus, homo in omnes imperat, & primas tenet. Et ex his duo esse fera, leonem & aquilam; duo mansueta, hominem & bovem: illa, ut rebelles terreant; hæc, ut piis sint solatio. E feris leo in terra sectatur prædam, aquila etiam in aëre, & in mediis nubibus. Ut hos spiritus sciamus non solum homines aggredi, qui humi repunt, sed & τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *Ephes.* 6, 12. Sic *Apoc.* 12, 7. fit in cœlo prælium *Michaëlis* cum dracone. Mansueta duo, bos, & homo terrestria sunt, quia Angelorum protectio, dum hic in terra sumus, nobis necessaria est: in cœlo non item, ubi nulli hostes, nulla mala impendentia. Hæc & alia hujus generis, fusiùs pertractata vide in *Commentariis* in *Apocalypsin D. Jonæ le Buy*, viri eximii, & harum rerum callentissimi.

IV. Fideles in genere cum leonibus conferri docent hæc *Solomonis* Prov. 28, 1. *Fugit impius nemine persequente: sed justi, instar leunculi, confidunt.* Quem, robore suo fretum, ubivis dormire tanquam in tuto loco, neque mali quidquam suspicari, ex idoneis auctoribus jam supra probavimus. Ità cum bono viro agitur, qui, conscientiæ suæ theatro tutus, nihil timet. Hinc apud *Laërtium Bias* interrogatus, Τί ἂν εἴη τῶν κατὰ τὸν βίον ἄφοβον *Quid in vita esset metûs expers?* respondit, Ὀρθὴ συνείδησις, *Bona conscientia.* Et *Socrates* quærenti Τίνες ἀταράχως ζῶσιν; *Quinam sine perturbatione viverent?* regessit, Οἱ μηδὲν ἑαυτοῖς ἄτοπον συνειδότες· *Qui nullius peccati sibi conscii sunt.* Τίς γὰρ ἂν ἧττον φοβοῖτό τι, ἢ θαρσεῖν μάλιστα, ἢ ὅστις αὑτῷ μηδὲν συνειδείη κακόν; *Quis enim minus timeat, aut confidat magis, quam qui nullius mali sibi conscius est?* *Plautus* in *Amphitruone*,

- - - - *qui non deliquit, decet*
Audacem esse, & confidenter pro se & protervè loqui.

Horatius libri primi *Epistola* prima,

- - - - *hic murus aheneus esto*
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Contrà, ut egregiè *Pythagoras* apud *Stobæum* Sermone 22.

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ·

Qui sibi conscius est, etiamsi sit audacissimus, conscientia eum facit esse timidissimum. Verè igitur Cicero pro *Milone*, *Magnam vim habet conscientia in utramque partem, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint: & nihil timeant, qui nihil admiserint.* Ita Philosophi, aut potiùs Naturæ sensus cum Dei verbo hâc in parte pulchrè conspirat.

V. Cum leonibus viri fortes in Scriptura non semel conferuntur: ut 2. *Sam.* 17, 10. *Fortissimus quisque, cujus cor est sicut cor leonis.* 2. Sam. 1, 23. de *Saule*, & *Jonathane*; *Aquilis erant leviores, leonibus fortiores.* Et 1. Paral. 12, 8. de *Gadites* undecim, qui *Davidi* aderant: *Valentes robore, viri militares ad bella ejus, instructi clypeo & scuto, quorum facies ut facies leonis erant.* Unde in *Moabitis Ariel* virorum fortium cognomen fuit, ut hodieque apud *Arabes* أسد الله *Asadollahi*, *Leo Dei*, quod abundè supra probatum. Sic apud *Homerum Hector* & *Ajax* concurrunt

- - - - λείουσιν ἐοικότες ὠμοφάγοισιν,

leonibus crudivoris similes, *Iliad.* ν. Et *Herculem* vocat *Lycophron*

- - - - τριέσπερον λέοντα,

leonem trinoctium. Sed *Poetas* hic citare sit superfluum, cum nihil sit frequentius.

VI. Ut leo inter animalia regnum obtinet, & Rex ferarum passim appellatur: ita Reges cum leonibus non rarò conferri videas, adeoque *leonum* etiam nomine nuncupari. Hinc *Prov.* 19, 12. *Ut rugitus leunculi est indignatio Regis.* Prov. 20, 2. *Ut rugitus leunculi est terror Regis: qui irascitur illi, peccat in animam suam.* Id est, qui eum ad iram provocat, vitam suam in discrimen conjicit, quia *Regis ira nuntius est mortis*, *Prov.* 16, 14. Et de *Pharaone* dicitur *Ezech.* 32, 2. *Similis factus es leunculo in gentibus.* Et *Ezech.* 19. per leonum catulos, qui leunculi facti sunt, duos *Judæ* Reges intelligi suprà probatum est. *Assuerus* quoque leo vocatur in *Additamentis* ad librum *Esther*, ubi Regina Deum rogat, ut λόγον εὔρυθμον, *sermonem benè compositum*, in os suum indat, ἐνώπιον τοῦ λέοντος, *coram leone*, id est, coram Rege *Assuero*. Et 2. *Tim.* 4, 17. cum dicit *Apostolus* se fuisse liberatum ἐκ στόματος λέοντος, *ex leonis ore*, *Nero* putatur intelligi. E veteribus ità sentiunt *Eusebius Hist.* lib. 2. cap. 22. & in hunc locum *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Oecumenius*, *Theophylactus*. Quale est, quod *Agrippæ* libertus *Marsyas* domino *Tiberii* mortem, qui captivum eum detinebat, *Hebraicè* denuntiavit his verbis, מת האריה *Leo mortuus est*, ut in *Josepho* habetur *Antiq.* lib. 18. cap. 8. Eodem pertinet, quod, in Regalis potentiæ symbolum, *Solomon* leones aureos duodecim in solii sui gradibus insculpi jussit, & in fulcris leones duos etiam aureos. Quo exemplo *Ægyptii* ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ Ὥρου λέοντας ὑποτιθέασι, *sub Hori solio leones ponunt*, ut habetur in *Hori Apollinis Hieroglyph.* lib. 1. cap. 17.

VII. *Judaici* populi robur, & potentia hoc eodem symbolo sæpe in Scriptura describitur. Sic *Num.* 23, 24. *En populus! qui tanquam leæna surget: & ut leo erigetur. Non cubabit donec comederit prædam, & sanguinem confossorum biberit.* Quod *Balaami* vaticinium pertinet potissimum ad victorias quas *Judæi*, duce *Josua*, è *Chananæis* reportarunt. Tum enim non quieverunt, donec plenè essent victores, & universa terra *Chanaan* illos dominos agnosceret. *Præda Hebr.* est טרף id est, ferarum unguibus discerpta caro, quam deglutire dicuntur, & confossorum sanguinem bibere. Non, quod in *Judæos* ceciderit plusquam *Scythica* hæc immanitas: quibus ne pecuinum quidem sanguinem delibare Lex permittebat, quantò minus humanum? Sed id illis tribuit Vates, quod leonum est proprium, ut persistat in Metaphora. Aut est Hyperbole, quales Scriptura hic sæpe adhibet. Sic *Psalm.* 58, 11. *Lavabit pedes suos in sanguine.* *Psal.* 68, 24. *Ut immergas pedem tuum in sanguine.* Quæ Phrases aliud non significant, quàm insignem, plenam, & perfectam de hostibus victoriam. Addit hic idem Vates de hoc eodem populo *Num.* 24, 9. *Incurvavit se, & dormivit tanquam leo: quis excitabit eum?* Quibus verbis significatur eum ità compotem futurum terræ *Chanaan*, ut quietem ejus nemo audeat interturbare. Quod impletum maximè sub Regno *Davidis* & *Solomonis*. Sed & *Ezechiel* capite 19. *leænam* appellat *Judæorum* Synagogam, quamvis sub *Assyriorum* jugo tum graviter premeretur. *Quid erat*, inquit, *mater tua? Leæna inter leones recubans, inter leunculos educans catulos suos.* Quæ *Chaldæus* sic reddit, *Quid Synagoga* Israëlis, *quæ similis erat leænæ? inter Reges crevit, & inter principes nutrivit filios suos.* Sive leæna vocetur respectu pristinæ dignitatis, aut in posterum futuræ. De qua sic *Propheta Micheas* capitis quinti versu octavo, *Et erunt reliquiæ* Jacobi *in gentibus in medio populorum multorum, sicut leo inter bestias sylvæ, & ut leunculus inter greges ovium, qui transit, calcat, & rapit, neque est qui eripiat.* Quamvis eo loco non tam agatur de *Judæorum* Synagoga, quam de *Christianorum* Ecclesia. Præcesserat enim eodem capite illustris Prophetia de *Christo* ex *Beth lehem* orituro.

VIII. Sunt & de singulis tribubus similes *Prophetiæ*. 1. De tribu *Juda*. Gen. 49, 9. *Catule leonis*, Juda, *à præda, fili mi, ascendisti: incurvavit se, decubuit ut leo: quis excitabit eum?* 2. De tribu *Gad* Deut. 33, 20. *Tanquam leæna habitat, & rapit brachium, etiam verticem.* 3. De tribu *Dan*. Deut. 33, 22. Dan *catulus leonis exsiliet ex Basane.* 4. Urbs *Jerusalem Ariel* vocatur, seu *leo Dei*. *Es.* 29, 1. *Væ* Arieli, Arieli, *urbi, in qua castrametatus est* David. Sed per Synecdochen partis pro toto. Nam *Ariel* propriè esse templum, aut altare, constat ex *Ezech.* 43, 15. 16. In his porrò vaticiniis longè antiquissimum & celeberrimum est illud *Jacobi* de *Juda*, *Catule leonis*, *Juda*, &c. quo Regi animalium, id est, leoni, comparari propter Reges ex *Juda* tribu oriundos docet quod statim sequitur, *Non recedet sceptrum à Juda*, &c. Itaque *Davidis* demùm tempore, qui primus fuit Regum in illa tribu, *Juda* pro leone habitus est. Quod *Hebræi* ex his ipsis verbis conantur elicere per rationes *Cabalisticas*. *Baal Hatturim* Commentario Mystico in *Pentateuchum* גור אריה יהודה בגים דוד ושלמה גור אריה Sensus est, voces גור אריה יהודה בגים רת יהודה Catulus leonis Juda per *Gematriam* idem valere, quod דוד ושלמה *David* & *Solomon*. Et harum vocum primas literas, nempe *Gimel*, *Aleph*, & *Jod* per *Gematriam* idem valere, quod דוד *David*. Quorum posterius verum est, nam utrumque valet *quatuordecim*. Sed prius falsum, cum numeri non conveniant. Obiter nota partim huic loco inædificari figmentum de quatuor animalibus, quæ picta fuisse volunt in quatuor *Judæorum* vexillis, de quibus *Num.* 2, 3. 18. 25. *Aben Ezra* in *Num.* 2, 2. וקדמונינו אמרו שהיה בדגל ראובן צורת אדם מכח דודאים ובדגל יהודה צורת אריה כי בו המשילו יעקב ובדגל אפרים צורת שור מטעם בכור שורו ובדגל דן צורת נשר עד שידמה לכרובים שראה יחזקאל הנביא *Et antecessores nostri dixerunt fuisse in* Rubenis *vexillo figuram hominis juxta vim symbolicam mandragorarum: & in vexillo* Judæ *figuram leonis; quia illum* Jacob *leoni comparavit: & in vexillo* Ephraim *figuram bovis; quia dicitur* (Deut. 33. 17. de *Josepho*, patre *Ephraim*) " *Primogeniti bovis illius decor est ei: & in vexillo* Dan *figura aquilæ, ut similis sit* Cherubinis, *quos vidit* Ezechiel *Propheta.* Quibus similia habent *Chizkuni*, & *Bar Nachman* in *Num.* 3. Sed hoc commento putidius nihil quidquam est. Nam, ut de *Juda* jam taceamus,

taceamus, planè absurdum est, quod *Rubenitas* figuram hominis volunt habuisse in vexillo suo propter mandragoras à *Rubene* repertas, quæ scilicet fuerint *ἀνθρωπόμορφοι*. *Ruben* enim דודאים *dodaim*, reperit, non *mandragoras*, quæ planè aliud sunt, ut multis probavimus in libello eâ de re scripto. Quamvis vel si concederemus *Rubenem* mandragoras in agro reperisse, tamen id non esset ad rem, quia mandragoras esse *ἀνθρωπομόρφους* alterum est somnium ex eburnea porta. Fateor quidem mandragoram à *Pythagora* *ἀνθρωπόμορφον* appellari, & in *Columella* legi,

Quamvis semi-hominis vesano semine fœta
Mandragora pariat flores. - - - -

Et *Avicenna* libro secundo, اليبروح اسم صنم الطبيعي اي النبات هو في صورة الناس *Aljabruch* (id est, *mandragora*) *est imago naturalis, id est, planta, quæ speciem habet hominis.* Nihilominus mandragoram quotquot viderunt, merum hoc esse commentum sciunt, neque illam cum forma hominis commune quidquam habere, præter radicem, quæ sæpe est bifurcata. Illa igitur hominem referri volunt divaricatis cruribus, quod quam frigidum sit nemo non videt. Absurdum quoque illud est, *Ephraimitas* figuram bovis, & *Danitas* figuram aquilæ in vexillis habuisse, illos propter ultima *Mosis* morientis verba de *Josepho*, & *Ephraimitis*: hos verò, quia è quatuor *Cherubinorum* faciebus, quos vidit *Ezechiel*, una fuit *ἀετόμορφος*. Agitur enim de vexillis, quæ erexerant *Israëlitæ* anno secundo ab *Ægypti* exitu *Num.* 1, 1. & 2, 2. &c. annis ante *Mosis* obitum triginta octo, sæculis ante *Ezechielem* circiter novem. Et *Ezechiel* in ea visione de *Danitis* ne γρῦ quidem habet, ut neque de aliis *Judæorum* tribubus. Præterea *Danitas* pro aquila cerastem habere in vexillo æquum fuisset, siquidem talia respexissent, quia *Jacob* dixerat, *Dan erit cerastes in via.* Sed, ut dicamus quod res est, vero non est consentaneum, illis ipsis, quos paulò antè Deus tam malè mulctaverat ob cultam bovis imaginem, *Mosem* alias, aut bovis, aut aliorum animalium, imagines continuo post erexisse, & populo, ad idololatriam tam proclivi, hoc scandalum ultrò objecisse. Cum *Vitellius*, in *Arabas* bellum moturus, vellet è *Ptolemaide* per *Judæam* exercitum ducere, *ὑπαντιάσαντες ἄνδρες οἱ πρῶτοι* (inquit *Josephus* lib. 18. cap. 7.) *παρῃτοῦντο δὲ τῆς χώρας ὁδόν· οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, πολλὰς δ᾽ εἶναι σημαίαις ἐπικειμένας*, viri (Judææ) *primarii illi occurrentes transitum per regionem deprecati sunt, causati patrios ritus non permittere, ut inferrentur ullæ imagines, quales* Romana *signa pleraque habebant.* Quorsum, si & ipsi imagines habuerunt in vexillis suis? Cur à *Romanis* aquilis ità abhorrebant, si vel ipsi, vel majores eorum in deserto similes aquilas jussu *Mosis* erexerant. Denique cum nec in Scriptura, nec in *Josepho*, nec in libris *De vita Mosis* apud *Philonem* quidquam tale habeatur, sed neque in universo opere *Talmudico*, quod quidem sciam, libens petierim quis tam grande arcanum posterioribus *Judæis* revelaverit, heri & hodiè natis, annis propè ter mille postquam res gestæ sunt? Scio citari à nonnullis hæc verba *Psal.* 68, 11. *Animalia tua habitaverunt in ea*, quasi de solitudine agatur, in qua per aliquot annos habitavit *Israël*, quem *animalia Dei* nominet *Psaltes*, quia significabatur, inquiunt, per quatuor animalia in vexillis depicta. Sed primò illud בה *in ea*, non refertur, ut illi volunt, ad solitudinem, de qua *Psaltes* versu octavo. Ibi enim *solitudo Hebraicè* est ישימון, quod nomen est Masculinum. Sed refertur ad נחלה sed *hereditatem Dei*, id est, terram *Chanaan*, de qua versu proximè antecedente. Secundò, quod illi reddunt cum plerisque veterum *animalia tua*, *Hebraicè* non habetur in Plurali חיותך, sed in singulari חיתך, *animal tuum*, aut potius *congregatio tua*. Ità enim intelligunt *Hebræi* ferè omnes, *R. Selomo*, *Aben Ezra*, *Kimchius*, *Pomarius*. Quomodo hujus ipsius *Psalmi* versu trigesimo primo, חית קנה, ipsis est *congregatio arundinis*, quod alibi explicabimus. Et 2. *Sam.* 23, 11. *Collecti sunt* Philistæi לחיה, *in congregationem.* Et ibidem versu decimo tertio, וחית פלשתים *Et cœtus* Philistæorum *castra-metans in valle* Rephaim. Ità hic חיתך ישבו בה, *Congregatio tua habitant in ea.* Nomini Singulari Plurale verbum jungitur; quia nomen est collectivum. Sic *Gen.* 33, 13. *Et morientur totus grex.* Gen. 41, 57. *Et universa terra venerunt in Ægyptum.* Exod. 7, 16. *Dimitte populum meum, ut mihi serviant.* Exod. 12, 27. *Et incurvavit se populus, & adorârunt.* Exod. 15, 24. *Et murmuraverunt populus.* Exod. 16, 1. *Et venerunt omnis congregatio.* Exod. 16, 29. *Et quieverunt populus die septimo.* Et versu statim sequente, *Et vocaverunt domus* Israël *nomen ejus Manna.* Num. 10, 3. *Et convenient ad te omnis congregatio.* 1. Reg. 1. 40. *Et ascenderunt universus populus.* Esdr. 10, 12. *Et responderunt tota Ecclesia.* Ut apud *Poëtam*,

Turbaruunt. - - - - - -

Tertio, hoc dato, non concesso, *Dei animal*, aut *animalia* vocari *Israëlitas*, an sequetur *Psaltem* alludere ad *Judæorum* vexilla *ζωωτά*, vel *belluata*? Cum Ecclesia passim (m) vocetur *grex Domini*, & *oves Dei*, quidni etiam fideles pro *Dei animalibus* haberi queant, absque ullo respectu ad vexilla, quæ diximus? Huc facit, quod *R. Selomo* postquam חיתך reddidit, עדתך, id est, *congregatio tua*, cum vulgo *Hebræorum*, addit per חיתך alios intelligere כנסת ישראל קדושה בהמה חיתו של הב״ה *Ecclesiam* Israëlis, *quæ vocetur pecus, aut animal Dei Sancti Benedicti.*

m) *Ierem.* 13, 17. *Ezech.* 34. 6, 8. 10. *Zachar.* 12, 8.

Hactenus *leonis* nomen Scriptura sumpsit in bonam partem; jam sequetur in malam, & agmen ducet Diabolus, de quo *Apostolus*, 1. Pet. 5, 8. *Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret.* Leonem multis docuimus maximè rugire, cum prædam habet in conspectu. Rugit quidem etiam tum cum prædæ est compos, sed minùs contento rugitu, quod הגה, id est, *mussitare*, vocat *Esaias* capitis trigesimi primi versu quarto, *Quomodo*, inquit, יהגה *mussitabit leo, & leunculus super prædam suam.* Hic porrò confertur Diabolus cum leone rugiente dum adhuc quærit, non cum jam obtinuit prædam. Itaque videtur agi de gravissimo rugitu. At id Diabolo minùs convenire dices, qui leonis habet ferociam, atque immanitatem, sed multò est astutior. Proinde non rugit antequam in nos irruat, nec signo dato pugnam capessit, sed latenter obrepit, seque paulatim insinuat, & quasi per cuniculos, ità ut non sentiatur. Proinde *rugiendi* vox hic urgeri non debet ultra *Apostoli* scopum, qui hoc solum vult, Diabolum animabus nostris tam avidè inhiare, quàm avidè prædæ inhiat leo, tum cum maximè rugit. Frustrà igitur anxiè quærunt interpretes quis sit Diaboli rugitus, & quid per rugitum illum propriè significetur. Neque enim extrinsecus se prodit Diabolicus ille rugitus, cum nihil sit aliud, quam animi æstus, quo in hominum perniciem fertur. Proinde addit *Apostolus* cum *obambulare quærentem quem devoret.* *Obambulat*, *Græcè* *περιπατεῖ*, videtur sumptum ex historia *Jobi*, ubi *Diabolus*, à Deo rogatus unde veniret, respondit משוט בארץ ומהתהלך בה *Job.* 1. v. 11. quod *Seniores* reddunt, Περιελθὼν τὴν γῆν, καὶ ἐμπεριπατήσας, &c. Idem dicunt Angeli *Zachar.* 1, 11. התהלכנו בארץ, ubi *Græci*, Περιωδεύσαμεν πᾶσαν τὴν γῆν,

γλῶ, *Totam terram circumivimus, aut obambulavimus.* Sed Angeli à Deo mittuntur, & cum sequuntur Ducem, ut animalia domita, quæ dominus agit ad libitum. Hinc *Zach.* 1, 10. *Isti sunt, quos Dominus misit* להתהלך בארץ διοδεῦσαι τὴν γῆν, *ad circumeundam terram.* Et *Zachar.* 6, 7. *Et dixit* Dominus, *Ite, & perambulate terram., & perambulaverunt terram.* At Diabolus, ut leones, & feræ indomitæ, proprio motu fertur, & prout impellit libido. Et Angeli terram circumeunt in fidelium bonum. Proinde apud *Zachariã*, cùm post illud iter emensum referrent reliquam terram pacatè degere, nempe præter *Judæam*, quam miserandum in modum infestabant vicinæ gentes: indè, occasione sumpta, Angelus pro Ecclesia his verbis intercedit, *Domine exercituum, quousque tu non misereberis* Jerosolymæ, *& urbium* Judæ, *quibus iratus fuisti hos septuaginta annos?* quasi dicat cum profanæ gentes pace & otio fruantur, an justum est, ut assiduis motibus & bellis exerceatur illa gens, quam tibi in hæreditatem delegisti, maximè cum elapsi sint anni septuaginta, quibus populum tuum in captivitate detinendum prædixerat *Jeremias?* At Diabolus, cum divagatur, & terram perambulat, longè alium sibi scopum proponit, nempe, ut homines devoret leonum instar, de quibus *David* Psalm. 104, 21, 22. *Disponis tenebras, ut sit nox, qua ambulant omnia animantia sylvæ: leunculi rugientes ad prædam.* Quod ipsum in Diabolum omnino quadrat, qui princeps est tenebrarum, & ignorantiæ sæculi, tanquam nocte profunda, in hominum perniciem abutitur. Nec desunt qui *Ephes.* 6, 11. τὰς μεθοδείας τ͂ διαβόλου, *Diaboli obambulationes* esse velint. Quanquam *Suidas* rectiùs reddat τέχνας, ἢ δόλους. Itaque enim in *Hesychio* pro Μεθοδίτας, τέχνας, legendum μεθοδείας. Est & ad rem quod observant, leones senes hominibus magis esse infestos, ut suo loco diximus. Ità enim *Diabolus, antiquus serpens, & annosus leo, descendit ad vos plenus irarum, sciens se parùm habere temporis,* Apoc. 12, 9. 12. Sed & accendit animos, & furorem excitat vulnus illi à *Christo* inflictum, ut leo saucius gravius ferit. *Virgilius* libri duodecimi *Æneidos* fere initio,

- - - Pœnorum *qualis in arvis*
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus
Tum demum movet arma leo. - - -

Verbum καταπίνειν videri queat hic minùs convenire; quia leo homines integros non devorat, sed minuta animalia. Hominem autem devorare draconis aut ceti proprium est. Unde *Jeremias* capitis quinquagesimi primi versu trigesimo quarto, בלעני כתנין Græci κατέπιε με ὡς δράκων, *me voravit ut draco.* Et *Jonæ* 2, 1. *Et præparavit Dominus piscem magnum* לבלע את יונה *ad vorandum Jonam*, Græcè καταπιεῖν τ͂ Ἰωνᾶν. Hinc *Apoc.* 12, 4. draconis figuram assumit Diabolus, ut nasciturum infantem devoret. Tamen etiam leonis os tam vastum est, ut quandoque devoret animalia non minima. *Phile* capite trigesimo primo, de leone,

Ῥόφει δ' ὑβρὶν εὐχερῶς ὅλον βρύχων,
Rugiens autem totum hinnulum facilè absorbet. Præterea non necesse est, ut ad literam vero leoni conveniat de hoc leone mystico quidquid dicitur. Quin hoc ipso, quod *Apostolus* huic leoni ea tribuit, quæ non cadunt in leonem propriè dictum, docet agi de leone, qui multum præpollet viribus, & cujus comparatione nos homunciones tantuli sumus, quantula præ leone sunt minora animalcula.

II. *Leonum* nomine sæpe intelliguntur impii, & Dei hostes, aut fidelium, Ita *Job.* 4, 10. 11. *Rugitus leonis, & vox leonis* (atri) *& dentes leunculorum excutiuntur: Leo* (major) *perit inopia prædæ, & catuli leænæ dissipantur.* Impios significari patet ex iis, quæ præcesserant versibus octavo & nono, *Qui arant iniquitatem, & seminant perversitatem, metunt illam. Flatu Dei pereunt, & spiritu furoris ejus deficiunt.* Neque aliter sumitur *leonis & feræ* nomen in his *Esaiæ* de *Christi* Ecclesia capitis trigesimi quinti versu nono, *Non erit ibi leo, & violenta bestia,* &c. Quibus cave ne opponas quod idem dicit de eadem Ecclesia *Es.* 11, 6. 7. *Commorabitur* (ibi) *lupus cum agno, & pardus cum hædo recubabit: vitulusque, & leunculus,* &c. *Et vacca pascet cum ursa. Simul recubabunt catuli earum, & leo sicut bos comedet stramen.* Nam utrumque suo sensu verum est. Leones enim, & feræ quævis ab Ecclesia exulant, quamdiu feræ manent: sed eædem in Ecclesiam admittuntur, cum per vim Sancti Spiritus, & verbi divini efficaciam, ferinam illam naturam exuunt, ut convertantur in oves *Christi.* Prout accidit *Paulo*, qui ex lupo factus est agnus, imò pastor in *Christi* ovili. Est & in *Psalmis* hoc frequens, ut *David* vel hostes suos, vel in genere quosvis impios, leones indigetet; quia immanitate, truculentiâ, & ferocia certare videbantur cum leonibus atrocissimis. Ita *Ps.* 7, 3. *Ne abripiat tanquam leo animam meam, & dilaceret, & nemo sit qui eripiat.* Psal. 10, 9. *Insidiatur in latibulo, sicut leo in lustro suo. Insidiatur ad diripiendum pauperem & afflictum.* Psal. 17, 12. *Similis est leoni, qui rapere appetit, & leunculo, qui sedet in latibulo.* Psal. 22, 22. *Serva me ab ore leonis,* ubi *Chaldæus, serva me ab ore* תקיף כאריא *illius, qui fortis est ut leo* Psal. 34, 11. *Leunculi indigent, & esuriunt, sed quærentes Deum non egent ullo bono.* Psal. 35, 17. *Eripe animam meam à vastatione eorum, a leunculis unicam meam.* Psal. 57, 5. *Anima mea est inter leænas, dego inter incendiarios,* Psal 58, 7. *O Deus, elide dentes eorum in ore ipsorum; molares leunculorum avelle, Domine.* Psal. 91, 13. *Super leonem & aspidem incedes; conculcabis leunculum & draconem.* Quamvis ultimum hoc possit etiam ad literam sumi. Sic enim *Daniel* leones, *Apostoli* serpentes impunè calcârunt, juxta *Christi* promissionem *Marc.* 16, 18. Quod in *Paulo* impletum, cum viperam excussit illæsus, *Act.* 28, 5. Sunt, qui per *leones* & *leunculos* designari velint aperta & violenta mala, per *aspides* verò & *dracones* occultas noxas, quibus insidiosè & ex inopinato, quasi ex serpentum latebris, impetimur. Utrumque malum ut in *Psalmo* ità in his *Plauti* jungitur statim initio *Persæ*,

Cum leone, & cum excetra, &c.
Deluctare mavelim quam cum amore.

Interim videndum, an ibi שחל & כפיר non sint serpentum potiùs quam leonum nomina; De quo nos suo loco.

III. Etiam in leonibus censentur quotquot usurpant dominationem tyrannicam, aut etiam qui legitimâ per fas & nefas abutuntur. Sic *Prov.* 28, 15. *Ut leo rugiens, & ursus esuriens, est dominator improbus in populum tenuem.* Et *Sirach.* 13, 21. al. 24. *Venatio leonum sunt onagri in deserto, ità pastus divitum sunt pauperes.* Proinde ad *Saulem Hebræorum* multi referunt quod dicit *David* Psalm. 7, 3. *Ne abripiat ut leo animam meam,* &c. Et hæc *Es.* 35, 9. *Non erit ibi leo, & mala bestia,* &c. *Chaldæus* ità reddit, *Non erit ibi* מלך מבאיש ושולטן מעיק *Rex maleficus, & dominator opprimens,* &c. Et *Jerem.* 4, 7. pro *Hebræis* עלה אריה מסבכו *Ascendit leo ex vepreto suo*, habet idem *Chaldæus* גלא מלכא מבירניה *Migravit Rex ex arce sua.* Rex nempe *Nebucadnetzar*, ut exponit *R. Selomo.* Nempe ut leoni nemo obsistit, ità *Nebucadnetzar* sibi subjecit omnes terras, neq; fuit quisquam, qui illi obsisteret. Ità *Kimchius*, & *Abarbanel* in hunc locum, Et *Jerem.* 49, 19. *Ecce! quasi leo ascendit supra altitudinem* Jordanis, i. e. juxta *Chaldæum, Ecce! Rex cum exercitu suo ascendit contra eos, sicut leo, qui ascendit ab altitudine* Jordanis. Quod *Hebræi referunt* ad *Nebucadnetzaris* expeditionẽ in *Idumæos.* Et ad verba *Jeremiæ* capitis quin-

quinquagesimi, versu decimo septimo, *Pecus dispersa fuit Israel, quam leones dispulerunt. Prior comedit eam Rex Assyriæ, posterior ossa ejus comminuit*, Nebucadnetsar *Rex* Babyloniæ. Et *Ezech.* 38. *v.* 13. Saba, *&* Dedan *& negotiatores* Tharsis, *& omnes leunculi ejus*, pro quo, *Chaldæus*, *Et omnes Reges ejus*. Nec desunt, qui *Assuerum*, *Tiberium*, & *Neronem leones* vocari putent in locis, quæ citavimus, non solum quia Reges, sed & quia tyranni erant, & à Deo sibi concessâ potestate abutebantur. Sic *Theodoretus* in 2. *Tim.* 6. *v.* 17. Τὸν Νέρωνα λέοντα προσηγόρευσε, καὶ ὡς βασιλέα, καὶ ὡς ϑηριώδη γεγενημένον. Neronem Paulus *leonem appellavit, ut qui & Imperator, & crudelissimus fuerit.*

IV. Cum leonibus gentes bellicosas & rapaces Scriptura confert. Ita *Jerem.* 2. *v.* 15. *Contra eum* (Israelem) *rugiunt leunculi, edunt vocem suam, & exponunt terram ejus desolationi, civitates ejus succeduntur, ut nullus inhabitet. Leunculi*, id est, *Ægyptii*: sequitur enim; *Et* Memphitæ, *&* Daphnæi *conterent tibi verticem.* Eodem multi hæc referunt *Esa.* 30. *vers.* 6. *Leæna, & leo ex iis*; Ibi enim de *Ægypto* res est. Et cum quatuor imperia *Daniel* capite septimo comparat quatuor bestiis, *Prima*, inquit, *bestia similis leoni, cui erant alæ aquilæ*: Prima illa bestia significabat imperium *Babylonicum*, quod leonem robore, & victoriarum celeritate aquilam referebat. Etiam de *Chaldæorum* gente dicitur *Esa.* 5. *v.* 29. *Rugitus ei ut immanis leonis, rugiensque ut leunculi fremet, & capiet prædam, salvamque deportabit, & nemo eripiet.* Et *Jerem.* 51. *v.* 38. *Simul ut leones rugient, rudent ut catuli leonum.* Et speciatim de *Ninivitis* Nahum. 2. v. 11. 12. *Ubi est lustrum leonum, & pascuum leunculorum? Ubi versabatur leo, leæna, & catulus leonis, nemine exterrente? Leo rapiens sufficienter pro catulis suis, & suffocans pro leænis suis, qui replebat prædâ antra sua, & habitacula sua rapinâ.*

V. *Judæis* quoque *leonum* nomen sæpe cedit in probrum, ut *Jerem.* 12. *v.* 8. *Est mihi possessio mea similis leoni in sylva: edit contra me vocem suam: Idcirco odi eam.* Dei verba sunt de *Judæis* conquerentis, quod feræ instar indomitæ in dominum suum insurgant, & in eum quasi rugiant, id est, blasphema lingua obloquantur. Et *Sophon.* 3. *vers.* 3. *Principes ejus* (Jerusalem) *in medio ejus leones rugientes*, quia leonum instar prædæ inhiabant. En de *Prophetis* ipsis querelam consimilem! *Ezech.* 22. *v.* 25. *Conjuratio Prophetarum ejus in medio ejus est. Similes sunt leoni rugienti diripienti prædam: animas comedunt, opes & res pretiosas capiunt, viduas ejus multiplicant in medio ejus.* Puduit veteres interpretes tot scelera *Prophetis* tribuere. Proinde pro *Hebræis* קשר נביאיה *conjuratio Prophetarum ejus*, *Chaldæus* habet סיעת ספריהא *Cœtus scribarum ejus*. Et *Græci* ὧν οἱ ἀφηγούμενοι, & *Arabs* مقدموها *cujus duces*. Sed ut vero *Propheta* nihil melius, ita nihil deterius mendace, qui Dei nomine ad quæstum abutitur, & religionem ventri subjicit. Atque hic maximè locum id habet, ex optimi corruptione generari pessimum.

VI. Quia leo valde biliosum est animal, & pronum ad iram, *Hebræi* morosos, contentiosos, & facilè irritabiles, seu viros, seu mulieres, cum leonibus conferunt. Et *Sirachides Eccles.* 25. *v.* 17. (al. 23.) profitetur malle se habitare cum leone, & dracone, quàm cum mala muliere. Cui non absimile est, quod eam *Aristophanes* in *Lysistrata* (n) pantherâ & fera quavis pejorem facit. Verba sunt,

n) In choro Senum & mulierum.

Οὐδέν ἐστι ϑηρίον γυναικὸς ἀμαχώτερον
Οὐδὲ πῦρ, οὐδ᾽ ὧδ᾽ ἀναιδὴς οὐδεμία πάρδαλις.

citat *Suidas* in Οὐδὲν, & in Πάρδαλις. Et de viro idem *Sirachides* capitis quarti versu penultimo, *Ne sis ut leo in domo tua, & suspiciosus in domesticos tuos. Græcè*, φαντασιοκοπῶν ἐν τοῖς οἰκέταις σου. Pro quo in *Vulgata* duplex versio, *Evertens domesticos tuos*, & *opprimens subjectos tibi*. Duplex etiam in *Syro* ܚܡܝܬܐ ܘܕܚܝܠܐ *Iracundus, & terribilis.* Et in *Arabe* غليظ فظا *durus, asper.* Et in versione *Drusii* longa Periphrasis, *Cerebrosus, ut qui vanis imaginibus percelluntur.* Id enim propriè est φαντασιοκοπεῖν, ut ἐλπιδοκοπεῖν *vana spe lactari.* Proinde *Eustathius* de *Tantalo* in *Odyss.* λ΄. φαντασιοκόπος ὤν, καὶ ἐλπίσι κεναῖς ἐφ᾽ οἷς οὐκ ἔχει βοσκόμενος. Et paulò post, Πρὸς τοῦτο τέλος ἔχησον ἀεὶ ἐλπιδοκοπούμενος. In quibus φαντασιοκόπος, & ἐλπιδοκοπούμενος, vel ἐλπίσι κεναῖς βοσκόμενος penè sunt Synonyma. Et aliud in *Sirachide* φαντασιοκοπῶν ἐν τοῖς οἰκέταις, nempe qui imaginaria de causa in domesticos commovetur, Gallis *fantasque ombrageux.* Hoc minus convenire dices leonis moribus, de quo *Philosophus Hist.* lib. 9. cap. 44. Ἔστι δὲ τὸ ἦθος οὐχ ὑπόπτης οὐδενός, οὐδ᾽ ὑφορώμενος οὐδέν. *Mores quod attinet, suspicione caret, nec limis intuetur oculis, ut suspiciosi solent.* Sed leonem sedati animi *Philosophus* ita describit, iratum *Sirachides*, neque jam sui compotem. Leonem porro jam monuimus propter bilis copiam facilè irritari. Hinc *Plinius* lib. 8. cap. 16. *Immota cauda placidus, clemens, blandientique similis, quod rarum est. Crebrior enim iracundia ejus.* Et *Ovidius Metam.* lib. 15.

Armeniæ *tigres, iracundique leones.*

Obiter nota in vocem φαντασιοκόπος, de qua supra, legi in *Lexico Cyrilli* apud me manu-scripto, Πίτυλος, φαντασιοκόπος. & in *Etymologo* Πίτυλος, κλύπτης, φαντασιοκόπος. Pro quo alibi φαντασιοσκόπος. *Aristophanis Scholiastes* in *Vespis* ad vocem Πιτυλίζεις. Πίτυλος καλεῖται ἡ καταβολὴ τῆς κώπης καὶ κλύπτης, φαντασιοσκόπος. *Suidas*, Πίτυλος, κλύπτης, φαντασιοσκόπος. Quomodocunque legas, non satis video quid vel φαντασιοκόπος, vel φαντασιοσκόπος commune habeant cum πιτύλῳ, qua voce significatur aut *remi strepitus in aqua*, aut *remex, qui remorum agitatione strepitum edit.* Forte legerunt φαντασιοκώπης, quia κωπεὺς est remex.

VII. Neque homines solum, sed & quodcunque noxium est, & in hominum perniciem cedit, idem ille *Sirachides* leoni comparat. Ita, 1. *peccatum*, de quo *Eccles.* 21. *v.* 13. *Dentes leonis dentes ejus sunt, perimentes animas hominum.* Et 27. *v.* 10. *Ut leo præda insidiatur, sic peccatum operantibus iniqua.* 2. *Ultionem*, Eccles. 7. v. 29. *Illusio, & contumelia superborum est, & ultio tanquam leo insidiatur eis.* 3. *Malam linguam*, cujus verbere impios castigari docet his verbis *Eccles.* 28. *v.* 27. *Immittetur in eos*, (mala lingua) *tanquam leo, & ut pardus devastabit eos.* 4. Non dissimile est, quod cum leone confertur *gladius* Jerem. 2. vers. 30. *Consumpsit gladius vester Prophetas vestros, ut leo destructor.*

Leonum etiam membra modò in bonam modò in malam partem nonnullis tribui videas. Ita fortibus tribuuntur cor leonis 2. *Sam.* 17. *v.* 10. & facies leonis 1. *Par.* 12. *v.* 8. Et leonis dentes, & maxillæ locustis, sive veris, ut *Joel.* 1. *v.* 6. sive mysticis, ut *Apoc.* 9. *v.* 8. Et os leonis bestiæ septicipiti, quæ ex mari ascendit, *Apoc.* 13. *v.* 2. Et capita leonum equis magni exercitus ex *Euphrate* venientis *Apocal.* 10. *v.* 17. Quæ singula hic explicare nostri otii, aut propositi non est. Multa in iis sunt arcana, & recondita, quæ ad hunc tractatum non pertinent.

CAP.

CAPUT SEXTUM.

De loco celebri *Psal.* 22. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, in quo *Judæi* pro כארו *foderunt* perperam legunt כארי *sicut leo.*

Status quæstionis, & quanti sit momenti. Probatur legendum, כארו *caru,* 1. *Ex* Græco Seniorum *ὤρυξαν*, vel *ἐξώρυξαν*, *pro quo* Tertullianus exterminârunt, *quia legit ἐξώλεσαν.* 2. *Ex* Aquila, *qui reddit ᾔσχυναν, quia* כאר Chaldaicè *est* fœdare, *quod potest ferri, licet prior versio sit multis de causis præferenda.* 3. *Ex* Syro, Arabe, Æthiope, Hieronymo. 4. *Ex* Masorethis, *qui agnoscunt in* Hebræo *olim fuisse* כארו *&* τὸ כארי *eo loco non significare* sicut leo. *In* Esdra *versu ultimo* נשאי, pro נשאו. *Fraus* Judæorum *insignis, qui* כארו *è textu in marginem transtulerunt, quibusdam exemplaribus hodieq; repugnantibus, ut ipsi agnoscunt.* 5. *Si scribas* כארי sicut leo, *nullus erit sensus commodus: quod docetur ex verborum examine. An inde rectè concludatur* Judæos Hebræum *textum malitiose corrupisse.*

MAgna est de hoc loco contentio inter Synagogam & Ecclesiam. Clamant enim recutiti Doctores nos sacra verba corrupisse, cùm in *Hebræo* textu non habeatur כרו *caru, foderunt*, sed כארי *caari, sicut leo.* Ita reperiri in omnibus quotquot extant *Hebraici Psalterii* exemplaribus. Ita legisse *Chaldæum* interpretem, qui locum ita reddit, נכתין כארא אידי ורגלי *Mordentes ut leones manus meas, & pedes meos.* Ita *Masorethas*, qui notant כארי *caari*, bis in Scriptura legi cum *Camets*, hic nimirum, & *Esa.* 38. *v.* 13. Ita denique priscos Commentatores, quorum notæ hac lectione nituntur.

Nos contra, post magnos viros, qui hunc locum tractaverunt, legendum contendimus in *Hebræo* כרו *foderunt*; vel, quod idem est, כארו cum *Aleph* Epenthetico, ut post *Camets* quandoque additur ad Vocalis longæ sonum protrahendum. Ut in ויקאם *& surrexit*, Os. 10. v. 14. וראמה *& exaltata fuit*, Zach. 14. v. 10. ראמות *excelsa*, Prov. 24. v. 7. &c. Ita pro כרו *foderunt*, scribi potuit כארו cum Epenthesi literæ *Aleph.* Atque ita legisse veteres, adeoque hanc lectionem veram & indubitatam esse, iis rationibus asseremus, quæ cordatum lectorem facilè in assensum trahent. Neque vana est hæc disputatio. Quippe, utut כארו, & כארי sint voces scriptura simillimæ, tamen sensu multum differunt. Et *Christiana* lectio nobis suggerit insigne argumentum pro veritate nostri *Messiæ.* Cùm enim *Davidis* sit hic *Psalmus*, ut ex titulo apparet, tamen in eo multa sunt, quæ *Davidi* non conveniunt, sed soli *Christo*, cujus typus fuit *David.* In quibus hoc potissimum, *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Quod nusquam alibi impletum, quàm in cruce, in qua *Christi* manus & pedes clavis confossi, & confixi sunt.

Porro veram esse hanc lectionem I. probat *Seniorum* versio omnium antiquissima. Illi enim hic habent *ὤρυξαν χεῖράς μου, καὶ πόδας μου.* Quod sequuntur *Græci Patres.* In his *Justinus Martyr* in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, *Athanasius* in libro *De Incarnatione*, & in *Dialogo primo De Trinitate*, Auctor *Quæstionum ad Antiochum* Quæst. 136. *Apollinaris* etiam in *Paraphrasi*,

Ἡμετέρας ὤρυξαν ὁμοῦ χεῖράς τε, πόδας τε.

Unde sumptum *foderunt* apud *Vulgatum* interpretem, & plerosque *Latinorum. Cyprianus* habet *effoderunt*, tanquam à *Græco ἐξώρυξαν*, lib. 2. *Testimon. contra Judæos.* Et ex *ἐξώρυξαν* per corruptionem factum *ἐξώλεσαν exterminaverunt*, quod in *Tertulliano* frequens. Sic libri *Adversus Judæos* capite octavo, *Sicut est in Psalmis Prophetarum*, "*Exterminaverunt manus meas, & pedes.* Et capite decimo, *Sicut in Psalmis ipse Spiritus* Christi *jam canebat, dicens*, "*Exterminaverunt*, &c. Et capite decimo tertio, *Et in Psalmis dicit*, "*Exterminaverunt*, &c. Tamen idem capite decimo ejusdem libri, *Foderunt, inquit, manus meas, & pedes, quæ propria est atrocitas crucis.* Constat igitur *Græcos* illos vetustissimos non legisse כארי, *ὡς λέων*, sed כרו, vel כארו, *ὤρυξαν*, unde nata *ἐξώρυξαν*, & *ἐξώλεσαν.* Itaque *Christianis* non potest tribui lectio, & versio, quæ in Ecclesia *Judaica* recepta jam fuit tertio ante *Christum* natum sæculo.

II. Secundò, *Aquila* (qui & ipse *Judæus* fuit, & sacra *Biblia Græcè* reddidit sub *Ælio Adriano* centum ad summum annis post *Christi* ascensionem) legisse כארו, palam docet vox *ᾔσχυναν*, qua hic usus est. Id enim ex *Chaldæa* lingua sumptum est, quâ כער, vel כאר, *Ajin* & *Aleph* permutatis, est *fœdare*, vel *inquinare.* Per *Ajin* scribitur in *Thargum* Nahum. 3. v. 6. ואשויך מכעריא לעיני כל חזיך *Et reddam te fœdam in oculis omnium videntium te*, pro *Hebræo*, *Et reddam te* כראי, *ut stercus.* Et in *Beresith Rabba* cap. 17. יערי ידי שגדלתי עמו בבית התכערתי בעיניו *Et prout in eadem cum ipso domo crevi, fœda visa sum in oculis ejus.* Per *Aleph* in *Bava Kama* cap. 10. in *Misna*, ubi de lana dicitur צבעו כאור *Tinxit eam colore fœdo.* Unde *Syris* ܟܘܪܐ est *pudor, & confusio.* Ita in *Syro* interprete 1. *Cor.* 6. *v.* 5. ܠܟܘܪܐ *ad pudorem, seu confusionem*, Græcè *πρὸς ἐντροπὴν.* Et in *Ethphael* ܐܬܟܘܪ *verecundatus est* in *Ferrarii Nomenclatore Syriaco* pag. 763. Et *Arabicè* مكور cum *Vau* medio in *Alcamus* idem est, quod فاحش *turpis, fœdus, obscœnus.* Proinde *Aquilæ* causa non defuit, cur כארו redderet *ᾔσχυναν fœdârunt.* Nam *Aleph* משך, seu *protractionis*, in voce כארו putavit esse Radicale, & eam deduxit ex *Syro*, vel *Chaldæo* כאר, quod *fœdare* est, ut probavimus. Neque id prorsus est extra rem. Nam *αἰσχύνειν fœdare* quandoque est *torquere, cruciare, indignis modis tractare.* Sic *Iliad.* σ'. versu 24. *Achilles*, accepto de cæde *Patrocli* nuntio,

- - - *χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον*,

pulchram faciem fœdabat. Et *Æneidos* libro secundo, cum *Hector Æneæ* apparet in somnis,

Squallentem barbam, & concretos sanguine crines,
Vulneraq; illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios: - - - - -

dicit illi *Æneas*,

- - - - - *quæ causa indigna serenos*
Fœdavit vultus? - - - - - -

Fœdavit, id est, *cruentavit*, ut rectè ibi *Servius.* Et libro quarto, mortuâ *Didone*, à *Poeta* describitur

Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.

Fœdans, id est, *sanguine cruentans.* Et libro septimo,

- - - - - *fœdatiq; ora* Galesi,

id est, *cruentati.* Ita utroque loco *Servius.* Et libro undecimo in *Pallantis* funere,

Ducitur infelix ævo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora.

Ubi *Servius* iterum, *Fœdans, vel cruentans, vel lacerans.* Quod si sequamur, dixerit *David* tanquam sub *Christi* persona, *Fœdârunt manus meas, & pedes meos:*

id

id est, clavis infixis cruentarunt, & lacerarunt. Potest igitur ferri hæc *Aquilæ* versio. Tamen pluribus de causis prior illi præferenda est: 1. Quia vetustior est quatuor ferè sæculis, & apud *Judæos Hellenistas* obtinuit diu antequam res illis verbis prædicta compleretur. 2. Quia Verbum כאר in *fœdandi* significatione *Hebræis* prorsus ignotum est, nec nisi *Syris*, aut *Chaldæis* in usu, à quibus non solet *David* ulla verba mutuari. Tum enim *Judæi* cum *Syris* parum habebant commercii, nec nisi post *Babylonicæ* captivitatis tempora cœpit *Hebraismus Syrismo* infici. 3. In eo *Psalmo* sunt & alia, quibus palam alluditur ad ea, quæ *Christus* in morte crucis passus est: ut versu octavo, *Omnes, qui me vident, subsannant me, diducunt labium, movent caput.* Et versu nono, *Devolvit res suas ad Dominum, liberet eum, eripiat eum, quando quidem eo delectatur.* Et versu decimo nono, *Dividunt vestimenta mea inter se, & super vestem meam projiciunt sortem.* Et statim initio *Psalmi* habentur ea ipsa verba, quæ *Christus* in cruce protulit, *Mi Deus, mi Deus, quare dereliquisti me?* Itaque nullum dubium, quin eodem etiam alludat locus, in quo versamur. Quod patet quidem etiam in versione *Aquilæ*, sed multò evidentius in versione *Seniorum*: cum *Judæos Christi* manus & pedes non fœdâsse solum, sed & fodisse doceat. Quorum illud ad omne vulnus generale est, hoc ad illa vulnera speciale, quæ *Christo* in cruce inflicta sunt. Nam ibi כרה est *fodere, & perforare.* Sic *Psal.* 40. *v.* 7. אזנים כרית לי *aures fodisti mihi*, id est, *perforasti.* Alluditur enim ad locum *Exod.* 21. *v.* 6. ubi servus, qui anno septimo dimitti abnuit, & domino in perpetuum se devovet, admovetur ad ostii postes; ורצע ארניו אזנו במרצע *Et perforat ei aurem subula dominus ejus.* Cujus moris vestigia in *Syria* superfuerunt usque ad *Juvenalis* ævum; apud quem libertus, seu, quod idem est, libertinus, ita loquitur, *Satyra* prima,

> *Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis*
> *Natus ad* Euphratem, *molles quod in aure fenestræ*
> *Arguerint, licet ipse negem.* - - - -

Id est, pristinam servi conditionem, & genus ex *Syria* frustra dissimularem, cum id palam doceant aures, quæ mihi pertusæ sunt, dum in *Syria* serviebam. Unde vetus *Scholiastes*, *Pertusis auribus signa libertinorum celare non poterant.* Quod etiam in Arabia receptum. *Petronius* in *Satyrico*, *Circumcide nos, ut* Judæi *videamur, & pertunde aures, ut imitemur* Arabes, supple *servos.* Neque enim omnium *Arabum*, sed servorum duntaxat aures pertundebantur. Et verò de servis agitur. Nam paulo ante atramento voluerant infici, ut viderentur servi *Æthiopes.* Itaque ut *Psal.* 40. *fodere aures*, ita *Psalm.* 22. *fodere manus, & pedes*, idem est, quod pertundere, & perforare, quod ipsissimum passus est *Christus.* 4. Proinde cum *Aquilam* nemo sequatur, penè omnes interpretes *Seniorum* versionem calculo suo comprobârunt, quod sequentia docebunt, ut novum inde emergat argumentum pro veritate lectionis, quam asserimus.

III. Tertio igitur loco pium lectorem rogamus, ut nè hoc oscitanter prætereat, præter *Seniores*, & *Aquilam*, etiam veterum plures alios in *Hebræo* legisse כארו caru, *foderunt*, non כארי caari, *sicut leo.* In his fuit *Syrus* interpres, qui hic habet ܒܙܥܘ *perforarunt*, aut *transfixerunt.* Nam utut ܒܙܥ in *Schindlero*, & aliis, nihil aliud sit, quam *scindere, findere, dilacerare*; tamen hoc idem Verbum etiam *perforare* sonat, & *transfigere.* Sic *Num.* 25. *vers.* 8. in *Onkelo* de *Phinea* ובזע ית תרויהון *Et transfixit ambos istos*, Hebraicè וידקר. Et in *Syra* Paraphrasi 2. *Reg.* 18 *v.* 21. & *Esa.* 36 *v.* 6. *penetrabit manum ejus* ܘܢܒܙܥܝܗ & *perforabit eam*, Hebraicè ונקבה. Hæc de *Syro* interprete. Jam sequentur *Arabs* & *Æthiops*, quorum ille habet ثقبوا *perforarunt.* Vox illa notione est notissima. Sic in Paraphrasi *Erpeniana* Exod. 21. v. 6. وثقب مولاه اذنه *Et perforavit dominus ejus aurem ejus.* *Avicenna* (a) de tunica uvea in capite *De anatomia oculi*, وحيث ينثقب *& ubi perforatur.* Inde ثقب الابرة *foramen acus*, Luc. 18. v. 25. Et in *Alcamus margarita* مثقبة *perforata*, ut مخرومة. In *Æthiope* est ቀነውኒ: *perforarunt mihi pedes meos, & manus meas.* Nempe ቀነወ: *kanavva* Æthiopicè *perforare* significat. Unde ቀኖት: *aculeus, stimulus*, 1. Cor. 15. v. 55. & *Apoc.* 9. *v.* 10. Et ቅንዋት: *vulnera*, quibus cutis perforatur, *Joh.* 20 *v.* 25. Si *Arabem* & *Æthiopem Græcos* nude sequi dixerint, saltem *Syrum* interpretem versionem suam ex *Hebræis* fontibus hausisse nemo est, qui nesciat. Habemus insuper *Latinos Hieronymi Psalmos* juxta *Hebraicam* veritatem, cum præfatione ad *Sophronium*, in qua hæc habet: *Certè confidenter dicam, & multos hujus operis testes citabo, me nihil duntaxat sententiæ de* Hebraica *veritate mutâsse.* Et paulò post, *Interroga quemlibet Hebræorum.* Ad quorum judicium tantâ fiducia non provocasset, si alicujus corruptionis sibi fuisset conscius in tam solenni loco, quem sic reddidit, *Fixerunt manus meas, & pedes meos. Fixerunt* nempe *cruci*, unde compositum *crucifigere.* Consequens pro Antecedente; quia *Christi* manus, & pedes *Judæi* non alia de causa foderunt, seu perforarunt, quàm ut crucifigerent. *Symmachum* quoque, & *Theodotionem*, quos ut *Aquilam Judæos* fuisse constat, à *Græcorum* versione non multum recessisse suadet ipsum veterum silentium. Cùm enim *Aquilam* observent pro ὤρυξαν habere ᾔσχυναν, cur *Symmachum*, & *Theodotionem* intactos præteriissent, si quam in iis deprehendissent insignem mutationem?

a) Lib 3. Fen. 3. Tract. 1. c. 1.

IV. Quartò, ne *Judæi* regerant hæc nostrorum fide niti, quæ illis in hoc argumento queat esse suspecta, jam alios testes proferemus ex intimo ipsorum sinu depromptos, *Masorethas* scilicet, qui sic habent in *Masora* marginali ad *Num.* 24. *v.* 9. ad vocem כארי, *sicut leo*, ד׳ ב׳ קמצין וב׳ פתחין, id est, *quater occurrit hæc vox: bis cum Cametz* (in prima Syllaba, nempe *Psal.* 22. *v.* 17. & *Esa.* 38. v. 13.) *& bis cum Patach* (nempe *Num.* 23. *v.* 24. & 24. *v.* 9.) Et in *Masora* textuali ad eundem locum כארי ידי ורגלי כארו כתיב sensus est quo loco legitur, *Sicut leo manus meas, & pedes meos*, pro כארי, id est, *sicut leo*, quod in margine habetur, in ipso textu scriptum esse כארו. Itaque cum hæc *Masora* scripta est, (id est, sexto demum seculo post *Christum* natum, ut ex *Elia* docti probant) vox כארו, id est, *foderunt*, scribebatur in textu sacro, & vox כארי, solum in margine. Et quamvis vox eadem aliter in margine scriberetur, aliter in ipso textu: tamen illud כארי, quod margini erat adscriptum tanquam diversa lectio, non reddebatur *ut leo*, sed *foderunt*, ut vox כארו, quæ in textu habebatur. Proinde in *Masora* magna finali, capite, cui titulus est אב׳ מן בב׳ ותרויהון בתרי לישני *Alphabetum ex binis vocibus, quæ duæ voces sumuntur duplici significatione*, in voce כארי notantur duæ illæ voces כארי *Kametsata*, de quibus suprà, una *Esa.* 38. *v.* 13. & altera *Psal.* 22. *v.* 17. tanquam voces diversæ significationis. Porrò in priore certum est כארי reddendam esse *sicut leo.* Is enim locus ita habet כארי *sicut leo sic franget omnia ossa mea.* Sequitur in posteriore, id est. *Ps.* 22. *v.* 17. vocem כארי *Masorethis* aliud significasse, nempe idem, quod כארו *foderunt*, seu per-

perforarunt, quæ vox tum in Sacro textu extabat. Quorsum igitur scribebatur per *Jod* in *Keri*, cum forma Conjugationis postulet, ut per *Vau* scribatur? Respondeo variasse exemplaria, ut in voce נשאו *acceperunt* in *Esdra* versu ultimo, quam contra *Grammatica* normam quidam נשאי, per *Jod* scripserunt. Unde est, quod hodieque utrumque habent nostra exemplaria, unum in textu, nempe נשאי, prorsus anomalum, alterum נשאו, in margine. At hic aliter res se habebat. Nam rectum כארו *caru*, erat in textu, & anomalum כארי, solum in margine. Itaque insigni fraude abhinc aliquot annorum centuriis, τὸ כארו è sacro textu prorsus exulat, & huic substitutum τὸ כארי marginale. Tamen *R. Jacob Ben Chajim* in *Masora* magna finali, quam *Venetiis* primus edidit, in ordine א״ר, id est, literarum *Aleph Res*, habet בםקצת ספרים מדויקים מצאתי כתיב כארו וקרי כארי *In nonnullis exemplaribus accuratè scriptis reperi in textu* כארו, *& in margine* כארי. Et in hujusmodi exemplaria manuscripta se incidisse testantur *Galatinus*, (*De arcanis Catholicæ veritatis* lib. 8. cap. 17.) *Joannes Isaac* (lib. 2. contra *Lindanum*) & *Andradius* (*Defens. Concil. Trident.* lib. 4.) Omnino igitur deberet ad illorum codicum fidem restitui hic locus, quem aut veterum *Judæorum* incuria, aut recentiorum impostura manifestè depravavit. Et verò id pridem in animo habuerat illustris Bibliopola *Bombergus*, qui *Hebraica Biblia Venetiis* aliquoties edidit. Sed eum corrector *Judæus* ab hoc consilio metu deterruit, minatus se procuraturum apud suos ne ullum istius editionis exemplar emeretur. Id ex *Drusio* se sæpe audivisse refert *Sixtinus Amama* lib. 3. *Biblici Anti-barbari*.

V. Quintò unum addam, unde maximè constet reponendum esse illud כארו, quod olim in sacro textu fuisse clamant veteres versiones, & fatentur ipsi *Masorethæ*. Adeoque in emendatissimis codicibus hodieque extare agnoscit *Masora* nostro ævo collector, & corrector, *R. Jacob Ben Chajim*. Si כארו mutetur in כארי, ex illustri Prophetia, quæque non solùm *Christi* veritatem, sed & Scripturæ divinitatem planè arguit, fiet oratio nihili, & ex qua, quoquo te vertas, nullum unquam elicies sensum commodum. Quid enim significabit hoc hemistichium, *Ut leo manus meas, & pedes meos*, vel *manus meæ, & pedes mei?* An per se sonabit aliquid, aut aliud supplendo, aut iis annexum, quæ vel sequuntur, vel præcedunt? Per se clarum est hæc verba nihil significare. Proinde sunt, qui aliquid suppleant. Ita *Rabbi Joseph Cæcus*, auctor *Chaldaicæ Psalmorum* Paraphrasis, supplet vocem נכתין *mordentes*, & cum præcedentibus ita connectit, *Congregatio malignorum circumdederunt me, mordentium instar leonum manus meas, & pedes meos.* Et *R. Selomo* sic exponit, כארי ידי ורגלי כאלו הם מדוכאים בפי ארי *Sicut leo manus meæ, & pedes mei, id est, ac si contriti essent ore leonis.* Quod ineptum, & absurdum est. Nemo enim est, qui sic loquatur, *Manus meæ sunt sicut leo*, id est, *tanquam si essent contritæ dentibus leonis*: aut *Sicut leo manus meas*, supple *impii*, *mordent, frangunt, lacerant.* Similis Ellipseos exempla nusquam occurrunt. Præterea leo totum hominem appetit, non speciatim manus, & pedes. *Kimchius*, & *Aben Ezra*, ut vitarent hæc incommoda, nihil supplentes, hæc verba cum præcedentibus sic jungunt, *Congregatio malignorum circumdederunt mihi sicut leo manus meas, & pedes meos.* Quæ interpretatio vim facit textui manifestam. Primò enim *David* non dicit הקפו לי *Circumdederunt mihi*, sed הקיפוני *Circumdederunt me.* Porro nemo dixerit, *Ille manus meas circumdat me*: sed *Ille manus meas circumdat*, aut *Manus circumdat mihi.* Addo punctum *Athnach*, quod est sub Verbo הקיפוני pausam facere, & prohibere, ne Verbum illud jungatur cum sequentibus. Denique quod *Davidi* affingunt vanum est, & insulsum, *Congregatio malignorum circumdat mihi manus, & pedes, sicut leo.* Neque enim leo circumdat manus, & pedes. Diabolus quidem in *Petro* ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ, *ut leo rugiens circuit.* Sed illud περιπατεῖ docuimus potius Diabolo tribui, quàm leoni, qui non circuit, sed rectà fertur in prædam. *Kimchius*, ut se expediat, hanc fabellam comminiscitur. הארי מקיף בזנבו ביער וכל חיה שתראה אותה העגולה לא תצא משם ממורא האריה ומפחדו ויאספו ידיהם ורגליהם וימצא האריה טרפו בתוך עגולתו *Leo in sylva cauda sua circulum describit, quem feræ cum vident, ex eo non audent excedere præ leonis timore, & metu, & manus, & pedes colligunt*, id est, tam prioribus, quam posterioribus pedibus immotis ibi manent) *Et in medio circuli prædam suam invenit leo.* Quo commento quid insulsius? Leonem visa præda quis credat ad eam non contendere rectà, sed locum circumscribere? aut circulo, quem cauda describit, vim inesse magicam, qua feræ defixæ maneant, & immobiles? aut feras non fugere, dum fit circulus, & patienter expectare donec circumscriptæ fuerint? Quæ tamen si concesseris, ad rem non erunt. Nam vel si leo cauda circulum describeret, in quo feræ clausæ manerent, non ideo diceretur ferarum pedes circumdare, sed ipsas feras. Plura possem in hanc rem addere, nisi nugarum jam tæderet.

Quod inde nonnulli colligunt *Judæos Hebræum* textum malitiosè corrupisse, videtur ἀναπόδεικτον quia *Una hirundo non facit ver.* Neque hoc exemplo, quod unicum in suo genere esse asserimus, potest niti regula. Quamvis ne hic quidem error totus ex malitia sit ortus. Patet enim quibus gradibus in hunc *Psalmum* irrepserit. Primò pro כרו scriptum כארו cum *Aleph* Epenthetico. Quod, quia minus consuetum, cum è scribis semidoctis multi non intelligerent, ex כארו fecerunt כארי, delusi similitudine literarum *Jod*, & *Vau*; quæ sæpe in libris manu exaratis tanta est, ut etiam ab attento lectore non facilè dignoscantur. Inde nata est exemplarium diversitas, quam ut significarent Doctores *Masorethæ*, scribendum monuerunt in Sacro textu כארו, & in margine כארי. Quod cum per aliquot sæcula scribæ observassent, tandem postremis hisce sæculis è duabus lectionibus *Judæi* eam elegerunt, quæ *Christianæ* religionis veritati minus favet, altera plane suppressa, & inducta è suis libris. Ita tamen, ut admissi criminis per proprios Doctores suos facilè possint argui. Proinde in hunc locum ita non malè *Genebrardus*, *Locus quidem est corruptus, sed* αὐτομάτως, *fortuitò, & casu, quasi per se, & sponte, propter nimiam affinitatem duarum literarum* Jod, *&* Vau, *quæ adhuc erat major olim in manuscriptis, dum inter se duntaxat parva longitudine differunt. Alioqui* Judæi (nempe veteres) *non corruperunt de industria: sed variè lecti, & scripti, alteram sive lectionem, sive scripturam, id est, nostram agnoscunt, & interpretantur: alteram verò, id est, deteriorem, ut quæ suam ipsorum perfidiam protegat, sequuntur. Nam, quod nostram sequuntur, apparet è magna* Masora. *Deinde & Glossa* Hebræa *ad illud* Num. 23. כארי sicut leo, *quæ notat in exemplaribus correctis hic scribi* caaru, *non* caari.

Cætera ibi vide.

CAP.

CAPUT SEPTIMUM.

De Pardo.

Pardus à leone ordine dignitatis secundus. Leo & pardus in Sacris libris, & exoticis, sæpe juncti. Pardus נמר Hebræis, Chaldæis, Syris, Æthiopibus. *Varia pardi pellis.* Παρδαλέη *non solùm* pardi pellis, *sed & alia quævis, modo varia. Varii coloris animalia quæcunque, ut porphyrion, chamæleon, chaus, seu rhaphius, gryphes, equi* Orynges *dicti, cum pardo conferuntur.* Africa *pardo similis. Pardus à maculis* נמר *dictus, ut* panthera *Latinè* varia. Arabica *pardi Epitheta huc pertinentia.* Pardus *alludit ad* פרדס pardes. *Macula pardi* Jerem. 13, 23. *in* Chaldæo שלטי, *id est,* scutula. *Scutulata vestes. Scutulati equi. Cur hæ macula* Hebraicè חברבורות. *Leviores pardis*, Hab. 1, 8. *Mendum in* Syro *interprete. Pardi tam ad cursum, quam ad saltum agiles.* Drusius *notatus. Pardus insidiosus,* Os. 13, 7. *Vigilat in* Judææ *urbes*, Jerem. 5, 6. *Pardum cum hœdo cubare, ut* Es. 11, 6. *quam insolitum. Quomodo tertia Monarchia pardo similis*, Dan. 7, 6. *Pardus in venabula præcipitruit. Idem vini avidus.* Bacchi *nutrices in pantheras mutata. Panthera fragrantia. Loca dicta à pardis.* Os. 13, 7. *an veteres rectè legerint*, Ut pardus in via *Assur?*

IN feris pardo damus secundum à leone locum, *Arabes* sequuti, quorum verba in *Damire* sunt in capite *De Pardo*, منزلته من السباع في الرتبة الثانية من الاسد *Ordinem quod attinet, sedes ejus in feris est à leone secunda*, Et paulò post, وفي طبعه عداوة الاسد والظغر بينهما سجال *Et, cum naturale sit illi odium in leonem, victoria inter eos alterna est.* Proinde in sacris libris leo & pardus sæpe junguntur, tanquam animalia aliquo modo homogenea. Sic *Cant.* 4, 8. *De lustris leonum, de montibus pardorum.* Es. 11, 6. *Pardus cum hœdo cubabit, vitulus & leunculus &c. erunt simul.* Jerem. 5, 6. *Percussit eos leo de sylva, &c. pardus vigilans super eorum urbes.* Os. 13, 7. *Ero eis ut leo, ut pardus in via observabo.* Quod imitatus *Sirachides* Eccles. 28, 23. al. 27. *Immittetur*, inquit, *in eos tanquam leo, & ut pardus devastabit eos.* Et ex exoticis Scriptoribus *Homerus*, *Iliad.* ρ'.

> Οὔτ' οὖν παρδάλιος τόσσον μένος, οὔτε λέοντος,
> *Nec pardi vis tanta, nec est vis tanta leonis.*

Et apud *Nonnum* libro quinto *Actæon*, dum à canibus lacerabatur,

> Εἴθε λέων με δάμασσεν ὀρειδρόμος! εἴθε με σύρων
> Πόρδαλις αἰολόνωτος ἀνέσχισεν!

Utinam me domuisset montanus leo! Utinam me vario dorso pardus trahens discerpsisset! Quomodo in *Æliani Variis* lib. 14. cap. 4. *Aristides Locrensis*, à Tartessia mustela demorsus, dixit moriens, ὅτι πολὺ ἂν ἥδιον ἦν αὐτῷ δηχθέντι ὑπὸ λέοντος, ἢ παρδάλεως ἀποθανεῖν, *multò sibi jucundiorem mortem futuram fuisse, si ex leonis aut pardi morsu obtigisset.*

Pardum Hebræi נמר *namer*, vocant. Nec multò aliter *Chaldæi, Syri, Arabes*, & *Æthiopes*. Proinde quoties in *Prophetarum* scriptis occurrit נמר. *Græci* constanter πάρδαλιν reddunt, & *Hieronymus pardum.* Et *Apoc.* 13, 2. pro *Græco* παρδάλει, *Arabs Parisiis editus*, *Æthiops*, & *Syrus habent* نمر, vel نمرا. Et in *Arabica* versione *Dioscoridis* aconitum occidere legitur النمورة والخنازير والذياب id est, παρδάλεις, καὶ σῦς, καὶ λύκους, ut in *Græco* habetur. Et in *Avicenna* aconitum παρδαλιαγχὲς vocatur خانق النمر *strangulator pardi.* Sed huc maximè facit definitio ✠ נמר *namer*, quam afferunt *Assariph, Damir*, & *Abenbitar.* النمر حيوان فيه شبه من الاسد الا انه اصغر منه منقط الجلد نقطا سودا Namer *est animal leoni simile, nisi quod minus est, & pellem habet nigris maculis distinctam.* Hæ maculæ *Ebraicè* dicuntur חברבורות. Sic *Jerem.* 13, 23. *An mutabit* Chusæus *pellem suam, & pardus* חברבורותיו *maculas suas?* Græci τὰ ποικίλματα αὐτῆς & Hieronymus *varietates suas.* Chaldæus שלטי רקמתיה *scuta recamationis suæ*, ut ità dicam, id est, operis *Phrygionici.* Et *scuta* vocat, quomodo nos *scutula* vocamus segmenta in vestibus, & maculas in equis; unde *scutulata* vestes, & *scutulati* equi. *Plinius* lib. 8. cap. 48. *Pluribus liciis texere, quæ polymita appellant*, Alexandria *instituit, scutulis dividere* Gallia. *Juvenalis Satyra* secunda,

> *Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.*

Palladius lib. 4. cap. 13. *Colores equorum hi præcipui, badius, aureus, albineus, russeus, mureus, cervinus, gilvus, scutulatus. Hebræa* vox חברבורות alibi non reperitur. Sed חבורה est *livor*; unde geminatis Radicalibus חברבורות *liventes maculas* explicant. Quid, si ad *Arabicam* linguam referas, qua حبر est *nota inusta*, vel *impressa*, & احبر *signare, notam inurere?* Itaque חברבורות erunt *notæ in pilis impressæ. Oppianus* σφραγίδας, id est, *signa*, aut *sigilla* vocat, cum describit *Orynges* equos.

De varia pardi pelle multa veteres. *Homerus* de *Menelao*, *Iliad.* κ'.

> Παρδαλέῃ μὲν πρῶτα μετάφρενον εὐρὺ κάλυψε
> Ποικίλῃ. - - - - - - -

Primùm quidem variâ pardi pelle latum dorsum texit. Philosophus *De Generat. anim.* lib. 5. cap. 6. *In animalibus* τὰ μὲν τῷ γένει ποικίλα, ὥσπερ πάρδαλις, καὶ ταὼς, *quædam toto genere varia sunt, ut pardus, & pavo*; quædam ex parte tantum, ut boves, & capræ. Itaque in ejusdem *Physiognomonicis* capite quinto ad pardi descriptionem pertinet τὸ χρῶμα ποικίλον, *varius color. Plinius* lib. 8. cap. 17. *Panthera* (id est, pardi fœmina) *& tigris macularum varietate propè sola bestiarum spectantur.* Et paulò post, *Pantheris in candido breves macularum oculi.* Solinus, *Panthera quoque numerosæ sunt in* Hyrcania *minutis orbiculis superpictæ: itaut, oculatis ex fulvo circulis, vel cærula, vel alba distinguatur tergi supellex. Martialis* lib. 1. Epigrammate 105.

> *Picto quod juga delicata collo*
> *Pardus sustinet*, &c.

Juvenalis Satyrâ decima quinta,

> - - - - - - *parcit*
> *Cognatis maculis similis fera.* - - -

id est, pardo pardus, & tigri tigris. *Oppianus* in pardi descriptione libro tertio *Cynegeticῶν*,

> Ῥινὸς δαιδάλεος, χροιὴ δ' ἐπιμαρμαίρουσα,
> Πυρσὸς, πυκνῇσι μελαινομένῃσιν ὀπωπαῖς·

Cutis dædala, color lucidus (malim χροιῇ δ' ἐπιμαρ-φα-

φλιούσῃ, colore lucido) obscura, crebris oculis nigricantibus. Indè παρδαλις vocatur non solùm pardi pellis, sed & alia quævis, modò varia. Ità Satyricam vestem textilem vocat Pollux παρδαλωτὴν φασμάτων. In Orphei, vel Onomacriti veriùs Argonauticis Chiron dat Orpheo, ad Colchos profecturo, ποικίλην παρδαλῆν, id est, hinnuli pellem variam. Aristophanes in Avibus porphyriones describit παρδαλαῖς ἐσμημένους, pardaleis vestitos, id est, pictis pennis. Qua ipsa de causa quæcunque animalia varia sunt cum pardo conferuntur. Sic in Aristotele Hist. lib. 2. cap. 11. chamæleon habet χροιὰν ὠχρὰν μέλανι, ὥσπερ τὰ παρδάλια, διαπεποικιλμένην, colorem pallidum, ut pardi, nigro distinctum. Plinius lib. 8. cap. 19. Pompeii Magni ludi primùm ostenderunt chaum, quem Galli rhaphium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis. Oppiani Cynegeticῶν libro primo, Oryngum equorum nonnulli

- - ἐυτρεχάλοισι περιδρομα δαιδάλλονται

Σφαιρηδὸν πυκινῇσιν, ὁμοῖα παρδαλίεσσι,

rotundis in orbem variantur densis notis, pardorum instar. Pausanias in Arcadicis ait gryphibus, uti pardis, segmentatam, & maculis distinctam esse pellem. Africa quoque Straboni libro secundo est ἐοικυῖα παρδαλέῃ, pardo similis; quia κατάστικτός ἐστι ταῖς οἰκήσεσι περιεχομέναις ἐρήμῳ, καὶ ἀνύδρῳ γῇ, interpuncta est habitationibus, quæ terra deserta & inaquosa ambiuntur. Unde Dionysius Periegetes,

Παρδαλίῃ δέ μιν ἄνδρες ἐπεικελίην ὀνόμηναν,

Ἡ γάρ δὴ ψαφαρή τε καὶ αὐχμήεσσα τέτυκται,

Τῇ καὶ τῇ κυανέῃσι κατάστικτος φολίδεσσιν.

Et Priscianus,

Has pelli similes pardi dixêre priores,

Namque solum squallens urbes distinguit opacas;

Hàc sitis, hàc humor latos variatur in agros.

Quo eodem alludens Cicero in Somnio Scipionis, Vides habitari in terra raris & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas. A maculis, quas diximus, pardo nomen esse نمر namir docent Arabes. Alcamus, النمر سبع سمي للنمرة التي فيه Namir fera sic dicta à maculis, quas habet. Nempe Arabicè نمر namara variam esse, & نمرة nomra maculam sonat. Ut Syrus ܢܡܪܐ nemor varius, & ܢܡܪ nammer variegare. Sic panthera Latinè varia dicitur. Plinius ubi suprà, Nunc varias, & pardos, qui mares sunt, appellant. Item, Primus autem Scaurus Ædilitate sua varias CL. universas misit. Glossæ, Varia, ποικίλη, πάρδαλις. Eodem pertinent Arabica pardi Epitheta, seu cognomina: الارقط alarkato, id est, albus cum maculis nigris; & ابو الرقاش pater varius; & ابو الاربد pater grandinatus, seu maculis tanquam grandine aspersus. Nec desunt, qui bus inusitatum πάρδος apud Aristophanis Scholiastem, unde pardus, πάρδαλις, & πόρδαλις, videtur alludere ad Hebræum פרדס pardes, pro horto; quia ut hortus floribus, ità maculis variatur pardi pellis. Quæ ipsa Metaphora frequens est in Oppiano. Sic libro primo Venaticorum equis Oryngibus, qui pardorum instar maculosi sunt, tribuit

- - - - - - πολυανθέα κάλλη,

floridam speciem. Et libro tertio tigridis pellem describit

- - - - - - ἄνθεσι μαρμαίροντα,

floribus micantem. Et libro quarto Bacchus, nutricibus suis in pantheras mutatis,

- - - κατέγραψεν δ᾽ ἐπὶ νώτῳ

Ἄνθος ὀπωρινοῖσι - - - - - -

pinxit in illarum dorso pellem floribus Autumnalibus.

Ecce aliud de pardis Hab. 1, 8. Leviores sunt pardis equi ejus: nempe equi gentis Chaldaicæ! Syrus perperam, Leviores sunt ܢܫܪܐ ܡܢ aquilis: de quibus Propheta in fine commatis, Volabunt ut aquila. Sed scribis id imputandum, qui, una litera mutata, scripserunt ܢܫܪܐ pro ܢܡܪܐ. Græci, Ἐξαλοῦνται ὑπὲρ παρδάλεις, Exsilient supra pardos: ac si nihil aliud in pardis hic commendetur, quam levitas in saltu, quæ re vera summa est. Proinde Cyrillus in hunc locum, Πηδητικὴ ἡ λίαν ἡ πάρδαλις, καὶ πολὺ λίαν ἑτοιμὴ εἰς τὸ καταθρώσκειν ἐπιλαβῶς τῶν διωκομένων. Pardus ad saltum est valde agilis, & promptus ad insiliendum in eos, quos insequitur. Neque aliter ei ἔξωθεν. Plinius lib. 10. cap. 73. Insidunt in eadem Africa pardi condensa arborum, occultatique earum ramis in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur. Lucanus de Scæva, Cæsaris milite fortissimo, in obsidione Dyrrachii, libro sexto,

- - - non segnior extulit illum

Saltus, & in medias jecit super arma catervas,

Quàm per summa rapit celerem venabula pardum.

Philostratus in Tyrrhenis libro primo Iconum de panthera, Πηδᾷ κοῦφα, καὶ ἴσα Εὐάδι, Leviter saltat instar Bacchæ. Pollux, Ἔχει τὸ σῶμα ὑγρὸν, εὐέλικτον, πολύμορφον, πηδητικὸν, ἁλτικόν· Corpus habet molle, flexile, agile, desultorium. Damir quoque idem animal describit بعيد الوثبة فربما وثبت اربعين ذراعا longinqui saltus, ita ut quandoque quadraginta cubitos saltu superet. Sed & idem sæpe laudatur à celeritate cursus. Homerus Hymnicus Hymno in Venerem,

- - - παρδάλιές τε θοαί, προκάδων ἀκόρητοι,

pardi cursu celeres, qui damis nunquam satiantur. Ælianus Hist. lib. 8. cap. 6. Ἡ πάρδαλις ἡ αἱρεῖ θέουσα τὰ πλεῖστα, καὶ ἔτι καὶ μᾶλλον τὸν πίθηκον· Pardus celeritate cursus cum alia animalia, tum maximè simias assequitur. Oppianus libro tertio Cynegeticῶν,

Ὠκύτατον θέειν, καὶ τ᾽ ἄλκιμον ἰθὺς ὀρούει,

Φαίης ὁππότ᾽ ἴδοιο διηέριον φορέεσθαι·

Celerrimè currit, & fortiter rectà irruit. Diceres, cum videres, eam aeriam ferri. Et de Periclymeno Tzetzes Chiliad. 2. Hist. 45.

Ἐν τοῖς πολέμοις ἅπαντας τοὺς θῆρας ἐμιμεῖτο,

Παρδάλεων ὀξύτητα, λεόντων μέγα σθένος·

In bellis omnes feras imitabatur, pardorum velocitatem, leonis magnum robur. Ità etiam Patrum plurimi. Basilius in Hexaemeron Homil. 9. describit hoc animal τὸ κοῦφον τοῖς τῆς ψυχῆς κινήμασι συνεπόμενον, levitate sua animæ motiones sequens. Hieronymus in Os. 13. Nihil panthera velocius. Theodoretus in Dan. 7. vult Alexandrum illi comparari διὰ τὸ ταχὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ ποικίλον, propter velocitatem, celeritatem, & varietatem. Cyrillus in Os. 5. Ὀξυτάτῳ λίαν καθ᾽ ὡς ἂν εἴποις χρῆται δρόμῳ, ἐλαφροῖς ἡ οὕτως ἄγαν ποσὶν, ὡς μηδὲ ἴχνος ἐρεῖν τάχα που, μήτε μὴν ἐναπομαίνεσθαί τι τῇ γῇ· Incitatissimo cursu fertur in quoscunque vult, & tam levi pede salit, ut vix vestigium ejus cernatur, neque ullum signum humi relinquat. Et Eustathius in Hexaëmeron, Τῶν ἄλλων θηρίων ὀξύτητι, καὶ ἐπὶ τὰς ὄψεις τῶν θηρευτῶν ἱπτάμενον· Aliis animalibus celeritate præstat, & ante venatorum oculos quasi volat. E recentioribus denique Olearius (Moscovitici & Persici itineris lib. 4. pag. 398.) pardum venaticum Scamachiæ se vidisse profitetur quovis cane Gallico velociorem, qui in lepores incidens eos statim assequebatur, ità ut nullus evaderet. Itaque pardorum levitas, quam verbis tam illustribus Propheta deprædicat, tàm ad cursum potest, quàm ad saltū referri. Et fallitur Drusius in Os. 13. 7. ubi pardum asserit cursu minùs valere.

Est & pardus animal insidiosum Os. 13. 7. Et ero eis quasi leo, ut pardus super viam speculator: nempe ut in prætereuntes insiliam. Ità enim pardi solent. Ità nuper Plinius, Insidunt pardi condensa arborum, occultatique earum ramis in prætereuntia desiliunt. Eodem refer hæc Jeremiæ capitis quinti versu sexto, Pardus שקד vigilans super eorum urbes. Nempe in malum, ut Jerem. 31.

31,28. *Vigilavi super eos, ut divellerem, & destruerem, & dissiparem, & disperderem, & affligerem.* Et *Jerem.* 44, 27. *Vigilabo super eos in malum, & non in bonum.* Et *Dan.* 9, 14. *Vigilavit Dominus in malum, & hoc adduxit super nos.* Quibus locis agitur de malo pœnæ. Sed mali culpæ respectu dicitur *Ef.* 29, 20. *Et succidentur qui vigilant super iniquitatem.* Eo sensu in *Jeremia* describitur pardus vigilans super *Judæorum* urbes, nempe ut illas pessumdet, & destruat, ut habetur *Sirach.* 28, 27. *Immittetur in eos tanquam leo, & ut pardus perdet eos.* Græcè ὡς πάρδαλις λυμανεῖται αὐτούς. λυμανεῖται, id est, יבור. Sic *Dan.* 6, 22. *Occlusit os leonum,* ולא חבלוני *& non perdiderunt me,* Græcè, Καὶ οὐκ ἐλυμήναντό με. In *Sirachide Aldi* editio, & *Basiliensis*, pro λυμανεῖται ineptè legunt λιμάξεται, *fame affliget.*

Esaias, magnam rerum mutationem prædicens sub *Messia* futuram, inter cætera hæc habet capitis undecimi versu sexto, *Et pardus cum hædo accubabit.* Quod ità utcumque exprimunt *Sibyllina* carmina libro tertio,

- - πάρδαλίς τ' ἐρίφοισιν ἅμα βοσκήσεται.

Nempe lupis & agnis quanta sortitò obtigit, tanta pardis est cum hædis discordia. Et panthera quidem in *Æliano* (*Hist.* lib. 6. cap. 2.) cum primâ die ab oblato hædo abstinuisset διὰ πλησμονὴν, quia jam aliunde satiata erat; & secundâ itidem, fame nondum oborta; tertiâ quoque ἡ μὲν ἐπείνησε, γνοῦσα δὲ ὡς ἡμερῶν ἑαυτῇ φίλον, οὔτε προσήψατο, ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν εἴασεν, ἄλλον δὲ ᾐτήσατο, *hœdum quidem, quocum per biduum amicè vixerat, non attigit, sed illo relicto alterum sumpsit.* At *Ælianus* id refert ut rem planè insolitam, occasionemque inde sumit in eos invehendi; quibus omnia cognationis atque amicitiæ jura perdere & violare ludus est.

Dan. 7, 6. cum pardo confertur tertia Monarchia, id est, *Alexandri*, & *Græcorum*. 1. Nempe ut pardus staturâ parvus est, sed animo & robore maximè præstans, ità ut cum leone & procerissimis quibusque feris congredi non vereatur: sic *Alexander* penè Regulus, & cum exiguo apparatu, Regem Regum aggredi ausus est, id est, *Darium*, cujus regnum à mari *Ægæo* usque ad *Indos* extendebatur. 2. Nullum animal est pardo velocius: ità *Alexander* tanta pernicitate in rebus gerendis usus est, ut magnam partem habitati orbis annis duodecim subegerit. Proinde illum pinxit *Apelles* fulmen manu gestantem, quod in obstantia rapidè fertur, & maximo cum impetu: atque ipse, interrogatus quâ ratione res tantas tam brevi temporis spatio confecisset, respondit, Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, *Nihil cunctatus.* Ut enim verissime dixerit *Hieronymus* victoriis potius quam prœliis totum terrarum orbem percurrisse. 3. Maculas pardi referunt gentium, quibus imperavit, diversi mores. In his, præter *Macedones*, & *Græcos*, & *Thracas*, & *Illyrios* in *Europa*; & in *Africa*, *Libyes*, *Ægyptios*, & *Troglodytas*; *Asiaticæ* fuêre gentes omnes usque ad *Gangem*, quem trajecisset etiam, si licuisset per milites tot victoriis fatigatos. Sunt, qui hanc similitudinem subtilius fortasse quàm solidius persequentes, inconsultam *Alexandri* temeritatem cum pardi furore conferant, quo in venabula præceps ruit de vita sua parùm sollicitus. *Homerus Iliad.* φ'.

- - - περὶ δουρὶ πεπαρμένη οὐκ ἀπολήγει
Ἀλκῆς, πρίν γ' ἠὲ ξυμβλήμεναι ἠὲ δαμῆναι,

Etiam hasta transfixa (panthera) *non cessat à robore* (id est, à pugna) *donec comminùs congrediatur, aut succumbat.* Oppianus *Halieuticῶν* libro secundo,

Ἡ δὲ καὶ εἰσορόωσα μίαν θηκτοῖο σιδήρου
Ἀγχιανυμαίνουσα κορύσσεται. ἐν δ' ἄρα λαιμῷ
Ἠύτε δουροδόκην χαλκήλατον ἔσπασεν αἰχμήν.

Illa autem aciem videns acuti ferri ferociter fluctuans irruit. Rictu autem tanquam theca arcam trahit custodem. Et ibi Scholiastes, Ἡ δὲ, καίπερ ὁρῶσα τὸν θηκτὸν τοῦ δόρατος σίδηρον, ἐγκρατὴς εἶναι οὐ δύναται ἀλλὰ ἐγχρίπτει. *Illa autem, quamvis acutum hastæ ferrum videat, tamen continere se non potest, quin in illud irruat.* Ità in *Lucano* saltus

- - per summa rapit celerem venabula pardum.

Et in *Isidoro pardus saltu ad mortem ruit.* Addunt *Alexandrum* vini fuisse avidissimum, ut pantheræ, de quibus *Oppianus* libro tertio *Cynegeticῶν*,

- - - οἴνῳ μέγα καγχαλόωσι,
Δεχνύμεναι στομάτεσσι Διωνύσοιο μέγα δῶρον.

Vino admodum exultant, capientes ore Liberi *magnum munus.* Et Regem, tot hostium victorem, vino sæpe succubuisse, ut in eodem *Oppiano* libro quarto,

Παρδάλιας καὶ δῶρα Διωνύσοιο δάμασσαν,
Θηρητῆρες δολιοὶ δολίην πόσιν ἐγχεύοντες·

Pantheras etiam dona Bacchi *domârunt, dolosis venatoribus dolosum potum fundentibus.* quod quâ ratione fiat eodem libro multis *Poëta* prosequitur à versu 318. usque ad versum 351. Ità etiam ex *Arabibus* apud *Damirem*, النمر يحب شرب الخمر فاذا وضع له في مكان شرب منه حتى يسكر فعند ذلك يصاد *Pardus potu vini delectatur: &, cum alicubi illi apponitur, ex eo bibit usque ad ebrietatem, in eoque statu capitur.* Unde *Poetis* nata est occasio fingendi *Bacchi* nutrices in pantheras fuisse mutatas. Observatum quoque illud est, quod ex *Aristoxeni Commentariis* de *Alexandro* refert *Plutarchus*, ὅτι τοῦ χρωτὸς ἥδιστον ἀπέπνει, καὶ τὸ στόμα κατεῖχεν εὐωδία καὶ τὴν σάρκα πᾶσαν, ὥστε πληροῦσθαι τοὺς χιτωνίσκους, *odorem ex cute ejus gratissimum exhalasse, os quoque & carnem totam tantum habuisse fragrantia, ut ea replerentur interiores tunicæ.* Quod ipsum de panthera veteres magno consensu tradunt. *Aristoteles Hist.* lib. 9. cap. 6. Λέγουσι δὲ καὶ κατανενοηκέναι τὴν πάρδαλιν, ὅτι τῇ ὀσμῇ αὐτῆς χαίρουσι τὰ θηρία, ἀποκρύπτουσαν ἑαυτὴν θηρεύειν· *Pantheram ajunt, cum feras sciat odore suo delectari, sese abscondere, ut eas venetur.* Idem *Problematum* Sect. 13. §. 4. quærit. Διὰ τί τῶν μὲν ζῴων οὐδὲν εὐῶδές ἐστιν, ἔξω τῆς παρδάλεως; *Cur animantium nullum suaviter oleat præter pantheram?* Cætera ibi vide. Idem in *Theophrasto* reperire est *De causis plantarum* lib. 6. cap. 5. In *Plutarcho* etiam, in *Plinio*, in *Solino*, in *Æliano* denique *Hist.* lib. 5. cap. 40.

A pardis, vel pantheris, loca dicta, hæc in Scriptura occurrunt. *Nimra*, Num. 32, 3. *Beth-nimra*, Num. 32, 36. & *Jos.* 13, 27. Et *aquæ Nimrim*, Es. 15, 6. & Jerem. 48, 34. Quæ tria videntur esse unius loci nomina. *Moses*, & *Josue* in *Gadditis* ponunt, *Esaias* & *Jeremias* in *Moabitis*, qui in vicinos *Gadditas* tum temporis usurpaverant. Ævo *Hieronymi* vocabatur *Benamerium*, id est, בית נמרים *Beth-nimrim, domus pardorum.* Insuper *Cant.* 4, 8. memorantur *montes pardorum*: sive à *Solomone* sic appellentur montes quilibet pardis frequentes, præcipuè *Libanus*, *Amana*, *Senir*, & *Hermon*, quorum ibidem est mentio: sive aliqui tum fuerint montes circa *Libanum* peculiariter sic nominati; ut is, de quo *Brocardus*, *A Tripoli per duas leucas est mons Leopardorum, rotundus & altus, una leuca à* Libano *distans.* Putatur etiam agi de pardis circa *Assyriam* Os. 13, 7. ubi ultimum hemistichium, *Ut pardus in via* אשור *speculabor*; *Græci* reddunt ὡς πάρδαλις κατὰ τὴν ὁδὸν Ἀσσυρίων· & *Hieronymus*, *Sicut pardus in via Assyriorum*; & *Syrus*, ܐܝܟ ܢܡܪܐ ܒܐܘܪܚܐ ܐܬܘܪ, & *Arabs*, مثل النمر في طريق الموصليين Omnes in eundem sensum. Nam in *Syro* ܐܬܘܪ, *athur*, est

est Ἀτυρία, vel *Assyria*. Et in *Arabe* الموصليين *Mausalienses* sunt incolæ urbis *Mausal*. *Mausal* autem est ad *Tigrim*, è regione rudерum urbis *Ninives*, quæ olim fuit *Assyriæ* caput. Nempe hi quatuor interpretes pro אֲשׁוּר *speculabor* legerunt אַשּׁוּר *Assur*, id est, *Assyriam*. Quæ lectio esset percommoda, & fortasse præferenda, si puncta Vocalia abessent. Quamvis *Leveleius* in hunc locum etiam *Hebræorum* lectionem conetur eò trahere hâc nota non contemnenda, *Nihil dubito, quin* אֲשׁוּר *hic idem valeat, quod* אַשּׁוּר, *quia brevis Vocalis in longam mutatio Hebræis familiaris est, ut* הַתָּרִי *pro* הַחֵרִי, *&* אֵקָרֵי *pro* עֲקָרֵי, *præter alia multa*. Græci interpretes, *&* Hieronymus *ita intellexerunt: atque ex recentioribus* Castalio. *&* Mollerus. Calvinus *quoque, etsi dubitat, in contextu tamen nomen* Assur *posuit, quasi hanc sententiam magis probaret*. *Sensus est, Deum illis in Assyriam opem quæsitum profecturis obstiturum esse. Consentaneus ille quidem capitis quinti versui decimo quarto*, "*Profectus est* Ephraim *ad* Assyrium, *qui eum* "*juvare non poterit. Ego enim illi, quasi leo*, &c. *Sic capitis septimi versus duodecimus, euntibus in* Assyriam *se rete expansurum minatur Deus. Et* Jerem. 2. "*Quid tibi in via* Assyriæ? *Castigabit te malitia tua*, "*& defectio tua corripiet te*.

CAPUT OCTAVUM.

Tigris, Lynx, Pardus, Panthera, Panther, & Leopardus, quomodo inter se differant.

Tigris aliis animal leoni simillimum, aliis idem cum pardo. Tigris Aristoteli *parum notus, & ad canem accedere creditus*. Theophrastus *varium describit*. Nearchus *in* India *solam pellem viderat. Tigres nonnullis maximi, & elephanti viribus pares, aliis thoum genus. Tigris* Varronis *ævo nondum* Romæ *visus, sed sub* Augusto *primum. Exinde tigres* Romam *sæpe allati. Pellis in tigri per tænias, in panthera per rotundas maculas variatur. Equi* Orynges. *Mensa tigrina & pantherina. Virgata tigres. Tigris quomodo dicatur* Persicè *&* Arabicè, Ilgurinè, cursor. *Tigris Thoi similis. A vento concipi credita. Per vitreas sphæras capitur. Lynx varia, ut pardus, & tigris*. Baccho *sacra*. Indicum, *&* Æthiopicum *animal, non* Italicum. Lyncurium *pro* Ligurio. *Animal in* Africa *pantheræ simile, saltu valens, pertinacissimè retinens, Arabicè* phehed: *quo in venationibus utuntur, non sine periculo, quia valde iracundum. Fœmina maximè indocilis. Hujus venationis primi auctores. Cur ab* Euripide *lynx vocetur δύσοιστος. Lyncis descriptio non convenit in omnibus cum* phehed. *Lynx timida, fugax, imbellis. Idem de pantheris veteres. Lynci visus acutissimus tribuitur, quod de* Lynceo Poëtæ *dixerant. Lyncurium lapidem ex urina lyncis concrescere fabulosum*. Phheda*animal somniculosum*. فهد *phahada*, dormire, pandiculari. *Proverbium* Arabicum, Mendicior τοῦ phehed. *Lynx Gallicè* once. *Pantheram & πάρδαλιν idem esse animal, probatur decem rationibus contra* Allatium, *& alios, qui pernegant. Camelopardalis ex camelo & panthera. Pardalio gemma, à panthera nomen. Pardalianches pantheras necat. Panthera ex* Cilicia *a* Cicerone *missa* Plutarcho *sunt παρδάλεις*. Plinius *ad pantheras refert, quod* Græci *dicunt παρδάλεις magno esse corde, odoratas, quaternis mammis, fœminam mari prævalere, & pilos decidere admota pelle hyænæ. Pantheras à pardis in* Plinio *solo sexu & candore distingui. An panther à pardo, aut panthera differat. Scriptores sæpe distinguunt. Panther* Oppiano *minutum & imbelle animal* Λυκοπάνθηρ *est thos. Tamen etiam panther idem cum pardo. Panther, magnum animal, catulos cæcos parit, ut in* Plinio *panthera. Est ἀστεροειδής, & odoratum.* Πανθηροειδές *ad* Bacchi *pedes. Vini potu delectatur. Diluuntur objectiones. Pardorum duplex genus. Leopardus, animal ex pardo & leæna, non ex leone & panthera natum. Jubis caret. Leopardi nomen sero usurpatum.* Ignatii *epistola cur suspecta. Leopardus hodiè idem qui pardus, & jam inde ab* Hieronymi *ævo*.

Conabor hic docere quod pauci sciunt, quid à pardo differant, aut cum pardo quomodo conveniant tigris, lynx, panthera, πάνθηρ, & leopardus.

I. Tigris quale sit animal non satis constat. Multi cum leone conferunt, quasi sit leonis species, aut animal, exceptis maculis, leoni quam simillimum. *Varro, De ling. Lat.* lib. 4. *Tigris est ut leo varius. Oppianus* libro tertio *Cynegeticῶν*,

Πάντα μὲν ἀθρήσειας ὀρεσσιβίην ἅτε λέαιναν,
Νόσφι μόνης χροιῆς, ἣ αἰόλον ἐστεφάνωται.

Per omnia ipsam videas montanam veluti leænam, præter solam pellem, qua varia cincta est. Apud *Talmudicos* Tractatu *Cholin* fol. 59. 6. in *Gemara* טגרים *tigris* à *Rabbi Juda* definitur אריא דבי עלאי *leo sylvæ Ilai*. Eodem videntur facere hæc *Hieronymi* Job. 4, 11. *Tigris periit, eo quod non haberet prædam*. Ibi enim *tigris* est pro *Hebræo* לַיִשׁ, id est, *leo*. Aliis tigris eadem est cum panthera, aut pardo. In qua sententia cum hodiè multi sint, nescio an fuerit quisquam veterum, si *Plutarchum* excipias, qui quod de panthera refert *Ælianus* (*Hist.* lib. 6. cap. 2.) de tigri narrat his verbis in libro *Utra anim*. Τίγριν δέ φασιν, ἱερεῖον παραδοθέντα αὐτῇ χειρωσαμένην ἔριφον, μὴ φαγεῖν ἡμέρας δύο· τῇ δὲ τρίτῃ πεινάσασαν αἰτεῖν ἄλλο, καὶ τὴν γαλεάγραν σπαράξαι· ἐκείνου δὲ φείσασθαι, ὡς σύντροφον ἔχειν ἤδη, καὶ συνοίκιον. *Tigrim autem ajunt, cum dictam ageret, ab oblato hœdo per biduum abstinuisse: die autem tertia esurientem aliud petiisse, & caveam discerpsisse, illi autem hœdo pepercisse, ut quem pro contubernali & domestico jam haberet*. Vides, lector, tigri tribui quod *Ælianus* suprà de pardo scripserat, quasi pardus & tigris sint idem animal. De tigri primus meminit *Aristoteles*, sed obiter solum his verbis *Hist. anim.* lib. 8. cap. 28. Φασὶ δὲ ἐκ τοῦ τίγριος καὶ κυνὸς γίνεσθαι τοὺς Ἰνδικοὺς κύνας· *Canes Indicos nasci ajunt ex tigri & cane*. Et *De generat.* l. 2. cap. 7. οἱ Ἰνδικοὶ δὲ κύνες ἐκ θηρίου τινὸς κυνώδους γεννῶνται, καὶ κυνός. Indici *autem canes procreantur ex fera quadam, quæ caninam habet speciem, & cane*. Tigrim scilicet putavit ad canis formam accedere, quod falsi arguunt posteriores. *Aristotelis* enim discipulus *Theophrastus* (*Hist. plant.* lib. 5. cap. 6.) variam in ea pellem esse innuit, cum ex arbore quadam in *Tylo* insula scribit excindi τὰς βακτηρίας καλὰς σφόδρα, ποικιλίαν δέ τινα ἐχούσας, ὅμοιον τῷ τοῦ τίγριος δέρματι, *baculos valde pulchros, coloris varietatem quandam habentes similem pelli tigris*. Et *Alexandri* comes *Nearchus* tradit apud *Arrianum* in *Indicis*, τίγριος δέρμα μὲν ἰδεῖν, αὐτὴν δὲ τίγριν ὡς ἰδεῖν· ἀλλὰ τοὺς Ἰνδοὺς γὰρ ἀπηγέεσθαι τίγριν εἶναι μέγεθος μὲν ἡλίκον τὸν μέγιστον ἵππον· τὴν δὲ ὠκύτητα καὶ ἀλκὴν, οἵην οὐδενὶ ἄλλῳ εἰκάσαι. τίγριν γὰρ ἐπεὰν ὁμοῦ ἔλθῃ ἐλέφαντι, ἐπιπηδᾶν τε ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ ἐλέφαντος, καὶ ἄγχειν εὐπετέως. ταύτας δὲ, ἃς τινας καὶ ἡμεῖς ὁρῶμεν, καὶ τίγριας καλέομεν, θῶας εἶναι αἰόλους, καὶ μέζονας ἢ κατὰ τοὺς ἄλλους

ἄλλως δ᾽ ὡς, *se pellem quidem vidisse tigris, ipsum autem tigrim nequaquam: sed narrari ab Indis tigrim habere maximi equi magnitudinem, celeritate autem & viribus nullum animal illi esse par. Elephanto enim congredientem, & in caput ejus insilientem, facile strangulare. Eas vero, quas nos videmus, & tigres vocamus, thoes esse maculosos, & aliis thoibus majores.* Ex quo loco tria hæc collige: 1. Tigrim, si *Indis* credimus, tantæ esse proceritatis, ut cum cane coire non possit; quod asseruerat *Philosophus*. 2. Parum esse credibile, quod *Ammianus* affirmat libro vigesimo tertio, in *Hyrcania* tigridum millia multa cerni, cum *Nearchus*, qui *Hyrcaniam*, & *Indiæ* partem cum *Alexandro* peragraverat, & *Indicæ* classi præfectus fuerat, profiteatur se vivam tigrim nunquam vidisse, sed solam tigris pellem. 3. Jam tum pro genuina tigri suppositum fuisse aliud animal, quod re vera non erat tigris. *Nearchum* statim excipit *Megasthenes*, qui & ipse, *India* sub *Seleuco Nicatore* peragrata, *Indica* scripsit, ex quibus recentiores multa proferunt. In his *Strabo* libro decimo quinto, Τίγρεις ἐν τοῖς Πρασίοις γίνεσθαι μεγίστους, σχεδὸν δέ τι καὶ διπλασίους λεόντων· δυνατοὺς δέ, ὥστε τῶν ἡμέρων τινά, ἀγόμενον ὑπὸ τεττάρων, τῷ ὀπισθίῳ σκέλει δραξάμενον ἡμιόνου, βιάσασθαι, καὶ ἑλκύσαι πρὸς αὑτόν. *Tigres apud* Prasios *maximos gigni, & leonibus fere duplo majores, adeo robustos, ut unus de mansuetis, à quatuor hominibus ductus, mulum posteriore pede apprehensum vi ad se pertraxerit.* Hæc ferè de tigri *Græci* vetustiores. Sequuntur *Romana* tempora, quibus ignota fuit tigris usque ad *Varronem*; cujus verba sunt, *Tigris, qui est ut leo varius, vivus capi adhuc non potuit.* Sed exinde, *Romani* imperii finibus usque ad *Parthos* propagatis, tigris ex *Armenia*, aut *India*, & *Hyrcania* per *Parthos Romam* usque cepit adduci. *Et* Q. Tuberone *&* Fabio Maximo *Consulibus IV. Non.* Maji, *Theatri* Marcelli *dedicatione, tigrin primus omnium* Romæ *ostendit* (Divus Augustus) *in cavea mansuefactam. Divus verò* Claudius *simul quatuor.* Ita *Plinius* libri octavi capite decimo septimo: & *Dion* in *Augusto*, Καὶ Ἰνδοί, προκηρυκευσάμενοι πρότερον, φιλίαν τότε ἐσπείσαντο, δῶρα πέμψαντες ἄλλα τε, καὶ τίγρεις πρῶτον τότε Ῥωμαίοις ὀφθείσας. *Et* Indi, *qui antea quoque legatos miserant, tunc amicitiam datis muneribus confirmaverunt, in quibus præter cætera fuerunt tigres, quæ tum primum à* Romanis *visæ sunt.* Sed *Augustum* sequuti *Cæsares* hoc idem animal *Romanis* oculis sæpe exhibuerunt. Hinc sub *Tito Martialis* in libro *Spectaculorum Epigrammate* 18.

Lambere securi dextram consueta magistri,
Tigris ab Hyrcano *gloria rara jugo,*
Sæva ferum rapido laceravit dente leonem,
Res nova non ullis cognita temporibus.

Et sub *Domitiano* libri primi *Epigrammate* 105.

Picto quod juga delicata collo.
Pardus sustinet, improbaque tigres
Indulgent patientiam flagello.

Et *Julius Capitolinus* in *Antonino Pio*, *Omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit.* Et *Lampridius* in *Heliogabalo*; *Junxit & tigres*, Liberum *se vocans.* Et *Capitolinus* rursus in *Gordiano* tertio, *Fuerunt sub* Gordiano Romæ *tigres decem.* Et *Vopiscus* in *Aureliano*, in descriptione triumphi de *Zenobia*, & *Tetrico*; *Præcesserunt tigrides quatuor, camelopardalis, alces*, &c. Leonis speciem tigridi tribuunt Scriptores illorum temporum, excepta pelle varia. Ita *Varro* & *Oppianus*, qui multis rem persequitur. Aliter in tigribus, aliter in pantheris pellis variatur. Illæ enim longas tænias, hæ rotundas habent maculas. Hinc idem *Oppianus*, ubi de equis *Oryngibus* libro primo *De Venatione*.

Δοιὰ δ᾽ ἐπὶ φρύγεσσιν τελέθει πολυανθέα φῦλα,
Τοῖς μὲν γὰρ δειρήν, καλλίτριχά τ᾽ εὐρέα νῶτα
Γραπτὰ τιταινόμενα δολιχῇσιν ὁμήρεα ταινίῃσιν,
Τίγρεις, οἷα θοαί, κραιπνοῦ Ζεφύροιο γένεθλα.
Τοὶ δ᾽ αὖ εὐτροχάλοισι περίδρομα δαιδάλλονται
Στιγμῇσιν πυκινῇσιν, ἐϊκέλα πορδάλιεσσι.

Duplicia verò Oryngum *equorum sunt florida genera. Aliis namque collum, & pulchris crinibus lata terga insignitis sunt longis confertim vittis, ut veloces tigrides, pernicis* Zephyri *soboles. At aliis rotundis in orbem variantur sigillis densis, quomodo pardi.* Hinc in cedrinis mensis tigrinæ dictæ, quæ oblongas; pantherinæ, quæ rotundas habuêre maculas. Plinius libri 13. capite 15. *Mensis ex cedro præcipua dos in vena crispis, vel in vertice variis: illud oblongo evenit discursu, ideoque tigrinæ appellantur, hoc intorto, & ideo tales pantherinæ vocantur.* Neque aliud sunt *Poetis virgatæ tigres*, quam longis tæniis variæ. *Seneca in Hippolyto*,

\- - - *Tunc virgatas*
India *tigres decolor horret.*

Et in *Hercule Oetæo*,

\- - - - *Te* Rhodope *tulit*,
Te præruptus Athos, *te fera* Calpia,
Quæ virgata tibi præbuit ubera.

Silius lib. 5.

Caucasiam *instratus virgato corpore tigrim.*

Claudianus in *Stilichonis Panegyrico* primo,

\- - *aut longè virgatas figere tigres.*

Ita melius in veteri *Claverii* codice, quam ut vulgò legitur,

\- - - - - - *virga transfigere tigres.*

Tigris *Arabice* & *Persice* dicitur الببر *albabir*, & البريد *alberid*, & الفرانق *alphuranik*. E tribus nominibus duo posteriores deduci videntur *a celeritate cursûs*. Nam بريد *berid* est *veredus*, seu *cursor*. Et *pharanik* est φρυνικός, quod etiam *cursorem* sonat, cumque *valde expeditum*. *Hesychio* certe φρυνικοί sunt δρομεῖς ταχεῖς, ὀξεῖς, εὐκίνητοι, γοργοί, μισθωτοί, *cursores veloces, citi, expediti, celeres, mercenarii*: & *Suidæ* Φρυνικός, δρομαῖος, γοργός, *Cursor, citus*. *Byzantinam* vocem esse scribit *Julius Pollux* à novæ Comœdiæ scriptoribus usurpatam: ego ex *Chaldæis* aut *Persis*, malim arcessere; quia פרונקא *prunekia*, Chaldæis *tabellarium* sonat: *Glossa Talmudis* רץ, seu *cursorem*, explicat in Tractatu, *Succa* fol. 48. b. Verè me conjectasse doceant hæc *Damiris*,

البير ضرب من السباع يعادي الاسد من العدو لا من العداوة ويقال له البريد الفرانق *Albabir, feræ species, quæ* يعادي *præcurrit leonem, voce* يعادي *deducta ab* العدو *id est, cursu, non ab* العداوة *id est, odio. Ac proinde dicitur etiam* berid, *&* phuranik. Sequitur, وهو شبيه بابن اوى *Et similis est* ibnavvi, id est, *thoi*. Agitur ergo de illis tigribus, de quibus supra *Nearchus*; *Eas, quas nos videmus, & tigres vocamus, thoes sunt maculosi, & aliis thoibus majores.* Addit *Damir*, ويقال انه متولد من البزرقان واللبوة *Et generari dicitur ex* bezarkan *& leana. Bezarkan* quod sit animal planè nescio. Vox videtur esse *Persica*. Sed quidquid significet, tigrim certum est non esse hybridam, ut mulum, sed animal sui generis. Pergit, ومن طبعه ان الانثى منه تلقح

ذلقح من الريح ولهذا كان عدوه كالريح لا يقدر احد يلحقه *Et è natura ejus est, ut fœmina è vento concipiat. Proinde cursus ejus est qualis venti, nec eam potest venatu quisquam assequi.* Ecce alteram fabulam priore putidiorem, quæque illam destruit! Neque enim tigris ex *bezarkan* & leæna procreatur, si mater ex vento concipit. Sed *Arabes* hac in parte veterum vestigiis insistunt. Ita enim *Oppianus* libro primo *Cynegeticῶn*,

> Τίγρις οἷα θοαὶ, κραιπνοῦ Ζεφύροιο γένεθλα,

Ut citi tigres, pernicis Zephyri *soboles*, Et libro tertio,

> Ὠκυτάτη τέλεθει ᾗ θηρῶν παντοδαπῶν περώχοχα θηρῶν·
> Αὐτοῦ γὰρ τι θέειν ἰκέλη Ζεφύρῳ γενετῆρι·

Multò celerrima est inter veloces feras: est enim ipsi Zephyro *genitori cursu similis.* Quam tamen fabulam idem refellit versibus quinque sequentibus. *Claudianus* libro tertio *De raptu*,

> - - - - - - *fremit illa marito*
> *Mobilior* Zephyro. - - - - -

Symposius in Ænigmate *De tigri*,

> *Junctaq; sum vento, vento velocior ipso:*
> *Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.*

Subjungit Scriptor *Arabs*, وانما تسرق جراوه فتجعل في مثل القوارير من زجاج ويركض بها علي الخيول السابقة فاذا ادركهم ابوها القوا اليه قارورة منه فيشتغل بالنظر اليها والحيلة في اخراج ولده منها فيفوته بقيتها فتربي حينيذ من الصبيان وتانس بالانس *Et catuli ejus proripiuntur, & positi in specie quadam vasorum vitreorum citatis equis auferuntur. Raptores autem cum assequitur pater, unum ex vasis illis ei projiciunt: cujus aspectu dum detinetur, cogitans qua arte catulum suum inde educat, reliquos amittit, qui cum pueris aluntur, & ab hominibus cicurantur.* Quas venatorum artes ita describit *Claudianus* ubi supra,

> *Arduus* Hyrcanâ *quatitur sic matre* Niphates,
> *Cujus* Achæmenio *Regi ludibria natos*
> *Avexit tremebundus eques: fremit illa marito*
> *Mobilior* Zephyro, *totamq; virentibus iram*
> *Dispersit maculis, jamjamq; hausura profundo*
> *Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.*

Et *Ambrosius* disertius *Hexaemeri* lib. 6. c. 4. *Ubi vacuum raptæ sobolis cubile repererit, illico vestigiis raptoris insistit. At ille, quamvis equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ se posse præverti, nec evadendi ullum suppetere sibi posse subsidium, technam hujusmodi fraude molitur. Ubi se contiguum viderit, sphæram de vitro projicit: at illa imagine sui luditur, & sobolem putans revocat impetum, colligere fœtum desiderans.* Cujusmodi Scriptores sic imitatur *Arabs*, ut quod illi rectè docent prava interpretatione aliò detorqueat. Neque enim, quod is asserit, tigridis catulos vitreis vasis includi dicunt, quod esset perabsurdum: sed matri vitreos globos projici, in quibus tanquam in speculo se ipsam intuens, quam videt imaginem putat esse sobolem suam. De robore tigridis mira narrat *Vossius* noster in *Melam* pag. 248. & 249.

Lynx etiam varia est æquè ac pardus, & tigris. *Euripides* in *Alcesti*,

> - - - - - - βαλιαί τε λύγκες.

Virgilius lib. 1. *Æneidos*,

> *Succinctam pharetrâ, & maculosæ tegmine lyncis.*

Et lib. 3. *Georgicorum*,

> *Quid lynces* Bacchi *variæ, & genus acre luporum?*

Ideo *Bacchi* dicit, quia ut tigres, & pantheræ, ita etiam lynces *Baccho* sacræ. Hinc *Ovidius* de *Baccho* Fabula ultima lib. 3. *Metamorphoseos*,

> *Quem circa tigres, simulachraq; inania lyncum,*
> *Pictarumq; jacent fera corpora pantherarum.*

Et lib. 4. Fabula 1.

> - *tu bijugum pictis insignia frenis*
> *Colla premis lyncum.* - - - - -

Et lib. 15. Fabula 40.

> *Victa racemifero lyncas dedit* India Baccho.

Unde obiter collige lynces esse *Indicum* animal. Est & in *Æthiopia*. *Plinius*, lib. 8. cap. 21. *Lyncas vulgò frequentes, & sphingas fusco pilo, mammis in pectore geminis* Æthiopia *generat.* Proinde *peregrinas* idem vocat lib. 28. cap. 8. *Peregrinæ*, inquit, *sunt & lynces, quæ clarissimè omnium quadrupedum cernunt.* Falluntur itaque, qui lyncas, & lyncurium, è *Liguria*, aut ex *Italia* arcessunt. In quibus *Theophrastus*, *Zenothemis*, *Sudines*, & veterum alii. Neque iis potior fides, qui ponunt in luporum genere, ut *Solinus*, & *Isidorus*. Mihi lynx est animal pantheræ simile, quod ex *Æliano* probo, apud quem *Mauri*, lyncas cum pantheris conferentes, eas ajunt παρδάλεως μὲν ἔτι καὶ πλέον σιμὰς, ἄκρα γε μὴν τὰ ὦτα λασίας, *pantherâ quidem magis esse simas, & summis hirsutas auribus.* Addit animal esse ἁλτικὸν δεινῶς, καὶ καταςχεῖν βιαιότατά τι, καὶ ἐγκρατέςατα κάρτερον, *saltu maximè valens, & ad firmissimè & pertinacissimè retinendum validissimum*, nempe ea, quæ unguibus semel corripuit; quæ pantherinum ingenium magis exprimunt. Itaque lynx videtur esse idem, quod *Arabicum* الفهد *alphehed*, animal pantheræ simile, de quo *Damir*, مزاجه مزاج النمر *Temperamentum ejus est temperamentum pardi.* Proinde *Arabes* sæpe jungunt ut feras homogeneas. Sic *Avicenna* (a) in capite, cui titulus في عض النمر والفهد *De morsu namir, & phehed*, id est, pardi, & lyncis. Et *Alcamus*, الكثمة النمر والفهد *Alchathsama, namir, & phehed.* Sensus est, utrumque animal contineri sub nomine *Cathsama*. Atque ut scias animalia esse vicinæ naturæ, eadem vox πάρδαλις *Apoc.* 13. *v.* 2. in *Arabica* versione *Parisiis* editâ نمر *Namir* redditur, & in *Erpeniana* فهد *phehed.* Utramque feram in Oriente ad venationem institui his verbis docet *Paulus Venetus* lib. 2. cap. 17. *Magnus* Cham *habet cicuratos leopardos*, (النمور) *qui miro in modum venationi inserviunt, multasq; capiunt bestias. Habet & lynces* (الفهود) *non minus ad venandum industrios.* De quo genere venationis multa *Arabes*, & qui eorum scrinia compilârunt. *Rasis* in libro *De animalibus*, *Alphehed* (الفهد id est, *Lynx*) *cicuratur aliquando, & venationi assuescit ut canis: cum autem errat in venatione, retrogreditur iratus.* *Damir* in capite *De Alphehed*, وهو ثقيل الجثة يحطم

(a) Lib. 4. Fen. 6. Tract. 4. cap. 10.

يحطم ظهر الحيوان في ركوبه *Mole corporis gravis est, ita ut conterat dorsum animalis, quod inequitat.* Eques enim *Tartarus*, ad venationem se conferens, pardum, aut lyncem habet à tergo. Sequitur, ومن خلقه الغضب وذلك انه اذا وثب على فريسة لا يتنفس حتى ينالها فيحمي لذلك مزاجه وتمتلي ريته من الهوا الذي حبسه واذا اخطا صيده رجع مغضبا وربما قتل سايسه *Natura sua iracundus est, ita ut non respiret, cum super prædam insilit, donec eam assequatur. Proinde effervescit temperamentum ejus, & repletur pulmo ejus aëre, quem continet. Et cum aberravit à præda redit ita iratus, ut nonnunquam interficiat institutorem suum.* Hoc ipsum alii *leopardo* (id est, *pardo*) tribuunt. In his *Albertus Magnus*, *Aliquando cicuratum hoc animal ducitur ad venandum: & nisi admodum blandiatur ei venator, retrocedit, & occidit homines, & canes.* Et *Vincentius*, *Doctrin.* libri decimi sexti capite nonagesimo, *Domesticatur* (id est, *cicuratur*) *ad venandum. Itaq; cum ad prædam in venatione ducitur, relaxatur. Quam si quarto vel quinto saltu capere nequiverit, ferociter iratus subsistit. Et nisi statim venator furenti bestiam aliquam obtulerit, in ipsum venatorem, vel in quoslibet obvios irruit. Impossibile est enim eum placari nisi sanguine. Sed in hoc providi sunt venatores, & agnos penes se, vel alia animalia semper habent, quibus iratos placant.* Pantheram ad venationem sic institutam *Leoni Decimo* dedisse *Lusitaniæ* Regem *Emmanuelem* scribunt *Maffæus* libro quinto, & *Osorius* libro nono. Cum anhelat in saltu *alphehed*, vocem è gutture emittit, quæ *Arabicè* خع dicitur. Auctor *Alcamus*, خع الفهد صات من حلقه اذا انبهر في عدوه Fœminam *alphehed* mari difficilius institui collige ex his *Damiris* in capite *De cane*, اناث السلوقي اكثر تعليما من الذكور والفهد بالعكس *Canes fœminæ Salucienses* (id est, ex *Arabiæ Felicis* oppido *Saluc*, ubi canes venatici sunt eximii) *maribus sunt dociliores, contra quam* in alphehed. Si quis scire aveat à quibus hoc venandi genus primò fuerit institutum, & usurpatum apud *Arabes*, en tibi apud *Damirem* in *Alphehed!* اول من صاد به كليب بن وايل واول من حمله على الخيل يزيد بن معوية واكثر من اشهر باللعب به ابو مسلم الخراساني *Primus ea fera in venatione usus est* Chalib, Wailis *filius. Et primus illam in equo tulit* Jazid, *filius* Muaviæ. *Et è Poetis* Abu Musallim Chorasanius *ea maximè lusit*: id est, hoc venandi genere maximè delectatus est, aut in hoc argumento inprimis se exercuit. In his *Euripidis* versibus,

Ἥκει δ᾽ ἐπ᾽ ὤμοις ἢ συὸς φέρων βάρος,
Ἢ τὴν ἄμορφον λύγκα, δύστοκον δάκος.

Venit autem humeris aut apri ferens onus, aut deformem lyncem, bestiam difficilis partus. Ælianus (*Hist.* lib. 14. cap. 6.) à *Criticis* quærendum ait, cur lynx vocetur δύστοκος, id est, *difficilis partûs*. An quia fœta propter uteri pondus venari nequit, nec nisi maris indulgentia ab interitu servatur? Unde *Damir*, يقال ان الفهدة اذا تثقلت بالحمل حن عليها كل ذكر يراها من الفهود ويواسيها من صيده فاذا ارادت الولادة ذهبت الي موضع قد اعدته لذلك *Cum* alpheheda (seu *lynx fœmina*) *propter conceptum gravis est, illius misereri dicitur quisquis è lyncum maribus eam videt, & è venatione sua illi largiri. Et cum paritura est, ad locum, quem ad id paravit, illa se confert.* Quid, si lyncem δύστοκον ideò dici quis putet, quia illi sit imputatum, quod alii de leæna scribunt, & de panthera? *Isidorus*, *Orig.* lib. 12. cap. 2. *Hæc semel omnino parturit*, &c. *Nam cum in utero matris coaluère catuli, maturiq; ad nascendum viribus pollent, oderunt temporum moras. Itaq; oneratam fœtibus vulvam, tanquam obstantem partui, unguibus lacerant, & effundit illa partum, seu potius dimittit dolore cogente*, &c. Fatendum interim descriptionem τῦ *phehed* non convenire in omnibus cum descriptione lyncis, qualis extat apud veteres: sive illi *lyncis* nomen latius extenderint; aut naturam ejus non habuerint satis perspectam. Primò enim الفهد *alphehed* est iracundum animal, & ferox, ut panthera, quodque non solum in feras, sed & in hominem sæpe irruit, cum lynx timida, fugax, & planè imbellis à *Poetis* describatur. *Horatius* libri secundi *Oda* decimâ tertia,

Nec curat Orion *leones*,
Aut timidos agitare lynces.

Et libri quarti *Oda* sexta,

Deliæ *tutela Deæ, fugaces*
Lyncas & cervos cohibentis arcu.

Et de *Chironide Achilles* apud *Statium* libro secundo *Achilleidos*,

Nunquam ille imbelles Ossæa *per avia lynces,*
Sectari, aut timidos passus me cuspide damas
Sternere. - - - - - - - -

Sed à *Poetis* timiditatis & imbelliæ nota lyncibus ideò potuit inuri, quod in amphitheatris illas fugere videbant, quoties cum leonibus, & pantheris, & ursis, & majoribus feris committebantur. Quamvis id ipsum pantheris objici videam. *Aristoteles*, *De partibus animal.* lib. 3. cap. 4. Μεγάλας δὲ τὰς καρδίας ἔχουσι λαγὼς, ἔλαφος, μῦς, ὕαινα, πάρδαλις, γαλῆ, καὶ τὰ ἄλλα σχεδὸν πάντα ὅσα φανερῶς δειλὰ, ἢ διὰ φόβον κακοῦργα. Unde *Plinius* libri 11. capite 37. *Maximum est cor proportione muribus, lepori, asino, cervo, panthera, mustelis, hyænis, & omnibus timidis, & propter metum maleficis.* *Ælianus* lib. 17. cap. 43. Πάρδαλις Καρικὴ, καὶ Λυκιακὴ, οὐκ ἔστι μὲν θυμικά· *Panthera in* Caria, *&* Lycia *non est animosa.* Secundò, *alphehed* non celebratur ab acumine visus, ut lynces, quas *Oppianus* (b) εὐγλήνους, id est, *perspicaces* nominat; & *Plinius* (c) clarissimè omnium quadrupedum cernere asserit. Sed fabu-

b) Cyneg. lib. 3. versu 97.
c) Lib. 28. c. 8.

fabulosum id esse puto, & lynci animali perperam tribui, quod de *Lynceo*, *Idæ* fratre, scripserant *Poetarum* vetustissimi. Tertiò, urinam τῦ *phehed* in lapidem concrescere nemo scripsit, quomodo lyncis urinam, ex qua lapis lyncurium, ut tradunt *Aristoteles*, *Theophrastus*, *Diocles*, *Demostratus*, *Ovidius*, *Plutarchus*, *Solinus*, *Ælianus*, & veterum non pauci alii. At hoc commentum pridem explosit *Plinius* lib. 37. cap. 3. *Ego*, inquit, *falsum id totum arbitror, nec visam in ævo nostro gemmam ullam ea appellatione, & quod de medicina simul proditur, calculos vesicæ eo poto elidi, & morbo regio occurri, si ex vino bibatur, aut si portetur.* Et pro *lyncurio* λιγυριον, vel λιγύειον multi scribunt, ac si sit lapis ex *Liguria* allatus. Vide *Græcos* interpretes, & *Vulgatum* *Exod.* 28. *v.* 19. & 39 *v* 10. (al. 12.) & *Joseph.* *Antiq.* lib. 3. cap. 8. Quin apud *Plinium* contendit *Sudines* arborem esse, quæ lyncurium gignat in *Liguria*. In qua eadem sententia & *Metrodorus* fuit. *Strabo* quoque libro secundo in *Liguriæ* descriptione, Πλεονάζει δὲ καὶ τὸ λιγγύριον παρ' αὐτοῖς, ὃ τινες ἠλεκτρον προσαγορεύουσι. λιγγύριον nota per ι, non λυγγύριον per υ. Quamvis id non satis rectè. Scribendum enim λιγύειον, ut jam diximus. Quartò, de lynce nemo scribit, quod de *alphehed* *Arabes*, somniculosum esse animal, & gravissimi capitis. *Damir*, يضرب بالفهد المثل في كثرة النوم *Ad* alphehed *pertinet Proverbium de multo somno.* Nempe انوم من فهد τῦ phehed *somnolentior*. Cui aliud est non absimile, اثقل راسا من فهد *Capite gravior* τῦ *phehed*. Quin & Verbum فهد *phahida*, inde formatum, *dormire*, *oscitare*, & *pandiculari* sonat. *Alcamus*, فهد نام وتغافل عما يجب تعهده واشبه الفهد في تمدده ونومه Phahida, *dormivit, & id neglexit, quod sibi curandum fuerat, somnoq;, ac pandiculatione* τῦ phehed *fuit similis.* Liceat de hac eadem fera tertium addere Proverbium usu tritum apud *Arabes*, هو اكسب من فهد *Hic* τῦ phehed *est mendicior*. Cujus hæc est ratio, الفهود الهرمة التي تعجز عن الصيد لانفسها انجمع على فتي فهد فيصيد لها في كل يوم طعمها *Alphahud* (id est, *lynces*) *senes, qui sunt infirmiores, quam ut sibimet venari possint, ad juniorem* phehed *congregantur, qui venetur illis cibum in dies.* Hæc, & alia, *Græcos* Scriptores de animali parum noto omisisse nihil mirum est. *Lynx* Gallicè *once* dicitur, L exciso ex nomine λυγκὸς, ac si sit L Articulare: ut in *azur* pro *lapide cyaneo* ex *Persico* لازورد *lazurd*. *Alphehed* esse *leopardum* quidam ex eo colligunt, quod in *Damire* dicunt *Arabes*, انه يتولد بين اسد ونمر *eum ex leone & pardo procreari.* Sed patebit deinceps multis exemplis *Arabes*, qui hoc asserunt, id solum velle, *alphehed* aliquid habere cum utroque animali commune. Quo eodem sensu sumendum, quòd tigrim supra dixerant ex *bezarkan* & leæna nasci, quodcunque animal sit *bezarkan*. Neque enim nascitur *alphehed* ex diversa specie: sed mater est الفهدة *alpheheda*, de cujus fœtura & partu supra egimus. Proinde catuli τῦ *alphehed* non semel meminit *Alcamus*, eumque vocat العوبر *alaubar*, vel الهوبر *alhaubar*.

Pantheram & πάρδαλιν diversa, imò diversissima esse animalium genera multi contendunt. In his *Leo Allatius* in *Eustathii Hexaemeron*. Ego, ut idem genus esse asseram, his moveor rationibus. 1. Camelopardalim ex camelo & panthera componi dicunt *Romani* scriptores. *Varro De Ling. Lat.* lib. 4. *Ut* Alexandriâ *camelopardalis nuper adducta, quòd erat figurâ ut camelus, maculis ut panthera.* *Horatius* libri secundi *Epistola* prima,

Diversum confusa genus panthera camelo.

2. Iidem *pardalion* gemmam à panthera dici volunt. *Plinius* libri trigesimi septimi capite undecimo, *Sunt & à leonis pelle & pantheræ nominata leontios, pardalios,* 3. Et aconitum *pardalianches*, eò quod pantheras necat. *Plinius* libri octavi capite vigesimo septimo, *Pantheras perfricata carne aconito* (*venenum id est*) *barbari venantur. Occupat illico fauces earum angor: quare pardalianches id venenum appellavere quidam.* Et libri vigesimi septimi capite secundo, *Tangunt carnes aconito, necantq;, gustatu earum pantheras.* &c. *Ob id quidam* pardalianches *appellavêre.* Et Solinus, *Fauces earum anginâ obsidentur. Ideò gramen παρδαλιαγχὲς appellaverunt.* 4. Apud *Plutarchum* in *Cicerone*, Κεκιλίου (lege Καιλίου) τοῦ ῥήτορος δεομένου παρδάλεις αὐτῷ πρός τινα θέαν εἰς Ῥώμην ἐκ Κιλικίας ἀποστεῖλαι, καλλωπιζόμενος ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις, γράφει πρὸς αὐτὸν ὡς οὐκ εἰσὶ παρδάλεις ἐν Κιλικίᾳ, πεφευγέναι γὰρ εἰς Καρίαν, ἀγανακτούσας, ὅτι μόναι πολεμοῦνται, πάντων εἰρήνην ἐχόντων. Cœlio *Oratori*, *ut παρδάλεις sibi ex* Cilicia Romam *mitteret ad quoddam spectaculum rogantis, cum aliqua rerum à se gestarum jactantia rescripsit, παρδάλεις in* Cilicia *non esse, quippe in* Cariam *fugisse, indignatas in communi pace nonnisi secum geri bellum.* Παρδάλεις, id est, *pantheras*. Ita enim ipse *Cœlius* ad *Ciceronem* libri octavi *Epistola* secunda. *Ut tibi cura sit quod ad pantheras attinet rogo.* Et *Epistolà* quarta, *Item de pantheris, ut* Cibyratas *arcessas, curesq;, ut mihi vehantur.* Et *Epistola* sexta, *Turpe tibi erit pantherarum greges me non habere.* Et *Epistola* nona, *Fere literis omnibus tibi de Pantheris scripsi.* *Cicero* quoque ad *Atticum* libri sexti *Epistola* prima, Cœlius *libertum ad me misit, & literas accurate scriptas, & de pantheris*, &c. Et ad *Cœlium* ipsum libri secundi *Epistola* undecima, *De pantheris, per eos qui venari solent, agitur mandato meo diligenter. Sed mira paucitas est. Et eas, quæ sunt, valde ajunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia nisi sibi fiat. Itaque constituisse dicuntur in* Cariam *ex mea provincia decedere.* Quem *Ciceronis* locum à *Plutarcho* respici patet. 5. In loco *Aristotelis De partibus* supra citato, πάρδαλις est in iis animalibus, quæ μεγάλας τὰς καρδίας ἔχουσι pro quo *Plinius*, *Maximum est cor proportione pantheræ.* 6. Quæ de pardalis fragrantia *Græci* scribunt, *Romani* ad pantheram transferunt. Ita hæc *Plinii* de pantheris libri octavi capite decimo septimo, *Ferunt odore earum mirè sollicitari quadrupedes cunctas, sed capitis torvitate terreri. Quamobrem, occultato eo, reliqua dulcedine invitatas corripiunt*, in *Aristotele* sic habentur *Historia animalium* libri noni capite sexto, Λέγουσι δὲ καὶ καταμεμαθηκέναι τὴν πάρδαλιν, ὅτι τῇ ὀσμῇ αὐτῆς χαίρουσι τὰ θηρία, ἀποκρύπτουσαν ἑαυτὴν θηρεύειν. Rursus *Plinii* verba libri vigesimi primi capite sexto, *Animalium nullum odoratum, nisi de pantheris quod dictum est credimus*, sumpta ex his *Theophrasti*, *De causis* libri sexti capite vigesimo sexto, Ζῶον δ' οὐδὲν (εὔοσμον) εἰ μὴ τὴν πάρδαλίν φασι,

καθάπερ

καθάπερ ἐλέχθη, τοῖς θηρείοις. 7. Hæc *Aristotelis, Historia animalium* libri secundi capite primo. Ἡ δὲ πάρδαλις τέτταρας ἐν τῇ γαστρὶ (μαστοὺς ἔχει) *Plinius* ità expressit libri undecimi capite quadragesimo, *Alia* (animalia) *ventre medio quaternas* (mammas habent) *ut panthera*. 8. Idem rursus libri undecimi capite quadragesimo nono, *Mares in omni genere fortiores, præterquàm in pantheris, & ursis.* Quod mutuatum ex his *Philosophi, Historia animalium* libri noni capite primo, Ἀθυμότερα δὲ τὰ θήλεα πάντα τῶν ἀρρένων, πλὴν ἄρκτου, καὶ παρδάλεως· τούτων δ᾽ ἡ θήλεια δοκεῖ εἶναι ἀνδρειοτέρα. 9. *Horus Hieroglyphicōn* libri secundi capite sexagesimo sexto, de pelle hyænæ, & pardalis, Ἐὰν ὁμοῦ τεθῇ τὰ δύο ταῦτα δέρματα, τὸ μὲν τῆς παρδάλεως ἀποβάλλει τὰς τρίχας τὸ δὲ ἄλλο οὔ· quod ipsum ità *Plinius* libri vigesimi octavi capite octavo, *Mirumque dictu, si pelles utriusque contrariæ suspendantur, decidere pilos pantheræ.* 10. Denique pantheras à pardis solo sexu, aut candore, non genere differre, *Plinius* expressè docet libri octavi capite decimo septimo. Verba sic habent, *Pantheris in candido breves macularum oculi, &c. Nunc varias, & pardos, qui mares sunt, appellant in eo omni genere, creberrimo in* Africa, Syriaque. *Quidam ab iis pantheras candore solo discernunt, nec adhuc aliam differentiam inveni.* Nec ferendi sunt, qui *Plinium* hic erroris arcessunt, virum undecunque doctum, & ejus urbis incolam, in qua pardis, & pantheris, seu variis plena erant amphitheatra. *Primus* (inquit) Scaurus *Ædilitate suâ varias centum quinquaginta universas misit. Deinde* Pompejus Magnus *quadringentas decem. Divus* Augustus *quadringentas viginti.* Nec solus hunc errorem erraverit *Plinius*, sed *Varro* etiam, *Cicero, Cœlius, Horatius, Solinus, Plutarchus, Philostratus*, & quis non?

Fateor interim dubitari non immeritò, an *Græcis* ὁ πάνθηρ id ipsum sit, quod *Romanis panthera*. 1. Quia τοὺς πάνθηρας & τὰς παρδάλεις videntur distinguere multi Scriptores tanquam diversas species. Sic *Græci* interpretes *Os.* 13. *v.* 7. Καὶ ἔσομαι αὐτοῖς ὡς πάνθηρ, καὶ ὡς πάρδαλις· *Et ero ipsis ut panther, & ut pardalis,* seu *panthera*. *Xenophon* libro *De Venatione*, Λέοντες δὲ, παρδάλεις, λύγκες, πάνθηρες, ἄρκτοι, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐστὶ τοιαῦτα θηρία· *Leones autem, pardi, lynces, pantheres, ursi, & alia hoc genus feræ.* Et apud *Athenæum Callixenus Rhodius* in *Descriptione pompæ Ptolemæi Philadelphi*, Ἄρκτος μὲν λευκὴ μεγάλη μία, παρδάλεις δέκα τέσσαρες, πάνθηρες δεκαέξ, λυγκία τέσσαρα· *Ursa quidem alba una magna, pardi quatuordecim, pantheres sedecim, lynces quatuor,* &c. *Pollux* libri quinti capite decimo tertio, Ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀγρίων, ἐφ᾽ ὧν ἴδιον οὐκ ἔστιν ὄνομα τῆς φωνῆς, οἷον ἄρκτου, παρδάλεως, καὶ πάνθηρος, καὶ ἐπὶ τῶν τοιούτων, βρυχᾶσθαι λέγουσιν. *Alias autem feras, quæ proprium vocis nomen non habent, ut ursum, pardum, pantherem, & reliquas hujusmodi rugire dicunt.* Apud *Eustathium* quoque in *Hexaëmero* primo describuntur αἱ παρδάλεις *pardi*, & post pardos ὁ πάνθηρ. Contrà quàm in *Isidoro*, qui, postquàm egit de panthere, *Pardus*, inquit, *secundus post pantherem est.* Sed inprimis illud urget, quod ab *Oppiano* libro secundo *Cynegeticōn* versu 570. pantheres inter minora & imbellia animalia recensentur his verbis:

> Μοῦσα φίλη, βαιοὺς οὔ μοι θέμις ἀμφὶς ἀείδειν·
> Οὐτιδανοὺς λίπε θῆρας, ὅσοις οὐ κάρτος ὀπηδεῖ,
> Πάνθηρας χαροπούς, ἠδ᾽ αἰλούρους, κακοέργους·

Chara Musa, mihi non licet in parvis diu immorari: minutas relinque feras, quas robur non comitatur, pantheres ravos, & feles maleficos. Huc accedit, quod thos, animal vulpe non multò majus, πανθήριον, & λυκοπάνθηρ vel λυκοπάνθηρον à multis appellatur. Ità *Homeri* vetus *Scholiastes* in *Iliad.* λ΄. Θῶες, πανθήρια. Et alibi, Θώων, πανθηρίων. Et in priorem locum *Eustathius*, Θῶες λυκοειδῆ ζῶα εἶναί φασιν οἱ παλαιοί. διὸ καὶ τὴν τῶν λυκοπανθήρων κλῆσιν ἐντεῦθεν ἴσως εὕρεν ὁ πολλοί. Et *Oppiani Scholiastes* in *Halieuticōn* libri secundi versum 615. Θῶας, λυκοπάνθηρας. Et *Cyrilli Lexicon* apud me manu-scriptum, Θῶς, ὁ λυκοπάνθηρ. Quomodo etiam in *Phavorino*. Ex quibus concludit *Gesnerus* pantherem, vel thoem, esse parvum, & imbelle animal, thui simile. Quod firmari posse videtur ex eo, quod ab *Herodoto* libri quarti capite 192. junguntur θῶες, καὶ πάνθηρες, *thoes, & pantheres*, in censu animalium, quæ nasci narrat apud pastorales *Afros*. Et apud *Philosophum* (*Hist.* lib. 6. cap. 35.) panther cum lupo, thoe, & cane ità confertur: Καὶ ὁ πάνθηρ τίκτει δὲ τυφλὰ ὥσπερ λύκος· τίκτει δὲ τὰ πλεῖστα τέτταρα τὸν ἀριθμόν· καὶ οἱ θῶες δὲ ὁμοίως κυΐσκονται τοῖς κυσὶ, καὶ τίκτουσι τυφλά· *Et panther cæcos catulos parit, ut lupus; & quatuor numero parit ad summum. Thoes quoque quomodo canes concipiunt, & cæcos generant.*

Tamen ut pantheram, ità & πάνθηρα pantherem, vel esse pardum, vel animal pardo congener, non thoem, aut aliud simile animalculum probant hæ rationes. I. *Xenophon*, qui Scriptorum quotquot extant, pantherum primus meminit, eos palam recenset inter majores feras. *Leones*, inquit, *pardi, lynces, pantheres, ursi, aliaque similes feræ.* Ità etiam, quem citavimus, *Callixenus Rhodius*; *Ursa quidem alba magna una, pardi quatuordecim, pantheres sedecim, lynces quatuor*, &c. Et *Julius Pollux* non solùm majoribus feris accenset, sed & minoribus opponit, vulpibus scilicet, thoibus, & lupis. Verba sunt, Ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀγρίων, ἐφ᾽ ὧν ἴδιον οὐκ ἔστιν ὄνομα τῆς φωνῆς, οἷον ἄρκτου, παρδάλεως, καὶ πάνθηρος, καὶ ἐπὶ τῶν τοιούτων, βρυχᾶσθαι λέγουσιν. ἐπὶ δὲ τῶν μικροτέρων, οἷον ἀλωπέκων, καὶ θώων, καὶ λύκων, τὸ ὑλακτεῖν, καὶ ὠρύεσθαι. *Alias feras, quæ proprium vocis nomen non habent, ut ursum, pardum & pantherem, & similes, rugire dicunt. Minores autem, ut vulpes, thoes, & lupos, latrare, & ululare.* II. Ex hoc ipso, quod *Philosophus Pantherem* in eo cum lupo, thoe, & cane confert, quod cæcos catulos parit, probatur pantherem idem esse animal cum panthera. Ità enim *Plinius* libri decimi capite 63. *Cæcos autem gignunt canes, lupi, panthera, thoes.* III. Cùm juxtà *Græcos* interpretes Deus *Judæos* ità compellat *Os.* 5. *v.* 14. *Quia ego sum* ὡς πάνθηρ τῷ Ἐφραίμ, *quasi panther* Ephraimitis, *& quasi leo domus* Judæ, *& rapiam, & vadam, & tollam, & non erit qui eruat.* Et *Os.* 13. *v.* 7. Καὶ ἔσομαι αὐτοῖς ὡς πάνθηρ, καὶ ὡς πάρδαλις κατὰ τὴν ὁδὸν Ἀσσυρίων. *Et ero ipsis ut panther, & ut pardus in via* Assyriorum, *occurram ipsis ut ursa cibo indigens & dirumpam interiora cordis eorum.* In illis, inquam, locis, quis non videt thoem non intelligi, neque aliud animalculum, sed majorem aliquam feram, quales leones, pardi, & ursi. Neque aliter accipiunt *Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Theophylactus.* Et res ipsa per se loquitur. Nisi velis Deum rebelles talibus minis territasse, *Ero illis ut thos, aut vulpes*, &c. V. *Eustathius* in *Hexaëmero* pantherem dicit esse animal τοῖς σώμασιν ἀστερωπὸν, *macularum oculis quasi stellis insignem*, & reliqua delectari αὐτοῦ τῇ ποικιλίᾳ τοῦ σώματος, *corporis illius varietate,* quod pantheræ belle convenit, & illi commune est cum paucissimis animalibus. Plinius, *Panthera & tigris macularum varietate, propè solæ bestiarum, spectantur, cæteris unus ac suus cujusque generis color.* VI. De panthere addit idem *Eustathius*, Ἐκ τοῦ στόματος (lege σώματος) αὐτοῦ εὐωδία τις ἐξεισιν ἀρωματικὴ, δι᾽ ἧς τὰ ἄλλα ζῶα θελγόμενα, τὰ ἐγγὺς, καὶ τὰ πόρρωθεν, ἐγγίζουσιν αὐτῷ, καὶ ἕπονται. *Ex illius corpore aromatica quadam fragrantia effunditur, quâ pellecta animalia, tam vicina, quàm remotiora proximè accedunt, & sequuntur.* Et paulò post, Ὁ δὲ πάνθηρ ὀλίγον τι προελθὼν ... ἀυτῶν ὑποστρέφεται, καὶ ἀποτρέχει, καὶ ὅ δ᾽ ἂν τῶν ζώων ἀρέσῃ αὐτῷ, ἐπιπηδήσας λαμβάνει· *Panther autem aliquantulum progressus regreditur, & iis insidiatur, & quodcunque vult animal impetu facto invadit.* Quæ eadem de pardo habet *Ælianus Hist.* lib. 5. cap. 40. cui titulus, Περὶ τῆς κατὰ τὴν πάρδαλιν

εὐωδίας. Quin, teste *Philosopho Problematum* Sect. 13. Quæst. 4. τῶν μὲν ζώων οὐθὲν εὐῶδές ἐστιν ἔξω τῆς παρδάλεως, *præter pardum nullum animal suaviter olet.* Quod ipsum confirmant *Theophrastus, De causis* lib. 5. cap. 6. & 26. & *Plinius* lib. 21. cap. 6. Neque enim Zibethi felem noverant, neque musci capreolum. Itaque si panther benè olet, ex illorum sententia non potest esse animal à pardo specie diversum. VII. In scenis veterum versatilibus, semper ante *Bacchi* pedes fingebatur πανθηρίσκος. *Hero* Περὶ αὐτοματοποιητικῆς, quem citat *Salmasius* in *Solinum* pag. 212. Παρακαθίζεται δὲ πανθηρίσκος πρὸς τοῖς τοῦ Διονύσου ποσίν. *Ad Bacchi pedes assidet pantheriscus.* Pantheriscus est parvus panther, vel, quod idem, parva panthera; *Baccho* sacrum animal, ut jam probatum. VIII. Eodem facit quod sequitur de scypho, quem *Bacchus* habet in manu: Ἐκ δὲ τοῦ σκύφου οἶνος ἐκχυθήσεται ἐπὶ τὸν ὑποκείμενον πανθηρίσκον. *Ex scypho autem vinum effundetur in subjectum pantheriscum.* Quia scilicet vini potu panthera maximè delectatur, ut ex *Græcis* & *Arabibus* jam suprà probavimus. IX. Præterea, si panthera est pardus, quod in veterum scriptis omnino clarum, quidni etiam πάνθηρ id ipsum sit? Certè ut *fera* factum ex *Æolico* φὴρ pro θὴρ, ità etiam *panthera* ex πάνθηρ. Et pardo prorsus convenit πάνθηρος nomen, cum odore suo putetur omnes feras ad se allicere. Ità πάνθηρον est *retis genus, quo capiuntur omnes feræ*: alii πάναγραν vocant. *Varro. De ling. Lat.* lib. 4. *Ferarum vocabula item partim peregrina, ut panthera, leo. Utraque Græca, à quo etiam & rete quoddam panther: lege pantheron.* Quod penè omiseram, in *Glossario Latino-Græco* veteri per capita digesto more *Nomenclatorum*, in capite *De bestiis, panthera* Græcè est πάνθηρ.

Jam, ut objecta diluam, notandum est pardorum esse duo genera. *Oppianus Cynegeticῶν* libro tertio,

Πορδάλιες δ' ὀλοαί, δίδυμον γένος· αἱ μὲν ἔασι
Μείζονες εἰς ἰδέειν, καὶ πάσσονες εὐρέα νῶτα·
Αἱ δ' ἐν' ἐλαζότεραι μὲν, ἀτὰρ μένος οὔτι χερείους.
Εἶδεα δ' ἀμφοτέροισιν ὁμοίια δαιδάλλονται,
Νόσφι μόνης οὐρῆς, τῆς τ' ἔμπαλιν εἰσορόωνται·
Μείοσι μὲν μείζων τελέθει, μεγάλῃσι δὲ μείων.

Pantheræ autem perniciosæ duplex genus: aliæ quidem sunt majores aspectu, & ampliores lata dorsa: aliæ verò minores quidem, sed robore neutiquam deteriores. Formæ autem utrisque similes variegantur, præter solam caudam, quâ diversæ conspiciuntur: minoribus quidem major est, magnis autem minor. Quod ità paucis *Arabes* in *Damire* وهو صنفان صنف عظيم الجثة قصير الذنب وعكسه *Hujus* (pardi) *duæ sunt species, una magni corporis, & brevis caudæ, & altera contra*: hoc est, parvi corporis, & caudæ longioris. Aliter distinguit *Plinius* nempe à sexu, & colore. *Pantheris*, inquit, *in candido breves macularum oculi.* Et paulò post, *Nunc* (pantheras) *varias, & pardos, qui mares sunt, appellant.* Et rursus, *Quidam ab iis pantheras candore solo discernunt.* Et in *Solino*, *Plinii* simiâ, pantheræ sunt *minutis orbiculis superpicta, ità ut oculatis ex fulvo circulis vel cærula, vel alba distinguatur tergi supellex.* Et in *Isidoro*, *Bestia est hæc minutis orbiculis superpicta, ità ut, oculatis ex fulvo circulis, nigrâ, vel albâ distinguatur varietate.* Itaque vel ex sexu, vel ex mole corporis, vel ex variis maculis factum, ut in eodem animalis genere aliud propriè πάνθηρ, aliud πάρδαλις diceretur. Neque aliud volunt veteres, qui pantheres & pardos distinguunt ut diversa animalia. Proinde ut pantherem *Isidorus*, ità pantheram à pardo *Solinus* disertè distinxit: quam tamen ejusdem esse cum pardo generis invictis rationibus probare conati sumus. Et *Oppianus* frustrà opponitur, in quo πάνθηρες χαροποὶ, quos censet in minutis, & infirmis animalibus, non sunt ii πάνθηρες, quos inter majores feras memorant vetusti Scriptores, sed recentiorum πανθήρια, vel λυκοπάνθηρες, aut λυκοπάνθηροι. A posterioribus *Græcis* thoibus id nominis inditum est; quia in lupina forma pellem pantherinam habent. Unde est, quod thoes nasci fabulantur ex lupi cum panthera coitu. *Oppianus* libro tertio *Venaticorum* versu 336.

Ἀνθάκι δ' αὐτε λύκοι καὶ πορδαλίδεσσι δαφοιναῖς
Ἐς λέχος ἐσύλλασαν, ὅθεν κρατερόχροα φῦλα,
Θῶες· ὁμῶς δὲ φέρουσι διπλόον μεμορυγμένον αἰόλον,
Μητέρα μὲν ῥινοῖσι, προσώποις δ' αὖ γενετῆρα.

Sæpenumero autem lupi etiam pantheris cruentis ad concubitum accedunt, unde robusta secula thoes (procreantur:) *simul autem ferunt duplicem & mixtum florem, matrem quidem pelle, & facie patrem* (referentes.) Quod quidem ineptè confictum est, cum thos sit animal sui generis, & staturâ corporis pantherâ longè minor. Itaque thoem *Homeri* vetus *Scholiastes* non vocat simpliciter πάνθηρα, sed πανθήρειον ὑποκοριστικῶς, ist est, *parvum pantherem*. Interim vel inde constat pantherem cum pardali idem esse animal: cùm πανθήρειον, vel λυκοπάνθηρ thos ideò nominetur, quod ex lupo & pardali procreari credatur, & ad illum facie, ad hanc pelle accedat, ut disertè habet *Oppianus*. Hæc fortasse pluribus in *Gesnerum*, *Bodinum*, *Ritterhusium*, *Allatium*, & viros alios impensè doctos, quibus πάνθηρ nihil quidquam est, quàm animalculum à panthera toto genere diversum.

Leopardi vox composita significat animal ex pardo & leæna natum. *Plinius* in *Africa* nasci scribit, & à vulgari leone in eo differre, quod jubâ semper caret. *Leoni*, inquit, *præcipua generositas tunc, cum colla armosque vestiunt jubæ. Id enim ætate contingit ex leone conceptis. Quos verò pardi generavêre, semper insigni hoc carent.* Et paulò post, Africa *hæc maximè spectat, inopiâ aquarum ad paucos amnes congregantibus se feris.* Meminit & *Solinus* ubi de pardis, *Quorum adulterinis*, ut ait, *coitibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, sed ignobiles.* Et *Claudianus Panegyr.* in *Manlii Theodori* Consulatum,

Obvia fulminei properent ad vulnera pardi,
Semine permixto geniti, cùm forte leænæ
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.
Hi maculis patres referunt, & robore matres.

Si *Isidoro* credimus, *Plinius* dicit *leonem cum parda, ut pardum cum leæna concumbere, & ex utroque coitu degeneres partus creari.* Sed pardam pro panthera, aut cum panthera coire leonem nemo dixit ante *Isidorum*, qui hoc *Plinio* perperam imputat. Quin ex *Plinio* discere est adulterinum hunc coitum leoni tam esse odiosum, ut inultum non sinat. *Odore*, inquit, *pardi coitum sentit in adultera leo, totâque vi consurgit in pœnam. Idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur.* Quibus concinit *Philostratus* in *Apollonio* libri secundi capite septimo, ubi postquam leænarum cum pardis coitum descripsit, στικτὰ inquit τίκτουσιν· ὅθεν κρύπτουσιν αὐτά, καὶ θηλάζουσιν ἐν σκολιαῖς λόχμαις, πλασάμεναι ἀφημερεύειν πρὸς θήραν· εἰ γὰρ φωράσειαν ταῦτα οἱ λέοντες, διασπῶνται τοὺς σκύμνους, καὶ ζαίνουσι τὴν σπορὰν ὡς νόθον, *pariunt maculosos* (catulos:) *proptereà illos in densis virgultis occultatos nutriunt, simulantes se venationis causâ abscedere. Nam, si leones deprehenderint, catulos dilacerant, & ut sobolem spuriam cadunt.* Hæc veteres de leænarum cum pardo concubitu, unde novum monstrum editur. Cui designando conficta videtur leopardi vox. Ad quam interim duo notanda. Primò illam seriùs usurpari cœpisse, nempe *Constantini* ævo. Cum enim totis tribus sæculis post *Christum* natum in *Romanis* Scriptoribus nusquam reperiatur, quarto & exinde passim occurrit.

Spar-

Spartianus in *Antonino Geta* ad *Constantinum Augustum* , *Ursi saeviunt, leones rugiunt, leopardi rictant.* *Lampridius* in *Heliogabalo* etiam ad *Constantinum*, *Habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis.* *Julius Capitolinus* in *Gordiano* tertio ad eundem *Constantinum*. *Fuerunt sub* Gordiano Romæ, *&c. tigres decem, leones mansueti sexaginta, leopardi mansueti triginta.* *Fl. Vopiscus*, his fere æqualis, in *Probo* ad *Celsum* ; *Editi deinde centum leopardi* Libyci, *centum deinde* Syriaci. *Symmachus* libri quarti *Epistolâ* duodecimâ *Stiliconi*, *Cùm* Romanam *caveam leopardorum cursus impleverit.* Et libri septimi *Epistolâ* quinquagesimâ nonâ *Decio*, *sacras mihi literas* Julius *agens in rebus exhibuit, leopardorum munificentiam continentes.* *Ambrosius* in *Hexaëmeron* libri sexti capite quarto, *Leopardus capreæ agrestis sanguinem bibit, & vim languoris evitat.* Item, *Quid dicam allio homines delectari, & illud ad escam sumere, quod leopardus fugit?* *Paulinus* in *Ambrosii* vita, *Dimissi leopardi saltu celeri ad eundem locum, in quo sederant, qui de Ecclesia triumphabant ascendentes, graviter laniatos reliquerunt.* Proinde *Ignatii ad Romanos* Epistolam, quam circumferunt, eo demùm sæculo fuisse scriptam, vel ex hoc argumento colligas, quod leopardorum disertè meminit. Ibi enim vir sanctus inducitur sic loquens, Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ, &c. ἐνδεδεμένος δέκα λεοπάρδοις. *A Syria usque Romam cum bestiis pugno*, *vinctus cum decem leopardis.* Neque id vocabulum puto apud *Græcum* Scriptorem usquam alibi extare. Vox enim est merè *Latina*, pro qua *Græcè* dicatur λεοντοπάνθηρ, vel λεοντοπάρδαλις, quanquam neutrum legerim. Secundo, quamvis *leopardi* vox præcisè sumpta animal significet ex leæna & pardo natum, tamen καταχρηστικῶς pro pardo jam olim usurpata est: ut in his *Fl. Vopisci*, *editi deinde centum leopardi* Libyci, *centum deinde* Syriaci. Nam in *Syria* leopardi ex mixto semine nulli sunt, sed solum in *Africa.* Nec in ipsa *Africa* tam numerosi occurrunt, ut *Romæ* potuerint edi per centurias. Neque aliud voluit *Symmachus*, cùm *Romanam caveam* scripsit *leopardorum cursus implevisse.* Itaque in his *Lampridii* in *Heliogabali* vita, *Ebrios amicos plerumque claudebat, & subito nocte leones, & leopardos, & ursos exarmatos immittebat, ità ut expergefacti in cubiculo eodem leones, ursos, pardos, cum luce, vel, quod est gravius, nocte invenirent*, vocantur *pardi*, qui paulò antè *leopardi.* Ità in *Hieronymo* passim *leopardos* pro *pardis* usurpari manifestum est: ut libro primo in *Jovinianum* capite decimo septimo, ubi hæc citat ex *Cantico Solomonis*, *A cubilibus leonum, à montibus leopardorum* : cùm *Hebraica* habeant מהררי נמרים *à montibus pardorum.* Et paulò post sic alludit ad locum *Jeremiæ* de pardo, *Fuge leopardorum montes, qui non possunt mutare varietatem suam.* Hinc in veteri *Glossario Latino-Græco*, in capite *De bestiis*, *leopardus* est πάρδαλις. Quæ κατάχρησις nostris sæculis ità invaluit, ut plebs hodie *leopardi* nomine nihil quàm *pardum* intelligat. Sùnt, qui *Hebræos* jam olim putant leopardorum meminisse; quia in *Bereschith Rabba* legunt ferè in fine Sectionis 77. היה לו כלב אגרין ואריה נמירין *Fuit illi canis agrestis, & leo παρδαλωτὸς*, id est, *pardi maculis insignis.* Quod animal quid aliud sit, quàm leopardus? Sed hæc lectio, quamvis recepta, & confirmata in *Jalkut* Sectione וישלח & in *Aruch*, Radice אגר, tamen falsa est; & legendum אריה אימרין, λέων ἥμερος, *leo cicur*, qui agresti cani opponitur; cum naturâ suâ canis sit cicur, leo ferus. Itaque in eodem *Aruch* sic legitur in voce אימרין. Ibi vide doctissimum *Buxtorfium Lexici Talmudici* pag. 126.

CAPUT NONUM.

De Ursis.

Urso Hebræum *nomen à pilis, quia est animal hirsutissimum.* Septentrio *cur* Æthiopicè ድብ: dabub, *&* Ursa cœlestis δαβουλὰ Chald. *in* Hesychio. *Ursi ovibus quàm infesti.* *Ursi rostrum, & amplexus, quàm terribiles.* *Ursi pedes anteriores manuum instar.* *Ursus ferus, tristis, obscuro vultu, & quasi obcæcato.* *Cur idem* Græcè κνωπεύς. *Loci de urso* Eccles. 25. v. 24. *Varia lectio, utra præferenda.* *Ursorum est* βρυχᾶσθαι, sævire, uncare, gemere, Hebraice המה, Chaldaicè חטף. *Ursus, &* ἄρκτος *unde dicti.* Ἄρκτος quasi ἀργὸς, *quia pigrum animal.* Amos 5. v. 19. Leonem fugiens in ursum incidit. *Proverbium ex historia natum.* *Ejus Allegorica expositiones.* *Ursus insidiosus.* *Nunquam ei fidendum.* *Infinitivus* Hebraicè *pro Optativo.* *Ursâ orbatâ nihil ferocius.* *Idem de tigri.* *Ursa cur catulos amet ardentiùs.* *Origo fabulæ de ursa partus informi.* *Ursa mare fortior, & ferocior.* *Cum catulos habet valde irritabilis, iis ademptis implacabilis.* Prov. 28. v. 13. דב שוקק ursus esuriens. *Aliæ versiones refelluntur.* *Lucta tauri cum ursa frequens.* *At* Es. 11. v. 7. bos & ursa simul pascuntur. *Monarchia* Persarum *quomodo urso similis* Dan. 7. *Ursus quam vorax.* Persæ *comati.* *Ursi monticola.* Persarum *immanitas.* *Ursi quàm lascivi.* *Coram ursis projici viatores, ut evadant.* *Bestia quarta* Dan. 7. *cur habeat ursi pedes.* *Ursi gressus tardus, sed firmus: ità* Romani *imperii progressus.* *De quadraginta duobus pueris* Bethele *ab ursis dilaniatis.* Bethelitæ *cur* Elisæo *infensi.* *De hujus calvitie nugæ* Hebræorum. Bethel *à* Jordane *quantum distet.* *Calvitium cavillis quàm obnoxium.* *Coma insigne ornamentum.* Propheta *non immisit ursos, ut privatam injuriam ulcisceretur.* *Sylva prope* Bethelem. *Historia Allegorica expositiones.*

URsum *Hebræi, Chaldæi, Syri, Arabes, Æthiopes* דב, *dob*, vel *dub* vocant. Radix דבב Hebraice *loqui*, vel *obloqui*, Arabice *repere* significat, quæ parum videntur ad rem. Sed & *Arabice* دبب *dabiba* est *pilosam habere faciem* : unde دب *dabbon*, vel دبب *dababon*, *facies pili & villi*; & ادب *adabbo* est *facie pilosus*, aut in genere *villosus*, & *hispidus*, ut ازب *azabbo.* Quod in omnibus feris ursorum est maximè proprium. Hinc *Philosophus*, *De partibus animalium* libri secundi capite decimo quarto, Ὅσοις δὲ τὸ σῶμα δασύλλιαν πεποίηκεν (ἡ φύσις) τούτοις ἐνδεῶς ἔχει τὰ περὶ τὴν κέρκον. διὸ ὅπερ τῶν ἄρκτων συμβέβηκεν. *Quibus natura corpus fecit valde pilosum, illis parum est caudæ; ut in ursis contigit.* Et *Plinius* libri undecimi capite quinquagesimo, *Cauda parva villosis, ut ursis*. Et *Oppianus* libri tertii *Cynegeticῶν*, versu 141.

Λάχνην μὲν πυκινὴν δυσπαίπαλον ἀμφιέσαντο,

Villo quidem denso & aspero ursi vestiti sunt. Et v. 170.

Ναὶ μὴν χειμερίην πανυπείροχα δείδιεν ὁρμὴν,
Καὶ λασίη περ ἐοῦσα, —

Sanè hybernum impetum (ursa) *maximè timet, quantumvis sit hirsuta.* Neque aliter *Poetæ* vetustiores. *Homerus Hymnicus* de *Baccho* inter *Tyrrhenos* latrones,

Ἄρκτον ἐποίησεν λασιαύχενα. — —

Ursum fecit hirsuta cervice. *Orpheus*, seu *Onomacritus* veriùs, de *Ancæo Arcade Argonauticῶν* versu 199.

Ἀλλ' ἄρκτου λάσιον στέρνοις ἀμπίσχετο δέρμα,

Sed hirsutâ ursi pelle pectus induit. Ovidius *Metamorphoseos* lib. 2. Fab. 5. de *Callisto* in ursam mutatâ,

Brachia ceperunt nigris horrescere villis.

Et libri tertii Fabulâ quartâ de *Aphyana Centauro*,

Fusus in Ossaa villosis pellibus ursa.

Et lib. 13. Fab. 8. *Cyclops Galatea* offerendos invenit,

Villosa catulos summis in montibus ursa.

Seneca in Oedipo,

Nulla villosis feritas in ursis.

Statius libro sexto *Thebaidos*,

——— *sic hispida turpes*
Pralia villosis ineunt complexibus ursi.

Veterum *Poetarum Catalecta*,

O non candidior puella Mauro!
Ursis asperior, pilosiorque,

Ursum igitur verisimile est *Orientales* à villorum hirsutie, דוב *dob*, appellâsse. Sic in *Etymologo*, Δασύλλις ἄρκτος *Dasyllis, ursus*; quia δασὺ, id est, *hirsutum* est animal. Nec desunt, qui eodem referant *Germanicum ursi* nomen Beer/ vel Baer / & *Anglicum* Bear; quia in *Phavorino* βεῤῥὸν est δασύ. Nota obiter *Æthiopes* à Nomine ድብ፡ *dob*, id est, ab ursa cœlesti, quam in extremo Horizonte vident, *Septentrionem* appellare ደብብ፡ *dabub*. Exempla vide in Paraphrasi *Æthiopica Cant.* 4. v. 16. & *Luc.* 13. v. 29. & *Liturgia* fol. 175. d. Unde ደብብዋይ፡ *dabubawian*, Ἀρκτικὸς, seu *Septentrionalis*. Apoc. 21. v. 13. Est & *Astronomicum* vocabulum δαβυλη in his *Hesychii*, Δαβυλὴ, ἄρκτος, Χαλδαῖοι, sed corruptum. *Chaldaus* enim דוב עלאה *dob ilaa*, vel דוב עלי *doc illas*, est *ursa superior*, id est, *cœlestis*. Quomodo cœlestes aquas vocant מיא עלאי *aquas superiores Jonathan*, & *Jerosolymitanus* Interpres Gen. 1 v. 6. Et cœlum ipsum *David* עליון *Ps.* 104. v. 13.

Ursi prima mentio in his *Davidis* ad *Saulem*. 1. *Sam.* 17. v. 34. *Cum pascebat servus tuus pecora patris sui, & veniebat leo, aut ursus, & auferebat ovem è grege; egrediebar in eum, & percutiebam, & ovem ex ore ejus eruebam: & in me insurgentem, maxillâ arreptum, percutiebam, & necabam. Et tam leonem quam ursum percutiebat servus tuus*, &c. Quæ jam (a) explicavimus in Tractatu *De leonibus*. Tantum hic observa tam ursos quam leones ovibus esse infestos. Ità enim *David*, *Cum veniebat leo, aut ursus, & auferebat ovem e grege.* Quod fit noctu maximè, quandoque sub Auroræ tempus: unde *Valerius Flaccus* libro secundo *Argonauticωn*,

Albet ager, notisque truces ab ovilibus ursi
Tecta domosque petunt. —

(a) Cap. 4. supra. pag. 745. lin. 62. &c.

Quandoque sub vesperam. Proinde *Horatius Epodâ* decimâ sextâ de *Elysiis* campis inter cætera hæc habet,

Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.

Porro *Oppianus* urso tribuit

Καρχαρὸν, ὀλόμενον, ταναὸν στόμα,

asperum, exitiosum, patulum os, ex quo *David* ovem abreptam tanquam ex barathro eruebat. Et in *Davidem* insurgebat ursus, nempe in posteriores pedes, ut eum priorum amplexu suffocaret, & contereret, juxta illud *Statii* nuper citatum,

Pralia villosis ineunt complexibus ursi.

At illum, maxillâ aut mento arreptum, ut à morsu cohiberet, *David* pastorali pedo impetebat, & confodiebat. Atque id quidem periculosum est ursis rostrum attentare, & corripere. Et *Martialis* illud notum est libri sexti *Epigrammate* 64.

— *rabido nec perditus ore*
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

Sed immensum fuit *Davidis* robur, ità ut brachiis suis arcum chalybeum contrivisse legatur *Psalm.* 18. v. 35. Nec dubium est, quin Deus, qui virum illum, sibi unicè charum, ad majora servabat, in his pugnis ei adfuerit peculiari ratione. Quod his verbis ipse asserit versu trigesimo septimo, *Dominus, qui me eruebat de manu leonis, & de manu ursi*, &c. In leone quid sit *manus* jam (b) documus. In urso res multò planior, cujus pedes anteriores manuum formam imitantur. Hinc *Aristoteles* de phoca, *Hist.* lib. 2. cap. 1. Ἔχει τοὺς πόδας ὁμοίους χερσὶν, ὥσπερ καὶ οἱ τῆς ἄρκτου· *Pedes habet manibus similes, quales sunt ursi pedes.* Et *Oppianus*, ursos describens *Cynegeticωn* libri tertii versu 144.

(b) Cap. 4. supra. pag. 734. lin. 4. &c.

Χεῖρας χερσὶ βροτῶν ἴκελαι, ποσὶν ἠδὲ πόδεσσι,

Manus hominum manibus similes, & pedes pedibus. Et ejusdem libri versu 174. de ursa, quæ hyeme in spelunca latens ab esu abstineat,

Καὶ, βρωτῦος χατέουσα, πόδας χεῖράς τε λιχμαίνει,

Et, cibo carens, manus, pedesque lingit. Et libri quarti versu 413. ubi describuntur ursi venatorum retibus impliciti.

——— μάλα γὰρ τότε θυμαίνουσιν
Ἄρκτοι, καὶ γενύεσσι, καὶ ἀργαλέαις παλάμῃσι·

Tunc enim maxime furunt ursi, & maxillis, & asperis manibus. Et paulò infrà.

Ἀλλὰ τότε κρατερός τις ἀνὴρ παλάμην ἐπέδησεν
Ἄρκτου δεξιτερὴν, χήρωσε δὲ πᾶσαν ἐρωήν·

Tum autem robustus aliquis vir, dextrâ ursi manu devinctâ, sedat omnem ejus impetum. *Ovidius* quoque de *Callisto* jam ursa,

Qualescunque manus ad cœlum & sidera tendit.

Neque est, quod quis putet hanc κατάχρησιν Poetis fuisse peculiarem. Idem enim sequutus *Plinius* libri octavi capite trigesimo sexto; *Invalidissimum*, inquit, *urso caput, quod leoni fortissimum. Ideò, urgente vi, pracipitaturi se ex aliquâ rupe, manibus eo operto jaciuntur.* Et *Ælianus* libri sexti capite tertio, *Per totos quadraginta dies sine cibo & alimento manet. Et sufficit illi interim* τὴν αὐτῆς δεξιὰν περιλιχμᾶσθαι, *dextram manum circumlingere.* Ut suprà *Oppianus*,

——— χεῖράς τε λιχμαίνει.

Et *Plutarchus*, *De causis naturalibus* Quæstione 22. Διά τι τὴν ἄρκτον φασὶ τὴν χεῖρα γλυκυτάτην ἔχειν, σάρκα δὲ φαγεῖν ἡδίστην; *cur ursi manum dulcissimam, & carnem illius esus gratissimam esse perhibent?* Et paulò post, Ποσὶ τοῖς ἐμπροσθίοις βαδίζουσα χρῆται, καὶ τρέχουσα, καὶ ὡς χερσὶν ἀντιλαμβανομένη. *Pedibus anterioribus in incessu, & cursu utitur, & iisdem tanquam manibus apprehendit.* Et Quæstione 28. Μάλλον ἰσχύουσα ταῖς χερσὶ, ῥήγνυσι, καὶ διασπᾷ τὸν βρόχον. *Cùm manibus maximè valeat, sic laqueum discerpit, & disrumpit.* Item, καὶ ταῖς χερσὶν ἅμα χρῆται, καὶ τῷ στόματι· *Et manibus, & ore simul utitur.* Neque aliter loquuntur *Arabes*. Ut *Alkazuinius* in descriptione pugnæ ursi cum tauro,

فاذا انطحه البقر استلقي
وياخذ بيديه قرنيه ويعضه عضا
شديدا *Et cùm à tauro cornu petitur, supinum se sternit, & manibus cornua ejus arripiens mordet eum morsu valido.* Et *Assariph* apud *Abenbitarem*,

دب هو حيوان معروف شبيه
الخنزير في فرطسه وخلقته الا ان
يديه ورجليه كيدي الانسان
ورجليه *Ursus est animal notum, rostro & formâ porco simile, nisi quod manus habet, & pedes instar manuum, & pedum hominis.* Et *Damir*, واذا جاع
يمص يديه ورجليه ويندفع
عنه بذلك الجوع *Et cùm esurit, exsugit manus suas, & pedes suos, & hâc arte famem à se repellit.* Item والانثي اذا انهزمت دفعت
جراها

جراها بين يديها *Et fœmina, cum fugit, manibus catulum suum propellit.*

Plutarchus in libro *De amore erga liberos* ursum dicit esse ἀγριώτατον, καὶ σκυθρωπότατον θηρίον, *animal maximè ferum, & tetricum.* Unde est, quod ursos *Poetæ tristes* vocitant. Et in *Statio* libro secundo *Achilleidos* legitur *Achilles*

—— *tristes turbare cubilibus ursos.*

Et iisdem tribuit *Oppianus Cynegeticῶν* libro tertio;

Μορφὴν οὐκ ἀγανὴν παναμειδήτοισι προσώποις,

id est, ad verbum, *Formam minimè blandam faciebus à risu prorsus alienis.* Quo respiciens *Sirachides Eccles.* 25. (al. 24. 23.) Πονηρία, inquit, γυναικὸς ἀλλοιοῖ τὴν ὅρασιν αὐτῆς, καὶ σκοτοῖ τὸ πρόσωπον αὐτῆς ὡς ἄρκτος. *Nequitia mulieris immutat aspectum ejus, & obtenebrat vultum ejus ut ursus.* Nam ut hilaritas vultui videtur lucem addere, contrà ira & morositas illum obscurat, & obnubilat, ut jam (c) in capite *De leone* docuimus. Vulgatus, *Obcæcabit vultum suum tanquam ursus*

(c) Cap. 11 suprà pag. 728. lin. 5. &c.

Quod ad ursos referunt, de quibus *Plinius* libri octavi capite trigesimo sexto, *Oculi eorum hebetantur crebro, quâ maximè causâ favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os levet sanguine gravedinem illam*, quâ scilicet oculi hebetantur. *Solinus* idipsum imputat lucis desuetudini, cum in spelunca diu latuerint. *Enixæ*, inquit, *ursæ quaternis latent mensibus. Mox egressæ in diem liberum tantam patiuntur insolentiam lucis, ut putes obsitas cæcitate.* Quo pertinere puto quod *ursus* vocatur *Græcè* κνωπεὺς, κνυπεὺς, & κνῶπις· nam κνὼψ est *cæcus.* *Hesychius*, Κνωπεὺς, ἄρκτος, ἢ οἱ κνωπεῖς. Idem, Κνῶπις, ἄρκτος, Μακέδονες. *Suidas*, Κνώψ, τυφλός. Tamen prior interpretatio videtur præferenda; quia in *Græco* textu *Sirachidis* non legitur τυφλοῖ, *obcæcat*; sed σκοτοῖ, *obtenebrat, obscurat.* *Syrus* reddit ܢܟܡܐ & *Arabs* يسود *denigrat.* Sed iidem, pro ὡς ἄρκτος, vel ὡς ἄρκος, *ut ursus*, legerunt ὡς σάκκος, *ut saccus*, vel ὡς σάκκον, *ut saccum*, quomodo habent multæ editiones. Et *Vulgata* versio ex utraque lectione sic conflata est, *obcæcabit vultum suum tanquam ursus & tanquam saccum ostendit.* Quasi mulier nequam vultum obtenebrare & denigrare dicatur instar sacci cilicini, qualis solet in luctu geri. Unde *Apocal.* 6. v. 12. Καὶ ὁ ἥλιος μέλας ἐγένετο ὡς σάκκος τρίχινος, *Et Sol niger factus est, ut saccus cilicinus.* Atque id quidem ferri potest. Videtur tamen convenire magis, ut morosi vultus nubila conferantur cum ursorum παναμειδήτοισι προσώποις. Itaque in optimis editionibus, quales *Complutensis, Antverpiensis, Camerarii, Stephani, Parisiensis* nupera, legitur, ὡς ἄρκτος, vel ὡς ἄρκος, unde factum ὡς σάκκος, adscito *Sigma* ex præcedenti voculâ ὡς.

Ut Leones, pardos, pantheras, ità etiam ursos, βρυχᾶσθαι *rugire* dicit *Pollux.* Proinde σμερδαλέον βρύχημα *terribilis rugitus* urso tribuitur ab *Oppiano.* Quod sequutus *Hieronymus* ità habet *Es.* 59. v. 11. *Rugiemus quasi ursi omnes.* Alii recentiores, *fremuimus, clamavimus, vociferati sumus. Latinum* esset *sævimus. Sævire* enim ursorum proprium. *Virgilius* libro septimo *Æneidos*,

—— *atque in præsepibus ursi*
Sævire, & forma magnorum ululare luporum.

Spartianus in *Antonino Geta, Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, ursi sæviunt.* Aliis *uncare* idipsum est; quia in auctore Poematii de *Philomela* legerunt,

Dum lynces orcando fremunt, ursus ferus uncat.

Sed ea vox, ut plures aliæ in eodem Poematio, mihi est valde suspecta, quia ὀγκᾶσθαι *uncare* asinorum est. Proinde sequitur non multò post,

Quiritat verres, tardus rudit, uncat asellus.

Sævire de urso *Hebraicum* est המה. Ità enim *Esaias* ubi suprà, נהמה כדבים כלנו *Sæviimus ut ursi nos omnes.* Sed vox non est urso propria. Nam & de canis ululatu dicitur *Ps.* 59. v. 7. 15. יהמו ככלב Et de gemitu columbarum, *Ezech.* 7. v. 16. כיוני הגאיות כלם הומות. Et de tumultu viscerum *Jerem.* 31. v. 20. Et de maris fremitu pluscculis locis. Ita ut videatur esse vox ad omnem strepitum generalis. Hic habent *Græci* interpretes, Στενάξουσιν ὡς ἄρκος *Gement ut ursus.* Non malè, si personam non mutâssent. Videtur enim ursorum vox habere aliquid gemebundum. Unde *Horatius* suprà jam citatus.

Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.

Et *Ovidius* de *Callisto* in ursam mutata,

Assiduoque suos gemitu testata dolores.

Et *Fastorum* libro secundo de eadem,

Et gemuit, gemitus verba parentis erant.

Itaque *Sævimus ut ursi nos omnes*, id est, gemitu nostro sævientes ursos referimus. Proinde sequitur, *Et ut columbæ gemendo gemimus.*

Est & alter Scripturæ locus, quem ad ursi βρύχημα multi referunt, nempe *Proverb.* 28. v. 15. ארי נוהם ודב שוקק מושל רשע על עם דל qui sic reddendus ex mente *Selomonis, Leo rugiens, & ursus βρυχώμενος, sæviens est dominator improbus in populum tenuem.* Sed ibi דוב שוקק aliud esse infra dicetur. Hic igitur solum addimus rem à *Lexicographis* nondum observatam, quod quidem sciam, nempe id ipsum significari Verbo חטף, quod alioqui *rapere* est. Ità usurpatur in secundo *Thargum Esther* capitis primi versu secundo, תורין געין אריותא נהמין דובין חטפין אימרין פעין נמרין בעין, id est, *Boves mugiebant, leones rugiebant, ursi sæviebant, agni balabant, pardi rictabant.*

Ut *bos Græcè* βοῦς à boatu, sive mugitu, dictus est: ità *ursum* à voce sua *Lucani* appellârunt, fortasse etiam *Romani.* Id sibi volunt hæc *Varronis*, quæ immerito *Gesnerus* ut mendosa rejicit: *Ursi* Lucana *origo, vel, unde illi, nostri ab ipsius voce.* Quod mihi fit verisimilius quam *ursum* dici quasi *orsum*, aut *ab urgendo.* Nec magis arridet recentium *Græcorum* conjectura, ἄρκτον dici παρὰ τὸ ἀρκεῖν, vel, quod idem est, ἐπαρκεῖν, quia est ἐπαρκοῦν ἑαυτῷ ζῶον, *animal sibimet sufficiens*, cum hyeme diu vivat ἐκτὸς ἐπεισάκτου τροφῆς, *absque externo alimento.* Quin ἄρκος dici videtur quasi ἀργὸς, id est, *piger.* Pigerrimum enim esse animal docet φωλείας tempus, quo ursa per plures menses præ nimia pinguedine βαρεῖα, καὶ ναρκώδης, καὶ δυσκίνητος οὖσα, manet in antro prorsus immota, donec emaciata pristinas vires recuperet. Rem referunt *Aristoteles, Theophrastus, Plinius, Solinus, Plutarchus, Ælianus, Tzetzes* in *Hesiodum*, atque alii magno numero. Unde est, quod qui in *Hexaëmeron* scripserunt, *Basilius* Homilia nona, & *Eustathius* paginâ 35. ursæ descriptionem sic ordiuntur: Νωθρὰ ἡ φύσις τῆς ἄρκου, *Pigra est ursæ natura.* Ut merito dicatur ἀργός, vel ἄρκος, κ & γ permutatis: quæ literæ sunt propè ejusdem soni & tam facile permutabiles, ut in *Alphabetho* C *Latinum* occupaverit locum τοῦ γάμμα. Unde *Ausonius*,

—— *Gamma vice functa prius C.*

Periculum ab urso non multò minus quàm à leone imminere his verbis insinuat *Amos* capitis quinti versu decimo nono, *Quomodo si quis fugiat leonem, & occurrat ei ursus.* Quæ videtur esse Proverbialis locutio, vel ex aliquo eventu singulari nata, vel ex eo quod sæpe accidit; quale est vulgatum illud.

Incidit in Scyllam *cupiens vitare* Charybdim.

Et verò huc referri possunt *Arabum* historiolæ, aut fabellæ verius, quas hic proferre non pigebit. *Alkazuinius* in libro *Mirabilium* اسد قصد انسانا فهرب والتجا الي شجرة فاذا على بعض اغصانها دب يقطف ثمرها فجا الاسد

الاسد وافترس تحتها ينظر نزول الانسان لياكله فنظر الي الدب فاذا هو يشير باصبعه الي فيه يعني اسكت لئلا يعرف الاسد اني ههنا فبقي متحير بين الاسد والدب وكان معه سكين صغير فاخرجه وقطع به بعض الغصن الذي عليه الدب حتي لم يبق منه الا اليسير فانكسر الغصن بسبب ثقل الدب عليه وسقط الدب الي الارض فوثب الاسد عليه وتصارعا زمانا ثم الاسد غلبه وافترسه ورجع عن الانسان فنزل الانسان من الشجر وذهب سالما

Leo contendit ad quendam hominem. Is, fugâ sibi consulens, confugit ad arborem, cujus ramis ursus insidens fructus ejus decerpebat. Quo se conferens leo sub arbore decubuit, certus expectare hominis descensum, ut eum devoraret. Homo interim, viso urso, digito ad os admoto, ipsi innuit, quasi dixisset, Tace, ne leo me hic esse sciat. Et inter leonem & ursum remansit valde attonitus. Donec educto gladiolo, quem secum habebat, ramum, cui innitebatur ursus, ità secuit, ut nonnisi parum superesset. Atque, ursi pondere confracto ramo, is in terram decidit. Et cùm in illum insiliisset leo, aliquamdiu colluctati sunt, donec leo victor ursum discerpsit, & dimisit hominem, qui ex arbore descendens abiit incolumis. En ejusdem farinæ fabellam alteram ex libro, cui titulus, الاذكيا *Solertes*, cujus auctor *Ibnolgiauzi*.

هرب رجل من الاسد فوقع في بير ووقع الاسد خلفه فاذا في البير دب فقال له الاسد منذ كم انت ههنا قال منذ ايام وقد قتلني الجوع فقال له الاسد انا وانت ناكل هذا الانسان وقد شبعنا فقال له الدب فان عاودنا الجوع فما نصنع وانما الراي ان نحلف له انا وانت لا نوذيه ويتحيل في خلاصنا وخلاصه فانه علي الحيلة اقدر منا فحلفا له فتشبث حتي وجد ثقبا فوصل اليه ثم الي الفضا فتخلص وخلصهما

Vir quidam, à leone fugiens, in puteum incidit, in quem etiam post eum decidit leo. In eodem puteo erat etiam ursus, cui dixit leo, Quamdiu hic fuisti? Respondit ursus, Per aliquot dies, itaque fames me enecat. Regessit leo, Ego & tu comedamus hunc hominem, ut satiemur. Respondit ursus, At, cùm fames iterùm urgebit, quid faciemus? Itaque in ea sententia sum, ut illi uterque juremus nos eum intactum relicturos, ut cogitet de liberatione nostra, & sua: is enim ingenio nobis præpollet. Quod cùm illi jurâssent, non destitit is, donec foramen reperisset, per quod in locum spatiosum devenit, atque ità liberatus etiam eos liberavit. Has fabellas ideò protulimus in re seria, cum quia habent suos lepores, tum quia docent etiam apud *Arabes* id haberi tralatitium, ut quis leonem fugiens in ursum incidat. *Rabbi Eliezer* capite trigesimo septimo id refert ad *Jacobum*, qui postquam *Labanem* effugisset, incidit in *Esavum*. *Hic leo*, inquit, *fuit* Laban, *qui* Jacobum *insequutus est, ut eriperet animam ejus. Ursus autem fuit* Esau, *qui stetit in via instar ursi, ut interimeret omnem advenientem, matrem cum filiis. Leo habet verecundam faciem, ursus verò non*, &c. *Hieronymus* in hunc locum de *Chaldæis & Medis* ità exponit, *Fugientibus à facie* Nabuchodonozor *leonis occurret* Assuerus *ursus, sub quo* Esther *narratur historia. Sive, destructo* Assyriorum *&* Chaldæorum *imperio*, Medi Persæque *consurgent*. Sed *Kimchius* simplicius, תצאו מצרה׃ אל־צרה *Ab una angustia in aliam devenietis*. Et *Aben Ezra*, אם ימלט מרעה אחת לא ימלט מרעה אחרת כאשר ינוס כי הרה על הרה תבוא *Si malum unum evadat, non evadet aliud, cùm fugerit; quia calamitas calamitati superincidet.* Tale illud *Apoc. 9. v. 12.* Ἡ Οὐαὶ ἡ μία ἀπῆλθεν, ἰδοὺ ἔρχονται ἔτι δύο Οὐαὶ μετὰ ταῦτα. Et *Apoc. 11. v. 14.* Ἡ Οὐαὶ ἡ δευτέρα ἀπῆλθεν, ἰδοὺ ἡ Οὐαὶ ἡ τρίτη ἔρχεται ταχύ. Et *Es. 24. v. 18. Et erit, ut fugiens ab auditu pavoris incidat in foveam, & qui ascendet è medio foveæ capiatur laqueo.* Vide & *Jerem. 48 v. 44.*

In urso duo timentur, versutia, & ferocitas. Versutiam illi tribuo, quia insidiosum, & fraudulentum est animal, quodque, in speciem cicuratum, & mansuefactum, ad ingenium suum subinde redit, & incautos homines aggreditur, adeòque necat. Hinc *Jeremias* Thren. 3. v. 10. דב אורב הוא לי *Ursus insidians est mihi.* Et *Ambrosius* in *Hexaëmeron* libri sexti capite quarto, *Ursa insidians licet, ut Scriptura ait, est enim plena fraudis fera.* Et *Basilius* ubi suprà, Νωθρὰ ἡ φύσις τῆς ἄρκτου, ἰδιότροπον, καὶ τὸ ἦθος ὕπουλον, βαθὺ ἐνδεδυκός. Quæ non malè sic reddit *Jo. Argyropylus*, *Pigerrima est ursæ natura, solitaria, ingenii latentis, ac dolosi, profundeque tecti.* *Plinius* quoque libri octavi capite trigesimo sexto, *Nec alteri animalium in maleficio stultitia solertior.* Hinc *Oppianus* ursos appellat

——— γένος αἰολόβουλον,

genus versutum, & iis tribuit

——— δολερὸν κέαρ αἰόλον ἦτορ,

cor subdolum, versutum pectus. *Adamantius* quoque in *Physiognomonicis* δολίαν *dolosam* describit. Quo pertinet *Arabicum* قارة *kara* (unum è variis nominibus, quibus *ursam* indigetant *Arabes*.) Fit enim

enim à Verbo قار quod significat *ex occulto captare, & invadere prædam.* Vide Cl. *Golii Lexicon.* pag. 1979. *Martialis* etiam libri sexti *Epigrammate* 64. docet non fidendum esse urso.

Sis placidus licet, & lambas digitosque manusque. Et Gesnerus, *Capti aliquando mansuescunt,* &c. *sed facile concitantur, & commoti sæviunt, ac perimunt homines.* Et paulò post, *Insidiosam certè & malignam hujus bestiæ naturam ipse expertus sum aliquando. Bernæ* scilicet, ubi ursus, manu per caveæ clathros injectâ, *Gesneri* manum penè corripuit. Quomodo alius ibidem viri juxta clathros stantis brachium à thorace per vim extraxerat.

Ferocia quoque ursi maxima est, sed in orbitate inprimis, & in fame. *Hieronymus* in *Oseam* lib. 3. cap. 13. *Ajunt, qui de bestiarum scripsère naturis, inter omnes feras nihil esse ursâ sævius, cùm perdiderit catulos, vel indiguerit cibo.* Constat utrumque ex Scriptura. Et prius quidem illud, ursam catulis orbatam esse ferocissimam, in tribus legitur locis. Primus est 2. *Sam.* 17. *v.* 8. ubi *Chusai Absalomo* dixit, *Nôsti patrem tuum, & viros ejus, quod fortes sunt, & amari animo* (id est, *exacerbati*) כדוב שכול בשדה *ut ursa orbata in agro.* Græci ὥσπερ ἄρκτος ἠτεκνωμένη ἐν τῷ πεδίῳ, & Vulgata, *veluti si ursa raptis catulis in deserto sæviat.* Ad quæ verba *Kimchius,* כדוב שכול שהוא מר נפש כשהרגו לו גורותיו והוא נלחם עם אדם אשר ימצא בחזקה ובמרירות לב *Ut ursa orbata, quæ amaro est animo, cùm ipsi occiderunt catulos suos, & quemcunque hominem invenerit, oppugnat cum robore, & animi amaritudine.* Secundus *Prov.* 17. *v.* 12. *Occurrere ursa orbata virum, & non stulto in stultitia sua.* *Occurrere virum,* id est, *Occurrat vir:* ut *Prov.* 12. *v.* 7. *Subvertere* (Deum) *impios, & non sunt,* id est, *Subvertat Deus.* Et *Prov.* 15. *v.* 22. *Dissolvere* (Deum) *cogitationes absque consilio,* id est, *Dissolvat Deus.* Sensus igitur est, ursâ orbatâ nihil videri atrocius, tamen viro satius esse, ut ursæ orbatæ occurrat, quàm stulto in stultitia suâ. Rectè *Theodotion,* Συναντῆσαι ἄρκτῳ ἠτεκνωμένῃ ἀνδρί· & Vulgatus, *Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus.* Reliqui Interpretes, *Græci, Chaldeus, Syrus,* & *Arabs* abeunt in diversissima. Tertius locus est *Os.* 13. *v.* 8. *Occurram eis ut ursa orbata, & dilacerabo præcordia eorum.* Ubi *Hieronymus, Occurram eis quasi ursa raptis catulis.* Quæ vera est interpretatio. Falluntur enim *R. Levi* in *Samuelem,* & *R. Selomo* in *Proverbia,* & *Oseam;* quibus דוב שכול non est *ursa orbata,* sed *ursa orbans,* seu *orbos faciens;* cum & forma Nominis huic interpretationi repugnet, & Scripturæ perpetuus usus. Sic de ovibus dicitur *Cant.* 4. *v.* 2. & 6. *v.* 5. *Quæ sunt omnes gemellipara* ושכולה אין בהם *& orba non est in iis.* Et *Jerem.* 18. *v.* 21. ותהינה נשיהם שכלות ואלמנות *Et sint uxores eorum orbatæ & viduæ.* Neque enim potest aliter reddi. Itaque pari ratione דוב שכול est *ursa orba* Et sensus quoque est multò aptior, quia si dicas *ursam orbantem,* vel *orbos facientem,* hoc Epithetum non erit διακριτικόν quia omni urso convenit, ut orbos faciat, cum occasio se offert. Sed paucis id contingit, ut orbentur raptis catulis. Neque verò dubium est, quin tum sint ferociores, quomodo & aliæ feræ. Quod de tigri *Poetæ* passim ingeminant. *Seneca* in *Medea,*

Ut tigris orba gnatis
Cursu furente lustrat.
Gangeticum *nemus,* &c.

Martialis libri tertii *Epigrammate* 44.

Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
Non sic scorpius improbus timetur.

Statius Epicedio in *Glauciam Melioris* libro secundo *Sylvarum,*

——— *citius me tigris abactis*
Fœtibus, orbatique velint audire leones.

Et libro quarto *Thebaidos,*

——— *raptis velut aspera natis*
Prædatoris equi sequitur vestigia tigris.

Et libro decimo,

——— *sic asperat tigris*
Fœtibus abreptis Scythico *deserta sub antro.*

Claudianus libro tertio *De raptu,*

Arduus Hyrcanâ *quatitur sic matre* Niphates,
Cujus Achemænio *Regi ludibria natos*
Avexit tremebundus eques: furit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Dispergit maculis.

Quin contendit *Kimchius* causam esse peculiarem, cur ursa catulos diligat ardentiùs, & aliis feris sit ferocior iis amissis: quam ità effert in *Os.* 13. *v.* 8. ובמדרש הדב שכול ולא אמר אריה או נמר שכול אומרים כי הדוב כשתלד תלד כמו חתיכת בשר כי הולד מכוסה כולו בהולדו בשליא עבה מאד והדוב מלחכת השליא ומחתכת מעט מעט כדי שלא תזיק לולד והיא יגעה בזה מאד עד שתעביר כל הבשר ויצא הולד ולפי שטרחה הרבה בו היא מרת נפש יותר כשהורגים אותו *Prophetam ajunt ideò ursæ potiùs quàm leænæ, aut pantheræ orbatæ meminisse; quia quod ursa partu emittit est tanquam frustum carnis; cùm fœtus in densa valde secundina totus lateat. Et secundinam illam ursa delingit, & paulatim abscindit, ne fœtui noceat. In quo cùm plurimùm fatigetur, donec totam illam carnem eximat, atque ex ea fœtus prodeat, propter laborem in eo insumptum, dolet acerbiùs, cùm catuli illi occiduntur.* Quod accedit vero propius, quam quod fabulantur plerique veteres: in his (d) *Aristoteles,* (e) *Horus, Virgilius* apud (f) *Gellium,* (g) *Ovidius,* (h) *Petronius,* (i) *Plinius,* (k) *Plutarchus,* (l) *Pollux,* (m) *Ælianus,* (n) *Solinus,* (o) *Oppianus,* (p) *Galenus,* (q) *Clemens,* (r) *Ambrosius,* (s) *Isidorus,* (t) *Phile,* (u) *Damir,* ursas parere massam informem, quæ lambendo paulatim formetur, & figuretur. Quam sententiam viri doctissimi (x) *Scaliger,* (y) *Camerarius,* (z) *Andreas Laurentius,* (a) *Matthiolus,* (b) *Dalechampius,* (c) *Vossius* partim indè ortum habuisse volunt, quod crassæ admodum sint ursarum secundinæ; partim indè, quod fœtus suos accuratè lambant. Id verò est, quod scribit *Kimchius.* Non tamen inde sequitur, ursam erga catulos suos teneriùs affici, cùm reliquis quoque feris id sit insitum, ut fœtus suos lambant, & summo studio delingant. Sed quatuor hic observanda. 1. Ursum esse animal longe ferocissimum, quod nemo nescit. 2. Fœminam in hoc genere ferociorem, & fortiorem esse mare. *Aristoteles Hist.* lib. 9. cap. 1. de panthera, & ursa; Τούτων δ' ἡ θήλεια δοκεῖ εἶναι ἀνδρειοτέρα· *Plinius* lib. 11. cap. 49. *Mares in omni genere fortiores, præterquam in pantheris & ursis.* Hinc *Plutarchus* ubi suprà, Ἡ δὲ ἄρκτος ἀγριώτατον, καὶ σκυθρωπότατον θηρίον, *Ursa autem animal est maximè ferum & tetricum.* Ursa, inquam, non ursus. *Philostratus* itidem *Apollonii* sui lib. 2. cap. 7. Τάς τε ἄρκτους ἐνθυμοῦμαι μάλιστα ὡς ἀγριώταται θηρίων οὖσαι, *Ursas inprimis animadverto, quæ cum sint ferarum ferocissimæ,* &c. 3. Ursæ cum habet catulos plus inesse feritatis. Ità asserit *Philosophus Hist.* lib. 6. cap. 18. Χαλεπαὶ δὲ καὶ αἱ θήλειαι, ἄρκτος ἀπὸ τῶν σκύμνων, ὥσπερ καὶ αἱ κύνες ἀπὸ τῶν σκυλακίων. *Ursæ a catulis suis fiunt asperiores, ut & canes.* Hinc *Ovidius Metamorphoseos* libro decimo tertio Fabulâ octavâ.

——— *fœta truculentior ursâ.*

4. Unde ursam colligere est, raptis catulis aut occisis maximè ferocire, atque immanem in modum. Quod testantur Sacri Scriptores. Et è *Patrum* choro inprimis *Cyrillus* in *Esaiam,* cujus verba sunt: (d) Φασὶ γὰρ

(d) *Hist. lib.* 6. *cap.* 30.
(e) *Hierogl. lib.* 2. *cap.* 79.
(f) *Lib.* 17. *cap.* 10.
(g) *Metam. lib* 15. *Fab.* 33.
(h) *In Satyrico.*
(i) *Lib.* 8. *cap.* 36. *& lib.* 16. *cap.* 53.
(k) Περὶ φιλοστοργίας.
(l) *Lib* 5. *cap.* 12 *Sect.* 2.
(m) *Hist. lib.* 2. *cap.* 19.
(n) *Cap.* 29.
(o) *Lib.* 3. *Cyneg.*
(p) *Ad Pisonē.*
(q) *Stromat. lib.* 6.
(r) *Hexaëm. lib.* 6.
(s) *Orig. lib.* 12. *cap.* 2.
(t) *Hist.* 42.
(u) *De animalibus in urso.*
(x) *Exercit.* 6. 15. *&* 182. 2.
(y) *Cent.* 2. *Emblem.* 21.
(z) *Anatom. lib.* 8. *cap.* 4.
(a) *In Dioscor. lib.* 2. *cap.* 37.
(b) *In Plin. lib.* 8. *cap.* 56.
(c) *De Idololat. lib.* 3. *cap.* 54.
(d) *Lib.* 5. *pag.* τάς 834. *A.*

τὰς ἄρκυς, εἰ ἀτεκνωθεῖεν ἀπὸ τῶν ἁρπασάντων αὐταῖς τὰ σκυμνία, δεινῶς ὀλοφύρεσθαι, καὶ πιμπλᾶσθαι μὲν ἀγρίας μανίας, ὄρη δὲ καὶ νάπας περινοστεῖν, καὶ τοῖς ὑπαντῶσιν ἄχρι τοὺς ἐπιπηδᾷν. *Vrsas enim ajunt, si catulis orbatæ sint à quopiam sibi ereptis, graviter lugere, & impotenti rabie ferri, montesque, & saltus circumire, nec posse continere se, quin in obvios insiliant.*

Aliud est, quod insitam in ursis ferociam proritat, atque accendit, nimirum quæ in homine etiam est *male-suada fames.* Ideò *Solomon* Proverb. 28. v. 15. *Leo rugiens, & ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* *Vrsus esuriens* Hebraicè est דוב שוקק quod plerique multo aliter reddunt. *Chaldæus* interpres דובא מצריח *ursus clamans*: & *Syrus* ܕܒܐ ܕܡܫܒܚ ܩܠܐ *ursus vocem edidit.* Et *R. Selomo,* נהימה לארי ושקיקה לדוב שניהם לשון צעקה quibus innuit ursi vocem *Hebraicè* שקיקה dici, ut leonis נהימה. Utùt enim vox שוקק eâ notione nusquam occurrat, tamen putârunt illi interpretes necessario sic vertendam, ut hæc inter se cohærerent. λέων ὠρυόμενος, καὶ ἄρκτος βρυχώμενος, *Leo rugiens, & ursus sæviens.* Neque enim visa sunt inter se posse aliter cohærere, quàm si utrumque ad vocem referatur, atque ut ארי נוהם haud dubiè est *leo rugiens,* ità דוב שוקק credatur esse *ursus sæviens.* *Aben-Ezra* aliud sentit, nempe ursum dici שוקק à voce שוק id est, *à crure,* quasi דורס, id est, *conculcans,* & *dilacerans.* Aliis ab eodem שוק seu *crure,* דוב שוקק est *ursus gradiens,* sive *discurrens,* ut *Esa.* 33. v. 4. שוקק בו *gradiens in eo.* Id sequuntur *Kimchius, R. Levi, R. Mardochæus,* & plerique recentiorum. Sed harum interpretationum nulla mihi satis probatur. Non *prima*; quia שקק pro βρυχᾶσθαι nusquam reperitur, nec novæ notiones verbis affingendæ sunt, nisi nos eo adigat ferro trabali vincta necessitas, qualem hic nullam video. Quæ eadem ratio valet in *Aben-Ezra,* cùm idem verbum in *calcandi* aut *lacerandi* significatione nemo unquam usurpaverit. Nec video quorsum cum leone rugiente jungatur *ursus gradiens,* aut *discurrens.* Malo igitur *Hieronymo* accedere, cui דוב שוקק est *ursus esuriens.* Ità *Psalm.* 107. v. 9. כי השביע נפש שוקקה *Quia saturavit animam esurientem,* aut *famelicam.* *Es.* 29. v. 8. ונפשו שוקקה *Et anima ejus esuriens,* de eo, qui vacuus expergiscitur, postquam per somnium edit, & bibit. Radix שוק est *appetere*; unde תשוקה *appetitus.* Et *Gallis* quoque *appetitus* est fames. Porrò cum urso famelico rectè jungitur leo rugiens; quia prædæ appetitu leo rugire solet. Hinc *Psalm.* 104. v. 21. *Leunculi rugientes ad prædam.* Et *Es.* 31. v. 4. *Ut rugit leo, & leunculus ad prædam suam.* Et *Ezech.* 22. v. 25. *Ut leo, qui rugiens rapit prædam.* Et *Amos* 3. v. 4. *An rugiet leo, cum præda non est ei?* Proinde vel in octavo additur, *Leo rugiit, quis non timebit,* quia statim à rugitu ruit in prædam. Quod idem ab urso esuriente cùm timeatur, cum utroque meritò confertur princeps rapax, qui subditorum bonis inhiat, & illa diripit, & deprædatur.

Ursus in fame non solùm greges, quod & diximus, sed & armenta audet aggredi, adeòque ipsos tauros. *Ælianus Hist.* lib. 6. cap. 9. Ταύρῳ δὲ λιμώττουσα ὅταν ἐντύχῃ, κατὰ μὲν τὸ καρτερὸν καὶ ἐξ εὐθείας οὐ μάχεται, προσπαλαίει δὲ, καὶ τοῦ τένοντος λαβομένη κλίνει, καὶ ἅμα ἐσθίει. ὁ δὲ πιέζεται, καὶ μύκυται καὶ τελευτῶν ἀτονεῖ, καὶ κεῖται, ἡ δὲ ἐκείνου ἐμπίπλαται. *Cum autem taurum invadit ursa esuriens, non plenis viribus, nec rectà* (id est aperto *Marte*) *pugnat, sed colluctatur, & cervice correptum deprimit, ac simul comedit. Ille autem premitur, & mugit, & moribundus fatiscit, & succumbit, & illa satiatur.* De hac eadem ursæ cum tauro luctâ paulo aliter *Philosophus Hist.* lib. 8. cap. 5. Καὶ τοῖς ἀγρίοις ὑσὶν, ἐὰν δύνωνται λαθεῖν, ἐπιτίθεται, καὶ τοῖς ταύροις, ὁμόσε καὶ χωρήσασα τῷ ταύρῳ κατὰ πρόσωπον, ὑπτία καταπίπτει, καὶ τοῦ ταύρου τύπτειν ἐπιχειροῦντος, τοῖς μὲν βραχίοσι τὰ τοῦ ταύρου κέρατα περιλαμβάνει, τῷ δὲ στόματι ἀκρωμίαν δάκνουσα καταβάλλεται τὸν ταῦρον. *In apros, & tauros clam, si potest, irruit: sed & taurum apertè aggressa supinam se sternit, & cum taurus eam ferire conatur, brachiis quidem tauri cornua amplexa & summos humeros ore mordens, illum dejicit.* Et Plinius, *Tauros ex ore cornibusque eorum pedibus omnibus suspensi pondere fatigant.* Et Solinus, *Si quando tauros adoriuntur, sciunt, quibus potissimùm partibus immorentur: nec aliud quam cornua, aut nares petunt: cornua, ut pondere defatigent; nares, ut acrior dolor sit in loco teneriore.* Proinde, ut magna rerum conversio sub *Messia* futura significetur, prædicitur fore, ut, mutuo inter hæc animalia odio desæviente, bos & ursa pascantur simul, & earum catuli simul recubent, *Es.* 11. v. 7. Quod *Clemens Alexandrinus* transfert ad gentes in eandem Ecclesiam cum *Judæis* consociandas. Bos enim, inquit, animal in Lege mundum *Judæus* est: *Gentilis* autem significatur per ursam, quæ est animal immundum & agreste, quodque solâ linguâ formatur quomodo gentes per verbum Dei. Hæc ille pluribus *Stromatum* lib. 6. pag. 640.

Persarum Monarchia cur *Dan.* 7. conferatur cum urso, quæritur non immeritò. Respondent *Talmudici* in libro *De Idololatria* cap 1. Et in *Kiddusin* cap. 4. *Persas* cum urso conferri; שאוכלין ושותין כדוב ומסורבלין כדוב ומגדלין שער כדוב ואין להם מנוחה כדוב *quia edunt, & bibunt ursino more, & pingues sunt ut ursi, & comati ut ursi, & irrequieti ut ursi.* *Edere ursino more,* id est, ingurgitare se cibo, ut ursi solent. Hinc *Horatius* de *Mævio* lurcone,

——— *patinas cœnabat omasi*
Vilis, & agnina, tribus ursis quod satis esset.

Et *Isidorus Pelusiota* lib. 2. Epist. 135. Ὅταν γάρ τις σκιρτᾷ μὲν ὡς ταῦρος, λακτίζῃ δὲ ὡς ὄνος, χρεμετίζῃ δὲ ἐπὶ γυναιξὶν ὡς ἵππος θηλυμανὴς, καὶ γαστριμαργῇ μὲν ὡς ἄρκτος. *Cùm quis ut taurus lascivit, ut asinus calcitrat, ut salax equus in fœminas hinnit, ut ursus ventri indulget.* *Leontius Cypri* Episcopus in fragmento contra *Hebræos* explicans locum *Es.* 11. v. 7. *Bovem quidem vocat operarium, ursum verò voracem.* Cui vitio *Persæ* mancipari cœperunt, cùm priscos illorum mores *Medicus* & *Lydius* infecit luxus. Proinde *Persicum* luxum suggillant *Pausanias* in *Herodoti Calliope, Horatius* libri primi *Odâ* 38. *Ælianus* in *Variis* initio libri duodecimi, & alii magno numero. Et cum ursorum villis conferuntur *Persarum* comæ; quia prolixum illis fuit capillitium. *Persas* ideò κομήτας, id est, *crinitos, Delphicum* vocat oraculum *Milesiis* redditum libro sexto *Herodoti,*

Σαὶ δ' ἄλοχοι πολλοῖσι πόδας νίψουσι κομήταις,

Tua autem uxores multis crinitis pedes lavabunt, id est, *multis Persis.* Addit enim *Herodotus* hæc *Milesiis* contigisse, ὅκότε ἄνδρες μὲν οἱ πλεῦνες ἐκτείνοντο ὑπὸ τῶν Περσέων ἐόντων κομητέων, γυναῖκες δὲ καὶ τέκνα ἐν ἀνδραπόδων λόγῳ ἐγίνοντο, *cum ex iis plerique viri à Persis qui criniti erant sunt cæsi, uxores autem, ac liberi mancipiorum loco habiti.* Et in *Æschyli Epitaphio* apud *Athenæum* libro decimo quarto.

Καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιστάμενος,

Et comâ profundâ Medus id novit. Quod sequitur *Persas* esse irrequietos ùt ursos, quadrat quidem in *Persas* propter continua bella: sed in ursos minus quadrare videbitur; quia eos probavimus pigerrimum esse animal. Tamen hic habet *Glossa Talmudis* דוב אין לא מנוחה כשהוא קשור הולך ובא תמיד סביבותיו *Urso nulla est quies: cùm enim ad palum est vinctus, illum assiduè circumit.* Et alibi הולך ובא כל שעה *quovis tempore it & redit.* Hæc *Talmudici*, quos ex parte sequuntur *Selomo* & *Saadias* ad *Danielem.* At *Joseph, Jachiæ* filius, ursum observat esse

esse leone minùs pugnacem, & *Nebucadnetsarem* leonino robore *Babylonicum* imperium stabilivisse, cùm ursi robur *Dario Medo* suffecerit ad *Chaldæos* debellandos. Alii ex *Xenophonte* libro primo *Cyropædiæ* *Persas* olim habitâsse probant ἐν ὀρεινῇ οὔσῃ τῇ χώρᾳ, *in regione, quæ montana est.* Quomodo ursi, de quibus *Theocritus Idyll. Iota*

- - - ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι,

O in montanis lustris degentes ursi. Et *Cyclops* in *Ovidio* se reperisse ait

Villosæ catulos celsis in montibus ursæ.

Addunt cum urso conferri *Persas* ratione immanitatis, quæ summa fuit. *Ammianus* libro vigesimo tertio, *Cutes vivis hominibus detrahunt particulatim, vel solidas.* Item, *Leges apud eos impendio formidatæ. Inter quas diritate exsuperant latæ contra ingratos, & desertores, & abominandæ aliæ, per quas ob noxam unius tota propinquitas perit.* Hujus diritatis illustre exemplum in *Intapherne* habet *Herodotus*, qui cùm solus peccâsset, tamen Rex ad supplicium corripi jussit αὐτόν τε τὸν Ἰνταφέρνεα, καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ, καὶ τοὺς οἰκηΐους πάντας, *cum ipsum* Intaphernem, *tum liberos ejus, & domesticos omnes.* *Haman* quoque in *Græca* editione libri *Esther* capitis octavi versu duodecimo crucifigi jussus est σὺν τῇ πανοικίᾳ, *cum tota familia.* His junge *Persas* fuisse in omnem libidinem projectos, pellicumque habuisse & exoletorum greges, atque incesto cum matribus & sororibus concubitu se polluisse, quæ nemini non sunt obvia. Hæc porrò naturam ursorum belle exprimunt; de quibus *Oppianus*;

Καὶ πολλὴ Κυθέρεια, καὶ οὐ κατὰ κόσμον ἰοῦσα.
Ἤματα γὰρ, καὶ νύκτας ἐελδόμεναι φιλότητος,
Αὐταὶ θηλύτεραι μάλ' ἐπ' ἄρσεσιν ὁρμαίνουσι.

Et multa eis est Venus, *nec decenter se gerens: dies enim ac noctes avidæ coitûs ipsæ fœminæ cupidè in mares irruunt.* Addit eas, cum fœtæ sunt, *Veneris* usu carere, ac proinde fœtum ante tempus ex utero violenter exprimere.

Τόσση μαχλοσύνη, τόσσος δρόμος εἰς Ἀφροδίτην·

Tanta libido, tantus est in Venerem *impetus.* Unde *Arabes* de homine in libidinem maximè prono,

هو الوط الدب *Hic est urso libidinosior.* Ita habetur in *Damire.* Huc quoque refert non nemo, sed, ut videtur, subtiliùs quam solidiùs, ad *Persarum* Regem aliter accedere non licuisse, quàm pronum, & prostrato corpore, more adorantium. Cujus venerationis originem ab imperii *Persici* conditore *Cyro* arcessit *Arrianus* libro quarto his verbis, λέγεται τὸν πρῶτον προσκυνηθῆναι ἀνθρώπων Κῦρον, καὶ ὅτι τῷ ἐμμεῖναι Πέρσαις τε καὶ Μήδοις τὴν δὲ τὴν ταπεινότητα. Cyrum *ajunt primum omnium mortalium fuisse adoratum, atque inde hanc submissionem* Persis & Medis *mansisse.* Et illud quoque ursinum esse contendit is, quem diximus, cum ante ursos tam venatores, quam viatores ad terram cernuos se projiciant, tanquam mortuos, ut evadant illorum impetum. *Ælianus Hist.* lib. 5. cap. 49. Αἱ ἄρκτοι τῶν θηρατῶν τοὺς εἰς στόμα πεσόντας, καὶ τὸ πνεῦμα εἰς ἑαυτοὺς ὥσπερ ἐσφραγισμένους, ὡς νεκροὺς παραλιμπάνουσι· *Ursi venatorum illos, qui in os se prosternunt, & spiritum continent, odorati, ut mortuos relinquunt.* Quo faciunt hæc *Avienus* de viatore, cui occurrerat ursa,

Ille trahens nullo jacuit vestigia gressu,
Exanimem fingens sponte relictus humi.
Continuo prædam cupiens fera sæva cucurrit,
Et miserum curvis unguibus antè levat.
Verùm ubi concreto riguerunt membra timore,
(Nam solitus mentis liquerat ossa calor:)
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver
Deserit, & lustris conditur ursa suis.

E quatuor imperiis *Daniel* primum, id est, *Babylonicum*, cum leone confert; secundum, id est, *Persicum*, cum urso; tertium, id est, *Macedonicum*, cum pardo, quartum denique, id est *Romanum*, cum tetra & terribili bestia, quam non nominat. Sed *Apoc.* 13, 2. eadem hæc bestia habet aliquid ex his tribus, leonis scilicet os, pardi corpus, & ursi pedes. Atque ut per os leonis robur immensum, per pardi corpus, aut maculas, varium regimen, aut diversæ gentes illi subditæ, aut doli, & technæ variæ, quibus rem suam *Romani* auxerunt: ità per ursi pedes firmior quidem, sed & tardior *Romani* imperii gressus, atque progressus videtur significari. Latum enim in terra pedem ursus figit fortiùs. Sed idem pardo & leone graditur multò lentiùs. Hinc *Plinius* lib. 11. cap. 45. *Homini genua & cubita contraria. Item ursis, & simiarum generi, ob id minimè pernicibus.* Ità *Romanæ* Reipublicæ firma fuêre incrementa, sed tarda. Anno urbis conditæ ferè quingentesimo ex *Italia* primùm excessit. *Florus* initio libri secundi, *Domita subactaque* Italia *populus* Romanus *propè quingentesimum annum agens.*

Superest, ut dicamus de strage puerorum ad *Elisei* preces à duobus *ursis* edita prope *Bethlehem.* Historiæ verba clara & diserta sunt 2. *Reg.* 2, 23. *Et inde* (Eliseus) *ascendit* Bethelem. *Cum autem per viam illam ascenderet, pueri parvi, ex urbe egressi, deriserunt eum, dicentes, Ascende, calve; ascende, calve. Quos respiciens cum vidisset, maledixit eis in nomine Domini: & duæ ursæ, ex sylva egressæ, dilaceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Rectè *ascendit Bethelem.* Est enim in alto monte sita. Brochardus, *A Samaria contra Austrum, juxta viam, quæ ducit* Sichem, *sunt duæ leucæ ad* Bethel *in alto monte sitam.* Tamen in via ex oppido *Galgale* montes occurrunt altiores. Proinde initio capitis inde descendunt *Bethelem Elias* & *Eliseus. Bethele* schola erat *Prophetarum*, qui veri Dei cultum pro viribus asserebant, & propugnabant, 2. *Reg.* 2, 2. Sed & in eadem urbe vitulum erexerat *Jeroboam*, quem pro Deo colebat populi pars longè maxima, 1. *Reg.* 12, 29. &c. Cui non dubium quin *Prophetæ* valde fuerint odiosi; quia in idololatras acriùs invehebantur. Et in his *Eliseus* imprimis, qui perpetuus & individuus fuerat *Eliæ* comes, & veritatem non solum sermone, sed & miraculis confirmabat. Proinde *Bethelem* in Prophetico habitu venientem subsannant idololatrarum filii, ut verissimile est, à parentibus instigati. *Talmudici* in *Sota* cap. 9. fol. 46. b. frigidas in vocibus allusiones more suo captantes, נערים *pueros* dici somniant, שמנוערין מן המצות quia *mandata* Dei *excusserant*, & *parvos*, שהיו מקטני אמונה *quia erant* ὀλιγόπιστοι. Quin *pueri parvi* dicuntur ἀσχετικῶς, ut 1. *Sam.* 20, 35. *Et manè exiit* Jonathan *in agrum*, ונער קטן עמו *& puer parvus cum eo.* Et *Es.* 11, 5. *simul erunt vitulus, & leo*, &c. ונער קטן נהג בם & *puer parvus deducet eos.* Quia *Hebræa* Phrasi נערים *pueri* dicuntur etiã, qui jam adulti sunt. Ità *Isaacus* año ætatis XXVIII. imolandus נער *puer* vocatur *Gen.* 22, 5. 12. Quomodo etiam appellantur *Josephus* tricenarius *Gen.* 41, 12. & *Roboam* quadragenarius 2. *Paral.* 13, 7. *Rabbi Selomo* Prophetam *calvum* à pueris dici nugatur; quia locum decalvaverat, seu denudaverat, iis ademptis, quibus oppidi incolæ hactenùs vitam sustentaverant. Nam si Magistris credimus, antequam *Hierichuntinas* aquas sanasset *Eliseus*, aqua urbis ex oppido *Bethel Hierichuntem* deferebatur non sine magno incolarum quæstu. Quod ridiculum & absurdum est. Neque enim unquam fando auditum est aliquem ideò *calvum* appellari; quia oppidum necessariis ad vitam præsidiis decalvavit, & denudavit. Nec opus fuit, ut *Hierichuntini* aquas è *Bethele* peterent, cum à *Jordane* fluvio, cujus aquæ sunt saluberrimæ, nonnisi LX stadiis distet *Jericho.* *Josephus* libri quinti capite quarto *De bello Judaico*, ἀπέχει δὲ Ἱεροσολύμων μὲν σταδίους ἑκατὸν πεντήκοντα, τοῦ δὲ Ἰορδάνου ἑξήκοντα. Quin alii propiorem faciunt.

Eugesippus, De distantiis locorum terra Sancta pag. 107. *In quo* (Jordane) *Christus à* Johanne *pracursore ejus tertio lapide à* Jericho *baptizari voluit.* *Willebrandus ab Oldenborg* in *Itinerario terra Sancta*; *Distat* Hiericho *à* Jordane *duo parva milliaria; nempe Gallicana: sequitur* enim, *ab Hierusalem quindecim millia Gallicana.* Brochardus, *A* Jericho *per duas leucas versus* Jordanem *est sacellum exstructum in honorem* S. Johannis Baptistæ, *ubi putatur Dominus in eo baptizatus.* At *Bethelem* ab *Hierichunte* distare duplo longius nullo negotio probaverim, si tanti esset. *Calvum* igitur *Prophetam* pueri *Bethelenses* non aliâ de causa vocârunt, quam ut calvitii deformitatem illi exprobrarent. quam obtrectatorum jocis obnoxiam *Casar*(a) sæpe expertus legitur iniquissimè tulisse. Ideoque & deficientem capillum revocare à vertice assuevisse, & ex omnibus decretis sibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepisse, aut usurpasse libentius, quàm jus laureæ perpetuò gestandæ. Nempe capillitium est inter præcipua capitis ornamenta. Hinc *Ovidius*,

a) Sueton. in Jul. cap. 45.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Petronius in *Satyrico*,

Quod summum forma decus est, periêre capilli,
Vernantesque comas tristis abegit hyems.

Pollux lib. 2. cap. 3. Ἄκομος τὴν κεφαλὴν ἄκοσμος. *Apuleius Asini* libro secundo, *Cum semper mihi unica cura fuerit caput capillumque sedulò & publicè prius intueri, & domi posteà perfrui,* &c. *Quod precipua pars ista corporis, in aperto & perspicuo posita, prima nostris luminibus occurrit,* &c. Ambrosius *Hexaem.* lib. 6. cap. 9. *Quam speciosa cesaries? quam reverenda in senibus? quam veneranda in sacerdotibus? quam terribilis in bellatoribus? quam decora in adolescentibus? quam compta in mulieribus? quàm dulcis in pueris?* Item, *Tolle arbori comam, tota arbor ingrata est. Quanto igitur major humani capitis ornatus est?* Itaq; apud *Poëtā Iliad.* β. hominum fœdissimꝰ *Thersites*,

φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη·

Acuto erat capite, & rarus illi efflorescebat capillus. Neque aliter calvitium laudavit *Synesius*, quam ut alius pestem, alius *Phalaridem*, alius *Busiridem*, alius *Neronem* proposuit sibi laudandum, non tam ut persuaderent, quam ut rei paradoxæ tractatione ingenium suum ostentarent. Quo ipso animo Hubaldus Elnonensis monachus carmen trecentorum versuum ad RegemCarolum Calvum scripsit in calvorum laudem, cujus omnia verba incipiunt à litera C. Gravem igitur *Propheta* notam se inurere putaverunt pueri petulantes, qui calvitium illi objecerunt. Et Deus, qui noverat illorum animum, eos ideò morti addixit; quia in servi sui persona sciebat se ipsum despici. Neque enim privatas injurias ultus est *Propheta* sanctus. Quin contemptum sui fortiter contempsisset, si res fuisset de se solo. Sed hoc illi suggessit Dei Spiritus, quo plenus erat, se non tam ut *calvum* traduci & sugillari, quam ut *Prophetam* veri Dei. Itaque ut *Moses Judæis* dicit *Exod.* 16, 8. *Non contra nos sunt murmura vestra, sed contra Dominum,* Et *Petrus Ananiæ* Act. 5, 4. *Non mentitus es hominibus, sed Deo.* Et Deus *Samuëli* 1. Sam. 8, 7. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et *Christus* Apostolis *Luc.* 10, 16. *Qui vos spernit, me spernit; qui autē me spernit, spernit eum, qui misit me.* Ita derisoribus illis *Propheta* merito dixisset, *Vos mihi non illuditis; sed Deo, qui misit me.* Proinde ut *Core, Dathan,* & *Abiram* ideò à terra absorpti sunt; quia in *Mosem* insurrexerant; ut *Ananias*, & *Sapphira*, quia *Petro* illuserant, ad illius pedes mortui ceciderunt, *Act.* 5, 5. 10. ut *Elymas Paulo* obsistens cæcitate percussus est, *Act.* 13, 11.: sic è pueris illis, qui Dei virum sannis excipiebant, multi morte mulctati sunt. Et quamprimum *Propheta* illis maledixit Dei nomine, duæ ursæ, ex sylva egressæ, ex eo numero dilaceraverunt XLII. pueros. Ad quæ verba quidam *Hebraeorum* apud *Kimchium*, מעשה נס היה כי באותו יער לא היו רגילים חיות רעות *Fuit opus miraculosum, neque enim in illa sylva degebant ullæ feræ malefica.* Alii item, נס בתוך נס היה כי לא היה שם לא יער ולא דובים *Miraculum fuit in miraculo, ibi enim nec sylva, nec ursi erant.* Sed his Scriptura repugnat, quæ sylvam circa illa loca fuisse palam docet, ex qua duæ ursæ prodierint. In qua eadem sylva potuit esse quercus, aut quercetum *Bacuth*, id est, *fletus*, sub quo *Debora* sepulta est, *Gen.* 35, 8. Et terebinthus, sub qua virum Dei reperit *Propheta Bethelensis*, 1. Reg. 13, 14. Indidem quoque videtur prodiisse leo, à quo vir ille Dei inventus, & occisus est ejusdem capitis versu vigesimo quarto. Neque tamen sine miraculo id fuit, quod ad *Propheta* nutum ursæ statim ex sylva egressæ sunt, nec unum, aut alterum è pueris illis dilaniâsse, & comedisse contentæ, ut latranti stomacho subvenirent, tantam stragem ediderunt. Quadraginta duos pueros ab ursis ideò cæsos *Judæi* sibi fingunt; quia totidem oblationes obtulerat *Balac* Rex *Moab*, Num. 23, & 24. At Patres *Elisæum* volunt hic fuisse *Christi* figuram, cui *Judæi* illuserint, ut pueri sancto *Prophetæ*, & dixerint, *Ascende calve*, hoc est, ascende in crucem in *Calvariæ* loco erigendam. Et ultos esse hanc vesaniam ursos duos, in nefariam gentem à Deo immissos, *Titum*, & *Vespasianum*, per quos subversa fuerit *Jerusalem* anno à *Christi* morte quadragesimo secundo. Ità ut etiam annorum numerus respondeat numero puerorum, quos ursi dilacerârunt. Hujusmodi Allegorias texunt *Hieronymus* in *Sophoniam* tomo quinto, & Commentario in *Psalmos* 45, & 84. si verè est *Hieronymi*. Et auctores *Mirabilium Scripturæ* lib. 2. cap. 23. & Sermonis 204. *De tempore* sub *Augustini* nomine.

CAPUT DECIMUM.

De Lupis.

Lupus *cur* Hebraicè זאב zeeb. *Lupus aureus in* Cilicia, *&* prope Amanum, Lupus *Chaldaicè* Deba, *Phrygibus* Davus. *Oraculum de lupis* Byzantii, *id est*, Turcis. Lycus, Assyriæ *fluvius*, *incolis* Zabas, Diavas, Adiavas, *unde* Adiabene. *De lupo in Scriptura novem notanda.* I. *Describi rapacissimum, ut in* Poetis, *&* Arabum *scriptis.* Κίρκος, *vel* ἅρπαξ, *lupi species.* Jupiter *lupos pradari jussit.* II. *Vastator est, & sanguinarius.* III. *Vorax, avidus, insatiabilis. Vesperè & manè comedit.* Lupo avidior, *Proverbium* Arabicum. Romanis *cur luporum animi.* IV. *Vesperè pradatum se confert.* ET *pro* POSTQUAM. *Lupi quidam* μονοπεῖραι, μονόλυκοι, μονιοί. *Alii gemini. Alii turmatim eunt. Lupum noctu depradari* Poetæ *cur tam sape observant. Idem* Arabes. *Lupus cur* Samnitibus irpus; *unde* Irpini. *Lupus satur mansuetus. Sed cum fame lupinum ingenium redit. In* Prophetis *lupi* ערב *an lupi* Arabiæ, *ubi lupus frequens, & minimum centenomius? Potiùs* lupi vesperæ. *Lupi quandoque ad domos, & urbes accedunt, quod* Romæ *in prodigiis.* V. Hab. 1, 8. *lupi* ὀξύτατοι *cursu, vel visu.* Arabica *lupi nomina à velocitate ducta. Lupus* ὀξυδερκὴς, *noctu etiam videt: quia oculi splendent, & lucem jaculantur. Indè* Apollini *sacer, qui ipse in lupo cultus.* Λυκόφως crepusculum. Ἀμφιλύκη νὺξ nox sublustris. Λύκη *lux prima, quâ lupi ad pastum eunt. Genus acre luporum.* VI. *Lupi ovibus quàm infesti: tamen in Ecclesia simul pascuntur.* VII. *Cum lupis cur falsi Doctores conferantur, & quomodo lupis similes. Indumenta*

dumenta habent ovium, id est μηλωτάς. VIII. Iisdem tyranni similes, & Ecclesiæ persecutores, quorum metu fugiunt mercenarii. Hi lupi in oves mutantur, ut Paulus. *IX.* Benjamin *cur vocetur* lupus rapax. *An propter altare in* Benjamitarum *tribu? Hoc refellitur. Alii id interpretantur ex* Jud. 21, 21. *Alii ad* Saülem, *&* Mardochæum; *alii ad* Paulum *referunt. Lupi fortissimi, Martiales, & Marti dicati.* Λυκοθάρσης, lupinus in bello ululatus. Hercules *lupus dictus. Ita* Benjamitæ *fortissimi. In his funditores* DCC. *ne á pilo quidem aberraverunt, ut in* Smyrnæo Teucer. Saül *quam fortis.*

E Quinque luporum speciebus *Oppianus* tertiam ita describit libro tertio *Cynegeticῶν*,

Ἔστι δέ τις Ταύροιο νιφοβλήτοις ὑπὸ ἀκτὰς
Ἐνδιάων, Κιλικάς τε πάγους, καὶ πρῶνας Ἀμανοῦ,
Καλὸς ἰδεῖν θήρεσσι πανέξοχος, ὅν τε καλοῦσι
ΧΡΥΣΕΟΝ, ἀστράπτοντα δασυτριχέεσσιν ἐθείραις.
Οὐ λύκος, ἀλλὰ λύκου προφερέστατος, αἰπύτατος θήρ,
Χείλεσι χαλκείοισι τετυγμένος, ἄσπετος ἀλκήν·
Πολλάκι τοι καὶ χαλκὸν ἀτειρέα, πολλάκι λᾶαν
Ἐμμαπέως ἔτρησε, καὶ αἰχμήεντα σίδηρον.

Est & alius (lupus) supra nivosos Tauri *scopulos degens,* Cilicesque *colles, &* Amani *vertices, pulcher aspectu, inter feras prorsus eximius, quemque adeò vocant AUREUM, quia fulget densis pilis. Non lupus est, sed lupo præstantior, perniciosissima fera, labiis æneis armata, immensi roboris, ità ut sæpe rigidum æs, sæpe lapidem fortiter perfringat, & acutum ferrum.* Fallor, an *Hebræum* lupi nomen זאב *zeeb*, huic luporum generi primò fuit inditum propter aureum colorem, & indè ad alios translatum? *Aurum* enim *Hebræis* est זהב *zahab*; unde זאב *zeeb*, potuit fieri, permutatis *He* & *Aleph*, quæ literæ sunt maximè permutabiles. Ex *Hebræo* זאב *zeeb*, deducta sunt *Chaldæum* דיבא *deba*, Syrum ܕܐܒܐ *deba*, vel *diba*, & *Arabicum* ذيب *dib*. Forte etiam *Davus*, Græcè Δάος, qua voce *Phryges lupum* significabant. *Hesychius*, Δάος ὑπὸ Φρυγῶν λύκος. Inde lux *Sibyllæ* oraculo, quod à *Tzetze* refertur *Chil.* 9. *Hist.* 288.

Δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι,
Ζηνὸς ἐπιφροσύνῃσι· κακὸν δ' ἐπιβήσετ' ἄνδρας,
Ἄνδρας οἳ Βύζαντος ἕδος κατεναιετάουσιν.

Sanè tunc Bithynorum *terram lupi habitabunt*, Jovis *consiliis; malum autem invadet viros, viros* inquam, *qui* Byzantis *solum incolunt*, id est, *Byzantium*. Lupi illi sunt *Turcæ*, ut *Tzetzes* rectè conjectat, sed cur *Turcæ lupi* dicantur nobis relinquit divinandum. Mihi nihil occurrit vero propius, quam quod *Turcæ* oriundi sunt à *Dais* circa *Oxum*, id est, à lupis *Phrygum* lingua, qua Δάος est *lupus*. A *Chaldæo* דיבא, *Assyriæ* duo amnes, in *Tigrim* influentes, quorum unus *Græcis* est Λύκος, in *Ammiano* vocantur *Diabas*, & *Adiabas*, & ab his *Adiabena* dicta, quasi Λυκίαν, aut *Lupinam regionem* dixeris: Non quod sit ἀδιάβατος, ut veteres arbitrati sunt. Quam veterum sententiam postquam retulit *Ammianus* libro 23. *Nos autem*, inquit, *didicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos & transivimus,* Diabas *&* Adiabas, *juncti navalibus pontibus: ideoq; intelligi* Adiabenam *cognominatam*. Iidem amnes aliis *Zabas*, & *Anzabas*; quod eodem recidit.

Etsi Sacri Scriptores de lupo pauca tradant, tamen illi ingenium nobis graphicè depingunt. I. Primò enim describunt summè rapacem *Gen.* 49, 27. Benjamin *lupus, qui rapit.* Græcè λύκος ἅρπαξ & Vulgatus, *lupus rapax.* Ezech. 22, 27. *Principes ejus, &c. ut lupi rapientes prædam,* Matth. 7, 15. *Intus autem sunt* λύκοι ἅρπαγες, *lupi rapaces.* Joh. 10, 12. de ovibus à pastore desertis. *Et lupus eas rapit.* Quod lupo maximè convenit, qui vulgo *Poëtis rapax*, & *raptor*. *Virgilius* libro secundo *Æneidos*,

- - - - - - - *Inde lupi ceu*
Raptores atrâ in nebula. - - -

Horatius libri quarti *Oda* quarta,

Cervi luporum præda rapacium.

Et *Epoda* decima sexta,

Agros, atque lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis.

Ovidius libri primi *Tristium Elegia* quinta,

Utque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris,
Incustoditum captat ovile lupus.

Sic *Oppianus* vocat lupum

- - - πολύπλοκον ἁρπακτῆρα,

versipellem raptorem. Et in eodem quædam est lupi species

Τὸν μέροπες κίρκον τε, καὶ ἅρπαγα κικλήσκουσι,

Quem homines circum & raptorem vocant. Et apud *Poëtam* libro primo *Georgicorum* hoc lupo munus ab *Jove* demandatum est, ut rapiat, & deprædetur,

Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos jussit. - - - -

Hinc *Philostratus* in *Apollonio* lib. 2. cap. 7. Τούς τε λύκους, ὡς ἀεὶ προσκείμενοι τῷ ἁρπάζειν, *Et lupos, utus ad prædam semper intenti sint.* Itaq; etiam apud *Arabes* tria sunt luporum nomina: nempe الخاطف, & الدشان, & العدوان, quæ *rapacem*, aut *raptorem* sonant.

II. Secundo lupus describitur vastator, & sanguinarius. Jerem. 5, 6. *Lupus vespertinus vastabit eos.* Ezech. 22, 27. *Tanquam lupi rapientes prædam, effundendo sanguinem.* Joh. 10, 12. *Lupus autem eas* (oves) *rapit, & dispergit ovile.* Act. 20, 39. *Lupi graves, non parcentes gregi.* Ità *Ovidius* libri primi *Metamorphoseωs* Fabula sexta, de *Lycaone* mutato in lupum,

- - - *solitaque cupidine cadis*
Utitur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.

Statius libro quarto *Thebaidos*,

Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti sanie gravis, hirtaque setis,
Ora cruentatâ deformis hiantia lanâ.

Et apud *Smyrnæum* libri decimi tertii versu 73. lupi fame concitati

Σταθμοῖς ἐπιβρίσωσι κατ' οὔρεα μακρά, καὶ ὕλην,
Εὕδοντος μογεροῦ σημάντορος, ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις
Δάμναθ' ἑρκείου ἐκτός, (lege ἐντός.)

Ad stabulum contendunt per arduos montes, & sylvam, dum dormit pastor labore fessus, aliasque oves post alias intra septa dilacerant. Nempe non solum jugulant quantum sufficiat ad famem explendam; sed totum gregem passim interimunt, nisi latratu canum, aut clamore pastorum absterreantur. Ità *Albertus*, & alii recentiorum.

III. Tertio, voracissimum atque avidissimum esse animal docet his verbis *Sophonias* capitis tertii versu tertio. *Judices ejus sunt lupi vespertini, qui* לא גרמו לבקר *non exossant ad usque manè*: id est, qui vespertinam prædam ità absumunt, ut ad matutinum tempus ne ossa quidem relinquant. Ità plerique veterum, & *R. Selomo*, & *Kimchius*. Neque obstat, quod *Gen.* 49, 27. legitur lupus *manè comedere prædam*. Nam de vespertina præda agitur in *Sophonia*, de matutina in *Mose*. Ne dicam vel ab invitis prædæ partem sæpe relinqui; quia per ventris angustias non licet totam absumere. Proindeapud *Arabes* ختل *chathala* de lupo est *prædæ partem seponere, & sibi recondere*. Ità *Alcamus* ختل الذيب الصيد تكفي له. Tamen ab iisdem lupus لعوس, id est, *helluo*, appellatur. Et famelicus quisquis est vulgari Proverbio dicitur esse اجوع من الذيب *Lupo avidior*. Ità habetur in *Damire*. Neque id latuit *Poëtas*, qui lupos passim *avidos* vocitant, atque *insatiabiles*. Statius, *Thebaidos* libri undecimi versu 30.

Tunc avidi venere lupi. - - - -

Ovidius libro secundo *Fastorum*,

Sæpe avidum fugiens restitit agna lupum.

Et in *Ibin*,

Deque tuo fiet, licet hâc sis laude superbus,
Insatiabilibus corpore rixa lupis.

Proinde *Justini* libro trigesimo octavo *Romanos Mithridates*, tanquam lupæ uberibus altos, luporum animos haberi asserebat, *inexplebiles sanguinis, atque imperii, divitiarumque avidos, ac jejunos.*

IV. Quarto, tempus, quo lupus prædatum se confert, *Prophetæ* apertè designant, cum vocant *lupum vesperæ*, seu *vesperarum*, id est, *vespertinum*. Sic *Jerem.* 5, 6. *Lupus vesperarum vastabit eos.* Hab. 1, 8. *Leviores erunt pardis equi ejus, & acutiores lupis vespera.* Sophon. 3, 3. *Judices ejus lupi vespere.* Et multò antè *Jacob*, Gen. 49, 27. *Benjamin lupus rapiens. Manè comedit prædam, & ad vesperam dividit spolium.* Quæ duo tempora ibi loci non totam diem significant, ut volunt, sed totam noctem, cujus pars una vespertina est, altera matutina. Itaque copula *E T* hic est Ordinativa, & idem valet quod *postquam*, quasi *Propheta* dixisset: *Tribus* Benjamin *erit instar lupi rapacis, qui prædam usque ad matutinum tempus comedendam habet, postquam illam divisit sub vesperam.* Nam prædam dividere prius est, quàm illâ vesci. Tale *Jos.* 7, 25. *Et combusserunt eos igni, & lapidaverunt eos lapidibus*, id est, בתר דרגימו *postquam lapidavissent*, ut habetur in *Chaldæo*. Job. 14, 10. *Moritur vir*, ויחלש *& debilitatur*, id est, *postquam debilitatus est.* Porrò prædam non dividunt lupi omnes. quidam enim sunt μονόπειραι, quod exponit *Hesychius* τὺς μὴ ἀθρόυς, ἀλλὰ καθ' ἕνα πειρατεύοντας, *eos, qui non confertim, sed singuli prædantur.* Quibus verbis luporum genus describi suadent hæc *Philosophi Hist.* lib. 8. cap. 5. ἀνθρωποφαγοῦσι δ' οἱ μονόπειραι τῶν λύκων μᾶλλον ἢ τὰ κυνηγέσια. *Lupi, qui μονόπειραι dicuntur, homines libentiùs invadunt, & vorant, quàm canes venatorios.* Itaque λύκοι μονόπειραι iidem, qui aliis μονόλυκοι, & μονιοὶ, nobis *loupgarous*. *Aratus* in *Phænomenis* versu 1123

Καὶ λύκος ὁππότε μακρὰ μονόλυκος ὠρύηται,

Et lupus solitarius cùm contentè ululat. Suidas, Μονιὸς, ἄγριος, ὡς μεμονωμένος, ὁ μονόλυκος. *Lucianus* in Epistola *Saturni* ad divites, Οὐ γὰρ οὐδ' ἐμοίως ἡδὺ εἶμαι μόνον ἐμπίπλασθαι, ὥσπερ τοὺς λέοντάς φασι, καὶ τοὺς μονιοὺς τῶν λύκων. *Neque enim perinde juvat, opinor, si quis solus expleatur, ut leones, & solitarios lupos facere dicunt.* Et in *Timone*, Μονήρης δ' ἡ δίαιτα, καθάπερ τοῖς λύκοις, *Vita autem est solitaria ut lupis*, iis scilicet, quos alibi μονιοὺς vocat. Qui quod soli venantur soli vorant, nullo in prædæ societatem adscito, & admisso. At luporum alii fere gemini venantur. Hinc de thynnis *Ælianus* lib. 15. cap. 3. Οἱ μὲν αὐτῶν κατὰ τοὺς σῦς εἰσι μονιοὶ, καὶ καθ' ἑαυτοὺς νήχονται μέγιστοι ὄντες, οἱ δὲ συνδυαστικοὶ, καὶ εἰσὶ κατὰ τοὺς λύκους συννόμοι. *Eorum alii ut apri sunt solitarii, & singuli natant quia maximi: alii gemini more luporum, qui simul pascuntur.* Quò pertinent hæc *Statii Achilleidos* libro secundo,

- - - *procedunt gemini, ceu fœdere juncto*
Hyberna sub nocte lupi. - - -

Sæpe etiam turmatim eunt, si periculum majus imminet. Et, ut testatur *Xenophon* in *Hipparchico*, Λύκοι τάξαντες ἑαυτοὺς, τοὺς μὲν ἀπελαύνειν τὴν φυλακὴν, τοὺς δ' ἁρπάζειν, οὕτω τὰ ἐπιτήδεια πορίζονται. *Cum lupi se ipsos ità instruxerunt, ut alii custodes depellant, alii prædam rapiant, sic ad vitam necessaria sibi comparant.* Tum verò prædam communi labore partam inter se dividunt, & quisque partem sibi sumit, quam, si potest illico vorat, aut in posterum seponit quidquid superest, postquam abundè pastus est. Proinde confertur *Benjamin* cum lupo, qui vesperè venatus tam multam prædam divisit, ut ad matutinum usque tempus habeat, unde vescatur. Atque id quidem convenit feris omnibus, ut noctu deprædentur. Unde *Psaltes Ps.* 104, 20. *Disponit tenebras, ut sit nox, qua repunt omnia animalia sylvæ.* Lupo tamen magis proprium est, quam leoni, pardo, aut urso; quia ut lupo minus virium, ità minùs est audaciæ. Proinde id à *Poëtis* est toties observatum, lupum noctu ad prædam divagari. *Virgilius* libro nono *Æneidos*,

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Cum fremit ad caulas, ventos perpessus, & imbres,
Nocte super media. - - - - - -

Et libro quarto *Georgicorum*,

Vesper ubi è pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni.

Et libro tertio, cum grassatur lues,

Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat. Acrior illum
Cura domat. - - - - -

Statius libro tertio *Thebaidos*,

- - - - - *haud aliter saltu devertitur orbus*
Pastor ab agrestum nocturna strage luporum.

Et libro octavo,

- - - *sic densa luporum jam nocte sub atra*
Arcet ab oppresso pastorum turba juvenco.

Et libro decimo

- - - *rabidi sic agmine mixto.*
Sub noctem coiêre lupi, quos omnibus agris
Nil non ausa fames longo tenuavit hiatu.

Et in *Achilleidos* loco jam ante allato,

- - - *procedunt gemini, ceu fœdere juncto*
Hybernâ sub nocte lupi, licèt & sua pulset
Natorumque fames.

Ut è *Græcis Tryphiodorus* in *Ilii halosi*,

Καρχαρέοισι λύκοισιν ἐοικότες οἵ θ' ὑπὸ νύκτα
Χειμερίην φεύγοντες ἀσημάντοις ἐπὶ μήλοις
Οἴχονται. - - - - -

Frendentibus lupis similes, quique sub noctem hybernam grassantes in incustoditas oves abeunt. Et *Oppianus Cynegeticῶν* libro tertio, ubi de lupo, & hyæna;

Τὸν μὲν νυκτιβάτην διὰ γαστρὸς ἄφυκτον ἐρωὴν
Ἀργεννῶν ἐρίφων τε πολύτροπον ἁρπακτῆρα,

Illum quidem propter ventris inevitabilem impetum, nocturnum, & versipellem alborum hædorum raptorem. *Arabicè* quoque الذيب عسعس id est, طاف بالليل *lupus noctu divagatus est.* Unde lupus العسعس *alasaso*, vel العساس *alassaso*, id est, *nocturnus erro* appellatur. Quid si ab ערב deducatur *Samniticum lupi* nomen *Irpus*, unde *Irpini*, vel *Hirpini populi?* Festus, *Irpini appellati nomine lupi, quem irpum dicunt Samnites. Eum enim ducem secuti agros occupavere.* *Strabo* libro decimo quinto, Ἑξῆς δ' εἰσὶν Ἱρπῖνοι, καὶ αὐτοὶ Σαυνῖται, τοὔνομα δ' ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας· ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαυνῖται τὸν λύκον. Vide & *Servium* in librum septimum *Æneidos*. Neque frustrà *Jeremias*, *Lupus vespertinus vastabit eos.* Et Habacuc, *Acutiores lupis vesperâ.* Et *Sophonias*, *Judices ejus lupi vespera.* Nam, ut *Hieronymus* in *Habacuc* rectè observat, *Lupi sæviores esse dicuntur nocte vicina, & tota die fame ad rabiem concitati.* Nempe extra famem mitis est lupus, nec ulli insidiosus. *Ælianus* lib. 4. cap. 15. Ὁ λύκος ἐμπλησθεὶς εἰς κόρον, &c. πρᾳότατος ἐντυχεῖν ἐστιν ἀμνοῦ δίκην, καὶ οὐκ ἂν ἐπιβουλεύσαι (lege ἐπιβουλεύει) ἢ ἀνθρώπῳ, ἢ θρέμμασιν, οὐδ' εἰ τῆς ἀγέλης βαδίζει μέσος. *Lupus saturatus occurrentibus instar agni mansuetus est, nec ulli homini, aut pecudi insidiatur, etiamsi per medium gregem eat.* *Phile* capite quadragesimo primo,

Λύκος φαγὼν δὲ, καὶ κορεσθεὶς, οὐ λύκος,
Ἀλλ' ἀμνὸς ἂν φαίνοιτο ποιμνίων μέσον,

Lupus pastus, & satiatus, non lupus, sed agnus esse videatur inter greges. Sed lupinum ingenium statim cum fame redit. Proinde idem paulo pòst,

Καὶ τὸν κόρον πεφθέντος, ἐν βραχεῖ χρόνῳ
Ὁ θὴρ πάλιν δείκνυσι τὸν ὠμὸν λύκον.

Sed

Sed concoctâ ſatietate (id eſt, concocto cibo, quo ſatiatus fuerat) *brevi tempore fera primum lupum rurſus exhibet.* Quomodo etiam *Ælianus*, Εἶτα εἰς τὸ ἀρχαῖον σχῆμα ἐπάνεισι, καὶ λύκος γίνεται αὖθις· *Deinde in antiquam figuram redit, & rurſus fit lupus.*

Pro *lupis* עֶרֶב *ereb*, id eſt, *veſpera*, ſeu *veſpertinis*, *Græci* habent λύκους τῆς Ἀραβίας, *lupos Arabiæ*; quia diverſis Vocalibus pro עֶרֶב *ereb*, legerunt עֲרָב *Arab*, id eſt, *Arabiam*. Neque id omnino malè. Lupis enim *Arabiam* ſcatere notiſſimum eſt. Hinc *Agatharchides* lib. 5. cap. 45. in deſcriptione terræ Βυθημανέων (malim Θεμανιτῶν, id eſt. *Themaniſtarum Arabum*) prope *Nabatæos*, & *Laenitem*, vel *Ælanitem* ſinum: λεόντων, καὶ λύκων, καὶ παρδάλεων συνάγει (?) πλῆθος ἡ γῆ· *Leonum, & luporum, & pardorum copiam terra ſimul producit.* Et de eadem *Strabo* lib. 16. Λέοντές τε, καὶ παρδάλεις, καὶ λύκοι ζυγροί· *Leones quoq́; in ea ſunt, & pardi, & lupi frequentes.* Et *Diodorus* lib. 3. pag. 124. Φοιτῶσιν ἐκ τῆς ἐρήμου λεόντων, καὶ λύκων, καὶ παρδάλεων ἀγέλαι· *Leonum, luporum, & pardorum ex deſerto turmæ veniunt.* Proinde in *Arabum* ſcriptis lupi frequens eſt mentio. Et nomina ejus ferè centum mihi occurrerunt in ſolo *Lexico Alcamuſ*. Pluribus tamen de cauſis זאבי ערב in *Habacuc*, & *Sophonia* mihi ſunt *lupi veſpertini*, non *lupi Arabiæ*. Primò enim ſic intelligunt *Maſorethæ*, à quorum lectione non receſſerim niſi coactus. Secundò, *Chaldæus*, *Syrus*, *Symmachus*, *Hieronymus*, *Hebræi* omnes idem ſequuntur. Tertiò, quamvis in *Arabia* lupi ſint frequentiſſimi, tamen his non video à Scriptoribus eximium quidquam tribui, cur eos *Syriæ*, aut *Judææ* lupis *Prophetæ* prætulerint. Et *Prophetarum* loca de lupis *Arabiæ* ſic citat *Tzetzes Chil.* 10. *Hiſt.* 307. ut ad ea illuſtranda nihil afferat. Quartò, *Jerem.* 5. v. 6. זאב ערבות eſt *lupus veſperarum*, ſeu *veſpertinus*, non *Arabiarum*. Nam ערב *Arab*, pro *Arabia* Plurali caret. Pari igitur ratione זאבי ערב ſunt *lupi veſperæ*, non *lupi Arabiæ*. Eſt enim valde veriſſimile זאבי ערבות & זאבי ערב ſolo numero differre. Sed *Græci* interpretes id non viderunt, quia in *Jeremia* pro ערבות diviſa voce, & literis nonnihil mutatis legerunt עד בית *usq́; ad domum*. Unde nata eſt illa verſio, Καὶ λύκος ἕως τῶν οἰκιῶν ὠλόθρευσεν αὐτούς, *Et lupus uſq́; ad domos vaſtavit eos.* Senſu non omnino incommodo. Sequitur enim, Καὶ πάρδαλις ἐγρηγόρησεν ἐπὶ τὰς πόλεις αὐτῶν, *Et pardus vigilavit ſuper urbes eorum.* Et *Oppianus* hæc habet de circo, vel harpage, lupi ſpecie, *Cyneget icῶn* libro tertio,

> Δὴ τότε καὶ πτόλιος πέλας ἵκετο θὴρ ὀλοόφρων,
> Πᾶσαν ἀναιδείην ἐπιειμένος εἵνεκ' ἐδωδῆς.

Tum ſanè ad urbem accedit pernicioſa fera, omnem impudentiam induta propter cibum. Et Albertus, *Senes lupi facilè capiuntur: accedunt enim ad domos, &c.* Quod tamen in prodigiis cenſet *Julius Obſequens*: *M. Cicerone*, inquit, & *C. Antonio Conſulibus lupi in urbe viſi.* Et ex *Livio* non nemo, *Viſo lupo in Capitolio, dirum putatum, & urbs poſteà luſtrata.* Item, *Lupum caſtra introiſſe, & laceratis obviis intactum abiiſſe, exitium & cladem portendiſſe, eventus docuit, toto poſteà exercitu ingenti clade affecto.*

V. Quintò, de *Aſſyriorum* equis dicitur *Hab.* 1. v. 8. וחדו מזאבי ערב *Et acutiores ſunt lupis veſpertinis.* Et illam ὀξύτητα alii ad curſum, alii ad viſum referunt, ut jam alibi docuimus. Quorum utrumque lupo convenit. Nam in variis luporum ſpeciebus unus vocatur τοξευτὴς *jaculator*; alius κίρκος *circus*, vel *accipiter*, à velocitate curſus. Et ille quidem habet θοὰ κῶλα, *veloces artus*: hic autem eſt

> - - πάντεσσι θοώτερος ὠκυλύκοισι,

lupis omnibus celeritate potior. Ita eſt in *Oppiano*. Hinc è multis luporum nominibus apud *Arabes* hæc à levitate, atque agilitate ſumpta ſunt, quantum meмini. السمعمع *aſſamamao*; اللدد *alladſo*, اللدلد *alladiladſo*, الملاذ *ammiladſo*, الهذلول *alhudſoulo*, الهريع *alhuraio*, الهزلاج *alhizlagio*, & الهملع *alhemmelao*. Sed & lupum acutiſſimè cernere teſtantur idonei Scriptores. *Ælianus Hiſt.* lib. 10. cap. 26. Ὀξυωπέστατόν ἐστι ζῷον· καὶ μέντοι νυκτὸς, καὶ σελήνης οὐκ οὔσης, ὁ δὲ ὁρᾷ· *Acutiſſimi viſus eſt animal: quippe etiam noctu, & lunâ non lucente, videt.* Ita etiam *Apoſtolius* Cent. 12. Prov. 21. Et *Phile* capite quadrageſimo primo,

> Ὁρᾷ δὲ μακρὰν, ὀξυδερκὴς ὢν φύσει,
> Καὶ γλαὺξ ἀτεχνῶς ὑπό γε νυκτὶ, καὶ σκότος·
> *Acie oculorum prævalens procul videt,*
> *Ut noctua atra noctis in caligine.*

Cauſa ex *Plinio* patet, qui oculos lupo ſplendere, & lucem jaculari aſſerit libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo. Inde *Arabicè* ضبز *dſabiz*, & ضيبز *dſaibaz* dicitur, quod *Alcamus* de lupo explicat, cum eſt متوقد اللحظ id eſt, cum ardent canthi oculorum ejus, quibus limis aſpicit. Proinde ضبز *dſabz* in lupo ibidem redditur شدة اللحظ *extremi oculi intentio*, quo quid attentè aſpicitur. Atque ob id ipſum nonnulli lupum volunt *Apollini* eſſe ſacrum, ut Deo perſpicaciſſimo. *Arati Scholiaſtes* apud me manu-ſcriptus de *Apolline*, Ὡς γὰρ ἐκεῖνος μακρόθεν ὢν ὁρᾶν δύναται, οὕτω δὲ καὶ ὁ λύκος ὀξυδερκής· καὶ διὰ τὸ ὀξυδερκὲς αὐτοῦ προσῳκείωσαν αὐτὸν τῷ Ἀπόλλωνι. Quin ipſum *Apollinem* in lupo coli in *Ægypti Thebaide Macrobius* his verbis aſſerit *Saturnalium* lib. 1 cap. 17. Λύκιον *autem Solem vocari etiam* Lycopolitana Thebaidos *civitas teſtimonio eſt: quæ pari religione* Apollinem, *itemq́; lupum* (*hoc eſt*, λύκον) *colit: in utroq́; Solem venerans, quod hoc animal capit, & conſumit omnia in modum Solis: ac plurimum oculorum acie cernens tenebras noctis evincit.* Inde *crepuſculum* λυκόφως, ut in *Homero nox ſubluſtris* ἀμφιλύκη νύξ· quia lupus tum ſolus fruitur lucis uſura, ut *Ælianus* obſervat ubi ſupra. Quamvis apud *Macrobium* nonnulli aliter ſtatuant; nempe *ipſos quoq́;* λύκους ἀπὸ τῆς λύκης, *id eſt, à luce prima appellatos, quia hæ feræ maximè id tempus rapiendo pecori obſervant, quod antelucanum poſt nocturnam famem ad paſtum ſtabulis expellitur.* Quod ſequutus *Oppianus* de lupo hæc habet libro tertio *Cyneget icῶn*,

> Πολλῷ σὺν ῥοίζῳ δὲ μάλ' ὄρθιος εἶσιν ἐπ' ἄγρην
> Πρώτῃ ὑπ' ἀμφιλύκῃ·

Magno autem cum ſtridore valde matutinus ad prædam contendit ſub primum crepuſculum. Utut ſit, cum utrumque hoc probaverimus, lupos & curſu valere, & oculorum acie, utrumque potuit reſpicere *Propheta*, cum *Aſſyriorum* equos dixit eſſe lupis veſpertinis ὀξυτέρους. Licet ad animum id referre malim, ita ut tam equi, quam lupi bellicoſi ὀξεῖς, id eſt, *acres* dicantur; quia quidquid agendum ſibi proponunt acriter exſequuntur, & ſumma contentione. Utrumque in ſummo *Poeta* reperitur,

> - - - - - *Et genus acre luporum*

libro tertio *Georgicorum*: &

> - - Aſcanius *mediis in vallibus acri*
> *Gaudet equo.* - - - - - -

Quam animi ὀξύτητα *Hebræa* voce ſignificari alibi docuimus.

VI. Sextò, Sacri Scriptores lupos ovibus paſſim opponunt, tanquam infenſiſſimos atque infeſtiſſimos hoſtes. Quò *Christi* verba pertinent *Matth.* 10. v. 16. *Mitto vos ut oves* (Luc. 10. v. 3. *ut agnos*) *in medio luporum.*

porum. Et Joh. 10. v. 12. *Mercenarius, lupum venientem videns, deserit oves, & fugit. Lupus autem eas rapit, & dispergit.* Et *Siracbidis* Ecclef. 13. v. 19. *Quæ communio inter lupum & agnum?* Proinde ut sub regno *Messiæ* magna rerum conversio futura significetur, dicitur *Esa.* 11. v. 6. *Habitabit lupus cum agno.* Et Esa. 65. v. 25. *Lupus & agnus simul pascentur.* Sed his non immoramur; quia jam explicata sunt in Tractatu *De Ovibus.*

VII. Septimò, cum lupis conferuntur falsi Doctores, de quibus *Christus* Matth. 7. v. 15. *Cavete vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in indumentis ovium, sed intus sunt lupi rapaces.* Et *Paulus* Actor. 20. v. 29. *Ego enim illud scio, lupos graves, & non parcituros gregi, ingressuros esse inter vos post discessum meum. Vestimenta ovium* uno verbo sunt μηλωταὶ, quibus amiciebantur veri *Prophetæ.* Hinc de *Elia* legitur 3. *Reg.* 19. v. 13. Ἐπεκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐν τῇ μηλωτῇ αὐτοῦ. Et de *Elisæo* 4. *Reg.* 2. v. 13. Καὶ ἔλαβε τὴν μηλωτὴν Ἡλιου. Itaque in *Christi* verbis duplex allusio. Una ad *Prophetarum* vestes, quas imitabantur falsi Doctores, ut pro veris haberentur: altera ad ovium mansuetudinem, quam externâ specie mentiebantur, cùm re verâ essent lupis rapaciores. Nam ut lupus toti gregi: ita toti Ecclesiæ falsus Doctor insidiatur. Atque ut lupus inhiat ovium vitæ & sanguini: ita ille animabus, quas sanguine suo redemit *Christus.* Vide *Ezech.* 13. v. 18. Ut illum taceam vero pastori esse tam similem, quàm lupum cani. Et quomodo per noctis tenebras grassatur lupus, & dum pastores dormiunt gregem invadit: ita eum *Christi* Ecclesiam, cum negligentia pastorum, & ignorantiæ tenebræ ingruentes videntur grassanti malo latam fenestram aperire.

VIII. Octavò, luporum nomine sæpe intelliguntur tyranni, & bonorum persecutores, propter rabiem insitam, & morum immanitatem, quâ fit, ut luporum instar, sanguinem populi sitiant, neque eo satientur unquam. Sic *Ezech.* 22. v. 27. *Principes ejus sunt tanquam lupi rapientes rapinam, effundendo sanguinem, perdendo animas* (id est, vitas) *ut quæstum faciant.* Sophon. 3. v. 3. *Judices lupi vespertini sunt, qui ossa non relinquunt usq; ad matutinum tempus.* Matth. 10. v. 16. *Mitto vos ut oves in medio luporum:* id est, infirmos, inermes, & ab omnibus auxiliis humanis imparatos, nec lupi unius furori expositos, atque obvios, sed plurimorum. Quot enim inter *Judæos*, quot inter *Gentiles* fuerunt veritatis ignari, tot hostes habuerunt primi Evangelii præcones. Quorum conatibus quid opponerent nihil illis fuit præter *Christi* promissionem *Matth.* 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.* Et *Matth.* 28. v. 20. *Ecce! ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.* Quòd si unus lupus sufficit magno gregi perdendo, & devastando: in medio tot luporum quomodo evasisset parvus *Christi* grex, nisi illum servasset idem, qui *Danielem* inter leones? Metu luporum hujusmodi fugiunt pastores mercenarii, *Joh.* 10. v. 12. id est, qui avaritiâ ducuntur, non zelo gloriæ Dei; & oves per illorum defectionem rapiuntur, & dissipantur. Tamen illos ipsos lupos quandoque mutat in oves, aut in pastores etiam, vis spiritus ϛρεψικάρδιος, ut patet ex *Pauli* exemplo. Et tum impletur quod *Esaias* prædixerat, fore, ut lupus & agnus unà degerent, & simul pascerentur, hoc est, in eadem Ecclesia.

IX. Nonò, disquiramus superest quorsum *Benjamin*, id est, tribus ex illo oriunda, vocetur *lupus, qui rapit, & manè comedit prædam, & sub vesperam dividit spolium,* Gen. 49. v. 27. *Chaldæi* tres interpretes id ad altare referunt, quod fuit in tribu *Benjamin*, ubi Sacerdotes manè victimas obtulerunt, & vesperi oblata à populo inter se diviserunt. Proinde in *Talmudico* Tractatu *Zebachim* cap. 5. fol. 53. b. Templi, & altaris portio, in qua cædebantur victimæ, vocatur חלקו של טורף *pars rapientis*, seu *discerpentis*, id est, בנימין דכתיב ביה זאב יטרוף Benjamin, *de quo scribitur*, Benjamin *est lupus discerpens.* Ita *Glossator* ad eum locum. Et eodem videtur allusisse *Maria Bilgæ* filia, cùm in altare sic exclamavit, לוקוס לוקוס עד מתי אתה מכלה ממונן של ישראל *Lupe, lupe, quamdiu tu consumes facultates* Israelitarum. *Talmudici* sic referunt in *Succha* cap. 5. fol. 56. b. Et in *Cabalistico* Legis commentario, cui titulus *Baal Hatturim*, verba *Jacobi* de *Benjamine* ולערב יחלק שלל *Et sub vesperam dividet spolium*, notantur per *Gematriam* idem valere, quod verba אילו הקורבנות *Hæ sunt oblationes.* Ex utrisq; scilicet exsurgit idem numerus, nempe DCCCXVI. Tamen in hac interpretatione nihil est sani; quia, utut altare constructum fuerit in *Benjamitarum* solo, *Benjamin* ea de causa dici non potuit *lupus rapax*, aut *manè comedisse* & *sub vesperam divisisse spolium*; cum *Benjamitarum* non fuerint, sed *Levitarum* victimæ, & oblationes, quæ in altari offerebantur. Proinde *Hebræorum* alii ad *Benjamitas* referunt, quibus permissum fuit uxores sibi rapere ex *Silunitis* puellis, *Jud.* 21. v. 21. Alii ad *Saulem*, & *Mardochæum*, qui & ipsi fuerunt ex *Benjamitarum* tribu. Ille porro manè, id est, primis *Israelitici* regni temporibus uberrimam de *Amalekitis* prædam retulit. Hic autem sub vesperam id est, post captivitatis *Babylonicæ* tempora, *Hamanis*, & filiorum ejus spolia divisisse legitur in libro *Esther.* De his videndi *Selomo*, & *Aben Ezra* in hunc locum. *Tertullianus* contra *Marcionem* libri quinti capite primo, *Ambrosius* capite duodecimo *De benedictionibus Patriarcharum*, *Hieronymus* libro quarto in *Esaiam*, & libro secundo in *Oseam*, *Augustinus* Sermone primo *De conversione Pauli*, & veterum plures alii, *Paulum* hic intelligunt, ex eadem tribu oriundum, qui primo manè, id est, junior, tanquam lupus, vastavit Ecclesiam, & in fideles sæviit: vespere autem, id est, senior, spolia gentium, Diabolo detracta, *Christo*, & Ecclesiæ divisit. *Barradius Jerosolymam*, *Benjamitarum* metropolim, in qua *Judæi* ut lupus manè prædam comederunt, id est, *Messiam* crucifigendum ad *Pilatum* adduxerunt, & vesperè milites spolia diviserunt, id est, ejusdem *Christi* vestes.

Nos ut *Judam* leoni, ita *Benjaminum* lupo conferri putamus propter fortitudinem. Lupi enim animo & robore non parum valent. Proinde *Marti* dicati sunt, & à *Poetis* vocantur *Martii*, & *Martiales.* *Horatius* lib. 1. *Odâ* lib. 17.

Nec virides metuunt colubras,
Nec Martiales *hœdiliæ lupos.*

Virgilius libro nono *Æneidos*,

Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius *à stabulis rapuit lupus.*

Ubi *Servius*, *Martius lupus, aut cruentus, aut* Marti *dicatus.* Hinc in *Epigrammate* λυκοθαρσὴς est *audax*, & *magnanimus.* Et in *Hesychio* λυκοθρασὴς, θρασύς. Rursus in eodem λυκόφρων, *lupino animo præditus*, exponitur δεινόφρων, & ὠμόφρων. Quid quòd nonnullæ gentes lupino ululatu, tanquam incentivo carmine, ad pugnam se incitabant? *Suidas*, λυκηθμὸς, ἡ τῶν λύκων βοὴ, *Luporum ululatus.* Et paulò post ex auctore innominato, Οἱ Ἄβαροι ἐσέβαλλον ἀθρόως χρησάμενοι τῷ συνήθει λυκηθμῷ· φίλη γὰρ αὐτοῖς ἡ τοιαύτη ἠχή. Abari confertim irruunt lupino ululatu de more usi; qualis ululatus ipsos delectat. *Plinius* libri vigesimi sexti capite quarto, *Cùm* Cimbri Teutoniq; *terribili* Marte *ulularent.* *Statius* lib. 9. *Thebaidos*,

Tu dulces lituos, ululataq; prælia gaudes.

Hoc præcipuum, quod fortissimis viris luporum nomen

men quandoque inditum. *Herculi* putà, cujus fanum ænigmaticè sic describit *Lycophron* in *Cassandra* versu 871.

Καὶ θηρόχλαινα σηκὸν ἀμφιεῖ λύκου,

Et ferina pelle indui. lupi condiat templum. Pari ratione sub lupi typo *Benjamitæ* significantur propter bellicam fortitudinem. Ea porro maximè eminuit in bello *Gabaitarum* causa suscepto, in quo *Benjamitæ* soli reliquas undecim tribus intrepidè adoriuntur. Et hominum in illis viginti sex millia audent in acie stare contra omnes *Israelitas*, qui cum ex omnibus *Judææ* partibus convenissent, ad quadringenta peditum millia recensiti sunt: *Benjamitæ* tamen, duobus præliis victores, & cæsis *Israelitarum* duodequadraginta millibus, tertio tandem prælio, nonnisi astu à reliquis victi, & profligati sunt. In *Benjamitarum* copiis notandum est septingentos fuisse funditores *Gabaitas* jaculandi tam peritos, ut ne à pilo quidem aberrarent, *Jud.* 20. *v.* 16. Quomodo apud *Smyrnæum* libro quarto in sagittario certamine pro scopo statuit *Agamemnon*

- - - - - ἱππόκομον τρυφάλειαν,

galeam setis equinis insignem, præmium illi daturus,

- ὥς κείρειεν ἀπὸ τρίχας ὀξέι χαλκῷ,

qui acuto sagittæ *ære galea comas resecaret.* Et *Ajax* quidem, qui primus descendit in hoc certamen, nonnisi galeam feriit: sed hunc sequutus *Teucer* sagittam emisit eventu secundiore,

- - - - - ἄφαρ δ' ἀπέκειρεν ἐθείρας

ὀξὺ βέλος, - - - - - - - -

Et statim pilos totondit acutum telum. Nec ita pridem in *Perside Scamachiæ* pro-Rex semel atque iterum ictu sagittæ medium secuit pilum sex magnorum passuum intervallo à se distantem. Ita narrat testis αὐτόπτης *Olearius Itineris Persici* libro quarto pag. 399. His adde gesta *Saulis* Regis è tribu *Benjamitica*, qui, *potitus regno* Israelis, *omnes undiq; suos hostes debellavit*, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, *& Reges* Sobæ, *& Philistæos, & quocunque se vertebat, eos* ירשיע *male mulctabat, coactisq; copiis* Amalekitas *profugavit, &* Israelitas *ab oppressorum injuriis liberavit*, 1. Sam. 14. v. 47. 48. Quin, *Saule* à Deo rejecto, occisoque à *Philistæis*, deletisque ejus copiis penè ad internecionem, & *Davide* ei substituto à maxima parte populi, tamen *Benjamitarum* regnum stetit adhuc per septennium, nec nisi post longum bellum, & imperatoris *Abneri* defectionem potuit destrui, & dissipari. Quamvis à *Davidis* partibus starent *Benjamitarum* fortissimi, adeoque nonnulli ex *Saulis* cognatione. Ex quibus jam constare puto hanc tribum meritò conferri cum lupo rapace, qui manè comedit prædam, quam vesperè diviserat.

CAPUT UNDECIMUM.

Probatur צבוע esse *Hyænam*, de qua multa.

Cur censeatur lupus in speciebus הצבועים. *Varia* Fulleri *conjectura.* צבוע *est* hyæna. *Quod probatur ex* Jerem. 12. v. 9. *&* 1. Sam. 13. v. 18. *&* Sirach. 13. v. 21. *&* Mardochæo. *Crocutta* κυνόλυκος. צבועים *non solùm* hyænæ, *sed & quavis* feræ rapaces. Arabibus ضبع hyæna, *quod multa probant. Hyæna lupo similis. Cum currit claudicare videtur. Hybrida animalia ex hyæna mare & lupa, vel ex lupo & hyæna fœmina, quomodo* Arabicè. *Lupa hyænæ catulos lactat. Thoes ex hyæna & lupo scilicet. Hyæna canibus quam infesta. Hyænæ lingua gestata canum incursum prohibet. De hyæna & canum umbra fabula.* Alcamus *emendatus. Hyæna natalis in* Arabia, *&* Africa. *Hyænii homines, quos hyæna solos è multis adoritur. Hyæna* τυμβωρύχος. *Eam alternare sexum multi asserunt: sed* Aristoteles, Diodorus, Clemens Alexandrinus, Eustathius *meritò negant. Origo fabulæ. Aliud commentum simile. Humani sermonis est æmula.* Macarii *cum hyæna dialogus.* Turcica *&* Arabica *verba, quibus capi dicitur. Ledem carminis genus. Medicina ex hyænæ felle, pelle, &c.* Dioscorides *emendatus. Hyæna dicitur* צבוע, *ut cenchris à varietate colorum. Rosomacha hyænæ species. Ginetta, id est, hyænetta. Hyæna oculis etiam & animo varia. Hinc* צבוע hypocrita. *Crocutta, & manticbora hyænæ species. Explicatur locus de hyæna* Jerem. 12. vers. 8. *Variæ interpretationes prorsus alienæ. Locus* Drusio *de vitio suspectus. Cur* Græci עיט σπήλαιον *reddant.* Ἀετὸς *ex* Hebræo עיט *ajit.* עיט *non solum* avis rapax, *sed &* fera. *Nomina quædam feris & avibus communia. Loci* Jeremiæ *Paraphrasis.* Nodus hyænæ *Lucani libro sexto quid propriè.* Salmasius *notatus. Primum spinæ articulum in hyæna* nodum *vocari, &* atlantion. *Ejus virtus, & descriptio.* Ἄτλας *ultima colli vertebra. Cur hyæna claudicet.*

FUllerus vir doctissimus in *Miscellaneis* suis libri sexti capite decimo nono operosè disquirit, quorsum *Rabbi Mardochæus* lupum esse dixerit מין ממיני הצבועים id est, ut vertendum putat, *de genere animalium, qui sunt diversi coloris*, aut verò *rubri* etiam, quia צבוע utrumque sonat. Atque id modò refert ad cinereos lupos, quia cinereus color ex albo & nigro mistus est. Modò ad lupos, qui rufi sunt: de quibus in *Oppiano*. Modò צבוע vult esse genus ad omnes feras carnivoras, quas *Hebræi* sic appellaverint; quia dilaniatorum animalium sanguine tinguntur, & cruentantur. Quod ultimum est prioribus verius. Nam in epistola *Hebraica* de animalibus, quam *Holmiæ* legi manu-scriptam, passim ita sumi videas. Ita è sex legatis, qui mittuntur ad totidem species animalium, השלוח הראשון הלך אל הצבועים ה״ל חיות טורפות *legatus primus mittitur ad* tseboim, *id est, ad feras rapaces.* Sed & צבוע *tseboa*, ibidem est *hyæna*. Utroque modo usurpatum reperias in his verbis paulò infra, שלח המלך ויאספו אליו חיליו מיני צבועים וחיות טורפות נמרים וזאבים ואלפהוד ובני אוי חתולים ושועלים וחתולי הבר והצבוע *Convocavit ad se leo Rex ferarum copias suas, species* tseboim, *& ferarum rapacium pardos, & lupos, &* alphehud (id est, *lynces*) *& filios* avvi (id est, *thoes*) *& ursos, & vulpes, & feles sylvestres, &* tseboa, (id est, *hyænam.*) In quibus verbis Plurale צבועים *tseboim*, significat quasvis *feras rapaces*, ut *Arabicum* سباع *sibaon*, quod tamen illi per *Sin* scribunt, non per *Sad*. Sed singulare צבוע *tseboa*, est *hyæna*. Proinde cum in ferarum concilio singulæ apud Regem suum, id est, leonem, profitentur qua facultate polleant, צבוע *tseboa*, se valere jactitat, בחפירת קברות וסחוב הנבלות ולהלחם בכלבים *ad sepulchrorum effossionem, ad tractionem cadaverum, & ad pugnandum in canes:* quæ hyænæ quam conveniant patebit ex sequentibus. *Lexicographi* quidem de hac voce nil quidquam habent, nec eam in S. Scriptoribus reperiunt novi interpretes. Tamen צבוע *tseboa*, vetustioribus *Hebræis* fuisse *hyænam* tam certum est, quam quod est certissimum. Primò enim id patet ex *Jerem.* 12. *v.* 9. ubi *Græci* עיט צבוע, explicant σπήλαιον ὑαίνης, *speluncam hyænæ*, de quo loco plura deinceps.

Se

Secundò, ex eo, quod eorum unus, qui *Græcam Bibliorum* versionem recuderunt, ab *Aquila*, *Symmacho*, & *Theodotione* diversus, 1. *Sam.* 13. *v.* 18. גי הצבעים exponit φάραγγα τῶν ὑαινῶν, *vallem hyænarum*, non *sucularum*, ut accepit *Drusius*. Nam *suculæ Græcè* non sunt ὕαιναι, sed ὑάδες. Quamvis enim ὑάδες ἀπὸ τοῦ ὕειν *à pluendo* dictæ sint, tamen *Romani* veteres, in eruendis vocabulorum etymologiis parum exercitati, *suculas* appellaverunt. Ac si ὑάδες ὑπὸ τῶν ὑῶν dicerentur parvæ ὕες. Vide quid de ea re scripserit *Tullius Tiro*, *M. Ciceronis* alumnus, & libertus, apud *Gellium* libri 13. cap. 9. Tertiò, ibidem *Chaldæus* habet לחילת אפעיא, quod *Hebræi* omnes reddunt *ad vallem viperarum*, vel *basiliscorum*. At ego vertendum contendo *ad vallem hyænarum*. Quia *Syris* ܐܦܥܐ est *hyæna*. Patet id ex *Syra* versione *Sirachidis* cap. 13. v. 21. ubi *Græca* hæc verba, Τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα; *Quæ pax hyænæ cum cane?* *Syriacè* sic explicantur ܡܢܐ ܫܠܡܐ ܐܦܥܐ ܠܟܠܒܐ Proinde in *Lexico Syro Baptistæ Ferrarii* pag. 743. ܐܦܥܐ legitur esse *fera quædam homines devorans*, id est, *hyæna*.

His testibus addo *Arabes*, quibus ضبع *dsabuon* (Barbari scriptores perperam habent *zabo*, *alzabo*, *akabo*, *debub*, *debuth*, *dabath*, *dhoboab*, &c.) *hyænam* esse planè constat; quia ضبع describunt iisdem planè notis, quibus hyænam *Græci*, quod probare cuivis obvium.

I. Primò hyæna est lupo simillima. Ita *Scaliger* in *Cardanum* lupum & hyænam sub eodem genere anonymo contineri asserit. *Gesnerus* lupo & hyænæ multa esse communia observat, magnitudinem, & colorem, voracitatem item, & insidias quas aliis animalibus moliuntur: dentes utrique serratos, genitalia utrique similia, & quod uterque noctu vagatur ad prædam. Hinc est, quod *Oppianus*, de lupo & hyæna conjunctim agens, utriusque descriptionem ita orditur:

Φράζεο δὴ δύο φῦλα δυσέντεα καρχαρόδοντα,
Μηλοφόνον τε λύκον, δυσδέρκεά τ' αὖθις ὕαιναν.
Τὸν μὲν ποιμνίων καὶ αἰπολίων ὀλετῆρα·
Τὴν δ' ἐχθρὴν σκυλάκεσσιν, ἀρειοτέροις τε κύνεσσι·

Considera jam duo genera infesta, asperis dentibus, & ovicidam lupum, & cæcutientem hyænam. Illum quidem ovilium & caprilium vastatorem; hanc vero catulis infestam, & majoribus canibus. Quomodo deinceps pergens, utriusque crimina rasis librat in antithetis, atque inter se ita opponit, ut quid inter se commune habeant, quid singulis sit proprium, elegantissimè doceat. Ita hyænæ speciem in Æthiopia *crocuttam Diodorus* & alii scribunt μεμιγμένην ἔχειν φύσιν λύκου, καὶ κυνός. Hinc *Plinius* lib. 8. cap. 21. *Crocuttas velut ex cane lupoq; conceptas (Æthiopia* generat.) Itaque κυνόλυκον *Græci* vocabant, quasi ex utroq; mixtum animal. Ita الضبع *Giggeius* scribit medium esse animal inter lupum & canem. Alii simpliciter lupo similem. *Alcamus*, ضبع كالذيب الا اذا جري كانه اعرج فكذا سمي الضبع العرجا Dsabuon *est instar lupi, nisi quod cum currit videtur clauda, ac proinde clauda vocatur.* Et *Assariph*, è quo *Abenbitar* هذا الحيوان شبيه الذيب *Hoc animal est lupo simile*, & reliqua ut in *Alcamus*. *Arabs Pandectarius* dicit *vergere ad formam lupi*. Leo Africanus *magnitudine & forma lupum referre*. Et *Alkazuinius*, وبين الضبع والذيبة مصادقة ويتولد منهما ولد ويقال له السمع وهو حيوان عجيب الشكل بين الضبع والذيب فان كان الذكر ذيبا فقال له العسبار وشكله عجيب ايضا *Amor etiam est mutuus inter* dsabuon *& lupam, & catulus ex iis generatur* simon *nomine, quod mirabilis est formæ animal, medius inter* dsabuon *& lupam. Aut, si mas sit lupus, vocatur* ibar, *& hujus quoq; mira est species.* De priore, qui سمع *simon* vocatur, fabulantur *Arabes* in *Alcamus* انه لا يموت حتف انفه كالحية ولي عدوه اسرع من الطير ووثبته تزيد علي ثلاثين ذراعا *eum per se non mori, ut neq; serpentem, & cursu velociorem esse avibus, & supra triginta cubitos saltu suo transmittere.* At posterioris verum nomen non est عبار *ibar*, sed عسبار *isbar*. Alcamus, العسبار ولد الضبع من الذيب *Alisbaro catulus hyænæ ex lupo.* Aliter tamen *Algiahid* in *Damire*, وتلد من الدب جرو يسمي العسبار ومن الذيب جرو يسمي السمع *Parit ex urso catulum* isbar *nomine, & ex lupo catulum, qui* simon *dicitur.* Alii دروان *diruvan* nominant. *Alcamus*, الدروان ولد الضبعان من الذيبة Diruvan, *hyænæ maris catulus ex lupa.*

Græci, qui adulterinum hoc animal non prorsus ignorarunt, idem esse cum thoe sibi finxerunt. *Hesychius*, Θῶες, θῆρας ἐξ ὑαίνης καὶ λύκου γινομένους. Quin, si *Arabibus* fides, lupa quandoque catulos hyænæ lactat suis relictis. Unde Proverbium, احمق من جهيزة من عرس الذيب لانها تدع ولدها وترضع ولد الضبع ويقال اذا صيدت الضبع كفل الذيب ولدها *Stultior* gehizâ, *id est, lupi fœminâ; quia deserit catulum suum, ut hyænæ catulum lactet. Quin cum hyæna venatione capitur, fœtum illius curat lupus.* Hæc *Alcamus*.

II. Secundò, nemo est, qui hyænam nesciat canibus esse infestissimam. Id supra nos docuit *Sirachides* disertis verbis, *Quæ pax*, inquit, *hyænæ cum cane?* Et *Oppianus*,

Τὴν δ' ἐχθρὴν σκυλάκεσσιν, ἀρειοτέροις τε κύνεσσιν,

Illam catulis infestam esse, & majoribus canibus. Ut auctor *Homiliarum* in *Marcum* sub *Chrysostomi* nomine *Homilia* decima tertia, *Maximè canibus delectatur*,

ſtatur, & ipſos rapit, ac devorat. Et ejus umbræ contactu canem obmuteſcere aſſerunt *Plinius, Solinus, Ælianus*, & *Phile*. Quin *Plinius* eos aſſerit, *qui hyænæ linguam in calceamento ſub pede habeant, non latrari à canibus.* Quibus illud ſimile, quod ex *Zoroaſtre* referunt Scriptores *Geoponicῶν* libri decimi quinti capite primo, Εἰ τις δὲ κατέχει τῇ χειρὶ γλῶσσαν ὑαίνης, μεγίστην ἕξει φυλακὴν πρὸς τὴν τῶν κυνῶν ὑλακὴν. Neque *Arabum* nugæ diſpares de ſuo ضبع. *Alkazuinius* in libro *Mirabilium*, بين الضبع والكلب عداوة فان وضع ظل الضبع على الكلب يقف مكانه لا يقدر على المشي حتى ياتي الضبع ياكله وان مرض الضبع اكل لحم الكلب *Inter dſabuon & canem gravis eſt inimicitia. Et ſi umbra* ☧ dſabuon *in canem incidat, is in loco ſuo ſtat, nec poteſt inde moveri, donec veniat* dſabuon, *& eum voret. Et, ſi ægrotat* dſabuon, *comedit carnem canis.* Damir de *dſabuon*, ſeu *hyæna*, وهي اذا وطيت ظلة الكلب في القمر وهو على سطح وقع الكلب اليها فتاكله *Cum ad Lunam calcat umbram canis, qui ſupra tectum eſt, canis ad eam decidit, & ea illum devorat.* Et *Alcamus*, من امسك اسنانه معه لم تنبح عليه الكلب *Dentes ejus ſi quis ſecum deferat, canes eum non allatrabunt.* Pro اسنانه (*iſnanaho*) *dentes ejus*, levi mutatione legendum لسانه (*liſanaho*) *linguam ejus*. Ità enim eſt in *Damire*. Et convenit cum *Zoroaſtre*, & *Plinio*.

Tertiò, hyænæ natales (a) *Arabia, Syria*, & *Africa*. In iiſdem locis *dſabuon Arabice*, vel *ſyri* mentio eſt in *Alberto, Bellunenſi*, & *Giggeio*; *Africani* in *Leone, Marmolio*, & *Geographo Nubienſi*. Non poſſum, quin hic referam rem memoratu non indignam, ſi modò veram. Sed fides eſto penes auctores, *Alkazuinium*, & *Damirem*, quorum ille ſic habet, في العرب قوم يقال لهم الضبعيون لو كان احدهم في قفل فيه الف نفس وجا الضبع لا يقصد احدا الا الضبعيون الصفي *Inter* Arabes *quidam populi ſunt* Dſabuiouna (id eſt, *Hyanis*) *nomine, ex quibus ſi vel unus ſit in mille hominum caterva, &* dſabuon *veniat, nullum adorietur præter ſolos Hyanios.* Nec multò aliter *Damir*.

(a) *Ariſtot. Mirab. Herod. lib. 4 cap. 192. Plin. lib. 8 cap. 30, Solin. c. 27*

Quartò, hyænam nemo non tradit τυμβωρυχεῖν. *Ariſtoteles Hiſt.* lib. 8. cap. 5. Τυμβωρυχεῖ δὲ ἐπιθυμοῦσα τῆς σαρκοφαγίας τῆς ἀνθρώπων· *Sepulchra effodit humanæ carnis avida.* *Plinius* lib. 8. cap 30. *Ab uno animali ſepulchra erui (traduntur) inquiſitione corporum.* Solinus, *Eadem hyæna inquiſitione corporum ſepultorum buſta eruit.* *Hieronymus* in *Eſaiam* capite 65. *Semper cadavera perſequitur, & vivit ſucco, ac ſanie corporum mortuorum.* Et in *Jeremiam* capite 13. *Vivit cadaveribus mortuorum, & de ſepulchris ſolet effodere corpora.* Quod ipſum de الضبع conſtanter ſcribunt *Arabes*. *Alkazuinius*, ينبش القبور ويخرج الجيف والعرب تزعم انها لا تاكل الا لحوم الشجعان *Effodit ſepulchra, & cadavera eruit: ſed aſſerunt* Arabes *eam nonniſi fortium virorum carnes comedere.* Damir, وهي مولعة بنبش القبور لكثرة شهوتها للحوم بني ادم *Etiam ea buſtorum effoſſione delectatur, quia humanarum carnium eſt ſummè avida.* Similia habent *Leo Africanus, Marmolius, Bellunenſis, Giggeius*, & *Gabriel Maronita*, in Notis ad *Geographum Nubienſem* pag. 9.

Quintò, hyænam multi ſcribunt ſexum alternare, id eſt, modò marem eſſe, modò fœminam. *Horus Hierogl.* lib. 2. cap. 65. Αὕτη γὰρ ὅτε μὲν ἄῤῥην, ὅτε δὲ θήλεια γίνεται. *Illa enim quandoque eſt mas, quandoque fœmina.* Ælianus *Hiſt.* lib. 1. cap. 25. Τὴν ὕαιναν. τῆτες μὲν ἄῤῥενα εἰ θεάσαιο, τὴν αὐτὴν ἐς νέωτα ὄψει θήλειαν· *Hyænam ſi hoc anno marem videas, eandem anno ſequenti fœminam videbis.* Oppianus libro tertio *Cynegeticωn*,

Θαῦμα δὲ καὶ τὸ δ' ἄκουσα περὶ στικτῇσιν ὑαίναις,
Ἄρσενα, καὶ θήλειαν ἀμείβεσθαι λυκάβαντι

Miraculum etiam hoc audivi de pictis hyænis, marem & fœminam alternare quotannis. *Phile* capite quadrageſimo tertio,

Ἄῤῥην μὲν ἦν ὕαινα τὸ χθὲς τοῦ χρόνου,
Θῆλυς δὲ τὸ νῦν. δρᾷ τε, καὶ πάσχει πάλιν.

Mas quidem erat hyæna præcedenti tempore, nunc verò fœmina: agit, & rurſus patitur. *Ovidius Metam.* lib. 15. Fab. 38.

Alternare vices, & quæ modo fœmina tergo
Paſſa marem eſt, nunc eſſe marem miremur hyænam.

Tertullianus, De pallio capite tertio, *Hyæna, ſi obſerves ſexus, annalis eſt, marem & fœminam alternat.* Proinde in *Artemidori Onirocriticis* lib. 2. cap. 12. hyæna in ſomnis viſa androgynum & cynædum ſignificat. Idem *Arabes* de ſuo الضبع *Alkazuinius*, وذكروا ان الضبع سنة ذكر وسنة انثى كالارنب *Etiam* dſabuon *narratur uno anno eſſe mas, altero fœmina, ſicut lepus.* Damir, ومن عجيب امرها انها كالارنب تكون سنة ذكرا وسنة انثى فتلقح في حال الذكورة وتلد في حال الانوثة *Ex mirabilibus naturæ ejus eſt, quòd leporis inſtar uno anno mas eſt, altero fœmina. Et quo anno mas eſt, generat; at quo fœmina eſt, parit.* Ità etiam *Giahid*, & *Zamachſari* in libro, cui titulus ربيع الابرار *Ver piorum.* Et liber alius titulo

مفيد العلوم ومبيد الهموم *Largitor scientiarum, & destructor curarum.* Et *Ibnossilach* في رحلته *in Itinerario suo*, idque tanquam ex *Aristotele.* Tamen *Aristoteles* hoc rejicit ut fabulosum *Hist.* lib. 6. cap. 32. Περὶ δὲ τῶν αἰδοίων, inquit, ὃ λέγεται, ὡς ἔχει ἄῤῥενος, καὶ θηλείας, ψεῦδός ἐστιν. *De hyænæ autem pudendis, quod maris & fœmina habere dicitur, mendacium est.* Et rursus *De generatione animalium* lib. 3. cap. 6. tanquam εὐήθεις, καὶ λίαν διεψευσμένους, *ineptos, & prorsus mendaces*, eos arguit, qui volunt τὴν ὕαιναν ὀχεύειν, καὶ ὀχεύεσθαι παρ' ἔτος, *hyænam annis alternis inire, & iniri*: & refellit ex αὐτοψία. Tantùm hyænam marem fœminæ, & fœminam vicissim maris genitali simile aliquid habere agnoscit, quod minùs attentis ansam dedit errori. Hinc *Plinius* ubi suprà, *Hyænis utramque esse naturam, & alternis annis mares, alternis fœminas fieri vulgus credit: Aristoteles negat.* *Diodorus* quoque libro trigesimo secundo apud *Photium* in *Excerptis*, τὰς λεγομένας ὑαίνας τινὲς μυθολογοῦσιν ἄῤῥενας ἅμα καὶ θηλείας ὑπάρχειν, καὶ παρ' ἐνιαυτὸν ἀλλήλας ὀχεύειν· τῆς ἀληθείας οὐχ οὕτως ἐχούσης. *Hyænas quidam fabulantur simul mares esse & fœminas, & alternis annis se invicem inire: cum veritas non sic se habeat.* Et in sequentibus rem explicat eo ferè modo, quo *Philosophus.* *Clemens* item libri secundi *Pædagogi* capite decimo, Οὐ γὰρ οὐδὲ τὴν ὕαιναν μεταβάλλειν τὴν φύσιν πιστεύτεον ποτέ· *Nequaquam igitur credendum est hyænam mutare naturam.* In quâ eâdem est sententia *Eustathius* in *Hexaemeron* pag. 39. Sed uterque huic commento aliud substituit, quod nihilo puto verius, nempe hyænam infandum in modum abuti sexu suo διὰ τὸν ὑπερβάλλοντα πασχητιασμόν.

Sexto, hyænam nugantur veteres humani sermonis non esse prorsus ignaram. Sic eam tradit *Plinius sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicujus addiscere, quem evocatum forâs laceret.* Et Solinus, *Sequitur stabula pastorum, & auditu assiduo addiscit vocamen, quod exprimere possit imitatione vocis humanæ, ut in hominem astu accitum noctu sæviat.* In *Lausiaca Palladii* historia capite vigesimo, cum *Macarius* cæsum hyænæ catulum sputo sanâsset, pro σώστρῳ die sequenti mater illi dedit κώδιον προβάτου μέγαλου, *magnæ ovis pellem. Et cum Sanctus vidisset pellem, hæc dixit hyænæ, Undenam hanc habuisses, nisi ovem alicujus devorâsses? Quod ergo proficiscitur ab injuria ego à te non accipio. Hyæna autem, humi inclinato capite, genu-flectebat ad pedes Sancti, & ponebat pellem: ipse autem ei dicebat, Dixi me non accepturum, nisi juraveris te non amplius offensuram pauperes, comedendo eorum oves. Illa vero ad hoc quoque capite suo annuit, ut quæ Sancto assentiretur* Macario. Itâ habet vetus versio. Sed ille *Macarii* cum hyæna dialogus in *Græco* textu non comparet, sive ab interprete fuerit additus, aut ex *Græco* erasus à scribis, quos puduerit hujus commenti. *Busbequius*, Epistolâ primâ de legatione *Turcica*, *Ajunt hyænam, quam ipsi* Zirtlan *vocant, sermonem intelligere humanum, propterea que à venatoribus hunc in modum capi. Accedunt ad ejus cavernam, quam ex ossium (ut dixi) cumulo deprehendi facile est. Subit unus cum fune, cujus partem extremam sociis tenendam foris relinquit: ipse identidem pronuntians,* Joctur, Joctur, iecla, *illam se non reperire, illam non adesse, introrepit.* Non ovum ovo similius, quam hoc commentum iis, quæ de *dsabuon* scribit *Damir.* وهي توصف بالموق والحمق لان الصيادين لها يقولون على باب وجارها كلمات يصيدونها بها *Et ea describitur fatua, & stolida; quia venatores ad speluncæ ostium illi verba quædam dictitant, per quæ illam venantur.* Carmen nempe semi-barbarum, quod ibidem itá effertur, sed, nisi fallor, corruptissimè. Proinde mentem non capio.

اطرقي ام طريق خامري
ام عامري
ابشري (b) بجراد (c) غضلا
وشاة (d) هزلا

Sequitur, فلا يزال يقال لها ذلك حتي يدخل عليها الصايد فيربط يديها ورجليها ثم يجرها *Neque venator cessat hæc ei ingerere, donec ad eum ingressus quadrupedem devinxerit, quo facto eam trahit.* Aliud exemplar يخرجها *eam educit.* Idem aliter narrat *Abraham Ecchellensis Maronita* in Notis ad *Abdarrachmanum De proprietatibus animalium* capite vigesimo quarto. *Hujus*, inquit, *animalis venatio omnium lepidissima & singularis est. Nam musico concentu adeò mulcetur, & mansuescit, ut frequenter hoc venationis capiatur genere, quod ita fit. Ubi de antro seu latibulo constiterit, ad ejus ostium sua pulsant venatores instrumenta, & cantiones quasdam occinunt. Unusque eorum semper dicit, Dabaha* (Dsabuon) *est hic, alter verò respondet negando, Dabaha non est hic. His per aliquod temporis spatium cantatis, egreditur animal illud cicuratum, ac totum mansuetum, omni feritate depositâ & hostibus blanditur, & ipsi hospites, sed abblandiendo camum imponunt ori, & fune collum adstringunt, & ducunt captivum. Hinc fortè* Orphei *orta est fabula*, &c. Huc alludit celebre dictum *Ali Ben Abutalib* لا اكون كالضبع يسمع اللدم فيخرج حتي يصاد *Non ero sicut* dsabuon, *qui audit ledem, & exit, ut capiatur. Ledem* est ضرب الخفيف *genus carminis*, ut interpretatur *Damir* in capite ذيخ *dsich*, id est, *hyænamas*, in quo citatur hoc Apophthegma.

Septimo in *Græco Dioscoride*, libro secundo, capite *De felle*, cæteris præfertur ἥ τε τοῦ θαλασσίου σκορπίου, καὶ ἰχθύος τοῦ λεγομένου καλλιωνίου (lege καλλιωνύμου) χελώνης τε θαλασσίας, καὶ ὑαίνης, *fel marini scorpii, & piscis callionii* (imò *callionymi*) *& marinæ testudinis, & hyænæ*, id est, الضبعة العرجاء *dsabua clauda*, ut ibi habet *Arabs* interpres. Proinde etiam *Avicenna* libro secundo, capite مرارة seu *De felle*, *inter quadrupedum fella*, inquit, si verbo sit venia, *præstantissimum est* مرارة البقر ثم الضبعة

b) al. استري ايسري
c) al. عطلي
d) al. هزلي

الضبعة والدب *fel bovis, deinde dſabuæ, & urſi.* Et idem capite ضبع *dſabuon*, eo levari ait النقرش ووجع المفاصل *podagram, & dolores arthriticos.* Quod hyænæ felli tribuunt (e) *Galenus*, (f) & *Ætius*. Rurſus in *Avicenna* lib. 4. Fen. 6. tract. 4. cap. 9. جلد الضبعة العرجا *pellis dſabua claudæ* medetur τοῖς λυκοδήκτοις, ut hyænę pellis in (g) *Ætio*. Jam, ſi ad Magorum vanitates liberet deſcendere, ab *Alkazuinio*, *Damire*, *Razi*, & *Abdorrachmane* ferè eadem de *dſabuo* tradi docerem, quæ Magi apud *Plinium* de hyæna ſcripſerunt. Sed in his præſtat ἐπέχειν, cum jam probaverim plus ſatis *Arabum* ضبع *hyænam* eſſe. *Hebræum* porrò צבוע, vel צבע id ipſum eſt, & eaſdem habet literas, hoc ſolo diſcrimine, quod *Arabico* more *Tſade* initiale ex parte διπλάζει propter punctum appoſitum.

e) De Simplic. lib. 11. cap. 47.
f) Tetrabib. 1. Serm. 1. c. 144.
g) Tetrab. 1. Serm. 2. c. 162.

Hyæna porrò cur צבוע *tſebua*, vel *tſeboa* vocetur, non eſt obſcurum. Nam, ut poſt *Kimchium Fullerus* notat, צבוע id propriè dicitur, quod variorum eſt colorum. Sic in ſerpentum genere צבוע *tſeboa*, eſt *cenchris*, de quo *Nicander*,

- - - - - ὅν τε λέοντα
Αἰόλον αὐδάξαντο περίστικτον φολίδεσσιν,

Quem leonem varium appellârunt, ſquamis circumpunctum. Et *Lucanus* libro nono,

Pluribus ille notis variatam tingitur alvum,
Quàm parvis tinctus maculis Thebanus *ophites.*

Et in *Bereſchith Rabba* capite ſeptimo *Hebræi* ſuo more Hyperbolici, הצבוע הזה מטפה של לובן הוא ויש לו שסה מיני צבועין כבנין ימות השנה של חמה *Hic tſeboa (ſeu cenchrias) è gutta alba factus eſt, tamen colores illi ſunt trecenti ſexaginta quinque, ſecundum numerum dierum anni ſolaris.* Eadem planè ratio nominis in hyæna, quam στικτὴν *maculoſam* appellat *Oppianus* libro tertio *Cynegeticῶν*, eò quod

- - - - - ἐῤῥάντισ) δέμας αἰνὸν
Κυανέαις ἑκάτερθεν ἐπισχερὼ ταινίῃσιν,
- - - - - *cutis horrida corpore toto*
Cæruleis densè conſpergitur undique vittis.

Hinc & aliud *hyænæ* nomen البافع *albakio* ab *Arabibus* inditum; quaſi *variam* dixeris. Nempè البقع eſt *varius color*: unde *cornix* ابقع. Neque aliter ab *Olao* deſcribuntur ex hyænarum ſpecies in Septentrione frequentes, quas Sclavi *roſomachas*, Sueci *Jerf*, Germani *Wilfras* nominant. *Petuntur*, inquit ille, *à venatoribus pellis ſolùm gratiâ, quæ apud nobiles & ditiſſimos ad veſtimenta in pretio eſt, utpote ſplendidis & florum inſtar diſtincta coloribus, quales in* Damaſcena *veſte ſpectantur.* Item, *Candet fuſcata nigredine, inſtar panni* Damaſceni *diverſis ornata figuris.* Eadem quoque colorum eſt mixtura, & varietas in *ginetta*, animali in *Hiſpania* vulpis magnitudine, de quo *Cardanus*: *Pelle varia eſt, ac nigro & cinereo alternantibus maculis diſtincta.* Et Scaliger; *Admirabili pulchritudine eſt. Macularum crebritas, ordo, vegetus ſplendor nulli cedit.* Indè *ginettam*, vel *jinettam*, vel *hyænettam*, dici vult *Salmaſius*, quaſi hyænulam ὑποκοριστικῶς, quia utrumq; animal ſimilibus maculis pellem habet variegatam. Et verò pro hyæna barbari Scriptores *jenam* habent. Pandectarius, *Lapis jena* (id eſt, *hyænius*) *ſecundùm* Albertum *eſt à beſtia, quæ jena vocatur.*

Addo hyænam non pelle ſolùm, ſed & oculis variam eſſe, ut & ratione oculorum conveniat ei nomen צבוע. *Plinius* libri octavi capite trigeſimo, *Oculis hyænæ mille ſunt varietates, oculorumque mutationes.* Et libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo, *Hyænæ oculi in mille colores tranſeunt ſubinde.* Solinus, *Varietas multiplex ineſt oculis, colorumque mutatio.* A quâ hyeniæ gemmæ dictæ, de quibus *Plinius* libri trigeſimi ſeptimi capite decimo.

Jam, ſi ad animum transferas, *Hebræâ* Phraſi צבוע *tinctus, diſcolor eſt hypocrita, quia hypocritæ* (inquit *Elias* in *Thisbi*) מראים צבע אחר כמה שהם *alium colorem præ ſe ferunt, quàm re verâ habent.* Verè enim hypocrita eſt,

Ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ·

Qui aliud quidem abſcondit in animo, & aliud dicit. Hinc cantor *Ezobæus*, הזהר בני מן הצבועים נשיקתם נשיקה נעתרה *Cave tibi, mi fili, à tſeboim* (id eſt, *diſcoloribus*, ſeu *hypocritis*) *quorum oſculum eſt oſculum ſuperfluum*, imò noxium, & perfidum, ut in *Juda*. Sic etiam nomen צבוע *tſeboa*, hyænæ mores prorſus exprimit, quos valde fucatos eſſe oportet, ſi vera ſunt, quæ de hyæna ſcribunt *Plinius* & *Solinus*, eam imitatione vocis humanæ hominem excire, in quem læviat, vomitus quoque humanos mentiri, falſiſque ſingultibus ſollicitatos canes ſic devorare. Et de vomitu quidem eadem etiam alii (h) ſcribunt. Sed vocis imitationem crocutæ potiùs tribuunt, aut mantichoræ. Nobis id perinde eſt, cum crocuta & mantichora ſint in hyænarum ſpecie. In *Plutarchi Sympoſio* vulpi etiam tribuit *Æſopus* animi ποικιλίαν, ſed in laudem. Nempe ibi ποικιλία ſumitur pro *ſolertia*. Et cum εἰς ἀγῶνα ποικιλίας *in certamen de varietate* cum panthera veniſſet vulpes, ἠξίου τὰ ἐνδὸς αὐτῆς καταμαθεῖν τὸν δικαστὴν, ποικιλωτέρα γὰρ ἐκεῖθεν φανεῖσθαι, *rogabat judicem, ut perpenderet quæ intùs erant, ibi enim appariturâ quâ magis varia eſſent.*

h) Ariſtot. Hiſt lib. 8. cap. 5. Ælian. lib. 8. cap. 22. Iuba apud Plinium l. 8. c. 30

Supereſt, ut explicemus celebrem *Jeremiæ* locum, quem alii de ave rapace, nos cum *Græcis* de hyæna intelligimus. In eo loco Deus de *Iſraelitis* graviter expoſtulat, quod beneficiorum ab eo toties acceptorum immemores, in benefactorem ſuum ferinum animum induerint, & eos mores, quos in belluis rapacibus meritò execramur. Hanc querelam ſic exorditur, (i) *Eſt erga me hæreditas mea tanquam leo in ſylva. Edit contra me vocem ſuam, ideò eam odi.* Tum ſequuntur *Hebræa* hæc verba, העיט צבוע נחלתי לי העיט סביב עליה quæ ex vulgari interpretatione ità ſonant, *An avis tincta* (vel *varia*) *hæreditas mea erga me? An avis circumquaque ſuper eam?* Quàm parum hæc cohærent cum iis, quæ præcedunt, quàm parum cum ſequentibus, *Agite, congregamini omnes agri beſtiæ, venite ad devorandum?* Certe inter agri beſtias valde intempeſtiva videbitur avis pictæ mentio. Præſertim ſi *Hieronymi* conjecturam ſequimur, qui *pavonem* hic intelligit. Ecquid enim pavoni cum leone & feris commune eſt? Alii autem avem quandam variam ſignificari putant, quam ut exoſam cæteræ omnes inſectentur. Noctuam fortè, vel potiùs cornicem *Æſopicam*. Noctua enim varia non eſt. Alii malunt avem rapacem deſignari, quæ ideò צבוע, id eſt, *tincta* dicatur, quod aliarum avium ſanguine ſit fœdata. Vir valde doctus *avem digitatam* vertit; quaſi צבוע fiat ab אצבע *digito*. Porrò per *avem digitatam* rapacem avem intelligit, quæ uncis unguibus, tanquam digitis in prædam involat. Atque ità ſumi putat apud *Plinium*. Sed utrobique fallitur. Quippe ab *Hebræo* אצבע, id eſt, *digito*, *digitatus* non eſſet צבוע, ſed אצבעי. Ut ab אזרח fit אזרחי 1. *Reg.* 4, 31. Neque in *Plinio* (k) *digitatæ aves* ſumuntur pro *rapacibus*. Is enim *digitatas aves* opponit *palmi-pedibus*. Ut planum ſit intelligi aves σχιδανόποδας, vel σχιζόποδας, in quibus (l) γαμψώνυχες, ſive *rapaces*, ſunt una ſpecies è multis. Sed quamlibet avem intelligas, cum ad analyſin ventum eſt, interpretes mirè ſe torquent. Totum locum *Joſephus Kimchius* ſic παραφράζει, *An avis tincta ſanguine avium occiſarum erit*

i) Ierem. 12, 8.
k) Lib. 11. c. 47.
l) Vide Athen. lib. 9. & Ariſt. Hiſt. l. 8. cap. 3.

circumquaque super hæreditatem meam, quam mihi elegeram? Et, postquam saturata erit ea ea, venient agri bestiæ ad vorandum, juxta id, quod sequitur; " *Venite,* " *congregamini, omnes agri bestiæ, venite ad vorandum.* At, si *Prophetæ* mens hæc fuit, interrogatione non erat opus: aut interrogationi addenda erat nota negationis, ne videretur id negare, quod affirmat. Hoc magnos viros non fugit, quorum nominibus hic parco. Itaque in versionibus suis dissimularunt interrogationis notam voci עיט præfixam in medio versu. Sed ne sic quidem facile est membra orationis sic connectere, ut nihil sit hiulcum. Ac proinde cum *Drusio* calculus hic hæreret, suspicatus est locum esse corruptum. *Ut dicam*, inquit, *quod res est, locus iste mihi suspectus est de vitio.*

Ego aliter judico, locum esse integerrimum, sed ideo obscurum, quia non satis constat quid ibi sit עיט צבוע. De צבוע jam diximus *hyænam* esse, quomodo *Græci* verterunt. Sed idem minus rectè עיט σπήλαιον explicant. An pro עט legerunt עיט, *Vau* pro *Jod*? Saltem עוט, vel עוטה est terræ pars humilis, atque depressa, qualis in convallibus, aut cryptis subterraneis. Hinc *Damascena* vallis hodieque vocatur الغوطة *Alguta*, עוותא mendosè scribitur in *Hierosolymitano* Paraphraste *Gen.* 14, 15. Vetustissimum nomen erat עין. Sed hæc alibi discussimus.

Alii omnes עיט aut *avem* simpliciter explicant, aut *avem rapacem & carnivoram*. Et vero עיט alibi est *avis rapax*. Sic *Gen.* 15, 11. *Et descendit* עיט *avis rapax super cadavera.* Et *Job.* 28, 7. *Semitam ejus non cognovit* עיט *avis rapax, nec eam vidit oculus falconis.* Hinc ἀετὸς, vel αἰετὸς *aquila*, quasi עיט *ajit*; quia præcipua in rapacibus, & maximè eximia. Sed quid obstat quò minùs eadem vox pro *fera rapace* sumatur? Cum Verbum עיט, unde עיט, non pertineat ad solas aves, sed ad animal quodvis, quod in prædam irruit. Sic 1. *Sam.* 14, 32. ויעט *Et irruit populus in prædam.* Et capitis decimi quinti versu decimo nono *Samuel Sauli* dicit, ותעט, *Irruisti in prædam.* Atque, ut scias nomen עיט patere latius, quam ut solas aves designet, illi quandoque additur צפור *avis* σαρκοφάγος, ut *Ezech.* 39, 4. *Tradidi te* עיט לצפור *rapaci avi.* Nempe non omnis עיט est צפור *avis*. Nam e feris etiam quæ rapaces sunt, & carnivoræ, eodem nomine continentur. Neque novum est, ut idem nomen *avi rapaci* cum *bestia carnivora* sit commune. *Græci* κίρκος *accipitris*, ἀετοῦ *aquilæ* genus, & ἰκτῖνος *milvus* est, quod nemo nescit. Tamen inter luporum species κίρκον nominat (m) *Oppianus* & ἀετὸν, & ἰκτῖνον. *Milvum* vicissim hodiè *Græci* λυκίνον vocant a lupino ingenio. Et cur *monedula* species λύκος vocetur, rapacitas in causa est. Hæ rationes faciunt, ut עיט tam ad feras, quam ad alites pertinere putemus, adeoque עיט צבוע, ad verbum significare *rapacem feram variam*, uno verbo *hyænam*.

m) *Cyneg. lib.* 3. *vers.* 304. 326, & 331.

His ita explicatis, facile erit extricare quidquid intricatum hic erat, si *Jeremiæ* (n) locum sic reddas; *Est erga me hæreditas mea tanquam leo in sylva. Edit contra me vocem suam, ideo illam odi. An igitur est fera rapax variegata* (hyæna) *hæreditas mea erga me? An est fera rapax circumquaque super eam? Hæreditatis* nomen & pro terræ *Chanaan* incolis, & pro ipsa terra sumitur, ut hic sit sensus: " Quorsum *Judæi*, " quos in filios, & hæredes adoptaveram, leonum in " morem rugiunt, & ferociunt adversus me? & odio- " sis clamoribus mihi obstrepunt? Usque adeone " omnem sensum humanitatis perdiderunt, ut hyæna- " rum instar sint? An feras dicam pro hominibus in- " colere terram illam, quam elegeram? Cum moribus, & ritibus efferationibus, quam ulli barbari imò " quàm rapacissimæ belluæ utantur? Ita est omnino: " jam feræ sunt, non homines. At ego in feras illas a- " lias feras immittam, nempe *Chaldæos*, a quibus terra " desolabitur. Huc pertinet sequens Apostrophe, *Ite, congregamini, omnes agri bestiæ, venite ad vorandum.* Jam videt cordatus lector omnia plana esse, & perspicua, quæ prius magnis viris negotium facessebant.

n) *Cap.* 12. *vers.* 8, 9.

Pro corollario libet addere quod latuisse video virum maximum in *Notis* ad *Solinum*, quid sit *hyænæ nodus* in his *Lucani* libri sexti versu 673.

Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ.

Nodum hyænæ vir ille πῆξιν explicat, id est, defixionem. Quia in *Aristotelis Mirabilibus Arabicæ* hyænæ genus quoddam esse legitur, ὃ ἐπειδὰν ἴδῃ τι θηρίον, ἢ ἄνθρωπον ἐπιβῇ ἐπὶ τὴν σκιὰν, ἀφωνίαν ἐμποιεῖ, καὶ πῆξιν τοιαύτην, ὥστε μὴ δύνασθαι κινεῖν τὸ σῶμα, *quod cum aliquod animal viderit, aut hominis umbram calcaverit, vocem illis aufert, & talem operatur defixionem, ut corpus movere non possit.* Illi igitur nodus hyænæ magicum id impedimentum, & defixio, quam facit hyæna, ἡ πῆξις τῆς ὑαίνης, vel magicus nodus, quo illaqueat eos, quos ter lustraverit. Scribit enim *Plinius omne animal, quod hyæna ter lustraverit, in vestigio hærere.* Sed cum hyænæ nodum *Lucanus* censeat in sagæ supellectile, &, ut vir magnus agnoscit, inter eas res, quæ Magiæ serviunt, rogaverim libens quî potuerit hyænæ defixio, id est, vis, qua animalia detinet, in iis locum habere. Agitur de *Erichto*, Maga *Thessala*, quæ ut *Romani* militis animam arte necromanticâ ex Inferis excitet, Magica pharmaca omnia adhibet. Proindè, ut ait *Poeta*,

Huc quidquid fœtu genuit natura sinistro
Miscetur, non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ
Defuit, & cervi pasti serpente medulla.
Non puppim retinens Euro *tendente rudentes*
In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quæque sonant fœta tepefacta sub alite saxa.
Non Arabum *volucer serpens, innataque rubris*
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ;
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastæ;
Aut cinis Eoa positi phœnicis in ara.

Ex quorum lectione constat *nodum hyænæ* non esse actionem, sed substantiam, ut reliqua omnia, quæ à *Lucano* ibi recensentur, nempe spuma canis rabiosi, lyncis viscera, medulla cervi, remora piscis, draconum oculi, lapis aëtites, serpens alatus, vipera è *mari Rubro*, exuvium cerastæ, phœnicis cinis. Sed, ne lectorem teneamus diu suspensum, ipsissimam hyænæ nodi definitionem ex *Plinio* adferemus: qui libri vigesimi octavi capite octavo, dum in eo est, ut probet Magos hyænam ex omnibus animantibus in maxima admiratione posuisse, & ad Magicas artes singulis prope membris vim aliquam peculiarem tribuisse, inter cætera hæc habet; *Totius domûs concordiam eodem* (hyænæ) *genitali, & articulo spinæ cum adhærente corio adservatis constare* (tradunt) *quem spinæ articulum sive NODUM atlantion vocant. Est autem primus. In comitialium quoque remediis habent eum.* Spina hic est vertebrarum, seu articulorum dorsi compages, quorum primus ille dicitur, qui proximè collo jungitur. Et meritò vocatur *nodus*. Est enim commune hoc nomen omnibus articulis. Unde idem *Plinius* libri undecimi capite trigesimo septimo, *Quibus cervix è multis vertebratisque orbiculatim ossibus, flexilis ad circumspectum, articulorum nodis jungitur.* Et infra, *Nervi nodos corporum, qui vocantur articuli, alíubi interventu, alibi ambitu, alibi transitu ligantes.* Et *Ovidius* libri primi *Elegia* quarta *De Ponto*,

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Nodosam podagram, id est, morbum in corporis nodis & articulis, unde vulgò *articularem* appellant. Præterea nodus dicitur primus in hyænæ dorso articulus specia-

ſpeciali de cauſa: quia cum in reliquis feris colli & dorſi vertebræ recta linea continuentur, hyænæ ῥάχις ibi κυρτοῦται, id eſt, *curvatur*, & in nodum, ſeu gibbum attollitur. Hinc *Oppianus* libro tertio *Venaticorum*,

Ἡ δέ τι κυρτοῦται μεσάτῃ ῥάχις.

Quamvis in ſummo dorſo & inter humeros ſit hyænæ gibbus, illam tamen *Poeta* curvari, & in gibbum attolli dicit circa mediam ῥάχιν quia ῥάχις præter *dorſi ſpinam* etiam *colli vertebras* complectitur, aut *os colli*, qualecunque ſit. Hyænæ enim collum pro vertebris continuum os habere creditur, ac proinde non eſſe flexile. Plinius, *Collum & juba continuitate ſpinæ porrigitur, flectiq; niſi circumactu totius corporis nequit* Solinus, *Cum ſpina riget collum continua unitate, flectiq; non quit niſi toto corpore circumacto.* Quod ſi verum eſt, ob id ipſum primam hyænæ dorſi vertebram ampliorem eſſe oportuit, ut continuum illud os exciperet, & tanquam nodo fortius devinciret. Et nodus ille recte dictus eſt *atlantius*, quia prope humeros ſitus, quibus onera tanquam *Atlante* ferri notum eſt. Unde eſt, quod in homine vocatur *ἄτλας ſeptima colli vertebra dorſo proxima.* *Pollux* libri ſecundi capite quarto ſ. vigeſimo octavo, (τῷ δὲ σπονδύλων τῷ τραχήλῳ) ὁ τελευταῖος ὡς ἄχθοφορῶν ἄτλας ὀνομάζεται. Hic quæri poſſit non abſurde, an in hyæna colli rigor, & nodus circa humeros, qualem deſcripſimus hactenus, cauſa ſit, cur inter currendum claudicare videatur, ut *Arabes* omnes aſſerant, quamvis illius claudicationis cauſam aliò referant. *Damir*, الضبع

توصفت بالعرج وليس عرجا وانما

يخيل للناظر وسبب هذا التخيل

لبرودة في مفاصلها وزيادة الرطوبة في جانب

الايمن على الايسر Dſabua *clauda deſcribitur, etſi revera clauda non ſit, ſed in ſpeciem claudicat. Cujus claudicationis cauſa refertur ad articulorum ejus frigiditatem, & humorum copiam in dextro latere ſupra ſiniſtrum.*

CAPUT DUODECIMUM.

Probatur איים eſſe Thoes, qui *Arabicè* vocantur *filii* اوي *avvi.*

Vocis איים *varia interpretamenta. Videntur eſſe filii* avvi, *quos* Arabes *cum canibus, lupis, & hyænis ſæpe nominant, ut prope ejuſdem generis animalia. Hujus animalis* Arabica *nomina. Gallinis quam ſit infenſum. Qua arte venetur aves aquaticas. Ejus ululatus qualis. Captivitatem quam impatienter ferat. De eo Magorum nugæ. Ejus deſcriptiones ex* Alberto, Bellonio, Scaligero, *&* Busbequio. *Cur* Eſa. 13. v. 22. *dicatur* clamare alternis. אי *&* اوي *voces ſimiles, & ὀνοματοποιηκαί.* ابن اوي filius avvi, *nec muſtela, nec canis, nec vulpis, nec hyæna eſt ſpecies, ut quidam volunt, ſed animal ſui generis. Ab hyæna quid differat contra* Geſnerum, *& ab aureo lupo contra* Bellonium. *Thoem eſſe probatur ſeptem rationibus. 1. Ut thoes lupo & hyænæ ſimilis deſcribitur. 2. Lupo minor. 3. Fulvus. 4. Gregarium animal. 5. Latrat. 6. Tigri ſimilis. 7. φιλάνθρωπος. A Scriptoribus mediæ ætatis vocatur λυκοπάνθηρ, & πανθήριον. Fallitur* Euſtathius, *cum putat thoes cum leone congredi.* Πολεμοῦσι *quidem leones, & thoes; quia diſſident, ſed ut minima quæq;, & maxima.* Plinius *emendatus: Thoes, leone viſo, ſtatim fugere. Horum varia nomina.*

ESaiæ 13. v. 22. & 34. v. 14. & *Jerem.* 50. v. 39. איים *ijim*, *Chaldæus* explicat חתולין, *feles.* *Syrus* in *Eſaiæ* ܣܝܪܢܐ, ſed mendoſè. Legendum enim סירינוס, *Sirenes*, ut in *Jeremia*; Septuaginta, ὀνοκενταύρους, *onocentauros*, Theodoretus, ἐμπούσας ὀνοσκελίδας, *ſpectra, larvas*; Arabs الغيلان quod idem eſt; Hieronymus *ululas*, & *Faunos ficarios*. Alii *picas*, teſte *Kimchio*: alii *ferales aves*, & *terrifica animalia*. Nos putamus eſſe animal, quod ab *Arabibus* إبن اوي *Ibn-avvi*, ſeu *filius avvi*, à Barbaris dicitur *iben auque*, & *abin-avin*, & *babuin*, & *papio*. *Avicenna* illud nominat aliquoties cum canibus, & lupis: ut lib. 4. Can. Fen. 6. Tract. 3. cap. 8. *Aconitum lycoctonum interficit lupum, & canem*, وابن اوي *& filium avvi.* Et Tractatus quarti capite quinto agens de rabioſis animalibus, quorum morſus eſt maximè periculoſus: *Lupus*, inquit, *eſt deterior cane, & ſimiliter animalia, quæ lupo accedunt, ut* الضباع والبنات اوي *hyæna, & filia avvi.* Ejuſdem animalis frequens eſt mentio in *Lexico Alcamus*; in quo ابن اوي *filius avvi* explicatur دويبة λυκίσκος, quia eſt animal parvo lupo ſimile. Et علوش *ilvvas*, vel علوض *ilvvads*, & وع *vva*, vel وعوع *vvavva*, & ديل *dail*, vel دالان *dalan* totidem ſunt apud *Arabes* ejuſdem animalis nomina. Et نوفل *nauphal* eſt ذكر الضباع وابن اوي *mas hyænarum, & filii avvi.* Et برعل *borol* ولد الضبع او ولد الوبر من ابن اوي *fœtus hyænæ, aut fœtus viverræ ex filio avvi.* Et وعوعة *vvavvaa* eſt صوت الذيب والكلاب والبنات اوي *vox lupi, & canum, & filiarum avvi.* Et Verbum عوي *avva, latrare* vel *ululare*, dicitur de lupo, cane, & *filio avvi.*

Sed quia ignotum eſt hoc animal *Europæis* hominibus, illius deſcriptiones hic adſcribere non gravabor. *Arabes* paucis rem conficiunt; quia notiſſimum eſt animal apud ipſos. De illo tamen *Alkazuinius*,

ابن اوي يقال له بالفارسية شغال

حيوان مفسد الكروم والثمار اذا

وقع نظر الدجاج عليه لا يطير

يضبر

يصبر حتي ياتيها لياكلها ولو
كانت الدجاج على سطح او
شجرة يقع عنه ومن العجب ان
الدجاج اذا رايت كلبا او ثعلبا
وسنورا او شيا من الحيوانات * الطالبة
لها لم تتحرك وان مر بها ابن اوي
حتي لو كانت مائة لم تبق واحدة
لا رمت بنفسها اليه وانقاد الدجاج
لابن اوي هو كانقاد الشاه للذيب
واذا اراد ابن اوي صيد طيرا الما
يجمع حزمة شوك او حطب ويرميها
فوق الما حتي يستانس بها الطير
ويمشي خلفها والطير لا ينفر من
الحزمة لانه يستانس بها فيثبت من
خلفها ويصطاد ما شا

* Lege الظالمة

Filius avvi Persicè *vocatur* ſcagal. *Hoc animal perdit vites, & fructus arborum. Cum gallina proſpectus in ipſum incidit, illa non avolat*, ſed *expectat donec filius* avvi *irruens eam voret. Quin, ſi gallina ſit ſuper tectum, aut ſuper arborem, cadit illico. Et mirabile illud eſt, quòd ſi gallina canem, aut vulpem, aut felem videat, aut animal aliud ſibi infenſum, non movetur. At, ſi accedat filius* avvi, *vel ſi gallinæ centum eſſent, omnes ad eum ſe projicerent, & ne una quidem remaneret. Nempe gallina ſe habet ad filium* avvi, *ut ovis ad lupum. Porro cum filius* avvi *venari vult aves aquaticas, ſpinarum, aut ligni faſciculum colligit, quem in aquas projicit, ut aves eo aſſueſiant. Et ipſe retrò ſe confert, neq; aves à faſciculo fugiunt; quia eo aſſueverunt. Is retro ſtans venatur quaſcunq; vult.* Et *Damir*, لا يعوي الا ليلا وذلك
اذا استوحش وبقي وحدة وصياحه
يشبه صياح الصبيان وهو طويل
المخالب والاظفار ويعد وياكل بما
يصاد من الطيور وغيرها وخوف
الدجاج منه اشد من خوفها من
الثعلب لانه اذا مر تحتها وهي
على شجرة او جدار تساقطت اليه

ولوكانت عددا كثيرا *Non ululat niſi noctu, idq; potiſſimum cum triſtis eſt, aut manet ſolus. Ejus porro ululatus infantis vagitui ſimilis eſt. Ungues & falculas habet prælongas, quibus cum prædam arripuit, comedit quidquid venatur ex avibus, aut aliis animalibus. Eum plus quàm vulpem timet gallina. Nam, ſi ſub arbore aut ſepe tranſeat, in qua gallinæ ſint, eæ cadunt ad illum, quamvis ſint plures numero.* Dicitur captivitatem impatientiſſimè ferre. Unde *Poeta*, quem citat *Damir*, de hoc eodem animali:

اشديد المقتنص

وهو اذا صيد رمح في قفص

Huic tam grave eſt, quod venatu capitur, ut poſtquam captus eſt, in cavea calcitrare non deſinat. Medici, vel Magi veriùs, nugantur linguam ejus in domo relictam excitare الخصومة بين اهله *lites inter domeſticos.* Oculum dextrum appenſum habenti non nocere عين عاين ὀφθαλμὸν ὀφθαλμίζοντα, id eſt, *oculum faſcinantem.* Cor ſi quis ferat, tutum eum fore à reliquis feris: & carnem liberare من الجنون *à dæmonibus*, & ab epilepſia, quæ accidit في اواخر الشهر *in extremo menſe*, Lunari ſcilicet. *Græcè* dixeris φθίνοντος μηνὸς, aut λήγοντος, aut παυομένου. Aliud de *filio avvi* non reperio apud *Arabes*, niſi quod de النمر ſeu *tigri* legitur in *Damire* هو شبيه ابن اوي *Is eſt ſimilis filio* avvi. Sed ſub aliis nominibus idem animal multi deſcribunt. *Albertus* apud *Geſnerum*: *Papio animal circa* Cæſaream *abundat, paulò majus vulpibus, luporum ingenio. Collecta enim hæc animalia ululant, uno præcinente, & aliis poſtea ſimul reſpondentibus. Pilo vulpem refert. Uno ex iis occiſo, cæteri circa ipſum ululant, tanquam plangant mortuum. Voces eorum adeo ſonoræ ſunt, ut quamvis remota ex propinquo audiri videantur. Urgente fame ſepulchra hominum aliquando ingredi, & cadaveribus veſci dicuntur. Videntur ſanè ex lupo & vulpe compoſita.* Andreas Bellunenſis, *Aben avin, id eſt,* babuin, *animal eſt ſimile cani, quod noctu latrat, & vorat cadavera. Reperiuntur autem permulta in* Syria *inter* Damaſcum *&* Berytum. Bellonius *Singularium* libri ſecundi capite centeſimo octavo, *Parvus quidam lupus in* Cilicia, *& tota ferè* Aſia *reperitur, qui rapit quæcunque invenerit noctu circa dormientes, ad quos proximè accedit, ut pileos, ocreas, frænos, calceos, & hujuſmodi. Forma ei inter lupum & canem eſt. Multi ejus veteres, tum* Græci, *tum* Arabes *meminerunt.* Græci *hodiè vulgo appellant* ſquilachi. *Et hic videtur eſſe, quem* Græci *auctores lupum* chryſeon, *id eſt, aureum, cognominant. Non multò minor eſt lupo. Noctu incluſus canis inſtar latrat. Nunquam ſolus reperitur. Eſt enim gregarius, adeò, ut aliquando ducenti in unum gregem coeant, & nihil per* Ciliciam *hoc animali frequentius ſit. Vociferantur autem in grege alius poſt alium, ac ſi canis vocem* hau hau *repeteret. Color eis egregiè fulvus eſt: quamobrem pellis eorum veſtibus ſulciendis deſtinata non parvo illic in pretio eſt.* Scaliger *in* Cardanum Exercitatione ducenteſima decima ſeptima, *Vulpes in* Arabia *&* Syriæ Palæſtina, *pilo fœdo, audacia inſigni, veſperè mutuis ululatibus, quaſi ſigno dato ad nocturnam condictam prædam convenire. Gregatim prædari, omnia ſurripere, etiam calceamenta, atque in ſua luſtra comportare, &c. Hæc*

cum

cum ex quodam regulo accepissem, unus, qui in eodem fuerat comitatu, negabat esse vulpes: sed lupos esse haud magno corpore, neque fœdo pilo, sed colore luteo nitido. *Busbequius* Epistola prima, quo loco describit iter *Nicomediâ Nicæam*: Nicomediâ, *transmisso montis* Olympii *jugo, in pagum* Kalokli *venimus: ex hoc* Nicæam, *sed serius, cœpta jam prima vigilia. Non procul inde audio magnum clamorem, & veluti hominum irridentium insultantiumq; voces. Interrogo quid sit,* &c. *Narrant mihi ululatum esse bestiarum, quas* Turcæ Ciacales *vocant (ut Persæ* شغال *sciagal, vel sciugal) Lupi sunt vulpibus majores, communibus lupis minores, voracitate tamen edendiq; ingluvie pares. Gregatim incedunt, hominibus armentisq; innoxii, furto magis, & dolo, quam vi victum quærentes. Ab harum ferarum ingenio* Turcæ *homines fraudulentos, & versipelles, maximè* Asiaticos, Ciacales *vocant. Tentoria* Turcarum, *aut etiam domos noctu subeunt. In quibus quidquid inveniunt esculentum, vorant. Quod si aliud deest, quidquid est operis coriacei rodunt, veluti calceos, ocreas, cingula, gladiorum vaginas, & quidquid est hujus generis. Neq; deest ad furtum solertia, nisi (quod ridiculum est) suo se proderent indicio. Nam, cum maxime sunt in ipso furto occupati, si quis fortè gregalium, qui foris remansit, ululare incipiat, mox ipsi idem faciunt, parum memores ubi versentur. Quo clamore expergefacti homines, arreptis armis, fures manifestarios malè mulctant.* *Olearius* in *Itinere Moscovitico* & *Persico*, libro quarto ubi de Provincia *Schirvvan*; *Ibi vulpium genus est, quos* schakal *vocant, ejusdem cum* Europæis *magnitudinis, quibus lana est pro pilo, venter albus, aures nigræ, cauda minor, quam nostratium. Hos per noctem audiebamus, circa pagos oberrantes, assiduo clamore, eoq; protracto, & quasi lugubri nobis obtundentes.*

De hoc animali *Esaias* egisse videtur his verbis capitis decimi tertii versu vigesimo secundo, *Clamabunt alternis* איים ijim *in palatiis ejus*; id est, in maceriis desolatæ *Babylonis*. Rationes in promptu sunt. Primò enim notandum est Verbum ענה pro quo alii *clamabunt*: sed expressius Vulgata, *respondebunt*; Arias, *alternis canent*; & Genevenses, *ululabunt sibi mutuò respondentes.* Omnino enim ענה sonat aliquid *mutuum*, & *alternum*, ut apud *Græcos* ἀπαμείβεσθαι. Porro animalium, quæ descripsimus, hoc maximè proprium est, quòd alternis ululatibus sibi mutuò respondent. Albertus, *Ululant uno præcinente, & aliis respondentibus.* Bellonius, *Vociferantur in grege, alius post alium.* Scaliger, *Mutuis ululatibus, quasi signo dato, conveniunt.* Quin, apud *Busbequium*, qui in domos furtim irrepunt, *cum maxime sunt in ipso furto occupati, si quis fortè gregalium, qui foris remansit, ululare incipiat, mox ipsi idem faciunt.* Alternis nimirum illis clamoribus ita assueti, & innutriti, ut ne periculo quidem suo ab iis absterreantur. Aliud animal nullum novi, cui talis tribuatur clamorum alternatio. Secundò, Plurale איים est à Singulari אי cui proximè accedit اوي quo nomine hoc animal vocari docuimus ab *Arabibus*. Utrumque nomen אי, & اوي est ὀνοματοποιητικόν. Utroque scilicet utcunque exprimitur *acutus feræ ululatus*, quem levi mutatione iidem *Arabes* عوي dicunt, & عوا. Itaque nemo negaverit verisimile id esse, quod diximus, איים apud *Hebræos*, & apud *Arabes filium* اوي pro eodem animali sumi. Sed neque sic res est confecta. Utut enim accuratæ sint illius animalis descriptiones, quas supra exhibuimus, tamen adhuc ambigitur, ad quam speciem sit referendum, & quo nomine *Græcis* olim & *Romanis* innotuerit. Illis enim ignotum fuisse quis dixerit animal in *Syria* & *Cilicia* tam frequens?

Planè ridiculus est *Avicenna* interpres, qui ابن اوي *filium avvi*, *mustelam* explicat *Canonis* lib. 4. *Fen.* 6. tract. 4. cap. 5. in ipso lemmate capitis. Nisi statuas eum legisse ابن عرس pro ابن اوي *Bellunensis* refert ad *canes*. Ita etiam *Giggeius* passim. Et *Græci* recentiores, qui *squlachi*, id est, σκύλακα vocant. Unde *Persicum* شغال *sciagal* per Metathesim. Vel *Persæ* شغال appellant, quia *Hebræis* שועל est *vulpes*. Nam *Olearius* eum ponit in genere vulpium. Quomodo etiam *Scaliger*, quamvis ab aliis censeri dicat in lupis. In qua sententia est *Bellonius*. Sed *Gesnerus* eum refellit, & papionem statuit esse hyænam; in qua sententia usque adeò sibi placet, ut quam instituit probationem claudat hoc Epiphonemate, *Quamobrem papionem hyænam esse concludimus, multis hactenus sæculis, & nomine, & figura doctissimis etiam viris ignotam.* At ego, utut eos excusatos habeam, qui vel canibus, vel vulpibus, vel lupis, vel hyænis accensent, cùm de singulis habeat aliquid, tamen assero *papionem*, vel *babuinum*, si mavis, animal esse sui generis ab his omnibus diversum. Ut à cane, sic ab hyæna distinguit *Avicenna* duobus locis, quos citavimus. Ita etiam *Damir*, & *Alkazuinius*, & cæteri *Arabes* lupum hyænam, & filium *avvi* separatim describunt, ut diversa animalia. Et verò hyæna non latrat, nec gregarium est animal, nec ad hominem dormientem ideò tantùm accedit, ut suffuretur calceos, pileum, *&c.* Contra, hyænam describit *Plinius* ut animal pantheris etiam terribile: quodque canes, & homines, ad se evocatos laceret. Ut de statura taceam, quæ lupo par, sæpe etiam major, cùm papio sit minor lupo. Hyænæ denique pellis virgata est, & maculosa, papioni unicolor, in *Cilicia* saltem, & *Syria*. Qui factum, ut hæc *Gesnerum* fugerint, virum impensè doctum, quique in hoc studio tam sedulam navavit operam? Nec felicior *Bellonius*, cùm papionem pronunciat eum esse, quem *Græci* auctores *lupum aureum* cognominant. *Aures lupi* solus meminit *Oppianus*, apud quem is esse legitur

> Οὐ λύκος, ἀλλὰ λύκοιο περίστατος, αἰπύτατος θὴρ,
> Χείλεσι χαλκείοισι τετυγμένος, ἄσπετος ἀλκήν·
> *Non lupus, at plus quam lupus, ut leo celsus, ahenis*
> *Armatus labiis, immani robore præstans.*

Nemo papionem sic descripserit, qui lupo staturâ & viribus inferior est, vix supra vulpem assurgens.

Proinde aliud succurrit, quod, ut spero, doctorum assensum merebitur, nempe papiones esse *thoas*, de quibus licet veteres multa scripserint, nemo tamen, quod quidem sciam, nomen explicavit hactenus. Nam eorum sententia pridem explosa est, qui thoas aut volunt esse *ginettas*, aut *lupos cervarios*. Consule ea de re, si vacat, *Hermolaum*, & *Gesnerum*, & *Salmasium*, ut discas thoes cum neutris quidquam habere commune. At hic omnia quadrant, & ad amussim conveniunt.

I. Primò enim, ut papiones, ita & thoes lupo & hyænæ tam sunt similes, ut alii veterum thoas lupis, alii hyænæ accensuerint, alii tertium animal esse dixerint ex utroque mixtum. *Aristoteles Hist.* libri secundi capite decimo septimo, Ἔχει δὲ καὶ ὁ θὼς πάντα τὰ ἐντὸς ὅμοια λύκῳ. *Plinius* lib. 8. cap. 34. *Thoes, luporum id genus est.* *Hesychius*, Θώων, εἶδος θηρίου ὡς λύκος. Idem, Θῶας, θῆρας ἐξ ὑαίνης καὶ λύκου γινομένους. *Suidas*, Θῶες. θώων θηρία ἐξ ὑαίνης καὶ λύκου γεννώμενα. *Eustathius* alibi dicit esse ζῶον λυκοειδές, alibi esse ζῶον παραπλήσιον ὑαίνῃ.

II. Thos tamen est parvum animal, & lupo minus. Proinde thoem *Philosophus* ita cum lupo confert ratione proceritatis, *Histor.* libri 6. capite 35. Ἔστι δὲ τὴν ἰδέαν ἐπὶ μῆκος μακρὸς, τὸ δ' ὕψος βραχύτερος· *Speciem*

quod

quod attinet, caudam versus porrigitur, sed staturâ humilior. Et *Plinius* ubi supra, *Luporum id genus est, procerius longitudine, brevitate crurum dissimile.* Hinc in *Hesychio* θῶες definiuntur θηρία μικρά. Et *Pollux* feras minores sic recenset, Ἔτι δὲ τῶν μικροτέρων, οἷον ἀλωπέκων, καὶ θώων, καὶ λύκων, thoas medios ponens inter vulpes & lupos, quia magnitudo est illis inter utrosque media.

III. Ut papioni, *Bellonio* & *Scaligero* testibus, color egregiè fulvus est, ita thoi. Hinc *Iliad.* λ'. δαφοινοὶ θῶες, id est, πυῤῥοὶ *fulvi*, ut habet *Scholiastes*.

IV. Etiam gregarios esse thoas ex *Oppiano* collige, cum scribit lib. 2. *Halieuticῶn*,

Θῶας ὑπερφιάλους ἠλάσεν ἀλλοτρίων πολὺ ἀνδρῶν
Ἀγρομένους· - - - - - - -

id est, συναθροιζομένους, *confertos, congregatos*, ut ibi *Scholiastes*. Quibus similia legas *Iliad.* λ'. versu 474, &c.

V. Sed & ut papiones, ita & thoës latrant. Supra nos docuêre *Arabes* عوي *avva*, id est, *ululare*, seu *latrare*, proprium esse *canis, lupi*, & ابن اوي *filii avvi*, seu *papionis*. Quæ conferenda cum his *Pollucis*, Ἀλωπέκων, καὶ θώων, καὶ λύκων τὸ ὑλακτεῖν. *Vulpium, & thoum, & luporum est latrare.* Non ovum ovo similius. Addo, ut אי & اوي sic thois nomen *à latratu* fieri. Θῶες enim, & θωΰσσειν sunt Conjugata. Porro θωΰσσειν est ὑλακτεῖν *latrare*. *Suidas*, Θωΰσσοντες, ὑλακτοῦντες. Ὅμηρος, — βαρὺ βρέγμα θωΰσσοντες καὶ Θωΰκτηρ, κύων ὁ ὑλακτικός.

VI. Supra didicimus ex *Arabibus* النمر seu *tigrim* esse شبيه ابن اوي *similem filio avvi*, seu *papioni*. Ecce idem de thoë in *Arriani Indicis*, Οὓς τινας καὶ ἡμεῖς ὁρέομεν, καὶ τίγριας καλέομεν, θῶας εἶναι αἰόλους, καὶ μέζονας ἤπερ τοὺς ἄλλους θῶας· *Quos videmus, & tigres vocamus* (scribit *Nearchus*) *thoas esse varios, & aliis thoibus majores.*

VII. Denique quod papio legitur ad hominem dormientem accedere sine noxa, planè thoum exprimit φιλανθρωπίαν a veteribus tam decantatam. *Philosophus Histor.* libri noni capite quadragesimo quarto, Φιλάνθρωποι δ' εἰσὶ καὶ οἱ θῶες, καὶ οὔτ' ἀδικοῦσι τοὺς ἀνθρώπους, οὔτε φοβοῦνται σφόδρα· *Etiam thoes hominem amant, neq; eum lædunt, aut multum timent.* Plinius, *Luporum id genus est*, &c. *homini innocuum.* Solinus, *Homines tamen nunquam impetunt.* Ælianus *Histor.* libri primi capite septimo, Λέγουσι τὸν θῶα τὸ ζῷον φιλανθρωπότατον εἶναι, καὶ ὅταν μέν που περιτύχῃ ἀνθρώπῳ, ἐκτρέπεται αὐτὸν, οἷον αἰδούμενος· ὅταν δὲ ἀδικούμενον θεάσηται ὑπ' ἄλλου θηρίου, τὸ τηνικαῦτα ἐπαμύνει αὐτῷ. *Thoëm animal esse dicunt homini amicissimum, &, si fortè in hominem inciderit, tanquam venerabundum revereri: quin si ab alia fera infestari viderit, statim ei succurrere.* *Phile* capite quadragesimo quarto,

Ποίους δὲ καλῶς ἐκμαθὼν αἰδοῦς νόμους,
Αἰσχύνεται θὼς, εἰ τὸν ἄνθρωπον βλέποι;
Ποίαν δὲ τηρῶν ταξιαρχεῖν ἐμμαχίαν;
Ἀλλήλων ἥκει συμμαχῶν ἡμῖν φίλος,
Ἐάν ἄρα τις θὴρ δυσμενὴς ἐπεισίῃ·

Quales pudoris leges bene edoctus veretur thos, si hominem viderit? Et qualem militiæ confœderationem servant? Ad nos venit commilito semper amicus, si qua fera infensa in nos incurrat. Quæ, licèt in majus aucta, hoc saltem docent homines à thoibus nunquam impeti.

Scriptores mediæ ætatis idem animal λυκοπάνθηρα, λυκοπάνθηρον, & πανθήριον appellant. *Homeri Scholiastes* vetus in *Iliad.* λ'. Θῶες, πανθήρια. *Oppiani Scholiastes* in librum secundum *Halieuticῶn*, Θῶας, λυκοπάνθηρας. Lexicon *Cyrilli* apud me MSS. Θῶες, ὁ λυκοπάνθηρος· παχεῖς γάρ εἰσι, καὶ πρὸς βραχυσκελεῖς ὄντες. Pro παχεῖς legendum ταχεῖς, ut in *Etymologo*, & *Phavorino*. In *Plinio* quoque, *Thoës, luporum id genus est, brevitate crurum dissimile, velox saltu.* Eustathius in *Iliad.* λ'. Λυκοειδῆ ζῷα εἶναί φασιν οἱ παλαιοί· διὸ καὶ τὸ τῶν λυκοπανθήρων κλῆσιν ἐντεῦθεν ἴσως εὗρον οἱ πολλοί. *Thoes luporum speciem habere tradunt veteres: unde fortasse factum, ut plerique lycopantherum nomen iis tribuant.* Quin fuêre è veteribus, qui thoem ex lupo & antherâ genitum esse crediderint. *Oppianus* lib. 3. *Cynegeticῶn*,

Δηθάκι δ' αὖ τι λύκοι, καὶ πορδαλίεσσι δαφοιναῖς
Εἰς εὐνὴν ἐπέλασσαν, ὅθεν κρατερὸν γένος φῦλα
Θώων· - - - - - - - -

Sæpe etiam lupi cum pantheris fulvis coeunt, unde robusta secula thoes.

Eustathio tamen aliter visum. Is enim in *Iliad.* ν'. ut eos errare probet, qui lycopantherem cum thoe idem animal esse putant, λυκοπάνθηρας objicit feras esse fructivoras, non magnæ rei, cum thoes animosi sint, usque adeò ut leones aggredi audeant. Verba sunt, Πλανώμεθα οὖν οἱ τοὺς ἀγρευτικοὺς καὶ καρποφάγους λυκοπάνθηρας εἰς τοιούτους θῶας νοοῦντες, οἱ καὶ πρὸς λέοντα θρασύνονται. Quomodo *Gratius* in *Cynegetico*,

*Thoes commissos (clarissima fama) leones
Et subiêre astu, & parvis domuêre lacertis.*

Quod puto sumptum ex his *Aristotelis Hist.* lib. noni cap. 1. Πολέμιοι δὲ καὶ ὁ λέων καὶ ὁ θὼς ἀλλήλοις· ὠμοφάγοι γὰρ ὄντες ἀπὸ τῶν αὐτῶν ζῶσι. *Leo & thos inimici sunt; cùm enim sint carnivori, victum ex iisdem petunt.* Et rursus capite quadragesimo quarto, Πολεμοῦσι δὲ τοῖς κυσὶ, καὶ τοῖς λέουσι (οἱ θῶες·) διὸ ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ οὐ γίνονται. *Pugnant thoes cum canibus, & leonibus; proinde in iisdem locis non degunt.* Sed hæc *Philosophi* verba non sunt sic accipienda, ac si thoas voluerit quasi collatis signis cum leonibus bellum gerere, tanquam viribus pares, aut suppares. Imò πολεμεῖν eo loco simpliciter est *dissidere*, ex quo dissidio fiat, ut thoes à leonibus fugiant, ut quos esse non ignorent se multò potentiores. Eò pertinent hæc *Plinii* libri decimi capite septuagesimo quarto, *Dissident thoës & leones, ut minima æque* (lege *quaque*) *ac maxima.* In *Homero* res clara, cùm in *Ulyssem* graviter læsum turmatim irruisse fingit *Trojanorum* imbelle vulgus: sed eosdem in fugam se dedisse, quamprimùm conspectus est *Ajax*, quomodo in cervum jaculo percussum turma thoum irruens, leone viso, fugam capessit. Verba sunt,

- - - - - - ἐπί τε λῖν ἤγαγε δαίμων
Σίντην, θῶες μέν τε διέτρεσαν· - - -

Postquam vero noxium leonem induxit dæmon, thoes quidem intremuerunt, id est, σὺν δέει ἔφυγον, *cum timore fugerunt*, ut ibi habet vetus *Scholiastes*. Proinde ad eundem locum *Eustathius*, Θῶες δὲ ἦσαν αὐτῷ οἱ Τρῶες· λέων δὲ ὁ Αἴας, οὗ ἐλθόντος οἱ Τρῶες φεύγουσι. *Thoes sunt* Trojani, *qui circa ipsum* (Ulyssem) *erant: leo autem* Ajax, *quo veniente fugiunt Troes.* Item, Ὡς θῶας ἀπελαύνει λέων ἐπιφανεὶς, οὕτω τοὺς Τρῶας Αἴας· *Ut thoas abigit leo cum apparet, ita* Trojanos *Ajax.* Multa hujusmodi leges in *Homeri* simia *Q. Smyrnao.* Ita libro secundo *Thrasymedes* & *Phereus*, *Memnone* conspecto, qui erat πολλὸν ὑπέροχος, *multò præstantior*,

- - - - - - - - - - ἅτε θῶες,
Ἀμφ' ἔλαφον βεβαῶτε, μέγαν περιδείσαντε λέοντα,
Οὔ τι πρόσω μεμαῶτ' ἔτι ἐλθέμεν, - -

Ut duo thoes, qui cervum obeunt, magnum metuebant leonem (id est, *Memnonem*) *nec ausi sunt ulterius progredi.* Et libro sexto de *Eurypylo*,

- - - - - - ὁδ' ἔξοχος ἐσπετο λαῶν,
Ἠΰ τε τις θώεσσι λέων ἐν ὄρεσσι μετελθών·

Ille autem sequebatur, supra vulgus eminens, ut leo aliquis in montibus cum thoibus congressus. Et libro 9.

Ὡς

Ὡς δ' ὅτε σῦς ἐν ὄρεσσι νεηγενέων ἀπὸ τέκνων
Θῶας ἀποσσεύῃσι· λέων δ' ἑτέρωθι φανείη
Ἔκποθεν ἐσσύμενος, τὸ δ' ἵσταται ἄσπετος ὁρμή·

Ut cum aper in montibus à recens natis catulis thoas abigit: leo autem ex alia parte apparet alicunde irruens, ejus autem gravis impetus subsistit. Ità ut non leo solus, sed & cum leone non conferendus aper thoas fuget. Ex his abunde patet verum esse, quod diximus thoës cum leonibus non aliter dici πολεμεῖν, quam quia inter se dissident. Quomodo de ardea dicit *Philosophus* libri noni capite primo, Πολεμεῖ ἀετῷ (ὁ ἐρῳδιὸς) ἁρπάζει γὰρ αὐτόν. *In aquilam pugnat ardea, nam (aquila) ipsam rapit.* Et πόλεμος δὲ καὶ ἀσκαλαβώτῃ καὶ ἀράχνῃ; κατεσθίει γὰρ τοὺς ἀράχνας ὁ ἀσκαλαβώτης· *Inter stellionem & araneam bellum est; araneas enim comedit stellio.* Item, τοῖς ὠμοφάγοις ἅπαντα πολεμεῖ, καὶ ταῦτα τοῖς ἄλλοις· *Cum feris carnivoris pugnant omnia animalia, ut illa vicissim cum aliis.* Quo sensu etiam oves cum lupis πολεμοῦσι, & lepores cum canibus. Itaque hoc maneat ratum, nihil obstare quo minus *Hebraeorum* איים, *Arabum* ابن اوي, *Persarum* شغال *Graecorum* veterum θῶες, recentiorum σκύλακες, mediae aetatis λυκοπάνθηρες & πανθέρια, barbarorum *papiones* & *babuini*, ejusdem animalis sint diversa nomina.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Vulpibus.

Proverbium de vulpina tussi, à qua vulpes Hebraicè שועל. *Βήχιον herba quomodo* Arabicè. *Vulpes animal* παμφάγον. *Impii* portio vulpium, *Psal.* 63. v. 11. Caeada *quid* Lacedaemone. Καίατον, καιετός. Lacedaemon καιετάεσσα. Aristomenes *per vulpem è* Caeada *liberatus. Vulpes uvis delectantur. Vulpes solitarium animal.* Ἀλώπηξ *unde dictus.* Vulpium foveae *quomodo* Graecè, *&* Arabicè. Giauhari *emendatus. Foveae vulpium cur plura habeant ostia. Cur ostiis scillas apponant.* Ambrosius *notatus. Lupi hostis vulpes. De* Samsonis *vulpibus* Jud. 15. v. 4. Obvertit caudam ad caudam, *pro quo veteres* ligavit. Λάμπας ex לפיד lappid. גדיש gadis, *quid propriè.* Hesychius *emendatus*, Στοιβὴ *quid sit, unde* στοιβάζειν. כרם זית *male redditur* vinea olivarum *pro* vinea *&* oliva. *ET saepe suppleri. Unde* Samson *tot vulpes nactus fuerit, responsio quadruplex.* 1. *Ibi multa vulpes.* 2. *Fortasse vulpium nomen thoas etiam complectitur, gregarium animal.* 3. *Ha vulpes multis diebus aut hebdomadibus capta:* 4. *Nec à solo* Samsone. *Vulpis venatio quàm ardua. Retibus non capitur.* Teumesia *vulpes. Artes, quibus capi solet. Cur per vulpes* Samson *segetes exusserit. De vulpis incessu retrorsum, & obliquo Segetes flammam facilè concipere.* Romae *vulpes in* Circo *cum tadis ardentibus medio* Aprili *quorsum emissa.* Curseolana *vulpes in* Ovidio. *Messis tempus quando in* Aegypto, *&* Judaea. *Pentecoste festum messis. Hordeacea messi prior triticeâ. In* Boeotia *incendia per blattam, & vulpes, ex* Aristophane, *&* Suida. *Vulpes cur dicatur* λαμπουρίς. *Vulpes quam vafra; unde* κερδώ. Ἀλωπεκίζειν, *id est,* πανουργεῖν. Vulpinari *idem.* Vulpio, *id est,* subdolus. Κίναδος *vulpes, & favet.* Κιδάφη *idem; unde* κιδαφεύειν. *Vulpis vaframenta quaedam.* Arabicum وبر *de vulpe gradu suspenso incedere. Nota in* Nehem. 4. v. 3. *Falsi doctores vulpibus similes.* Herodes cur à *Christo vocetur* vulpes. Herodiani *qui. An* Christo *licuerit* Herodi *convitiari?*

SCriptor quidam anonymus Proverbiorum farraginem vernacula linguâ edidit, in qua de vulpe haec habentur; *Videtur hoc animal esse tussi obnoxium, & propter calorem internum, qui vehementissimus est, perpetuâ pulmonum intemperie laborare, quod gannitus ejus & raucus clamor abundè docent. Proinde cum senem videmus tussim ex imo pectore vix extundentem, dicimus.* C'est une toux de renard, qui vous menera au terrier, *Hac est vulpina tussis, qua in foveam te deducet, id est, in sepulchrum.* Et vero hoc Adagium est apud nos receptissimum, sive vulpes re verâ saepe tussiat, aut tussientis raucedinem gannitu suo imitetur. Quod ideo hic observo; quia *Hebraeum vulpis* nomen שועל *sual*, videtur à *tussi* deductum. Nam *Hebraeum*, & *Syrum* ܫܥܠ saal, *tussire* est, & ܫܘܥܠܐ *sial*, aut *seol*, est *tussis*. Auctor *Beresith Rabba* de *Noa* Sect. 32. in fine, הוא היה גונח דם מפני הצנה *Is prae frigore sanguinem excreabat*: id est, ut ait *Baal Aruch*, מתיא קול כעין שועל ומשליך דם *Vocem edebat tanquam* soel, (seu, *tussientis*) *& sanguinem emittebat. Elias* in *Thisbi*, ראיתי בספרי רפואות שקורין לגניח שארם מוציא מפיו מן הריאה שועל בלשון אשכנז הוסטן ובלע׳ טושא והוא לשון ערבי *Vidi in Medicorum libris tussim, quam ex ore & pulmone quis profert*, seol *vocari, ut* Germanicè *husten*, *&* Italicè tossa, *& est* Arabica *dictio.* Nempe apud *Arabes*, *Sin* dextro de more in *Sin* sinistrum permutato, سعل saala *tussire* سعال soâl *tussim*, سعالي soali *tussilaginem*, مسعل masal *gutturis bronchium* sonat, ubi formatur tussis. Vide *Avicennam* libro secundo de herba سعالي *soali*, & lib. 3. *Fen.* 10. Tract. 3. qui totus est في السعال والنفث الدم *de tussi, & sputo sanguinis.* Et *Abenbitarem* in فيخيون id est, βήχιον, cujus foliis sanari dicit من به سعال يابس id est, τὸν ὑπὸ ξηρᾶς βηχὸς ὀχλούμενον, *eum, qui siccâ tussi laborat*, ut est in *Dioscoride*. Quomodo in *Avicenna* herba سعالي *soali* est افضل دوا للسعال *eximium tussi remedium.* Nempe سعالي & فيخيون idem sunt. Et فيخيون corruptè scribitur pro تخيون βήχιον.

Scribit *Aristoteles Politicorum* libri primi capite octavo τῶν θηρίων τὰ μὲν ζωοφάγα, τὰ δὲ καρποφάγα τὰ δὲ παμφάγα αὐτῶν εἶναι, *ferarum alias carne reliquorum animalium, alias fructibus, alias omni alimento vesci*, id est, tam carne, quam fructibus. Ex quo genere esse vulpem vel ex Scriptura constat. Eum enim vesci carne cadaverum docent haec de *Davidis* hostibus *Psalm.* 63. v. 11. מנת שועלים יהיו *portio vulpium erunt.* Ubi *Selomo* perperam habet ישובם חרב שועלים ילכו בו *Habitatio eorum erit vastitas, quam vulpes frequentabunt.* Neque enim eorum habitationem, sed ipsos gladio confossos *Propheta* dicit futuros partem vulpium. Proinde *Syrus* reddit, ܡܢܬܐ ܠܬܥܠܐ ܢܗܘܘܢ : & *Arabs*, وللثعالب طعاما يكونون *Et vulpibus erunt pro cibo.* Neque malè hic *Kimchius*, *Erunt portio vulpium* שאוכלים החללים *qui confossos comedent.* Et rursus, *Gladio confodientur* ואוכלים השועלים וחיות *& comedent eos vulpes, & reliqua fera.* Quomodo etiam *Theodoretus*, *plerique eorum, qui in bello cadent, nè sepultura quidem digni habebuntur*, ἀλλὰ προκείσονται τοῖς θηρίοις βορά, *sed jacebunt in cibum feris.* Itaque è carnivoris feris hic pro toto genere ponitur una species, atque illa

illa quidem despectissima, quasi sit magis probrosum à vulpe discerpi, & devorari, quàm à nobiliore fera. Neve putetur id insolitum, in *Pausania Messeniacis* narratur *Aristomenes* ἐς τὸν Καιάδαν in *Caadam* conjectus, & ibi triduum commoratus, per sublustres tenebras vulpem vidisse cadavera appetentem. *Caada* barathrum erat prope *Lacedæmonem*, ὅπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθεσαν, *in quod maleficos conjicere soliti erant*; ut testatur *Thucydides* libro primo, ubi de *Pausania*. Nempe καιάδας *Lacedæmonis* id ipsum fuit, quod *Græcorum* aliis καίατον, vel καιετός, id est, *locus effossus, vel terræ dehiscentis ruptura, quas efficiunt terræ motus*. Hesychius, Καίατα, ὀρύγματα, ἢ τὰ ὑπὸ σεισμῶν καταρραγέντα χωρία. Cujusmodi rupturæ cum frequentes fuerint in agro *Laconico*, sunt, qui *Spartam* inde ab *Homero* dici statuunt, non, ut vulgo legitur,

— (a) Λακεδαίμονα κητώεσσαν,

(a) Iliad β. versu 581. Odyss. δ versu 1.

sed καιετάεσσαν, ὅτι οἱ ἀπὸ τῶν σεισμῶν ῥωχμοὶ καιετοὶ λέγονται, καὶ καιάδας τὸ δεσμωτήριον ἐντεῦθεν· *quia rupturæ, quæ fiunt ex terræ-motibus, καιετοὶ dicuntur, atque inde carcer* καιάδας. Ità *Strabo* libro octavo: quamvis *Caadas* non tam carcer fuerit, quàm barathrum, ut diximus, in quod capite damnati præcipites ex alto demittebantur, ut post *Thucydidem* asserunt *Pausanias*, *Thucydidis* Scholiastes, *Suidas*, & *Grammaticorum* alii. Quo lapsu tam præcipiti cum plerique contererentur, erat in ea fossa cadaverum magna vis, & per meatus subterraneos vulpes eò se conferebant, ut pabulum indè carperent. Quorum unum, cauda arreptum, sequutus *Aristomenes* per opaca viarum, καὶ ἀπὸ τῶν κειμένων νεκρῶν ὀστῶν κλάσας, καὶ τὰ στενώτερα τῆς ὁδοῦ παρατρίζων, καὶ παραγνύων, *& cadaverum ibi jacentium osse confracto, quo montis angustias amovebat, atque exscindebat*, tandem ex specu illo evasit dias in luminis oras. Quæ partim in *Pausania*, partim in *Polyæno* legere est libro secundo *Strategematum*. Ut de *Plinio* taceam, qui rem ità paucis attigit libri undecimi capite trigesimo septimo; *Ipse convulneratus, & captus semel per cavernam latomiarum evasit, angustos vulpium aditus sequutus*.

Sunt & vulpes καρποφάγοι, & maximè uvis delectantur. Hinc *Cant.* 2. *v.* 15. *Capite nobis vulpes, vulpes parvos, qui corrumpunt vineas*. Ità *Nicander* in *Alexipharmacis* versu 185.

Πιοτέρην ὅτι βότρυν ἐσίνατο κερδαλέη ἀλώπηξ,
Cum pingui nocuit vulpes versuta racemo.

Et in *Caprarii* poculo apud *Theocritum Idyll.* 1.

Πυρναίαις σταφυλαῖσι καλὸν βεβρίθεν ἀλωά,
Τὰν ὀλίγος τις κῶρος ἐφ' αἱμασιαῖσι φυλάσσει
Ἥμενος. ἀμφὶ δέ μιν δύ' ἀλώπεκες· ἃ μὲν ἀν' ὄρχως
Φοιτῇ, σινομένα τὰν τρώξιμον, &c.

Quæ versibus & penè verbis totidem sic felicissimè reddidit *Heinsius* ὁ μακαρίτης;

Area purpureis pulchrè circumdatur uvis,
Quam puer exiguus residens custodit in horti
Sepibus. Hunc circum vulpecula bina, racemos
Altera percurrens depascitur, &c.

Et *Idill.* 5.

Μισέω τὰς δασυκέρκος ἀλώπεκας, αἳ τὰ Μίκωνος
Αἰεὶ φοιτῶσαι τὰ ποθέσπερα ῥαγίζοντι.

Odi vulpes densis caudis, quæ Miconis *vites frequentantes, vespertinas uvas decerpunt.* Et *Varro Rusticorum* libri primi capite octavo, *Unum* (vineæ genus) *in quo terra cubilia præbet uvis, ut in* Asia *multis locis, quæ sæpe vulpibus & hominibus fit communis. Galenus* item *De alimentorum facultatibus* lib. 3. cap. 2. Τὰ δὲ τῶν ἀλωπέκων (κρέα) ἐν φθινοπώρῳ, καὶ οἱ παρ' ἡμῖν κυνηγέται προσφέρονται· πιαίνονται γὰρ ὑπὸ τῶν σταφυλῶν· *Vulpium carnibus Autumno utuntur venatores, qui apud nos sunt; quia tum uvarum esu pinguescunt.* Eodem refer fabellam de vulpe, & uva, quam nemo nescit, & ità expressit *Phædrus*:

Fame coacta vulpis altâ in vinea
Uvam adpetebat, summis saliens viribus,
Quam tangere ut non potuit, discedens ait,
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.

Et *Gabrias*,

Κερδὼ βότρυν πλήθουσα μακρῆς ἀμπέλου,
Πρὸς ὕψος ἥρτο, καὶ κάμνουσα πολλάκις
Ἔλεγεν, ἀπεῖπε πρὸς δ' ἑαυτὴν ταῦτ' ἔφη,
Μὴ κάμνε, ῥᾶγες ὀμφακίζουσιν μάλα.

Amyntas (b) in opere, cui titulus Σταθμοὶ, seu *Mansiones*, vulpium *Caspiarum* refert tantam esse copiam, ὡς καὶ ἐπιφοιτᾶν οὐ μόνον τοῖς αὐλίοις τοῖς μὴ τὰς ἀγρὰς· ἤδη γε μὴν ἐς τὰς πόλεις παρεῖναι, καὶ ἐν οἰκίᾳ ἀλώπηξ φανεῖται, *ut non solum agrestia stabula adeant; sed urbes quoque ingrediantur, ità ut in ædibus vulpes conspiciantur.* Quod notatum voluit ut rem prorsus insolitam; quia vulpes animal est solivagum, quodque ἀλωπὰξ & ἀλώπεκα dictum volunt ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι, *ab errando, & divagando* in solitariis locis. Inde *Ezech.* 13. *v.* 4. *Tanquam vulpes in desertis.* &c. Et *Thren.* 5. *v.* 18. *Montem Sion, qui desolatus est, vulpes perambulant.* Quin ut lateant magis, in ipsis terræ visceribus lustra habent sua. Unde *Christus Matth.* 8. *v.* 20. & *Luc.* 9. *v.* 58. Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, *Vulpes foveas habent. Et Oppianus,*

(b) Vide Æl. an. Hist. lib. 17. cap. 17.

Καὶ πυκινὴ ναίει πυμάτοις ἐνὶ φωλειοῖσιν,
Et callida habitat intimis in foveis. Vulpium fovea uno verbo vocantur ἀλωπεκίαι. *Hesychius*, Ἀλωπεκίαι, αἱ τῶν ἀλωπέκων καταδύσεις. Ità etiam *Etymologus. Arabicè*

الجر جحر الضبع جر *giar* id ipsum est. *Alcamus*, والثعلب Algiar, *cubile hyænæ, & vulpis*. Doctissimus *Golius* ex *Giauhari*, *Latibulum lacertæ, & vulpis*; quia pro الضبع legit الضب. Est & مكا *micha* in *Alcamus* جحر الثعلب والارنب *latibulum vulpis, & leporis.* Si *Isidoro* credimus apud *Gesnerum*, habitat vulpes in foveis, quas ipsa tamen non parat, sed à taxo seu mele effossas dolo occupat, fœdo stercoris sui odore illum indè pellens. At videtur id fabulosum, cum vulpium lustra sæpe sint in locis, ubi nulli meles. Proinde vulpem alii scribunt ipsam sibi lustra altè fodere. *Phædrus* Fabulâ 76.

Vulpis, cubile fodiens, dum terram eruit,
Egitque plures altiùs cuniculos,
Pervenit ad draconis speluncam ultimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.

In quo ipso se prodit vulpis astutia. *Oppianus* ubi suprà,

Καὶ πυκινὴ ναίει πυμάτοις ἐνὶ φωλειοῖσιν,
Ἑπταπύλους εἴξασα δόμους, τρητάς τε καλίας,
Τηλόθ' ἀπ' ἀλλήλων, μή μιν θηρήτορες ἄνδρες,
Ἀμφὶ θύρῃ λοχόωντες, ἐπὶ βροχίδεσσιν ἄγωνται.

Et callida habitat intimis in foveis, septem portarum aperiens domos, perforatosque nidos procul à se invicem, ne ipsam venatores, circa ostium insidiantes, in laqueos conjiciant. Alkazuinius يتخذ لوجاره ابوابا حتي لو سد عليه بابا يخرج من الاخر *Latibulo suo plura facit ostia, ut, si unum obstruatur, per aliud exeat.* Quo respiciens *Lactantius*, *De ira Dei* cap. 7. *Sunt*, inquit, *animalia, quæ latibulis suis diversos & plures exitus pandant, ut, si quid periculum inciderit, fuga pateat obsessis.* Quale est, quod scilla lustrum suum ambire dicitur, ut lupum fuget, qui scillæ contactu convellitur, aut moritur. *Zoroastres* in *Geoponicis* libro decimo quinto, Λύκος σκίλλης θίγων (lege θιγὼν) σπᾶται· ὅθεν αἱ ἀλώπεκες τοῖς φωλεοῖς αὐτῶν σκίλλαν παρατίθενται, διὰ τοὺς λύκους. Alkazuinius, يجعل العنصل حول بيته حتي لا يقصد الذيب فان

فان الذيب اذا وقعت رجله على العنصل يموت *Circa cryptam suam scillam ponit, ne eò contendat lupus; quia si lupi pes in scillam incidat, statim moritur.* Quod *Ambrosius* (*Hexaëm.* lib. 6. cap. 4.) cur turturi tribuat, nullus capio. *Turtur*, ait, *nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squilla folia superjacit. Novit enim, quod hujusmodi folia lupi fugere consueverint.* Pullis turturis nullum est à lupo periculum, cum turtur in locis celsissimis nidificare soleat. Sed lupus ἀλώπεκι πολέμιος *vulpi hostis* est, ut observat *Philosophus Histor.* lib. 9. cap. 1. Et *Giahid* apud *Damirem* insigni gradatione, & magnâ ex parte verâ,

الذيب يصيد الثعلب
فياكله والثعلب يصيد
القنفد فياكله والقنفد يصيد
الافعي فياكلها والافعي يصيد
العصفور فتاكله والعصفور يصيد
الجرادة فياكلها والجرادة تلتمس
اولاد الزنابير فتاكلها والزنبور
يصيد النحلة فياكلها والنحلة
تصيد الذبابة فتاكلها والذبابة
تصيد البعوضة فتاكلها

Lupus venatur vulpem, atque ipsum vorat; vulpes venatur, & vorat hericium; hericius viperam venatur, & vorat; vipera passerem; passer locustam; locusta fœtus vespæ; vespa apem; apis muscam; musca culicem

De vulpibus habetur historia singularis *Jud.* 15. *v.* 4. *Et ivit* Samson (messis triticeæ tempore) *& cepit trecentas vulpes, quas sumptis tædis obvertit caudam ad caudam, & tædas singulas posuit inter binas caudas in medio. Et tædis igne succensis* vulpes *dimisit in* Philistæorum *segetes, & combussit cùm metas, tum segetes, & vineas, & oliveta. Hebræa* verba ויפן זנב אל־זנב omnino significant, *Et obvertit caudam ad caudam.* Tamen *Græci* in editione *Complutensi*, Καὶ συνέδησε κέρκον πρὸς κέρκον, *Et ligavit caudam caudæ.* Et *Hieronymus, Caudasque eorum junxit ad caudas.* Et *Chaldæus*, וקטר דנבא ברישׁ דנבא *Et ligavit caudam in capite caudæ.* Et *Syrus*, ܘܐܣܪ ܒܕܘܢܒܝܗܘܢ ܠܬܪܝܢ ܬܥܠܐ ܐܟܚܕܐ *Et caudis suis duos vulpes simul ligavit.* Et *Arabs*, وربطهم ثعلبين ثعلبين *Et vulpes eos binos ligavit.* Omnes eodem sensu; quia *Samson* ideò vulpes caudam ad caudam obvertit, ut simul jungeret, & devinciret. Itaque maluerunt disertè id exprimere, quod necessariò supplendum erat. *Tæda* Hebraicè לפיד *lappid*, vox à *Mose* jam usurpata *Gen.* 15. *v.* 17. & *Exod.* 20. *v.* 18. unde *Græca* λαμπάδος palàm sumpta. *Segetes*, Hebraicè קמות, propriè *stantes* sonat, id est, fruges *Cereales* nondum demessas. Quibus ibidem opponitur גדישׁ *gadis*, id est, *acervus*, vel *meta frugum in congeriem collectarum.*

Arabicè id ipsum est كدس *cuds*, vel كداس *cuddas*, à Verbo كدس *caddasa*, id est, *in metam congerere.* Mirum ni *Hebræum* גדשׁ *gadas*, vel *giddes*, idem significaverit. *Græci* in vulgatis editionibus גדישׁ, ἅλωνα *aream* reddunt. Sed in *Complutensi* meliùs στοιβήν. Neque enim eo loco ἀπὸ στοιβῆς significat *ab herba*, ut redditur in editione *Parisiensi.* Quin στοιβὴ est σωρὸς *acervus, strues, congeries.* Ità *Ruth.* 3. *v.* 7. *Venit, ut dormiret* ἐν μέρει τῆς στοιβῆς, *in parte acervi.* Hebraicè, בקצה הערמה, *in parte manipuli.* Et στοιβάζειν est σωρεύειν *in acervum colligere. Hesychius*, Στοιβάσωσι (lege στοιβάσουσι) σωρεύουσι Sic 3. *Reg.* 18. *v.* 33 Ἐστοίβασε, *Congessit ligni assulas super altare.* Et *Sirach.* 8. *v.* 4. Μὴ ἐπιστοιβάσῃς, *Ne congeras ligna in ignem ejus.* Ut *Levit.* 1. *v.* 7. Ἐπιστοιβάσουσι, *Congerent ligna in ignem.* Complutensis, στοιβάσουσι. *Vineas, & oliveta*, Hebraicè כרם זית *vineam, olivam*, absque Copula. Quæ *Hebræorum* nonnulli construentes reddunt *vineam olivarum.* Hinc apud *Kimchium Talmudici* כרם זית איקרי כרם סתמא לא איקרי *Vinea olivarum dicitur, vinea absolutè non dicitur.* Itaque *vinea oleæ* ipsis est *olivetum.* Ut *Cant.* 1. *v.* 14. כרמי עין גדי *Vinea Engadi*, id est, balsameta, ut multi volunt. Et in *Talmudico* Tractatu *Kilaim*, cap. 7. צמר גפן *lana vitis* est *gossipium.* Sed ut balsameta *vineæ* appellentur ferri potest; qui balsami planta viti aliquo modo est similis, ut alibi ex *Plinio* (c) docuimus. Meritò etiam *lanam vitis* gossipium dici colligere est ex eodem (d) *Plinio*, & (e) *Theophrasto*, in quibus *lanigeræ arbori*, id est, gossipio, folium vitis tribuitur. At nihil tale in oliva, quæ neque folium, neque quidquam aliud habet viti simile. Ità ut ratio commoda non possit dari, cur olivetis *vinearum* nomen indatur. Neque verò *Samsonem*. *Philistæorum* segetibus, atque olivetis exustis, verisimile est vitibus pepercisse, quas eximias habebant, præcipuè circa *Sorek*, ubi habitabat *Dalila Jud.* 16. v. 4. Itaque palmites *Sorek* maximè commendantur *Gen.* 49. *v.* 11, *Es.* 5. *v.* 2, *Jer.* 2. *v.* 21. Et vallis *Escol*, seu *botri*, unde eximiam illam uvam attulerunt exploratores, à *Sorek* non distat supra dimidium milliare. Denique cum tempore messis uvæ vulpibus jam sint edules, vulpes, à *Samsone* dimissæ, naturali impetu, & appetitu, in *Philistæorum* vites ferebantur, ut famem longâ captivitate irritatam exsatiarent. Omnino igitur tam vites devastârunt, atque exusserunt, quam segetes, & oliveta. Itaque inter duas voces ἀσυνδέτως כרם זית supple Conjunctionem. Neque eas redde cum *Talmudicis, Kimchio, & Drusio, vineas olivarum*, quod, ut liberè dicam, versionis monstrum est: sed *vineas, & olivas.* Sic sæpè suppletur Copula. Ut *Exod.* 22. *v.* 30. *Sic facito de bove tuo, ove tuâ:* id est, *& ove tuâ.* Deut. 24. v. 17. *Ne perverte judicium peregrini, pupilli*: id est, *& pupilli.* 2. Par. 18. v. 30. *Ne pugnate contra parvum, contra magnum:* id est: *&*, vel *nec contra magnum.* Hab. 3. v. 11. *Sol, Luna stetit in habitaculo suo:* id est, *Sol, & Luna.*

(c) *Lib.* 12. *cap.* 25.
(d) *Lib.* 12. *cap.* 10.
(e) *Hist. plant. lib* 4. *cap.* 9.

Hæc de verbis: rem quod attinet; primò, si quis quærat unde *Samson* tot numero vulpes nactus fuerit, nempe trecentas, quatuor habeo, quæ respondeam. Primò, magnam in illis locis fuisse vulpium copiam. Unde *David* de suis hostibus suprà, *Pars vulpium erunt.* Et *Solomon* Cant. 2. v. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ vineas perdunt.* Et *Jeremias* Thren. 5. v. 18. *Montem* Sionem, *qui desolatus est, vulpes perambulaverunt.* Proinde multa *Palæstinæ* loca, aut circa *Palæstinam*, à vulpibus nomen habuerunt. Ut *terra Sual*, id est, *terra vulpis*, 1. *Sam.* 13. *v.* 17. Et *Hatsar-sual*, seu *castrum vulpis*, *Judæ* urbs, *Jos.* 15. *v.* 28. vel *Simeonis*, Jos. 19. *v.* 3. & 1. *Paral.* 4. *v.* 28. & *Nehem.* 11. *v.* 27. Et *Danitarum Saalabim*, Jos. 19. *v.* 42.

Sed quam *Amorrhæi* occupabant. *Jud.* 1. *v.* 35. ubi *Hebræum* ובשעלבים *Græcorum* alii reddiderunt καὶ ἐν Θαλαβὶν, alii καὶ ἐν ᾧ αἱ ἀλώπεκες. Et hodie utrumque legitur in nostris exemplaribus. Nempe ut *Arabicè* ثعلب ità *Philistæorum* dialecto, quæ erat semi-*Arabica*, שעלב, erat *vulpes*. Rursus *Jos.* 19. *v.* 11. pro *Hebræo* מרעלה *Marala*, loco maritimo in *Zabulonitis*, *Syrus* habet ܬܠܐ ܕܬܥܠܐ *collem vulpis*. Secundò, vulpium nomen potuit etiam complecti thoës, animal vulpi simillimum, & in *Judæa* valde frequens, maximè in *Palæstina*, & circa *Cæsaream*, ut suprà probavimus, atque ità gregarium, ut quandoque ducentos thoas in unum gregem convenire testetur *Bellonius*, ità ut nullo negotio potuerint capi plurimi. Tertio, non dicitur *Samson* numerosam hanc vulpium turmam unâ aut alterâ die cepisse. Potuit igitur tota hebdomas, aut mensis pars notabilis in eam venationem insumi. Ut mensum unus *Athenis* Ἐλαφηβολιὼν dictus est, quia fere insumebatur figendis cervis, qui immolarentur *Dianæ* ἐλαφηβόλῳ. Quarto, licet insignis venator potuerit esse *Samson*, non est, quod quisquam sibi fingat eum trecentas illas vulpes solum, & per se cepisse. Potuit id per amicos facere, aut etiam *Judæorum* universæ genti, cui præerat, aut saltem tribui suæ publicam vulpium venationem indicere. Et tamen illas cepisse dicitur; quia quod quis per alium facit, id censetur ipse facere.

Interim non diffitendum vulpium venationem esse difficillimam. Sunt, qui laqueis & retibus eas capi posse negent. *Oppianus* libro quarto *Venaticorum* in fine,

Κερδὼ δ' οὔτι λόχοισιν ἁλώσιμος, οὐδὲ βρόχοισιν,
Οὔτε λίνοις· δεινὴ γὰρ ἐπιφροσύνῃσι νοῆσαι
Δεινὴ δ' αὖ τε κάλωα ταμεῖν, ἀπὸ δ' ἅμματα λῦσαι,
Καὶ πυκινοῖσι δόλοισιν ἀλυξῆσαι θανάτοιο.

Vulpes neque insidiis capi potest, neque laqueis, neque retibus: nam astu valet ad animadvertendum. Valet quoque ad funes dissecandos, & nexus dissolvendos; & vafris dolis ad evadendum è morte. Indè Senarium vetus apud *Suidam*.

Γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ.

Vulpes vetula laqueo non capitur. Et *Plutarchus* in libro *De causis naturalibus* hanc quæstionem movet, Διὰ τί τῶν θηρίων ἡ ἄρκτος ἥκιστα διεσθίει τὰ δίκτυα, καί τοι καὶ λύκοι, καὶ ἀλώπεκες διεσθίουσι; *Cur præ reliquis feris ursus minimè casses rodat, cùm eos rodant lupi, & vulpes?* Sibi cavet inprimis fœmina, cum gravida est, quæ (teste *Philosopho Hist.* lib. 6. cap. 34.) ὅταν μέλλῃ τίκτειν, ἐκτοπίζει οὕτως, ὥστε σπάνιον εἶναι τὸ ληφθεῖσαν κύουσαν, *cùm paritura est, ità secedit, ut gravida rarò capiatur.* Itaque ut significarent vulpis venatio quàm sit ardua, *Teumesiam* in *Bœotia* vulpem capi potuisse negârunt veteres Mythographi. Tamen vulpes quoque nonnunquam capi tam pelliones, quàm venatores apprimè sciunt. Neque enim semper retia frangunt, quæ ad illorum venationem multi non inutiliter adhibent. Hinc *Martialis* ad *Maternum* libri decimi *Epigrammate* 37.

Hic olidam clamosus ages in retia vulpem.

Et Adagium vetus, Ἀλώπηξ, διαφυγοῦσα πάγας, αὖθις οὐχ ἁλίσκεται *Vulpes, quæ laqueos effugit, rursus non capitur.* Quo ipso semel saltem laqueo capi posse palàm docetur. *Calentius* quoque è recentioribus,

Et laqueo vulpes, & decipe casse fornas.

Sæpe etiam canum præda sunt. *Oppianus* de vulpe in fine libri quarti *Cynegeticῶn*,

Ἀλλὰ κύνες μιν ἔπεφνον ἀολλέες·

Sed canes frequentes eam perimunt. Quin apud *Ælianum* libri quarti capite vigesimo sexto *Indi* milvos, & aquilas, ad id institutos, ἐπὶ τοὺς ὀρείους λαγὼς μεθιᾶσιν, καὶ ἐπὶ τὰς ἀλώπεκας τὰς ἀγρίας, *in montanos lepores, & agrestes vulpes immittunt*, qui captos dominis afferant.

Quod ille refert ex *Ctesia*. Transennas taceo, & γαλεάγρας, & decipulas, & fossas, & indaginem, & alias mille nocendi artes, quibus in ferarum perniciem industria humana utitur:

— οὐ γάρ τι πέλει καθυπέρτερον ἀνδρῶν
Νόσφι θεῶν· μούνοισι δ' ὑπείξομεν ἀθανάτοισι.

Nihil enim est superius hominibus præter Deos, solisque cedimus immortalibus. Ità *Oppianus* libro quinto *Halieuticῶn*.

Jam qui quærunt quorsum ad fruges *Philistæorum* comburendas vulpes potius delegerit *Samson*, quàm canes, aut lepores, aut aliud quodvis animal, id ipsum quæsîissent, si quod aliud delegisset. Quamvis responderi queat *Samsonem* ideò vulpes in eum usum adhibuisse, ut *unâ fideliâ*, quod ajunt, *duos parietes dealbaret*. Captis enim tam multis vulpibus unâ operâ patriam ab animali noxio liberavit, & hostibus suis maximum creavit malum. Aliud affert *Kimchius* ex *Hebræis*, nempe *Samsonem* vulpes ideò delegisse; שהשועל מנהגו לחזור לאחוריו לפיכך היה דבק הלפיד בין שתי הזנבות כי כל אחד מהם היה חוזר לאחוריו ולא היה נפרד מחבירו ומתוך כך היה הלפיד דבק בהם ואלולי כן היה זה הולך לפניו והלפיד נופל מביניהם *Quia vulpes solet retroire, ac proinde tæda hærebat inter duas caudas, quia unusquisque vulpium retrogrediebatur, nec à socio suo divellebatur. Et sic in eorum medio manebat tæda. At si secus fecissent, & unusquisque in anteriora processisset, tæda ex eorum medio decidisset.* Vulpem porrò retrocedere probat ex *Talmudicis*, qui *Samsonem* dixisse fingunt; יבוא שועל שחוזר לאחוריו ויפרע מפלשתים שחזרו בשבועתם *Ibit vulpes, quæ retrocedit, & pœnas sumet de* Philistæis, *qui retrocesserunt in juramento suo*, id est, qui violarunt fœdus cum *Abrahamo* initum, & juratam illi fidem fregerunt. Ego vulpes retrocedere, & in aversum ire alibi nusquam legi. Sed non absimile est, quod à nonnullis traditur, vulpem ire per anfractus, & sinuosas vias. *Isidorus Orig.* lib. 12. cap. 2. *Vulpes dicta, quasi volupes. Est enim volubilis pedibus, & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit.* Nonnius, *Vulpinari dictum est fraudibus, & mendaciis vera pervertere, vel effingere. Dictum ab invecto, seu intorto vulpium cursu.* Id *Arabicè* راغ *raga* dixeris voce maximè propriâ. *Alcamus*, راغ الرجل والثعلب مال وحاد عن الشي Raga, *de homine, aut vulpe, declinavit, & deflexit à re.* Sed de homine non nisi per Metaphoram, de vulpe propriè dicitur. Hinc enim رواغ *ravvag* est vulpes in eodem *Alcamus*. Et in *Damiris Proverbiis* اروغ من الثعلب يضرب لمن لا يقيم على حاله *Arvago*, id est, *obliquior vulpe de eo dicitur, qui in statu suo non permanet.* Id verò hic momentum habet. Vulpes enim, tortuoso illo & anfractuoso suo incessu, faces, caudis alligatas in plures locos differebant, & latius incendium sic excitabant. Quamvis in frugibus semel accensis ipsa per se flamma plus satis diffundatur. Hinc *Propertius* libro tertio,

Flamma per incensas citiùs sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput.

Hujus historiæ habemus insigne monumentum in *Ovidio* libro quarto *Fastorum*, ubi medio *Aprili* narrat vulpes in Circo fuisse emissas cum tædis ardentibus tergo affixis. Et hujus ritûs causam ità disquirit:

Cur

Cur igitur missa junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.

Et respondet se, *Româ* in *Pelignos* euntem, per *Carseolos* transiisse, ibique ab hospite suo jam sene didicisse id fieri in memoriam *Carseolana* vulpis, quam à se captam pauperis rustici filius fœno involvit, & stipulis, tum in eas immisit ignem. Quibus accensis cum effugisset vulpes, quacunque fugam moliebatur, agros accendebat messi proximos. Eximii *Poetæ* verba sic habent,

Is capit extremi vulpem convalle salicti,
Abstulerat multas illa cohortis aves.
Captivam stipulâ fœnoque involvit, & ignes
Admovet, urentes effugit illa manus.
Quà fugit, incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit; monumenta manent: nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana *vetat.*
Utque luat pœnas genus hoc Cerealibus *ardet,*
Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.

Hæc ille: sed absit à nobis, ut ritus tam solennis originem arcessamus à tam obscuris initiis. An, quia vulpes una, *Carseolis* fœno ardente involuta, paucas segetes in fuga exussit, *Romæ* certa die quotannis plures vulpes emitti debuerunt cum tædis caudæ alligatis? Quin à *Phœnicibus* id ortum est, qui rei apud se gestæ famam paulatim disseminârunt. Cui probando afferam hic duo non temerè prætereunda. Unum, quod *Romæ* vulpes fœno non involvebantur, quomodo vulpes *Carseolana*; sed tædas in cauda gerebant. *Ovidius* ubi suprà,

——— *junctis ardentia tædis*
Terga ferant vulpes. ———

Quod ipsissimum de *Samsonis* vulpibus refert Scriptura. Alterum, quod emittebantur hæ vulpes, non quo tempore *Romæ*, vel *Carseolis*; sed quo tempore in *Palæstina* fit triticea messis, nempe circa medium *Aprilem*. *Ovidium* audi:

Sed jam præteritas ubi quartus Lucifer *Idus*
Respicit, hâc Hyades Dorida *nocte tenent.*
Tertia post Hyadas *cùm lux erit orta remotas,*
Carcere partitos Circus *habebit equos,*
Cur igitur missa junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.

Sensus est, *Hyades*, sive suculas occumbere quarto die post Idus *Apriles*, id est, *Aprilis* die XVII, vel, quod idem est, XV. Calendas *Majas*. Et tertiâ post die, id est, *Aprilis* XX. *Curules* ludos in *Circo* celebrari & vulpes emitti. Hoc porrò *Romæ* lationis est, non messis tempus. *Virgilius* libro primo *Georgicorum*:

Antè tibi Eoæ Atlantides *abscondantur,* —
Debita quàm sulcis committas semina. —

At in *Ægypto*, & *Palæstina* res se habet multò aliter. In iis enim locis messis incipit mense *Abib*, seu *Epiphi*, id est, *Martio*; cui nomen אביב *Abib*, inditum à *novis frugibus*. *Vincentius Bellovacensis* in *Speculo Historiarum*, quod nonnisi *Gallicum* habeo, libri trigesimi secundi capite quinquagesimo septimo, ubi de *Ægypto*: *En* Mars *les laboureurs fauchent, & moissonnent*: id est, Martio *mense segetes falce resecant, & metunt agricolæ*. Idem in *Judæa* factum. Ideo (c) postridie *Paschatis*, hoc est, medio mense *Abib* manipulus è primis frugibus Deo offerebatur, *Levit.* 23. *v.* 10. 11. Sed festo *Pentecostes*, id est, quinquagesimo demum die post *Paschale* festum, messis erat plenè peracta. Unde est, quod *Exod.* 23. *v.* 16. *Pentecoste* vocatur הקציר חג, *festum messis*, nempe absolutæ, non inchoatæ. Nam ut circa *Pascha* falx promebatur ad resecandas segetes, ita circa *Pentecosten*, messe jam peractâ, recondebatur. Et his duobus festis, tanquam terminis, conclusa, & definita erat messis apud *Hebræos*. Itaque tum *Judæi* panes fermentatos Deo offerebant, tanquam re tum demùm perfectâ, & in usum quotidianum paratâ, *Levit.* 23. *v.* 17. Hoc porrò messis tempus bifariam dividebatur. Pars enim hordeaceæ, pars triticeæ messi destinata erat. Atque illa quidem prior, hæc tempore posterior erat. *Plinius* libri decimi octavi capite septimo, *In* Ægypto *hordeum sexto à satu mense, frumenta septimo metuntur*. *Clemens Alexandrinus* libro sexto *Stromatum*, Πρωϊαίτερα γὰρ εἰς ὥραν θέρους τοῦ πυροῦ μᾶλλον ἡ κριθή. *Messis enim tempore hordeum frumento citiùs maturescit.* Proinde 2. *Sam.* 21. *v.* 9. primis diebus messis fit messis hordeacea. Et *Exod.* 9. *v.* 31. 32. grando in *Ægypto* hordeum affligit; quia jam erat אביב, *spicatum*. At triticum, & zeam non item; quia erant אפילות, *serotina*. *Martio* igitur hordeum, sed triticum *Aprili* demùm mense metebatur. Atque id ipsum fuit tempus, quo *Samson*, in socerum irritatus, quod uxorem sibi ademptam alteri concessisset, cepit trecentas illas vulpes, & in *Philistæorum* agros immisit. Unde est, quod Sacer Scriptor hanc historiam ità orditur *Jud.* 15. *v.* 1. Et post aliquod tempus בימי קציר חטים, *diebus messis triticeæ*. Et segetum pars adhuc stabat, pars jam in acervum erat collecta. Quocirca versu quinto *Samson* omnia exussisse legitur מגדיש ועד קמה, *ab acervo usque ad stantem segetem*. Itaque verisimile est incendium illud eo ipso die accidisse, quo *Romæ* vulpes in circum emittebantur, & in illius incendii memoriam id primò à *Phœnicibus*, deinde *Phœnicum* exemplo etiam ab aliis esse factitatum. Indidem videtur sumptum, quod *Bœoti*, quibus olim *Phœnices* imperaverant, quidvis incendi posse credebant, si certa quædam animalia, blattæ nimirum, & vulpes, & testudines cum facibus affixis emitterentur. *Suidas* in Νικίεια· Τίφη μὲν θηλυκῶς, ἡ καὶ σίλφη· ζωύφιον κανθαρῶδες, ᾧ δοκοῦσι Βοιωτοὶ ἐμπηγνύντες δᾷδα ἡμμένην, ὅ τι τοιοῦτον, ἐμπυρίζειν ὃ θύναντας (malim ὃ θέλοντας.) τοῦτο δὲ καὶ διὰ ἀλωπέκων, καὶ χελωνῶν ἐγένετο. *Tiphe fœmineo genere, quæ & silphe (blatta:) animalculum est scarabæo simile, in quod* Bœoti *si facem, aut tale quid infixerint, quidvis incendere se posse putant. Hoc autem etiam per* VULPES *& per testudines fiebat.* Quod partim sumptum ex *Aristophanis Acharnan.* Actu quarto, ubi *Nearchus*, cum dixisset unicam θρυαλλίδα, id est, *unicam lucernæ ellychnium* posse navale totum incendere, rogatus quomodo id fiat, ità respondet:

Ἐνθεὶς ἂν εἰς τίφην ἀνὴρ Βοιώτιος
Ἅψας ἂν εἰσπέμψειεν εἰς τὸ νεώριον,
Δι' ὑδρορρόας Βορέαν ἐπιτηρήσας μέγαν,
Κ' εἴπερ λάβοιτο τῶν νεῶν τὸ πῦρ ἅπαξ
Σελαγοῖντ' ἂν αἱ νῆες. ———

Si vir Bœotus *ellychnium blattæ imponat, & accensum in navale immittat, per emissarium* Boream *observans cùm est vehemens, si semel naves invadat ignis, eæ lucebunt.* Hæc de blatta in *Aristophane*: sed aliunde sumptum est quod de vulpe & testudine addit *Suidas*. Nunc libet aliud afferre, quod fortasse eodem pertinet. Cicindelæ, vel noctilucæ cur à *Philosopho* (d) πυγολαμπάδες, & ab aliis λαμπυρίδες dicantur, neminem latet, cùm caudæ illis noctu tam luceant, quam si faces haberent tergo infixas. Unde *Plinius* libri undecimi capite vigesimo octavo, *Lucent ignium modo noctu, laterum & clunium colore, lampurides*. At quorsum etiam vulpibus lampuridum nomen inditum? Certum enim est sic vocari. *Hesychius*, Λαμπουρίς, ἀλώπηξ. *Lycophron* de *Nauplio* versu 344.

Τῆς Σισυφείας δ' ἀγκύλης λαμπουρίδος
Λάμψει κακὸν φρυκτωρὸν αὐτανέψιος·

Cognatus Sisyphiæ *versutæ vulpis* (id est, *Nauplius* cognatus *Ulyssis* è *Sisyphi* genere) *malam accendet tædam.* Idem versu 1393. *Erisichthonem* vocat patrem.

Τῆς παντομόρφου βασσάρας λαμπουρίδος,

Meretricis vulpeculæ, quæ in omnes se mutabat formas. Et in *Theocriti Bucoliastis* canis vocatur Λάμπουρος, ἐπειδὴ κύνες εἰσὶν ἀλώπηξιν ὅμοιοι· λαμπουρὶς γὰρ ἡ ἀλώπηξ.

(c) Vide Fuller. Miscell. lib. 3. cap. 11.

(d) Hist. lib. 4. cap. 1 & lib. 5. cap. 19.

ἀλώπηξ· *quia canes sunt vulpibus similes, lampuris enim est vulpes.* Ità habet *Scholiastes.* Jam si de ea voce *Grammaticos* consulas, respondebunt ità vocari vulpium certum genus, qui caudam albicantem habent. Cujusmodi vulpes naturæ consulti nusquam describunt. Et vel si describerent, tamen id parum esset ad rem; quia aliud est albere, aliud in cauda lucere in ignis, aut lampadis modum. Id enim propriè λάμπειν, unde λαμπὰς, & λαμπυρίς· aut utrumque ex *Hebræo*, לפד *lappid.* Sed fortasse *Poetæ Tarsenses*, in quo numero erat *Lycophron*, sic allusum voluerunt ad morem aut in vicina *Syria*, aut in ipsa *Cilicia* receptum, facem vulpium caudis alligandi certâ die in memoriam facti *Samsonis.* Quod tamen affero cunctanter, & peritiorum judicio libens submitto.

Superest, ut de vulpinis moribus paucis agamus, quo argumento nihil tritius. Vulpem enim esse versutum & subdolum animal omnes uno ore prædicant. *Aristoteles Hist.* lib. 1. cap. 1. Τὰ μὲν πανοῦργα, καὶ κακοῦργα, οἷον ἀλώπηξ· *Quædam animalium callida sunt, & malefica, ut vulpes.* Et *Physiognomonicωn* capite sexto, Οἱ πυῤῥοὶ ἄγαν πανοῦργοι, ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς ἀλώπεκας. *Rufi sunt valde callidi, quod refertur ad vulpes. Ælianus Hist.* lib. 4. cap. 39. eas attigisse dicit ὑπερβολὴν κακουργίας, καὶ τρόπων δολερῶν, *summum malitiæ, & fraudis fastigium.* Hinc *Horatius, De Arte Poetica,*

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes,

Et *Persius Satyrâ* quintâ,

Astutam vapido servas sub pectore vulpem.

Arabes quoque in *Alcamus.* هم في مسوكى الثعالب اي مدعورون *Hi sunt in pellibus vulpinum, id est, pravi, scelesti.* Eodem refer notissimum *Lysandri* Apophthegma, Ὅπου μὴ ἐφικνεῖται ἡ λεοντῆ, προσραπτέον ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν· *Ubi leonina non sufficit, vulpinam esse assuendam.* Quo voluit ad dolos esse recurrendum, cùm solâ virtute res obtineri non potest. Et cum apud *Græcos* quatuor sint vulpium nomina diversissima, ἀλώπηξ, κερδὼ, κίναδος, & κιδάφη, horum nullum est, quod non ad fraudes adhibeatur. Ex primo ἀλωπεκίζειν *Aristophani* est πανουργεῖν. Ex secundo κερδοσύνη est *astutia*, & κερδαλέος *astutus.* Tertium κίναδος maximè à *Sicilioris* pro *vulpe* usurpatum, *Sophocli, Aristophani,* & *Theocrito* est κακοῦργος, & πανοῦργος. A quarto κιδαφεύειν est *dolosè agere. Hesychius*, Κιδαφεύειν, πανουργῆ (lege πανουργεῖν·) κιδάφη γὰρ ἀλώπηξ. Ità *vulpinari* Nonno est *fraudibus & mendaciis vera pervertere.* Et in *Apuleii Asino* libro tertio *vulpinaris amasio* est *amator fraudulentus, & subdolus.* Ut in ejusdem *Apologia* secunda *vulpionem* sumi palam est pro doloso palpatore, cum *Rufinum* dicit, etiam cum matri blandiretur, tamen jam tum vulpionem & impium fuisse. Res erit evidentior, si referamus vulpium vaframenta, & strophas, quæ habentur apud Scriptores. Jam ex *Oppiano* didicimus vulpem sibi parare cubile ἑπτάπυλον, ut, uno, vel altero ostio clauso, aut occupato, semper alia pateant. Et ex aliis lustri sui aditus scillâ obsepire, ut lupos fuget. Aure ad glaciem admotâ conjectare glaciei crassitudinem tradunt *Plinius, Plutarchus,* & *Ælianus.* Eadem immota, represso spiritu, clausis oculis, & pedibus extensis تماوتت mortuam se simulat, & aves ità allectas avido haustu vorat. Ità *Oppianus Halieuticωn* libro secundo, *Alkazuinius, Damir.* Ut vesparum favos comedat, ad σφηκιὰν, seu *vespetum*, primum accedit aversa, metu aculeorum, & vesparum impetum caudâ excipit, quæ propter hirsutiem illorum aculeis est inaccessa, & caudam, vespis onustam, petræ aut arbori illidens multas necat. Quâ arte usa aliquoties, donec omnes interemerit, favos impune invadit, *Ælian. Hist.* lib. 4. cap. 39. Et ejusdem lib. 6. cap. 24. caudâ, tanquam hamo in aquas immisso, venatur pisciculos, & pilis suis implicitos repente trahit. Erinaceum, ejus metu in orbem se contrahentem, & spinis suis se tuentem, supinum evertit, ut ventrem invadat, aut immingit in os, atque suffocat. Ità *Alkazuinius* ex *Æliano.* Pauca addam ex *Arabibus* quæ *Græcos* latuerunt. اذا تولدت القمل فيه وتادي منها اخذ بغيه ليقة او صوفة ويقف فوق الما ثم ينزل قليلا قليلا حتي يجتمع القمل في تلك الصوفة ثم يخليها ويستريح *Cum pediculi in eo procreantur, & ipsi sunt noxii, gossipium, aut lanam in ore sumit, & super aquas constituens in illas paulatim descendit, donec pediculi in eam lanam congregentur, quam deinde relinquens liber quiescit.* Ità *Alkazuinius.* Et *Damir* de pulicibus idem narrat. Ecce aliud ex *Lexico Alcamus!* وبر الثعلب مشي في الحزونة ليخفي اثره Sensus est, Vulpem, cum datur optio, potius incedere per salebrosam terram, ut occultet vestigia sua, atque id propriè significari voce وبر. At *Giggejus* exponit *more vulpis sensim incedere.* Quo fortasse pertinet, quod *Tobias Ammonita, Judæos* subsannans, qui *Jerosolymorum* mœnia restaurabant; *Ædificent,* inquiebat, *& vulpes, si ascenderit, murum eorum lapideum diruet.* Quasi diceret tam infirmum esse hoc ædificium, & tam malè coagmentatum, ut nè minora quidem animalia, quæque sensim incedunt, & maximè suspenso gradu, ut vulpes, sustinere queat.

Reliqua, quæ de doloso & fraudulento vulpium animo observavimus, eo pertinent, ut sciamus quorsum cum vulpibus conferantur falsi doctores in sponsi verbis *Cant.* 2. v. 15. *Capite nobis vulpes, vulpes parvulas, quæ corrumpunt vineas.* Nempe propter strophas, & versutias, quibus credulæ plebi facilè imponunt. Unde *Apostolus* 2. Cor. 11. v. 13. *Istiusmodi pseudo-Apostoli operarii dolosi sunt, transformantes se in Apostolos* Christi. Et cùm veris doctoribus id muneris incumbat, ut colant *Christi* vineam, id est, Ecclesiam; falsi, vulpium instar, illam perdunt, & corrumpunt. Ut ad eos pertineant hæc Dei verba *Jerem.* 12. v. 10. *Multi pastores corruperunt vineam meam, conculcaverunt sortem meam, redegerunt partem meam desiderabilem in desertum desolationis.* Capiuntur porrò falsi doctores, cum revincuntur erroris, & eorum strophæ in apertam verbi divini lucem proferuntur. Et adhuc parvulos vult capi *Christus*, id est, in ipso ortu, & priùsquam eorum sermo, ut cancer, latè serpserit, 2. *Tim.* 2. v. 17.

Principiis obsta: serò medicina paratur,

Cum mala per longas invaluêre moras.

O filia Babylonis, &c. *Beatus, qui capiet parvulos tuos, & ad petram allidet.* De hoc eodem vulpium genere dicitur *Ezech.* 13. v. 4. *Similes vulpibus in desertis Prophetæ tui sunt,* O Israel. Qui per cuniculos subjectam terram excavant, & suffodiunt. Quod faciebant illi *Prophetæ*, cùm *Jerosolymorum* ruinas reparare & sepem obducere debuissent, ut imminenti malo occurrerent. Eo enim respectu conferri cum vulpibus

ſuadent ſtatim ſequentia, *Non aſcendiſtis in ruinas, nec obduxiſtis ſepem pro domo* Iſraelis.

Herodes quoque à *Chriſto* vocatur *vulpes Luc.* 13. *v.* 32 propter inſignem aſtutiam. Erat enim πανουργότατος, ut vir magnus in hunc locum obſervat, & compoſitus ad *Romani* tunc Imperatoris exemplum, qui nullam, ut rebatur, ex virtutibus ſuis magis quàm diſſimulationem diligebat. Itaque videas eum magnâ arte & populo ſe commendaſſe, quaſi *Judaicæ* religionis perquam ſtudioſum; & *Romano* Imperatori adulatum ſerviliter, quaſi ei devotiſſimum, cùm interim omni modo ipſe res ſuas ageret. Notum eſt, quibus artibus fratris uxorem ad ſe pellexerit, & tanti ſceleris reum, cum *Johannis Baptiſtæ*, illum meritò carpentis, & ad pœnitentiam hortantis, libertatem ferre non potuiſſet, in ſanctum virum ità ſæviiſſe, ut videri vellet invitus id facere, nec niſi Sacramenti religione adactus. Ajunt etiam *Herodianos* fuiſſe illius ὠτακουστάς, & προσαγωγέας, qui quid à ſingulis diceretur ſedulo expiſcarentur, & ad ipſum Dei filium inſidioſe veniſſe, ejus verba aucupaturos, *Matth.* 22. *v.* 16. Sed utùt vulpino fuerit animo tetrarcha *Herodes*, dices non licuiſſe ſubditis, è quo numero erat *Chriſtus*, illi conviciari: cùm Scriptura ſæpè vetet Regibus maledicere, idque ſub gravi pœna. Vide inprimis *Exod.* 22. *v.* 28. 2. *Sam.* 19. *v.* 21. *Job.* 34. *v.* 18. & *Eccleſ.* 10. *v.* 20. Reſpondeo, *Prophetis*, munus ſuum obeuntibus, multa licuiſſe ſupra hominum vulgus: multa etiam *Chriſto* licuiſſe ſupra vulgus *Prophetarum*. Et quamvis ſervi perſonam accepiſſet, eum tamen quandoque egiſſe ut Dei filium, & voluiſſe, ut emineret ſub ſervili habitu ſumma illa poteſtas, atque auctoritas, quam habebat in omnes homines. Sed hæc ſunt alterius loci.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Felibus feris, quos *Hebraicè* צִיִּים *tſijim*, dici probatur.

Feles feri in Africa *prope* Miltinem. *Felium tres ſpecies. Feles volucres. Feles agreſtes in* Babylonia, *&* Palæſtina. *Feles* Arabicè ضيون *ut* Hebraicè ציים. Arabibus *felis* πολυώνυμος. *Fabella indè nata. Felium dira vox, & inauſpicata.* Saturnus *Arabicè* كيوان *ut in* Amos. כיון. *Aliæ interpretationes vocis* ציים. *Non eſſe feras in genere. Mons* Seir *à felibus dictus. Tam* Talmudicos, *quàm* Græcos Onirocriticos *captare in vocibus frigidas alluſiones. Felis cur* Arabicè ſinar.

FEles in his terris cicures, alibi ſunt inter feras. Hinc *Diodorus* lib. 20. pag. 763. prope *Miltinem Africæ* oppidum, meminit ὄρους ὑψηλοῦ παρήκοντος ἐπὶ σταδίους διακοσίους, πλήρους δ' ὄντος αἰλούρων· ἐν ᾧ συμβαίνει μηδὲν ὅλως πτηνὸν νεοττεύειν, μήτε ἐπὶ τοῖς δένδρεσι, μήτε ἐπὶ ταῖς φάραγξι, διὰ τὴν ἀλλοτριότητα τῶν προειρημένων ζώων, *excelſi montis ad ſtadia ducenta porrecti, pleni felibus: in quo nullam avem nidificare contingit, neque in arboribus, neque in vallibus, propter prædictorum animalium feritatem.* *Nemeſianus* etiam *Poeta Carthaginenſis* in *Cynegetico*,

——— nos flumineas errare per umbras
Malumus, & placidis ichneumona quærere ripis
Inter arundineas ſegetes, felemque minacem
Arboris in trunco longis præfigere telis.

Et *Alkazuinius*, السنور البر حيوان على شكل السنور الاهلي الا ان جثه اكبر واكثر عدوه يبالغ في حفظ نفسه ونوعه حتى يحفظ بعضها بعضا في النهار فاذا كان الليل قام حارسا لا ينام فاذا نام قتلوه *Felis ferus animal eſt ejuſdem formæ, cujus felis domeſticus, niſi quod ſtatura major eſt, & curſu* (vel *ſaltu*) *agilior. Maximè ſtudet cuſtodiæ ſui ipſius, & animalium ſibi congenerum. Ità ut interdiu per vices cuſtodias agant. Et noctu ſtet cuſtos à ſomno abſtinens, qui ſi dormiat interficitur.* Et *Damir*, والسنور ثلثة انواع اهلي ووحشي وسنور الزباد *Tres ſunt felis ſpecies, domeſticus, & ferus, & felis civeta.* Et paulò poſt, والوحشي اكبر حجما من الاهلي *Et ferus felis ſtaturâ major eſt domeſtico.* Et rurſus وذكر القزويني ان السنانير جنحة كاجنحة الخفافيش من اصل الاذن الي الذنب *Meminit etiam* Alkazuinius *felium* ſylveſtrium, *qui alas habent tanquam alas veſpertilionum, à radice aurium uſque ad caudam porrectas.* Quod tamen in meo *Alkazuinio* non reperio. Sed ecce aliquid ſimile in *Scaligero* Exercitatione 217. cap. 9. *In* Malabar *provinciâ feles ſunt agreſtes in arboribus agitantes. De eorum celeritate in curſu nihil memorabile proditum eſt. Saltu valere potiùs: peculiaris volatus, idque, quod mirum magis eſt, ſine alis. Membranam ab anterioribus pedibus ad poſteriores uſque productam extendi. Quam, dum quieſcunt, ad alvum contrahunt. Ubi volare inſtituunt, pedum crurumque agitatione protentâ, collectaque membranâ, tum ſuſtinentur, tum feruntur, Mirabiliſque eſt eorum tanquam per aërem currentium ſpecies.*

Sed, his omiſſis, ſufficiet hic doceamus etiam in *Babylonia* & *Palæſtina* fuiſſe feles agreſtes. Quod paſſim docet *Chaldæus*, qui de *Iſraelitis* dicit *Oſ.* 9. *v.* 6. חתולין בברנותהון *Feles* erant *in palatiis eorum*. Et de *Babyloniis Eſ.* 13. *v.* 22. ויצפון חתולין בבירנותהון *Et ululabunt feles in palatiis eorum.* Et *Jerem.* 50. *v.* 39. ויערעון תמן כחתולין *Et occurrent cercopithecì felibus.* Quod idem de *Idumea* habetur *Eſ.* 34. *v.* 14. *Felis* Chaldæis eſt חתול *chathul*, ut Arabibus خيطل *chaithal.* At de *Hebræo felis* nomine nondum conſtat. Nam in *Oſea* ad Chaldæum חתולין reſpondet חוח *choach*, quod non eſt animal, ſed *ſpinæ* genus, ut alibi docuimus. Et in *Eſaia* & *Jeremia* איים *ijim*, thoës eſſe putamus non *feles* cum *Chaldæo*. At *felium Hebræum* nomen ſi quod eſt, videtur id eſſe ציים *tſijim*, ut *Arabicè* ضيون

ضيون *dsaivvan* est *felis*, cujus Plurale ضياون *dsajavvino*, & τὸ ὑποκοριστικὸν ضييين *dsajain*, *parvus felis*. Hinc *Poeta Hisan Ben Tsabith*,

تريد كان الشمس في جارته
نجوم الثري او عيون الضياون

Velles, ut esset Sol in antris ipsius, sidera terræ, aut oculi felium. Et *Poeta* alius,

يدب بالليل لجاراته
كضيون دب الي قرنب

Noctu reptitat ad vicinas suas, ut felis repit ad murem. Est & in ore vulgi hoc *felis* nomen, ut cum dicunt هو ادب واصيد واعلم وازني وانزي من ضيون *Hic est facie pilosior* (aut *magis reptans*) *& ad venatum propensior, & peritior, & lascivior, & saltu agilior fele.* Nempe felis apud *Arabes*, ut pleraque animalia, est πολυώνυμος. Unde nata est hæc fabella in *Damire*, *Quidam*, Arabia *nomine, felem venatus, cum nesciret quale esset animal, petiit ab obvio quomodo vocaretur, ac is respondit* السنور sinnaur, *& alius idem rogatus respondit* القط kat, *& rursus alius* الهر hir, *alius* الضيون dsaiwan, *alius* الخيدع ginda, *alius* الخيطل chaital, *alius* الدم dim. *Tum dixit* Arabia, *feram illam in forum, ut vendam, quod mihi bene vertat Deus. Cumque in forum venalem attulisset, & æstimasset centum drachmis, responsum est non valere suprà dimidiam drachmam. Tum, eo abjecto,* dixit, لعنه الله ما اكثر اسماه واقل ثمنه *Illi animali malè sit, cujus tot sunt nomina, & pretium tam vile.*

Jam dicam cur ציים *tsijim*, vel σειὰ, ut scribunt veteres, & *Arabicum* ضياون putem idem esse animal. Primo, hæc duo nomina vix aliter quàm terminatione differunt, cum in utroque prima Radicalis sit *Tsade*, & secunda *Jod*. Secundò, in *Bostra*, & *Babylonis* desolatis palatiis *Propheta* jungunt איים את ציים, tsijim *cum* ijim *Es.* 34. *v.* 14. & *Jerem.* 50. *v.* 39. id est, ut interpretor, *feles cum thoibus*, ut ea significent cum thoum ululatibus, tum sylvestrium felium vagitibus aliquando personatura. Quia ut thoum ululatus alterni habent aliquid tetrum, & horribile, ità felium in desertis coëuntium vox dira est, & inauspicati ominis. Maximè, cum mutuis vagitibus, ut ità dicam, velut incentivo quodam ad amorem utuntur. *Vagitus* ideò voco felium clamores ἐρωτικὰς, quia infantum vagitibus sunt aliquo modo similes. Quod ipsum scribunt *Arabes* de thois ululatibus. *Damir* de thoë, صياحه يشبه صياح الصبيان *Vox ejus est similis infantis vagitui.* Unde colligo thoum & felium catulientium voces non multum inter se differre. Nam quæ in uno tertio conveniunt, eadem etiam inter se convenire necesse est.

Obiter nota ad vocem ضيون *dsaivvan* pro *fele* quid observet الصقلي *Assacli Grammaticus* insignis inter *Arabes*. ليس في الاسما ما فيه يا ساكنة بعدها واو مفتوحة الا ثلثة اسما وهي حيوة وضيون وكيوان وهو زحل *Nullum est nomen, in quo litera* Je *quiescens habeat post se literam* Vau *fathatam, præter hæc tria*: حيوة *HAIVVA, id est, vita,* ضيون *DSAIVVAN, id est, felis, &* كيوان *CHAIVVAN, id est, Zachal, seu Saturnus.* Quod ideò hic observo, non quod ullo modo curem has *Grammaticorum* nugas: sed quia vox *Arabica* كيوان *Chaivvan* pro *Saturno* eadem est cum כיון (*hijun. Amos* 5. *v.* 26. quâque adeò *Saturnum* apud *Persas*, & *Arabes* significari testatur *Aben Ezra*. Proinde *Græci* interpretes, qui versionem suam in *Ægypto* ediderunt, rectè reddunt Ῥαιφάν, vel Ῥεφάν. Nam *Rhephan* hodieque *Cophtitis* est *Saturnus*. Quod *Cophtitarum Lexica* nos disertè docent.

Alii interpretes de voce ציים *tsijim*, mirè ambigunt. *Seniores*, θηρία, δαιμόνια, ἰνδάλματα. *Syrus* reddit ܚܝܘܬܐ *feras*, ܪܘܚܐ *spiritus*, ܣܝܪܢܣ *Sirenes*. Arabs الوحوش *feras*, الجان *dæmones*, اصنام *idola*. Vulgatus, *bestias, dæmonia, dracones*. Chaldæus, תמן, *cercopithecos*, Abarbanel, הקופים *Simias*. Selomo, נמיות *martes*. Kimchius, & Aben Ezra, *bestias habitantes* בציה, *in loco arido, & siticuloso*. Munsterus, *lamias*. Castalio, *Sylvanos*. Pagninus, *bestias sylvestres*. Junius *feras animalia*. *Aquila, Symmachus, Theodotion, Arias* maluerunt vocem *Hebræam* intactam relinquere, quàm lectoris animum dubiâ versione suspendere.

In tot versionibus nihil tam verisimile, quàm ציים *tsijim*, esse feras, quæ habitant in siccis locis; quia ציה tsija, *siccitas* ציון, tsijon, *aridus locus*, & ציים *tsijim*, sunt Conjugata. Præterea, ut *Arabibus* صوا tsawa *arescere*, & صوي tsawi *aridum* sonat: ità صوة *tsovva* iisdem est جماعة السباع *ferarum* aut *leonum agmen*. Unde Plur. صو *tsavvo*, & اصو *atsvvao* sunt *ferarum caterva*, quæ nimirum in locis siticulosis degunt. Itaque etiam ציים *tsijim*, videbuntur id ipsum esse. Et in ea interpretatione plerisque recentiorum cum *Græcis, Vulgato, Syro, Arabe* convenit, & *Hebræorum* doctissimis, *Kimchio*, & *Aben Ezra*: ut ea non sit à quoquam temerè repudianda. Illa tamen sua habet incommoda, quibus premitur. Nam si ציים *tsijim*, sunt *feræ* quævis, quorsum iis opponuntur איים *thoes*, *Esa.* 34. *v.* 14. & *Jerem.* 50. *v.* 39. Quis ferat sic loquentem, *Occurrent feræ thoibus. Habitabunt feræ cum thoibus*: quasi thoës non essent feræ? Si ציים ibi dixeris pro *leonibus* sumi, non pro qualibet fera: neque hoc video quî stare possit, ut *habitare* dicantur ציים את איים *leones cum thoibus*. Cùm *Philosophus* disertè neget thoas cum leonibus in eodem loco posse degere. Verba sunt, οἱ θῶες πολεμοῦσι τοῖς λέουσιν, διὸ ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ οὐ γίνονται, *Hist.* lib. 9. cap. 44.

Obiter nota *Hermonem* montem *Amorrhæos* שניר *Senir* vocâsse (a) quasi *felinum* dixeris, fortasse à felibus ibi diversari solitis. Felis scilicet ut *Arabicè* سنور

(a) Deut. 3. 9. 1. Paral. 5. 23. Ezech. 27. 5.

سنور *sinaur*, vel سنار *sinar*, ità *Chaldaicè* שונר *sunar*, vel שונרא *sunera*, vocatur. Sic in secundo *Thargum Esther*. 1, 2. שונרא דדהבא *felis aureus*. Ibidem inter clamores animalium שונרין טיסן *feles ejulabant*. Et *Talmudici Oneirocritici* in *Beracoth* cap. 9. fol. 56. b. הרואה חתול בחלום באתרא דקרו שונרא נעשה לו שירה נאה שינרא נעשה לו שינוי רע *Qui chatul (i. e. felem) videt in somnis, in loco, in quo felis vocatur sunera, fiet illi sira naa, id est, canticum pulchrum. At si videat in loco, in quo vocatur* sinara (quomodo apud *Arabes*) *fiet illi* sinui ra, id est, *mutatio mala*. Hæ sunt frigidæ vocum allusiones; quale est, quod *Satyrus*, ab *Alexandro* in somnis visus, dum *Tyrum* obsideret, significavit *Tyrum* ab illo propediem capiendam: quia Σὰ Τύρ@ divulsa voce est *sa* Τύρ@, *tua est Tyrus*. Et cum alius vidisset Θεσσαλονίκην *Thessalonicam*, hoc omnem victoriæ spem illi ademit, quia nomen ipsum urbis significabat θὲς ἄλλῳ νίκην, *alii relinque victoriam*. Porrò mons *Hermon* hodieque ab *Arabibus* سنير *Senir* vocatur. Illum definit *Alcamus* جبل بين حمص وبعلبك *montem inter* Emesam, & Baalbech: quæ olim *Heliopolis*. Ibidem felis سنار *sinar*, vel سنور *sinaur*, dicitur à naturæ malignitate. Nam *Arabicè* سنر *sener* est شراسة الخلق *pravus indoles*.

CAPUT DECIMUM QVINTUM.

Probatur אחים non esse genus animalis, sed *ferarum ululatus*, quibus deserta personant.

Quàm variè redditur vox אחים. *Hic ferarum ululatus significari ex* Arabica, *Ægyptia*, & Græca *lingua probatur*. Græcos, & Arabes *interpretes sic accepisse*. Gabriel Sionita *notatus*. *In* Aquila *lege* φωνῶν, *non* τυφώνων. Arabicè *est* صدي *echo*.

ETiam vocis אחים mira est versionum fœcunditas in his *Es*. 13, 21. *Et recubabunt ibi* ציים *feles*, & *replebuntur domus eorum* אחים. Plerique animal esse putant, sed quale nondum convenit. Hieronymus *dracones* explicat. Kimchius, & Abarbanel *furones*. Pomarius, *feles*. Mardochæus, *simias*, aut *mustelas*. Aben Ezra, *animalia, quorum aspectu videntes obstupescunt*. Alii *manticoras*, alii *martes*, alii *Faunos*, alii *ferales aves*, alii *noxia animalia*. Modestius *R. Selomo* profitetur se nescire quod genus sit animalis. Ego planè aliter sentio, nempe אחים non esse feræ speciem, sed voces, clamores, rugitus, ferarum ululatus, quibus deserta personat. Sive מלאו Activè reddas hoc modo, *Et replebunt* (sylvestres feles) *domus eorum clamoribus*: aut Passivè, ut vulgo, *Et replebuntur*, &c. Ut clamoribus repleri dicantur domus, quomodo urbs *Jerusalem* תשאות מלאה *fragoribus tumultuosis plena* dicitur ab eodem *Propheta*, Es. 22, 2.

Hanc interpretationem multa confirmant. 1. *Hebræis* אח, & האח, est vox *gementis*, vel *exultantis*. 2. Et huc alludere videtur *Arabum* وحي vel وحاة pro *voce sonora*. 3. Quod etiam *Ægyptiorum* vocabulum fuisse colligo ex *Horo Apolline*, qui sic habet *Hierogl*. lib. 1. cap. 29. Φωνὴν ζωγραφῆ μακρὰν θέλοντες σημῆναι, ὀχλεῖ τὸ ἀὴρ Αἰγυπτίοις Οὐαὶ *Vocem remotam significare volentes, quod Ægyptiis Vaie dicitur*. Non dubium, quin ibi Οὐαὶ sit *Arabum* وحي mediâ aspiratione neglectâ, ut in Ἀειμελὲχ pro Ἀχιμελὲχ *Ps*. 51. in *Aquila*. Sed & ab *Hebræis* אח, & אחים, fieri videntur *Græca* vocabula ἦχ@ *sonus*, & ἠχέω *sono*, pro quo *Dores* ἀχέω. Quod ipsum in causa fuit, cur allusione vocis servata, *Seniores* אחים ἤχων *sonum* redderent. Quomodo etiam *Theodotion*. Et *Syrus*, *Et replebuntur domus eorum* ܒܪܬ ܩܠܐ *filia vocis*, id est, *echo*. Et *Arabs* من الصدي *voce*, vel *echo* (non *ululis*, ut perperam reddit *Gabriel Sionita*.) Et *Aquila*, φωνῶν *vocibus*. Ita est in *Procopio*. Sed pro φωνῶν *Hieronymus* legit τυφώνων *typhonibus*, portentoso errore. Quid enim hic sint *typhones*? An fabulosi gigantes, aut ventorum procellæ? Utrumvis intelligas, οὐδὲν πρὸς ἔπος. *Symmachus*, & *Chaldæus* vocem *Hebræam* nudè exscribunt. Itaque primus omnium interpretum *Hieronymus* אחים voluit esse animalia, adeoque *dracones*. Sed is sententiæ suæ fundamentum non aperit. Fortè acceperat ab *Arabibus dracones* vocari اخوين *achuin*: unde in *Avicenna* دم الاخوين dam olachuini *sanguis draconum*.

Obiter dicam, cur in *Arabe* الصدي *tsadi* hic sit *echo*, non *ulula*, aut *bubo*, ut vulgo. Constat utrumque significari voce صدي: Ita enim est in *Alcamus*; الصدي ما يرده الجبل علي المصوت فيه وذكر البوم Tsadi, *quod reddit mons, cum quis in eo clamat: & mas bubonis*. Et ibidem, احاب الجبل اصدي id est, اجاب الجبل بالصدي *Mons respondit per echo*. Et *Damir*, postquam docuit صدي esse *marem bubonis*, addit: والصدي صوت يرجع من الصوت اذا خرج ووجد ما يجيبه او هو الصوت الذي يجيب الانسان من الجبال وغيرها *Etiam tsadi est vox, quæ redit ex voce, cum exit, & invenit aliquid, quod ei respondeat: aut est vox, quæ homini ex montibus, aut aliunde respondet*. Itaque voluit *Arabs*, domus *Babylonis* vel bubonibus, vel τῇ echo esse replendas. Sed, ut priùs voluerit, haudquaquam est verisimile. 1. Quia nullus est interpretum, qui אחים, pro *avibus*, multò minus qui pro *ululis*, aut *bubonibus* somnat. 2. Quia non dixisset numero unitatis, *replebuntur domus ejus* من الصدي *bubone*, sed Plurali من الاصداي *bubonibus*. 3. Quia *Esaiæ Arabica* versio ferè

Græcam sequitur, quæ hic habet, Ἐμπλησθήσονται αἱ οἰκίαι ἤχου, *Implebuntur domus sono.* Pro quo ille legit ἠχοῦς *echo*, ac proinde reddidit من الصدى id est, *echo*: quomodo etiam *Syrus* ܒܪܬ ܩܠܐ *filiâ vocis*, quod idipsum significat.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Onagris.

Onagri asinis domesticis similes, tamen diversi generis. 1. *Cursu longè præcellunt, quamvis citò fatiscant. Quomodo capiantur.* Currere פרי, *unde* פרא onager; *quia cursus velocissimi.* 2. *Onagri pulchriores, & lineis nigris distincti. Plerique tamen leucophæi. Color* κίλλος, vel ὀνάγριος. 3. *Majores plerumque, sed & minores. Onager* ערוד arod, *dicitur à ruditu, quem homine viso statim emittit.* Ruditus *Hebraicè* נהיקה. Os. 8,9. *vocatur* solitarius; *quia in desertis degit, sed ibi est gregarius.* Moris: Ps. 79,14. *non est onager, ut ex* Cyrillo *probat* Hesychius. *Onager eremicola, & eremita. Explicatur* Jobi *locus de onagro capite trigesimo nono.* פרא. & ערוד, *Synonyma. Falluntur, qui onagrum domari posse negant.* Solitudo *vocatur* ערבה araba; *quia in* Arabia *ferè perpetuæ solitudines. Et* מלחה melecha, *id est*, salsugo, *quia sal terræ sterilitatem inducit. Cur* Soph. 2, 9. *pro* accervo salis *Arabs habeat* acervum areæ. *Urbs* Sichem *sale consita*, Jud. 9, 45. *pro quo* Syrus ܡܠܚܐ. Sinapi *reddunt, cum* מלוח *sit planè aliud* Job. 30, 4. *& in* Talmude. *Vox* מלוח *variè reddita.* קקול kakul, *ciceris species. Nonnullis* מלוח, atriplex marinum. *Quin* מלוח *est* halimus. *Quod probatur ex* Dioscoridis *&* Galeni *versione* Arabica, *& ex* Avicenna. *Ita sumendum* Job. 30, 4. *probant quatuor rationes.* Antiphanis *locus cum* Jobi *loco collatus.* Græca *versio emendata.* Ἀλιμος, *cum spiritu leni, quæ herba: &* ἅλιμα, *quæ pharmaca. Situs terræ* Hus *quàm incertus. Halimum non semper provenire in maritimis locis.* Hesychius *emendatus.* מלוח *non est* μαλόχη, *cujus nomen est* Græcum ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν. *Onager à tributo immunis. Pastore non eget; quia montes cibum, fontes potum illi subministrant: nisi famis tempore, cum ventum trahit ut dracones: quod explicatur. Oculi etiam inediâ deficiunt, qui tamen acerrimi. Fœmina quàm libidinosa. Mensis* Ab *Judæis ominosus. Homines ratione feritatis cum onagris collati. Id ex* Arabismo *illustratur. Onager leonum pabulum. An verum sit lalisiones à patribus castrari, ut docent* Græci, Romani, *&* Arabes. *Quorum hi matrem addunt pulli sui crus frangere.*

QUæritur, an asini feri à domesticis tota specie, aut solum educatione differant, quomodo a vulgaribus equis & felibus differunt sylvestres equi, & feles. Nec desunt, qui esse velint per omnia similes. In his *Luitprandus, Cremonensis* Episcopus, in legatione ad *Nicephorum Phocam* Imperatorem Anno 968. Verba sunt, *In Umbriam* (lege *Selymbriam*) *qui est locus* XVIIIM. Constantinopoli *distans* Nicephorus *me accersiri jubet*, &c. *Et me interrogavit, si vos* (a) *perivolia, id est*, (b) *brolia, vel si in perivoliis onagros, vel cætera animalia haberetis. Cui cum vos brolia, & in broliis animalia, onagris exceptis, habere affirmarem, Ducam te, inquit, in nostrum perivolium, cujus magnitudinem, & onagros, id est, sylvestres asinos, te vidisse miraberis.* Et paulò post, *occurrunt mihi commisti capreis, quos ipsi dicunt, onagri. Sed, quæso, quales onagri? Quales sunt* Cremonæ *domestici. Color idem, forma eadem, auritas eadem, vocales similiter cum rudere incipiunt, magnitudo non dispar, velocitas nulla, dulces lupis æquè.* Asinos tamen feros describit *Philosophus Hist.* lib. 6. cap. 36. tanquam genere diversos, nec communi nomine dictos, nisi propter quandam similitudinem, quæ inter illos intercedit, quomodo inter mulos *Syriæ*, qui fœcundi sunt, & vulgares, qui non pariunt: Εἰσὶ δ', inquit, ἐν Συρίᾳ οἱ καλούμενοι ἡμίονοι, ἕτεροι γένος τῶν ἐκ συνδυασμοῦ γινομένων ἵππου καὶ ὄνου, ὅμοιοι δὲ τὴν ὄψιν, ὥσπερ καὶ οἱ ἄγριοι ὄνοι πρὸς τοὺς ἡμέρους, ἀπό τινος ὁμοιότητος λεχθέντες οὕτως. Itaque docet *Maimonides* in Tractatu *De heterogeneis* nefas esse *Judæo* copulare החמור עם הערוד אף על פי שדומין זה לזה הרי הן כלאים זה בזה *asinum cum onagro, quia, licet sint similes, tamen sunt diversi generis.* Verba hæc sunt cap. 9. Sect. 7.

Jam, si quis quærat notas διακριτικάς, quibus ab invicem differunt: 1. Certum est, asinos feros vulgaribus cursu longè præcellere. *Philosophus* ubi supra, Οἱ ὄνοι ἄγριοι τὴν ταχυτῆτα διαφέροντες· *Asini feri* (*aliis*) *celeritate præstant.* *Xenophon* in *Cyro Minore* libro primo, Οἱ μὲν ὄνοι, ἐπεί τις διώκοι, προδραμόντες ἀνεστήκεσαν· πολὺ γὰρ τοῦ ἵππου θᾶττον ἔτρεχον, καὶ πάλιν, ἐπεὶ πλησιάζοι ὁ ἵππος, ταὐτὰ ἐποίουν. ὥστε οὐκ ἦν λαβεῖν, εἰ μὴ διαστάντες οἱ ἱππεῖς θηρῷεν διαδεχόμενοι τοῖς ἵπποις. *Asini quidem* (feri in *Mesopotamia*) *cum quis eos insequebatur, postquam præcurrissent, restitabant. Equum enim cursu facilè superabant. Et, equo rursus accedente, idem præstabant. Ità ut capi non potuissent, nisi diversi equites venati essent equis* (id est, equitibus aliis) *succedentes.* Multò aliter interpres, qui locum non intellexit. *Oppianus* (c) etiam onagrum describit ἐύσφυρον, κραιπνόν, ἀελλοπόδην, κρατερώνυχον, ὀξύτατον θεῖν, *bonis cruribus, pernicem, pedibus instar turbinis, robustis ungulis, cursu velocissimum.* Et apud *Ælianum* lib. 14. cap. 10. Ὄνοι Μαυρούσιοι ἄριστοι δραμεῖν, παρά γε τὴν πρώτην ὁρμὴν εἰσὶν ὀξύτατοι, ὡς, καὶ νὴ Δία, αὔρας τινὸς ἐμβολὴν εἶναι, ἢ πτερὸν αὐτόχρημα ὄρνιθος. *Asini* (feri) *Maurusii cursu sunt celerrimi, & primo impetu velocissimi, ità, per* Jovem, *ut venti cujusdam impetu, aut avis alis ferri omnino videantur.* Et *Leo Africanus* libro nono, *Velocitate equis tantum* Barbaricis *cedunt.* Qui ipsi currentes onagros non assequuntur, sed postquam exhausto spiritu in cursu anheli defecerunt. Nam, ut addit *Ælianus*, post primum illum impetum, ταχέως κάμνουσι, καὶ αὐτοῖς οἱ πόδες ἀπαγορεύουσι, καὶ τὸ πνεῦμα ἐπιλείπει, *citò lassantur, & pedes ipsis fatiscunt, & spiritus deficit.* Tum verò illos invitos subsistentes, & præ desperatione flentes, *Mauritani* collo alligatos captivos ducunt. Ità *Ælianus.* Et *Pollux* lib. 5. cap. 12. Ἐπειδὰν ὑπέρκοποι καὶ ὑπέρασθμοι γένωνται, *Postquam lassi & anheli supra modum facti sunt, alios quidem sagittis conficiunt, alios vero vivos capiunt, laqueis ferreis collo injectis.* Quin, si eidem creditur, *qui ex insequutione amentes facti sunt, sæpe sequuntur non inviti, cùm quis averso equo traxerit.* Porrò ex celeritate cursûs factum videtur פרא, quod pro *onagro Hebræi* & *Arabes* usurpant. Quippe פרא, vel פרי, Verbum *Syris currere* est. Sic in *Talmude Jerosolymitano*, capite במה אשה in fine, חויא פרי בתרך *Serpens currit post te.* In *Vajekra Rabba* capite vigesimo secundo, כי פרי וסלק חמא חד חמר מית *Cum cucurrisset, & ascendisset, vulpem unam mortuam vidit.* Ubi *Glossa*, פרי

a) περιβόλια.
b) Gall. breuils, id est, vivaria, ζωγρεῖα.
c) Cyneg. lib. 3. versu 183.

פרא dicit esse לשון ירושלמי *lingua Jerosolymitana*. Et in *Midbar Rabba* capite duodecimo paucis verbis quater occurrit Verbum פרא in *currendi* notione, quâ alioqui rarò reperitur. Indè *Hebræis* & *Arabibus* פרא dictus est, ut à vulgari asino distingueretur, quo jumento nullum est tardius, neque ad cursum ineptius.

II. Plerumque etiam onager vulgari asino pulchrior est, & procerior. *Martialis* libri decimi tertii *Epigrammate* 110.

Pulcher adest onager, &c.

Oppianus,

- - - - - - - - σίνπυ ὄναγρον,

Ὅς τε πέλει φαιδρὸς δέμας, ἀγλαὸς, ἰσχυρὸς ἰδέσθαι,

Ἀργυρόεις χροιήν - - - - - -

Procerum asinum, quique est pulcher corpore, amplus, latus aspectu, argenteus colore. Item,

Ταινίη δὲ μέλαινα μεσήν ῥάχιν ἀμφιβέβηκε,

Χιονέαις ἑκάτερθε διειργομένη στεφάνῃσι·

Linea autem mediam dorsi spinam cingit, niveis utrimque distincta coronis. *Philostorgius* libri tertii capite undecimo, ubi de regionibus ad Orientem, & Meridiem; *Hæc quoque regio fert onagros statura procerissimos, & pelle mirè varios, albo colore & nigro non leviter interstinctos. Quin & his insunt zonæ quædam, à spina dorsi ad latera & ventrem usque demissæ*. καὶ ἐν αὐτοῖς διαχωρίζομεναι, καὶ κατά τινας περιφερείας ἀλλήλαις ἐμπλεκόμεναι, θαυμαστήν τινα, καὶ ξένην ἀπεργάζονται πλοκήν, καὶ ποικιλίαν, *& inde divisa, & circa quosdam orbes inter se implicata, mirum quendam & insolitum exhibent nexum, & varietatem*. Damir, والوانه مختلفة والاخدرية اظولها عمرا واحسنها شكلا

Onagri colores varii sunt, sed nigris vita longior, & forma est præstantior. Sæpe tamen leucophæi sunt ut vulgares asini. Leo Africanus, *Asini sylvatici reperiuntur in desertis Africæ maxima frequentia, leucophæi coloris*. Marmolius, *Son de color pardillos*. Pollux lib. 7. cap. 13. Ἔστι δὲ κίλλιον (lege κίλλιον) ἐσθῆτος χρώματος ὄνομα ὄναγρον καλούμενον· κίλλον γὰρ τὸν ὄνον οἱ Δωριεῖς. Sensus est, à cillo, quod *asini* nomen est apud *Dores*, cillium dici colorem, qui aliis est onagrinus, unde sequitur onagrum vulgari asino sæpe esse concolorem. Neque semper esse majorem docent hæc *Æliani* ubi suprà μικροὶ δὲ ἰδεῖν εἰσιν οἱ Λίβυες ἵπποι, καὶ ὄνοι, θᾶττον δ' ἄριστοι· *Aspectu quidem parvi sunt Africani equi, & asini, sed cursu celerrimi*. De feris enim asinis ibi agitur. Hinc *Marmolius*, *Tambien vimos grandes manadas destos asnos salvajes en Cerdeña, aunque son mas pequeños*. In *Sardinia* etiam vidimus magna horum onagrorum armenta, licet aliquanto minorum.

Tam *Syris*, quàm *Hebræis* ערוד *arod*, à *ruditu* dicitur, voce, quam ὀνοματοποιητικὴν esse statim agnoscent, qui sciunt quomodo sonet initiale *Ajin*, nostris planè ἀνεκφώνητον. Nempe quamprimum videt hominem, contenta voce rudit. Leo Africanus, *Hominem videntes magnis clamoribus ululantes recalcitrant*. Marmolius, *En viendo un hombre luego comiençan a rebuznar*. De cætero in illo ruditu nihil singulare, ut à *Luitprando* didicimus. Itaque in Oriente נהיקה, tam usurpatur de feri, quàm de vulgaris asini ruditu. De fero legitur *Job*. 6, 5. הינהק פרא עלי דשא *Nunquid rudit onager super herbam?* Et de vulgari *Gen*. 30, *v*. 16. in *Jonathane*, ועל יעקב מן חקלא ברמשא ושמעת לאה קל נהיקת חמרא *Et venit Jacob ex agro sub vesperam, & ruditus asini ejus vocem audivit Lea*. Sed & *Arabicè* نهق *rudere* est, & نهيق vel نهاق *ruditus*, & ناهق *fistula gutturis*, quâ rudit asinus. Unde *Aben Ezra* in *Jobum* ad vocem הינהק observat in Scriptura nusquam alibi hanc vocem eâ ratione occurrere: sed simile verbum esse בלשון קדר *in lingua Kedar*, id est, *Arabica*.

Ad mores pertinet, quod *Os*. 8, 9. vocatur פרא בודד, *onager solitarius*. Non quod etiam τῶν ὁμοειδῶν consortium fugiat, ut nonnulli perperam sumunt. Onager enim est animal gregarium. *Pollux*, Ἀγελάζονται δὲ τῷ πλήθει, *Gregatim colliguntur*. *Varro Rust*. lib. 2. cap. 6. *In Phrygia & Lycaonia sunt greges multi*. *Plinius* lib. 8. cap. 30. *Mares in eo genere singuli fœminarum gregibus imperitant*. *Solinus* itidem, *Africa onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus fœminarum*. Isidorus, *Singuli fœminarum gregibus præsunt*. Oppianus,

Πολλαῖσιν τ' ἀλόχοισιν ἀγαλλόμενοι κομόωσι,

Θηλύτεραι τ' ἕπονται ὅτι περ πόσις ἡγεμονεύει·

Multisque uxoribus exultantes superbiunt: sequuntur verò fœminæ, quocunque vir duxerit. *Ammianus* libro vigesimo quarto ferè in fine, *Fumus, vel vis quadam turbinata pulveris apparebat, ut opinari daretur asinorum esse greges agrestium, quorum multitudo in tractibus illis est innumera*. Leo Africanus, *Confertim incedunt, cum vel pabulantur, vel potant*. Itaque eos non probo, quibus *Ps*. 79. (Hebr. 80.) versu 14. μονιὸς ἄγριος est *onager*. In quo numero esse *Cyrillum Hesychius* his verbis docet, Μονιὸς, ὁ ἄγριος, ὁ μὴ σὺν ἄλλοις συναγελαζόμενος. &c. Ὁ δὲ ἄγριος κύων ὁ ἐν τῷ ψαλμῷ Ἱερεμίᾳ (?) [illegible] *Singularis, porcus ferus, (aper) qui cum reliquis non congregatur*, &c. *Sanctus autem* Cyrillus *in Commentario in Prophetam* Oseam *asinum significare dicit*. Nempe locum *Psalmi Cyrillus* ita citat in *Os*. 14, 8. (*d*) Ἐλυμήνατο αὐτὴν ὗς ἐκ δρυμοῦ, καὶ ὄνος ἄγριος κατενεμήσατο αὐτήν· *Vastavit eam sus de sylva, & asinus agrestis depastus est eam*. Et ne quis suspicetur ὄνος ibi scriptum pro μονιὸς per amanuensium imperitiam, statim sequitur; Τίθεται δὲ ὥσπερ εἰς καταπάτησιν τοῖς ἀδικεῖν ἐθέλουσιν, χοίροις τε, καὶ ὄνοις νομή· *Posita est enim velut in conculcationem nocere volentibus, porcis, & asinis pabulum*. Alibi quidem apud *Cyrillum* (*e*) legitur μονιὸς ἄγριος in eodem *Psalmi* loco: sed mendosè, ut quidem puto. Agitur enim de loco *Esaiæ*, quo *Jerusalem* facta dicitur εὐφροσύνη ὄνων ἀγρίων, *gaudium onagrorum*. Et profertur *Psalmi* locus, quo probetur *Davidem* idem cum *Esaia* vaticinari, nempe fore, ut *Judæam* depascantur onagri. Itaque *Cyrilli* vetus interpres etiam eo loco habet, *Asinus ferus depastus est eam*: unde illum *Græcè* legisse colligas ὄνος ἄγριος. Non tamen inde collegerim cum *Hesychio* μονιὸν *Cyrillo* esse *asinum*. Sed *Hebræum* זיז, in loco *Psalmi* veterum interpretum aliquem ὄνον ἄγριον reddidisse putaverim, atque id sequutum *Cyrillum*. Huc facit, quod etiam *Arabs Parisiis* editus habet ورعاها حمار الوحش

Et depastus est eam asinus ferus. Quod suo loco dispiciemus. Interim בודד *boded*, id est, *solitarius*, onager ab *Osea* rectè dicitur; quia est eremicola. Hinc *Job*. 24, 5. *Ecce onagri in deserto!* Et *Jerem*. 2, 14. *Onager assuetus deserto*. Et *Es*. 32, 14. cum prædicitur fore, ut *Jerusalem* fiat *gaudium onagrorum*, idem est, ac si vastanda dicatur, & desolanda, & in desertum redigenda. Sic de *Nebucadnetsare* legitur *Dan*. 5, 21. *Cum onagris fuit habitatio ejus*, id est, in locis ab hominum consortio remotissimis. Et *Sirach*. 13, *v*. 21. al. 24. Ὄναγροι ἐν ἐρήμῳ, *Onagri in deserto*; &c. *Græca* denique versio *Job*. 11, 12. Βροτὸς δὲ γεννητὸς γυναικὸς ἴσα ὄνῳ ἐρημίτῃ· *Mortalis autem a muliere genitus est instar asini eremitæ*, id est, *eremicolæ*. Et *Jeremias cap*. 48, *vers*. 6. Ἔσεσθε ὥσπερ ὄνος ἄγριος ἐν ἐρήμῳ· *Eritis ut asinus sylvestris in deserto*. Sed *Hebraicè* est כערער *ut myrica*, pro quo legerunt כערוד *ut onager*.

(d) Edit. Paris. pag. 194. D.

(e) In Es. lib. 3. tom. 3. cap. 3 & pag. 448. b.

Sed hoc argumentum nemo uberius *Jobo* persequitur, vel ipso Deo potius, cum *Jobum* sic alloquitur capitis trigesimi noni versu 5, al. 8. *Quis dimisit* פרא, *onagrum, liberum, & vincula* ערוד, *asini sylvestris quis solvit? Cui assignavi* ערבה, *solitudinem pro domo, & pro habitaculo* מלחה, *salsuginem. Ridet tumultum civitatis,* תשואות נגש, *clamores exactoris non audit,* יתור הרים *exploratio montium pascuum ejus, & sectatur quidquid vires.* Falluntur, qui פרא, & ערוד, distinguunt, ac si diversum quid sonent. Quin in *Hebraeorum* usu voces sunt prorsus Synonymae, quarum unam cum *Arabibus*, alteram cum *Syris* communem habent. Itaque in his *Jobi, Quis dimisit* פרא, *liberum, & vincula* ערוד, *quis solvit?* bis idem dicitur שונות במלות, diversis verbis, quomodo in hoc libro passim. Quo exemplo non incommodè legeretur *Es.*32. *v.*14. משוש פראים מרעה ערדים, *Gaudium* erit *onagrorum, pascuum asinorum sylvestrium*, nisi constanter haberent omnia exemplaria מרעה עדרים, *pascuum gregum*. Et veteres quoque interpretes ita legisse constat. Nam *Graeci* etiam habuêre βοσκήματα ποιμνίων *pascua gregum*, non ποιμένων *pastorum*, ut hodiè perperam legunt. Absit igitur à nobis, ut in *Hebraeo* quidquam mutemus.

Onager porrò dicitur *liber esse dimissus, & solutus à vinculis*; quia domestici instar homini non mancipatur, sed liber est, & sui juris. Quin domari posse negant multi interpretum. *Chrysostomus* in *Catena*, Ἰσχυρὸν τὸ ζῶον, καὶ ἀδάμαστον, κἂν μυρία φιλονεικῇς, οὐχ ἕξεις ὑπὸ τὴν χεῖρα τὴν σήν. *Robustum est animal, & indomitum, nec, si conteris millies, illud egeris sub manum tuam. Olympiodorus* item, & *Polychronius* describunt ut animal ἀνυπότακτον, quodque in ordinem cogi nequeat. Et *Vincentius* in *Doctrinali* lib.16. cap. 97. *Odit hominum frequentiam, & habitationem, nec domari potest.* Quo, credo, torrente abreptus *Deodatus* ὁ μακαρίτης, negavit onagrum ab homine posse domari, vel cicurari. Et recentior alius, quo loco ראם (qui aliis est *monoceros*) contendit esse *urum: Ut crescat*, inquit, *admiratio super indomitatem feritate, eandem demonstrat Deus in onagro quoque*, &c. *Quo certè admirabilius nihil dici, aut cogitari potest, asinos sylvestres, quorum totos greges vel unus puer in fugam agat, non mansuescere.* De hac re tamen naturae consulti sentiunt multò aliter. Varro, (f) *Ad seminationem onagrus idoneus, quod è fero fit mansuetus facilè, & è mansueto ferus nunquam.* Plinius (g) *Generantur ex equa & onagris mansuefactis mulae*, &c. *Anatolius* in *Hippiatricis* capite decimo quarto, Ἔνιοι δὲ καλῶς ποιοῦντες καὶ τοὺς ἀγρίους ὄνους ἡμεροῦσι, καὶ ἔστιν αὕτη ἡ παιδοποιΐα καλλίστη. *Quidam pulchrè facientes onagros mansuefaciunt, & optima est ex illis seminatio. Talmudici* in *Avoda Zara* cap.1. fol.16.b. טחנן רחים בערודי *Molas onagris versant. Assaphius* in *Damire*, لو توحش الحمار الاهلي حرم اكله ولو تاهل الوحشي لم تحرم *Etiamsi efferetur asinus domesticus, ejus esus manet interdictus; sed ferus si mansuescat, non prohibetur tamen. Mutarriphus* ibidem, اذا انس واحتلف صار كالاهلي *Cum mansuescit, & saginatur* (asinus ferus) *fit ut domesticus.* Id igitur certò constat etiam onagros hominum industria domari, & mansuefieri posse, & mansuefactos iisdem addici ministeriis, quibus vulgares. Neque verò id negat *Job* in verbis, quae citavimus: tantum docet onagrum natura sua esse liberum. In quo statu quamdiu manet, habitat in solitudine, nec curat tumultum urbium, *&c.*

f) Rust. lib. 2. cap. 6.

g) Lib. 8, c. 43.

Solitudo ibi *Hebraicè* dicitur ערבה *araba*, & מלחה *melecha*. Vox prior, *campum desertum, nec habitatum*, propriè sonat. Unde est, quod à *Symmacho* modò πεδίον, modò redditur ἀοίκητος. Ut à *Chaldaeo* מישרא, *planities*, & חרוב, *vastitas*. Quamvis cum sit ערב *Arab*, id est *Arabia*, maximam partem, maximè quae *Judaeae* vicina est, ex ערב *Arab*, factum est ערבה, *araba*, pro *campestri solitudine*. Synonymum מלחה *melecha*, propriè est *salsugo*, seu terra *salsuginosa*. Quo nomine solitudinem etiam alibi significari videas. Sic *Psal.*107, 34. *Terram fructiferam redegit* למלחה, *in salsuginem*. Quod imitatus *Siracides* capitis trigesimi noni versu trigesimo, Μετέτρεψεν, inquit, ὕδατα εἰς ἅλμην· *Aquas*, id est, loca irrigua, *convertit in salsuginem.* Jerem. 17, 6. *In deserto, in terra* מלחה, *salsuginis, quae non habitatur.* Ubi Chaldaeus, *Sicut terram* Sodomae, *quae non habitatur.* Et in loco *Psalmi, Terram Israelis; quae fructifera est, vastat tanquam* Sodomam. Quasi *salsuginis* nomine significetur locus *Sodomiticae* valli similis, in qua *mare salsum Moses* & *Josue* passim describunt. Quin *salsuginosa* dicitur *Hebraea* Phrasi terra quaevis, quae sterilis est; quia salsugo terrae sterilitatem inducit. *Plinius* lib. 31. cap. 7. *Omnis locus, in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit.* Hinc *Virgilius* libro secundo *Georgicorum*,

Salsa autem tellus, & quae perhibetur amara
Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho *genus, aut pomis sua nomina servat.)*

Hinc *Deut.* 29, 23. *Sulphure & sale exusta tota terra ejus, non seretur, nec germinabit, aut crescet in ea ulla herba.* Et *Sophon.*2, 9. *Locus urticae derelictus, & fodina salis, & desolationes in aeternum.* מכרה מלח, *fodinam salis* cum *Chaldaeo* reddimus; quia כרה est *fodere*. Tamen si quis *acervum* malit cum *Graecis*, & *Hieronymo*, non multum repugnabo; quia כרי, *Talmudicis* est *acervus*, & כרוו *acervi* Chald. *Exod.*8, 10. in *Thargum Jonathan* & *Jerusalem*. Sed *Arabi* quid facias, in quo pro *acervo salis* legitur عرمة البيدر *acervus areae*? Nempe in *Graeco*, unde versionem suam expressit, pro θημωνία ἁλός, legit θημωνία ἅλω.

Huc quoque illud pertinet, quod *Jud.*9, 45. legitur *Abimelechus* urbem *Sichem*, à se dirutam, sale consevisse, tanquam in perpetuae vastitatis Symbolum, & juxta *R. Levi*, כדי שלא תהא ראויה לשדות ולכרמים *Ne unquam apta esset ad arva, & vites.* Verba sacri textus sic habent, ויתץ את העיר ויזרעה מלח *Et diruit urbem, & consevit eam sale.* In quibus cum nihil videatur esse obscurum, mirabere cur pro *sale* Syrus habeat *sinapi*, & Arabs *herbam salsam*. Siquidem illorum mentem rectè percepit *Gabriel Sionita*, qui *Syram* hujus loci paraphrasin *Latinè* ita reddidit, *Civitatem evertit, & seminavit sinapi*; & *Arabicam* in haec verba, *Eruit portam ejus, & consevit eam herba salsa*: dicam quod res est, *Hebraeum* מֶלַח *mellach*, id est, *sal*, si puncta demas, legi potest מַלּוּחַ *malluach*, & verò à *Syro* ità lectum est, qui exponit ܡܠܘܚܐ. Porrò *Hebraeum* מלוח, & *Syrum* ܡܠܘܚܐ, vel herba est, vel frutex, cui nomen à *salsedine*. Inde est, quod *Arabs* hic habet البقلة المالحة *herbam salsam*. Sed *Gabriel sinapi* reddit post *Ferrarium* in *Lexico Syro*: idque absurdè, nisi fallor, cum quia sinapi salsum nō est, tum quia reliquae notae nō conveniunt. Sinapi enim lautiorum etiā condimentum est. At מלוח nō nisi tenuiorum cibus. Res patet ex *Job.*30, 4. ubi describuntur miseri homines, qui in desertis vagantur, eo adacti inopiae, ut decerpant מלוח עלי שיח, *malluach super arbustum*, ità vitam susten-

sustentaturi. His adde locum *Talmudis* de *Jannæo* Rege in Tractatu *Kiddusin* capite tertio, fol. 66. a. הלך לכוחלית שבמדבר יכבש שם ששים כרכים ובחזרתו היה שמח שמחה גדולה וקרא לכל חכמי ישראל אמר להם אבותינו היו אוכלים מלוחים בזמן שהיו עסוקים בבנין בית המקדש אף אנו נאכל מלוחים זכר לאבותינו והעלו מלוחים על שלחנות של זהב ואכלו *Ivit in urbem* Cochalith, *quæ est in deserto, & , partis ibi sexaginta talentis redux, plurimum lætatus est. Et invitatis omnibus sapientibus* Israelis *dixit: Patres nostri* (præ inopia) malluchim *comederunt, quo tempore laborabant in ædificatione Templi secundi: & nos quoq;* malluchim *comedemus in memoriam patrum nostrorum. Et allati sunt* malluchim *super mensas aureas, & comederunt.* Ex quibus id quidem palam fit מלוח *mallnach* (Plur. מלוחים *malluchim*) non esse *sinapi*. Sed quid sit, definire non est obvium. Et plures sunt sententiæ. *Symmachus* in *Jobo* φλοιὸς φυτῶν, & *Hieronymus* reddit *arborum cortices*, quorsum non capio satis. *Chaldæorum* unus ex מלוח, divulsa voce & resoluta in duas, fecit מן לוח, *è tabula*, ac si de iis agatur μωςικῶς, qui legem inducunt *è tabula cordis sui.* Quo exemplo etiam *Aben Ezra*, eandem vocem divellens, vult מלוח id esse, quod decerpitur מן לחים, *ex locis humidis, & virentibus. Chaldæus* alter הובאי *hobai*, id est, *spinas* reddidit, vel spinæ genus nobis ignotum. Quale est, quod pro חרול *charul*, id est, *urtica*, ut volunt, *Chaldæus* habet מלחין, *Sophon.* 2. *v.* 9. unde factum, ut multi putent מלוח, esse *urticam*. Tamen distingui videntur מלוח, & חרול, *Job.* 30. *v.* 4. 7. ubi Sacer Scriptor, quos dixerat מלוח *malluach*, ex arbusto decerpere, eosdem addit congregari תחת חרול, *sub charul.* Ex eodem loco colligere est חרול, non esse *urticam*, quæ minor est, quàm ut sub illa homines congregentur. Sed & ex חרול factum חרדל, id est, *sinapi*: & à *Syris* ܚܪܕܠܐ *sinapi* redditum. Ab iis interpretationibus, quæ hactenus allatæ sunt, planè diversa est Glossa *Talmudis*, quæ *malluchim* exponit per *Syrum* ܩܩܠܝܢ *kakulin*. Hujus auctor *R. Selomo* in *Jobum* etiam idem sequutus addit vulgari lingua, id est, *Gallicâ*, vocari ציצש sed legendum ציציש *chiches* (*ciche*, vel *chiche*, nobis est *cicer*, cujus natura est, auctore *Plinio*, gigni cum salsedine) Nempe inter ciceris species apud *Syros* est *kakul*, vel *kakuli*, Arabicè قاقلي *kakeli*, de quo *Abuchanipha*; هو من الحمص والناس ياكلونه مع اللبن وهو مثل الاشنان الا ان القلام اعظم منه وورقه شبيه بورق الحرف وهو من الحمص اشد رطوبة واكثر مايية *Ciceris genus est. Cum lacte comeditur. Simile est* τῷ usnen, *nisi quòd calamus est major, & folium simile folio nasturtii. Et inter species ciceris hæc est maximè humida, & aquosa.* Et *Gais Ben-Achsan*, القاقلي بقلة شبيه بنبات الاشنان وليس هو منه في شي وفيها من بعض الحرارة لموضع ملوحتها واذا تطعمها ذكرتك ملوحتها ملوحة البورق وينبت في السباخ والخرايب ولها خاصية في اسهال الما الاصغر Kakeli *herba est similis* τῷ usnen, *non tamen ex eo genere ullo modo. Et propter salsedinem inest ipsi quidem calor, ita ut salsedo ejus, cum gustas, revocet tibi in memoriam salsedinem* albaurack, *seu aphronitri. Crescit in terris salsis, & ruderibus, & proprium ejus est, quod purgat flavam bilem. Isaac Ben-Omran* dicit habere easdem vires, quas الكشوث κασύθα. Almansor, *excitare lac.* Avicenna, *provocare urinam, generare semen, flavam bilem ejicere*, &c. Ita citat *Aben-bitar*. Tamen in secundo *Canone* de ea nihil reperio. De eadem sic *Sylvaticus* in *Pandectario*, Cakele *est herba similis vermiculari* (quod ipsum scribit de *usnen*) *acetosum habens saporem, & salsum.* Videndus & *Serapio*, qui jam non est ad manum. Hæc de *kakulin*, sive *kakeli*, herba herbariis nostris prorsus ignota, dicere necesse habui, ut intelligeretur *R. Selomonis* Glossa in *Jobum*. *Kimchius* in libro *Radicum* מלוח *malluach*, *Arabicè* vocari scribit, גאסול, id est, غاسول gasul, *lixivium*, quod est inter species *usnen*. *Abuchanipha*, اشنان القصارين هو الغاسول الذي يغسل به الثياب Usnen *fullonum est* gasul, *quo eluuntur maculæ.* De *usnen* plura dicentur (h) in Tractatu *De Columbis*. In *Abenbitare* ملوخ *maluch* à quibusdam redditur القطف البحري *atriplex marinum.* Alibi scribitur ملوخية *molochia*. Unde in *Pandectario*, Molochia, *albacharum*, *id est*, *atriplex*. Legendum, *Molochia*, *alkataph albachari*, *id est*, *atriplex marinum.* Sed cùm hactenus interpretes in meris tenebris versati sint, jam afferemus veram interpretationem vocis מלוח *malluach*, *Europæis* prorsus ignotam. Asserit *Abenbitar* ܡܠܘܚܐ *Syris* hodieque esse *halimum*; illud, inquam, ipsum *halimum*, quod à *Dioscoride* & *Galeno* describitur. Verba sunt, د في الاولي اليمون واهل الشام يسمونه الملوخ وهو شجيرة يعمل منها السياجات شبيه بالعوسج غير انه ليس له شوك وورقه شبيه بورق الزيتون غير انه اعرض منه وينبت في السواحل البحر وفي السياجات Dioscorides *libro primo halimum, quod populus* Syriæ *vocat* maluch, *ait esse arbustum, ex quo fiunt sepes, rhamno simile, nisi quod caret spinis, & folio simili oleæ, sed latiori, & crescere ad littora maris, & circa sepes.* Quæ sic habentur libro primo *Dioscoridis*, ἅλιμος θαμνός ἐστι φραγμίτης, ὅμοιος ῥάμνῳ, ἄκ ἔχων

(h) Part. 2. lib. 1. cap. 7. pag. 45. &c.

ἔχων ἀκάνθας, φύλλα δὲ ἐλαίᾳ παραπλήσια πλατύτερα μέν τοι· φύεται ἐν παραθαλασσίοις, καὶ φραγμοῖς. Sequitur in *Abenbitare*, ح في السانسة الملوخ وهو نبات يكون كثيرا في بلاد قاليقيا واطرافه توكل اذا كان طرية وتكبس ويستعد بها لوقت اخر وتولد في بدن من يستعمل مني ولبن وطعم مالح يسير القبض Galenus *libro sexto scribit* almaluch *plantam esse, quæ abundat in regione* Ciliciæ, *cujus summitates comeduntur cum sunt recentes, atq; etiam reconduntur, & parantur in tempus posterum, & generatur in corpore illis utentis semen, & lac: sapor autem salsus est, & aliquantum stypticus.* Quibus consona hæc *Galeni* de halimo libro sexto *Simplic.* capite vigesimo secundo, Ἅλιμον, θάμνος· τοῦτο τὸ ἔστι τὸ φυτὸν ἐν Κιλικίᾳ μάλιστα πλεῖστον γεννώμενον, ἵνα καὶ τοὺς βλαστοὺς αὐτοῦ ἐσθίουσι, προσφάτους τε, καὶ εἰς ἀπόθεσιν θησαυρίζοντες· ἔστι δὲ καὶ σπέρματος καὶ γάλακτος γεννητικὸν τὸ φυτὸν, καὶ τὴν γεῦσιν ἁλυκὸν τέ ἐστι, καὶ ὑπόστυφον ἔχον. Rursus hæc *Dioscoridis*, Λαχανεύεται δὲ αὐτῆς τὰ φύλλα ἑψόμενα εἰς βρῶσιν, ibidem ita redduntur, وقد يطبخ ورقها ويوكل *Etiam folium ejus coquitur, & comeditur.* Denique quidquid de halimo scribunt *Dioscorides & Galenus*, ibi citantur tanquam dicta de arbusto, quod *Syri maluch* appellant, ut necesse sit idē esse. Neque dubium, quin eodem referenda sint hæc *Avicennæ* libro secundo *Canonis*: *Melha quid est? est sicut rhamnus, & folia ejus sunt sicut folia olivæ, & latiora, & comeduntur sicut olera*, &c. *In ipso sunt sal sedo, & stypticitas*, &c. Ita habet *Latina* versio, voce *melha* facta ex ملوخا *meluha* facili mutatione. Sed *Arabicum* exemplar veteris scripturæ vestigium vix ullum servat. Ibi enim legitur ممتيخ *mabtich* Itaque, quod raro accidit, τὸ πρωτότυπον hoc in loco corrigi debet ἐκ τοῦ ἐκτύπου. Sed & in *Pandectario melha, almalhe, & melgra*; quæ pro *halimo* leguntur, indidem deflexa esse constat. In *Lexicis* scribitur كشلخة & كشلخة ملاح *mollach*. Item, Vide *Giggeium*, & *Golium*. Omnino igitur מלוח, est *halimum*. Atque hanc demum veram esse interpretationem vocis מלוח *malluach*, in loco *Jobi* multa probant. Primò, quod *Syri* sic sumunt, ut nos disertis verbis docuit *Abenbitar*. *Halimum*, inquit, *quod populus* Syriæ *vocat* maluch: *Molochiam* scribit *Serapio*. Secundò, quod utraque vox, מלוח inquam, & ἅλιμος, vel ἅλιμον, à sale facta est. Tertiò, quod *Jobus* in eo est, ut miseros homines describat, & redactos ad incitas, quò vel maximè hæc pertinent, *qui decerpebant halimum super arbusta.*

Ita *Cæsar* prope *Dyrrachium* in summa fame
- - - cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, &c.

Hæc *Lucanus* lib. 6. Sed, quod maximè ad rem facit, non ovum ovo similius, quàm *Jobi* loco similis est hic *Antiphanis* apud *Athenæum* lib. 4. cap. 16.

Τῶν Πυθαγορικῶν δὲ τυχὸν ἄθλιοί τινες,
Ἐν τῇ χαράδρᾳ τρώγοντες ἅλιμα, καὶ κακὰ
Τοιαῦτα συλλέγοντες· - - - -
E Pythagoricis fortè quidam pauperes,
Halima exedentes, quæq; talia colligunt
Insipida terra in hiatibus. - - -

Quartò, quod *Græci* interpretes, hoc sequuti, sic reddunt, Περικλῶντες ἅλιμα, *Confringentes halima*, scio in multis codicibus legi περικυκλοῦντες, *circumeuntes*. Et in omnibus ἅλιμα cum spiritu leni, pro ἅλιμα cum spiritu aspero. Unde in *Catena Chrysostomus* ad hunc locum, Ἅλιμα βοτάνη τίς ἐστι, ὥς φασι, ταχὺ πληρωτικὴ τοῦ ἐσθίοντος, καὶ κόρον ἐμποιοῦσα· *Alima herba quædam est, ut ajunt, quæ cito explet eā vescentem, & satietatem affert*: quasi ab eximenda fame *Græcè* dicta sit. Fortè *alimon* voluit, de qua *Solinus* ubi de *Creta*. *Herba ibi est, quæ* ἄλιμος *dicitur. Ea admorsa diurnam famem prohibet.* Et *Priscianus* in *Periegesi*, quamvis *Dionysius Periegetes*, quem sequitur, nihil tale habeat,

Gignitur hic alimos, quam si quis mordeat herbam,
Compescit damnumq; famis, rabiemq; diurnam.

Certè ἄλιμα Plurali numero sunt *pharmaca, quæ famem eximunt*. Hæc ex malva & asphodelo potissimum constitisse veteres volunt: & *Hesiodum* id his verbis subinnuisse,

Οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ.

Vide ibi *Proclum*, & *Tzetzem*, & *Plutarchum* in *Symposio*, & *Athenæum* libri secundi capite octavo. At pharmaca illa significâsse *Græcos* interpretes nemo dixerit. Quid enim sit ἄλιμα φάρμακα περικλᾶν, aut περικυκλοῦν. Itaque rescribendum est ἅλιμα, sicut diximus: ut & in *Antiphane*, ubi pari errore ἄλιμα cum spiritu leni occurrit. Quintò, מלוח *malluach*, esse *halimum* potius quam vel *urticam*, vel *atriplicem*, vel aliquod *ciceris* genus, apparet ex *Jobi* verbis, *Qui decerpunt malluach*, עלי שיח, *super arbustum.* Hæc enim palam docent מלוח, herbam non esse propriè dictam, sed ex arbusto decerpi. In quo genere esse halimum ex veteribus jam didicimus. Rationibus à me allatis unum habuit vir doctus quod objiceret: Nempe *Jobum* habitasse in terra *Hus* procul à mari, ubi crescit *halimum*. Proinde non potuisse dicere de pauperibus sibi vicinis illos halimum decerpsisse. Respondeo in hac objectione omnia esse incerta. Primò enim non satis constat ubi fuerit terra *Hus*, quam multi tam veterum, quam recentiorum interpretum in *Idumæa* ponunt, aut circa *Idumæam*, & *Arabiam*. In quibus *Græci* his verbis ad finem libri *Job* additis, tanquam ex libro *Syriaco*, id est, *Hebræo*, ut ibi habent *Græca Scholia*: Ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας, καὶ Ἀραβίας. *In terra quidem* Ausitide *habitans in* Idumææ, *&* Arabiæ *finibus.* Ad quæ verba *Olympiodorus*, Ἐπίδηλον δῆλον, ὅτι ἡ Αὐσῖτις γῆ ἐν μεθορίῳ κεῖται τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας. Porro tam *Idumæam*, quam *Arabiam* ad *mare Rubrum* pertinuisse, collige ex 1. *Reg.* 9. *v.* 26. ubi *Solomon* classem instruxisse legitur ad *Esion gaber*, quæ est juxta *Eloth* ad littus *Rubri maris* in terra *Edom*. Secundò, non agitur de hominibus, quibus habitatio fixa fuerit: quin palantes describuntur, atque incertarum sedium. *Præ inopia, & fame* (inquit *Job*) *solitarii erant: fugiebant in solitudinem, locum tenebrosum, desolatum ac desertum. Decerpebant* malluach *super arbusta*, &c. *E medio urbium propellebantur, & conclamabatur in eos tanquam in fures.* Itaque hujusmodi homines necesse non est semper habitasse in terra *Hus*. Tertiò, quod asserit vir doctus halimum nusquam alibi, quàm in maritimis provenire non satis firmum est. *Dioscorides* & *Oribasius* nasci scribunt ἐν παραθαλασσίοις, καὶ φραγμοῖς, *in maritimis, & in sepibus.* Non solum in maritimis, sed & alibi in sepibus. *Hesychius* quoque, Ἁλιμοῖς, καὶ ἁλιμοῖς (lege Ἁλιμοῖς, καὶ ἀγμοῖς, quia cum spiritu leni

leni per errorem sæpe scribitur) βοτάναις δενδροειδέσιν ἐπὶ θάλασσαν, ἢ ξηροῖς τόποις: *Halimis, aut alimis herbis ad arborum speciem ad mare, aut in aridis locis.* Et *Antiphanes* ἐν τῇ χαράδρᾳ, *in terræ salebris, & hiatibus,* colligi, & comedi tradit. *Serapio* molochiam, id est, halimum, per *Babylonem*, id est, *Bagdadum*, quæ à mari plurimum distat, venalem ait circumferri, in manuales fasciculos dispositam, & vicatim clamitari *molochia, molochia.* Hæc *Serapionis* citantur à *Matthiolo* in *Dioscoridis* caput *De halimo. Dalechampius* (*Hist. plant.* lib.2. cap.65.) halimum dici notat à salso sapore: *Ne quis,* inquit, *à maritimis solum natalibus dictum existimans alibi provenire neget. Bellonius* (i) in *Creta* vocari *halimacham*, atque ex eo constare magnam partem sepium. Atque in *Ægypto* (k) etiam sepes ex halimo fieri, & fasces, quibus muniantur *Nili* aggeres. Proinde futilis est viri docti objectio sumpta ab halimi loco natali. Quod eidem מלוח *mallnach*, est μαλάχη *malva*, non alia ratione nititur, quam allusione nominis, quæ hic nullum momentum habet. Neque enim *Græcum* μαλάχη factum est ex *Hebræo* מלוח *mallnach*; sed ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, *à molliendo. Isidor.* lib.17.cap.10. *Græco vocabulo appellatur* ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, *eo quod molliendi alvum solvendiq; naturam habet.* Et multò ante *Plinius* lib.20. cap.21. quamvis cunctanter nimis; *Ab emolliendo ventre dictam putant malachen.* Nempe hanc in malva naturam, ut *Medicos* jam taceam, etiam *Poetæ* agnoscunt. *Horatius* lib.1. *Oda* 31.

- - - me pascunt olivæ,
Me cichorea, levesq; malvæ.

Leves, id est, *quæ ventrem levant.* Et *Epodo* secunda,

- - - - - - - - - - aut gravi
Malvæ salubres corpori. - - - -

Et *Martialis* lib.3. *Epigrammate* 88.

Utere lactucis, & mollibus utere malvis:
Nam faciem duram, Phœbe, *cacantis habes.*

Et lib.10. *Epigrammate* 48.

Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, & varias quas habet hortus opes.

i) Lib.1. Observat.cap.18

k) Lib.2.c.78.

Jam, ut è diverticulo redeamus in viam, de onagro sequitur in *Jobo*, ubi supra; *Ridet multitudinem civitatis, clamores exactoris non audit.* Quo allusum à *Nazianzeno*, cum inter ea, quæ homini molesta sunt, ab eo censentur *Carmine* 14.

- - δασμογράφοι πράκτορες ἰυγμόεντες,

tributorum scribæ, clamosi exactores. At onagrum hæc non tangunt. *Ridere* dicitur καταγελαστικῶς, quomodo struthio, & equus, & Leviathan in sequentibus. *Exactor, Hebraicè* נגש, vel est *tributorum*, vel *operum præfectus.* Prius *Græcè* est φορολόγος posterius πράκτωρ, & ἐργοδιώκτης, cujus vices erga asinos præstat agaso. At onager, ab his immunis, nullius dicto est audiens. Et quamvis homini non serviat, qui in mercedem laboris cibum illi subministret, victus tamen illi abundè suppetit. Quia *investigatio montium pascuum ejus, & sectatur quidquid viret.* Ita ut pastore non egeat, à quo ad pascua deducatur, cum ipse sibi consulat. Atque ut illi de cibo, ita etiam de potu prospexit Deus, *Emittens fontes per valles, ut inter montes ambulent, & potum præbeant omnibus agri animantibus*, ibique *frangant onagri sitim suam*, Psalm.104. v.10.11. Excipe famis tempus, & siccitatis, quo *onagri stant in clivis, trahentes ventum tanquam dracones, & deficiunt oculi eorum, quia nulla est herba*, Jer.14.v.6. Rectè *tanquam dracones*, quos *Ælianus* lib.2. cap.19. quotidie per aliquot horas erecto capite stare scribit, & ore hiante cœlum versus, & aspiratione suâ *cicuri iuyÿ*? *tanquam illecebra* quadam non solum aerem, sed & volantes aves ad se trahere. Ita de bove dicit *Varro*,

Et bos suspiciens cœlum (mirabile visu!)
Naribus aerium patulis decerpsit odorem.

Quod *Poeta* sic imitatus, ut superet,

- - - - - - - - - - bucula cœlum
Suspiciens patulis captavit naribus auras.

Nec frustra *Propheta* observat onagrorum oculos præ inedia deficere; quia natura sunt acerrimi. Proinde in *Damire* النظر الي اعين حمر الوحش يديم صحة العين ويمنع نزول الماء اليها *aspectus oculorum onagri conservat puritatem oculi, & in eum influxus humorum prohibet.*

Plinius libri octavi capite trigesimo onagri fœminam gaudere scribit copia libidinis. Eò pertinet, quod *Jerem.* 2. v.24. *Judæorum* Synagoga, τῇ εἰδωλομανίας ratione, cum sylvestri asina confertur, quæ ardet in libidinem. Verba sunt, *Asina fera, deserto assueta, pro animi sui libidine hausit ventum* (tanquam amoris œstro percita) *Occasionem ejus quis avertet?* Non est, quod quisquam speret frænum injici posse prurienti libidini, in quam toto impetu ruit. *Omnes, qui quærunt eam,* in illa investiganda *non lassabuntur: eam in mense suo invenient*, id est, quo mense solent sylvestres asinæ maris appetitu fervere. *Abarbanel* mensem *Ab* intelligit, *Judæis* ominosum, & quo solent hostibus suis obvii esse, & expositi. Illo scilicet mense decrevit Deus, ut in deserto morerentur quotquot obmurmuraverant. Et die nona ejusdem mensis desolatum est utrumque Templum, tam primum, quam secundum. Et *Alexandria* devastata est *Judæorum* amplissima Synagoga. Iidem ex *Anglia, Gallia, & Hispania* hoc ipso mense pulsi sunt. Hæc *Abarbanel.* In *Kimchio* nonnulli volunt agi de mense, quo asinæ feræ partus imminet, atque eam tum facile capi, quia pondus uteri cursum remoratur.

Alibi cum onagris conferuntur homines ratione feritatis. Sic *Gen.* 16. v.12. de *Ismaële* dicitur, *Et ipse erit* פרא אדם, *onager homo*, id est, tam ferus, quam onager. Et *Job.* 11. v.12. *Et pullus onagri homo nascitur*, id est, æquè rudis, & indocilis. Et *Job.* 24. v.5. de prædonibus, *Ecce! sunt onagri in deserto, egressi sunt ad opus suum, surgentes manè ad rapinam; solitudo eis panis, & filiis.* Hinc ratio similitudinis, quod illis victus tanquam onagris è solitudine suppetit. Alioqui enim onager non est è feris rapacibus. Et *Ose.* 8. v.9. *Quia ipsi ascenderunt ad* Assyrium, qui est פרא בודד לו, *onager solitarius sibi*, id est, qui sibi soli prospicit, nec aliorum salutem curat. Erit igitur, quam inde expectant, συχίτη? ὠφέλεια. Huc refer quod habet *Damir* in capite *De* جحش seu *Lalisione*, ويقال للرجل اذا كان مستبدا برايه جحش وحده كما قالوا عير وحده يشبهونه في ذلك بالجحش والعير *Dicitur etiam de homine, cùm est solitarius in proposito suo, Is est lalisio solitarius, quod idem est, ac si vocarent pullum onagri solitarium, cum hac in parte cum lalisione, vel onagri pullo conferentes.*

Onagro infestæ sunt feræ rapaces, & carnivoræ. *Oppianus* libro tertio *Cynegeticōn*,

Χιλὸν ἔδει, φέρβει μιν ἀέθλιον ποιοτρόφος αἶα,
Ἀλλ' αὐτὸς κρατεροῖς ἀγρευθὴ βόσις ἔπλετο θηρσί.
Fœnum edit, & tellus hunc gramine pascit abundè,
At validis ille ipse feris est præda, cibusq;.

Unde *Sirachides* Eccles. 13. vers. 21. al. 24. Κυνήγια λεόντων ὄναγροι ἐν ἐρήμῳ, *Venatio leonum sunt onagri in deserto.* Et *Luitprandus* in *Legatione, Sed, quæso, quales onagri? Quales sunt* Cremonæ *domestici: color idem, forma eadem,* &c. *Dulces lupis aquæ.*

Fabu-

Fabulosum esse videtur quod *Plinius* & *Solinus* scribunt, patres, libidinis æmulos metuentes, gravidas fœminas custodire, & mares, quamprimum editi sunt, si qua facultas fuerit, morsu castrare, atque id caventes fœminas in secessibus partum occulere. Tamen id persequitur *Oppianus* (l) elegantissimis versibus quinquaginta, è quibus solum hoc referam,

(l) Cyneg. lib. 3. versu 197.
(m) Versu 207

(m) Ἐκ δ' ἴθορεν μεμαὼς παιδὸς ξυνήονι ταμέσθαι
Μήδεα, μὴ μετόπισθε νέον γε μάρψῃ ἀέξῃ.

Quæ *Bodinus* ita reddidit,

Prosilit, & sævo conatur dente pudenda
Perdere, ne virides sic mas adolescat in annos.

Idem equis in *Syria* feris tribuit *Philosophus* in libro *Mirabilium*. Et de onagris *Arabes* rem referunt cum auctario. *Damir*, من عجيب امره ان الانثي اذا ولدت ذكر اكدم الفحل خصيته فالانثي كذلك تعمل الحيل في الهروب منه وربما كسرت رجل التولب كي لا يسعي ولا تزال ترضعه الي ان يكبر ولا يتم رضاعه حتي يجبر كسر رجله فيسلم من ابيه *E mirabilibus naturæ ejus est, quod fœmina, cum peperit marem, admissarius illius testiculos morsu incidit: sed fœmina per technam quandam ab eo fugit. Nonnunquam etiam pulli sui pedem frangit, ne properet: nec cessat eum lactare donec creverit. Neque ejus lactatio perfecta est, donec consolidescat fractura pedis ejus, & a patre suo evaserit.* Unde *Poeta Alhariri* in المقامة *almekama* decima tertia (*Poetæ* nostrates *stantiam* vocant)

يا رازق النعاب في عشه ✡
وجابر العظم الكسير المهيض ∴
اتح لنا اللهم من عرضه ∴
من دنس الذم نقي رحيض ✡

Qui Cynthii *atras pascis in nidis aves,*
Lalisionisque ossa fracta roboras:
Nos casu ab isto an liberabis, ô Deus,
Ab innocentis labe lotos sanguinis?

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Cervis, & eorum natura.

Cervorum, & congenerum animalium, in Scriptura decem nomina. איל, *cervus*, Æthiopicè ሃየል: Hesychio Διάλ pro Αἰάλ. *Cervam glocitare cervo fortius* Hebræi *falso asserunt.* Ἡ ἔλαφος *dicitur etiam de cervo mare. Cum cervæ cornibus careant, cornutas tamen describunt multi* Poëtæ, Hebræi *quoque nonnulli. Cervis pedes firmissimi. Unde* Poeta, æripedem cervum, *id est* χαλκόποδα, *non* aëripedem, *ut vult* Servius. *Feminis pedes esse firmiores, falsum. Cervus* ὠκυτάτος. *Cervinus saltus* LX. *pedum. Cursus ei celerrimus. Hinnulus quoque mire currit.* Ἔλαφος, *&* ἐλαφρὸς, *Conjugata.* Cervi boatus ערגה. Arge *in cervam mutata.* ערג *aliter redditum à veteribus. Eò alludit* ἐρύγειν. *Quid sit in* Aquila πταρνίσασθαι. Glocitare *non est cervorum, sed gallinarum. Cervos rudere dixit* Poeta, Oppianus βρυχᾶσθαι, Eustathius μυκᾶσθαι. Ælianus *emendatus.* Arabica *verba propria de cervi voce. Vir doctus notatus, cui* ערג Psl. 42. *est* ascendere. *Cervum aquarum appetitu glocitare tribus de causis. Hinnulus cur Græcè* νεβρός. *Cervi cur ferè degant in locis inaquosis. Cervum serpentum esu incalescere. Ita docent* Græci, *&* Latini Patres: *profani etiam Scriptores magno numero.* Ælianus *emendatus, &* Homeri *Scholiastes.* Ἔλαφος *quasi* ἐλῶν ὄφις. *Cervus cornu attritu odore serpentes attrahit. Serpentis esus illis pro medicina in morbis, & senium repellit. Post serpentis esum cervi aliquamdiu à potu abstinent. Aquas appetunt, in quibus à canum & venatorum insectatione se liberent. Cervam* Hebræi *nugantur precibus aquas impetrare. Quid sit* cerva auroræ *in titulo* Psalmi *vigesimi secundi. Variæ interpretationes alienæ; vera. Cervæ quàm matutinæ. Cervæ quando concipiant, & pariant. Cùm* Philosophi *id scrupulosè notent, cur Deus tanquam de re ignota dicit* Job. 39. An nôsti tempus, *&c. Cognitio duplex. Nugæ* Hebræorum *de partu cervarum, serpente obstetricante. Esu herbæ* seselis *partum earum sublevari.* Ælianus *iterum emendatus.* Salmasius *notatus.* Plinius *emendatus.* Κόριον, corium *quid sit.* Deut. 28. v. 57. Vox Dei *cur parere faciat cervas. Tonitrua* Augusto, Caligulæ, Horatio *quàm tremenda.* תפלחנה Jobi *vox ignota.* Columis *ex* חלם. Hinnulus qui matre non eget amplius *quomodo* Arabicè *&* Græcè. *Alii prope vias tritas, alii procul à viis tritis cervas parere scribunt: qui inter se conciliantur. Quid sint in* Prophetis במות bamoth, *seu celsa* loca cervorum. *Cervi in extrema fame hinnulos suos deserunt. Cervus sub Lege fuit mundus; quia ungulam habet fissam, & ruminat. Cervinam carnem alii saluberrimam, alii insalubrem scribunt. Cervi in* Syria *plures etiam circa* Libanum, *&* Carmelum.

CErvorum, & caprarum sylvestrium nomina decem in Scriptura occurrunt: Nempe [1] איל, [2] אקו, [3] דישון, [4] זמר, [5] יחמור, [6] יעלה, [7] עופר, [8] צבי, [9] ראם, vel רים, [10] תאו, vel תוא. quorum pleraque dubia, vel ignota sunt. Quid mirum, cum etiam in *Græcis*, & *Romanis* nominibus animalium id genus doctissimos multa lateant in tanta luce literarum? Tamen in hac parte non erit, quòd meam operam desideret lector:

Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra.

Itaque conabimur hæc explicare juxta literarum ordinem.

איל, *ajal*, *cervi* vulgare nomen est *Hebræis*, *Chaldæis*, & *Syris* notissimum. *Æthiopes* ሃየል: scribunt, aspiratione tenui in densam de more mutatâ. Quamvis sive per *Aleph*, sive per *Cheth* scribatur, eadem sit vocis origo. Utrumque enim est *à robore*, quod in cervo summum esse docent velocitas, & agilitas, licet animus non respondeat. Αἰάλ in Διάλ mutasse creditur scribarum imperitia, atque inde in *Hesychio* legi Διάλ, τὴν ἔλαφον Χαλδαῖοι. *Arabes* ايل *ijal* scribunt, & per Dialectum اجل *igial*

igial; quia *Je* & *Gim* literæ sunt soni ferè similis. Ut *Hebraicè* איל, *cervus*, ità אילה, vel אילת est *cerva*. Tamen in *Psalte* legitur כאיל תערג *Psal.* 42, 1. ità ut jungatur איל cum verbo Fœminino. Itaque ibi reddendum sic: ἡ ἔλαφος μηκᾶται, *Ut cerva glocitat.* Cujus ideò *Psaltem* potiùs quàm cervi meminisse conjicit *Kimchius*, quia cerva glocitat fortiùs mare. Quod est oppido falsum. Contrà enim, Οἱ ἔλαφοι οἱ ἄρρενες τῶν θηλειῶν φθέγγονται βαρύτερον, *Cervi mares fœminis fortiùs clamant.* Ità *Philosophus Hist.* lib. 9. cap. 14. Et rursus, Ἔστι δὲ ἡ μὲν τῆς θηλείας φωνὴ βραχεῖα, ἡ δὲ τοῦ ἄρρενος ἔχει μῆκος· *Brevis quidem est fœminæ vox, sed maris protractior.* Sed, ut puto, *Hebræus* sermo hic se habet ut *Græcus*, quo passim ἡ ἔλαφος usurpatur etiam de cervo mare. Ut cum dicit *Philosophus*, (a) Τὰς ἐν Ἠπείρῳ ἐλάφους καλουμένας τὸ δεξιὸν κέρας & (b) Τὰς ἐλάφους τὰ κέρατα ἀποβάλλειν, de maribus agi certum est: nam in cervino genere soli mares cornuti sunt. Unde *Hesychius*, Ἔλαφον κεραὸν, ἄρρενα· ὁ γὰρ ἄρρην ἔχει κέρατα. Sed & ipse *Philosophus* alibi (c) cervas fœminas cornua habere negat. Unde est, quod in *Arte Poëtica* capite vigesimo quinto *Sophoclem* ità excusat, ut tamen reprehendat, quod cervæ cornua tribuerit, nempe in *Aleadis* (d) ubi de cerva, quæ nutrivit *Telephum*:

(a) In Mirabil.
(b) Hist. l. 9 c. 5.
(c) De partib. animal. l. 3. c. 2
(d) Vide Ælian. Hist lib. 7 cap. 39 & Pollux. lib 5. cap. 12. sect. 2.

Νομὰς δέ τις κεραοὺς ἀπ' ὀρθίων πάγων
Καθεῖρπεν ἔλαφος· - - - -

Pascualis quædam ex arduis collibus irrepsit cornuta cerva. Item,

Ἄρασα μύξας, ... καὶ κερασφόρους
Στέρνυγγας εἶρπεν. - - - -

Sublatis naribus, & cornigeris spiculis repsit. Interim agnoscendum est hunc errorem *Sophoclis* communem esse cum *Poëtarum* multis aliis. Nam & *Anacreon* dixit, Οἷα τε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνὸν, ὅς τ' ἐν ὕλῃ κεροέσσης ὑπολειφθεὶς ἀπὸ μητρὸς ἐπτοήθη· *Ut hinnulum tenerum adhuc lactentem, qui in sylva relictus à cornuta matre expavescit.* Et apud *Euripidem Diana Agamemnoni* de cerva, quam *Iphigeniæ* substituit,

Ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνθήσω φίλαις
Κεροῦσσαν, ἣν σφάζοντες αὐχήσουσι σὴν
Σφάζειν θυγατέρα· - - - - -

Cornutam autem cervam in amicis Græcorum *manibus ponam, qua mactata, se tuam filiam mactavisse gloriabuntur.* Et cervam, quam ad *Eurystheum* adduxit *Hercules*, fuisse χρυσόκερων asserunt idem *Euripides* in *Temenidis*, *Pindarus Olympiá* tertiâ, *Apollodorus* libro secundo, Q. *Smyrnæus* libri sexti versu 225. *Diodorus* libro quarto, & *Mythologorum* alii ferè quotquot supersunt. Sed & è *Romanis Valerius Flaccus* de *Phryxi* cerva *Argonauticôn* libri sexti versu 71.

Ipsa comes satis fulgens, & cornibus aureis.

Et ex *Hebræis* auctor מדרש, seu *Commentarii mystici* in *Psalmum* quadragesimum secundum, de cerva hæc habet: חופרת גומא ומכנסת קרניו לתוכה *Scrobem effodit, in cujus medio colligat cornua sua.* Sed quamvis illos

Defendat numerus, junctæque umbone phalanges:

tamen his omnibus præfero suffragium paucorum hominum, & mentis bene-sanæ. Quales è veteribus *Aristoteles*, & *Hesychius*, suprà citati: & è recentioribus, venator & *Poëta* insignis, *Jacobus Savary Cadomensis*, qui venationem omne genus mirâ arte complexus libris quatuordecim, in primo de cervina hæc habet.

Cornu præcipuè sexum tibi dicet, & annos
Cernere nempe tibi si fas: hac pondera frontis
Fœmina nulla gerit, nec vos Erymanthia *cerva,*
Herculeos *inter quondam celebrata labores,*
(Fabula seu fuerit, seu res monstrosa) moretur.
Fœmina nulla gerit per frontem cornua. - -

Scriptura de cervis pauca habet, sed in his quædam insignia. Ad gressus firmitatem hæc pertinent 2. *Sam.* 22, 34. & *Psal.* 18, 34. *Disponens pedes meos tanquam cervarum, & in excelsis meis statuet me.* *Arabs* in *Psalmis* habet ثبت رجلي مثل الايل *Firmavit pedes meos tanquam cervi.* Et in *Samuele*, ثبت قدمي وصلبها مثل ارجل الايل *Firmavit pedes meos, & solidavit eos ut pedes cervi:* quibus nihil est firmius. Unde *Poëta* libro sexto *Æneidos*,

Fixerit æripedem cervam licet. - - -

Æripedem Servius per Crasim dici putat pro *aëripedem.* Quin *æripedem* dici puto, quo sensu equi, & tauri passim à *Poëtis* χαλκόποδες dicuntur, & χαλκοκρότοι, *æripedes*, & *ærisoni*; quia maximè pedibus valent, durissimamque habent ungulam, & sonoram æris instar. *Hesychius*, Χαλκόποδας, ἰσχυρόποδας. *Homeri* vetus *Scholiastes* in *Iliad.* θ'. Χαλκόποδας, στερεόποδας. *Suidas*, Χαλκοκρότων, χαλκοπόδων· τουτέστι τὰς ὁπλὰς ἰσχυρὰς ἐχόντων. Item, Χαλκόπους Ἐρινύς, ἤγουν στερρά· lege στερρὰ, vel στερεὰ, ut in *Scholiaste Sophoclis* in *Electra*; & ipse *Servius* in hæc verba libro tertio *Georgicorum*,

- - - - *Junctos temo trahat æreus orbes.*

Æreus, fortis. Sic in quinto,

" *Ærea quem obliquum rota transiit.* - -

Horatius,

Inclusam Danaën *turris ahenea.*

Ità igitur *æripedem cervam* vocâsse videtur *Poëta* summus propter inconcussam pedum & incessûs firmitatem. Quomodo etiam *Ausonius* in *Grypho Ternarii*,

Vincunt æripedes ter terno Nestore *cervi.*

Quæ eadem *Psaltis* mens fuit, cum *Deum pedes suos disposuisse* dicit *instar cervorum pedes.* Proinde huc alludens *Habacuc* Prophetiam suam ità claudit, *Dominus est robur meum, & firmabit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa mea faciet ut incedam.* *David* dixerat משוה רגלי, *disponens pedes meos.* Sed *Habacuc* pro משוה habet ישם, *collocabit, statuet, firmabit*, στερεώσει, prout hoc Verbum passim reddunt *Græci* Interpretes; ut doceat hic id respici, quod cervi per prærupta rupium securè gradiuntur. Proinde sequitur, *Et in excelsis meis* יעמידני *statuet me*, vel ידריכני *faciet ut incedam.* Prius est in *Davide*, posterius in *Habacuco.* Ex sententia *R. Selomonis* in cervino genere רגלי הנקבות עומדות ביושר יותר משל זכרים *fœminarum pedes firmiores sunt in recto*, (id est, in arduo loco) *marium pedibus.* Unde est, quod non cervorum, sed cervarum pedes sibi tribuit Sacer Scriptor. Sed cum cervorum fœminis nihil tale tribuant Naturæ Scriptores, non puto fuisse causam, cur *David* fœminas hac in parte maribus præferret, sed in re ἀδιαφόρῳ potuisse sexum utrumvis usurpare.

Præter gressus firmitatem notanda venit insuper summa cervi agilitas tam in saltu, quam in cursu. Ratione saltûs dicitur *Es.* 35, 6. *Tunc saliet claudus ut cervus.* Et *Cant.* 2, 8. 9. de sponso, *Venit saliens super montes, subsultans super colles, similis capreæ, & hinnulo cervorum.* Nam ut caprea est animal ἁλτικώτατον, ut suo loco dicetur, ità & cervus. *Gesnerus* loci meminit prope *Francofordiam* à cervino saltu nominati, in quo lapides duo erecti visuntur interstitio pedum ferè sexaginta, quanto spatio ibi saliisse dicitur cervus, idque supra plaustrum oneratum, cum venatores instarent. Quale est, quod refert *Varro* (e) in *Sauracti Fiscello* capras feras salire è saxo pedes plus sexagenos. Neque minor est cursus pernicitas. Unde Sponsa *Cant.* 8, 14. *Fuge, dilecte mi, &* (e) Rust. l. 2. c. 3.

similis esto (id est, fuge tanta celeritate, ut similis videaris) *capreæ, & hinnulo cervorum supra montes aromatum*, supple *currentibus*. Et *Xenophon* in *Cynegetico* de cervi hinnulo, qui à venatoribus solus deprehenditur, Τὸν μὲν πρῶτον δρόμον αἱ κύνες ἀπολείπονται· ὅταν γὰρ ἀπουσία τῆς ἐλάφου ποιεῖ αὐτὸν περίφοβον, τότε τάχος οὐδενὶ εἰκός ἐστι τῶν τηλικούτων νεβρῶν. *Primo quidem cursu canes superantur; cum enim cervarum absentia illum metu percellat, talium hinnulorum celeritas est incomparabilis. Pollux* itidem libri quinti capite duodecimo, Τὸν μὲν πρῶτον δρόμον ἀπελείφθη, σὺ, καὶ αἱ κύνες. *Primo quidem cursu superavere, tu, & canes.* Proinde *Cervo velociorem* dicimus pro *summè veloci*. Et *Plautus* in *Pœnulo* Actu tertio,

At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis cervum cursu, & grallatorem gradu.

Et *Catullus* de *Achille* in nuptiis *Peleii & Thetidis*,

Flammea prævortet celeris vestigia cervæ.

Et *Ovidius Metamorphoseωs* libro primo in diluvii descriptione,

Crura nec ablato prosunt velocia cervo.

Currentes ità describit summus vatum libro quarto *Æneidos*,

- - - - *aliâ de parte patentes*
Transmittunt cursu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fugâ glomerant. - - -

Quin ἔλαφος, *cervus* & ἐλαφρὸς, *levis*, sunt Conjugata; sive dicatur ἔλαφος, quasi ἐλαφρὸς, aut, quod mihi fit vero similius, ἐλαφρὸς pro *levi* sumptum sit ἀπὸ τῆς ἐλάφου, ἥ ἐστι κουφότατον, καὶ εὐκίνητον, *a cerva, quæ pernicissimum, & agilimum est animal*; ut habetur in *Etymologo*.

Cervi boatus creditur *Hebræis* esse עריגה *ariga*; quia legitur *Psal.* 42, 2. כאיל תערג על אפיקי מים id est, ut *Hebræi* volunt, *Ut cervus glocitat ad fontes aquarum: sic anima mea ad te glocitat, ô Deus.* Proinde *Kimchius* ad hunc locum, עריגה. *Glocitatio in cervo est, quod* נעירה, *mugitus in bove.* Et R. Selomo, ערג. *de voce cervi dicitur, ut* נהם, *rugire de leone, &* שקק, *uncare de urso, &* געה, *mugire de bove,* צפצף, *garrire de aviculis.* Et Pomarius, *Ut ajunt, cervus* ערג, *glocitat, ursus* שקק, *uncat, bos* געה, *mugit, equus* צהל, *hinnit, leo* שאג *rugit, asinus* נער, *rudit, canis* נבח, *latrat, avis* צפצף, *garrit, homo* דבר, *loquitur.* Ità etiam *Hebræorum* alii. Et videri poterit huc pertinere, quod *Arge* venatrix in cervam mutata fuisse fingitur. *Hyginus* Fabula 205. *Arge venatrix, cum cervum sequeretur, cervo dixisse fertur; Tu, licet Solis cursum sequaris, tamen te consequar. Sol iratus in cervam eam convertit. Arge* scilicet dicta putabitur, quasi ערגא arga, id est, *cervorum more glocitans*. Tamen verbo ערג, *cervi boatum* significari non est usquequaque certum. Nam plerique veterum aliter interpretantur. *Symmachus* σπεύδει *festinat: Seniores* ἐπιποθεῖ. unde *Hieronymus*, & *Vulgatus*, *desiderat*. *Chaldæus* quoque מרגג: & *Arabs* يتوق quod id ipsum est. *Apollinaris* quoque in *Paraphrasi*,

Ἠΰτε πηγαίων ὑδάτων κεμὰς ἱμείρουσα,
Ut fontanas aquas hinnulus desiderans.

Et *Æthiops*, ከመ፡ ይፈቅር፡ ኀየል፡ *ut amat cervus*. Sic ad *Hebræum* ערג, *arag*, alluderet *Græcum* ὀρέγεσθαι in *appetendi* notione, unde ὄρεξις *appetitus*. *Aquila*, in prorsus diversa excurrens, ὡς αὐλὼν πρασιάσαι· vel, ut alii, ὃν τρόπον πεδίον πρασιασθῆ. Quod vulgò interpretantur, *ut vallis*, vel *ut campus sitit*, &c. Nempe איל quandoque est *campus*: ut *Gen.* 14, 6. איל פרן *campus Paran*. Et ערוגה, *aruga*, in (*f*) *Ezechiele*, & (*g*) *Canticis* πρασιὰν, id est, *horti areolam* sonat. Proinde *Hebræum* תערג, tanquam inde deductum, expressit *Aquila Græco* verbo à se confecto πρασιάσαι. Quo magnus *Casaubonus* Epistola DLXXXV designari statuit *summum desiderium*, & horum dici πρασιάζειν, qui avidè curam & manum domini expectat, quasi dicas velle in πρασιὰς distingui, hoc est, coli, & curâ ἀξιοῦσθαι. Sed *Aquila*, ut pridem observavit *Hieronymus*, contentiosus fuit interpres, quique Etymologias potiùs interpretabatur, quam verba. Utut sit, hi omnes interpretes à versione Verbi תערג, quam *Hebræi* hodiè asserunt, discedunt immensum quantum. Neque illi favet quisquam veterum, si *Syrum* excipias, qui hic habet ܐܝܟ ܐܝܠܐ ܕܓܥܐ *quomodo cervus, qui mugit*, id est, qui glocitat. Atque id saltem certum est, Verbum ערג. non esse cervorum proprium, ut *Hebræi* volunt, cum dicatur *Joel.* 1, 20. non sine allusione ad verba *Davidis*, *Etiàm agri bestiæ adte* תערוג, *clamant, quia exaruerunt alvei aquarum.* Sed potuerunt *Hebræi* sine crimine carere verbo proprio, quo vocem cervi designarent, cum *Græcis* quoque & *Romanis* desit. Nam *glocitandi* verbum, quo melioris penuria utimur, gallinarum est proprium, neque à quoquam usurpatur pro voce cervi, præterquam à scriptore barbaro Poëmatii *De Philomela*, *Ovidio* perperam adscripti. At *Virgilius* de cervis dixit

- - - - - - *graviterque rudentes*

Georgicorum libro tertio. Et *Oppianus* libro secundo *Halieuticῶν* de cervo, in quem thoës irruunt,

— — — ὁ δ' αἱμάσσων, ὀδύνῃσι
Βεβρυχὼς, ὀλοῇσι περίπλεος ὠτειλῇσιν·
Ille vero cruentus, præ dolore rugiens, perniciosis vulneribus undique plenus.

Ut *Hieronymus* in *Job.* 39, 3. *Pariunt* (cervæ,) *& rugitus emittunt.* Et *Xenophon* in *Cynegetico* de hinnulo à venatoribus deprehenso, Ἐάσει ἀναλίσκεσθαι βοῶν μέγα, *Se occidi sinet multum clamans.* Eustathio μηκᾶσθαι *balare* est μίμημα φωνῆς αἰγῶν, καὶ λαγωῶν, καὶ ἐλάφων, *imitatio vocis caprarum, leporum, & cervorum.* Et *Ælianus* (*Hist.* lib. 7. cap. 46.) de tauro, equo, & cervo, qui circa *Mithridatem* dormientem in vigiliis stabant: Καὶ ὁ μὲν τῷ μυκήματι, ὁ δὲ τῷ χρεμετίσματι, ὁ δὲ τῇ μηκῇ διύπνιζον αὐτόν· *Et unus quidem mugitu, secundus hinnitu, tertius balatu eum excitabant.* Μηκῇ scripsi pro μυκῇ· quia cervorum non est μυκᾶσθαι, sed μηκᾶσθαι, ut probavimus. Præterea in eadem serie orationis ineptè tribueretur tauro μύκημα, & cervo μυκή, cum μύκημα & μυκὴ idem sint. Utut sit, harum vocum nulla est cervo propria. At *Arabicè* إزمول *izmul* est *cervus*, aut *ibex glocitans*; نزب *nazaba* de voce cervi, aut capreæ dicitur, cum libidine flagrat: & بغم *bagama*, cum catulos fovet.

Non possum hic præterire virum quendam in his literis eximium verba *Psaltis* ità reddere, *Sicut cerva ascendit ad decursus aquarum, sic anima mea ascendit ad te.* Quam versionem conatur ex *Æthiopica* lingua adstruere. Potuit etiam addere *Arabicam*: utraque enim ערג, est *ascendere*. Tamen hæc illius versio planè est ἀπροσδιόνυσος· quia ad aquas descenditur, non ascenditur. Nam, ut in ipsa Lege habetur, aquæ sunt *sub terra*, id est, *infra terram*. Hinc *Gen.* 24, 16. 45. *Descendit ad fontem.* Psal. 107, 23. *Qui descendunt in mare.* Es. 42, 10. *Qui descenditis in mare.* Jon. 1, 3. *Invenit navem*, &c. *& descendit in eam.* Itaque, cum *Hebræum* ירד, sit in genere *descendere*, *Arabicum* ورد est *adaquare*; quia non fit aliter, quàm per descensum in aquam.

Hebræi anxiè quærunt quorsum aquarum appetitu glocitare dicatur cervus. Atque, ut alios hic prætercam, tres causas affert *Kimchius*. Primam, quia האילים הם במדבר במקום שאין מים מצוים ויתאוו למים *cervi degunt in desertis locis inaquosis, ac proinde aquas appetunt.* Secundam, כי יאכלו

f) Cap. 17, v. 7. & 10.
g) Cap. 5. v. 13 & c. 6, v. 2.

אכלו הנחשים ויתחממו ויבקשו המים להתקרר *quia, cum serpentum esu incaluerunt, aquas quærunt, ut refrigerentur.* Tertiam, כי האילים כשרופים אחריהם הכלבים הצריך שילכו מפניהם עד שימצאו נחלי מים עמוקים הולכים תורגים ויבאו בתוך המים עייפים וינצלו מהם *Quia cervi necesse habent fugere insequentes canes, donec reperiant profundos aquarum alveos. Eunt igitur subinde glocitantes, & fessi tandem in medias aquas ruunt, ut à canibus sic liberentur.* Quæ tria sunt ex parte vera. Nam, ut de singulis dicamus, quamvis cervus aquosa loca siticulosis præferat, & *cervi hinnulus* dici putetur ἑλλὸς, tanquam ἐν ἕλεσι τὰς διατριβὰς ἔχων *in paludosis locis degens*, tamen in arida vel invitus cogitur secedere, hominum & ferarum metu, quæ ad aquas sæpe se conferunt. Petit igitur inaquosa loca, ut maximè solitaria. Unde, cum urget sitis, ad fontes furtim accedit, ac potus mox se proripit, ut canis è *Nilo* bibit, & fugit. Jam, quod addit *Kimchius*, serpentum esu cervos incalescere, etiam nostri scribunt in hunc locum magno consensu. Et è *Græcis* quidem *Chrysostomus*, Διψαλέον πῶς ἐστὶν ἡ ἔλαφος, καὶ διὰ τοῦτο συνεχῶς τρέχει ἐπὶ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων. διψαλέον γίνεται ἀπό τε τῆς φύσεως, ἀπό τε τοὺς ὄφεις κατεσθίειν, καὶ τοῖς ἐκείνων τρέφεσθαι σώμασι. *Cervus sitibundum est animal: unde est, quod ad aquas subinde currit. Porrò sitibundum est tam propria natura, quam quod serpentibus vescitur, atque eorum carne nutritur.* Theodoretus, φασὶ τὰς ἐλάφους τὰ ἰοβόλα θηρία σιτεῖσθαι, καὶ σφοδρότερον ἐντεῦθεν εἰς δίψαν ἐκκαίεσθαι, καὶ θερμότερον τῶν ὑδάτων ἐφίεσθαι. *Cervos ajunt venenosis feris (id est, serpentibus) cibari, ac proinde siti ardere vehementius, & aquas summopere desiderare.* Et è *Latinis* Augustinus, *Cervus serpentes necat, & post serpentum interemptionem majori siti inardescit*, Arnobius, *Sicut cervus, serpentinis carnibus pastus, veneno exæstuans, festinat ad fontes.* Et *Hieronymus*, vel *Beda* verius; *Mos ejus est, ut inventum serpentem naribus hauriat, & post hac exardescens extinguat sitim.* Quibus similia tradunt etiam οἱ ἔξωθεν. Nonnulli solùm obiter. In his *Xenophon* apud scriptores *Geoponicῶν* libri decimi noni capite quinto, Ἔλαφος ἀναμιμνήσκει, καὶ ἐφελκομένη τῷ πνεύματι σκοτοῖ τὸν ὄφιν, καὶ καθέλκει πρὸς ἑαυτήν. *Cervus halitu, tanquam loro, serpentem attrahens, atque educens obtenebrat, & ad se rapit.* Theophrastus, *Caus.* lib. 4. cap. 10. Τοὺς ἔχεις ἐσθίουσιν, ὑφ' ὧν τὰ ἄλλα θνήσκει. *Viperas comedunt, quæ aliis sunt lethiferæ.* *Plutarchus* in libro *Utra anim.* *Lupus quidem asini sunt captu faciles, & apes meropibus, & hirundinibus cicadæ*, ἐλάφοις δὲ ὄφεις ἀγόμενοι ῥαδίως ὑπ' αὐτῶν, *& serpentes cervis, qui illos nullo negotio attrahunt.* Quod imitatur *Ælianus Hist.* lib. 8 cap. 6. aut verò *Plutarchus* illum: neque enim constat satis, uter prior scripserit. *Josephus* de ibibus *Antiqu.* lib. 2. cap. 5. Φεύγουσι τε γὰρ ἐπιερχομένας (οἱ ὄφεις,) καὶ ἀφιστάμενοι καθάπερ ὑπ' ἐλάφων ἁρπαζόμενοι καταπίνονται. *Illas enim irruentes fugiunt serpentes, & inter fugiendum tanquam à cervis abrepti devorantur.* *Lucretius* libro sexto,

> *Naribus alipedes ut cervi sæpe putantur*
> *Ducere de latebris serpentia sæcla ferarum.*

Lucanus libro sexto inter Magica pharmaca,

> *Viscera non lyncis, non duræ nodus hyænæ*
> *Defuit, aut cervi pasti serpente medulla.*

Martialis libri duodecimi *Epigrammate* vigesimo nono,

> *Cervinus gelidam sorbet sic halitus anguem.*

Hæc illi solùm obiter. Sed rem alii ex professo tractant, & accuratius exsequuntur. Ut *Nicander* in *Theriacis* versu 140.

> Ἔξοχα γὰρ δολιχοῖσιν ἀνηπιστὰς ὀλέκουσι
> Νεβροτόκοι, καὶ ζόρκες, ἀνιχνεύουσι δὲ πάντα
> Τρήχμαλα δ', αἱμασιάς τε, καὶ εἰλυοὺς ἐρέοντες
> Σμερδαλέῃ μυκτῆρος ἐπιπνείοντες ἀϋτμῇ.

Maximè enim longis serpentibus infensi sunt cervi, & capreæ. Quærentes autem investigant omnes lapidum strues, & sepes, & latibula, terribili naris halitu eos excitantes. Quod sequutus *Plinius*, *iis est cum serpente pugna, investigant cavernas, narium que spiritu attrahunt renitentes.* Et *Plinium* Solinus, *Serpentes hauriunt, & spiritu narium extrahunt de latebris cavernarum.* Ælianus *Hist.* lib. 2. cap. 9. Προσερείσας τῇ καταδρομῇ τοῦ θηρὸς (lege τῇ καταδρομῇ) τοὺς ἑαυτοῦ μυκτῆρας βιαιότατα εἰσπνεῖ, καὶ ἕλκει, ὡς ἴυγγι, τῷ πνεύματι, καὶ ἄκοντα προσάγει, καὶ προκύπτειν αὐτὸν ἐσθίειν ἄρχεται. *Naribus suis in cavernam iam incumbens vehementissimè aspirat, & trahit spiritu suo, tanquam amatorio, & invitum ad se allicit, & inclinatum edere incipit, quod facit hyeme potissimum.* Homeri *Scholiastes* vetus in *Iliad.* γ. Εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τοὺς ὄφεις, οἱονεὶ ἐλόφις τις ὤν. τούτους γὰρ διώκειν καθαίρεται (lege καθαίρεται) φυσικῶς οὕτως γοῦν, ὅτι ἀφανισθῶσιν, αὐτὸς τὸ κέρας αὐτῆς προστρίβει εἰς πέτραν. θερμαινόμενον δὲ ποιεῖ τὴν ἀναθυμίασιν, ἧς μεταλαμβανόμενοι οἱ ὄφεις φωλεῶν ἐξιᾶσιν. *Cervus dicitur* ἔλαφος *quasi* ἐλόφις, *eo quod serpentes interimit* (Ita etiam *Athanasius* in *Definitionibus*, & *Epiphanius* in *Physiologo*: sed *Plutarchus* παρὰ τὰς ἕλξεις τῶν ὄφεων *à serpentis attractione.*) *Horum enim esu naturaliter purgatur. Quin, si non appareant, is cornu ad rupem atterit, cujus calefacti odore pulsi serpentes è lustris suis exeunt.* Oppianus *Halieuticῶν* libri secundi versu 289.

> Ὡς δ' ὅτ' ἀνὰ ξυλόχους ὀφίων ὁδὸν ἐξερέεινων
> Βεβρυχὼς ἔλαφος ῥινήλατον ἴχνος ἀνεῦρε,
> Χειὴν δ' εἰσαφίκανε, καὶ ἑρπετὸν εἴρυσεν ἔξω,
> Δάπτει δ' ἐμμαπέως.

Ut autem per sylvas serpentum viam exquirens cornutus cervus naribus indagatum vestigium invenit, ad latibulum verò perveniens, & serpentem extrahit foras, voratque indesinenter. Idem etiam cervorum cum serpentibus bellum internecinum latè describit libro secundo *Venaticorum* duodequinquaginta versibus, quos quia hic referre non est nostri otii, lector ibi videat. *Alkazuinius*, اكل الافاعي وغيرها *Viperas comedit, & alios serpentes.* Damir, وهو مولع باكل الحيات يطلبها حيث وجدها *Etiam esum serpentum habet in deliciis, & eos impetit ubicunque reperit.* Sunt, qui serpentium esu cervi infirmi aut senescentis vires reparari existimant. *Tertullianus*, *De Pallio* capite tertio, *Taceo cervum, quod & ipse, ætatis suæ arbiter, serpente pastus, languescit in juventutem.* *Basilius* in *Psalmum* vigesimum octavum, Καθαρτήριον αὐτοῖς ἐστιν, ὥς φασιν οἱ τὰ τοιαῦτα τετηρηκότες, τὸ τῆς ἐχίδνης βρῶμα. *Purgatio illis est, ut ajunt, qui talia observârunt, vipera cibus.* Itaque in *Homeri Scholiaste* suprà rectè scripsimus τούτους ἐσθίειν καθαίρεται, pro καθαίρεται, quæ vox nullum sanum sensum admittit. *Isidorus Originum* libri duodecimi capite primo, & ex eo *Rabanus De natura rerum* libri septimi capite octavo; *Hi serpentium inimici, cum se gravatos infirmitate persenserint, spiritu narium eos extrahunt de cavernis, &, superata pernicie veneni, eorum pabulo reparantur.* *Gilbertus Foliot*, qui in *Cantica* scripsit ante annos ferè quingentos, in capitis secundi versum septimum, *Est & hæc cervi natura, cum centenarius est, ut majoris forte numeri, jamque vergit in senium, notat sibi quæcunque locorum serpentis habitaculum, ipsumque, ut natura edocet, flatu suo statim foras extrahit, manducat, atque consumit. Et post cœnam hanc, haustu fontis aquæ purioris potus, cornua ponit illicò, pellemque mutat, & pilos, visumque recuperat, sesque tot modis reformans diu victurus, jam effectu juvenis, in vitam pertransit alteram.*

Tamen pòst esum serpentis alii cervum bibere negant; quasi naturæ quodam instinctu sciat aquæ potum tum sibi fore lethiferum. Unde *Poëta Arabs*,

الحايم الذي يدور حول الما

ولا يصل اليه ☫

Sitibundus cervus, qui circum aquas fertur, neque eas attingit. Ad quem locum *Scholiastes*, معنى الشعر ان الايايل تاكل الافاعي في الصيف فتحمي فتلتهب لحرارتها فتطلب الما فاذا ارادته امتنعت من شربه ولا تزال ممتنعة حتى يطول الزمان فيذهب فوران السم ثم تشربه فلا يضرها لانها لو شربته في تلك الحال فصادف الما السم الذي في اجوافها هلكت ☫ Poëta *significat cervos, cum æstate viperas comederunt, incalescere, & præ æstu exardescere, & ad aquas contendere: sed, iis visis, ab earum potu abstinere. Nec nisi post longum tempus desinit hæc abstinentia, cum veneni vis præteriit. Tum enim nihil nocet potus. At si eo momento bibissent, & aqua occurrisset veneno, quod intùs habebant, fuisset id lethiferum.* Eodem pertinent hæc *Symeonis Sethi*, qui ex *Arabibus* non pauca habet, Δεῖ δὲ παραιτεῖσθαι τὰς θηρευομένας κατὰ τὸν τοῦ θέρους καιρὸν, ἐπεὶ πολλάκις, τηνικαῦτα ὄφεσι καὶ ἐχίδναις τρεφόμεναι, διψώδεις γίνονται. φυσικῶς τε γινώσκουσι, ὡς, εἴπερ πίωσιν ὕδωρ πρὸ τῆς τούτων πέψεως, θνήσκουσι, καὶ διὰ τοῦτο τῆς δίψας ἀνέχονται, καὶ ταύτῃ ὑπερκαίονται. *Cavendum est à cervis, qui æstivo tempore capiuntur, quia, cum viperis & serpentibus tum temporis sæpe vescantur, siticulosi fiunt. Et naturæ instinctu norunt fore, ut morerentur, si ante illorum concoctionem aquas biberent, ac proinde sitim tolerant, atque eâ inardescunt.* Notandum tam ab illo, quam ab *Arabe*, quem citavi, ad æstivum tempus hæc referri, cum contrà *Ælianus*, ubi suprà, de cervo dicat: Καὶ μάλιστα δὲ χειμῶνος δρᾷ τοῦτο· *Et hyeme maximè id facit.* Quod crediderim potiùs, quia cervum lustra serpentum tum demum scrutari verissimile est, cum non suppetit alius cibus: ut taceam æstivis diebus serpentum venenum esse multò potentius, & cervo perniciosum futurum, si tum ederet. Superest tertia ratio, cur cervi aquas appetant, nempe, ut à venatorum & canum insectatione se liberent, aut saltem ut longo cursu defessi recreentur. *Xenophon* in *Cynegetico*, Φεύγουσι δὲ καὶ εἰς τὴν θάλασσαν, ἐὰν κατέχωνται, καὶ εἰς τὰ ὕδατα ἀπορούμεναι· ὅτε δὲ διὰ δύσπνοιαν πίπτουσι· *In mare etiam & aquas se conjiciunt, cum hærent consilii inopes; quandoque etiam deficiente spiritu eò delabuntur.* Philosophus *Hist.* lib. 6. cap. 29. Φεύγουσι δὲ τὸ καῦμα, καὶ τὸ ἆσθμα, εἰς τὸ ὕδωρ· *Propter æstum, & anhelitum, ad aquas confugiunt. Budæus* in libro *De venatione cervorum*, *Minimè ad extremum cervus eluctabitur: non, si anhelus & æstuans in amnem se conjecerit; undique secundis vehendum se dederit; quod sæpe refrigerandi causa facit: non, si amnem trajecerit, ut cænum cursum intercidat: non, si incitatiore cursu diuturnoque profligatus, animum jam despondens, undas perire, quam laniari malit.* Sed allatis testibus id probare nihil opus est, quod quotidiana experientia venatores abundè docet. *Hebræi* igitur non malè hactenus. At nihil insulsius, quàm quod habet דרש, id est, *Commentarium Mysticum* in *Psalmi* locum, in quo versamur. האילה הזאת חסידה שבחיות וכשהחיות צמאות למים הם מתכנסות אליה שתתלה עיניה למרום ומה היא עושה חופרת גומא ומכנסת קרניה לתוכה ונועה והקב״ה מרחם עליה והתהום מעלה לה מים (*Cerva ferarum est piissima. Itaque cum feræ sitiunt ad eam conveniunt, ut sursum tollat oculos suos. Illa autem quid facit? Defossa fovea, in cujus medio colligat cornua sua, clamat. Et, Deo Sancto Benedicto ad misericordiam inflexo, abyssus illi aquas excitat.* Non est igitur, quod quis *Mosem* miretur, aut *Eliam* aquas à Deo precibus suis impetrâsse, cum cerva etiam hac eâdem virtute polleat apud Deum.

Hoc quoque ab *Hebræis* quæritur, quid sit אילת השחר, *cerva auroræ* in titulo *Psalmi* vigesimi secundi, qui sic habet, *Præcentori super cervam auroræ.* Nec desunt, quibus אילת hoc loco id ipsum sit, quod אילות ejusdem *Psalmi* versu vigesimo, quo Deum sic compellat *David*, אילותי, *Virtus mea ad auxilium meum festina.* In his *R. Menachem*, quem citat *R. Selomo.* Quod ipsum sequuti *Græci* Interpretes hic habent, ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, *Pro auxilio matutino*, seu *præpropero*, supple *consequendo*; quasi hic sit *Psalmi* scopus. Et *Symmachus* eodem sensu, ὑπὲρ τῆς βοηθείας τῆς ὀρθρινῆς. *Chaldæus* quoque & *Aben Ezra*, אילת pro *robore* & *virtute* sumunt; sed aliò referunt. *Chaldæus* enim hic intelligit תקוף קרבן תדירא דקריצתא *virtutem jugis oblationis auroræ*, id est, ad auroram offerri solitæ. At *Aben Ezra*, כח עלות השחר, *robur*, (seu *vigorem*) *ascensionis auroræ.* In quibus omnibus hoc desideres, quod אילת *ajeleth*, confundunt cum אילות *ejaluth*: quorum hoc quidem *robur*, & *virtutem*; at illud nil nisi *cervam* sonat. Pro *cerva* enim habetur hac ipsa forma *Prov.* 5, 19. & *Jerem.* 14, 5. Et Plurale אילות *ajaloth*, vel *ajeloth*, reperitur 2. *Sam.* 22, 34. *Job.* 39, 1. *Psal.* 18, 34. & 29, 9. *Cant.* 2, 7. & 3, 5. Vocis igitur toties repetitæ significatio non potest in dubium revocari. Itaque אילת השחר, omnino est *cerva auroræ*. *R. Selomo* interpretatur כלי שיר *instrumentum musicum*: & in *Aben Ezra* nonnulli כלי ניגון, *instrumentum pulsatile*; ut nablium, lyram, citharam, *&c.* In *Kimchio* Magistri veteres per *cervam auroræ* intelligunt כוכב הבוקר *stellam matutinam*, seu *Luciferum*, qui vulgò *Hebræis* הילל; & נגה. Alii *Estheram* malunt. Alii כנשת ישראל *Synagogam Israëlis*: quod *Kimchio* maximè placet. *Judæos* enim idem significari contendit per *agri cervas* Cant. 2, 7. & 3, 5. Et idem confirmat *R. Selomo*; quia synagoga dicitur *cerva amorum*, Prov. 5, 19. & *spectabilis ut aurora*, Cant. 6, 10. *Aben-Ezra* denique, priore sententia repudiata, asserit hoc esse תחלת פיוט נעשה על דרך דברי חשק כמו אילת אהבים *initium Poematis amatorio stylo conscripti, ut cum dicitur Cerva amorum* Prov. 5, 19. ubi dilecta uxor à *Solomone* vocatur *cerva amorum*, seu *amabilis*. Vult igitur *Poëtam Hebræum* statim initio cantionis amatoriæ puellam, aut conjugem suam, *cervam auroræ* appellâsse, & ad hujus cantionis numeros compositum & decantatum fuisse hunc *Psalmum*, ac proinde scribi in titulo, *Magistro Symphoniæ super cervam auroræ*, id est, *Psalmus* magistro symphoniæ datus, ut caneretur iisdem modulis, quibus amatoria cantio, cujus initium est *Cerva auroræ*. In qua sententia hoc solùm displicet, quod amatoriam cantionem hic intelligit. Neque

que enim videtur cum *Psalmi* argumento id convenire, ut ad eum canendum adhibiti sint amatoriæ cantionis numeri, atque moduli. Neque Ecclesiam id decuisset, in qua omnia fieri debent εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν. Sed nihil opus est hæc contingere. Cum enim à cervo sit initium uni *Psalmorum*, & in cervo desinat oratio *Prophetæ Habacuc*, plena ardoris, & zeli: quidni à *cerva auroræ* potuerit incipere sacra cantio tum inter *Judæos* recepta, ad cujus numeros *Propheta* hunc *Psalmum* scripserit? Cerva porro merito *cerva auroræ*, vel *matutina* vocatur, cùm statim ab aurora surgat, & catulos lactet, & eis cubile sternat. Unde *Xenophon* in *Cynegetico*, postquam cervorum venatorem monuit, ut πρὸ ἡμέρας *ante diem* in eum locum contendat, in quo sunt plures cervi, atque inde circumquaque speculetur, addit continuo post; Ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ ὄψεται ἄγουσας τὰς νεβροὺς πρὸς τὸν τόπον, οὗ ἂν μέλλῃ ἑκάστη τὸν ἑαυτῆς εὐνάσειν. κατακλίνασαι δὲ, καὶ γάλα δοῦσαι, καὶ διαπεριβλεψάμεναι μὴ ὁρῶνται ὑπό τινος, φυλάττει τὸ αὐτῆς ἑκάστη ἀπελθοῦσα εἰς τὸ ἀντιπέρας. *Simul autem cum die cervas videbit hinnulos suos in eum locum adducentes, in quo unaquæq; cubile suo stratura est. Cum autem recubuerint, & lactaverint, & prospexerint, ut ne à quoquam videantur, unaquæque suum servabit ad oppositam stationem profecta.*

In eodem loco docet *Xenophon* hinnulos recens genitos vere esse venandos, tunc enim nasci: Τὰς μὲν ἂν νεογνὰς τῶν νεβρῶν τὸ ἦρ (ἔαρ) θηρᾶν, ταύτην γὰρ τὴν ὥραν γίγνονται. Et *Philosophus Hist.* lib. 6. cap. 29. Ἡ δ' ὀχεία γίνεται μετ' Ἀρκτοῦρον, περὶ τὸν Βοηδρομιῶνα, καὶ Μαιμακτηριῶνα· κύει δ' ὀκτὼ μῆνας. Unde *Plinius*, *Concipiunt earum post* Arcturi *sidus. Octonis mensibus ferunt partus*. Et Solinus, *Fœminæ, licet prius conserantur, non concipiunt ante* Arcturi *sidus*. Et *Pollux* lib. 5. cap. 12. Κύει δ' ὀκτὼ μῆνας εἰς ὀκτὼ· κύει δ' προσπλησθεῖσα ὑπὸ τὸ μετόπωρον ἱσταμένου. *Uterum fert mensibus octo: concipit autem, cum impletur ineunte Autumno.* Quæ satis conveniunt. Init enim *Autumnus* diebus undecim post *Arcturi* exortum. *Plinius* libri secundi capite quadragesimo septimo, *Arcturus exoritur* Romæ *undecim diebus ante æquinoctium Autumni*. Et libri decimi octavi capite trigesimo primo, *Nonis* Septembris *exoritur*. Atticæ *Arcturus matutino*, &c. *Arcturus verò medius pridiè Idus*. Et imbres *Autumnales* tum temporis commodè accidunt. Eos enim post coitum expetunt cervi. Rursus *Aristoteles*, Ἐπειδὰν δ' ἐμπλησθῶσιν αἱ θήλειαι, ἐκκρίνονται οἱ ἄρρενες καθ' ἑαυτούς· καὶ διὰ τὴν ὁρμὴν, τὴν περὶ τῶν ἀφροδισίων, ἕκαστος μονούμενος βόθρους ὀρύττει, καὶ βρωμᾶται ὥσπερ οἱ τράγοι, καὶ τὰ πρόσωπα διὰ τὸ ῥαίνεσθαι μέλανα γίνεται αὐτοῖς, ὥσπερ τὰ τῶν τράγων· οὕτω δὲ διάγουσιν, ἕως ἂν ὕδωρ γένηται. *Postquam autem pregnantes sunt fœminæ, mares separantur: & propter libidinis æstum quisq; solitarius scrobes fodit, & fœtet ut hirci, & facies eorum aspergine nigrescunt, ut hircorum; & sic degunt, donec imber ingruat.* Unde *Plinius*, *A conceptu separant se. At mares relicti rabie libidinis sæviunt, fodiunt scrobes. Tunc rostra eorum nigrescunt, donec aliquando abluant imbres.* Quæ cum Naturæ consulti tam scrupulosè observaverint, est, quod miremur, cur Deus *Job.* 39. v. 1. (al. 4.) servum suum ita compellat, *An nosti tempus, quo pariunt ibices rupicolæ, & parturitionem cervarum observasti? Numerastine menses, quibus conceptum adimplent? Novistine tempus partus earum?* Quidni verò *Job* id noverit, quod nulli non est obvium, & à quovis facile potest observari, & intelligi? Respondeo, non hic agi de otiosa & merè speculativa cognitione, sed de ea cognitione, quæ Deo propria est, qua res omnes non solum novit, sed & dirigit, atque gubernat. Proinde hæc *Hebræa* verba, חלל אילות תשמר *An parturitionem cervarum observasti? Græci* sic reddunt, Ἐφύλαξας δὲ ὠδῖνας ἐλάφων; *Custodivistine partus cervarum?* Prout שמר utrumque sonat, *observare*, & *servare*, vel *custodire*. Porro absque Dei custodia, qui quæ semel creavit sarta & tecta tuetur, brevi deficeret hoc genus inter mille pericula, quæ vel à venatoribus, vel à feris illi imminent, ut ipsas matres taceam fœtus suos sæpe in discrimen adducere. Quod ad hanc vocem *Chrysostomus* ita observat, Καλῶς δὲ εἶπεν, Ἐφύλαξας; ἐπειδὰν γὰρ ἀεὶ ἐν φυγῇ, καὶ φόβῳ, καὶ (h) ἀτονίᾳ τὸ ζῶον, ἀεὶ πηδῶν, καὶ σαλευόμενον, πῶς, φησὶν, οὐκ ἀμβλίσκει, ἀλλὰ πλήρης ὁ τόκος ἐξέρχεται. *Rectè autem dixit, Custodisti? Cum enim hoc animal semper sit in fuga, & metu, & formidine, semper saliat, & subsultet, quomodo non patitur abortum, sed maturus fœtus editur?* Elucet igitur tam in matris, quam in catuli conservatione mira Dei providentia. Ita ut nihil sit opus ad fabulas confugere, ut faciunt *Hebræi* veteres, quorum verba sic refert *Rabbi Levi* in hunc locum. האילה רחמה צר ולא תלד אם לא הכישה נחש ברחמה והשם ית' סבב שיבא אליה נחש בעת הלידה להכישה ברחמה *Cerva vulva ita angusta est, ut non pariat, nisi serpens ibi pungat eam. Proinde Benedictus Deus tempore partus ejus serpentem adducit, à quo in vulva puncta pariat.* Hinc secundùm *R. Selomonem* Deus *Jobum* sic alloquitur, בשעת לידתה אני מזמין לה דרקון ומכישה ברחמה ונפתח ואם מקדים או מאחר רגע מיד מתה *Hora partus ejus draconem ipsi præparo, à quo percussa vulva ejus adaperitur. Et, si draco veniret aquo citius aut tardius uno momento, illico moreretur.* Quo commento nihil putidius. Inimicissima enim duo animalia sic addicunt insulsi homines ad mutuas operas sibi præstandas.

Interim hoc saltem verum est, cervas esse difficilis partus: sed iis aliter providit Deus, nempe per herbam *seseli*, cujus esu partum sublevant. *Cicero* lib. 2. *De Natura Deorum*, *Cervæq; paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quæ seselis dicitur. Plinius* libri octavi capite trigesimo tertio, *Fæminæ autem* (cervorum) *ante partum purgantur herba quadam, quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero.* Et libri vigesimi capite quinto, de hac eadem herba; *Sunt & folia utilia, ut quæ partus adjuvent etiam quadrupedum. Hoc maximè pasci dicuntur cervæ parituræ.* Ælianus *Variorum* libri duodecimi capite trigesimo quinto, Λέγουσι Φοίνικοι ἄνδρες τὸν ἔλαφον, καθαίρουσαν, δεόμενον, σέλινα ἐσθίειν. Legendum, τὴν ἔλαφον, καθαίρουσαν, δεομένην, σέσελι ἐσθίειν. *Dioscorides* de *seseli Massiliensi* libro tertio, Δίδοται δὲ καὶ αἰξὶ, καὶ τοῖς λοιποῖς κτήνεσι, πρὸς εὐτοκίαν ποτόν. *Bibendum datur capris, aliisque quadrupedibus, ut partum adjuvet. Avicenna* libro secundo *Canonis*, يسقى منه المواشي فيكثر نتايجها *Pecoribus propinatur, ut fœtus earum multiplicentur.* Sed & à partu *seselin* edunt, ut locis purgandis utilem. *Plinius* libri octavi capite trigesimo secundo, *A partu duas habent herbas, quæ aros & seselis appellantur.* Et libri vigesimi quinti capite octavo, *Cervæ monstravere* elapho-boscon, *de qua diximus, item seseli enixæ à partu.* Utrumque locum sollicitat vir magnus in *Solinum*, cui non videtur verisimile *seseli* & à partu, & ante partum, cervas pasci. Itaque in priore pro *aros*, & *seselis*, corrigi vult *tamnus*, & *sideritis*. Et in posteriore, pro *item seseli enixæ à partu*, legit *item helxinen à partu.* Sed cum tamnum, aut thamnum potiùs, sideritim, & helxinem, ante, vel post partum prodesse, aut à cervis expeti nusquam legerim, viri magni conjecturis, nisi fallor, valde inanibus, *Aristotelem* oppono, cujus de cerva verba sunt *Hist.* libri noni capite quinto, Ὅταν τέκῃ, ἐσθίει τὸ χόριον πρῶτον· καὶ ἐπὶ τὴν σέσελιν δὲ τρέχουσι, καὶ φαγοῦσαι οὕτως ἔρχονται πρὸς τὰ τέκνα πάλιν. Cùm

Cùm peperit, fœtus involucrum primum comedit. Inde ad seselin (cervæ) *currunt, qua esa ad fœtum redeunt.* Ex quo loco hæc *Plinius*, *A partu duas habent herbas, quæ* aros & seselis *appellantur, pasta redeunt ad fœtum.* Itaque in voce *seselis* nihil mutandum. Sed pro *quæ aros*, vel *quæ aron*, ut habent quædam exemplaria, omnino legendum *chorion*, quod æquè ac *seselin* pro herbæ genere accepit *Plinius* insigni errore, cùm χορίον *Græcè* dicatur ea *membrana, quâ fœtus involvitur.* Malè scribitur τὸ κόριον *Deuter.* 28. *v.* 57. Et *Latinus* Interpres ibidem perperam habet *corium suum.*

Alia ratione Deus cervarum partum promovet, nempe terrore vocis suæ, id est, metu fulminis cum fragore è nubibus erumpentis. Hinc Regius *Psaltes* Psal.29.v.9. קול יהוה יחולל אילות *Vox Domini parturire facit cervas.* Chaldaicè מבטין איליתא. Hieronymus, *obstetricans cervis*; Aquila, ὠδινοῦντος· & quinta editio, μαιουμένη ἐλάφους. Reliqui Interpretes in diversa abeunt. Tamen hæc est vera versio. Nam חולל vel *parere* est, vel *promovere partum.* Et sensus est valde commodus. Quippe inter mirabilia tonitruum effecta hoc quoque fuit observandum, quod etiam eas feras, quarum partus est difficillimus, tanto pavore percellit, ut eo audito statim enitantur. Quomodo de uxore *Phineis* dicit *Arabs* Interpres 1. *Sam* 4. *v.* 19.

اطلق اخذها من شدة الفزع *Dolores partus eam invaserant præ vehementia timoris.* Neque novum videri debet, quod Dei vox, id est, tonitru, sic afficit pavidissimum animal, cum Reges quoque, & Principes, inter satellitum globos, non sint ab hoc metu immunes. Sic *Augustus*, in *Suetonio*, tonitrua & fulgura tantopere expavescebat, ut semper & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio, atque ad omnem majoris tempestatis suspicionem in abditum & concameratum locum se reciperet. Et *Caligula*, qui tam fuit atheus, ut aliquando auditus sit *Jovi* suo comminans,

- - - - - εἰς γαῖαν Δαναῶν περάσω σε,

tamen ad minima tonitrua, & fulgura connivere, & caput obvolvere: ad majora verò proripere sese è strato, sub lectumque condere solebat. Tale est, quod ingenuè agnoscit

- - - - - Epicuri *de grege porcus,*

se timore fulminis fuisse adactum ad cultum Divini numinis, quem antea neglexerat. *Horatium* intelligo, cujus verba sunt libri primi *Oda* trigesima quarta,

Parcus Deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atq; iterare cursus
Cogor relictos: namq; Diespiter,
Igni corusco nubila dividens,
Plerumq; per purum tonantes
Egit equos, volucremq; currum,
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, *& invisi horrida Tænari*
Sedes, Atlanteusq; *finis*
Concutitur, &c.

Sequitur de partu cervarum *Job.* 39. *v.* 3. & 4. *Incurvantur, fœtus suos pariunt, dolores suos emittunt, valent catuli earum, crescunt in agro, exeunt, nec revertuntur ad ipsas.*

Incurvantur, Hebraicè תכרענה, nempe ad partum. Sic 1. *Sam.* 4. *v.* 19. de uxore *Phineis*, ותכרע ותלד, *Et incurvavit se, & peperit.*

Colon sequens, *Fœtus suos pariunt*, plus negotii exhibet interpretibus. *Hebræa* enim habent ילדיהן תפלחנה. Neque facile dictu est, quid sit illud תפלחנה, nisi dicamus idem esse, quod תפלטנה *pariunt*, *Cheth* & *Teth* permutatis, quæ tamen literæ non sunt ullo modo permutabiles. Alioqui פלח, *Hebræis* est *findere*, & *dissecare*, quod nequaquam huc pertinet. Nam prorsus coactum est, quod hic afferunt, *Diffindunt fœtus suos*, id est, matrice diffissa, & divulsa, illos in lucem edunt. Quis *Cæsarem* cæsum fuisse dixerit; quia ex cæso matris utero eductus est? Aut aperiri pecuniam, quia ex aperta arca sumitur? *R. Levi* mavult vertere תשברנה ותכתתנה *Confringunt, & conterunt catulos suos inter partus angustias.* Sed neque פלח id significat, neque tale quidquam hinnulis in partu accidit. Itaque, ut ingenuè fatear, hic hærebit mihi calculus, donec meliora succurrant.

Dolores suos emittunt, Hebraicè חבליהם תשלחנה, id est, ab iis liberantur, fœtu suo in lucem edito. Nisi quis *dolorum* nomine *filios dolorum* intelligat, id est, catulos ipsos, qui cum dolore emittuntur.

Valent catuli earum, יחלמו, ex *Syrismo.* Nam חלם *chalam*, Hebræis *somniare*, sed Syris *valere* est. Quò alludit *Plauti* verbum *columis*, unde factum *incolumis.*

Crescunt in agro, exeunt, nec ad ipsas revertuntur. Alii, *Crescunt in tritico*; *quia* בר *bar*, tam *triticum*, quàm *agrum* sonat. Sed prius videtur simplicius. Hinnuli tritico ali non solent; quia in desertis ferè degunt, & in locis ab omni cultu remotis. Præterea in *Arabia*, cujus *Job* erat incola, metuntur segetes *Martio* & *Aprili* mensibus, quibus hinnuli nondum nati sunt. Proinde בבר, potius reddendum *in agro*, aut uno verbo *foris*, vel *foras. Chaldæis* enim, à quibus sumpta vox, בר, vel ברא, planè idem est, quod *Hebræis* בחוץ. Sic ubi legitur *Gen.* 24. *v.* 31. *Cur stas foris? Foris* Hebraicè est בחוץ, & in *Jonathane*, & *Onkelo* בברא. Et *Exod.* 21. *v.* 19. *Si surrexerit & iverit foras. Foras* in *Onkelo* rursus est בברא, ut in *Hebræo* בחוץ. Ita omnino hic reddendum: &, si liceret per *Masorethas*, totum versum sic distinguerem; *Valent catuli earum, crescunt, foras exeunt, neq; ad ipsas revertuntur. Foras*, id est, extra lustra, aut speluæa, in quibus mater eos pepererat, aut lactaverat. Eam scilicet relinquunt, naturæ quodam instinctu, quàm primùm ejus opera se posse carere sentiunt. In quo statu hinnulus *Arabicè* شادن *sadin* vocatur. Nam in *Alcamus* شدن الظبي id est, قوي واستغني عن امه *Cervus*, (aut *caprea*) *ita invaluit, ut matre ampliùs non egeat.* Græcè νεβρὸν vocaveris, ut antea κεμάδα. *Etymologus*, Διαφορὰς δέ φασιν εἶναι κεμάδος, καὶ νεβροῦ· κεμάδα μὲν γὰρ εἶναι τὴν ἐπιμεμενηκυῖαν τῷ σπηλαίῳ, νεβρὸν δὲ τὸ μείζονα, καὶ ἐπὶ βορὰν νεμόμενον. *Differunt autem, ut ajunt*, κεμὰς, & νεβρός· *cum* κεμὰς *dicatur, dum adhuc in spelunca cubat, sed* νεβρὸς *hinnulus, qui jam major est, & exit ad pascua.*

De hujus speluncæ situ scriptores inter se dissident. Sunt enim, qui prope vias ab hominibus tritas, cervas parere asserunt. *Philosophus Hist.* lib. 6. cap. 29. Ποιεῖται τοὺς τόκους παρὰ τὰς ὁδοὺς διὰ τὸν πρὸς τὰ θηρία φόβον· *Catulos parit juxta vias propter ferarum metum.* Et lib. 9. cap. 5. Τῶν δ' ἀγρίων, καὶ τετραπόδων ἡ ἔλαφος οὐχ ἥκιστα δοκεῖ εἶναι φρόνιμον, τῷ τε τίκτειν παρὰ τὰς ὁδούς. τὰ γὰρ θηρία διὰ τοὺς ἀνθρώπους οὐ προσέρχεται. *Cerva in feris quadrupedibus non videtur esse parum prudens in eo, quod prope vias parit: ad quas propter homines feræ minus accedunt. Plutarchus* in libro *Utra anim.* Τῶν ἐλάφων αἱ θήλειαι μάλιστα τίκτουσι παρὰ τὴν ὁδὸν, ὅπου τὰ σαρκοβόρα θηρία μὴ πρόσεισι· *Cervorum fœminæ* (non *elephantorum*, ut *Grynæus* perperam reddit) *proximè vias ferè pariunt, quo non veniunt feræ carnivoræ.* Contra tamen *Oppianus*,

ΑΛΛ'

Ἀλλ' ὅτε δὴ μεγάλῃσι περιπλομένῃσι σελήναις
Θηλυτέρη τίκτῃ, τεύχει ἀνθρώπων ἀλεείνῃ,
Οἴμους ἀτραπιτῶν μερόπων θηρῶν τε βέβηλοι,

Quæ sic *Bodinus*,

Fœmina sola parit, fugiens hominesq; ferasq;,
Et loca trita hominum pedibus, tractusq; viarum,
Ut plerumq; feræ duri sub tempore partus.

Sed *Ælianus* distinguit tempora libri sexti capite undecimo, ubi, postquam de cerva in genere id ipsum tradidit, quod *Philosophus*, illam parere prope vias, quia sibi plus timet à feris, quam ab hominibus, quos velocitatis suæ fiducia contemnit, hanc addit exceptionem: Καλαπιαίνθεῖσα δὲ οὐκ ἔτι τίκτει περὶ τὰς ὁδοὺς, οἶδε γὰρ ὅτι δραμεῖν ἐπὶ νωθεστέρα. Τίκτει οὖν ἐν τοῖς ἄγκεσι, καὶ τοῖς ὄρυμοῖς, καὶ τοῖς αὐλῶσι. *Sed cum pinguis evasit, non amplius secus vias parit; quia scit se cursu esse tardam. Parit igitur in præruptis locis, & saltibus, & convallibus.* Etiam ipsos hinnulos, qui juxta vias in lucem eduntur, statim à matre deduci ajunt in loca prærupta, & confragosa. *Aristoteles* lib. 6. cap. 29. Εἴθισται δὲ ἄγειν τοὺς νεβροὺς ἐπὶ τοὺς σταθμοὺς, ἔστι δὲ τοῦτο τὸ χωρίον αὐτοῖς καταφυγὴ, πέτρα ἀπορρῶγα ἔχουσα μίαν ἔγγυθεν εἴσοδον, οὗ καὶ ἀμύνεσθαι ἤδη τοὺς ἐπιτιθεμένους· *Suum autem hinnulum solet ad stationes deducere, quem locum habet pro refugio, petram nempe præruptam, uno aditu, unde invasores arcere suevit.* Quod idem aliis verbis repetit libri noni capite quinto. Atque hæc illa sunt במות *bamoth*, seu *excelsa loca*, ad quæ se, cervorum instar, à Deo deductos, & in iis tanquam in tuto collocatos, dicunt *Propheta* duo; nempe *David*, & *Habacuc*. Illum vide *Psal.* 18. *v.* 34. hunc capitis tertii versu decimo nono. Eodem hæc *Plinii* referri queant, *Editos partus exercent cursu, & fugam meditari docent. Ad prærupta ducunt, saltumq; demonstrant.* Et hæc *Solini*, *Teneros studiose occulunt, & absconditos inter profunda fruticum, vel herbarum, pedum verbere castigant ad latendum. Cum maturuerit ad fugam robur, exercitio docent cursus, & assuescunt salire per abrupta.*

Ex his cum cervam constet benignum esse animal, & de catulorum suorum educatione maximè sollicitum: tamen *Jerem.* 14. *v.* 5. *hinnulum suum in agro deseruisse* legitur, *quia non erat herba*, id est, propter inopiam pabuli. Unde *Kimchius* in hunc locum, עזבה ילדיה לבקש מרעה בארץ אחרת ולא חששה על ילדה אפע שהיא רחמנית והלכה להחיות את נפשה *Deseruit fœtus suos, ut in alia regione pabulum quærat, &, quantumvis misericors, catulos suos non curat, & ut propriæ vitæ consulat proficiscitur.* Itaque hoc pertinet ad summæ famis & sterilitatis descriptionem: ut quod habet idem *Propheta* Thren. 1. vers. 6. *Principes ejus sunt ut cervi, qui pascuum non inveniunt, & abeunt sine viribus ante faciem insequentis.*

Cervinæ carnis usus & esus in sacris libris sæpe commendatur: ut *Deut.* 12. *v.* 15. *Sicut capream, & cervum comedes.* Et versu 22. *Sicut comeditur caprea, & cervus, ita vesceris eis.* Et *Deuter.* 15. *v.* 22. *Vescentur eis, quasi caprea, & cervo.* Quin cervus expresse ponitur in censu quadrupedum, quibus vesci fas erat. *Deut.* 14. *v.* 4. 5. *Hæ sunt bestiæ, quas comedetis, boves, oves, & capræ, cervi, capreæ,* &c. Et in quotidiano victu *Solomonis* 1. Reg. 4. 23. erant *deni boves pingues, & viceni boves pascuales, & centenæ pecudes, præter cervos, capreas,* &c. Nempe cervus bestia munda est ex definitione Legis, in qua pro mundis habentur bestiæ quæcumque ruminant, & fissam habent ungulam. Utramque porro notam habet cervus. Nam, ut de ungula fissa taceam, de qua nemini non constat, *Philosophus* in fine libri noni *Historiæ animalium*, postquam ruminare docuit τὰ μὴ ἀμφώδοντα, ut boves, oves, & capras, addit, Ἐπὶ δὲ τῶν ἀγρίων οὐδὲν πω συνῶπται, ὅτι μὴ συντρέφεται ἐνίοτε, οἷον ἔλαφος. αὕτη δὲ μηρυκάζει. *Sed nihil dum compertum est de sylvestribus, nisi nobiscum quandoq; non aluntur, ut cervus; is autem ruminat.* Unde *Plinius* lib. 10. cap 73. *Ruminant, præter jam dicta, sylvestrium cervi, cum a nobis aluntur.* Quamvis non satis perceperit mentem *Aristotelis*, qui cervum non dixit tum ruminare, cùm à nobis alitur (neque enim ideo mutat naturam) sed quod ruminat cervus nobis inde esse compertum, quod nobiscum quandoque alitur. Cervinæ carnis assiduus usus creditur amovere febres, quia ipse nunquam febricitat. *Plinius* ubi supra, *Febrium morbos non sentit hoc animal, quin & medetur huic timori. Quasdam nos principes fœminas scimus omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, & longo ævo caruisse febribus.* Solinus, *Pastus nunquam eos febrescere: quam ob causam confecta ex medullis eorum unguina sedant calores hominum languentium. Legimus plurimos, matutinis diebus cervinam carnem degustare solitos, sine febribus longævos fuisse.* Tamen *Avicenna* contra libro secundo *Canonis* in capite *De carnibus*, لحم البقر والايايل والاوعال وكبار الطير يحدث حمية الربع *Caro boum, & cervorum, & ibicum, & magnarum avium quartanas febres excitat.* *Galenus* libri tertii *De alimentorum facultatibus* capite secundo cervinam generare asserit succum vitiosum, & concoctu difficilem. Ita etiam *Aetius Tetrab.* 1. Serm. 2. capite centesimo vigesimo primo. Et *Symeon Sethi*, τὰ τῶν ἐλάφων κρέατα κακόχυμά ἐστι, καὶ δύσπεπτα, καὶ μελαίνης χολῆς γεννητικά. Sed æstate inprimis, si credimus, quia, cum serpentibus alantur, ἀηδέστεροι γίνονται. Et *Philosophus*, Καθ' ὃν δὲ χρόνον ὀργῶσι, τὰ κρέα γίνεται φαῦλα, καὶ δυσώδη, καθάπερ τὰ τῶν τράγων· *Cum in libidinis æstu sunt* (Gall. *en rut*) *carnes eorum malæ & fœtidæ sunt, perinde ac hircorum.* Interim veteres hoc alimentum magni fecisse suadet, quod *Telephum*, *Mysorum* Regem, lacte cervæ, & *Achillem* μυελοῖς ἐλάφων enutritos fuisse fabulati sunt.

Cervos in *Chananæitide* plures fuisse vel ex *Æliano* constat, qui in fine libri quinti disertè scribit Περὶ τῶν ἐν ταῖς Συρίαις ἐλάφων· & caput ita orditur, Οἱ ἐν Σύροις ἔλαφοι γίνονται μὲν ἐν ὄρεσι μεγίστοις, Ἀμάνῳ τε, καὶ Λιβάνῳ, καὶ Καρμήλῳ· *Cervi, qui in Syris sunt, gignuntur in altissimis montibus, Amano, Libano & Carmelo.* Proinde anno sterili pabulum cervis defecisse queritur *Jeremias* capitis decimi quarti versu quinto. Et in vulgatis cibis apud *Judæos* cervinam fuisse docuimus. Quin in sacro dramate, cujus scena est in *Judæa*, *Jerosolymitanas* virgines Sponsus ita compellat *Cant.* 2. *v.* 7. & 3. *v.* 5. *Adjuro vos, filiæ* Jerusalem, *per capreas, & cervos agri*, id est, qui degunt in agris, ab urbe non multum dissitis. Et hinnulis pro statione assignantur הרי בתר, *montes Bether*, Cant. 2. v. 17. & הרי בשמים, *montes Besamim*, sive *aromatum*, quæ fuerunt *Judææ* loca hodie nobis ignota. Mons בתר *Bether*, est mons *scissionis*. Videtur ita dictus propter ῥωχμοὺς, & χάσματα, id est, *terræ scissuras*, quæ fiunt imbrium violentia. Et hoc voluisse *Seniores*, qui reddunt ὄρη κοιλωμάτων *montes cavitatum*. Sunt, qui malunt κυκλωμάτων quæ lectio si potior esset, dicerem illos in *Hebræo* legisse montes כתר *Cether*, non בתר *Bether*; quia כתר, *corona* est κυκλωτὸς. Et הרי כתר, *montes Cether*, seu *coronæ*, vocari potuisse montes, quibus *Jerusalem*, tanquam corona, cincta erat circumquaq; *Ps.* 125. *v.* 2.

CAPUT

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Similitudines à Cervis desumptæ.

Genes. 49. v. 21. *Nephthali ut cerva emissa, &c. Horum verborum sensus valde obscurus, neq; patet quomodo in* Nephthalitas *quadrent. Sed, punctis omissis, possent multo aliter legi, & sensu magis congruo.* Nephthalitarum *prodigiosa fœcunditas.* Nephthalitæ *in ultimo Oriente.* Galilæa *fertilissima, & populosissima. Quo sensu* Moses Nephthalitas *dixerit Occasum & Meridiem possidere. Cerva quàm amabilis. Cerva olim in deliciis. Eas solebant summo studio alere, lavare, pectere, sertis ornare, & torquibus. Idem de capreis, bubalis, ibicibus.* Theocritus *&* Anacreon *emendati.* צבי *à decore dicta. Caprea* Isidi *sacra. Proverbium* Arabicum, Ibice pulchrior. Gazellæ *nomen unde. Sponsus in* Canticis *quomodo hinnulo similis. Cur adjuret per cervas & capreas. Cerva prima occasio belli inter* Latinos *&* Trojanos.

JAm, ut paucis agamus de symbolicis Scripturæ cervis, primus se offert *Nephthali*, cui Patriarcha *Jacob* benedicit his verbis, נפתלי אילה שלחה הנתן אמרי שפר Nephthali *ut cerva emissa, dans eloquia pulchritudinis*, sensu difficili, & obscuro, quemque non capio satis. Dicam tamen quid sentiant *Hebræorum* doctissimi. *Jonathanis* Paraphrasis in hunc versum ita incipit, נפתלי עוגר קליל דמי לאילא דרהיט על שיני טוריא מבשר בשורן טבן *Nephthali* est ἀσγάνδης (i.e. *nuntius*) *levis, similis cervo, qui currit per scopulos montium, nuntians bona nuntia.* Sequitur, *Is nuntiavit* Josephum *adhuc esse in vivis. Idem accinctus est, ut iret in Ægyptum, & attulit contractum emptionis agri duplicis, ne* Esau *in eo partem haberet. Et cum aperiret os suum in congregatione* Israelis *ad laudandum, elegantissimis verbis agebat.* Quæ eadem ferè habet *Jerosolymitanus* Interpres. Nempe volunt ideò *cervæ emissæ* comparari, quòd fuerit velocissimus. Et, quia res valde incerta est, duas fabulas confingunt huic commento statuminando. Unam; cum *Josephi* fratres, eo agnito, redierunt in terram *Chanaan*, *Nephthalim*, ut erat fratribus expeditior, eos prævenisse, & *Jacobo* primum nuntiasse *Josephum* adhuc esse in vivis. Quale nihil in *Mose* habetur: sed in genere, illos, ex *Ægypto* reduces, patri nuntiasse quidquid de *Josepho* didicerant, *Gen.* 45. v. 26. Alteram pluribus explicat *Rabbi Eliezer* Capitulo trigesimo nono. Summa est, tum cum *Josephus* ex *Ægypto* cum fratribus in *Judæam* ascendit, ut patrem sepeliret in spelunca duplici, seu *Macpela*, prope *Hebronem*, tam pio consilio *Esavum* se hoc prætextu opposuisse, quod sua esset spelunca *Macpela*. Quem ut refellerent, *Nephthalim* misisse in *Ægyptum*, ut inde afferret emptionis instrumentum, ex quo *Esavum* appareret speluncam illam *Jacobo* vendidisse: cumque hoc iter brevissimo tempore confecisse. De qua narratione ne γρῦ quidem habet *Moses Genesews* capite quinquagesimo, ubi de *Jacobi* sepultura prolixè agit. Neque verò id certius est, *Nephthalim* facundia sermonis fratribus præpolluisse, aut linguam habuisse חלי כדובשא *dulcem ut mel*; quomodo habet *Jerosolymitana* versio. Quis enim hoc docuit illos interpretes, veteres quidem, sed tamen *Nephthali*, *Jacobi* filio, juniores annis ferè bis mille? Sunt, qui ex hoc loco concludunt, non tam ipsum *Nephthalim*, quam in genere *Nephthalitas* aliis *Judæis* fuisse disertiores. Quod ipsum vix concesserim; cùm in ea tribu nullæ fuerint Scholæ celebres, nec ulla insignis urbs, nec *Prophetarum* quisquam legatur inde ortum duxisse. Frustra apud *Hieronymum Hebræi* objiciunt Scholam *Tiberiadis*. Ea enim in *Zabulonis* sorte fuit, non in sorte *Nephthalis*, & erecta est postremis sæculis: quibus *Galilæa*, quam olim illæ tribus occupaverant, sermonis fuit ita impuri, ut incolas eo nomine *Jerosolymitani* deriserint. Quod multis probat doctissimus *Buxtorfius* ex *Talmudico* Tractatu *Erubin*, cap. 5. fol. 53. a. b. At *Nephthalita* fuit, inquiunt, *Barach*, dux fortissimus, qui profligatis *Sisaræ* copiis, unà cum *Debora* cecinit insigne carmen ἐπινίκιον, quod hodieq; legitur *Judicum* capite 5. Quasi sequatur *Nephthalitas* sermonis elegantiæ maximè studuisse ex hoc uno carmine, cujus auctor non fuit *Barach*, sed *Debora* Prophetissa, oriunda ex tribu *Ephraim*. Itaque vel quomodo impletum fuerit hoc vaticinium nos prorsus latet, vel aliud sonant *Jacobi* verba, quàm quod vulgò putatur. Et verò, si puncta abessent, diversissimus posset ex iis sensus erui: hic puta, *Nephthali est ut arbor surculosa, edens ramos pulchritudinis*, id est, egregios & speciosos. *Arbor* dicitur אלה vel אילה, *Jod* inserto (ut in Plurali אילים. *Esa.* 1. *v.* 29. & אילי *Es.* 61. *v.* 3.) & in Regimine אילת. Et שלחות, *Esa.* 16. *v.* 8. sunt *surculi*, vel *propagines*, à Singulari שלוחה. Ergo אילת שלוחה, reddi queat *arbor surculi*, id est, *surculosa*. Et אמרי שפר, erunt *rami pulchritudinis*, si אמרי, sit pro אמיר, suppresso *Jod* quiescente: ut in נזרה, pro נזירה, *separationes ejus*, Levit. 25. v. 11. ושלשים, pro ושלישים, *& tertios*, Gen. 6. v. 16. וסרסים, pro וסריסים, *& eunuchos*, Jer. 41. vers. 16. &c. Itaque, si puncta demas à *Masorethis* non semper commodè addita, nihil obstabit, quò minus *Jacobi* verbis congruat versio, quam diximus. Quo posito, causæ non deerunt, cur ea receptæ sit præferenda. In recepta, *Nephthali ut cerva emissa, dans eloquia pulchritudinis*, duo hemistichia inter se non cohærent, cum cervæ proprium non sit pulchrè eloqui: imò neque constat satis quid sit *cerva emissa*; quia cerva semel capta non solet emitti. At, si vertas quomodo diximus, *Nephthali ut arbor surculosa* (vel, *patula, & ramosa*) *edit ramos pulchritudinis*, id est, *pulchros*, & *eximios*, omnia bellè quadrabunt. Præterea cum dici vix queat quid *Nephthali* simile habeat *cervæ emissæ*, aut cur illi tribuantur *eloquia pulchritudinis*, id est, sermonis elegantia, non erit obscurum, cur idem cum arbore ramosa & fœcunda conferatur. Ita enim sæpe fideles: ut Psal. 1. v. 3. *Erit ut arbor plantata ad rivos aquarum.* Et Psal. 92. v. 13. *Justus ut palma florebit, ut cedrus in* Libano *crescet.* Et Esa. 61, 3. *Vocabuntur arbores justitiæ, & plantatio Domini*, &c. Jer. 17. v. 8. *Similis erit arbori plantatæ prope aquas, & juxta decursus aquarum mittenti radices suas.* Sed nihil opus est exempla hujus similitudinis aliunde congerere, cùm dicat *Jacob* versu statim sequente, *Ramus fœcundus* Joseph, *ramus fœcundus secus fontem. Nephthali* porro ramosæ & surculosæ arbori similis fuit propter fœcunditatem: cujus ratione licet cesserit fratrum nonnullis, tamen prodigiosum id fuit, quod cùm nonnisi quatuor liberos in *Ægyptum* deduxisset, *Gen.* 46. *v.* 24. in exitu, post annos duntaxat CCXV, censita sunt in illa tribu virorum, qui viginti annos excesserant, plus quinquaginta millia, *Num.* 1. *v.* 41. 42. Quid quod ex iis orta creditur in ultimo Oriente *Nephthalitarum* magna gens, de qua *Agathias* libro quarto? Alii *Euthalitas* scribunt. Vide *Procopium* libro primo *De bello Persico*, *Simocattam* libri quarti capite decimo, & libri septimi capite septimo, *Priscum* in *Gothicis*, *Cedrenum*, *Nicephorum*, &c. & è recen-

recentioribus *Schickardum De Regibus Persicis* pag. 131. &c. ubi multis contendit hos *Nephthalitas* esse *Judæorum* reliquias de tribu *Nepthali*, quos *Tiglath Pileser Assyrius* in ea loca traduxerat, 2. *Reg.* 15. v. 29. Potuit etiam *Nepthali* fœcundæ arbori comparari ratione fortis illi concessæ. Ea enim in solo fuit longè fertilissimo. Quo *Moses* respiciens de *Nepthalitis* hoc oraculum edidit *Deut.* 33. v. 23. Nepthali *beneplacito satur erit, & plenus benedictione Domini.* Ut res pateat magis, *Josephus* audiendus est in *Galilææ* descriptione, cujus magna pars *Nepthalitis* obtigerat. Πίων τε πᾶσα, inquit, (a) καὶ εὔβοτος, καὶ δένδρεσι παντοίοις κατάφυτος, ὡς ὑπὸ τῆς εὐπαθείας προσκαλέσασθαι καὶ τὸν ἥκιστα γῆς φιλόπονον· προσεκπονήθη γῆν ὑπὸ τῶν οἰκητόρων πᾶσα, καὶ μέρος αὐτῆς οὐδὲν ἀργόν. ἀλλὰ καὶ πόλεις πυκναὶ, καὶ τὸ τῶν κωμῶν πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν εὐθηνίαν· ὡς τὴν ἐλαχίστην ὑπὲρ πεντακισχιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις ἔχειν οἰκήτορας. *Tota pinguis & fertilis est, & omnium generum arboribus consita, ut etiam agricultura minimè studiosum ubertate sua provocet. Tota igitur ab incolis est exculta, neque illius pars ulla vacat. Quin & civitates ibi crebræ sunt, & pagorum multitudo propter fertilitatem ubique populosa: ità ut illorum minimus supra quindecim millia colonorum habeat.* Porrò, ut idem in *Vita sua* scribit pag. 1017. Διακόσιαι καὶ τέσσαρες κατὰ τὴν Γαλιλαίαν εἰσὶ πόλεις, καὶ κῶμαι· *In* Galilæa CCIV *sunt urbes, aut pagi* Unde sequatur *Galilæam* habuisse à tribus ad quatuor incolarum milliones. *Millionem* barbarè voco χιλιάδα χιλιάδων· Neque nova videri debet interpretatio, quam affero: cum etiam è veteribus nonnulli *Nepthalim* animadverterint cum arbore conferri ratione fœcunditatis; licet *Hebræa* verba solum ex parte expresserint. In his *Græci* Interpretes, Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος, id est, juxta *Hieronymum*, Nepthali *virgultum resolutum, dans in generatione pulchritudinem.* *Arabum* unus MSS. in *Suecia*, نفتالي شجرة منعة تعطي ثمرة حسنة Nepthali, *ut arbor egregia, quæ bonum fructum affert.* Onkelos, נפתלי בארעא טבא יהי עדביה ואחסנתיה תהא עבדא פירין Nepthali, *in terra optima cadet sors ejus, & possessio ejus erit fructifera.* Hæc de illo loco plus satis.

(a) De Bello Jud. lib. 3. cap. 2.

Tamen, antequam discedam è regione *Nepthalitarum*, conabor solvere quæstionem *Geographicam*, quæ interpretes multum exercuit. *Nepthalitarum* tribui dicit *Moses* Deut. 33. v. 23. ים ודרום ירשה *Occasum & Meridiem posside.* At illa tribus Ortum potiùs & Aquilonem occupavit in *Galilæa superiore* circa *Jordanis* fontes. *Josephus Antiq.* lib. 5. cap. 1. τὰ δὲ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τετραμμένα μέχρι Δαμασκοῦ πόλεως, καὶ τῆς Γαλιλαίας τῆς καθύπερθεν Νεφθαλῖται παρέλαβον, ἕως τοῦ Λιβάνου ὄρους, καὶ τῶν τοῦ Ἰορδάνου πηγῶν· *Quæ verò ad Orientem spectant usque ad* Damascum *urbem, &* Galilæam *superiorem*, Nepthalitæ *occupaverunt, usque ad* Libanum *montem, &* Jordanis *fontes.* Videtur igitur *Moses* locâsse *Nepthalitas* planè in contrario situ. Vulgò respondetur *Nepthalitas* fuisse *Phœnicibus* conterminos, à quibus comparare potuerunt quidquid mercium afferebant ex Meridie, & Occasu; atque eâ ratione Meridiem & Occasum possidere. Quod quàm frigidum sit nemo non videt. Sic enim non minus Ortum & Aquilonem possedissent, unde merces æque potuerunt advehi à *Phœnicibus*, & à *Nepthalitis* comparari. Præterea *Nepthalitæ Phœniciam* non attingebant, sed tres aliæ tribus; nempe *Aser*, *Issachar*, & *Zabulon*, de quo disertè *Jacob* Gen. 49. v. 13. Zabulon *in littore maris habitabit, & in statione navium, & latus ejus versùs* Sidonem *erit.* Itaque his tribubus id convenisset potiùs, quam *Nepthalitis*, quos à *Phœnicibus Aseritæ* semovebant. Aliud igitur respondendum; nempe quæ de *Nepthali* habet *Moses* cum iis esse conferenda, quæ de *Dane* dixerat versu proximè antecedente, *Dan est ut catulus leonis, qui è* Basane *insilit.* Quod de *Danitis* dici docuimus, (b) qui ab uno *Judææ* extremo ad alterum, tanquam saltu, progressi, *Laisam* urbem occupaverant ad *Jordanis* fluvii fontes quam de suo nomine postmodum *Danem* appellaverant. Non igitur totius terræ *Chanaan*, sed horum *Danitarum* respectu, *Moses* prædicit fore, ut *Nepthali* possideat ים ודרום *Occasum & Meridiem*, aut potius *mare, & Meridiem.* Id enim propriè sonat *Hebræum* ים. Et vero à Meridie urbis *Dan* usque ad *mare Tiberiadis* extendebatur *Nepthalitarum* portio. Proinde tres *Chaldæi* Interpretes ימא דטבריא *mare Tiberiadis*, vel, quod idem est, ים גנוסר aut ימא דגנוסר *mare Genesareth* hic intelligunt. Lacus enim ab *Hebræis maria* nominari nemo est, qui nesciat.

(b) Lib. 3. cap. 2. pag. 738. lin. 18 & seqq.

Quàm est obscurum, & incertum, cur *Nepthali* à *Jacobo* conferatur cum *cerva emissa*: tam clarum est cur uxor, viro suo grata, & accepta, vocetur à *Salomone* Prov. 5. v. 19. אילת אהבים ויעלת חן, *Cerva amorum, & ibex gratiæ.* *Cerva amorum* est *cerva amabilis*: & *ibex* vel *rupicapra gratiæ*, id est, *gratiosa*, & *venusta.* Quibus Epithetis quorsum insigniantur hæ feræ, nemo rogabit, qui viderit. Nam in pilis, & toto filo corporis aliquid habent, quod mirè placet. Et veteres inprimis his maximè delectati sunt. Proinde cervos, & hinnulos, ferasque alias congeneres, olim in more fuit non solum alere summo studio; sed & lavare, & pectere, sertisque ornare, aut torquibus, & monilibus. *Virgilius* libro septimo *Æneidos* de cervo *Sylviæ*,

Cervus erat formâ præstanti, & cornibus ingens, &c.
Assuetum imperiis soror omni Sylvia *curâ*
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque feram, puroque in fonte lavabat.

Ovidius de cervo *Cyparissi Metam.* lib. 10. Fab. 3.

Cornua fulgebant auro, demissaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur, parilique ætate nitebant
Auribus & geminis circum cava tempora baccæ.

Item,

Gratus erat, Cyparisse, *tibi: tu pabula cervum*
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undas:
Tu modo texebas varios per cornua flores.
Nunc eques in tergo residens huc lætus & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capistris.

Silius Italicus libro decimo tertio de *Capuana* cerva,

Cerva fuit rarò terris spectata colore;
Quæ candore nivem, candore anteiret olores, &c.
Aurato matres assuetæ pectine mitem
Comere, & humenti fluvio renovare colorem.

Cyclops ad *Galateam* apud *Theocritum Idyllio* undecimo

——— τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρὼς,
Πάσας μαννοφόρως, ———

Alo tibi undecim hinnulos, torquatos omnes. Ita enim legendum, non ἀμνοφόρως, & docti pridem observârunt, & confirmat *Scholiastes* ex autoritate veterum exemplarium. Sic quo *Anacreontis* loco pavens describitur hinnulus, cùm relictus est κεροέσσης ὑπὸ ματρὸς, *à cornuta matre*, Ælianus (*Hist.* lib. 7. cap. 39.) quosdam reposuisse asserit ἐροέσσης ὑπὸ ματρὸς, *ab amabili matre.* In quo numero fuisse insignem illum *Zenodotum* his verbis asserit *Pindari Scholiastes* in 3. *Olymp.* Ζηνόδοτος δὲ μετεποίησε διὰ τὸ ἱστορεῖσθαι τὰς θηλείας κέρατα μὴ ἔχειν, ἐροέσσας εἰπών· Zenodotus *verò mutavit*, *scribendum decens* ἐροέσσας amabilis, *quia cervorum fœminas cornua habere negant.* Et apud *Senecam*, *De Beneficiis* libri secundi capite vigesimo nono, *Queruntur quod solidior sit cutis belluis, & decentior damis.* Cervam igitur, & damam veteres decorum esse animal, & amabile judicârunt. Idem de caprea fuit *Hebræorum* judicium, cujus *Hebræum* nomen צבי *tsebi*, *à de-*

à decore sumptum. Ut de *Coptitis* taceam, quos mares quidem è capreis mactare, & comedere nulla vetabat religio: at iidem fœminas colebant, & consecrabant, eas in deliciis *Isidem* habere persuasi. *Ælianus*, *Hist.* lib. 10. cap. 23. Σέβουσι δ' ἄρα οἱ Κοπτῖται καὶ θηλείας δορκάδας, καὶ ὀνθύουσιν αὐτάς. Τὰς δ' ἄρρενας κατεσθίουσιν, ἄθυρμα δ' εἶναι τὰς θηλείας τῆς Ἴσιδός φασι. Sic *Martialis* libri decimi tertii *Epigrammate* 98.

Delicium parvo donabis dorcada nato.

Et de bubalo, quod dorcadi congener est animal, *Oppianus Cynegeticῶν* libro secundo,

Ὄμματα αἰγλήεις, ἐρατὸς χρόα, φαιδρὸς ἰδέσθαι,
Oculis est splendidus, colore amabilis, aspectu lætus. Arabes quoque, ut formam alicujus commendent, illum esse dicunt ازهي من الوعل *pulchriorem ibice.* Ità *Damir*. Eodem videtur id posse referri, quod capreæ hinnulus غزال *gazal Arabicè* dicitur (vulgò *gazella*) ut *Hebraicè* עופר in *Pomario*, & *Chaldaicè* אורזיל inserto R, ut passim, & primâ Gutturali *Ajin* in *Aleph* mutatâ. Videtur enim nomen ab amore sumptum. Nam غزل *gazala*, significat *aliquem amatorio sermone demulcere.* Et الغزل *algazlo est de amore sermo, vel carmen:* & اغزل *agzalo est qui hujusmodi sermones apprimè callet.* Unde *Tograi* in Carmine, cui titulus لامية العجم *Lugduni Batavorum* edito pag. 5. summâ,

ولا اخل بغزلان اغازلها

Neque desinam blandis amorum sermonibus eas demulcere. Plura de hoc argumento vide in *Antonii Thysii Miscellaneis*, qui docti & pii patris filius est non degener.

Passim etiam in *Cantico* Sponsus *capreæ* comparatur, & *hinnulo cervorum*. Idque ratione formæ, ut multi volunt; quia de eodem Sponso dicitur *Ps.* 45. *v.* 3. *Filiorum hominis pulcherrimus es.* Et in hoc ipso *Cantico* capitis quinti versu decimo, &c. *Dilectus meus candidus, & rubicundus,* &c. *Caput ejus aurum optimum, cincinni ejus crispi, & nigri ut corvus, oculi ejus ut columbarum,* &c. Denique *totus est desiderabilis.* Legenti tamen attentius *Cantici* loca, quibus Sponsus *Capreæ* aut *hinnulo* dicitur esse *similis*, aliud apparebit, neque tam formam respici, quam in iis exequendis, quæ sunt sui decreti, improvisam celeritatem. Sed de cervorum, tam in cursu, quam in saltu agilitate propè incredibili, suo loco (*c*) jam actum.

Quod pene omiseram, etiam ad caprearum & cervarum commendationem id pertinet, quod per eas Sponsus adjurat *Jerosolymitanas* virgines: (*d*) *Adjuro vos*, inquit, *filiæ* Jerusalem, *per capreas, & cervas agri.* Rogare enim, & adjurare solemus per ea, quæ sunt charissima. Ità *Dido* libro quarto *Æneidos*,

— per ego has lacrymas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum, &c.

Itaque in rustico Dramate, cum Sponsus comites adjurat per capreas, & cervas agri, his valde delectari innuit eos, qui rusticum vitæ genus eligunt. Proinde apud summum *Poetam* cervus, fortuito saucius, fuit prima occasio tumultûs inter *Latii* rusticos & *Trojanos* concitati. Et *Macrobium*, qui hanc belli causam deridet, ut levem nimis, *Saturnalium* libri quinti capite decimo septimo, *Pontanus* ex professo refellit. Cæterum *per cervos, & capreas adjurare*, nihil aliud est, quam orare, & deprecari. Quippe vox *adjurandi*, si propriè sumatur, ut jurare non licet nisi per solum Deum, *Deut.* 6. *v.* 13. ità nec adjurare. Ideò *Gen.* 24. *v.* 3. *Abraham* servum suum adjurat per Dominum, Deum cœli, & terræ. Quæ solum obiter hic attingimus; quia sunt alterius loci.

(*c*) *Lib.* 3. *cap.* 17. *pag.* 882. *lin.* 60. *&c. suprà.*
(*d*) *Cap.* 2, 7. *&* 3, 5.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Probatur אקו *akko*, Hirci sylvestris esse speciem.

Quidam ridiculè pro ave sumunt. איקא *ika, vel* ikka, *Talmudicis* hircus. *Forte pro* אנקא *à clamore. Capra clamosum pecus.* عناق anak *Arabicè* capella. Capellæ post camelas, *Proverbium* Arabicum. Mambrinæ *capræ latis auribus equitantur. In* Circensibus *pueri hircos equitabant. Quid sit* — ab hirsuta jaculum torquere capella.

ALiud agebant *Rabbini* duo, *Mardochæus*, & *Pomarius*, cum אקו *akko*, Hebræis עוף טמא, *nomen avis* esse scripserunt. Cum *Deut.* 14. v. 5. quo loco solum extat, aperte censeatur inter bestias quadrupedes, quæ ruminant, & ungulam fissam habent. *Græci* & *Vulgatus* explicant τραγέλαφον, *tragelaphum*, id est, *hirco-cervum*; de quo animali agetur in libro *De fabulosis*. *Syrus*, & *Chaldæus* tres, יעלא, vel יעלין, ut *Arabes* quatuor الوعل & *R. Selomo*, אשתין בוק *Estain bouc*, id est, *ibicem*. Kimchius, תיש הבר, *hircum sylvestrem*: Itali, *camozzo*: Et Galli, *chamois*, id est, *capream*. His omnibus id commune est, quod אקו *akko*, aut *hirci* speciem esse volunt, aut aliquid commune habere cum hirco.

Id à vero non adhorrere suadet, quod etiam *Talmudicis* אקא *akka*, vel איקא *ikka*, est *hircus*: & איקא שליפא, *hircus avulsus*, seu *castratus*, id est, caper. Adeoque videtur איקא *ikka*, per se pro *capro* sumi: ut cum *Hebræi* dicunt מטב בשר איקא מבשר תיש *carnem ikka* (id est, *capri*) *præstantiorem esse* carne *hirci*. Hæc omnia in *Aruch*, ubi איקא שליפא, pro *hirco avulso* seu *castrato* citatur ex *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* cap. 23. fol. 152. a. in *Gemara*. Sed hodiè aliter legunt, nimirum עקרא שליפא: & in margine עקירא שליפא, quod *Glossator* explicat: שה שביציו עקורין ונתוקין *pecudem, cujus testiculi exstirpantur, & avelluntur.* Hujus igitur loci duplex lectio. Verum prior est præferenda, cum quia est antiquior, tum quia in posteriore hoc absurdum est, quod Adjectiva duo synonyma jungit simul absque Substantivo nomine. Idem enim sunt עקירא, & שליפא. Proinde איקא in עקרא, vel עקירא videntur ii mutâsse, qui nesciebant quid esset איקא, quæ vox parum est usitata. Porrò איקא *ikka*, & אקו *akko*, palàm sunt Conjugata nomina, nec nisi formâ differunt. Itaque ut איקא ikka, *vulgarem*, ità אקו akko, *sylvestrem hircum* sonat. Aliud hujus formæ nomen *Kimchius* nullum exhibet in suo *Michlol*, in capite *De formis Nominum.* Mihi tamen duo occurrunt: עכו *Accho*, id est, *Ptolemais*, Jud. 1. v. 31. & מדו *maddo*, μανδύας, *penula militaris*, *Persis* etiam in usu, unde Plurale מדויהם *penulas eorum*, 2. Sam. 10. v. 4. Videtur אקו *akko*, dici pro אנקו *anko*: & איקא *ikka*, pro אנקא *inka*, literâ *Nun* absorptâ in puncto *Daghes*; ut in חטה, & עזים, & חזיר, & קפוד, & עכביש, in quibus *Nun* latere in puncto *Daghes Arabicus* sermo nos docet. Sic אקו *akko*, fiet ab אנק *anak*, id est, *clamare*, quia capræ sunt clamosum pecus. Proinde *Philosophus* in *Physiognomonicis*,

Ὅσοι

Ὅσοι δὲ φωνὴν ὀξὺ, καὶ ἐκκεκραγὸς, μάργοι ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς αἶγας. Quicunque vocis sonum acutum & clamosum emittunt, pro vesanis habentur, & referuntur ad capras. Itaque etiam ab eadem Radice ענק *anak*, literis *Aleph* & *Ajin* permutatis, quod persæpe fit, *Arabicè* عناق *anák* est *capella*. Alcamus, عناق الانثي من اولاد المعز Anâk, *fœmina ex capra catulis.* Hinc *Damir* capite *De gazal*, vulgo *gazella*, id est, *Capreolo:* وفي الغزال ما في الصغار من اولاد المعز فان كان ذكرا فجدي وان كان انثي فعناق *Etiam gazal dicitur capræ fœtus, dum parvus est: &, si sit mas, vocatur* جدي *gedi* (id est, *hœdus:*) *&, si sit fœmina, vocatur* عناق *anak*, (id est, *capella.*) Proinde *Achmed*, filius *Arabsa*, in *vita Timuris*, seu *Tamerlanis*, paginâ sextâ, postquam eum adhuc pauperem emisse dicit راس ماعز *caput capræ*, id est, capram unam, quam pro munere cuidam offerret, addit: وقد ربط بطرف حبل عنق تلك العناق وربط عنق نفسه بطرف الاخر من تلك الوثاق *Et cùm ligâsset extremum funem collo hujus* anak, *seu capellæ, proprio collo ligavit alterum extremum hujus vinculi.* A Singulari عناق *anák* Plurale est عنوق *unouk*. Unde Proverbium elegans apud *Arabes* ratione Paronomasiæ, العنوق بعد النوق quasi dices, *Unouk post nouk*, id est, *Capella post camelas*, cùm quis ex lauta fortuna in deteriorem sortem incidit. *Romanâ* linguâ dixeris *Ab equis ad asinos*. Hujus Proverbii meminère *Damir* & *Alcamus*, qui eo significari scribunt الضيق بعد السعة *angustiam post copiam.* Sive in camelis fœminis, & capris hoc solum spectes, quod utì æque mulgentur, sed illæ multo uberius: sive ut jumenta conferas, ità ut Proverbium eos feriat, qui cùm camelis solerent vehi, tandem eo paupertatis redacti sunt, ut capræ insidere satis habeant, vili jumento, nec ad vecturas nato. Nam, ut hoc obiter doceam, *Orientales* capras quasdam habent longis auribus, quibus pro jumento utuntur sortis tenuioris homines. Vulgus *capras Indicas*, Libes *Adimain* vocant, Ægyptii *Mambrinas*, tanquam ex monte *Mambre* prope *Hebronem*. Sylvestres enim, & montanæ sunt: sed facilè cicurantur. Has describit *Philosophus Historia animalium* libri octavi capite vigesimo octavo, Ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ τὰ πρόβατα τὰς οὐρὰς ἔχει τὸ πλάτος πήχεως· τὰ δὲ ὦτα αἱ αἶγες σπιθαμῆς, καὶ παλαιστῆς· ἔνιαι συμβάλλουσι τὰ ὦτα κάτω ἀλλήλοις. *In* Syria *oves caudas habent cubito latas; capræ verò aures dodrantis, & palmæ longitudine: quibusdam etiam infernè inter se coëunt.* Illas porrò inequitari nos docent recentiores, ut scriptor *Italus* apud *Gesnerum* in *Terræ Sanctæ descriptione*. *Capra* Mambrina *in regione* Damiata *dicta, fert equitantem, sellam, frænum, & cætera, quibus equi instrui solent, admittit.* Et leo Africanus, *Ego quondam juvenili fervore ductus, horum animalium dorso insidens, ad quartam milliaris partem delatus fui.* Sic capris ad essedum junctis nonnulli gestabantur. *Martialis* libri quarti *Epigrammate* 52.

Gestari junctis nisi desinis, Hedile, *capris.*

Et in *Circensibus* pueri hircos equitabant phaleratos, & capistratos. *Anyte, Anthologiæ* libri primi capitis trigesimi tertii *Epigrammate* vigesimo octavo,

Ἡνία δή τοι παῖδες ἔνι, τράγε, φοινικόεντα
Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι,
Ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἤπια τερπομένους.

Purpureas habenas, ô hirce, pueri tibi imponentes, & capistrum circa os hirsutum, prope Dei templum ludunt equestria certamina, ut ipsos portes blandè exhilaratos. Quale est, quòd in primis militiæ rudimentis tyrunculi, capris insidentes, jaculari discebant. Quo pertinere videtur *Juvenalis* locus πολυθρύλλητος *Satyrâ* quintâ,

Qui tegitur parma, & galea, metuensque flagelli,
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.

CAPUT VIGESIMUM.

Probatur דישון *dison*, esse *Pygargum*, vel *Tragelaphi* genus.

Pygargus aquilæ genus, item damæ, aut capræ, ab albis natibus dicta. Hebraicè דישון dison, *a cinereis maculis circa ilia. Aut* דישן dison, *est* Alberti *tragelaphus dorso cinereo.* Arabicè يعفور *à colore terræ. Ad* dison *alludunt Chaldæum* דיצא *ditsa, Laconicum* δίζα, *Arabicum* دهسا dehsa, *Africanum* addace. *Bisontes animal planè diversum, contra quam putavit* Arias. *Bisontes* Germanicè bisont. *Non dicuntur à* Bistoniis. *Varia versiones vocis* דישון.

Πύγαργος, *pygargus*, aquilæ genus est *à candicante cauda* sic dictæ: cujus meminère *Aristoteles*, *Plinius*, *Hesychius*, *Suidas*. Sed & pygargus est inter damarum aut caprearum genera, Sic *Herodoti* libro quarto inter animalia, quæ habent pastorales *Afri*, censentur πύγαργοι, καὶ ζορκάδες, καὶ βουβάλιες, *pygargi, capreæ, & bubali*. Ælianus *Historia animalium* libri septimi capite decimo nono, Ἄτολμα δ' ἐστὶ λαγωοὶ, καὶ ἔλαφοι, καὶ ζορκάς τι, καὶ πύγαργοι *Timida autem animalia sunt hinnuli, & cervi, & capreæ, & pygargi.* *Plinius* libri octavi capite quinquagesimo tertio, ut capras probet in plures similitudines transfigurari; *Sunt capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices*, &c. *Sunt & Oryges* &c. *Sunt & damæ, & pygargi, & strepsicerotes, multaque alia haud dissimilia. Sed illa* Alpes, *hæc transmarini situs mittunt*: id est, *Numidia*, & *Africa* Juvenalis *Satyrâ* undecimâ,

Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus.

Ad quem locum *Scholiastes* vetus, *Pygargus fera est specie cervi, quæ retriores partes albas habet. Ideo & pygargus* Græcè *dictus est, quia* Græcè nates πυγὴ *dicuntur.* *Aponius* quoque in *Canticum* libro quarto capreas cum pygargis confundens, *Caprearum posterior pars candorem demonstrat.* Et *Bellonius Observationum* libri secundi capite quinquagesimo primo, in *gazellæ Arabicæ* descriptione, *Nates ut in dama albescunt.* Hujus animalis alioqui rara mentio apud veteres, nisi quod *Deut.* 14. *v.* 5. πύγαργος in *Græca* versione, & in *Vulgata pygargus* legitur pro *Hebræo* דישון *dison*. Non tamen *ab albo colore*, sed *a cinereo* דישון *dison*, dicitur. Nempè *Hebraicè* דשן *desen*, est *cinis*. Et cinis ad nigrum vergit potiùs: unde est, quòd, N & M permutatis, دسمة *dusma* definitur ab *Arabibus color cinereus ad nigrum vergens*. Et cinerem *atrum Poeta* vocant. *Virgilius* libro quarto *Æneidos*,

Namque suam patriâ antiquâ cinis ater habebat.

Sed potest idem animal esse πύγαργον, id est, *natibus album*, & alibi cinereum, quomodo pygargus definitur à *Bel-*

à *Bellonio*, quamvis sub *tragelaphi* nomine. *Tragelaphus*, inquit, *quoad pilos ibicem refert, sed barbâ caret. Cornua ei caprinis similia, sed aliquantò retorta, sicut arieti*, &c. *Crura ejus albicant, ovillis similia. Cauda nigra, coxa sub cauda alba sunt.* (Vides, Lector, describi pygargum.) *Pili armorum, & pectoris, longi & nigri sunt, cum duabus maculis CINEREIS utrimque ad ilia.* Ab his cinereis maculis *Hebrais* דישן, quasi σποδιαῖος, aut σποδοειδής, dici potuit, quomodo *Græcis* πύγαργος ab albis natibus. Vel דישן, est verus tragelaphus, de quo *Agricola*; *Cervinus ipsi color insidet, sed nonnihil NIGRESCENS; unde nomen* Germanicum *traxit: veruntamen suprema dorsi pars CINEREA est, ventris SUBNIGRA, non ut cervi candida.* Et Gesnerus, *Tragelaphus* Germanis *à seminsti ligni colore* brandhirtz *nominatur. Hoc in* Misenæ *saltibus* Boëmiæ *vicinis capitur.* Sed & in *Syria* γίνονται καὶ τραγέλαφοι, ut scribit *Diodorus* libro secundo, ità ut potuerint noti fuisse *Hebrais*, & voce דישן significari. Etiam ad cinereum colorem proximè accedit *juphour*, capreæ genus in *Arabia* coloris terrei. Ità habet *Alcamus*, اليعفور ظبي بلون التراب Aljuphouro, *caprea coloris terræ*. Unde illi nomen: nam عفر *pulverem* & *terram* sonat tam *Arabicè*, quam *Hebraicè*.

Ad *Hebræum* דישן *dison*, videntur aliquo modo alludere *Chaldæum* דיצא *ditsa*, pro *rupicapra*; *Laconicum* δίζα, pro *capra* in *Hesychio*; Arabicum دبسا *debsa*, capræ Epithetum in *Alcamus*, quæ ex rubro nigricat; & *Africanum addace*, pro capra strepsicerote in *Plinio*. Sed diversæ sunt origines, Nam à *cinere* est דישן *dison*; à *saltu*, vel à *transfigendo* potiùs דיצא *ditsa*; à *terra* cujusdam *colore* دبسا *debsa*; *Addace* unde fiat nescio, neque δίζα, nisi sit דיצא *ditsa*.

Penè omiseram *Ariæ* conjecturam de hac voce. *Dison*, inquit, *hæc forsitan fera est quam* Romæ bisontis *nomine, sive disontis in ludis spectatam legimus*, Martialis *in* Amphitheatro,

" *Illi cessit atrox bubalus, atque bison,*

Vel D in B mutato, vel librarii vitio. Itane verò? Librarii vitio? Ergò idem *Martialis* etiam in hoc versu corrigendus libri primi *Epigrammate* 105.

Turpes esseda quod trahunt bisontes.

Et in isto libri noni *Epigrammate* 58.

Non rasum caveâ latus bisontis.

Et *Seneca* in *Hippolyto*, versu 64.

Tibi villosi terga bisontes, &c.

Et *Pausanias* in *Phocicis*, & *Plinius*, & *Solinus*, & *Dion*, & *Xiphilinus* in *Severo*, & *Oppianus*, qui βισώνων, aut *bisontum*, meminêre, nunquam *disontum*. Verum, ut *Oppianum* scias non scripsisse δίσωνας, sed βίσωνας, ipsum audi:

Ἔστιν ἀμαιμάκετον φονίοις ταύροισι γένεθλον,
Τοὺς καλέουσι βίσωνας, ἐπεὶ πάτρης τελέθουσι
Βιστονίδος Θρήκης· ——

Est etiam in trucibus tauris genus acre, bisontes
Indigetant, illis Thracum *quia* Bistonis *ortum*
Terra dedit. ———

Certè *disonas* à *Bistonis* deducere sit planè ridiculum, sed neque probo, quod *bisontum* βισώνων vocabulum inde deducit *Oppianus*; cùm ex *Alberto* didicerim bisent olim apud *Germanos* commune fuisse nomen uris, bubalis, & cæteris id genus. *Uri*, inquit libro vigesimo secundo, *quos nos* Germani bisent *vocamus*. Item. *Inveniuntur in genere boum nigri, magni, qui à quibusdam vocantur* bubali, *& apud* Germanos bisent. En ipsissimum *bisontis* nomen, quod à *Romanis* & *Scythis* acceptum, *Romani* ex genere ad speciem transtulerunt. Jam ex *Hebræo dison Scythas* fecisse visent nè *Arias* quidem dixerit. Ut taceam *Arctoum* animal non rectè ab illo numerari in *Judæorum* cibis.

Jam, si scire libeat aliorum interpretamenta, דישן *Samaritanus* reddit ࠃࠉࠑࠕ *daits*. Orygem esse suspicor à *configendo* sic dictum. Nam דעץ *Chaldæis* est *configere*. *Arabes* duo editi الاروي id est, *faminam ibicis*. Alii duo inediti ريم ut *Syrus* ܪܝܡܐ & *Chaldæi* רימא, vel רימנין, de qua voce multa dicentur infrà.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Etsi זמר *zemer*, à plerisque reddatur *Camelo-pardalis*, esse potiùs *Capreæ* genus à *saltu* sic appellatæ, Multa obiter de Camelo-pardali.

זמר zemer, *plerisque* camelo-pardalis. *Ejus descriptio ex* Arabibus. *Ad eam generandam tria animalia concurrere fabulosum.* زرافة zurapha Arabicè *ab amplitudine passûs. Cur veteres* Æthiopes nabin *vocaverint, & recentiores* zirath-karchin. Romani *ovem feram. Ejus blasphemum cognomen apud* Arabes. *Docti viri Epistola de camelo-pardali ad* Laurentium Medicæum *adducta* Anno 1487. *Cauda huic neque bubula, neque* ἐλάφεια cervina, *sed* ἐλάχεια, *qualis capreis. Cum negligentia succursantem equites assequi non possunt. Ejus cornua, vel tubercula veriùs, veteres latuisse: nempe ad* Oppianum *usque, qui hæc notavit primus omnium. Incessus variè à variis describitur. Nullum animal mitius. Proceritas quanta. Esum ejus* Arabes *plerique vetant. Nascitur ad* Austri *cornu* κατὰ τὰς ἰσημερίας. *Nullibi extra primum clima.* Aristoteli *ignota.* Agatharchides *primus meminit sub* Ptolemæo VI. *Sub dictatore* Cæsare Romæ *primum visa. Hinc collige* Mosi *fuisse ignotam; &* Judæis *omnibus ante* Alexandrum: *nec fuisse opus, ut ejus animalis esus illis permitteretur, cujus nullum usum habuerunt. Aliud igitur fuit* زمر zemer, *nempe* capreæ *vel* rupicapræ *genus ab agilitate saltûs sic dicta. Nam de caprea* زمر zamara *salire est. Barritus elephantis similis balatui &* zemer Arabiæ. זמר Chaldaicè דיצא, *qua & ipsa nomen habet* à saltu.

VOcem זמר *zemer Deut.* 14. v. 5. plerique interpretes *camelo-pardalim* reddunt. Ità *Græci*, & *Hieronymus*, & è vernaculis non pauci. Et ex *Hebræis* R. *Jonas*, & *Kimchius*, *Persica* item versionis auctor *Tavusius*. Et *Arabes* editi duo, quibus زرافة *zurapha* omnino est *camelo-pardalis*. Sic enim definiunt *Lexicographi*, & alii, qui scripserunt *De naturis animalium*. Alcamus, الزرافة دابة فارسيتها استركاويلنك لان فيها مشابه من البعير والبقر والنمر Zurapha est *animal* ostorcaujalanca

Persicè

Perſicè dictum ; quia ſimile eſt camelo, bovi, & pardo. Alkazuinius, زرافة راسه كراس الابل وقرنها كقرن البقر وجلدها كجلد النمر وقوايمها واظلافها كما للبقر طويلة العنق جدا طويلة اليدين قصيرة الرجلين Zuraphæ *caput eſt inſtar capitis cameli, cornua ut bovis, pellis ut pardi, pedes & ungulæ ut bovis, collum valde longum, pedes anteriores longi, poſteriores breves.* Alii ibidem brevius, صورته بالبعير اقرب وجلده بالنمر اشبه وذنبه كذنب الظبا *Figurâ ad camelum accedit. Pelle pardo eſt ſimilis: & caudam habet capreæ.* Addit *Damir*, ليس لها ركب في رجليها انما ركبتاها في يديها واذا مشت قدمت الرجل اليسري واليد اليمني بخلاف ذوات الاربع كلها فانها تقدم اليد اليمني والرجل اليسري *Genua non habet in pedibus poſterioribus, ſed tantum in anterioribus. Cum graditur, præcedunt pes ſiniſter poſterior, & anterior dexter; contra quam in cæteris quadrupedibus, in quibus præcedit pes anterior dexter, & poſterior ſiniſter.* Sequitur, وفي طبعها التودد والتانس وتجتر وتبعر *Et è natura ejus eſt, ut amorem ſibi conciliet, & cicuretur, & duci ſe ſinat, & jumenti uſum præbeat.* Item, ولما علم الله ان قوتها في الشهر جعل يديها اطول من رجليها لتستعين بذلك على المرعي منها *Et quia novit Deus ipſam ſuſtentari ex fructu arborum, pedes ejus anteriores produxit plusquam poſteriores, ut hâc ratione paſtum ſuum ex iis conſequeretur.* Nugatur *Ibnocholcan*, Hiſtoricus *Arabs* non incelebris, ad hujus generationem tria concurrere animalia, hyænam, camelum, & vaccam. Coire ſcilicet hyænæ marem cum cameli fœmina, & ex maris indè nati coitu cum vacca fera edi camelopardalim: atque indè dici *zurapham*, id eſt, جماعة *turmam*, quaſi ex animalium turma generetur: ſed futile hoc commentum meritò refellit *Algiahid*, *zurapham* docens animal eſſe ſui generis. A *Græcis* recentioribus ζοράφις appellatur, ab *Hiſpanis*, & *Italis giraſa* à *Germanis*, *Polonis*, & *Hungaris* greif / palàm detortis vocibus ex *Arabica zurapha*. Radix زرف *zarapha*, id eſt, *amplo paſſu incedere*, huic animali non malè convenit, cujus cùm ampliſſima ſint anteriora crura, ità paſſus eſſe ampliſſimos vero conſentaneum eſt. Veteres *Æthiopes*, auctore *Plinio*, & *Solino*, *Nabin* vocabant. Fortaſſe ab *Arabico* نبا *naba*, quod ارتفع *elatum eſſe* & طلع *eminere* ſignificat. Nam, ſublato collo, ſupra reliqua animalia multum eminet. Recentiores *Ambaricâ* dialecto, ut me docuit *Ludolfus* meus, *zirath-katchin* appellant, id eſt, λεπτόουρον, vel λεπτόκερκον quia caudam habet tenuiſſimam præ reliquo corpore. A *Romanis* autem *ovis fera* dicebatur: *ovis* ſcilicet à manſuetudine morum, & *fera* διαχρῆσεως. *Bellonius* ἐξ αὐτοψίας *Obſervationum* libri ſecundi capite quadrageſimo nono, *Animal mitius nullum eſt, eſt inſtar ovis, & quâvis aliâ ferâ gratior.* Hæc igitur nomina ſuas rationes habent. Sed tam abſurdum, quàm impium, & blaſphemum eſt, quod dicturus ſum. Idem animal impuri *Arabes*, qua de cauſa ignoro juxta cum ignariſſimis, *matrem Jeſu* cognominant. *Damir* indè orditur tractatum *De zurapha*, الزرافة كنيتها ام عيسي *Zuraphæ cognomen eſt mater* Jeſu.

De camelo-pardali *Græci* & *Romani* quidquid habent, quidquid etiam *Itali* Scriptores, videre eſt apud *Geſnerum*. Niſi quod illius fugit diligentiam *Antonii Conſtantii* Epiſtola ad *Galeottam Manfredum*, *Faventinorum* Principem data *Fani* XVII. Cal. *Januar*, Anno 1487. in qua accuratè deſcribit eam camelo-pardalim, quâ *Laurentium Medicaeum* donaverat *Sultanus Ægyptius*, *ut Jovio*; aut Rex *Tunetenſis*, ut *Volaterrano* placet. Hæc porrò Epiſtola, quia de camelo-pardali plura habet, & meliora, quam uſquam alibi reperias, ex illa non gravabor hinc indè excerpere quæ ſunt maximè inſignia. *Ora* (inquit) Æthiopiæ, *quæ ad* Auſtri *cornu promontorium vergit* (ubi rhinocerotes, pardaleſque naſcuntur) *camelo-pardalim gignit, quam hodie vulgus* giraffam *vocat*, & Arabes *ſiraf* (imò زرافة *zurapham*, ut docuimus) *conſtat eam apud antiquos tum camelo-pardalim, tum ovem feram ſolitam appellari, nec non ab* Æthiopibus *nabin: quod nomen* Albertus Magnus *corrupit* anabulam *vocans. Eſt autem hoc animal capite camelino, collo equino, pedibus, caudâ, & cruribus bubulis.* Meliùs *Arabes* illi tribuunt caudam capreæ, poſt *Oppianum*, cujus verba ſunt libro tertio *Cynegeticῶν*,

Οὐρὴ δ' αὖτ' ἐλάχεια, θοαῖς ἅτε δορκαλίδεσσιν·

Cauda porrò parva eſt, qualis velocibus capreis. Itaque nomen *Æthiopicum* illam habere obſervavimus *à parvitate caudæ*. Tamen in *Latina* verſione doctiſſimi *Rittershuſii* pro *cauda parva* legitur *cauda cervina*, id eſt, ἐλάφεια· quod mirum, cùm ἐλάχεια rectè ediderit: neque hæc cohæreant, *cauda eſt cervina, qualis capreis.* Ἐλάχεια porrò pro caudæ Epitheto etiam in *Nicandri Theriacis* occurrit verſu 324. ubi de ſepedone dicit.

——— ἐλάχεια δὲ φαίνεται οὐρή,

parva autem apparet cauda. Et vox ſumpta eſt ex *Odyſſ.* lib. 9. verſu 116. ubi pro

Νῆσος ἔπειτα λάχεια, ———

nonnulli legunt

Νῆσος ἔπειτ' ἐλάχεια, ———

ut ad hunc locum monet *Euſtathius*.

Sequitur in Epiſtola, *Albis virgulis rutilas maculas diſtinguentibus, quarum gratiâ* Plinius *ſcribit inditum ei fuiſſe* camelo-pardalis *nomen. Ejus poſteriora, ut inquit* Strabo, *humiliora ſunt anterioribus, ità ut à cauda ſedere videatur. Collum verò rectum eſt, & in altum evectum. Unde idem* Geographus *ob eam aſymmetriam non putat hanc tantum curſu excellere, quantum* Artemidorus *memoriæ prodidit. Quâ in re* Strabo *fallitur. Viderunt enim* Fanenſes *eam apud*

apud Metaurum *quâdam cum negligentia succursantem tantâ celeritate, ut quidam equites eam assequi nullo modo non possent, à quibus equi, laxis habenis, ac subditis calcaribus, urgebantur. Sed errat non minùs* Strabo, *quod eam nullam cum pardali similitudinem habere contendit. Quamvis enim non idem est macularum, sive oculorum (ut ità dixerim) color, qui & pardali, non ideò tamen dicendum erat nullam huic cum pardali similitudinem esse: cum sine dubio similis videatur illa distinctio macularum. Non enim opus est in rebus conferendis, ut tota res toti rei similis sit, ut docet* Orator. *Quare* Varro *ille doctissimus,* " Alexandriâ, *inquit, camelo-pardalis* " *nuper adductâ, figura erat ut camelus, maculis ut pan-* " *thera. Illud autem ab omni vero alienum est, quod scribit* Diodorus, *qui mihi videtur interdum egregius fabulator esse, hoc animal camelo minus, & collo breviore. Sed longè magis admiror, quod video latuisse* Plinium, Solinum, Strabonem, Albertum Magnum, Diodorum, Varronem, *aliosque scriptores, inveniri hoc animal cornibus praditum. Unde possumus conjectare & mutilam fuisse illam, qua primùm* Romæ *visa est* Circensibus *ludis* Julii Cæsaris *Dictatoris; & eam, quam ætate* Alberti Fridericus *habuit Imperator,* &c. Quo pertinet ejusdem *Constantii* Epigramma, in quo camelo-pardalis *Laurentium Medicaum* ità compellat.

Albertus, Magni *clarus cognomine, plenam*
Non didicit nostri corporis effigiem.
Non qui orbis modico scripsit memoranda libello
Plinius, *& pulchra conditor historia.*
Non qui scriptorem dum corrigit Artemidorum
Strabo *mihi dotes invidet ipse meas.*
Qualiacumque vides, isti mihi cornua demunt:
Laurenti, *hos tibi do barbara discipulos.*

Potest & aliud conjici, illas camelo-pardales, quæ aut *Romæ* sub *Julio*, aut in *Germania* sub *Friderico Cæsare* conspectæ sunt, ut cervas, oves, *&c.* caruisse cornibus, quia mares non erant. Quamvis quæ *cornua* vocat, non sint vera cornua, sed tubercula potiùs, & molles apices. *Oppianus*,

Ἐκ δὲ μέσης κεφαλῆς δίδυμον κέρας ἰθὺς ὀρούει,
Οὔ τι κέρας κεράων, παρὰ δ' οὔατα, μεσσόθι κόρσης,
Ἀβληχραὶ κροτάφοισιν ἐπαντέλλουσι κεραῖαι.

E medio autem capite geminum cornu rectà erumpit, neque tamen cornu corneum, sed secundùm aures, in medio capitis, molles supra tempora exoriuntur apices. Bellonius obtusa describit, sedigitalia, villosa, longiora maribus: unde sequatur fœminas quoque esse suo modo cornutas.

Addit auctor Epistolæ, *Illud quoque multi nescivérunt, quod camelo-pardalis, dum ingreditur, præ se fert quandam quasi regiam majestatem. Non enim dextri pedis anterioris motum lævus posterior comitatur. Sed hinc dextri duo, hinc lævi vicissim ità pariter moventur, ut illa incedens quaquaversum sese ostentare videatur.* Ità etiam *Heliodorus* libro decimo: sed aliter *Arabes*. Vide suprà. Rursus aliter *Bellonius, cum currit*, inquit, *duo pedes anteriores simul moventur.*

Pergit, *Eadem, licet fera nuncupetur, nullam tamen feritatem, aut sævitiam novit. Et est adeò mansueta, ut nullum justiùs quàm ovis nomen invenerit. Vidimus eam sese ad manus puellarum ac penè infantium submittentem, cùm ei panem, fœnum, pomum, ac cepam offerrent: quâ dici non potest quantâ aviditate vescatur. Vidimus & eandem, evecto in altum vertice, cibum undecunque oblatum è fenestris aditum capientem. Tollitur enim è terra ejus caput ad altitudinem undecim pedum. (Scaliger* Exercitatione 109. *Collum adeò prolixum est, ut ad quindecim pedum pertingat altitudinem.) Ità ut hic populus advenientem eam procul intueretur, multi obstupentes dicerent turrim se videre, non camelo-pardalim venientem. Videtur & eadem populi frequentiâ delectari. Non irritatur, non extimescit, sed dispicit, quasi lætabunda, populum occurrentem.* Hæc ille, & quædam alia, quæ consulto præterii.

Arabes prolixè disputant, utrum hujus animalis esus sit licitus, necne. Et *Gihan* quidam vetat. Auctor التنبية *Monitorii* جزم *silet*, id est, de eo non audet quidquam pronunciare. Sed *Lanuvius* in libro, cui titulus شرح المهذب *Commentarium sincerum*, decidit انها محرمة بلا خلاف وان بعضهم عدها بين الماكول *esum ejus esse vetitum citra controversiam, etiamsi quidam numerent inter cibos, qui comeduntur.* Quâ in parte recutitus Doctor sibi non constat satis. Neque enim id prohibetur ἀναντιῤῥήτως, quod nonnulli concedunt. Itaque alii huic sententiæ multa opponunt, in quibus immorari tædet: atque hoc saltem est in confesso, لحمها غليظ سوداوي الكيموس *carnem ejus esse crassam, & generare succum melancholicum.*

Hæc proferre necesse habui in eorum gratiam, qui *Mosem* volunt *Hebræo* nomine זמר *zemer*, camelo-pardalim significâsse, eamque adeo numerâsse inter ea animalia, quorum esus est lege concessus. Quorum tamen sententiæ calculum haud quaquam addo. Nascuntur camelo-pardales in remotissimis locis. *Strabo* sedem eis metatur ad *Austri* cornu. *Philostorgius* etiam, & *Nicephorus Callistus* κατὰ τὰς ἰσημερίας τῆς ἕω, *ad Orientale Æquinoctium.* Quod eodem recidit. Ibi enim est *Austri* cornu. *Leo Africanus*, & *Marmolius*, in *Nubia*; quam suprà *Æthiopiam* ad *Nili* ripam extendi asserit *Nubiensis Geographus* (a) شهران واكثر *ster duorum mensium & amplius.* (a) Clima. 1. part. 4. Proinde idem, parte decimâ primi Climatis, censet الزرايف *camelo-pardales* inter ea animalia, التي لا توجد بغيره من الاقاليم الستة الباقية *quæ extra illud in reliquis sex Climatibus nusquam reperiuntur.* Unde est, quod *Heliodori* libro decimo *Axiomita* hoc animal, ut peregrinum, Regi *Æthiopum* pro magno munere offerunt. Et in ipsa *Meroë*, *Æthiopiæ* metropoli, τοῦτο φανὲν τὸ ζῷον τὸ μὲν πλῆθος ἅπαν ἐξέπληξε, *hoc animal, cùm conspectum est, multitudinem totam perculit.* Itaque *Europæis* sero admodum innotuit. *Aristoteles*, qui tam multa de animalibus, & tam accuratè scripsit, ne semel quidem hujus meminit. Neque sequentium ullus, quod sciam, usque ad *Agatharchidem*, qui vixit sub *Ptolemæo* sexto, seu *Philometore*. Post quem *Artemidorus*, qui *Ptolemæo* octavo, seu *Lathyro*, fuit æqualis. Et tertius *Diodorus* sub *Julio Cæsare* tam ineptè describit, ut appareat tum temporis rarum fuisse animal, & parum notum. Nempè camelo-pardalim ante *Cæsarem Romæ* nemo viderat. *Dio* libro quadragesimo tertio, & ex eo *Xiphilinus* in *Julio*, Περὶ δὲ δὴ τῆς καμηλοπαρδάλιδος ὀνομαζομένης ἐρῶ, ὅτι τότε πρῶτον ἐς τὴν Ῥώμην εἰσήχθη. *De camelo-pardali quidem, quam vocant, dicam, quia tum primùm Romam adducta est.* *Plinius* libri octavi capite decimo octavo, *Camelo-pardalis Dictatoris* Cæsaris Circensibus *ludis primùm visa* Romæ. *Solinus*, *Hoc animal* Romæ Circensibus *Dictatoris* Cæsaris *primùm publicatum.* Neque verò id mirum, cum in iis procreetur locis, quæ non remota solum, sed & tam inaccessa sunt, ut ea crediderint veteres pror-

prorsus esse inhabitata. Ex his valde verosimili ratione colligitur camelo-pardalin *Judæis* fuisse ignotam, non *Mosis* solùm, sed & *Alexandri* ætate, qui *Mose* junior fuit, annis fere mille ducentis. *Judæis* enim si nota fuit, quomodo potuit esse ignota domino *Judæorum Alexandro*, & præceptori ejus *Aristoteli*? Pone tamen fuisse notam, quid necesse fuit *Judæis* nominatim permittere ejus animalis esum, cujus nullum usum habebant, quodque in *Judæa* fortasse nunquam à quoquam conspectum est? *Hebræa* igitur voce זמר *zemer*; aliud significari suspicor, nempe aliquod animal capreis aut cervis congener, ut aliis illis animalium vocabulis, quæ in eodem versu habentur. Sed illud animal, quale sit, præcisè definire facile non est; quia vox זמר *zemer*, una est ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. Meas tamen conjecturas doctorum judicio non illibenter subjiciam. *Arabicè* رمز *ramaza*, & inversis literis زمر *zamara*, *salire* est, idque non saltu quovis sed *saltu capreæ*. Alcamus, زمر الظبي نفز Idem, نفز الظبي وثب Et alibi زمر الظبي نفز

Videt quisquis *Arabicas* literas primoribus labris attigit, رمز *ramaza*, vel زمر *zamara*, de capreis idem esse, quod نفز *naphaza*, & وثب *vvatsaba*: quæ duo verba in *saliendi* & *desiliendi* significatione notissima sunt. Omnino igitur זמר *Zemer*, Nomen, à Verbo زمر *zamara* deductum, est *Arabica* capreæ genus aliquod maximè ἁλτικὸν, & πηδητικὸν, *ibex* putà, vel *rupicapra*. Sed *rupicapra* potiùs, quia in eodem versu יעל est *ibex*, ut suo loco dicetur. Huc facit, quod ab *Hebræorum* nonnullis זמר *zemer*, censetur in *Arabicis* animalibus: ut ab auctore *Porta cœli*, qui de elephante hæc habet fol. 26. c. ותעקתו גדולה כמו האריה: ואחר שיצעק ישאר בחוטמו אויר שישמע קול כקול זמר ערב *Et barritus ejus gravis est instar rugitûs leonis: & post barritum superest in illius promuscide aër, qui in vocem erumpit, instar vocis ze-mer Arabiæ.* Nonnulli hoc ipsum confirmant *Chaldæorum* auctoritate, *Jonathanis* inquam, & *Onkeli*; quibus זמר est ריצא, *capreæ genus*, ut volunt, etiam *à saltu* dictæ: quia רץ occurrit in *Syra* versione pro ἐσκίρτησε *Luc. 1. v. 41.* Sed ריצא aliud est, ut suo loco dicetur.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Probatur יחמור *jachmur*, esse Cervi aut Capreæ genus, quæ in *Eustathio Antholops* appellatur.

Arabum jamus *non est* יחמור jachmur. Βούβαλος *olim capreæ genus. Bubalus pro bove fero sumi cœpit* Plinii *&* Martialis *ævo.* יחמור, *non est* onager, *sed capreæ aut cervi species, à rufo colore sic dicti.* Κεμὰς πυῤῥόθριξ, *&* ξυθή. *In Glossis* Gammus. *Germanis* gems / *nobis* chamois, jachmur, *vel* jâmur *Arabibus animal circa* Euphratem *cervo simile; serratis cornibus, quibus diffindit ramos arborum.* Urus *in* Epiphanio, antholops *in* Eustathio, anthalopus *in* Damiano, calopus in Alberto Magno *eodem modo describuntur. Vires Me*dica τῦ jachmur. *Quid sint* חלי ירחמורתא, ova fœminæ τῦ jachmur *in* Talmudicis. *Hodie perperam legi* חמורתא *sine* Jod, *&* asinum *intelligi.* Ὀνελάφων εὐμμειδεῖς, *in pompa* Ptolemæi, *mendosè pro simplici* ἐλάφων. Ὀνέλαφοι *nulli sunt.*

In damarum aut caprarum sylvestrium censu יחמור *jachmur*, poni palam est *Deut. 14. v. 5.* & *1. Reg. 4. 23.* *R. Jonas* (Scripturæ Commentatorum *Arabicè* doctissimus) asserit hodieque in usu esse apud *Arabes* pro fera simili capræ magnæ. Ità etiam *Kimchius, Pomarius* & *Aquinas*. *Junius damam* explicat, tanquam ex *R. Juda Hebræorum* antiquissimo scriptore, & auctoritatis summæ. Munsterus, *capram rupicolam*; ut & *Judæi* recentiores in *Germania*.

Interim non diffitebor viros impensè doctos multò aliter sentire. Alii enim יחמור jachmur *bubalum*, alii *onagrum* interpretantur. Atque his quidem favent *Arabum Lexicographi*, quibus يحمور *jachmur* est حمار الوحش *asinus ferus*, seu *onager*. Ità *Giauhari*, & *Alcamus*. Sed vide, Lector, utriusque erroris fontem. Priores niti se putant *Græcorum* & *Vulgati* interpretis auctoritate, qui βούβαλον *bubalum* hic habent: & *Arabum*, à quibus *jamus* usurpatur pro *bubalo*. Pandecta *Arabica*, *Jamus, bubalus*. Illis enim videtur *jamus* idem esse, quod יחמור *jachmur*. Quæ *Drusii* est conjectura. Sed utrobique falluntur. Neque enim *jamus Arabicè* scribitur يحمور sed جاموس ut alibi pluribus dicemus. Neque in *Græca* versione βούβαλος, aut in *Vulgata bubalus*, id significat quod hodie, bovis sylvestris genus. Quin, quo tempore *Græca* versio procurata est, βούβαλος capreæ genus erat, non bovis. *Hesychius* δορκάδιον *capreolum* explicat. Alii bubalum à caprea sic distinguunt, ut appareat animal esse congener. Sic *Herodotus* libri quarti capite 192. Πύγαργοι, καὶ ζορκάδες, καὶ βουβάλιες, *Pygargi, dorcades, & bubali*. Aristoteles *Hist.* lib. 3. cap. 6. Ἐν δὲ τῷ τῆς ἐλάφου, καὶ προκός, καὶ βουβαλίδος (αἵματι) ἶνες οὐκ ἔνεισιν. *In cervi, damæ, & bubali sanguine fibræ non sunt.* Et *De partibus* lib. 3. cap. 2. postquam cornua cervis plus obesse quam prodesse dixit, Καὶ βουβάλοις δὲ, καὶ δορκάσι πρὸς ἔνια μὲν γὰρ ἀνθιστάμενα τοῖς κέρασιν ἀμύνονται, τὰ δὲ θηριώδη, καὶ μάχιμα ἀποφεύγουσι. *Bubalis quoque, & capreis etsi enim nonnullis animalibus cornibus suis obluctentur, feroces tamen, & pugnaces belluas fugiunt.* *Strabo* de *Mauritania* libro decimo septimo, Δορκάδων, καὶ βουβάλων παντοδαπῶν προφορὸς ἡ χώρα. *Capreas, & bubalos alit magnâ copiâ.* Ælianus *Hist.* lib. 3. cap. 1. in eadem *Mauritania* leones irruere scribit ἐπί τε ἐλάφους, καὶ βουβάλιδας, *in cervos, & bubalos*. Et libri decimi capite vigesimo quinto *Cynoprosopos* venari δορκάδας τε, καὶ βουβαλίδας, *capreas, & bubalos*. Et libri decimi tertii capite vigesimo quinto, inter munera, quæ *Indorum* Regi à subditis offeruntur, meminit ἐλάφων τε, καὶ βουβαλίδων, καὶ δορκάδων, *cervorum, bubalorum, & capreorum*. *Ammianus* etiam libro vigesimo secundo, *In aridis quidem (Ægypti locis) capreoli vescuntur, & bubali*; non *bucali*, ut vulgo legunt. *Simocatta* in *Epistolis*, Οὔτε γὰρ λαγωὸς φοιτᾷ παρ' ἡμῖν, οὔτε δορκὰς ἐπιδημεῖ, οὔτε βουβαλίδες, οὔτε ἔλαφοι. *Neque enim ad nos ventitat lepus, neque caprea contendit, neque bubali, neque cervi.* Item, Δορκάδας τε, καὶ βουβαλίδας οἱ γείτονες λέοντες ἀπελαύνουσι. *Capreas enim, & bubalos vicini leones abigunt.* Sed *Oppiano* nihil expressius, qui bubalum facit esse mediæ magnitudinis inter dorcum, sive capream, & eurycerotem, id est, damam vulgarem latis cornibus. Versus sic habent,

Βούβαλος αὖ τε πέλει μείων δέμας εὐρυκέρωτος,
Μείων εὐρυκέρωτος, ἀτὰρ δόρκου μέγ' ἀρείων·

Buba-

Bubalus rursus corpore minor est eurycerote, minor, inquam, *eurycerote, at capreâ multò præstantior*. Omnino igitur bubalus, vel, quod idem est, bubalis, olim fuit in genere caprarum sylvestrium. Et, ut ad boves feros transferretur hoc nomen, factum est errore vulgi, sed errore pervetusto, quique jam ævo *Plinii* invaluerat. *Insignia*, inquit, (a) *boum ferorum genera jubatos bisontes, excellentique & vi, & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cum id gignat* Africa, *vituli potiùs cervive quâdam similitudine*. Proinde sic usurpatur in libro *Spectaculorum Martialis* Epigrammate vigesimo tertio,

Illi cessit atrox bubalus, atque bison.

Et in *Agathia* cùm dicit, Ταῦρος ὑλονόμος, καὶ ὄρειος, καὶ τοῖς κέρασι τὸ ἀντίπαλον διαφθείρων, βούβαλος, οἶμαι, τὸ δὲ γένος καλοῦσι· *Taurus sylvestris, & montanus, cornibus labefactans quidquid obsistit, quod genus bubalum, credo, appellant.* Et *Phile* capite vigesimo nono,

Κτείνει δὲ βουβαλίδα, καὶ ταῦρον λέων.

bubalum autem, & taurum occidit leo. Et *Isidorus Originum* libri duodecimi capite primo, *Bubali vocati per derivationem, quòd sint similes boum: adeò indomiti, ut præ feritate jugum cervicibus non recipiant.* Nempe in *Vulgata* legerat *Amos* 6. v. 12. (al. 13.) *Nunquid currere queunt in petris equi? aut arari potest in bubalis?* Et *Hieronymi Commentaria* in hunc locum, quæ sic habent; *Tam indomiti sunt* (bubali,) *ut jugum cervicibus non recipiant, &, cum sylvestres boves sint, propter feritatem nolint terram vomere scindere.* Sed de his plura suo loco.

Iam qui יחמור *jachmur*, *onagrum* libentius interpretantur propter soni affinitatem, quam habet cum *asini* nomine חמור *chamor*, non satis attentè legerant verba *Mosis* Deut. 14. v. 5. 6. quibus describitur יחמור *jachmur*, ut animal ruminans, & fissipes, & mundum, & *Judæis* Lege concessum. Unde est, quod eo vesci non dedignatur *Solomon* 1. *Reg.* 4. *v.* 23. Cum onager neque ruminet, neque divisam habeat ungulam: ac proinde carnes illius Lege fuerint prohibitæ. Itaque יחמור *jachmur*, non fit à חמור *chamor*; sed utrumque à Verbo חמר *chamar*, quod inter cætera *rubere* significat. Sic *Psal.* 75. v. 9. ויין חמר, *Et vinum rubuit*: ut ex *Arabica* lingua rectè exponit *Kimchius*. Ergo חמור propriè *asinus* est *rubri coloris*; qualem in admissariis maximè probat *Palladius* libri quarti capite decimo quarto. *Admissarius*, inquit, *asinus sit nigri, vel murini coloris, aut rubei.* Asini nimirum in *Oriente* rubri sunt ut plurimum, ac proinde חמורים dicti. Hinc asinum alibi (b) docuimus exosum fuisse *Ægyptiis*, tanquam *Typhoni* concolorem, qui rufus fuisse credebatur. Itaque חמור, propriè est *Asinus ruber*. Tamen obtinuit usus, ut *Hebraicè* חמור, *Chaldaicè* חמרא, *Arabicè* حمار dicatur quivis asinus, etiam coloris diversissimi. Sic in *Ben Sira* חזית חמר אוכם *Vidistine asinum nigrum?* Respondetur, לא אוכם ולא חיור *Neque nigrum, neque album*. Et in *Nasrio Arabe* Onirocritico, *Oxonii* manuscripto lib. 3. Sect. 21. cap. 33. الحمار الاسود *Asinus niger* (in somnis visus) *significat gaudium, regnum*, &c.

Pari ratione יחמור *jachmur*, quamvis, usu sic volente, potuerit latius patere, tamen propriè fuit *rufa* vel *rubra capreæ* genus. An quæ ab *Æliano* (c) κεμάς? Quo nomine intelligit non *hinnulum* ut vulgò, sed *capreæ sylvestris* speciem *rubri coloris*. Κεμὰς, inquit, δραμεῖν ὠκίστη θυέλλης δίκην, ἰδεῖν δὲ ἄρα πυῤῥόθριξ, καὶ λασιωτάτη· *Cemas instar turbinis, cursûs est citissimi, Speciem quod attinet, pilis rufis, & perquam hirsuta.* Ξουθὴν alii vocant. *Herodicus Babylonius* apud *Athenæum* in fine libri quinti,

——— ὁ ξουθῆς δειλότεροι κεμάδος,
rufâ cemade timidiores. *Rufam* explico cum *Hesychio*, cui ξουθὸς est πυῤῥός. Ergo ξουθὴ κεμὰς eadem quæ πυῤῥόθριξ. Κεμὰς videtur esse *Plinii rupicapra*, quam propè *Græco* nomine *Germani* hodiè gems appellant & olim in *Alberto* gemes, Galli *chamois*, Itali *camozzo*, & *camoscia*. Utrique saltem eadem est pilorum rubedo, & densitas. De cemade dictum antea: nunc de rupicapra *Gesnerum* audi; *Color inter fuscum & rufum est, qui tamen æstate magis ad rufum, hyeme ad fuscum vergit.* Item, *pilus densus est, quamobrem pelles parantur eo modo, quo lupinæ.* Solum obest cornuum situs, quæ κεμάδι ὄρθια *Ælianus*, *rupicapram dorsum adunca* scribit esse *Plinius*. Sed hic fœminam describit, ille marem, quem cornua habere *multò magis in dorsum adunca*, observat *Stumpfius* apud *Gesnerum*.

Hæc conjectura nostra fuit donec consultis iis *Arabum*, qui *De animalibus* scripserunt, didicimus يحمور *jachmur*, vel يامور *jâmur*, rufum esse animal circa *Euphratem* cervo simile, sed velocius, & serratis cornibus, quibus diffindit ramos arborum. Quod quia φιλολόγους latuit hactenus, ipsis auctorum verbis probare necesse habeo. *Damir*,

اليحمور دابة وحشية نافرة لها
قرنان طويلان كانهما منشارين ينشر
بهما الشجر وهو اذا عطش وورد
الفرات يجد الشجرة ملتفة فينشرها
بهما وقيل انه اليامور نفسه وقرونه
كقرون الايل وهو يلقيها في كل
سنة وهي صامتة لا تجويف فيها
ولونه الي الحمرة اسرع من الايل

Jachmur *est animal ferum, fugax* (forte legendum نافزة ἁλτικὸν *ad saltus aptum*) *longis & serratis cornibus, quibus dissecat arbores. Cùm scilicet sitiens ad* Euphratem *descendit, & arbores invenit intricatas, eas cornibus diffindit. Dicitur idem esse, qui* jâmur. *Cornua sunt cervinorum instar. Ea projicit quotannis. Sunt solida, neque quidquam habent concavum. Color ad rubrum accedit, velocior est cervo.* Nec multò aliter describitur يامور *jâmur* in *Alkazuinio*. Verba sic habent,

يامور حيوان وحشي نفور له قرنان
كالمنشارين اكثر احواله يشبه احوال
بقر الوحش ياوي الي الدحال التي
التفت اشجارها واذا شرب الما ظهر
به نشاط يعدو ويلعب بين الاشجار
وربما تشتبك قرناه بشعب الاغصان

فلا

(a) Lib. 8. cap. 15.

(b) Lib. 2. cap. 12. pag. 181. lin. 46. & supra.

(c) Lib. 14. cap. 14.

فلا يقدر على استخلاصها فيصيح والناس اذا سمعوا صياحه ذهبوا اليه وصادوه Jâmur *est animal ferum, fugax (aut ad saltum agile) cui duo cornua sunt instar serrarum. Bovem ferum in multis refert. Habitat in fruticetis, quorum arbusta implicata sunt. Potis aquis apparet alacer, adeoque currit, & ludit inter arbores. Et cornua ejus sæpe ità hærent in ramorum perplexitate, ut non possit indè se expedire: proinde clamat, & audito clamore illius homines eò contendunt, & illum venantur.* At *Ibno-Saide* اليامور هو جنس من الاوعال او يشبهه له قرن واحد يتشعب في وسط راسه Jamur *est genus ibicis, aut ibici similis, in medio capitis unum cornu habens in multos ramos divisum.* Sed in hac sententia solus est *Ibno-Saida*. Et in *Damire jâmur* aliis est الذكر من الايل له قرنان كالمناشير *Cervi mas serratis cornibus*, &c. ferè ut in *Alkazuinio* Itaque hoc verius, & يحمور *jachmur*, & يامور *jâmur* idem sunt. Neque verò scriptura differunt, nisi quod in isto lenior est aspiratio, *Châ* & *Elif* permutatis, quod in illis linguis non est infrequens. Itaque cum *Chaldæi, Samaritanus, Syrus*, & tres *Arabes, Deut.* 14, 5. vocem *Hebræam* יחמור invariatam retineant, *Arabs* unus, quem vidi manuscriptum in *Suecia*, pro يحمور *jachmur* habet يامور *jâmur*. *Epiphanius*, in *Physiologo* capite trigesimo primo, uro ferè eadem tribuit, quæ hic *Arabes* τῷ *jachmur*. Ὁ ὖρος, inquit, μέγιστόν ἐστι ζῶον, πολὺ ὑπερβάλλον τὰ ἕτερα, βοῒ παραπλήσιος, δύο κέρατα ἐν ἑαυτῷ τῷ πρίονι ὅμοια ἔχων, αἰσχρὸς τῇ θεωρίᾳ παρὰ πάντα τὰ ζῶα· ὥστε τὰ μεγάλα δένδρα διακνηθόμενος τοῖς κέρασι διαπρίειν, καὶ κλαδοκοπεῖν. νέμεται δὲ ὁ αὐτὸς ὖρος πλησίον τοῦ ὠκεανοῦ, καὶ εὐθέως μεθύσκεται, καὶ παλαίει πρὸς γῆν τοῖς κέρασιν ὥσπερ βοῦς. ἔστι δὲ ἐκεῖ δένδρον ἡ ὀνομαζομένη τάνυς, κλήματος μάκρουσιν ἔχουσα λευκοκλώνου. καὶ κνηθόμενος ὁ αὐτὸς ὖρος τὴν κεφαλὴν πρὸς τὰ ἔργα τῆς τάνυος, τὸ κέρας αὐτοῦ δέδεται ὑπ' αὐτοῦ· παραγινόμενος τοιγαροῦν ὁ κυνηγὸς, καὶ εὑρίσκοντος ἐμπεπεδημένον τῶν κεράτων κρατεῖ αὐτόν. *Urus maximum est animal, supra reliqua multum eminens, bovi similis, duo cornua habens serræ similia, præ omnibus animalibus aspectu terribilis: ita ut cornuum affrictu magnas arbores dissecet, & ramos præscindat. Pascitur autem non longè ab Oceano, & statim inebriatur, & bovis instar terræ cornibus obluctatur. Est autem illic arbor tanus dicta, albæ viti similis, cujus ramis dum caput affricat urus, cornu ejus illi alligatur: & venator accedens, & cornibus devinctum reperiens illum invadit.* Sed hæc uro non conveniunt: quod tanti viri pace dixerim. Neque enim urus serrata habet cornua, sed rotunda ut bos vulgaris, & in mucronem turbinata, ex quibus pocula fieri *Plinius* & *Solinus* docent. Neque bibit ex *Oceano*, nec, si biberet, indè fieret ebrius. Nec verisimile est, albæ vitis, aut bryoniæ sarmentis posse detineri tantum animal, & tam validum. Nihilo verius, quod legere est in *Alexandri* ad *Aristotelem* spuria Epistola *De mirabilibus* Indiæ: *Incidimus in malignas feras, de quarum capitibus, velut gladii, à vertice, acuta serrataque eminebant ossa. Et hæ arietino more adversus homines currebant, tum invicta plurimorum militum clypeos cornu suo transverberabant.* Sed en tibi ipsissimam historiam τοῦ *jachmur* sub *antholopis* nomine apud *Eustathium* in *Hexaëmeron* pagina trigesima sexta! Ἔστι δὲ ζῶον ἀνθόλοψ ὀξυδρομώτατον, καὶ δυσθήρατον. ἔχει δὲ μακρὰ κέρατα, ὅμοια πρίοσι. δένδρα μετέωρα, καὶ μεγάλα πρίζει. διψῶν δὲ ἔρχεται ἐπὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν, καὶ πίνει παίζει ταῖς ἐρεικίναις ταῖς ὕλαις περὶ ταῖς ὄχθαις τοῦ ποταμοῦ, καὶ δεσμεῖται ὑπ' αὐτῆς (λεπτόκλωνοι γὰρ ὑπάρχουσαι ἐμπλέκονται αὐτοῦ περὶ τὰ κέρατα·) καὶ βοᾷ, καὶ οἱ κυνηγοὶ αἰσθόμενοι εὐθέως αὐτὸν συλλαμβάνουσι, καὶ ἀναιροῦσιν. Antholops *animal est acerrimum, nec captu facile, longis cornibus serrarum instar: quibus proceras & magnas secat arbores. Et sitiens* Euphratem *amnem petit, unde postquam bibit, inter myricas, quæ sunt ad ripam fluminis, ludit, & ab iis illigatur. Cum enim sint tenues, circa cornua illius implicantur. Tum verò clamat: quod venatores cum senserint, statim captum interficiunt.* Itaque *jachmur Arabibus* id ipsum est, quod ibi ἀνθόλοψ. *Anthalopum* reddit *Petrus Damianus* libri secundi *Epistola* decima octava. Et *Albertus Magnus* pro eodem habet *calopum*, aut *calopodem*. *Calopus*, inquit, *animal est acutis, longis, & serratis cornibus, quibus etiam arbores, licet magnas, & altas, secare fertur. Sæpius autem, dum rami & virgulta cornibus adactis cedunt, eis involvitur, retineturque. Unde fit, ut voce, & clamore se prodat venatoribus. In* Syria *juxta* Euphratem *invenitur, cujus aqua potu propter frigiditatem gaudet*, &c. Sed, sive *calopum*, aut *antholopem* appelles, barbarum est utrumque nomen; quamvis *Græcum* in speciem. Et ἀνθόλοψ quidem videtur decurtatum esse ex *Coptico* ΠΑΝΘΟΛΟΨ quamvis multò aliter reddat *Lexicon Copto-Arabicum*, nempe وحيد القرن *unicornem*. Et in ipsa narratione magna pars est fabulosa. Facilè crediderim τὸ *jachmur*, dum in densissimis fruticetis latebras quærit, inter ramos arborum cornibus implicari; & sic detentum balatu suo se prodere. Sed vel hanc, vel aliam aliquam cervo congenerem feram serrata habere cornua, quibus collucet arbores, Scriptorum Naturæ nemo prodidit, quod quidem sciam: itaque res mihi suspecta.

Si quis plura scire desiderat de animali nobis aliunde parùm noto, in *Damire* reperiet adipem τοῦ *jachmur* cum oleo balsami mederi languoribus. Et eum sanari, quem torquent hæmorrhoides, si insederit pelli τοῦ *jâmur*. Addit *Alkazuinius* sanari in puero البلادة *stupiditatem*, si carnem ejus comedat coctam بالنذيب *innadib*, id est, *in potu ex uvis passis, vel ex dactylis, confecto.* Et talum femori البريد seu *cursoris* alligatum prohibere, quò minùs in itinere fatiscat.

Talmudici in *Bechoroth* cap. 1. fol. 7. b. anxiè quærunt, an liceat edere ביעי יחמורתא *ova jachmuræ*, seu *fœminæ* τοῦ *jachmur*. Quod ne quemquam remoretur, cum ova propriè dicta nulla sint, nisi avium, *Aruch* rem ita explicat ex mente *Rabbi Saphra*. לאו ביצים נינהו אלא זרעא דאיילא דאזיל בתר איילתא למזקק לה ולא מקבלה ליה איילתא משום דרחמה צר וכיון דחזי דלא מקבלה ליה אזיל בתר יחמורתא שדומה לאיילתא ועד שהוא הולך אחריה סובל שכבת זרע ומתבשל בגופו וכשיבא על היחמורה אגב נתקרש הזרע הרבה אינו נבלע בגופה ומוציאתו לחוץ עם הראי שלה ואותו זרע כיון שנתבשל נראה כעין ביצים ואינן *Ea non sunt illius ova, sed semen cervi, qui, cum ad cervam accedit, ut cum ea copuletur, & cerva illum non admittit propter vulvæ angustiam: is, se non admissum fuisse videns, contendit ad jachmuram; quia cervæ similis est. Et, dum eam insequitur ferens semen concubitus, id in corpore ejus concoquitur. Et cum init jachmuram, quia coaluit multum seminis, id in ejus corpus non recipitur, sed illa foràs ejicit cum excrementis. Et hoc semen, cum coctum est, speciem habet ovi, etiamsi non sit ovum.* Ex quibus saltem id

habemus *jachmuram*, seu *fœminam* ‏ *jachmur* animal esse cervæ simile. Aliter *Pomarius*, Medicus *Hebræus*, in *Lexico* ad voces דחמורתא יחי' *Dicono essere nelle parti Orientali un animale simile ad un gran cervo, è che quando il maschio va par montar la femina, quella per la gran strettezza della bocca della natura, non può (spessissime fiate) sofferire quel atto. Il maschio poi riscaldato e diventato furioso, si congiunge con un altro animale che tiene somiglianza, di quel che noi chiamano bufalo, e per esser di diversa specie, il seme si congela, e si assoda in forma di ovo, il quale, con qualche intervallo di tempo esce co'l sterco, e lo chiamano in quelle parti l'ovo di bufalo, la onde è disputa se è licito mangiar lo or no.* Quasi animal cervo simile aliud animal ineat simile fœminæ bubali. Quod *Hebræi* non dicunt, sed cervum, cerva in cassum attentata, inire fœminam ‏ *jachmur*, id est, *bubali* juxta *Græcos* & *Vulgatum* interpretem. Qui tamen *bubali* nomine *Italorum* bufalum, id est, bovis sylvestris genus, haudquaquam intellexerunt, sed aliud animal cervo simile, ut abunde probavimus.

Lector obiter monendus est in *Talmudis* loco, quem citavimus, pro יחמורתא *jachmuratha*, legi חמורתא *chamoratha*, ut *asina* intelligatur. Et *Glossatorem* id sequi, sed absurdè admodum. Asinas enim non init cervus, cum asina cum cervo nihil habeat simile. Nec *asina Talmudicis* חמורתא dicitur, sed אתנא. Itaque חמורתא vox est nihili. Præterea *Hebræi* non quærerent, an licitè possit edi quod ex asinæ vulva prodiit; quia asina illis erat impurum animal. Proinde in his *Talmudis* verbis האזיל בתר חמורתא rescribendum יחמורתא. Tam futile est, quod in pompa *Ptolemæi Philadelphi* apud *Athenæum* libri quinti capite septimo quædam exemplaria nobis exhibent ὀνελάφων συνωρίδας ἑπτὰ *asinicervorum bigas septem*, ac si sit aliquod animal ex asino & cervo mistum. Quod cum natura respuat, in aliis exemplaribus rectè legitur simplex ἐλάφων.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Probatur יעלים esse *Ibices*, de quibus multa.

1. *Ibices in celsis montibus, ità etiam* יעלים, *& fœmina, quæ* Arabicè أروية orvia. *Proverbium* Arabicum, Jungit orvias struthionibus, *de iis, qui jungunt* ἀσύγκλωστα. יעלים ab ascendendo *dicti*. 2. יעל *vasta habet cornua in nates reflexa.* *Quod* Arabicè أيل. 3. *Ea cornua inter pretiosas merces*, Ezech. 37, 15. *in* Thargum. *Cornu ibicis tricongium. Cornua in* Homero *palmorum sedecim, ex quibus arcus.* Ἰξαλοι *Gallis* isars. 4. *Præceps ibicum in cornua lapsus.* Ælianus *emendatus*. 5. *Ibicum fœminæ facilè excæcantur*. 6. *Ibices per cornuum foramina respirant* Ἄιγαγρος, *vel* αἴγαγρος, capræ sylvestris *certa species, fortè* ibex. 7. *Matris in catulos* στοργὴ *contra* Hebræos. بغام *quid* Arabicè. 8. *Ibicum in parentes pietas.* 9. יעל ibicem *multi reddunt*. Jonam *aliquamdiu lactâsse ibicis fœmina, ut cerva* Telephum, *capra* Ægisthum, *bubalis* Macarium.

ETiam in hoc genere est יעל *jaal*, unde Plurale יעלים *jaalim*, 1. *Sam.* 24, 3. & *Psal.* 104. 18. & יעלי, in regimine *Job.* 39, 3. & in Fœmininis יעלה *jaala*; unde חן יעלת, *Prov.* 5, 19. *Chaldæi*, & *Syri* ܝܥܠܐ scribunt Fœm. ܝܥܠܬܐ *Arabes* وعل *Jod* & *Vau* de more permutatis. Interpretum alii *cervum*, alii *hinnulum*, alii *damam* exponunt, alii *capream* aut *capreolum*, alii *ibicem*, alii *rupicapram*, alii *tragelaphum*, alii denique *hircum sylvestrem*. Quem interpretum dissensum miramur in re facili.

Nam יעלים esse *ibices* multa docent tam manifestè, ut non sit dubitandi locus. Primò sedes in summis montibus. Sic *Ps.* 104, 18. *Excelsi montes illis assignantur pro refugio.* Et *Job.* 39, 3. dicuntur יעלי סלע, quasi *petrarum incolæ*. Et 1. *Sam.* 24, 3. *rupes editissima* vocantur צורי היעלים tanquam iis solis perviæ. Proinde in *Damire* الوعل definitur التيس الجبلي *hircus montanus*. Et de natura ejus esse dicitur, ut inhabitet الأماكن الوعرة الخشنة *loca salebrosa & aspera*. Et in *Damire Mahometes* cum prædixisset perituros الوعول interrogatus quosnam eo nomine significaret, intelligi respondit وجوه الناس واشرافهم *viros primarios, & maximè nobiles*. Cujus similitudinis ratio hæc additur, quod hæ feræ تاوي روس الجبال *in montium verticibus degunt*. Quod idem de الاروية *alorvia* sæpe legitur, quomodo vocant *Arabes* hujus animalis fœminam. Sic in historiis de *Mahomete*, ad cum invisendum profectus *Abdalla*, *Amri* filius, dixit كنت انوقل كما تتوقل الاروية *Summos montium vertices conscendebam, quomodo conscendit alorvia*. Et alibi ليعقلن الدين من الحجاز معقل الاروية من راس الجبل *Ut prohibeatur* Addin *à regione* Hegiaz, *quomodo prohibetur alorvia è vertice montium*, id est, ne prohibeatur. Est & in usu Proverbium de iis, qui jungunt ἀσύγκλωστα, جمع بين الاروي والنعام لان الاروي يسكن شعف الجبال والنعام يسكن في السهولة من *Jungit alorvias cum struthionibus*; *quia alorviæ degunt in vertice montium, & struthiones habitant in locis planis.* Hinc in الارض *Arabum Glossariis* توقل & تغوث & تودف & تشوف & استوعل totidem verba sunt, quibus الوعل significatur ad celsissimorum montium & rupium juga contendere. In his notandum inprimis Verbum decimæ Conjugationis استوعل factum à Nomine وعل *Alcamus*, ذهبت استوعلت الاوعال في الجبال Quasi *Latinè diceres Ibices ibicaverunt*, id est ad summos montes contenderunt. Proinde ejus animalis latibulum in summo montis vertice vocatur مستوعل Idem *Alcamus*, المستوعل حرز الوعل في العلة Et in *Giggeio*. وعلة est pars montis inaccessa; quasi huic feræ solùm pervia. Quid quod ipsa vox יעל à Verbo עלה, id est, à *scandendo* formata est. Hæc porro nota, etiamsi sola esset, tamen abundè doceret יעל esse *ibicem*, cujus id maximè proprium est, ut semper ad summa scandat. *Gesnerus* pag. 192. *Rupicapra rupes montium colunt, non summas tamen ut ibex.* Isidorus, *Ibices*

ces, quasi avices, eo quod, instar avium, ardua & excelsa teneant, & in sublimibus habitent, ità ut de sublimitate vix humanis obtutibus pateant. Quod verissimum, quamvis origo vocis, quam affert, non sit ad rem. Latinum enim *ibex*, Italicum *becco*, Germanicum bock/ Anglicum buck/ Gallicum *bouc* vocabula sunt ejusdem originis. *Buccum* pro *hirco* reperiri in Legibus *Salicis*, & in *Gregorio Turonensi* observat *Mesnagius* vir eximius in *Originibus Gallicis*.

Secundò יעל, vel وعل esse *ibicem* docet vastitas cornuum. *Damir*, ويكون قرناه وهما في راسه الي عجزه *Et duo sunt illi cornua, quæ à capite usque ad nates extenduntur.* Quæ sunt ipsissima *Alberti* verba de ibice apud *Gesnerum*, *Nullum animal tam ingentia cornua habet, quam caper montanus, quem* Latinè ibicem *vocant. Hujus enim cornua à capite usque ad clunes protenduntur.* Et multò antè *Plinius* libri 8. capite quinquagesimo tertio, *Sunt ibices pernicitatis miranda, quanquam onerato capite vastis cornibus, gladiorumque vaginis. Scaliger* vetulorum cornu pependisse tradit pondo duodeviginti, in quibusdam numerari nodos quatuor & viginti, totidem annorum conjecturam. *Cornuum in dorsum reflexio* Arabicè vocatur نفا. Unde formatur Verbum انفي quod de hoc animali usurpatum significat طال قرناه حتي كادان يبلغا استه *Tam longa fuerunt cornua ejus, ut ad nates ferè pervenerint.* Ità *Alcamus*, & *Giauhari*.

Tertiò, *Chaldæus* interpres *Ezech.* 27, 15. קרנות יעלין, *cornua* τῶν *jaalin*, computat inter pretiosas merces. Nempe in hoc genere cornu ibicis maximè est in pretio propter usum multiplicem. *Ælianus* libri decimi quarti capite decimo sexto, ubi per capras in *Libya* feras ibices intelligi palàm est, ait illarum cornua ingentium poculorum præstare vicem. Παρέχει γὰρ, inquit, ἀμυστὶ πιεῖν τῶν ἁδρῶν κυλίκων μεῖον οὐδέν. *Potum enim largè exhibent, non minùs quam ampli calices.* Quin, ut ibidem additur, si peritè excaventur, τρία μέτρα ῥᾳδίως αὐτοῖν δέξεται τὸ ἕτερον ἂν, *horum unum tres mensuras facilè capiet*, id est, erit tricongium. Ex iisdem cornibus arcus in *Creta* fieri legi apud *Bellonium*. Itaque nullus dubito, quin *Homeri* ἴξαλος (a) sit *ibex*, cum & agrestis capra, & in rupibus deprehensa dicatur, & habuisse κέρατα ἑκκαιδεκάδωρα, *cornua palmorum sedecim*; ex quibus *Pandaro* fabricatus arcus. Ἴξαλος idem, qui ἴσαλος, unde ἰξάλη, vel ἰσάλη, *pellis hircina*, vel *caprina*. *Galenus* in *Hippocratis* libro Περὶ ἀγμῶν utramque scripturam agnoscit. Et *Aristophanis Scholiastes* in *Nubibus* διφθέραν *Atticè* dici scribit τὴν νῦν ἰσάλην καλουμένην. Unde voce deductâ non quidem ibices, sed his proximum genus, rupicapras *isaros* (*isars*) *Galli* vocant.

a) Iliad. δ. vers. 105.

Quartò الوعل esse *ibicem* docet præceps ejus in cornua saltus, aut lapsus. *Damir*, وفي طبعه ايضا انه اذا احس القناص وهو في مكان عال استلقي على ظهره ثم يزج نفسه فينحدر ويكون قرناه وهما في راسه الي عجزه ويقيانه ما يخشي من الحجارة *Etiam de naturâ ejus est, ut, cum sentit venatorem, tum cum est in loco excelso in dorsum se conjiciat, tum se det præcipitem, & deorsum dejiciat. Et duo cornua, quæ à capite usque ad nates habet producta, ità tutantur eum, ut ne à petris quidquam timeat.* Quomodo *Plinius*, postquam egit de vastis ibicum cornibus; *In hæc se librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum è monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernicius quo libuerit exultant.* Eodem hæc pertinent summi *Poetæ*,

Ecce fera saxi dejecta vertice capra
Decurrere jugis. - - - - -

Et *Æliani* ubi suprà, Ἐκ δὲ τῶν λόφων τῶν ὑπερδαρων (ὡς ἐπιπλὰς ὄρη νομευτικοὶ φιλοῦσιν ὀνομάζειν ποιητῶν παῖδες) ῥᾳδίως εἰς ἕτερον πάγον πηδῶσιν. ἁλτικώτατοι γὰρ αἰγῶν ἁπασῶν οὗτοι εἰσι. *Ex collibus, qui in vertice montium, quos* ἐπιπλὰς *pastorales* Poetæ *appellare solent* (imò ἐρίπνας, nam ἐπιπλὰς vox est nihili, ideòque hic hæsit doctissimus *Gesnerus*) *facilè in alterum collem transiliunt. Nam è capris omnibus ad saltum sunt maximè habiles.* Sequitur, si earum quæpiam in præceps cadat, eò quod longius distet collis, ad quem contendit, quàm ut illum possit assequi, tali esse membrorum robore, ut illæsa maneat, neque quidquam frangatur, neque cornu, neque caput, etiamsi per prærupta rupium præceps agatur, quia membra habet valida, & similem petris duritiem, nempe in cornibus maximè. *Isidorus* etiam, *Hec animalia in petris altissimis commorantur*, &c. *& de altissimis saxorum cacuminibus sese præcipitantia, in suis se cornibus illæsa suscipiunt.* Scaliger in *Cardanum*, *Cum incredibili corporis libratione, atque jaculatione, superent altissimas rupes: intervalla vel solo aspectu formidabilia securo transmittunt saltu.*

Quinto, ibicem dicit *Scaliger*, *nisi habitet loca frigida, occæcari.* Ità الاروي *alorvias*, id est, *fœminas* الاوعال describunt *Arabes* cæcitati valde obnoxias. Unde receptum apud illos Proverbium, اعماه الله كما اعمي الاروي *Deus illum excæcavit, quemadmodum excæcat alorvias.* Scio nonnullos referre ad mulierem hujus nominis: sed plerique rectiùs, ut vult *Damir* يريدون الاروي التي بالجبل يظنونها شديدة العمي *significari volunt alorvias, quæ sunt in montibus, quas putant sæpe esse valde cæcas.*

Sexto, de alorvia scribit *Damir*, يقال ان في قرنيها ثقبتان تتنفس منهما فمتي سدت هلكت سريعا *Dicuntur esse in cornibus ejus duo foramina, per quæ respirat, quæ, si obturentur, perit illico.* Quod de ægagro scribit *Oppianus* libro secundo,

Εἰ δέ τις αἰγάγρου κηρὸν κέρασιν περιχεύαι,
Ζωῆς ἐξ ἔκλεισεν ὁδοὺς, πνοιῆς τε διαύλους·

Quod si quis ægagri cornibus ceram circumfuderit, is vitæ vias intercluserit, respirationisque meatus. Alii pro αἰγάγρου legunt αἰγάσρου. Et *sylvestrem capram* omnes exponunt. *Hesychius*, Ἄγαγρον, αἶγα ἄγριον. Et *Glossæ* veteres, *Caper sylvester*, αἴγαγρος. Certum tamen est αἴγαγρον, aut, si mavis αἴγασρον, *Oppiano* non esse nomen generale ad omnes capras sylvestres, sed restrictum ad certam speciem. *Oppianus* enim anteà de bubalo egerat, de eurycerote, seu, quod idem est, platycerote, de dorco, seu caprea, & de pugnaci quadam specie capræ feræ, quæ audet apros aggredi, & in capras sui generis tanto fertur impetu, ut sola mors pugnam dirimat: indè transit ad aga-

agagrum, tanquam ad capræ genus distinctum ab his omnibus. Omnino igitur αἴγαγρος est capræ feræ certa species, & quidem *ibex*, nisi fallor. Cujus alioqui nullum erit apud *Græcos* peculiare nomen, præter *Poëticum* ἰξάλυ, quod non tam est capræ nomen, quàm Epithetum in *Poëta*. Is enim ita habet *Iliad.* δ'.

Αὐτίκ' ἐσύλα τόξον εὔξοον ἰξάλου αἰγός.

Itaque aut *Græcis* defuit vocabulum, quo capræ genus jam illustre designaverint, aut ibex illis fuit αἴγαγρος, vel αἴγαγρος. Quo pertinet, quod, in *Catena* in *Jobum*, יעל, αἴγαγρος exponitur ab *Olympiodoro*. Quod illum sumpsisse puto ex aliquo veterum interpretum, qui *Hebræum* יעל sic reddiderat.

Septimo, non possum omittere rem memoratu dignissimam, modò veram. ومن طبعها الحنو على اولادها فاذا صيد شي من اولادها تبعته ورضيت بان تكون معه في الشرك *Etiam naturalis ipsi est* στοργὴ *erga catulos suos, quorum si quem capiant venatores, illum sequitur, & lactat quamdiu est in eodem consortio.* Hoc *Damir* de *alorvia*. Et *Oppianus* de ægagro,

Ἔξοχα δ' αὖ μήτηρ ἀταλοὺς ἔτι νηπιαχοντας
Οὓς παῖδας κομέει - - - - -

Eximiè verò mater teneros adhuc catulos suos curat. Hinc بغام propriè est fracta vox, qua الظبية والوعل *caprea & ibex* catulis suis abblandiuntur. Et بغم Verbum de iisdem est *voce sic blandiri*. Hinc etiam ad homines transfertur in tertia Conjugatione. *Alcamus*, باغم حادثه بصوت رخيم *Blanda voce ei narravit.* Unde obiter refellere est *Judaicam* fabellam, quam de ibicis fœmina habet *R. Selomo* in *Jobi* verba capite trigesimo nono, *An nôsti tempus, quo pariunt* יעלי סלע *ibices petræ?* שונאה את הולדה ועולה לראש סלע גבוה כשכורעת לילד כדי שיפול לארץ וימות והקב״ה מזמן לו נשר ומקבלו בכנפיו *Illa odit fœtum suum, & in celsæ rupis verticem ascendit, cum curvatur ad partum, ut cadat in terram fœtus, & moriatur: sed Deus sanctus & Benedictus parat illi aquilam, cujus alis excipiatur.* Quod idem repetit *R. Levi*, tanquam à majoribus suis acceptum, magnis sæpe nugatoribus.

Octavo, en aliud pietatis argumentum in ibice! وفي طبع الاروي البر بابويه وذلك انه يختلف اليهما بما ياكلانه فاذا عجز عن الاكل مضغ لهما واطعمها *Etiam è natura ejus est pietas erga parentes, ità ut cibum ipsis apparet: & cum ita infirmi sunt, ut per se comedere non possint, præmanso cibo eos alit.* Ut ægagri catuli in *Oppiano*,

- - - - - φίλως κομέουσι τοκῆας
Γηραλέως, ὅτε δεσμὰ πολύστονα γῆρα πεδήσῃ.
Βρώμην μὲν τ' ὀρέγουσιν ἰώδροσον ἀνθεμόεσσαν,
Δρεψάμενοι στομάτεσσι· ποτὸν δ' ἄρα χείλεσιν ἄκροις
Ἐκ ποταμοῦ φορέουσιν, ἀφυσσάμενοι μέλαν ὕδωρ.

Caros nutriunt parentes jam senes, cum suspiriosa senectutis vincula artus jam constrinxerunt. Cibum quidem præbent roscidum, & floridum, ore decerptum: potum verò summis labiis ex amne ferunt, haustâ pullâ aquâ. Addit *Oppianus* liberos captivam matrem sequi: contrà quam scribunt *Arabes* matrem liberos comitari, cum venator illos abducit.

Nono, יעל, *ibicem* multi reddunt. Sic 1.*Sam.* 24, 3. Hebr. על פני צורי היעלים, *super petras ibicum.* Hieronymus, *super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt.* Job. 39, 1. *Nunquid nosti tempus partûs* יעלי סלע, *ibicum petræ.* Idem Hieronymus, *ibicum in petris.* R. *Selomo* ibidem. יעלי סלע אשטנבוק. Et R. *Levi* בוקשטאין. Sensus est linguis vernaculis dici *estain bonc*, vel bucksteín / id est, *hircum petræ*, quomodo *Galli & Germani* ibicem vocant. *David de Pomis* יעל חיש הבר *Ibex, hircus rupiculus.* Imò *rupicola.*

Plura de ibice vide in capitibus *De cervo*, & אקו *acco:* solùm fabellam de *Jona* libet addere, quam ex Historiis *Abibarira* refert *Ibnohaitm* in libro, cui titulus تفسير *Expositio.* طرح يونس بن متي عليه السلام بالعرا فانبت الله عليه يقطينة وهيي له اروية وحشية ترعي من البرية وتتيه فتتفشج له فترويه من لبنها كل بكرة وعشية حتي نبت لحمه Jonas *Matthai* (Hebr. *Amitthai*) *filius, super quem esto pax, sub dio relictus est, & Deus cucurbitam ipsi excitavit, & præparavit ibicem feram in agris pasci solitam, quæ ad ipsum veniens dilatabat ipsi* femora, ut mulgeretur: *eumque, quotidie, tam matutino, quam vespertino tempore, lacte suo potabat, donec caro ejus crevisset*, id est, usque ad tempus ablactationis. Ità in fabulis *Telepho* nomen inditum, διὰ τὸ θηλάσαι αὐτὸν ἔλαφον, *quod cerva eum lactavit:* & *Ægistho* διὰ τὸ αὐτὸν αἰγείῳ γάλακτι χρήσασθαι, *quia caprino lacte usus est.* Et ἡ βούβαλος *bubalis fœmina*, ut ait *Macarius* in *Palladii Lausiacis*, ἠκολούθει, ἐμοὶ μὴ θηλάζει, τὸν δὲ μόσχον αὐτῆς μὴ δεχομένη, *sequebatur me lactans, proprium autem vitulum non admittens.*

CAPUT VIGESIMUM QVARTUM.

De עפר *opher*, *seu Hinnulo cervæ*, aut *caprea.*

עפר opher, *Arabicè* الغفر algophro. Giggeius *notatus. Hinnulos cur* Græci νεβρίδας, *ἀμαλθίας*, *&* ἀχαίνας Hebræi עפרים opherim, *vocent.* Avicennæ *interpres notatus. Hinnuli primo pernicissimi, sed citò fatiscunt. Tam capreæ, quàm capra quandoque gemellipara. Exempla in* Illyrico, Ægypto, Siciliâ. *Cervæ etiam apud* Philosophum. *Gemini plerumque similes. Latinè* geminus *&* gemellus *pro* simili. *Non tam ubera, quam uberum papilla cum hinnulis collata in* Cantico. *Lilium duo commendant. Lilia etiam in iis agris, in quibus pascuntur hinnuli.*

IN Cantico *Solomonis* עפר *opher*, passim usurpatur pro *caprea* aut *cerva hinnulo.* Ita *Cant.* 2, 9. *Similis est dilectus meus capreæ*, או לעפר איּלים, *aut hinnulo cervorum.* Et versu 17. *Revertere, & similis*

similis esto, &c. Et *Cant.* 8. *v.* 14. *Fuge, & similis esto* (id est, revertere, aut fuge tanta celeritate, ut similis videaris) *capreæ, & hinnulo cervorum.* Et *Cant.* 4, 5. *Duo ubera tua sunt* כשני עפרים תאומי צביה *ut duo hinnuli gemini capreæ pascentes in liliis.* Quomodo rursus *Cant.* 7. *v.* 3. *Aquila* πῶλον *pullum* interpretatur. Sed *Seniores* melius νεβρὸν, *hinnulum*. In aliis Scripturæ libris vox עפר non reperitur, neque illam norunt *Syri*, & *Chaldæi*. Sed palam inde deducta est vox *Arabica* الغفر *algophre*, vel *algaphre*, pro *ibicis hinnulo*. Prima enim litera *Gain* eadem est cum *Ajin Hebræo*, nisi quod γραμματίζει propter punctum adscriptum. Ut sæpe *Hebræum Ajin* per G efferebatur; ut in vocibus *Segor, Gaza, gomor, Gomorrha, Raguel, Gothoniel*, &c. Est, quod miremur, cur in *Giggejo* الغفر *algaphro*, vel *algophro*, reddatur *catulus leonis*, cum nihil quidquam significet, quam quod diximus. *Alcamus* الغُفْر والغَفْر ولد الاروية Algophro, & algaphro *hinnulus ibicis*. Damir, الغفر بالضم ولد الاروية والجمع الاغفار بالكسر ولد البقرة الوحشية Algophro *cum* damma *in prima, hinnulus ibicis*; & *Plurale* aligpharo *cum* kesra, *vituli vaccæ sylvestris.* Idem etiam in *Giauhari*, ex quo doctissimus *Golius fœtum rupicapræ* reddidit. *Rupicapra*, id est, الاروية *alorvia*. *Golio* enim الاروية (*alorvia*) est *rupicapra*: & الوعل (alvvalo) *rupicaper*, qui nobis ibex. Inde hominem cursu velocem ajunt *Arabes* esse اوقل من الغفر *leviorem hinnulo ibicum*, nempe in ascensu montium. Nam اوقل *aukalo* propriè est ὀρειβάτης, vel ὀρειδρόμος. Si quæras, cur sive cervi, sive capreæ, sive ibicis hinnulus *Hebraicè* עפר dicatur, & *Arabicè* غفر conjecturas meas afferam, cum nihil possim certius. Notum est *Græcos* in cervorum ætate significanda fuisse valde accuratos, & proprias habuisse voces, quibus singula designarent. Ita anno secundo πασσαλίαι dicti sunt; quia tum cornua recta habent, & simplicia, τῶν πασσάλων, id est, *paxillorum* instar. Unde nos vocamus *brocards*; quia veruta nobis sunt *broce*: *Latinis* à subulis *subulones*. Sed & eadem ætate σπαθίνας fuisse appellatos *Salmasius* ὁ μακαρίτης observat ἀπὸ τῆς σπάθης, hoc est, *à radio textorio lanâ involuto*, quasi tum cervi cornua lanam mollitie referant. Et ἀχαΐνας, non ab *Achaia*, ut *Grammatici* nugantur: sed quia ἀχαιὰ sunt ἔρια μαλακὰ, *lanæ molles*; quod post *Hesychium* scribit *Theocriti Scholiastes* nondum editus. Fallor, aut vocis עפר, vel غفر non dissimilis fuit origo. Nam *Arabicè* غفر *gapharon* dicuntur *villi vestium*, & *pili molles in facie, collo, & auribus.* *Lexicographi* per زغب explicant, quæ vox *lanuginem* sonat. Ita *Avicenna* de corona Regis, seu meliloto, وله زغب *Et ipsi est lanugo.* Et de anchusa, هو زغباني *Ea est lanuginosa.* Et de opoponaco, وساقه كالقثاة عليه جواشير seu *opoponaco*, وساقه كالقثاة عليه زغب غبارية *Caulem habet ferulæ, super quem est lanugo coloris pulverei.* Pro quo *Dioscorides*, Καυλὸν δὲ ὡς νάρθηκος ὑψηλότατον, ἔχοντα χνοῦν λευκόν· *Caulem autem habet ut ferula, altissimum, cum alba lanugine.* Nota obiter pro his verbis, *Caulem habet ut ferulæ*, in *Latino Avicenna* insigni errore legi, *Ejus crus, sicut cucumeris*; quod est absurdissimum. Neque enim crus, aut caulem cucumeris *Dioscorides* vocasset ὑψηλότατον *altissimum*, cum cucumis humi jaceat. Sed patent fontes erroris. Interpretes القثا legerunt pro القثاة id est, *cucumerem* pro *ferula*. Hujusmodi erroribus cum scateat illa versio, ii sæpe nugas agunt, qui stylum stringunt in *Avicennam*. Neque enim ipsum refellunt, sed scribas, aut interpretes, per quorum incuriam, aut imperitiam, multa σφάλματα in egregium opus irrepserunt. Sed, ut è diverticulo redeamus in viam, cum غفر *Arabibus* hodieque *lanuginem*, & *villos*, aut *pilos minutos* sonet, puto *Hebræis* etiam עפר id ipsum significasse, atque inde factum, ut cervi juniores, qui *Græcè* σπαθίναι, & ἀχαΐναι, *Hebraicè* עפרים dicerentur à lanugine, & pilis cornuum, quæ tum nascuntur.

Cant. 2. *v.* 17. & 8. *v.* 14. cervorum hinnulis levitatem, atque agilitatem in cursu, non frustrà tribui jam docuimus; cum nullum animal sit pernicius, ut expressè habet *Xenophon* in loco, quem citavimus, Τότε τάχος οὐδενὶ εἰκὸς ὅτι τῶν τηλικούτων νεβρῶν. Nempe ut venatorum adventu, tanquam re inassueta, magis percelluntur, quam cervi jam adulti, ita majore nisu fugiunt, & alas pedibus addit timor. Sed ille impetus non diu durat. Nam quo currunt acrius, eò fatiscunt citiùs. Proinde, cum primo illo cursu canes longè superent, ἐν τοῖς ἑξῆς ἀπαγορεύουσιν ἄρα οἱ νεβροὶ, *in sequentibus hinnuli deficiunt.* Ita *Pollux* libri 5. cap. 12. & multò uberius *Xenophon*, ex quo ille hausit, Δευτέρῳ δὲ, καὶ τρίτῳ δρόμῳ ταχὺ ἁλίσκονται· τὰ γὰρ σώματα αὐτῶν, διὰ τὸ ἔτι νεαρὰ εἶναι, τὸν πόνον οὐ δύνανται ἀντέχειν. *Secundo verò, tertiove cursu statim capiuntur: eorum enim corpora, cum adhuc tenera sint, laborem sustinere non possunt.*

Ut capra, ita & caprea singulos ferè parit. Tamen vel à natura, vel pabuli beneficio quædam sunt gemelliparæ. Quod de capris disertè observat *Philosophus Historiæ animalium* libri sexti capite decimo nono: Διδυμοτοκεῖ δὲ καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες διά τε εὐβοσίαν, καὶ ἐὰν ὁ κριὸς, ἢ ὁ τράγος ᾖ διδυμοτόκος, ἢ ἡ μήτηρ. *Geminos autem pariunt oves, & capræ, seu propter bonitatem pastus, vel quod aries, aut hircus, aut verò mater id à natura habeant, ut geminos edant.* Proinde idem in libro *Mirabilium* observat τὰ βοσκήματα *pecora* in *Illyriis* plerumque διδυμοτοκεῖν *geminos parere.* Quæ ad jumenta ineptè restringit interpres, cùm de capris agi doceant sequentia, καὶ πολλαὶ δὲ τρεῖς ἢ τέσσαρας ἐρίφους τίκτειν, ἔνιαι δὲ καὶ πέντε, καὶ πλείους, *& multæ tres, aut quatuor hœdos edere, quædam etiam quinque, aut plures.* Quale est, quod de *Ægyptiis* capris refert *Ælianus Historiæ animalium* libri tertii capite trigesimo tertio, Αἱ δὲ Αἰγύπτιαι αἶγες, ἑκάστη πέντε ἀποτίκτει, καὶ αἱ πλεῖσται δίδυμα· *Ægyptiæ autem capræ quintuplicem partum nonnunquam edunt, & plerumque geminum.* Cujus fœcunditatis ratio petitur ibidem ex *Nili* potu. Proinde *Nili* aquam potandis pecoribus tollenonum haustu sumunt, quotquot augendi pecoris studiosi sunt. Sed & in *Sicilia* capras sæpe geminos peperisse suadet, quod in *Theocrito* pastores *Siculi* tam sæpe appellant διδυματόκους. Sic *Idyll.* 1. versu vigesimo quinto,

Αἶγά τέ τοι δωσῶ διδυματόκον, ἐς τρὶς ἀμέλξαι·

Et capram tibi dabo gemelliparam, ut ter mulgeas. Et *Idyll.* 3. versu 34.

Ἦ μάν τοι λευκὰν διδυματόκον αἶγα φυλάσσω·

Certe

Certè tibi servo capram albam gemelliparam. Et *Idyll.* 5. versu 84.

Πλὰν δύο, τὰς λοιπὰς διδυματόκας αἶγας ἀμέλγω·

Præter duas, reliquas capras gemelliparas mulgeo. Et *Idyll.* 8. versu 45.

Ἔνθ' ὄϊς, ἔνθ' αἶγες διδυματόκοι, ἔνθα μέλισσαι·

Ibi oves, ibi capræ gemellipara, ibi apes. Porro ut capræ domesticæ, ita etiam feræ, capreæ puta, rupicapræ, *&c.* quandoque sunt gemelliparæ. Hinc *Solomon* Cant. 4. v. 5. *Duo ubera tua sunt ut capreæ hinnuli duo gemini.* Ita cerva (teste *Philosopho Hist.* lib. 6. cap. 29.) τίκτει εἰς μὲν ἐπὶ τὸ πολὺ ἕν· ὤφθη δέ τινες ὀμμέναι εἰσὶν ὀλίγαι καὶ δύο· *nonnisi unum plerumque parit: tamen paucæ quædam visæ sunt geminos peperisse.* Neque frustra est, quod Sponsæ ubera non cum hinnulis modo, sed & cum geminis hinnulis conferuntur. Nam ut duo ubera sunt simillima, ita similes ferè sunt, qui gemini nascuntur. Hinc *Plautus* in *Menæchmorum* Prologo,

Ei nati sunt filii duo gemini,
Ita forma simili pueri, uti mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat,
Neque adeò mater ipsa, quæ illos pepererat.

Et *Cyclops Galatea Metamorphoseωs* libri decimi tertii *Fabula* octava,

Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis,
Villosæ catulos in summis montibus ursæ.

Proinde dixit *Homerus Iliad.* π'.

Ὕπνῳ καὶ θανάτῳ διδυμάοσιν, - - -

Ὅπερ τὴν ὁμοιότητα αὐτῶν δηλῶν. τὰ γὰρ δίδυμα τὴν ὁμοιότητα μάλιστα παρεμφαίνει. *Somno, & morti geminis. Ita eorum similitudinem quasi ob oculos ponens. Nam in iis, quæ gemina sunt, maximè se prodit similitudo. Plutarchi* verba sunt in *Consolatione ad Apollonium.* Itaque *Latinè geminum*, & *gemellum*, pro *simili* rectè dixeris. Ita enim veteres passim usurpant. *Pacuvius* in *Hermiona* apud *Nonnium,*

Par fortitudo, gemina confidentia.

Catullus in *Mamurram* & *Cæsarem,*

Morbosi pariter, gemelli utrique,

Horatius Satyrâ 3. lib. 2.

- - - - - - - - *par nobile fratrum*
Nequitiâ, & nugis, pravorum & amore gemellum.

Et *Epistola* 10. lib. 1.

- - - - - - *hac in re scilicet una*
Multum dissimiles, ad cætera penè gemelli.

Cicero Partitionum Oratoriarum sect. 32. *Memoriam, quæ est gemina literaturæ quodammodo, & in dissimili genere persimilis.* Et in Oratione pro *Sexto Roscio, Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia.* Et pro *Q. Roscio* ferè in fine, *Simillima & maximè gemina societas hæreditatis est.* Et *Verrina* tertia ad Epistolam *Timarchidis, Gemino & simillimo nequitiâ, improbitate, audacia.* Et in *Pisonem, Illud verò geminum consilii* Catilinæ, *&* Lentuli. In quibus locis qui pro *gemina*, & *geminum*, volunt *germana*, & *germanum* rescribi, toto cœlo aberrant, ut jam ab aliis est observatum. Patet igitur Sponsæ mammæ quorsum cum geminis hinnulis conferantur, nempe quia nonnisi geminæ protuberant. Unde est, quod in *Frivolaria Plautus* nominavit *sororiantes.* Et tam sunt inter se similes, quam esse solent hinnuli duo gemini. Quanquam, ut dicam quod res est, non tota ubera, sed papillas solùm cum hinnulis conferri putem. Neque enim hinnulis absolutè comparantur ubera, sed *hinnulis duobus geminis, qui pascuntur inter lilia.* Nempe in rustico Dramate à rebus, quæ ruri sunt, similitudines sumi oportuit. Et in his areolæ, aut agri partes, liliis consitæ, mammas virginum utcumque exprimunt, candore scilicet, & tumore suo. Lilium enim his duobus à *Plinio* commendatur, quod candor ejus eximius est, nec ulli florum excelsitas major. Unde *Poeta,*

- - - - - - *Et grandia lilia quassans.*

Et candoris quidem ratione ex *Junonis* lacte fingitur ortum. Atque, ut hic candor uberum candorem refert, ita cum in horti areola, aut in agri portione aliquot numero lilia supra planum solum eminent, mammas imitari videntur, quæ pari ratione supra pectus assurgunt, & protuberant. Rursus in illis liliis si pascantur ζυγαὶ νεβρίδες, id est, *rufi hinnuli*, duo gemini, & prorsus similes, eminus aspicientibus tanquam papillæ in uberibus apparebunt. Neque novum videri debet, quod vel hic hinnuli, vel *Cant.* 2. v. 16. & 6. v. 3. greges pascuntur inter lilia: cum in *Judæa*, & *Syria*, lilia non colantur in hortis, ut apud nos; sed in agris passim occurrant. Unde est, quod *Matth.* 6, 28. à *Christo* vocantur *agri lilia*, aut, ut habet *Syra* versio, quorum idiomate *Christus* inter *Judæos* concionabatur, ܫܘܫܢܐ ܕܚܩܠܐ *lilia deserti*, id est, quæ sponte proveniunt, etiam in desertis locis, & à nullo excultis. Hinc *Calphurnius* in *Litigio.*

- - - - - - - - - *en! aspicis illum,*
Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?

CAPUT VIGESIMUM QVINTUM.

De Caprea, quæ *Hebraicè* צבי

צבי tsebi, esse δορκάδα, seu capream, res certissima. Tabitha, seu Dorcas nomen in usu apud Judæos. Tabitha ancilla Gamalielis. Arabibus & Græcis similia nomina. צבי à decore dicta. Quo sensu à Lucretio dictum, - - - nervosa & lignea Dorcas. Capreæ oculi quàm venusti, & acres; unde illis nomen δορκάδων. Nunquam lippiunt. Noctu vident. Uno oculo aperto dormiunt. Cursus illis velocissimus. Prov. 6. v. 5. aliquid necessariò supplendum. Chaldæus emendatus. מיד è manu, id est, illicò: ut Græcum ὑπὸ χεῖρα, Latinè sub manum. יד fortè retis genus; ut Arabicum كفة Ex uno hemistichio oppositum in altero suppleri. Sylva utrimque linea & pennis clausa, quarum formidine cervi in retia impulsi. Esa. 13. v. 14. Erit ut caprea expulsa. Proverbium Arabicum ejusdem argumenti. Capreæ esus quàm salubris. Sponsum cum caprea non conferri propter perspicaciam, ut volunt veteres: sed propter alacritatem, & exequendi celeritatem.

NOmine *Hebræo* צבי *tsebi*, δορκάδα *capream*, aut *capreæ marem* significari tam certum est, quam quod est certissimum. Chaldæi *Tsade* Hebræum in *Teth*, & *Arabes* in *Dsa* mutant. Itaque *caprea Chaldæis* est טביא *tabja*, & *Arabibus* ظبي *dsabi*. Ex *Chaldæo* טביא *tabja* Fœmininum est טביתא *tabjetha*, vel *tabitha*. Hinc *Tabitha* puellæ nomen *Act* 9. v. 36. à *Luca Græcè* redditur Δορκάς. *Gamaliel*, *Pauli* magister, ancillam habuit ejusdem nominis, *Vaikra Rabba* sectione decima nona, טביתא אמתא דרבן גמליאל היתה בודקת חביות Tabitha *ancilla* Rabban (vel *Magistri nostri*) *Gamalielis dolia scrutabatur.* Ubi *Tabithæ* nomen *Glossa* ineptè reddit לשון טובה, tanquam *à bonitate* sumptum. Id enim esset טבתא *tabtha*, non טביתא *tabitha*. Ita etiam apud *Arabes* ظبية *dsabia*, id est, *caprea*, quandoque est muliebre nomen. *Damir* in capite *De caprea*, ظبية اسم امراة تخرج قبل الدجال تنذر الناس به

צביה *Dsabia* (seu, *caprea*) *mulieris nomen, quæ ante* Anti-Christum *prodibit homines* monitura, *ut sibi ab illo caveant.* Ut عزة Azza, *capreæ catula.* Unde *Azza* dicta mulier quædam inter *Arabes* illustris. *Alcamus*

العزة بنت الظبي وبها سميت عزة

Azza, *catula capreæ, unde dicta est* Azza *mulier.* In *Giggejo* perperam redditur *herba cervæ, dictamnus.* Nempe pro بنت *filia*, seu *catula*, legit نبات *herbam.* Sed & apud *Græcos* ut Δάμαλις, ita Δορκαλὶς quandoque in usu est. *Agathias Anthologiæ* lib. 7. *Epigrammate* 76. ad *Paulum Silentiarium*,

Καί σε, μάκαρ, ποθέω, κ) γλυκερὴν Δάμαλιν,
Ἧς με διεσμύχουσι μελεδῶνες· ἀλλά με θεσμὴ
Εἴργουσιν ῥαδινῆς τηλόθι Δορκαλίδος.

Et te, beate, cupio, & suavem Damalim, *cujus me curæ divexant: sed me tenent leges tenerâ procul à* Dorcalide. Hujusmodi nomina mulieres in *Oriente* non illibenter usurpant; quia caprea tam à forma, quàm à placiditate morum apud veteres commendatur. Et verò nomen *Hebræum* צבי *tsebi*, propriè *decus* sonat Unde in capreas translatum est, decorum, & venustum animal, ut docuimus in capite *De cervis*, quodque fuit in deliciis apud veteres. Unde *Martialis*,

Delicium parvo donabis dorcada nato.

Et cultum ab *Ægyptiis*, qui credebant capreas ἄθυρμα τῆς Ἴσιδος, ut ex *Æliano* probavimus. Itaque *Dorcas* unum fuit è multis nominibus, quibus olim amasiis suis proci adulabantur, & nævos corporis excusabant. *Lucretius* lib. 6. versu 1153.

Nigra Melichrus *est, immunda & fœtida* Acosmos,
Cæsia Palladion, *nervosa & lignea* Dorcas.

Arabicè caprea, quæ præ cæteris speciosa est, هيبر *hanur* vocatur. *Alcamus* explicat ظبية جسنة الجسة *capream pulchro corpore.* Et apud eundem مثل الظبا الحور *albaur* est *oculorum venustas qualis caprearum.* Nempe ان تشتد بياض بياض العين وسواد سوادها وتستدير حدقتها وترق جفونها *Cum album albi, & nigrum nigri oculorum valde intenduntur, & rotunda est pupilla, & palpebra tenues.* Tales nempe sunt caprearum oculi, quæ proinde non solùm venustissimos, sed & alacres vividosque habent oculos, quibus acerrimè vident. Damir, توصف الظبا بحدة البصر *Capreæ describuntur acutissimi visus.* Unde illis inditum Δορκάδος *Græcum* nomen. *Etymologus*, Δορκὰς παρὰ τὸ δέρκω τὸ βλέπω· ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον καὶ εὐόμματον. *Origenes* in *Cantica* Homilia tertia, *Hoc animal, quantum ad* Græca *vocabula, nomen a videndo, atq; clarius prospiciendo sortitum est.* *Gregorius Nyssenus* in *Cantic.* Homilià quintà, Φασὶ τοῦτο τὸ ζῶον, ὥσπερ φωσφόρον, ἐκ τῆς ἐνεργείας ἔχειν τὸ ὄνομα· *Ajunt hoc animal, cùm eximiè videat, à visu nomen habere.* Philo Carpathius *in* Canticum, *Caprea animal est acutissimi visus, dorcas* ἀπὸ τοῦ δέρκειν *dicta.* Theodoretus *in* Cantic. Φασὶ τὴν δορκάδα ἐπώνυμον ἀπὸ τῆς οἰκείας ὀξυδερκίας, κ) διὰ τὸ ὀξέως ὁρᾶν ταύτην εἰληφέναι τὴν προσηγορίαν· *Capream ajunt ab acumine visus esse dictam, & propter perspicacitatem suam dorcadis appellationem esse consequutam.* Easdem unquam lippire negat (a) *Plinius*, & lippientes fimum earum cerâ circumdatum, novâ Lunâ, devorare jubet. Addit noctu æquè cernere. Quin, si (b) *Etymologo*, & (c) *Phavorino* credimus, ἡ δορκὰς αὕτη μόνη ἐν τῷ καθεύδειν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχει, *caprea inter dormiendum oculos habet apertos.* Quod *Hebræi* partim asserunt, partim negant. *Chaldæus* Interpres in *Cant.* 8 *vers* 14. תהי דמי לטביא רי בעדן דמיך עינא חדא קמץ ועינא חדא יהי פתיח *Eris similis capreæ, quæ somni tempore unum oculum habet clausum, & alterum apertum.* Et *Midras* in eundem locum, זה בשעה שהוא ישן עינו אחת פתוחה ועינו אחת קמוצה *Illius, cum dormit, oculus unus apertus est, alter clausus.*

a) Lib. 28. c. 11.
b) In Αὐσ.
c) In Αἰων.

Capreæ mira est pernicitas. Proinde vocat *Oppianus*,

- - ὠκυτάτων δόρκων ἀείδελα γένεθλα,

velocissimarum caprearum insignia genera. Apud *Ælianum* (*Hist.* lib. 14. cap. 14.) una capreæ species, à *Poetis* κεμὰς dicta, legitur esse δραμεῖν ὠκίστη θυέλλης δίκην, *ad cursum velox instar turbinis.* Inde *Arabica* verba قزع & دري & طفا & هفا capream *levem esse* significant, & *citatissimo cursu ferri.* Alcamus, قزع الظبي اسرع وخف *Caprea properavit, & levis fuit.* Idem, دري الظبي اسرع *Caprea properavit.* Et alibi, طفا الظبي اشتد عدوه *Caprea cursu invaluit.* Quomodo etiam هفا redditur in *Giauhari.* Neque de aliis feris hæc usurpari reperias. Quod ideo hic observo; quia hanc caprearum velocitatem Scriptura passim deprædicat. Sic 2. *Sam.* 2. *v.* 18. Asaël *pedibus celer fuit, ut una è capreis, quæ in agro sunt.* Et 1. *Paral.* 12. *v.* 8. *Capreis in montibus pernicitate similes erant.* Et *Proverb.* 6. *v.* 5. *Erue te ut caprea* מיד, *è manu, & ut avis* מיד יקוש, *è manu laquei: alii è manu aucupis.* Neque enim satis certum est, utrum hic significet יקוש. Prius sequuntur *Græci, Chaldæus, Syrus, & Arabs.* Posterius *Hieronymus*, & ex *Hebræis Kabvenaki.* Sed, quidvis intelligas, videtur in priore membro vox analoga supplenda. Puta, *Erue te ut caprea è manu venatoris, & ut avis è manu aucupis.* Vel, *Erue te ut caprea ex cassibus, & ut avis è laqueo.* Ad verbum, *è manu laquei.* Sed Hebr. *è manu laquei, è manu gladii,* &c. id est, *ex laqueo, & gladio.* Proinde *Græci* hic habent, *Tanquam caprea* ἐκ βρόχων *ex cassibus.* Et *Arabs*, من الوهق *ex laqueo.* Et *Chaldæus*, מן נשבא per *Caph*, pro quo legendum per *Beth* מן נשבא *à reti*, ut in *Syro*: à Verbo נשב, quod *Arabicè* significat *hærere retibus implicitum.* Neque aliter sumpsit *Sirachides*, qui ad hunc locum sic allusit *Eccles.* 27. *v.* 20. (al 22.) Ἐξέφυγεν ὡς δορκὰς ἐκ παγίδος, *Effugit ut caprea ex laqueo.* Sed & aliter possis reddere, *Erue te ut caprea* מיד, *è manu*, id est, *statim*: ut linguâ vernacula, *il partit de la main*, id est, *illicò discessit.* Quomodo etiam *Orientales.* Ita enim *Jonathan* Genes. 19. v. 28. מן יד נפלת אשתא, *E manu cecidit ignis.* Chaldaica Paraphrasis *Esther.* 2. v. 13. מיד יתיהב לה למעל, *E manu permissum est illi ingredi.* Cant 2 v. 13. מן יד אמר להון, *E manu dixit ipsis.* Psal. 59. v. 12. מן יד לא תקטלנון, *E manu ne occidas eos.* Thren. 1. v. 2. מן יד תקף רוגזא דיי בהון, *E manu invaluit in eos ira DOMINI. E manu*, id est, *illicò.* Græcè dixeris ὑπὸ χεῖρα· & Latinè, *sub manum.* *Plutarchus* in libro *De sera Numinis vindicta*, non procul ab initio; αἱ δ᾽ ὑπὸ χεῖρα τοῖς πλημμελοῦσιν ἀπαντῶσαι τιμωρίαι·

Pœna

Pœna, qua sub manum occurrunt, peccare audentibus. *Suetonius* in *Augusto* capite quadragesimo nono, *Et quò celerius, ac sub manum annuntiari cognosciq; possit quid in provincia quaq; geratur.* Quid si יד, *manus* fuerit retis aliquod genus, ita dicti, quod eo capreæ, tanquam manu, detinerentur. Ut ab *Arabico* كف caph *manus* كفة *cuppha* vocantur *pedica*, aut *casses*, quibus capreas venantur. *Alcamus*, كفة الظبا ما يصاد به Et ibidem الخاطوف tanquam rapacis avis unguis vocatur شبه المنجل يشد بحبالة الصيد يختطف به لظبي *falcis species, quâ reti venatorio devincta capitur caprea.* Hæc etsi fortasse non sint omnino rejicienda, tamen puto verius, quod primum dixi, *Solomonis* orationem esse Ellipticam, & in priore hemistichio aliquid deesse ex posteriore supplendum. Et fortè in priore scripserat *Solomon*, *Erue te ut caprea* מיד צד, *è manu venatoris:* ut in sequente hemistichio, *& ut avis* מיד יקוש, *è manu aucupis.* Sed per scribarum incuriam periit vocula צד propter præcedentis מיד τὸ ὁμοιοτέλευτον. Quamvis eo devenire necesse non sit, cùm id *Hebrais* familiare esse videam, ut in uno ex duobus hemistichiis aliquid desit, quod ex altero suppletur. Sic *Num.* 9. v.16 *Nubes illud tegebat* (supple *interdiu:*) *& species ignis noctu.* Psal. 84. v. 11. *Melior est dies unus in atriis tuis, quàm mille* (supple *alibi.*) Sirach. 16. v. 3. *Præstat unus justus, quam mille* (supple *injusti.*) Psal. 91. v. 7. *Cadent à latere tuo* (supple *sinistro*) *mille, & à dextera tua decies mille.* Prov. 28. v. 16. *Dux carens intelligentia, & multus oppressionibus* (supple *abbreviabit dies suos:*) *at qui odit quæstum, prolongabit dies.* Et 1. Tim. 4. v. 3. *Prohibentium contrahere matrimonium,* (jubentium) *abstinere à cibis, quos Deus creavit,* &c. Ita hic, *Erue te ut caprea è manu* (supple *cassium*, aut *venatoris*, ut in sequente,) *& ut avis è manu laquei*, aut *aucupis*. Capreas scilicet, cervos, ibices, & reliquas hujusmodi feras, quas cursu assequi facile non est, retibus & pedicis implicare conantur venatores. Ita *Ælianus* (*Hist.* lib. 12. cap. 46) de *Tuscis* scribit, τοὺς παρ' αὐτοῖς ἐλάφους καὶ ὑπὸ δικτύων μὲν, καὶ ὑπὸ κυνῶν ἁλίσκεσθαι, *Cervos, qui apud eos sunt, tam retibus, quàm canibus capi:* & Musicæ illecebrâ ad retia pellici solitos. Alii sylvam utrimque linea & pennis claudebant, quarum formidine feræ, & cervi potissimum, in retia paulatim impellebantur. *Virgilius* de cervis lib. 3. *Georgicorum*,

Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceave agitant pavidos formidine pennæ.

Et lib. 12. *Æneidos*,

Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut punicea septum formidine pennæ
Venator cursu, canis & latratibus instat.

Pythagoras in *Ovidio Metamorphoseωs* lib. 15. *Fabula* quadragesima tertia,

Nec formidatis cervos includite pennis.

Lucanus lib. 4. versu 437.

- - - *sic dum pavidos formidine cervos*
Claudit odorata metuentes aera penna.

Seneca, *De clementia* lib. 1. cap. 12. *Si feras lineâ & penna conclusas contineas.* Et *De ira* lib. 2. capite 12. *Cum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat ab ipso effectu dicta formido.* Et alter *Seneca* in *Hippolyto*,

Picta rubenti linea penna
Vano eludat terrore feras.

Arrianus in *Epictetum* libri secundi capite primo, Ὅτι φοβοῦνται φεύγουσαι αἱ ἔλαφοι τὰ πτερά, ποῦ τρέπονται, καὶ πρὸς τίνα ἀναχωροῦσιν ὡς ἀσφαλῆ; πρὸς τὰ δίκτυα, καὶ οὕτως ἀπόλλυνται. *Cùm aves*, (id est, avium pennas) *cervi fugientes timent, quo convertuntur, & quo secedunt, ut in tuto sint? Ad retia, & sic pereunt.* *Oppianus* libro quarto *Halieuticῶn*,

Εἶδον καὶ ἐν ξυλόχοισιν ὀρίστεροι ἀγρευτῆρες
Εἷλον ἀναλκείην ἔλαφον ἰυγκτῆ τέχνῃ,
Μηρίνθῳ στέψαντες ἅπαν δρύος ἀμφὶ δὲ κύφων
Ὀρνίθων δίζωντο θοὰ πτερὰ, &c.

Sic etiam in sylvis montani venatores invalidum cervum felici arte capiunt, lineâ coronantes totum quercetum; circum autem levium avium ligant veloces pennas. Ausonius *Theoni* Epistola quarta,

An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, & multa indagine pennæ?

Nemesianus versus finem *Cynegetici*,

Digerat innexas non una ex alite pennas,
Namq; ursos, magnosq; sues, cervosq; fugaces,
Et vulpes, acresq; lupos, ceu fulgura cœli
Terrificant, linique vetant transcendere metas.

Hieronymus in *Orthodoxi & Luciferiani dialogo* capite tertio, *Pavidorum more cervorum, dum vanos pennarum evitatis volatus, fortissimis retibus implicamini.* *Augustinus* libro primo *De nuptiis & concupiscentia*, *Instar ferarum, quæ circumdantur pennis, ut cogantur in retia.* De cervis porro quæ allata sunt, etiam de capreis dicta puta; quæ, *Blondo* teste apud *Gesnerum*, *eadem arte, qua cervi decipiuntur. Comprehenduntur enim & canibus, implicantur & retibus*, &c. Itaque de caprearum retibus, & eas illaqueandi modo multa occurrunt apud *Arabes*. Sic in *Alcamus*, præter كفة & خاطوف de quibus jam diximus, etiam كصيص (cassis) est حبالة يصاد به الظبي *rete, quo caprea capitur.* Et ظبي مبدي est *caprea, cujus priores pedes in casses inciderunt.* Et نسق الظبي id est, في الحبالة علق *caprea è laqueo pependit.*

Hoc *Arabum* Proverbium تركى الظبي ظله *Caprea umbram suam reliquit.* *Damir* ita exponit, يضرب للرجل النفور وظله كناسه الذي يستظل من شدة الحر وهو اذا نفر منه لا يعود اليه ابدا *Ferit fugacem hominem. Caprea scilicet umbra est latibulum ejus, in quo captat umbram propter æstus vehementiam: & ex eo cum semel fugit, nunquam ad illud revertitur.* Hinc explica hæc *Esa.* 13. v. 14. והיה כצבי מדח *Et erit ut caprea expulsa.* Agitur de *Babylone*, in cujus umbram multi secesserant, tanquam in tutissimum propugnaculum. Sed, *Medis* ad eam devastandam undequaque concurrentibus, prædicitur fore, ut unusquisque eam deserat, atque ut caprea è latibulo suo expulsa inde discedat, nunquam postliminio reversurus.

De capreæ esu meminit *Moses Deuter.* 12. *vers.* 15. 22. & *cap.* 14. *vers.* 5. & *cap.* 15. *v.* 22. Et in *Solomonis* cibariis caprea nominatur 1. *Reg.* 4. *vers.* 23. *Arabes* quoque capreæ esum multum commendant. *Avicenna* وخير لحوم الوحش لحم الظبا

Optima

Optima è ferinis sunt caprearum carnes. Razi apud *Damirem*, & *Abenbitarem*, لحم الظبي حار يابس وهو اصلح لحوم الصيد واجوده الخشف *Caro capreæ calida est, & sicca, & carnium venaticarum saluberrima: at capreoli caro bonitate maximè antecellit.* Symeon Sethi, Τὰ τῶν δορκάδων κρέατα εὐχυμότερά εἰσι τῶν λοιπῶν ἀγρίων ζώων, καὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον σῶμα ἔχει οἰκείωσιν· *Caprearum carnes melioris succi sunt, quàm cæterorũ agrestiũ animalium, & ad humanum corpus sunt magis accommodata.* Apud *Athenæum* libro nono *Palamedes Eleaticus* ait οὐκ ἄχαρι κρέας τὸ τῶν δορκάδων, *caprearum carnem non esse injucundam.* Et *Philostratus* libro secundo in *Indorum* conviviis integras apponi capreas.

Quæritur cur in *Cantico* Sponsus cum caprea toties conferatur. Ut *Cant.* 2, 9. *Similis est dilectus meus capreæ.* Et versu decimo septimo, *Revertere dilecte mi; similis esto capreæ.* Et capitis octavi versu decimo quarto, *Fuge, dilecte mi; & similis esto capreæ.* Plerique veterum ad id referunt, quod jam antè observavimus, dorcadem, seu capream animal esse perspicacissimum. *Origenes* in *Cantica* Homiliâ tertiâ, *Caprea habet in natura sua, ut non solùm videat ipsa, & perspiciat acerrimè, sed & aliis visum præbeat. Asserunt namque hi, quibus Medicina peritia est, inesse huic animali intra viscera humorem quendam, qui caliginem depellat oculorum, & obtusiores quosque visus exacuat. Meritò ergò caprea vel damula* Christus *comparatur; quia non solùm videt ipse Patrem, sed & videri ab aliis facit, quorum visus ipse curaverit. Gregorius Nyssenus* Homilia quinta, Ἡ δορκὰς σημαίνει τὴν ὀξυωπίαν τοῦ τὸ πᾶν ἐπιβλέποντος· *Caprea significat visûs acumen ejus qui omnia perspicit.* Philo Carpathius, *Sponsus, scilicet* Christus, *capreæ assimilatur, eo quod corda omnium subtilissimè rimetur, & inspiciat cogitationes omnes.* Aponius in *Cantica* libro quarto, *Capreæ pro eo opinor similem dici; quia nostræ salutis inlustratio cæcitatem cordis auferens,* &c. Quod ibidem sequitur, *Caprearum posterior corporis pars candorem demonstrat*, ad pygargos pertinere suo loco docuimus. *Theodoretus* de *Christo*, Δορκάδι αὐτὸν ἡ νύμφη ἀπεικάζει, διὰ τὸ ὀξυδερκὲς, καὶ διορατικὸν, καὶ τῶν μελλόντων προγνωστικόν· *Eum cum caprea Sponsa confert, propter visus acumen, & perspicaciam, & futurorum præcognitionem.* Michael Psellus *in* Cantica, *Caprea, Allegoricè videntem significat. Nam ipse* (Christus) *omnium corda intuetur.* Quæ quidem piè dicta, sed nescio an ad rem; quia hæ Allegoriæ *Græci capreæ* nominis etymologia totæ nituntur. Neque enim in sacro textu quidquam est, unde pateat *Solomonem* id respexisse. Quin de Sponsi saltibus, aut fugâ, aut reditu iis locis (*d*) agitur, quibus confertur cum caprea. Itaque nihil puto respici, quàm capreæ in cursu aut saltu agilitatem: cui similis Sponsi alacritas, & exequendi celeritas, ac facilitas, quidquid agat, aut moliatur. De capreæ hinnulo capite præcedenti dictum est, & capite, quod proximum sequetur, agemus de caprearum speciebus, & coloribus.

d) *Cant.* 2, 8. 9, 17. & 8, 14

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Quid veteres & recentiores scripserint de animalibus unicornibus.

Animalia multa μονόκερωτα *apud veteres.* 1. *Rhinoceros. Cur* Martialis *illum gemino cornu describat. Varia sententiæ. Illum locum aliter legendum. Aliorum conjectura refelluntur.* 2. *Equus* Indicus *unicornis.* 3. *Asinus* Indicus. 4. *Bos* Indicus. *Hi boves ab* Oppiano Ἄονιοι *dicuntur per summum errorem; cujus fontes aperiuntur.* 5. *Propriè dicta monoceros in* India *sola reperitur. A qua fortè non diversi equus & asini* Indici. Constantinopoli *monocerotis* ἐκτύπωμα *planè aliud apud* Philostorgium. *Monocerotis descriptio in* Paulo Veneto, & Ludovico Vartomano. *De eodem multa ex* Arabibus. *Nomen* Indicum *in* Æliano καρτάζωνον (*malè scribunt* καρζάζωνον) *in* Arabibus carcaddan, *in* Coptis ΧΑΡΧΙΝΟΣ. *Natales* India & Nubia *in* Goyame. *Fœmina quamdiu ferat uterum. Cum quibus animalibus coëat.* قرش Coptis ἈΣΠΙΔΟΧΕΛΏΝΗ. *De monocerotis mole & staturâ varia sententia. Collum ad pedes inflexum. Animal solidungulum. Longævissimum. Terribile. Homini & elephanto infensum, quem cornu suo transfigit, & sursum tollit. Sed* ruch *avis fert unguibus monocerotem. Tela in eum nihil possunt. Palumbes amat. Multa de cornu gravitate, soliditate, crassitudine. Varia intùs figura. Baltei ex his confecti, & alia quædam.* حرشن charsan, *vel,* حريش charis, *animal hœdi specie, cornu unicum in fronte habens, in* Segestana & Bulgaria. *Per virginem capitur. Origo fabulæ. In* Carpatho *monte rupicapra unicornes. Lepus monoceros. Cornuti lepores ex* Norvegia *allati. Cornu* jachmur, *vel* jâmur, *unicum; sed in ramos divisum. Tale quid apud* Cæsarem *libro sexto. In* Symeone Sethi *moschi capreolus unicornis. Ibi quædam emendata. Alii* Arabes *de moscho.* Avicenna *explicatus. Muschus* Tubetiensis *cur optimus. Capreolum muschi quomodo describant* Arabes. *De unicornibus animalibus quid* Hebræi. *Fabula de bove unicorni ab* Adamo *Deo oblato. Alii capreis accensent. Monoceros sylvæ* Ilai *Hebræis* קרש. *Ejus cornu nigrum. Ita etiam* Ælianus, & Phile, *cujus interpres notatus.* תחש *nostris* taxus, *aut* melis, Hebræis *animal unicorne, quod nusquam comparuit post absolutum Tabernaculum.* Pomarius *cornu unicornis docet contra venena multùm pollere, & quâ arte dignoscatur. Oryx etiam animal unicorne* Aristoteli, & Plinio. *De eo multa ex scriptoribus.* Heliodorus *emendatus.* Gazel *non est* oryx, *sed* capreæ hinnulus. Oppianus *orygem aliter describit, quàm reliqui scriptores. Concluditur tamen idem esse animal, & refelluntur objectiones. Dorcades totæ albæ.* Μετάφρενα partes geminæ. Duplex *pro* lato. *Oryx, animal pugnacissimum. Oryx non semper unicornis. Oryx bove non multò minor: jungebatur bigis, & equi vices præstabat.* Subulo ὄρυξ.

Ut nobis viam præstruamus ad explicationem *Hebrææ* vocis ראם *reem*, vel רים *rem*, quam vetustissimi interpretes *monocerotem* esse voluerunt, libet

Nnn in

in hoc capite lectori ob oculos ponere quæ veteres & recentiores scribunt de animalibus unicornibus. Horum unum est ῥινόκερως, reliqua μετωποκέρωτα. Rhinoceros *Aristoteli* notus non fuit. Illum primus descripsit *Agatharchides* sub *Ptolemæo Sexto*. Post quem *Artemidorus*, *Diodorus*, *Strabo* qui viderat, *Plinius*, *Solinus*, *Ælianus*, *Oppianus*, *Philostratus*, *Dio*, *Pausanias*, alii; quos non vacat hic exscribere. Tantum hoc quæsierim libens, cum constet rhinocerotem unicum in naso cornu habere, unde belluæ nomen, cur geminum illi tribuat *Martialis*, vel quisquis auctor est libri *Spectaculorum*, cum de *rhinocerote* dicit *Epigrammate* vigesimo secundo;

Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Gemino cornu, inquiunt, id est, *forti, & vehementi*: quomodo dixit *Virgilius*,

- - - - - duplici dentalia dorso.

Alii *gemino cornu*; quia rhinoceros habet duo cornua, ut observat *Pausanias*, τὸ μὲν ἐπ' ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγας, *unum in extremo naso, aliud supra illud non magnum*. Neutrum ad rem, ut quidem puto. *Geminus* pro *forti* nusquam occurrit. In *Virgilio*(a)

a) Georg. lib. versu 173.

- - - - duplici dentalia dorso,

id est, *lato*, inquit *Servius*: *ut aut duplex agitur per lambos spina: aut revera duplici, cujus utrumque eminet latus; & ferè hujusmodi sunt omnes vomeres in Italia*. Frustrà etiam id observatur, rhinocerotem geminum habere cornu. Alterum enim est in dorso, quo ursum extulisse dici non potest. Itaque ad illud cornu non pertinent hæc *Poetæ*,

- - - - - gemino cornu sic extulit ursum.

Proinde *Politiano* cum hæc non satisfacerent, is aliud excogitavit, nempe ursum dici *gravem gemino cornu* Dativo Casu, id est, gravem etiam iis animalibus, quibus geminum est cornu; quales tauri, *&c.* Quod ut ineptum & coactum docti meritò rejiciunt. Neque enim crescit robur cum numero cornuum. Arietes, & hircos, utut bicornes, nemo crediderit esse rhinocerote robustiores. Itaque *Poetæ* locum puto esse corruptum, quamvis non videam satis quomodo possit restitui. Varias tamen afferam conjecturas, ut in iis lector eligat quod videbitur commodissimum, aut ipse meliora tentet. Fortasse *Poeta* non scripserat, *gravem gemino*, sed, diversis Casibus,

-- gravi geminum cornu sic extulit ursum.

Geminum ursum, id est, *duos ursos*; non simul, sed successivè oblatos, vel simul oblatos extulit successivè: nisi malis *Geticum ursum*, id est, *Scythicum*; quia versus Aquilonem ursi majores, essetque id θαυμαστότερον, si majorem ursum cornu sustulisse dicatur rhinoceros. Sed *geminum* probo magis, quia sequente versu,

Jactat ut impositas taurus in astra pilas

Poeta plures pilas videtur opponere pluribus ursis. Et de *Carpophoro* sic dicitur *Epigrammate* 23.

Ille tulit geminos facili cervice juvencos.

Gravi cornu, id est, αἰνῷ, *atroci, diro, molesto, infesto*. Vel, voce leviter inflexa, *brevi cornu*; quia pro belluæ magnitudine cornu brevissimum est. Utrumque habet *Oppianus* in descriptione rhinocerotis libro secundo *Cynegeticῶν*,

- - - ὀλίγον δ' ὑπὲρ ἄκρα ῥινὸς
ἀντέλλει κέρας αἰνὸν, ἀκαχμένον, ἄγριον ἄορ·

Breve super summum nasum surgit cornu, grave, acutum, sævum telum.

Jam hæc scripseram, cum incidi in alias hujus loci interpretationes, quæ mihi præcedentibus non magis satisfaciunt. Una *Scaligeri* sic habet, *Rhinoceros est cornu gemino, altero pusillo in fronte, altero in nare robustissimo, quo audacissimè pugnat, ac vincit elephantum. Ut jam desinant nugari* Grammatici *de* gemino *cornu apud* Martialem. Sed pusillum illud in fronte cornu non aliunde novit, quàm ex pictura, qualem nullam vidimus. Anno *Christi* 1515. ex *India* in *Lusitaniam* advectus est rhinoceros, quem accuratè pinxit *Albertus Durerus* tum temporis insignis pictor. Et ex illius prototypo expressa ἐκτυπα per totam *Europam* sparsa sunt, quæ cornu nullum exhibent in fronte rhinocerotis. Sed supra cornu, quod est in nare infima, quatuor tubercula, quorum summum frontem cætera glabrum in ima parte attingunt. Hæc tubercula pro cornibus si habuit illustrissimus *Scaliger*, jam rhinoceros non erit *gemino*, sed *quinquegemino* cornu animal. Utut sit, his vel cornibus, vel tuberculis non extulerat ursum; sed unico illo, quod est in nare. Itaque hæc nihil ad rhombum.

Altera *Jani Douzæ*, *Petri Scriverii*, *Gerardi Vossii*, virorum, qui in his literis facilè primas tenent, pro *urso* legit *urum*: quod sic explicant,

- - - gravem gemino cornu sic extulit urum,

id est, *urum, quamvis gemino cornu gravem, tam facilè sustulit, quàm taurus objectas pilas*. *Et meritò* (inquiunt) gravem gemino cornu *Poeta dicit, cum singula urorum cornua, teste* Plinio, *duas urnas capiant*. At ne sic quidem videntur id obtinere, quod volunt, nempe, ut urus *gravis* dicatur esse propter cornua. Quid enim cornuum gravitas ad ipsum uri corpus, quod pendere necesse est plura millia pondo, si verè scripsit *Cæsar* uros esse magnitudine paulò infra elephantos: & *Servius* in librum secundum *Georgicorum*, exceptis elephantis, majores esse cæteris animalibus? Itaque quidquid ponderis his accedit ex gravitate cornuum, nullum momentum habet. Præterea *Poeta* sic scripserit rem prorsus impossibilem, nempe animal, elephanto penè par, facilè sublatum fuisse à rhinocerote, cui *Strabo*, qui viderat, tribuit solùm μέγεθος τοῦ ταύρου, *tauri magnitudinem*. *Artemidorus* quidem rhinocerotem ait μικρὸν ἀπολείπεσθαι τοῦ ἐλέφαντος, *vix inferiorem esse elephantis*. Sed ne sic quidem facilè sustulerit urum. Itaque rhinoceroti non urus, sed

- - - - - pila taurus erat.

Liber *Spectaculorum Epigrammate* 9. de *rhinocerote*,

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

Martialis ipse libri decimi quarti *Epigrammate* quinquagesimo tertio, cui titulus *Rhinoceros*, id est, guttus è naso rhinocerotis;

Nuper in Ausonia *Domini spectatus arena,*
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Hæc igitur rhinocerotis fuit ultima virtus. Alioqui frigida esset laus, si urum etiam sustulisset, qui tauro multò major est. At, inquiunt, rhinocerotis & ursi certamen impar fuisset, cum vulgari etiam tauro ursum superare minimè sit operosum. Quod ipsum mihi quidem persuadet non unum ursum, sed geminum rhinoceroti fuisse objectum, ne impar esset pugna. Quamvis tauro ursum superare non fuerit ità facile, quam illi volunt. Quin taurum ab urso prosterni, & qua arte, disertè docent (b) *Aristoteles*, (c) *Plinius*, (d) *Solinus*, (e) *Ælianus*. Et id ipsum insinuat *Eustathius* in *Hexaëmeron* pag. 35. Itaque nihil video hactenus, quod à priore sententia me dimoveat.

b) Hist. l. 8. c. 45.
c) Lib. 8. c. 36.
d) Cap. de Numidia.
e) Lib. 6. c. 3.

Rhinoceroti oppono feras μετωποκέρωτας, id est, *quæ cornu in fronte habent*, atque illud quidem unicum, quales equus, asinus, & bos *Indici*, propriè dicta *monoceros*, *oryx*, &c. Equi meminit *Onesicritus* apud *Strabonem* libro decimo quinto, in *India* describens ἵππους μονοκέρωτας, ἐλαφοκράνους, *equos unicornes, cervinis capitibus*. *Ælianus* etiam *Historiæ* libri tertii capite quadragesimo primo, ubi tam equi, quam asini *Indici* cornu numerat inter alexipharmaca.

Asinus *Indicus*, seu veriùs onager, equo par est magnitudine, albo corpore, capite purpureo, oculis cyaneis, carne amara & gustui ingrata. In fronte prominet unum cornu cubitale, vel sesquicubitale, in medio nigrum, album infrà, suprà puniceum, magni usus in Medicina. Inter animalia solipeda solus habet fel in jecore, & in pedibus talos, eosque nigros. Robur, & per-

pernicitas summa est. Cornu, dentes, & calces, ex æquo terribiles. Locis maximè desertis degit. Vivus rarò capitur. Hæc (f) *Apostolius* ex (g) *Æliano*, *Ælianus* ex (h) *Ctesia*. Sed & ejusdem animalis plures alii meminerunt. In his *Aristoteles Historiæ* libri secundi capite primo, *Plinius* libri undecimi capite trigesimo septimo, & quadragesimo sexto, *Pollux* libri primi capitis undecimi sectione decima quarta, *Philostratus* in *Apollonio* libro tertio, *Antigonus Mirabilium* capite septuagesimo secundo, *Phile* capite trigesimo septimo. Et ex *Hebræis Gersom* in *Porta cæli* fol. 26, b. ubi de asinis, והמין הזה במחוז אינדיאה יש לו קרן אחד במצחו כן כתוב בספר בעלי חיים *Etiam illa species in* Indiæ *regione unicum habet in fronte cornu. Ità scribitur in libro* De animalibus

f) Prov. 1357 Ὄνος ἐν μελίτταις.
g) Hist. lib. 4. cap. 52.
h) In Indic. apud Photium.

Boves in *India* solidis ungulis esse, unicornes etiam, ex *Ctesia* tradunt *Plinius* & *Solinus*. Eosdem in *Æthiopia* sic describit *Ludovicus Vartomanus Navigationum* libri secundi capite decimo quinto, *Vaccas etiam vidi* (*Zeila*, quæ est urbs *Æthiopiæ*) *cornu unicum in fronte media habentes instar monocerotis, longitudine supra palmi magnitudinem. His cornu in terga resupinatum. Coloris sunt phœnicei.* Nempe tam in *Æthiopia*, quam in *India*, possunt illorum esse natales. Sed de *Oppiano* quid fiet, qui *Aonios* appellat libro secundo *Cynegeticωn*, ubi de boum vario genere;

Μώνυχες Ἀόνιοι, στικτὸν γένος, οἰοκέρωτες,
Ἔκ τε μέσου κέρας αἰνὸν ἀπαστράπτουσι μετώπου·

Solidunguli sunt Aonii, *varium genus, unicornes, & è media fronte grave cornu producunt. Aonii*, id est, *Bœotici*. Nulli enim *Aones* alibi, quam in *Bœotia*. In qua si qui fuerunt hujusmodi boves, quomodo id intactum prætereunt *Dicæarchus*, *Strabo*, *Pausanias*, alii, qui *Bœotiam* tam accuratè descripserunt? Et *Aristoteles* in eximio *De animalibus* opere? Ut *Plutarchum* taceam, qui de *Bœotia* sua tam multa habet insignia. *Oppianum* igitur puto ex aliquo scriptore hæc hausisse, in quo post boves αἱ ὄνοι ponebantur in censu τῶν μονοκερώτων. Et cum ex αἱ ὄνοι factum esset ἀόνιοι per scribarum imperitiam, conjuncta sunt, quæ fuerant divellenda. Eodem facit, quod boves illi *Aonii* ab *Oppiano* vocantur στικτὸν γένος *varium genus*. Apparet enim id petitum esse ex asinorum μονοκερώτων descriptione, qui partim albi erant, partim purpurei. Atque ipsum cornu habuerunt nigrum, album, & puniceum. Quale nihil occurrit de bobus unicornibus.

Propriè dicta μονόκερως juxta veteres in *India* solâ reperitur. Asperrimam esse feram dicit *Plinius* libri octavi capite vigesimo primo, reliquo corpore similem equo, capite cervo, pedibus elephanti, caudâ apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duûm eminente, id est, pedum quatuor, ut *Solinus* interpretatur; cætera *Plinio* similis. Nec multò aliter hoc animal describunt *Ælianus* & *Phile*: nisi quod de cervino capite nihil habent. Et *Phile* os leonis illi affingit. Neque à monocerote puto diversos fuisse *Indicos* equos, & asinos, de quibus suprà: cum monocerotem in multis equo esse similem *Plinius* disertè asserat. Et asini *Indici* descriptio, qualis est in *Ctesia*, & *Æliano*, maximè accedat ad monocerotis descriptionem, quam, præter eundem *Ælianum*, *Plinius*, *Solinus*, & *Phile* nobis exhibent.

Sed ab his diversissimum fuit *Constantinopoli* unicornis ἐκτύπωμα, ex quo *Philostorgius* hoc animal ità describit libri tertii capite undecimo. Τὴν μὲν κεφαλὴν δράκοντος φέρει, κέρας δὲ σκολιὸν, αὐτῷ πέφυκεν, οὔτι σφόδρα μέγα. ὁ δὲ ἀνθερεὼν αὐτοῦ πώγωνος ἀναπίμπλαται ἅπας. Μακρὸς δὲ ὁ τράχηλος, εἰς ὕψος ἀνατεινόμενος, ὁλκῷ δράκοντος ἐγγύτατα προσπλάσιος. τὸ δὲ ἄλλο σῶμα ἐλάφῳ προσέοικε μᾶλλον. τοὺς δὲ πόδας λέοντος ἔχει. *Draconis quidem caput habet, cornu verò curvum innatum ei, haud valde magnum. Mentum ejus barba totum obsitum est. Longaque cervix, in altum protensa, ad syrma draconis proximè accedit. Reliquo quidem corpore cervo similis magis. Pedibus autem leoninis est.* Quæ eadem legere est in *Nicephoro Callisto* libri noni capite decimo nono.

Cum his si quis recentiores conferat ejusdem animalis descriptiones, duas omnino reperiet: unam *Pauli Veneti* libri tertii capite decimo quinto, alteram *Ludovici Vartomani*, *Romani* Patritii, libri primi capite decimo nono: sed quibus neque inter se, neque cum veteribus ulla ratione convenit. Prior enim sic habet, ubi de regno *Basman* in *Java* minore; *Inveniuntur apud eos elephanti, & unicornes, in magna multitudine. Et sunt unicornes paulo minores elephantis, pilum habentes bubali, & elephanti pedem. Habent caput ut aper, & more porcorum libenter morantur in luto, & aliis immunditiis. In medio frontis gestant cornu unum, grossum, & nigrum. Linguam habent spinosam, quâ lædunt homines, & animalia.* Posterior talis est, *Ab altera* (Mecchani) *delubri septa visuntur, in quibus unicornes gemini asservantur*, &c. *Alterum eorum, quem constat longè proceriorem esse, pullo equino triginta menses nato haud absimilem crediderim. Prominet in fronte cornu unicum longitudine trium cubitorum. Longè natu minor est alter, utpote annicul us, ac equino pullo simillimus. Ejus cornu quaterni palmi longitudinem non excedit. Coloris est id animal equi mustelini: caput cervi instar; collo non oblongo, rarissimaque juba, ab altera parte solum dependentes. Tibias habet tenues, easdemque graciles admodum, hinnuli modo. Ungulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes fermè referentes. Tibiarum posteriorum pars exterior villosa est, pilique plurimi. Sanè id animal ferum videtur; verum ferociam nescio quâ comitate condit. Advecti sunt ex* Æthiopia *ab* Æthiopum *Rege*, &c.

His libet addere quæ de monocerote reperio apud *Arabes*, quæ nondum protrita sunt, nec in ore vulgi doctorum. In Scripturæ *Paraphrastis* ferè vocatur ذو القرن الواحد & وحيد القرن *unicornis*, ut *Æthiopicè* አሐዱ: ቀርን: In *Alcamus* alicubi مرميس *mirmis*, & هرميس *hirmis*. In *Damire* الحمار الهندي *asinus Indicus*, & حريش *charris*, vel حرشن *charsan*. Sed vulgatissimum *monocerotis* nomen, nec solum apud *Arabes*, sed & apud *Persas*, *Tartaros*, atque *Indos* receptum est كركند *carcand*, كركندن *carcandan*, vel, ut plerumq; scribitur, كركدن *carcaddan*. Eo enim *Historici* passim utuntur, & *Geographus Nubiensis* Clim. 1. part. 8. & 10. *Alkazuinius*, *Algiahid*, *Damir*, *Alcamus* sæpiusculè, *Pentateuchi* Paraphrastes *Parisiis* editus, *Deut.* 33, 17. Et Fœmininum كركندة *carcanda* reperitur in *Zamachsari*. Et *Copticum* ΧΑΡΧΙΝΟΣ pro *monocerote* videtur inde deflexum. Quin vetustum hoc fuisse nomen jam olim in usu apud *Indos* his verbis docet *Ælianus Historiæ* libri decimi sexti capite vigesimo: Λέγεται δὲ καὶ ζῶον ἐν τούτοις εἶναι μονόκερων, καὶ ὑπ' αὐτῶν ὀνομάζεσθαι καρκάζωνον. *Dicitur inter eos animal esse unicorne, quod carcazonum vocant.* Et rursus, Μονίας δέ ἐστιν ὁ Ἰνδὸς καρκάζωνος. *Solitarius est* Indicus *ille carcazonus*. Ità enim scribendum pro καρτάζωνος. Hæc de nomine. Feram ipsam *Alkazuinius* in *India* describit. *Geographus Arabs* nasci asserit in primo Climate, in الرامي *Alrami*, *India* insula, propè *Sarandib*, id est; propè *Zeilan*, seu *Taprobanam*. *Alrami*, Paulo Veneto *Lambri*, pars est *Javæ* minoris, quam is se lustrâsse scribit,

scribit, & in ea haberi unicornes, libri tertii capite decimo tertio, & decimo octavo. Alii non solum *Indiam*, sed & *Nubiam* illis assignant. *Damir* ubi de monocerote, معادنه ببلاد الهند والنوب *Fodina ejus* (id est, loci natales) *sunt in India, & Nubiâ.* Nempe in *Goyame*, vel *Gogiane*, *Abyssinorum* imperii parte extrema, ad *Lunæ* montes, & fontes *Nili* fluminis. Ibi enim unicornes ex incerta fama multi describunt. In his *Johannes de Bermuden*, & *Ludovicus de Urrera* in *Æthiopiæ descriptione*, & *Marmolius Africæ* suæ libri primi capite vigesimo tertio. *En las sierras de* Beth, *o de la* Luna, *que son en la alta* Ethiopia, *se cria un animal llamado unicornio*, &c.

De origine *Arabes* multa nugantur. *Damir*, يقال ان الانثي من هذا النوع تحمل كانثي الفيل سبع سنين ويخرج ولدها نابت الاسنان والقرن قوي الحافر *Dicitur fœmina in ea specie uterum ferre, ut elephanti fœminam per septem annos* (aliud exemplar ثلث سنين *per tres annos*, quod vero propius, & ab *Alkazninio* confirmatur) *& pullum ejus educi* نابت *crescentem*, (al. melius ثابت *firmum*) *dentibus, & cornu, & ungulâ jam robustâ.* Sequitur, وقيل اذا قاربت الانثي ان تضع يخرج الولد راسه مهنا يرعي اطراف الشجر ثم يرجع وقد انكر الجاحظ هذا القول *Addunt, cum fœmina vicina est partui, pullum caput educere, ut depascatur extremos ramos arborum, deinde in uterum recondi: quod tamen negat* Algiahid. Sunt, qui monocerotem hybridam esse volunt: sed ex quorum animalium coitu nascatur non satis liquet. *Damir* in uno exemplari, يقال انه متولد بين الفرس والفيل *Ajunt* quidam *generari ex equo, & elephante.* In altero, pro الفرس id est, *equo*, legitur القرش id est, ἈΣΠΙΔΟΧΕΛΏΝΗ. Ità redditur in *Lexico Coptico* pag. 171. Porrò ἀσπιδοχελώνη est *ceti species tam portentosæ magnitudinis*, ὡς πολλάκις τοῖς ναυτιλλομένοις νήσου μεγάλης φαντασίαν ἐμποιῆσαι, *ut sæpe navigantibus speciem ingentis insulæ exhibeat*; ut *Eustathius* asserit in *Hexaemeron* pag. 19. *Zamachsari* dicit القرش cetum unum esse è maximis, qui naves frangat, & subvertat. Alii rotundum esse dicunt. Proinde orcam esse puto, quæ à tereti figura dicta est. *Orca* enim est vasis genus rotunda forma; unde etiam *urceus*. Placuit igitur nugatoribus nasci monocerotem ex elephantis cum orca coitu: quorum ille in terra, hæc in mari maximum est animal.

Nec de mole satis convenit. In *Alkazninio* كركند حيوان في جثة الفيل خلقته كخلقة الثور الا انه اعظم منه *Carcand* (seu *monoceros*) *animal est elephanti statura, bovis habitu, nisi quod majus est.* In Geographo est دون الفيل وفوق الجاموس *infra elephantem, & supra bubalum*: ut in Paulo Veneto *paulò minor elephante.* At in *Damire* est دون الجاموس *infra bubalum*: In Vartomano *pullo equino triginta menses nato haud absimilis*: in Marmolio *tamaño de un potro de dos años*, id est, *statura pulli biennis.* In Geographo في عنقها عوج كعنق الجمل لكن اعوجاجه بخلاف اعوجاج عنق الجمل وراسها مايل الي يديها *collum habet curvum ut camelus, sed contrario flexu: caput enim habet inclinatum ad anteriores pedes.* In *Alkazninio*, من العجب كونه قد جمع بين الحافر والقرن فان كل حيوان ذي قرن له ظلف *E mirabilibus naturæ ejus est, quod solidam ungulam & cornu conjunctum habet, cum alia omnia animalia, quæ cornuta sunt, ungulam divisam habeant.* Contra *Damir*, وليس في الحيوان ذو قرن مشقوق الطرف غيره *Nullum est cornutum animal divisum in extremis* (id est, ungulis) *præter istud.* Sed, addita negatione, legendum لا مشقوق *non divisum.* Sequitur, وهو يجتر كالبقر والغنم والابل وياكل الحشيش *Et illud ruminat ut bos, & ovis, & camelus, & gramine vescitur.* Animal est longævissimum, si verè *Alkazninius*: يعيش سبعماية وهيجانه بعد خمسين سنة *Annis vivit septingentis, & impetus ejus ad Venerem incipit post annum quinquagesimum.*

Est in eodem غضب سريع *ira preceps.* يخافه جميع الحيوانات بارض الهند *Timent illud omnia animalia in terra* Indiæ. اذا كان بارض لم يدع شيا من الحيوان في تلك البلاد حتي لو كان بينه وبينه ماية فرسخ من جميع الجهات فانها تهرب من هيبته *Cum aliquam terram occupavit, non permittit, ut ullum animal in ea degat in centum parasangarum intervallo ab omni parte. Et reliqua omnia præ ejus metu fugiunt,* Hæc *Alkazninius.* *Damir* etiam, qui refert اهل الهند populum

India ita tradere. Sed, ut addit, illi inprimis
شديد العداوة للانسان اذا شم
رايحته او سمع حسه طلبه فاذا
ادركه قتله ولم ياكل منه شيا
grave in hominem est odium, ita ut, cum vel ex odore, vel ex auditu eum sensit, quærat illicò, & repertum interficiat, non tamen ex eo quidquam comedat. Est & illi cum elephante bellum internecinum. *Damir*,
وهو عدو الفيل *Infensum est elephanti.* Nec multo post, ولة قرن واحد في راسه
عظيم لا يستطيع لثقله ان يرفع
راسه وهذا القرن مصمت قوي الاصل
حاد الراس يقاتل به الفيل فلا تفيده
معه ناباه شيا *Et unicum cornu habet in capite tam magnum, & grave, ut caput tollere non possit. Estq; solidum illud cornu, validum in radice, acutum in summitate, quo elephantem interficit, nec quidquam ei prosunt sui dentes.* Et rursus, زعمون انه ربما
نطح الفيل فرفعه على قرنه *Illud elephantem ajunt, suo cornu transfixum, sæpe sublimem attollere.* Unde *Alcamus*, الكركدن دابة
تحمل الفيل على قرنها Alcarcaddan, *fera, quæ super cornu suum fert elephantem.* Sed, ut *monoceros* elephantem, ita *ruch* avis monocerotem sursum attollere creditur. Idem *Alcamus*, الرخ
طاير كبير يحمل الكركدن Ruch, *magna avis, quæ fert monocerotem.* Quinetiam lethalis est monoceroti in elephantem victoria. *Alkazuinius*,
اذا راي الفيل يتبعه وراءه ويضربه
بقرنه ويقوم على رجليه ويرفع الفيل
حتى ينشب بقرنه ثم يريد ان
يخلص لا يمكنه فخرّ على الارض
فيموت هو والفيل ايضا *Cum videt elephantem, eum à tergo aggreditur, & cornu suo ferit, & stans in posteriores pedes elephantem attollit, donec in cornu suum infigatur. Tum verò libenter se eriperet, sed non potest, & cadit in terram, & moritur tam ipse, quam elephas.* De cætero additur ان السلاح
لا يعمل في الكركند ولا يقوم له
سبع ويهيج *tela in monocerotem nihil posse, neque feras in eum insurgere, quæ illum sollicitum teneant.* Interim tam diro animali mutua esse fertur cum palumbo amicitiæ necessitudo. Idem ibidem, يحب
الفاختة يمشي الي شجرة عليها عش
الفاختة فيقف تحتها ويطيب نفسه (i) بهد
يرها والفاختة تقع على قرنه فلا
يحرك راسه كي لا ينفر الفاختة
Palumbum ita diligit, ut se conferat ad arborem, in qua is nidificat, & sub ea stet, & ejus gemitu delectetur. Stat vicissim palumbus super illius cornu: & immoto capite manet monoceros, ne palumbus fugiat. Supersunt de cornu quædam dicenda.

(i) *Legendum*, بهديلها

Jam illud grave & solidum descripsit *Damir*, & in radice validum, & in summo acutum. Et *Geographus*,
لها قرن في وسط جبهتها طويل في
غلظة قبضتان *In media fronte cornu habet longum, & crassum, quantum ambæ manus complecti possunt.* Et *Alkazuinius*, على راسه قرن واحد
حاد الراس غليظ الاسفل فيه احنا
محدبة الي وجهه ومقعرة الي ظهره
Unicum in capite cornu est, in summo acutum, infra crassum, cum striis extra gibbosis, & intus concavis. Hæc de superficie: nunc audi quid intus lateat. *Geographus*, يوجد في بعض هذه القرون
اذا هي شقت صورة انسان او صورة
طاير او غيره من الصور كاملة
الشكل بيضا *In horum cornuum nonnullis, si scindantur, invenitur hominis, aut avis, aut rei alterius figura, coloris albi, perfectè delineata.* Et paulo post, وتكون الصورة التي توجد فيه
من اوله الي اخره *Et figura, quæ reperitur, totum cornu occupat ab initio ad extremum.* Ita etiam *Algiahid* in libro الامم *Sacerdotum*, متي نشر
ظهر فيه صور عجيبة مختلفة *Cum scinditur, in eo apparent variæ figuræ mirabiles.* Et *Damir* disertius, واذا نشر طولا تخرج منه
صور مختلفة بياض في سواد
كالطاووس والغزال وانواع الطير والشجر
وصور بني ادم وغير ذلك من
غرايب النقوش *Cum serrâ dissecatur in longum, variæ ex eo figuræ emergunt albi coloris in nigro,*

nigro, puta pavonum, caprearum, avium, & arborum certa speciei, hominum quoque, & rerum aliarum pictura mirabilis. Usum quod attinet, cum in cornu tales figuræ reperiuntur, ex eo fieri scribit *Geographus*

مناطق تساوي من القيمة كثير

balteos qui magni æstimantur. Nempe à *Sinensibus* maximè. *Algiahid,* يتخذ اهل الصين من

تلك القرون مناطق تبلغ قيمة

المنطقة منها اربعة الاف مثقال ذهب

Inde Sinensis populus balteos desumit, quorum singuli valens plus quam quatuor aureorum siclorum millia.

Ita *Damir* ex iisdem cornibus sumi dicit صفايح

في سرر الملوك ومناطقهم ويتغالون

في اثمانها *bracteas Regum soliis, & balteis exornandis, quæ carissimè emuntur.* Sed & اشرف

حلي اهل الصين *nobilissima* Sinensium *monilia* ex eadem materia confici scribit *Algiahid.* Et *Gihani,* Reges *India* ex hoc ipso cornu habere

انصبة السكاكين للموايد *cultrorum manubria ad mensarum usum,* quæ venenatos cibos sudore suo prodant. Facile esset addere multo plura hujus commatis ex *Damire*, & aliis, de cornu monocerotis: sed præstat

Μέτρα φυλάσσειν· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.

Nunc ab extremo *Meridie* in *Septentrionem* delatis alia sese offeret species monocerotis; nempe حرشن *charsan*, vel حريش *charis*, cujus hæc est descriptio in *Alkazninio:*

حرشن حيوان في جثم

الجدي ذو عدو وعلى راسه قرن

واحد كقرن الكركند واكثر

عدوه على رجلين لا يلحقه شي

لسرعة استحضاره مشيه وانه ليوجد في

غياض سجستان وبلغار Charsan *est animal hœdi staturâ, ad cursum agile, unum in capite cornu habens, ut cornu carcand* (seu propriè dicti monocerotis.) *Pedibus tam rapide currit, ut nullum animal id assequatur propter gressus ejus celeritatem, & pernicitatem. Reperitur in* Segestanæ & Bulgariæ *sylvis.*

Damir, الحريش دابة لها مخالب

كمخالب الاسد ولها قرن واحد في

هامتها يسميها الناس الكركند

Charis *fera, quæ habet ungues tanquam leonis, & in medio capitis cornu unicum. Vulgo* carcand *vocatur.*

Abugiar Attaugidæus, هي دابة صغيرة في

جرم الجدي ولها من قوة الجسم وسرعة

الحركة ماتعجز القناص ولها في وسط

راسها قرن واحد مصمت مستقيم تنطح

به جميع الحيوان فلا يغلبها شي

Parvum est animal hœdi specie, cui robur corporis, & motus celeritas tanta est, ut fatiget venatores. In medio capite habet unicum cornu solidum, rectum, quo omnia animalia impetit, neque ullum est, à quo superetur. Eodem refer hæc *Eustathii* in *Hexaemeron* pag. 40. Ὁ δὲ μονόκερως ζῶόν ἐστι μικρὸν, ὅμοιον ἐρίφῳ, δεινότατον σφόδρα· ἓν δὲ κέρας μόνον ἐπὶ τῆς κορυφῆς ἔχει τῆς κεφαλῆς. *Monoceros animal parvum est hædo simile, asperrimum, unicum cornu habens in summo capite.* Hujus animalis venandi, si credimus, mira ratio. *Damir* ubi supra,

ويحتال الصيدها بان يعرض لها

فتاة عذرا او صبية حسنا فاذا

راتها وثبت الي حجرها كانها تريد

الرضاع وهل محبه فيها طبعية

فاذا رضعت تصير كالنشوان من

الخمر فياتيها القناص في تلك

الحال فيشدها وثاقا في سكون

منها بهك الحيلة *Et dolis utuntur ad ejus venationem. Ipsi scilicet offertur virgo, aut puella pulchra; qua visa in antrum suum insilit, lactari gestiens, quod natura sua maximè appetit. Et postquam lactata est, fit ebria tanquam ex vino. Quo momento venatores, in eam irruentes, hac arte firmiter vinciunt non reluctantem.* Ita ferè *Isidorus Originum* libri 12. cap. 2. *Tanta autem fortitudinis est* (unicornis) *ut nulla venantium virtute capiatur: sed, sicut asserunt, qui naturas animalium scripserunt, virgo puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille, omni ferocitate deposita, caput ponit, sicq; soporatus, velut inermis, capitur.* Et *Eustathius*, jam citatus de parvo illo unicorni hœdo simili: Θηρᾶται τοίνυν δι' παρθένον ἁγνὴν φέρουσιν αὐτῷ ἐπὶ ἀφροδισίων· ὁ δὲ εἰς τοὺς κόλπους αὐτῆς ἐφάλλεται (al. εἰσβάλλεται) ἡ δὲ, ἐγκαλπίσασα αὐτὸν, εἰς τοὺς οἴκους τῶν βασιλέων ἀποκομίζει. *Hac ratione capitur. Virginem incorruptam ante eum conjiciunt: in cujus sinum insilit* (aut se conjicit:) *illa autem, fovendo complexa, in regias domos defert. Petrus Damianus* libri secundi Epistola decima octava, *Nunquam scilicet à venatoribus capitur, nisi prius in virginis gremio reclinetur.* Albertus Magnus, *Unicornem ajunt adeò puellas virgines venerari, ut ipsis visis mansuescat, & aliquando juxta eas in somnum delapsus capiatur, ligeturque.* Apud *Tzetzem Chiliadis* quintæ capite septimo venatores

Νέον τινὰ τῶν κρατερῶν στολίζοντες ὡς κόρην, &c.

Juvenem aliquem è fortioribus, puellari stolà indutum, & eximiis aromatibus imbutum, illius antro admovent: cujus specie & fragrantiâ fera illecta venatoribus se offert, qui, pretioso cornu abscisso, illam dimittunt. Fabulæ toties jactatæ, & tot modis interpolatæ, dedit occasionem, quod veteres monocerotem scri-

scripserant solitarium esse animal, & marem à fœmina plerumque dissidere: certo tamen anni tempore fœminæ amore mansuescere, & cum illa pasci. *Æliani Historiæ* libri decimi sexti capite vigesimo, ὥρᾳ δὲ ἀφροδίτης τῆς σφετέρας συνδυασθεὶς πρὸς τὴν θήλειαν πεπραΰνεται, καὶ μένει καὶ συννόμω ἐστίν. Et *Phile* capite 36.

Πραΰνεται δὲ πρὸς τὴν θῆλυν μόνον,
Οἴστρῳ χαλνοῖς ἐκδαμάζων τὸ τύφον.

Itaque ad puellas translatum est, quod à veteribus traditum fuerat de fœmina monocerotis. Ad *Borealem* hunc monocerotem pertinent quæ citat *Gesnerus* in capite *De Oryge* ex Epistola *Antonii Schenebergeri*. *Certum est, minimeq́; dubium, in* Carpatho *monte versus* Russiam Transylvaniamq́; *reperiri feras similes omnino rupicapris, excepto quod unicum cornu ex media fronte enascitur, nigrum, dorsum versus inflexum, simile omnino rupicaprarum cornibus.* Et quæ idem habet in fine *Corollaris* de monocerote: *Rupicapra genus unicorne*, Polonicè *skalnakoza, quasi* rupeacapra, *invenitur in monte* Carpatho, & *sæpe in venationem* Cracoviam *in aulam adfertur, ut retulit* Albertus Moscenius Polonus, *eximiæ doctrinæ juvenis, ipsum se non semel vidisse asserens.*

Etiam huc pertinet المراج *mirag*, Alkazuinio دابة عجيبة مثل الارنب على راسه قرن واحد لم يرها شي من الدواب الا هرب وتوجد في الجزاير البحار *animal mirabile, specie leporis, cornu unicum in capite habens: quo viso, fera nulla est, qua non statim fugiat. Reperitur in insulis maris.* In *Alkazuinio* meo non dum reperi: tamen ex eo citat *Damir*. Alibi, quod sciam, hujus animalis nulla mentio. Sed in *vita Peireskii* cornutos lepores memorat (k) *Gassendus*. Verba sunt, *Visere voluit* (Lovanii) *apud viduam Medici cujusdam cornutos duos lepores, qui ex* Norvegia *dicebantur allati. Et quia reperit mortuum alterum, obtinere quovis pretio & illius cornua & geminorum iconismum voluit.*

k) Lib.2.p.96.

Ex quorundam sententia, sed quam suo loco (l) refellimus, his addendus يامور *jâmur*, vel يحمور *jachmur*. *Ibnu-Saida*, اليامور هو جنس من الاوعال لو بشبهه له قرن واحد يتشعب في وسط راسه Jâmur *est ibicis genus, aut ibici similis, in medio capite unum cornu habens, in multos ramos divisum.* Cujus generis omnino fuit bovis aut cervi genus, quem in *Hercynia* sylva *Cæsar* ita describit lib. 6. *Commentariorum. Est bos cervi figura, cujus à media fronte inter aures unum cornu existit excelsius, magisque directum his, quæ nobis nota sunt cornibus: ab ejus summo sicut palma ramiq́; latè diffunduntur.*

l) Cap.22.pag. 913.lin.98. supra.

Symeoni Sethi peculiare hoc fuit, quod musci capreolum voluit esse monocerotem: Τοῦ μόσχου, inquit, διάφορα εἴδη εἰσίν. ὧν ὁ κρείττων γίνεται ἐν πόλει τινὶ πολὺ τῆς Χοράσαν ἀνατολικωτέρᾳ, λεγομένη τῆς Πατᾶ. ἔστι δὲ τὴν χροιὰν ὑπόξανθον. τούτου δὲ ἥττων ὁ ἀπὸ τῆς Ἰνδίας μετακομιζόμενος· ῥέπει δὲ ἐπὶ τὸ μελάντερον. καὶ τούτου πάλιν ὑποδεέστερος ὁ ἀπὸ τῆς Σίνων ἀγόμενος. πάντες δ' ἐν ὀμφαλῷ ἀπογεννῶνται ζώου τινὸς μονοκέρωτος μεγίστου ὁμοίου δορκάδος. *Musci variæ sunt species. Optimus nascitur in urbe quadam* Tupatâ *dictâ, quæ multo magis est* Orientalis quàm Chorase. *Colore autem est subflavus. Et isto deterior est, qui ex* India *advehitur; ad nigrum vergens. Quo rursus imbecillior qui defertur ex* Sinis. *Omnes autem generantur in umbilico animalis unicornis maximi capreæ similis.* Urbis nomen unde advehitur *Græcè* divisis vocibus scribitur τῆς Πατᾶ, & à *Ruellio Pata* redditur. Sed rescribendum Τούπατα, id est, تبت *Tubet*, urbs, & regio notissima (ultra *Chorasan*, quæ hic *Chorase* dicitur) ex qua moschum optimum advehi magno consensu scribunt *Arabes*. *Avicenna* libri secundi capite *De musco*, اجوده بسبب معدنه التبتي *Optimus est sua fodina* (id est, *originis*) *ratione* Tubetiensis. Interpres ridiculè, *Melior est secundùm mineram suam* Antebium. *Geographus Nubiensis* in fine Climatis quarti, المسك التبتي افضل من ساير المسك الهندي والصيني *Muscus* Tubetiensis *præstat reliquis ex* India, & Sina. Proinde, quamvis etiam in *India* proveniat muscus, *Tubetiensi* tamen *Indi* libentius utuntur, tanquam suo præstantiori. *Damir* capite الظبي seu *De caprea*, ويقال انه يسافر من التبت الي الهند فيلقي ذلك المسك هناك فيكون رديا *Muscus* è Tubet *dicitur in* Indiam *advehi, in qua quidem muscum etiam reperire est, sed malum.* Idem de *Sinensi* musco judicium, qui cur sit *Tubetiensi* deterior, doceant hæc *Masudi* in libro *Mixtionis auri cum metallis substantia terrea.* فضل المسك التبتي على الصيني بجهتين احدهما ان الظبا التبت ترعي سنبل الطيب وانواع افاويه وظبا الصين ترعي الحشيش دون ما ذكرنا من انواع حشايش الطيب الذي ترعاها التبتية والجهة الاخري ان اهل التبت لا يعرضون لاخراج المسك من نوافجه ويتركونه على ما هو به وان اهل الصين يخرجونه من النوافج *Muscus* Tubetiensis Sinensi *præstat duabus de causis: quarum una est, quod capreæ* Tubetienses *pascuntur spicâ odoratâ* (nardo) *& aliis aromatibus, cùm* Sinenses *capreæ herbis pascantur, quæ sunt inferiores herbis illis aromaticis, quibus pasci diximus* Tubetienses *capreas. Altera causa hæc est, quod* Tubetienses *muscum non solent è folliculis suis educere, sed eum relinquunt super id, in quo est. Contra* Sinenses *eum educunt è folliculis,* &c. Hunc ipsum *Masudis* locum citat *Serapio*. Sed interpres pro Tube-

Tubetiensi, & *Sinensi musco*, habet *muscum regionis Tumbasi*, & *Seni*; & reliqua etiam mirè corrumpit. Sed hæc obiter. Nostra enim solum interest scire, an musci capreolus verè sit monoceros, quomodo scribit *Symeon Sethi*. Quod nos putamus esse falsissimum; quia constanter tradunt *Arabes* hunc à reliquis capreolis in eo solùm differre, quod duos dentes habet exertos, ut apri dentes, quos *Plinius sicas* appellat. *Avicenna* libro secundo, المسك* الماهية* سرة دابة كالظبي بعينه له نابان ابيضان معقفان الي الانسي كقرنين *Muscus quid est? Est umbilicus animalis instar capreæ, cui dentes albi duo sunt ad interiora reflexi, ut cornua.* Masudius ubi supra, لا فرق بين غزلاننا هذه وبين غزلان المسك في الصورة ولا في الشكل ولا اللون ولا القرن وانما تبين ذلك بانياب لها كانياب الفيلة لكل ظبي نابان خارجان من الفكين قايمان منتصبان ابيضان نحو الشبر واقل واكثر *Capreoli musci ab his nostris nullâ in re differunt, non formâ, non specie, non colore, non cornu. Tantum eos dentes distinguunt, quos habent instar dentium elephanti. Nempe singulis capreolis duo sunt dentes ex maxillis prodeuntes, erecti, elati, albi, ad spithamæ mensuram plus minus.* Damir, ويلتحق بهذا النوع غزال المسك ولونه اسود ويشبه ما تقدم في القد ودقة القوايم وافراق الاظلاف غير ان لكل واحد منهم نابين ابيضين خارجين من فيه في فكه الاسفل قايمين في وجهه كنابي الخنزير كل واحد منهما دون الفتر *Etiam ad hanc speciem pertinet musci capreolus, nigri coloris, ei, de quo jam actum, staturâ similis, & tenuitate crurum, & ungularum divisione. Nisi quod unusquisque ex illis albos dentes duos habet ex ore exertos in inferiore maxilla, ad faciem ejus erectos ut apri dentes, singulos infra mensuram λιχάδ@.* Λιχὰς Arabicè الفتر est *intervallum inter pollicem & indicem extensos*; ut σπιθαμὴ. Arabicè الشبر *spatium inter pollicis & auricularis extrema.* Latini *dodrantem aut palmum majorem* appellant. His adde *Geographum*, qui nona parte Climatis tertii regionem, & urbem التبت *Tubet* describit, وبجبال هذه المدينة دواب المسك وهي عنز بردة *Et in regionis illius montibus animalia* musci, *quæ sunt capræ sylvestres.* Hæc ille, ne γρῦ quidem addens de cornu illo unico. Ut nec *Mesue*, nec *Serapio*; nec *Elluchasem*, nec *Arabum* quisquam alius, qui de musco scripserunt.

Hæc ex *Arabibus* hactenus. Sed & *Hebræi* de unicornibus animalibus nonnulla muginantur hic inferenda. *David Psalmi* sexagesimi noni versu trigesimo primo profitetur se Deum iis laudibus celebraturum, quæ gratiores & acceptiores futuræ sint משור פר מקרן מפרים, *bove juvenco, cornuto, divisis unguibus*: id est, bove non quovis, sed jam juvenco.

Qui cornu petat, & pedibus jam spargat arenam;

utpote cui cornua & ungulæ jam cœperint invalescere. In quo statu victimas offerre moris erat, ut Deo placerent magis. Hanc *Davidis* mentem esse nemo non videt. Magistri tamen in re clara cespitant. Et hic agi volunt de bove, quem *Adamus* Deo obtulerit statim à creatione: ac proinde vocari שור פר, *bovem juvencum*. Et שור quidem, id est, *bovem*, nomine speciei, quo vocatur vitulus quo die natus est, *Levit.* 22. *v.* 27. Et פר id est, *juvencum*, respectu status, in quo Deus illum creaverat, nempe eâ staturâ, & iis viribus, quibus pollet juvencus biennis, aut triennis. Addunt primo מקרן, id est, *cornutum* dici; deinde מפרים, id est, *ungulis divisis valentem*: quia quo momento creatus est, atque è terrâ, matre sua, tanquam è matrice, est editus primus ille bos, cornua emerserunt, prius quam pedes emergerent. Observant denique acuti homines מקרן, *cornutum* defectivè scribi pro מקרין: & ideo deesse *Jod*, quia bos ille fuit unicornis. *Kimchius* in hunc locum, רז״ל אמרו משור שהקריב אדם הראשון ואמרו שור שהקריב אדם הראשון קרנותיו קודמין לפרסותיו. שנאמר מקרן ומפרים ואמרו עוד קרן אחת היה לו במצחו שמקרן כתיב בלא יוד *Dixerunt patres nostri beatæ memoriæ, agi de bove, quem obtulit primus* Adam. *Nempe, ut ajunt, bovis ab eo oblati cornua priora fuerunt ungulis. Unde est, quod* cornutus *dicitur ante, quàm* ungula divisus. *Addunt, cornu in fronte unicum illi fuisse, ac proinde* מקרן *scribi sine* Jod. Horum ultimum, de quo nunc res est, sic habetur in *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* fol. 28. b. אמר ר׳ יהודה שור שהקריב אדם הראשון קרן אחת היתה לו במצחו שנ׳ ותיטב לה׳ משור פר מקרן ומפרים מקרין תרתי משמע אמר רב נחמן בר יצחק מקרן כתיב ולי פשוט מנה דמין בהמה הוא כיון דאיכא קרש דמין חיה הוא וליכא ליה אלא קרן חדא איכא למימר מין חיה הוא *Dixit* R. Juda, *Bos, quem obtulit primus* Adam, *cornu unicum habuit in fronte; sicut dicitur* Psal. 69. "*Gratius erit Domino, quàm bos cornutus*, &c. (Object.) *Cum dicatur absolutè* מקרן cornutus, *duo cornua significantur.* Resp. *Dixit* R. Nachman *Isaaci filius, Defectivè scriptum est* מקרן. (Object.) *Inde videtur elici fuisse speciem bestiæ domesticæ.* Resp. *Quin fuit* קרש monoceros, *id est, feræ species, quæ nonnisi unum habet cornu. Unde concludendum est fuisse feræ speciem.* Hæc illi, quod ut eximium repetunt in Tractatu *De Idololatria* capitis primi folio octavo a. & in Tractatu *Cholin*, seu *De profanis*, capitis tertii fol. sexagesimo a. In quo ipso loco folio quinquagesimo nono b. וקרש אע״פ שאין לו אלא קרן אחת מותר *Et monoceros, licet nonnisi unicum cornu habeat, licitus est.* Sed ibi capreis accensetur, non bobus. Sequitur enim non multo post, אמר ר׳ יהודה קרש טביא דבי עילאי טיטרס ארידה דבי עילאי *Dixit* Rabbi Juda, קרש monoceros *est caprea sylvæ* Ilai,

ut

ut tigris est leo sylvæ Ilai. Et ibi Glossa *R. Selomonis, Rabbini Galli*, qui vixit ante annos ferè sexcentos. קרש ריין בלעז *Monoceros* Gallicè *dain*, id est, *dama*. *Aruch in Lexico* voce קרש docet in sylva *Ilai* feras esse majoris staturæ, ut *Anakæos* inter homines. Itaque ex illius sententia קרש est *dama solito major, & unicornis in illa sylva degens.* De hac eadem fera rursus agitur in *Bava Bathra* fol. 6. b. ubi una *Jobi* filiarum vocari dicitur (l) קרן הפוך *cornu stibii*; שדומה לקרנא קרש, *quia similis fuit cornu* קרש seu *monocerotis*. Et in *Glossa*, קרש dicitur esse מין חיה וקרניה משחירין כמו צבע; *feræ speciem, cujus cornua denigrant instar* nigræ *tincturæ*. Sic *Ælianus* libri decimi sexti capite vigesimo. Monoceros habet cornu μέλαν τὴν χρόαν *colore nigrum*. Et de eodem *Phile*,

Μέλαν δὲ πᾶν ἐκεῖνο τῆς ἀκμῆς δίχα,

Illud autem totum nigrum est præter cuspidem. Quod *Latinus* interpres in diversissimum sensum ità detorsit, *Ad usque florem quod juventutis nigrum est.* Ex his constat, ex *Hebræorum* sententia monocerotem esse aut bovis aut capreæ speciem. Unde est, quod pro mundo habent, ut qui ruminet, & fissam habeat ungulam. Neque obscurum est, cur קרש *karas*, vocent. Est enim decurtata vox ex *Græca* μονόκερως.

(l) Iob. 42, 14.

Sequitur, si *Hebræis* credimus, alia unicornis species ab his prorsus diversa; nempe תחש *tachas*, *melem*, aut *taxum* reddunt nostri interpretes: at *Hebræis* תחש, est animal unicorne hodie ignotum, quodque nusquam comparuit, postquam *Moses* ejus pellibus tabernaculum obtexit. *Talmudici* Tractatu *De Sabbatho* ubi suprà, תחש שהיה בימי משה בריה בפני עצמה היה ולא הכריעו בה חכמים אם מין חיה הוא אם מין בהמה הוא וקרן אחת היתה לו במצחו ולפי שעה נזדמן לו למשה ועשה ממנו משכן ונגנז מדקאמר קרן אחת היתה לו במצחו שמע מינה טהור בריה Tachas, *qui fuit in diebus* Mosis, *creatura fuit peculiaris, de qua Sapientes non deciderunt, sitne feræ species, aut bestia domestica. Habuit autem in fronte cornu unicum. Et eo tempore* Mosi *se obtulit, qui fecit ex eo tabernaculum. Deinde occultata est* (& ex oculis sublata.) *At ex eo, quod unum in fronte cornu habuisse dicitur, colligere est fuisse mundam.* Quod obiter sufficit hic observâsse. Alibi enim disquiremus quid propriè sit תחש, & varias hujus vocis interpretationes inter se conferemus.

Quod penè omiseram, *David de Pomis, Medicus & Philosophus Hebræus, Spoleti* natus, ut ipse jactitat, ex nobili התפוחים, seu *Pomariorum* familiâ, à *Tito Romam* translatâ, in *Lexici* titulo professus se quædam arcana de unicorni dicturum, in ipso *Lexico* hoc solum habet, Cornu unicornis multum pollere נגד סם המות ונגד קדחות דבריות *contra venena lethalia, & febres pestilentes*, ut ipse se expertum asserit, sed adulterari nonnunquam, & cervi cornu pro eo supponi. Proinde inquit, אני אתן לך סוד גדול לדעת טוב ורע תשים הקרן תוך כלי ותשים גם עמו ב׳ או ג׳ עקרבים גדולים ותכסהו באופן שלא יוכלו לנוס ואחר ב׳ או ג׳ שעות תפתח אותו ואם תמצא העקרבים פגרים מתים הקרן יתן חיים וזה דבר ברור ומנוסה *Aperiam tibi grande arcanum, quo bonum à malo dignoscas. Pone cornu in medio vase, & cum eo duos aut tres magnos scorpiones: & vas ità occlude, ut aufugere non possint; & illud aperi post duas aut tres horas: si scorpiones mortuos repereris, cornu erit vivificum. Quod compertum, & probatum est.*

Superest de oryge dicamus, quod unicorne fuisse animal docent veteres. *Plinius* libri undecimi capite quadragesimo sexto, *Unicorne bisulcum oryx.* Et multò antè *Philosophus Historiæ* libri secundi capite primo, Μονόκερων δὲ, καὶ δίχηλον, ὄρυξ· *Unicorne autem, & bisulcum, oryx.* Et libri tertii capite secundo, Ἔστι δὲ καὶ μονόκερατα, ὅτι ὄρυξ, καὶ ὁ Ἰνδικὸς καλούμενος ὄνος· *Sunt autem & unicornia, & oryx, & asinus* Indicus *dictus*. Definit *Hesychius* ζῶόν τι τετράπουν δορκάδι κατὰ τὴν χρόαν παραπλήσιον, *animal quoddam quadrupes capreæ colore vicinum. Plinius*, libri octavi capite quinquagesimo tertio, ponit in censu caprarum sylvestrium, quas ut doceat in plurimas similitudines transfigurari, postquam capreas memoravit, & rupi-capras, & ibices, *Sunt*, inquit, *& oryges, soli quibusdam dicti contrario pilo vestiri, & ad caput verso.* *Columella* tamen cervis videtur accensere, cum libri decimi caput primum ità orditur; *Feræ pecudes, ut capreoli, damæque, nec minùs orygum cervorumque genera.* In *Africæ* desertis, perpetua siti damnatis, mirabilis erat oryx ad remedia sitientium. Namque *Getuli* latrones eo durabant auxilio, repertis in illius corpore saluberrimi liquoris vesicis. (m) Ab *Ægyptiorum* Horoscopis magni fiebat ob sideralem scientiam (n): nempe ut Caniculæ sternutamento (o), ità Lunæ & Solis ortum clamore incondito significabat (p) aut alvi dejectione. Qua ipsa de causa fuit Hieroglyphon immunditiæ (q): & ab *Ægyptiorum* Sacerdotibus solus oryx edebatur ἀσφράγιστος (r). Quod jam explicare sit superfluum post *Salmasium* (ſ) & alios (t). *Indi* Regibus suis oryges offerebant pro donario (u). In *Ptolemæi* pompa apud *Athenæum* (x) orygum bigæ septem erant. *Romæ* in vivariis oryges fuisse colligo ex *Columella* (y): in cœnis ex *Juvenali* (z): in Amphitheatris ex *Martiali* (a). Orygis cornu *Simi Æthiopes* pro armis in bello utebantur (b). *Græci* ad pacis artes, ex eo cithararum cubita facientes (c), quas *phœnices*, id est, *punicas*, indè dictas putaverim: quia orygum cornua habebant ex *Africa*, & *Getulia*, *Pœnis* deferentibus (d). Sed & ex pelle orygis *cetra* (e) fiebant, id est, minora *Maurorum* scuta, ut *Juvenalis Scholiastes* auctor est (f). Me penè fugerat *Heliodori* locus (g), quo *Persina Æthiopum* Regina, in sacrificia & convivia adhibet βοῶν τε ἀγέλας, καὶ ἵππων, καὶ προβάτων, ὀρύγων τε, καὶ γρυπῶν, *boum greges, & equorum, & ovium, orygumque, & gryphorum*. Ità legendum, non ὀρτύγων *coturnicum*. Quid enim sint coturnicum greges? Et quid illis cum bobus, equis, ovibus, &c. Ex his cùm abundè constet olim oryges notissimum fuisse animal, & in *Africa* maximè multi usus, mirum est illorum hodiè ne tenuissimum quidem superesse vestigium. Nisi quis orygum esse species putet unicornes illas capras, quas in monte *Carpatho, Bulgariâ, & Segestanâ* descripsimus. Fallitur enim *Bellonius*, cui *Arabum* gazellæ bicornes circa montem *Sina*, & alibi, sunt veterum oryges: cùm *Arabicè gazel*, vel غزال *gazál* potiùs, nihil quidquam sit, quam *caprea hinnulus*. *Ibno-Saida*, & *Damir*; الغزال ولد الظبي الي ان يتقوي ويطلع قرناه Algazal, *caprea hinnulus, donec invaluerit, & cornua ejus creverint.* Alcamus الغزال الشادن حتي يتحرك ويمشي Algazal, *hinnulus robustior, jam ad motum, & incessum aptus.* Alii ibidem algazal vocari asserunt من حين يولد الي ان يبلغ اشد الاحضار *à tempore, quo natus est, usque dum fortiora habeat latera.* Itaque pro *Dorcade* غزال *gazál*, vel غزالة *gazála* habetur *Act.* 9. v. 36. Et pulsûs quædam species, quæ *Galeno* (h) est σφυγμὸς δορκαδίζων, ab *Avicenna* dicitur (i) النبض الغزالي *pulsus gazalizans*, ut ità dicam. Et in *Nasrio*, scriptore *Onirocritico Oxonii* MSS. lib. 3. cap. 4. sect. 22. pro eodem sumuntur ظبي *caprea*, & غزال *gazál*.

(m) Plin. lib. 10, cap. 73.
(n) Orus lib. 1. cap. 46.
(o) Ælian. lib. 7. cap. 8. Plin. lib. 2. cap. 40. Damasc. & Vita Isid. in Phot. Plut. lib. De solert. anim.
(p) Æl. lib. 10. cap. 28. Orus ubi suprà.
(q, r) Orus ibidem.
(ſ) Salmas. in Solin. pag. 229.
(t) Caussin. in Orum.
(u) Æl. lib. 13. cap. 25. & lib. 15. cap. 14.
(x) Athen. lib. 5.
(y) Colum. lib. 10. cap. 1.
(z) Iuven. Sat. 11.
(a) Martial. lib. 13. Epigr. 95.
(b) Agatharc. cap. 26.
(c) Herod. lib. 4.
(d) Plin. lib. 10. cap. 73.
(e) Iuven. Sat. 11.
(f) Scholia ibidem.
(g) Lib. 10.
(h) Galen. Isag. pull.
(i) Avic. pag. 63.

Ab aliorum oryge planè diversus videri possit *Oppiani* oryx libri secundi *Cynegeticῶν* versu 445. *Hesychio* enim oryx est capreæ concolor. At *Oppiano*

Τῶ δ' ἤτοι χροιὴ μὲν ἅ τ' εἰαρινοῖο γάλακτος,
Μούναις ἀμφὶ πρόσωπα μελαινομένῃσι παρειαῖς·

Hujus color est tanquam verni lactis, solis circa faciem nigricantibus genis. Secundo idem illi tribuit διπλὰ μετάφρενα *geminum dorsum*; quod orygi nemo alius. Tertiò, cùm oryx *Plinio* capreæ, & *Columella* cervi sit genus, oryx *Oppiano* est animal tanti roboris, atque animi, ut tauri, ursi, & leonis impetum sustinere audeat. Quartò, *Aristoteli* & *Plinio* oryx est unicornis, sed bicornis *Oppiano*, qui de cornibus orygis semper agit Plurali numero. Sic versu 450,

Ὀξεῖαι κεράων δὲ μετήοροι ἀντέλλουσιν
Ἀκμαὶ, πευκεδαναὶ, μελανόχροον εἶδος ἔχουσαι·

Acutæ autem cornuum in sublime surgunt cuspides, perniciosæ, nigram speciem habentes. Et versu 468,

—— πήξας τε κατὰ χθονὶ πικρὰ βέλεμνα,

Et fixis in terram acerbis telis, id est, *cornibus*. Et versu 471. cum describens cornibus obvias feras impetentem,

Τεύχεσιν ὀξυτέροις δεδοκημένος ἔμπεσε θηρί,

Cum armis acutioribus tanquam ex insidiis in feram irruit. Et versu 481,

Ῥεῖα γὰρ ἐν στέρνοισιν ὀλισθαίνουσιν ἀκωκαί,

Facilè enim in pectus penetrant cuspides, supple *cornuum*. Denique aliorum oryx cum sit capreæ species, in *Juvenalis Scholiaste* bubalo minor, quid ad *Oppiani* orygem? quem cum rhinocerote sic confert versu 551,

Ῥινόκερως δ' ὄρυγος μὲν ἔφυ δέμας αἰθύντηρος
Οὐ πολλὸν μείζων, ——

Rhinoceros autem impetuoso corpore non est oryge multò major. Tamen hæc non faciunt, ut in animum inducam aliud animal ab *Aristotele*, *Plinio*, & aliis, aliud ab *Oppiano orygis* nomine describi, quod multi volunt. A colore enim ut ordiar, fieri potest, ut orygum alii, juxta *Hesychium*, dorcadum colorem habeant, alii lacteum candorem. Quomodo etiam in dorcadum genere platycerotes aliquando totæ albæ sunt. Sed de colore dorcadum capite sequenti plura dicentur. Frustra etiam objicitur dorsum geminum, cum aliud sint διπλὰ μετάφρενα in *Oppiani Græco* textu, nempe dorsi partes inter humeros & lumbos, ità dictæ, quod sitæ sint μετὰ τὰς φρένας *ponè præcordia*. Quæ partes non in oryge solo, sed & in omnibus animantibus geminæ sunt, spinâ illas intersecante. Unde etiam hominis μετάφρενα *Homerus* Plurali numero dixit. Quid, quod *Græcè* διπλοῦν, *Latinè duplex*, passim pro *lato* sumitur? Sic spondylii semen διπλοῦν pro *lato* dixit *Dioscorides*. Et summo *Poëtæ*

— *duplici dentalia dorso*

sunt *dentalia lato dorso*. Et,

— *duplex agitur per lumbos spina* —

id est, *lata præ pinguedine*, ut vult *Servius*. Quidni pari ratione διπλᾶ orygis μετάφρενα dicantur, quæ sunt πίονα δημῷ *adipe pinguia*, ut in eodem versu additur tanquam per ἐπεξήγησιν,

Διπλᾶ δὲ οἱ μετόπισθε μετάφρενα πίονα δημῷ.

Robur in pugna quod attinet, etiam alii præter *Oppianum* orygem nobis describunt ut animal pugnacissimum. *Martialis* libri decimi tertii *Epigrammate* 95.

Matutinarum non ultima præda ferarum,
Sævus oryx, constat quot mihi morte canum?

Ad objectionem de cornibus responderi posset, *Oppianum* orygi cornua tribuere eâdem Numeri Enallage, quâ versu 474,

—— κεράεντα μέτωπα,

cornutas frontes; quamvis illi frons sit unica. Id ex eo videatur posse colligi, quod cornuum aciem, quam reclinat ad pugnam, hastæ, non furcæ comparat. Sed, quod puto verius, non omnes oryges sunt unicornes. *Ælianus* enim in *India* non bicornes solùm, sed & ὄρυγας τετρακέρως *oryges quadricornes* memorat libri decimi quinti capite decimo quarto. At plus videtur esse vitium in eo, quod de statura objicitur. Si enim è caprarum genere est oryx, bubalo, vel capreâ minor; quorsum ab *Oppiano* describitur rhinoceros, ut non multò major oryge? Quid statura capræ, vel capreæ, faciat ad molem rhinocerotis, qui elephanto est propè par? Respondeo de orygis magna mole tale quid etiam in *Herodoto* (k) legi: Μέγαθος δὲ τὸ θηρίον τοῦτο κατὰ βοῦν ἐστι. *Ad bovis magnitudinem hoc animal accedit.* Bove porrò, vel thauro rhinoceros major non est juxta *Strabonem* libro decimo sexto. Quo pertinere crediderim quod in veteri *Juvenalis Scholiaste* legitur, *Oryx, animal minus quàm bubalus.* Fortasse enim *bubali* nomine non δορκάδιον cum *Græcis*, sed *urum* intelligit cum vulgo: neque verò bove vel uro multò minus fuit animal, quod & jungebatur bigis; ut apud *Athenæum* (l) testatur *Callixenus Rhodius*, & equi vices præstabat priscis *Ægypti* Regibus, quos describit *Horus* (m) ἐποχουμένους τούτῳ τῷ ζώῳ *huic animali insidentes.* Oryx quidem est è caprarum sylvestrium genere, sed ità ut ad cervi naturam & staturam magis accedat. Itaque orygem cum cervis recenset (n) *Columella*. Etiam apud *Plinium* (o) *cervi subulonis* nomine orygem significari multis contendit (p) *Salmasius*, atque in hanc rem id citat ex veteri *Glossario*, *Sublones*, ὄρυγες, θηρία. Denique capræ natura & statura bovinæ proxima ne putentur ἀσύστατοι, notentur hæc *Æliani* de capris *Libycis* libri decimi quarti capite decimo sexto: Αἶγες ἄγριαι τὰς Λιβύων ἄκρας νεμόμεναι ... εἰσι κατὰ τοὺς βοῦς τὸ μέγεθος ἰδεῖν. *Capræ feræ, summos* Libum *montes terentes, accedunt ad boum magnitudinem.* Sed de oryge plura in sequentibus.

(k) Lib. 4. cap. 192.
(l) Lib. 5. c. 7.
(m) Hierogl. lib. 1. cap. 46.
(n) Lib. 10. cap. 1.
(o) Lib. 11. cap. 37.
(p) In Solin. pag. 122.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Probatur ראם *reem*, vel רים *rem*, non esse *Monocerotem*, ut volunt; nec *urum*, ut placet *Bootio*: sed *bicornis Capreæ* speciem, aut *Orygem*.

ראם reem, *vel* רים rem, *procerum animal.* [illegible] *quid propriè.* ראם, *animal* ἁλτικόν. *Idem validum, ferum, indomitum, cornutum. Principum in Scriptura typus. Duo* Psalmorum *loca ab* Hieronymo *ad monocerotes translata, quia aliter lecta. Rhinoceros* Hebræis *ignotus.* Isidorus *rhinocerotem cum monocerote confundit.* Græcos *veteres videri posse ferè eadem* τῷ μονοκέρωτι *tribuisse, quæ Scriptura* τῷ reem: 1. *insignem proceritatem*; 2. *cornu unicum, ut in speciem* David τῷ reem Psal. 92. v. 11; 3. *feritatem indomitam*; 4. *summum robur. Tamen absit, ut* reem *putetur esse* monoceros. *Suspectum enim, quidquid de eo afferunt. Neque enim sibi constant. Nec solum diversi diversa de monocerote scribunt: sed & singulæ descriptiones multa habent ἀσύστατα· ut cum jungunt cervi caput, & equi corpus, cum pedibus elephantis: & his pedibus tribuunt cursum citatissimum. Hoc animal vivum posse capi absurdè negant.* Rem à Jobo *solum à cultu terræ eximitur. Nemo* Græcorum *aut* Romanorum *se hoc animal vidisse scripsit. Neque quisquam* Arabum, *qui* Indiam *diu tenuerunt.* Garcias ab Horto, *&* Linschotius, *qui in* India *vixerunt multis annis, nihil de eo certi afferunt.* Vartomanus *oryges à se visos describit, non veros monocerotes. Cornua, quæ pro monocerotum cornibus ostentant, sunt ceti dentes.* Reem *est bicorne animal,* Deut. 33. v. 17. *&* Ps. 22. v. 22. *Frustrà opponitur locus* Ps. 92. v. 11. Hebræi *quoque bicornem describunt.* Reem *non est* rhinoceros; *de quo* Hebræi *&* Arabes *nihil habent, cujusq; cornu valde depressum.* Reem *non est urus. Urus, animal in* Judæa *ignotum: in* Græcia *quoque, &* Romæ *ante* Cæsarem, *qui in* Hercynia *sylva primus descripsit.*

Urus in Syria *nullus, nec in* India, Arachotis, *&* Troglodytis, *ut contendit* Bootius. *Bisontes tam feri, quam uri.* Reem *non esse in boum, sed in caprearum censu,* Arabes, Chaldæi, *&* Hebræi *docent.* *Tres capreæ species apud* Arabes, *quarum una* rim *dicta sinceræ albedinis, in arenis degens, pinguissima. De illa* Poeta *vetus cum* Scholiis. *Princeps indè cognominatus.* Rupicapra, *&* *dama, tota albæ.* *Cervæ etiam in* Aristotele, Plinio, Silio. *Cerva* Sertorii *alba.* *Aliæ similes. Quomodo in arenis capreæ pinguescant.* *Has capreas caput & aures in altum erigere, unde nomen* reem. *Etiam* רישן, *capreæ genus à* Chaldæis, Syris, *&* Arabibus, rim, *vel* rema *redditur; quia* רשן, pinguedinem *sonat.* אורזילי urzil, *Chaldæis, idem quod Arabibus* gazal. Chaldæi *sæpe R inserunt post primam radicalem.* Urzila *Talmudicis idem, quod* reem. *Aben-Ezra* reem *est* ibex. *Obj. De* reem *ea dici, quæ capris non conveniunt. Capræ enim parvæ sunt, debiles, imbelles, & cornibus parum valent, contrà quàm* reemim. *Resp. Damæ cervis pares, aut suppares, tamen in capreis.* Algazel *in* Alberto *longa & acuta habet cornua, quibus impetit adversas sibi bestias.* *Rupi-capra unicornis, pugnax animal, apud* Arabes, *&* Eustathium. *Capræ & oves alicubi apros audent aggredi, & ad mortem usque pugnant. Damæ quàm fortia ineant prælia. Orygis fortitudo in* Martiali, *&* Oppiano, *qui obiter emendatur. Orygem vocari* reem; *quia oryx vero* reem *est simillimus.* Simi Æthiopes *orygum cornibus pugnabant.* Strabo *perperam* Silos *vocat.* Simi *iidem, qui* Auxumitæ. *Ab hoc cornu orygi nomen.* ריצא, oryx *pro* רעיצא, *à* transfigendo. *Orygis statura major.* Job *non negat absolutè* רם *mansuefieri. Oryx aut* Ægyptium *animal, aut* Ægyptiis *notissimum.* Hori *locus de oryge emendatus. Oryx* Judæis *etiam non ignotus. Cervus apud* Arabes *inter bovis feri species. In* Cæsare *bos describitur cervi figurâ.*

ANimal, de quo hic agitur, רם *rem*, vocatur *Job.* 39, 9. al. 12. sed frequentius ראם *reem*, unde Plurale ראמים *reemim*, & defectivè רמים *remim*, Psal 22. v. 22. Ex Scriptura colligere est primo procerum esse animal, cum de *Israele* dicit *Balaam* Num. 23. v. 22. & 24. v. 8. כתועפות ראם לו, *Tanquam altitudines reem ipsi sunt.* Græci, ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐτῷ. Alii *vires* aut *robur* hic intelligunt: ego *altitudinem*. Sic *Ps.* 95. *v.* 4. ותועפות הרים לו, *Et altitudines montium ipsius sunt*, quomodo reddunt ferè omnes: quia sensus ità postulat. Et *Job.* 22, 25. וכסף תועפות לך *Et argentum* vel *nummi altitudines erunt tibi*, id est, nummi tui in cumulos exsurgent. Alibi non reperitur. Radix יעף est *fatigari*. Sed quia in ascensu montium fatigamur, posuit etiam in *ascendendi* notione usurpari: ut *Arabicè* يفع per Metathesim. Sic in *Alcamus*, & *Gianbari* يفع الجبل *conscendit montem*; يفوع *excelsa loca*, يافعات *alti montes*, ميفعة *eminentia*, يفاع *procerus, adultus*, (ut viri sunt anno ætatis vigesimo) *Gen.* 49. *v.* 26. in *Arabica* Paraphrasi *Parisiis* editâ. Secundò, ראם *reem*, describitur ut animal ἁλτικὸν, & πηδητικὸν, cùm de voce Dei dicitur *Ps.* 29. *v.* 6. *Facit, ut exsiliant cedri sicut vitulus*, Libanus, *&* Sirjon (id est, *Hermon*, Deut. 3. v. 9.) כמו בן ראמים, *ut filius* (seu *hinnulus*) *reemim*. Tertiò, hoc idem animal validum esse, & ferum, & indomitum docet inprimis *Jobi* locus capitis trigesimi noni versu nono (*al.* duodecimo) & sequentibus; *An volet* רם rem, *servire tibi? An ad præsepe tuum pernoctabit? Num ligabis* rem *in sulco loro suo? an occabit valles post te?* id est, glebas, quæ sunt in sulcorum liris, ut volunt: quanquam *vallium* nomen hic proprie sumere nihil prohibeat. *Num fides ei, quia magnum est robur ejus, & committes ei laborem tuum? Num credes ei, quod reddat semen tuum, & in aream tuam congreget?* id est, Quomodo boum operâ ad terram arandam ità uteris, ut avari agricolæ votis segetes respondeant, an confides fore, ut, operâ ꝧ *rem* eodem successu adhibita, sata tua feliciter proveniant, & demessa, ac in aream comportata triturentur? Quartò, cornutum esse animal, & celso cornu, aut celsis cornibus, maximè terribile, hæc loca planum faciunt. *Ps.* 92. *v.* 11. *Et attolles* כראם, *ut reem* (id est, *ut cornu* reem) *cornu meum* Et *Deut.* 33. *v.* 17. de *Josepho*, & ejus posteris, id est, de tribubus *Ephraim*, & *Manasse* *Primogeniti bovis decor est ei*, וקרני ראם, *& cornua* reem, *sunt cornua ejus, quibus populos pariter feriet*, ad *terminos terræ*. Et *Psal.* 22. *v.* 22. *Serva me ex ore leonis, & à cornibus* רמים remim, *exaudies me.* Proinde ut Magnates cum juvencis, & tauris, ità & cùm τοῖς *reemim* conferuntur *Es.* 34. v. 7. *Et descendent* reemim *cum eis, & juvenci cum tauris*; id est, Magnates & Principes *Idumæorum*. His de *rem*, aut *reem*, locis adduntur alia duo ex *Psalmis*, sed perperam translata. Prius ex *Hieronymi* versione *Ps.* 37. *v.* 20. *Inimici Domini, gloriantes ut monocerotes, consumentur.* Pro quo reddendum, *ut adeps agnorum consumentur*. *Hebraice* enim est כיקר כרים, *cikar carim*; sed *Hieronymum* puto legisse ביקר כרים *bijekar cerem*, id est, *in gloria ut rem*, seu *monoceros*. Posterius est *Ps.* 78. *v.* 69. *Et ædificavit ut* רמים *ramim*, (id est, *ut excelsa*) *sanctuarium suum* Aquila, ὑψηλῶς. Symmachus, εἰς τὰ ὑψηλά. Syrus, ܐܝܟ ܪܘܡܐ, & *Arabs Savarianus*, على العلا *super excelso*; Æthiops, በአርያም: *in excelso*. Ità etiam *Hebræi* omnes, quos videre contigit; *Chaldæus* tamen, היך קרנא דרימנא, *ut cornu* ꝧ *remana*, id est, ꝧ *reem*; Seniores, ὡς μονοκέρωτος· Vulgatus, *sicut unicornium*; Hieronymus, *in similitudine monocerotis*; Arabs alter مثل ذي القرن الواحد *ut unicornis*: quia pro *ramim* legerunt *remim*. Sed quoquo modo hæc loca legas, nihil ex iis accedet ad descriptionem ꝧ *reem*; quem ex præmissis probavimus animal esse procerum, ad saltum habile, validum, ferum, indomitum, elatis cornibus terribile, & Principum in Scriptura typum. Quodcunque igitur animal sit *rem*, vel *reem*, necesse est, ut ei conveniant omnes hæ notæ. Quibus observatis, peritus lector paratior erit ad sequentem disputationem, in qua varias hujus vocis interpretationes excutere, atque inter se conferre nobis propositum est.

Prima eorum est, quibus *reem*, vel *rem*, animal est unicorne, sive intelligatur propriè dictus *monoceros*, sive *rhinoceros*. Pro *monocerote* stant *Seniores* Interpretes; pro *rhinocerote Aquila*. *Hieronymus*, inter utrosque ambiguus, modò *monocerotem* aut *unicornem* reddit, modo *rhinocerotem*. Sed inter recentiores *rhinoceros* paucos habet sequaces. Utùt enim hæc *Kimchus* in *Lexico*, אין לראם אלא קרן אחת Reem *non habet nisi unum cornu*, & hæc *Aquinatis*, מין בהמה שאין לה כי אם קרן אחת חזקה מאד *Feræ species unico cornu, quæ valdè robusta est*: utùt, inquam, hæc tam ad *rhinocerotem*, quàm ad *monocerotem* videantur posse referri, tamen hunc non illum intelligi suadet, quod in eorum scriptis de *monocerote* est multa mentio, ut jam ante docui, cum de *rhinocerote*, quod sciam, ne γρῦ quidem scripserint. Præterea ראם *reem*, *Pomarius* disertè definit, חיה שאין לה אלא קרן אחת במצחה *feram, quæ non nisi unicum cornu in fronte habet*. Quod non convenit *rhinoceroti*, cujus cornu non est in fronte, sed in naribus. Et vulgari lingua *lioncorno* reddit, id est, *unicornem*.

Et in *Arabica Saadiæ* versione *reem* explicatur كركدن *carcaddan*, id est, *monoceros*, Deut. 33. v. 17. ut in *Savariana Psalmorum* editione وحيد القرن, & in *Æthiopica* አሐዱ : ቀርን : id est, *unicornis*. Sed & *Latini* hoc ævo Scripturæ interpretes, *Zwinglius, Bucerus, Oecolampadius, Stephanus, Munsterus, Felix Pratensis, Calvinus, Castalio, Pagninus, Ar[illegible]s, Marinus, Mercerus, Borrhaus, Mollerus, Junius, Tremellius, Osiander, Piscator, Drusius, Schindlerus*, & è vernaculis, *Galli, Germani, Belgæ, Itali, Hispani*, hoc idem sequuti sunt. Denique, si eos excipias, qui *Hieronymo* se prorsus addixerunt, recentiorum pauci admodum *rhinocerotem* in sacris libris admittunt. In his tamen *Oleaster, Steuchus, Fererius, Mariana, Pagninus* quoque in *Jobo*, quamvis illi ראם *reem*, alibi semper sit *unicornis*. An quia vir, *Hebraismi* peritior, quàm naturæ animalium, *rhinocerotem* credidit idem esse animal cum *monocerote*? Quomodo *Isidorus*, qui utriusque historiam ità permiscet: *Rhinoceros*, inquit, *à Græcis vocatus, Latinè interpretatur* In-nare-cornu, *Idem & monoceros, id est, unicornis*: *eò quod unum cornu in media fronte habeat pedum quatuor.* Quod est absurdissimum. Neque enim in nare, & in media fronte, potest esse idem cornu. Sed de singulis jam seorsim.

Quisquis vel monocerotis, vel asini *Indici*, qui idem esse meritò putatur, descriptiones apud *Ctesiam, Ælianum, Plinium*, & alios legerit, facilè conjiciet, cur *Septuaginta Seniores* ראם *reem*, voluerint esse *monocerotem*. Nempe *Græci* veteres *monoceroti* eadem ferè tribuunt, quæ Scriptura τῷ *reem*. Primò enim, ut in τῷ *reem*, sic in asino *Indico*, vel *monocerote*, si mavis, insignis est proceritas. *Ctesias* in *Excerptis* apud *Photium*, Εἰσὶν ὄνοι ἄγριοι ἐν τοῖς Ἰνδοῖς, ἴσοι ἵπποις, καὶ μείζους. *Sunt asini sylvestres in* India, *equis pares, aut etiam majores.* *Ælianus* libri quarti capite quinquagesimo secundo, Ὄνους ἀγρίους οὐκ ἐλάττονας ἵππων τὸ μέγεθος ἐν Ἰνδοῖς γίνεσθαι πέπυσμαι. *Feros asinos equis magnitudine non inferiores apud* Indos *nasci accepi*. Et de monocerote idem libri decimi sexti capite vigesimo, Λέγεται δὲ καὶ ζῷον ἐν τούτοις εἶναι μονόκερων, καὶ ἀπ' αὐτῶν ὀνομάζεσθαι καρτάζωνον, καὶ μέγεθος μὲν ἔχειν ἵππου τοῦ τελείου. *Dicitur & in iis* (*India* animalibus) *esse monocerotem, quem* carcazonum *vocant, eumque habere equi adulti magnitudinem.* Secundo, cùm ראם *reem*, cornu unicum, idque celsum & elatum habere collegissent ex his *Davidis* Psal. 92. v. 11. *Et attolles ut cornu reem cornu meum*, huc pertinere putaverunt quæ de asini *Indici*, aut *monocerotis*, unico in fronte cornu tradunt veteres. *Ctesias*, Κέρας δὲ ἔχουσιν ἐν τῷ μετώπῳ ἑνὸς πήχεως τὸ μέγεθος. *Cornu habent in fronte cubitale.* Ælianus, Κέρας δὲ ἔχειν ἐπὶ τοῦ μετώπου (πέπυσμαι) ὅσον πήχεως τὸ μέγεθος, καὶ ἡμίσεως προσέτι. *Cornu in fronte habere* (audio) *ferè sesquicubitale.* Plinius, *Asperrimam feram monocerotem*, &c. *uno cornu nigro mediâ fronte cubitorum duûm eminente.* Solinus, *Cornu è media ejus fronte protenditur, splendore mirifico, ad longitudinem pedum quatuor*: fabulâ semper in majus auctâ. Tertiò, ut רם *rem*, à *Jobo* describitur ferus, & indomitus: ità asinus *Indicus*. Ctesias, Ζῶντα γὰρ οὐκ ἂν λάβοις: Ælianus, Ζῶντα μὲν οὖν τέλειον οὐκ ἂν λάβοις. Et de monocerote idem, Τοῦτον δὲ τέλειον ἁλῶναι οὔπω οὐδεὶς μέμνηται. Plinius, *Hanc feram vivam negant capi.* Solinus, *Vivus non venit in hominum potestatem, & interimi quidem potest, capi non potest.* Isidorus, *Tantæ est fortitudinis, ut nullâ venantium virtute capiatur.* Quartò, ut de *rem*, vel *reem*, in *Jobo* dicitur, *Magnum est robur ejus*; & in *Mose*, *Cornua* reem *sunt cornua ejus, quibus populos feriet*; & in *Psalmo*, *A cornibus* reemim *exaudies me*: sic asinus *Indicus*, vel *monoceros*, describitur ut animal pugnacissimum, & tam calce, quàm dente, & cornu venatoribus terribile. *Ctesias* de asinis apud *Photium*, Μάχονται δὲ καὶ κέρασι, καὶ λακτίσμασι, καὶ δήγμασι, καὶ πολλοὺς καὶ ἵππους, καὶ ἄνδρας ἀπολλύουσι. *Pugnant & cornibus, & calcibus, & morsibus, ità ut multos, cùm equos, tum viros interimant.* Addit *Ælianus* illis *tantum esse virium, ut quidquid percusserint nihil obsistat, sed omnia eis cedant, & dissecentur, aut, si sors tulerit, diffringantur, & perdantur. Equorum enim*, inquit, *latera in cursu suo sic dilacerant, ut viscera effundantur. Proinde timent equites ad eos accedere: cùm pœna sit illis, quod accesserint, morte miserrimâ mulctari, tamque ipsi, quam equi pereant. Sed & calcibus graviter pugnant: & morsus eorum ità penetrant, ut quidquid dente appetunt avellant.* Ut de monocerote *Phile*,

Ὁ μονόκερως δὲ θὴρ παρ' Ἰνδοῖς εὑρέθη,
Δεινὸς μὲν ὅδ' ἰδεῖν· εἰ δὲ λὰξ ἐπεισπέσοι,
Βαρὺς μαχητής, εἰ δὲ κύψας ἐνδάκοι,
Μόλις εὐφυὴς ἰατρικῆς χειρουργία
Πείσει παρελθεῖν τὴν φθορὰν τοῦ κινδύνου.

Monoceros apud Indos *reperitur visu horrendus: &, si calce irruerit, gravis pugnator, aut si inclinatus momorderit, vix industria Medicinæ chirurgia liberabit à periculosa labe.* Et paulò post ibidem describitur

——— τὸ μακρὸν, καὶ φθορᾶς πλῆρες κέρας,
Μᾶλλον δὲ τραχὺ καὶ σιδηρίας ῥίνης,
Ὀξύτερον αὐτὸ καὶ τεθηγμένου βέλους·

longum, & exitiosum cornu, limâ ferreâ asperius, & acuminato telo acutius. Et verò hoc animal volunt, utùt cætera terribilem, tamen cornu maximè timeri. *Ælianus*, Ἔστι μὲν οὖν καὶ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ῥωμαλέον· ἀλκὴ δὲ οἱ τοῦ κέρατος ἄμαχός ἐστι· *Toto quidem corpore validus est, sed invicti in cornu roboris.* Solinus, *Cornu*, &c. *ità acutum, ut quidquid impetat facilè ictu perforetur.* Isidorus, *Cornu ità acutum, & validum, ut quidquid impetierit, aut ventilet, aut perforet.* Hæc afferenda putavimus in eorum gratiam, qui ראם *reem*, volunt esse *monocerotem*: ut eos lector sciat habuisse saltem in speciem rationes non contemnendas, quibus freti hanc sententiam amplecterentur. Quæ tamen si suadeant, nobis quidem haudquaquam persuadent, iis de causis, quas jam dicturi sumus.

Harum prima hæc esto, quod de *monocerote* quidquid veteres, aut recentiores tradunt, nobis est meritò suspectum; cùm *Poetæ* in *Sphingis*, & *Chimæræ*, & *Cerberi*, & *Lamiæ*, & *Gorgonum*, & *Sirenum* descriptione multò magis sibi constent, quàm in historia *monocerotis*, qui de eo scripserunt. Et *Plinius* quidem, *Solinus*, *Ælianus*, & *Phile* non ità multùm dissident à *Ctesia*, primo fabulæ architecto: sed *Philostorgium* & *Nicephorum* ab his prorsus esse diversum & ab utrisque *Arabes*, & sub hoc eodem nomine nobis aliud animal exhibere *Paulum Venetum*, & *Vartomannum* rursus aliud, abunde suprà (*a*) docuimus. Quamvis *Græcos* cum *Arabibus*, aut cum utrisque recentiores conferre nihil sit opus: cùm secum ipsi palam dissideant ferè quotquot monocerotem describendum suscepe-runt. Ità *Plinius* & *Solinus* cum dicunt caput habere cervi, corpus equi, & pedes elephanti. Quod non convenire nemo non videt. Nam ut cervi caput & equi corpus, alios pedes; ità elephanti pedes caput à cervino, & corpus ab equino diversum postulant. Sed ridiculum est inprimis, quod habet *Ælianus*; Ποδῶν δ' ἄριστα εἰληχέναι, καὶ εἶναι ὤκιστον, καὶ τοὺς μὲν πόδας ἀδιαρθρώτους τε, καὶ ἐμφερεῖς ἐλέφαντι συμπεφυκέναι· *Pedes optimos nactum, & esse pernicissimum, licet inarticulatos & elephanti similes habeat*: nam elephanti pedibus nihil ad cursum est ineptius: maximè ad cursum citatissimum, qualem huic animali tribuunt, de quo *Ctesias* apud *Photium*, Ταχύτατον δέ ἐστι τὸ ζῷον τοῦτο, οὐδὲν δὲ, οὔτε ἵππος, οὔτε ἄλλο τι διωκόμενον καταλαμβάνει· *Velocissimum autem est hoc animal, quod neque*

(a) Cap. 16. pag. 914. lin. 3. &c.

que equus, neque ullum aliud persequendo assequitur: & *Ælianus*, Διώκειν ἐκεῖνον τοῦτο δὴ τὸ ποιητικὸν, μεταθεῖν τὰ ἀκίχητά ἐστι· *Fieri quidem potest, ut quis illum insequatur, at ut assequatur est impossibile*: Prætereà, si caput habet cervi, caudam apri, pedes elephantis, & reliquo corpore equo est similis, quorsum *asinus* dicitur, cum asini nihil habeat? Jam quid ineptius, quàm quod omnes tanto consensu negant, vivam posse capi hanc feram? Quidni verò vel apertâ vi, vel saltem dolo capiatur? *Marte, vel arte*; quod ajunt? Quo privilegio hoc unum animal ab hominum imperio se subduxerit, quibus ab initio dixit creator, *Gen.* 1. *v.* 28. *Replete terram, & eam subjicite: Dominamini in pisces maris, & in volucres cœli, & in omnes bestias, quæ super terram gradiuntur?* Et statim à diluvio *Gen.* 9. *v.* 2. *Timor vestri terrorque vestri sit super cuncta terræ animalia.* Unde *David* Ps. 8. *v.* 9. *Omnia subjecisti pedibus ejus, greges, & armenta universa, & insuper agri bestias.* Et *Jacobus* capitis tertii versu septimo, *Omnis enim natura bestiarum, & volucrium, &c. domatur, & domita est à naturâ humana.* Itaque merum somnium est, aliquod esse animal, quod ex communi hac lege eximatur, & vivum in potestatem hominum nunquam incidat. Quod ipsi *Ethnici*, sola Naturæ luce, & experientia edocti, passim agnoscunt. Ut *Euripides* apud *Plutarchum* in libro *Utra anim.* Βραχύ τοι σθένος ἀνέρος· ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων δαμᾷ φῦλα πόντου, χθονίων τ' ἀερίων τε παιδεύματα. *Parvum est hominis robur; sed mentis solertiâ sibi subjicit maris bellųas, & terrestrium subtilem scientiam*: id est, quidquid in terrestribus feris est vaferrimum. Et *Oppianus Halieuticῶn* libri quinti ferè initio,

— οὐ γάρ τι φίλε καθυπέρτερον ἀνδρῶν,
Νόσφι θεῶν· μούνοισι δ' ὑπείξομεν ἀθανάτοισιν·
Ὅσσους μὲν κατ' ὄρεσφι βίην ἄτρεστον ἔχοντας
Θῆρας ὑπερφιάλους βροτὸς ἔσβεσεν; ὅσσα δὲ φῦλα
Οἰωνῶν, νεφέλῃσι καὶ ἠέρι δινεύοντα,
Εἷλε, χαμαιζήλου περ ἔχων δέμας; οὐδὲ λέοντα
Ῥύσατ' ἀγηνορίη δμηθήμεναι. οὐδ' ἐσάωσεν
Αἰετὸν ἠνεμόεις πτερύγων ῥόθος. ἀλλὰ καὶ Ἰνδὸν
Θῆρα κελαινόρρινον ὑπέρβιον ἄχθος ἀνάγκῃ,
Κλῖναν ἐπιβρίσαντες, ὑπὸ ζεύγλῃσι δ' ἔθηκαν
Οὐρήων ταλαεργὸν ἔχειν πόνον ἑλκυστῆρα.

Non enim quidquam est hominibus superius, præter Deos: & solis immortalibus cedimus. Quantas quidem in montibus vim imperterritam habentes feras extinxit homo? Quot autem sæcula avium, quæ in nubibus & aëre versantur, cepit, licet humile corpus habeat? Neque leonem liberavit fortitudo, quo minùs subjiceretur. Neque aquilam servavit ventosus alarum motus. Sed & Indam belluam nigro corio vi flexerunt, vastum onus ei imponentes, & sub mulorum jugis posuerunt, ut difficilem trahendi laborem sustineret. Itaque sicubi terrarum est monoceros, haud dubiè vivus capitur quandoq; & homini servire cogitur. Et *Jobi* hæc verba frustrà citaveris, *An volet* רים *REM servire tibi?* quasi his docuerit hoc animal ab hominum jugo prorsus eximi. Neque enim ibi agitur in genere de omni cultu, sed speciatim de cultu terræ, quod docet series sermonis; *An τὸν REM sulco alligabis loro tuo? An valles occabit post te?* Itaque his verbis solùm eximitur ab arandi necessitate, cui armenta obnoxia sunt. Sic in Adagio *Græco*, Ἐλεύθεραι αἶγες ἀρότρων, *Capræ ab aratris liberæ*, non tamen omnino liberæ. Sed, ut jam dicamus quod res est, quisquis de monocerote fabulam confinxit primus, necesse habuit hoc asserere, cum vivum non posse capi; quia vivus nunquam captus est. Addo etiam, neque mortuus: quia capi non potest quod nusquam extat. Saltem id certum è *Græcis*, quorum imperium usque ad *Indos* propagatum est, neminem unquam hoc animal ἐξ αὐτοψίας descripsisse. Neque de eo quidquam memorâsse leguntur Historici celebres, qui in *Alexandri* comitatu vixerunt, & ejus res gestas scripserunt. *Ptolemæus Lagi* filius, *Callisthenes*, *Onesicritus*, *Nicarchus*, *Archelaus*, *Strattis*, &c. quorum *Indica* passim citantur, *Aristobulus*, & *Clitarchus*: & his pares, aut suppares, qui & ipsi de *Alexandro* scripserunt, *Eumenes Cardianus*, & *Diodorus Erythræus*, & *Megasthenes*, qui sub *Seleuco Nicatore* apud *Indorum* Reges degens, scripsit de rebus *Indicis*. Hoc quoque est certo certius, *Romam* ex *Hyrcania* & *India* advectos fuisse tigres & ex extremis *Æthiopiæ* finibus rhinocerotes, & camelo-pardales: sed *Romanorum* esse neminem, qui unicornem vel per somnium se vidisse tradiderit. *Arabes* quoque multa quidem de monocerote scribunt, ut suprà docuimus, sed tam vana, & ridicula, ut illos appareat in meris palpare tenebris. Qualia ista sunt, Hoc nasci ex equi vel ex ceti cum elephante coitu, & vivere annos septingentos; & in utero matris latere per septennium; &, antequam nascatur, cornu, dentibus, robustâque ungulâ jam esse instructum; & per os maternæ vulvæ pullum caput exerere, ut pascatur ramis arborum; & colli contrario flexu caput habere ad pedes inclinatum; & in cornu dissecto hominum, avium, & arborum figuras apparere ab ipsa natura ad vivum in eo impressas; & monocerotem hoc cornu non solùm elephantes transfigere, sed & in sublime attollere, ut olim

Pertica suspensos portabat longa maniplos;

& illorum unum centum circumquàque parasangas devastare, ac in solitudinem redigere: nec tela in eum quidquam posse, aut reliqua animalia quidquam audere; excepta tamen ave *ruch*, quæ dirum animal unguibus tam facilè fert in sublime, quam milvus pullum, aut alaudam accipiter. Hæc febricitantium esse somnia quis non videt, quibus *Arabes* aperte produnt de animali, vel fabuloso, vel prorsus ignoto se hæc scribere? Porrò si vel in *India*, vel in *Nubia*, sit monoceros, non debet ità esse ignotus *Arabibus*, qui cum *Indis* & *Æthiopibus*, abhinc multis sæculis, frequentia habuêre commercia. Ut taceam *Chaliphas Arabum* ex *Abbasidarum* familia *Indiæ* imperâsse; ut ex *Elmacino* (b) constat. Et *Geographum Arabem* in ipsa *Nubia* esse natum, in qua tamen nullos describit monocerotes, sed in remotis *Indiæ* insulis. Quid, quod nostra tempora, quibus omnes orbis anguli summo studio peragrati sunt, monocerotes nusquam noverunt? En tibi verba *Bootii*, qui de hoc ipso acriter disputat *Animadversionum Sacrarum* libri tertii capite primo! *Sanè* Garcias ab Horto *pluribus annis, quibus in* India *vixit Pro-Regis Medicus, multorumque de indigenis doctorum virorum, ac Regum quoque amicitiâ & familiaritate usus, quanquam diligentissimus hujusmodi rerum scrutator, non modo unicornem videre non potuit, sed neque certi quidquam de ipso addiscere: nisi quod nonnullos se convenisse scribit, qui in extrema* Africæ *ora, exortus hyberno obversâ, animal quoddam unicorne se vidisse affirmarent. Sed, ut isti vera narraverint, nihil tamen hoc ad decantatum illum monocerotem, cum quo ex ipsorum notis parùm omnino commune habet hoc animal, utpotè & amphibium, & cornu præditum duos tantum palmos longo. Et civis meus* Johannes Hugonis Linschotius, *& ipse quoque rerum naturalium vestigator diligentissimus, atque integros duodecim annos commoratus in urbe* Goa *inter* Indiæ *celeberrimas, & quo undique comportatur quidquid in illis terris rari est, aut cari, nullum ibi vel αὐτοψίᾳ, vel certâ famâ, unicornem unquam accepit: ac proinde eum pro mero figmento habet.* Nempe *Itinerarii* sui capite quadragesimo septimo, ubi *rhinocerotem* ait à multis pro *monocerote* haberi, cum nullus adhuc alius monoceros inventus sit, aut cognitus, nisi rumore, & picturis. Itaque in *Indiam* aut *Nubiam* se conferentibus spe videndi monocerotes idem evenit, quod *Luciano*, qui, de populis electriferis ad *Padi* ripas inquirens, risum debuit locorum incolis. Fru-

(b) *Hist. Saracen. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 99.

Frustrà objicias duas unicornes in æde *Mecchana* visas à *Vartomano*, cui, tanquam viro optimo, fidem haberi jubet *Scaliger* in *Cardanum Exercitatione* ducentesima quinta. Neque enim hæ fuerunt veterum monocerotes solidungulæ, aut pedibus ἀδιαιρέτοις, quales asini, & equi, aut elephantes habent; sed bifidæ caprarum aut cervorum modo, quod ille disertè asserit. *Tibias*, inquit, *habet tenues id animal, easdemque graciles admodum hinnuli modo. Ungulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes fermè referentes.* Quod maximè notandum. Nam indè apparet orygem à *Vartomano* describi, non verum monocerotem. Ut pateat qua formâ fuerint oryges tam decantati, veterem Tabulam, in *Italia*, ut putatur, repertam, hic inserere libuit, in qua plures oryges vario situ describuntur. Eam mecum benignè communicavit raræ vir eruditionis, & mihi amicitiâ conjunctissimus, Dominus *Huet*, à quo pro *Africano* oryge majus aliud, nempe *Græcum Origenem*, cum bono Deo propediem edendum, avidè exspectamus.



Sed neque ad rem faciunt illa cornua, quæ in *S. Dionysii* Fano Windsoræ in *Anglia*, *Ultrajecti* in *Belgio*, &c. pro monocerotum cornibus asservantur. Neque enim hæc sunt quadrupedis cornua, sed ceti dentes. Quod primus aperuit *Bellonius*, & post illum multi confirmârunt. Sed omnium uberrimè scriptor ἀνώνυμος, qui Anno 1647. insignem *De Gronlandia* Tractatum linguâ vernaculâ edidit, Vir ἀξιέπαινος, si se continuisset intra illos fines, nec decertâsset in arena non sua, edito de rebus *Theologicis* Tractatu, cùm ad illa sacra sit prorsus ἀμύητος. Quod, ut cætera taceam, vel solus libri titulus aperte evincit, in quo *De Præ-Adamitis* scribendum sibi proponit: cùm *Moses* disertè neget ullos fuisse *Præ-Adamitas* Gen. 2. v. 5. &c. *Homo*, inquit, *non erat, qui operaretur terram*, &c. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, &c. id est, *Adamum*, ut planè constat ex sequentibus, & ipse ultrò agnoscit. Verum enimverò hæc sunt alterius loci, nec strictim attingenda, sed accuratè examinanda, quod fortasse à nobis fiet, si Deus vitam indulserit. Interim illum ipsum de *Gronlandia* ingenuè agnosco multa me docuisse, quæ scitu sunt dignissima: & in his monocerotum scilicet cornua, quàm alibi rara sunt, tam communia esse in regno *Daniæ*, quo ex *Gronlandia* & *Islandia* deferantur. Ibi enim inter varia monstra maris cetus quidam est *narhval* nomine, quasi νεκροκῆτον, aut πτωματοκῆτον dixeris. Ità *Islandi* nominant, quia creditur vesci cadaveribus. Ex hujus porrò ceti maxilla superiore dens à sinistra parte prominet, longus aliquot pedes, durus, ità rotundus, ut in conum desinat, superficie in spiras contorta, colore plerumque albo, sed quandoque subfusco; denique cornua, quæ dixi, tam exactè referens, ut ovum ovo non sit similius. Id se scriptor Anonymus didicisse profitetur à Domino *Wormio*, qui ceti illius cranium ipsi exhibuerit cum affixo dentis fragmento quatuor pedes longo. Et de hoc eodem dente multa habet à pagina sexagesima secunda usque ad paginam nonagesimam quartam, quæ legisse non pœnitebit. Solum sufficiet addere, quidquid ille scribit eâ de re à viris præstantissimis & fide dignissimis, illo ipso *Wormio*, & utroque *Bartholino*, mihi, per *Daniam* iter facienti, plene fuisse confirmatum, ostensam quoque portionem dentis similis maxillæ adhuc infixi. Sed &, quod à nemine miror observatum hactenus, in urbe *Holmia*, *Sueciæ* metropoli, in regio κειμηλιαρχίῳ, cujus me ibi degente custos erat vir doctissimus mihique amicissimus Dominus *du Fresne*, habetur cranium integrum ceti, quod descripsimus, non omnino bipedale, cum dente etiam integro quatuor pedes cum palmo extra maxillam prominente, ambitu in summa parte quinque pollicum, colore eburneo, multis σπειρηδὸν lineis superficiem ambientibus. Hoc mecum multoties vidêre nobilissimi juvenes, quos hujus itineris comites habui. In his Dominus *Huet* jam vocatus in partes. Et meo rogatu pictor eximius Dominus *Burdo* utramque cranii illius superficiem cum ipso dente ità expressit.



Ex his, quæ hactenus disputata sunt, cùm æquo lectori constet satis esse, cur meritò dubitemus, an verè extet monoceros, hoc est, unicorne animal, quale sub hoc nomine describitur à veteribus: dato tamen, non concesso, in aliquo *India* aut extremæ *Nubiæ* angulo, versus *Nili* fluvii fontes, latere monocerotem: saltem nemo est, qui non agnoscat id non potuisse *Judæis* esse compertum ante *Solomonis* tempora, qui *Tyriorum* ope primus, instructâ classe in mari *Rubro*, *Indiam* attentavit, & *Africæ* remotiora. Qui factum igitur, ut non solum *David*, qui pater fuit *Solomonis*, sed &, pluribus ante *Davidem* sæculis, *Job*, & *Balaam*, & *Moses* τῦ *reem* meminerint, si *reem* est *monoceros*? Præterea, etsi *Saadiæ*, *Kimchio*, *Pomario*, *Aquinati*, & *Judæorum* aliis recentis ævi ראם *reem*, sit *monoceros*, tamen in *Prophetarum* & veterum *Hebræorum* scriptis aliud significâsse ex eo constat, quod duo conua disertè tribuuntur τῷ *reem*. Sic. *Deut.* 33. v. 17. de *Josepho* Duali numero dicitur וקרני ראם קרניו, *Et duo cornua* reem *sunt duo cornua ejus.* Neque dicendum Duale hic pro Singulari sumi per Numeri Enallagen. Sequitur enim, *His* (supple *duobus cornibus*) *populos pariter feriet ad fines terræ: hæc autem sunt myriades* Ephraim, *&* *chiliades* Manasse; Vides, Lector, non solùm τῷ *reem* tribui duo cornua, sed & cum his duobus cornibus conferri duas tribus, nempe *Ephraim*, & *Manasse*, quæ *Josephum* pro patre habebant. Ut necesse sit duo cornua præcisè intelligi, neque ulla hic esse possit Enallage Numeri. Similis est *Davidis* locus *Psalm.* 22. v. 22. ומקרני רמים עניתני *Et è cornibus* τῶν reemim *me audivisti.* Nam & eo loco *cornua* Duali numero nominantur. Neque obstat, quod alibi singulari numerò dicit idem *Propheta, Et exaltabis ut* cornu *reem cornu meum.* Neque enim ibi legitur *cornu reem*, sed subintelligitur. *David* enim simpliciter dixit, *Exaltabis cornu meum, ut τῦ reem*, supple *cornu*, vel *cornua*. Utrumque enim potest suppleri. Et verò Duale hic supplent *Hebræi* vetustiores. Sic ad hunc locum *R. Eliezer* Capitulo decimo nono, *Extolletur cornu meum ut τῦ* reem. *Quid τῦ* reem? *Altiora sunt cornua ejus quàm bestiæ cujuslibet, & ferit cornu tam sinistro, quàm dextro.* Et in Tractatu *Talmudico Zebachim* (cap. 14. fol. 113. b.) ubi disputant quid diluvii tempore factum sit de fabuloso *reem*, qui, cum montis instar esset, non potuit in arcam ingredi, קרניו קשר בתיבה, *cornua ejus* (Noë) *alligavit arcæ.* Et in margine *Glossa* disertè, ומשני קרניו קשרו לתיבה *Et duobus cornibus suis alligavit eum ad arcam.* Itaque ex sententia veterum *Hebræorum*, bicornis fuit ראם *reem.* Unde est, quod *Talmudici*, cum de monocerote agunt, agunt autem in locis plusculis, non appellant ראם, *reem*, sed קרש *karas*, nomine decurtato, ut diximus, ex *Græco* μονόκερως. Sic *Arabicè* monoceros كركند *carcand* vocatur, aut كركدن *carcaddan.* Sed ريم *rim* illis aliud est animal, idem quod *Hebræis* רם *rem*, vel ראם *reem.*

Argumenta, quæ diximus, etiam *rhinocerotem* è Scriptura eliminant: quamvis enim rhinoceros sit verum animal, tamen veteribus *Judæis* ità fuit ignotum, ut eos non putem uspiam rhinocerotis meminisse. Quin, quod mirere magis, *Arabes* etiam in animalium historiis de rhinocerote altum silent. Nisi, quod in monocerotis descriptione nonnulla inferciunt, quæ sumpta fuisse patet ex historia rhinocerotis. Putà in elephantem immane odium, & quod ex *India*, & interiore *Æthiopia*, volunt advehi. Utrobique enim nascitur rhinoceros: in *India* circa *Bengalam*, *Cambajam* & *Patanen*, olim *Perimudam* dictam; & in *Æthiopia Rapsiis*, & circa *Raptum Promontorium*. De quo *Arrianus* in *Periplo*, Ἐκφέρεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων ἐλέφας πλεῖστος, ὅσον τε τῆς Ἀδουλιτικῶν, καὶ ῥινόκερως. Rhinocerotes igitur jure merito *Pausanias Æthiopicos boves* appellat: *boves* à mole corporis; & *Æthiopicos* ab origine. Neque causa fuit, cur vir doctus eo nomine dicam illi scriberet. Neque probo, quod idem, invicta duo argumenta professus se in eos allaturum, quibus *reem* est *rhinoceros*, horum unum ex eo sumit, quod rhinoceros, utùt difficulter dometur, *domituram tamen*, inquit, *haud in totum respuit.* Etsi enim ex *Jobo* constet τὸ *reem* non facilè domari, nec ad agricolationem ullâ ratione posse inflecti, non tamen indè sequitur, quod vult vir doctus, eum esse prorsus *indomabilem, & incicurabilem*, quę illius verba sunt. Sed alterum argumentum à brevitate cornu sumptum omnino valet. Neque enim rhinoceroti conveniunt hæc *Davidis, Exaltabis cornu meum ut τῦ reem*, supple *cornu*, vel *cornua*. His quippe verbis apparet agi de fera, שקרניו גבוהות מאד, *cujus cornua sunt valde celsa*, ut notavit *Aben Ezra*. At contrà depressissimum est, tam sitûs ratione, quàm molis, cornu rhinocerotis, cui

——— ὀλίγον ὑπὲρ ἄκρα ῥινὸς
——— ἀντέλλει κέρας,

ut ex *Oppiano* jam didicimus. Itaque hoc habemus hactenus, τὸν *reem*, neque *monocerotem*, neque *rhinocerotem* esse. Sed quale tandem sit animal, vel ex Scriptura, vel aliunde exsculpere, hoc opus, hic labor est.

Et *Bootius* quidem ex Scripturæ locis, inter se collatis, & accuratè perpensis, probare conatus est *reem* esse speciem bovis feri, eumque *urum*. Et probationem sic instituit. In multis Scripturæ locis bos & *reem* simul junguntur ut cognata animalia. Sic *Psal.* 29. v. 6.

Subsul-

Subsultare fecit eos sicut vitulum, Libanum, & Sirjonem, velut pullum reemim, Deut. 33. v. 17. Decorem habet, qualem bovis primogenitus, & cornua, qualia reem. Es. 34. v. 7. Dejicientur cum ipsis reemim, & boves una cum tauris. Sed, quod ad rem maximè facit, David Psalmo vigesimo secundo queritur infensissimos hostes undique sibi imminere, idque sub taurorum, leonum, & canum Allegoria; Circumvallaverunt me, inquit, boves prægrandes, tauri Basan cinxerunt me. Os in me diduxerunt leones rapaces, & rugientes: circumvallaverunt me canes, &c. Hæc versibus decimo tertio, decimo quarto, & decimo septimo. Posteà idem Deum orans, ut ab illorum hostium furore se liberet, hanc ipsam Allegoriam sic continuat versibus vigesimo primo & vigesimo secundo; Libera à gladio animam meam, & à canibus unicam meam: salvum me fac de ore leonum, de cornibus reemim exaudi me, id est, exaudiens erue me. Quæ cum præcedenti querela, si conferas, reemim hic dici reperies, qui priùs dicti fuerant boves prægrandes, & tauri Basan. Indè igitur colligit reem bovis esse aliquod genus, sed quem ferum, & cornibus insignem, & metuendum esse probent, cum loca jam citata ex Deut. 33. & Ps. 22. tum maximè quod habetur Psalm. 92. v. 11. Extulisti cornu meum tanquam ✝ reem; id est, dedisti mihi cornua ingentia, & prævalida qualia sunt cornua reem. Itaque reem non est veterum bonasus (hodiè bubalus) quia cornua habet in se reflexa, & ad pugnam inutilia, ut notatum est à Philosopho: sed vel bison, vel urus. Potiùs tamen urus: bisontem enim, utùt asperrimam, & ferocissimam belluam, arte humanâ ità mitescere posse, ut feritatem tandem deponat, docet Pausanias in Phocicis. At de uris disertè ait Cæsar libro sexto, assuescere eos ad homines, & mansuefieri, ne parvulos quidem exceptos, posse, quare foveis capti interficiuntur. Cætera quoque conveniunt. Ii enim, ut ibi habetur, sunt magnitudine paulo infra elephantes, specie, & colore, & figurâ tauri: magna vis est eorum, & magna velocitas: neque homini: neque feræ, quam conspexerunt, parcunt. Item, Amplitudo cornuum, & figura, & species multum à nostrorum cornibus differt. Quibus similia in Plinio & Solino legas. His rationibus fretus vir doctus ità concludit, Dubitandum igitur non est, quin reemi sint uri.

At ego licet viri illius doctrinam, & ingenium suspiciam, tamen graves habeo causas ab eo hâc in parte dissentiendi. Primò enim video in illum posse id retorqueri, quod eis rectè objicit, quibus reem est monoceros: Non esse verisimile voluisse Mosem, Davidem, aliosque Prophetas toties verba facere, ac similitudines desumere, ipsumque Deum ad Jobum tantum sermonis insumere de animali incognito in istis terris. Utùt enim quæ de uro traduntur veriora, & certiora sint, tamen ejus nomen multò est recentius, & fama longè obscurior, quam fuit monocerotis. De monocerote scripserat Ctesias ætate Artaxerxis Mnemonis, annis ante Christum natum circiter quadringentis. Et fabulam ex illo haustam Græci, Romani, Hebræi, Syri, Arabes, Æthiopes, & Persæ certatim exscripserant, atque in majus auxerant. At urum in intimis Hercyniæ sylvæ saltibus delitescentem Romanorum nemo noverat ante Cæsarem. Post quem pauci meminerunt. Et in veterum Græcorum scriptis altum de eo silentium. Hinc Plinius libri vigesimi octavi capite decimo, Nec uros, aut bisontes habuerunt Græci in experimentis. Et veteris Glossarii auctor necesse habuit hanc vocem per Periphrasin reddere; Urus βοῦς Γερμανός. Proinde cum βοὸς οὔρου bovis uri nomen usurpâsset Græcus Epigrammatarius, posteri non intellexerunt; atque ità corruptum exhibet Suidas,

——— καὶ βοὸς οὔρου
Δεκτὸν χρυσῷ παμφανόωντι κέρας.

Quod explicant, Et bovis custodem ornatum auro splendidissimo cornu: cùm scribendum esse βοὸς οὔρου, &c. κέρας, bovis uri cornu, jam alii monuerint. Quam quidem objectionem vir doctus ut diluat, multa movet, sed nihil promovet. Agnoscit neminem extare, qui scribat Syriam ac Palæstinam boves feros producere. Atque id quidem vere. Proinde Saadiam, cui מריא apud Prophetas est bubalus, aut bos ferus, vulgari similis, sed major, Aben Ezra in Amos 5. v. 22. hac ratione refellit, quod איננו במקומות אלה, in locis illis bos ferus nullus est, id est, in Judæa, & vicinis regionibus. At (inquit vir doctus) hoc impedire non debet, quo minus olim, atque priscis Israelitarum temporibus, eos ibi fuisse credamus. Quorsum verò id credamus nullo fundamento subnixi, cùm horum, non jam dico in Judæa, sed in nullo mitiori climate vola nec vestigium appareat, nec apparuerit unquam. Ità hariolari si licet, quorsum is objecit suprà affirmari ab iis, qui de monocerote scripserunt, eum in India sola reperiri? Poterat enim reponi pari facilitate, Si Ctesiæ ætate, & deinceps, monocerotes in sola India fuerunt; quidni in Judæa, aut Syria fuisse credamus priscis Israelitarum temporibus, quibus scripsêre Job, Moses, & David, Ctesiâ longe vetustiores? Ibidem multa congerit, ut probet non in Germania solum, & vicinis locis, sed & in India, & Arachotis, & Troglodytica regione uros olim fuisse repertos. Sed, quod illius pace dixero, hæc probanda frustrà suscepit, cum ad hanc rem nihil faciant. An sequitur Judæis uros fuisse notos, si in India, aut Arachotis fuêre? Propior quidem erat Troglodytica, sed tamen ante Solomonem illis non multum nota. Tamen horum nil quidquam probat. Oriens, inquit, ea progignere solebat, scribente Plinio, bove fero, uris, atque bisontibus refertas fuisse Indiæ sylvas. Plinii verba sunt ubi suprà, Nec uros, aut bisontes habuerunt Græci in experimentis, quanquam bove fero refertis Indiæ sylvis. Quibus verbis bove fero refertas fuisse asserit Indiæ sylvas, non tamen uris, aut bisontibus, nisi à genere ad speciem valeat argumentatio; Equus est animal, ergo est homo. Addit Aristotelem Plinio subscribere (quasi Plinius prior scripserit) cùm tradit, Arachotas alere boves sylvestres, non quidem bubalos (impediunt enim cornua ἐξυπτιάζοντα) sed uros, & bisontes. Sed & apud Philosophum Historiæ libri secundi capite primo Arachosii illi boves sunt ἐπίγρυποι rictu aliquantum adunco; quod de uris & bisontibus nemo observat. Et hoc ipsum, quod cornua habent ἐξυπτιάζοντα, id est, in dorsum resupinata, docet non esse uros, quos cornibus in anteriora protensis pingunt arborem impetentes; post quam venator latet. Hinc Solinus, Istis, quos uros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, &c. Et Gesnerus paginâ 145. Cornibus arbori insertis (fera) vindictæ avida inhæret, donec insequentium telis saucia concidat. Qui potè, si cornua habet in tergum resupinata? Pergit Bootius, Sed & Troglodyticam regionem uros habuisse collige ex istis Diodori libro tertio, Ἡ πρὸς τὴν μεσόγειαν ἀνατείνουσα, πλήρης ἐστὶν ἐλεφάντων, καὶ ταύρων ἀγρίων, &c. Quà intùs recedit, plena est elephantis, & tauris sylvestribus, ubi sub tauris sylvestribus, uti alia eorum species fortassis una comprehendenda, ità uri, non dubito, quin intelligendi sint. Cur verò non dubitas?

Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem.

De aliis ταύρων ἀγρίων speciebus dubitas. Fortasse, inquis, etiam alia, &c. At de uris nullus dubitas; quia è re tua est, ut id pro certo habeatur. Interim fatearе necesse est nihil esse in Diodoro, unde appareat per tauros sylvestres uros intelligi potiùs, quàm quamlibet aliam tauri sylvestris speciem. Quin diversum ab uris genus innui suadet climatum diversitas. Cum enim Hercynia sylva, in qua procreantur uri, pene sit ad extremum Septentrionem, Troglodyta

glodytæ, ubi hi tauri, inter *Tropicos* ſedem habent fervidiſſimam. Sed, ne conjectandi ſit locus, jam ex aliis diſce, qui ſint tauri *Troglodytici*. *Strabo* libro decimo ſexto, ubi de *Troglodytarum* feris ex *Artemidoro*, Ταῦροι δ' εἰσὶν ἄγριοι, καὶ σαρκοφάγοι, μεγέθει πολλῷ τῶν παρ' ἡμῖν ὑπερβεβλημένοι, καὶ τάχει, πυῤῥοὶ τὴν χρόαν. *Tauri ſunt ſylveſtres, & carne veſcentes, noſtros magnitudine & celeritate longè ſuperantes, colore rufo.* Itaque uri non ſunt, quos ne tu quidem σαρκοφάγους eſſe dixeris. Sed, ut res ſit certior, *Agatharchidem* audi hos ipſos tauros multò uberius deſcribentem libri quinti capite trigeſimo nono: *Omnium*, inquit, *quæ dicta ſunt, maximè ferum & indomitum eſt taurorum carnivororum genus. Quod magnitudine quidem domeſticos ſuperat, & celeritate præſtat, & eximiè rufum eſt. Os ad aures uſque diductum eſt. Oculi glauco colore plus rutilant, quàm in leone. Cornua aliàs ut aures movet, ſed in pugna firmiter ſiſtit. Pilorum ſeriem inverſam habet, contra quam reliqua animalia.* Sequitur, illum aggredi & venari beſtias validiſſimas, & gregibus maximè eſſe infeſtum. Neque aperto *Marte* ſubigi, quia lancea & telis non eſt vulnerabilis: ſed in foſſam ſi incidat, aut ſimili dolo capiatur, præ animi ferocia citò ſuffocari. Proinde à *Troglodytis* illi tribui leonis fortitudinem, equi pernicitatem, tauri robur, & vim ferro cedere neſciam. Eadem in *Æliano* reperire eſt, verbis nonnihil mutatis, libri decimi ſeptimi capite quadrageſimo quinto. Sed & pleraque hæc transſcripſit *Plinius* libri octavi capite vigeſimo primo. *Solinus* quoque, quamvis hos boves ex *Æthiopia* in *Indiam* transferat perperam: quæ cum uri deſcriptione quiſquis conferet, videbit illum ab his tauris differre διὰ δὶς πασῶν. Itaque non conſtat hactenus uros alibi fuiſſe, quàm in *Hercynia* ſylva, aut locis parùm remotis. Unde *Moſis* ævo *Judæis* innotuiſſe nemo ſibi perſuaſerit. *Moſem* igitur, *Jobum*, & *Balaamum* voce ראם *reem*, neceſſe eſt aliud ſignificaſſe.

Præterea cum *Boetius* urum biſonti eâ ſolùm de cauſâ præferat, quod, cum biſons arte humana cicuretur, & feritatem exuat, urus manſueſcere neſciat, & indomitæ ſit feritatis: hoc ſaltem debuerat certa probatione niti. Atqui res eſt in incerto. Nam, ſi uros ad hominem aſſueſcere & manſuefieri negat *Cæſar*, etiam in *Oppiano* biſontes ſunt ἀμαιμάκετον γένεθλον, *indomitum genus*. Et *Solinus*, in capite *De Germania*, biſontes cum uris ità confert, ut illos, non hos captos aſſerat aſſueſcere manu neſcire. Ita biſontes *Scoticos* deſcribit *Hector Boëthius* adeo feros, indomitoſque, atque humanum refugientes conſortium, ut quas herbas, arboreſque, aut frutices, humana contrectatas manu, aut halitu perflatas ſenſerint, plurimos deinceps dies fugiant: capti autem arte quapiam, quod difficillimum eſt, mox paulò præ mœſtitia moriantur.

Denique ראם *reem*, vel רם *rem*, non eſſe in boum, ſed in caprearum cenſu, *Arabum*, *Chaldæorum*, & veterum *Hebræorum* communi ſuffragio probare mihi eſt obvium. Quod ſi ſemel præſtitero, pudebit, credo, etiam pertinaciſſimos tam univerſo tot gentium conſenſui ſe opponere. Et de *Arabibus* quidem res eſt indubitata. Ità enim *Alcamus*, الريم الظبي الخالص البياضج ارام Rim, *caprea ſincera albedinis: Plurale* arâm. Et *Giggeius*, الريم *rim*, Plur. ارام arâm, *albedine pura candicans dorcas, quales in arenis degunt*. Sed *Damir* uberius in capite, الظبي الغزال id eſt, *De caprea, ſeu gazella*, ubi caprearum ſpecies ex coloribus ità diſtinguit:

والظبا مختلفة الالوان وهي ثلثة
اصناف صنف يقال له الارام وهي
خالصة البياض الواحدة منها ريم
ومساكنهم الرمل ويقال انها ضان
الظبا لانها اكثر لحوما وشحوما
وصنف تسمي العفر والوانها حمر وهي
قصار الاعناق وهي اضعف الظبا
عدوا وتالف المواضع المرتفعة من
الارض والاماكن الصلبة وصنف
تسمي الادم طوال الاعناق والقوايم
بيض البطون *Diverſi coloris ſunt capreæ. Nempe illarum tres ſunt ſpecies. Prima earum, quæ vocantur* arâm; *quæ ſunt ſinceræ albedinis: cujus Singulare eſt* rim. *Hæ in arenis habitant. Eaſdem ajunt caprearum eſſe oves, quia plurimum habent carnis, & pinguedinis. Secunda ſpecies* aphar *dicitur, rubri coloris, brevis colli, inter capreas ad curſum minimè agilis. In celſis & ſalebroſis terræ locis ſolet degere. Tertia ſpecies*, adam *nomine, eſt collo, & pedibus longis, & albo ventre.* Hæc ibi. Quandoque ريم *rim* pro *caprea catulo* ſumitur. Nam in capite الريم *rim* ſic habet idem *Damir*, الريم ولد الظبي والجمع ارام قال الشاعر

☼ بها العيذ والارام تمشين خلفها ☼
☼ واطلاوها ينهضن من كل مجثم ☼

Rim, *capreæ hinnulus: Plurale* arâm. *Unde eſt, quod* Poëta *dixit*, "*Emicuit caprea nuper enixa.* (*Arabicè*, العيذ alii ſcribunt, العايذ quomodo *capream* vocant decima vel decima quinta à partu die, atque indè مطفل *mutphil*) *Et* aram, (id eſt, *hinnuli*) *eam ſequebantur, & capreoli ejus conſurgebant ab omni loco.* Ad quæ verba *Damir*, يقول اذا ذهب فرخ جا فرخ *Ità dicunt, cum, uno hinnulo recedente, alter venit.* Ibidem الاصمعي *Alaſmaius*, *Poëta*, quem citavimus, *Scholiaſtes*, à parvis auribus ſic appellatus, الارام ظبا البيض الخالصة البياض الواحدة ريم وهي يسكن الرمال

وهذا النوع من الظبا يقال انه ضانها لانه اكثر شحما ولحما Aram *sunt capreæ albæ, sinceræ albedinis, à Singulari* rim. *Degunt in arenis. Capreæ id genus vocantur oves earum, quia adipe & carne abundant.* Vides eadem ab *Alasmaio* hic asseri, quæ suprà à *Damire.* Sequitur, *Arabem* quendam principem, *Zachæum* nomine, *Camils Casienfis* filium, qui obiit anno *Hegiræ* DXLVI, cognominatum fuisse قتيل الريم quasi *rimicidam* dixeris. Haud dubiè, quia caprearum hujus generis venatione maximè delectabatur. Ex quibus hoc saltem habemus, ريم *rim* esse capreæ speciem, eamque nobilissimam, cum coloris, tum pinguedinis ratione. Nam, ut in caprea pinguedo, ità candor eximius inprimis placet, & raritas addit pretium. *Gesnerus* de rupicapris paginâ 292. *Color eis inter fuscum, & rufum est, qui tamen æstate magis ad rufum, hyeme ad fuscum vergit. Memini partim albam, partim nigram, distinctis coloribus, videre. Certum est, colorem eis per anni tempora mutari. Tota alba interdum, sed rarissimè conspiciuntur.* Idem pagina 308. de dama platycerote, *Color dorsi subflavus est cum linea nigra per dorsum,* &c. *Latera ejus aliquando maculis albis distinguuntur, quas senescens perdit. Fœminæ etiam aliquando totæ albæ sunt. Silius Italicus* libri decimi tertii versu 115. de fabulosa *Capuæ* cerva, quam mille annis vixisse fingit;

> *Cerva fuit raro terris spectata colore,*
> *Quæ candore nives, candore anteiret olores.*

Nam color ille etiam in cervis quandoque est observatus, quanquam rarò admodum. *Philosophus* in libro *De coloribus*, Καὶ λευκὸς δή ποτε ὤφθη καὶ ἔλαφος, καὶ ἄρκτος. *Etiam albus quandoque visus est & cervus, & ursus.* Contra *Latinus* Interpres, *Aliquando etiam niger visus est cervus, & ursus*; quasi legerit μέλας. Sed vera & necessaria est lectio, quam nostri codices exhibent. Nam ibi pluribus disputat *Philosophus*, qua de causa pili animalium albescant, aut canescant. Et ex eo *Plinius*, ubi de cervis, libri octavi capite trigesimo secundo; *Fiunt aliquando & candido colore.* Quod quamvis rarò contingat, non tamen est sine exemplo. Cervam enim *Sertorii* candidam fuisse scribunt veteres magno consensu. *Gellius* libri decimi quinti capite vigesimo secundo, *Cerva alba eximiæ pulchritudinis, & vivacissimæ celeritatis, à* Lusitano *ei quodam dono data est. Plutarchus* in *Sertorio Spanum* vocat illum hominem, & cum novitate coloris obstupuisse narrat, quia tota erat alba: Ἐκπλαγεὶς (Σπανὸς) τῇ καινότητι τῆς χρόας, λευκὴ γὰρ ἦν πᾶσα. *Polybius* quoque libro octavo, Σερτώριος ἐν Ἰβηρίᾳ νεβρὸν ἐλάφου λευκῆς παρὰ κυνηγῶν δῶρον λαβών. *Cum in* Hispania Sertorius *cervæ candidæ hinnulam à venatoribus dono accepisset. Plinius* ubi suprà, *Fiunt aliquando & candido colore, qualem fuisse traditur* Q. Sertorii *cervam. Pausanias* etiam in *Arcadicis Romæ* se non sine admiratione vidisse testatur albos cervos, sed non rogâsse unde essent advecti. Et *Philostrati* libro tertio *Apollonius* & comites prope *Paracam, Indiæ* urbem, pastorem viderunt, qui albarum cervarum gregem pascebat. Quin posteriore sæculo ad *Gesnerum* ex *Polonia* scribebat *Antonius Schenebergerius*; *His Bacchanalibus allata est* Cracoviam *cerva tota alba.* Sed pleraque hæc nihil ad nostras capreas. Nam in his terris si cervæ, damæ, aut rupi-capræ quandoque albæ sunt, non est is color toti speciei communis, sed uni aut alteri individuo peculiaris. Quod evenit certis de causis, quæ non sunt hujus loci. At *Arabicè* ريم *rim* est capreæ species, quæ semper albet, nec solum albet, sed & candicat. Hoc enim sibi volunt, cum illi tribuunt خالصة البيا ضد *sinceram albedinem.* Eidem hoc proprium est, quod in arenis vivit, quibus scatere notum est *Arabiæ* solitudines. Unde hoc animal colligas maximè esse solitarium. Et mirari lubiret, qui fiat, ut capreæ, in illis arenis degentes, præ cæteris pinguescant, nisi scirem illas arenas non esse prorsus infœcundas, & in iis multa pullulare, quibus capreæ maximè gaudeant. Quod fortasse dabitur docere accuratius in Tractatu peculiari *De Sacræ Scripturæ Plantis.* Interim hic sufficiat hæc paucula proferre ex *Bellonii Observationibus*, libri secundi capite quinquagesimo nono: *In ora* Rubri *maris arbustum reperimus illi similem, quod* rhamnus altera *dicitur, foliis densis, salsis, subalbis,* &c. *Et in arena caprearum, quas* gazelas *appellant, vestigia cordis figura apparebant. Ea nimirum ex montibus proximis descendebant, ut biberent ex fontibus amaris, quos descripsimus, & ex illo arbusto vescerentur.* Quid, quod ipsæ arenæ sunt ipsis pro condimento? *Gesnerus* de rupi-capris, *Conveniunt sæpe circa petras quasdam arenosas, & arenam indè lingunt, ut villatica pecora salem, quo lingua pituitam defricent, & excitent appetitum.* De his capreis apud *Arabes* vix aliud mihi occurrit, nisi quod, cum capite sursum elato, arrectisque auribus, adstant, id *Arabicè* dicitur اوفد. Sic in *Giauhari*, اوفد الريم *Extulit rim caput suum, erexitque aures.* Et ipsa actio τοῦ *rim* caput sic efferentis, & aures arrigentis, vocatur in *Alcamus* ايغال الريم. Sive sit is naturalis hujus capreæ status, aut præ alacritate id faciat. Quo pertinere, quod ראם *reem*, vocatur, vero non est absimile. Quippe רם *ram*, est *extolli.* Et *Aleph* in medio quandoque inseritur. Sic *Zachar.* 14, 10. וראמה, *Et exaltata est.* Prov. 24, 7. ראמות, *Altæ sunt stulto sapientiæ.* Indè igitur ראמים, capreæ, quæ solent ità erigi. Quod & רמים scribitur absque *Aleph* medio: ut *Psal.* 22, 22. item *Psal.* 78, 69. ut multi volunt. In *Jobo* autem *Aleph* in *Jod* mutatum, quomodo apud *Arabes*, qui ريم *rim* scribunt. Sed *Je* habet *Hamza* adscriptum, ut scias mediam Radicalem esse *Elif.* Eodem refer *Chaldæum* & *Syrum* ܪܝܡܐ, vel ܪܐܡܐ, quod non solum occurrit pro ראם *reem*, sed & pro דישן *dison*, Deut. 14, 5. apud *Syrum*, & *Chaldæos* Paraphrastas. Quos cum *Hebræo* si conferas in *Syro*, & *Onkeloso* רימא *rema*, & in *Jonathane* רימנין *remanin*, respondere reperies *Hebræo* דישן *dison*, quod vel capreæ est genus, vel animal illi congener. *Græci* & *Vulgatus* explicant *pygargum*; Junius, *strepsicerotem*; Pagninus, *damam*; Genevenses, *capreolum.* Sed hi, quos diximus, רימא, & רימנין, quasi דישן *dison*, sit idem, quod ראם *reem.* Nec futili conjectura. Nam *Hebræum* דשן *desen*, Nomen *pinguedinem*; & דשן *dissen*, Verbum *pinguescere* sonat. Itaque visum est דישן *dison*, animal à *pinguedine* dici, & synonymum esse τοῦ ראם *reem*, quo significari *Arabes* docent *capreæ genus pinguissimum.*

Superest, ut probem *Hebræis* quoque ראם *reem*, esse capreæ genus. Et verò jam probavi. Nam illi duo interpretes, qui allati sunt, *Jonathan*, inquam, & *Onkelos*, linguâ *Chaldæi*, genere *Judæi* erant. Sed nova his argumenta ex *Talmude* petita libet addere, ut res sit confirmatior. In *Bava Bathra* (cap. 5. fol. 73. b.) inter multa portentosa mendacia dicit quidam *Rabbi*, חזי לי אורזילא בר יומי דהוי כהר תבור והר תבור כמה הוי ארבע פרס *Visus est mihi hinnulus fitius diei sua* (id est, illa,

illa ipsa die natus) *qui erat ut mons* Thabor. *Et mons* Thabor *quàm latè patet? Quatuor parasangas. Hinnulus*, maximè capreæ, *Hebræis* in *Pomario* est עזל *ozel*, per *Ajin*: unde *Arabibus* غـزال *gazâl*, ex *Ajin* facto *Gain* propter punctum superscriptum; & *Chaldæis* אורזילא *urzila*, *Ajin* & *Aleph* permutatis, & *Res* addito, ut sæpe post primam Radicalem. Porrò vocem *urzila*, qua pro *hinnulo* hic utuntur *Talmudici* post *Chaldæos* Paraphrastas, *Glossator* explicat ראם *reem*. Et verba *Talmudici* textûs, אורזילא בר יומו *hinnulus filius diei suæ*, in *Glossa* sic redduntur, ראם בן יום אחד ראית היום נולד, Reem *filius diei unius, qui illo ipso die natus est*. Itaque hujus *Glossæ* auctoribus *reem* est *hinnulus*, quomodo nonnullis *Arabum*, quos citavimus, ريم *rim* est الظبي ولد *catulus capreæ*. Et palàm ità usurpat *Arabs Poëta*, cujus versus attuli. Et ejusdem *Talmudici* Tractatus fol. 74. b. maculosa quædam cete in textu vocantur אורזילי דימא, *hinnuli maris*, & in *Glossa* ראמים שבים reemim, *qui sunt in mari*, ut scias *urzile*, seu *hinnulos*, & *reemim* pro eodem haberi. Sed & in Tractatu *Zebachim*, seu *De Sacrificiis*, cap. 14. fol. 113. b. in ipso textu *Talmudico* legitur אורזילא דדימא בת יומא. Et in *Glossa* rursus, אורזילא הוא ראם. Unde constat non *Glossatoribus* solùm, sed & ipsis *Gemaristis* ראם *reem*, esse *hinnulum*, aut *hinnuli patrem*. Ab his non multum recedit *Aben Ezra* in *Ps.* 22, 22. ubi *reem* non quidem pro *caprea*, sed pro *ibice* usurpat, quod animal est capreæ congener. Verba sunt, הראם יפיל עצמו מהר גבה על קרניו ולא תשברנה: Reem *è monte celso super cornua se dejicit, nec ea confringit*.

Probatum est hactenus, *Hebræum* ראם *reem*. quod, variante Dialecto, *Chaldaicè* רימא *rema*, & רימנא *remana*, & *Arabicè* ريـم *rim* scribitur, non esse bovis, sed capreæ genus, neque solùm veteres *Hebræos*, sed *Chaldæos* etiam, & *Syros*, & *Arabes* sic usurpâsse. Nondum tamen res est confecta: quia in caprearum genus vix videtur posse quadrare quidquid Scriptura habet de *reem*. Et multa possunt objici. *Reem* esse procerum animal colligi videtur ex his *Balaami* de *Israele*, *Altitudines* ☩ *reem illi*. Num. 23, 22. & 24, 8. At capream describit *Philosophus* tanquam minimum ex cornigeris animalibus *Historiæ* libri tertii capite secundo. Κερατοφόρον, inquit, μικρὸν πάμπαν οὐδὲν ἴσμεν. ἐλάχιστον γάρ ἐστι τῶν γνωριζομένων δορκάς. *Cornigerum animal omnino parvum nullum novimus: omnium enim, quæ novimus, minimum est caprea.* In *Jobo* *R E M* sic describitur, quasi vires habeat ad arandum sufficientes; *Num ligabis* τὸν *R E M in sulco loro suo? An occabit valles post te? Num fides ei, quia magnum est robur ejus?* Quod de capreis quis dixerit, quæ defectu virium ab aratro sunt prorsus immunes, æque ac capræ domesticæ, ad quas pertinet veterum Adagium, Ἐλεύθεραι αἶγες ἀρότρου· quia sunt infirmiores, quam ut huic labori pares sint. Altum esse cornu ☩ *reem* hæc *Davidis* indicant, *Exaltabis cornu meum ut* τοῦ *R E E M*. At caprearum cornua, utut suo modo celsa, quid eximium habebunt, si cum cervorum cornibus conferantur? Hoc præcipuum est, quod *reem* petulcum est animal, quodque cornibus suis ferit obvios; unde est, quod de *Josepho* dicitur, *Cornua ejus ut cornua* τοῦ reem, *his feriet populos*; & *David* liberari petit *à cornibus* τῶν *reemim*: cum caprea sit animal imbelle, & fugax, quod & ipsa natura rerum, & *Poetæ* omnes uno ore clamant. *Herodicus Babylonius* apud *Athenæum* libro quinto,

- - - τῆς ξυθῆς δειλότεροι κεμάδος,

Rufâ capreâ timidiores. Virgilius *Æneidos* libro decimo,

- - - - - - *si fortè fugacem*
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum.

Ovidius *Metamorphoseωs* libri primi Fabula octava.

Antè nisi in damis capreisque fugacibus usus.

Et *Fastorum* libro quinto,

Imbelles capreæ, sollicitusque lepus.

Martialis libri decimi *Epigrammate* 65.

Tam dispar aquila columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.

Gratius in *Cynegetico*,

- - - *pavidosque juvat compellere dorcos.*

Proinde capreæ, cervi, hinnuli & lepores *Græcè* communi nomine πτῶκες, id est, *pavidi* dicuntur. *Hesychius*, πτῶκες, δειλοὶ, λαγωοὶ, δορκάδες, ἔλαφοι, νεβροί. Et *Philosophus Historiæ* libri tertii capite secundo, Capreas iis accenset animalibus, quibus ἄχρηστος πέφυκεν ἡ τῶν κεράτων ἐξοχή, *cornuum eminentia est inutilis*; quia quamvis προσίενται μὲν ἀνθιστάμενα τοῖς κέρασιν ἀμύνονται, τὰ θηριώδη, καὶ μάχιμα ἀποφεύγουσι, *contra nonnullas obsistentes cornibus se tueantur, tamen feroces pugnacesque belluas fugiunt.*

Quæ cum speciosè possint objici, diluere multum interest, & nos fortasse facilè dilueremus, si natura ☩ *reem* nobis esset planè perspecta: sed illum *Arabes* paucis describunt, & brevitate sua nostram famem excitant non satiant, & plura sciendi avidos miserè destituunt. Nempe de animali apud se notissimo non putaverunt opus esse ut multa dicerent: & in descriptione *Tubetiensis* capreoli, ex quo muscus elicitur, ferè toti sunt. Proinde, sicubi nobis deerunt certæ probationes, liceat agere per conjecturas, donec plus lucis affulgeat. Hoc inprimis est observandum, latè patere *capreæ* nomen, atque extendi ad damas platycerotes. Ideò libro secundo *Dioscoridis* in capite *De coagulo*, pro verbis, καὶ δορκάδος, καὶ πλατυκέρωτος, *Gesnerus* legendum contendit, καὶ δορκάδος τῆς πλατυκέρω. Quomodo etiam sumunt plerique interpretes, ut *Ruellius*, & *Marcellus*: quorum ille reddidit, *Capreæ lati-cornis*; hic, *capreæ, quam à latitudine cornuum* platycerota *dicunt*. Et *Hermolaus* legit in suo exemplari δορκάδος τε πλατυκέρω. Sic *Varronis* corrupta verba *Rusticorum* libri secundi capite primo *Caprarum, quas* Latinè *rotas appellant*, idem *Hermolaus* sic restituit, *Caprearum, quas platycerotas appellant*. Proinde *Gesnerus* in *Caprea* pagina 299. *Unum dorcadis nomen utrisque commune est: idque meritò, cum aliud nihil, quod sciam, differant quàm cornuum specie, quæ capreis simpliciter dictis teretia, alteris lata sunt: & præterea magnitudine*; platyceros *enim major est*. Pari ratione potest *Hebræorum* ראם *reem*, vel רם *rem*, & ريم *rim Arabum*, in caprearum censu sic esse, ut statura tamen sit major, quàm vulgaribus capreis, & ad cervorum molem accedat. Quin omnes *Arabum* capreas, quas *gazellas* Barbari vocant, nostris esse proceriores plerique credunt. Proinde voces ظبي *dsabi*, & غزال *gazal*, cum *capream* significent, multi *Arabicè* doctissimi non solùm *damam*, sed & *cervum* interpretantur. Quod in *Giggeio* observavi locis, ut puto, minimum quinquaginta. Et *Ps.* 103, 19. quod in *Arabe* habetur *montes excelsos esse* للغزلان *gazellis*, *Gabriel Sionita* reddidit *cervis*; non ita redditurus, nisi observasset *gazellas*, seu *capreas*, in illis locis esse cervis magnitudine vel pares, vel suppares. Sed & inter *Arabiæ* gazellas τὸν *rim*, ut pinguedine, ità etiam statura eminere valdè verisimile est. Atque huc pertinere *Balaami* oraculum de *Israële*, תועפות ראם לו, *Illi populo sunt elationes* ☩ *reem*, id est, quales sunt elationes ☩ *reem*. Quasi prædixisset fore, ut tam emineret ille populus inter reliquos populos, quam eminet *reem* inter reliqua caprearum genera,

nera. Nisi quis id referre malit ad id, quod *Arabes* observant, ut suprà notavimus, huic animali peculiare esse ut caput & aures multum erigat, & propria voce id appellari ايغان الريم *elationem* aut *eminentiam* τῦ *rim*. Quo exemplo populus *Israël*, anteà jacens, & sub *Ægyptiorum* servitute oppressus, sed tum in libertatem à Deo assertus, ut ibidem legitur, respirare cœperat, & sese attollere, tanquam in sublimem gradum paulò pòst evehendus. His positis, facilè solvetur objectio sequens ex *Jobi* loco desumpta. Quidni enim cervus, aut dama, aut animal congener, parisque molis, vel supparis, posset ad aratrum adhiberi, nisi obstaret insita feritas, quo minùs hominum jugo hac in parte se submitteret? Nec debet simpliciter accipi, quod asserit Sacer Scriptor, *robur illi magnum esse*, quasi virtute, aut robore inter reliquas feras multum emineat, sed relativè ad id, de quo agitur, ut solum significetur illi abundè esse virium, ut hanc operam homini præstet.

Cornua quod attinet, audi quomodo illa describat *Gesnerus* ex *Alberto*, qui sermone fuit imperitus, non scientia; &, cum illo sæculo vixerit, quo literæ *Arabicæ* florebant multo magis, quàm *Græca*, aut *Latina*, ab *Arabibus* multa didicit, ex quibus conflavit magnam partem vasti operis *De animalibus*. Ex illo igitur ita *Gesnerus* paginâ 306. *Est & sui generis* Avicennæ algazal, *quam* Albertus *damam nominat libro vigesimo secundo his verbis*, "*Dama bestia est magnitudinis caprea, figura, & pili. Sicut cervus cornua habens, sed plana, LONGA, & ACUTA. Est autem cursu velox, vitâ provida, CORNUPETA in adversas sibi bestias.* Arabicè *vocatur* algazel. Vides lector *algazelem*, cujus species est *reem*, longa habere, & acuta cornua, quibus adversas bestias ferit. Unde facilè solvetur quidquid fuerat objectum de cornibus τῦ *reem*. Nam, si longa sunt, meritò dixit *David*, *Attolles cornu meum ut τῦ reem*: si acuta, & iis si feriat adversas feras, meritò dixit *Moses* de *Josepho*, *Cornua* reem *sunt cornua ejus, quibus feriet populos*; & rursus *David*, *à cornibus* τῶν reemim *exandies me*. Quamvis apud nos damæ & capreæ sint animal pavidum & fugax, non necesse est, ut ubique terrarum sic se habeant. Ut hominum pro variis locis, ità etiam ferarum sunt alii mores. Capream in *Segestana* & *Bulgaria* describi notavimus, (c) *cui unicum est in fronte cornu*, وتنطح به جميع الحيوان *& illo impetit omnia animalia*: فلا يغلبها شي *neque ullum est, à quo superetur*. Ità *Abugiam Attaugidaus*. Et de eadem *Eustathius*, Ζῶόν ἐστι μικρὸν, ὅμοιον ἐρίφῳ δριμύτατον σφόδρα· *Parvum est animal hædo simile, sed longe asperrimum*. Neque minùs mira sunt, quæ de ovibus & capris refert *Oppianus Cynegeticῶν* libri secundi versu 326.

(c) Cap. 26. pag. 939. lin. 36. &c.

Αἰγῶν δ' αὖτε πέλει προβάτων τε παναγρία φῦλα,
Οὐ πολλὸν τούτων οἴων λασίων τε χιμαίρων
Μείζονες, ἀλλὰ θέειν κραιπνοί, σθεναροί τε μάχεσθαι·

Caprarum rursus oviumque sunt admodum fera sæcula, non multo hisce (nostris) *ovibus, hirsutisque capris majores, sed ad currendum pernices, validaque ad pugnandum*. Et paulò pòst in pugnam ruentes ità describit:

Πολλάκι δ' ὁρμηθέντες ἐνὶ ξυλόχοισιν ἔθηκαν
Καὶ σύας αἰθυκτῆρας ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας.
Ἔστι δ' ὅτ' ἀλλήλοισιν ἐναντίον ἀΐξαντες
Μάρνανται· κρατερὸς δὲ πρὸς αἰθέρα δοῦπος ἱκάνει.
Οὐδέ τ' ἀλευάσθαι θέμις ἔπλετο δήϊον αὐτοῖς·
Νίκην δ' ἀλλήλοις φορέειν ἀτίνακτος ἀνάγκη,
Ἠὲ νέκυν κεῖσθαι. τοῖον σφισὶ νεῖκος ὄρωρεν.

Sæpe autem, impetu facto, in sylvis prostraverunt etiam apros violentos in terra palpitantes. Quandoque etiam in sese invicem ex adverso irruentes certant: ingens verò ad cœlum fragor penetrat. Neque licet ipsis hostem evitare: sed victoriam ut alterutter obtineat inconcussa est necessitas, aut mortuus jaceat. Talis inter ipsos oritur contentio. Quale est, quod de damis narrat *Martialis* libri quinti *Epigrammate* 55.

Frontibus adversis molles concurrere damas
Vidimus, & fati sorte jacere pari.

Et *Epigrammate* septuagesimo quarto ejusdem libri,

Aspicis imbelles tentent quàm fortia damæ
Prælia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent.
Vis, Cæsar, damis parcere, mitte canes.

Quasi plus periculi ipsæ sibi mutuo creent, quam canes infestissimi. Neque res potest esse suspecta, cum in hominum oculis *Romæ* facta sit in pleno Amphitheatro. Sed & in caprillo genere notissima est virtus orygis, de quo idem *Poëta* libri decimi tertii *Epigrammate* 95,

Matutinarum non ultima præda ferarum,
Sævus oryx, constat quot mihi morte canum?

Vult in matutinis spectaculis multos canes ab oryge fuisse cæsos, & interemptos, cumque ideò *sævum* appellat. Sed *Oppianus* rem explicat multo uberius, & quasi ob oculos ponit libri secundi *Cynegeticῶν* versu 445,

Ἔστι δέ τις δρυμοῖσι παρέστιος, ὀξύκερως θὴρ,
Ἀγριόθυμος ὄρυξ, κρυεροῖς θήρεσσι μάλιστα·

Est porro quædam saltibus familiaris, acuto cornu fera, sævus oryx, feris maximè horrendus. Ità exorsus colorem illi lacteum tribuit, dorsum pingue, acuta & alta cornua, funesta, nigra, ære, ferro, & saxo duriora: unde ad animum transiens, illum ità describit;

Θυμὸς δ' αὖτ' ὀρύγεσσιν ὑπερφίαλος, καὶ ἀπηνής.
Οὔτε γὰρ εὐρείνοιο κυνὸς τρομέουσιν ὕλαγμα·
Οὐ συὸς ἀγραύλοιο περὶ σκοπέλοισι φρύαγμα·
Οὐδὲ μὲν οὐ ταύρου κρατερὸν μύκημα φέβονται·
Παρδαλίων δ' οὐ γῆρυν ἀμειδέα πεφρίκασιν·
Οὐδὲ αὐτοῦ φεύγουσι μέγα βρύχημα λέοντος.
Οὐδὲ βροτῶν ἀλέγουσιν ἀναιδείῃσι νόοιο·
Πολλάκι δ' ἐν κρημνοῖσιν ἀπέφθιτο καρτερὸς ἀνὴρ
Θηρητὴρ, ὀρύγεσσι δυσφρονέοις ἀντιβολήσας.

Quæ nos *Latinis* versibus totidem jam olim ità expressimus,

Mens orygum intrepida est, animusq; ad prælia natus.
Nam neque terret eos canis allatrantis hiatus:
Nec scopulos metuunt apro frendente sonantes:
Sed neque cum taurus grave mugiit ore minaci:
Aut trucibus pardi sylvas ululatibus implent:
Nec fugiunt, postquam accensâ leo rugiit irâ.
Non homines, tanta est animi fiducia, curant.
Sæpe etiam genus acre orygum telo impetere ausus,
Robustus venator obit, de rupe volutus.

Indè pugnæ genus graphicè depingit his verbis,

Ὁππότε δ' ἀθρήσειεν ὄρυξ κρατερόφρονα θῆρα,
Ἢ σῦν χαυλιόδοντ', ἢ καρχαρόδοντα λέοντα,
Ἢ κρυερῶν ἄρκτων ὀλοὸν θράσος, αὐτίκ' ἄρ' αἶψ
Νευστάζει κεφαλήν τε, μέτωπά τε πάμπαν ἐρείδει
Τεινάμενος, πήξας τε περὶ χθονὶ πικρὰ βέλεμνα,
Ἐσσύμενον μίμνει. τὸν δ' ὤλεσε κρατὸς ἐρωή.

Ubi autem conspexit oryx intrepidam feram, aut exertis aprum, aut acutis dentibus leonem, aut horrendorum ursorum perniciosam audaciam, mox ad terram caput inclinat, faciemque extensam prorsus defigit, fixisque in terram amaris telis, irruentem expectat. Illum autem interimit capitis impetu. Scripsi κρατὸς ἐρωῇ *capitis impetu*, pro γαστρὸς ἐρωῇ *ventris impetu*; quod nihil ad rem: ut neque alia lectio, quàm è margine, ubi erat olim, in textum inseruerunt,

- - - τὸν δ' ὤλεσε πρῶτος ἐναίρων,

Illum interimit primus spolians. Jam, si quæras, quomodo id fiat ut irruentem feram oryx capitis impetu interimat, sequentia planius docebunt.

Δόχμια γὰρ κλίνας βαιὸν κερόεντα μέτωπα,

Τύψειεν ὀξυτέροις ἀδεδακυμένος ἔμπεσε θηρί.
Αὐτὰρ ὅγ' ἐκ ἀλέγει κρατὸς δ' ἀγχόθι ἰθὺς ὀρέγει,
Ὀξέσι τεθρεμμένος συνεχὲς ὀμβρίμος σκοπέλοισιν.

Oblique enim cornutam frontem paulum inclinans, armis acutis observans in feram irruit. Nihil curat scilicet: sed ex adverso irrevocabiliter & rectâ fertur, acutis rigens, & firmatus scopulis. Nempe, inquit, ut fortis venator leonem irruentem venabulo exceptum transfigit:

Ὡς ὄρυγες μίμνουσιν ἐπεσσυμένους τότε θῆρας,
Αὐτοφόνους, σφετέροισιν ἀτασθαλίῃσι δαμέντας.
Ῥεῖα γὰρ ἐν στέρνοισιν ὀλισθαίνουσιν ἀκωκαί.

Ita oryges feras sustinent tunc irruentes, sua cadis auctores, & propria temeritate domitas. Facilè enim in pectora penetrant cuspides. Reliqua ibi videat, qui harum rerum curiosus est. Vereor enim, ne lectori tædiosa sit tam longa digressio: quamvis non frustra hæc exscribamus. *Hebræos* enim suspicor nomine ראם *reem*, præter capreæ genus candidæ, & pinguis, quam ex *Arabibus* descripsimus, insuper hoc animal significasse, quia illi est simillimum. Primò enim oryges in genere capreis fuisse similes in confesso est. *Hesychius* enim ita confert, Ὄρυξ, ζῶόν τι τετράπουν, δορκάδι κατὰ τὴν χροιὰν παραπλήσιον. *Oryx, animal quoddam quadrupes, capreæ colore simile.* Et in caprarum sylvestrium genere ponit *Plinius* libri octavi capite quinquagesimo tertio: *Capræ*, inquit, *in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices, &c. Sunt & oryges.* Et disertè Albertus, *Oryx bestia est capreæ similis, &c.* Ut de *Bellonio* taceam, cui oryges cum *Arabum gazellis* sunt idem animal. Secundò, ראם *reem*, propriè dictus, id est, ريم *rim Arabum*, est candidissimus. Ita etiam oryx *Oppiani*,

Τῷ δ' ἤτοι χροιὴ μὲν ἅτ' εἰαρινοῖο γάλακτος,
Μούναις ἀμφὶ πρόσωπα μελαινόμενος παρειαῖς.
Nigricat huic facies, reliquo sed corpore qualis
Verno in lacte color, candore notabilis ipso est.

Tertiò, ريم *rim* pinguescit admodum, & saginæ ratione dicitur esse caprearum ovis: ita de oryge addit *Oppianus*,

Διπλῆ δ' οἱ μετόπισθε μετὰ ῥάχιν πίονα δημῷ,
Illi spina duplex multa est distenta sagina.

Quartò, longa & acuta cornua, quæ *Arabum gazellis* descripsimus, etiam habet oryx. Idem *Oppianus*,

Ὀξεῖαι κεράων δὲ μετήοροι ἀντέλλουσιν
Αἰχμαὶ, πευκεδαναὶ, μελανόχροον εἶδος ἔχουσαι·
Καὶ χαλκοῦ θηλεῖο, σιδήρου τε κρυεροῖο,
Πέτρης τ' ἐκμυόεντος ἀρειότεραι πεφύασιν.
In sublime super frontem consurgit acuta
Cuspide mortiferum cornu: color ater, & illi
Durities invicta, rigorq́, est, qualis in ære,
Aut silice, aut ferro, vano quod tunditur ictu.

Proinde *Simi Æthiopes* orygum cornibus pugnabant, ut alii gladiis ferreis. *Agatharchides* capite vigesimo sexto, ubi de *Struthophagis*; Πολεμοῦνται δὲ ὑπὸ τῶν Σιμῶν· οὗτοι τοῖς τῶν ὀρύγων κέρασιν ὅπλοις χρῶνται μεγάλοις, καὶ τμητικοῖς οὖσι· *Illis bella inferunt* Simi; *qui pro telis utuntur orygum cornibus, quæ grandia sunt, & ad incidendum peracuta.* Fallitur itaque *Diodorus* libri tertii pagina 113, ubi pro *Simis Struthophagos* orygum cornibus instruit. Verba sunt, Τοῖς δὲ τῶν Σιμῶν ὀνομαζομένοις Αἰθίοψιν πολεμοῦμενοι οἱ Στρουθοφάγοι, διαμυνόμενοι πρὸς τὰς ἐπιθέσεις, ὅπλοις ἀμυντηρίοις χρώμενοι τοῖς τῶν ὀρύγων κέρασι. *Ab iis autem* Æthiopibus, *qui* Simi *dicuntur, bello impetiti* Struthophagi, *in irruentes* Simos, *non aliis ad vim propulsandam armis instructi, dimicant, quam cornibus orygum.* Fallitur etiam *Strabo* libro decimo sexto, ubi pro *Simis Silos* vocat, nisi sit scribarum mendum: Πολεμοῦσι δὲ τούτοις, inquit, οἱ Σίλοι καλούμενοι Αἰθίοπες, κέρασιν ὀρύγων ὅπλοις χρώμενοι· *Cum iis bellum gerunt, qui Sili dicuntur* Æthiopes, *orygum cornibus pro armis usi.* Porro *Simi* illi *Struthophagis* vicini sunt *Auxumitæ*, ut quidem puto: quia, præter locorum situm in *Ptolemæo*, suadet id συνωνυμία. Nam *Auxume Arabicè* est خشوم *chasum*. Ita vocat totus *Oriens*. Hispani *Chazumo* scribunt. Et incolæ חשומין. *Arabicè* خشوميون Quo nomine vel *nasi simitas* significatur, vel vitium illi proximum, nempe cum odoratu caret nasus propter fractam aut depressam in summo naso cartilaginem. Quo vitio qui laborat *Gallicè* dicitur *punais*. Quod cum simis sæpe accidat, *Græci* vetustiores pro *Chaschumitis* Σιμοὺς, id est, *Simos* appellaverunt. His igitur *Simis* arma fuêre cornua orygum, quibus refertam esse regionem testantur *Agatharchides* & *Diodorus*. Horum cornuum durities cum tanta sit, fabulosum esse puto, quod *Commodum* scribit *Lampridius* virium ad conficiendas feras tantarum fuisse, ut orygis cornu hasta transmiserit. Ab hoc cornu ipsum animal *Græci* ὄρυγα dixerunt, & *Latini* SUBULONEM, vel contractè SUBLONEM, tanquam a *Subula*. Glossæ, *Sublones*, ὄρυγες, θήλεια, ἐργαλεῖά τι (pro quo legendum *Casaubonus* rectè monet, ὄρυγες, θηρία, ἐργαλεῖά τι) *fera, & artificum instrumenta*, nempe fossoria. Nam ὄρυξ propriè dicitur *Græcis* instrumentum fossorium acutum, quo terra eruitur, & lapides fodiuntur. *Oppopa* ὄρυξ exponitur in *Glossis*, vel *appupa*, cujus usus in lapidicinis apud *Plautum*. *Hesychius* ὄρυγα exponit λαοξοϊκὸν σκεῦος, ἢ σκαφεῖον, instrumentum scilicet ferreum acutum, quo lapides primo rudimento punguntur prius quam poliantur. *Subulas* quoque *Latini* appellarunt, unde *subulis impositi lapides* apud Auctores *De limitibus*. Hæc pluribus *Salmasius* in *Solinum* pagina 223. Ex quibus constat *orygem* & *subulonem* dictum fuisse hoc animal; quia cornu habet instar subulæ, aut instar τοῦ ὄρυγος, sive fossorium, sive lapicidarum. Ita *Chaldæum* & *Syrum* ܪܝܡܐ (quod alii *capream* reddunt, alii *pygargum*, alii *alcen*, alii τάρανδον, alii *ibicem*, alii *orygem*, alii *damam*, alii *hircum sylvestrem*, alii *camelo-pardalim*, & quid non?) videtur esse *oryx*, quia רצן, & contractè רן, est *transfigere*. Inde igitur רצן, & contractè רן, est *animal, quod cornu suo fodit, & figit.* Veram esse hanc conjecturam patet ex *Samaritana* Paraphrasi, in qua pro *Chaldæo* רן plenè scribitur [Samaritan] *Deut. 14. v. 5.* quasi *transfixorem* dixeris. Cum igitur probaverim hactenus *Oppiani* orygem colore pili, pinguedine, & cornibus, τῷ *reem* esse similem, puto *Hebræos* nomen *reem*, quo capreæ genus nominant, etiam illi orygi indidisse, atque huic magis propriè convenire, quæ de robore & ferocia τοῦ *reem* in Scriptura dicuntur. Hanc enim orygis esse naturâ abundè docent quæ ex *Martiali* & *Oppiano* adduximus. Sed & plerumque major fuit statura orygis, quem dicit *Herodotus* ad bovis magnitudinem accedere. Et *Oppianus* rhinocerotem illo non esse multo majorem. Sic plana erunt omnia, quæ de ראם *reem*, tradunt sacri Scriptores. Et patebit insuper cur *Græci* interpretes ראם, μονοκέρωτα reddiderint: quia nimirum ὄρυξ quandoque est unicornis, ut ex *Aristotele* & *Plinio* constat. Frustra orygem objeceris nonnunquam cicurari. Et in *Ptolemæi* pompa apud *Callixenum Rhodium* (d) orygum fuisse bigas. Et in *Horo Apolline* (e) veteres *Ægypti* Reges describi ἐπιβαδίζοντας τούτῳ τῷ ζώῳ. Neque enim *Iobus* absolutè negat רים, *rem*, posse cicurari, sed ita cicurari negat, ut aratro inserviat. Et, cicuretur licet, natura sua tamen valde ferus est. Unde *Martialis sævus oryx.* Et *Oppiano* ἀγριόθυμος ὄρυξ, &

Θυμὸς δ' αὖτ' ὀρύγεσσιν ὑπερφίαλος, καὶ ἀπηνής.

At oryx, inquies, peregrinum est animal, æquè ac urus, & rhinoceros. *Herodotus* enim libro quarto oryges

(d) Athen. lib. 5.
(e) Horus lib. 1. cap. 46.

oryges censet in iis animalibus, quæ ad *Tritonis* fluminis ortum in *Africa* procreantur. Et *Plinius* libri decimi capite septuagesimo tertio, *Orygem perpetuò sitientem* Africæ *generant*, &c. Et paulo post, *Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum saluberrimi liquoris vesicis.* Unde *Juvenalis* Satyrâ undecimâ.

- - - - - - - - *& Getulus oryx.*

f) Cap. 16. g) Lib. 16. h) Lib. 3. i) Lib. 10.

Alii orygem *Æthiopiæ* interiori adscribunt; ut (f) *Agatharchides*, (g) *Strabo*, (h) *Diodorus*, (i) *Heliodorus*. Fateor, sed & oryx *Ægyptium* fuit animal, aut *Ægyptiis* notissimum. *Plinius* libri secundi capite quadragesimo, *Orygem appellat* Ægyptus *feram, quam in exortu ejus* (Caniculæ) *contra stare & contueri tradit, ac velut adorare cum sternuerit.* Ælianus *Historiæ* libri septimi capite octavo, Αἰγυπτίων ἀκούω λεγόντων τὸ ὄρυγα συνιέναι τὴν τῆς Σειρίου ἐπιτολὴν πρῶτον, καὶ μαρτυρεῖσθαι τῷ πταρμῷ αὐτόν· *Ægyptios audivi asserentes orygem Caniculæ ortum primum animadvertere, & sternutamento testari. Plutarchus* quoque in libro *Utra anim.* Ægyptios tradit μυθολογεῖν περὶ τοῦ ὄρυγος, ὡς φωνὴν ἀφιέντος, ἡμέρας ἐκείνης, καὶ ὥρας, ἧς ἐπιτέλλει τὸ ἄστρον, ὃ Σῶθιν αὐτοὶ, Κύνα δὲ, καὶ Σείριον ἡμεῖς καλοῦμεν· *fabulari de oryge, illum vocem emittere, quo die, & hora oritur illud astrum, quod ipsi* Sothim, *nos* Canem, & Sirium *appellamus.* Rursus *Ælianus* libri decimi capite vigesimo octavo, Ἀποστραφεὶς πρὸς τὴν ἀνατολὴν τοῦ Ἡλίου, τὰ περιττὰ τῆς ἑαυτοῦ τροφῆς ἐκβάλλει, φασὶν Αἰγύπτιοι· *Ad orientem Solem conversus, alimenti superflua* (id est, excrementa) *excernit, ut ajunt* Ægyptii. Unde est, quod *Serapidis*, id est, *Solis* Sacerdotibus maximè erat odiosus. Et in *Hori Hieroglyphicis* libri primi capite quadragesimo sexto ἀκαθαρσίαν *impuritatem* oryge significari legas; quia, oriente Luna, ἀτενίζων εἰς τὴν Θεὸν κραυγὴν ποιεῖται, *Deam intentis oculis contuens clamorem edit*, ac si eam execraretur, Et, terram prioribus pedibus suffodiens, ζωγραφεῖ ἑαυτοῦ τὰς κόρας, ὥσπερεὶ ἀγανακτῶν, καὶ μὴ βουλόμενος ἰδεῖν τὴν τῆς Θεοῦ ἀνατολὴν, *pingit pupillas suas tanquam indignabundus, nec Deæ exortum videre volens.* Quod cum sit absurdum, pro ζωγραφεῖ fortasse legendum ἀμαυροῖ *abscondit pupillas suas*, oculos claudendo, vel demittendo. Sequitur idem facere in exortu Solis. Unde est, quod οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς, τοῦ ὡροσκόπου σημαίνοντος αὐτοῖς τὴν ἀνατολὴν, ἐπιβαχίζοντες τούτῳ τῷ ζώῳ, δίχα μέσου αὐτοῦ, ὡς τινων γνωμόνων, τὴν τῆς ἀνατολῆς ἀκρίβειαν ἐγνώριζον. Quorum verborum sensus erit multò apertior, si pro ἐπιβαχίζοντες, mutato Casu, & Numero, legas ἐπικαθίσαντος, nempe τοῦ ὡροσκόπου. Sic enim significabunt veteres, Reges per hoc animal tanquam per quosdam gnomones momentum exortus accuratè novisse, id edoctos ab Horoscopo, id est, horarum inspectore, huic animali insidente. Ita ut non ipsi Reges, quod statuit vulgata lectio, sed Horoscopus, orygi insidens, Reges monuerit de proximo exortus tempore. Ibidem Sacerdotes orygem, ut Deæ adversarium, μόνον τῶν κτηνῶν ἀσφράγιστον ἐσθίειν, *solum pecudum non signatum comedunt.* Quod alioqui sub pœna mortis vetitum fuisse docet *Herodotus* libri secundi capite trigesimo octavo. Inter pecudes, nempe feras, censetur oryx: ut *Columellæ* libri decimi capite primo, *Feræ pecudes, ut capreoli, damæq, nec minus orygum cervorumq, genera.* Ultima causa, cur orygem oderint *Ægyptii*, ab *Horo* hæc affertur, quòd, cum bibit, aquam turbat τοῖς χείλεσιν *labiis.* Imò τῇ χηλῇ *fissis unguibus*, id est, τοῖς ποσὶν *pedibus*, ut paulo post explicatur. Ex his liquet *Ægyptiis* jam olim notissimum fuisse orygem, ac proinde etiam *Judæis*, qui non solum erant vicini, sed & in *Ægypto* captivi diu hæserant, & cum *Ægyptiis* sub *Solomone*, & Regum aliis, arctissimum fœdus contraxerant. Proinde תאו *theo*, vel תוא *tho*, unum ex animalibus, cujus esum *Judæis* Lex *Mosis* concesserat, non solum *Seniores*, sed & *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion* & *Hieronymus* ἰδίως *orygem* interpretati sunt. Quam bene non jam quæro; nam capite proximo id fiet: sed solum hinc colligo, ex horum omnium sententia orygem *Judæis* fuisse notum. Tertium objici posse video, nempe Scripturæ loca, ex quibus *Bootius* se putat collegisse τὸν ראם *reem*, esse animal bovi aliquo modo congener. Quæ fatebor suum pondus habere, modo is vicissim agnoscat animalia cervini generis cum natura bovis sylvestris aliquid habere commune. Quod *Arabes* rotunde scribunt, & sine verborum ambagibus. *Damir* in capite, البقر الوحشي id est, *De bove fero*, هذا النوع اربعة اصناف المها والايل واليحمور والثيتل *Animalium hujus generis quatuor sunt species, nempe* maha, & ajil, (id est, *cervus*) & jachmur, & thaithal. Et in capite ايل *ajil*, seu *De cervo*, الظاهر انه بقر الوحشي والاجل لغة ويقال هو الذي يسمي بالفارسية كوزن واكثر احواله شبيه ببقر الوحش *Patet esse bovem ferum. Per quandam Dialectum vocatur* agil. *Et dicitur esse id animal, quod* Persæ GAUZAN *vocant, bovi fero in plerisq, simile.* Alkazuinius, ايل هو المعز الجبلي اكثر احواله شبيه بقر الوحش *Ajil* (cervus) *capra montana genus est, quod feri bovis habet plerasq, conditiones.* Sed, quod mirere magis, idem in capite بقر الوحش *De bove fero*, neque bubalum, neque urum, neque bonasum, aut bisontem, neque ullum aliud feri bovis genus describit, sed solum cervum. Nempe initium tale est, بقر الوحش يقال له بالفارسية كوزن له قرنا عظيم ذو شعب كل سنة ينبت على قرنه شعبة زايدة وقرنه مصمت بخلوف قرون ساير الحيوانات فان قرونها مجوفة *Bos ferus* Persicè *dicitur* GAUZAN. *Cornu ejus* (id est, cornua) *magnum, & ramosum est. Et novi rami quotannis illi adnascuntur. Solidumq, est illud cornu: contra quam reliqua animalia, quæ cornua habent concava.* Sequitur illum Musica ita delectari, ut ad sagittas, quibus interim impetitur, non advertat. Et auribus elatis valde esse attentum, sed remissis pene surdum. Et, cum ægrotat, viperarum esu sanari, solo capite omisso. Et illas halitu suo ad se allicere. Et quædam alia adduntur, ex quibus palam constat *bovis feri* nomine cervum describi. *Cæsar* etiam libro sexto, ubi de feris *Hercyniæ* sylvæ; *Est bos cervi figura*, &c. *Bovem* non vocasset animal cervi figura, nisi bovem & cervum cognata esse animalia credidisset.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Probatur תוא *tho*, vel תאו *theo*, potius esse *Orygem*, quàm *Bovem sylvestrem*.

Aliis תוא tho, *vel* תאו theo, *bos sylvestris: sed oryx* Senioribus, Aquilæ, Symmacho, Theodotioni, *&* Hieronymo; *quod magis placet: quia* Deuter. 14. v. 5. *est inter cervinas species; & in* Judæa *bos sylvestris nullus. Nec edulis est, nec laqueo capitur, sed foveâ.* Syrus *quoque pro* oryge *sumit. Nomen* תוא tho, *vel* תאו theo, *à voce factum, ut* θωὺς, *&* θωΰσσειν. Hesychius *emendatus. Clamor in oryge cur observetur.* Esa. 51. v. 20. *cur* תוא *tho, beta redditum. Conjectura* Hieronymi, *&* Buxtorfii. *Cur ibidem* מכמר, *pro reti, Græcis* semi-coctum, *& Syrus* flaccidum *reddat.* Languidior beta. Betissare, *&* lachanissare, *pro* languere. Glossæ *in voce* λαχανίζειν *à* Casaubono *minus rectè emendata. Alia emendatio. In* Chaldæum *interpretem conjectura.*

ORyx alio nomine dicitur תאו *theo*, vel תוא *tho*, si veteribus credimus. Nam *Deut.* 14. *v.* 5. תאו *theo*, Seniores reddunt ὄρυγα· & *Hieronymus orygem.* Et *Esa.* 51. *v.* 20. pro *Hebræis* כתוא מכמר, in *Aquila* legebatur, ὡς ὄρυξ ἠμφιβληστρευμένος· in *Symmacho*, ὡς ὄρυξ ἐν ἀμφιβλήστρῳ· in *Theodotione*, ὡς ὄρυξ συνειλημμένος, ut in *Vulgato*, *Sicut oryx illaqueatus.* Nempe ex תאו factum creditur תוא per Metathesim; quomodo כשב ex כבש *agnus*. At alii תוא, vel תאו, *bovem sylvestrem* reddunt. Id enim esse putatur in *Onkelo* תורבלא, in *Jonathane* תורבר, & in *Arabibus* التيتل. Nam ad verbum תור בלא *est bos sylvæ*, תור בר *bos agri*, & التيتل una è quatuor bovis feri speciebus apud *Damirem*. Inde est, quod תאו *bubalum*, aut *bovem sylvestrem*, explicant plerique recentiorum.

Sunt tamen causæ plures, cur mihi placeat magis prior interpretatio. 1. Quod *Deut.* 14. *v.* 5. תאו poni video inter species cervorum & caprarum sylvestrium. Et è septem ferarum nominibus, quæ in uno versu leguntur, *Chaldæos*, *Syros* & *Arabes* cætera sex ad cervos aut capras referre: unde hoc etiam eodem esse referendum valde verisimili ratione colligitur. 2. In *Judæa*, & vicinis locis, nullos fuisse sylvestres boves jam supra (*a*) observavimus: & horum præcipuæ species, urus, bison, bonasus sunt feræ frigidi climatis. Bubalus quidem degit potius in *Australibus* locis: sed is videtur olim latuisse in remotissimis regionibus, *India* putà, vel *Persidis*. Saltem ante *Christi* tempora nullus occurrit, qui inter bovis feri species bubalum nominaverit, aut descripserit. *Græcis* vetustioribus aliud erat βούβαλος, vel βούβαλις, nempe capræ sylvestris genus, ut supra (*b*) probavimus. Et *bubali* nomen *Arabicum* جاموس *giamus*, Plur. جواميس *giavamis*, deflexum est ex *Persico* كاوميش *cawmis*, vel *gaumis*, id est, *vacca fera*. Itaque à *Persis* cum suo nomine ad *Arabes* videtur deductus, unde paulatim ad *Europæos*. 3. In *Judæorum* cibis censetur תאו *Deuter.* 14. *v.* 5. quod de bubalo vix crediderim, cujus esum communi suffragio omnes execrari video. *Damir*, اكل لحمه يولد القمل *Esus carnis* ejus generat pediculos. Petrus Crescentiensis, *Carnes bubalinæ nimium melancholicæ sunt, & ne boni quidem saporis, quare parum probantur. Crudæ adhuc formâ, & colore non adeo indecoræ sunt, coctæ vero omnino.* Johannes Baptista Fiera,

Bubalus hinc abeat, neve intret prandia nostra:
Non edat hunc quisquam: sub juga semper eat.

4. תוא laqueo capitur *Esa.* 51. *v.* 20. quod de bove fero nemo dixerit. Illos enim foveâ capi, aut simili arte scribunt veteres, nusquam retibus, cùm sit validius animal, quàm ut possit retibus detineri. Hinc de *Æthiopum* bubus feris *Agatharchides* capite trigesimo nono, Τὸ δ' εἰς ὄρυγμα ἐμπεσὸν, ἤ τινα δόλον τοῦτο παραπλήσιον, &c. Et *Diodorus* libro tertio, Τὸ δ' εἰς ὄρυγμα πεσόν. Et *Ælianus* libri decimi septimi capite quadragesimo quinto, Τὰ δ' ἐς αὐταῖς κρυπτὰς ἐργάζονται βαθείας, καὶ ταύταις αὐτοὺς ἀλίσκουσι. Et *Plinius* libri octavi capite vigesimo primo, *Ipsi non aliter quam foveis capti*, &c. Et *Cæsar* libro sexto de uris in *Hercynia* sylva, *Hos studiose foveis captos interficiunt.* Et *Albertus* libro vigesimo secundo de zubrone, uri specie in *Illyrico*; *Capi aliter non potest, quàm foveis, aut venatore circa crassissimi trunci arborem circumeunte*, &c. Hæc illi: ex quibus constat verum id esse, quod diximus, boves feros non capi retibus, aut plagis, sed effossa fovea. At de cervino & caprillo genere planè secus. Cervos enim, damas, capreas, ac proinde etiam oryges, partim ex ipsa Scriptura, partim aliunde probavimus tam retibus, quàm canibus capi. 5. Præter *Seniorum*, *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis* cum *Hieronymo* consensum, habemus insuper *Syrum* interpretem, in quo תאו est ܚܡܘܪܐ, qua voce, contracta ex ܚܡܪܐ, *orygem* significari jam ante (*c*) monuimus. Et fortasse id ipsum fuit *Chaldæis* תורבלא, & תורבר, & *Arabibus* التيتل. Quidni enim in boum ferorum censu ab illis poni potuerit oryx, æquè ac cervus, & *jachmur*? Præterea التيتل pro ibicis specie sumi disertè docent *Lexicographi*. *Alcamus* التيتل الوعل او مسنه او ذكر الاروي او جنس من بقر الوحش Thsaithal, *ibex*, *aut qui annosus est in hoc genere, aut mas alorviæ* (quæ est ibicis fœmina) *aut bovis feri genus.* Golius ex Giauhari, *Caper montanus, oryx, bos montanus, species bubuli*, &c. 6. Fallor, aut nomen תאו *theo*, vel תוא *tho*, est à voce factum. Sic *Græcè* θωὺς, & θωΰσσειν, sunt voces ὀνοματοπεποιημέναι. Fortasse etiam *jetta*, sylvestris hirci genus in *Creta*, nomen à clamore sumpserunt. *Hesychius*, Ἴττας, πατίγας (lego τιτύρος) Κρῆτες, ἢ τὰς ἀγρίους τράγους. Et in avibus ταὼς *pavo*, si *Varronis* fides. Nec frustrà in oryge clamor observatur, quem edit scilicet in ortu siderum. *Plutarchus* enim supra (*d*) nos docuit orygem in ortu *Caniculæ* φωνὴν ἀφιέναι *vocem emittere*: & *Horus* (*e*) κραυγὴν ποιεῖσθαι *clamorem edere*, cùm Luna & Sol exoriuntur.

In *Esaiæ* loco de oryge illaqueato immane quantum nonnulli interpretes à *Prophetæ* verbis discesserint, quibus *Judæos* animo defectos jacere dicit in compitis כתוא מכמר, *ut orygem in reti*, supple *detentum*, *& implicitum*: unde se expedire cum frustra conatus est; quid superest, quam ut inutili labore victus tandem fatiscat, & humi jaceat. Quæ cum plana sint, & obvia, quorsum pro *Hebræis* כתוא מכמר, *ut oryx in rete*, vel *irretitus*, *Græci* habent ὡς σεῦτλον, vel ὡς σευτλίον ἡμίεφθον, *ut beta semicocta*: & *Syrus*,

a) Cap. 26. p. 933. lin. 16. &c. & cap. 27. pag. 960. lin. 10. &c.

b) Cap. 22. p. 910. lin. 35. &c.

c) Cap. 27. p. 970. lin. 39. &c.

d) Cap. 26. p. 946. lin. 20. &c.

e) Ibid. lin. 22. &c.

[illegible] orsum hæc eadem [illegible] phiale fractæ, quid [illegible] oryge illaqueatoris [illegible] sibi minus [illegible] in his tenebris [illegible] conjecturas afferam, donec [illegible] Hieronymus ex [illegible] licatur beta. Pro quo, inquit, [illegible] sunt thoreth, quæ dece- [illegible] vel תרד therad, aut etiam [illegible] pro beta, vel bliro, non [illegible] putat illis תהו tho, idem [illegible] תהא thea, quæ laseris est [illegible] Tractatibus, Oketsin, & Cholin. [illegible] sive valet, Græci non scripserunt σευτ- [illegible] sed σίλφιον, id est, laserem, laserpi- [illegible] etiam *Syrus*, & *Arabs*, Græcos sequuti, [illegible] Itaque, si quod scriptionis vitium est [illegible] illud oportet esse valde vetus. Sed, sive [illegible] σευτλίον legas, cur additur ἡμίεφθον *semi-* [illegible] In Prophetis מכמר est *rete*: at in *Talmude* מכמר [illegible] *cum quod ante tempus collectum est Soli expo-* [illegible] *ut calefactione maturescat.* Quidquid autem sic maturescit, ἡμίεφθον *semi-coctum*, aut potius ἡμίπεπτον *semi-maturum* non incommodè dicatur, quia hæc non est perfecta maturatio. Quid si, pro σευτλίον ἡμίεφθον, legas σίλφιον, ἢ μάσπετον, *silphium*, aut *maspetum*? *Silphium* sæpe idem quod *laser*. Tamen propriè laseris radicem, ut *maspetum* laseris folium sonat: quorum utrumque habuit suos usus. Id si sequaris, vocis תהא duplex erit versio, & quæ sequitur מכמר erit ἀνεξμήνυτ☉. Quod, quia magis insolens, minus probo. Jam *Syrus*, qui מכמר, *flaccidum* reddit, videtur legisse מכמש, aut potius מכמד, *Daleth* pro *Res*. *Syris* enim كمل est *flaccescere*: ut *Hebræis* כמש. Proinde *beta flaccida* in hoc ipso loco كملم dicitur. Atque magis ad rem id esset, ut qui animo defecti in compitis jacent, cum beta flaccida conferantur, quam cum beta, aut etiam laserpitio semi-cocto. Ita enim in *Catullo* legas,

- - - - - - - *languidior betâ.*

Sed & *Augusti* Verbum fuit *betissare*, pro *languere*. *Suetonius* in *Augusto* capite octuagesimo septimo, *Quotidiano sermone quædam frequentius & notabiliter usurpâsse eum, literæ ipsius autographæ ostentant. In quibus, &c.* betissare *pro* languere, *quod vulgò* lachanissare *dicitur.* Ad quæ verba *Casaubonus*, *Vertisse* Augustum Græcam *vocem* λαχανίζειν betissare, *non mirum: nam* λάχανον *Atticis* beta *est*. Rectè: sed iis, quæ sequuntur, non assentior. *Legitur in veteri Glossario*, Vacillant, λικνίζουσι, βαυβαίνουσι *perperam Lego*, λαχανίζουσι, &c. At ego λικνίζουσι, quia λίκνον *vannum*, & *cunas* sonat, in quibus pueri agitantur. Unde *Bacchus* λικνίτης. Et *Glossæ Philoxeni*, λικνίζω, *vanno*, *vannio*. Superest de *Chaldæo* dicamus, in quo pro כמורקי מצרין *ut phiala fracta*, quæ sunt prorsus ἀπροσδιόνυσ☉, legerim libens כמא רימי, vel כריסני מצרין, *ut oryges retium*, id est, *irretitos*. Et vero pro מצרין, *Elias* legit מצרים. Et *Buxtorfius* id sequutus est. Sed in voce, quæ præcedit, omnes hærere video, aut ea dicere, quæ essent - - ἄφυλ' ἀμείνω.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

De Porco sylvæ, seu Apro, Psalm. 80,14.

Porcus è sylva, & fera agri, qua vitem ex Ægypto translatam devastarunt, sunt Reipublicæ Israelis hostes, & subversores. Aper ἀγριοχοιράς *dicitur* porcus è sylva; *quia in sylvis degit. Lustra, & lamæ, aprorum in sylvis cubilia. Apros Ovidius perperam in Creta describit, ubi nulli sunt. Aper Syris* porcus agri, *Arabibus* porcus montanus, *unde Hispanis* javali. *Cur apri suibus minus fœcundi. Sylvæ plerumque in montibus. Cur in voce* מיער *Ajin sit suspensum. Quatuor causæ à variis allata.* זיז ziz, *bestia à motu dicta, ut* Græcè κινάδαλα, κινώπετα, κινωπησταί. *Vocabula* ἑρπετά, κνώδαλον, δάκδαλ☉, ἀμύγδαλ☉, κορυδαλίς, σκάνδαλον, &c. *Nuga* Hebræorum *de avibus* zir, & bar juchne. *Vox* כרסמנה *perperam in duas divellitur.* כרש venter bestiæ, *non cujusvis, sed* ruminantis. כרסם *nonnullis* conculcare, *aliis* fœdare, *aliis* suffodere, *aliis* edere, rodere. *Arabicè dicitur de tinea, & teredine.* Eueni *Epigramma de capro vites rodente in Domitianum translatum.* Chaldaicè קרסם consumere, & absumere. *Ægyptii suibus ad cultus agrorum usi. Alibi sues vitibus & frugibus infesti.* Cypria *lege evellebantur dentes suis* λυκοβοτείσης. *Sus cur mactatus* Athenis *in* Cereris *mysteriis. Hac victima omnium antiquissima.* Romæ *quid* porca præcidanea. *Agros & vites ab apris sæpe vastari.* Χλοῦν *quid* Homero. *Aper* Calydonius, Samius, Erymanthius, Lycius, Clazomenius, *in* Olympo Mysiæ, Noricus, *&c. In* Midras, *porcus è sylva*, Esau: *fera agri*, Ismael. *id est*, Christiani, & Saraceni. *Cur* Babylone *Deus dicatur* Judæos *lacrymis potasse in triente. Aper est* Nabuchodonozor. Asaph, *auctor* Psal. 80. *non is, qui Davidi fuit æqualis. Fera calami* Psalm. 68. v. 31. *id est, aper, cujus cubilia sæpe inter calamos. Idem de hippopotamo.*

SUb vitis Allegoria *Judæorum* tam res secundæ, quam adversæ describuntur, hac ad Deum oratione *Psal.* 80. v. 9. &c. *Vitem ex Ægypto transtuleras: expuleras gentes, ut plantares eam: locum ei præparaveras, & radices ejus firmaveras, & impleverat terram. Montes ejus umbra operti fuerant, & palmites ejus erant ut cedri Dei. Emiserat malleolos suos usq, ad mare, & propagines suas usque ad fluvium. Cur diruptsti maceriam ejus, & carpunt eam viatores? Vastavit eam porcus è sylva, & fera agri depasta est eam.* Quibus verbis agi constat de populo *Judæorum*, qui à Deo translatus ex *Ægypto* in *Chananaam*, pulsis veteribus colonis, ibi diu pacatè degerat, & in immensum creverat, & sub *Davide*, & *Solomone* occupaverat quidquid terrarum est à mari *Mediterraneo* usque ad *Euphratem* fluvium. Sed idem Deus, ingratæ gentis rebellione meritò exasperatus, varios hostes in illam concitaverat, à quibus *Judæa* devastata, & plerique ejus incolæ aut occisi, aut in miseram captivitatem abducti sunt. Itaque ut *Judæorum* Respublica cum vite, ab ipso Deo consitâ, & exo cultâ, confertur: ita illius subversores hic proponuntur tanquam apri atque agri feræ, per quas sacra illa vitis corrupta est, & devastata. *Vastavit eam*

porcus è sylva, inquit *Psaltes*, *& agri fera depasta est eam.* In quibus verbis quatuor hic habemus disquirenda. 1. Quid significent hæ voces חזיר מיער *porcus è sylva*. 2. An in altero hemistichio זיז השדה, *agri fera*, sint voces prioribus synonymæ. 3 Quid propriè & præcisè significet vox יכרסמנה, quam vulgò reddunt *vastavit eam*. 4. An *porci* nomine peculiaris aliquis *Judæorum* hostis designetur, & quis ille sit.

Ad primam quæstionem responsio est obvia. Nam *porcus è sylva* quid aliud sit, quàm aper, quem ut *Græci* κάπρον, ità *Romani* APRUM dixerunt per Aphæresin, ne cum *capro* confunderetur? Sed *Hebræi*, cum proprium *apri* nomen nullum haberent, per περίφρασιν vocaverunt *porcum è sylva*. Quod Absolutè non dicitur, ut אריה מיער, *leo è sylva*, Jerem. 5, 6. sed Comparatè, & διακριτικῶς, ut distinguatur à porcis vulgaribus. Quomodo dixit *Varro* in Ὄνῳ λύρας apud *Nonnum*, *Nempe sues sylvaticos in montibus sectaris venabulo.* Et qui scripsit *De Mirabilibus Scripturæ* sub *Augustini* nomine, libri primi capite sexto; *Quis enim, verbi gratia, lupos, cervos, & sylvaticos porcos in* Hyberniam *deveheret?* quia in sylvis ferè sunt aprorum cubilia. Festus, *Lustra significant lamas lutosas, quæ sunt in sylvis aprorum cubilia.* Hinc apud summum *Poëtam Iliad.* λ΄. exit aper

- - - - - - βαθείης ἐκ ξυλόχοιο,

ex profunda sylva. Et *Odyss.* τ΄.

Ἔνθαδ' ἄρ' ἐν λόχμῃ πυκινῇ κατέκειτο μέγας σῦς,

Ibi autem in sylva densa jacebat magnus aper. Et *Anaxilas Comicus* de *Circe* apud *Athenæum* libro nono, Τοὺς μὲν ὀρειονόμους ὑμῶν ποιήσει δέλφακας, ὑλιβάτας· *Alios è vobis porcellos faciet monticolas, & sylvicolas.* Idem in nostris frequens. *Catullus* in *Aty*,

Ubi cerva sylvi-cultrix, ubi aper nemori-vagus.

Virgilius *Georgicorum* libro tertio,

Per sylvam tum sævus aper, tum pessima tigris.

Et infrà in eodem libro,

Sæpe volutabris pulsos sylvestribus apros.

Ovidius *Metamorphoseωn* libro decimo, de apro, qui *Adonin* morsu interemit;

- - - - - *sylvis exire parantem*

Fixerat obliquo juvenis Cinyreius *ictu.*

Et *Amorum* libri tertii Elegiâ nonâ, ubi de amoribus *Cereris* & *Jasionis* in *Ida*, *Cretæ* monte;

Ipse locus nemorum canebat frugibus Ide,

Et ferus in sylva farra metebat aper.

Ubi tamen non sine errore describit apros in sylvis *Cretæ* insulæ, quæ nullos habet, ut *Plinius*, & alii disertè scribunt. *Aprum*, *pro porco sylvæ*, *Syri* vocant ܚܙܝܪܐ ܕܒܪܐ *porcum agri*: & *Arabes* الخنزير البري *porcum agrestem*, vel الجبلي *montanum*. Et pro جبلي *giabali*, id est, *montano*, Hispani *javali* nuncupant. Ità *Pindarus* alicubi σύας ὀρειπίτας *sues monticolas* meminit. Et *Anaxilas* suprà vocavit ὀρειονόμους δέλφακας. Proinde apud *Plutarchum* in *Causis Naturalibus* ideò sues sylvestres minus fœcundæ sunt; quia, cum sint ὀρειβατοῦντες, καὶ ἀλώμενοι, τὴν τροφὴν διαφοροῦσι, καὶ καταναλίσκουσιν εἰς τὸ σῶμα πᾶσαν, *monti-vagæ, & circumquaque cursitent, alimentum facilè digerunt, & in corpus totum absumunt.* Sed sylvæ plerumque sunt in montibus. Unde illud לבמות יער, *in excelsa sylvæ Jerem.* 26, 18. & *Mich.* 3, 12. Apros igitur, sive *sylvestres*, sive *montanos sues* dixeris, res ferè eodem recidet. Proinde in loco *Psalmi*, in quo versamur, *Arabs Savarianus* habet خنزير الغاب *porcum sylvæ*: & alter *Parisiis* editus خنزير الجبل *porcum montis*.

Hebræi anxiè quærunt, quorsum in manu-scriptis, & multis *Psalmorum* editionibus sic scribitur מיער, ità ut litera *Ajin* sit תלויה, *suspensa*. Undè est, quod ad illam vocem *Masorethæ* hanc notam apponunt, חד מן ד׳ מלין בקריאה תלוי בהן אות *Una est è quatuor Scripturæ vocibus, quæ literam suspensam habent.* Nonnulli sic notari volunt literam *Ajin* in voce מיער esse præcisè mediam *Psalterii*. Ità asserunt *Talmudici* in Tractatu *Kiddusin* cap. 1. fol. 30. à יכרסמנה חזיר מיער עין דיער חציים של תהלים. *in loco* Psalmi 80, 14. (*Devastavit eam porcus* מיער *è sylva*) *litera* Ajin *vocis* מיער *est media* Psalmorum. Ex aliorum sententia litera *Ajin* suspenditur, ut pro *Ajin* legatur *Aleph*, id est, חזיר מיאר, *porcus è fluvio*, pro חזיר מיער, *porcus è sylva*. Illi enim hostes, qui in *Israelitas*, irato Deo, sæviunt instar sylvestris porci; eodem pacato, similes fiunt porco fluminis, qui in terra nil quidquam potest. Ità habet *Midras* in *Psalmos*, & è recentioribus *R. Selomo*, מיער העין תלויה לומר ישראל הרי עשו אויבם כחית היאר שאין לה כח לעלות ביבשה ובזמן שהפורענות נגזר עליהם מתגבר כחית היער שהיא משחתת והורגת *In voce* מיער *litera* Ajin *est suspensa; quia cum* Israelitæ *digni sunt*, Esau, (*id est*, *Christiani*) *hostis eorum, est ut animal fluviatile, quod non potest in terram ascendere; sed, cum Deus ab illis pœnas reposcere decrevit, invalescit ut fera sylvæ, quæ perdit, & intersimit.* Rabbi *Bechai*, in libro כד הקמח capite primo, literam illam suspensam statuit esse *Christi* symbolum, qui in cruce suspensus est. Vide plura in *Masoretico Buxtorfii* Commentario capite decimo sexto. *Judæos* veteres putaverim, ut, per *porcum è sylva*, *Nebucadnetsarem* intellexerunt, qui *Chananæam* devastavit, & *Judæos* in captivitatem *Babylonicam* deduxit: ità per *Ajin* suspensum annos septuaginta designari voluisse, quibus duravit illa captivitas. Nam in numeris litera *Ajin* valet septuaginta. Sed de his plura deinceps.

Secunda quæstio hæc fuit, an in posteriore hemistichio זיז שדה, *fera agri*, sit idem, quod in priore חזיר מיער, *porcus è sylva*. Ita placuit *Græcis*, qui posterius illud hemistichium ità reddunt, Καὶ μονιὸς ἄγριος κατενεμήσατο αὐτήν. *Vulgatus* quoque id sequutus: *Et singularis ferus depastus est eam.* Μονιὸς, *singularis*, id est, aper, *Callimachus* Hymno in *Dianam*,

Αἰ δ' ἂν κ' ἐγὼ τόξοις μονιὸν δάκος ἤ τι πέλωρον,

Θηρίον ἀγρεύσω. - - - - - -

Quod si ego sagittis singulare animal (*id est, aprum*) *aut aliquam prægrandem feram cepero.* Ælianus *Historiæ* libri septimi capite quadragesimo septimo, Καλοῦνται δὲ καὶ τῶν σῶν μονιοί τινες. *Suum etiam nonnulli singulares vocantur.* Et libri decimi quinti capite tertio, de thynnis *Bubonicis*; Καὶ οἱ μὲν αὐτῶν κατὰ τοὺς σῦς εἰσὶ μονιοί· *Eorum nonnulli suum instar singulares* (*sive solitarii*) *sunt.* Hesychius, Μονιὸς, ὗς ἄγριος, ὁ μὴ τοῖς ἄλλοις συναγελαζόμενος· *Singularis, sus ferus, qui cum aliis non congregatur.* Suidas, Μονιὸς, ἄγριος ὗς μονονόμος. *Singularis, sus ferus solitarius.* Phavorinus, Χλούνης, καὶ μονιὸς, καὶ χαυλιόδους, ὁ ἄγριος σῦς λέγεται. Eodem facit, quod in *Lycophrone* versu septuagesimo quarto vocatur πύργος μονιὸς, *porcus solitarius*. Et quod *Apollinaris* in *Paraphrasi* ἀτιμαγέλην appellat, id est, *à grege abhorrentem*. Verba sunt,

Καὶ μιν ἀτιμαγέλης κατεβόσκετο λυσσαλέος σῦς,

Et eam à grege abhorrens depastus est rabiosus sus. Vernaculum quoque *sangher*, & Italicum *cingiale*, vel *cingiaro*, palàm fiunt ex Latino *singulari*. Pro μονιὸς ἄγριος legitur ὄνος ἄγριος in *Cyrilli* Commentario in *Oseam*. Quod pridem observavit *Hesychius* voce Μονιός. Atque *Arabum* interpretum unum id sequi suprà (*) docuimus. Μονιὸν tamen quandoque pro *onagro* sumi, quod indè nonnulli colligunt, meræ nugæ sunt. Neque enim ulla est ratio, cur μονιὸς dicatur onager, cum grega-rium

(*) Cap. 16. pag. 870.

rium sit animal æquè ac asinus domesticus. Mihi זיז ziz, neque est *μονιὸς, singularis*; neque ὄνος, *asinus*: sed bestia, vel fera quævis. Quia *Psal.* 50, 10. 11. ponitur זיז ziz, inter animalium nomina generica. Ibi enim sic loquitur Deus, *Quoniam mea est* כל חיתו יער, *omnis bestia sylvæ*, בהמות, *bestiæ* quæ sunt *in mille montibus*. *Cognovi* כל עוף הרים *omnem avem montium*, וזיז שדה עמדי, *& ziz agri penes me est*, id est, agrestis bestia quævis. Quorsum enim vel apri vel onagri Deus hic meminisset? Rectè igitur ad hunc locum *Kimchius*, מלת זיז כלל לחיות השדה המדבריות, *Vox ziz universalis est ad omnes bestias agrestes eremicolas*. Rectè etiam *R. Selomo* à motu deducit, quem vernaculo sermone, sed jam antiquato, vocat אשמובמנט *esmouuement* (ità legendum) שהם זזים ממקום למקום, *quia ea moventur è loco ad locum*. Nempe Magistris זוז zuz, est *moveri*; ut *Arabicè*

زازا *zaza*, & أز *azza*, & هز *hazza*, & نز *nazza*, unde نزوز *nazaz*, id est, *mobilis*; & نزيزة *naziza*, id est, *commotio*, & وزوز *vvazvvaza* est *inter incedendum movere clunes in motacillæ modum*, quæ indè *Græcè* σεισοπυγὶς, & σείσουρα dicitur. Itaque *Hebræo* זיז ziz, respondet *Græcum* κνώδαλον etiam *à motu* factum, quasi κινώδαλον. Ita *Græci* bestiam vocant. Nugantur *Grammatici*, cum κνώδαλον volunt propriè significare maris belluam, παρὰ τὸ κινεῖσθαι ἐν ἁλὶ, *quia in mari movetur*, deinde etiam terrestrem feram, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν κυνῶν ἁλίσκεσθαι. *quia capitur à canibus*. Non possunt esse vocis unius tam diversæ origines. Quin ἀπὸ τοῦ κινεῖσθαι fit κνώδαλον. Nec de terminatione laborandum, cum ἀπὸ τοῦ δαίειν fiat δαίδαλος, & ἀπὸ τοῦ ἀμυχὴ ἀμυγδαλος, & ἀπὸ τοῦ κόρυθος κορυδαλὸς, & ἀπὸ τοῦ σκάζειν σκάνδαλον. Et *Syris* ܣܐܢ *san est calceare*, & ܣܐܢ *sen est calceus*: unde, crescente voce, factum *Græcè* σάνδαλον. Pari ratione κνώδαλον, pro κινώδαλον, est ἀπὸ τῆς κινήσεως. Et *Homerus* de feris terrestribus usurpat, cum dicit de cane *Ulyssis Odyss.* ρ'.

Οὐ μὲν γάρ τι φύγεσκε βαθείης βένθεσιν ὕλης
Κνώδαλον ὅττι ἴδοιτο· — — — —

Non enim ulla fugiebat in altæ fundo sylvæ fera, quamcunque vidisset. *Oppianus* etiam, scribens non procul ab initio *Halieuticῶν*,

— — σκύλακες δὲ συνέμποροι ἡγεμονῆες
Κνώδαλα σημαίνουσι, — — —

Canes autem comites & ductores feras ostendunt. Sed apud *Æschylum Prometheus*, etiam ad boves referens, canit (in *Prometheo vincto* versu 452.)

Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα·

Id est, *Et copulavi primus ad jugum jumenta*. Et *Hesiodus Theogonia* versu 582. quasi sit generale nomen ad terrestria, & aquatica animalia; In ea, inquit, coronâ arte *Vulcani* celata fuerant

Κνώδαλ', ὅσ' ἤπειρος πολλὰ τρέφει, ἠδὲ θάλασσα,

Animalia, quæcunque alit tellus, aut mare. Proinde *Plato* in *Axiocho* ad vermes, *Nicander* ad serpentes, & minuta insecta extendit. Eodem etiam id pertinet, quod animalia vocantur κνώπεσ. Utitur hac voce *Dionysius* in *Periegesi*, ubi *Leucen* insulam indè nomen habere dicit,

Οὕνεκα οἱ τὰ πάρεστι κνώπεα λευκὰ τίτυκται,

Quia quæ in ea sunt animalia alba sunt. Ad quæ verba *Eustathius* κνώπεα vult solùm esse ὄρνεα, ὧν κίνησις ἐν τῷ πέτεσθαι, *aves sic dictas, quod volando moveantur*. Sed fallitur: nam & quadrupedes feras hac voce significari certum est. *Nicander* in *Theriacis* versu 27.

— — — ἔνθι πλεῖστα κνώπεα βόσκεται ὕλην,

Ubi multa animalia sylvam depascuntur. Et versu 195.

Μορφὴ δ' ἰχνεύταο κινωπέτου, ὅς τ' ἀμυδρῆς
Ἴκτιδος, — — — — —

Forma autem ichneumonis animalis, qualis exilis viverra. *Callimachus* Hymno in *Jovem* versu vigesimo quarto,

Πολλὰ δὲ Καρίωνος ἄνω, διεροῦ περ ἐόντος,
Ἰλύους, ἐβάλοντο κινώπετα. — —

Multa vero super Karionem *fluvium, licet humidum, lustra construxerunt feræ.* Proinde *Hesychio* κινώπετα sunt κνώδαλα, & θηρία, id est, *feræ*, & *animalia* in genere. *Callimachi* etiam, & *Nicandri* Scholiastæ, *Suidas*, *Etymologus*, *Horus Milesius* in *Phavorino* κινώπετα dici volunt, quasi κινώπεδα, παρὰ τὸ ἐν τῷ πέδῳ, vel ἐν τῷ ἐδάφει κινεῖσθαι, *quod in solo moveantur*. Indidem κινωπησταὶ, quod pro *reptilibus* afferri dicit *Stephanus*, sed sine ullo ullius auctoris testimonio. Nempe virum doctissimum fugerat *Nicandri* locus in *Theriacis* versu 141.

Ἔξοχα γὰρ δολιχοῖσι κινωπησταῖς κοτέουσι
Νεβροτόκοι, καὶ ζόρκες — — —

Plurimum enim longis reptilibus infensi sunt cervi, & capreæ. Quamvis ibi non putem *reptilia* speciatim significari, nisi quia sic postulat locus, & propter Epithetum additum. Nam, ut κνώδαλα, & κινώπετα, ità & κινωπησταὶ dici videntur animalia quævis *à motu*. Forsasse etiam *Hebræum* זיז ziz, non minùs fuit generale. Ac proinde vox שדה, vel שדי, additur διακριτικῶς *Ps.* 50. & 80. ut intelligantur *bestiæ agrestes*, id est, *feræ*. Itaque juxta *Selomonem* זיז dicitur כל רמש השדה, *omne agri reptile*. *Aben Ezra* vult esse avem, nempe ex veterum sententia, qui de ave זיז ziz, multa nugantur. *Chaldæus* interpres in loco, in quo versamur, reddit תרנגול ברא *gallum agri*, seu *agrestem*: & *Ps.* 50, 11. תרנגול ברא דקרצולי שרין בארעא ורישיה מטי בשמיא *gallum sylvestrem, cujus crura solo nituntur, & caput ejus attingit cœlos*. Et in *Midras* dicit *R. Juda*, *R. Simonis* filius, הזיז הזה הוא עוף גדול כשעה שהוא פורש כנפיו מכהה גלגל *Hic ziz est avis tam magna, ut, cum alas expandit, spharam Solis obtegat.* Ita citat *Kimchius*. Quale est, quod *Talmudici* scribunt de ave *bar-juchne* in Tractatu *Bechoroth* cap. 9. fol. 57. b. פעם אחת נפלה ביצה בר יוכני וטבעה ששים כרכים ושברה שלש מאות ארזים *Aliquando cecidit ovum avis* bar-juchne, *& submersit sexaginta pagos, & fregit trecentas cedros.* Nec dissimilia, quæ citat ex *Bava Bathra* Cl. *Buxtorfius* de rana, quæ *Akram*, *Hagronia* pagum sexaginta domorum, magnitudine æquabat. Hanc autem voravit draco, & draconem פרשקנצא, id est, *corvus famina*. Ut taceam de ave, quæ ibidem narratur in medio mari sic ambulâsse, ut aquæ genua vix attingerent, quamvis locus esset tam profundus, ut חציצא לבר נגרא *securis artificis*, quæ ante septem annos exciderat, nondum fundum attigisset. Hæc illi in *Bava Bathra* cap. 5. fol. 73. b.

Sequitur tertia quæstio, quid propriè significet Verbum quadratum כרסם, unde יכרסמנה, quod ferè reddunt *vastavit eam*, vitem scilicet porcus è sylva. Nec frustrà movetur hæc quæstio, cum Verbum כרסם unum sit ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων, neque usquam reperiatur extra hunc locum. Nonnulli apud *Kimchium* in *Lexico*, & *Aben Ezram* in *Psalmos*, vocem יכרסמנה, in duas sic divellunt, יכרס מנה, id est, inquiunt, *ventriculum implevit ex ea*. Nempe ex nomine כרס, vel כרש, quod *ventriculum* sonat *Jerem.* 51, 34. fieri volunt Verbum כרס, quod *ventriculum implere* significet. Et voces יכרס מנה coaluisse in unam יכרסמנה. Quod, ut remotum, meritò rejicit *Aben Ezra*; quia in toto *Hebraismo* nullum reperitur exemplum similis compositionis. Huic rationi aliam attexo, quam me docuerunt *Arabes*, nempe כרש pro *ventre*, aut stoma-

stomacho, omnibus bestiis non tribui, sed iis solum, quæ ruminant. Ità enim *Alcamus*, الكرش مجر بمنزلة المعدة للانسان Quorum verborum sensus est, *Omni bestia, quæ ruminat, id esse* كرش *quod est homini stomachus.* Proinde cum porcus non ruminet, ut à *Mose* observatur *Levit*,11,7. & *Deut*.14, 8. illi tribui non potest כרש, neque in eum quadrat Verbum inde deductum. *Aben-Ezra* igitur כרסם aliud est, nempe רסם *conculcare*. An quia verbi רסם literæ omnes per ἀναγραμματισμὸν continentur in Verbo כרסם? Aut quia porcorum proprium est τοῖς ποσὶν καταπατεῖν, *pedibus conculcare*; quod vel ex Evangelio patet *Matth*.7,6. Rursus aliud respexit *Æthiops*, qui hic habet ሐረሳ: *archusa*, id est, *fœdavit eam*. Nempe, quod *Judæis* porcus erat immundum animal, contactuque omnia fœdans. *Chaldæus* quid senserit, non satis scitur; quia variat lectio. Nam in *Complutensi* & *Parisiensi* editione legitur יתברנה *fregit*, aut *contrivit eam*: quo sensu grandinem dicit *Moses* omnes agri arbores fregisse, aut contrivisse, *Exod*.9,25. at in *Veneta*, & *Basiliensi*, יגברנה *suffodit eam*; quod probo magis, quia id sequuntur *Elias*, & *Baal Aruch*. Atque ille quidem profitetur se ignorare quid *Chaldæis* sit נבר. Sed *Aruch* similem locum affert ex *Talmudico* Tractatu *Bava Kama* cap.2.fol 17. b. ubi hæc verba, חזיר שהיה נובר באשפה significare palàm est *porcus qui fodiebat in fimo*. Utut sit, tam frangere, quàm suffodere porcorum est, de quibus *Ælianus* libri decimi capite decimo sexto: Λυμαίνονται τὰ λήϊα, καὶ εἰσπηδήσασαι πολλάκις τοὺς μὲν καινοὺς τῶν σταχύων, καὶ οὔπω ὡραίους καταλῶσι, τοὺς δὲ ἐξορύττουσι· *Segetes corrumpunt, in quas irrumpentes novas spicas, nec dum maturas, sæpe frangunt, aut etiam suffodiunt.* Ab his omnibus *Syrus* diversus idem Verbum exponit ܐܟܠܗ *comedit*, aut *consumpsit eam*. Neque fortasse id malè. Nam apud *Arabes* Verbum כרסם hodieque in usu est in hoc significatu. Indè in *Alcamus* كرسم & رمّ vel ارمّ sunt synonyma. Porrò رم *ramma* est *edere*, & *corrodere*. Et, eodem auctore, رمت & ارمت de bestia, idem est, ac تناولت العيدان بفمها *ore suo carpsit*, & *corrosit ligna.* Unde *Arabibus* رمّة *rimma* est *teredo*, & *tinea*; planè ut *Hebrais* רמה *Exod*.16,24. Quomodo si sumas יכרסמנה, suem significabit non solùm uvas, sed & ipsum vitis lignum dente carpsisse, & corrosisse, ut capræ solent. Unde *Evenus Anthologiæ* libri primi capite sexto,

> Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
> Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ.

quod *Ovidius* ita reddidit libro primo *Fastorum*,

> *Rode, caper, vitem: tamen hinc, cum stabis ad aram,*
> *In tua quod spargi cornua possit, erit.*

Et eo allusum in libellis in *Domitianum* sparsis, quibus compulsus creditur gratiam facere Edicti *De excidendis vineis* propositi, ut refert *Suetonius* in *Domitiano* capite decimo quarto.

> Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
> Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Huic interpretationi maximè favet, quod ut *Arabicè* כרסם, ità *Chaldaicè* קרסם, solum *Caph* & *Koph* permutatis, *consumere*, & *absumere* est. Hinc *Deut*.28,38. pro *Hebrais* יאסלנו הארבה, *illud semen absumet locusta*, *Jonathan*, & *Jerosolymitanus* Paraphrastæ habent יקרסם יתיה גובא. Et in *Talmudis* Tractatu *Peah* capitis secundi sectione septima hoc idem Verbum de formicis usurpatur, quæ agrum, id est, agri proventum, absumunt. Verba sunt, שדה שקצרוה גוים קצירה לסטים קרסמוה נמלים *Agrum, quem demessuerunt gentes, quem demessuerunt latrones, quem consumpserunt formicæ.* Præterea, si sic reddas *Hebræum* יכרסמנה, melius cohærebit cum sequentibus. Sic enim habebit integer versus, *Corrosit* (aut *absumpsit*) *eam porcus è sylva, & agri bestia depasta est eam.* Porro synonyma ferè sunt, *corrodendi* vel *absumendi*, & *depascendi* verba. Itaque præter *Syrum*, ex *Hebræis* idem sequuntur *R. Selomo*, & *Kimchius*. Interim *devastandi*, aut *corrumpendi*, generale verbum hic multi retinent. Ità *Græci*, Ἐλυμήνατο αὐτὴν ὗς ἐκ δρυμοῦ. Et *Hieronymus*, *vastavit eam aper de sylva.* Et *Vulgatus*, *Exterminavit eam.* Et *Arabs* uterque, افسدها *Corrupit eam.* Et *Castalio*, *Ut ab apris sylvestribus devastetur.* Quibus nolim dicam scribere. Illi enim in re dubia tutissimam insistunt viam. Nam, sive sus frangat palmites, aut rostro suffodiat, aut conculcando proterat, aut contactu polluat, aut noxio dente corrodat, nihil horum est, quod ad vitium devastationem non pertineat. Proinde generale hoc verbum in simili argumento ferè adhibetur, ut patebit ex sequentibus.

Hæc de verbo: rem quod attinet, soli hominum *Ægyptii* suum opera ad agrorum cultum usi sunt. Nempe, ut apud *Ælianum* (a) refert *Eudoxus*, τὸ σῖτον σπείραντες ἐπάγουσι τὰς ἀγέλας αὐτῶν, αἱ δὲ πατοῦσι τὸ σπέρμα, καὶ εἰς ὑγρὰν τὴν γῆν ὠθοῦσιν, ἵνα μένῃ ἔμβιον, καὶ μὴ ὑπὸ τῶν ὀρνίθων ἀναλωθῇ, *postquam sementem fecerunt, eorum inducunt greges, qui frumenti semen proculcant, & in humidam terram propellunt, ut vivum maneat, nec ab avibus absumatur.* (a) Lib.10.c.16 Et *Plutarchus* uberius *Symposiacῶν* libri quarti Quæstione quinta, Οὐδὲ ἀρότρου δέονται τὸ παράπαν, ἀλλ' ὅταν ὁ Νεῖλος ἀπορρυῇ, καταβρέξας τὰς ἀρούρας, ἐπακολουθοῦντες τὰς ὗς καταβάλουσιν· αἱ δὲ χρησάμεναι πατῷ, καὶ ὀρυχῇ, ταχὺ τὴν γῆν ἔστρεψαν ἐκ βάθους, καὶ τὸν σπόρον ἀπέκρυψαν. *Neque aratro eis quicquam est opus, sed, cum irrigatis eorum arvis effluxit Nilus, porcos continuò post immittunt, qui terram partim pedibus proculcando, partim rostro suffodiendo, statim à fundo invertunt, atque ita semen abscondunt.* Ità in *Ægypto* factitatum. Sed, reliquis mortalibus porcus odiosus est, tanquam frugibus & vitibus infestum animal. Hinc *Odyss*.σ'. *Irus Ulyssi* minatur se pugnis omnes ejus dentes excussurum,

> - - - - - - ὑὸς ὣς ληϊβοτείρης,

ut suis segetem depascentis. Nam, ut ait vetus *Scholiastes*, ἐὰν εὑρεθῇ σῦς ἀλλότριον σπόριμον πεδίον βοσκόμενος, ἐξοδοντίζεται, *si reperiatur sus aliorum sata depascens, dentes ei avelluntur.* Quam legem apud *Salaminios* invaluisse scribit *Ælianus* libri quinti capite quadragesimo quinto, Ἐν Σαλαμῖνι δὲ χλωρὸν σῖτον, καὶ λήϊον κομῶντος, ἐὰν σῦς πιαίνηται ληϊβοτείρης, νόμος ἦν Σαλαμινίων τοὺς ὀδόντας ἐκτρίβειν αὐτῆς. Et plerique *Salaminem*, *Saronici* sinus insulam, hic intelligunt: sed *Cypriam* urbem *Eustathius*, & *Phavorinus*, qui hanc legem fuisse scribunt παρὰ τοῖς Κυπρίοις, *apud Cyprios* ad vocem Ληϊβοτείρης. Atque ob id ipsum *Athenienses* in *Cereris* mysteriis sues mactabant. *Ælianus* libri decimi capite decimo sexto, Ἀθηναῖοι δὲ ἐν τοῖς μυστηρίοις καταθύουσι τὰς ὗς, καὶ μάλα δικαίως· λυμαίνονται γὰρ τὰ λήϊα. *Athenienses in mysteriis jure meritò sues mactant, cum segetes devastent.* Quin, si veteribus credimus, hæc victimarum omnium fuit antiquissima. *Ovidius* libro primo *Fastorum*,

> *Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,*
> *Ulta suas merita cæde nocentis opes.*
> *Nam sata vere novo teneris lactentia succis*
> *Eruta setigeræ comperit ore suis.*

Idque ex doctrina *Pythagoræ*, quem idem sic loquentem inducit *Metamorphoseωn* libro decimo quinto,

> - - - - - - - *prima putatur*
> *Hostia sus meruisse mori, quia semina pando*
> *Eruerit rostro, spemque interceperit anni.*

Atque is sacrificandi ritus è *Græcis* manavit ad *Romanos*, qui *præcidaneam porcam* dicebant, quam immolare erant

erant soliti, antequam novam frugem præciderent. Ità habetur in *Festo*. Et in *Gellio* libri quarti capite sexto, *Porca etiam præcidanea appellata, quam, piaculi gratia, ante fruges novas fieri cœptas, immolari Cereri mos fuit.* Neque *Cereri* solùm, sed & *Baccho* sues immolabantur, quia tam vites, quàm segetes ab illis perduntur, & devastantur. *Aristophanis Scholiastes* in *Ranis* Actus primi Scena septima, Χοῖροι τῇ Δήμητρι καὶ τῷ Διονύσῳ ἐθύοντο, ὡς λυμαντικοὶ τῶν θεοῖν δωρημάτων. *Sues Cereri & Baccho immolabantur, ut qui utriusque Dei dona deperdunt.* Quæ porrò domestici suis, eadem est etiam hac in parte feri natura. Itaque, tam in *Poëtis*, quam in *Historicis*, nihil tritius, quam agros & vineas ab apris devastari. Hinc *Homerus* de apro *Calydonio Iliad.* 9.

Ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν,

Qui mala multa perpetrabat, frequentans (vel *percurrens*, vel *edens*) Oenei *vineam*. Aliis enim ἔθων ibi est pro ἐθίζων, aliis pro θέων per Metathesin, aliis denique pro ἔδων *Dorum* more, qui δ mutant in θ. Ἀλωὴ magis propriè dicitur ὁ ἀμπελόφυτος τόπος, ὡς τὰ πολὺ λῶον τῆς ἁπλῶς πεδιάδος. *locus vitibus consitus, ut qui longè melior sit agro simpliciter dicto.* Indè *Poeta* passim (b) meminit

b) Odyss. α. 193. λ. 192. & Hymno in Mercur. versu 207.

- - - - - - - ἀλωῆς οἰνοπέδοιο.

Et *Iliad.* σ'. versu 561. describit

- - - - - σταφυλῇσι μέγα βρίθουσαν ἀλωήν,

id est, *vineam uvis valde onustam.* Tamen quia nomen ἀλωῆς complectitur etiam σιτοφόρους, καὶ δενδροφόρους τόπους, *loca frugibus & arboribus consita*, illud extendit *Ovidius* ad hæc tria, cum de eodem apro canit libri octavi *Metamorphoseωn* Fabula quarta,

Is modo crescentes segetes proculcat in herba;
Nunc matura metit fleturi vota coloni, &c.
Sternuntur gravidis longo cum palmite fœtus,
Baccaque cum ramis semper frondentis olivæ.

Ità de apro *Samio*, qui *Ancæum* occidit, *Aristoteles* apud *Apollonii* Scholiastem, *Tzetzem* in *Lycophronem*, *Phavorinum* in Ἀγκαῖος, &c. Ἧκέ τις ἀγγέλλων, ὅτι ὑπερμεγέθης σῦς λυμαίνεται τὸν ἀγρόν. *Venit aliquis, qui nuntiavit permagnum aprum vineam ejus devastare.* Sic aprum *Erymanthium Accius* in *Trachiniis* (c) *vastificam beluam* non alia de causa vocat, quam quod agris vastitatem inferebat. Et *Albricus* de eodem in *Hercule*, *Erat aper terribilis in regione* Calydoniæ, *qui non solùm segetes devastabat, sed occurrentes homines dentibus lacerabat. Contra hunc procedens* Hercules, &c. Sed *Calydonium* aprum, quem mactavit *Meleager*, cum *Erymanthio* confundit, qui ab *Hercule* occisus est. In *Plutarcho* itidem *De virtutibus mulierum*, capite *Lyciæ*; Σῦν ἄγριον, ἐν τῇ Ξανθίων χώρᾳ καὶ ζῷα καὶ καρποὺς λυμαινόμενον, ἀνελὼν ὁ Βελλεροφόντης. *Aprum, in* Xanthiorum *regione animalia & fruges devastantem, cum interfecisset* Bellerophon. Et in *Philostrati* Συοθήραις de apro, Ὁρῶ τὰ ἔργα τοῦ θηρίου. Καὶ τὰς ἐλαίας ἐξορώρυχε· τὰς ἀμπέλους ἐκτέτμηκε· καὶ οὐδὲ συκῆν καταλέλοιπεν, οὐδὲ μῆλον, οὐδὲ μηλάνθην, Πάντα δὲ ἐξήρηκεν ἐκ τῆς γῆς· τὰ μὲν ἀνορύττων, τοῖς δὲ ἐμπίπτων, τοῖς δὲ παρακνώμενος. *Fera opera intueor. Oleas effodit; vites abscidit; & neque ficum, neque malum, neque melanthen reliquit. Sed cuncta ex humo evulsit; hæc quidem effodiens, in hac verò incidens, alia verò atterens.* Artemon (d) in libro *De limitibus Clazomeniorum* narrat, olim ἐν Κλαζομεναῖς σῦν γίνεσθαι πτερωτόν, ὃς ἐπιφοιτῶν ἐλυμαίνετο τὴν χώραν, &c. Ἔνθεν τοι καὶ χωρίον ἐκεῖ κέκληται ὗς πτερωτὸς ὀνομαζόμενόν τι, καὶ ᾀδόμενον, *apud* Clazomenios *suem alatum fuisse, qui* Clazomeniorum *regionem devastabat*, &c. *Unde illic locus decantatus suis alati nominatur.* Non, quod haberet alas, ut sensit *Artemon*: sed quia cursus erat illi concitatior, quam solet esse suum. Sed & ætate *Crœsi* ἐν τῷ Μυσίῳ Οὐλύμπῳ συὸς χρῆμα γίνεται μέγα· ὁρμώμενος δὲ οὗτος ἐκ τοῦ ὄρεος τούτου τὰ τῶν Μυσῶν ἔργα διαφθείρεσκε, *in* Olympo Mysiæ *fuit aper eximiæ magnitudinis, qui ex eo monte erumpens* Mysorum *labores devastabat*. Ità *Herodotus* in *Clio* capite trigesimo sexto. Unde *Valerius Max. l. 1. c. 7. Cum ingentis magnitudinis aper*, Olympi *montis culta, & crebra cum agrestium strage vastaret.* Et *Suidas* in Βορέιον apri meminit à Deo immissi, qui *Noricum* agrum diu vastavit. Νωρικοὶ, inquit, ἐν οἷς σῦς χρῆμα θεόπεμπτον τὴν χώραν ἐλυμαίνετο. Et *Callimachus* Hymno in *Dianam*,

c) Cic. lib. 2. Tusculan.

d) Apud. Ælian. Hist. lib. 12. cap. 38.

- - - σῦς ἔργα, σῦς φυτὰ λυμαίνονται,

Sues agrorum opera, sues plantas devastant. Sues, id est, *apri*. Ex quibus exemplis abundè constat, *Prophetam*, cum Ecclesiæ hostes confert *apro vineam devastanti*, Allegoriam desumpsisse ex re, quæ non infrequenter accidit.

Superest, ut quartæ quæstioni conemur satisfacere, quis hic *apri*, aut *agri bestiæ*, nomine significetur. In *Midras*, *porcus è sylva* est *Esau*, & *bestia agri* est *Ismaël*: & *Esau* nomine *Romani*, & *Christiani* occultè designantur; ut *Ismaëlis* nomine *Mahumetani*. Quod ineptissimum est, cum hujus *Psalmi* auctor, quisquis est, præsentem *Judæorum* calamitatem defleat, non post multa sæcula futuram. Itaque per *porcum è sylva*, & *bestiam agri*, quæ Dei vineam vastaverunt, & depastæ sunt, non potuit intelligere *Christianos*, & *Mahumetanos*, qui nondum erant: sed alios, qui, quo tempore sc. ipsi fit hunc *Psalmum*, in *Judæorum* gentem protervè dominabantur; *Assyrios* scilicet, & *Babylonios*. Quorum illi decem tribus sub *Salmanassare*, hi reliquas duas sub *Nebucadnetsare* in miseram captivitatem abduxerant. Nec desunt è *Judæis*, qui de *Babylonica* captivitate in hoc *Psalmo* agi velint: ac proinde versu sexto dici, *Potasti nos* בדמעות שליש, id est, דמעות בשליש *lacrymis in triente*: quia, cum *Ægyptia* captivitas præcisè duraverit annos ducentos & decem designatos per vocem רדו, id est, *descendite*, quâ *Jacobi* filii jussi sunt in *Ægyptum* descendere *Gen.* 42, 2, (nam literæ Numerales vocis רדו valent ccx) captivitas *Babylonica* solùm duravit annos lxx, id est, trientem annorum ccx. Quod sibi volunt hæc *Kimchis* in verba quæ diximus, ויש מפרשין כי על גלות בבל אמר תהיה שבעים שנה שהוא שליש גלות מצרים שהיתה מאתים ועשר סימן רדו שמה, *Sunt, qui hæc accipiunt de captivitate* Babel, *quæ fuit annorum septuaginta. Id enim facit trientem captivitatis* Ægypti, *quæ duravit annos ducentos & decem, significatos per vocem* רדו descendite, *cum* Jacob *dixit filiis*, רדו שמה, " *Eo descendite*, in *Ægyptum* scilicet. Et supra conjectavimus annos illos septuaginta *Babylonicæ* captivitatis *Judæos* vetustiores significari voluisse per literam *Ajin* suspensam in voce מיער. Eodem faciunt hæc *Theodoreti*, Ἐπειδὰν τοίνυν, καὶ ὁ Ναβουχοδονόσορ τῶν ἄλλων βασιλέων θηριωδέστερος ἦν, εἰκότως αὐτὸν ὠνόμασε μονιὸν ἄγριον· *Quia reliquis Regibus ferocior fuit* Nabuchodonosor, *meritò* Psaltes *eum nominavit singularem ferum.* Unum objici posse video, *Psalmum* octogesimum esse unum ex iis, qui primo statim versu *Asapho* tribuuntur: *Asaphum* autem *Davidis* æqualem (e) non potuisse videre tempora captivitatis *Babylonicæ*. Quod idem potest objici in *Psalmos* septuagesimum quartum, & septuagesimum nonum, quibus cum de templi & Urbis excidio disertis verbis agatur, tamen iis præfixum est *Asaphi* nomen. Sed alium *Asaphum* intelligi planè necesse est, qui fortassè fuit ex eadem familia, & nobilis illius *Asaphi*, ex quo erat oriundus, nomen accepit.

e) Vide 1. Par. 25, 1. & 2. Par. 29, 30.

Ecce aliam Periphrasim hostium Ecclesiæ *Ps.* 68, 31. *Increpa feram calami, cœtum taurorum, cum vitulis populorum*, &c. In his *fera calami*, vel *arundinis*, nonnullis est eadem, quæ suprà *porcus sylvæ*. Ità sentit *R. Selomo*, cuj' in hunc locum verba sunt, חית קנה: הוא עשו שנמשל כחזיר יער הדר בין הקנים Fera calami *est* Esau, *qui Ps. 80, 14. confertur cũ porco sylvæ, qui inter calamos degit.* Apri scilicet cubilia sæpe inter calamos habet; quod nemo

nemo nescit. Hinc *Apollonius* libri secundi versu 820.

Κεῖτο γὰρ εἰαμενῇ δονακώδεος ἐν ποταμοῖο
Ψυχόμενος λαγόνας τε καὶ ἄσπετον ἰλύι νηδὺν
Κάπριος ἀργιόδων, ὀλοὸν τέρας, ὅν ῥα καὶ αὐταὶ
Νύμφαι ἑλειονόμοι ὑπεδείδισαν. - - -

Jacebat in uliginoso loco arundinosi fluvii ilia & vastum ventrem luto refrigerans aper albis dentibus, dirum monstrum, quem & ipsæ Nymphæ palustres extimescebant. Et paulo post idem aper, ἐκ δονάκων ἀνεπαλμένος, *ex calamis insiliens*, in *Idmonem* irruit, eumque lethali vulnere percussit. *Virgilius* libro decimo *Æneidos*,

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus *quem pinifer annos*
Defendit, multosq; palus Laurentia *sylvâ*
Pastus arundineâ. - - - - -

Et *Ovidius* libro octavo *Metamorphoseus*, ubi de apro *Calydonio*;

Concava vallis erat, quò se dimittere rivi
Assuerant pluvialis aquæ: tenet ima lacuna
Lenta salix, ulvæq; leves, juncique palustres,
Viminaq; & longa parvâ sub arundine canna:
Hinc aper excitus, medios violentus in hostes
Fertur, ut excussis elisus nubibus ignis.

Possis & per *feram calami* hippopotamum intelligere, de quo *Job.* 40. v. 16. (al. 21.) *Sub umbrosis cubat, in latibulo arundinis, & cœni.* Et *Ammianus* libro vigesimo secundo, *Inter arundines celsas, & squallentes nimia densitate, hæc bellua cubilibus positis, otium pervigili studio circumspectat*, &c. Sed de hippopotamo suo loco plura dicentur.

ʃ.2.Sam.17.8. Ad verba *Chusai* τοῦ *Absalomo*, (f) *Tu novisti patrem tuum, & viros ejus; præterea amaro animo sunt, tanquam ursa orbata in agro:* Græci hæc addunt, Καὶ ὡς ὗς τραχεῖα ἐν τῷ πεδίῳ, *Et ut sus aspera in campo.* Quæ unde sumpserint mirari subit, cùm nusquam alibi reperiantur.

CAPUT TRIGESIMUM.

Probatur voce תחש *thachas*, *Taxum* non significari, aut ullum animalis genus, sed *colorem hysginum*, aut *hyacinthinum*.

Pellibus תחש thachas, *operitur tabernaculum*, Exod. 26. v. 14. *& Sponsa calceatur*, Ezech 16. v. 10. Hebræi *veteres exponunt animal* תלא אילן thela elan, *aut* ilan, *id est*, viverræ *speciem*, *qua cuniculos venantur. Cur ea dicatur Hebræis* thela elan, *& Syris* siphca, *aut* phisca *potius*, *& Arabibus* zebzeb. *De illa mira historia. Aliis* תחש *animal unicorne; quod, Tabernaculo confecto, statim evanuit. Aliis* taxus *animal.* Taxus *olim arbor* σμῖλαξ. *Quando usurpatum pro animali. Ejus in pelliceis rarus usus. Ipsum animal veteribus parum notum.* Græcum *nomen non habet. De* Latino melis *dubitatur. Sponsam* Ezech. 16. v. 10. *taxo calceari absurdè creditur.* Taxi *vox* Gallica, *non* Latina. תחש *apud veteres coloris nomen.* Græci ὑακίνθινον, ἰάνθινον, πυῤῥωμένον *reddunt.* Samaritani nigrum. *Ita etiam* Arabes, *&* cœlestem. Chaldæi, *&* Syri ܣܣܓܘܢ, sasgona. *Vocis apud* Hebræos *inepta originatio.* Sasgona *est* color hysginus. *Aspiratio, ut fit, mutata in sibilum. Hyacinthinus, janthinus, byssinus, hysginus, colores inter se similes, & ad purpureum accedentes.* Hesychius *emendatus, & explicatus. Oves quandoque nasci rubras & purpureas. Rubra Syrâ linguâ* Hispanicæ. *Oves in* Creta *purpureæ. Aubi etiam.* Dianæ *cothurni purpurei, &* Tyriarum *virginum. Magnatum in* Israele *calces purpurei. Ita etiam Imperatorum, Regum, & Senatorum* Romæ.

INter animalia, quorum pellis est in pretio, censeri videtur תחש *thachas*, in Plurali תחשים *thachasim*. Sic *Exod.* 25. v. 5. & 35. v. 23. in iis, quæ offeruntur ad structuram Tabernaculi, memorantur *pelles arietum rubefactæ*, & עורת תחשים, *pelles* thachasim. Et *Exod.* 26. v. 14. & 36. v. 19. & 39. v. 34. primo Tabernaculi tegumento ex arietum pellibus rubefactis superinducitur מכסה עורת תחשים, *tegumentum pellibus* thachasim. Et *Num.* 4. v. 6. 8. 10. 11. 12. 14. super arcam, & mensam, & candelabrum, & altare aureum, & omnia vasa ejus expandi jubetur operimentum è pelle תחש *thachas*. Et versu vigesimo quinto *Gersonitæ* ferre jubentur aulæa Tabernaculi, & tentorium conventus ejus, ומכסה התחש אשר עליו, *& operimentum* thachas, *quod est super illud.* Denique *Ezech.* 16. v. 10. Deus, varia dona in *Israelitas* a se collata proponens, sub figura Sponsæ, quæ ad nuptias ornatur, inter cætera hæc habet: *Vestivi te versicoloribus*, ואנעלך תחש, *& calceavi te* thachas. Itaque *Hebræi* statuunt תחש *thachas*, esse animal. Et in *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* cap. 2. fol. 28. multis disputant, an sit animal mundum, necne. Et mundum fuisse nonnulli asserunt; quia לא הוכשרו למלאכת שמים אלא עור בהמה טהורה בלבד *non adaptarunt ad opus cœli* (id est, ad cultum divinum) *aliud animal, quod non sit mundum.* At alius opponit ex majorum sententia fuisse כמין תלא אילן, *tanquam speciem Thela Ælan*, quod est immundum animal. Proinde ibidem *Glossa* hæc habet, תלא אילן חיה טמאה היא ומנומרת בגוונין, Thela Ælan *est fera immunda variis colorum maculis ad instar pardi distincta.* Et *Baal Aruch*, תלא אילן חיה קטנה כדמות חתול ומרוקם הוא ויש בו גוונים הרבה וטמא הוא ושמענו שמצויין הן במקומות שצדין בהן שפנים ובלשון ארמי שמו שפקא ובלשון ערבי זבזיב ובלשון יון תלא אילן Thela Ælan *est parvum animal felis specie, varium, multicolor, & immundum: quod reperiri accepimus in certis locis, ubi cuniculos eo venantur. Vocatur* Syriacè *siphka*, Arabicè *zebzeb*, & Græcè *thela alan. Viverram* significari planum est, *Græcè* ἰκτίδα vel κτίδα, quamvis apud nos non sit varia. Sed reliquæ notæ concurrunt. Viverra enim parvum est animal, & feli simile. In *Philosopho* est animal ὀρνιθοφάγον, ὥσπερ οἱ αἴλουροι, *gallinas vorans instar felium*, libri noni *Historiæ* capite sexto. In *Hesychio*, voce Κτιδέα, ἶκτις ἐστὶ ζῷον ὅμοιον γαλῇ, *viverra est animal feli simile.* Proinde putavit *Tzetzes* esse felis speciem; quod his verbis disertè asserit *Chiliadis* quintæ capite octavo,

Γαλῆς δὲ ζῷον καὶ αὐτὸ τελεῖ (lege πέλει) *ὀρνιθοφάγον,*
Χερσαῖον, καὶ τετράπουν μὲν, ὃ αἴλουρον καλοῦμεν·

Viverra autem animal etiam ipsum est avium (aut *gallinarum*) *vorax, terrestre, quadrupes, quod felem vocamus.* Est & viverræ multus usus in venatione cuniculorum. *Plinius* libri octavi capite quinquagesimo quinto, ubi de cuniculis apud *Baleares*, *Magna propter venatum eum viverris gratia est. Injiciunt eas in specus* (cuniculorum,) *qui sunt multifores in terra, unde & nomen animali: atque ita ejectos supernè accipiunt.* *Strabo* libro tertio, Γαλᾶς ἀγρίας, ἃς ἡ Λιβύη φέρει, τρέφουσιν ἐπίτηδες· ἃς φιμώσαντες παριᾶσιν εἰς τὰς ὀπάς· αἱ δ' ἐξέλκουσιν ἔξω τοῖς ὄνυξιν, οὓς ἂν καταλάβωσιν

λάβωσιν, ἢ φύγειν ἀναγκάζουσιν εἰς τὴν ἐπιφάνειαν. ἐκπιδῶντας δὲ θηρεύουσιν οἱ ἐφεστῶτες. *De industria mustelas sylvestres alunt, quas gignit* Libya. *Has capistratas intra foramina dimittunt. Illa quos unguibus capiunt, extrahunt, aut in apertum fugere compellunt. Exeuntes autem venantur, qui adstant.* Itaque omnia quadrant præter colorum varietatem, quæ *Orientalium* viverris potuit esse peculiaris: atque indidem dicta videtur, non quidem *Græcè*, sed *Hebraicè*, תלא אילן *Thelan Ælan*. Fallor enim, aut תלא אילן *Thela Ælan*, corruptum ex טלוא אילן *telu Ælan*, quasi dicas, *maculosum animal oppidi* Ælan in *Arabia*, ubi fortasse est frequens. Nisi malis אִילָן *ilan*, legere, quod *arborem* sonat, ut significetur aliud animal huic simillimum, nempe *martes fagina*, quam à fagis, in quibus degit, *Galli* vocant *fovinam*, & *Germani* Buch-Marder / id est, *martem fagineam* (fallitur enim vir doctus in *Solinum*, qui à fuscedine deducit) aut *martes abietina*: quarum illa in fagorum, hæc in abietum cavis degit. Quomodo si interpreteris, præter nomen etiam color conveniet, qui sæpe est varius. Georgius Agricola, *Fagorum & abietum martes, ut & zobelli bonitate cæteris omnibus eo magis præstant, quo plures pili candidi cum fulvis permisti fuerint.* Gesnerus, *Abietum martes etiam è* Polonia *aliquando afferuntur, sed fusco ferè colore diluto, qui non probatur: quamobrem nostræ præferuntur, puniceo & fusco colore mistis insignes.* *Syrum* nomen putaverim fuisse ܦܣܟܐ *phisca*, non ܣܦܟܐ *siphka*; quia *Syris* ܦܣܟܐ *phisca*, de pelle, *diversi-colorem* sonat. At *Arabicum* زبزب *zebzeb*, in *Aruch* rectè scribitur. Radix زب *zabba*, *hirtum esse* significat. Animal ipsum ex *Lexicis* est notissimum. *Alcamus*, الزبزب دابة كالسنور Zebzeb, *animal ut felis.* Ita etiam *Damir*, & *Giggeius*. Et *Golius* ex *Gianhari*, & *Mirkaton*, زبزب Zebzeb, *animal feli simile, quod & in urbibus subinde spectatur, homines ex insidiis adoriens, ac vorans infantes.* Nempe ita habetur in libro, cui titulus غباب *Arcana*, & in كامل id est, *Absoluto opere Ibnolatsiri Historici*, in narratione eorum, quæ acciderunt anno *Hegiræ* CCCIV: unde hæc *Damir*, في الصيف خافت العامة بغداد من حيوان كانوا يسمونه الزبزب ويقولون انهم يرونه في الليل على سطوحاتهم وانه ياكل اطفالهم وربما عض يد الرجل يدميه وثدي المراة فقطعها وكان الناس يتحارسون ويتزعجون ويضربون بالطسوت والصواني وغيرها ليفزعوه وارتجت بغداد لذلك ثم ان اصحاب السلطان صادوا حيوانا في الليل ابلق بسواد قصير اليدين والرجلين فقالوا هذا هو الزبزب وصلبوه على الجسر فسكن الناس ✻ *Illa æstate timor* Bagdadi *populum invasit propter animal, quod vocant* zebzeb. *Quod noctu super tecta sua se videre dicebant, & ab eo vorari infantes, & quandoque morderi manus hominum, ita ut stillaret sanguis, mulierum quoque mammas morsu abscindi. Proinde incolæ, terrore perculsi, plurimum sibi cavebant, paterasque, & porcellanas, atque alia hujusmodi vasa percutiebant, ut hoc animal strepitu absterrerent. Donec, propterea turbata urbe,* Sultani *comites illud per noctem venati essent. Animal est nigri coloris albo distincti. Pedes tam anteriores, quàm posteriores breves habet. Dicebant autem id esse* zebzeb. *Et postquam captum super pontem crucifixissent, quies illis reddita fuit.* Huic descriptioni τοῦ *zebzeb* admista fuisse puto nonnulla fabulosa. Quis enim unum animalculum credat vastam urbem ita terruisse, ut cives opus fuerit *Sultani* opem implorare, nec nisi per ejus comites, & satellites, illud venari potuisse? Utut sit, idem animal esse patet, de quo *Hebræi*, & *Baal Aruch*. Nam & nomen convenit, & forma felis, & varietas colorum, & brevitas pedum, qualis in marte, & viverra, & quod animal est ἀγριοφάγον. Patet igitur *Hebræos* veteres, quibus תחש *thachas*, animal est simile תלא אילן *Thela Ælan*, viverræ, aut martis aliquod genus intellexisse; fortasse *zobellam*: quod absurdum esset, cum *zobella* sit animal frigidiorum climatum, rariusque, & pretiosius, quàm ut *Israelitæ*, ex *Ægyptiaca* servitute exeuntes, potuerint illius pelles habere tanta copia, ut iis consutis Tabernaculum, & altare, & mensam, & sacra vasa omnia tegerent. Nihilo plus rationis in illis Doctoribus, quibus תחש שהיה בימי משה בריה בפני עצמה היה ולא הכריעו בה חכמים אם מין חיה הוא אם מין בהמה הוא וקרן אחת היתה לו במצחו ולפי שעה נזדמן לו למשה ועשה ממנו משכן ונגנז Thachas, *qui fuit* Mosis *ævo, creatura fuit specialis, de qua Sapientes non definiverunt, utrum domestica fuerit bestia, an fera. Habuit autem in fronte cornu unicum. Et, cum oblata est* Mosi, *is ex illa fecit Tabernaculum. Deinde occultata est*: id est, ex oculis ablata. Hæc, inquam, sententia, quam in *Talmudis* Tractatu, quem supra citavimus, amplectuntur multi Doctores, nihil quidquam habet sani. Quorsum enim hoc animal volunt fuisse unicorne, & à Deo creatum, ut ex eo fieret Tabernaculum, &, Tabernaculo confecto, statim evanuisse? Quid opus fuit tot portenta sibi fingere, ne deesset animal, ex quo tegeretur Tabernaculum? Sed neque iis assentior, qui propter vocum allusionem תחש *thachas, taxum*, seu *taxonem* esse statuunt. Quorum princeps *Rabbi Selomo* in *Ezech.* 16. *v.* 10. *Hebræa* verba ואנעלך תחש *Gallicè* ita reddidit אי קאלצי טוי טישון *E je calse toy taisson* (ita enim nostrates loquebantur quo ævo ille scripsit, id est, ante annos DL.) Et hunc sequuntur recentiores omnium linguarum interpretes. Sed, cur iis non assentiar, has habeo rationes. 1. *Taxus* pro animali est vox novitia, quæque apud veteres arborem σμίλακα significabat. Sed, qui pro animali *taxum*, aut *taxonem*, usurpaverit, neminem reperio ante scriptorem illum, cujus opus *De mirabilibus Scripturæ* inter *Augustini* opera habetur, septimo, aut octavo, ut videtur, sæculo scriptum. Illius autem hæc verba sunt libri primi capite septimo, *Quis enim, verbi gratia, lupos, cervos, & sylvaticos porcos, & vulpes, taxones, & lepusculos, &* (a) *sesquivolos in Hyberniam deveheret?* 2. Taxonis in pelliciis rarus, aut nullus est usus. Tantum ejus pelle muniri pharetras, & equorum helcia, scuta quoque obtegi, canum-

(a) Forte sciurulos.

numque millos confici nonnulli scribunt. 3. Adeoque ipsum animal veteribus tam parum cognitum fuit, ut *Græcum* nomen nullum habeat, & de *Latino* valde ambigatur. Neque enim *Salmasio* placet, quod *taxonem* nostrum putant esse *melem* veterum. Videsis illum in *Solinum* pagina 1009 ubi ex *Varrone* conatur id refellere, & melem *fovinam* potius vel *putorium* esse contendit. 4. Doceri velim, quid in calceis è pelle taxonis magnificum viderint, qui Deum Sponsæ suæ, id est, Ecclesiæ *Judaicæ*, sic loquentem inducunt *Ezech.* 16. v. 9. &c. *Te unguento perunxi*, Phrygionicis *indui, calceavi taxonibus, bysso amicivi, serico cooperui, ornamentis compsi, manibus armillas, collo torquem accommodavi, faceti frontale, auribus inaures addidi, & capiti decoram imposui coronam.* Quorsum inter tot ornamenta melinæ recenserentur baxeæ, quibus ne lixæ quidem & calones libenter uterentur? Itaque hoc necessario fatendum, Deum aliquid aliud designasse, quam calceos melinos, cum Sponsæ dixit, ואנעלך תחש, *Calceavi tethachas*, nempe genus aliquod pretiosi calceamenti. Proinde *Thargum* hic habet, ויהבתי מסנך דיקר ברגליכון, *Posui calceamenta preciosa in pedibus vestris*. 5. Ne *taxi*, aut *taxonis* nomen putetur esse *Hebraicum*, moneo vocem esse *Gallicæ* originis. *Isidorus Originum* lib. 20. v. 2. *Taxea lardum est* Gallicè *dictum. Unde dicit* Afranius *in* Rosa, " *Gallum saginatum* (malim *sagatum*) *pingui pastum* " *taxeâ.* Inde *taxo* merito dictus. Nam, ut *Gesnerus* observat, *habet cum sue communem pinguitudinis abundantiam*. Proinde cum *Galenus*, *De alimentorum facultatibus* lib. 3. cap. 1. animal in *Lucanis* describit μεταξύ πως ἄρκτε τι, καὶ συὸς, *Cælius Secundus Curio* intelligit *taxonem*, qui & in *Lucania* est frequens, & ut nonnulla habet cum urso communia, ita *Autumnali* tempore pinguescit suis in modum: ut merito ἀρκτόσυς vel σύαρκτος, queat nominari.

Sed &, quidquid *Hebræi* oggerant, apud veteres Scripturæ interpretes quotquot fuerunt, תחש *thachas* animalis non fuit, sed coloris nomen. Ita עורות תחשים, *Græci Seniores* reddiderunt δέρματα ὑακίνθινα: *Aquila*, & *Symmachus*, ἰάνθινα (ut *Hieronymus* pelles *ianthinas*.) Nonnulli etiam δέρματα πεπυρωμένα tanquam *ignei* coloris, nisi malis πεπυῤῥωμένα *rufi*. *Arabum*, quos in *Suecia* vidi manu-scriptos, unus reddit جلود من لون السما *pelles coloris cælestis*: alter, اديما رندج *coriarandag*; & editi duo جلود دارش *pelles daris*, id est, *coria nigra*, & *pelles nigras*: utraque voce à *Persis* mutuata, quibus دارش *daris* de pelle, & رنك *randach* de corio nigrū sonat. *Samaritanus* quoq; pelles [illegible], vel [illegible], id est, [illegible] *nigras*. Ibi enim usurpatur Gutturalis pro Gutturali: quod apud illos frequens. Supersunt *Chaldæi*, & *Syrus*, qui pro תחש *thachas*, habent ܣܣܓܘܢܐ *sasgona*. Et, si *Hebræis* creditur, ססגונא *sasgona*, est animal sic dictum, ששש בגוונין הרבה, *quia gaudet coloribus multis*; aut quia sunt illi ששה גוונים *sex colores*. Prius in *Talmude* legitur ubi supra: posterius in *Midras*, seu *Commentario mystico in Legem*. Hinc in *Lexico Kimchius* ad vocem תחש *thachas*; והו שתרגם אנקלוס ששגונא ששש ושמח בגוונים הרבה שיש לו ובמדרש אחר ששה גוונים יש לו והו ששגונא Onkelos *hoc animal appellat* ששגונא sasgona, *eò quod lætetur, & gaudeat multis, quos habet, coloribus. Et in* Midras, *Propterea quod sex colorum est, appellatur* sasgona. In quibus primò illud falsum est, quod ששגונא vocari dicit. Neque enim scribitur uspiam ששגונא per *Schin*, sed ססגונא per *Samech*. Sed *Kimchius* maluit per *Schin* scribere, ut verisimilior videretur inepta vocis hujus originatio, quam *Hebræi* confinxerunt. Secundò, hoc quoque falsum est, quòd tam *Hebræi* veteres, quam recentiores asserunt ססגונא *sasgona*, *Chaldæis*, aut *Syris* esse animalis nomen. Quin pro colore haberi palam docent hæc *Syri* interpretis *Exod.* 26, 14. ܘܥܒܕ ܚܦܝܐ ܠܡܫܟܢܐ ܡܫܟܐ ܕܕܟܪܐ ܣܘܡܩܐ ܘܡܫܟܐ ܕܕܟܪܐ ܣܘܣܓܘܢܐ ܡܢ ܠܥܠ *Item fac operimentum Tabernaculo ex pellibus arietum rubris, & ex pellibus arietum* sosgauno *desuper*. Et *Exod.* 39. v. 34. ܘܚܦܝܐ ܕܡܫܟܐ ܕܕܟܪܐ ܣܘܡܩܐ ܘܚܦܝܐ ܕܡܫܟܐ ܕܕܟܪܐ ܣܘܣܓܘܢܐ *Et operimentum ex pellibus arietum rubris, & operimentum ex pellibus arietum* sosgauno. Nam si *sasgona*, vel *sosgauno*, ut *Syri* efferunt, est animal; quid erunt *pelles arietum* sosgauno? Imò quis non videt arietum pellibus *rubris* opponi arietum pelles *sosgauno*, ita ut utrumque sit ex æquo coloris nomen? Et quamvis non constet satis quod sit genus coloris, tamen constat esse colorem. Ita *Johannes Baptista Ferrarius*, in *Lexico Syriaco*, *janthinum* colorem reddit: *Gabriel Sionita cæruleum* Exod. 25. v. 5. & 26. v. 14. & *subnigrum* Exod. 35. v. 23. & 36. v. 19. & 39. v. 34: sed *Numerorum* toto quarto capite rursus *cæruleum*. Nempe hodierni *Syri* hoc solum sciunt ܣܘܣܓܘܢܐ *sosgauno* colorem esse: sed quis sit color definire non possunt. Mihi videtur esse ὕσγινος *hysginus*; initiali Aspiratione mutata in sibilum: ut in *Latinis* vocibus *sex*, *septem*, *semi*, *sal*, &c. ex *Græcis* ἕξ, ἑπτὰ, ἡμὶ, ἅλς. Et in *Græcis* σῦς pro ὗς, Σαλμυδησσὸς pro Ἁλμυδησσὸς, Συσπειρῆτις pro Ὑσπειρῆτις. Et in *Syro* ܣܘܪܡܐ *sormo*, id est, *simus*, pro ܚܘܪܡܐ; *hormo*, ex *Hebræo* חרום *harum*. Et in *Arabico* سند *Sind*, pro هند *Hind*, id est, *India*. Utut enim hodie distinguant, tamen idem fuêre. *Græci* scilicet interpretes תחש *thachas*, reddunt ὑακίνθινον, aut ἰάνθινον & Hieronymus, *janthinum*. Ex his proximus est color *hysginus*. Unde *Plinius* libri vigesimi capite vigesimo sexto, *Hyacinthus in* Gallia *optime provenit: hoc ibi pro cocco hysginum tingitur.* Ad quem locum *Turnebus* in *Adversariis*, libri decimi noni capite vigesimo quinto, *Hæc* Plinii *verba indicant hysgen hyacinthum esse, unde factitius color vocabatur, quem hysginum vocabant.* In *Hesychio* Βυσσὸς *byssus* est χρῶμα ἀντὶ τῆς ὕσγης παραλαμβανόμενον, *color, qui hysges loco assumitur.* Eidem porro βύσσινον *byssinum* est πορφυροῦν *purpureum*; & βυσσινὰ πορφυρᾶ *byssina purpurea*. In *Dioscoride* libro tertio Aristolochia *florem* habet *purpureum*, ἄνθος πορφυροῦν. At in *Nicandri Theriacis* versu quingentesimo undecimo ejusdem flores hysgino rubescunt,

- - ἄνθεα δ' ὑσγίνῳ ἐνερεύθεται.

In quæ verba *Scholiastes*, Ἀριστολοχείας δύο εἴδη· τὸ μὲν ἄρσεν, θῆλυ δὲ τὸ ἕτερον. τὰ δὲ ἄνθη αὐτοῖς ὡς ὕσγινος βάπτεται· δηλαδὴ ἐρυθρά. *Aristolochia duæ sunt species: una mascula, altera fœminina. Flores autem ipsis ut hysginus tinguntur; id est, sunt rubra.* Et infra, Τὸ δὲ ὕσγινον φυτόν ἐστι ξανθὸν τῷ χρώματι, καὶ μᾶλλον ἰοβαφεῖν ἐπιτήδειον· ὑσγινοβαφῆ δὲ λέγεται τὰ ὑσγίνῳ βεβαμμένα. *Hysginum planta est lutei coloris, aut potius ad tingendum violaceo colore idonea: quæ quæ tinguntur* hysginobapha *vocantur*. *Pausanias* in *Phocicis Galatas* coccum dicit Φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ σφισὶν ὀνομάζειν ὕσγην, *voce vernacula* hysgen *vocare*. Tamen alii distinguunt: ut *Myrinus* in *Epigrammate* nondum edito, quod *Suidas* corruptè descripsit in Ὕσγινος.

Τ' ἀκ-

Τ' ἀκκόκκοιο βαφεῖσα καὶ ὑσγίνοιο θέριστρα,
Æstiva vestes ex cocco & hysgino tincta. Et *Plinius* lib. 9. cap. 41. *Coccoque tinctum* Tyrio *tingere, ut fieret hysginum.* At *Vitruvius* lib. 7. cap. 14. *purpureos colores* fieri tradit *infecta creta rubia radice, & hysgino.* Et in *Hesychio*, pro Κεκοκκυγωμένον, κεχρισμένον χρῶμα κοκκυγίνῳ, ὅ ἐστι πορφυροῦν, ἀπὸ κοκκυγίας δένδρου, lego Κεκοκκυσγωμένον, κεχρισμένον χρῶμα κοκκυσγίνῳ, ὅ ἐστι πορφυροῦν, ἀπὸ κοκκύσγης δένδρου. Nempe, vocibus κόκκος & ὕσγη in unam coalescentibus, arbor, quæ aliis ὕσγη, ibi κοκκύσγη dicta, & color χρῶμα κοκκύσγινον, & Verbum κοκκυσγίω *cocco hysgino tingo.* Plura de hoc argumento vide apud *Salmasium* in *Solinum* paginis 272. & 273. ubi *hyacinthinum* & *hysginum* ita differre multis probat, ut tamen sint affines tincturæ, & utrumque pro *purpureo* usurpetur: ut jam nemo miretur eum colorem *Chaldæis*, & *Syris* ܣܣܓܘܢܐ *sasgona*, vel *sosgauno*, id est, *hysginum*, dici, qui *Græcis hyacinthinus*, & *janthinus*. Qui tres colores ita inter se differunt, ut ad purpuram proximè accedant. Itaque, si *Græcos*, *Chaldæos*, & *Syros* hic sequimur, Deus offerri sibi jusserit pelles arietum rubras, & eorundem pelles hyacinthinas, vel janthinas, aut hysginas, sive nativos pecudum colores intelligas, aut factitios, quibus lanæ tinctorum, aut pelles coriariorum operâ imbuuntur, ut iis *Levitæ* tegerent Tabernaculum, & vasa sacri ministerii. Mirabere fortasse, lector, nos in nativis pecudum coloribus rubrum censere, & purpureum, quod non putavit aliter fieri posse *Poeta* summus, quàm in conversione rerum *Cumæo* carmine prædictâ:

- - - - - *omnis feret omnia tellus.*
Non rastros patietur humus, non vinea falcem.
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

Hinc *Tertullianus*, *De habitu muliebri* capite octavo; *Non placet Deo quod non ipse produxit, nisi si non potuit purpureas & carinas oves nasci jubere.* Et *De cultu fœminarum* capite decimo, *Exciderat illi, cum universa nasci juberet, purpureas & coccineas oves mandare.* Et *Cyprianus* De disciplina & habitu virginum, *Neque enim Deus purpureas aut coccineas oves facit.* Res tamen in *Oriente* non est sine exemplo, ut oves non solum rubræ, sed & purpureæ nascantur. Et rubras quidem nasci res est tam tralatitia, ut probatione non egeat. Hinc *Columella* lib. 8. cap. 2. ubi de ovium coloribus; *Sunt etiam suapte natura pretio commendabiles, pullus, atque fuscus, quos præbent in* Italia Pollentia, *in* Bœtica Corduba. *Nec minus* Asia *rutilos, quos vocat* ἐρυθροὺς *erythræos.* Et infra, *Quoniam ex albo sæpe fuscus editur partus, ex* erythræo, *vel pullo, nunquam generatur albus.* Et cap. 3. *Una eademque ratio est in* erythræis *& nigris arietibus.* Et *Plinius* lib. 8. cap. 48. de lanarum generibus; *Colorum plura genera: quippe cum desint etiam nomina eis, quas nativas appellant aliquot modis.* Hispania *nigri velleris præcipuas habet*, Pollentia *juxta Alpes cani*, Asia *rutili*, *quas* erythræas *vocant: item* Bætica, *&c.* Quod obiter notandum, ut sciamus, cur *rubras ovium pelles Syrus* Paraphrastes *Exod.* 25. v. 5. & passim, ܐܣܦܢܝܩܐ id est, *Hispanicas* vocet. Sed & *rubrarum ovium* passim *Arabes* meminerunt. *Alcamus*, القهد ضرب من الضان حمرة وتصغر اذانه Alkahdo, *species ovium, quæ rubra sunt, & parvis auribus.* Idem, الدهما من الضان الخالصة الحمرة Dahmao *de ove, quæ sincera est rubedinis.* Et rursus, الخطواء من الغنم الحمرا Alhatvvao, *de ove, id est, rubra.* Jam de purpureis *Oppianum* audi *Venaticorum* lib. 2.

Εἰσὶ δ' ὄϊς ξανθοὶ, πυμάτης ἐνὶ τέρμασι Κρήτης,
Ἐν χθαμαλῇ γαίῃ Γορτυνίδι, τετρακέρωτες,
Λάχνη πορφυρέοισα δ' ἐπὶ χροὸς ἐστεφάνωται·

Sunt autem oves rufæ in extrema Cretæ *finibus, in humili terra* Gortynide, *quadricornes. Lana autem purpurea pelli circumdata est.* Et *Lampridium* in Antonio Diadumeno, *In agro patris ejus oves purpureas duodecim ferunt natas, quarum una tantùm varia fuerit.* Et *Constantinum Porphyrogennetam* Themate duodecimo, ubi de munere, quod *Justino Justiniani* patruo obtulit *Thomas Lycandi* Proceeus. Munus illud erat ovium decem mille, quarum singula millia colorem habebant singularem. Et in his πρόβατα fuerunt φοινικόχροα χίλια, *oves purpurei coloris mille.* Itaque עורת תחשים, poterunt esse pelles ovium purpureæ, vel arte, vel naturâ. Et in *Ezechiele* ואנעלך תחש, rectè reddatur, *Et calceavi te purpura*, id est, *purpureis calceis.* Ita *Livius Andronicus* in Hymno ad *Dianam* apud *Terentianum Maurum*,

Et jam purpureo suras include cothurno.

Et de eadem *Nemesianus*,

Candida purpureis aptentur crura cothurnis.

In quo eodem habitu cum *Ænea* prope *Carthaginem* apparuisset *Venus*, *Tyrias* virgines dixit, nempe quæ in iis erant genere & opibus insignes, ita indui solere:

Virginibus Tyriis *mos est gestare pharetram,*
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Et *Chaldæus* Paraphrastes verba Sacri textus *Cantic.* 7. v. 1. *Quam pulchri sunt pedes tui cum calceis*, ita exponit, *Quam pulchri sunt pedes* Israelis (id est, Magnatum in illo populo) *cum ascendunt, ut appareant coram Domino tribus vicibus* בסנדלין דססגונא, *cum sandaliis* sasgona, seu *purpureis.* Postea proprium id fuit Regum & Imperatorum gestamen. *Procopius* lib. 3. *De ædificiis Justiniani*, Ὑποδήματα μέχρι εἰς γόνυ φοινικοῦ χρώματος, ὃ δὴ βασιλέα μόνον Ῥωμαίων τε, καὶ Περσῶν, ὑποδεῖσθαι θέμις. *Calcei usque ad genua purpurei coloris, quibus solis* Romanorum *&* Persarum *Imperatoribus calceari licet.* Sic in *Tzimisce Curopalates Bulgarici* regni insignia fuisse refert στέφανον ἐκ χρυσοῦ, καὶ τιάραν νενησμένην ἐκ βύσσου, καὶ πέδιλα ἐρυθρὰ, *coronam auream, & tiaram ex bysso netam, & calceos rubros.* Hinc *Isaacius Comnenus Constantinopolitanum* Patriarcham ideo à Patriarchatu dejecit, quod ἐπεβάλετο κοκκοβαφῆ περιβαλεῖν πέδιλα, *coccineis calceis induere se suscepit.* Ita habet in ejus vita *Curopalates. Romæ* tamen olim coccineos calceos etiam privati gestabant. *Martialis*, libri secundi *Epigrammate* 29. de servo quodam ad Senatoriam dignitatem evecto;

Coccina non læsum cingit aluta pedem.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

De Simiis è *Tharsis* advectis.

Hi simiæ cur קופים *dicti.* Cephus, cepus, ceipus, cebus *quale animal, & unde illi nomen. E & O permutantur.* Κεῖμος *cur* Tuscis *simia.* Enaris *idem.* Arima, *&* Inarime. Πιθηκοῦσαι, *&* Enariæ *insulæ.*

Simiarum Scriptura meminit 1. *Reg.* 10. *vers.* 22. & 2. *Paral.* 9. v. 21. ubi *Solomonis* classis è *Tharsis* advexisse legitur קופים *kophim*, id est, *simias.* Ita enim veteres & recentiores explicant. Nec desunt, qui dictos velint à Verbo קוף *kuph*, vel נקף *jakaph*, quod *Hebræis*

Hebrais ambire & *circuire* significat, propter frequentes circulationes, quibus & se ipsum exercet, & spectatores detinet hoc animal. Quin קוף *koph*, ut quidem puto, est *Æthiopum cephus*, de quo *Plinius* libri octavi capite decimo nono: *Iidem* (*Pompeji Magni* ludi primum ostenderunt) *ex Æthiopia quos vocant* cephos, *quorum pedes posteriores pedibus humanis & cruribus, priores manibus fuêre similes. Hoc animal postea Roma non vidit.* Et *Solinus* ubi de *Æthiopia*, *Iisdem fermè temporibus* (quibus *Circenses* exhibuit *Cæsar Dictator*) *illinc exhibita monstra sunt. Cephos* (al. *cefos*) *appellant, quorum posteriores pedes crure, & vestigio humanos artus mentiuntur, priores hominum manus referunt. Quæ tamen à nostris non ampliùs quàm semel visa sunt.* Græci κῆπον, κῆβον, κεῖπον vocant. Et in ejus descriptione parùm sibi constant. *Agatharchides* capite trigesimo octavo, ὁ δὲ κῆπος ἔχει τὸ μὲν πρόσωπον λέοντι, τὸ δὲ σῶμα πάνθηρι, τὸ δὲ μέγεθος δορκάδι. supple ὅμοιον, vel ἴσον, vel παραπλήσιον: nam tale aliquod verbum scriptorum incuriâ excidit. Proinde *Diodorus* libro tertio, Τὸ δὲ πρόσωπον ἔχων ὅμοιον λέοντι, τὸ λοιπὸν σῶμα φέρει πάνθηρι παραπλήσιον, πλὴν τὸ μέγεθος, ὃ παρισοῦται δορκάδι. Vel in secundo Casu hæc legenda, quomodo *Strabonis* libro decimo sexto ex *Artemidoro*; Κῆποι λέοντος μὲν πρόσωπον ἔχοντες, τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα πάνθηρος, μέγεθος δὲ δορκάδος. At idem libro decimo septimo, Κεῖπον δὲ (τιμῶσι) Βαβυλώνιοι οἱ κατὰ Μέμφιν. ἔστι δ' ὁ κεῖπος τὸ μὲν πρόσωπον ἐοικὼς σατύρῳ, τἆλλα δὲ κυνὸς καὶ ἄρκτου μεταξύ. γεννᾶται δ' ἐν Αἰθιοπίᾳ. In *Hesychio* κῆπος est ζῶον ὅμοιον πιθήκῳ. *Æliani* libri decimi septimi capite octavo cynocephalo similem habet προσωπεῖον. *Aristotelis Historiæ* libri secundi capite octavo videtur *cebus* pro *cercopitheco* haberi. Ἔνια δὲ, inquit, τῶν ζώων ἐπαμφοτερίζει τὴν φύσιν τῷ τ' ἀνθρώπῳ, καὶ τοῖς τετράποσιν· οἷον πίθηκοι, καὶ κῆβοι, καὶ κυνοκέφαλοι. ἔστι δὲ ὁ μὲν κῆβος πίθηκος ἔχων οὐράν. Et capite sequenti, Οἱ δὲ κῆβοι ἔχουσι κ.τ.λ. ... τὰ δ' ἐντὸς διαιρεθέντα, ὅμοια ἔχουσιν ἀνθρώπῳ πάντα τὰ τοιαῦτα. Quæ *cephi*, *cepi*, *ceipi*, aut *cebi* descriptiones ità inter se differunt, ut ex omnibus colligere sit, *Æthiopicum*, aut *Troglodyticum* esse animal inter simiarum species. *Agatharchides*, *Diodorus*, & *Ælianus* κῆπον, id est, *hortum*, dici volunt, quod hortum imitetur colorum varietate. Quod est ineptissimum, ac proinde à *Strabone* meritò præteritum. Vidit enim acerrimi judicii scriptor peregrinum esse hoc nomen ex *Æthiopia* in *Ægyptum* cum ipso animali invectum. Nec mirum, idem animal *Græcos* κῆβον, κῆπον, aut κεῖπον· *Romanos* CEPUM, aut CEPHUM; & *Hebræos* קוף *koph*, appellâsse: nam, ut Consonantes β, π, & φ, ità Vocales, E, vel H, & O, non rarò permutantur. Sic iidem erant Ἐρκυνοὶ & Ὀρκυνοί. *Hercynia sylva* Ptolemæo est Ὀρκύνιος δρυμός. *Ervum* Græcè est ὄροβος. Contrà, *Proserpina* Περσεφόνη. Itaque, utùt apud *Hebræos* posteriores קוף *koph*, dicatur quivis *simia*, tamen ævo *Solomonis* קוף *koph*, propriè erat *cephus*. Cui rei id sit argumento, quod ex iis oris adfertur cephus, quas *Solomonis* classis adnavigabat, nempe ex *Troglodytis* in ora *Æthiopiæ*: cùm vulgares simiæ in ea *Africa* parte maximè abundent, quæ ab *Ægypto* extenditur usque ad *columnas Herculis*.

Addam pro corollario, cur *simia* dicatur ἄριμος. Ità enim *Hesychius*. Ἄριμος, πίθηκος. Et *Strabo* docet libro decimo tertio, *Tuscorum* esse vocabulum: Τοὺς πιθήκους, inquit, φασὶ παρὰ τοῖς Τυῤῥηνοῖς ἀρίμους καλεῖσθαι. Nempe *Levit.* 21. v. 18 חרום *harum*, *Hebraicè* est *simus*, ut *Chaldaicè* חרם *harem*, vel *harim*, in *Onkelo*. Ut igitur *Romani* SIMIAM *à simitate* appellâverunt: ità *Phœnices* idem animal חרים *harim*, id est, *simum* appellitâsse putaverim, atque à *Phœnicibus* hanc vocem ad *Hetruscos* dimanâsse. Eodem pertinet, quod *simia* alio nomine *enaris* olim dictus est. *Enaris* enim is dicitur, qui est sine naribus; ut *elinguis*, qui sine lingua; *elumbis*, qui sine lumbis; *enervis*, qui absque nervis, *&c.* Proinde *Homeri* ARIMA, & posteriorum INARIMEN, *Græci* Πιθηκούσας appellârunt, & *Romani* ENARIAM. Non ab *Ænea*, ut vult *Plinius*; nec *à figlinis doliariorum*: sed *à simiis*; qui ut *Phœnicie* & *Tusce* ARIMI, ità *Græcè* πίθηκοι, & *Latinè* dicebantur *enares*. Unde *Servius*, à *Salmasio* emendatus, in librum octavum *Æneidos*: INARIME, *nunc* Enaria *dicitur*, &c. *Quia in eam ad contumeliam simiæ missæ sunt; quas* Grajorum *linguâ* ἀρίμους, *id est*, enares *dicunt: ob quam causam* Pithecusam *etiam vocitant.* Plura vide in *Phœnicia* nostra libri primi capite trigesimo tertio.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

De Lepore.

Hebræa *voce* ארנבת arnebeth, leporem *significari*, *ut* Arabicâ أرنب arneb. *Alioqui* Judæis *lepus in Lege nullibi prohibitus, quem tamen constat prohibitum.* *Lepus* ארנבת *dictus à* carpendo terræ proventu. *Insulæ* Leros, Astypalæa, & Carpathus, *à leporibus vastatæ; ut* Baleares *à cuniculis.* *Cur leporis nomen* Hebræum *sit Fœmininum.* *Rationes commentitiæ apud* Hebræos, *quia lepores nulli sunt mares, aut quia sexus alternatur.* *Fons erroris.* *Lepores an ruminent, nec divisam ungulam habeant.* *Cur lepus pro immundo habitus,* *Cur credatur formam conciliare.* Plutarchi *commentum, à lepore* Judæos *abstinuisse, quia est asino similis,* Græci *interpretes pro lepore habent* δασύποδα, *quia* λαγωὸς *&* δασύπους *idem sunt.* *Falli viros magnos, qui aliter sentiunt.* *Idem esse* Aristoteli, *qui dasypodi passim tribuit quæ leporis sunt propria.* *In eodem* λαγὼς *&* δασύπους *promiscuè sumpta.* *Si* δασύπους *non est* lepus, *leporis historiam prætermiserit* Aristoteles, *qui* λαγὼ *ter solum, idque obiter meminit.* *Quartus locus frustrà citatur, in quo* λαγὼς *est Glossema.* *Proverbia tria, in quibus* δασύπους *palam est* lepus. *Lepus cœlestis* Astronomis *Dasypus.* Athenæo, Plutarcho, Æliano, Cratino, Polluci, Hesychio, Suidæ, Eustathio, *δασύπους est* lepus: Patribus *quoque, ut Pseudo*-Barnabæ, Clementi Alexandrino, Novatiano, Theodoreto. *Tot testibus* Plinium *frustrà opponi, qui in talibus sæpe fallit, sæpe fallitur.* Dasypus, Plinio *à lepore & cuniculo diversus, quid sit dici non potest, cùm non sit in illo genere tertia species.* *In* Talmude *ratio jocularis, cur* Seniores dasypodem *dixerint potiùs, quàm* leporem.

Quæritur de ארנבת *arnebeth*, animali immundo, & prohibito *Judæis*, *Levit.* 11. v. 6. & *Deut.* 14. v. 7. sitne *lepus*, an *cuniculus*. A plerisque redditur *lepus*, sed δασύπους à *Græcis*, id est, *cuniculus*, ut volunt, vel quid tertium. Quia veteres, ut multis placet, *dasypodem* describunt ut animal à lepore diversum, illi tamen homogeneum, *Aristoteles Historiæ* libri primi capite primo, Τὰ δὲ φρόνιμα, καὶ δειλά, οἷον ἔλαφος, καὶ λαγώς, δασύπους. *Plinius* libri octavi capite quinquagesimo quinto, *Lepus, omnium prædæ nascens, solus præter dasypodem superfœtat.* Et libri decimi capite sexagesimo tertio, *Dasypodes omni mense pariunt, & superfœtant sicut lepores.* Item, *Superfœtant & lepus & dasypus tantùm.* Sed ארנבת *arnebeth*, esse *leporem*, non *cuniculum*, aut tertium animal, multa suadent, atque etiam plenè persuadent. Primo, consensus *Hebræorum* omnium, quibus, שפן, est *cuniculus*, ארנבת, *lepus*. His, præter veterem interpretem, adde recentiores, quotquot sunt alicujus nominis, quorum calculo confirmatur eadem hæc interpretatio vocis ארנבת. Et verò, cùm leporis esus, aut in locis, quæ citavimus, aut nullibi interdicatur, ab eo tamen *Judæos* semper abhorruisse constat, tan-

tanquam in Lege prohibito. *Plutarchus Symposiacῶν* libri quarti capite quinto, Καὶ τοῦ λαγοῦ φησί τις ἀπέχεσθαι τοὺς ἄνδρας, ὡς μυσαρὸν καὶ ἀκάθαρτον δυσχεραίνοντας τὸ ζῶον. *Aliquis eos homines à lepore abstinere dicit, quia hoc animal, tanquam pollutum, & immundum dedignantur.* Clemens Alexandrinus *Pædagogi* libri secundi capite decimo, Ὁ Μωσῆς καὶ τὸν λαγὼν ἐσθίειν ἀπαγορεύει. Moses *etiam lepore vesci prohibet.* Itaque idem verba Legis aliquanto antè sic citaverat, Οὐκ ἔδεσαι τὸν λαγών· *Non comedes leporem.* Et *Novatianus* libro *De cibis* Judaicis, *Cum leporem,* (interdicit Deus) *accusat reformatos in fœminam viros.* Hoc præcipuum, quod *Arabicum* أرنب *arneb* (à quo *Hebræum* ארנבת *arnebeth*, Genere tantùm & Flexione differt) *leporem* esse tam certum est, quàm quod est certissimum. Vide. & cum *Æsopo* confer Mythologum *Arabem Locmanum* in Fabulis *De leporibus & vulpibus, De lepore & leana. De lepore & testudine*; *Avicennam* item, *Damirem*, & *Abenbitarem* capitibus ارنب البر والبحري in quibus pleraque ad verbum desumpta sunt ex *Dioscoride, Galeno,* & *Aetio* Περὶ λαγωοῦ χερσαίου καὶ θαλαττίου.

Vox ארנבת *arnebeth*, composita est, ut mihi quidem videtur, ex ארה & ניב, *à carpendo terræ proventu*, cui, quantam perniciem creent hæc animalia nemo est qui nesciat. Si quis exempla desideret, en tibi pauca è multis! *Hyginus* libri secundi *Astronomicῶν* capite LEPUS; *Apud antiquos in insula* Lero *nullum leporem fuisse* (prodiderunt:) *sed ex eorum civitate quendam, studio hujus generis inductum, ab exteris finibus leporem fœminam prægnantem attulisse, & ad ejus partum diligentissimè ministrâsse. Itaque, cum peperisset, compluribus hujus civitatis studium incidisse, & partim pretio, partim beneficio mercatos omnes alere cœpisse. Itaque non longo intervallo tantam multitudinem leporum procreatam, ut tota insula ab his occupata diceretur. Quibus cum ab hominibus nil daretur, in semina eorum impetu facto, omnia comederunt. Quo facto incolæ, calamitate affecti, cum fame forent oppressi, communi consilio totius civitatis vix denique eos abegisse ex insula dicuntur.* Cui simile est, quod ex *Hegesandri Delphici Commentariis* de *Astypalæa* refert *Athenæus* libri noni capite decimo quarto, principatu Regis *Antigoni Gonatæ* tantam leporum in *Astypalæa* fuisse copiam, ut propterea ejus oppidi cives oraculum consuluerint, quibus *Pythia* respondit, alendos esse canes venaticos; quo facto, unius anni venatione capta esse leporum sex milia: ac tantæ multitudinis causam fuisse *Anaphæum* quendam, qui, cum *Astypalæa* hactenus lepores non habuisset, binos in eam intulerat. Sed & idem in insula *Carpatho* contigisse multi narrant. *Pollux* libri quinti capitis duodecimi sectione primâ, Καρπάθιοι δὲ, πρότερον οὐκ ὄντων ἐν τῇ νήσῳ λαγωῶν, ζεῦγος εἰσαγαγόμενοι, τὸ μὲν εἰς πλῆθος ἐκ τῆς πολυγονίας ἐπιδεδωκὸς, ἔφθειρε τοὺς καρπούς· Carpathii *autem, cum leporibus ante carerent, geminos introducentes, multitudo propter fœcunditatem inde exorta fructus perdidit.* Hesychius *in* Καρπάθιος, διὰ γὰρ τὸ μὴ εἶναι λαγωοὺς ἐν τῇ χώρᾳ, ἐπηγάγοντο αὐτοί. καὶ τοσοῦτοι ἐγένοντο, ὥστε τὸν σῖτον αὐτῶν καὶ τὰς ἀμπέλους ὑπ᾽ αὐτῶν βλάπτεσθαι· *Quia in ea regione lepores non erant, cum ipsi* (Carpathii) *introduxissent, ità multiplicati sunt, ut ipsorum fruges & vites ab iis læderentur.* Suidas *in* Λαγὼς, Λαγωοὺς οὐκ ἔχοντες ἐπηγάγοντο, οἱ πολλοὶ γενόμενοι ἐλυμαίνοντο τοὺς καρπούς· *Lepores cùm non haberent, introduxerunt, qui aucti numero fructus lædebant.* Eustathius *in* Dionysium *pag.* 71. b. Τῇ δὲ Καρπάθῳ λυμῆναι φασί ποτε φασὶ τοὺς λαγωούς. *Lepores ajunt aliquando* Carpathum *devastasse.* Indè natum Proverbium, Ὁ Καρπάθιος τὸν λαγών, de iis, qui malum sibi ipsis accersunt. Cujus, præter auctores jam citatos, meminit *Philosophus Rhetorices* libri tertii capite undecimo. Nec minor est frugibus pernicies à cuniculis, de quibus *Strabo* libro tertio; Λυμαίνονται γὰρ φυτὰ, καὶ σπέρματα, ῥιζοφαγοῦντες· *Radicibus exesis, stirpes, & semina corrumpunt.* *Plinius* libri octavi capite quinquagesimo quinto, *Leporum generis sunt & quos Hispania cuniculos appellat, fœcunditatis innumeræ, famemque* Balearibus *insulis, populatis messibus, afferentes.* Sequitur *Balearicos* adversus proventum eorum auxilium militare à D. *Augusto* petiisse. Quod paulò aliter *Strabo*, Οἱ δὲ τὰς Γυμνησίας οἰκοῦντες λέγονται πρεσβεύσασθαί ποτε πρὸς Ῥωμαίους κατὰ χώρας αἴτησιν· ἐκβάλλεσθαι γὰρ ὑπὸ τῶν ζώων τούτων, ἀντέχειν μὴ δυνάμενοι διὰ τὸ πλῆθος. *Balearium incolæ feruntur olim, missis ad* Romanos *legatis, terram habitandam petiisse: quod ab istis animalculis ex sua pellerentur, neque obsistere possent eorum multitudini.*

Judæi anxiè quærunt; cur in *Mose* legatur ארנבת *arnebeth*, Fœminina terminatione, cum genericum animalium nomen Masculinè soleat efferri, ut mas fœminam includat. *Aben-Ezra* duo respondet: vel in illa specie marem non reperiri, quod perabsurdum: vel marem in fœminam, & fœminam in marem invicem transmutari; quod & alii scripserunt. *Donatus* in *Eunuchum*, *Lepus Physicis dicitur incerti sexus, ac esse modo mas, modo fœmina.* Idem testatur *Democritus* *Geoponicῶν* libri decimi noni capite decimo quarto, leporem transmutare naturas, & modo generare ut marem, modo parere ut fœminam. Et *Archelaus* apud *Plinium*, ubi suprà, singulis leporibus scribit utramque vim inesse, ac sine mare æque gignere. *Ælianus* (a) etiam tradit in ventre dissecti maris μήτραν περιφερῆ, καὶ τρεῖς λαγώς, *matricem repertam fuisse,* (a) Hist. lib. 13. cap. 12. *& tres lepores.* Et *Damir*, وربما ركبت الانثي الذكر عند السفاد لما فيها من الشبق وتسفد وهي حبلي وتكون عاما ذكر وعاما انثي *Sæpe in coitu fœmina marem inequitat in æstu libidinis, & init, ita ut illi uterus intumescat; & uno anno est mas, altero fœmina.* *Alkazuinius* etiam, قيل انه سنة ذكر وسنة انثي *Dicitur uno anno esse mas, altero fœmina.* Et *Ibnolatsir* in *Historiis* ad annum *Hegiræ* DCXXIII. narrat ان صديقا له اصطاد ارنبا له انثيان وذكر وفرج انثي فلما شق بطنه راوا فيه ما يدل علي ذلك *virum veridicum venatum esse leporem, cui testiculi fuerint, & veretrum, & rima fœminea: & in ejus ventre dissecto ea apparuisse, quibus planum id fieret.* Quod sumptum puto ex *Æliano* ubi suprà, ubi tale quid se audivisse refert à venatore quodam viro bono, & à mendaciis alieno. Tamen id habetur pro commento in *Hebraico* libro, cui titulus *Porta cœli*, cujus auctor *Rabbi Gersom, Selomonis* filius. Verba sic habent fol. 24. c. וכן אומרים על מין הארנבת וזה שקר אך מפני כי פעמים הנקבה תרכב על הזכר *Quale est, quod de lepore asserunt, sed falsò, ut quidem puto, quandoque accidere, ut fœmina conscendat marem.* Et erroris fontem aperit *Rondeletius*, dicens in leporibus mares falsò putari, qui verè non

non sunt, quia quasdam vesiculas sanie tumentes habent, quæ sumuntur pro testiculis. Ut meritò dicat *Kimchius* marem *Hebraicè* contineri sub fœminæ nomine; quia sexûs differentias in lepore secernere difficillimum est.

Ruminare leporem præter *Mosem* nemo scripsit. Tantùm observat *Philosophus* illi cum ruminantibus commune id esse, quod habet coagulum, *Historiæ* libri tertii capite vigesimo secundo. Itaque ubi *Græca* versio habebat olim de dasypode, ὅτι ἀνάγει μηρυκισμόν, *Levit.* 11. v. 6. corruptores perperam scripserunt οὐκ ἀνάγει. Sed negatione carent *Vaticanum* exemplar, *Complutense*, & *Parisiense* nuperum. *Origenes* etiam, & *Theodoretus* Quæstione undecimâ, Ἕτερα δὲ μηρυκᾶται μὲν, οὐ διχηλεῖ δὲ, ὡς κάμηλος, καὶ λαγωός. At in *Cyrillo* libri decimi quarti *De adoratione* paginâ 498. editionis *Parisiensis*, Καὶ τὸν δασύποδα, ὅτι οὐκ ἀνάγει μηρυκισμόν. Quod tamen corruptum puto, quia ejusdem *Cyrilli* versio vetus habet, *Et leporem, quia reducit ruminationem.* Utùt sit, negationem perperam fuisse additam *Hebræa* docent, & reliquæ versiones, & hujus versûs collatio cum *Deut.* 14. v. 7. ubi nulla est negatio. Quod ibidem leporem *Moses* ungulam divisam habere negat, sanè intelligendum est: non, ut ungula *divisa continuæ*, sed ut *multifidæ* opponitur. Lepus enim est πολυσχιδής. *Divisa* igitur eo loco eadem quæ *bifidus*, aut *bisulca*. Atque id est propriè מפריס.

Cur immundis accenseretur, rationes etiam Physicas potuit habere *Moses*. Medicorum certè principes, *Galenus*, *Aetius*, *Rasis*, & *Damir* hos sequutus leporina carne scribunt crassum sanguinem & melancholicum gigni. Et *Papa Zacharias* ad *Bonifacium* Epistola duodecimâ *Christianos* admonet, ut ab ejus esu sibi caveant. Sed ex *Patrum* sententia Legis-lator id potissimum respexit, quod lepus est animal valde proclive in libidinem. Vide *Philosophum* libri quarti *De generatione animalium* capite quinto sub finem, & *Oppianum* in fine libri tertii *Cynegeticωn*. Alii ratione ambigui sexûs, alii timiditatis nomine leporem reum peragunt. De quibus ante alios consulendi *Barnabas* in *Epistola*, quam edidit noster *Vossius*, paginâ 231. *Clemens* in *Pædagogo* libri secundi capite decimo, *Novatianus* capite tertio *De cibis Judaicis*, *Augustinus* in *Psalmum* 103. &c. Sunt tamen apud *Martialem* libri quinti *Epigrammate* trigesimo, & in *Lampridii Severo*, qui leporis esum commendant, quasi sæpe utentibus pulchritudinem conciliet: sed stultam hanc sententiam non alia de causa puto apud vulgus invaluisse, quàm quia ad *Leporis* nomen alludit *lepos, lepôris*, secunda longâ. Utut se res habeat, plane delirat *Plutarchus* in *Sympsiacωn* libri quarti Quæstione quintâ, cùm *Judæos* sibi fingit ab esu leporis non ideò abstinuisse, quòd immundum esse crederent, sed quia toto habitu corporis lepus est asino similis, qui apud illos scilicet in magno honore fuerit, ut qui quondam sitientibus monstraverit aquæ fontem. Sed putidissimum hoc commentum, in *Judaicæ* gentis & religionis contumeliam ab *Ethnicis* pravè confictum, docti jampridem exploserunt. Et suo loco (b) conatus sum in hujus erroris fontem digitum intendere.

(b) *Lib. 2. cap. 18. pag. 221. &c. suprà.*

Jam cùm apertè constet ארנבת *arnebeth*, esse *leporem*, in id quoque inquirendum est, cur pro *lepore Græci* scripserint δασύποδα. Ratio est in promptu. Λαγωὸς & δασύπους idem sunt. Et falluntur omnes omnino *Lexicographi*, *Calepinus* putà, *Stephanus*, *Constantinus*, *Scapula*, *Crispinus*, *Morellius*, &c. qui diversa esse statuunt. In quo numero est vir maximus, qui gravem *Gazæ* dicam impingit, eo quod *lepores* & *dasypodes* pro eodem sumpserit. *Dasypodes, inquit, perperam* Gaza *reddit lepores, cum* Aristoteli, *& veterum aliis*, λαγωὸς *&* δασύπους *semper pro diversis habeantur*. Quin apud *Aristotelem*, & *Græcos* scriptores, quotquot sunt, semper pro eodem sumi assero, quod illius pace dixerim, & τῶν ὁμογνωμόνων, quos

Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.

De *Aristotele* res patebit, ea omnia percurrenti loca, quibus agit de *dasypode* in libris *animalium*. Ubique enim ea dasypodi tribuit, quæ leporis sunt propria. Pauca è multis hic proferam. *Historiæ* libri octavi capite vigesimo octavo dasypodes negat in *Ithaca* posse vivere: quod de leporibus scribunt *Plinius* libri octavi capite quinquagesimo octavo, & *Julius Pollux* libri quinti capite duodecimo. Eodem *Aristotele* teste *Historiæ* libri secundi capite decimo septimo, & *De partibus* libri tertii capite septimo, dasypodes alicubi duo videntur habere jecora: quod leporibus tribuunt *Plinius* libri undecimi capite trigesimo septimo, *Athenæus* libro nono, *Ælianus Historiæ* libri quinti capite vigesimo septimo, & *Gellius* libri decimi sexti capite decimo quinto ex *Theopompo*. Rursus *Historiæ* libri tertii capite duodecimo, & *De generatione animalium* libri quarti capite quinto solus dasypus pilos habet ὑπὸ τοὺς πόδας, καὶ ἐντὸς τῶν γνάθων, *sub pedibus, & in buccis*: quod leporum est maximè proprium; atque id palam asserunt *Julius Pollux* ubi suprà, & *Trogus* apud *Plinium* libri undecimi capite trigesimo nono. Idem *Aristoteles* libri quinti *De generatione animalium* capite tertio pilos maximè molles tribuit ovi, & dasypodi; quod ipsum repetit capite secundo *Physiognomonicωn*, ubi tamen pro *dasypode* est λαγωός. & *De generatione animalium* libri quarti capite tertio ex pilorum densitate dasypodem idem colligit libidinosum esse animal, hominum exemplo, quorum maximè hirti sunt libidinosiores: quod ipsum de lepore *Trogus* habet apud *Plinium*. Sed & dasypodem *Aristoteles* animal esse ὀπισθουρητικόν, atque ideò aversi coitûs, multis locis asserit. Vide *Historiæ* libri secundi caput primum, & libri quinti caput secundum, & libri sexti caput trigesimum tertium, & *De partibus* libri quarti caput decimum. Quod in leporem quadrare nemini non est notum. Apud eundem *Historiæ* libri quinti capite secundo, Τῶν δασυπόδων πολλάκις ἡ θήλεια πρότερα ἀναβαίνει ἐπὶ τὸν ἄρρενα. Quod de leporibus passim dictitari jam probavimus. Rursus apud *Aristotelem* δασύπους est animal πολύτοκον, *De generatione animalium*, libri quarti capite quinto. Quodque adeò superfœtat, *Historiæ* libri quinti capite nono, & libri sexti capite trigesimo tertio, & libri septimi capite quarto. Quia fœminæ vulva multa habet acetabula, *Historiæ* libri tertii capite primo. Proinde parit mense quovis, *Historiæ* libri sexti capite trigesimo tertio. Et catulorum alii perfecti sunt, alii imperfecti, *De generatione animalium* libri quarti capite quinto. Et fœminæ lac habent jam ante partum, & statim à partu ineuntur, quin gravidæ coitum admittunt; *Historiæ* libri sexti capite trigesimo tertio. Quæ ferè omnia soli lepori convenire asserunt *Xenophon* libro *De Venatione*, *Herodotus* libro tertio, & *Pollux* ubi suprà. Horum etiam nonnulla lepori tribuit *Philosophus Problematum* capitis decimi sectione decimâ sextâ. Longum esset reliqua referre, quę de dasypode observat *Aristoteles*, putà cervorum & dasypodum sanguinem eodem modo coagulari; *Historiæ* libri tertii capite sexto: & τὸ μονοκοίλιον dasypodem solùm habere ἤνυστρον *coagulum*, ibidem capite decimo quinto: quod ipsum à *Polluce* lepori tribui videas. Et fœminæ lac instar suilli crassum esse, *Historiæ* libri sexti capite vigesimo, & trigesimo tertio: & si quæ alia sunt hujusmodi. Sed duo sunt, quæ non possum intacta præterire. Unum hoc est, quod, *Historiæ* libri octavi capite vigesimo octavo, *Philosophus*, causam redditurus, cur in *Ægypto* οἱ ὄνοι, καὶ λύκοι, καὶ λαγωοὶ, καὶ ἀλώπεκες, καὶ ἱέρακες, *asini, & lupi, & lepores, & vulpes, & accipitres*, minores sunt, quàm in *Græcia*, carnivoris animalibus in *Ægypto* (in quo numero sunt lupi, & vulpes, & accipitres) minus esse pabuli observat, quia pauca sunt, quæ rapiant: τοῖς δὲ δασύποσι, καὶ ὅσα οὐ σαρκοφάγα, ὅτι οὔτ᾽ ἀκρόδρυα, οὔτ᾽ ὀπώρα χρόνιος, *dasypodibus quoque deesse, & cæteris, quæ non sunt carnivora, quia neque nuces, neque poma in Ægypto diu durant.* Quibus verbis pro *leporibus*

bus dasypodes poni nemo non videt. En locum alterum huic geminum *Historiæ* libri noni capite trigesimo secundo! Ibi aquilarum genera recensentur, quarum à venatu leporum una vocatur λαγωφόν☉· & sequitur non multò post, Δασυπόδας δ' οὐκ εὐθὺς λαμβάνει, ἀλλ' εἰς τὸ πεδίον ἐάσας προελθεῖν, *Dasypodes non statim capit, sed postquam in plana progredi sivit.* Hoc quoque inprimis est observandum, cum in libris *De historia*, & *partibus*, & *generatione animalium*, de *dasypode Philosophus* tot locis agat, atque illius naturam scrutetur penitius, leporis historiam fere intactam præteriisse, si quidem *dasypus* non sit *lepus*. Nam libris illis decem & novem λαγωῦ, seu *leporis*, nomen solùm occurrit tribus locis, quorum duo jam allata sunt. Et priore quidem hoc solum habetur, lepores in *Ægypto* minores esse, quàm in *Græcia*, & posteriore tertium aquilæ genus μελανάετον vocari, καὶ λαγωφόνον. Tertius occurrit libri tertii *De partibus animalium* capite quarto, ubi nominatur λαγὼς inter animalia, quæ cor habent proportione magnum. Frustra quartus additur ex *Historiæ* libri primi capite primo, Δειλὰ, οἷον ἔλαφ☉, καὶ λαγωὸς, δασύπους. Nam *Aristoteles* solum scripserat, οἷον ἔλαφ☉, καὶ δασύπους. Et ad nomen δασύπους in margine scriptum est λαγὼς pro Glossemate, quod posteà in textum irrepsit. Proinde λαγὼς & δασύπους sunt ἀσύνδετα neque Conjunctionem habent interjectam, quæ ibi non poterat omitti. Neque enim hæc cohærent, οἷον ἔλαφ☉, καὶ λαγωὸς, δασύπους. Quod jam vidit & observavit vir magnus in *Solinum*.

Nunc, ut ad alios properem, *Livius Andronicus*, quem in *Numeriano Flavius Vopiscus* citat, & *Terentius Eunuchi* Actu tertio *Græcorum* (b) Proverbium vetus, Δασύπους ὢν κρέως ἐπιθυμεῖς, *Latine* ità reddiderunt, *Tute lepus es, & pulpamentum quæris.* Est & vetus aliud de dasypode Proverbium apud *Suidam* in Δασύπους, Πρότερον χελώνη παραδραμεῖται δασύποδα, *Ante testudo precurret dasypodem*: in quo itidem *dasypodem* pro *lepore* sumi palam est. Alludit enim ad Æsopi fabulam, de qua *Tzetzes Chiliadis* septimæ capite 105,

(b) Vide Apostolium Prov. 576.

> Ὁ μυθογράφ☉ Αἴσωπ☉, τοῖς μύθοις αὐτοῦ γράφων,
> Ὡς ἡ χελώνη λαγωὸν ἐνίκησε τοῖς δρόμοις,
> Ὠθεῖ πρὸς πόνους ἀφυεῖς, ὀξεῖς ἐκτρέπει νάρκης.

Fabularum scriptor Æsopus, in Fabulis suis testudinem scribens leporem cursu vicisse, pigros ad labores impellit, & veloces à torpore avertit. Idem probat hoc Proverbium, Καρκίν☉ λαγωὸν αἱρεῖ, ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων, *Cancer leporem assequitur, de rebus impossibilibus*, cum altero isto collatum, Καρκῖνον δασύποδι συγκρίνεις, ἐπὶ τῶν ἀνόμοια παρατιθεμένων, *Cancrum dasypodi comparas, de iis, qui dissimilia conferunt.* Quorum prius est in *Suida*, utrumque in *Apostolio* Proverbiis 976. & 1017. His adde leporem cœlestem à *Græcis Astronomis* appellari *dasypodem*. Proinde *Germanicus* in *Arateis*, ad titulum *Dasypus*, hæc habet;

> *Tu parvum leporem perpende sub* Orione.

Item, *Lepus sub pedibus* Anti-canis & Orionis *constitutus est. Hinc dicitur* Orionis *canem fugere venantis. Nam, ut venatorem eum finxerunt, &c. ita leporem ei ad pedes fugientem finxerunt.* Et paulò post, *Nonnulli à* Mercurio *inter astra collocatum dicunt propter nimiam velocitatem. sive quod inter quadrupedes plus pariat, & quosdam fœtus pariat, quosdam verò in ventre habeat; sicut* Aristoteles Philosophus *ait, qui de animalium ratione disseruit.* Quæ cùm de dasypode scripserit *Aristoteles Historia* libri sexti capite trigesimo tertio, & *De generatione animalium* libri quarti capite quinto *Germanicus* accepit tanquam de lepore dicta. Res non minus aperta in *Athenæo*, qui, ut probet esse quasdam χελιδονίας λαγωὺς, citat hæc *Diphili* verba libro nono *Dipnosophistæn*, Ποδαπὸς οὗτ☉ χελιδόνι☉ ὁ δασύπους. *Plutarchus* quoque in libro *Utra anim.* &c. de canibus hæc habet paginâ 1787. Οἱ δὲ τοὺς δασύποδας διώκοντες, ἐὰν μὲν αὐτοὶ κτείνωσιν, ἥδονται διασπῶντες, καὶ τὸ αἷμα λάπτουσι προθύμως· ἐὰν δὲ ἀπογνοὺς ἑαυτὸν ὁ λαγωὸς, &c. *Qui dasypodes insequuntur, siquidem ipsi necaverint, discerpere gaudent, & sanguinem avide lambunt: at si lepus desperabundus, &c.* Et paulò post, Οἱ δὲ δασύποδες, πρὸς εὐνὴν ἐπανιόντες, ἄλλαχῆ κομίζουσι τὰ λαγίδια. *Dasipodes, ad cubile redeuntes, lepusculos suos alium alio transferunt.* lepusculos appellans dasypodum catulos. Et *Ælianus Historiæ* libri decimi tertii capite decimo quarto, Ὁ δὲ λαγὼς τοὐναντίον· πέφυκε γὰρ δασὺς τοὺς πόδας. Jam *Græci Grammatici* sequuntur, qui omnes *dasypodem* pro *lepore* habent. *Julius Pollux* ubi suprà, Δασὺς τὴν τρίχωσιν καὶ τὰ ὕπτια τῶν ποδῶν, ἀλλ' οὐ μόνα τὰ πρανῆ δασυνόμεν☉· ὅπερ οὐ φησιν, Ἀριστοτέλης ἑτέρῳ ζώῳ προσεῖναι. Διὰ τοῦτό μοι δοκεῖ δασύποδα τὸν λαγὼν, ἄλλοι τε, καὶ Κρατῖν☉ καλεῖν, ὄνομα ποιούμενος τῷ ζώῳ τὴν φύσιν. *Densus pilis est etiam in supinis pedum partibus, non tantum in pronis hirsutus: quod nulli alii animali contingere tradit* Aristoteles, *Unde est, ut videtur, quod leporem* Cratinus, *& alii, dasypodem vocant, nomen ex natura huic animali indentes.* Hæc ille, quem cur *Stephanus* in contrariam mentem citet, non possum mirari satis. Ità etiam alii, *Hesychius*, Δασύπους, λαγωός. *Suidas*, & *Phavorinus*; Δασύπους, λαγώς. *Eustathius* in *Odyss.* ρ'. Ὅτι δὲ ὁ λαγὼς οὐ μόνον, καὶ πτὼξ, καὶ δασύπους λέγεται κοινῶς, ἀλλὰ καὶ ταχίνας εὕρηται παρὰ Λακεδαιμονίοις ἀπὸ τοῦ φυσικοῦ, οἱ παλαιοὶ γράφουσι.

Neque aliter usurpârunt *Græcorum Theologi*. Epistola *Catholica Barnabæ*, quæ, utùt supposititia, tamen non potest non esse antiquissima, cùm illam citent *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, atque alii *Patrum* vetustissimi: Ἀλλὰ καὶ τὸν δασύποδα οὐ φάγῃ, ὅ φησιν. Πρὸς τί; Οὐ μὴ γένῃ παιδοφθόρ☉, οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις· ὅτι ὁ λαγωὸς κατ' ἐνιαυτὸν πλεονεκτεῖ τὴν ἀφόδευσιν, ὅσα γὰρ ἔτη ζῇ, τοσαύτας ἔχει τρύπας. *Sed neque dasypodem, inquit, comedes. Quorsum? Non eris corruptor puerorum, neque talibus assimilaberis: quia lepus quotannis excretionem auget: quot enim annis vivit, tot habet foramina.* Vides pro eodem hic sumi *leporem* & *dasypodem*. Ità *Clemens*, & *Novatianus*, in locis jam citatis, τὸν λαγὼν *leporem* in Lege interdici scribunt, pro eo, quod alii τὸν δασύποδα. Et *Theodoretus* in *Leviticum* Quæstione undecimâ, ubi de animalibus à *Mose* prohibitis; Ἕτερα δὲ μηρυκᾶται μὲν, οὐ διχηλεῖ δὲ, ὡς κάμηλ☉, καὶ λαγωὸς. Itaque illi etiam ὁ δασύπους est *lepus*.

Denique qui *dasypodem* à *lepore* distinguat nullus est præter *Plinium*, *Romanum* hominem, quem solum tanto *Græcorum* consensui opponere parum tutum est, cùm sæpe fallatur, & fallat, neque sibi constet satis. Pleraque enim, quæ de *dasypode* dicit *Aristoteles*, is tanquam de *lepore* dicta accipit, quod probare est in proclivi. Præterea ne quis *cuniculum* putet *dasypodis* nomine ab illo intelligi, *dasypodem* à *cuniculo* non uno in loco distinguit. Itaque quid intellexerit *dasypodis* nomine dicere non est obvium: cùm præter *leporem*, & *cuniculum*, his congener tertia species *Græcis* nota nulla fuerit. Proinde voce *dasypodis* id intelligit quod nusquam est. Neque leporem à *dasypode* ab eo distingui mirum est, cui *caprea* & *dorcas*, *vespertilio* & *nycteris*, &c. describuntur ut diversa animalia, ut notavit *Leonicenus*.

Interim cur δασύπoδ☉ potius quàm λαγωοῦ nomen *Græci* interpretes adhibuerint, jocularem causam *Hebræi* afferunt in *Historia Templi secundi* paginis 8. & 9. editionis *Munsterianæ*, ואת הארנבת קראו צעירת הרגלים מפני שאשתו של המלך ארנבת היה שמה שלו תאמר הלעיגו בי היהודים *Et leporem vocaverunt* צעירת *parvam* (lege שעירת *hirsutam*) *pedibus, quia uxor Regis leporis habebat nomen, ne illa diceret,* Judæi *me derident.* Quæ ferè ad verbum excerpta sunt ex *Talmudico* Tractatu *Megilla*, capite primo. Pro *uxore matrem* scribit *Talmud Hierosolymitanum*. Utrumque falso. Neque enim illius *Ptolemæi*, qui *Græcam* editionem procuravit, mater, aut uxor, sed avus *Lagi* habuit, seu *Leporis*, cognomentum, unde illi

omnes

omnes Lagidæ dicti. Sed quia leporis nomen Hebraicè Fœmininum est, id viro competere potuisse non putârunt homines linguæ suæ potius quàm historiæ studiosi.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

Probatur שפן *saphan*, non esse *Cuniculum* ut volunt, sed *majoris Muris* genus in *Palæstina*, *Ægypto*, & *Libya*, qui *Herodoto* & aliis δίπους *Senioribus* χοιρογρύλλιος, *Hieronymo* ἀρκτόμυς, & *Arabibus* dicitur اليربوع *aljarbuo*, de quo multa, nondum vulgata, ex *Arabum* scriptis produntur.

Octo rationes, quibus probari videtur שפן saphan *esse* cuniculum. *Sed tria objiciuntur. 1. Cuniculos non ruminare; 2. in petris non habitare; 3.* Hispanis *olim fuisse peculiares: quibus non plenè satisfit. Itaque* שפן *esse* cuniculum *non satis certum. Veterum versiones conferuntur.* Arabum الوبر alwebro *esse* murem montanum, *qui Italis* marmota. *In* Berescith Rabba *vox* marmotæ *perperam explicata.* Marmota *quàm somniculosa.* الفنك alphenec, *mus* Ponticus, *seu* Finnicus, *à* Finnis *populis prope* Vistulam *in* Borussia. سنجاب sungiab, *sciuri species.* سمور simur, *in* Hesychio σίμωρ, *martis genus in* Parthia. שפן saphan, hyæna *in* Barnabæ *Epistola, & in* Clemente Alexandrino; *Latinè* bellua, *seu* belbus; *aliis* χοιρογρύλλιος. *quem* herinacium *reddunt.* שפן *neque* murem *esse montanum, neque* Ponticum, *neque* hyænam, *neque* hericium. שפן *animal gregarium. Inde vocatur populus, ut formicæ, locustæ & apes, &c.* שפן Hieronymo ἀρκτόμυς. Chœrogryllius *Arabicè* اليربوع aljarbuo. *In* Herodoto *& aliis* mures Libyci, *&* Ægyptii, *quorum pedes posteriores longiores, his bipedes gradiuntur. Hic mus cur dictus* ἀρκτόμυς. *Idem* Arabicè اليربوع aljarbuo. *Pedum & incessûs descriptio ex* Arabibus. *Duces habent vigiles, quorum negligentia morte punitur. Idem Græci de arctomye. Cauda est instar hastæ. Domus illis subterraneæ, quæ ad quatuor ventos patent. Foramina terrâ obducunt, ne appareant. His Hypocritæ cur similes. Via in latibulis* λαβυρινθώδεις. *Hæc latibula in petricosis locis, & maximè eminentibus. Summis pedibus insistunt, ne vestigia agnoscantur. Ruminant, licet utrimque dentati. Saltuatim gradiuntur. In latibulis qui serpentes nidificent.* فرنب pharnab, *mus ex hujus muris cum vulgari coitu natus.* Aljarbuo *solus murium edulis apud* Arabes, *qui de eo disputant. Latibulum ejus emitur.* Aljarbuo Suphariensis *carne pinguior.* Israëliticus, *quem vocant, ad ventum exsiccatur.* Es. 66. v. 17 *Hebræum* עכבר achbar, *id est*, mus, *cur reddatur* aljarbuo. *Hos mures* Teixeira *vocat* ratones del mato, *id est*, mures dumeti. *Concluditur* Hebræum שפן saphan, *murem* Herodoti δίποδα, Hieronymi ἀρκτόμυα, Arabum اليربوع aljarbuo *esse idem animal. Hujus varia nomina explicantur. Quid his mures cum hericiis, & cum cuniculis commune habeant.*

LEvit. 11. v. 5. & Deut. 14. v. 7. in iis animalibus, quæ ruminant quidem, sed non habent bifidam ungulam, ac proinde sunt immunda, cum camelo & lepore recensetur השפן, ὁ σαφαν. Plurale שפנים *sephanim*, habetur *Psalm.* 104. v. 18. *Petra refugium* לשפנים, τοῖς σαφανίμ. Et *Prov.* 30. v. 26. שפנים sephanim, *populus invalidus, ponunt in petra domum suam.* *Cuniculos* explicant plerique recentiorum. Cui interpretationi in speciem multa favent. 1. Quod bis in Lege השפן cum הארנבת id est, cum *lepore*, jungitur, tanquam animal congener. 2. Quod *Psalmi* locus, quem modo citavimus, in *Græca* editione sic redditur, Πέτρα καταφυγὴ τοῖς λαγωοῖς *Petra refugium leporibus.* Quædam exemplaria habent τοῖς χοιρογρυλλίοις, id est, ut volunt, *herinaceis*. Sed priorem lectionem sequuntur vetustissimi scriptores. *Hieronymus* Epistol 135. ad *Suniam*, & *Fretelam*; *Omnes* χοιρογρυλλίους *voce simili transtulerunt: soli* LXX. lepores *interpretati sunt.* Ità etiam legerunt *Theodoretus* Commentario in hunc *Psalmum*, *Basilius* in *Esaiam* capite secundo, & *Appollinaris* in *Paraphrasi*,

Πέτραις ἠλιβάτοις ἐφεδρήσσουσιν λαγωοί,

Saxis præruptis fidentes sunt lepores: & *Arabica* versio, quæ ex *Græca* est expressa; *Petra refugium* للارانب *leporum*. Alii utrumque jungunt: ut in hunc locum *Augustinus*, *Petra refugium hericiis, & leporibus.* Arnobius, *Ibi est petra, præstans refugium sive erinaceorum filiis*, &c. *sive leporibus.* *Beda* in *Proverbia* capite trigesimo, *Notandumque, quod in Psalmo, ubi nos canimus*, " Petra refugium herinaciis, *in quibusdam codicibus* leporibus, *in quibusdam* chœrogryllis *invenitur.* 3. Hebræa *Prov.* 30. v. 26. שפנים עם לא עצום, *Vulgatus* interpres sic transtulit, *Lepusculus plebs invalida*, sequutus, nisi fallor, *Græcum* aliquem interpretem, qui שפנים, λαγίδεις *lepusculos* exposuerat, id est, *cuniculos*. Sic enim in *Strabone* libro tertio λαγίδεις *lepusculi* sumuntur pro *cuniculis*. *Græcis* aliud *cuniculi* nomen non habent. Nam in *Æliano* κόνικλος, in *Polybio* & *Galeno* κύνικλος *Hispanorum*, in *Strabone*, & *Erotiano* λεβηρεὶς *Massiliensium* propria erant vocabula, in *Græcia* non usurpata. 4. *Nominum liber* vetus, quem *Philoni* adscribunt, in *Jeremia* sic habet, SAPHAN, *chœrogryllius, lepus, vel hericius.* Et in *Ezechiele*, SAPHAN, *hericius, vel lepus.* 5. In *Arabico Giggeii Lexico* paginâ 854. tom. 2. سفن *siphan*, redditur *cuniculus*. Quod tamen unde habeat, haud quaquam scio. Nam alibi nusquam reperi. 6. *Hebræum* nomen שפן *saphan*, videtur alludere ad *Hebræa* verba ספן, & צפן quorum illud *tegere*, hoc *abscondere*, significat. Et quadrare videtur in cuniculum, qui scrobum latebras quærit, ut in iis delitescat, & obtegatur quasi. *Martialis*,

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris.

7. Certum est *Hebræos* cuniculum abhinc aliquot sæculis sic appellâsse. Ità *Baal Aruch* ante annos ferè quingentos in voce חלא אילן *thela Ælan*, aut *ilan*, do viverris: ושמענו שמצויין הן במקומות שצדין בהן שפנים *Audivimus eas reperiri in certis locis, in quibus iis venantur cuniculos.* Et apud *R. Isaacum*, *Selomonis* filium, uno circiter sæculo posteriorem, in libro, cui titulus *Masal Kadmoni*, in quo habentur Fabulæ *Æsopicis* similes stricta oratione scriptæ, Fabulâ quinquagesimâ colloquuntur השפן והזרזיר, id est, *cuniculus, & sturnus*; ut palam faciunt picturæ appositæ. Et in *Porta cœli*, cujus auctor *R. Gersom*, Tract. 4. cap. 1. fol. 19. d. וקצתם יולידו ולדות רבות כחתולי ושפן וארנבת ועכבר *Et eorum* (animalium) *nonnulla multos fœtus generant;*

rant; ut felis, & cuniculus, & lepus, & mus. Et fol. 20. d. יש מבה אשר ביציהם תלוים בכיס ויש מהם שהם דבוקים בבטן כשפן וארנבת וחתול *Quorundam animalium testiculi in scroto pendent, at aliorum ventri adhærent; ut cuniculi, leporis, & felis.* *David de Pomis* in *Lexico*, שפן בח או חיה הנקרא קונילו בלעז Saphan, *animal, aut fera, quæ lingua vernacula* (id est, *Italica*) *vocatur Coniglio.* Et alibi טפז שפן, *Cuniculus, coniglio, animaletto.* Et rursus, חנם שפן, *Cuniculus, coniglio.* Nec *Hebræorum* ullus occurrit, qui aliter interpretetur. 8. Denique, si שפן *saphan*, est *cuniculus*, jam liquido patebit, unde Σπανία *Spania*, vel *Hispania*, nomen traxerit. Et Σπανία *Hebraicè* erit שפניה *cuniculosa.* Quo nomine à *Phœnicibus* dicta fuerit; quia hoc animali maximè scatet. Quod alibi multis probamus. Unde est, quod in *Hadriani* nummo pro *Hispania* habetur mulier sedens cum oleæ ramo in manu, & cuniculo ad pedes. Ex his igitur videtur confici שפן esse *cuniculum.*

Tamen in hanc interpretationem tria possunt objici. 1. Non ruminare cuniculos, ut expressè asseritur in *Porta cœli* fol. 20. b. אין השפן והארנבת מעלה גרה *Cuniculus & lepus non ruminant.* 2. In petris non habitare, sed in terreno solo, quod facile perfodiatur. 3. Id animal olim fuisse *Hispaniæ* peculiare, quæ à *Judæa* distat immensum quantum. *Varro de re Rustica* libri tertii capite duodecimo, *Tertii generis est, quod in* Hispania *nascitur, simile nostro lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant.* *Plinius* libri octavi capite quinquagesimo quinto, *Leporum generis sunt & quos* Hispania *cuniculos appellat.* *Ælianus* libri decimi tertii *De animalibus* capite decimo quinto, Κόνικλος ὄνομα αὐτῷ, *Conilus nomen ipsi* (malim κύνικλος, ut in *Galeno.*) Et paulò post, φυλάττει τὴν ἐπωνυμίαν τὴν ἐξ ἀρχῆς, ἣν Ἴβηρες Ἑσπέριοι ἔθεντο οἱ παλαιοί, παρ' οἷς καὶ γίνεταί τι, καὶ ἔστι πάμπολυς. *Servo* Ibericum *nomen vetus, quod ab initio imposuerant prisci* Hispani, *apud quos & nascitur, & maximè abundat.* *Galenus* libro tertio *De alimentis*, Οὐκ ἔτι δεήσομαι λόγων μακρῶν εἰς τὸ τὰ καθ' ἕκαστον ἔθνος ἐπιχώρια τῶν ζώων ἅπαντα διέρχεσθαι· καθάπερ ἐν Ἰβηρίᾳ τὸ τοῖς λαγωοῖς ὅμοιον ζωΰφιον, ὃ καλοῦσι κυνίκλον· *Non opus erit pluribus animalia omnia exsequi, quæ apud singulas gentes propria sunt, & indigena: quale est in* Hispania *leporibus simile animalculum, quod cuniculum appellant.* Ex his igitur cum cuniculum constet *Hispanicum* fuisse animal, quid opus fuit illius esum *Judæis* prohibere, quibus erat prorsus ignotus?

Gesnerus, qui cum plerisque recentiorum interpretum contendit שפן esse *cuniculum*, ad primam objectionem respondet se mandentes cuniculos deprehendisse post cibum eis ante horæ dimidium exhibitum. Et frustrà opponatur quod citavimus ex *Porta cœli.* Locum enim scribæ corruperunt, negatione in textum insulta perperam, & contra mentem auctoris, quem credibile non est tam fuisse ineptum, ut השפן והארנבת ruminare negaverit. Sic enim expressè negarit quod expressè asserit *Moses Levit.* 11. v. 6. & *Deut.* 14. v. 7. & Scriptori θεοπνεύστῳ mendacii dicam impingeret. Tollenda igitur negatio אין. Quod insuper arguit tota series orationis, quæ, si negationem auferas, talis erit: *Sunt animalia, quæ ruminant, & alia, quæ non ruminant. Ratio est, quia quæ ruminant non habent dentes superiores, nisi molitores. Ideo non possunt concidere cibum unâ vice. Et stomachus non potest eum accipere perfectum, donec alterâ vice sit commolitus. Proinde duplex est ipsis ingluvies: superior, in quam descendit cibus primâ vice; & inferior, quâ recipitur, postquam altera vice est commolitus.* אך השפן והארנבת מעלה גרה ויש להם שנים למעלה אבל שניהם הם חדות מאד ולא יוכלו לטחון האוכל השב וחגמל יש לו שנים למעלה אבל הם קטנות וחלושות *Tamen cuniculus & lepus ruminant, licet habeant dentes superiores. Sed dentes eorum sunt valde acuti, nec possunt perfectè commolere cibum. Camelus quoque habet dentes superiores, sed parvos, & infirmos.*

Ad secundam objectionem respondet utcunque *Gesnerus*, sed cunctanter admodum. *Dubitet,* inquit *aliquis, an sephanim sint cuniculi, cum non in saxis, aut saxosis locis versari soleant, quod sciam, quod fodere illic impediantur, sed terreno potius solo,* &c. *Sed quoniam inter saxa quædam in collibus specus, vel meatus oblongi, reperiuntur, & cuniculorum receptaculis apti, quærendum est, an in iis quoque cuniculi in aliis regionibus versari soleant.* Nec multò certius consultus à *Gesnero* à de re *Hispanus* quidam, *Cuniculi apud nos copiosissimi sunt in montanis locis, atque in præruptis montibus. Neque dubium mihi est eos habere subterraneos meatus in locis asperioribus, & petricosis, quanquam id nunquam accuratè observavi.* Item, *Fui ego in venatione cuniculorum in loco montoso, & saxis oppleto; inter quæ videbam cavernulas perfossas: utrum autem in locis interioribus fuerint saxa, an terra mollior, non possum asseverare.* Neque ad rem magis facit quod scribit *Papirius Massonus* in *Descriptione* Franciæ *per flumina*, lepusculos, id est, cuniculos, penè innumeros nutriri in insula *Calonesio* ad littus *Armoricanum*, quamvis tota sit rupes, nec nisi superficiem habeat terrâ adopertam. Hoc, inquam, ad rem non facit; quia in terrena illa superficie possunt hærere cuniculi, nec rupem ei subjectam excavare necesse habent. Sed consulendus *Petrus Quinqueranus* in *Provincia* descriptione, ex qua hæc citat *Camerarius Historia*, tom. 2. lib. 5. cap. 20.

Superest tertia objectio, in qua refellenda plus est operæ, cùm veteres tam diserte asserant cuniculum fuisse animal olim *Hispaniæ* peculiare. Unde est, quod illud è *Græcis* soli noverant *Massilienses*, qui fere sunt in *Hispaniæ* confinio. Itaque hæc ratio facit, ut subdubitem, an verè שפן sit *cuniculus*, & putem quærendum amplius, nec standum Magistris *Hebræorum*, sed consulendos potius vetustiores interpretes: quamvis sibi non satis constent, ac proinde verum ex iis eruere sit difficillimum. *Chaldæos*, & *Syrum*, & *Samaritanum*, prætereo, quia pro *Hebræa* שפן voces adhibent prorsus ignotas. Neque enim quisquam est, qui sciat quid sit in *Onkelo* טפזא *taphza*, pro quo in *Jonathane* legitur טוזא *tauza*; & in *Samaritano* ·ࠔࠐࠎࠀ *taphsa*, nisi quod videtur ἁλτικὸν esse animal, quia טפז *taphaz*, *Chaldæis*, & *Syris*, est *salire*, aut *subsultare*. Neque notius *Syrum* ܚܓܣܐ *chagasa*, cujus Plurale חגסי *chagase*, etiam *Chaldæus* usurpat pro שפנים *sephanim*, Prov. 30. v. 26. Sed *Æthiopicum* ለጊሔ: *legiche*, Ps. 103. (*Hebrais* 104) 19. reddendum puto *leporibus*, quia respondet *Græco* τοῖς λαγωοῖς. Quod idem sequuti *Arabes* ibi habent الارانب *lepores.* At iidem aliter habent in *Proverbiis*, nempe القنافذ *hericios.* Et in *Lege* rursus aliter: ibi enim, pro השפן, unus habet الوبر *alwebro*, & alius الغنكى *alpheneco.*

Quorum animalium prius ità describit *Giauhari*, الوبر دويبة اصغر من السنور كحلاء اللون لا ذنب لها تدجن في البيوت *Alwebro est animalculum fele minus, fusci coloris, sine cauda, residens in domibus.* Sed, ut observat *Damir*, قوله

قوله لا ذنب لها اي لا ذنب لها طويل والا فالوبر له ذنب قصير جدا *Cum negat habere caudam, significat caudam illi non esse longam; quia* alwebro *caudam quidem habet, sed valde brevem.* Idem asserit à nonnullis vocari غنم بني اسرايل *ovem filiorum* Israelis; لان ذنبها مع صغره يشبه الية الخروف *quia cauda ejus brevitate sua refert caudam agninam.* Sed in *Gianhari* زلم *zalem* appellatur, qua de causa non satis scio. In libro, cui titulus كفاية المتحفظة *legitur* الوبر *alvuebro* esse دويبة قريبة من السنور ولها بول يكثر فيتداوي به الناس *animalculum instar felis, cujus urina spissatur, & usurpatur inter morborum remedia. Mavvardi* & *Rujiani* animal esse dicunt في عظم الجرذ الا انه انبل منه والعرب تاكله *magnitudine majoris muris, sed prestantius, quo vescuntur* Arabes. Ab aliis describitur دويبة سودا في قدر الارنب واكبر من ابن عرس *animalculum nigrum, accedens ad staturam leporis, & mustelâ majus.* Idem, ut nonnulli addunt, كالارنب يعتلف النبات والبقول *leporis instar herbis vescitur, atque oleribus. Marmotam* intelligo, *vel murem montanum*, quem *Gesnerus* ità describit: *Fele corpulentior est, sed brevior cruribus*, &c. *Colore ut plurimum rufo, qui in aliis clarior in aliis obscurior & fuscus est.* Et *Scaliger* in *Cardanum.* Exercitatione ducentesimâ tertia, *Melis sunt magnitudine, & pilo, cauda item nullâ pene.* Addit, se unam aluisse in *Taurinis* mansuetam. Et Gesnerus, *Historiam ejus describam, partim ut ipse observavi, cum domi alerem hoc animal.* Et Stumpfius, *Ex feris nostri orbis vix ullam reperias, quæ adeo mansueta, & familiaris homini reddatur.* Nempe unam habuerat domi per biennium. *Murem Alpinum* vocat *Plinius* libri octavi capite trigesimo septimo; quia frequens est in *Alpibus*. Sed, ne quis hos mures putet *Alpibus* esse peculiares, idem in *Ægypto* pares describit. Nec solis *Arabibus* שפן, *saphan Mosis* est الوبر *alvuebro*, seu *mus montanus.* Quippe etiam è nostris *Junius*, qui *Arabes* haudquaquam consuluerat, *Hebraum* שפן constanter ità reddit. Et anonymus alius, de quo *Gesnerus* in capite *De mure Alpino*; Saphan, *Hebraicam vocem*, &c. *eruditus quidam apud nos* murem Alpinum *interpretatur.* Obiter nota, *montani*, vel *Alpini muris* nomen Italicum *marmota* in *Bereschith Rabba* duobus locis reperiri leviter immutatum. Primus est sectione decimâ septima, ubi in verba *Gen.* 2. *v.* 21. *Immisit Dominus Deus* תרדמה *thardema* (id est, *soporem*) in *Adamum.* רב אמר שלש תרדמות הן תרדמת שינה תרדמת נבואה ותרדמת מרמיטה תרדמת שינה ויפול יהוה תרדמה על האדם ויישן תרדמת נבואה ויהי השמש לבא ותרדמה נפלה על אברם תרדמת מרמיטה אין רואה ואין יודע ואין מקיץ כי כלם ישנים כי תרדמת יהוה נפלה עליהם " Rab *dixit tres sunt soporum species: sopor somni, sopor Prophetia, & sopor* מרמיטה marmita. *Sopor somni* Gen. 2. v. 21. " *Immisit Dominus Deus soporem super* Adamum, *& dormiit. Sopor Prophetia* Gen. 15. v. 12. *Et cum occumberet Sol, sopor in* " Abramum *incidit. Sopor* מרמיטה marmitæ 1. Sam. " 26. v. 12. *Non erat qui videret, nec qui intelligeret,* " *nec qui expergisceretur, sed omnes dormiebant; quia* " *sopor Domini super eos ceciderat.* Alter locus est sectione quadragesimâ tertiâ, ubi in *Gen.* 15. v. 12. hæc eadem repetuntur. Et utroque loco vox מרמיטה *marmita* interpretes non parum torquet. *R. Selomo* reddit בהלה id est, *terrorem*, & *conturbationem.* Ità etiam *Scholiastes* in hæc loca, & Clarissimus *Buxtorfius.* Baal Aruch, *marmor*; quasi *somnus marmoris* dicatur, quo marmoris, aut, in genere, lapidis instar obstupescimus: prout dicitur de *Ægyptiis Exod.* 15. *v.* 16. ידמו כאבן *sileant sicut lapis.* Postellus *sopor carri, seu vehementia somni profundioris.* Legendum *cari*, id est, κάρου. *Boderianus, Pomarius, Aquinas*, pro מרמיטה *marmita*, emendant דורמיטה *dormita*, ut sit *dormitatio.* Tamen מרמיטה *marmita*, constanter legunt nostra exemplaria, & *Baal Aruch* sine *Joa* מרמטה. Sed vera lectio est מרמוטה *marmota*: quomodo in ipsis *Alpibus* appellatur hoc animal, quo ne glis quidem est somniculosior. Scaliger *De subtilitate* Exercitatione 203. *Cum glirium specie* (marmotæ) *in somno conveniunt. Hybernos enim totos menses transigunt sopore.* Gesnerus, *Hi mures multum dormiunt, & in cavernis suis delitescunt, quas miro artificio fodiunt*, &c. Agricola, *Somno plurimùm indulget*, &c. *In montibus quidem fœnum, quod in saxis mollissimum crescit, collectum, in cavernam deferunt, ut hyeme mollius dormiant.* Stumpfius, *in* Helvetiæ Chronicis; *Cibi gratiâ hyeme tanquam dormientes effodiuntur.* Item, *Terrâque effossâ dormientes auferunt.* Et paulò post, *loco effosso dormientes deprehenduntur*, &c. *portanturque dormientes quo libuerit. Neque enim facilè expergiscuntur, nisi calor Solis, ignis, aut hypocausti eos resolverit.* Et rursus, *Occiduntur etiamnum dormientes, cultro in jugulum adacto, unde parum prioribus pedibus moveri incipiunt. Sed exspirant prius quàm prorsus expergiscantur.* Et multò antè *Plinius*, qui hujus muris meminit solus veterum libri octavi capite trigesimo septimo; *Conduntur hyeme &* Pontici *mures*, &c. *Conduntur &* Alpini. Nempe in cavis suis altum dormituri. Itaque somnus *Saülis*, & militum circumstantium, qui tam altum dormiebant, ut *Davidem* & *Abisaum*, usque ad regium tentorium procedentes, & *Saulis* lanceam auferentes, non senserint, rectè ab *Hebræo* scriptore vocatur תרדמת מרמוטה *somnus marmota.*

Jam dicendum quid sit الفنك *alphenec*, quâ voce alios *Arabes Hebraum* שפן *saphan*, reddidisse diximus. *Gabriel Sionita Geographia Nubiensis* Clim. 1. part. 1. *mustelam albam* interpretatur. Golius, *mustelam fœnariam, vulgo fovinam* (quia putavit vir doctissimus فنك *phenec* ad *fœnum* alludere, & *fovinam* à *fœno* dici, cùm à *Gallico fagi* vocabulo nomen habeat.) Giggeio فنك *phenec* est *brutum quoddam utilissimum, ex cujus pelle vestes pelliceæ accipiuntur.* Sed præstat audire ipsos *Arabes*. Abenbitar, الفنك حر طيب الرايحة اطيب من جميع

جميع انواع الفرا يجلب كثيرا من الصقالبة ويشمه ان يكون في لحمه حلاوة وهو ابرد من السمور واحر من السنجاب واكثر الناس على اختلاف اسنانهم يحتملون لبس الفنك Phenec *animal est, cujus pellis est calida, boni odoris, in omnibus pelliciorum speciebus odoratissima. Affertur magnâ copiâ ex* Secalia. *Videtur esse carne dulci. Frigidior est pellis pelle* ﺓ simor, *sed calidior pelle* ﺓ sungiab. *Eâ maximè pelle, vergente ætate, vestiri mos est.* Razi, الفنك والقماقم والحواصل معتدلة في الحرارة وهو مع ذلك خفيفة *Pelles* alphenec, *&* alkamakim, *&* alhawasil, *sunt caloris temperati, & præterea leves.* Damir, الفنك دويبة يوخذ منها الفرو قال ابن البيطار انه اطيب من جميع الفرا يجلب كثيرا من بلاد الصقالب Alphenec, *animalculum, ex quo sumitur pellicium. Dixit* Abenbitar *fragrantissimum esse omnium pelliciorum, & plurimum afferri ex regione* Sclava: quomodo legendum suprà, non صقالبة *Secalia.* (Regio *Sclava*, id est, *Sclavorum*, fuit olim in *Scythia Europæa* versus *Oceanum Occidentalem*, teste *Simocattâ* libri sexti capite secundo.) *Ibnomar Ben Abdalbar* in libro, cui titulus غهيد id est, *Explanatio*, الفنك والسنجاب والسمور كل ذلك سبع كالثعلب وابن عرس Phenec, *&* sungiab, *&* simur *feræ sunt omnes instar vulpis, & mustelæ.* Hæc illi: ex quibus colligi videatur, has pelles esse in martis speciebus. Tamen الفنك *alphenec* potiùs est *mus Ponticus*, id est, *muris*, aut *sciuri* species, quem *Venetum Hermolaus*, & *Finnicum Agricola* nominat, à *Venetis*, & *Finnis*, populis ad *Vistulam* in *Borussia*, à quibus defertur ad nos in pelliciorum usum. De his populis itâ *Ptolemæus* in descriptione *Sarmatiæ*, Παρὰ μὲν τὸν Οὐιστούλαν ποταμὸν ὑπὸ τοὺς Οὐενέδας Γύθωνες, εἶτα Φίννοι· *Ad* Vistulam *quidem fluvium sub* Venetis *sunt* Gythones, *deinde* Finni. Ab his, inquam, *Finnis* dici videtur *mus Finnicus*, & *Arabicè* فنك *phenec*, qui à statura, & colore, *Gallis* dicitur *petigris*. Sed & سنجاب *sungiab* Golio est *sciurus*, *animal cinerei coloris, ejusque pellis, qua suffulciuntur vestes, seu potiùs minium* (voluit, credo, *herminium*.) *Damir* animal esse dicit, *ad formam talpæ, mure majus, degens in summis arboribus, pellis cærulea, mollissima, pulcherrima, quâ delicati vestiuntur.* Apparet *sciuri* speciem describi. Est & *simur* genus muris *Græcis* non prorsus ignoti. *Hesychius*, Σίμωρ ὑπὸ Πάρθων καλεῖταί τι μικὸν ἄγριον ζῷον, οὗ ταῖς δοραῖς χρῶνται πρὸς χιτῶνας. Simor *apud* Parthos *vocatur quædam agrestis muris species, cujus pelles cedunt in usum vestium.* Aliis *simur* est martes. *Damir* ait esse *animal feli simile*, aut النمس *furoni ex quorundam sententia, cujus pellis mollitie, levitate, calore, & pulchritudine ità excellit, ut eâ Reges & Magnates induantur.* De utraque pelle multo plura possem addere, petita ex *Arabum* libris: sed singula hæc accuratius explicare non est nostri otii, neque multum facit ad rem præsentem.

Græcis par est inconstantia in explicatione vocis שפן *saphan*.

1. Sunt, qui λαγωοὺς reddunt; ut *Vulgatus, lepusculos*: quòd jam suprà expendimus.

2. Fuére, qui *hyænam* mallent; ut *Clemens Alexandrinus* libri secundi *Pædagogi* capite decimo, ubi *Mosem* inducit dicentem, Οὐκ ἔδεσαι τὸν λαγών, οὐδὲ τὴν ὕαιναν, *Non comedes leporem, neque hyænam, id est,* הארנבת השפן. Cui simile est, quod legitur in Epistola *Barnabæ*; Ἀλλὰ καὶ δασύποδα οὐ φάγῃ, *Sed nec leporem manducabis.* Et paulò post, Ἀλλὰ οὐδὲ τὴν ὕαιναν φάγῃ, pro quo habet versio vetus, *Sed nec belluam manducabis.* Malim *beluum*, aut *belbum*. Ità enim *Julius Capitolinus* in *Gordiano* tertio, *Fuerunt sub* Gordiano *Romæ elephanti* XXXII, *alces* X. *tigres* X, *leones mansueti* LX, *leopardi mansueti* XXX, *belbi*, id est, *hyænæ* X. Tamen in *Glossario Philoxenus*, Ὕαινα, ζῷον, bellua.

3. Plerisque *Græcis* שפן *saphan*, est χοιρογρύλλιος. quæ versio est receptissima, adeoque vetustissima. Ità enim reddunt *Seniores, Levit.* 11. v. 5. *Deut.* 14. v. 7. & *Prov.* 30. v. 26. Sed & *Psal.* 103. (*Hebræis* 104.) 18. pro τοῖς λαγωοῖς, alii omnes, id est, *Aquila, Symmachus, Theodotion*, &c. voce simili, χοιρογρυλλίοις transtulerunt, ut testatur *Hieronymus* in Epistola ad *Suniam*. Unde in nonnulla etiam irrepsit *Seniorum* exemplaria. Atque, idem sequutus, *Æthiops Pentateuchi* interpres, *Romæ* manu-scriptus, pro השפן, habet ግሔሮጊሎን፡ *chærogryllion*. Verùm ignotum penè dixerim sic explicari per ignotius. Neque enim constat satis quid sit χοιρογρύλλιος, cum de eo nil quidquam habeant ii veterum, qui de animalibus scripserunt, *Aristoteles* putà, *Plinius, Ælianus, Oppianus, Phile*, &c. Tamen *Aristophanis Scholiastes* in *Pace* vocem *Græcam* esse agnoscit: sed de illa hoc solum habet, Ἔστι δὲ ζῷον, ὃ καλεῖται ὑπό τινων χοιρογρύλλιος. *Animal est, quod a nonnullis vocatur chærogryllius.* Alii veterum *Lexicographi hericium*, aut *hystricem*, interpretantur. *Hesychius*, Χοιρογρύλλιον, ὁ ἐχῖνος. *Philoxeni Glossa*, Χοιρογρύλλιος, ἤγουν ἐχῖνος χερσαῖος, *Erinaceus*. Suidas, Χοιρογρύλλιος, ὕστριξ, ἀκανθόχοιρος, τουτέστιν ἐχῖνος χερσαῖος. Sed & *Vulgatus* interpres *Psal.* 103. (*Hebræis* 104.) 18. *Petra refugium herinaciis*, id est, τοῖς χοιρογρυλλίοις· quomodo etiam *Hieronymus* in *Psalmorum* versione, quæ extat inter ipsius *Opera*, à *Vulgata* in multis planè diversa. Et *Eucherius* in libro *De nominibus Hebræorum* capite duodecimo, *Erinacii chirogrylli nuncupantur*, &c. Et *Vincentius* in *Doctrinali*, libri decimi sexti capite octuagesimo sexto; *Erinacius, qui & cirogryllus, est animal porcelli formam habens, sed spinosum*, &c. Et Græcus Scholiastes in proverbia perabsurdè, οἱ χοιρογρύλλιοι, εἶδος ἰχθύος, ἤτοι οἱ λαγωοί, ἢ οἱ καλούμενοι ὄναγροι. *Chærogryllii piscis species, aut lepores, aut qui vocantur asili.*

Atque hæc ferè sunt veterum interpretamenta vocis שפן *saphan*, in quibus quid eligas nondum apparet; quia horum nullum est, quod non habeat sua incommoda. الوبر *alwebro*, id est, *mus montanus*, in eo differt à שפן *saphan*, quod non ruminat, neque degit in petris, neque in *Judæa* nascitur, neque in locis vicinis. Et frustrà opponi *Plinium* dicetur infra. Plus in iis est rationis, qui *saphan* volunt esse الفنك *alphenec*, *sciuri* speciem, quem veteres *murem Ponticum* appellabant.

Ruminant enim *mures Pontici*. Aristoteles *Historia animalium* ferè in fine libri noni, Μηρυκάζουσι δὲ καὶ τῶν ἀμφοδόντων ἔνια, οἷον οἱ μῦες οἱ Ποντικοί. *Sunt etiam ex utrimque dentatis quæ ruminant, ut mures* Pontici. *Plinius* libri decimi capite septuagesimo tertio, *Pontici quoque mures simili modo remandunt.* Et quamvis in frigidis locis fere nascantur, tamen in calidis non desunt. *Getulici* quippe sciuri meminêre scriptores. Et de eo multa habet *Johannes Cajus Anglus* in Epistola ad *Gesnerum*. Ut de *Arabe Geographo* (a) taceam, qui in censu animalium, quæ in intima *Africa* nutriunt *Nigrorum* sylvæ, etiam habet افنك *Finnicos mures*, sive *Ponticos*. In petris tamen non degunt, sed in arborum fastigio nidificant, & fœtus fovent. Itaque الفنك *alphenec*, *seu murem Finnicum*, non potest esse שפן *saphan*. Idem de *hyæna* judicium, quæ non ruminat, neque in petris degit, sed in sepulchris potiùs. Unde est, quod *antrum hyænæ* Arabicè رجمة *rugma dicitur*, id est, *sepulchrum*. Præterea שפנים *sephanim*, *Solomon* dicit esse *populum invalidum* Prov. 30, 26. quod de hyænis nemo dixerit. Sed neque est hericius in censu ruminantium, neque in petris habitat, sed in cavis arborum, aut in dumetis, aut sepibus. Unde est, quod hericium *Angli* vocant hedg-hog / quasi dicas *porcum sepium*. Nec temere prætereundum quod dicturus sum. *Marmotta* & *hyæna* solitaria sunt animalia: *hericius* quoque, qui *Græcè* χὴρ ἀπὸ τῆς χηρώσεως, ἤτοι ἐρημώσεως, *a solitudine* dicitur. At שפן *saphan*, gregarium est animal. Quo pertinet, quod *Solomon* שפנים *sephanim*, *populum* appellat ubi suprà, שפנים עם לא עצום, Sephanim *populus invalidus*: ut paulò antè de formicis, הנמלים עם לא עז, *Formica populus non fortis*. Et *Joel.* 1, 6. de locustis, גוי עלה על ארצי עצום, *Contra terram meam ascendit gens valida.* Quale est, quod *Lucianus* in *Icaro-Menippo* dixit μυρμήκων ἀγορὰν *formicarum concionem*. Et *Philippus Anthologiæ* libri primi capite vigesimo tertio, Βωλοτόμοι μύρμηκες, ὁ γῆς στρατός· *Glebas excavantes formicæ, terræ exercitus.* Et *Philostratus* πιθήκων δῆμος· ut Solinus, *plebes simiarum*; & *Smyrnæus*, μελισσάων κλυτὰ φῦλα, *nobiles apum gentes*: & multò antè *Poëta* summus *Iliad.* β'.

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἁδινάων,

ut apum frequentium gentes eunt, id est, *examina*. De qua Phrasi plura alibi. Itaque quidquid sit שפן *saphan*, solitarium animal non est. Et vel *saphan* non est χοιρογρύλλιος, quomodo reddiderunt vetustissimi interpretes, vel χοιρογρύλλιος non est ἐχῖνος *herinaceus*, ut volunt. Et verò idem *Hieronymus*, qui *Psalmo* centesimo quarto, aliorum interpretum torrente abreptus, *herinacium* reddidit, in Epistola ad *Sunniam* χοιρογρύλλιον diversum esse ab herinacio animal disertè docet, nempe ἀρκτόμυν. Verba sunt, *Sciendum est animal esse non majus hericio, habens similitudinem muris & ursi. Unde & in* Palæstina ἀρκτόμυς *dicitur. Et magna est in istis regionibus hujus generis abundantia, semperque in cavernis petrarum, & terræ foveis, habitare consueverunt.* Et in *Lexico Coptico* ΠΙΧΙΡΟΓΡΙΛΛΙΟΝ, id est, ὁ χοιρογρύλλιος, *Arabicè* redditur اليربوع *aljarbuo*. Itaque cardo quæstionis in hoc versatur, ut sciamus quid sit *Græcum* ἀρκτόμυς, & *Arabicum* اليربوع. Neque lectori debet esse grave, si id perpendam accuratiùs, cum non possimus aliter scire rem ignoratam hactenùs, nempe quod animal *Seniores* χοιρογρύλλιον, & *Hebræi* שפן *saphan*, appellaverint.

a) Vide Clim. 1. pars. 1.

Ut ab origine rem ordiar, vetustissimi scriptores meminêre murium in *Ægypto*, & in *Africa*, qui posteriores pedes prioribus habent longiores, adeò-que iis bipedes gradiuntur. *Herodotus*, ubi de *Libya*, libri quarti capite centesimo nonagesimo secundo; Μυῶν δὲ γένεα τριξὰ αὐτόθι ἐστί. οἱ μὲν δίποδες καλέονται, &c. *Murium autem ibi est triplex genus. Alii quidem bipedes vocantur*, &c. Aristoteles *Historia* libro sexto in fine, Οἱ δ' ἐν Αἰγύπτῳ μῦες σκληρὰν ἔχουσι τὴν τρίχα, σχεδὸν ὥσπερ οἱ χερσαῖοι ἐχῖνοι. Εἰσὶ δὲ καὶ ἕτεροι, οἳ βαδίζουσιν ἐπὶ τοῖν δυοῖν ποσί. τὰ γὰρ πρόσθια μικρὰ ἔχουσι, τὰ δ' ὀπίσθια μεγάλα. γίνονται δὲ τὸ πλῆθος πολλοί. *Mures autem, qui in Ægypto sunt, duros habent pilos, ferè ut echini terrestres. Sunt autem & alii, qui bipedes incedunt. Habent enim priora crura brevia, posteriora longa. Sunt autem multi numero.* *Theophrastus* apud *Ælianum Historiæ* libri decimi quinti capite vigesimo sexto, Ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ἀκούω δίποδας εἶναι μῦς, καὶ μεγίστους μεγέθει φύσαι, τοῖς γε μὴν ἐμπροσθίοις ποσὶν, ὡς χερσὶ, χρῆσθαι. εἶναι γὰρ αὐτοὺς τοὺς ὀπισθίους βραχυτέρους. εἶδον τούτους. Λιβυκοί εἰσι. βαδίζουσι δὲ ὀρθοὶ ἐπὶ τοῖν ποδοῖν, ὅταν δὲ διώκωνται, πηδῶσι. *Audio in* Ægypto *mures esse bipedes, & statura maximos, & prioribus pedibus, tanquam manibus, uti. Esse enim breviores esse posterioribus. Illos vidi.* Libyci *sunt. Rectè duobus pedibus nitentes gradiuntur. Si quis autem insequatur, saliunt.* Et ex eodem *Photius*, Ἐν Αἰγύπτῳ δίποδάς φασι μύας γίνεσθαι, καὶ μεγάλους. ἔχουσι δὲ οὗτοι καὶ τοὺς ἐμπροσθίους πόδας, ἀλλ' οὐ βαδίζουσιν ἐπ' αὐτοῖς. χρῶνται δὲ αὐτοῖς, διὰ χειρῶν. ὅταν δὲ φεύγωσι, πηδῶσι. *Bipedes in* Ægypto *mures, & magnos, nasci perhibent. Habent autem etiam anteriores pedes. At iis non incedunt, sed ut manibus utuntur. Et saltu fugiunt.* *Plinius* libri octavi capite trigesimo septimo, postquam egit de muribus *Alpinis*, *sunt his pares & in* Ægypto (nempe in eo, quod sequitur, cum sint cætera valde dispares) *similiterque residunt in clunes, & binis pedibus gradiuntur, prioribusque ut manibus utuntur.* Et libri decimi capite sexagesimo quinto, Ægyptiis *muribus durus pilus sicut herinaceis: iidem bipedes ambulant ceu* Alpini.

Hoc muris genus etiam in *Palæstina* frequens. *Hellenistæ* ideò vocârunt ἀρκτόμυν, id est, *ursinum murem*, quod incederet bipes, & prioribus pedibus, tanquam manibus uteretur. Id enim est ursorum proprium. *Oppianus* libro tertio *Cynegeticῶν* in ursi descriptione,

Χεῖρες χερσὶ βροτῶν ἴκελαι, πόδες ὡς δὲ πόδεσσι,

Manus hominum manibus, pedesque pedibus similes. *Solinus* in capite *De Numidia*, & in ea ursis; *Vis maxima in brachiis, & lumbis: unde interdum posticis pedibus insistunt.*

Hoc idem animal *Arabicè* vocatur اليربوع *aljarbuo*, & falluntur *Lexicographi*, qui *talpam* interpretantur. Res ex descriptione patebit. *Damir* in capite *De* اليربوع *aljarbuo*, هو حيوان طويل الرجلين وقصير اليدين جدا *Est animal, cujus pedes posteriores longi sunt, & priores breves admodum.* Et paulò post, فهي قصيرة اليدين لانها اذا خافت شي لاذت بالصعود فلا يلحقها شي *Et pedes anteriores ideò breves habet, ut, cum aliquid timet, ad superiora confugiat, neque ullum animal id assequatur.* Et infrà قال الجاحظ والقزويني وهو

من نوع الفار *Dixerunt* Algiahid *&* Alkazuinius *esse inter species muris*. Itaque verè est ἀρκτόμυς, id est, mus cum urso hoc commune habens, quod pedibus posterioribus ingreditur, quos longiores habet. *Gesnerus*, in capite *De mure Alpino*, *Graecum* scriptorem anonymum citat, nondum editum, qui in libello *De animalibus* hæc habet de arctomye: *Arctomys unus custodit, cæteris pascentibus; & singuli partem pabuli ad eum deferunt: at, si negligentior fuerit in custodia, & homo aliquis supervenerit, cujus adventum ille voce non prodiderit, à cæteris occiditur.* En his simillima de *aljarbuo* in *Damire*, ut scias idem esse animal!

هو من الحيوان الذي له
رييس مطاع ينافده اليه واذا
كان فيها يكون بيتها في مكان
مشرف او على صخرة ينظر الي
الطريق من كل ناحية فان راي
ما يخافه صر باسنانه وصوت
فاذا سمعته انصرفت الي جحرتها
فان تصر الرييس حتي ادركهم
احد وصاد منهم شيا اجتمعوا علي
الرييس وقتلوه وولوا غيره *Est ille mus è numero animalium, quæ ducem habent, quem colant, cuique obsequantur. Qui cum est inter eos, quorum domus est in sublimi loco, aut super petram, indè in viam ab omni parte prospicit. Et, si videat aliquid, unde sit metus, dentibus stridet, & clamat: quo audito, illi secedunt ad latibula sua. At, si se contineat, donec eos assequatur aliquis, aut è numero suo aliquem intercipiat, conjuratione contra ducem inita, eum interficiunt, aliumque illi substituunt.* De eodem animali si plura desideras, audi reliqua *Damiris*. ويسمي الدرص
وذو الرمح ورمحه ذنبه وله ذنب
كذنب الجرد يرفعه صعدا في
طرفه شبه النوارة ولونه كلون
الغزال *Vocatur etiam* dirs *&* dur-romchi (*id est, hastatus;*) *nempe pro hasta caudam habet similem caudæ muris, quam sursum tollit: & in extremo est floris species. Color est ut color gazellæ, seu capreæ.* Sequitur,

وهذا الحيوان يسكن بطن
الارض ليقوم رطوبتها له مقام الما *Habitat hoc animal in ventre terræ, ut humiditas ejus præstet ipsi locum aquæ.* Et paulò infrà,

واليربوع يتخذ جحره في
نشز من الارض ثم يحفر بيته
في مهب والرياح الاربع ويتخذ فيه
كوي وتسمي النافقا والقاصعا
والراهطا فاذا طلب من احدي هذه
الكوي نافق اي خرج من النافقا
وان طلب من النافقا خرج من
القاصعا وان طلب من القاصعا
خرج من الراهطا Aljarbuo *parat latibulum suum dispergendo terram, & domum sibi fodit ad flatus quatuor ventorum, eamque fenestris instruit, quarum una vocatur* naphika, *alia* kasia, *&* rahita. *A quibus, si impetatur, exit per* naphikam. *Et si à* naphika *impetatur, exit per* kasiam*; aut per* rahitam, *si à* kasia. Quomodo de mure nostro *Plautus* in *Truculento* Actu quarto.

> *Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia,*
> *Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam:*
> *Quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium*
> (*b*) *gerit.*

b) al. *vit.*

Sed & aliud comminisci dicitur *aljarbuo*. Fenestras, aut foramina sua veriùs, quandoque terra obducit in summa superficie, nè extrinsecus appareant. Id *Arabicè* دم *damma* dicitur. *Alcamus*, دم اليربوع جحره غطاه وسواه Damma aljarbuo *latibulum suum, id est, texit illud, & complanavit.* Unde & latibulo دممة *dumama* nomen. Idem *Alcamus*,

الدممة جحرة اليربوع وتراب يجمعه
اليربوع ويخرجه من الجحر فيسوي
به بابه Dumama, *latibulum* aljarbui, *& terra, quam colligit, & è latibulo suo effodit, ut eâ complanet ejus aditum.* Proinde ut نافقا *naphika* dicitur ejus latibuli foramen terra obtectum, indè sumpta Metaphora نافق *naphaka*, Verbum tertiæ Conjugationis, est *in religione dissimulare, & aliud ore profiteri, aliud habere in animo reconditum.* Et منافق *munaphik est hypocrita.* Damir, بيته ظاهر
تراب وباطنه حفر وكذلك المنافق
ظاهره ايمان وباطنه كفر *Pars exterior domûs ejus terra est, sed interior est concava. Hypocrita itidem fidem habet extrinsecus, sed intrinsecus infidelitatem.* Algiahid, & alii, واسم المنافق لم
يكن في الجاهلية لكن لمن اسر
الكفر واظهر الايمان *Nomen* munaphik *non erit in Ethnicismo, sed de eo* (dicitur,) *qui celat infidelitatem, & ostentat fidem* Albazi, تعالي
اشتق له هذا الاسم من هذا
الاصل وهو من نافقا اليربوع لانه
لما

لما ابطن الكفر واظهر الايمان *Excelsus Deus hypocritæ nomen derivavit ex ista radice, nempe ex* naphika, *seu foramine muris* aljarbuo *dicti; quia intùs est infidelitas, & extrà fides.* Hæc & alia plura Arabes in Azoaram Alcorani LXXXIII. cui titulus المنافقون hypocritæ. In *Alcamus* nidus hujus animalis vocatur لغز *logoz*, quasi *labyrinthum* dicas, quia in hujusmodi nidis viæ sinuosæ sunt & intricatæ admodum. Ac proinde الغاز *algaz Arabicè* dicuntur طرق تلطوي وتشكل علي مسالكها *viæ quæ in tractu suo contorta sunt & implicata.* Ad hoc muris genus referenda sunt, quæ dicit *Synesius* de *Johanne* quodam Duce sub finem Epistolæ centesimæ quartæ, Δίκλω ἀγραίου μυὸς ἐνέδυ ἔδυνε τῷ πέτρᾳ, *Agrestis muris instar sese in petram abdiderat*, id est, in *Bembaam*, castrum in cavo rupis munitissimum. Neque enim alii agrestes mures in petra nidificant, sed solus *aljarbuo.* Quod probant hæc *Ibnolgiauzi*, اليربوع لا يتخذ بيته الا في موضع صلب مرتفع ليسلم من سيل او حافر ثم لا يجعلة الا عند اكمة او شجرة او صخرة لئلا يضل اذا عاد اليه Aljarbuo *domum suam non parat nisi in loco duro* (id est, *petricoso*) *& sublimi, ut ab aquarum influxu & ab* (equorum) *ungula tuta sit. Nec eam statuit, nisi in tumulis, aut arboribus, aut petris, ne, cum ad illam redit, aberret.* Quod hujus animalculi catulus maximè accidit. Unde *Proverbium* in *Damire*, اضل من ولد اليربوع *Catulo* aljarbui *magis errat*, de eo, qui vagatur, nec pedem figit usquam. Ibidem, وفي طباعه انه اذا مشي في ارض سهلة او لينة مشي في موخر كفه حتي لا يعرف اثر وطيه كما يفعل الارنب *Etiam è natura ejus est, ut, cum in terra molli & in tenera graditur, summis pedibus insistat, ne in locis, quæ calcavit, ejus vestigia agnoscantur: quod lepori quoque in more est.* Item, وهو يجتر ويبعر وله كرش واسنان واضراس من الفك الاعلي والاسفلي *Ruminat etiam, & stercus egerit, & ingluviem habet* (more ruminantium;) *quamvis dentes & maxillares illi sint, tam in superiore, quam in inferiore maxilla.* Eidem muri hoc singulare, quod salit. Quod efferunt *Arabes* verbo بحظل *bachdala* maximè proprio. *Alcamus*, بحظل تقفز تقزان اليربوع Bachdala, *saliit saltu aljarbui.* Ità etiam *Giauhari.* Quod ipsum *Theophrastus* de muribus illis, qui bipedes incedunt, suprà observavit, ὅταν ἢ διώκηται, πηδῶσιν *Si quis insequatur, saliunt.* In ejusdem latibulis nidificat anguium genus, quos *Arabes* appellant جنادع gianadio, vel جنادب *gianadibo.* *Alcamus* الجنادع الاحناش او جنادب تكون في جحرة اليرابيع Algianadio, *serpentum* (genus) *aut* gianadibo : *hi sunt in nidis aljarabii*, quod Plurale est vocis اليربوع *aljarbuo.* Si cum mure vulgari coëat *aljarbuo*, mus hybrida inde natus vocatur فرنب *pharnab*, aut *phirnib.* Alcamus, الفرنب الفارة او ولدها من اليربوع *Alpharnab*, (aut *alphirnib*) *mus, aut fœtus ejus ex aljarbuo.* Est & hoc illi peculiare, quod ab *Arabibus* comeditur *aljarbuo*, cum de cætero muris esus sit eis interdictus. *Damir* in capite الفار *alphar*, id est, *De mure*, يحرم اكل جميع انواع الفار الا اليربوع *Prohibitus est esus omnium muris specierum, præterquam aljarbui.* Est tamen inter *Arabes* aliquis ea de re dissensus. Nam ex sententia *Abuchanipha*, لا يوكل لانه من الحشرات *Non comeditur* (aljarbuo;) *quia est ex subterraneis animalibus.* Et *Algazali*, in libro, cui titulus الوسيط *Mediator*, negat quidquam esse comedendum من الحشرات الا الضب *ex subterraneis animalibus præter crocodilum terrestrem.* Tamen ab aliis insuper excipiuntur اليربوع وابن عرس وام حبين والقنفذ والدلدل aljarbuo, *& mustela, & chamæleon & hericius, & hystrix.* Hinc de *aljarbuo Damir*, يحل اكله لان العرب تستطيبه وتاكله *Conceditur illius esus; quia permittunt Arabes, & eo delectantur.* Ità nimirum definiunt magni *Arabum* Canonistæ, *Atâ*, & *Achmed Ben-Hanbal*, & *Ibnolmandsar*, & *Abutsaur*, &c. Proindè non solùm *aljarbuo* sed & latibulum ejus emitur, id est, jus illud rimandi, & perscrutandi, ut in eo capiatur hoc animal. Quod tamen quia plerumque parùm succedit, in Proverbium cessit apud *Arabes*: ut cum dicunt, كالمشتري القاصعا باليربوع *Ut qui pro* aljarbuo *emit foramen ejus.* Quod Proverbium يضرب الذي يدع العين ويتبع الاثر *ferit eum, qui, fonte relicto, solum sequitur vestigium. Græcè* dixeris Σκιὰν ἀντὶ τοῦ σώματος, *Umbram pro corpore.* Atque hic quoque *Arabes* delicati sunt, & cæteris hujus generis muribus *Supharienses* præferunt, quem sic describit *Alcamus*: يربوع شفاري ضخم الاذنين وطويلهما العاري البراثن ولا يلحق سريعا والطويل والقوايم الرخو اللحم الدسم *Supharienfis* jarbuo *crassis & longis est auribus, nudus unguibus, ità ut non facilè apprehendatur, pedibus longis, tenerâque & pingui carne.* In *Abenbitare*, يربوع الاسرايلي لحم اليربوع يغذ وغذا كثير ويلين البطن *Jarbuo* Israëliticus *vocatur caro aljarbui, quæ exsiccatur. Est autem multi nutrimenti, & mollit ventrem.* Ex-

من نوع الفار *Dixerunt* Algiahid *&* Alkazuinius *esse inter species muris.* Itaque verè est ἀρκτόμυς, id est, mus cum urso hoc commune habens, quod pedibus posterioribus ingreditur, quos longiores habet. *Gesnerus*, in capite *De mure Alpino*, *Græcum* scriptorem anonymum citat, nondum editum, qui in libello *De animalibus* hæc habet de arctomye: *Arctomys unus custodit, cæteris pascentibus; & singuli partem pabuli ad eum deferunt: at, si negligentior fuerit in custodia, & homo aliquis supervenerit, cujus adventum ille voce non prodiderit, à cæteris occiditur.* En his simillima de *aljarbuo* in *Damire*, ut scias idem esse animal!

هو من الحيوان الذي له رييس مطاع يناقده اليه واذا كان فيها يكون بينها في مكان مشرف او على صخرة ينظر الي الطريق من كل ناحية فان راي ما يخافه صر باسنانه وصوت فاذا سمعته انصرفت الي جحرتها فان قصر الرييس حتي ادركهم احد وصاد منهم شيا اجتمعوا علي الرييس وقتلوه وولوا غيره *Est ille mus è numero animalium, quæ ducem habent, quem colant, cuique obsequantur. Qui cum est inter eos, quorum domus est in sublimi loco, aut super petram, indè in viam ab omni parte prospicit. Et, si videat aliquid, unde sit metus, dentibus stridet, & clamat: quo audito, illi secedunt ad latibula sua. At, si se contineat, donec eos assequatur aliquis, aut è numero suo aliquem intercipiat, conjuratione contra ducem inita, eum interficiunt, aliumque illi substituunt.* De eodem animali si plura desideras, audi reliqua *Damiris.* ويسمي الدرص وذو الرمح ورمحه ذنبه وله ذنب كذنب الجرذ يرفعه صعدا في طرفه شبه النوارة ولونه كلون الغزال *Vocatur etiam* dirs *&* dur-romchi (*id est, hastatus;*) *nempe pro hasta caudam habet similem caudæ muris, quam sursum tollit: & in extremo est floris species. Color est ut color gazellæ, seu capreæ.* Sequitur, وهذا الحيوان يسكن بطن الارض ليقوم رطوبتها له مقام الما *Habitat hoc animal in ventre terræ, ut humiditas ejus præstet ipsi locum aquæ.* Et paulò infrà, واليربوع يتخذ جحره في نشز من الارض ثم يحفر بيته في مهب والرياح الاربع ويتخذ فيه كوي وتسمي النافقا والقاصعا والراهطا فاذا طلب من احدي هذه الكوي نافق اي خرج من النافقا وان طلب من النافقا خرج من القاصعا وان طلب من القاصعا خرج من الراهطا Aljarbuo *parat latibulum suum dispergendo terram, & domum sibi fodit ad flatus quatuor ventorum, eamque fenestris instruit, quarum una vocatur* naphika, *alia* kasia, *&* rahita. *A quibus, si impetatur, exit per* naphikam. *Et si à* naphika *impetatur, exit per* kasiam; *aut per* rahitam, *si à* kasia. Quomodo de mure nostro *Plautus* in *Truculento* Actu quarto.

Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam:
Quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium
(b) gerit. b) al. tri.

Sed & aliud comminisci dicitur *aljarbuo.* Fenestras, aut foramina sua veriùs, quandoque terra obducit in summa superficie, nè extrinsecus appareant. Id *Arabicè* دم *damma* dicitur. *Alcamus*, دم اليربوع جحره غطاه وسواه Damma aljarbuo *latibulum suum, id est, texit illud, & complanavit.* Unde & latibulo دممة *dumama* nomen. Idem *Alcamus*, الدممة جحرة اليربوع وتراب يجمعه اليربوع ويخرجه من الجحر فيسوي به بابه Dumama, *latibulum* aljarbui, *& terra, quam colligit, & è latibulo suo effodit, ut eâ complanet ejus aditum.* Proinde ut نافقا *naphika* dicitur ejus latibuli foramen terra obtectum, indè sumptâ Metaphora نافق *naphaka*, Verbum tertiæ Conjugationis, est *in religione dissimulare*, & *aliud ore profiteri, aliud habere in animo reconditum.* Et منافق *munaphik* est *hypocrita.* Damir, بيته ظاهر تراب وباطنه حفر وكذلك المنافق ظاهره ايمان وباطنه كفر *Pars exterior domûs ejus terra est, sed interior est concava. Hypocrita itidem fidem habet extrinsecus, sed intrinsecus infidelitatem. Algiahid*, & alii, واسم المنافق لم يكن في الجاهلية لكن لمن اسر الكفر واظهر الايمان *Nomen* munaphik *non erit in Ethnicismo, sed de eo* (dicitur,) *qui celat infidelitatem, & ostentat fidem* Albazi, تعالي اشتق له هذا الاسم من هذا الاصل وهو من نافقا اليربوع لانه لما

لما ابطن الكفر واظهر الايمان *Excelsus Deus hypocritæ nomen derivavit ex ista radice, nempe ex* naphika, *seu foramine muris* aljarbuo *dicti; quia intus est infidelitas, & extrà fides.* Hæc & alia plura Arabes in Azoaram Alcorani LXXIII. cui titulus المنافقون hypocritæ. In *Alcamus* nidus hujus animalis vocatur لغز *logoz*, quasi *labyrinthum* dicas, quia in hujusmodi nidis viæ sinuosæ sunt & intricatæ admodum. Ac proinde الغاز *algaz Arabicè* dicuntur طرق تلطوي وتشكل على مسالكها *via qua in tractu suo contorta sunt & implicata.* Ad hoc muris genus referenda sunt, quæ dicit *Synesius* de *Johanne* quodam Duce sub finem Epistolæ centesimæ quartæ, Δίκην ἀρουραίου μυὸς ἐνέδυνε τῇ πέτρᾳ, *Agrestis muris instar sese in petram abdiderat*, id est, in *Bombaam*, castrum in cavo rupis munitissimum. Neque enim alii agrestes mures in petra nidificant, sed solus *aljarbuo*. Quod probant hæc *Ibnolgiauzi*, اليربوع لا يتخذ بيته الا في موضع صلب مرتفع ليسلم من سيل او حافر ثم لا يجعله الا عند اكمة او شجرة او صخرة لئلا يضل اذا عاد اليه Aljarbuo *domum suam non parat nisi in loco duro* (id est, *petricoso*) *& sublimi, ut ab aquarum influxu & ab* (equorum) *ungula tuta sit. Nec eam statuit, nisi in tumulis, aut arboribus, aut petris, ne, cum ad illam redit, aberret.* Quod hujus animalculi catulis maximè accidit. Unde *Proverbium* in *Damire*, اضل من ولد اليربوع *Catulo* aljarbui *magis errat*, de eo, qui vagatur, nec pedem figit usquam. Ibidem, وفي طباعه انه اذا مشي في ارض سهلة او لينة مشي على موخر كفه حتى لا يعرف اثر وطيه كما يفعل الارنب *Etiam è natura ejus est, ut, cum in terra molli & in tenera graditur, summis pedibus insistat, ne in locis, quæ calcavit, ejus vestigia agnoscantur: quod lepori quoque in more est.* Item, وهو يجتر ويبعر وله كرش واسنان واضراس من الفك الاعلي والاسفلي *Ruminat etiam, & stercus egerit, & ingluviem habet* (more ruminantium;) *quamvis dentes & maxillares illi sint, tam in superiore, quam in inferiore maxilla.* Eidem muri hoc singulare, quod salit. Quod efferunt *Arabes* verbo بحظل *bachdala* maximè proprio. *Alcamus*, بحظل تنز تقزان اليربوع Bachdala, *saliit saltu aljarbui.* Ità etiam *Giauhari*. Quod ipsum *Theophrastus* de muribus illis, qui bipedes incedunt, suprà observavit, Ὅταν δὲ διώκωνται, πηδῶσιν. *Si quis insequatur, saliunt.* In ejusdem latibulis nidificat anguium genus, quos *Arabes* appellant جنادع *gianadio*, vel جنادب *gianadibo*. *Alcamus* الجنادع الاحناش او جنادب

تكون في جحرة البرابيع Algianadio, *serpentum* (genus) *aut* gianadibo : *hi sunt in nidis aljarabii*, quod Plurale est vocis اليربوع *aljarbuo*. Si cum mure vulgari coëat *aljarbuo*, mus hybrida indè natus vocatur فرنب *pharnab*, aut *phirnib*. Alcamus, الفرنب الفارة او ولدها من اليربوع *Alpharnab*, (aut *alphirnib*) *mus, aut fœtus ejus ex aljarbuo.* Est & hoc illi peculiare, quod ab *Arabibus* comeditur *aljarbuo*, cum de cætero muris esus sit eis interdictus. *Damir* in capite الفار *alphar*, id est, *De mure*, يحرم اكل جميع انواع الفار الا اليربوع *Prohibitus est esus omnium muris specierum, præterquam aljarbui.* Est tamen inter *Arabes* aliquis ea de re dissensus. Nam ex sententia *Abuchanipha*, لا يوكل لانه من الحشرات *Non comeditur* (aljarbuo;) *quia est ex subterraneis animalibus.* Et *Algazali*, in libro, cui titulus الوسيط *Mediator*, negat quidquam esse comedendum من الحشرات الا الضب *ex subterraneis animalibus præter crocodilum terrestrem.* Tamen ab aliis insuper excipiuntur اليربوع وابن عرس وام حبين والقنفذ والدلدل aljarbuo, *& mustela, & chamæleon & ericius, & hystrix.* Hinc de *aljarbuo* Damir, يحل اكله لان العرب تستطيبه وتأكله *Conceditur illius esus; quia permittunt Arabes, & eo delectantur.* Ità nimirum definiunt magni *Arabum* Canonistæ, *Ata*, & *Achmed Ben-Hanbal*, & *Ibnolmandsar*, & *Abutsaur*, &c. Proindè non solùm *aljarbuo* sed & latibulum ejus emitur, id est, jus illud rimandi, & perscrutandi, ut in eo capiatur hoc animal. Quod tamen quia plerumque parùm succedit, in Proverbium cessit apud *Arabes*: ut cum dicunt, كالمشتري القاصعا باليربوع *Ut qui pro aljarbuo emit foramen ejus.* Quod Proverbium يضرب الذي يدع العين ويتبع الاثر *ferit eum, qui, fonte relicto, solum sequitur vestigium.* Græcè dixeris Σκιὰν ἀντὶ τοῦ σώματος, *Umbram pro corpore.* Atque hic quoque *Arabes* delicati sunt, & cæteris hujus generis muribus *Sopharienses* præferunt, quem sic describit *Alcamus*: يربوع شفاري ضخم الاذنين وطويلهما العاري البراثن ولا يلحق سريعا والطويل القوايم الرخو اللحم الدسم *Sopharienfis* jarbuo *crassis & longis est auribus, nudus unguibus, ità ut non facilè apprehendatur, pedibus longis, teneráque & pingui carne.* In *Abenbitare*, يربوع الاسرايلي لحم اليربوع يقد وغذا كثير ويلين البطن *Jarbuo Israëliticus vocatur caro* aljarbui, *quæ exsiccatur. Est autem multi nutrimenti, & mollit ventrem. Ex-*

siccare Arabicè est قدد *kadda*, quod propriè significat *carnem in longitudinem scissam vento exponere*, quomodo apud nos fumo, ut humor absumatur. Unde قدان *kedad* dicitur tam *hericius* quam *aljarbuo*; quia utrumque animal sic exsiccatur. *Alkamus*, القدان القنفذ واليربوع *Alkedado, hericius, & Aljarbuo.* In *Arabicis* Sacri textus versionibus vox *aljarbuo* occurrit semel omnino, nempe *Es.* 66, 17. ubi sic habet *Arabs* interpres, الذين ياكلون لحم الخنازير والردالات واليربوع *Qui comedunt carnem porcinam, & abominationes, & Aljarbua*, id est speciem pro genere. Nam *Hebræa* habent, והעכבר, & *murem*. Sed *Arabi* causa non defuit, cur redderet اليربوع *aljarbua*. Jam enim docuimus in toto murium genere hunc solum apud *Arabes* edulem esse. Præterea, quamvis עכבר *achbar*, Hebræis *murem* in genere significet, tamen *Arabicè* hæc ipsa vox عكبر *achbar* in Plurali عكابر *achabiro*, significat *marem* العكابر ذكور اليربوع *aljarbui. Alcamus*, العكابر ذكور من اليرابيع Alachabiro, *mares Aljarabi*: quod jam diximus Plurale esse vocis اليربوع *aljarbuo*. Itaque cum اليربوع sit speciei nomen العكبر *alachbar* marem significat, ut العطيوطة *alatiuta* fœminam. *Alcamus*, العطيوطه اليربوع الانثي Alatiuta, *Aljarbuo fœmina*. *Teixeira Lusitanus* appellat *ratones del mato*, id est, *mures dumeti*, & his verbis describit *Indici itinerarii* capite quarto, *Son estos ratones del grandor de los grandes nuestros communes, tienen el pelo pardo tirante a blanco. Tienen de raton las orejas, manos, y la cola: cuya punta, y los ojos, y cabeça, son de conejo; y las piernas como de gazela. Corren mucho saltando, hazen cueva como conejo. Y ay dellos grande quantidad por aquel de sierto. Los Arabes los comen, y dizen, que son muy buenos.* Id est, *Sunt isti mures vulgarium maximis mole pares, coloris leucophæi. Muris habent auriculas, pedes anteriores, & caudam: cujus acumen, oculi, & caput, sunt cuniculi; & pernæ* (id est, *crura posteriora*) *capreæ. Saltando plerumque currunt, & cuniculos agunt quomodo cuniculi. Horum in illo deserto* (in *Arabia* parte *Babyloniæ* vicina) *maxima est copia.* Arabes *in cibis usurpant, & optimi saporis esse asserunt.* Quibus verbis omnino describitur *aljarbuo*, quod nemo non fatebitur. De eodem sic *Olearius* libri sexti *Itinerarii Persici* pagina sexagesima quarta, *Vidimus prope* Terkin (in *Circassia*) *muris agrestis genus* Arabicè JERBUA *dicti. Huic sciuri magnitudo est, neque forma dissimilis; pilus tamen fuscior; & caput muris; aures longæ; crura anteriùs brevia, posteriùs longiora. Proinde nonnisi in ascensu currunt; in planis ferè reptitant, aut saltu supra terram ad quinque vel sex pedes efferuntur. Cauda longa dorso incumbens, in caule glabra, in vertice hirta & albicans. Multos videre eodem impetu sursum prosilientes jucundum erat spectaculum.* Babyloniam *& Arabiam his scatere ajunt, & incolis esse pro cibo. Sunt, qui ex agris in domos se conferunt, & pecuniam suffurantur.*

His ità explicatis, tria sunt, quæ lectori non oscitanti clara & manifesta fient. I. Murem illum, qui *Arabicè* vocatur *aljarbuo*, eundem esse cum *Herodoti*, *Aristotelis*, *Theophrasti*, *Plinii*, *Æliani*, & *Photii* murem, qui pedum posteriorum longitudine & saltu insignis est. Nam in *aljarbuo* suo utrumque observant *Arabes*. Bipedes quidem incedere non addunt; quia res est infrequentior. Fallitur enim *Photius*, qui pedibus anterioribus eos unquam niti negat. Quod apud *Ælianum* non refert *Theophrastus*, nec quisquam alius veterum. II. Hunc ipsum murem patet eundem esse cum *Hieronymi arctomye*. Naturam enim habet cum mure & urso communem, habitatque in cavernis petrarum, & terræ foveis, & in singulis saxis & collibus custodem habet in excubiis, cujus negligentia morte mulctatur. III. Denique اليربوع *aljarbuo* idem est animal cum *Hebræorum* שפן *saphan*. Concurrunt enim omnes notæ, nulla excepta. quod probare est obvium. Primò enim neutrum est bisulcum. 2. Utrumque ruminat. 3. Utrumque edule est, quamvis immundum. 4. Utrumque gregarium. 5. Utrumque infirmum. 6. Utrumque domum habet in petra. 7. *Aristoteles*, *Theophrastus*, *Plinius*, & alii scribunt *Ægyptium* esse animal; & *Hieronymus* magnam esse in *Palæstina* hujus generis abundantiam. *Arabiam* quoque eo scatere *Arabum* scripta abundè docent, & *Teixeira* testis αὐτόπτης.

Superest, ut varia hujus animalis nomina explicare conemur. *Hebraicè* שפן *saphan*, per *Sin* dici videtur pro ספן *saphan*, per *Samech*, tanquam *à tegendo*; quia latibuli sui foramina terra obtegit, ut abundè docuimus. Vel pro צפן *tsaphan*, per *Tsade*, tanquam *à delitescendo*; quia ibi sub terra latet, & ex hominum conspectu se subtrahit. Idem *Arabicè* اليربوع *aljarbuo*, quasi *quaternarius*, appellatur; quia domum sibi fodit في مهب الرياح الاربع *ad flatum quatuor ventorum*, ut didicimus ex *Arabibus*. Et *Chaldaicè* טפזא *taphza*, à *saltu*. Murem enim esse ἁλτικὸν è veteribus nos docent *Theophrastus*, *Ælianus*, *Photius*, è recentioribus *Alcamus*, *Teixeira*, *Olearius*, *Syrum* ܚܓܣ *chagas* factum suspicor ex *Græco* χοιρογρύλλιος per compendium ita scripto χγς. Vel ܚܓܣ *chagas* est *claudum animal*. *Syris* enim *claudus* tam ܚܓܝܣܐ *chagisa* dicitur, quam ܚܓܝܪܐ *chagira*. Claudicare porrò videtur hoc animalculum propter pedum inæqualitatem. Dictus ille ipse mus χοιρογρύλλιος *à porci sagina*, aut *specie*. Nam compositæ vocis etiam ultima pars *porcum* significat. *Hesychius*, γρύλλος, χοῖρος. Item, γρύλλων, ὁ χοῖρος. Tale, quod ὖραξ, *seu* Æolibus, à *Nicandro* pro *mure* usurpatur; quia mures παρείκασι χοίροις τὰ ῥάμφη, *rostro porcos referunt*, ut ibi habet *Scholiastes*. Et à *Græco* ὖραξ deductum *sorex*. Cur *Seniorum* χοιρογρύλλιος *Hieronymi* ætate vocatus fuerit ἀρκτόμυς, abundè jam explicatum. Nec sine causa pro *herinaceo* est sumptus, si verè scribit *Plinius* hoc muris genus herinacii pilum habere: *Ægyptiis*, inquit, *muribus durus pilus sicut herinaceis; iidem bipedes ambulant cen Alpini*. Sed is videtur duas murium species sumpsisse promiscuè. Nam alii distinguunt inter mures δίποδας, & ἐχῖνας, vel ἐχινώδεις. *Herodotus*, οἱ μὲν δίποδες καλέονται, οἱ δὲ ζεγέριες, οἱ δὲ ἐχῖνες· *Alii quidem bipedes appellantur, alii zegeries, & alii echines*, nempe ab asperitate pilorum echini instar. *Aristoteles*, οἱ δ' ἐν Αἰγύπτῳ μῦες σκληρὰν ἔχουσι τὴν τρίχα, ὥσπερ οἱ χερσαῖοι ἐχῖνοι. εἰσὶ δὲ καὶ ἕτεροι, οἳ βαδίζουσιν ἐπὶ τοῖν δυοῖν ποδοῖν. *Ægyptii mures duros habent pilos, ut herinacei terrestres. Sed & ibidem alii bipedes gradiuntur.* Sed quo errore *Plinius*, eodem Scripturæ interpretes murium hæc duo genera confudisse putaverim, & mures ἐχῖνας, vel ἐχινώδεις, *herinaceos* appellâsse.

Notandum quoque, *Judæorum* שפנים *sephanim*, id est, χοιρογρυλλίους, vel ἀρκτόμυας, si mavis, quædam habere communia cum *Hispaniæ* cuniculis; oculos scilicet, & caput, & imam caudam, ut à *Teixeira* observatur.

servatur: & quod posteriores pedes prioribus sunt longiores, quodque subsultim gradiuntur, & pariter ruminant, quamvis utrimque dentati, & subterranea sibi latibula defodiunt, in quibus interdiu latent. Itaque ut *Hebræi* hodie, ita *Pœni* videntur olim *Hebræum* nomen שפן *saphan*, cuniculis indidisse, atque inde esse, quod *Hispania* שפנירה, Σπάνια, id est, *cuniculosa* dicta est, ut in *Catullo Celtiberia*, quod jam supra (*c*) monuimus. Aliorum tamen esto judicium.

c) Pag. 1003. lin. 15.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

De vulgari Mure.

Hebræum עכבר *potius* murem agrestem *sonat. Dictus videtur, quasi* עכלבר consumptor agri. *Agris inde quanta pernicies. Exempla in* Philistæis 1. *Sam.* 5. *v.* 6. *&* 6. *v.* 5. *& Hispania* Cantabris, *Italia* Cosanis, *Thracia* Abderitis. *In* Chalcidensibus, *in* Gyaro *insula*, Troade, Mysia, Æolide *mures ferrivori*. Aristoteles *&* Ælianus *obiter emendati.* عكبر achbar, *Arabibus* al'jarbuo *mas, solus murium edulis.* Μύωξος, *seu glis*, Arabibus *non est muris species. Mures pro cibo in summa fame*, Hierosolymis *obsessis. Tres murium colores. Albi rarissimi, ubi reperti. De iis Proverbium. Mus in Lege cur immundus.* Cyrillus *emendatus. Mus* ψοφοδεής. *Muris esus oblivionem inducit. Cur* Sennacheribi *cladem ad mures referant* Ægyptii *in* Herodoto. *Similis historia de* Cretensibus, Hamaxiti *in* Troade *conditoribus.*

HEbræi murem עכבר *achbar*, appellant, voce fortasse *Chaldæa* magis, quæque propriè *murem agrestem* sonat. Videtur enim עכבר *achbar*, dici pro עכלבר *achalbar*, eliso L: ut in vocibus *Babel* pro *Balbel*, & *Samuel* pro שאול מאל *Saul-meel*, quasi *petitum à Deo* dicas. Nempe *Chaldæis* עכל *achal*, est *consumere*; & בר *bar*, est *ager*: itaque עכלבר *achalbar*, & per contractionem עכבר *achbar*, est *agri consumptor*, seu *vastator*. Nomen agresti muri valde congruum, qui agrorum est certa pestis. *Aristoteles Hist.* Lib. 6. cap. 37. Ἀπορεῖται δὲ καὶ ἡ τῶν ἐπιπολαζόντων μυῶν γένεσις ἐν ταῖς χώραις, καὶ ἡ φθορά. πολλαχοῦ γὰρ εἴωθε γίνεσθαι πλῆθος ἀμύθητον τῶν ἀρουραίων, ὡς τε ὀλίγον λείπεσθαι τοῦ σίτου παντός. γίνεται δὲ οὕτω ταχεῖα ἡ φθορά, ὥστε ἐνίους τῶν μὴ μεγάλας γεωργίας ἐργαζομένων, τῇ προτέρᾳ ἰδόντες ὅτι θερίζειν ἄρα, τῇ ὑστεραίᾳ ἕωθεν ἄγοντες τοὺς θεριστὰς, καταβεβρωμένα ἅπαντα καταλαμβάνειν. *In quæstionem etiam vocatur murium in agris emergentium generatio, & proventus. Sæpe enim exoritur agrestium murium tanta vis, ut relinquatur parum frumenti. Et illorum proventus tam est subitus, ut nonnulli eorum, qui non multum agrum araverunt, cum pridie metere statuerint, postridie manè messores adducentes, segetes omnes absumptas deprehendant.* Hinc *Plinius* de prodigiosa murium fœcunditate loquutus lib. 10. cap. 65. *Itaque*, inquit, *desinit mirum esse, unde vis tanta messes populetur murium agrestium.* Et apud *Horum* lib. 1. cap. 47. *Ægyptii*, ἀφανισμὸν δηλοῦντες, μῦν ζωγραφοῦσιν, ἐπειδὴ πάντα ἐσθίων μιαίνει καὶ ἀχρειοῖ, *destructionem significantes, murem pingunt, quia omnia consumens inquinat, & deperdit.*

Exempla sunt passim obvia. Sic 1. *Sam.* 5. *v.* 6. in *Græca* versione scribitur de iis *Philistæis*, qui captivam arcam tenebant: Μέσον τῆς χώρας αὐτῆς ἀνεφύησαν μύες· Et in *Vulgata*, *Et ebullierunt villa & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures.* Et cap. 6. v. 1. rursus in *Græca*, Καὶ ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας. *Et terra eorum mures ebulliit.* Quæ quidem sunt Glossemata: cum neque *Hebræa* origo, neque reliquæ versiones, *Chaldaa*, inquam, *Syra*, & *Arabica*, tale quidquam agnoscant. Tamen res in se vera est. Nam ejusdem texti capitis versu quinto etiam *Hebræa* habent, *Facietis*, &c. צלמי עכבריכם המשחיתם את הארץ, *imagines murium vestrorum, qui vastant terram.* مثال الجرذان التي تسلطت على الارض لتفسدها *Imagines murium qui terræ incumbunt ut eam vastent*, ut habet *Arabs Interpres.* Proinde merito *Josephus Antiquitatum* lib. 6. capite 1. Τὰ δὲ ἐπὶ τῆς χώρας μυῶν πλῆθος, ἀνελθὸν ἀπὸ τῆς γῆς, κατέβλαψε, μήτε φυτῶν, μήτε καρπῶν ἀποσχόμενον· *Qua autem in regione erant murium copia, è terra emergens, devastabat, neq; stirpibus, neq; fructibus parcens.* Et *Philastrius* in Musoritis, *Cum fuisset capta arca Testamenti ab Allophylis, atq; ex ira Dei produxisset terra sorices, ut eorum fruges deperirent.* Et *Maginus* in *Palæstina* sua, *Nonnullis in locis* Palæstinæ *agri sunt penè deserti ob murium & soricum abundantiam, quos nisi quadam aves devorarent, nullam sementem facere possent incolæ.*

Quod malum ne quis putet esse *Palæstinæ* peculiare, *Strabo* lib. 3. etiam in *Hispania* nonnunquam increbuisse memorat μυῶν πλῆθος, ἀφ' οὗ καὶ λοιμικαὶ νόσοι πολλάκις ἠκολούθησαν, *murium copiam, quam sæpe pestifera lues subsequuta sit.* Et in *Cantabria Romani*, pretio dato, μισθοῦντες πρὸς μέτρον ἀποδειχθὲν διεσώζοντο μόλις, *mures ad certam mensuram venantes vix servabantur.* Nec desunt, qui de *Italia* idem referant. *Diodorus* lib. 3. Περὶ τὴν Ἰταλίαν μυῶν πλῆθος ἀρουραίων, ἐγγενηθὲν τοῖς πεδίοις, ἐξέβαλέ τινας τῆς πατρίου χώρας· *Circa Italiam murium agrestium vis, ex agris emersa, quosdam è patrio solo pepulit.* Quod ipsum in *Æliano* est *Historia* lib. 17. cap. 41. Et uterq; sequitur *Agatharchidem* lib. 5. cap. 28. Porro *Cosanos* intelligi verisimile est; quia de *Cosa* canit *Rutilius Rufus*,

> *Dicuntur cives, quondam migrare coacti,*
> *Muribus infestos deseruisse lares.*

Thracia quoque *Abderitas*, qui, propter ranarum muriumque multitudinem relicto patriæ solo, sedes quærebant, *Cassander* agros in ultimis *Macedoniæ* finibus assignavit, ut testatur *Trogus* lib. 15. *Chalcidenses* itidem narrat *Heraclides* in *Politiis Cleonas* incoluisse, ἐκ τοῦ Ἄθω ἐξαναστάντας ἐξ Ἐλυμνίας ὑπὸ μυῶν, οἳ τά τ' ἄλλα κατήσθιον αὐτῶν, καὶ τὸν σίδηρον, Elymnio *in* Atho *monte pulsos à muribus, qui cum alia devorabant, tum ipsum ferrum.* Quod de *Gyaro* alii referunt. *Plinius* libri octavi capite vigesimo nono, *M.* Varro *auctor est*, &c. *ex* Gyaro, Cycladum *insula, incolas à muribus fugatos.* Et capite quinquagesimo septimo, Theophrastus *auctor est in* Gyaro *insula, cum incolas fugassent, ferrum quoque rosisse eos.* Hinc *Antigonus Mirabilium* capite vigesimo primo, Τῆς δὲ Καρυστίας καὶ τῆς Ἀνδρίας χώρας ἐστὶ πλησίον νῆσος ἡ καλουμένη Γύαρος· ἐνταῦθα οἱ μύες διατρώγουσι τὸν σίδηρον. *Prope* Carystiam *&* Andriam *insula est nomine* Gyarus, *in qua mures ferrum exedunt.* Et de eadem insula *Stephanus Byzantius*, Ἀντίγονος δὲ ὁ Καρύστιός φησι, ὅτι ἐν ταύτῃ οἱ μύες διατρώγουσι σίδηρον· Antigonus Carystius *autem inquit, quod in hac* insula *mures ferrum comedunt.* Nec multo aliter *Suidas*. Mendosè igitur *Aristoteles* in *Mirabilibus*, Ἐν Κύπρῳ τῇ νήσῳ λέγεται τὰς μίτας τὸν σίδηρον ἐσθίειν· *In* Cypro *insula metas ajunt ferrum devorare.* Mendosè etiam in *Æliano Historia* libri quinti capite decimo quarto, Ἐν τῇ Πάρῳ τῇ νήσῳ Ἀριστοτέλης λέγει μύς εἶναι, καὶ μὴν τοι καὶ γῆν σιτεῖσθαι τὴν σιδηρῖτιν· *In Paro insula dicit* Aristoteles *mures esse, qui ferrariam terram exedant.* Utrobique enim pro Κύπρῳ, vel Πάρῳ, legendum Γυάρῳ· & in priore loco μύας pro μίτας, in posteriore τὸν σίδηρον. Quid quod *Troadis* incolæ, quos *Græci* decennali bello vix sub-

subegerunt, huic malo cedere coacti, patriam deseruerunt? *Plinius* libri decimi capite sexagesimo quinto, *Plurimi mures ita ad* Troadem *proveniunt, & jam inde fugaverunt accolas.* Et in *Chrysa*, *Mysiæ* urbe, *Crini* Sacerdoti infensus *Apollo* ἐπέμψεν αὐτοῦ τοῖς ἀγροῖς μύας, οἵτινες τοὺς καρποὺς ἐλυμαίνοντο, *agris ipsius mures immisit, qui fructus deperdebant.* Ita *Homeri* vetus *Scholiastes* ad vocem Σμινθεῦ libro primo *Iliados.* Quale est, quod tradit *Ælianus Historiæ* libri duodecimi capite quinto, Τῶν Αἰολέων ποτὲ καὶ τῶν Τρώων τὰ λήια πολλὰς μυῶν μυριάδας ἐπελθούσας ἄωρα ἀποκείρειν, καὶ ἀτελῆ τὰ θέρη τοῖς σπείρασιν ἀποφαίνειν. *Permultas olim murium myriades* Æolorum *&* Trojanorum *segetes invasisse, atq; immaturas succidisse, atq; qui sementem fecissent, messem infructuosam reddidisse.*

Ex his abundè patet *muribus*, iisque *agrestibus*, vix indi potuisse nomen aptius, quàm *ab agrorum vastatione.* Itaque id propriè עכבר *achbar*, quod confirmat usus *Arabum*, quibus عكبر *achbar* non est mus quivis, sed *muris agrestis* species, nempe *aljarbuo* mas, ut supra (a) docuimus. Proinde *Esa.* 66. *v.* 17. pro *Hebræo* העכבר *haachbar*, Arabs habet اليربوع *aljarbuo*, quasi hæc duo ferè sint synonyma. Atque hoc ipsum, quod *Esaias* ibi *Judæis* exprobrat, nonnullos eorum porcinam edere, & העכבר *haachbar*, suadet עכבר esse *murem agrestem*, cumque اليربوع *aljarbuo*, quem solum comedi tradunt *Arabes.* Nam μυωξὸς, id est, *glis*, quem *Hieronymus* hic intelligit, non censetur ab *Arabibus* in genere murium. Fateor quidem in *Historia* Hebraica *Templi secundi* pag. 241. cum *Hierosolymitani*, à *Romanis* obsessi, comedisse leguntur נבלות הכלבים והעכברים, *cadavera canum, & mures*, domesticos necessariò intelligi; quia in urbe tam arctè obsessa agrestes non erant obvii. Et in extrema fame in cibum admittere necesse erat quidquid offerebatur. At *Esaias* agit de cibis, quos *Judæi* sui temporis, in Dei Legem rebelles, ultro sibi deligebant, neque ulla necessitate coacti. Murem porro domesticum nemo est qui in cibum expetat, cum aliæ escæ suppetant. Itaque in *Esaia* mures illi, qui in cibum erant, agrestes fuêre, non domestici. Eodem facit, quod in *Samuelis* loco, quem citavimus, עכברים *achbarim*, *Philistæorum* agros devastant. Illud enim est murium agrestium proprium. Certum tamen est, posteriores *Hebræos* עכבר *achbar*, accipere pro mure quovis. Et potuit ipse *Moses* sic usurpare, latius accepta voce. Quod ut doceret *Jonathan*, *Hebræum* העכבר *haachbar*, sic παραφράζει *Lev.* 11. *v.* 29. ועכברא אכמא וסומקא וחיורא, id est, Achbar *niger, rufus & albus:* qui tres sunt murium colores. In his albus est rarissimus, non tamen ignotus *Græcis.* Ælianus *Historiæ* lib. 12. cap. 5. ubi de templo *Sminthii Apollinis* in *Troadis* urbe *Hamaxito* : Ὑπὸ δὲ τῷ βωμῷ φωλεύουσι λευκοὶ μύες, *Sub altari nidificant albi mures.* Hi putantur omnium salacissimi : unde in Proverbium abiit, Μῦς λευκὸς, ἐπὶ τῶν ἀκρατῶν περὶ τὰ ἀφροδίσια· *Mus albus, de iis, qui ad res Venereas sunt maximè incontinentes.* Vide *Suidam*, & quid ex *Philemone* habeat *Ælianus Historiæ* libri duodecimi capite decimo.

Murem cur Lex pronunciet immundum esse animal, præter causas, quæ cuivis se offerunt, hæ quoque afferuntur, quod inutile, & noxium est, & typus eorum, qui dicunt,

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.

In *Cyrillo* contra *Julianum* libro nono γαλῆ καὶ μῦς γράφουσι τοὺς ἐφ' ἑαυτοῖς τὰ φαῦλα, καὶ ἀνανδρα, καὶ ψοφώδη τῶν κλαπέντων ζώων, *mustela & mus furum referunt timida, & imbellia genera, atq; obstrepera.* In quibus cum illud *obstreperum* sit planè extra rem, pro ψοφώδη legendum contendo ψοφοδεῆ, id est, *ad omnem strepitum metuentia.* Quo verbo utuntur *Lucianus* in *Scytha*, & *Plutarchus* in *De Sanitate tuenda* : sed & idem in libro *Utra anim.* de chamæleonte dicit, Ὑπὸ δέους ἀλλοίας τρέπεται, φύσει ψοφοδεὴς ὢν, καὶ δειλός· *Præ timore in aliud mutatur, cum natura meticulosus sit, & timidus.* Hinc in *Hesychio* ψοφοδεὴς est δειλὸς, ἀνανδρος, ὁ καὶ τοὺς ψόφους καὶ τὰ ἐλάχιστα φοβούμενος. Quod muri quàm conveniat, *Poeta* eximius sic docet in Apologo de mure rustico & urbano *Satyrâ* 6. lib. 2.

Valvarum strepitus lectis excussit utrumque:
Currere per totum pavidi conclave, magisq;
Exanimes trepidare, simul domus alta molossis
Personuit canibus. - - - - - - -

Aliud *Hebræi* afferunt, nempe murinæ carnis esum oblivionem inducere. Quod doctissimus *Buxtorfius* probat ex *Avoda Zara* cap. 3. (ubi tamen non reperio) & ex *Beth Jacob* fol. 181. ubi ad quæstionem, Cur canis dominum suum agnoscat, felis autem non agnoscat? respondetur, feles ideò esse obliviosos; quia comedunt mures, quorum caro, imò quorum arrosa, si comedantur, turbant cerebrum & memoriam. Unde elicitur hæc conclusio, האוכל ממה שהעכבר אוכל משכח תלמודו האוכל עכבר עצמו לא כש *Comedens de eo, quod comedit mus obliviscitur doctrinæ suæ : comedens ergo murem ipsum quantò magis?*

Sennacheribi cladem, quam angelo tribuunt (b) Sacri Scriptores, & (c) *Josephus* ex *Beroso* pesti immissæ divinitus, mirum, cur ad agrestes mures referant *Ægyptii* in (d) *Herodoto*, quos narrant τούτοισι ἐπεχυθέντας νυκτὸς, κατὰ μὲν φαγεῖν τοὺς φαρετρεῶνας αὐτέων, κατὰ δὲ τὰ τόξα, πρὸς δὲ τῶν ἀσπίδων τὰ ὄχανα· ὥς τε τῇ ὑστεραίῃ φευγόντων σφέων, γυμνῶν ὅπλων, πεσεῖν πολλούς, *hostibus ipsis noctu circumfusos, illorum tum pharetras, tum arcus, tum scutorum ansas exedisse, ita ut postridie, armis exuti, multis amissis, fugam fecerint.* An huc facit, quod λοιμὸς *lues*, & λαμὸς *mus*, in *Hesychio*, sunt voces ita vicinæ, ut una potuerit pro altera usurpari, atque sic *muribus* tribui clades à *lue* accepta? Utut sit, *Cretensibus* illis, qui *Troadis* urbem *Hamaxitum* condiderunt, tale quidpiam accidisse memoratur. Cum enim consultus *Apollo* de loco condendæ urbis, illam ibi condendam esse respondisset, ἔνθα ἂν αὐτοῖς οἱ γηγενεῖς πολεμήσωσι, *ubi terrigenæ iis bellum inferrent*, intellexerunt *Hamaxitum* designari; quia, castris ibi positis, μυῶν ἄφατόν τι πλῆθος ἐφερπύσαν τά τε ὄχανα αὐτοῖς τῶν ἀσπίδων διέτραγε, καὶ τὰς τῶν τόξων νευρὰς διέφαγεν, *murium immensa vis erumpens clypeorum rosit ansas, & arcuum nervos exedit.* Ita *Ælianus Historiæ* libri duodecimi capite quinto. Nec multo aliter *Homeri* vetus *Scholiastes* ad librum primum *Iliados*, Νυκτὸς ἐπιγενομένης, μύες ἐκφανέντες αὐτῶν τοὺς τελαμῶνας τῶν ὅπλων, *Cum nox venisset, mures armorum lora ipsis absciderunt.* Proinde apud *Aristotelem*, *Rhetorices* libri secundi capite vigesimo quarto, mures ideò laudat *Polycrates*, ὅτι ἐβοήθησαν διατραγόντες τὰς νευρὰς, *quia* (popularibus suis) *opem tulerunt, cum* hostilium arcuum *nervos corroserunt.* Et, apud *Clementem* in *Protreptico*, *Polemo* refert populos *Troadi* vicinos τοὺς ἐπιχωρίους μῦς, οὓς σμίνθους καλοῦσι θρησκεύειν, ὅτι τὰς νευρὰς τῶν πολεμίων διέτραγον τῶν τόξων, *colere mures illius loci, quos* Sminthos *vocant, quoniam hostilium arcuum nervos arroserant.* Quæ cum iis simillima sint, quæ de *Assyriis* referunt *Ægyptii*, illos *Creticam* hanc, aut *Troicam*, si mavis, historiam interpolasse putaverim.

a) Capite præcedenti.

b) 2 Reg. 19. 35. Esa. 37. v. 36. Eccl. 48. 24. (al. 21.) Tob. 1. 21. (al. 24.) 1. Maccab. 7. 41. & 2. Maccab. 8. v. 19.

c) Joseph. lib. 10. cap. 1.

d) Herod. lib. 2. cap. 141.

CAPUT

CAPUT TRIGESIMUM QVINTUM.

Probatur חולד *choled*, non esse *Mustelam*, ut volunt; sed *Talpam*. Alia Talpæ nomina.

Omnes omnino Scripturæ interpretes, Græci, Latini, Chaldæi, Syri, Hebræi, חולד *choled*, mustelam *reddunt. Et in* Aristea Hebræo γαλῆ *est* חולד. *Tamen hæc versio suspecta. Et* חולד *videtur esse* talpa. 1. *Quia* Syris ܚܘܠܕܐ chulda *est* talpa: *quod probatur ex* Syra *versione* Prov. 24. vers. 31. 2. Arabicè خلد chuld *esse* talpam *docent* Arabum *descriptiones. Talpa duplex: una cæca, altera surda; illa* chuld, *hæc* zebab *dicta.* 3. *In* Talmude Hierosolymitano חולדה chulda, *est* talpa. 4. Levit. 11. v. 29. חולד choled, *est* שרץ *ad quod genus* talpa *pertinet potius quam* mustela. 5. *Ibidem* choled *&* עכבר, mus, *junguntur ut animalia congenera. Talpa enim muri similis. At mustela illi tam infensa, quam felis.* 6. *Verbum* חלד chalad (*unde* חולד choled) subire, penetrare, suffodere *est. Unde* rubigo, *&* gangræna, *&* profunda cultri in victimam immersio. *Et* ܕܡܥܠܝܢ, qui penetrant in domos, 2. *Tim.* 3. *v.* 6. *Et* Chalybes, *qui primi metalla eruerunt*, חלדיא, Chaldi, Chaldii, Chaldæi. *Talpæ proprium fodere. Ad id tota videtur facta. Hinc* talpæ חפרפרות, *&* ἀσπάλαχες, *olim* σκάλοπες *à* τῷ σκάλλειν, ἢ σκαλεύειν. *&* σκαλόπιζειν. Hesychius *emendatus.* Σκαλόπιαι talparum foramina. Foyon *Gallicè* talpa *unde.* Germanica *ejusdem nomina.* Talmudicis *tamen* חולדא chulda, *plerumq; est* mustela. *Mustelarum illis duo genera;* κατοικίδιον, *&* *ruborum*, *id est*, *sylvestre. Historia de puero à mustela strangulato. Cur* חולד *choled*, mustela Talmudicis. *&* חלד *choled*, terra *sint voces Conjugatæ. Rationes fabulosæ. Omnia terræ animalia in mari præter mustelam. Multa recondit mustela, quibus non eget. Ita mundani homines. Historia* Arabum *de nummis à mustela datis pro catuli* λύτρῳ. *Quid commune habeant* חלד *choled*, mundus, *&* חולד *choled* talpa, *aut* mustela. *Doctorum sententia. Quæstionis vera solutio.* תנשמת, Levit. 11. v. 30. *non esse* talpam, Psal. 58. *v.* 9. *voces* נפל אשת *malè reddi* abortivum *&* talpam, *cum aliud non sonent, quàm* ἔκτρωμα γυναικὸς, abortivum mulieris. *Sed* Esa. 2. *v.* 20. חפרפרות, *sunt* talpæ *à fodiendo sic dictæ, geminatis Radicalibus, ut significatio sit intensior. Talpas & vespertiliones in* Esaia *rectè jungi; quia in multis similes. Nec sine causa idola tam ad talpas, quam ad vespertiliones, projici; ut in tenebras sic detrudantur, nec amplius nobis illudant. Hæc animalia nullibi culta.* Farfar, *fluvii* Damasceni *nomen, malè explicatur* talpa. *Cur talpa in Lege immunda. De mustela quid veteres. Eam aure concipere, & ore parere. Quod ita credi vult* Philosophus; *quia catulos sæpe ore transfert. Quin mustelæ imputatum, quod de mustelo pisce verius. Is enim in metu catulos in ore abscondit, quos cum emittit, parere creditur. Error Pseudo-*Aristeæ, *& Pseudo-*Barnabæ, *de mustela.* Plutarchi *sententia honestior.*

LEvit. 11. v. 29. Hebræum חלד *choled*, Græci γαλῆν, & Hieronymus *mustelam* reddit, & Jonathan כרכושתא *carcousthа*; & Syrus ܟܪܟܘܫܬܐ *cacausthe*, quod id ipsum est. In *Hesychio quidem* κέρκ@ est ἀγριογαλ@· μῦς, *mus agrestis*. Et suspicabar olim ex κέρκ@ deductum fuisse כרכושתא *carcousthа*, eadem significatione. Sed כרכושתא *carcousthа*, esse animal feli quadamtenus simile probat Proverbium *Talmudicum* in *Sanhedrin* cap. 11. fol. 85. 1. כרכושתא ושונרא עבדו הלולא מתרבא דבישא גרמא Carcousthа *& felis cum faciunt nuptias, extollit se is, qui fuerat infortunatus.* Et *mustelam* esse ex eo constat, quod *Psal.* 113. *v.* 9. *Hebræa* verba עקרת הבית, *sterilem domus*, *Elia* teste, sic redduntur in nonnullis exemplaribus *Chaldæa* Paraphrasis, דיתבא מריקא לאינשי ביתה תיך ותנא כרכושתא דיתבא מרורא בעקרי ביתא *Eam, quæ assidet lividа viris domus suæ, ut* carcousthа, *quæ statuit mansionem in fundamentis domus.* Quasi עקרת eo loco *sterilem* non significet, sed *eam quæ præ mœrore habitat* בעקרי *in fundamentis*, (id est, in infima parte) ædium, quomodo *carcousthа* solet. Quæ ad mustelæ κατοικιδίου descriptionem pertinere patebit ex sequentibus. Itaque, cum חולד *choled*, in *Mose* sit *mustela* ex tot veterum sententia, videbuntur id merito sequi *Hebræi* omnes, *Baal Aruch*, *R. Selomo*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*: & recentiores Scripturæ interpretes, *Pagninus*, *Arias*, *Castalio*, *Junius*, *Tremellius*, &c. vernaculi etiam, quotquot videre licuit, *Galli* putà, *Itali*, *Angli*, *Belgæ*, *Germani*. Ut *Lexicographos* taceam, quorum nullus est, quod quidem sciam, qui חולד *choled*, aliter quam *mustelam*, aut *martem* reddat, quæ est mustelæ species. Et *Hebræum Aristeæ* Paraphrastem, qui *Græca* hæc verba, Κακοποιητικός γδ ὁ τρόπ@ ὧι, ἤ γαλῆς, καὶ μυῶν, *Hebraicè* sic reddit, כי הנה החולד והעכבר הם בטבעם חרכים אל ההשחתה ומעורים תמיד להרע, *Ecce enim* choled, *&* achbar, (id est, *mustela*, & *mus*) *naturâ suâ ad deperditionem tendunt, & ad malum sunt semper proclives.*

Tamen habeo causas dubitandi, an hæc sit vera versio. Quarum prima est, quod palam inde formatum *Syrum* ܚܘܠܕܐ *chulda* significat *talpam*, non *mustelam*. Ita statuunt *Johannes Baptista Ferrarius*, & *Thomas à Novaria* in *Lexicis* aut *Nomenclatoribus Syriacis Romæ* editis Annis 1622. & 1636. Et confirmat *Maronitarum* doctissimus *Gabriel Sionita*, qui verba *Syri* interpretis *Proverb.* 24. *v.* 31. ܘܟܣܝܘ ܐܦܝܗ ܚܘܠܕܐ *Latinè* ita reddidit, *Et cooperuerunt superficiem ejus talpæ.* Neque verò locus patitur, ut *mustelæ* intelligantur. Agitur enim de agro pigri hominis, qui ita negligitur, ut illum urticæ obtegant. *Urticæ*, id est, חרלים, ita habetur in *Hebræo*. Sed *Syrus* legit חלדים, literâ *Res* sede suâ motâ, & in *Daleth* mutatâ; quia sunt literæ similes: ac proinde reddidit ܚܘܠܕܐ. Qua voce non *mustelas* sed *talpas* significari res ipsa docet. Neque enim mustelis scatet ager neglectus, sed talpis scatere potest, ut docet *Poeta* summus lib. 1. *Georgicorum*,

> - - - - - - - - *sæpe exiguus mus*
> *Sub terris posuitq; domos, atq; horrea fecit:*
> *Aut oculis capti fodère cubilia talpæ.*

Quæ maxima est agri pernicies. Unde *Simocatta* in *Epistolis*, Τί δ᾽ ἄττα ἀεὶ τῆς ἀσπαλάκων λέξαιμι, φοβοῦ γδ τῷ γεωργῷ τὸ κακὸν, ἢ ὑπεξάγων τὸ πολέμιον.

De

De talpis igitur quid dixerim? Aratori enim terribile hoc malum est, & hostis non facile expugnabilis. Proinde hoc animal finxit *Stesimbrotus* ὑπὸ τῆς Γῆς τυφλωθῆναι, διὰ τὸ φθείρειν τοὺς καρπούς, *à* Tellure *fuisse excacatum, eò quod fruges corrumperet.* Ita *Suidas*, & *Apostolius* in Τυφλότερος ἀσπάλακος.

Præterea non *Syris* solùm, sed & *Arabibus* خلد *chuld*, vel *chold*, est *talpa*. Quod, ut cætera taceam, apertè docent ejus descriptiones. *Alcamus* الخلد الفارة العميا Alchold, *mus cæcus*. Liber, cui titulus est الفلاحة الفارسية *Agricultura Persica* apud *Abenbitarem*, الخلد دابة عميا تحت الارض تاكل عروق الشجر ويعجب رايحة البصل والكراث وتخرج من جحرتها في طلب الرايحتها Alchold, *animal cæcum sub terra arborum radices comedens, quodq; cepa & porri odore* (a) *ita delectatur, ut eo allectum exeat è latibulo suo.* Et *Gjahid*, الخلد دويبة عميا صما لا تعرف ما بين يديها الا بالشر تخرج من جحرها وهي تعلم انها لا سمع لها ولا بصر فتفتح فاها وتقف عند جحرها فياتي الذباب فيسقط على شدقيها ويمر بين لحييها فيستد خله جوفها بنفسها وهي تتعرض لذلك في الساعات التي يكون فيها الذباب اكثر Alchold *est animalculum cæcum, & surdum, quodq; non novit objecta nisi per odoratum. Cum è latibulo suo exit, auditu & visu se carere non ignarus, apertò ore stat prope latibulum, & venientes muscæ in buccam ejus incidunt, & ambulant inter maxillas, & per ejus halitum in ventrem attrahuntur. Ac proinde os dilatat iis horis, quibus muscæ sunt frequentiores.* Hæc ille, quibus الخلد *alchold*, id est, *talpam*, non solum visu, sed & auditu privat. At aliter statuit *Damir*, cujus verba sunt; كل حيوان له عينان الا الخلد وانما خلق كذلك لانه ترابي جعل الله له الارض كالما للسمك وغذاوه في بطنها وليس له في ظاهرها قوة ولا نشاط ولما لم يكن له بصر عوضه الله حدة حاسة السمع فيدرك الوطي الخفي من مسافة بعيدة فاذا احس بذلك جعل يحفر الارض *Omne animal habet oculos præter* alchold, *qui creatus est sine oculis; quia in terra degit, quam assignavit ipsi Deus, ut aquam piscibus: ita ut in ventre terra sit alimentum ejus, & extra eam robore & alacritate careat. Sed visus defectum compensavit Deus acumine sensus aurium, quibus etiam è longinquo spatio suspenso gradu incedentes percipit, &, quamprimum percepit, in terram reconditur.* Quibus hæc *Plinii* consona, *Liquidius audiunt talpæ obrutæ terra, tam denso atque surdo Naturæ elemento.* Sed ex nonnullorum sententia duplex est talpæ genus, nempe خلد *chold*, & زباب *zebab*: quarum illa visu; hæc auditu caret. *Damir* in capite الفار id est, *De mure*, ومنها اليرابوع والزباب والخلد فالزباب صم والخلد اعمي *Etiam in speciebus murium sunt* aljarbuo (seu *chærogryllius*) & zebab, & chold; *quorum* zebab *est surdus*, & chold *cæcus*. Multo plura possem addere: sed ex his patet plus satis, tam *Arabibus*, quàm *Syris*, *chold*, vel *chuld*, esse *talpam*.

a) Vide Epiphanium in Adamian.

Tertiò, in *Talmude Babylonico* Tractatu *Moëd Katon* cap. 1. fol. 6. b. in *Misna* verbis, צדין את האישות ואת העכברים, *Venantur* licitè *talpas & mures*, in his (inquam) verbis האישות, id est, *talpa*, vel *talpa* (quod omnes agnoscunt, & nos infra pluribus docebimus) in *Talmude Hierosolymitano* redditur, חולדה *chulda*. Quod quidem in eo non legi; quia liber non est ad manum: sed ita asserit *Glossa* ad locum *Moed Katon*, quem nuper citavimus, אישות מפורש בירושלמי חולדה, *Vox* אישות *in Hierosolymitana Talmude redditur* חולדה *chulda*. Ibi igitur חולדה *chulda*, est *talpa*, non *mustela*.

Quartò, *Levit.* 11. *v.* 29. חולד *choled*, ordinem ducit in iis animalibus, quæ continentur nomine שרץ. Horum porro duo propria sunt. Unum, quod, propter exiguitatem pedum, repere videntur potius, quam ambulare. Alterum, quod in immensum sobolescunt. Id enim propriè significat Verbum שרץ, ac proinde piscibus tribuitur *Gen.* 1. *v.* 20. & ranis *Exod.* 8. *v.* 3. & *Psal.* 105. *v.* 30. & καθ' ὑπερβολὴν *Israelitis* in *Ægypto* Exod. 1. v. 7; quia in illa servitute Dei benedictio eorum numerum auxit, pene dixero, supra omnē fidem. Has autem notas nemo nescit mustelis minus convenire, quam talpis, quarum crura sunt brevissima, & (alicubi auctore *Plinio*) tam numerosa est multitudo, ut tota arva subruant.

Quintò, si חולד *choled*, est *talpa*, rectè junguntur in *Mose* חולד *choled*, & עכבר *achbar*, id est, *talpa* & *mus*: cum talpa sit muri congener, adeoque muris species, si *Arabibus* credimus: & *Hesychio*, cui Λὴρ est ἀσπάλαξ *talpa*, seu μῦς τυφλὸς ὁ τὴν γῆν τρυπῶν, *mus cæcus terram penetrans*: & *Scholiasti Aristophanis* in *Acharnan.* *ubi* σκάλοπας definit μύας τινάς, οὓς φαμὲν ἀσπάλακας, *mures quosdam, quos vocamus talpas*: & *Oecumenio in* 2. Petri 1. v. 9. ubi μυωπάζειν vult idem esse, quod τυφλώττειν *cæcutire*, ἀπὸ τῶν ὑπὸ τὴν γῆν μυῶν τυφλῶν εἰς ἅπαν διατελούντων, *à muribus, qui sub terra omnino cæci degunt*, id est, à talpis. Proinde juxta *Scaligerum* (b) *talpa est in genere murium.* Aliis talpa solum est animal muri simile. *Suidas*, Ἔστι δὲ ὁ ἀσπάλαξ ζῶον μυὶ ἐμφερές, ὑπὸ γῆν διάγον, τῶν ὀφθαλμῶν ἐστερημένον. *Talpa est animal muri simile, sub terra degens,*

b) In Cardan. Exercit. 344.

degens, oculis privatum. Proinde junguntur in *Talmudis* loco, quem citavimus, צדין אישות ועכברים, *Venantur talpas & mures.* At mustela planè diversum est animal, mure majus & validius, eique tam infensum, quàm felis. Hinc *Theophrastus* in libello *De animalibus, quæ cum copia visuntur*, quo loco de muribus agit; Φθείρουσι δ' αὐτοὺς καὶ αἱ ἄγριαι γαλαῖ. *Occidunt illos mustelæ agrestes.* Et *Batrachomyomachiæ* auctor, quisquis est;

Μῦς ποτε διψαλέος, γαλέης κίνδυνον ἀλύξας,
Mus aliquando sitibundus, mustelæ periculo evitato.

Et apud *Athenæum* Poëta *Carcinus* Fabulam scripsit, titulo Μῦς, in qua mustela nocturnos mures strangulat. *Plautus* quoque in *Sticho* Actu tertio,

Mustela murem mihi abstulit præter pedes.
Eum strenuè absonavit. - - - -

Plinius itidem libri octavi capite vigesimo septimo, *Mustela rutâ* (vires refovet) *in venatu murium, cum iis dimicatione consertâ.* Isidorus *Originum* libri duodecimi capite tertio, *Serpentes etiam muresque mustela persequitur.* Abdollatif Bagdadensis, وربما عادى الفار وقتله لكن الخوف الفار من السنور اشد خوفه منه *Mures nonnunquam insequitur* (mustela,) *& interimit. Mus tamen à fele gravius sibi timet, quàm à mustela.*

Sexto, Verbum חלד *chalad* (unde deductum חולד *choled*) *penetrare* & *suffodere* est. De terra propriè dicitur, quod hæc exempla doceant. *Talmud Hierosolymitanum* in *Kelaim* capite ultimo, ut Cl. *Buxtorfius* citat, מחליד הקב״ה לפניהם את הארץ *Deus Sanctus Benedictus terram coram iis suffodiens.* Et *Talmud Babylonicum* in *Bava Bathra* fol. 19. b. de vitibus, מפני שמחלידין את הקרקע ומעלין עפר תיחוח *Quia solum suffodiunt, & terram emolliunt.* Et *Syrus* interpres de herinaceo *Esa.* 34. *v.* 15. ܘܬܚܦܘܪ ܘܬܚܠܘܠ ܒܛܠܠܗ *Et effodiet, & penetrabit in umbram illius.* Unde ad alia transfertur per Metaphoram. Ità חלד, de metallis, est *rubiginem contrahere*; & חלודה *rubigo*, in *Jonathane* חלודה *Num.* 31, 22. quia metalla penetrat, & usque ad intima exedit. *Gangræna* item in *Syra* Paraphrasi ܚܠܕܐ dicitur 2. *Tim.* 2, 17. quia morbus est ἐπινεμόμενος, & in carnem altiùs penetrans. Rursus in victimæ mactatione חלדה vocabatur *cultri in victimam profunda immersio*, quæ mactationem reddebat illegitimam, ut habetur in Tractatu *Talmudico Cholin* cap. 2. fol. 20. b. & in *Maimonis* Tractatu *De mactatione* cap. 3. §. 9. & 10. Eodem pertinet, quod 2. *Tim.* 3, 6. pro *Pauli* verbis, οἱ ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας, id est, *qui penetrant in domos*, *Syrus* habet ܕܡܚܠܕܝܢ ܠܒܬܐ ܒܬܐ. De iis enim ibi agitur, qui, quasi ædium profundum petentes, occultissima quæque rimantur, & perscrutantur. Proinde *Arabs*, *Parisiis* editus, non absimili Metaphora reddidit, الذين يغوصون في المنازل *qui in domos sese immergunt.* Nec sua specie caret doctissimi *Fulleri* conjectura *Miscellaneorum* libri tertii capite decimo quarto, *Chalybes* prope *Trapezuntem*, & *Pharnaciam*, *Chaldæos* à *Phœnicibus* ideò fuisse dictos, non quod commune quidquam haberent cum *Chaldæis Babyloniis*: sed quasi חלדיא, seu καταδύτας, quia terræ viscera perscrutabantur, ut metalla indè eruerent. Cui rei primi omnium operam impendisse putantur. *Callimachus* in Elegia *De coma Berenices*,

- - - Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος,
Γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.

Quod *Catullus* ità reddidit,

- - - *Chalybon omne genus pereat,*
Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, &c.

Valerius quoque libro quinto *Argonauticôn* de iisdem eleganter,

Pervigil auditur Chalybum *labor: arma fatigant*
Rupicola, Gradive, *tui: sonat illa creatrix*
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam priùs ignoti quàm dura cubilia ferri
Eruerent, ensesque darent, odia agra sine armis
Errabant, iraque inopes, & segnis Erinnys.

Et *Arrianus* in *Alexandro*, Χάλυβες πρῶτοι ἀνθρώπων αἰτίαν ἔχουσι χαλκεύσασθαι σίδηρον Chalybibus *crimini datur, quod primi ferrum cuderint.* Et *Ammianus* libro vigesimo secundo, Chalybes, *per quos erutum & domitum est primitus ferrum.* Tamen idem inventum alii *Cyclopibus* tribuunt. *Plinius* libri septimi capite quinquagesimo sexto, *Ærariam fabricam alii* Chalybas, *alii* Cyclopas *monstrâsse putant.* Utut sit, à metallorum frequenti effossione terra *Chalybum* dici potuit *Chaldia*, & incolæ *Chaldi*, *Chaldii*, & *Chaldai*. Nam tot modis scripsisse veteres testatur *Eustathius* in *Notis* ad *Dionysium Periegeten* pagina 101. b. Et hæc nomina omnino alludunt ad Verbum חלד *chalad*; quod, cum de terra dicitur, *fodere* significat, ut pluribus supra (c) probatum. Jam quis non videt eodem commodè revocari nomen חולד *choled*, pro *talpa*, quæ ad id videtur nata, & instituta, ut indesinenti labore terram subruat, & suffodiat. Ideo talpam nemo definit, qui non hoc ponat in parte definitionis. Sic apud *Hesychium* in vocibus Λὺτ, & Σκάλοψ, legitur esse μῦς τυφλὸς ὁ τὴν γῆν τρυπῶν, *mus cæcus, qui terram perforat*; & ζῶον γεώρυχον τυφλόν, *cæcum animal terram fodiens.* *Epiphanius* in *Adamianis* statim initio, Κοντάλακα καλοῦσί τι ζῶον ἐν τῇ γῇ κάτω ἐμφωλεῦον, τετράπουν, ὅπερ ὀρύττει τὴν γῆν. &c. *Talpam vocant animal quoddam quadrupes, latebras habens in terræ penetralibus, quam effodit*, &c. In *Hieronymo* in *Esaiam* capite secundo, *Est animal absque oculis, quod semper terram fodit, & humum egerit.* In *R. Selomone* ibidem, חפרפרות מיני שרצים שחופרין הארץ שקורין טלפא בלעז Chaphorpheroth *sunt reptilium species, quæ terram fodiunt, & vulgari lingua vocantur talpa.* Et in *Moed Katon* fol. 6. b. בריה שאין לה עינים וחופרת בקרקע *Creatura est oculis carens, & terram fodiens.* Proinde Naturæ consulti notant eò pertinere, quod rostro est acutissimo. Et priorum crurum pars anterior hoc habet peculiare, quod ossibus constat geminis, & brevissimis, quæque in os humeri statim inseruntur, ut sic fortiùs fodiant. Quâ ipsâ de causa priores etiam pedes & digiti non deorsum, sed ad latera, spectant; & volam habent bene latam, & ungues robustissimos, & ad corporis modulum longè majores, quàm in reliquis animalibus. Unde est, quod tàm facilè tamque expeditè terram fodiunt, ut fidem id propè superet: quod rerum nostrarum damno quotidiè experimur. Itaque etiam alterum *talparum* nomen חפרפרות, *Es.* 2, 20. est *à fossione* sumptum. Nam, ut חלד *chalad*, ità etiam חפר *chaphar*, *fodere* significat: quod nemo nescit. Unde geminatum חפרפרות significationem intendit, ut eo nomine designetur animal, quod in terræ fossione totum est. Sed & eodem revocandum *Græcum* σπάλαξ, vel ἀσπάλαξ, cujus vera origo doctos latuit hactenus. Nam qui ἀπὸ τοῦ σπᾶν, id est, *à trahendo*, deducunt, nugas agunt. Quin σπάλαξ per Metathesin factum ex σκάλοψ, quod vetus fuit *talpæ* vocabulum apud *Atheniens*es, ut ex *Ni-*

c) Pag. 1025. lin. 31. &c.

coele scimus: Σκάλοψ, ὁ ἀσπάλαξ λέγεται παρὰ Ἀττικοῖς, ὡς λέγει Νικοκλῆς. Ità *Etymologus*. Et confirmat *Aristophanes* in *Acharnan.* Ubi pro *talpis* habet σκάλοπας. Ad quem locum *Scholiastes*, Σκάλοπας] μύας τινάς, ἃς φασὶν ἀσπάλακας. Dicitur autem σκάλοψ, non quasi κεκαλυμμένους ἔχων τοὺς ὦπας, ut nugatur *Etymologus*: sed ἀπὸ τοῦ σκάλλειν, ἢ σκαλεύειν, *à fodiendo*; & voce composita σκαλόπιζα, quasi *fossorios habens pedes*, ut apud *Poetam* ἀργυρόπεζα Θέτις, *argenteis pedibus Thetis*. *Hesychius*, Σκάλοψ, σκαλόπιζα, ἀσπάλαξ. Ità legendum, non σκαλόπετα, quomodo habent nostræ editiones. Rursus ἀπὸ τοῦ σκάλοπος, *à talpa* fit σκαλοπιὰ pro *talparum latibulo*, vel *terræ cumulo à talpis excitato*. Et sic omninò sumendum in his *Theophrasti Historia* libri septimi capite undecimo, de phasgani (seu gladioli) radicibus, Πολλὰς δ' εὑρίσκουσι παρὰ ταῖς σκαλοπιαῖς χαίρει γὰρ, καὶ συλλέγεται τὸ ζῶον. *Multas reperiunt prope scalopias, seu talparum foramina; illas enim appetit & colligit hoc animal.* Pessimè igitur interpretes, *Permultas juxta eam scolopendras reperiunt.* Neque verum, quod alii volunt, τὴν σκαλοπιὰν idem esse, quod τὴν σκάλοπα. Ac si quis τὴν μυρμηκιὰν *formicarum latibulum* idem esse vellet, quod τὴν μύρμηκα *formicam*. Quod propè omiseram, etiam in quadam *Galliæ* parte *talpa* vocatur *foyon*, ut *fouir* Gallis est *fodere*, quod observat *Capellus* ὁ μακαρίτης *Sacra Critica* pagina 382. Et *Germanica* talpæ plura nomina (d) eodem pertinentia refert *Gesnerus* in *Talpa*, pagina 932. Itaque id commune est *Hebræis*, *Græcis*, *Germanis*, & nonnullis *Gallorum*, ut à fodiendo talpam nomineut.

d) Mal-werf / & schaer / vel schaer-muis.

Cum ex iis, quæ dicta sunt, liquido constare putem חולד *choled*, *Mosi* fuisse *talpam*, æquè ac *Syrum* ܚܘܠܕܐ *chulda*, & *Arabicum* خلد *chuld*, vel *chold*: non tamen dissimulandum; apud *Talmudicos* Doctores חולדה *chulda*, plerumque esse *mustelam*. Quod hæc loca palàm faciunt. In Tractatu *Cholin* ubi suprà. חלדה הד׳ בחולדה הדרה בעיקרי בתים ומכסי הכא Cultri immersio in mactatione *Chalada dicitur*, *Phrasi mutuata ex* chulda, *quæ degit in fundamentis ædium, ut ibi lateat.* Non quadrat in *talpam*, quæ nonnisi in agro degit, sed in *mustelam* κατοικίδιον. Cui passim opponitur חולדת סנאים, aut חולדת הסניים, *mustela ruborum*, id est, *sylvestris*: ut in *Kilaim* cap. 8 fol. 32. a.b. הקופד וחולדת הסניים, *hericius*, & *mustela ruborum*. Ubi *Glossa Maimonidis*, וחולדת הסניים חיה דומה לחולדה ממיני השועלים id est, *Mustela ruborum fera est similis* vulgari *mustelæ inter vulpium species* Et in *Bava kama* cap. 4. fol. 80 1. מגדלין כלבין כופרין וחתולין וקופין וחולדות סנאים מפני שעושין לנקראת הבית, *Nutrire licet canes vulpaticos, & feles, & simias, & mustelas ruborum* (quæ vocantur חולדות) *quia facta sunt ad perfodiendas ædes.* Et paulò post, אמר ר׳ יהודה שרצא חרצא ואיכא דאמר חרזא וקטני שקי דרעיא ביני חדדני *Dixit* R. Juda, *Est reptile* (CHARTSA) exscindens. *Et sunt, qui dicunt* (CHARZA) perforans, *quod gracilia habet crura, & pascit inter dumeta.* Sic apud *Plinium* libri vigesimi noni capite quarto, *Mustelarum duo genera: alterum sylvestre. Distant magnitudine.* Græci vocant ictidas, &c. *Hæc autem, quæ in domibus nostris oberrat*, &c. Id ipsum, quod diximus, חולדה *chulda*, *Talmudicis* fere *mustelam* esse, non *talpam*, sequitur ex eo, quod hoc animal pueros strangulare volunt, quod de talpa nemo dixerit. In quam rem affertur locus ex Tractatu *Thaanith* cap. 1. fol. 8. 1. בא וראה כמה גדולים בעלי אמנה מנין מחולדה ובור ומה המאמין בחולדה ובור כך המאמין בהקב״ה עאכ״ו *Veni, & vide, quomodo in magnis fidei testibus censeantur* chulda *& puteus. Et qui* chuldæ, *& puteo fidit, qui Deo Sancto Benedicto non fidat multò magis?* Ad quem locum hanc Fabellam refert *Glossator Talmudicus*. מחולדה ובור שהמיתו שני בני אדם מצוי הוא באגדה מעשה בבחור אחד שנתן אמונתו לריבה אחת ששאגרה אמרה מי העיד והיה שם בור א׳ וחולדה אמר הבחור בור וחולדה עדים בדבר לימים עבר על אמונתו ונשא אחרת והוליד שני בנים אחד נפל לבור ומת ואחד נשכתו חולדה ומת אמרה לו אשתו מה מעשה הוא זה שבנינו מתים במיתה משונה ואמר לה כך וכך היה מעשה. Chulda, *& puteus, à quibus duo homines letho dati. Historia habetur in* Aggada *de juvene quodam, qui, cum puellæ cuidam fidem suam obstringeret, fore, ut eam duceret in uxorem, Quis erit testis, inquit illa? Ibi autem erant puteus &* chulda (*mustela.*) *Et dixit juvenis, Puteus &* chulda *rei gestæ testes erunt. Sed post aliquot dies is idem, violata fide, aliam duxit, ex qua cum peperisset duos filios: horum unus in puteum delapsus exspiravit; alter quoque à* chulda, *seu mustela, morsus obiit. Tum ab uxore interrogatus, quamobrem ambo filii violentâ morte obiissent, narravit illi quomodo res se haberet.* Ejusdem Historiæ multò plures circumstantias refert *Baal Aruch*, & in his marem fuisse puerum, & jam trimestrem à *chulda* fuisse strangulatum. Verba sunt, ילדה בן זכר כשהגיע לג׳ חדשים חנקתו חולדה. *Et illa peperit filium marem, quem* chulda *strangulavit, cum tertium mensem jam attigisset.* Ità de الزبزب *zebzeb*, mustelæ majoris seu viverræ specie, *Bagdadi* captâ anno *Hegiræ* 304. suprà (e) narraverunt *Arabes* انه ياكل اطفالهم *eam infantes suos voràsse*, & virorum manus, & mulierum mammas momordisse. His addenda, quæ *Talmudici* afferunt in *Collatione vocum* חולדה *chulda*, vel חולד *choled*, & חלד *cheled*: quarum hæc *orbem* significat *Ps.* 49, 2. ubi homines vocantur יושבי חלד *incolæ cheled*, id est, *terreni orbis*. Et Doctores inter se disputant, quorsum *terra* dicatur חלד *cheled*, & quærunt quid commune habeat cum חולד *choled*, animali. Et in *Talmude Babylonico* Tractatu *Cholin* cap. 9. fol. 127. à. quidam respondet, כל שיש ביבשה יש בים חוץ מן החולדה *Quidquid animalium est in terra, esse etiam in mari, solâ* chulda *excepta.* Quod nè putetur dici gratis, en bellam historiam, quam ex *Rabbinorum* scriptis profert doctissimus *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico* ad vocem חלד! *Comitia fuerunt Principum mundi de administratione rectâ. Princeps maris conquestus est, se non habere subditos sufficientes. Permissum ipsi proinde fuit, ut ex terra peteret plures, modo de alimento provideret. Conjecit omnia animalia terrestria in mare, cum mandato, ut illic quoque suam speciem propagarent. Factum est: unde dicitur omnia animalia terrestria esse quoque in mari, nisi quod quædam in monstrosam formam conversa sunt. Ad mustelam cum pervenisset, ea in littore stans dixit Principi maris, Quorsum me denuò in mare projicies? Nunquid vides me in mari jam esse? Id autem dixit effigiem suam in mari ostendens. Princeps contentus mustelam dimisit. Hinc dicunt* Talmudici *omnia terrestria in mari esse præter mustelam, quæ astutia sua evasit. Et* terra *dicitur* חלד cheled, *quod propria remanserit* mustelæ, *quæ vocatur* חולדה chulda, *vel* חולד choled. In *Talmude Hierosolymitano*, initio capitis *De octo reptilibus*, tractatur eadem quæstio, & à nonnullis respondetur id ipsum, quod jam diximus, Terram, & terrenos homines cum *chulda* comparari; לפי שכל מה שיש ביבשה

e) Cap. 13 [illegible] 987.

יש

יש בים הרבה מינין יש בים מה שאין כן ביבשה ואין חולדה בים *eò quod, cum omnia, quæ sunt in terra, sint etiam in mari, & multa sint in maris species, quæ non sunt in terra, tamen* chulda *non est in mari.*

Altera responsio hæc est, חולדה זו גוררת ומנחת ואינה יודעת למי מנחת כך כל באי העולם גוררין ומניחין ואינן יודעין למי מניחין כמו שנאמר יצבור ולא ידע מי אוספם Chulda *multa attrahit, & relinquit; ignara, cui relinquat. Ita quoque mundani omnes multa attrahunt, & relinquunt; nescientes, cui ea sint relicturi. Quomodo dicitur* Psal. 139, 2. "*Congregabit, & nesciet quis ea sit collecturus.* Ità hæc citat *Aruch*, quæ, utut nugacissima, tamen ad scopum nostrum faciunt. Docent enim voce *chulda* à plerisque *Talmudicis* non significari *talpam*. Neque enim talpa, quæ cæca est, imaginem suam in mari vidisse diceretur, & aliis ostendisse. Neque in latibulis suis quidquam reponere legitur, & recondere. Sed mustelæ hoc ingenium est, de qua scribit ubi suprà *Abdollatiph Bagdadensis*,

في طبعه انه يسرق ما وجد من فضة او ذهب كما يفعل الفار

E natura ejus est, ut suffuretur quidquid argenti (aut auri) reperit, quomodo mures solent. Itaque de mustela ibidem hæc historia narratur,

رجل صاد فرخا منها وحبسه في قفص بحيث تراه امه فلما ارانه ذهبت ثم جاءت وفي فمها دينار فالقته بين يديه كانها تفدي ولدها فلم يتركه لها فذهبت وعادت بدينار اخر حتى بلغت من العدد خمسا فلما رات لا يطلق لها ذهبت وعادت بخرقة كانها تشير الى فراغ حاصلها فلم يكترث بها فلما رات ذلك عادت الى دينار فاخذته منه فخشي الرجل من ذلك فاطلق لها ولدها

Quidam mustela catulum cepit, & cavea inclusit, ita ut videret mater. Quæ, cum illum vidisset, abiit, & rediit cum denario in ore, quem coram eo projecit, tanquam catulum redemptura. Sed, cum is non dimisisset, profecta rursus alios attulit denarios, donec ad quinarium numerum pervenisset. Et, cum vidit catulum suum nondum dimitti, pannum etiam attulit (in quo erant nummi) ut doceret se totum peculium exhausisse. Cumque se non respici animadvertit, ad nummos redit, ut illos reciperet. Sed vir ille, metu perculsus, restituit ei catulum. Patet igitur à *Talmudicis* voce חולדה *chulda*, plerumque significari *mustelam*. Sed illorum auctoritas hàc in parte nos parum movet, cum ipsi sibi non constent. Et apud *Arabes*, & *Syros*, *chuld*, vel *chulda*, sit *talpa*. Et tam origo vocis, quam *Mosaici* textûs circumstantiæ palam doceant vocem ità esse sumendam.

Obiter nota non solùm *Hebræos*, sed & nostrorum doctissimos in eo laborare, ut concilient voces חולד *choled*, & חלד, *cheled*: quarum illa *mustelam*, ut volunt; hæc *terram* aut *ævum* sonat, & doceant quî factum sit, ut tam diversæ vocis notiones ab una origine deductæ sint. Et sunt, qui voce חלד *cheled*, nonnisi *breve tempus* intelligant, ut indè *mustela* dicatur חולד *choled*, tanquam animal βραχύβιον. Ità *Mercerus*. Aliis חלד Verbum est *sensim subire* & *irrepere*: ac proinde, ut quidem volunt, non solùm *mustela* חולד *choled*, dicitur à furtivo progressu; sed tempus quoque חלד *cheled*, quia tacitè decurrit, neq; sentitur ejus motus.

Temporalabuntur, tacitisque senescimus annis.

Quæ *Schindleri* sententia est. At *Fullero* ut חלד *chalad*, Verbum est καταδύναι, id est, *in profunda loca penetrare*: ità *mustela* חולד *choled*, vocatur tanquam ζῶον καταδυτικόν & tam *terra* ipsa, quam *tempus, quo in terra vivimus*, חלד *cheled*, quasi κατάδυσις, ut ab *Aquila* redditur, id est, *latibulum*, aut *demersio*: quia densæ caliginis hic plena sunt omnia, neque conferenda cum luce rerum supercœlestium. Quæ quidem speciosè dicuntur, sed minùs solidè, ut quidem puto. Certum enim est Verbum חלד *chalad*, duo habere significata diversissima: quorum unum apud *Syros*; alterum apud *Arabes* invaluit. *Syris* nimirum ܚܠܕ *chalad* propriè est *profunda loca fodere* & *penetrare*, ut abundè supra probatum est. At *Arabibus* خلد *chalada* planè aliud sonat nempe *manere, durare, perennare, æternum esse*. Atque ut ex priore significatu factum חולד *choled*, pro *talpa*: ità ex posteriore חלד *cheled*, quod primò *durationem* sonat: ut *Ps.* 39, 6. וחלדי, *Et duratio mea tanquam nihil est coram te*; & *Ps.* 89, 48. זכור אני מה חלד. *Memento qualis ego sim durationis*, id est, *quam brevis ævi.* Deinde חלד *cheled*, etiam *mundum* sonat: ut *Ps.* 49, 2. *Audite, omnes incolæ* חלד, *mundi*: quia mundus, & res quæ in eo sunt, certa duratione constant. Sic עולם *olam*, huic synonymum, primò *seculum* & *æternitatem*, deinde etiam *mundum* significat; quod omnes sciunt.

Pro vero *talpæ* nomine, nempe חולד *choled*, *Levit.* 11, 29. aliud substituunt interpretes: nimirum תנשמת *thinsemeth*, sequente versu, quod *talpam* reddunt *Onkelos*, *Græci*, *Hieronymus*, *Jarchius*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Pagninus*, *Arias*, *Itali*, *Angli*, *Genevenses*; & novæ versiones ferè quotquot sunt. Sed, quamvis eos

Defendat numerus, junctæque umbone phalanges,

in hac tamen versione nihil certi video. Quin, si verè חולד *choled*, est *talpa*, quod putamus jam esse firmum, aliud est תנשמת *thinsemeth*. Nam in censu reptilium, quæ ut immunda rejiciuntur, hæc duo separatim nominat *Moses*, tanquam diversa animalia. Et, cum octo sint in universum, primum in illo censu est חולד *choled*; & תנשמת *thinsemeth*, ultimum. Ita ut non potuerint magis ab invicem removeri. Sed libro sequenti docebimus quid sit תנשמת *thinsemeth*.

Volunt etiam אשת *eseth*, esse *talpam* in his *Davidis* Ps. 58, 9. נפל אשת בל חזו שמש quæ sic reddunt multi *Hebræorum*, *Ut abortivus, & talpa, non viderunt Solem.* In his *R. Selomo*, & *R. Obadias Gaon* in *Psalmos*, & *Pomarius* in *Lexico*, & *Elias* in *Methurgeman*, à majoribus suis scilicet sic edocti. Nam in ipsa *Misna Talmudis*, qua *Judæi* secundum *Biblia*, neque sanctius neque antiquius quidquam habent, *talpa* vocatur אישות *esuth*; voce ab אשת *eseth*, deducta. Sic in Tractatu *Kelim* cap. 11. fol. 34. à מצודת האשות טהורה *Rete talpæ mundum est*. Et in *Moed Katon* ubi suprà, צדין את האשות ואת העכברים משדה האילן ומשדה הלבן כדרכו במועד ובשביעית *Venari licet talpam, & mures*,

ret, tam in agro consito, quam in agro arabili, minore festo, & anno septimo. Et ibi *Gemara* מאי אישות אמר רב יהודה בריה שאין לה עינים *Quid est* esuth? *Dixit* Rabbi Juda, *Animal est carens oculis.* Et paulò post, מאי קרא כמו שבלול תמס יהלך נפלי אשת בל חזו שמש *Cur ità vocatur?* (quia dicitur *Ps.* 58, 9.) *ut limax liquescens abit, ut abortivus, & eseth* (seu *talpa*,) *non viderunt Solem.* Et ibidem in *Glossa* אשות *esuth*, definitur בריה שאין לה עינים וחופרת בקרקע *animal lumine cassum, & terram fodiens.* Proinde *Chaldæus* interpres *Psalmi* locum sic παραφράζει, היך נפולי ואישותא די סמין ולא חמין שמשא *Ut abortivus fœtus, &* esutha (*talpa*) *qui cæci sunt, nec vident Solem.* Certum tamen est, hanc versionem nihil habere sani. Nam *Hebræa* verba נפלי אשת, quæ reddunt *abortivum*, & *talpam*, nil quidquam sonant, quam ἔκτρωμα γυναικὸς, *abortivum mulieris*; ut è veteribus optimè illa exposuerunt *Aquila, Symmachus, Theodotion*, & *Hieronymus*. נפל *nephel*, pro *abortivo*, à *cadendo* nomen habet, ut *Arabicum* سقط *sikt* vel *sukt*. Neque solùm hic extat, sed & *Job.* 3, 16. & *Eccles.* 6, 3. Et אשת *eseth*, pro *muliere* in statu Constructo frequentius, sed & in Absoluto occurrit. Sic *Deut.* 21, 11. *Et si videris in captivitate* אשת יפת תאר *eseth*, (i. e. *mulierem*) *forma venustam.* Et 1. *Sam.* 28, 7. *Quærite mihi* אשת בעלת אוב *eseth*, (seu *mulierem*) *Pythonissam.* Et *Jerem.* 13, 21. *Dolores corripient te* כמו אשת לדה, *ut* eseth (seu *mulierem*) corripit *partus*. Ità hic נפל אשת, *abortivus fœtus* eseth, (seu *mulieris*.) Itaque in his verbis nihil est difficile, nihil ambiguum, & quod in diversa trahi possit. Et sensus quoq; est apertissimus. Qui vitæ luce brevi carituri sunt conferuntur cũ abortivo mulieris fœtu, cui vitæ usura fuit tam brevis, & in tam obscuro loco, ut Solem nunquam viderit. Ut nihil opus fuerit hic *talpam* sibi fingere. Maximè, cum Scripturæ solenne sit de abortivis fœtibus id ipsum asserere, quod hic *Psaltes*, nempe illos non vidisse lucem. Ità *Job.* 3, 16. *Sicut abortivus latens, non amplius essem; ut infantes, qui non viderunt lumen:* quod additur ἐπεξηγητικῶς. Et *Eccles* 6, 3. 4. 5. *Beatior illo est abortivus, quamvis in cassum venerit, & in tenebras iverit, & tenebris opertum fuerit nomen ejus, neque Solem viderit, neque cognoverit*, &c. Proinde videtur esse ἀλλιθεῖν in *Pauli* verbis 1. *Cor.* 15, 8. ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι ὤφθη κἀμοί· quasi dicat, "A me etiam visus est *Christus*, quamvis in rebus, quæ ad salutem pertinent, olim tam cæco, quam cæcus est abortivus ad lumen Solis. Dato tamen, non concesso אשת *eseth*, in loco *Psalmi talpam* significare, ne sic quidem haberent quod volunt. Nam verba נפל אשת *abortivum talpa* significarent, non *abortivum & talpam*, quomodo illi reddunt, Conjunctionem ET supplentes, quæ in textu non comparet. Quod tamen ne videantur facere sine exemplo, *R. Selomo* hic citat similem locum ex *Jerem.* 11, 19. ubi *Hebræa* verba כבש אלוף reddi vult *ut agnus & bos*, pariter addita Conjunctione. Sed nos suo loco (*f*) docuimus nihil ibi esse supplendum, & *Hebraicè* כבש אלוף esse *agnum mansuetum*, & الوف *aluph* apud *Arabes* hodieque sic sumi.

f) Lib. 2. cap. 46. pag. 520. lin. 65. &c.

Plus in iis est rationis, qui חפרפרות *chapharpheroth*, *talpas* esse volunt in his *Es.* 2, 20. *In illa die projiciet homo idola sua argentea, & idola sua aurea, quæ ad adorandum sibi fecerat,* לחפרפרות ולעטלפים, *ad* chaphorpheroth (seu *talpas*) *& vespertiliones.* Sed ad hanc vocem multa notanda: quorum primum hoc esto, quod, quamvis vox una sit, tamen divisim scribitur לחפר פרות quasi duæ essent voces, quomodo nonnullæ aliæ. Sic 2. *Par.* 34, 6. in plerisque editionibus scribitur בחר בתיהם pro בחרבותיהם *malleus eorum.* Jerem. 46, 20. יפה פיה pro יפהפיה, *formosissima.* Thren. 4, 3. כי ענים pro כיענים *ut struthiones.* Ezech. 27, 6. בת אשורים pro בתאשורים *buxis.* Idem in hac voce accidit, ut in duas divelleretur. Unde est, quod quidam explicant tanquam divisas voces. Putà *ad fossorem fructuum*; quasi sit avis genus sic appellata, quod arborum fructus perforet, atque pertundat. Vel *ad fodiendum scrobes*, quasi פירות sit pro חפירות, quomodo *scrobes Hebræi* vocant. Sed certum est, veteres interpretes, nempe *Septuaginta, Seniores, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Hieronymum, Chaldæum, Syrum, Arabem*, una voce legisse לחפרפרות; quia una voce illam expresserunt. *Jarchius* quoque & *Aben Ezra* vocem unicam esse sentiunt. At unica illa vox variè explicatur. *Seniores* τὰ μάταια *vana* reddunt; *Aquila* ὀρύγας, *fossuras*; *Symmachus*, ἄκαρπα, *infructuosa*; *Theodotion* ipsum verbum *Hebraicum* posuit ἀφαρφαρώθ. *Chaldæus*, טעותא, *idola*; *Syrus* ܣܢܝܩܘܬܐ, *vanitates*; *Aben Ezra* putat esse שם עוף יעוף בלילה כעטלף ומביא עצמו ביום במקום סתר *nomen avis, quæ noctu volat vespertilionis instar, & interdiù se subducit in occultum locum.* Quæ singula expendere nostri otii non est. Et monuisse sufficiet his omnibus merito suo præferri è nostris *Hieronymum*, & ex *Hebræis R. Selomonem*, qui *talpas* hic intelligunt. Nam à Verbo חפר *chaphar*, quod *fodere* est, commodissimè nominantur animalia maximè ὀρυκτικὰ, quæque in fodiendo totam ætatem degunt. Et, quod jam suprà (*g*) obiter attigimus, ideò in חפרפרות *chapharpheroth*, Radicales geminantur, ut significatio sit intensior. Tale אדמדם *adamdem*, pro *summè rubro*; ירקרק *jerakrak*, pro *summè flavo*; שחרחר *schacharchar*, pro *valde fusco*; עקלקל *akalkal*, pro *summè tortuoso*; הפכפך *haphachphach*, pro *summè versatili*; פתלתל *pethaltol*, pro *summè contorto*; יפהפיה *jephephija*, pro *summè pulchra*. Præterea hæc eadem versio jungit *talpas vespertilionibus*, quæ sunt animalia in multis similia, quamvis unum sub terra repat, alterum in aërem volatu se attollat. Primò enim, utrumque vile est & immundum animalculum. Secundò, utrumque ad murinum genus aliquo modo refertur. Quod de talpa jam (*h*) probatum est. Et de vespertilione neminem latet. Hinc apud *Nonnium Varro*, in *Agathone*, *Factus sum vespertilio, neque in muribus planè, neque in volucribus sum.* In *Æsopo* pro ave captus à mustela vespertilio, ut evaderet, ἔλεγεν, ὡς οὐκ, ἀλλὰ μῦς εἴη, *se non avem esse, sed murem.* *Scaliger* mediam habere naturam contendit inter soricem & hirundinem. Proinde apud *Eustathium* πτερὰ μῦς muri & vespertilioni communis est. Et vespertilionem *Victorinus* in libro *De orthographia* nominat *soricem avem*; Kimchius העכבר בעל כנפים, *murem alatum*; Lombardi *ratto penago*, id est, *murem pennatum*; Hispani *morcego*, id est, *murem cæcum*; Galli *chauve-souris*, id est, *calvum soricem*. Tertiò, talpa cæca est, & parùm videt vespertilio. Unde *Arabicè* خفاش *chuphas*. Nam خفش *chaphas* apud illos *oculi parvitatem & debilitatem* sonat: & اخفش *achphaso* est μύωψ. Proinde, ut talpæ sub terra, ità vespertiliones interdiu in antris & locis obscuris degunt.

g) Pag. 1026. lin. 66. &c.

h) Pag. 1024. lin. 59. &c. supra.

- - - - - (i) lucemque perosi
Nocte volant, seroque tenent à vespere nomen.

i) Ovid. Metam. lib. 4. Fab. 12.

Quod maxime ad rem facit. Idola enim dicuntur ad talpas & vespertiliones projici, cùm è sublimi loco, in quo eminebant, tanquam in tenebras detruduntur, ut ne amplius superstitiosis hominibus suo fulgore illudant,

ludam. Et videtur fuisse apud *Hebræos* Proverbialis locutio, qua *ad talpas & vespertiliones projici* dicebatur quod erat planè despectum, atque in summo contemptu. Proinde rectè *Kimchius* hæc dici vult דרך בזיון, id est, *per modum contemtus.* Quamvis etiam ad literam id impleverit *Jacobus Patriarcha*, cum idola suæ familiæ infodit sub terebintho, *Gen.*35.*v.*4. Aliter *Hieronymus*, *In die illa projiciet homo idola*, &c. *quæ fecerat sibi, ut adoraret, talpas, & vespertiliones.* Quomodo etiam ex *Hebræis Rabbi Selomo.* Quod ideo minùs placet, licet *Hebræa* id ferre possint; quia talpas & vespertiliones à veteribus pro Diis fuisse cultos nusquam legi.

Quis nescit, Volusi Bithynice, *qualia demens*
Ægyptus *portenta colat?* - - - -

Tamen ne in *Ægypto* quidem eò usque descendit idololatrarum vesanus furor. Quamvis huic sit proximum, quod μυγάλην, id est, *murem araneum*, colebant *Athribita*, ut testatur *Strabo* lib. 17. Ut *Musoritas* taceam, *Christianos* Hæreticos, à quibus cultos fuisse sorices legitur in *Philastrio.*

Inter Opera *Hieronymi* extat *Liber nominum*, à *Philone* inchoatus, ab *Origene* auctus, & ab *Hieronymo* perfectus, in quo explicantur nomina propria, quotquot extant in *Prophetarum* libris. In his פרפר *Farfar*, fluvii *Damasceni* nomen 2. *Reg.* 5. *v.*12. *talpam* explicari videas; cujus explicationis auctor, quisquis est, putavit פרפר decurtatum fuisse ex præcedenti חפרפר. Quomodo *fossa* in *Talmude* פירה per Aphæresin dicitur pro חפירה.

Talpa meritò in Lege immundis animalibus accensetur, cum neque bisulca sit, neque ruminet. Præterea cæcitate sua typus est eorum, quorum mentes excæcavit Deus hujus sæculi, ne iis oboriatur splendor Evangelii, 2.*Cor.*4.*v.*4. Et dum in terra fodienda jugiter occupatur, refert eos homines, qui nihil nisi terrestria curant, *Philip.* 3. *v.* 19. & quorsum sapientia terrena est, animalis, Diabolica, *Jacobi* 3. *v.*15. At *mustelam*, quam interpretes per vocem חולד *choled*, designari voluerunt hactenus, significare τὰ δειλὰ, καὶ ἄνανδρα, καὶ ψοφοδεῆ τῶν κλεπτῶν γένη supra (*k*) nos docuit *Cyrillus*, ut à nobis emendatus est. Quale illud in *Aristea*, Κακοποιητικὸς ὁ τρόπος ἐστὶ καὶ γαλῆς, καὶ μυῶν· *Malefici sunt mores tam mustelæ, quàm murium.* Et paulo post, Τοῦτο τῆς γαλῆς γένος ἰδιάζον ἐστί. χωρὶς γὰρ τῶν προειρημένων, ἔχει λυμαντικὸν κατάστημα· διὰ γὰρ τῶν ὤτων συλλαμβάνει, τικτοποιεῖ δὲ τῷ στόματι. Quod ita in *Hebræo*, הנה עוד בסגולת טבעו התועבה הזאת שהנקבה תהר מאזנה חולד מפיה *Ecce insuper inter propria naturæ ejus est hæc abominatio, quod fœmina aure concipit, & ore parit.* Et *Algiahid*, hæc invertens, *Aristotelem* docuisse fingit, in libris *De natura & proprietatibus animalium*, ان الانثي من بنات عرس تلقح من افواهها وتلد من اذنانها *fœminas in mustelis ore concipere, & aure parere.* Tamen in scriptis *Aristotelis* nihil occurrit simile. Quin eos, qui mustelam ore parere nugantur, non refellit modò, sed & fabulæ originem aperit libri tertii *De generatione animalium* capite sexto; ubi, postquam mustelæ vulvam eodem modo se habere dixit, quo reliquorum quadrupedum, neque fœtum inde posse ad os devenire, addit, natam esse hanc opinionem διὰ τὸ τίκτειν πάμπαν τὴν γαλῆν μικρὰ, τῷ δὲ στόματι πολλάκις μεταφέρειν τοὺς νεοττοὺς, *ex eo, quòd mustela catulos parit parvos admodum, eosque ore sæpe transfert.* At aliud mihi se offert, quod videtur vero similius. Puto ad mustelam translatum, quod in mustelo pisce veteres observaverunt. Quippe etiam ὁ γαλεὸς, seu *mustelus piscis*, creditur ore parere. *Ælianus Historiæ* libri secundi capite quinquagesimo quinto, Ὁ γαλεὸς ὠδίνει διὰ τοῦ στόματος ἐν τῇ θαλάττῃ, *Mustelus in mari per os parit.* Et libri noni capite sexagesimo quinto, Οἱ μυούμενοι τοῖν Θεοῖν οὐκ ἂν πάσαιντο γαλεοῦ φασίν· οὐ γάρ ἐστιν αὐτὸν καθαρὸν ὄψον ἐπεὶ τῷ στόματι τίκτει. *Dearum* (nempe *Cereris & Proserpinæ*) *Sacerdotes ajunt mustelum piscem nunquam edere: neque enim mundum esse cibum, quoniam ore parit.* Et ideò creditur ore parere; quia parvulos suos quandoque in os recipit, unde exeuntes qui vident, hunc partum esse sibi fingunt. Quod ipse *Philosophus* obiter tangit, cum de mustelis, seu galeis piscibus, dicit *Historiæ* libri sexti capite decimo, Ἐξαφιᾶσι καὶ δέχονται εἰς ἑαυτοὺς τοὺς νεοττούς· *Fœtus suos emissos intra se ipsos recipiunt.* Sed alii multo disertius. *Antigonus Historia* vigesima quinta, Τῶν δὲ γαλεῶν τὰ ἔμβρυα, ἐξιόντα ἐκ τῆς κοιλίας, νέμεται· καὶ πάλιν ἐκδύεται (lege εἰσδύεται) κατὰ τὸ στόμα. *Galeorum fœtus ex utero exeuntes, pascunt; rursumque per os intrant.* *Athenæus* libri septimi capite duodecimo, Τίκτει δὲ ὁ γαλεὸς τὰ πλεῖστα τρία, καὶ εἰσδέχεται τὰ γεννηθέντα εἰς τὸ στόμα, καὶ πάλιν ἀφίησι· *Plerumque parit mustelus tres catulos, eosque ore recipit, & rursus emittit.* *Plutarchus* catulos in ipso matris utero ex ovo formari dicit, deinde per os emitti tanquam secunda generatione. Verba sunt in libro *Utra anim.* Τίκτουσι μὲν γὰρ ᾠὸν, εἶτα ζῶον, οὐκ ἐκτὸς, ἀλλὰ ἐντὸς ἐν ἑαυτοῖς. καὶ τρέφουσιν οὕτως, καὶ φέρουσιν, ὥσπερ ἐκ δευτέρας γενέσεως. Et in Περὶ φιλοστοργίας dicit emissos rursus admittere, & dormientes suis visceribus involvere: Οἱ γαλεοὶ ζωογονοῦσι μὲν ἐν ἑαυτοῖς, ἐκβαίνειν δὲ παρέχουσιν ἐκτὸς, καὶ νέμεσθαι τοῖς σκύμνοις, εἶτα πάλιν ἀναλαμβάνουσι, καὶ περιπτύσσουσιν ἐγκοιμωμένοις τοῖς σπλάγχνοις. *Ælianus* etiam libri secundi capite quinquagesimo quinto, Πάλιν τε εἰσδέχεται τὰ βρέφη, κἀνεμεῖ ταῖς αὐταῖς ὁδοῖς ζῶντα, καὶ ἀπαθῆ· *Fœtus* (ore) *denuò recipit, eademque via revomit vivos, & incolumes.* Nempe in subito metu illis ita consulit. Idem *Ælianus* libri noni capite sexagesimo quinto, Οὐ τίκτειν δὲ αὐτὸν ἔνιοι λέγουσιν· ἀλλὰ, δείσαντά τι τῶν ἐπιβουλευόντων, τὰ σκυλάκια καταπίνειν, καὶ ἀποκρύπτειν. εἶτα τοῦ φοβήσαντος παραδραμόντος, ζῶντα αὖθις ἀνεμεῖν. *Eum non ore parere quidam dicunt; sed, insidiarum timore perculsum, catulos suos devorare, & abscondere: deinde metu ablato vivos rursus evomere.* Idem de glauco pisce multi referunt, ut idem *Ælianus* libri primi capite decimo sexto, *Oppianus Halieuticῶν* libri primi versu 749, *Phile* capite sexagesimo nono: *Tzetzes* etiam *Chiliados* quartæ *Historia* centesima vigesima sexta, glaucum, canem, & galeum scribit in metu catulos abscondere, glaucum & canem in ore, & galeum in ventre, καὶ πάλιν ταῦτα γεννᾶν, τοῦ φόβου παρελθόντος, *& eos rursus parere, cum præteriit timor.* Itaque ex hac nube testium apparet, non τὴν γαλῆν, id est, *mustelam quadrupedem*, sed τὸν γαλεὸν, id est, *mustelum piscem*, catulos ex ore emittere; quod aut verum esse partum, aut partus instar se habere creditum. Merito igitur *Isidorus Originum* libri duodecimi capite tertio, eos refellit, *qui dicunt mustelam aure concipere, & ore effundere partum* (ita legendum, non, ut vulgò, *ore concipere, & aure*, &c. quamvis hoc sequantur *Arabes.*) Et ore quidem parere mustelam multi dixerunt, ut ex *Philosopho* scimus. Sed aure concipere nescio an quisquam dixerit ante *Aristeam*, qui fabulam videtur ideo sic adornasse, ut mustela delatorum & calumniatorum esset typus. Illi enim, inquit, alios malis involvunt, ὅσα διὰ ἀκοῆς λαβόντες, ταῦτα τῷ λόγῳ σωματοποιήσαντες, *ea, quæ auribus acceperant, verbis* quasi *corporantes*, id est, *exaggerantes, & in majus augentes:* quæ nova & prorsus inusitata est acceptio verbi σωματοποιεῖν. Falsus quoque *Barnabas*, ut in mustelam horribile fellatorum crimen impingat, illam ore parere non dicit, sed κύειν *concipere.* Ἀλλὰ, inquit, καὶ τὴν γαλῆν ἐμίσησε καλῶς. οὐ μὴ γὰρ φησιν, ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις, οἵους ἀκούομεν ἀνομίαν ποιοῦντας τῷ στόματι, διὰ ἀκαθαρσίαν, &c. Τὸ γὰρ ζῶον τοῦτο τῷ στόματι κύει. Itaque in eo loco non

non putamus quidquam mutandum: neque hac in parte accedimus viri optimi, doctissimi, & nobis amicissimi sententiæ, qui in *Notis* ad hanc Epistolam, mirum, quàm eruditis! censet hunc locum esse corruptum, & ex *Aristea* restituendum. *Ægyptii* quoque voluêre lasciviæ tribadum in mustelis esse exemplum, ut docet *Horus Hieroglyphicωn* libri secundi capite trigesimo quarto: sed alii honestiores apud *Plutarchum* in *Iside* statuunt τὴν γαλῆν κατὰ τὸ οὖς ὀχευομένην, τῷ δὲ στόματι τίκτουσαν, εἴκασμα τῆς τοῦ λόγου γενέσεως εἶναι, *mustelam, cùm aure ineatur, & ore pariat, sermonis generationem referre.* Ita nonnunquam

Maxima de nihilo nascitur historia.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

Probatur קפוד *kippod*, esse *Hericium*, & *Hystricem.*

Vox קפוד kippod, *apud interpretes quàm anceps, aliis terrestre animal, aliis aquaticum, aliis avem esse volentibus, quorum rursus multa classes: sed* hericium *esse probatur.* 1. Græci & Hieronymus *ita reddunt.* 2. *Multi* Hebræorum. גימון *gimon*, Hebraicè, πύρταχος Græcè, *quid propriè.* 3. Arabicè قنفد kunphud, *hericius. Hystrix ejus species.* Kunphud *non est* testudo, *ut vult* Kimchius. *Testudinis Arabicum nomen quale, & unde. Hericii apud* Arabes *varia nomina, & descriptio. De eo quid Medici. Paraphrastæ* Arabum ἐχῖνος *reddunt* قنافد. Hericius *cur vocetur* קפוד, *varia conjectura.* קפדן *kaphdan*, morosus, asper, intractabilis. הפקיד, attentum esse & sollicitum. ܩܦܕ *Syris* horripilare, *ut* Gallis herisser. *Echinus animal solitarium; unde* Græcum χὴρ, Latinum HER, & *crescente voce*, HERIX, HERICIUS, HERINACIUS, Hir, *vola manus*, *ex* Græco χείρ. *Hystricis in pugna virtus, & solertia: quam &* Poetæ & Philosophi *graphicè nobis exhibent. Hystrix & hericius in* Syria *frequentes. Refelluntur, qui* קפוד kippod, *in* Prophetis *aquaticum animal aut avem esse volunt.*

TRia elementa certant de animali קפוד *kippod*: quod alii terræ adscribunt, alii aquæ, alii aeri cum volucribus. In primo ordine pono *Græcos*, & *Hieronymum*; quibus קפוד *kippod*, est ἐχῖνος *hericius*, nempe terrestris, qui æstate in sepibus, hyeme in truncis arborum, aut in terræ scrobibus degit. Alii aquaticum animal esse inferunt ex his *Esa.* 14. *v.* 23. de *Babylone*, *Ponam eam in possessionem hereditariam* τοῦ kippod, *& stagna aquarum.* Sed horum agmen bipartitum est, aut tripartitum etiam. Pars *testudinem* esse vult, pars *castorem*, pars *lutram*. Nituntur omnes Etymologia vocis. Nempe *Esa.* 38. *vers.* 12. קפד, est *præcidere*, uti textor stamen præcidit, tela tota jam pertextâ. His autem animalibus præcidendi mira vis. De castore res notissima. *Animal est horrendi morsus*, (inquit *Plinius* libri octavi capite trigesimo) *arbores juxta flumina, ut ferro cadit.* Sed & lutram *Varro* libro quarto *De lingua Latina* dici vult ἀπὸ τοῦ λύειν. *quod succidere dicitur arborum radices in ripa, atq; eas dissolvere.* Eandem in testudine vim eo mitere magis, quod, *cum illi dentes non sint, rostri tamen acie comminuit omnia. Rostri* scilicet *margines acuti sunt, supernâ parte inferiorem claudente pyxidum modo.* Ita *Plinius* lib. 11. cap. 37. & lib. 9. cap. 10. Cui simile, quod de marina testudine legitur in *Porta cœli* fol. 34. a. ויש לה כח גדול בפיה ובשיניה ואם תקח אבן בפיה תשבור אותה בכח גדול לחלקים קטנים *Ipsi est robur ingens in ore & dentibus. Et si ore lapidem accipit, viribus magnis conterit eum in minutissimas partes.* Huc accedit, quod *Arabicè*, si utrique *Kimchio* fides, *testudinis* nomen est קנפאד, quod ab *Hebræo* קפוד, non multum differt. Sed ab iis objicitur, qui in tertia sententia sunt, nempe קפוד *kippod*, esse avis speciem: alibi ab *Esaia*, & *Sophonia*, *kippod* nominari cum avibus. *Esaiæ* locus sic habet capitis trigesimi quarti capite undecimo, *Possidebunt eum pelecanus & kippod.* Nec multò aliter *Sophonias* capitis secundi versu decimo quarto, *Etiam pelecanus, etiam* kippod *in superliminaribus ejus pernoctabunt.* Rursus ab his dubitatur, quod avis genus sit *kippod*: aliis *noctuam* explicantibus; aliis *vulturem*; aliis *merulam*; aliis *butaurum*, sive *ardeam stellarem*; aliis *cypselum*, qui & *apus*; aliis *plancum*, aut *aquilam anatariam*; & quid non? Et plerasque illas interpretationes ita inter se confert doctissimus *Fullerus Miscellaneorum* libri primi capite decimo octavo, ut nullam rejiciat præter illam, quæ sola vera est. Antiquissimam illam dico, quâ קפוד *kippod*, *hericius* exponitur: cui firmandæ multa faciunt.

Primò, *Græcorum* auctoritas, & *Hieronymi*, qui constanter ita exponunt. Ab iis autem recedere tutum non puto, nisi graves causæ subsint, quales hic nullas video. 2. *Græcis Hebræos* addo, apud quorum doctissimos pridem invaluit hæc sententia, קפוד esse *hericium*. *Hispanica* voce *R. Nathan* explicat ריצו *rizo*, vel *erizo*; Italicâ *Pomarius* ריצו *riccio*, Gallicâ *Rabbi Selomo* הריצון *herisson*, Germanica *Elias* איגל Igel. Et in *Talmude* קפוד *kippod*, vel קופד *kuphad*, quod idem est *Chaldaica* inflexione, sæpe ponitur inter terrestres bestias quadrupedes. Ut in *Berachoth* capite nono folio quinquagesimo septimo b. כל מיני חיות יפות לחלום חוץ מן הפיל והקוף והקפוד, *Omnes ferarum species bonæ sunt ad somnium* (id est, boni ominis in somnis visæ) *præter elephantem, simiam, & kippod*, id est, *hericium*. Nugatur enim *R. Selomo*, qui exponit *cercopithecum*. Et in Tractatu *Kelaim* cap. octavo folio trigesimo secundo a. הקופד והחולדה הסנים, *Et* kuphad (*hericius*) *& mustela ruborum.* Et in *Bava Kama* capite septimo, אין מגדלין החתולים והקופדים, *Non alunt feles, &* kuphadim (*hericios.*) Et in *Sabbatho* capite quinto folio quinquagesimo septimo b. ואין העגל יוצא בגימון ולא פרה בעור הקופד *Vitulus* (die *Sabbathi*) *non exit cum* gemon, *nec vacca cum pelle* kuphad. גימון *gemon*, *Hebræis* puto esse κημὸν *camum*, & vocem inde deduci; quamvis hoc vocabulo non designent camum quemvis, sed quo vitulus prohibetur ne lactet. *Aruch* definit לוח בפיו שלא יוכל לשתות החלב *Tabulam, qua ori ejus inditur, ne possit lac exsugere. Græcè* πύρταχον dixeris. *Hesychius*, Πύρταχος, ξύλον καμπύλον τοῖς μόσχοις περὶ τοὺς μυκτῆρας τιθέμενον, ὃ κωλύει θηλάζειν *Lignum curvum vitulis circa nares appositum, quo prohibentur, ne lactent.* Et pellis *kuphad* (id est, *hericii*) vaccæ mammis alligabatur eodem fine, id est, ne vel vitulus, vel aliud animal ipsam exsugeret. *Rabbi Selomo* in hunc locum, קופד שרץ הוא שגופו חדים כמחט וקורין לו הריצון וקושרין עורו בדדי הפרה שלא ינקוה שרצים Kuphad *reptile est* (ita *Hebræi* vocant minima quadrupe-

drupedum) *cujus pili in acus modum acuti ſunt, vulgò vocatur* heriſſon. *Hujus pellis vacca mammis alligatur, ne reptilia eas exſugant.* Neque enim à ſolo vitulo lacti cavendum, ſed & à ſerpentibus, è quorum numero *boa aluntur primo bubuli lactis ſucco, unde nomen traxêre.* Ita *Plinius* libri octavi capite decimo quarto. Et, qui hunc ſequitur, *Solinus*; *Captat* (boa) *greges bubulos, & qua plurimo lacte rigua bos eſt, ejus ſe uberibus innectit, ſuctuque continuo ſaginata*, &c.

4. *Arabicè* denique قنفذ *kunphud*, Plurali قنافذ *kanaphido*, eſt *hericius*. Barbari interpretes ſcribunt *canfed, cenfud, cenfund*, &c. Res notior eſt, quàm ut probatione egeat. Tantum lectorem monebo nomine قنفذ *kunphud*, præter *herinaceum*, etiam *hyſtricem* contineri. Id clarum eſt ex *Avicenna*, qui inter ſpecies *kunphud* unum dicit eſſe *montanum*, *ſpinas habentem miſſiles*, cujus proprium nomen eſt دلدل *duldul*, id eſt, *hyſtrix*. Hinc in *Damire* hericii fœmina vocatur ام دلدل *mater τȣ͂ duldul*, id eſt, *hyſtricis*. Et *duldul*, ſeu *hyſtrix*, ibidem definitur عظيم القنافذ, *hericius major*. Et juxta *Algiabid* الفرق بين الدلدل والقنافذ كالفرق بين البقر والجواميس والبخاتي من الابل العراب Duldul, *&* kanaphido (id eſt, *hyſtrix*, & *hericii* propriè dicti) *non aliter differunt, quàm à bubalis boves, & cameli* Bactriani *ab* Arabicis. *Elmacinus* denique *Saracenica Hiſtoria* libri primi capite quinto videtur per القنفذ *alkunphud hyſtricem* potius quàm *hericium* ſignificaſſe, cum de *Aiſie* camelo ſcribit. صار كالقنفذ من السهام *Factus eſt ut* alkunphud *præ telis*, id eſt, præ telorum copia, quibus transfixus eſt. Sed hac in parte habuerunt *Arabes*, quos ſequerentur, *Plinium*, & *Oppianum*: quorum ille libri octavi capite trigeſimo quinto hyſtrices expreſſè ponit *in herinaceorum genere*; hic libri ſecundi *Cynegeticῶn* verſu 603. echinorum terreſtrium duo genera faciens, alios parvos, & imbelles, alios μεγέθει πολὺ μείζονας, *longè majores*, & circumquaque horrentes — ἀξονοτέροισιν ἀκωκαῖς, *majoribus cuſpidibus*, per majores illos echinos videtur *hyſtrices* intelligere. Sed & *Suidæ* ἡ ὕστριξ *hyſtrix* eſt ὁ ἀκανθόχοιρος, ὁ χερσαῖος ἐχῖνος, *porcus ſpinoſus, hericius terreſtris*.

Jam, ne quis objiciat ex utroque *Kimchio Arabum* قنفذ *kunphud* eſſe *teſtudinem*, ajo illos hac in parte graviter hallucinari. Cum *Arabicè teſtudo* non dicatur *kunphud*, ſed سلحفاة *ſulachpha*, vel سلحفية *ſulachphia*, quaſi *cortice* vel *putamine latentem* dicas: nempe خفا *chapha* eſt *occultare*; & سلخ *ſilch*, vel *ſulch*, φολὶς *cortex*, propriè *ſerpentis*, ſed & *teſtudinis*: ut γῆρας, quam vocem plerique uſurpant pro *leberide*, ſeu *ſpolio ſerpentis*, ſed & nonnulli pro χελώνης, ut *Ælianus Hiſtoria* lib. 11. cap. 37. & *Suidas* in φολίδωτ. At قنفذ *kunphud* eſſe *hericium* nemo ibit inficias, qui *Damirem* legerit: ubi قنفذ *kunphud* cognominatur ابو الشوكي *abuſſuchi*, id eſt, *pater ſpinarum*: & انقذ *ankado*, id eſt, *decorticator*: *&* ابو سفين *abuſaphin*, id eſt, *pater qui abradit vel expolit*, quia hujus cute veſtes expoliuntur: & العساعس *alaſaiſo*, quia noctu vagatur. Id enim propriè eſt عس *aſſa*, ut & سري *ſara*; unde Proverbium apud illos in uſu, اسري من قنفذ *Magis noctivagus quam* kunphud. Ibidem multa reperias, quæ ad ejus deſcriptionem pertinent, in quibus hæc eximia:

القنفذ اذا جاع صعد الكرم منكسا فيقطع العناقيد ويرمي بها ثم ينزل فياكل منها ما اطاق واذا كان له فراخ تمرغ في العناقيد لتشتبك في شوكه ويذهب به الي فراخه وهو لا يظهر الا ليلا وهو مولع باكل الافاعي ولا يتالم لها واذا لدغته الحية اكل الصعتر البري فبري وله خمسة اسنان في فمه والبرية منها تسفد قايمة وظهر الذكر لاصق بظهر الانثي Alkunphud, *cum eſurit, aſcendit in vitem inverſus, & decerpit racemos, quos abjicit. Poſtea inde deſcendens ex iis comedit quantum poteſt. Si catulos habeat, volutatur in racemis, ut ſpinis ſuis implicentur, & cum iis contendit ad catulos ſuos. Non apparet niſi nocte. Viperarum eſum mirè appetit, nec ab illis læditur. A ſerpente demorſus origani ſylveſtris eſu ſanatur. Quinque dentes habet in ore. Terreſtris* kunphud *coit erectus, ita ut maris dorſum hæreat dorſo fœminæ.* Hæc ad hericium pertinere nemo non videt, quamvis in iis nonnulla ſint, quę in *Græcis* fruſtra quæras. Jam, ſi *Medicos* conſulamus, *Avicennam* puta, *Abenbitarem*, atque illum ipſum *Damirem*, de quo ſupra, eos non ſolum reperiemus eaſdem virtutes tribuere τῷ *kunphud*, quas τῷ ἐχίνῳ *Græci* ſcriptores: ſed & *Dioſcoridis* & *Galeni* loca de echino terreſtri & marino reddentes, illum القنفذ البري *alkunphud albarri*, ſeu *terreſtrem*, hunc القنفذ البحري *alkunphud albahari*, ſeu *marinum*, conſtanter nominare. Ut taceam *Prophetarum* interpretes, qui *Arabicam* verſionem ex *Græca* expreſſerunt, ubique *Græcum* ἐχῖνος reddidiſſe القنافذ *alkanaphido*, quod eſt Plurale τȣ͂ *kunphud*. Exempla vide *Eſa.* 14. *v.* 23. & 34. *v.* 11. & *Sophon.* 2. *v.* 14. Proinde ex *Hebræis* id ultro agnoſcit *R. Nathan*, *Arabicè Kimchiis* longè doctior, قنفذ *kunphud* eſſe *hericium*. Porro *Hebræorum* קפוד *kippod*; *Chaldæorum* קופד *kuphad*; & *Arabum* قنفذ *kunphud* idem eſſe animal ſtatim agnoſcet, quiſquis harum linguarum aliquem habebit guſtum. Longa Vocalis in קופד *kuphad*, ſupplet defectum puncti *Daghès*, quod habetur in קפוד *kippod*. Atq; illud ipſum *Daghes* ſupplet litera *Nun*, quæ ſe prodit

in

in *Arabico* قنفذ *kunphud*, ut etiam in *Æthiopico* ቀንፈዝ : *kenphoz* ejusdem notionis. Sic חטה *chitta*, id est, *triticum*, est pro חנטה *chinta*, ut scribunt *Arabes*. Lignum, ex quo facta fuit arca testimonii שטה *sitta*, dicitur pro שנטה *sinta*; ut *Arabicè* سنط *sent*. *Aranea* עכביש *accabis*, pro *ancabis*; ut *Arabicè* عنكبوت *ancabuths*. Et עז *ez*, id est, *capra*, Plurali עזים *izzim*, *Arabicè* est عنز *enz*. Quod hic in eos observandum, qui vocem קפוד *kippod*, revocant ad Radicem קפד *kaphad*, ut significet animal, quod peculiari aliqua vi *incidendi* polleat. Atqui vera Radix non est קפד *kaphad*, sed inusitata קנפד *kanphad*: nisi quis putet compositam esse vocem, Gutturalibus (ut fit) elisis, ex קנה *kana*, quod est *spiculum*, & אפד *aphad*, quod est *amicire*: quia hoc animal spinis & aculeis tanquam spiculis amictus & circumvallatus est. Aut, si malis in قنفذ *kunphud Nun* esse Epentheticum, etiam Radix קפד *kaphad*, quædam habet significata, quæ huc referre possis. Ut cum קפדן *kaphdan*, usurpatur de homine aspero & iracundo. Quo sensu in *Sanhedrin* capite undecimo Propheta *Elias* dicitur fuisse קפדן. Et in Tractatu *De Sabbatho* cap. 2. fol. 30. b. לעולם יהא אדם ענותן כהלל ואל יהא קפדן כשמאי, *Semper sit homo mansuetus sicut* Hillel, *neque sit* kaphdan (*seu iracundus*) *ut* Sammai. Quia, ut ait *Pomarius*, homo asper & iracundus est כמו הקפוד עם קוצים, *ut hericius cum spinis*. Ita *Græca* hæc Adagia, Ἐχῖνε τραχύτερ☉, & Ἅπας ἐχῖν☉ τραχὺς, hominem morosum significant, & intractabilem. Eodem pertinet, quod קפד *kaphad* vel הקפיד *hikphid*, *attentum & sollicitum esse* significat: & הקפדה *hakkephada*, *attentionem & sollicitudinem*; quia, ut est in *Pomario*, *cum hericius* יקוץ כל גופו, *spinis obtegit totum corpus suum, facie inter pedes delitescente, & aculeos erigit, quibus ut clypeo se muniat, & eos lædat, qui violentas manus in eum injicere volunt*, פעולה הזאת היא השגחה והרגשה נמרצת, *hæc actio est providentia, & attentionis acerrima*. Præterea ܣܡܪ *Syris* est *horrere*, vel *horripilari*; ut cum pili præ metu eriguntur, quomodo in hericiis. Sic *Psalmi Syri* centesimi decimi noni versu 120, ܣܡܪ ܡܢ ܕܚܠܬܟ ܒܣܪܝ, *Horruit caro mea præ timore tui*, id est, *horruerunt pili carnis meæ*, ut habetur *Job*. 4. v. 15. Gallicè *herisser* dixeris eadem Metaphora. Nam *herisser*, id est, ὀρθοτριχεῖν, *horripilari*, & *herisson* sunt Conjugata.

Jam, ut ad objectiones respondeam, negat *Fullerus* in herinacei natura quidquam esse, quod conveniat τῷ *kippod*. Quod non possum mirari satis, cum ab *Esaia* & *Sophonia*, semper describatur *kippod* ut animal solivagum, & φιλέρημον, habitans in *Babylonis*, *Bostra*, & *Ninives* desolatis urbibus. Qualem esse herinaceum nemo est qui nesciat, ζῶον χῆρον, ἤτοι ἔρημον, quodque adeo ab omni aliorum animalium societate prohibent aculei, quos impunè nemo attigerit. Unde factum, ut *Græcè* χὴρ diceretur. *Hesychius*, χὴρ, ἐχῖν☉· nempe ἀπὸ τῆς χηρώσεως. ἤτοι ἐρημώσεως. Unde etiam *Latinum* nomen; non *ab hærendo*, aut *horrendo*, ut volunt. Nam ut *hir*, pro *vola manus* apud *Probum* & *Charisium*, factum ex *Græco* χεὶρ· ita *her* pro *hericio* omnino est ex *Græco* χήρ. Quem scilicet posterior ætas, crescente voce, appellavit *hericem*, *hericium*, *herinacium*, cum veteres *herem* vocabant. *Nemesianus* in *Cynegetico*.

Implicitumq; sinu spinosi corporis herem.

Et multo ante *Plautus* in *Captivis* Actu primo ex emendatione Cl. *Salmasii*.

I, modo venare leporem, nunc herem tenes.

Aut, si nomine *kippod*, apud *Prophetas*, *hystricem* intelligamus (quem sub eodem cum herinaceo genere contineri probavimus ex veteribus) res videbitur eò magis ad horrorem comparata, si *Propheta* minetur fore, ut populosæ urbes, quales in *Chaldæis Babylon*, in *Assyriis Ninive*, & *Bostra* in *Idumæis*, hystricibus in hæreditatem cedant. Hystrix enim hericio & major & ferocior est, & propter missiles spinas, quas in canes, & venatores, certo destinatoque ictu vibrat, longè terribilior. Proinde eximius *Poeta*, postquam hystricem pilis, in sagittarum modum acutis, horrentem graphicè descripsit, his verbis docet quantum hystrix echino, id est, herinaceo, præstet:

Sed non hæc acies ritu sylvestris echini
Fixa manet. Crebris propugnat jactibus ultrò,
Et longè sua membra regit, tortumq; per auras
Evolat excusso nativum missile tergo.

Et cum *Ion* in *Phœnice* (a) rideat herinacei οἰζυρὰς τέχνας, *miseras artes*, qui, ab aliis feris impetitus,

Στρόβιλον ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας δέμας,
Κεῖται δακεῖν τε καὶ θιγεῖν ἀμήχαν☉·
Denso sub orbe sentium corpus tegens,
Mordere & ultrò tangere ignarus jacet:

(a) Apud Athenæum lib. 3. cap. 11.

hystricis in pugna virtus & solertia perillustrem *Poetam* in admirationem ita rapuit, ut hos versus ab illo expresserit;

Interdum fugiens Parthorum *more sequentem*
Vulnerat: interdum, positis velut ordine castris,
Terrificum densâ mucronem verberat undâ,
Et consanguineis hastilibus asperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibrataq; rauco
Terga fragore sonant; stimulis accensa tubarum
Agmina collatis credas concurrere signis.
Tantus in angusto strepitus furit. Additur armis
Calliditas, parcusq; sui timor, iraq; nunquam
Prodiga telorum, cautè contenta minari,
Nec nisi servandæ jactus impendere vitæ.
Error abest, certum solertia destinat ictum,
Nil spatio fallente modum, servatq; tenorem
Muta cutis, doctiq; regit conamina visus.

Et paulo post,

Ecce, brevis propriis munitur bestia telis,
Externam nec quærit opem, fert omnia secum,
Se pharetrâ, sese jaculo, sese utitur arcu.
Unum animal cunctas bellorum possidet artes.

Denique jaculandi artem ab hac fera nos didicisse concludit. Et de eadem *Hadrianus* Imperator,

Spinis missilibus canes virosq;
Arcebat procul & fugabat omnes.

Et *Phile* cap. 59. *De animalibus*,

Ὕστριξ δὲ τὰς ἄνωθεν ἐκπέμπει τρίχας,
Ἃς ἡ φύσις γ' ἔθηξε καὶ πρὸ τῆς μάχης.
Φρίξασα γὰρ τὰ νῶτα βάλλει τοὺς πέλας
Οἷον ἀπὸ νευρᾶς (b) ἐντυχών τις τοξότης.
Ut tela villos asper hystrix conjicit,
Natura quas ad prælium exacuit sagax.
Cum nempe dorsum contrahit, nervo velut
Intenso, in hostes tela torquet eminus.

(b) Malim ἔντεχν☉.

Et *Oppianus* lib. 3. *Cynegeticῶν*,

- - - - - Θοὰς δ' ἔφριξεν ἐθείρας
Καί τ' ὄπιθεν νώτοισιν ἀκαχμένον ὠκυπετῆσιν
Ἰθὺς ἀκοντίζει μελίην βέλ☉. - - -

Acutos erigit aculeos, atque retro dorso volucri affixum perniciosum telum rectà ejaculantur. Et paulo post,

Δηθάκις ἔκτεινεν κύνα κάρχαρον,

Dentibus asperum canem sæpenumero interfecit. Proinde venatores, cùm canes non audeant in hystricem immittere, illum quodam dolo capiunt, quem in sequentibus se scripturum professus idem *Oppianus*, morte præventus promissis non stetit. Nec est, quod quis putet hæc *Poeticâ* fide dici, cum idem tradant quotquot scripserunt de natura animalium. Ita *Philosophus*

losophus Historiæ libri noni capite trigesimo nono animalia quædam memorat τὰ βάλλοντα ταῖς θριξὶν, οἷον αἱ ὕστριχες, *quæ villos jaculantur, ut hystrices.* Et *Plinius* libri octavi capite trigesimo quinto, *Hystrici longiores aculei, & cum intendit cutem, missiles. Ora urgentium figit canum, & paulo longius jaculatur.* Solinus quoque, *Spinis tergum hispida* (hystrix) *quas plerumque laxatas jaculatione emittit voluntariâ, ut assiduis aculeorum nimbis canes vulneret ingruentes.* Et *Ælianus* libri primi capite trigesimo primo, Τὰς ἄνωθεν τρίχας ὀπισθίας ἐκπέμπει, καὶ ὡς ἐκ σκοποῦ βάλλει πολλάκις, τὰ νῶτα φρίξασα, αἱ δὲ ἐμπίπτουσιν ὥσπερ ἔκ τινος ἀφειμέναι νευρᾶς. *Superiores pilos ut sagittas emittit, & tanquam ad scopum sæpe rectà destinat, dorsum horrendo contrahens. Illi autem insiliunt tanquam ex nervo emissi.* *Aristophanis Scholiastes* in Pace, & ex illo *Suidas*, Ἔστι δὲ ὕστριξ θηρίον τρίχας ἔχον ὑός, ἃς ἐν τῷ θυμοῦσθαι ἐξακοντίζει κατὰ τῶν διωκόντων. *Hystrix ferè horret suillis setis* (unde illi nomen,) *quas, cum quis illam persequitur, ejaculatur in insequentes.* Porta cœli pag. 19. d. גם יש מין מחזיר הבר שיש להם שערות גסים כמו חצים וזה לסבת גסות העור *Species est porcorum sylvestrium, quibus sagittarum instar densi sunt pili, nempe propter pellis densitatem & duritiem.* *Avicenna* libri secundi *Canonis* capite قنفذ *Kunphud*, والجبلي هو الدلدل ذو الشوك السهمي *Et montanus* (kunphud) *est* duldul (*hystrix*) *qui spinas habet sagittales*, id est missiles. *Damir* in capite دلدل *Duldul* واذا راي ما يكرهه انقبض فيخرج منه شوك كالمسال يخرج من اصابه والشوك الذي على ظهره نحو الذراع *Et cùm videt aliquid infensum, sese contrahit. Et exeunt ex eo spinæ ut acus, quibus vulnerantur imminentes. Spinæ autem, quæ sunt super dorsum ejus, sunt ferè cubitales.* *Paulus Venetus* libri primi capite trigesimo tertio, ubi de *Scassem, Tartariæ* civitate: *Sunt in regione illa multi sues spinosi* (hystrices) *qui, cum capiuntur, spinis suis sæpe homines & canes lædunt. Nam canes, a venatoribus in porcos provocati, adeò irritant, & commovent feras illas, ut simul concurrentes* (contrahentes) *terga sua, quibus spinæ insistuntur, vehementer commoveant, atque stimulos ipsos vehementiâ quâdam excutiant, & in viciniores homines & canes vibrent.* Gesnerus, *Certo destinatoque ictu ferit quem voluerit, vulnere interdum incurabili propemodum, utpote angusto, & profundo, periculoso nimirum si nervus pungatur.* Ut *Oppianus* non immerito canat,

Ὑστρίχων ὄπω τι πέλει κατὰ δάσκιον ὕλην
Ῥίγιον εἰσιδέειν, οὔτ' ἀργαλεώτερον ἄλλο,

Quæ ità contraxit *Stephanus* in *Notis* ad *Callimachum*,

Hystrice nil silvis visu magis horret opacis.

De hoc *Prophetas* egisse eò fit verisimilius, quod ab *Arabibus* disco rem ignotam hactenus, hystricem animal esse in *Syria* frequens. *Damir* in capite دلدل *Duldul*, seu *De Hystrice*, هو كثير ببلاد الشام والعراق وببلاد المغارب *Abundat in regione* Syriæ, *&* Irak (*Mesopotamia*, & *Babylonia*) *& in regione Magareb*, id est, *Africa Occidentali*. Quod ipsum de hericio sic docet, وهو صنفان قنفذ يكون بارض مصر قدر الفار وقنفذ يكون بارض الشام والعراق في قدر الكلب القلطي والفرق بينهما كالفرق بين الفار والجرذ *Hericius duarum est specierum. Unus enim est in terra Ægypti, soricis magnitudine; & alter in terris* Syriæ, *&* Irak (*Mesopotamia, & Babylonia*) Melitensis *canis magnitudine, ità ut tam differant, quam differunt sorex & mus.*

Qui aquaticum animal קפוד *kippod*, esse colligunt ex his *Esaiæ* de *Babylone*, *Ponam eam in possessionem* τ̃ kippod, *& stagna aquarum*, ne sic quidem quidquam afferunt, quod sententiæ nostræ officiat. Cum in aquatilibus etiam sit echini species, qui *Avicennæ, Damiri, Abenbitari* قنفذ بحري aliis ἐχῖνος θαλάσσιος *echinus marinus* dicitur, aut verò ποτάμιος *fluviatilis*. Haberi enim & fluviatiles echinos *Paulus Ægineta* prodidit. Quibus scatere potuit *Euphrates ad Babylonem*. Ad eas saltem insulas, quæ *Euphratis* ori objectæ sunt, insignis magnitudinis echinos reperiri ex *Nearcho* discimus. *Strabo*, λέγει δὲ (ὁ Νέαρχος) ἐν ταῖς πρὸ τ̃ Εὐφράτου νήσοις φύεσθαι παγούρους καὶ ἐχίνους μεγάλους. Sed nos *Esaiæ* locum multò aliter interpretamur, nempe hoc modo; *Ponam eam in possessionem* τ̃ *kippod* (id est *terrestris echini*,) *etiam stagna aquarum*. Id est, Non modò desolabitur urbs, sed & vicina stagna sic exarescent, ut tam apta futura sit in iis, quam in urbe echino terrestri sedes, qui locis aridis maximè delectatur. Sic *Sophon*. 2. v. 13. poni dicitur *Nineve* לשממה ציה *in desolationem, & siccitatem*, atque ità demùm fieri, ut *kippod* in ea diversetur. Et *Es*. 34. v. 11. antequam *Idumæa* tradatur in possessionem τ̃ *kippod*, mutantur in picem torrentes, & pulvis in sulphurem.

Ut קפוד *kippod*, probetur esse avis, parum in eo momenti est, quod *Es*. 34. v. 11. cum avibus nominatur. Statim enim versu decimo tertio junguntur simul dracones & struthiones, quamvis animalia toto genere diversa. Et *Sophonias* greges, bestias, pelecanum, & *kippod* simul in unum fascem congerit. Quod ipsum magis afficit lectorem, cùm in descriptione vastitatis ea, quæ ad horrorem pertinent, ità confusaneo ordine proponuntur. Cum inter multas aves *leporum* meminit *Sophocles* in hoc versu in *Amyco Satyrico*,

Γέρανοι, κορῶναι, γλαῦκες, ἴκτινοι, λαγοί,

Grues, cornices, noctua, milvi, lepores: quis inde concluserit *leporem* esse avis genus? Scio non neminem pro λαγοὶ reposuisse λάροι, quod avis aquaticæ genus est. Sed frustrà *Athenæus* enim libri noni capite decimo quarto hunc versum citat, ut probet λαγοὶ tam *Atticum* esse, quam λαγώς. Itaque retinendum λαγοί. Contrà, in *Luciani Syria Dea*, inter multas quadrupedes *aquilas* sic nominari videas: Ἐν δὲ τῇ αὐλῇ ἄφετοι νέμονται βόες μεγάλοι, καὶ ἵπποι, καὶ αἰετοί, καὶ ἄρκτοι, καὶ λέοντες. *In atrio autem liberi pascuntur boves magni, & equi, & aquilæ, & ursi, & leones.* Unde ineptè colligatur, ibi aquilas non esse aves, sed genus quadrupedis.



DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS, PARS PRIMA.

Liber Quartus,

DE *Quadrupedibus Oviparis.*

CAPUT PRIMUM.

Probatur צב *tſab, Levit.* 11. *v.* 29. eſſe *Crocodilum terreſtrem* ; de quo ex *Arabum* monumentis multa afferuntur nondum vulgata.

Pauca hujus generis animalia in Scriptura, ſed difficilia cognitu. Hic Arabes *multùm profuiſſe.* צב tſab, Hebræorum *alii* bufonem, *alii* teſtudinem *reddunt, quod maximè ſequuntur recentiores.* Arabes, *in quorum ſolo naſcitur,* ضب dhab *efferunt, propter punctum adſcriptum τῷ* Tſad, *& in* lacertis *cenſent. Apud* Arabum Criticos *varia nomina maris, fœminæ, fœtûs, partium, latibuli, venatûs,* &c. Philoſophi *marem docent biſidum habere veretrum, & fœminam duplicem vulvam. In cauda eſſe nodos* XXI. *Dentes eſſe continuos, qui nunquam decidant. Ipſum animal nunquam bibere, rarò mingere. Viſu primùm eſſe hebeti, ſed qui ad Solem clarior fiat: ut* lacerta Solaris *in* Epiphanio. *Longævisſimum eſſe. Aëre veſci, & certis herbis, & radicibus. In locis celſis & petricoſis nidificare, in quorum foſſione ungues deterat. Oblivionem & ἀβλεψίαν ipſi eſſe naturalem, de quo* Proverbia. *Ova ſua, columbarum ovis ſimilia defodere, unde catuli quadrageſimo die excludantur. Proprios catulos vorare. Ut canem ad vomitum redire. Totâ hyeme φωλεύειν. Jugulatum adhuc aliquamdiu vivere. Scorpiones, & certum ſcarabæorum genus, in eodem latibulo ſecum admittere. Sed hoſtes habere infenſiſſimos* τ guaril, *ſeu* ſtellionem majorem, *ſerpentem nigrum, & putorium: à quibus quomodo oppugnetur.* Theologi *quærunt, quomodo concedatur ejus eſus, cùm ſit è genere reptilium. Fabula inſignis de* ضب dhab *ad fidem* Mahumetanam *converſo. Ejuſdem animalis* Magicæ *vires. In* Medicis *ſtercus ejus amovet faciei maculas, lentigines, vitiligines, & oculorum albugines. Probatur* Hebræum צב tſab, *&* Arabicum ضب dhab *idem eſſe:* 1. *Ex nomine.* Tſade *ſæpe mutari in* Dhad. 2. *Quia à* Moſe צב tſab, *cenſetur inter lacertorum ſpecies.* 3. *Veteres omnes interpretes ità ſumunt; ut* Arabes, Chaldæi, Syrus, Samaritanus. *De* צב tſab, *loca* Talmudis, *&* Bereſchith Rabba, *emendata, & explicata. Pro* ערוד *legendum* עסוד albi lacerti *genus in arenis, cui puellarum digiti conferuntur.* בקנפילים *non eſt* nauplius, *ut* Buxtorfio *viſum, ſed* ſcincus. *Ratio nominis. Obiter multa de ſcinco. Bruta majoris molis in Oriente ſub* Gigantum *nomine contineri. In* Bereſcith Rabba *pro* חכינא chacina, *legendum* חבינא *ideſt,* chamæleon: *ex cujus coitu cum* חרדון chardon, *(qui idem cum* צב tſab) *natus* חברבר chabarber, *ut fabulantur, ideſt,* ſalamandra. *Hunc locum alii abſurdè explicant. Cur* chamæleon *dicatur* חבינא, *&* ſalamandra חברבר. *Crocodilo majori nomen à formæ ſimilitudine cum* Jonicis *crocodilis, quæ ſunt animalcula. Cujuſmodi ſunt prope* Chalcedonem *in fonte* Zareta, *vel* Azaritia. Byzantiacos lacertos *vocat* Statius. *De crocodilo terreſtri citantur multi veteres. Ejus quanta magnitudo. Scincus ab eo quid differat. Hebræum* צב tſab, *Arabicum* ضب dhab; *Chaldaicum* חרדונא chardona; *idem cum* crocodilo terreſtri: *quod probant ſeptem rationes. Itaque* צב tſab, Græcis *eſt* ὁ κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, Hieronymo *ſimpliciter* crocodilus, *quomodo terreſtris etiam ſæpe vocatur. Unde factum, ut* Ægyptium *nonnulli intelligerent.* Crocodilorum oppidum *in* Phœnice, *ſed minorum. Joſepho* Capharſaba, *vel* Capharzaba, *ideſt,* כפרצבא. *Crocodili terreſtris alia quædam nomina. In* Heſychio Κίκιγος. *In barbaris ſcriptoribus* ballecola, balleccara, botrax.



POſt quadrupedes viviparas ſequentur oviparæ, quæ & in natura paucæ ſunt, & in Scriptura pauciores. Harum ſex ſpecies à *Moſe* recenſentur *Levit.* 11. v. 29.30. nempe צב *tſab*; אנקה *anaka*; כח *coach*; לטאה *letaa*; חמט *chomet*; תנשמת *thinſemeth*. Septima videbitur addi poſſe שממית *ſemamith*, ex *Prov.* 30. v. 28. Sed *ſemamith* ab *anaka* ſolo nomine differre ſuo loco docebimus. Et octava לויתן *Leviathan*, qui palam eſt *crocodilus*, Job. 40. & 41. Sed *crocodilum* maluimus in aquaticis deſcribere; quia ἀμφίβιον eſt animal. *Teſtudo* denique hic locum habebit, ſi *Seniores* ſequimur *Oſ.* 12. *v.* 12. Oviparæ quadrupedes, quas ex *Moſe* recenſuimus, ad lacertorum ſpecies aliquo modo pertinent, & ità ſunt inter ſe ſimiles, ut eas certis notis abinvicem diſtinguere non ſit cujusvis. Nobis certè fuit valde operoſum; quia hic ab *Hebræis* prorſus deſtituimur. Neque ex aliis Scripturæ interpretibus multò plus fuit ſubſidii, qui in tenebris plerique palpant, cùm ad has minutias deveniunt: ſed longè plus affulſit

sit lucis ex monumentis *Arabum*, in quorum solo hæ pestes nascuntur, & educantur. Quod sequentia palàm facient. In his singula verba explicare conabimur, illo ipso ordine, quo à *Mose* proponuntur.

Levit. 11. v. 29. Hebræum צב *tsab*, Hieronymo est *crocodilus*, Græcis ὁ κροκόδειλος ὁ χερσαῖος. At recentiorum alii *bufonem*, aut *rubetam*; alii *testudinem* reddunt: *Castalio* autem *testaceorum genera*. Horum, nisi fallor, agmen ducit *R. Selomo*, *Judæus Gallus*, qui scripsit ante annos ferè DL. Is enim primus, quod quidem sciam, צב *tsab*, *animal* esse scripsit *ranæ simile* nomine פרוט. Sed legendum פרוט *frot*, Germanicum *bufonis* nomen in *Gallia* tum in usu. Huc refero, quod צב *tsab*, Kimchius *Hispanicè* reddit גריישנט *graissant*. Tum scilicet Hispanis *graissant* erat *rubeta*, ut Gallis *graisset*, & *crousset*, & Germanis Graßfrosch / ad verbum *rana graminis*. Hos sequuti, *Pomarius*, *Aquinas*, *Munsterus*, *Pagninus*, *Arias*, *Robertus Olivetanus*, צב tsab, *bufonem*, aut *rubetam*, aut *ranam* interpretantur, aut שרץ שרומה לצפרדע, *reptile ranæ simile*. Putârunt nempe hoc animal *à tumore* sic appellari; quia צבה *tumere* est. Quomodo *à bufone* factum est nomen vernaculum *bouffi*, quod *tumidum* sonat. Accedit, quod *Illyricè Zaba* est *rana*, tanquam à צב *tsab*, deductâ voce. At *Elias*, *Judæorum* in *Germania* facilè doctissimus, צב *tsab*, suâ linguâ שלטפרוט, *schilt-frot*, id est, *testudinem* exponit; quia putamina testudinum tectum referre videntur cameratorum curruum, qui *Hebraicè* dicuntur צבים *tsabbim*. In tantula ratione tantum fuit virium, ut in assensum traxerit *Junium*, *Tremellium*, *Schindlerum*, *Anglos*, *Italos*, & *Genevenses* interpretes. *Buxtorfius*, in *Lexico*, quorum se partibus addicat, haud satis sciens, צב *tsab*, & *bufonem* reddit, & *testudinem*.

In hac tantorum virorum hæsitatione, addo etiam hallucinatione, quod illorum pace dixerim, erudito lectori spero me facturum rem pergratam, si veram & genuinam vocis significationem, non jam ex conjectura, sed certis & solidis rationibus adstruam. Id vero, vel me tacente, nullo negotio præstabit quisquis ea perpendet, quæ de hoc animali scribunt *Arabes*. Quibus non potest non esse notissimum, quia in *Arabia* frequentius est, quam ullibi terrarum. At illis quàm notum est animal, tam nobis est ignotum. Proinde necesse habeo hæc accuratius persequi.

Ut à nomine ordiamur, sciendum ut *Hebraicè* צב ità *Arabicè* ضب iisdem scribi literis. Sed, ut Dialecti variant, *Tsade Arabicum* initio vocis effertur ut *d*, vel *dh*, propter punctum adscriptum. Itaque hæc vocula sonat ضب *dhab* apud *Arabes*. Plurale est ضباب *dhibâb*, vel اضب *adbab*, & Fœmininum ضبة *dhabba*. Unde ضبب *dhabab*, & مضب *mudhab*, & مضبب *mudhbib*, locus dicitur his animalibus refertus; & مضبب *mudhabbib* eorum venator. Porrò ضب *dhab* à *Damire* definitur حيوان بري معروف من الحشرات يشبه الورل *animal agreste notum è reptilibus, simile τῷ guaril*, seu *stellioni majori*: ùt *Avicenna* illud à *guaril* differre scribit, وان كان يشبهه وكان قريب الاحوال والغذوي منه *Quamvis illi sit similis, & tam constitutione quàm virtute proximus.* Hæc ille libro secundo *Canonis* in capite ضب *dhab*, seu *tsab*, si mavis. Et in capite حردون *chardaun*, quod à *Latino* interprete prorsus omissum est. هو الضب وطبعة قريب من طبع الورل وهو اشبه الوزغ بما يتعزي به Chardaun *idem est, quod* dhab: *cujus natura accedit ad* guaril, & *attributa eadem, quæ* guezgæ. Et in capite ورل *guaril* هو غير الضب والضب لا يكون او قل ما يكون الا في البادية وراسه وبدنه وذنبه تخالف من الورل وربما قريب في طبايعه Guaril *alius est à* dhab. *Nam* dhab *non est, aut rarò est alibi, quàm in deserto. Et capite, trunco & caudâ differt à* guaril, *quamvis naturâ sit vicinus.* Et *Abdollatif Bagdadensis*, الورل والضب والحربا وشحمة الارض والوزغ كلها متناسبة في الخلق Guaril, & dhab, & hirba, & *adeps terræ*, & guezga, *sunt omnes ejusdem naturæ participes.* Hæ nempe sunt totidem lacertorum species, de quibus infrà dicemus. Itaque ضب *dhab*, vel צב *tsab*, quod idem est, neque *bufo* est, neque *rubeta*, neque *testudo*, neque *testaceum animal*, sed in *lacertorum* genere. Nunc, ut cognoscatur plenius, dicemus quid *Arabum Critici*, *Philosophi*, *Theologi*, *Magi*, *Medici* de illo scripserint, quorum pleraque nondum in vulgus prodierunt.

Et *Critici* quidem docent animal esse πολυώνυμον. Nam præter ضب *dhab*, seu צב *tsab*, commune nomen, insuper vocatur حردون *chardaun*, (*Chaldæs* חרדונא *chardona*: *Syri* ܚܕܘܢܐ *chadrona*, & *Samaritani* ࠀࠃࠓࠅࠍࠀ *adrona* scribunt, ut infrà docebitur.) Vocatur item برق *bork*, & علبن *alin*, & هيكل *haikal*. Et, si pinguis est, سبحل *sibchal*, aut سحبل *sichbal*; si annosus, قرسم *kirsem*; si pravæ indolis, ضغطار *dhiphtar*: ut fœmina vulgò ضبة *dhabba*; sed cùm pinguis est, حيكانا *chaicana*; cùm fœta, مكون *makun*, & ممكن *mamchin*. A Verbo مكن *machina*, huic & locustæ proprio, cùm ova ponunt, ovum مكين *machin*, & شلقة *silka*. Fœtus in genere حضرم *chidhrim*; primus مطبخ *mutbich*; cum ab ovo nuper prodiit حسل *chisel*; jam maturior, غيداق *ghaidak*. Adeps, quem habet circa ventrem, & caudæ radicem, كشية *chusia*. Et حلم *halama* propriè est adipem illum eximere, ut عكد *achada* pinguem esse de solo ضب *dhab* usurpatur. Veretrum Duali numero نزكان *nazchani*; quia bifidum. Unde etiam ipse سديم *sadim*, id est, illâ parte bene instructus. Latibulum ejus

ejus عكدة *ochda*, & عرن *arin*, & لغز *logoz*, sed vulgatius جحر *giochar*, unde جحر الضب dhab *in latibulum suum ingressus est.* Et اجحر فلان *aliquis eum in latibulum suum impulit.* At ادلق adlaka *aquam in illud effudit, ut* dhab *exiret.* Et دلق الضب dalaka dhab, id est, *ex latibulo exiit propter aquam affusam.* Et اهوي يده الي الضب *immisit manum, ut caperet* τ *dhab.* Et حرش charasa, *venatus est*, propriè de hoc animali. Hæc in *Giauhari, Alcamus*, & aliis ex *Criticorum* libris hinc indè collecta, & excerpta.

At *Philosophi* de natura τ ضب *dhab* non pauca afferunt insignia. Quod veretrum diximus illi esse bifidum, *Damir* his verbis docet; للضب ذكران وللانثى فرجان كما للورل وللحردون Dhab *mas duo habet veretra, & fœmina ejus duas vulvas, ut* guaril, & chardaun. Et *Alcamus*, النزك ذكر الضب والورل ولهم نزكان Nazach, *veretrum* τ *dhab, &* τ *guaril, qui geminum habent.* (Quæ verba *Lexicographi*, cum non intelligerent, alio detorserunt.) Proinde veretrum τ ضب *dhab* Sacerdos *Abuchanipha* scribit esse كلسان الحية اصل واحد له فرعان *ut linguam serpentis, quæ, ex una radice nata, tamen bifida est.* Caudam habet mire nodosam, unde Proverbium in *Damire*, اعقد من ذنب الضب *Nodosior caudâ* τ *dhab.* In ea enim esse ajunt احد وعشرون عقدة *nodos* XXI. cum scorpionis cauda, quæ & ipsa valde nodosa est, nodos, aut articulos, ad summum septem habeat. Additur, idem animal dentes habere continuos, qui proinde nunquam decidant. *Damir*, يقال ان اسنانه قطعة واحدة *Dicuntur dentes ipsius in unum cohærere.* Alcamus, لا اتيك سن الحسل اي ابدا لان سنه لا تسقط *Non ad te veniet dens* τ *chisel* (seu *catuli* τ *dhab*:) *id est, nunquam ad te veniet; quia dentes ejus non cadunt.* Ecce aliud de eodem simile Proverbium in *Damire*! لا افعله حتي يرد الضب لان الضب لا يرد *Hoc non faciam, donec* dhab *ad aquas descenderit* (id est, nunquam faciam,) *quia* dhab *ad aquas nunquam descendit.* Nempe non bibit prorsus, itaque rarò mingit. Idem, الضب لا يشرب الما Dhab *ab aquarum potu prorsus abstinet.* Et paulò post, يقال انه يبول في كل اربعين يوما مرة *Dicitur singulis quadraginta diebus mejere tantum semel; atque* قطرة *unam guttulam*, ut habet aliud exemplar. De oculis ibidem, الضب يخرج من حجره كليل البصر فيجلوه بالتحدق في الشمس Dhab *è latibulo suo exit hebetiore visu: sed, pupillâ ad Solem abstersâ, clariùs videt.* *Epiphanius* in *Sampsæis* σαῦραν ἡλιακὴν *lacertam Solarem* visum eodem modo recuperare asserit, cum caligare incipit: Ἐκείνη, inquit, ἀμβλυωπήσασα χρόνῳ ἀναβλέπει, διὰ ἡλιακῆς στροφάλιγγος ἐν φωλεῷ πρὸς ἀνατολὴν προσέχοντι ἑαυτὴν προσθλίψασα, καὶ νηστεύσασα πρὸς ἀνατολὴν κατανοοῦσα. *Cum illa obtusum habet visum, cum aliquanto post recuperat per conversionem ad Solem, in lustro ad ortum obverso se ipsam comprimens, & jejuna ad Orientem respiciens.* Rursus *Damir* de τῷ *dhab* ويتغذي بالنسيم ويعيش بالبرد الهوا وذلك عند الهرم وفنا الرطوبات ونقص الحرارة *Et alitur halitu, vesciturque aëre frigido, idque usque ad ætatem decrepitam, & donec absumatur humor* (radicalis,) *& deficiat calor.* Et infrà, وهو طويل العمر ومن هذه الجهة يناسب الحيات والافاعي *Longævum est animal; quod cum serpentibus & viperis commune habet.* Et *Ibne-chalvia*, يعيش سبع ماية فصاعدا *Vivit annos septingentos, & ampliùs.* Quod ab illis confictum puto, qui de magnis majora loquuntur. Sed & falsum omnino est, & ex chamæleontis historia perperam huc translatum, quod ali halitu suo, & frigido aëre vesci traditur. Est enim animal penè παμφάγον, quodque radicibus potissimùm fructibusque vescitur. Hinc *Alcamus*, postquam خملة *chemla* vocari scripsit *vitis radices, & fructus spinosarum arborum*, addit ضب خابل ياكلها *dhab chabil* est dhab, *qui illis vescitur.* Et fœmina à scorpione puncta اكلت من حشيشة تسمي اذان الفار يزول عنها الم اللسع *edit herbam, quam vocant auriculam muris, & remittitur punctura dolor.* Ità est in *Alkazuinio.* Sed &, auctore ipso *Damire*, (ut pluribus infrà dicetur) *dhab* ad vomitum redit ut canis, & proprios catulos vorat. Illum igitur solo aëre vesci, merum commentum est. Hoc commune habet cum *jarboa*, seu *chærogryllio*, quod in petrosis & arduis locis latibulum sibi deligit. *Alkazuinius*, من كيسه انه لا يتخذ البيت الا في موضع صلب لئلا ينهار عليه في حوافر الدواب ولما علم انه نساء لا يتخذ البيت الي عند الاكمة او صخرة عظيمة او شجرة ليستدل

ليستدل بها على بيته اذا غاب ويتباعد عن بيته *E solertia ejus est, quod domum sibi non sumit, nisi in loco duro, ne jumentorum ungulis obtrita in se corruat. Sed & quia se novit esse valde obliviosum, eam in sublimi colle, aut in celsa rupe, deligit, aut ad arborem, quam pro indice habeat, cùm ab illa abest, aut procul excedit.* Damir etiam لا يتخذ جحره الا في كدية حجر حوفا من السيل والحافر ولذلك براثنه ناقصة كليلة لحفره بها في الاماكن الصلبة *Neque latibulum alibi habet, quàm in petris durissimis; quia ab inundationibus & fossoribus sibi timet. Ac proinde ungues illi detriti & obtusi sunt, ut qui lapidosa loca iis fodiat.* Item, وفي طبعه النسيان وعدم الهداية وبه يضرب المثل في الحيرة ولذلك يحفر جحره عند الاكمة او صخرة لئلا يضل عنه اذا خرج لطلب والطعم *Naturalis ipsis est oblivio, & ἀβλεψία. Itaque stupor ejus in Proverbium cessit. Proinde lustrum suum in colle fodit, aut in rupe, ne ab eo aberret, cùm exit ut victum sibi quærat.* Proverbium, de quo *Damir*, ab eodem sic citatur in titulo *De Proverbiis*, اضل من الضب *Qui à via magis aberrat quàm dhab.* Quia ضب *dhab* pravum est animal, unde vocatur ضغطار *dhiphtar*, ut jam observatum, ecce aliud Proverbium in usu apud *Arabes*, quod me docuit *Alcamus*, اطعم اخاك كشية الضب حنه على المواسات *Cibavit fratrem tuum pinguedine τ̃ dhab, id est, ad malum patrandum eum incitavit!* Partum quod attinet: اذا ارادت الضبة ان تخرج بيضها حفرت في الارض حفرة ورمت فيها البيض وطمته بالتراب وتعاهده كل يوم حتى يخرج وذلك في اربعين يوما *Cùm* dhabba (id est, *fœmina τ̃ dhab*) *ova sua positura est, scrobem in terra defodit, in quam ova conjecta pulvere obtegit, & quotidie visitat, donec excludantur; id est, usque ad diem quadragesimum.* Sic *Damir*, *Alkazuinium* ex parte sequutus, cujus verba sunt, فاذا اراد ان يبيض حفر مثل ادحي النعام ويرمي فيها ثمانين بيضة ويدفنها في التراب وبيضها مثل بيض الحمام ويدعها اربعين يوما ثم ياتي وحسول قد خرجت منها فيتعدون فياكل منها ما قدرت *Cùm in eo est, ut ovificet, fodit tanquam struthionis nidum, in quem ova octoginta, columbarum ovis similia, conjicit, & in pulvere sepelit. Ad quæ, per dies quadraginta relicta, cùm revertitur, catuli indè exeuntes cursitant. Ex quibus ille comedit quantumcunque potest.* Nempè, ut ait *Damir*, يوصف العقوق لانه ياكل حسوله *describitur crudelitate insignis; quia proprios catulos vorat.* Unde *Poeta*,

اكلت بنيك كاكل الضب حتي *
تركتك بنيك ليس لهم غدي *

Liberos tuos comedisti, quomodo dhab *fœtus suos; ità ut præ alimenti inopia defecerint.* Eidem tribuunt *Arabes*, quod cani (a) *Petrus*. Rursus *Damir*, ومن طبعه انه يرجع في قيه كالكلب وياكل رجيعه *Etiam è natura ejus est, quod, canis instar, ad vomitum suum redit, & id, ad quod redit, rursus vorat.* Et hoc quoque, quod في الشتا لا يخرج من جحره *totâ hyeme ex antro suo non excedit.* Vivit tamen, & pinguescit, & sic illi providet Deus, ut præ fame non deficiat. Unde *Poeta Chatmolasem*,

وكيف اخاف الفقر والله رازقي *
ورازق هذا الخلق في العسر واليسر *
تكفل بالارزاق للخلق كلهم *
والضب في البيداء والحوت في البحر *

Cur timerem paupertatem, cum Deus provideat mihi? Providet is creaturis in angustia, & egestate. Victum largitur creaturis omnibus, etiam τ̃ dhab in deserto, & piscibus in mari. Etiam observârunt *Arabes*, quibus animalibus *dhab* συμπαθεῖ, & ἀντιπαθεῖ. *Damir*, بينه وبين العقارب مودة فلذلك يويها في جحره لتلسع المتحرش به اذا ادخل يده لاخذه *Inter eum & scorpiones mutuus amor intercedit. Proinde illos in latibulo suo recipit, ut venatorem pungant, cùm manum suam immittit, ut eum capiat.* Idem in capite فالية الافاعي quasi *Viperarum scrutatorem* dixeris, sic appellari

(a) 2. Pet. 2. v. 22.

appellari asserit ضرب من الخنافس رقط تالف العقارب في جحرة الضب لانها اذا اخرجت يعلم ان الضب خارج لا محالة واذا رويت في الجحر علم ان وراها العقارب والحيات *Speciem scarabæorum varii coloris, quæ cum scorpionibus junctim habitat in latibulis τοῦ* dhab. *Nempe hoc animalculum, cùm exit è latibulo, significat etiam τὸν* dhab *sine dolo exiisse. At illud repetens significat post eum latere serpentes, & scorpiones.* Sed τοῦ *dhab* maximè infensus est الورل *alvoarbo*, seu *stellio major*, quem *guaril* vocant barbari scriptores. *Abdollatif Bagdadensis*, ubi de *guaril*, بينه وبين الضب عداوة فيغلب الورل الضب ويقتله لكنه لا ياكله كما يفعل بالحية وهو لا يتخذ بيتا لنفسه ولا يحفر جحر بل يخرج الضب من جحره صارعا يستولي عليه, *Inter τὸν* guaril *& τὸν* dhab *gravis est inimicitia. Sed* guaril *illum vincit, & interimit. Non edit tamen, quomodo serpentes solet: sed, cùm domum sibi non exstruat, nec latibulum fodiat, è lustro suo τὸν* dhab *luctando ejicit, & illi prævalet.* Habet & alterum hostem, serpentem nigrum, qui *Arabice* vocatur اسود الحراش سالخ *asvvad-salich. Alcamus*, الاسود السالخ لانه يحرش الضباب Sensus est, hunc serpentem alio nomine *charras*, id est, *venatorem* vocari; quia τὸν *dhab* venatur. Nam حرش *charrasa* Verbum est *venari*, non in genere, sed peculiariter *venari τὸν dhab*, ut jam ante (b) monuimus.

(b) Pag. 1047. lin. 14. &c.

His tertius hostis addatur ظربان *dhorban*, id est, *putorius* ut vocant, animal fœtidissimum ex mustelarum genere, à quo non debellatur viribus, sed posticæ partis flatibus ad illius antrum obversæ. الظربان يقصد جحر الضب وفيه حسوله وبيضه فياتي اضيق موضع فيه فيسده بذنبه فيحول دبره ويفسوا ثلاث فسوات حتى يغشي على الضب فياكله ويقيم في جحره حتى ياتي على اخر حسوله *Dhorban* (seu putorius) *ad antrum τοῦ* dhab *accedit, cùm ibi habet catulos, & ova sua, & ejus angustissimum locum occupat, quem cauda sua obstruit, tergoque ad id obverso, tres ventris flatus emittit, donec dhab in animi deliquium incidat. Quo vorato, in antro manet, donec ad ultimum usque catulorum ejus pervenerit.* Hæc *Philosophi* de lacertæ specie, in qua versamur.

Theologis quoque hoc idem animal magnam suggessit disputandi materiam. Quæritur enim quorsum concedatur ejus esus, cum sit è numero الحشرات *reptilium*, quorum esus est prohibitus. Et nonnulli regerunt, hoc solum excipi. Ità enim habet الوسيط id est, liber, cui titulus *Mediator*, in quo hæ Quæstiones plenè deciduntur, لا يوكل من الحشرات الا الضب *Nullum reptile comedatur præter τὸν dhab.* Ab aliis τοῦ *dhab* junguntur اليربوع والقنفذ *jarbuo, & kunphud*, id est, *chærogryllus*, & *hericius*, quæ & ipsa reptilia sunt, & tamen ad esum conceduntur. Alii rem in medio relinquunt, postquam in utramque partem multa disputaverunt, quamvis in *Arabia* hunc cibum agnoscant esse in frequenti usu. Iidem pseudo-*Theologi* de hoc animali magnas congerunt ineptias, quarum unam hic referre sit satis, imò plus satis. Quidam juraverat in *Mahomethem* se haud unquam crediturum, nisi prior crederet هذا الضب *iste dhab*, qui in ore speluncæ suæ forte fortunâ apparuit. Tum is, è spelunca exiens, ad *Prophetam* accessit, & dixit ipsi بلسان طلق فصيح عربي مبين يفهمه القوم جميعا لبيك وسعديك يا رسول رب العالمين *linguâ disertâ, & perspicuâ, & sermone* Arabico *manifesto, quemque omnes intellexerunt, Tibi addictus sum, & beatus sis, O Apostole Domini seculorum. Et cùm* Propheta *dixisset*, من تعبد *Quem colis? Respondit* dhab, *Eum colo, cujus thronus est in cœlis, & in terra dominatio ejus, & in mari semita ejus, & in Inferis indignatio & supplicium ejus. Tum illi dixit Propheta, Quis sum ego? Et* dhab *regessit, Tu es Apostolus Domini sæculorum, & sigillum Prophetarum. Bene sit illi, qui in te credet, & tibi obsequetur. Et malè pereat, quisquis à te recedet, aut te falsitatis arguet.*

Magi quoque suas partes hic habent. Ad eos enim refero superstitiosa illa, quæ in *Damire* & *Alkazuino* lego. Si è medio pedum hominis ضب *dhab* exeat, non poterit is, cui id accidit, cum ulla muliere coire. Testiculos ejus si quis deferat, illum servi sui maximè amabunt. Equum, qui talum τοῦ *dbab* fronti alligatum habuerit, non præveniet ullus alius in cursûs certamine. Quisquis ensi قرابا *vaginam*, aut *thecam* potius, ex illius pelle fecerit, strenuus erit. Alii solùm نصاب السيف *capulum ensis* hâc pelle involvi malunt, quasi id multum referat. In vanissimis scriptoribus plura reperias hujus farinæ, quæ referre pudet, ac piget.

Medici pauciora habent, sed certiora. *Avicenna* in capite ضب *dhab*, يطلي بعرة على الكلف والنمش فينفع * زبله نافع لبياض

لبياض العين ⁷ونزول الماء *Confert stercus ejus lentigini, illitum; & maculis faciei. Albugini item, & oculorum suffusionibus.* Et in capite حردون *Chardaun*, postquam monuit chardaun idem esse, quod *dhab*, زبله للبياض والحكة ويحد البصر *Stercus ejus* (confert) *albugini, & oculorum pruritui, & acuit visum.* Et in capite دم *Dam*, seu *De sanguine animalium* دم الورل والحردون يقوي البصر *Sanguis* guaril, *&* chardaun, *roborat visum.* Et in capite زبل *Zebel*, seu *De stercore, Stercus locustarum tollit è facie maculas, & vitiligines; ut & stercus turdorum, qui oryzâ aluntur.* وكذلك زبل الحردون والورل ويحسن اللون *Quod idem præstat stercus* chardaun, *&* guaril, *& bonum colorem facit.* Et infrà, بعر الضب يجلو الكلف مجرب *Fimus* dhab *abstergit maculas à facie: quod expertum est.* Item, زبل الورل والضب والتمساح لبياض العين *Stercus* guaril, *&* dhab, *& crocodili ad oculorum albuginem* supple *adhibeatur.* Et in capite بعر الحيوان id est, *De fimo animalium*, بعر الضب ينفع من البرص والكلف بجلايه *Fimus* dhab *abstersoriâ vi suâ elephantiasi medetur, & maculis in facie.* Et paulò post, بعر الضب يجلو بياض العين *Fimus* τ̃ dhab *abstergit oculorum albugines.* Ità etiam *Damir*, بعره ينفع من البرص والكلف طلا ومن البياض ونزول الما في العين اكتحالا *Fimus ejus illitus lepra medetur, & faciei maculis. Et collyria ex eo amovent albugines, & humorum fluxum in oculos.* Quæ sumpta sunt ex *Alkazuinio*, ubi habentur penè totidem verbis. Etiam in *Abenbitare* similia legas, & in aliis anonymis, qui penes me sunt.

Jam id animal, quod nobis descripserunt *Arabes* sub nominibus ضب *dhab*, & حردون *chardaun*, id ipsum esse, quod צב *tsab Mosis*, tam multa docent, ut de eo dubitare sit nefas. Primo enim id adstruit similitudo nominis *Hebraici* cum *Arabico*. Utùt enim sono differant *Hebraicum* צב *tsab* & *Arabicum* ضب *dhab*; tamen utrobique litera initialis est *Tsade*, quæ *Arabibus* aliter sonat propter punctum adscriptum. Quâ mutatione nihil frequentius. Sic צאן *tson*, Hebræis *ovis*, Arabibus est ضان *dhan*. *Hyæna* illis צבוע *tsebua*: his ضبع *dhebu*. *Rana* illis צפרדע *tsephardea*: his ضفدع *dhephda*. *Costa* illis צלע *tsela*: his ضلع *dhila*. *Diadema*, aut *plexus crinium*, illis צפירה *tsephira*: his ضفيرة *dhephira*. *Stercus* illis צפיע *tsephia*: his ضفع *dhepha*. *Angustia* illis צוק *tsuk*: his ضيق *dhik*. *Ridere* illis צחק *tsachak*: his ضحك *dhachika*. 2. Secundo, צב *tsab*, id esse, quod diximus, planum facit series homogeneorum animalium in eodem contextu orationis. Nam sequente versu *lacerta* mentio fit, & *stellionis*, & *chamæleontis*, & *salamandræ*, &c. ut suo loco docebitur. Et par fuit ratio, cur ea lacertæ species ut immunda rejiceretur. Neque illa omitti debuit, cùm in *Arabia* nascatur, quæ *Judææ* est contermina, & sit edulis apud *Arabes*. 3. Huc accedit veterum auctoritas, quorum assero nullum esse, qui aliter sumpserit. Certe quatuor *Arabes*, quos consulere licuit, editi duo, & manu-scripti duo, cum in aliis inter se multum differant, tamen hic constanter habent الضب *aldhab*, & *Onkelos* צבא *tsaba*, quæ est ipsa vox *Hebræa*, solâ terminatione ad *Chaldaismum* inflexâ. In *Jonathane* pro צב *tsab*, legas חרדונא *chardona*; in *Syro* ܚܕܪܘܢܐ *chadrona*; & in *Samaritano* ࠀࠃࠓࠅࠍࠀ *adrona*: quæ tria eodem recidunt. Significatur scilicet *Arabum* حردون *chardaun*, quod idem esse cum ضب *dhab* suprà (c) asseruit *Avicenna*. Alii similem esse volunt, alii ejus marem. *Damir*, الحردون دويبة شبيهة بالضب وقيل هو ذكر الضب لان له ذكرين مثله *Alchardaun* (vel *alchirdaun* potiùs, jubet enim ità scribere) *animalculum simile* τ̃ dhab: *quin mas ejus esse dicitur; quia ad instar illius duo habet veretra.* *Alcamus*, الحردون لذكر الضب ودويبة احري *Alchardaun de mare* τ̃ *dhab* (dicitur.) *Est & aliud* (huic simile) *animalculum.*

(c) Pag. 1046. lin. 10. & Et pag. 1053. lin. 5. &c.

Arabibus, & *Chaldæis*, addo veteres *Hebræos*, *qui* צב *tsab*, vel חרדון *chardon*, apertè ponunt inter lacertorum species. Quod planum facient duo loca, quæ proferam, à multis jam observata, nec tamen explicata hactenus. Prior est in Tractatu *Talmudico Cholin* cap. 9. fol. 127. a. ubi sub nomine צב *tsab*, in Lege prohibiti *Hebræi* volunt similes species contineri; quia additum est *juxta speciem suam*. Sic enim habent verba Legis, *Immunda vobis erunt inter reptilia, quæ repunt super terram, talpa, & mus,* והצב למינהו, *&* tsab, *juxta speciem suam*. Nempè inquiunt, להביא הערוד ובן נפילים וסלמנדרא, *ut includantur* arod, *&* ben-nephilim, *& salamandra*, tanquam vicinæ species τ̃ *dhab*. Et recentiores quidem ignorant quid hic sint ערוד *arod*, & בן נפילים *ben-nephilim*. Sed *salamandram* saltem notum est in lacertorum esse genere. Itaque צב *tsab*, necesse est, ut referatur ad idem genus. Res erit manifestior, si doceamus quid hic sint ערוד *arod*, & בן נפילים *ben-nephilim*: & prius quidem alibi *onagrum*, posterius *filium gigantum* significat. Quæ videntur esse extra rem. Itaque hic hærent interpretes, neque *Talmudis Glossatores*, aut *Lexicographi* quidquam afferunt, quod veri speciem habeat. Sed prior vox est corrupta, & pro ערוד *arod*, vel *irnad*, scribendum עסוד *isvvad*. Id *lacerti* genus est *album in arenis degens*, cum quo puellarum digitos conferunt *Poetæ Arabes*. Nonnulli عضفوط *odphut*, & عضرفوط *adraphut*

phut vocant. *Alcamus* العذفوط دويبة بيضا
ناعمة يشبه بها اصابع الجواري Alodphut,
animalculum album, amœnum, quocum puellarum
digiti conferuntur. Et alibi. العضرفوط العذفوط
او ذكر العظا Aladhraphut, *idem, quod* alod-
phut, *aut lacerta mas.* Et rursus العسود
للعضرفوط من العظاء Aliswad, *de* adra-
phut *lacerti genere dicitur.* Item, العسودة دويبة
بيضا يشبه بها بنان العذاري
وتكني بنة النقا Aliswada, *animalculum*
album, cui comparantur extremæ pulpæ digitorum in virginibus, cognominatur Bintb-onnakai, id est, *arenæ filia.* Itaque cum inter lacertorum species ערוד censetur à *Talmudicis*, levi mutatione, pro ערוד, legendum עסור, ut significetur illa lacerta, quam descripsimus. Parum usitatum עסור, nec fortasse aliunde notum, imperiti scriptores in ערוד mutaverunt, quod plane aliud, nempe *onagrum*, sonat. Superest, ut dicamus, quod animal sit בן־נפילים *ben-nephilim*, istis homogeneum. Vir in his literis eximius, quique hodie parem non habet, rectè colligit hoc animal esse aquaticum; quia legitur in *Semoth rabba* Sect. 15. הזיע את הימים והראהו את בן־הנפילים שנאמר קול יי על המים *Movit (Deus) maria, & ostendit ei (Mosi) Ben-nephilim, prout dicitur* Ps. 29. v. 3. "*Vox Domini super aquas.* Sed idem errat gravissimè, cùm *ex vocum affinitate, & animalium* (ut asserit) *similitudine*, colligit, בן־נפילים, *ben-nephilim*, esse *nauplium*, sive *nautilum.* Nam utùt *nephilim* ad *nauplium* aliquo modo alludere concedamus, tamen in rebus ipsis nulla est similitudo. *Nauplius* enim, sive *nautilus*, cum צב *tsab* nihil habet commune, sive hâc voce, quod ille vult, *bufo*, aut *testudo* significetur, aut aliqua *Lacertæ* species, quod apud me est firmissimum. Lacerti enim, bufones, & testudines à nauplio, vel nautilo pisce, toto genere pisserunt. Nec verisimile est *Hebræos* suum נפילים *nephilim*, à *nauplii* nomine deduxisse, quod parum est in usu, nec usquam occurrit, quod meminerim, quàm in uno loco *Plinii*. Sed neque ex נפילים *nephilim*, factum *nauplius.* Patet enim hoc nomen sumptum esse ex argumento, & *nautilum* dici *nauplium*, quia navigat tanquam in nave, ex nomine ναῦς, & Verbo πλεῖν. Quid igitur est בן־נפילים *ben-nephilim*? Is omnino videtur esse *scincus Ægyptius*, de quo *Avicenna* libri secundi capi-
te اسقنقور *Iscancur*, quomodo *Arabes scincum* vo-
cant; هو ورل الماي يصاد من نيل
مصر ويقولون انه من نسل التمساح
اذا وضعه خارج الما ونشا خارجا
Is est guaril *aquaticus, qui in Ægypto capitur in Nili ripa: eum ex crocodili semine nasci ajunt, cùm extra aquam illud effundit; & extra aquam crescere.* Et rur-
sus in capite سقنقور Scancur, ورل
نيلي يصاد بمصر ويزعمون
انه من نتاج التمساح في البر
Est guaril Niloticus, *quem in Ægypto capiunt, & ex crocodili semine ajunt in terra nasci.* Et *Alkazui-
nius* postquam citavit *Avicennam*, وقال غيره
انه من نسل التمساح اذا وضعه
خارج الما فما قصد الما صار تمساحا
وما قصد البر صار سقنقورا
Alii, inquit, *dixerunt illum esse ex crocodili semine, cum extra aquas illud ejicit, & quidquid ad aquas pervenit fieri crocodilum; & scincum, quod in terra ma-
net.* Et *Damir*, الاسقنقور نوعان
هندي ومصري فالمصري منه ما
يتولد ببحر القلزم وهو يغتذي
بالسمك في الما وفي البر بالقطا يسرطه
كالحيات *Scincus duarum est specierum*; Indus, &
Ægyptius. *In Ægyptiis autem est, qui nascitur in mari* Kelzem (seu *Rubro*) *& piscibus in aqua alitur, & in terra palumbis, quos ut serpentes deglutit* Quod
quia ridiculum est, pro بالقطا id est, *palumbis*,
legendum بالعظا *lacertis* Et infrà, disquirens quid
inter se differant *guaril* & *scincus*, præcipuum discri-
men in eo ponit, ان ورل لا يساوي الا
البراري الاسقنقور لا ياوي الا بالقرب
من الما او فيه *quod* guaril *nonnisi in terra*
degit; scincus autem nonnisi prope aquas, aut etiam in
ipsis aquis Et infrà, لا نعرف اليوم في عصرنا
الاسقنقور في ديار المصرية الا ببلاد
الفيوم ومنها يجلب الي القاهرة لمن
اعتني بطلبه ولا يصاد الا في ايام
الشتا لانه اذا اشتد عليه البرد خرج
الي البر فحينيذ يصاد *Hodie ætate nostrâ*
scincum in Ægyptiaca ditione alibi non novimus, quàm in provincia Phium, *unde* Cairam *defertur ad eum, cui cura est ejus disquisitio. Nec nisi hyeme capitur. Frigoris enim vi coactus in terram exit, atque inibi ca-
pitur.* Et paulò post, الاسقنقور يحل اكل
الهندي لانه سمك ويحتمل ان ياتي
فيه وجه الحرمة لان له شبهين
في البر احدهما احرام وهو الورل واخر
حلال وهو الضب واما الاسقنقور
المصري

المصري فهو حرام لانه متولد من التمساح فهو حرام كاصله *Licitum est edere scincum* Indicum; *quia piscis est: quamvis illi attribuatur species rei prohibita; quia in terra similes illi sunt* guaril & dhab; *quorum unus prohibitus est, alter concessus. At scincus* Ægyptius *prohibetur; quia ex crocodilo nascitur: itaque est vetitum, ut radix ejus.* E multis, quæ de scinco habent *Arabes*, pauca hæc excerpsimus; quia faciunt ad nostrum institutum. Ex his enim tria colliguntur. Primò, *scincum* sub eodem genere contineri cum τῷ *dhab*, & τῷ *guaril*, cum sit illis specie similis. Secundò, esse amphibium, & plerumque in *Nili* aquis, adeoque etiam in mari versari. Ità ut rectè dici queat Deus movisse את הימים, *maria*, ut *Mosi* scincum ostenderet. Quamvis in ea voce sit mendum, & pro הימים, id est *maria*, sit legendum המים, *aquas*, unâ literulâ minùs: quod docent sequentia, *Prout dicitur*, " *Vox Domini super aquas.* Tertiò, cum credatur *scincus* (quàm verè non jam quærimus) nasci ex crocodili semine, ut *Arabes* constanter scribunt, apparet quorsum ab *Hebræis* appellatus sit בן נפילים, id est, *filius Gigantum*. Nam *Gigantum* nomine *Orientales* non solum homines significant, sed & bruta quævis majoris molis. Sic scriptor *Arabs* apud *Damirem*, في جرادة خلق عشرة من جبابرة من الحيوان *In locusta natura est decem Gigantum ex animalibus*; ità habetur ad verbum: id est, decem majorum animalium. Nempe, ut sequitur, *locusta habet equi faciem, oculos elephanti, collum tauri, cornua cervi*, &c. Eodem exemplo *scincus* ab *Hebræis* dicitur *Gigantum filius*, id est, *crocodilorum*, quibus collatus nihil quidquam est, quàm perpusillum animal. His ità explicatis, veritas magis ac magis elucescet, si legatur locus integer, cujus nonnisi partem citavimus. Is verò ità habet. *Deus commovit aquas, ut ei* (Mosi) *ostenderet filium Gigantum: Prout dicitur* Psal. 29, 3. " *Vox Domini super aquas. Commovit terram, ut ostenderet ei* τὸν צב tsab: *prout habetur* Psal. 29, 8. " *Vox Domi-" ni parere facit desertum. Ignem commovit, ut ostenderet ei salamandram: sicut dicitur* Psal. 29, 7. " *Vox Domini exscindit flammas ignis.* Ex tribus elementis ità petuntur tria diversæ speciei, sed ejusdem generis animalia. *Gigantum*, seu *crocodilorum filius*, *scincus*, ex aquis, in quibus plerumque degit. צב *tsab*, ex terra, cui tanquam glebæ sic affixus est, ut ad aquas nunquam descendat, quod suprà (d) probavimus. *Salamandra* denique ex igne, in quo nasci, & ex quo vesci à multis putatur perperam.

(d) Pag. 1047. lin. 66. &c.

Alter locus est ex *Bereschith Rabba* Sectione octuagesima tertia, qui non magis intelligitur quàm prior: הביא חכינא וזיווג לה חרדון ויצאת מהם חברבר *Adduxit* chacina, *& copulavit eam* τῷ chardon, *& ex iis natus est* chabarber. Agitur de *Ana*, qui legitur הימים *jemim*, in deserto invenisse, id est, *Hemais occurrisse ut alibi* (e) docuimus. Sed *Hebræi mulos* intelligunt, quorum *Ana* fuerit primus inventor, asinâ equo aut onagro admota. Quæ diversarum specierum copulatio cum ex Lege *Mosis* sit illicita, Deus, ut ajunt, in hujus criminis ultionem, voluit & ipse miscere diversæ speciei animalia, unde id nasceretur, quod homini esset noxium. Itaque τὸν חרדון *chardon*, cum חכינה *chacina*, copulavit; unde nata est tertia species utrâque pejor,

(e) Lib. 2. cap. 21. pag. 242. lin. 59. &c.

nempe חברבר *chabarber*, cujus morsus est tam noxius, ut מעולם לא נשך אדם חברבר וחיה, *nunquam convalescat homo, quem momorderit* chabarber. Hinc *Talmud Hierusalem* in *Beracboth* fol. 12. b. מימי לא יאמר לך אדם שעקצו חברבר וחיה ושנשכו כלב שוטה וחיה שבעטתו פרדה וחיה. *Nemo unquam tibi dicet se punctum à* chabarber *convaluisse, aut à cane rabioso morsum convaluisse, aut à mula calcibus petitum convaluisse.* Et fol. 9. a. narratur historiola de *R. Chanina, Dusæ* filio, qui, dum orabat, morsus à *chabarber*, ab oratione non destitit. Non tamen ipse obiit, sed obiit *chabarber*, qui illum momorderat. Ac proinde dictum est, אי לו לאדם שנשכו חברבר ואי לו לחברבר שנשך את רבי חנינא *Væ illi homini, quem momorderit* chabarber! *Sed væ illi* chabarber, *qui momorderit* Rabbi *Chaninam*! Jam si consulas *Lexicographos*, ut discas quid sit חרדון *chardon*; quid חכינא *chacina*; quid חברבר *chabarber*: ii te docebunt *chardon* esse *bufonem*, vel *testudinem*, & *chacina*, serpentis genus; & ex eorum concubitu natum esse *chabarber*, id est, bestiam utriusque naturæ participem. Quæ cum sint absurdissima, quidni hic cum *Poeta* dicamus,

Jungentur jam gryphes equis? - - -

Buboni enim aut testudini nihil est commune cum serpentibus: nec copulari possunt tam diversa animalia: nec, si miscerentur, posset ex iis tertium aliquid nasci. Proinde nemo indicavit hactenus quæ sit tertia illa species ex angue & bufone (aut testudine) nata. Itaque, utut inepti sint *Hebræorum* Magistri, absit tamen, ut illos putem eò stultitiæ devenisse, ut hæc monstra sibi fingerent. Omnino igitur his tribus vocibus, חרדון *chardon*, חכינא *chacina*, & חברבר *chabarber*, tria designantur animalia, quæ, licèt specie diversa, genere tamen conveniunt. Nec usque adeo difficile est indicare quænam illa sint. Jam enim didicimus חרדון *chardon*, idem esse, quod צב *tsab*, vel ضب *dhab*, lacerti genus, de quo tam multa nos docuerunt *Arabes*. Et pro חכינא *chacina*, est certo certius legendum esse חבינא *chabina*; *Beth* & *Caph* permutatis, quæ literæ sunt simillimæ, & per librariorum incuriam non rarò permutantur. Proinde hanc vocem in *Jalkut*, per *Beth*, חבנא *chabna*, vel *chabina*, legi observat *Buxtorfius*, quæ scriptura est verissima. Nam *Arabicè* حبن *chabana* est *hydropisi laborare*. Nulla vox est frequentior in *Medicorum* libris. Atque hinc ام حبين *ummo chubaini*, quasi *mater hydropisis*: & حبينة *chubaina*, vel *chabina*, quasi *hydropica*, dicitur *fæmina chamelaontis*, aut lacertæ quædam species huic simillima; quia ventrem habet turgidum, ac si hydropisi laboraret. Utrumque nomen est in *Alcamus*. Et prius in *Damire* sic explicatur, وانما سميت بذلك من الحبن لكبر بطنها وهي علي خلقة الحربا غير صدر *Utique sic vocatur ab hydropisi, propter ventris magnitudinem, & est natura chamaleontis solo pectore excepto.* Et *Ibnossachith*, هي اعرض العظاة وراسها عرض *Hæc est vulgari lacerta latior, & latum habet caput.*

Et *Ibnokatiba*, أم حبين تستقبل للشمس وتدور معها كيف دارت وهذه صفة الحربا Ummo chubain *ad Solem se obvertit, & cum illo convertitur, quod est chamaleontis attributum.* Et auctor المرصع id est, *Gemmati operis*, اختلف في أم حبين فقيل هي ضرب من العظا وقيل هي اعرض منها وقيل هي انثى الحرابي يتحاماها الاعراب فلا ياكلونها لنتنها *De ea dissentiunt. Alii enim dicunt vulgaris lacerti genus esse, alii latiorem esse, alii chamaleontis esse fœminam. Propter fœtorem* Arabes *ab ea abhorrent, neque in cibos recipiunt.* Hæc igitur est *chabina*, ex cujus coitu cum *chardon* fingitur oriri *chabarber*, id est, *salamandra*, ni fallor. Cujus venenum quàm sit potens, in calidioribus scilicet locis, doceant hæc *Plinii* libri vigesimi noni capite quarto: *Intra omnia venenata salamandræ scelus maximum est. Cætera enim singulos feriunt, nec plures pariter interimunt. Salamandra populos necare improvidos potest. Nam, si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno, & eos, qui ederint, necat, frigidâ vi nihil ab aconito distans. Quinimo si contactu ab ea ligno vel pede crusta panis in coquatur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat. Quippe, cum saliva ejus quâcunque parte corporis vel in pede imo respersâ, omnis in toto corpore defluat pilus.* Et libri decimi capite sexagesimo septimo, *Ejusdem sanie, qua lactea ore vomitur, quâcunque parte corporis humani contactâ, toti defluunt pili: idque, quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat.* Et hæc *Æliani* de sue, quæ salamandram ederit, libri noni capite vigesimo octavo: Τοὺς γε μὴν αὐτῆς γευσαμένους ἀποκτείνει. *Illos, qui carnibus ejus vescuntur, interimit.* Et hæc *Theophrasti*; *Aquas, quibus admixta fuerit, exitiales reddit; item fructus, præsertim mortua.* Et hæc *Gesneri* pagina octogesima nona, Galli *quidam olim mihi narrarunt, vulgò apud eos ferri, si Blanda (sic Salamandram* Narbonenses *vocant,) in acervo tritici reperiatur, totum infici, adeò ut vel gallinæ vescentes indè pereant.* Et infrà, *Hanc lacertam in quibusdam* Galliæ *locis* arressadam *vocant, cujus morsum adeò exitialem esse putant, ut nulla vitæ spes relinquatur* (quod ipsum ab *Hebræis* dicitur de *chabarber.*) *Itaque vulgò hæc metra celebrant,*

Si mordu tá une arressade,
Preu ton linceul, & ta flessade.

Si te salamandra momorderit, accipe linteum tuum, & tuum lodicem: id est, in lecto decumbito, tanquam moriturus. Et *Rhœti* à salamandra morsum ajunt tot *Medicis* opus habere, quot distinguitur maculis. Atque hoc quoque notandum venit, maculosum esse animal, ac proinde *varium* à *Dioscoride*, & à *Plinio stellatum* dici. Quod cum stellione illi commune est. Indè igitur ab *Hebræis* חברבר *chabarber*, est appellata. Nam *Jerem.* 13, 23. חברברות *chabarburoth* sunt *pardorum maculæ.* Ità maal *Germanicè* dici conjectat *Gesnerus à maculis, & punctis, quibus toto corpore pingitur, atque distinguitur.* Maal *enim* (inquit) *maculam, &* maalen pingere *nostri dicunt.*

Sequitur, ut dicamus, quorsum in *Græca* versione, pro צב *tsab* legatur ὁ κροκόδειλος ὁ χερσαῖος & in *Vulgata*, *crocodilus*, absque Epitheto. Hujus interpretationis ratio non potest plenè percipi, nisi rem altiùs repetamus in rudiorum gratiam, qui *crocodili* nomine nihil aliud intelligunt, quam *Ægyptiam* belluam magnæ molis. At *Jonibus*, qui primi mortalium hanc vocem usurpârunt, *crocodilus* erat lacertæ genus in sepibus & maceriis commorari solitæ. Ridiculum igitur *Grammaticorum* commentum est, quo *crocodilum* dici somniant aut *à colore croceo*, aut *quia crocum timet*, aut τὰς κρόκας, id est, *littora*: cum non alia fuerit causa nominis, quam formæ similitudo cum *Jonicis crocodilis*, id est, *lacertis sepium.* *Herodotus* libro secundo, Κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι κροκοδείλοισι, τοῖσιν ἐν τῇσι αἱμασιῇσι. De talibus crocodilis accipiendum quod *Plinius* (e) excerpsit ex *Democrito*, crocodilo magnitudine similem esse chamæleontem. Idem enim alibi chamæleonti tribuit lacertæ magnitudinem. Neque aliud cogitabat vetus *Grammaticus*, quisquis est, ex quo hæc verba descripserunt *Etymologus* & *Phavorinus*: Ὁ δὲ κροκόδειλος ζῶον φιλόνθρωπον μικρόν. (Nisi cum *Eustathio*, pro κροκόδειλος, legamus κροκύδειλος.) Et potest id esse sumptum ex historia de fonte *Zareta*, vel *Azaritiâ*, prope *Chalcedonem*, in quo parvos crocodilos, id est, aquaticas lacertas veteres descripserunt. *Antigonus Mirabilium* capite centesimo sexagesimo secundo, Εὔδοξον δ' ἱστορεῖν τὴν μὲν ἐν Καρχηδόνι (lege Χαλκηδόνι) κρήνην κροκοδείλους ἐν αὐτῇ μικροὺς (ἔχουσαν) ὁμοίους τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ. *Strabo* libro duodecimo, ubi de *Chalcedone*; Ἔχει δ' ἡ χώρα μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης κρήνην Ἀζαριτίαν, τρέφουσαν κροκοδείλους μικρούς. *Stephanus*, Ζάρητα, κρήνη ὑπὲρ τῆς Καλχηδονίας θαλάσσης, μικροὺς τρέφουσα κροκοδείλους, οἱ καλοῦνται Ζαρήτιοι. In risu *Saturnalicio* (f) *Statius* hos crocodilos vocat *Byzantiacos lacertos*, cum scribit de libro ad se misso:

> (e) Plin. lib. 8. cap. 1. & lib. 8 cap. 33.

> (f) Lib. 4 Sylv.

Tu rosum tineis, situque putrem,
Quales aut Libycis *madent olivis,*
Aut thus Niliacum *piperve servant,*
Aut Byzantiacos *colunt lacertos.*

Eum habuit usum *crocodili* vox apud *Græcos* vetustissimos. Sed iidem ad *Niloticas* belluas translatum nomen paulatim lacertis ademerunt. Nisi quod peregrinas quasdam in eo genere species, quæ visæ sunt usu, aut figura, aut magnitudine præ cæteris insignes, aut ad majoris crocodili formam propiùs accedere, sic vocare non destiterunt. *Terrestris* tamen Epitheto ferè addito ad *fluviatilis* differentiam. Sic *Aristoteles Historiæ* libri secundi capite decimo septimo, ubi de ventre animalium, eandem ventris rationem esse dicit τοῖς κροκοδείλοις ἀμφοῖν, *utrisque crocodilis*, id est, tam terrestribus, quam aquaticis. Et libri quinti capite trigesimo tertio, Τίκτουσι δὲ καὶ σαῦροι, καὶ κροκόδειλοι οἱ χερσαῖοι, καὶ οἱ ποτάμιοι, εἰς γῆν ᾠά. *Apollonius Mirabilium* capite trigesimo nono ex *Aristotelis Eclogis* τῶν ἀνατομῶν· Ὄφις ὤφθη ἐν Πάφῳ πόδας ἔχων δύο, ὁμοίους χερσαίῳ κροκοδείλῳ. *Ælianus Historiæ* libri primi capite quinquagesimo octavo, Καὶ αἱ σαῦραι δὲ ἐπιβουλεύουσι τῷ μέλιτι, καὶ οἱ κροκόδειλοι οἱ χερσαῖοι. Et libri decimi sexti capite sexto de *Indico* phattage, Ἐν Ἰνδοῖς γίνεται ζῶον κροκοδείλῳ χερσαίῳ παραπλήσιον ἰδεῖν, &c. *Nicandri Scholiastes* de salamandra, Ἔοικε δὲ τῷ χερσαίῳ κροκοδείλῳ. *Hieronymus* in *Jovinianum* libri secundi capite sexto, *Quanquam* Syri *& crocodili terrenis.* Afri *etiam viridibus lacertis vesci solebant.* Proinde *Hesychius*, ut *crocodili* nomen doceat ad utrumque esse homonymum: Κροκόδειλος, inquit, τὸ ζῶον· καὶ τὸ ἐν τῷ Νείλῳ, καὶ τὸ χερσαῖον. Interim non constat satis, quæ demùm sint illæ lacertorum species, quibus attribuitur *crocodili terrestris* nomen. In *Corinthiacis* sic agit *Pausanias*, quasi nulli sint alii hujus nominis lacerti, quàm magni illi bicubitales in *Mauritania Libyæ.* Hæc enim illius verba sunt, Λιβύη μὲν γε μόνη κροκοδείλους τρέφει χερσαίους διπήχεων ἐς ἐλάσσονας. Iidem in *Herodoto* dicuntur esse κροκόδειλοι, ὅσον τε τρίπηχεις χερσαῖοι, τῇσι σαύρῃσι ἐμφερέστατοι. crocodili

codili circiter tricubitales, terrestres, lacertis similes. *Strabo* vocat σαύρας διπήχεις. Et *Aristoteles* his pares in *Arabia* describit, si vera sunt hæc *Æliani* libri decimi sexti capite quadragesimo primo; Σαύρας δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ τῶν Ἀράβων γῇ τίκτεσθαί φησι, καὶ δύο πήχεις ἔχειν αὐτάς. Sed in loco *Aristotelis*, ex quo hæc hausit *Ælianus*, solùm dicuntur πηχυαῖοι *cubitales*, nusquam διπήχεις *bicubitales*. Verba sunt *Historiæ* libri octavi capite vigesimo octavo, Ἐν δὲ τῇ Ἀραβίᾳ σαῦροι μείζους πηχυαίων. Unde *Plinius* libri octavi capite trigesimo nono, *Lacerti Arabiæ cubitales.* In *Dioscoride* scincus & crocodilus terrestris aliter non differunt, quàm Species & Genus. Is enim definit *scincum* κροκόδειλον χερσαῖον ἰδιογενῆ, *crocodilum terrestrem sui generis.* At eos castigat *Plinius*, qui sic sentiunt, & certos characteres scinco assignat, quibus à crocodilo terrestri dignoscatur, sed quàm verè non satis scio: *Ex eadem*, inquit, *similitudine est scincus, quem quidam terrestrem crocodilum esse dixerunt, candidiore tantùm & tenuiore cute. Præcipuâ tamen differentiâ dignoscitur à crocodilo, squamarum setâ ad caput versâ.* Recentiorum alii *scincum & crocodilum terrestrem* promiscuè usurpant, ac si sint idem animal. Ità *Gesnerus*, *Rondeletius*, & *Marcellus Vergilius* in *Dioscoridem*. Alii pro *terrestri crocodilo* belluam ingentem sibi fingunt fluviatili penè parem. Vide *Bellonium*, & *Cardanum* libro nono *De subtilitate*.

Sed credat hic quisque quod volet. Mihi tamen persuasissimum est *terrestrem crocodilum*, apud plerosque veteres, neque fuisse *scincum*, neque vastam belluam, sed illud ipsum animal, quod ab *Hebræis* צב *tsab*, à *Chaldæis* & *Syris* ܚܪܕܘܢܐ *chardona*, ab *Arabibus* ضب *dbab* & حردون *chardaun* appellari diximus: quod à scinco quid differat illi ipsi nos abundè docent. Rem ità se habere statim animadvertet quisquis utriusque naturam & vires inter se contulerit. 1. Sanguis τοῦ *dbab* roborat visum. Sic, in *Plinio*, libri vigesimi octavi cap. octavo, *crocodili terrestris sanguis claritatẽ visus inunctus donat, & cicatrices oculorum emendat.* Unde *Galenus Simplicium* libri decimi capite sexto Εἰ δὲ τὸ τοῦ χερσαίου κροκοδείλου αἷμα, καθάπερ τινὲς ὀξυδερκείας εἶναι, οὐδὲ πειράζειν ἐμέλλον, ἔχων ὀξυδερκῆ φάρμακα δόκιμα· *An crocodili terrestris sanguis visum acuat, experiri non debui, cum alia ad id haberem probata pharmaca.* 2. Sed plus virtutis ضب *dbab* habet in stercore, quo ex oculis tolluntur albugines, & suffusiones. Ecce id ipsum in *Plinio* de crocodilea, sive terrestris crocodili stercore! *In terra tantùm odoratissimisque floribus vivit. Ob id intestina ejus diligenter exquiruntur, jucundo nidore farta. Crocodileam vocant oculorum vitiis utilissimam, cum porri succo inunctis, & contra suffusiones, vel caligines.* Etiam *Trallianus* libri secundi capite quinto crocodili terrestris fimum misceri vult in collyrio ad cicatrices oculorum, & λευκώματα extergenda. 3. Stercus ضب *dbab* faciei nitorem conciliat, maculas tollens, & verrucas, & furfures, & lentigines. Eadem crocodileæ vis: Plinius. *Illita quoque ex oleo Cyprino, molestias in facie crescentes tollit. Ex aqua verò morbos omnes, quorum natura serpit in facie, nitoremque reddit. Lentigines tollit, ac varos, omnesque maculas.* *Dioscorides* libro secundo capite *De fimo animalium*, Ἡ δὲ τοῦ χερσαίου κροκοδείλου ἄφοδος σμήχει ἐπὶ τῶν γυναικῶν πρὸς εὔχροιαν, καὶ στίλβωσιν τῶν προσώπων. *Galenus* libri decimi *Simplicium* capite vigesimo nono, τὴν δὲ τῶν χερσαίων κροκοδείλων τούτων, τῶν μικρῶν, καὶ χαμαιζήλων, κόπρον ἔντιμον αἱ τρυφῶσαι ποιοῦσι, γυναῖκες ὡς τὰ ἀρκεῖ τοῖς ἄλλοις φαρμάκοις. τοσαύτης οὖν, λαμπρόν τι καὶ τέλειον ἐργάζεσθαι τὸ ἀεὶ τὸ πρόσωπον δέρμα, φροντίζουσι δὲ αὐταῖς καὶ τῶν κροκοδείλων κόπρον. Quo nomine mulieres sui temporis *Clemens Alexandrinus* libro tertio *Pædagogi* dignas esse pronunciat, quæ non semel, sed ter pereant. Τρὶς γὰρ, inquit, οὐχ ἅπαξ ἀπολωλέναι δίκαιαι κροκοδείλων ἀποπάτοις χρώμεναι. Nota inprimis verba *Dioscoridis*, quæ nuper citavimus, in *Arabica* versione apud *Abenbitarem* ità reddi, حرو الحردون يصلح للغمرة ولتحسين اللون وصقال الوجه والبشرة *Stercus alchardaun conducit ad linimentum, quo nitor mulieribus conciliatur, & color fit pulchrior, & facies ac caro nitidior.* Ità pro *crocodilo terrestri* ibi est *chardaun*. Et *chardaun* idem esse, quod ضب *dbab*, vel צב *tsab*, abundè probatum est (g) supra. 4. Stercus τοῦ *dbab* præscribunt *Arabes* contra alphos, vitiligines, & elephantiasim. Sic, *Æginetâ* auctore, ἡ τῶν χερσαίων κροκοδείλων ἄφοδος, ἀλφοὺς ἀποσμήχει. Et *Aëtius* multis describit (h) quomodo contra elephantiasim *Indi* utantur crocodilo terrestri. Et *Galenus* ubi supra: Ἡ δὲ τοῦ κροκοδείλου κόπρος ὥσπερ τὸ πρόσωπον τὴν ἐφηλιν ἀφαιρεῖν πέφυκεν, οὕτω καὶ λεύκην, ἀλφούς, καὶ λειχῆνας. 5. *Serapio* capite quadringentesimo quadragesimo sexto eadem habet ad verbum de stercore *stellionis*, quæ de *crocodili terrestris* stercore *Dioscorides* & *Galenus*. Sed ibi *stellio Arabicè* est ضب *dbab*, vel حردون *chardaun*. Sic *Galeni* & *Dioscoridis* veteres interpretes *stellionis* nomine passim abutuntur pro *crocodilo terrestri*. Quo eodem errore حردون *chardaun*, in *Locmani Fabulis*, *stellionem* interpretatur *Erpenius* ὁ μακαρίτης. 6. In *Avicenna* ضب *dbab*, rarum animal, propè *Arabia* peculiare. Ità *terrestris crocodilus*, cujus stercus in *Galeno* ἔντιμον· in *Aëtio*, *inventu difficile*; in *Plinio*, *diligenter exquiritur*. At *scincos Dioscorides* in *Mauritania*, *Ægypto*, *India*, & *Arabia* reperiri auctor est. *Solinus* ait circa *Nilum* esse frequentissimos. 7. Denique nulla causa est, cur *scincus* dicatur *crocodilus terrestris*, cum sit animal æquè ἀμφίβιον, ac major crocodilus, ac in aquis plerumque degat. Nec eædem tribuantur vires *scinco* & *crocodilo terrestri*: de quo nemo scripsit, quod sciam, id, quod omnes de scinco tradunt, ejus usu nervorum stuporem excitari, & veneni vires extingui. Ut vel hinc appareat diversa esse animalia.

g) Pag. 1045. lin. 58. &c.

h) Aët. 13, 122

Pro *crocodilo terrestri Vulgatus* habet simpliciter *crocodilum* Quomodo *Horatius Epodo* duodecima,

- - - - - - - - *colorque*

Stercore fucatus crocodili, - - - -

nempe *terrestris*. Idem supplendum in *Vegetio*, cum crocodili stercus adhiberi vult ad detergendum albi vitium in equorum oculis. Interim compendiaria hæc locutio multis errandi præbuit ansam, qui agi putârunt de *crocodilo bellua*. In his *Poeta Ovidius*; cum dicit libro tertio *De Arte*,

Pallida purpureis tingit sua corpora virgis;

Nigrior ad Pharii confuge piscis opem:

id est, ad majorem crocodilum *Ægyptium*, è cujus stercore fieri credidit *crocodileam*, quâ faciei nitor redditur. *Avicenna* pariter errat, cum scribit stercus تمساح *thimsach*, id est, *crocodili majoris*, auferre albuginem. Id enim est minoris proprium. Et *Radulphus*, qui *crocodili* nomine in *Levitico* vult *latrones publicos significari*. Et *Cornelius à Lapide*, qui *crocodilum* in *Lege* ideò immundum esse statuit; *quia amphibius est, durus, & rapax*. Hæc enim dici apparet de majore crocodilo, cum de minore *Moses* egerit. Nec minus falli puto *Palæstinæ* recentiores *Geographos*, Breiden-

Breidenbachium, & *Zieglerum*, cum prope *Cæsaream*, & *Ptolemaidem*, paludes nobis describunt, majorum crocodilorum multitudine scatentes: quia *Crocodilorum oppidi* circa hæc loca *Plinius* & *Strabo* meminerunt. Certè, si *Phœnicum* littora, aut lacus, infestâssent belluæ tam immanes, non tam altum de iis esset silentium in veterum monumentis. Et ex hodiernis saltem peregrinationibus *Hierosolymam* res esset compertissima. Itaque illud oppidum *Syros* appellâsse puto non *à majore crocodilo* ܟܦܪ ܬܡܣܚ *Caphar-timsach*, sed *à minore* ܟܦܪ ܣܒܐ *Caphar-tsaba*. Cujus nominis aliud oppidum fuit in illo ipso littore non procul à *Cæsarea*. Testem habeo *Josephum*, qui vetus nomen *Antipatridis* modò (i) scribit Καφαρσαβᾶ, modò (k) Καφαρζαβᾶ· quia *Hebræum* TSADE *Græci* aut per σ, aut per ζ efferunt. Atque hoc ipsum argumento est crocodilum terrestrem etiam in *Phœnice* reperiri.

(i) Ioseph. Antiq. lib. 13. cap. 23.
(k) Lib. 16. c. 9.

Crocodili terrestris aliquot hic addam nomina, quæ vulgo sunt minus nota. Unum ex *Hesychio*, Κίκιρος, ὁ χερσαῖος κροκόδειλος. Sed quod *scinco* potiùs convenire putaverim. Videtur enim κίκιρος decurtatum esse nomen ex *Ægyptio*, & *Arabico* سقنقور *skankur*, vel *skinkur* apud *Avicennam*, & alios. Alludit tamen κίκιρος ad *Copticum* nomen ΧΑΡΟΥΚΙ, quo in *Lexico* vocatur الضب seu *crocodilus terrestris*. Quid si κίκιρος dictus sit *à parvitate*; quia altero est longè minor? Nam in *Hesychio* κύκιρος redditur τὸ ἐλάχιστον. Et *Hebræum* רקיק *rekik*, est ejusdem notionis, si *Pomario* & *Bederiano* credimus, qui קטן *parvum* exponunt, tanquam ex *Aruch*, ubi tamen non reperio. Proinde רקיק *rekik*, videtur perperam scribi pro דקיק *dekik*; *Res* pro *Daleth*. Ejusdem animalculi barbara habentur duo nomina in *Arabe Pandectario*, *Dhab* (inquit) *est quoddam animal ut lacerta magna, ventricosum*: & Latinè *vocatur* BALLECOLA. *Est species stellionis Arabici*. Hispanicè *dicitur* BOTRAX. *Ballecola* quid sit nescio. Puto corruptam esse vocem, cum alibi scribatur *balleccara*. Sed *botrax* in *Isidoro* est inter lacerti species. *Genera*, inquit, *lacertorum plura, ut botrax, salamandra, saura, stellio. Botrax dicta, quod ranæ habeat speciem.* Fortè est rana scincoides. Hinc *lapis borax* (lege *botrax*) *crapaudine* in *Pandectario*.

CAPUT SECUNDUM.

Probatur אנקה *anaka*, *Levit.* 11,30. esse *Stellionis* genus *ab acerbo stridore* sic appellati.

Græcis & Hieronymo אנקה anaka; *est* μυγάλη, mygale, *seu* mus araneus. *Ratio nominis fictitia, alia verior.* Onkelos *emendatus.* فلا phala *Arabibus* mus araneus. فالية الافاعي *scarabæi genus apud* Arabes. *Vox in* Chaldæa *Paraphrasi inde restituta, & explicata.* ANAKA Syro, Samaritano, & *utrique* Arabi *lacerta genus.* *In* Arabum *libris nomen* guaril, *inter lacertorũ species, sæpe* ورك *scribi per* Ceph *in fine pro* Lam. Anaka, *Syr.* Amkatha, *i.e.* stellio. Nun & Mem *permutatis; quod frequens.* Stellionem *à clamore sic dici; quia est stridoris acerbi.* Guaril *etiam vocalis.* Arabicæ *lingua* Lexicographi *notati.* אנקה, anaka, *aliis* aranea, *aliis* reptile volans, *aliis* castor, *aut* fiber. *De castoridum rugitu quid veteres.* *Castor & Castorides quantum differant.* *In* R. Selomone בבירה *non est* viverra, *ut creditum*; *sed* fiber, *qui* Gallis bieure.

JAm sequentur *Levit.* 11,30. reptilium quinque species, quorum nomina explicare non est facilè, cum alibi nusquam reperiantur. Nempe אנקה. *anaka*; כח *coach*; לטאה *letaa*; חמט *chomet*; תנשמת *thinsemeth*. Horum אנקה *anaka*, *Græcis* & *Hieronymo* est μυγάλη *mygale*, seu *mus araneus*. Μυγάλην dici volunt; quia ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς, *ex mure & mustela*, nascitur. *Nicandri Scoliastes*, Ἀμύντας δέ φησι τὴν μυγάλην ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς γίνεσθαι. Quod est absurdissimum, cum & mustela sit mure multo major, & illi tam infensa, quàm felis, ut suprà (a) observavimus. Itaque ut mustela cum mure coëat, atque inde nascatur mus araneus, planè vero est absimile. Melius igitur *Aëtius Tetrabibli* libri quarti Sermone primo, capite decimo quarto; *Mus araneus colore quidem mustelæ similis est, magnitudine autem muri, unde &* mygales *obtinuit nomen.* Quamvis mus araneus muris habeat speciem potiùs, quàm magnitudinem. Omnino enim est mure minor. *Romanis mus araneus* à veneno dici videtur, quod illi commune est cum aranea. Et *Hebraicè* אנקה *anaka*, dici credita est ratione vocis, quam habet acutissimam. Ità ut pro gemitu & ejulatu possit haberi. Alioqui enim אנקה *anaka*, Hebræis *gemitum* aut *clamorem* sonat. Si idem sensit *Onkelos*, in ejus *Paraphrasi*, pro ילא *jala* (quâ voce ibi redditur אנקה *anaka*) rescribendum est פלא *pala*, vel *phala*. *Arabes* enim *murem araneum* sic appellant. *Avicenna* libro quarto *Fen.* 6. Tract. 3. capite ultimo in titulo, فصل في عضة موغالي وهو الفلا *Caput de morsu mygales, quæ (Arabibus) est* alphala. In *Latina* versione legitur *alcale*, quod esset القلا *Alterutrum* semidoctos mutâsse putaverim in ילא *jala*. Cujus nominis occurrunt in libris *Talmudicis* animalia duo diversissima, nempe sanguisuga, & hericius. Sed quorum neutrum hic habet locum. Neutrum enim *Hebraicè* אנקה *anaka*; sed *hericius* קפוד *kippod*; & *hirudo* עלוקה *aluka* dicitur, vel עלקה *alka*, potiùs. Prætereà hic agitur de iis reptilibus, quæ super terram repunt, è quo numero non est hirudo. Hæc de prima & antiquissima interpretatione vocis אנקה *anaka*.

(a) Lib. 3. Cap. 35. pag. 1015. lin. 3. &c.

Secunda *Jonathanis* est, & *Jerosolymitani* Interpretis: quorum unus hic habet סינקרת חויא, & alter פלית חויא, vel פילית חויא. Ita legendum, non חיוא, in *Lexico Baal Aruch*. *Lexicographi* neutrum intelligunt. Est enim alienum, quod פליית, pro *locusta* hic sumunt, ut פליא ביאר, capite nono Tractatus *Talmudici De Sabbatho*. Aliud enim פליא ביאר, aliud פליית חויא. Nempe id ipsum, quod *Arabibus* فالية الافاعي *phaliath alaphai*, id est, *scrutatrix serpentum* aut *viperarum*, (quomodo appellari suprà (b) nos docuerunt pictum genus scarabæorum, quod cum scorpionibus & serpentibus degere solet in latibulo crocodili terrestris) id ipsum, inquam, est *Chaldæum* פליית חויא. Illis enim חויא est *serpens*, & פליית *paljath*, seu *phaljath*, palàm deductum est ex *Arabico* فالية *phaliath*, quod *scrutatricẽ* reddimus; quia

(b) Cap. 114. pag. 1050.

فلي

فلي *phala* est *scrutari*. Sic فلي الراس *caput scrutatus est*, pediculos in eo quæsiturus, فلي الشعر *carmen scrutatus est*, id est, exploravit, & examinavit, ut in *Poeta* mentem penetraret. Et meritò serpentes *scrutari* dicitur hoc scarabæorum genus, quod in eodem latibulo cum iis jugiter degit, adeoq; serpentes, vel venientes, vel discedentes, perpetuò comitatur: ita ut eos, vel adventu suo, vel recessu suo, abesse significet. Unde Proverbium apud *Arabes* receptum, اتكلم فالية الافاعي *An alloquentur es* phaliath alaphai, *scrutatricem serpentum?* Quod usurpatur لاول شر ينتظر بعده شر منه *de priore malo, post quod aliud expectatur ex eo oriturum:* sed, quia فلي *phala* Verbum non solum *scrutari* significat, sed & *nutrire*, & *educare*; *Jonathan*, pro פליית חויא, habet מינקת חויא, i. e. *nutricem serpentis*. Porro cur voce אנקה *anaka*, hoc scarabæi genus designari voluerint *Chaldai* duo interpretes, causa mihi nulla apparet præter ipsum vocum ordinem. Nempe ut vox צב *tsab*, *crocodilum terrestrem* significat, quod multis (c) probavimus, ita sequens

(c) *cap. præced.*

אנקה *anaka*, פליית חויא, id est, *serpentis scrutatricè* significare visa est, quæ crocodili terrestris perpetua est assecla, & in eodem cum illo latibulo degere solet. Sed hæc qualiscunque ratio non est apud me magni momenti, ut neque ipsa versio, quæ videtur eâ niti. Quod pene omiseram, hæc animalcula nonnullis *Arabum* non sunt scarabæi, sed بنات وردان *benath vvardan*, quomodo *Dioscoridis* σίλφας, seu *blattas*, appellat *Abenbitar*.

Tertio loco eos numero, quibus אנקה *anaka*, est *lacertæ* genus, qui nec pauci sunt, nec contemnendi. In *Syro* enim hic habetur, ܐܡܩܬܐ *amaktha*, vel *amkatha*, quod *lacertam* exposuit *Maronitarum* doctissimus *Gabriel Sionita* ἐ μακρῷ. In *Samaritano* ࠎࠌࠌࠉࠕࠀ *semamitha*, id est, *stellio*, ut suo loco palam fiet. In *Arabe Erpeniano* الورل *alvvarlo*, id est, lacertæ species, quæ barbaris est *guaril*. In *Arabe Parisiis* edito الورك *alvvarco*, quod idem est. Nam nescio quo fato factum est, ut in *Avicenna*, & aliis, multo sæpius scribatur الورك *alvvarco*; quamvis vera scriptura sit الورل *alvvarlo*: quod docent omnes *Arabum Lexicographi*, & barbarum nomen *guaril* inde deductum. Ut taceam Criticam observationem, quæ sic habet apud *Damirem* capite ورل *Guaril*, لا تلتقي الراء مع اللام الا في اربع مواضع الورل وهو الحيوان المذكور وارل اسم جبل والغرلة وهو القلفة وحرل وهو ضرب من الحجارة. Re *non occurrit cum* Lam (id est, R cum L) *nisi quatuor locis*. 1. *In* alvvarlo *animalis nomine, de quo supra*. 2. *In* Aral, *montis nomine*. 3. *In* alghorla, *quod* præputium *sonat* (ut *Hebraum* ערלה) 4. *In* charal, *quod lapidis est genus*. Hi sunt igitur quatuor veteres, *Syrus*, *Samaritanus*, & *Arabes* duo; quibus *anaka* est *lacertæ* species. Quibus cur calculum addam, causas habeo non leves. 1. Quod præcesserat צב *tsab*, id est, *crocodilus terrestris*: & statim adduntur aliæ quatuor lacertorum species, ut constabit ex sequentibus. Proinde videtur *anaka* esse in eodem genere. Nam *mygale*, vel aliud quodvis animal, inter tot lacertorum species, minus opportuno loco esset insertum. 2. Ex *Hebræo* אנקה *anaka*, planè ortum est *Syrum* ܐܡܩܬܐ *amaktha*, vel *amkatha*. Nam hæc duo vocabula (præter terminationem, quæ in illo *Hebræa*, in hoc *Syra* est) nulla ex parte differunt: nisi quod *Hebraicum* NUN *Syri* mutarunt in MEM, qua mutatione in illis linguis nihil est frequentius. Sic *Chaldais*, aut *Syris*, *fortis* dicitur ܚܣܝܢ *chasin*, & ܚܣܝܡ *chasim*: Ratio ܛܥܢܐ *taana*, & ܛܥܡܐ *taama*: Nympha ܢܡܦܐ *ninphe*, & ܢܡܦܐ *nimphe*: Fustis ܩܘܪܢܣܐ *kurnesa*, & ܩܘܪܡܙܐ *kurmeza*: Terebinthus, vel arbor, quæ fert pistacium, ܒܛܡܐ, *butem*, ut *Hebraicè* בוטן *boten*. Et *Arabicè* pollex ابهام *ibham* dicitur pro *Hebræo* בהן *bohen*: ut *pinguescere*, دسم *dasama*, pro *Hebræo* דשן *dasen*: & *canere* رنم *ranima* pro *Hebræo* רנן *ranan*. *Æthiopicè* ዘመወ: *zamavva*, *scortatus est* pro *Hebræo* זנה *zana*: ዐደመ: *edem*, *tempus* pro *Chaldæo* עדן *iddan*: አደመ: *adam*, *jucundus*, *suavis*, ex *Hebræo* עדן *adan*, *deliciari*. Tale *Ægyptium* ΜΕΤΩΠΟΝ, *unguenti* genus ex *Hebræo* נטף *nataph*, aut *Chaldæo* נטופא *netopha*: ΜΕΙΣΤ *serpens* ex *Hebræo* נחש *naas*. Ut *Ægyptia* urbs *Memphis* à *Prophetis* modo נף *Noph*, modo מף *Moph*, appellatur. Pari exemplo hic *Syrum* ܐܡܩܬܐ *amaktha* deducitur ex *Hebræo* אנקה *anaka*; N & M permutatis. Itaq;, quidquid sit *Syrum amaktha*, id ipsum esse *Hebræum anaka*, vero valde consentaneum est. Certum autem est ܐܡܩܬܐ *lacertæ* genus esse, adeoque *stellionem*, *Prov.* 30. v. 28. ubi habetur in *Syra* Paraphrasi pro *Hebræo* שממית *semamith*. Ut in *Chaldæa* per literarum μετάθεσιν אקמתא *akmetha*, quod idem est. Itaque ut ܐܡܩܬܐ *amaktha*, vel *amkatha*, *Syrum*; & אקמתא *akmetha*, *Chaldæum* est *stellio*: ita etiam *Hebræum* אנקה *anaka*. Unde est, quod etiam à *Samaritano* אנקה *anaka* redditur ࠎࠌࠌࠉࠕࠀ *semamitha*, id est, *stellio*: & ab utroque *Arabe* الورل *alvvarlo*, vel الورك *alvvarco*, lacertæ genus ad stellionem accedentis, quamque adeò pro *stellione* multi habent, quia est formæ similis. Proinde sic de illo *Alkazuinius*, هو العظيم من شكل الوزغ وسوام ابرص *Hic est magnus, ejusdem forma cum* guezga, *&* savvamabras, id est, *cum stellionibus minoribus & majoribus*. Quæ ex *Avicenna* sumpta sunt. Et *Alcamus*, الورل دابة كالضب والعظيم من اشكال الوزغ *Alvvarlo* (vulgò *guaril*,) *animal ut* dhab (seu *crocodilus terrestris*.) *Et magnus est in iis, qui formam habent* guezgæ, seu *stellionis*. 3. Hebræis אנקה *anaka*, *gemitum* & *acutum clamorem* sonat, qualis fit in magno luctu. Unde *stellionem* dici posse si quis neget, quasi sit mutum animal, eum refellent hæc *Plinii* de *Græcia* stellione libri 29. capite 4. *Hunc* Græci coloten *vocant*, & ascalaboten, & galeoten. *In* Italia *non nascitur*. *Est enim hic plenus lentigine, strideris acerbi*, & * *vescitur*. *Quæ omnia à nostris stellionibus aliena sunt*. Nota, *stridoris acerbi*. Græcè dixeris τριγμῶ τραχέω, unde meritò אנקה *anaka*, dictus. Atque ut apud *Hebræos* ex Fœminino Singulari

lari sæpè fit Plurale Masculinum, ut עלים ex עלה, & ענים ex ענה: ita ex אנקה *anaka*, Plurale potuit esse אנקים. Et in secundo *Thargum Esther* capitis primi versu secundo, cum inter diversa animalia, quæ singula côram *Solomone* propriam vocem edunt, describuntur אנקין בכיין, *anakin flentes*, aut *ejulantes*, fortasse id accipiendum est, non (ut vulgò sumitur) de aquilarum clangore, sed de stellionum clamore, & acerbo stridore, quem ad ejulatum accedere testatur ipsa vox אנקה *anaka*. Atque ob id ipsum *Arabes*, cum hoc saltem scirent *anakam* esse lacerti genus, reddiderunt الورل *alvvarlo*, qui & ipse vocem habet, quamvis fortasse minus sonoram. Hinc *Alcamus*, ضغث الورل صوت *Dhagathsa alvvarlo*, id est, *clamavit*. Quod è nostris, qui *Arabica Lexica* ediderunt, non intellexerunt satis. Alius enim reddidit *Femur fragorem reddidit*: alius, *Sonuit coxa*. Quia legerunt الورك *alvvarco*, quod ירך, i.e. *coxam* sonat. Sed meminisse debuerant illud ipsum الورك passim occurrere pro الورل ut jam supra (*d*) notavimus. Ne dicam in exemplari τῦ *Alcamus*, quo sum usus, optimè scribi الورل *alvvarlo*. Itaq;, quod nostros homines latuerat hactenus, hoc pro comperto maneat, in lacertarum genere quasdam esse vocales, atque in his stellionem esse, qui acutissimè stridet. Sed de stellione plura dicemus in explicatione vocis שממית *semamith*.

d) Pag. 1065. lin. 50. &c.

Tribus interpretationibus hujus vocis, quas adduximus, jungi queant tres aliæ, in quibus nę gutta quidem apparet bonæ mentis. Prima est Paraphrastarum *Arabum*, quos legi manuscriptos, ubi אנקה *anaka* est عنكبوت *ancabuths*, id est, *aranea*. Quæ *aranea* fortasse nata est ex *Græcorum*, & *Hieronymi mygale*, seu *mure araneo*: quasi mus araneus idem sit cum aranea, quæ summa fuerit imperitia: aut ex *Syrorum* ܐܡܩܬܐ *amkatha*; quia *Chaldæum* אקמתא *akmetha*, huic synonymum, plerique *Hebræorum* pro *aranea* sumunt. At *aranea Hebræis* non est אנקה *anaka*; sed עכביש *accabis*. Neque *Prophetam* verissimile est hic *aranea* meminisse inter *lacertarum* species.

Secunda interpretatio est *R. Mardochai* in *Hebraicis Concordantiis*, ubi hoc animal definit שרץ העוף *reptile volans*, cum *Moses* illud disertè ponat *inter reptilia, quæ repunt super terram*, Levit. 11. v. 29. 30.

Tertia est *R. Selomonis*, qui *Gallicâ* voce reddidit בבריא *bieure*, id est, *fibrum*, seu *castorem*, ut est in *Pomario*: animal ita amphibium, ut sit potius aquaticum. Piscis enim habet caudam, & pedes ad natatum potius quam ad incessum comparatos, degitque in fluminum ripis, unde alimentum petat. *Dioscorides*, Ζῶόν ἐστιν ἀμφίβιον, τὸ πλεῖστον ἐν ὕδασι σὺν ἰχθύσι καὶ καρκίνοις τρεφόμενον· *Animal est amphibium, plerumq; in aquis cum piscibus & cancris vescens.* Alkazuinius, القندر بري بحري يكون في الانهار العظيمة من بلاد ايسو يتخذ في البر بيتا الي جانب النهر *Alkundur* (id est, *castor*) *amphibium animal. Reperitur in magnis amnibus regionis Aisu, & domum sibi deligit ad amnis ripam.* Proinde *fibrum* dici volunt *Varro* & *Festus* ab extremis fluminum oris. Nam *fibrum* dicebant veteres pro *extremo*. Unde *fibræ* jecoris, & vestium *fimbriæ* appellatæ. Tale igitur animal quis credat *Mosem* recensuisse inter reptilia terræ? Maximè, cum proportio sit valde dispar. *Reptilia* enim hic vocat *Moses* talpas, & mures, & lacertarum genera. Præterea ratio nulla est, cur à clamore, & ejulatu, *castor* dicatur אנקה *anaka*; cùm vox castoris nihil quidquam habeat insigne, quod quidem sciam. Sed hujus sententiæ primus auctor, quisquis fuit, promiscuè sumpsisse videtur *castores*, & *castorides*: quæ marina esse animalia dictitant, tam horrendi ejulatus, ut brevi moriatur qui audierit. *Ælianus Historiæ* libri noni capite quinquagesimo, Αἱ κασορίδες ζῶόν εἰσι θαλάττιον. καὶ ἐπὶ ταῖς ἀκταῖς, καὶ ταῖς πέτραις ταῖς προβεβλημέναις, ἀποφημόν τινα κωκυτὸν μελιᾶσι, καὶ ὀδύρονται βαρύτατα. Τούτου τοίνυν τοῦ ἤχου ὅστις ἂν ὑπακούσῃ, ἀφυξία οἱ ἔστι. καὶ οὐ μετὰ μακρὸν ἀποθνήσκει· *Castorides, marinum animal, ad littora, & saxa eminentia infaustum edunt ululatum, & gravissimè rugiunt. Ita ut earum clamorem qui audierit, non effugiat, quin paulo post excedat è vita.* *Oppianus* libro primo *Halieuticῶn*,

> Κασορίδες τ' ὀλοαὶ δυσπέμφελοι, αἵτ' ἀλεγεινὴν
> Ὄσσαν ἐπὶ προκάλοισιν ἀπαίσιον ὠρύονται
> Ἀνδράσιν· ὃς δέ κε γῆρυν ἐν οὔασιν ἀλγινόεσσαν
> Δέξηται, συγερῆς τ' ἐνοπῆς κωκυτὸν ἀκούσῃ,
> Οὐ τηλοῦ θανάτοιο τά γ' ἔσσεται· ἀλλά οἱ ἄτην
> Καὶ μόρον αἰνοτάτη κείνη μαντεύεται αὐδή.

Castoridesq; perniciosæ & gravis luctus, quæq; in littoribus tristem vocem & hominibus infaustam emittunt. Qui vero mœstum clamorem auribus perceperit, & querulæ vocis ejulatum audierit, non procul erit à morte: sed ipsi cladem & mortem præsagit gravissima illa vox. Tzetzes *Chiliadis* sextæ Historia quadragesima septima,

> Ἡ κασορὶς δ' ὠρύεται, ὃς δ' ἂν ἀκούσῃ ταύτης
> Χρόνῳ βραχεῖ παρέρχεται τοῦ ταλαιπώρου βίου·

Rugit autem castoris, & quisquis illam audiverit, ex misera hac vita brevi excedet. Hæc de castoridum ejulatu & rugitu reperio. Sed falluntur, qui castoridem pro *fibro* aut *castore* habent, in quibus doctissimus *Rittershusius* in *Notis* ad *Oppianum*. Aliud enim *castor*, aliud *castoris*. Ille quadrupes amphibium, hæc piscis est. *Tzetzes* ubi supra,

> Πάντες δ' ἰχθύες ἄφωνοι, πλὴν σκάρου, καὶ κασορίδος·

Omnes autem pisces muti sunt, *exceptis scaro, & castoride*. Ille in ripis fluminum, hæc circa maris littora describitur, & censetur ab *Oppiano* inter ea cete, quæ nonnunquam è mari in siccum exeunt: cum contra castor ex terra in amnes feratur. Denique castor est verum animal: castoris fabulosum, ut quidem puto, cùm animal in mari nullum noverim, in quod quadret hæc descriptio.

E recentioribus אנקה *anaka*, *Pagnino*, *Græcos* & *Hieronymum* sequuto, est *mygale*: & Deodatio *mus araneus*: *Munstero* & Genevensibus *ericius*, tanquam ex *Onkelo*, cujus Paraphrasis hic corrupta est: *Junio* & Buxtorfio *attelabus*, tanquam ex *Hierosolymitano* interprete, quem non satis intellexerant: *Castalioni fiber* ex *Rabbi Selomone*: Ariæ *viverra*, tanquam ex eodem. Sed בבריא *Selomonis* non debuit legi *viverra*, quia *viverra* vox *Romana* est, sed בבריא merè *Gallica*. *Gallus* enim fuit *Rabbi Selomo*, nec nisi *Gallicis* vocibus *Hebraica* interpretatur. Tamen ex eodem fonte *Angli* quoque *a ferret*, id est, *furonem*, hic habent, animal viverræ simile. Sed nihil mirum in devia abiisse tot interpretes, qui neque *Syram* viderant, neque *Samaritanam* Paraphrasim, neque duas illas *Arabicas*, ex quibus veram vocis אנקה *anaka*, notionem exsculpsimus.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Probatur כח *coach*, eſſe ورل *guaril*, lacertorum in *Arabia* maximum & validiſſimum.

Quam variè reddatur כח coach. *Lacerti genus eſſe* à robore *ſic dicti: unde probatur eſſe* guaril, *cujus robur ſupra reliquos multum eminet. Maximè in pugna contra ſerpentes & crocodilum terreſtrem. De eo* Arabum *teſtimonia, & Proverbia. Ejuſdem peculiaris deſcriptio. Lacerto viridi in multis ſimilis eſt, non tamen idem, cùm & colore differat* guaril, *& magnitudine; viribus, ac ferociâ longe præcellat.*

SEquitur כח *coach*, quem in lacertorum genere ponunt veteres ferè quotquot ſunt. *Græci*, & *Hieronymus*, *chamæleontem* reddunt. Uterque *Arabs* editus حردون *chardaun*, id eſt, *crocodilum terreſtrem*, vel ejus ſpeciem. Ita etiam *R. Jonas*, & *David Kimchi*. *Lacertam* R. Selomo. *Hebræam* vocem retinent *Chaldæi*, & *Samaritanus*, ſola terminatione mutata. Sed magno errore *Syrus* ܚܘܠܕܐ *chulda*: & *Arabes* manuſcripti الخلد *alchuld*, id eſt, *talpam*, hic habent. E recentioribus *Pagninus*, *Munſterus*, *Caſtalio*, *Angli*, *Itali* reddunt *chamæleontem*: Arias & Junius *lacertam*: Petrus Robertus *teſtudinem*: Pomarius *limacem*: Judæi quidam (apud *Geſnerum*) *ſciurum*: Genevenſes *crocodilum*. Nos iis accedimus, qui lacertæ genus intelligunt; quia de lacertis hic agitur & ſic ſumunt plerique veteres, iique antiquiſſimi. Quo ſemel conceſſo, facile erit ſtatuere *Hebræos* nomine כח *coach* ſignificari الورل id eſt, Arabum *guaril*, quomodo barbari ſcriptores vocant. Patet id ex ipſo nomine, quod *à robore* ſumptum eſt. Alibi enim Scripturæ locis plus centum כח *coach*, pro *robore* ſumitur. Et *Arabicè* كوح iiſdem literis ſignificat *in pugna ſuperiorem eſſe*. Itaque in lacertorum genere vero conſentaneum eſt כח *coach*, illum appellari, qui robore maximè valet, & in pugna reliquis præcellit. Is autem haud dubiè eſt الورل *alvvarlo*, ſeu *guaril*, cujus robur maximè eminet in pugna contra ſerpentes, & crocodilum terreſtrem. Quod ne quiſquam in dubium vocet, en ea de re diſertiſſima ſcriptorum *Arabum* teſtimonia! *Alkazuinius*, هو عدو للضب وللحية يدخل بيتها وياكلها وليس شي من الحيوان اقوي على قتل الحيات منه ولا يحتفر لنفسه بل يغتصب كل شي بيته لان اي بيت يدخله هرب ساكنه ويغتصب بيت الحية كما يغتصب الحية بيت ساير الاجناس *Infenſus eſt crocodilo terreſtri, & ſerpenti, cujus latibulum ingreditur, ut eum voret. Neque ullum eſt animal eo fortius ad ſerpentes occidendos. Neque latibulum ſibi ipſi fodit: ſed aliorum omnium latibula invadit. Nam quodcunque latibulum adeat, ejus incola fugam capeſſit. Quin ſerpentis luſtrum invadit, quomodo aliorum generum* (malim سابر الاجناس *aliorum reptilium*) *luſtra invadit ſerpens. Algiahid* de eodem, وهو يقوي على الحيات وياكلها اكلا ذريعا ويخرجها من جحرها ويسكن فيه فهو اظلم من ظالم *Is ſerpentibus prævalet, & eos avidè comedit, & è latibulis ſuis expellit, ut ea occupet, & violento violentior eſt. Abdollatif*, ex quo *Damir*; وبينه وبين الضب عداوة فيغلب الورل الضب ويقتله لكنه لا ياكله كما يفعل بالحية وهو لا يتخذ بيتا لنفسه ولا يحفر جحرا بل يخرج الضب من جحره صارعا ويستولي عليه وانه كان اكثر براثن منه واقوي لكن الظلم يمنعه ولهذا يضرب به المثل في الظلم ويكفي في ظلمه انه يغصب الحية جحرها ويبلعها وربما قتل فوجد في بطنه الحية العظيمة وهو لا يتبلعها حتي يشدخ راسها *Inter eum & τὸν dbab* (ſeu *crocodilum terreſtrem*) *gravis eſt inimicitia. Sed* guaril *eſt ſuperior, & eum occidit. Nec tamen eum comedit, quomodo ſerpentes ſolet. Neq; domum ſibi deligit, aut latibulum fodit. Sed crocodilum terreſtrem ex proprio domicilio colluctando extrudit, & ei prævalet. Quamvis crocodilus unguium viribus præpolleat; tamen hic violentia potior eſt. Unde eſt, quod in Proverbium ceſſit ejus violentia. Quæ in illo tanta eſt, ut ſufficiat ad ſerpentem è luſtro ſuo extrudendum, ac devorandum. Ac proinde in occiſi ventre magnum ſerpentem nonnunquam reperire eſt, quem non vorat, niſi prius fracto capite.* Proverbia de eo multa ſunt apud *Arabes*, in quibus hæc notanda ſunt. اجبر من الورل *Ferocior* (aut *ſuperbior*) τῷ *guaril*. Et اظلم من الورل *Iniquior* (aut *violentior*) τῷ *guaril*: ad quod ſupra alluſit *Abdollatif*. Et اسرع من تلظم الورل *Citiùs quàm* guaril *cibum in ore verſat.* Quò pertinet, quod ſcribit *Algiahid* eum ſerpentem avidè comedere, vel اكلا ذريعا id eſt, ad verbum *veloci & præcipiti comeſtione.*

Ex

Masorethico cap. 14. Lamed *majusculum* Masora *parva notat in voce* והלטאה, Levit. 11, 30. *quam alii lacertam, alii stellionem reddunt. Litera autem majuscula denotat inter reliqua reptilia vel maximè ab hoc reptili esse cavendum.*

De cætero hoc animal quomodo *Gracè* vocetur nemo facilè dixerit, nisi quis putet esse *salamandra* speciem. Nempe cum stellione salamandram veterum nonnulli conferunt, tanquam illi similem, aut etiam ejus speciem. *Aetius Tetrab.* 4. Serm. 1. cap. 52. *Salamandra animal est simile stellioni.* Nicandri *Scholiastes* in *Alexipharmaca*, Ἡ σαλαμάνδρα, εἶδός ἐστιν ἀσκαλαβώτου. 2. Eadem inficere legitur quidquid calcat. *Plinius* ubi suprà. *Si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno.* Item, *Si contacto ab ea ligno, vel pede, crusta panis incoquatur, idem veneficium est.* Quo pertinet, quod *Narbonenses* apud *Gesnerum* dictitant; *Si Blanda (id est, salamandra) in acervo tritici reperiatur, totum infici, adeò ut vel gallina vescentes inde pereant.*

Proinde الوحرة alvvachara, cui *Arabes* hæc eadem tribuunt, videri queat idem esse cum salamandra, nisi quod non convenit color. Is enim in wachara ruber est, in salamandra varius. Itaque *vvachara* aliud est *Arabica* lacertæ genus nobis ignotæ, similis tamen, in multis, stellioni, & salamandræ. Unde est, quod לטאה *letaa*, quam putamus esse *Arabum vvacharam*, à *Syro* ܣܠܡܢܕܪܐ *salamandra* & à veterum plerisque aliis *stellio* redditur.

CAPUT QUINTUM.

Probatur חומט *chomet*, esse lacertam in arena degentem, quæ *Arabice* حلكا *chulaca* dicitur.

Recentioribus חומט chomet, *est limax; sed lacerta veteribus* חומטון chometon, *Hebræis* arena. *Inde, aspiratione omissa*, Græcis ἄμαθος, *& , cum* προθέσει, ψάμαθος. *Et* חומט chomet, *lacerta arenaria. Qualis* Arabum حلكا chulaca, *vel* لحكا luchaca, *in arenis degens, quæque, cum hominem videt, iis immergitur. Itaque etiam* filia arenæ *dicitur. Aut est* العظاة aladha, *lacertæ species* ἀμμώδης, *veneno carens. Itaque falluntur, qui* salamandram, *aut* lepem, *aut* lacertam Chalcidicam *exponunt.*

Hebræis recentioribus *Selomoni*, *Kimchio*, *Pomario*, & *Aquinati* חומט *chomet*, est *limax*. Neque aliud volunt *Hispani* illi, qui in *Kimchio* vernaculè קרקול reddunt. Legendum enim קרקול, *caracol*, quomodo *limacem* illi appellant. Id sequuntur *Arias*, *Munsterus*, *Petrus Robertus*, *Genevenses*, & *Angli*, qui hic quoque *limacem* habent. Tamen aliter veteres. *Græcis* enim, & *Hieronymo*, חומט *chomet*, est σαῦρα *lacerta*. Et *Arabibus* editis حربا *chirba*, *chamaleon*: manu-scriptis سام ابرص *sammabras*, stellio. Neque aliud hic *Syrum* ܚܘܠܡܬܐ *chaulmata* juxta *Gabrielem Sionitam*, cui malo credere, quam *Baptista Ferrario*, qui reddit *avem dorsum habentem nigris & purpureis pennis distinctum*; planè ἀπροσδιονύσως. Neque enim de avibus hic agitur, sed de terræ reptilibus. Itaque, ut superiora, ità etiam חומט *chomet*, videtur esse in lacertorum specie. Neq; latet origo vocis. *Talmudicis* enim חומטון *chometon*, est *arena*. Hinc in Tractatu *De Sabbatho* cap. 5. fol. 54. 2. (ubi *Talmudici* disputant, quorsum 1. *Reg.* 9, 13. *Hiramus*, Rex *Tyriorum*, ארץ כבול, *terram chabul* appellaverit tractum illum, quo donaverat eum *Solomon*) dicit *R. Nachman*, *Isaaci* filius, ארץ חומטון היתה אמאי קרו לה כבול דמשתרגה בה כרעא עד כבלא *Terra erat* chometon, *unde est, quod vocârunt eam terram* chabul; *quia in ea crus usque ad talum immergebatur.* Et *Kimchius*, hunc locum citans in *Lexico* Radice כבל, sed verbis paulùm immutatis, חומטון *chometon*, explicat חול *chol*, id est, *arenam*. Ità ut illi *terra chometon* sit *terra arena*, vel *arenosa*. *Baal Aruch* itidem totum locum ità exponit, פי' שרגליו של אדם משתקעות בה מחמת החול כאלו הן כבולות לכן איננה עושה פירות *Significat pedes hominis in ea (terra) fuisse immersos propter arena (copiam) ac si fuissent compediti, ac proinde illam fuisse infrugiferam.* In *Glossa Talmudis* terra *chometon* est terra מלחה ומתבקעת *salsuginosa, & diffissa.* Et ejusdem Tractatus cap. 2. fol. 31. 2. חומטון *Glossatori* est ארץ מלחה ומשמרת את הפירות מהתליע *terra salsuginosa, qua fructus à vermiculatione servat.* Sed prior interpretatio est verior, & utrique loco apprimè convenit. Nam & incedentium pedibus arena molesta est, & in calidis locis vim habet ἀσηπτικὴν, qua res à corruptione diu servat. Itaque in *Africa* arenis cadavera condiri multi asserunt, & pro mumia distrahi. Quin vox חומטון *chometon*, quamvis non extet in libris *Propheticis*, videtur esse valde antiqua. Et *Græcos* puto, aspiratione dempta, indè deduxisse ἄμαθον, &, cum προθέσει, ψάμαθον. Quorum utrumque in vetustissimis scriptoribus, *Homero* putà, & aliis, in *arena* notione reperitur. Ità tamen, ut ἄμαθον *Grammatici* velint *arenam* esse μεσόγειον *mediterraneam*, & ψάμαθον παραθαλασσίαν seu *littoralem*. Sic ferè distinguunt *Hesychius*, *Suidas*, alii.

Itaque ut חומטון *chometon*, est *arena*: sic חומט *chomet*, est *lacerti species*, *qua in arenis degit.* Et videtur intelligi *Arabum* حلكا *chulaca*, vel لحكا *lucha*, & *luchaca*; de qua *Alcamus*, الحلكا دويبة تغوص في الرمل او ضرب من العظا كالحلكا Alchulaca, *Animalculum, quod in arena mergitur: aut lacerta species, qua etiam chulaca vocatur.* Idem, اللحكا دويبة زرقا تشبه العظاة Luchaca, *animalculum cæruleum, lacerta simile.* Damir, الحلكا دويبة شبيهة بالعظاة تغوص في الرمل Alchulaca, *animalculum lacerta simile, quod in arenis immergitur.* Alazhari, اللحكا دويبة كانها سمكة تكون في الرمل فاذا احست الانسان دارت في الرمل وغاصت فيه Luchaca, *animalculum in arena degens, ut piscis (in aqua;) quod, cum sentit hominem, in arena volvitur, atque in ea immergitur.* Et *Ibnosacith*, اللحكا دويبة شبيهة بالعظاية وقوايم خفيفة Luchaca, *animalculum lacerta simile, pedibus levissimis*, Assidalanius, & Arruyianus, دويبة مثل الاصبع تجري في الرمل ثم

تم تغوص فيه وهذا يقوي قول الجوهري انه مقلوبة من الحلكا *Animalculum est digitale, quod per arenas currit, & in iis demergitur. Id confirmat dictum* Giauhari, *Nomen* luchaca *inversum esse ex* chulaca. Rursus *Damir*, العرب تسميها بنات النقا لانها تسكن نقيات Arabes *etiam appellant filias tumuli arenæ; quia in arenæ tumulis degit.*

Sed & lacerti communis una species est ἀμμώδης. *Damir* capite العظاه *Alaaha*, seu *De Lacerta*, وهي انواع كثيرة منها الابيض والاحمر والاصفر وكلها منقطه بالسواد والوان بحسب مساكنها فان منها ما يسكن الرمال ومنها ما يسكن قريبا من الما والعشب *Earum multæ sunt species: quædam albæ, quædam rubræ, quædam flavæ; quæ omnes sunt nigro distinctæ. Et colores illis sunt pro ratione loci, quem occupant. Aliæ enim in arenis degunt: aliæ prope aquas & in herbosis locis.* Et *Alazhari*. هي دويبة ملسا تعدوا وتتردد كثيرا تشبه سام ابرص الا انها احسن منه وتسمي العظاه وشحمة الارض وشحمة الرمل *Est animal molle, multum cursitans, & ultro citroque commeans, simile* τῷ sammabras, *seu stellioni, nisi quod eo est pulchrius. Vocatur* aladha, *& Adeps terræ, & adeps arenæ.* Vides, lector, tam hanc lacertam, quam alteram minus vulgarem, de qua suprà, *ab arena* nomen habere, æquè ac *Hebræum* חומט *chomet*. Itaque חומט *chomet*, vel alterutrum, vel utrumque significat.

Obiter nota عظاية vel عضاية in *Avicenna* pro *salamandra* poni, & in *Abenbitare* modo pro *salamandra*, modò pro *sepe*, vel *lacerta Chalcidica*, non sine gravi errore. Utraque enim est venenata. At العظاة veneno caret, ut *Arabes* disertè docent. *Damir*, ومن خرافات العرب قالوا ان السموم لما فرق على الحيوان احتبست العظاة عند التفرقة حتي نفد السم واخذ كل حيوان قسطه منه على قدر السبق اليه فلم يكن لها فيه نصيب وفي طبعها انها تمشي مشيا سريعا ثم تقف ويقال ان ذلك يعرض لها من التذكرة والاسف علي ما فاتها من السم *Est ex Arabum Apologis, quod dicunt, quod, cum divisa sunt venena inter animalia, continuit se aladha, dum divisio fiebat, donec venena defecerunt, cum unumquodque animal portionem suam sumpsisset, pro ut ordine primum fuerat. Neque illi fuit sua portio. Proinde, cum illi naturale sit, ut citato gressu incedat, & mox subsistat, ajunt id illi accidere, quia meminit, & mæsta est, eo quod defuit ipsi venenum.* Ibidem *Damir*, وتسمي بارض مصر السحلية *In terra Ægypti vocatur* SUCHLIA, quam *Azhari* asserit *stellioni similem esse*, الا انها لا تودي وهي احسن منه *nisi quod non est noxia, & est eo pulchrior.* Eos igitur falli necesse est, qui hoc animalculum cum *salamandra* contundunt, aut cum *lacerta Chalcidica*, quæ sunt maximè noxiæ.

CAPUT SEXTUM.

Probatur תנשמת *thinsemeth*, Levit. 11, 30. esse *Chamæleontem*.

Plerique תנשמת thinsemeth, *est* talpa. *Sed versu præcedente* חלד choled, *esse talpam probatum est. Ergo* thinsemeth *est aliud. Neque talpæ convenit nomen* ab halitu *factum. Aliter reddunt multi veteres.* Arabes *interpretes emendati.* נדי, scolopendra, *cui pedes* XLIV. *Ejus descriptio ex* Avicenna. *Cur dicatur* ἀμφυσᾶν. תנשמת thinsemeth, *est* chamæleon, *ab aspirando sic dictus; quia hianti ore semper est, & aere vesci creditur. Nempe ferè totus pulmo est, & dissectus diu spirat. Non tamen vescitur solo aere, sed muscas & culices prætervolantes, formicas, locustas, scarabæos lingua venatur, quam habet longissimam, atque ex ore emissilem. Inde nomen* Arabicum حربا chirba. *At cur vocatur* chamæleon? Leo Iphi in *Arabibus animal chamæleonti simile. An* chamæleon *deflexum ex* Punico גמליון; gamalion; *quo sit vocatus, quia cameli gibbum in dorso habet, quod observant* Arabes. *Iidem* Magum *vocant, quasi Solem adoret. Ejus Medicæ vires. Ab* Hebræis *chamæleon avis esse creditur, & salamandra araneæ similis. In Græca versione quam aliena* chamæleontum *mentio* Soph. 2,14 *Fons erroris.*

IN loco, in quo versamur, sola superest תנשמת *thinsemeth*, id est, *talpa*, si *Græcos* sequimur, & *Hieronymum*; & è *Chaldæis*, *Onkelosum*; & *Hebræos* recentis ævi, *Selomonem, Kimchium, Pomarium, Aquinatem*; & novos *Bibliorum* interpretes, *Paguinum, Munsterum, Ariam, Genevenses, Anglos, Italos*, &c. Quorum omnium auctoritas cum apud me multum valeat, tamen quo minus in assensum trahat, duo potissimum obstant, quæ jam alibi observavi. Unum, quod præcedenti versu de *talpa* jam actum est. Id enim esse חלד *choled*, iis rationibus probavimus (a) quas nemo facilè refellet. Aliud igitur est in hoc versu תנשמת *thinsemeth*: nisi *Mosem* velimus in eadem contextus serie idem animal bis vetasse, & cum fingamus sic loquutum; *Inter reptilia, quæ repunt super terram, hæc*

(a) Lib. 3. cap. 35.



DE SCRIPTURÆ ANIMALIBUS, PARS PRIMA.

Liber Quartus, DE *Quadrupedibus Oviparis*.

CAPUT PRIMUM.

Probatur צב *tsab, Levit.* 11. *v.* 29. esse *Crocodilum terrestrem;* de quo ex *Arabum* monumentis multa afferuntur nondum vulgata.

Pauca hujus generis animalia in Scriptura, sed difficilia cognitu. Hic Arabes *multùm profuisse.* צב tsab, Hebræorum *alii* bufonem, *alii* testudinem *reddunt, quod maximè sequuntur recentiores.* Arabes, *in quorum solo nascitur,* ضب dhab *efferunt, propter punctum adscriptum* צ Tsad, *& in* lacertis *censent. Apud* Arabum Criticos *varia nomina maris, fœminæ, fœtûs, partium, latibuli, venatûs,* &c. Philosophi *marem docent bifidum habere veretrum, & fœminam duplicem vulvam. In cauda esse nodos* XXI. *Dentes esse continuos, qui nunquam decidant. Ipsum animal nunquam bibere, rarò mingere. Visu primùm esse hebeti, sed qui ad Solem clarior fiat: ut* lacerta Solaris *in* Epiphanio. *Longævissimum esse. Aëre vesci, & certis herbis, & radicibus. In locis celsis & petricosis nidificare, in quorum fossione ungues deteras. Oblivionem & ἀβλεψίαν ipsi esse naturalem, de quo* Proverbia. *Ova sua, columbarum ovis similia defodere, unde catuli quadragesimo die excludantur. Proprios catulos vorare. Ut canem ad vomitum redire. Totâ hyeme φωλεύειν. Jugulatum adhuc aliquamdiu vivere. Scorpiones, & certum scarabæorum genus, in eodem latibulo secum admittere. Sed hostes habere infensissimos* ? guaril, *seu* stellionem majorem, *serpentem nigrum, & putorium: à quibus quomodo oppugnetur.* Theologi *quærunt, quomodo concedatur ejus esus, cùm sit è genere reptilium. Fabula insignis de* ضب dhab *ad fidem* Mahumetanam *converso. Ejusdem animalis* Magicæ *vires. In* Medicis *stercus ejus amovet faciei maculas, lentigines, vitiligines, & oculorum albugines. Probatur* Hebræum צב tsab, *&* Arabicum ضب dhab *idem esse:* 1. *Ex nomine.* Tsade *sæpe mutari in* Dhad. 2. *Quia à* Mose צב tsab, *censetur inter lacertorum species.* 3. *Veteres omnes interpretes ità sumunt; ut* Arabes, Chaldæi, Syrus, Samaritanus. De צב tsab, *loca* Talmudis, *&* Bereschith Rabba, *emendata, & explicata. Pro* ערוד *legendum* עסוד albi lacerti *genus in arenis, cui puellarum digiti conferuntur.* בקנפילים *non est* nauplius, *ut* Buxtorfio *visum, sed* scincus. *Ratio nominis. Obiter multa de scinco. Bruta majoris molis in Oriente sub* Gigantum *nomine contineri. In* Berescith Rabba *pro* חכינא chacina, *legendum* חבינא *id est,* chamæleon: *ex cujus coitu cum* חרדון chardon, *(qui idem cum* צב tsab*) natus* חברבר chabarber, *ut fabulantur, id est,* salamandra. *Hunc locum alii absurdè explicant. Cur* chamæleon *dicatur* חבינא, *&* salamandra חברבר. *Crocodilo majori nomen à formæ similitudine cum* Jonicis *crocodilis, quæ sunt animalcula. Cujusmodi sunt prope* Chalcedonem *in fonte* Zareta, *vel* Azaritia. Byzantiacos lacertos *vocat* Statius. *De crocodilo terrestri citantur multi veteres. Ejus quanta magnitudo. Scincus ab eo quid differat. Hebræum* צב tsab, *Arabicum* ضب dhab; *Chaldaicum* חרדונא chardona; *idem cum* crocodilo terrestri: *quod probant septem rationes. Itaque* צב tsab, Græcis *est* ὁ κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, Hieronymo *simpliciter* crocodilus, *quomodo terrestris etiam sæpe vocatur. Unde factum, ut* Ægyptium *nonnulli intelligerent.* Crocodilorum oppidum *in* Phœnice, *sed minorum.* Josepho Capharsaba, *vel* Capharzaba, *id est,* כפרצבא. *Crocodili terrestris aliæ quædam nomina. In* Hesychio Κίκιρος. *In barbaris scriptoribus* ballecola, balleccara, botrax.

Ost quadrupedes viviparas sequentur oviparæ, quæ & in natura paucæ sunt, & in Scriptura pauciores. Harum sex species à *Mose* recensentur *Levit.* 11. v. 29.30. nempe צב *tsab*; אנקה *anaka*; כח *coach*; לטאה *letaa*; חמט *chomet*; תנשמת *thinsemeth.* Septima videbitur addi posse שממית *semamith*, ex *Prov.* 30. v. 28. Sed *semamith* ab *anaka* solo nomine differre suo loco docebimus. Et octava לויתן *Leviathan*, qui palam est *crocodilus*, Job. 40. & 41. Sed *crocodilum* maluimus in aquaticis describere; quia *ἀμφίβιον* est animal. *Testudo* denique hic locum habebit, si *Seniores* sequimur *Os.* 12. *v.* 12. Oviparæ quadrupedes, quas ex *Mose* recensuimus, ad lacertorum species aliquo modo pertinent, & ità sunt inter se similes, ut eas certis notis abinvicem distinguere non sit cujusvis. Nobis certè fuit valde operosum; quia hic ab *Hebræis* prorsus destituimur. Neque ex aliis Scripturæ interpretibus multò plus fuit subsidii, qui in tenebris plerique palpant, cùm ad has minutias deveniunt: sed longè plus afful-

fit

sit lucis ex monumentis *Arabum*, in quorum solo hæ pestes nascuntur, & educantur. Quod sequentia palàm facient. In his singula verba explicare conabimur, illo ipso ordine, quo à *Mose* proponuntur.

Levit. 11. v. 29. Hebræum צב *tsab*, Hieronymo est *crocodilus*, Græcis ὁ κροκόδειλος ὁ χερσαῖος. At recentiorum alii *bufonem*, aut *rubetam*; alii *testudinem* reddunt: *Castalio* autem *testaceorum genera*. Horum, nisi fallor, agmen ducit *R. Selomo*, *Judæus Gallus*, qui scripsit ante annos ferè DL. Is enim primus, quod quidem sciam, צב *tsab*, *animal* esse scripsit *ranæ simile* nomine פרוט. Sed legendum פרוט *frot*, Germanicum *bufonis* nomen in *Gallia* tum in usu. Huc refero, quod צב *tsab*, Kimchius *Hispanicè* reddit גריישנט *graissant*. Tum scilicet Hispanis *graissant* erat *rubeta*, ut Gallis *graisset*, & *crosset*, & Germanis Grasfrosch / ad verbum *rana graminis*. Hos sequuti, *Pomarius*, *Aquinas*, *Munsterus*, *Pagninus*, *Arias*, *Robertus Olivetanus*, צב tsab, *bufonem*, aut *rubetam*, aut *ranam* interpretantur, aut שרץ שרומה לצפרדע, *reptile ranæ simile*. Putârunt nempe hoc animal *à tumore* sic appellari; quia צבה *tumere* est. Quomodo *à bufone* factum est nomen vernaculum *bouffi*, quod *tumidum* sonat. Accedit, quod *Illyricè* *Zaba* est *rana*, tanquam à צב *tsab*, deductâ voce. At *Elias*, *Judæorum* in *Germania* facilè doctissimus, צב *tsab*, suâ linguâ שילטפרוט, *schilt-frot*, id est, *testudinem* exponit; quia putamina testudinum tectum referre videntur cameratorum curruum, qui *Hebraicè* dicuntur צבים *tsubbim*. In tantula ratione tantum fuit virium, ut in assensum traxerit *Junium*, *Tremellium*, *Schindlerum*, *Anglos*, *Italos*, & *Genevenses* interpretes. *Buxtorfius*, in *Lexico*, quorum se partibus addicat, haud satis sciens, צב *tsab*, & *bufonem* reddit, & *testudinem*.

In hac tantorum virorum hæsitatione, addo etiam hallucinatione, quod illorum pace dixerim, erudito lectori spero me facturum rem pergratam, si veram & genuinam vocis significationem, non jam ex conjectura, sed certis & solidis rationibus adstruam. Id vero, vel me tacente, nullo negotio præstabit quisquis ea perpendet, quæ de hoc animali scribunt *Arabes*. Quibus non potest non esse notissimum, quia in *Arabia* frequentius est, quam ullibi terrarum. At illis quàm notum est animal, tam nobis est ignotum. Proinde necesse habeo hæc accuratius persequi.

Ut à nomine ordiamur, sciendum ut *Hebraicè* צב ità *Arabicè* ضب iisdem scribi literis. Sed, ut Dialecti variant, *Tsade Arabicum* initio vocis effertur ut *d*, vel *dh*, propter punctum adscriptum. Itaque hæc vocula sonat ضب *dhab* apud *Arabes*. Plurale est ضباب *dhibâb*, vel اضب *adhab*, & Fœmininum ضبة *dhabba*. Unde ضبب *dhabab*, & مضب *mudhab*, & مضبب *mudhbib*, locus dicitur his animalibus refertus; & مضبب *mudhabbib* eorum venator. Porrò ضب *dhab* à *Damire* definitur حيوان بري معروف من الحشرات يشبه الورل *animal agreste notum è reptilibus, simile* τῷ *guaril, seu stellioni majori*: ut *Avicenna* illud à *guaril* differre scribit, وان كان يشبهه وكان قريب الاحوال والغذي منه *Quamvis illi sit similis, & tam constitutione quàm virtute proximus.* Hæc ille libro secundo *Canonis* in capite ضب *dhab*, seu *tsab*, si mavis. Et in capite حردون *chardaun*, quod à *Latino* interprete prorsus omissum est. هو الضب وطبعه قريب من طبع الورل وهو اشبه الوزغ بما يتعزي به Chardaun *idem est, quod* dhab: *cujus natura accedit ad* guaril, *& attributa eadem, quæ* guezgæ. Et in capite ورل *guaril* هو غير الضب والضب لا يكون او قل ما يكون الا في البادية وراسه وبدنه وذنبه خالف من الورل وربما قريب في طبايعه Guaril *alius est à* dhab. *Nam* dhab *non est, aut rarò est alibi, quàm in deserto. Et capite, trunco & caudâ differt à* guaril, *quamvis naturâ sit vicinus.* Et *Abdollatif Bagdadensis*, الورل والضب والحربا وشحمة الارض والوزغ كلها متناسبة في الخلق Guaril, *&* dhab, *&* hirba, *& adeps terræ, &* guezga, *sunt omnes ejusdem naturæ participes.* Hæ nempe sunt totidem lacertorum species, de quibus infrà dicemus. Itaque ضب *dhab*, vel צב *tsab*, quod idem est, neque *bufo* est, neque *rubeta*, neque *testudo*, neque *testaceum animal*, sed in *lacertorum* genere. Nunc, ut cognoscatur plenius, dicemus quid *Arabum Critici*, *Philosophi*, *Theologi*, *Magi*, *Medici* de illo scripserint, quorum pleraque nondum in vulgus prodierunt.

Et *Critici* quidem docent animal esse πολυώνυμον. Nam præter ضب *dhab*, seu צב *tsab*, commune nomen, insuper vocatur حردون *chardaun*. (*Chaldæi* חרדונא *chardona*: *Syri* ܚܕܪܘܢܐ *chadrona*, & *Samaritani* ࠀࠃࠓࠅࠍࠀ *adrona* scribunt, ut infrà docebitur.) Vocatur item برق *bork*, & علين *alin*, & هيغل *haikal*. Et, si pinguis est, سبحل *sibehal*, aut سحبل *sichbal*; si annosus, قرسم *kirsem*; si pravæ indolis, ضغطار *dhiphtar*: ut fœmina vulgò ضبة *dhabba*; sed cùm pinguis est, حيكانة *chaicana*; cùm fœta, مكون *machun*, & ممكن *mamchin*. A Verbo مكن *machina*, huic & locustæ proprio, cùm ova ponunt, ovum مكن *machin*, & شلقة *silka*. Fœtus in genere حضرم *chidhrim*; primus مطبخ *mutbich*; cum ab ovo nuper prodiit حسل *chisel*; jam maturior, غيداق *ghaidak*. Adeps, quem habet circa ventrem, & caudæ radicem, كشية *chusia*. Et حلم *halama* propriè est adipem illum eximere, ut عكد *achada* pinguem esse de solo ضب *dhab* usurpatur. Veretrum Duali numero نزكان *nazachani*; quia bifidum. Unde etiam ipse سديم *sadim*, id est, illâ parte bene instructus. Latibulum ejus

ejus عكدة *ochda*, & عرن *arin*, & لغز *logoz*, sed vulgatius جحر *giochar*, unde جحر الضب dhab *in latibulum suum ingressus est*. Et اجحر فلان *aliquis eum in latibulum suum impulit*. At ادلق adlaka *aquam in illud effudit, ut* dhab *exiret*. Et دلق الضب dalaka dhab, id est, *ex latibulo exiit propter aquam affusam*. Et اهوي يده الي الضب *immisit manum, ut caperet* ꝑ *dhab*. Et حرش charasa, *venatus est*, propriè de hoc animali. Hæc in *Giauhari*, *Alcamus*, & aliis ex *Criticorum* libris hinc indè collecta, & excerpta.

At *Philosophi* de natura ꝑ ضب *dhab* non pauca afferunt insignia. Quod veretrum diximus illi esse bifidum, *Damir* his verbis docet; للضب ذكران وللانثي فرجان كما للورل وللحردون Dhab *mas duo habet veretra, & fœmina ejus duas vulvas, ut* guaril, *&* chardaun. Et *Alcamus*, النزك ذكر الضب والورل ولهم نزكان Nazach, *veretrum* ꝑ *dhab, &* ꝑ *guaril, qui geminum habent.* (Quæ verba *Lexicographi*, cum non intelligerent, alio detorserunt.) Proinde veretrum ꝑ ضب *dhab* Sacerdos *Abuchanipha* scribit esse كلسان الحية اصل واحد له فرعان *ut linguam serpentis, quæ, ex una radice nata, tamen bifida est*. Caudam habet mire nodosam, unde Proverbium in *Damire*, اعقد من ذنب الضب *Nodosior caudâ* ꝑ *dhab*. In ea enim esse ajunt احد وعشرون عقدة *nodos* XXI. cum scorpionis cauda, quæ & ipsa valde nodosa est, nodos, aut articulos, ad summum septem habeat. Additur, idem animal dentes habere continuos, qui proinde nunquam decidant. *Damir*, يقال ان اسنانه قطعة واحدة *Dicuntur dentes ipsius in unum cohærere*. Alcamus, لا اتيك سن الحسل اي ابدا لان سنه لا تسقط *Non ad te veniet dens* ꝑ *chisel* (seu *catuli* ꝑ *dhab*:) *id est, nunquam ad te veniet; quia dentes ejus non cadunt*. Ecce aliud de eodem simile Proverbium in *Damire*! لا افعله حتي يرد الضب لان الضب لا يرد *Hoc non faciam, donec* dhab *ad aquas descenderit* (id est, nunquam faciam,) *quia* dhab *ad aquas nunquam descendit*. Nempe non bibit prorsus, itaque rarò mingit. Idem, الضب لا يشرب الما Dhab *ab aquarum potu prorsus abstinet*. Et paulò post, يقال انه يبول في كل اربعين يوما مرة *Dicitur singulis quadraginta diebus mejere tantum semel; aut* قطرة *unam guttulam*, ut habet aliud exemplar. De oculis ibidem, الضب يخرج من حجره كليل البصر فيجلوه بالتحدق في الشمس Dhab *è latibulo suo exit hebetiore visu: sed, pupillâ ad Solem abstersâ, clariùs videt*. *Epiphanius* in *Sampsæis* σαῦραν ἡλιακὴν *lacertam Solarem* visum eodem modo recuperare asserit, cum caligare incipit: Ἐκείνη, inquit, ἀμβλυωπήσασα χρόνῳ ἀναβλέπει, διὰ ἡλιακῆς στροφάλιγγος ἐν φωλεῷ πρὸς ἀνατολὴν προσέχοντι ἑαυτὴν προσθλίψασα, καὶ νηστεύσασα πρὸς ἀνατολὴν κατανοοῦσα. *Cùm illa obtusum habet visum, eum aliquanto post recuperat per conversionem ad Solem, in lustro ad ortum obverso se ipsam comprimens, & jejuna ad Orientem respiciens*. Rursus *Damir* de τῷ *dhab* ويتغذي بالنسيم ويعيش بالبرد الهوا وذلك عند الهرم وفنا الرطوبات ونقص الحرارت *Et alitur halitu, vesciturque aëre frigido, idque usque ad ætatem decrepitam, & donec absumatur humor* (radicalis,) *& deficiat calor*. Et infrà, وهو طويل العمر ومن هذه الجهة يناسب الحيات والافاعي *Longævum est animal; quod cùm serpentibus & viperis commune habet*. Et *Ibno-chalvia*, يعيش سبع ماية فصاعدا *Vivit annos septingentos, & ampliùs*. Quod ab illis confictum puto, qui de magnis majora loquuntur. Sed & falsum omnino est, & ex chamæleontis historia perperam huc translatum, quod ali halitu suo, & frigido aëre vesci traditur. Est enim animal penè παμφάγον, quodque radicibus potissimùm fructibusque vescitur. Hinc *Alcamus*, postquam خبلة *chbla* vocari scripsit *vitis radices*, & *fructus spinosarum arborum*, addit ضب خابل ياكلها *dhab chabil* est dhab, *qui illis vescitur*. Et fœmina à scorpione puncta اكلت من حشيشة تسمي اذان الفار يزول عنها الم اللسع *edit herbam, quam vocant auriculam muris, & remittitur puncturæ dolor*. Ità est in *Alkazninio*. Sed &, auctore ipso *Damire*, (ut pluribus infrà dicetur) *dhab* ad vomitum redit ut canis, & proprios catulos vorat. Illum igitur solo aëre vesci, merum commentum est. Hoc commune habet cum *jarboa*, seu *chœrogryllio*, quod in petrosis & arduis locis latibulum sibi deligit. *Alkazninius*, من كيسه انه لا يتخذ البيت الا في موضع صلب لئلا ينهار عليه في حوافر الدواب ولما علم انه نساء لا يتخذ البيت الي عند الاكمة او صخرة عظيمة او شجرة ليستدل

ليستدل بها على بيته اذا غاب ويتباعد عن بيته *E solertia ejus est, quod domum sibi non sumit, nisi in loco duro, ne jumentorum ungulis obtrita in se corruat. Sed & quia se novit esse valde obliviosum, eam in sublimi colle, aut in celsa rupe, deligit, aut ad arborem, quam pro indice habeat, cùm ab illa abest, aut procul excedit.* Damir etiam لا يتخذ جحره الا في كدية حجر خوفا من السيل والحافر ولذلك براثنه ناقصة كليلة لحفره بها في الاماكن الصلبة *Neque latibulum alibi habet, quàm in petris durissimis; quia ab inundationibus & fossoribus sibi timet. Ac proinde ungues illi detriti & obtusi sunt, ut qui lapidosa loca iis fodiat.* Item, وفي طبعه النسيان وعدم الهداية وبه يضرب المثل في الحيرة ولذلك يحفر جحره عند الاكمة او صخرة لئلا يضل عنه اذا خرج لطلب والطعم *Naturalis ipsi est oblivio, & ἀβλεψία. Itaque stupor ejus in Proverbium cessit. Proinde lustrum suum in colle fodit, aut in rupe, ne ab eo aberret, cùm exit ut victum sibi quærat.* Proverbium, de quo *Damir*, ab eodem sic citatur in titulo *De Proverbiis*, اضل من الضب *Qui à via magis aberrat quàm dhab.* Quia ضب *dhab* pravum est animal, unde vocatur ضغطار *dhiphtar*, ut jam observatum, ecce aliud Proverbium in usu apud *Arabes*, quod me docuit *Alcamus*, اطعم اخاك كشية الضب حشه على المواسات *Cibavit fratrem tuum pinguedine* ❡ dhab, *id est, ad malum patrandum eum incitavit!* Partum quod attinet: اذا ارادت الضبة ان تخرج بيضها حفرت في الارض حفرة ورمت فيها البيض وطمته بالتراب وتعاهده كل يوم حتى يخرج وذلك في اربعين يوما *Cùm* dhabba (id est, *fœmina* ❡ *dhab*) *ova sua positura est, scrobem in terra defodit, in quam ova conjecta pulvere obtegit, & quotidie visitat, donec excludantur; id est, usque ad diem quadragesimum.* Sic *Damir*, *Alkazuininum* ex parte sequutus, cujus verba sunt, فاذا اراد ان يبيض حفر مثل ادحي النعام ويرمي فيها ثمانين بيضة ويدفنها في التراب ويبضها مثل بيض الحمام ويدعها اربعين يوما ثم ياتي وحسول قد خرجت منها فيتعدون فياكل منها ما قدرت *Cùm in eo est, ut ovificet, fodit tanquam struthionis nidum, in quem ova octoginta, columbarum ovis similia, conjicit, & in pulvere sepelit. Ad quæ, per dies quadraginta relicta, cùm revertitur, catuli inde exeuntes cursitant. Ex quibus ille comedit quantumcunque potest.* Nempè, ut ait *Damir*, يوصف العقوق لانه ياكل حسوله *describitur crudelitate insignis; quia proprios catulos vorat.* Unde *Poeta*,

اكلت بنيك كاكل الضب حتى *
تركت بنيك ليس لهم غذي *

Liberos tuos comedisti, quemodo dhab *fœtus suos; ita ut præ alimenti inopia defecerint.* Eidem tribuunt *Arabes*, quod cani (a) *Petrus*. Rursus *Damir*, ومن طبعه انه يرجع في قيئه كالكلب وياكل رجيعه *Etiam è natura ejus est, quod, canis instar, ad vomitum suum redit, & id, ad quod redit, rursus vorat.* Et hoc quoque, quod في الشتا لا يخرج من جحره *totâ hyeme ex antro suo non excedit.* Vivit tamen, & pinguescit, & sic illi providet Deus, ut præ fame non deficiat. Unde *Poeta Chatmolasem*,

(a) 2. Pet. 2. v. 22.

وكيف اخاف الفقر والله رازقي *
ورازق هذا الخلق في العسر واليسر *
تكفل بالارزاق للخلق كلهم *
والضب في البيداء والحوت في البحر *

Cur timerem paupertatem, cùm Deus provideat mihi? Providet is creaturis in angustia, & egestate. Victum largitur creaturis omnibus, etiam τῷ dhab *in deserto, & piscibus in mari.* Etiam observârunt *Arabes*, quibus animalibus *dhab συμπαθεῖ*, & *ἀντιπαθεῖ*. *Damir*, وبينه وبين العقارب مودة فلذلك يويها في جحره لتلسع المتحرش به اذا ادخل يده لاخذه *Inter eum & scorpiones mutuus amor intercedit. Proinde illos in latibulo suo recipit, ut venatorem pungant, cùm manum suam immittit, ut eum capiat.* Idem in capite قالية الافاعي quasi *Viperarum scrutatorem* dixeris, sic appellari

appellari aſſerit ضرب من الخنافس رقط تالف العقارب في جحرة الضب لانها اذا اخرجت يعلم ان الضب خارج لا محالة واذا رويت في الاجحر علم ان وراها العقارب والحيات *Speciem ſcarabæorum varii coloris, quæ cum ſcorpionibus junctim habitat in latibulis* τ͂ dhab. *Nempe hoc animalculum, cùm exit è latibulo, ſignificat etiam* τὸν dhab *ſine dolo exiiſſe. At illud repetens ſignificat poſt eum latere ſerpentes, & ſcorpiones.* Sed τῷ *dhab* maximè infenſus eſt الورل *alvvarlo*, ſeu *ſtellio major*, quem *guaril* vocant barbari ſcriptores. *Abdollatif Bagdadenſis*, ubi de *guaril*, بينه وبين الضب عداوة فيغلب الورل الضب ويقتله لكنه لا ياكله كما يفعل بالحية وهو لا يتخذ بيتا لنفسه ولا يحفر جحر بل يخرج الضب من جحره صارعا يستولي عليه, *Inter* τὸν guaril *&* τὸν dhab *gravis eſt inimicitia. Sed* guaril *illum vincit, & interimit. Non edit tamen, quomodo ſerpentes ſolet: ſed, cùm domum ſibi non exſtruat, nec latibulum fodiat, è luſtro ſuo* τὸν dhab *luctando ejicit, & illi prævalet.* Habet & alterum hoſtem, ſerpentem nigrum, qui *Arabice* vocatur اسود الحراش سالخ *aſvvad-ſalich. Alcamus*, الاسود السالخ لانه يحرش الضباب Senſus eſt, hunc ſerpentem alio nomine *charras*, id eſt, *venatorem* vocari; quia τὸν *dhab* venatur. Nam حرش *charraſa* Verbum eſt *venari*, non in genere, ſed peculiariter *venari* τὸν *dhab*, ut jam ante (b) monuimus.

(b) Pag. 1047. lin. 14. &c.

His tertius hoſtis addatur ظربان *dherban*, id eſt, *putorius* ut vocant, animal fœtidiſſimum ex muſtelarum genere, à quo non debellatur viribus, ſed poſticæ partis flatibus ad illius antrum obverſæ. الظربان يقصد جحر الضب وفيه حسوله وبيضه فياتي اضيق موضع فيه فيسده بذنبه فيحول دبره ويفسوا ثلاث فسوات حتى يغشي على الضب فياكله ويقيم في جحره حتى ياتي على اخر حسوله *Dherban* (ſeu putorius) *ad antrum* τ͂ dhab *accedit, cùm ibi habet catulos, & ova ſua, & ejus anguſtiſſimum locum occupat, quem cauda ſua obſtruit, tergoque ad id obverſo, tres ventris flatus emittit, donec dhab in animi deliquium incidat. Quo vorato, in antro manet, donec ad ultimum uſque catulorum ejus pervenerit.* Hæc *Philoſophi* de lacertæ ſpecie, in qua verſamur.

Theologis quoque hoc idem animal magnam ſuggeſſit diſputandi materiam. Quæritur enim quorſum concedatur ejus eſus, cum ſit è numero الحشرات *reptilium*, quorum eſus eſt prohibitus. Et nonnulli regerunt, hoc ſolum excipi. Ità enim habet الوسيط id eſt, liber, cui titulus *Mediator*, in quo hæ Quæſtiones plenè deciduntur, لا يوكل من الحشرات الا الضب *Nullum reptile comedatur præter* τὸν *dhab.* Ab aliis τῷ *dhab* junguntur اليربوع والقنفذ *jarbuo*, & *kunphud*, id eſt, *chœrogryllus*, & *hericius*, quæ & ipſa reptilia ſunt, & tamen ad eſum conceduntur. Alii rem in medio relinquunt, poſtquam in utramque partem multa diſputaverunt, quamvis in *Arabia* hunc cibum agnoſcant eſſe in frequenti uſu. Iidem pſeudo-*Theologi* de hoc animali magnas congerunt ineptias, quarum unam hic referre ſit ſatis, imò plus ſatis. Quidam juraverat in *Mahomethem* ſe haud unquam crediturum, niſi prior crederet هذا الضب *iſte dhab*, qui in ore ſpeluncæ ſuæ forte fortunâ apparuit. Tum is, è ſpelunca exiens, ad *Prophetam* acceſſit, & dixit ipſi بلسان طلق فصيح عربي مبين يفهمه القوم جميعا لبيك وسعديك يا رسول رب العالمين *linguâ diſertâ, & perſpicuâ, & ſermone* Arabico *manifeſto, quemque omnes intellexerunt, Tibi addictus ſum, & beatus ſis, O Apoſtole Domini ſæculorum. Et cùm* Propheta *dixiſſet*, من تعبد *Quem colis? Reſpondit* dhab, *Eum colo, cujus thronus eſt in cœlis, & in terra dominatio ejus, & in mari ſemita ejus, & in Inferis indignatio & ſupplicium ejus. Tum illi dixit Propheta, Quis ſum ego? Et* dhab *regeſſit, Tu es Apoſtolus Domini ſæculorum, & ſigillum Prophetarum. Bene ſit illi, qui in te credet, & tibi obſequetur. Et malè pereat, quiſquis à te recedet, aut te falſitatis arguet.*

Magi quoque ſuas partes hic habent. Ad eos enim refero ſuperſtitioſa illa, quæ in *Damire* & *Alkazuino* lego. Si è medio pedum hominis ضب *dhab* exeat, non poterit is, cui id accidit, cum ulla muliere coire. Teſticulos ejus ſi quis deferat, illum ſervi ſui maximè amabunt. Equum, qui talum τ͂ *dhab* fronti alligatum habuerit, non præveniet ullus alius in curſûs certamine. Quiſquis enſi قرابا *vaginam*, aut *thecam* potius, ex illius pelle fecerit, ſtrenuus erit. Alii ſolùm نصاب السيف *capulum enſis* hâc pelle involvi malunt, quaſi id multum referat. In vaniſſimis ſcriptoribus plura reperias hujus farinæ, quæ referre pudet, ac piget.

Medici pauciora habent, ſed certiora. *Avicenna* in capite ضب *dhab*, يطلي بعرة على الكلف والنمش فينفع * زبله نافع للبياض

لبياض العين ونزول الماء *Confert stercus ejus lentigini, illitum; & maculis faciei. Albugini item, & oculorum suffusionibus.* Et in capite حردون *Chardaun*, postquam monuit chardaun idem esse, quod *dhab*, زبله للبياض والحكة ويحد البصر *Stercus ejus* (confert) *albugini, & oculorum prurituí, & acuit visum.* Et in capite دم *Dam*, seu *De sanguine animalium* دم الورل والحردون يقوي البصر *Sanguis* guaril, *&* chardaun, *roborat visum.* Et in capite زبل *Zebel*, seu *De stercore*, *Stercus locustarum tollit è facie maculas, & vitiligines; ut & stercus turdorum, qui oryzâ aluntur.* وكذلك زبل الحردون والورل ويحسن اللون *Quod idem præstat stercus* chardaun, *&* guaril, *& bonum colorem facit.* Et infrà, بعر الضب يجلو الكلف مجرب *Fimus* dhab *abstergit maculas à facie: quod expertum est.* Item, زبل الورل والضب والتمساح لبياض العين *Stercus* guaril, *&* dhab, *& crocodili ad oculorum albuginem* supple *adhibeatur.* Et in capite بعر الحيوان id est, *De fimo animalium*, بعر الضب ينفع من البرص والكلف بجلايه *Fimus* dhab *abstersoriâ vi suâ elephantiasi medetur, & maculis in facie.* Et paulò post, بعر الضب يجلو بياض العين *Fimus* τοῦ dhab *abstergit oculorum albugines.* Ità etiam *Damir*, بعره ينفع من البرص والكلف طلا ومن البياض ونزول الما في العين اكتحالا *Fimus ejus illitus lepræ medetur, & faciei maculis. Et collyria ex eo amovent albugines, & humorum fluxum in oculos.* Quæ sumpta sunt ex *Alkazuinio*, ubi habentur penè totidem verbis. Etiam in *Abenbitare* similia legas, & in aliis anonymis, qui penes me sunt.

Jam id animal, quod nobis descripserunt *Arabes* sub nominibus ضب *dhab*, & حردون *chardaun*, id ipsum esse, quod צב *tsab Mosis*, tam multa docent, ut de eo dubitare sit nefas. Primo enim id adstruit similitudo nominis *Hebraici* cum *Arabico*. Utùt enim sono differant *Hebraicum* צב *tsab* & *Arabicum* ضب *dhab*; tamen utrobique litera initialis est *Tsade*, quæ *Arabibus* aliter sonat propter punctum adscriptum. Quâ mutatione nihil frequentius. Sic צאן *tson*, Hebræis *ovis*, Arabibus est ضان *dhan*. *Hyæna* illis צבוע *tsebua*: his ضبع *dhebu*. *Rana* illis צפרדע *tsephardea*: his ضفدع *dhephda*. *Costa* illis צלע *tsela*: his ضلع *dhila*. *Diadema*, aut *plexus crinium*, illis צפירה *tsephira*: his ضفيرة *dhephira*. *Stercus* illis צפיע *tsephia*: his ضفع *dhepha*. *Angustia* illis צוק *tsuk*: his ضيق *dhik*. *Ridere* illis צחק *tsachak*: his ضحك *dhachika*. 2. Secundo, צב *tsab*, id esse, quod diximus, planum facit series homogeneorum animalium in eodem contextu orationis. Nam sequente versu *lacerta* mentio fit, & *stellionis*, & *chamæleontis*, & *salamandra*, &c. ut suo loco docebitur. Et par fuit ratio, cur ea lacertæ species ut immunda rejiceretur. Neque illa omitti debuit, cùm in *Arabia* nascatur, quæ *Judææ* est contermina, & sit edulis apud *Arabes*. 3. Huc accedit veterum auctoritas, quorum affero nullum esse, qui aliter sumpserit. Certe quatuor *Arabes*, quos consulere licuit, editi duo, & manu-scripti duo, cum in aliis inter se multum differant, tamen hic constanter habent الضب *aldhab*, & *Onkelos* צבא *tsaba*, quæ est ipsa vox *Hebræa*, solâ terminatione ad *Chaldaismum* inflexâ. In *Jonathane* pro צב *tsab*, legas חרדונא *chardona*; in *Syro* ܚܕܪܘܢܐ *chadrona*; & in *Samaritano* ࠀࠃࠓࠅࠍࠀ *adrona*: quæ tria eodem recidunt. Significatur scilicet *Arabum* حردون *chardaun*, quod idem esse cum ضب *dhab* suprà (c) asseruit *Avicenna*. Alii similem esse volunt, alii ejus marem. *Damir*, الحردون دويبة شبيهة بالضب وقيل هو ذكر الضب لان له ذكرين مثله *Alchardaun* (vel *alchirdaun* potiùs, jubet enim ità scribere) *animalculum simile* τῷ dhab: *quin mas ejus esse dicitur; quia ad instar illius duo habet veretra.* *Alcamus*, الحردون لذكر الضب ودويبة اخري Alchardaun *de mare* τοῦ *dhab* (dicitur.) *Est & aliud* (huic simile) *animalculum.*

(c) Pag. 1046. lin. 10. &c. Et pag. 1053. lin. 5. &c.

Arabibus, & *Chaldæis*, addo veteres *Hebræos*, qui צב *tsab*, vel חרדון *chardon*, apertè ponunt inter lacertorum species. Quod planum facient duo loca, quæ proferam, à multis jam observata, nec tamen explicata hactenus. Prior est in Tractatu *Talmudico Cholin* cap. 9. fol. 127. a. ubi sub nomine צב *tsab*, in Lege prohibiti *Hebræi* volunt similes species contineri; quia additum est *juxta speciem suam*. Sic enim habent verba Legis, *Immunda vobis erunt inter reptilia, quæ repunt super terram, talpa, & mus*, והצב למינהו, *&* tsab, *juxta speciem suam*. Nempè inquiunt, להביא הערוד ובן נפילים וסלמנדרא, *ut includantur* arod, *&* ben-nephilim, *& salamandra*, tanquam vicinæ species τοῦ *dhab*. Et recentiores quidem ignorant quid hic sint ערוד *arod*, & בן נפלים *ben-nephilim*. Sed *salamandram* saltem notum est in lacertorum esse genere. Itaque צב *tsab*, necesse est, ut referatur ad idem genus. Res erit manifestior, si doceamus quid hic sint ערוד *arod*, & בן נפלים *ben-nephilim*: & prius quidem alibi *onagrum*, posterius *filium gigantum* significat. Quæ videntur esse extra rem. Itaque hic hærent interpretes, neque *Talmudis Glossatores*, aut *Lexicographi* quidquam afferunt, quod veri speciem habeat. Sed prior vox est corrupta, & pro ערוד *arod*, vel *iruad*, scribendum עסוד *isvvad*. Id *lacerti* genus est *album in arenis degens*, cum quo puellarum digitos conferunt *Poetæ Arabes*. Nonnulli عذفوط *odphut*, & عضرفوط *adhraphut*

phut vocant. *Alcamus* العذفوط دويبة بيضا ناعمة يشبه بها اصابع الجواري Alodphut, *animalculum album, amœnum, quocum puellarum digiti conferuntur.* Et alibi, العضرفوط العذفوط او ذكر العظا Aladhraphut, *idem, quod* alodphut, *aut lacertæ mas.* Et rursus العسود للعضرفوط من العظاء Aliswad, *de adraphut lacerti genere dicitur.* Item, العسودة دويبة بيضا يشبه بها بنان العذاري وتكني بنة النقا Aliswada, *animalculum album, cui comparantur extremæ pulpæ digitorum in virginibus, cognominatur Binth-onnakai,* id est, *arenæ filia.* Itaque cum inter lacertorum species ערוד censetur à *Talmudicis*, levi mutatione, pro ערוד, legendum עסור, ut significetur illa lacerta, quam descripsimus. Parum usitatum עסור, nec fortasse aliunde notum, imperiti scriptores in ערוד mutaverunt, quod plane aliud, nempe *onagrum*, sonat. Superest, ut dicamus, quod animal sit בן־נפילים *ben-nephilim*, istis homogeneum. Vir in his literis eximius, quique hodie parem non habet, rectè colligit hoc animal esse aquaticum; quia legitur in *Semoth rabba* Sect. 15. הניע את הימים והראהו את בן־הנפילים שנאמר קול יי׳ על המים *Movit* (Deus) *maria, & ostendit ei* (Mosi) *Ben-nephilim, prout dicitur* Ps. 29. v. 3. " *Vox Domini super aquas.* Sed idem errat gravissimè, cùm *ex vocum affinitate, & animalium* (ut asserit) *similitudine,* colligit, בן־נפילים, *ben-nephilim*, esse *nauplium*, sive *nautilum*. Nam utùt *nephilim* ad *nauplium* aliquo modo alludere concedamus, tamen in rebus ipsis nulla est similitudo. *Nauplius* enim, sive *nautilus*, cum τοῦ *tsab* nihil habet commune, sive hâc voce, quod ille vult, *bufo*, aut *testudo* significetur, aut aliqua *lacerti* species, quod apud me est firmissimum. Lacerti enim, bufones, & testudines à nauplio, vel nautilo pisce, toto genere pisserunt. Nec verisimile est *Hebræos* suum נפילים *nephilim*, à *nauplii* nomine deduxisse, quod parum est in usu, nec usquam occurrit, quod meminerim, quàm in uno loco *Plinii*. Sed neque ex נפילים *nephilim*, factum *nauplius*. Patet enim hoc nomen sumptum esse ex argumento, & *nautilum* dici *nauplium*, quia navigat tanquam in nave, ex nomine ναῦς, & Verbo πλεῖν. Quid igitur est בן־נפילים *ben-nephilim?* Is omnino videtur esse *scincus Ægyptius*, de quo *Avicenna* libri secundi capite اسقنقور *Iscancur*, quomodo *Arabes scincum* vocant; هو ورل الماي يصاد من نيل مصر ويقولون انه من نسل التمساح اذا وضعه خارج الما ونشا خارجا *Is est guaril aquaticus, qui in Ægypto capitur in Nili ripa: cum ex crocodili semine nasci ajunt, cùm extra aquam illud effundit; & extra aquam crescere.* Et rursus in capite سقنقور Scancur, ورل نيلي يصاد بمصر ويزعمون انه من نتاج التمساح في البر *Est guaril Niloticus, quem in Ægypto capiunt, & ex crocodili semine ajunt in terra nasci.* Et *Alkazuinius* postquam citavit *Avicennam*, وقال غيره انه من نسل التمساح اذا وضعه خارج الما فما قصد الما صار تمساحا وما قصد البر صار سقنقورا *Alii,* inquit, *dixerunt illum esse ex crocodili semine, cum extra aquas illud ejicit, & quidquid ad aquas pervenit fieri crocodilum; & scincum, quod in terra manet.* Et *Damir*, الاسقنقور نوعان هندي ومصري فالمصري منه ما يتولد ببحر القلزم وهو يغتذي بالسمك في الما وفي البر بالقطا يسرطه كالحيات *Scincus duarum est specierum*; Indus, & Ægyptius. *In Ægyptiis autem est, qui nascitur in mari* Kelzem (seu *Rubro*) *& piscibus in aqua alitur, & in terra palumbis, quos ut serpentes deglutit.* Quod quia ridiculum est, pro بالقطا id est, *palumbis*, legendum بالعظا *lacertis.* Et infrà, disquirens quid inter se differant *guaril* & *scincus*, præcipuum discrimen in eo ponit, ان ورل لا يساوي الا البراري الاسقنقور لا ياوي الا بالقرب من الما او فيه *quod* guaril *nonnisi in terra degit; scincus autem nonnisi prope aquas, aut etiam in ipsis aquis.* Et infrà, لا نعرف اليوم في عصرنا الاسقنقور في ديار المصرية الا ببلاد الفيوم ومنها يجلب الي القاهرة لمن اعتني بطلبه ولا يصاد الا في ايام الشتا لانه اذا اشتد عليه البرد خرج الي البر فحينيذ يصاد *Hodie ætate nostrâ scincum in Ægyptiaca ditione alibi non novimus, quàm in provincia* Phium, *unde* Cairam *defertur ad eum, cui curæ est ejus disquisitio. Nec nisi hyeme capitur. Frigoris enim vi coactus in terram exit, atque inibi capitur.* Et paulò post, يحل اكل الاسقنقور الهندي لانه سمك ويحتمل ان ياتي فيه وجه الحرمة لان له شبهين في البر احدهما احرام وهو الورل واخر حلال وهو الضب واما الاسقنقور المصري

المصري فهو حرام لانه متولد من التمساح فهو حرام كاصلة *Licitum eſt edere ſcincum* Indicum; *quia piſcis eſt: quamvis illi attribuatur ſpecies rei prohibitæ; quia in terra ſimiles illi ſunt* guaril *&* dhab; *quorum unus prohibitus eſt, alter conceſſus. At ſcincus* Ægyptius *prohibetur; quia ex crocodilo naſcitur: itaque eſt vetitus, ut radix ejus.* E multis, quæ de ſcinco habent *Arabes*, pauca hæc excerpſimus; quia faciunt ad noſtrum inſtitutum. Ex his enim tria colliguntur. Primò, *ſcincum* ſub eodem genere contineri cum τῷ *dhab*, & τῷ *guaril*, cum ſit illis ſpecie ſimilis. Secundò, eſſe amphibium, & plerumque in *Nili* aquis, adeò que etiam in mari verſari. Ità ut rectè dici queat Deus moviſſe את הימים, *maria*, ut *Moſi* ſcincum oſtenderet. Quamvis in ea voce ſit mendum, & pro הימים, id eſt *maria*, ſit legendum המים, *aquas*, unâ literulâ minùs: quod docent ſequentia, *Prout dicitur*, "*Vox Domini ſuper aquas.*" Tertiò, cum credatur *ſcincus* (quàm verè non jam quærimus) naſci ex crocodili ſemine, ut *Arabes* conſtanter ſcribunt, apparet quorſum ab *Hebræis* appellatus ſit בן נפילים, id eſt, *filius Gigantum.* Nam *Gigantum* nomine *Orientales* non ſolum homines ſignificant, ſed & bruta quævis majoris molis. Sic ſcriptor *Arabs* apud *Damirem*, في جرادة خلق عشرة من جبابرة من الحيوان *In locuſta natura eſt decem Gigantum ex animalibus*; ità habetur ad verbum: id eſt, decem majorum animalium. Nempe, ut ſequitur, *locuſta habet equi faciem, oculos elephantis, collum tauri, cornua cervi*, &c. Eodem exemplo *ſcincus* ab *Hebræis* dicitur *Gigantum filius*, id eſt, *crocodilorum*, quibus collatus nihil quidquam eſt, quàm perpuſillum animal. His ità explicatis, veritas magis ac magis eluceſcet, ſi legatur locus integer, cujus nonniſi partem citavimus. Is verò ità habet. *Deus commovit aquas, ut ei* (Moſi) *oſtenderet filium Gigantum: Prout dicitur* Pſal. 29, 3. "*Vox Domini ſuper aquas. Commovit terram, ut oſtenderet ei* τὸν צב tſab: *prout habetur* Pſal. 29, 8. "*Vox Domini parere facit deſertum. Ignem commovit, ut oſtenderet ei ſalamandram: ſicut dicitur* Pſal. 29, 7. "*Vox Domini exſcindit flammas ignis.* Ex tribus elementis ità petuntur tria diverſæ ſpeciei, ſed ejuſdem generis animalia. *Gigantum*, ſeu *crocodilorum filius*, *ſcincus*, ex aquis, in quibus plerumque degit. צב *tſab*, ex terra, cui tanquam glebæ ſic affixus eſt, ut ad aquas nunquam deſcendat, quod ſuprà (*d*) probavimus. *Salamandra* denique ex igne, in quo naſci, & ex quo veſci à multis putatur perperam.

Alter locus eſt ex *Bereſcith Rabba* Sectione octuageſima tertia, qui non magis intelligitur quàm prior: הביא חכינא וזיוג לה חרדון ויצאת מהם חברבר *Adduxit* chacina, *& copulavit eam* τῷ chardon, *& ex iis natus eſt* chabarber. Agitur de *Ana*, qui legitur הימים *jemim*, in deſerto inveniſſe, id eſt, *Hemais* occurriſſe ut alibi (*e*) docuimus. Sed *Hebræi mulos* intelligunt, quorum *Ana* fuerit primus inventor, aſinâ equo aut onagro admota. Quæ diverſarum ſpecierum copulatio cum ex Lege *Moſis* ſit illicita, Deus, ut ajunt, in hujus criminis ultionem, voluit & ipſe miſcere diverſæ ſpeciei animalia, unde id naſceretur, quod homini eſſet noxium. Itaque τὸν חרדון *chardon*, cum חכינה *chacina*, copulavit; unde nata eſt tertia ſpecies utrâque pejor, nempe חברבר *chabarber*, cujus morſus eſt tam noxius, ut מעולם לא נשך אדם חברבר וחיה, *nunquam convaleſcat homo, quem momorderit* chabarber. Hinc *Talmud Hieruſalem* in *Berachoth* fol. 12. b. מימיו לא יאמר לך אדם שעקצו חברבר וחיה שנשכו כלב שוטה וחיה שבעטתו פרדה וחיה. *Nemo unquam tibi dicet ſe punctum à* chabarber *convaluiſſe, aut à cane rabioſo morſum convaluiſſe, aut à mula calcibus petitum convaluiſſe.* Et fol. 9. a. narratur hiſtoriola de *R. Chanina*, *Duſa* filio, qui, dum orabat, morſus à *chabarber*, ab oratione non deſtitit. Non tamen ipſe obiit, ſed obiit *chabarber*, qui illum momorderat. Ac proinde dictum eſt, אי לו לאדם שנשכו חברבר ואי לו לחברבר שנשך את רבי חנינה *Va illi homini, quem momorderit* chabarber! *Sed va illi* chabarber, *qui momorderit* Rabbi *Chaninam*! Jam ſi conſulas *Lexicographos*, ut diſcas quid ſit חרדון *chardon*; quid חכינא *chacina*; quid חברבר *chabarber*: ii te docebunt *chardon* eſſe *bufonem*, vel *teſtudinem*, & *chacina*, ſerpentis genus; & ex eorum concubitu natum eſſe *chabarber*, id eſt, beſtiam utriuſque naturæ participem. Quæ cum ſint abſurdiſſima, quidni hic cum *Poeta* dicamus,

Jungentur jam gryphes equis? - - -

Butoni enim aut teſtudini nihil eſt commune cum ſerpentibus: nec copulari poſſunt tam diverſa animalia: nec, ſi miſcerentur, poſſet ex iis tertium aliquid naſci. Proinde nemo indicavit hactenus quæ ſit tertia illa ſpecies ex angue & bufone (aut teſtudine) nata. Itaque, utut inepti ſint *Hebræorum* Magiſtri, abſit tamen, ut illos putem eò ſtultitiæ deveniſſe, ut hæc monſtra ſibi fingerent. Omnino igitur his tribus vocibus, חרדון *chardon*, חכינא *chacina*, & חברבר *chabarber*, tria deſignantur animalia, quæ, licèt ſpecie diverſa, genere tamen conveniunt. Nec uſque adeo difficile eſt indicare quænam illa ſint. Jam enim didicimus חרדון *chardon*, idem eſſe, quod צב *tſab*, vel ضب *dhab*, lacerti genus, de quo tam multa nos docuerunt *Arabes*. Et pro חכינא *chacina*, eſt certo certius legendum eſſe חבינא *chabina*; *Beth* & *Caph* permutatis, quæ literæ ſunt ſimillimæ, & per librariorum incuriam non rarò permutantur. Proinde hanc vocem in *Jalkut*, per *Beth*, חבנא *chabna*, vel *chabina*, legi obſervat *Buxtorfius*, quæ ſcriptura eſt veriſſima. Nam *Arabicè* حبن *chabana* eſt *hydropiſi laborare*. Nulla vox eſt frequentior in *Medicorum* libris. Atque hinc ام حبين *ummo chubaini*, quaſi *mater hydropiſis*: & حبينة *chubaina*, vel *chabina*, quaſi *hydropica*, dicitur *fœmina chamelaontis*, aut lacertæ quædam ſpecies huic ſimillima; quia ventrem habet turgidum, ac ſi hydropiſi laboraret. Utrumque nomen eſt in *Alcamus*. Et prius in *Damire* ſic explicatur, وانما سميت بذلك من الحبن لكبر بطنها وهي علي خلقة الحربا غير صدر *Utique ſic vocatur ab hydropiſi, propter ventris magnitudinem, & eſt natura chamæleontis ſolo pectore excepto.* Et *Ibnoſſachith*, هي اعرض العظاة وراسها عرض *Hæc eſt vulgari lacerta latior, & latum habet caput.*

Et Ibnokatiba, ام حبين تستقبل للشمس وتدور معها كيف دارت وهذه صفة الحربا Ummo chubain ad Solem se obvertit, & cum illo convertitur, quod est chamaleontis attributum. Et auctor المرصع id est, Gemmati operis, احتلف في ام حبين فقيل هي ضرب من العظا وقيل هي اعرض منها وقيل هي انثي الحرابي يتحاماها الاعراب فلا ياكلونها لنتنها *De ea dissentiunt. Alii enim dicunt vulgaris lacerti genus esse, alii latiorem esse, alii chamaleontis esse fœminam. Propter fœtorem* Arabes *ab ea abhorrent, neque in cibos recipiunt.* Hæc igitur est *chabina*, ex cujus coitu cum *chardon* fingitur oriri *chabarber*, id est, *salamandra*, nî fallor. Cujus venenum quàm sit potens, in calidioribus scilicet locis, doceant hæc *Plinii* libri vigesimi noni capite quarto: *Intra omnia venenata salamandra scelus maximum est. Cætera enim singulos feriunt, nec plures pariter interimunt. Salamandra populos necare improvisos potest. Nam, si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno, & eos, qui ederint, necat, frigidâ vi nihil ab aconito distans. Quinimo si contacto ab ea ligno vel pede crusta panis in coquatur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat. Quippe, cum saliva ejus quâcunque parte corporis vel in pede imo resperfa, omnis in toto corpore defluat pilus.* Et libri decimi capite sexagesimo septimo, *Ejusdem sanie, qua lactea ore vomitur, quâcunque parte corporis humani contactâ, toti defluunt pili: idque, quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat.* Et hæc *Æliani* de sue, quæ salamandram ederit, libri noni capite vigesimo octavo: Τοὺς γε μὴν αὐτῆς γευσαμένους ἀποκτείνει. *Illos, qui carnibus ejus vescuntur, interimit.* Et hæc *Theophrasti*; *Aquas, quibus admixta fuerit, exitiales reddit; item fructus, præsertim mortua.* Et hæc *Gesneri* pagina octogesima nona, Galli *quidam olim mihi narrarunt, vulgò apud eos ferri, si Blanda (sic Salamandram* Narbonenses *vocant,) in acervo tritici reperiatur, totum infici, adeò ut vel gallinæ vescentes indè pereant.* Et infrà, *Hanc lacertam in quibusdam* Galliæ *locis* arressadam *vocant, cujus morsum adeo exitialem esse putant, ut nulla vita spes relinquatur* (quod ipsum ab *Hebræis* dicitur de *chabarber.*) *Itaque vulgò hæc metra celebrant,*

Si mordutá une arressade,
Pren ton linceul, & ta flessade.

Si te salamandra momorderit, accipe linteum tuum, & tuum lodicem: id est, in lecto decumbito, tanquam moriturus. Et *Rhœti* à salamandra morsum ajunt tot *Medicis* opus habere, quot distinguitur maculis. Atque hoc quoque notandum venit, maculosum esse animal, ac proinde *varium* à *Dioscoride*, & à *Plinio stellatum* dici. Quod cum stellione illi commune est. Indè igitur ab *Hebræis* חברבר *chabarber*, est appellata. Nam *Jerem.* 13, 23. חברברות *chabarburoth* sunt *pardorum maculæ.* Ità maal Germanicè dici conjectat *Gesnerus à maculis, & punctis, quibus toto corpore pingitur, atque distinguitur.* Maal *enim (inquit) maculam, &* maalen pingere *nostri dicunt.*

Sequitur, ut dicamus, quorsum in *Græca* versione, pro צב *tsab* legatur ὁ κροκόδειλος ὁ χερσαῖος & in *Vulgata*, *crocodilus*, absque Epitheto. Hujus interpretationis ratio non potest plenè percipi, nisi rem altiùs repetamus in rudiorum gratiam, qui *crocodili* nomine nihil aliud intelligunt, quam *Ægyptiam* belluam magnæ molis. At *Ionibus*, qui primi mortalium hanc vocem usurpârunt, *crocodilus* erat lacertæ genus in sepibus & maceriis commorari solitæ. Ridiculum igitur *Grammaticorum* commentum est, quo *crocodilum* dici somniant aut *à colore croceo*, aut *quia crocum timet*, aut τὰς κρόκας, id est, *littora*: cum non alia fuerit causa nominis, quam formæ similitudo cum *Ionicis crocodilis*, id est, *lacertis sepium*. *Herodotus* libro secundo, Κροκοδείλους δὲ Ἴωνες οὐνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι κροκοδείλοισι, τοῖσι ἐν τῇσι αἱμασιῇσι. De talibus crocodilis accipiendum quod *Plinius* (e) excerpsit ex *Democrito*, crocodilo magnitudine similem esse chamæleontem. Idem enim alibi chamæleonti tribuit lacertæ magnitudinem. Neque aliud cogitabat vetus *Grammaticus*, quisquis est, ex quo hæc verba descripserunt *Etymologus* & *Phavorinus*: Ὁ δὲ κροκόδειλος ζῶόν ἐστι μικρόν. (Nisi cum *Eustathio*, pro κροκόδειλος, legamus κροκύδειλος.) Et potest id esse sumptum ex historia de fonte *Zareta*, vel *Azaritiâ*, prope *Chalcedonem*, in quo parvos crocodilos, id est, aquaticas lacertas veteres descripserunt. *Antigonus Mirabilium* capite centesimo sexagesimo secundo, Εὔδοξος δ' ἱστορεῖ τὴν μὲν ἐν Καρχηδόνι (lege Χαλκηδόνι) κρήνην κροκοδείλους ἐν αὐτῇ μικροὺς (ἔχειν) ὁμοίους τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ. *Strabo* libro duodecimo, ubi de *Chalcedone*; Ἔχει δ' ἡ χώρα μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης κρήνην Ἀζαρίτιαν, τρέφουσαν κροκοδείλους μικρούς. *Stephanus*, Ζάρητα, κρήνη ὑπὲρ τῆς Καλχηδονίας θαλάσσης, μικροὺς τρέφουσα κροκοδείλους, οἱ καλοῦνται Ζαρῆται. In risu *Saturnalicio* (f) *Statius* hos crocodilos vocat *Byzantiacos lacertos*, cum scribit de libro ad se misso:

(e) Plin. lib. 28. cap. 8. & lib. 11. cap. 33.

(f) Lib. 4 Sylv.

Tu rosum tineis, situque putrem,
Quales aut Libycis *madent olivis,*
Aut thus Niliacum *piperve servant,*
Aut Byzantiacos *colunt lacertos.*

Eum habuit usum *crocodili* vox apud *Græcos* vetustissimos. Sed iidem ad *Niloticas* belluas translatum nomen paulatim lacertis ademerunt. Nisi quod peregrinas quasdam in eo genere species, quæ visæ sunt usu, aut figura, aut magnitudine præ cæteris insignes, aut ad majoris crocodili formam propiùs accedere, sic vocare non destiterunt. *Terrestris* tamen Epitheto ferè addito ad *fluviatilis* differentiam. Sic *Aristoteles Historiæ* libri secundi capite decimo septimo, ubi de ventre animalium, eandem ventris rationem esse dicit τοῖς κροκοδείλοις ἀμφοῖν, *utrisque crocodilis*, id est, tam terrestribus, quam aquaticis. Et libri quinti capite trigesimo tertio, Τίκτουσι δὲ καὶ σαῦροι, καὶ κροκόδειλοι οἱ χερσαῖοι, καὶ οἱ ποτάμιοι, εἰς τὴν γῆν. *Apollonius Mirabilium* capite trigesimo nono ex *Aristotelis Eclogis* τῶν ἀνατομῶν: Ὄφις ὤφθη ἐν Πάφῳ πόδας ἔχων δύο, ὅμοιος χερσαίῳ κροκοδείλῳ. *Ælianus Historiæ* libri primi capite quinquagesimo octavo, Καὶ αἱ σαῦραι δὲ ἐπιβουλεύουσι ταῖς μελίτταις, καὶ οἱ κροκόδειλοι οἱ χερσαῖοι. Et libri decimi sexti capite sexto de *Indico* phattage, Ἐν Ἰνδοῖς γίνεται ζῷον κροκοδείλῳ χερσαίῳ παραπλήσιον ἰδεῖν, &c. *Nicandri Scholiastes* de salamandra, Ἔοικε δὲ τῷ χερσαίῳ κροκοδείλῳ. *Hieronymus* in *Jovinianum* libri secundi capite sexto, *Quanquam* Syri *& crocodili terrenis*, Afri *etiam viridibus lacertis vesci solebant.* Proinde *Hesychius*, ut *crocodili* nomen doceat ad utrumque esse homonymum: Κροκόδειλος, inquit, τὸ ζῷον καὶ τὸ ἐν τῷ Νείλῳ, καὶ τὸ χερσαῖον. Interim non constat satis, quæ demùm sint illæ lacertorum species, quibus attribuitur *crocodili terrestris* nomen. In *Corinthiacis* sic agit *Pausanias*, quasi nulli sint alii hujus nominis lacerti, quàm magni illi bicubitales in *Mauritania Libya*. Hæc enim illius verba sunt, Λιβύη μὲν γε μὴν κροκοδείλους τρέφει χερσαίους διπήχεων οὐκ ἐλάσσονας. Iidem in *Herodoto* dicuntur esse κροκόδειλοι, ὅσον τε τριπήχεες χερσαῖοι, τῇσι σαύρῃσι ἐμφερέστατοι. crocodilis

codili circiter tricubitales, terrestres, lacertis similes. *Strabo* vocat σαῦρας διπήχεις. Et *Aristoteles* his pares in *Arabia* describit, si vera sunt hæc *Æliani* libri decimi sexti capite quadragesimo primo; Σαῦρος δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ τῶν Ἀράβων γῇ γίνεσθαί φησι, καὶ δύο πήχεις ἔχειν αὐτούς. Sed in loco *Aristotelis*, ex quo hæc hausit *Ælianus*, solùm dicuntur πηχυαῖοι *cubitales*, nusquam διπήχεις *bicubitales*. Verba sunt *Historiæ* libri octavi capite vigesimo octavo, Ἐν δὲ τῇ Ἀραβίᾳ σαῦροι μείζους πηχυαίων. Unde *Plinius* libri octavi capite trigesimo nono, *Lacerti Arabiæ cubitales*. In *Dioscoride* scincus & crocodilus terrestris aliter non differunt, quàm Species & Genus. Is enim definit *scincum* κροκόδειλον χερσαῖον ἴδιον τινὰ, *crocodilum terrestrem sui generis*. At eos castigat *Plinius*, qui sic sentiunt, & certos characteres scinco assignat, quibus à crocodilo terrestri dignoscatur, sed quàm verè non satis scio: *Ex eadem*, inquit, *similitudine est scincus, quem quidam terrestrem crocodilum esse dixerunt, candidiore tantùm & tenuiore cute. Præcipuà tamen differentià dignoscitur à crocodilo, squamarum setâ ad caput versâ.* Recentiorum alii *scincum* & *crocodilum terrestrem* promiscuè usurpant, ac si sint idem animal. Ità *Gesnerus*, *Rondeletius*, & *Marcellus Vergilius* in *Dioscoridem*. Alii pro *terrestri crocodilo* belluam ingentem sibi fingunt fluviatili penè parem. Vide *Bellonium*, & *Cardanum* libro nono *De subtilitate*.

Sed credat hic quisque quod volet. Mihi tamen persuasissimum est *terrestrem crocodilum*, apud plerosque veteres, neque fuisse *scincum*, neque vastam belluam, sed illud ipsum animal, quod ab *Hebræis* צב *tsab*, à *Chaldæis* & *Syris* ܚܪܕܘܢܐ *chardona*, ab *Arabibus* ضب *dhab* & حردون *chardaun* appellari diximus: quod à scinco quid differat illi ipsi nos abundè docent. Rem ità se habere statim animadvertet quisquis utriusque naturam & vires inter se contulerit. 1. Sanguis τοῦ *dhab* roborat visum. Sic, in *Plinio*, libri vigesimi octavi cap. octavo, *crocodili terrestris sanguis claritate visus inunctus donat, & cicatrices oculorum emendat.* Unde *Galenus Simplicium* libri decimi capite sexto Εἰ δὲ τὸ τοῦ χερσαίου κροκοδείλου (αἷμα) τοιοῦτον ὀξυδερκείας ἐστὶν, οὐδὲν πειράζειν ἐμέλλον, ἔχων ὀξυδερκῆ φάρμακα δόκιμα· *An crocodili terrestris sanguis visum acuat, experiri non debui, cum alia ad id haberem probata pharmaca.* 2. Sed plus virtutis ضب *dhab* habet in stercore, quo ex oculis tolluntur albugines, & suffusiones. Ecce id ipsum in *Plinio* de crocodilea, sive terrestris crocodili stercore! *In terra tantùm odoratissimisque floribus vivit. Ob id intestina ejus diligenter exquiruntur, jucundo nidore farta. Crocodileam vocant oculorum vitiis utilissimam, cum porri succo inunctis, & contra suffusiones, vel caligines.* Etiam *Trallianus* libri secundi capite quinto crocodili terrestris fimum misceri vult in collyrio ad cicatrices oculorum, & λευκώματα exterenda. 3. Stercus ضب *dhab* faciei nitorem conciliat, maculas tollens, & verrucas, & furfures, & lentigines. Eadem crocodileæ vis: Plinius. *Illita quoque ex oleo Cyprino, molestias in facie crescentes tollit. Ex aqua verò morbos omnes, quorum natura serpit in facie, nitoremque reddit. Lentigines tollit, ac varos, omnesque maculas.* *Dioscorides* libro secundo capite *De fimo animalium*, Ἡ δὲ τοῦ χερσαίου κροκοδείλου ἀφεδρὸς σμήχει τὰ τῶν γυναικῶν πρὸς εὔχροιαν, καὶ στίλβουσαν τὰ πρόσωπα. *Galenus* libri decimi *Simplicium* capite vigesimo nono, τὴν δὲ τῶν χερσαίων κροκοδείλων τούτων, τῶν μικρῶν τε, καὶ χαμαιζήλων, κόπρον ἴσμεν αἱ τρυφῶσαι πεποιήκασι, γυναῖκες αἷς τὰ ἀρχαῖα τοῖς ἄλλοις φαρμάκοις, τοσούτως, ὥστε, λαμπρόν τι καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐργάζεσθαι τὸ ἀεὶ τὸ πρόσωπον δέρμα, σπουδάζουσι δὲ αὐταῖς καὶ τῶν κροκοδείλων κόπρον. Quo nomine mulieres sui temporis *Clemens Alexandrinus* libro tertio *Pædagogi* dignas esse pronuntiat, quæ non semel, sed ter pereant. Τρὶς γὰρ, inquit, οὐχ ἅπαξ ἀπολωλέναι δίκαιαι κροκοδείλων ἀποπάτοις χρώμεναι. Nota inprimis verba *Dioscoridis*, quæ nuper citavimus, in *Arabica* versione apud *Abenbitarem* ità reddi, خرو الحردون يصلح للغمرة ولتحسين اللون وصقال الوجه والبشرة *Stercus* alchardaun *conducit ad linimentum, quo nitor mulieribus conciliatur, & color fit pulchrior, & facies ac caro nitidior.* Ità pro *crocodilo terrestri* ibi est *chardaun*. Et *chardaun* idem esse, quod ضب *dhab*, vel צב *tsab*, abundè probatum est (g) supra. 4. Stercus τοῦ *dhab* præscribunt *Arabes* contra alphos, vitiligines, & elephantiasim. Sic, *Æginetâ* auctore, ἡ τῶν χερσαίων κροκοδείλων κόπρος, ἀλφοὺς ἀποσμήχει. Et *Aetius* multis describit (h) quomodo contra elephantiasim *Indi* utantur crocodilo terrestri. Et *Galenus* ubi supra. Εἰ δὲ γε τῶν κροκοδείλων κόπρος ὥσπερ τὸ προσώπου τὴν ἔφηλιν ἀφαιρεῖν πέφυκεν, οὕτω καὶ λεύκας ἀλφούς, καὶ λειχῆνας. 5. *Serapio* capite quadringentesimo quadragesimo sexto eadem habet ad verbum de stercore *stellionis*, quæ de *crocodili terrestris* stercore *Dioscorides* & *Galenus*. Sed ibi *stellio Arabicè* est ضب *dhab*, vel حردون *chardaun*. Sic *Galeni* & *Dioscoridis* veteres interpretes *stellionis* nomine passim abutuntur pro *crocodilo terrestri*. Quo eodem errore حردون *chardaun*, in *Locmani Fabulis*, *stellionem* interpretatur *Erpenius* ὁ μακαρίτης. 6. In *Avicenna* ضب *dhab*, rarum animal, propè *Arabiæ* peculiare. Ità *terrestris crocodilus*, cujus stercus in *Galeno* ἐνδημον, in *Aetio*, *inventu difficile*; in *Plinio*, *diligenter exquiritur*. At *scincos Dioscorides* in *Mauritania*, *Ægypto*, *Indià*, & *Arabia* reperiri auctor est. *Solinus* ait circa *Nilum* esse frequentissimos. 7. Denique nulla causa est, cur *scincus* dicatur *crocodilus terrestris*, cum sit animal æquè ἀμφίβιον, ac major crocodilus, ac in aquis pleramque degat. Nec eædem tribuantur vires *scinco* & *crocodilo terrestri*: de quo nemo scripsit, quod sciam, id, quod omnes de scinco tradunt, ejus usu nervorum stuporem excitari, & veneni vires extingui. Ut vel hinc appareat diversa esse animalia.

(g) Pag. 1045. lin. 58. &c.

(h) Aët. 13.121

Pro *crocodilo terrestri Vulgatus* habet simpliciter *crocodilum*. Quomodo *Horatius Epodo* duodecima,

- - - - - - - - *colorque*
Stercore fucatus crocodili, - - - -

nempe *terrestris*. Idem supplendum in *Vegetio*, cum crocodili stercus adhiberi vult ad detergendum albi vitium in equorum oculis. Interim compendiaria hæc locutio multis errandi præbuit ansam, qui agi putârunt de *crocodilo bellua*. In his *Poeta Ovidius*; cum dicit libro tertio *De Arte*,

Pallida purpureis tingit sua corpora virgis;
Nigrior ad Pharii *confuge piscis opem:*

id est, ad majorem crocodilum *Ægyptium*, è cujus stercore fieri credidit *crocodileam*, quâ faciei nitor redditur. *Avicenna* pariter errat, cum scribit stercus تمساح *timsach*, id est, *crocodili majoris*, auferre albuginem. Id enim est minoris proprium. Et *Radulphus*, qui *crocodili* nomine in *Levitico* vult *latrones publicos significari*. Et *Cornelius à Lapide*, qui *crocodilum* in *Lege* ideò immundum esse statuit; *quia amphibius est, durus, & rapax.* Hæc enim dici apparet de majore crocodilo, cum de minore *Moses* egerit. Nec minus falli puto *Palæstinæ* recentiores *Geographos*,

Breidenbachium, & *Zieglerum*, cum prope *Cæsaream*, & *Ptolemaidem*, paludes nobis describunt, majorum crocodilorum multitudine scatentes: quia *Crocodilorum oppidi* circa hæc loca *Plinius* & *Strabo* meminerunt. Certè, si *Phœnicum* littora, aut lacus, infestâssent belluæ tam immanes, non tam altum de iis esset silentium in veterum monumentis. Et ex hodiernis saltem peregrinationibus *Hierosolymam* res esset compertissima. Itaque illud oppidum *Syros* appellâsse puto non *à majore crocodilo* ܟܦܪ ܬܡܣܚ *Caphar-timsach*, sed *à minore* ܟܦܪ ܨܒܐ *Caphar-tsaba*. Cujus nominis aliud oppidum fuit in illo ipso littore non procul à *Cæsarea*. Testem habeo *Josephum*, qui vetus nomen *Antipatridis* modò (*i*) scribit Καφαρσαβᾶ, modò (*k*) Καφαρζαβᾶ· quia *Hebræum* TSADE *Græci* aut per σ, aut per ζ efferunt. Atque hoc ipsum argumento est crocodilum terrestrem etiam in *Phœnice* reperiri.

i) Ioseph. Antiq. lib. 13. cap. 23.
k) Lib. 16. c. 9.

Crocodili terrestris aliquot hic addam nomina, quæ vulgo sunt minus nota. Unum ex *Hesychio*, Κίκιρος, ὁ χερσαῖος κροκόδειλος. Sed quod *scinco* potiùs convenire putaverim. Videtur enim κίκιρος decurtatum esse nomen ex *Ægyptio*, & *Arabico* سقنقور *skankur*, vel *skinkur* apud *Avicennam*, & alios. Alludit tamen κίκιρος ad *Copticum* nomen ΧΑΡΟΤΚΙ, quo in *Lexico* vocatur الضب seu *crocodilus terrestris*. Quid si κίκιρος dictus sit *à parvitate*; quia altero est longè minor? Nam in *Hesychio* κύκιρος redditur τὸ ἐλάχιστον. Et *Hebræum* רקק *rekik*, est ejusdem notionis, si *Pomario* & *Boderiano* credimus, qui רקק *parvum* exponunt, tanquam ex *Aruch*, ubi tamen non reperio. Proinde רקק *rekik*, videtur perperam scribi pro דקיק *dekik*; *Res* pro *Daleth*. Ejusdem animalculi barbara habentur duo nomina in *Arabe Pandectario*, *Dbab* (inquit) *est quoddam animal ut lacerta magna, ventricosum*: & Latinè *vocatur* BALLECOLA. *Est species stellionis Arabici*. Hispanicè *dicitur* BOTRAX. *Ballecola* quid sit nescio. Puto corruptam esse vocem, cum alibi scribatur *ballectara*. Sed *botrax* in *Isidoro* est inter lacerti species. *Genera*, inquit, *lacertorum plura, ut botrax, salamandra, saura, stellio. Botrax dicta, quod rana habeat speciem.* Fortè est rana scincoides. Hinc *lapis borax* (lege *botrax*) *crapaudine* in *Pandectario*.

CAPUT SECUNDUM.

Probatur אנקה *anaka*, *Levit.* 11, 30. esse *Stellionis* genus *ab acerbo stridore* sic appellati.

Græcis *&* Hieronymo אנקה anaka, *est* μυγαλῆ, mygale, *seu* mus araneus. *Ratio nominis fictitia, alia verior.* Onkelos *emendatus.* فالا phala *Arabibus* mus araneus. فالية الافاعي *scarabæi genus apud* Arabes. *Vox in* Chaldæa *Paraphrasi inde restituta, & explicata.* ANAKA Syro, Samaritano, *& utrique* Arabi *lacerta genus.* *In* Arabum *libris nomen* guaril, *inter lacertorũ species, sæpe* ورك *scribi per* Ceph *in fine pro* Lam. Anaka, *Syr.* Amkatha, *i.e.* stellio. Nun *&* Mem *permutatis; quod frequens.* Stellionem *à clamore sic dici; quia est strideris acerbi.* Guaril *etiam vocalis.* Arabicæ *lingua* Lexicographi *notati.* אנקה, anaka, *aliis* aranea, *aliis* reptile volans, *aliis* castor, *aut* fiber. *De castoridum rugitu quid veteres. Castor & Castorides quantum differant. In* R. Selomone בבירה *non est* viverra, *ut creditum; sed* fiber, *qui* Gallis bieure.

JAm sequentur *Levit.* 11, 30. reptilium quinque species, quorum nomina explicare non est facilè, cum alibi nusquam reperiantur. Nempe אנקה *anaka*; כח *coach*; לטאה *letaa*; חמט *chomet*; תנשמת *thinsemeth*. Horum אנקה *anaka*, *Græcis* & *Hieronymo* est μυγαλῆ *mygale*, seu *mus araneus*. Μυγαλῆν dici volunt; quia ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς, *ex mure & mustela*, nascitur. *Nicandri Scoliastes*, Κρωμύτας δέ φησι τὴν μυγαλῆν ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς γίνεσθαι. Quod est absurdissimum, cum & mustela sit mure multo major, & illi tam infensa, quàm felis, ut suprà (*a*) observavimus. Itaque ut mustela cum mure coëat, atque inde nascatur mus araneus, planè vero est absimile. Melius igitur *Aëtius Tetrabibli* libri quarti Sermone primo, capite decimo quarto; *Mus araneus colore quidem mustelæ similis est, magnitudine autem muris, unde & mygales obtinuit nomen.* Quamvis mus araneus muris habeat speciem potiùs, quàm magnitudinem. Omnino enim est mure minor. *Romanis mus araneus* à veneno dici videtur, quod illi commune est cum aranea. Et *Hebraicè* אנקה *anaka*, dici credita est ratione vocis, quam habet acutissimam. Ità ut pro gemitu & ejulatu possit haberi. Alioqui enim אנקה *anaka*, Hebræis *gemitum* aut *clamorem* sonat. Si idem sensit *Onkelos*, in ejus *Paraphrasi*, pro ילא *jala* (quâ voce ibi redditur אנקה *anaka*) rescribendum est פלא *pala*, vel *phala*. *Arabes* enim *murem araneum* sic appellant. *Avicenna* libro quarto *Fen.* 6. Tract. 3. capite ultimo in titulo, فصل في عضة موغالي وهو الفلا *Caput de morsu mygales*, *quæ* (Arabibus) *est* alphala. In *Latina* versione legitur *alcale*, quod esset القلا *Alterutrum* semidoctos mutâsse putaverim in ילא *jala*. Cujus nominis occurrunt in libris *Talmudicis* animalia duo diversissima, nempe sanguisuga, & hericius. Sed quorum neutrum hic habet locum. Neutrum enim *Hebraicè* אנקה *anaka*; sed *hericius* קפוד *kippod*; & *hirudo* עלוקה *aluka* dicitur, vel עלקה *alka*, potiùs. Præterea hic agitur de iis reptilibus, quæ super terram repunt, è quo numero non est hirudo. Hæc de prima & antiquissima interpretatione vocis אנקה *anaka*.

a) Lib. 3. Cap. 33. pag. 1015. lin. 3. &c.

Secunda *Jonathanis* est, & *Jerosolymitani* Interpretis: quorum unus hic habet מינקת חויא, & alter פלית חויא, vel פליית חויא. Ita legendum, non חויא, in *Lexico Baal Aruch*. *Lexicographi* neutrum intelligunt. Est enim alienum, quod פלית, pro *locusta* hic sumunt, ut פליא באיר, capite nono Tractatus *Talmudici De Sabbatho*. Aliud enim פליא ביאר aliud פלית חויא. Nempe id ipsum, quod *Arabibus* فالية الافاعي *phaliath alaphai*, id est, *scrutatrix serpentum aut viperarum*, (quomodo appellari suprà (*b*) nos docuerunt pictum genus scarabæorum, quod cum scorpionibus & serpentibus degere solet in latibulo crocodili terrestris) id ipsum, inquam, est *Chaldæum* פלית חויא. Illis enim חויא est *serpens*, & פלית *paljath*, seu *phaljath*, palàm deductum est ex *Arabico* فالية *phaliath*, quod *scrutatricẽ* reddimus; quia فلي

b) Cap. 14. 1050. lin.

phala est *scrutari*. Sic فلي الراس *caput scrutatus est*, pediculos in eo quæsiturus, فلي الشعر *carmen scrutatus est*, id est, exploravit, & examinavit, ut in *Poeta* mentem penetraret. Et meritò serpentes *scrutari* dicitur hoc scarabæorum genus, quod in eodem latibulo cum iis jugiter degit, adeoq; serpentes, vel venientes, vel discedentes, perpetuò comitatur: ita ut eos, vel adventu suo, vel recessu suo, abesse significet. Unde Proverbium apud *Arabes* receptum, انتكلم فالية الافاعي *An alloquutus es* phaliath alaphai, *scrutatricem serpentum?* Quod usurpatur لاول شر ينتظر بعده شر منه *de priore malo, post quod aliud expectatur ex eo deterius*: sed, quia فلي *phala* Verbum non solum *scrutari* significat, sed & *nutrire*, & *educare*; *Jonathan*, pro מינקת חויא, habet פלית חויא, i. e. *nutricem serpentis*. Porro cur voce אנקה *anaka*, hoc scarabæi genus designari voluerint *Chaldæi* duo interpretes, causa mihi nulla apparet præter ipsum vocum ordinem. Nempe ut vox צב *tsab*, *crocodilum terrestrem* significat, quod multis (c) probavimus, ita sequens אנקה *anaka*, פלית חויא, id est, *serpentis scrutatricè* significare visa est, quæ crocodili terrestris perpetua est assecla, & in eodem cum illo latibulo degere solet. Sed hæc qualiscunque ratio non est apud me magni momenti, ut neque ipsa versio, quæ videtur eâ niti. Quod pene omiseram, hæc animalcula nonnullis *Arabum* non sunt scarabæi, sed بنات وردان *benath vvardan*, quomodo *Dioscoridis* σίλφας, seu *blattas*, appellat *Abenbitar*.

c) *cap. præced.*

Tertio loco eos numero, quibus אנקה *anaka*, est *lacerta* genus, qui nec pauci sunt, nec contemnendi. In *Syro* enim hic habetur, ܐܡܩܬܐ *amaktha*, vel *amkatha*, quod *lacertam* exposuit *Maronitarum* doctissimus *Gabriel Sionita* ὁ μακαρίτης. In *Samaritano* ࠔࠌࠌࠉࠕࠀ *semamitha*, id est, *stellio*, ut suo loco palam fiet. In *Arabe Erpeniano* الورل *alvvarlo*, id est, lacertæ species, quæ barbaris est *guaril*. In *Arabe Parisiis* edito الورك *alvvarco*, quod idem est. Nam nescio quo fato factum est, ut in *Avicenna*, & aliis, multo sæpius scribatur الورك *alvvarco*; quamvis vera scriptura sit الورل *alvvarlo*: quod docent omnes *Arabum Lexicographi*, & barbarum nomen *guaril* inde deductum. Ut taceam Criticam observationem, quæ sic habet apud *Damirem* capite ورل *Guaril*, لا تلتقي الراء مع اللام الا في اربع مواضع الورل وهو الحيوان المذكور وارل اسم جبل والغرلة وهو القلفة وحرل وهو ضرب من الحجارة Re *non occurrit cum* Lam (id est, R cum L) *nisi quatuor locis*. 1. *In* alvvarlo *animalis nomine, de quo supra*. 2. *In* Aral, *montis nomine*. 3. *In* alghorla, *quod* præputium *sonat* (ut *Hebræum* ערלה) 4. *In* charal, *quod lapidis est genus*. Hi sunt igitur quatuor veteres, *Syrus, Samaritanus*, & *Arabes* duo; quibus *anaka* est *lacerta* species. Quibus cur calculum addam, causas habeo non leves. 1. Quod præcesserat צב *tsab*, id est, *crocodilus terrestris*: & statim adduntur aliæ quatuor lacertorum species, ut constabit ex sequentibus. Proinde videtur *anaka* esse in eodem genere. Nam *mygale*, vel aliud quodvis animal, inter tot lacertorum species, minus opportuno loco esset insertum. 2. Ex *Hebræo* אנקה *anaka*, planè ortum est *Syrum* ܐܡܩܬܐ *amaktha*, vel *amkatha*. Nam hæc duo vocabula (præter terminationem, quæ in illo *Hebræa*, in hoc *Syra* est) nulla ex parte differunt: nisi quod *Hebraicum* NUN *Syri* mutarunt in MEM, qua mutatione in illis linguis nihil est frequentius. Sic *Chaldæis*, aut *Syris*, *fortis* dicitur ܚܣܝܢ *chasin*, & ܚܣܝܡ *chasim*: Ratio ܛܥܢܐ *taana*, & ܛܥܡܐ *taama*: Nympha ܢܡܦܐ *nimphe*, & ܢܢܦܐ *nimphe*: Fustis ܩܘܪܢܣܐ *kurnesa*, & ܩܘܪܡܙܐ *kurmeza*: Terebinthus, vel arbor, quæ fert pistacium, ܒܛܡܐ, *butem*, ut *Hebraicè* בטן *boten*. Et *Arabicè* pollex ابهام *ibham* dicitur pro *Hebræo* בהן *bohen*: ut *pinguescere*, دسم *dasama*, pro *Hebræo* דשן *dasen*: & *canere* رنم *ranima* pro *Hebræo* רנן *ranan*. *Æthiopicè* ዘመወ: *zamavva*, *scortatus est* pro *Hebræo* זנה *zana*: ዕድሜ: edem, *tempus* pro *Chaldæo* עדן *iddan*: ዐደም: adam, *jucundus, suavis*, ex *Hebræo* עדן adan, *deliciari*. Tale *Ægyptium* ΜΕΤΩΠΟΝ, *unguenti* genus ex *Hebræo* נטף *nataph*, aut *Chaldæo* נטופא *netopha*: ΜΕΙΣΙ *serpens* ex *Hebræo* נחש *naas*. Ut *Ægyptia* urbs *Memphis* à *Prophetis* modo נף *Noph*, modo מף *Moph*, appellatur. Pari exemplo hic *Syrum* ܐܡܩܬܐ *amaktha* deducitur ex *Hebræo* אנקה *anaka*; N & M permutatis. Itaq;, quidquid sit *Syrum amaktha*, id ipsum esse *Hebræum anaka*, vero valde consentaneum est. Certum autem est ܐܡܩܬܐ *lacerta* genus esse, adeoque *stellionem*, *Prov*. 30. *v*. 28. ubi habetur in *Syra* Paraphrasi pro *Hebræo* שממית *semamith*. Ut in *Chaldæa* per literarum μετάθεσιν אקמתא *akmetha*, quod idem est. Itaque ut ܐܡܩܬܐ *amaktha*, vel *amkatha*, *Syrum*; & אקמתא *akmetha*, *Chaldæum* est *stellio*: ita etiam *Hebræum* אנקה *anaka*. Unde est, quod etiam à *Samaritano* אנקה *anaka* redditur ࠔࠌࠌࠉࠕࠀ *semamitha*, id est, *stellio*: & ab utroque *Arabe* الورل *alvvarlo*, vel الورك *alvvarco*, lacertæ genus ad stellionem accedentis, quamque adeò pro *stellione* multi habent, quia est formæ similis. Proinde sic de illo *Alkazuinius*, هو العظيم من شكل الوزغ وسوام ابرص *Hic est magnus, ejusdem formæ cum* guezga, & savvamabras, id est, *cum stellionibus minoribus & majoribus*. Quæ ex *Avicenna* sumpta sunt. Et *Alcamus*, الورل دابة كالضب والعظيم من اشكال الوزغ *Alvvarlo* (vulgò *guaril*,) *animal ut* dhab (seu *crocodilus terrestris*.) *Et magnus est in iis, qui formam habent* guezgæ, seu *stellionis*. 3. Hebræis אנקה *anaka*, *gemitum & acutum clamorem* sonat, qualis fit in magno luctu. Unde *stellionem* dici posse si quis neget, quasi sit mutum animal, eum refellent hæc *Plinii* de *Græcia* stellione libri 29. capite 4. *Hunc* Græci coloten *vocant*, & ascalaboten, & galeoten. *In* Italia *non nascitur. Est enim hic plenus lentigine, stridoris acerbi*, & * *vescitur. Quæ omnia à nostris stellionibus aliena sunt*. Nota, *stridoris acerbi*. Græcè dixeris τρισμοῦ τραχέος, unde meritò אנקה *anaka*, dictus. Atque ut apud *Hebræos* ex Fœminino Singulari

lari sæpè fit Plurale Masculinum, ut עלים ex עלה, & ענים ex ענה: ita ex אנקה *anaka*, Plurale potuit esse אנקים. Et in secundo *Thargum Esther* capitis primi versu secundo, cum inter diversa animalia, quæ singula coram *Salomone* propriam vocem edunt, describuntur אנקין בכין, *anakin flentes*, aut *ejulantes*, fortasse id accipiendum est, non (ut vulgò sumitur) de aquilarum clangore, sed de stellionum clamore, & acerbo stridore, quem ad ejulatum accedere testatur ipsa vox אנקה *anaka*. Atque ob id ipsum *Arabes*, cum hoc saltem scirent *anakam* esse lacerti genus, reddiderunt الورل *alvvarlo*, qui & ipse vocem habet, quamvis fortasse minus sonoram. Hinc *Alcamus*, ضغث الورل صوت *Dhagathsa alvvarlo*, id est, *clamavit*. Quod è nostris, qui *Arabica Lexica* ediderunt, non intellexerunt satis. Alius enim reddidit *Femur fragorem reddidit*: alius, *Sonuit coxa*. Quia legerunt الورك *alvvarco*, quod ירך, i.e. *coxam* sonat. Sed meminisse debuerant illud ipsum الورك passim occurrere pro الورل ut jam supra (*d*) notavimus. Nec dicam in exemplari τῦ *Alcamus*, quo sum usus, optimè scribi الورل *alvvarlo*. Itaq;, quod nostros homines latuerat hactenus, hoc pro comperto maneat, in lacertarum genere quasdam esse vocales, atque in his stellionem esse, qui acutissimè stridet. Sed de stellione plura dicemus in explicatione vocis שממית *semamith*.

d) Pag. 1065. lin. 50. &c.

Tribus interpretationibus hujus vocis, quas adduximus, jungi queant tres aliæ, in quibus ne gutta quidem apparet bonæ mentis. Prima est Paraphrastarum *Arabum*, quos legi manuscriptos, ubi אנקה *anaka* est عنكبوث *ancabuths*, id est, *aranea*. Quæ *aranea* fortasse nata est ex *Græcorum*, & *Hieronymi mygale*, seu *mure araneo*: quasi mus araneus idem sit cum aranea, quæ summa fuerit imperitia: aut ex *Syrorum* ܐܡܩܬܐ *amkatha*; quia *Chaldæum* אקמתא *akmetha*, huic synonymum, plerique *Hebræorum* pro *aranea* sumunt. At *aranea Hebræis* non est אנקה *anaka*; sed עכביש *accabis*. Neque *Prophetam* verisimile est hic *aranea* meminisse inter *lacertarum* species.

Secunda interpretatio est *R. Mardochai* in *Hebraicis Concordantiis*, ubi hoc animal definit שרץ העוף *reptile volans*, cum *Moses* illud disertè ponat *inter reptilia, quæ repunt super terram*, Levit. 11. v. 29. 30.

Tertia est *R. Selomonis*, qui *Gallicâ* voce reddidit בבריא *bievure*, id est, *fibrum*, seu *castorem*, ut est in *Pomario*: animal ita amphibium, ut sit potius aquaticum. Piscis enim habet caudam, & pedes ad natatum potius quam ad incessum comparatos, degitque in fluminum ripis, unde alimentum petat. *Dioscorides*, Ζῶόν ἐστιν ἀμφίβιον, τὸ πλεῖστον ἐν ὕδασι σὺν ἰχθύσι καὶ καρκίνοις τρεφόμενον. *Animal est amphibium, plerumq; in aquis cum piscibus & cancris vescens.* Alkazuinius,

الغندر بري بحري يكون في الانهار العظيمة من بلاد ايسو يتخذ في البر بيتا الي جانب النهر *Alkundur* (id est, *castor*) *amphibium animal. Reperitur in magnis amnibus regionis* Aisu, *& domum sibi deligit ad amnis ripam.* Proinde *fibrum* dici volunt *Varro* & *Festus* ab extremis fluminum oris. Nam *fibrum* dicebant veteres pro *extremo*. Unde *fibra* jecoris, & vestium *fimbriæ* appellatæ. Tale igitur animal quis credat *Mosem* recensuisse inter reptilia terræ? Maximè, cum proportio sit valde dispar. *Reptilia* enim hic vocat *Moses* talpas, & mures, & lacertarum genera. Præterea ratio nulla est, cur à clamore, & ejulatu, *castor* dicatur אנקה *anaka*; cùm vox castoris nihil quidquam habeat insigne, quod quidem sciam. Sed hujus sententiæ primus auctor, quisquis fuit, promiscuè sumpsisse videtur *castores*, & *castorides*: quæ marina esse animalia dictitant, tam horrendi ejulatus, ut brevi moriatur qui audierit. *Ælianus Historia* libri noni capite quinquagesimo, Αἱ καστορίδες ζῷόν εἰσι θαλάττιον· καὶ ἐπὶ ταῖς ἀκταῖς, καὶ ταῖς πέτραις ταῖς προβεβλημέναις, ὀδυρμόν τινα κωκυτὸν μεθιᾶσι, καὶ ὠρύονται βαρύτατα. Τούτου τοίνυν τοῦ ἤχου ὅστις ἂν ὑπακούσῃ, ἄφυκτά οἱ ἐστι. καὶ οὐ μετὰ μακρὸν ἀποθνήσκει. *Castorides, marinum animal, ad littora, & saxa eminentia infaustum edunt ululatum, & gravissimè rugiunt. Ita ut earum clamorem qui audierit, non effugiat, quin paulo post excedat è vita.* *Oppianus* libro primo *Halieuticῶn*,

Καστορίδες τ' ὀλοαὶ δυσπενθέες, αἵτ' ἀλεγεινὴν
Ὄσσαν ἐπὶ κροκάλοισιν ἀπαίσιον ὠρύονται
Ἀνδράσιν· ὃς δέ κε γῆρυν ἐν οὔασιν ἀλγινόεσσαν
Δέξηται, στυγερῆς τ' ἐνοπῆς κωκυτὸν ἀκούσῃ,
Οὐ τηλοῦ θανάτοιο τάχ' ἵσταται· ἀλλά οἱ αὐτὴ
Καὶ μόρον ἀϊστάτη κείνη μαντεύεται αὐδή.

Castoridesq; perniciosæ & gravis luctus, quæq; in littoribus tristem vocem & hominibus infaustam emittunt. Qui vero mæstum clamorem auribus perceperit, & querulæ vocis ejulatum audierit, non procul erit à morte: sed ipsi cladem & mortem præsagit gravissima illa vox. Tzetzes *Chiliadis* sextæ Historia quadragesima septima,

Ἡ καστορὶς δ' ὠρύεται, ὃς δ' ἂν ἀκούσῃ ταύτης
Χρόνῳ βραχεῖ παρέρχεται τοῦ ταλαιπώρου βίου·

Rugit autem castoris, & quisquis illam audiverit, ex misera hac vita brevi excedet. Hæc de castoridum ejulatu & rugitu reperio. Sed falluntur, qui *castoridem* pro *fibro* aut *castore* habent, in quibus doctissimus *Rittershusius* in *Notis* ad *Oppianum*. Aliud enim *castor*, aliud *castoris*. Ille quadrupes amphibium, hæc piscis est. *Tzetzes* ubi supra,

Πάντες δ' ἰχθύες ἄφωνοι, πλὴν σκάρου, καὶ καστορίδος·

Omnes autem pisces muti sunt, *exceptis scaro, & castoride.* Ille in ripis fluminum, hæc circa maris littora describitur, & censetur ab *Oppiano* inter ea cete, quæ nonnunquam è mari in siccum exeunt: cum contra castor ex terra in amnes feratur. Denique castor est verum animal: castoris fabulosum, ut quidem puto, cùm animal in mari nullum noverim, in quod quadret hæc descriptio.

E recentioribus אנקה *anaka*, *Pagnino*, *Græcos* & *Hieronymum* sequuto, est *mygale*: & Deodatio *mus araneus*: *Munstero* & Genevensibus *ericius*, tanquam ex *Onkelo*, cujus Paraphrasis hic corrupta est: *Junio* & Buxtorfio *attelabus*, tanquam ex *Hierosolymitano* interprete, quem non satis intellexerant: *Castalioni fiber* ex *Rabbi Selomone*: *Ariæ viverra*, tanquam ex eodem. Sed בבריא *Selomonis* non debuit legi *viverra*, quia *viverra* vox *Romana* est, sed בבריא merè *Gallica*. *Gallus* enim fuit *Rabbi Selomo*, nec nisi *Gallicis* vocibus *Hebræas* interpretatur. Tamen ex eodem fonte *Angli* quoque *a ferret*, id est, *furonem*, hic habent, animal viverræ simile. Sed nihil mirum in devia abiisse tot interpretes, qui neque *Syram* viderant, neque *Samaritanam* Paraphrasim, neque duas illas *Arabicas*, ex quibus veram vocis אנקה *anaka*, notionem exsculpsimus.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Probatur כח *coach*, esse ورل *guaril*, lacertorum in *Arabia* maximum & validissimum.

Quam variè reddatur כח coach. *Lacerti genus esse à robore sic dicti: unde probatur esse* guaril, *cujus robur supra reliquos multum eminet. Maximè in pugna contra serpentes & crocodilum terrestrem. De eo* Arabum *testimonia, & Proverbia. Ejusdem peculiaris descriptio. Lacerto viridi in multis similis est, non tamen idem, cùm & colore differat* guaril, *& magnitudine; viribus, ac ferocia longe præcellat.*

SEquitur כח *coach*, quem in lacertorum genere ponunt veteres ferè quotquot sunt. *Græci*, & *Hieronymus*, *chamæleontem* reddunt. Uterque *Arabs* editus حردون *chardaun*, id est, *crocodilum terrestrem*, vel ejus speciem. Ita etiam *R. Jonas*, & *David Kimchi*. *Lacertam* R. Selomo. *Hebraam* vocem retinent *Chaldæi*, & *Samaritanus*, sola terminatione mutata. Sed magno errore *Syrus* ܚܘܠܕܐ *chulda*: & *Arabes* manuscripti الخلد *alchuld*, id est, *talpam*, hic habent. E recentioribus *Pagninus*, *Munsterus*, *Castalio*, *Angli*, *Itali* reddunt *chamæleontem*: Arias & Junius *lacertam*: Petrus Robertus *testudinem*: Pomarius *limacem*: Judæi quidam (apud *Gesnerum*) *sciurum*: Genevenses *crocodilum*. Nos iis accedimus, qui lacertæ genus intelligunt; quia de lacertis hic agitur & sic sumunt plerique veteres, iique antiquissimi. Quo semel concesso, facile erit statuere *Hebræos* nomine כח *coach* significari الورل id est, Arabum *guaril*, quomodo barbari scriptores vocant. Patet id ex ipso nomine, quod *à robore* sumptum est. Alibi enim Scripturæ locis plus centum כח *coach*, pro *robore* sumitur. Et *Arabicè* كوح iisdem literis significat *in pugna superiorem esse*. Itaque in lacertorum genere vero consentaneum est כח *coach*, illum appellari, qui robore maximè valet, & in pugna reliquis præcellit. Is autem haud dubiè est الورل *alvvarlo*, seu *guaril*, cujus robur maximè eminet in pugna contra serpentes, & crocodilum terrestrem. Quod ne quisquam in dubium vocet, en ea de re disertissima scriptorum *Arabum* testimonia! *Alkazuinius*, هو عدو للضب وللحية يدخل بيتها وياكلها وليس شي من الحيوان اقوي على قتل الحيات منه ولا يحتفر لنفسه بل يغتصب كل شي بيته لان اي بيت دخله هرب ساكنه ويغتصب بيت الحية كما يغتصب الحية بيت ساير الاجناس *Infensus est crocodilo terrestri, & serpenti, cujus latibulum ingreditur, ut eum voret. Neque ullum est animal eo fortius ad serpentes occidendos. Neque latibulum sibi ipsi fodit: sed aliorum omnium latibula invadit. Nam quodcunque latibulum adeat, ejus incola fugam capessit. Quin serpentis lustrum invadit, quomodo aliorum generum* (malim سايرِ الاحناس *aliorum reptilium*) *lustra invadit serpens. Algiabid* de eodem, وهو يقوي على الحيات وياكلها اكلا ذريعا ويخرجها من جحرها ويسكن فيه فهو اظلم من ظالم *Is serpentibus prævalet, & eos avidè comedit, & è latibulis suis expellit, ut ea occupet, & violento violentior est. Abdollatif*, ex quo *Damir*; وبينه وبين الضب عداوة فيغلب الورل الضب ويقتله لكنه لا ياكله كما يفعل بالحية وهو لا يتخذ بيتا لنفسه ولا يحفر جحرا بل يخرج الضب من جحره صارعا ويستولي عليه وانه كان اكثر براثن منه واقوي لكن الظلم يمنعه ولهذا يضرب به المثل في الظلم ويكفي في ظلمه انه يغصب الحية جحرها ويبلعها وربما قتل فوجد في بطنه الحية العظيمة وهو لا يتبلعها حتي يشدخ راسها *Inter eum & τὸν dbab* (seu *crocodilum terrestrem*) *gravis est inimicitia. Sed* guaril *est superior, & eum occidit. Nec tamen eum comedit, quomodo serpentes solet. Neq. domum sibi deligit, aut latibulum fodit. Sed crocodilum terrestrem ex proprio domicilio colluctando extrudit, & ei prævalet. Quamvis crocodilus unguium viribus præpolleat; tamen hic violentia potior est. Unde est, quod in Proverbium cessit ejus violentia. Quæ in illo tanta est, ut sufficiat ad serpentem è lustro suo extrudendum, ac devorandum. Ac proinde in occisi ventre magnum serpentem nonnunquam reperire est, quem non vorat, nisi prius fracto capite.* Proverbia de eo multa sunt apud *Arabes*, in quibus hæc notanda sunt. اجبر من الورل *Ferocior* (aut *superbior*) τοῦ *guaril*. Et اظلم من الورل *Iniquior* (aut *violentior*) τοῦ *guaril*: ad quod supra allusit *Abdollatif*. Et اسرع من تلظم الورل *Citiùs quàm* guaril *cibum in ore versat*. Quò pertinet, quod scribit *Algiabid* eum serpentem avidè comedere, vel اكلا ذريعا id est, ad verbum *veloci & præcipiti comestione*.

Ex hac descriptione apparet nomen כח *coach*, à *robore* sumptum, huic lacertæ apprimè convenire.

Si quis de lacerti genere, in his terris ignoto, plura scire aveat, illum describit *Ibnu-saida* دابة على خلق الضب الا انه اعظم منه *animal natura τῶ* dhab, *nisi quod est majus.* Et *Abdollatif*, فاما الورل وهو الحردون Guaril *utique idem est, quod* chardaun. Sed contra *Algiahid* apud *Damirem* tradit, ان الحردون غير الورل ووصفه دابة تكون غالبا بارض مصر موشاة بالوان كثير ولها كف ككف الانسان مقسومة اصابعها الى الانامل Chardaun *à* guaril *esse diversum, quem describit animal in* Ægypto *frequens, multis distinctum coloribus, manus habens, quales hominis, & digitos in articulos divisos.* Et *Alkazuinius*, هو العظيم من شكل الوزغ وسام ابرص الطويل الذنب الصغير الراس وهو سريع السير خفيف الحركة *Maximus est lacertorum, qui formam habent* guezgæ, *&* sam-mabras, (sunt stellionum species, quarum illa minor, hæc major) *longa caudæ, parvi capitis, celeris incessus, & motus expediti.* *Avicenna* quoque, postquam illum cum stellionibus contulit, caudamque & caput eodem modo descripsit, quo *Alkazuinius*: وهو غير الضب والضب لا يكون او قل ما يكون الا في البادية وراسه وبدنه وذنبه خالف الورك وربما قاربة في طبايعه *Et alius est à* dhab (seu *terrestri crocodilo.*) *Nam* dhab *nunquam est, aut valde rarò est alibi, quam in deserto. Et capite, & corpore, & cauda differt à* guaril. *Natura tamen illi vicina est.* Unde *Alcamus*, الورل دابة كالضب العظيم من اشكال الوزغ طويل الذنب صغير الراس Guaril *animal, ut* dhab *magnum, in iis quæ* guezgæ *forma sunt, longa cauda, parvi capitis.* Sunt, qui ex crocodili semine nasci putant, quomodo scincum: sed eos refellit *Damir*, cum quia cute & pelle multum differunt, tum quia statura est valde dispar: والورل لا يزيد قدره على ذراعين او ذراع ونصف والتمساح عشرة اذرع واكثر Guaril *enim non crescit supra duos cubitos, aut unum, & semi, cum crocodilus crescat supra decem cubitos, & amplius.* Idem animal describitur ut valde libidinosum. *Abdollatif*, فليس في الحيوان اكثر سفاد منه *Nullum est animal, quod coëat frequentius.* Et, si creditur *Alcamus*, شحمه يعظم الذكر دلكا Quod qui potest intelligat. Idem de carnis esu, لحمه حار جدا يسمن بقوة *Caro ejus calidissima est, & maximè pinguefacit.* Et *Alkazuinius*, لحمه وشحمه سمن طبقات الناس *Ejus caro, & adeps mulieres inprimis pinguefacit.* Ita etiam *Avicenna*, & *Damir.* Addunt in eadem carne vim esse, qua è corpore avellit السلي والشوك *surculos & spinas.* Pilos brachio mulieris alligatos conceptum impedire. Excitari membra torpentia, si combustæ pellis cinere cum olei fæcibus misto illinantur. Stercus albugines, lentigines, & verrucas amovere. Sanguinem denique visum roborare, & acuere. Quod idem scribunt de crocodilo terrestri.

Quæri potest, an hic lacertus sit idem cum lacerto viridi: quod videbuntur multa suadere. 1. Quod lacertus viridis eorum est maximus, qui apud nos sunt. *Erasmus* in Dialogo *De Amicitia*: Italia *magnas habet lacertas, & virides.* Gesnerus: *Majores ferè duplo sunt communibus lacertis.* 2. Lacerti virides sunt ὀφιομάχοι. *Erasmus* ibidem, *Hoc animal naturâ & homini amicum est, & serpentibus inimicum.* Et paulo post, *Quodam die vidi prægrandem, & mirè viridem, in ostio cavi decertantem cum serpente. Primum mirabamur quid esset rei. Nam serpens nobis non erat conspicuus.* Italus *admonebat in antro esse hostem. Paulo post venit ad nos lacerta, velut ostendens sua vulnera, ac remedium flagitans, &c. Serpens alterum latus penè totum croserat, & ex viridi rubrum fecerat.* Itaque ad has lacertas id referendum, quod in *Plinio* legitur, lacertas cum serpentibus pugnare. Unde illi nomen ὀφιονικός à recentioribus inditum. *Pandectarius*: OFIONICOS *Græcè, id est, lacerta.* 3. Ut esu τῶ *guaril Arabes* pinguescere se scribunt: ita phtisicis lacertam viridem esse utilissimam, & incredibiliter prodesse tradunt *Plinius* & *Marcellus*. 4. Utriusque stercora faciei illita maculas delere leguntur. Tamen *guaril* à lacerto viridi distinguit color. Varium enim describit *Algiahid*. Præterea videtur *guaril*, qualis ab *Arabibus* describitur, lacertam viridem viribus & animi ferociâ longè antecellere. Puto igitur τὸ *guaril* lacerti genus esse *Arabia* peculiare, & lacertum viridem ita illi similem, ut sit

Proximus huic, longo sed proximus intervallo.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Probatur voce לטאה *letaa*, Lacertam significari stellioni similem, maximè venenatam, & terræ adhærentem; quæ *Arabice* وحرة *vvachara* dicitur.

Ad Hebræum לטאה letaa, *vanæ allusiones. Variæ vocis interpretationes. Lacerta genus esse docent plerique veteres, & Talmudici. Videtur esse A*rabum vvachara: *quæ 1. stellioni similis. 2. Terræ maximè adhæret. 3. Veneno suo inficit quæcunque calcat. Hæc tria* letax *convenire. Quæritur, an sit species salamandræ.*

HEbræum לטאה *letaa*, conantur quidam recentiorum ex *Græca* lingua interpretari, quâ λὼτ est *talpa*. *Hesychius*, λὼτ, ἀσπάλαξ, μῦς τυφλὸς ὁ τὴν γῆν τρυπῶν. Et λάταξ animal amphibium, castori & lutræ congener, de quo *Philosophus Historiæ* libri octavi capite quinto. Itaque ex illorum mente לטאה *letaa*, aut *talpa* esset, aut *latax*. Alii *murem araneum* malunt, in quem Λητὼ, id est, *Latona*, mutata fuisse fingatur, propter allusionem vocum Λητὼ, & *letaa*, quæ sit μυγαλῆ. Atque illud quidem verum est, fingi *Latonam*, *Typhonis* metu, in murem araneum fuisse mutatam. *Antonius Liberalis*, *Metam.* 28. Ἀπόλλων μὲν ἐγένετο ἱέραξ, Ἑρμῆς δὲ ἶβις, Ἄρης δὲ λεπιδωτὸς ἰχθύς, Ἄρτεμις δὲ αἴλουρος (non σίλουρος, ut perperam habent nostræ editiones.) Τράγῳ δὲ εἰκάζετο Διόνυσος, ἐλάφῳ δὲ Ἡρακλῆς, βοῒ δὲ Ἥφαιστος, μυγαλῇ δὲ Λητώ. Sed non inde sequitur voce *letaa murem araneum* significari: ut neque *talpam*, aut *latacem*; quia alludunt λὼτ, & λάταξ. De talpa enim versu præcedente jam actum. Et *latax* in terræ reptilibus computari non potest (ut neque castor, de quo (a) supra) quia in aquis potiùs vivit, & pilos habet ex parte similes vituli marini pilis. Præstat igitur sequi veteres, qui hoc quoque animal numerant in lacertorum speciebus. Ità *Græcis* est καλαβώτης, vel ἀσκαλαβώτης, & Hieronymo *stellio*: & *Jonathani* שממיתא *semamitha*; quod id ipsum est: & *Syro* ܫܦܪܡܝܬܐ *ssaramitha*, id est, *salamandra*, ut volunt: & *Arabibus* العظاة *aladha*, vel العظاية *aladhaja*, *lacertus*. Ità etiam *Selomoni*, & *Kimchio*, & *Pomario*. Quomodo etiam sumpsisse *Talmudicos* constat ex Tractatu *Oholoth* (cap. 1. fol. 45. b.) ubi pecudes quædam, & aves, post caput amputatum palpitare leguntur, כגון הזנב של הלטאה שהיא מפרכסת *quomodo cauda* τῆς letax, *quæ* (abscissa) *adhuc se movet*. Quo hæc alludunt in *Porta cœli*, יש מבח אם יכרתו מזנבותיהם יתנענעו זמן רב אחר כן כזנב הלטאה וזנבות השרצים *Sunt quædam animalia, quorum caudæ si abscindantur, moventur aliquamdiu, ut cauda* letax, *& aliorum reptilium*. Quale est, quod lacerti, virgæ ictu bifariam divisi, singulas partes vivere, & duobus pedibus repere, & nonnunquam iterùm coalescere asserunt *Ælianus Historiæ* libri secundi capite vigesimo tertio, & *Phile* capite quinquagesimo tertio. Non tamen temerè crediderim, quod habetur in *Porta cœli* de caudis ità abscissis, כי הן יגדלו אחר כריתתם *eas post abscissionem crescere*, cum nonn isi tantilium temporis divisas vivere pro comperto habeatur.

a) Cap. 2. pag. 1007. lin. 50. &c.

Constat igitur hactenus *letaam* esse in lacertorum genere, cum magno consensu veteres ità statuant. Sed speciem definire non est cujusvis. Syrus *salamandram* exponit. Recentiorum alii *stellionem*, alii *lacertam* malunt. Quorum prius sequuntur *Pagninus*, *Arias*, *Junius*, *Castalio*: posterius *Munsterus*, *Schindlerus*, *Genevenses*, *Angli*, *Itali*. Ego lacertæ speciem intelligo, quæ *Arabicè* وحرة *wachra*, vel *wachara* dicitur. De ea scilicet *Arabes* tria potissimum observant: 1. Stellioni similem esse. 2. Terræ maximè adhærere. 3. Veneno ejus cibos infici, quoscumque calcat. Quæ tria rem conficiunt, ut postmodum docebimus. Sed *Arabes* prius audiendi. *Gianhari*, الوحرة دويبة حمرا تلتصق بالارض كالعظا Alvvachra, *animalculum rubrum terræ adhærens, ut lacerta*. Damir, هي دويبة شبيهة بسام ابرص تلتصق بالارض او ضرب من العظا لا تطا طعاما ولا شرابا الا سميته *Est animalculum simile τῷ sammabras* (seu, *stellioni majori*) *terræ adhærens, aut lacertæ species, quemcunque cibum aut potum calcet veneno suo inficiens.* Ibidem alii, وقيل هي على شكل سام ابرص *Dicitur esse forma* sammabras. Et *Alcamus*, الوحرة وزغة كسام ابرص او ضرب من العظا لا تطا شي لا سميته Alvvachara *est* guezga, *sicut* sammabras, *aut lacertæ species, quæ nihil calcat, quod non inficiat.* Inde وحر *vvachara* Verbum est *veneno inficere*. Proinde dicunt, وحر الصدر غشه ووسواسه *Pectus infecit dolus ejus, & suggestio ejus.* Item, الغل اللازق به كما تلزق الوحرة بالارض *Dolus ipsi adhæret, ut* alvvachara *adhæret terræ*.

Jam hoc, quidquid est, *letaa* convenire nullo negotio probavero. 1. Id enim lacertæ genus stellioni esse simile, aut etiam ejus speciem, suadet, quod interpretum antiquissimi, *Græci*, *Chaldæi*, & *Romani* *stellionem* explicant. 2. Terræ adhærere colligitur ex ipso nomine. Nam *Arabicè* Verbum لطا *letaa*, vel لطئ *latia*, propriè *adhærere* sonat, non ubivis, sed *terræ*. Nusquam aliter sumitur. Hinc *Damir* in capite قبرة *Kobbara*, seu *De Alauda*. *E natura ejus est, ut strepitus eam non terreat: & quandoque lapide molari conteratur,* ولطي بالارض حتى يجاوزها الحجر *& terræ adhæreat, donec eam lapis pertransierit.* Et in capite عنكبوت seu *De Aranea*, فاذا اراد صيد الذباب لطي بالارض *Et, cum vult venari muscas, terræ adhæret.* Itaque לטאה *letaa*, inde deducta, propriè id animal significat, quod terræ adhæret. Quod in *vvachara* definitione observant *Gianhari* & *Damir*. 3. *Letaam* denique venenatum esse animal, & à quo maximè cavendum, docet majusculum *Lamed* initio nominis. Neque enim scribitur לטאה sed לטאה. Unde *Buxtorfius* in *Commentario* *Maso-*

Masorethico cap. 14. Lamed *majusculum* Malora *parva notat in voce* הלטאה, Levit. 11, 30. *quam alii lacertam, alii stellionem reddunt. Litera autem majuscula denotat inter reliqua reptilia vel maximè ab hoc reptili esse cavendum.*

De cætero hoc animal quomodo *Græcè* vocetur nemo facilè dixerit, nisi quis putet esse *salamandræ* speciem. Nempe cum stellione salamandram veterum nonnulli conferunt, tanquam illi similem, aut etiam ejus speciem. *Aetius Tetrab.* 4. Serm. 1. cap. 52. *Salamandra animal est simile stellioni.* Nicandri *Scholiastes* in *Alexipharmaca*, Ἡ σαλαμάνδρα, εἶδος ἀσκαλαβώτου. 2. Eadem inficere legitur quidquid calcat. *Plinius* ubi suprà. *Si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno.* Item, *Si contactu ab ea ligno, vel pede, crusta panis incoquatur, idem veneficium est.* Quo pertinet, quod *Narbonenses* apud *Gesnerum* dictitant; *Si Blanda* (id est, *salamandra*) *in acervo tritici reperiatur, totum infici, adeò ut vel gallina vescentes inde pereant.*

Proinde الوحرة *alvvachara*, cui *Arabes* hæc eadem tribuunt, videri queat idem esse cum salamandra, nisi quod non convenit color. Is enim in *wachara* ruber est, in salamandra varius. Itaque *vvachara* aliud est *Arabica* lacertæ genus nobis ignotæ, similis tamen, in multis, stellioni, & salamandræ. Unde est, quod לטאה *letaa*, quam putamus esse *Arabum vvacharam*, à *Syro* ܣܠܡܢܕܪܐ *salamandra* & à veterum plerisque aliis *stellio* redditur.

CAPUT QUINTUM.

Probatur חומט *chomet*, esse lacertam in arena degentem, quæ *Arabice* حلكا *chulaca* dicitur.

Recentioribus חומט chomet, *est* limax; *sed* lacerta *veteribus* חומטון chometon, *Hebrais* arena. *Inde, aspiratione omissa*, Græcis ἄμαθος, *&, cum* ψαμαθος, ψάμαθον. *Et* חומט chomet, *lacerta arenaria. Qualis* Arabum حلكا chulaca, *vel* لحكا luchaca, *in arenis degens, quæque, cum hominem videt, iis immergitur. Itaque etiam* filia arenæ *dicitur. Aut est* العظاه aladha, *lacertæ species ἀμμώδης, veneno carens. Itaque falluntur, qui* salamandram, *aut* lepem, *aut* lacertam Chalcidicam *exponunt.*

HEbrais recentioribus *Selomoni*, *Kimchio*, *Pomario*, & *Aquinati* חומט *chomet*, est *limax*. Neque aliud volunt *Hispani* illi, qui in *Kimchio* vernaculè קרקול reddunt. Legendum enim קרקול, *caracol*, quomodo *limacem* illi appellant. Id sequuntur *Arias*, *Munsterus*, *Petrus Robertus*, *Genevenses*, & *Angli*, qui hic quoque *limacem* habent. Tamen aliter veteres. *Græcis* enim, & *Hieronymo*, חומט *chomet*, est σαύρα *lacerta*. Et *Arabibus* editis حربا *chirba*, *chamæleon*: manu-scriptis سام ابرص *sammabras*, stellio. Neque aliud hic *Syrum* ܚܘܠܡܛܐ *chaulmata* juxta *Gabrielem Sionitam*, cui malo credere, quam *Baptistæ Ferrario*, qui reddit *avem dorsum habentem nigris & purpureis pennis distinctum*; planè ἀπροσδιόνυσον. Neque enim de avibus hic agitur, sed de terræ reptilibus. Itaque, ut superiora, ita etiam חומט *chomet*, videtur esse in lacertorum specie. Neq; latet origo vocis. *Talmudicis* enim חומטון *chometon*, est *arena*. Hinc in Tractatu *De Sabbatho* cap. 5. fol. 54. a. (ubi *Talmudici* disputant, quorsum 1. *Reg.* 9, 13. *Hiramus*, Rex *Tyriorum*, ארץ כבול, *terram chabul* appellaverit tractum illum, quo donaverat eum *Solomon*) dicit *R. Nachman*, *Isaaci* filius, ארץ חומטון היתה אמאי קרו לה כבול דמשתרגא בה כרעא עד כבלא *Terra erat chometon, unde est, quod vocârunt eam terram chabul; quia in ea crus usque ad talum immergebatur.* Et *Kimchius*, hunc locum citans in *Lexico* Radice כבל, sed verbis paulùm immutatis, חומטון *chometon*, explicat חול *chol*, id est, *arenam*. Ità ut illi *terra chometon* sit *terra arena*, vel *arenosa*. *Baal Aruch* itidem totum locum ità exponit, פי׳ שרגליו של אדם משתקעות בה מחמת החול כאלו הן כבולין לכן אינה עושה פירות *Significat pedes hominis in ea (terra) fuisse immersos propter arenæ (copiam) ac si fuissent compediti, ac proinde illam fuisse infrugiferam.* In *Glossa Talmudis* terra *chometon* est terra מלוחה ומתבקעת *salsuginosa, & diffissa*. Et ejusdem Tractatus cap. 2. fol. 31. a. חומטון *Glossatori* est ארץ מלוחה ומשמרת את הפירות מתולע *terra salsuginosa, quæ fructus à vermiculatione servat.* Sed prior interpretatio est verior, & utrique loco apprimè convenit. Nam & incedentium pedibus arena molesta est, & in calidis locis vim habet ἀσηπτικὴν, qua res à corruptione diu servat. Itaque in *Africa* arenis cadavera condiri multi asserunt, & pro mumia distrahi. Quin vox חומטון *chometon*, quamvis non extet in libris *Propheticis*, videtur esse valde antiqua. Et *Græcos* puto, aspiratione dempta, indè deduxisse ἄμαθον, &, cum σ prosthesi, ψάμαθον. Quorum utrumque in vetustissimis scriptoribus, *Homero* putà, & aliis, in *arenæ* notione reperitur. Ità tamen, ut ἄμαθον *Grammatici* velint *arenam* esse μεσόγειον *mediterraneam*, & ψάμαθον παραθαλασσίαν seu *littoralem*. Sic ferè distinguunt *Hesychius*, *Suidas*, alii.

Itaque ut חומטון *chometon*, est *arena*: sic חומט *chomet*, est *lacertæ species, quæ in arenis degit.* Et videtur intelligi *Arabum* حلكا *chulaca*, vel لحكا *lucha*, & *luchaca*; de qua *Alcamus*, الحلكا دويبة تغوص في الرمل او ضرب من العظا كالحلكا Alchulaca, *Animalculum, quod in arena mergitur: aut lacertæ species, quæ etiam chulaca vocatur.* Idem, اللحكا دويبة زرقا تشبه العظاة Luchaca, *animalculum cæruleum, lacertæ simile.* Damir, الحلكا دويبة شبيهة بالعضاة تغوص في الرمل Alchulaca, *animalculum lacertæ simile, quod in arenis immergitur.* Alazhari, اللحكا دويبة كانها سمكة تكون في الرمل فاذا احست الانسان دارت في الرمل وغاصت فيه Luchaca, *animalculum in arena degens, ut piscis* (in aqua;) *quod, cum sentit hominem, in arena volvitur, atque in ea immergitur.* Et *Ibnosacith*, اللحكا دويبة شبيهة بالعظاية وقوايم خفيفة Luchaca, *animalculum lacertæ simile, pedibus levissimis*, Asseidalanius, & Arruvianus, دويبة مثل الاصبع تجريب في الرمل ثم

ثم تغوص فيه وهذا يقوي قول الجوهري انه مقلوبة من الحلكا *Animalculum est digitale, quod per arenas currit, & in iis demergitur. Id confirmat dictum* Giauhari, *Nomen* luchaca *inversum esse ex* chulaca. Rursus *Damir*, العرب تسميها بنات النقا لانها تسكن نقبان Arabes *etiam appellant filias tumuli arenæ; quia in arenæ tumulis degit.*

Sed & lacerti communis una species est سقنقور. *Damir* capite العظاه *Aladha*, seu *De Lacerta*, وهي انواع كثيرة منها الابيض والاحمر والاصغر وكلها منقطة بالسواد والوان بحسب مساكنها فان منها ما يسكن الرمال ومنها ما يسكن قريبا من الما والعشب *Earum multæ sunt species quædam albæ, quædam rubræ, quædam flavæ; quæ omnes sunt nigro distinctæ. Et colores illis sunt pro ratione loci, quem occupant. Aliæ enim in arenis degunt: aliæ prope aquas & in herbosis locis.* Et *Alazhari*. هي دويبة ملسا تعدوا وتتردد كثيرا تشبه سام ابرص الا انها احسن منه وتسمي العظاه وشحمة الارض وشحمة الرمل *Est animal molle, multum cursitans, & ultro citroque commeans, simile* τῷ sammabras, *seu stellioni, nisi quod eo est pulchrius. Vocatur* aladha, *& Adeps terræ, & adeps arenæ.* Vides, lector, tam hanc lacertam, quam alteram minus vulgarem, de qua suprà, *ab arena* nomen habere, æquè ac *Hebræum* חומט *chomet*. Itaque חומט *chomet*, vel alterutrum, vel utrumque significat.

Obiter nota عظاية vel عضاية in *Avicenna* pro *salamandra* poni, & in *Abenbitare* modo pro *salamandra*, modò pro *sepe*, vel *lacerta Chalcidicâ*, non sine gravi errore. Utraque enim est venenata. At العظاة veneno caret, ut *Arabes* disertè docent. *Damir*, ومن خرافات العرب قالوا ان السموم لما فرق على الحيوان احتبست العظاة عند التفرقة حتى نفد السم واخذ كل حيوان قسطه منه على قدر السبق اليه فلم يكن لها فيه نصيب وفي طبعها انها تمشي مشيا سريعا ثم تقف ويقال ان ذلك يعرض لها من التذكرة والاسف على ما فاتها من السم *Est ex Arabum Apologis, quod dicunt, quod, cum divisa sunt venena inter animalia, continuit se aladha, dum divisio fiebat, donec venena defecerunt, cum unumquodque animal portionem suam sumpsisset, prout ordine primum fuerat. Neque illi fuit sua portio. Proinde, cum illi naturale sit, ut citato gressu incedat, & mox subsistat, ajunt id illi accidere, quia meminit, & mœsta est, eo quod defuit ipsi venenum.* Ibidem *Damir*, وتسمي بارض مصر السحلية *In terra Ægypti vocatur* SUCHLIA, quam *Azhari* asserit *stellioni similem esse*, الا انها لا تؤذي وهي احسن منه *nisi quod non est noxia, & est eo pulchrior.* Eos igitur falli necesse est, qui hoc animalculum cum *salamandra* confundunt, aut cum *lacerta Chalcidica*, quæ sunt maximè noxiæ.

CAPUT SEXTUM.

Probatur תנשמת *thinsemeth*, Levit. 11, 30. esse *Chamæleontem*

Plerique תנשמת thinsemeth, *est* talpa. *Sed versu præcedente* חולד choled, *esse* talpam *probatum est. Ergò* thinsemeth *est aliud. Neque talpæ convenit nomen* ab halitu *factum. Aliter reddunt multi veteres.* Arabes *interpretes emendati*, נדל, scolopendra, *cui pedes* XLIV. *Ejus descriptio ex* Avicenna. *Cur dicatur* ἀμφιπαγής. תנשמת thinsemeth, *est* chamæleon, *ab aspirando sic dictus; quia hianti ore semper est, & aere vesci creditur. Nempe ferè totus pulmo est, & dissectus diu spirat. Non tamen vescitur solo aere, sed muscas & culices prætervolantes, formicas, locustas, scarabæos lingua venatur, quam habet longissimam, atque ex ore emissitiam. Indè nomen* Arabicum حربا chirba. *At cur vocatur* chamæleon? Leo Iphi in *Arabibus animal chamæleontis simile. An* chamæleon *deflexum ex* Punico גמליון; gamalion; *quo sit vocatus, quia cameli gibbum in dorso habet, quod observant* Arabes. *Iidem* Magum *vocant, quasi Solem adoret. Ejus Medicæ vires. Ab* Hebræis *chamæleon avis esse creditur, & salamandra araneæ similis. In* Græca *versione quam aliena* chamæleontum *mentio* Soph. 2, 14 *Fons erroris.*

IN loco, in quo versamur, sola superest תנשמת *thinsemeth*, id est, *talpa*, si *Græcos* sequimur, & *Hieronymum*; & è *Chaldæis*, *Onkelosium*; & *Hebræos* recentis ævi, *Selomonem*, *Kimchium*, *Pomarium*, *Aquinatem*; & novos *Bibliorum* interpretes, *Pagninum*, *Munsterum*, *Ariam*, *Genevenses*, *Anglos*, *Italos*, &c. Quorum omnium auctoritas cum apud me multum valeat, tamen quo minus in assensum trahat, duo potissimum obstant, quæ jam alibi observavi. Unum, quod præcedenti versu de *talpa* jam actum est. Id enim esse חולד *choled*, iis rationibus probavimus (a) quas nemo facilè refellet. Aliud igitur est in hoc versu תנשמת *thinsemeth*: nisi *Mosem* velimus in eadem contextus serie idem animal bis vetâsse, & cum fingamus sic loquutum; *Inter reptilia, quæ repunt super terram, hæc erunt*

(a) Lib. 3. cap. 35.

erunt vobis immunda, talpa, & mus, & crocodilus terrestris, &c. *& talpa*. Præterea nomen תנשמת *thinsemeth*, quod *ab halitu* & *aspiratione* ductum est, quomodo in talpam quadret, nullus video, cui tam tenuis est spiratio, ut totos dies sub terra degat, quomodo pisces sub aqua. Unde est, quod talpæ & muris subterranei cuniculi hac nota distinguuntur: quod terra obrutos mus statim aperit, ne suffocetur, at talpa sæpe nonnisi secunda aut tertia die reserat. Proinde תנשמת non esse *talpam* viderunt multi veterum, apud quos extant hujus vocis tres aliæ versiones diversissimæ.

Primò enim *Samaritano* interpreti תנשמת est ࠀࠀࠊࠔࠔࠀ, id est, *mustela*, quæ *Chaldæis* est כרכושתא, & *Syris* ܟܪܟܘܫܬܐ prima Radicali geminata, cum *Samaritani* secundam geminent.

Secundo, pro eadem voce תנשמת *Syrus* habet ܝܘܕܥܕܐ *jodaida, multipedam*: & *Arabes* manu-scripti البدال وهو ام اربعة اربعين Albedal, *quæ mater est quadraginta quatuor*, supple *pedum*; seu cui sunt pedes XLIV, id est, *julum*, aut *scolopendram*. Sed pro بدال *bedal*, voce nihili, legendum ندال *nedal*. *Chaldæis* enim, & *Talmudicis*, נדל *nedal*, vel *nedel*, est *scolopendra*. Sic infra versu quadragesimo secundo, ubi è reptilibus terræ prohibetur כל מרבה רגלים, *quodcumque reptile multos habet pedes*, Gr. ὃ πολυπλαθεῖ ποσίν, *Jonathan* habet נדל דמסגי ריגלין, nedal *qui est multipes*, id est, *scolopendram*. Et *Talmudici* in *Cholin* cap. 3 fol. 67. b. מרבה רגלים זה נדל, *qui multos habet pedes, id est, nedal*. Et ibi *Glossa*, נדל מאה רגלים קורין לו Nedal *centipedam vulgo vocant*. Numero scilicet certo pro incerto. Sed *Arabes*, qui solent præcise loqui, *matrem pedum* XLIV. appellant. Sic *Avicenna* lib. 4. *Fen*. 6. Tract. 6. ubi de animalculis, quorum morsus est venenosus, capite decimo nono animal الاربعة والاربعين id est, *quadraginta quatuor pedum*, ita describit, هو الحيوان المعروف بدخال الاذن وربما كان في طول شبر وله في كل جانب اثنان وعشرون قايمة وقد يمشي قدما وقد ينكص بحاله *Illud est animal notum; quia in aurem ingreditur. Plerumque est palmi longitudine. Ab unoquoque latere, pedes habet viginti duos, & modo incedit antrorsum, modo in posteriora fertur.* Scolopendram in aurem ingredi alibi nusquam legi. Sed eam ἐπὶ οὐρὰν *caudam versus ferri dicit Philosophus*, *Historiæ* libri quarti capite septimo. Unde à *Nicandro Theriacῶν* versu 812. vocatur ἀμφικάρηνος σκολόπενδρα. Ad quæ verba *Scholiastes*, Ἀμφικάρηνος δὲ, ἤγουν δικέφαλος. Ψευδῶς δέ φησιν, οὐ γάρ ἐστιν. Ἀλλ', ὡς Ἀριστοτέλης φησίν, εἰς τοὐπίσω πολλάκις ἕρπει, καὶ παρέχει δόξαν τοῦ δικέφαλος εἶναι. Pedum numerum quod attinet, illum alii aliter definiunt, ut ubiq; locorum eundem esse necesse non est. Utut sit, *scolopendram* hoc nomine intelligi nos docet *Abenbitar* ad caput *Dioscoridis* Περὶ σκολοπένδρας θαλασσίας, cujus nomen postquam *Arabicis* literis ita expressit, سقولوفندريا ثالاسيا addit, هو حيوان بحري وسمي باسم الحيوان الذي يقال له اربعة واربعون *Hoc est marinum animal ejus nomine appellatum, quod* XLIV. *pedum vocant*.

Tertio, *Jonathani* תנשמת *thinsemeth*, est סלמנדרא *salamandra*. Et *Arabi Erpeniano* صنبرص *senabras*, corrupte pro سام ابرص *sammabras*, quomodo habet *Parisiensis* editio. Hos ad verum proximè accessisse puto, atque ut quinque illis, quæ præcesserunt, ita hoc quoque nomine aliquam lacerti speciem contineri, nempe *chamæleontem*, qui a spiratione ità vocetur. *Hebræis* enim נשם, *spirare* est, & נשמה, non solum *spiritus*, sed & *halitus* vel *spiratio*, ut & נשימה. Unde est, quod ad hæc verba *Psal*. 150, 6. כל הנשמה תהלל יה, *Omnis spiritus laudet Deum*, sic habet auctor *Bereschith Rabba* cap. 14. על כל נשימה ונשימה שאדם נושם צריך לקלס לבוראו מה טעם כל הנשמה תהלל יה כל הנשימה תהלל יה, *Ad omnem halitum, quem homo spirat, necesse est ut laudet creatorem suum. Qua ratione?* (Quia dicitur) *Omnis spiritus laudet Dominum*, id est, *Omnis halitus laudet Dominum*. A *spirando* autem vel ab *aspirando*, rectè dici *chamæleontem* fateatur, necesse est, quisquis naturam ejus habet perspectam: cum os diducens hiatu perpetuo, atque spiritu aerem ducens, à multis putetur eo solo vesci. *Plinius* libri octavi capite trigesimo tertio, *Ipse celsus, hianti semper ore, solus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento*. Solinus, *Hiatus ejus æternus, ac sine ullius usus ministerio; quippe cum neque cibum capiat, neque potu alatur, aut alimento alio, quam haustu aeris, vivat*. Ovidius *Metamorphoseω*; libro decimo quinto,

Id quoque, quod ventis animal nutritur, & aura.

Nempe pulmo est illi maximus. *Plinius* libri undecimi capite trigesimo septimo, *Chamæleoni pulmo portione maximus, & nil aliud intus*. *Plutarchus* in libro *Utra anim.* Σώματι δὲ ὁ πνεύμων πλεῖστος, ὡς ἔοικεν. Ὀλίγου γὰρ δέει πᾶν τὸ σῶμα τοῦ ζώου πλῆρες εἶναι πνεύμονος, ᾧ συμμαρτυρεῖ τὸ πνευματικὸν αὐτοῦ. *Accedit etiam spiritus in ipso copia, ut tradit* Theophrastus. *Parum enim abest, quin totum corpus pulmone sit plenum; unde conjicit, quam sit flatilis*. Bellonius, *Cum pulmonibus magnis per ventris latera exporrectis præditus sit, ventum intro magno impetu attrahit, atque intumescit*. Tertullianus in De pallio, *Oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus*, &c. Sed &, quod mirere magis, etiam post dissectionem diu spirare creditur. *Philosophus* in eximia illa chamæleonis descriptione *Historiæ* libri secundi capite undecimo, Ἐνεργεῖ δὲ καὶ τῷ πνεύματι, ἀνατετμημένος ὅλος ἐπὶ πολὺ χρόνον, ἐλαχίστης ἰσχυρῶς ἔτι κινήσεως ἐν αὐτῷ οὔσης περὶ τὴν καρδίαν. *Etiam, cum totus dissectus est, flatu pollet per longum tempus, quamdiu scilicet motus, quantumvis exiguus, circa cor manet*. Is porro halitus *Arabicè* نسيم *nasim* vocatur ab ea ipsa Radice, à qua illi nomen תנשמת, *thinsemeth*. Damir, يغتذي بالنسيم ويعيش بالبرد الهوا *Alitur τῷ nasim (id est, halitu) & frigido aere vescitur*. Quod tamen per summum errorem is transfert ad crocodilum terrestrem, ut supra (b) notavimus, cum sit proprium chamæleonis. Quamvis neque chamæleon solo aere vesci satis vere scribatur. Quippe linguam habet prælongam in imo glutinosam, cujus jaculatu muscas & culices capiat è ramo arboris, cui insidet. *Damir*, لسانه طويل

(b) Cap. [illegible] hujus.

طويل جدا مقدار ذراع وذلك دليل
علي انه يكون مطوي في حلقه
وهو يبلع ما بعد عنه من الذباب

Lingua ejus valde longa est, nempe ad mensuram cubiti. Proinde eam habet in faucibus complicatam, quam emittit, ut muscas à se dissitas (captet, &) *comedat.* Algazel *in* Mirabilibus, والحربا خلق الله لسانها بخلاف المعتاد لتلحق به ما بعد عنها بثلاث اشبار ونحوه وتصطاد به علي هذه المسافة *Chamaleoni creavit Deus linguam à solito prorsus diversam, ut ea attingeret, quæ à se dissita sunt tribus circiter palmis, & venaretur quæ sunt intra hoc spatium. Arabibus* suffragatur apud *Scaligerum* Johannes Landius, *qui in ultima* Syria *cum esset, ait se vidisse unum è quinque, quos emerat, chamaleonibus, lingua repentino momentaneoque jaculatu muscam, quæ in ejus esset pectore, legisse.* Et *Bellonius,* qui in *Ægypto* & in *Arabia* vivos viderat: *Linguam habet teretem, sesquipalmum longam, quam à longè in insecta, quibus maximè vescitur, vibrat: & mucore, quem in extremo spongiosum habet, muscas, scarabæos, locustas, formicas ad se adducit.* Indè illi nomen حربا *chirba*, quasi *jaculatricem* dicas. Nam حربة *charba* est *jaculi* aut *brevioris lanceæ genus.* Proinde herba *lonchitis*, cujus semen est lanceæ cuspidi simile, *Arabicè* حربة *charba* dicitur. At *Græcè* χαμαιλέων unde vocetur minus patet, cum animal pigerrimo & timidissimo vix quidquam videatur esse cum leone commune. *Tertullianus* ubi suprà, *Chamaleontem qui audieris, haud antè gnarus, jam timebis aliquid amplius cum leone. At, cum offenderis apud vineam fermè sub pampino totum, ridebis illico audaciam nominis.* Tamen etiam *Poëtis Arabibus* باقرة *bakira* dicitur, id est, *leæna.* Iisdem enim باقر *bakir* est *leo.* Et chamæleoni simile animalculum vocatur ليث عفرين *leo Iphrin* à loco ubi nascitur. *Alcamus*, ليث عفرين دابة كالحربا يتعرض للراكب ويضربه بذنبه *Leo* Iphrin, *animal ut chamaleon, quod equitem invadit, & cauda sua percutit.* Itaque *leo* meritò dicitur, cum in chamæleontis corpore leonis habeat animum. Proinde, si constaret hoc animal notum fuisse *Græcis*, dicerem huic primo inditum *chamaleontis* nomen, postmodum ad alterum simile fuisse translatum. Sed, cum hujus animalculi meminerit nemo veterum, mihi fit verisimilius *chamaleontem* ut *Arabes* جمل *gemel* vocant, vel جمل يهود *jemel jehoud*, id est, *camelum Judaicum*, ut asserunt *Damir*, & *Abenbitar*: ità *Pœnos* in *Africa* גמל *gamal*, appellâsse vel גמליון *gamalion*, unde facta sit vox χαμαιλέων *Græco* more inflexa, ut videretur esse *Græca*. Neque obscurum est, cur *camelum Arabes* appellaverint. Quippe ut vituli caput, & pisciculi corpus, & stellionis pedes, ità سنام البعير *cameli gibbum* illi tribuunt apud *Damirem*; quia cameli instar dorsum habet tuberosum. Sunt &, qui مجوسي vocant, id est, *Magum*, vel *Magusæum*; quia Solem videtur adorare, cum ad illum perpetuo obvertatur. Dicitur in horas mutari, prout lux Solis est vegetior, aut calor ejus intensior; & manè esse cineritius, deinde flavus, postremo viridis, cum Sol maximè calet. Sed & in metu, aut si aliquid illi objiciatur, alios colores induit. Unde Proverbium de eo, qui in eodem statu non permanet. تلون الحرباء *Mutavit colorem chamaleon.* Ut olim *Alcibiades* dictus est χαμαιλέοντος ἐμμεταβολώτερος *chamaleonte mutabilior.* Esum ejus interdicunt *Arabes*; quia venenatus est, & species وزغ *guezga*, seu *stellionis.* Apud *Avicennam*, & *Abenbitarem*, sanguis ejus depilat palpebras. Apud *Damirem* fel removet caliginem, & adeps ad ulcera & cicatrices adhibetur. Apud *Alkazuinium* remedia ex chamæleone præscribuntur in epilepsiam, grandinem, locustas, & incantationem. Sed his immorari diutiùs nostri non est otii.

Tantum observabo *Hebræos* usquè adeò ignorâsse quod animal sit chamæleon, ut avem esse voluerint. Testem habeo *Kimchium*, qui in *Lexico* disquirens quid sit לילית *lilith*, Es. 34, 14. scribit quosdam asserere שהוא עוף נדר מן הרוח כמו סלמנדרא מן האש שקורין לו קמליון Lilith *avem esse, quæ aëre vescitur,* (*ut igne salamandra*) *quam chamaleonem vocant.* Quale est, quod in *Tanchuma* sectione וישב fol. 18. a. salamandra describitur araneæ similis. Verba sic habent. *Vitrarii, qui vitrũ conficiunt, cum fornacẽ accenderunt septem diebus & 7. noctibus continuis, ex vi ignis* היוצא משם בריה הדומה לעכביש הבריה קורין אותה סלמנדרא *egreditur animal simile araneæ, quod animal vocatur salamandra.* Sunt, qui pro לעכביש *araneæ* legi volunt לעכבר, *muri*; quod nihilo est sanius, cum salamandra non sit muri similior, quam araneæ. *Hebræis* igitur animalium natura cum sit tam parum perspecta, illis temerè credendum non est in harum vocum explicatione.

In *Græca* versione de *Ninive* dicitur *Soph.* 2, 4. χαμαιλέοντες, καὶ ἐχῖνοι ἐν τοῖς φατνώμασιν αὐτῆς κοιταθήσονται. *Chamaleones, & herinacei in laquearibus ejus cubabunt.* At in *Hebræo* textu pro *chamaleonte* est קאת, quod illi ipsi *pelecanum* reddunt *Levit* 11, 18. & *Ps.* 101. (*Hebr.* 102) 7. Quorsum igitur hic vox eadem pro *chamaleonte* sumitur? Si cum Complutensibus λέοντες pro χαμαιλέοντες scribamus, malo non medebimur; quia *Hebræum* קאת, non magis *leonem* quam *chamaleontem* sonat. *Græcos* pro קאת legisse suspicor לטאה, lacertæ genus, quod illis in *Levitico* καλαβώτης *stellio*, hic χαμαιλέων fuerit, ut hæ species non rarò confunduntur: aut καλαβώτης, vel quod idem est, γαλεώτης, mutatum in χαμαιλέοντας. Huc facit, quod chamæleon ἐν τοῖς φατνώμασιν *in laquearibus* recubare nusquam legitur. Sed proprium id τοῦ καλαβώτου, vel γαλεώτου, *stellionis.* Hinc *Dioscorides* libri sexti capite primo sub dio parari jubet esculenta, & poculenta; aut, si parentur ἐν ὑποστέγῳ *in loco operto*, ἐπιμελῶς καταμανθάνειν τὰς ὀροφάς. πολλάκι γὰρ ἐκ τῶν ὑπερκειμένων πίπτει ζωύφια φθοροποιά, ὥσπερ φαλάγγια, καὶ ἄλλα τινὰ ἑρπετὰ, καθ' ὁ καλούμενος ἀσκαλαβώτης, *tecti convexa, aut laquearia,* (*si mavis*) *studiosè considerare: sæpè enim supernè decidunt lethifera animalcula, ut araneæ, & alia quædam reptilia, & qui vocatur stellio.* Et in *Nubibus Aristophanis* Actu primo de *Socrate* dicitur,

Ζητοῦντος αὐτοῦ τῆς σελήνης τὰς ὁδοὺς,
Καὶ τὰς περιφοράς, εἶτ' ἄνω κεχηνότος,
Ἀπὸ τῆς ὀροφῆς νύκτωρ γαλεώτης κατέχεσεν·

Eum, luna vias & circuitus quærentem, & sursum hiantem, è tectis laqueari noctu concacavit stellio. Sunt, quibus τὰ φατνώματα sunt *præsepia*. In quo errore perridiculo fuisse video *Græci* textûs interpretes. Quos tamen si sequaris, nihil egeris. Quia tam in præsepibus, quam in tectorum laquearibus versari solet stellio. *Aristoteles Historiæ* libri noni capite primo, Κωλώτης δ' ὄνῳ πολέμιος. Κοιμᾶται γὰρ ἐν τῇ φάτνῃ αὐτῆς, καὶ κωλύει ἐσθίειν, εἰς τοὺς μυκτῆρας ἐνδυόμενος· *Stellioni asinus hostis est. In ejus enim præsepi dormit stellio, & in nares penetrans prohibet ne comedat.* Cum Chamæleon in desertis locis degat. Sed capite sequenti de *stellione* plura dicentur.

CAPUT SEPTIMUM.

Probatur שממית *semamith*, Prov. 30, 28. non esse *Simiam*, neque *Araneam*, sed *Stellionem*.

Prov. 30, 28. שממית semamith, *alii* vermem, *aut* reptile alatum; *alii* simiam *esse volunt*, *alii* araneam: *qui refelluntur. Plerique recentiorum* araneam *esse volunt*, *quia* manibus apprehendere *dicitur*, & esse in palatiis Regum. *Contrà, aranea digitos quidem habet, sed nullas manus: nec* digitis apprehendere *sed nere diceretur. Et in pauperum casis degit potius, quam in palatiis Regum. Itaque* semamith *aliud, nempe* stellio. *Ita* Græci, Hieronymus, Syrus, Chaldæus. *Et* סממיתא semamitha, *pro stellione sumitur* Levit. 11, 30. *Et à* Talmudicis, *cum dicunt* τὴν semamith *scorpioni esse terrori, quod explicatur.* Phile *obiter notata. Stellio remedium contra scorpionum ictus.* Græcè *hodie vocatur* Σμιαμίνθα. *Stellio alius venenatus, alius innoxius. Ille* semamith *Hebræis, quia* סם sam, *est* venenum *Et Arabicè* sammabras *à veneno, & maculis tanquam lepræ: ut à* stellis STELLIO; *non à* stillis, *ut vult* Salonius. *Contrà,* מרים maris stilla, *non* stella. Γαλεώτης *Menandro* lentiginosus; *non* mustelinus, *ut à* Terentio *redditur. Cur* sammabras *leprosus.* Arabum *ratio fabulosa.* Arabibus & Græcis *animal aquè odiosum. Stellioni convenire quidquid de* semamith *habet* Solomon. *Stellio pusillum animal, sed solertissimum. Unde* stellionatus; & Siciliæ *vates* Γαλεωται, *cujus tamen vocis* alia origo. *Manus illi tribui etiam ab* Arabibus, & lacertos *dici à lacertis, seu brachiis. His apprehendit, seu supinus incedat, aut muscas venetur, aut araneas.* Plinius *notatus, &* Plutarchi *interpres. Stellionem in domibus versari, & esse cur. Cur in Regum palatiis tutiùs & libentiùs versetur, quam in privata domo.*

E Quatuor animalibus, quorum solertiam deprædicat *Solomon Prov.* 30, 28. ultimum est שממית *semamith*, quod *manibus apprehendere* scribit, & *esse in Regum palatiis*. De hoc animali magna lis inter Doctores *Hebræos*. Quibusdam explicantibus תולעת של מטר, *pluvialem vermem*, aliis שרץ של כנפים, *reptile alatum*, aut שרץ מה מהעופים, *reptile aliquod ex eorum numero qua volant*. R. Jonas *semamith Arabica voce* خطاف *chottaph*, id est, *hirundinem*, exponit, quasi sit idē, quod סנונית *senunith*, quomodo *hirundinem Chaldæi* vocant, & *Talmudici* Doctores. Quod est prorsus absurdum, cum hirundo non habeat manus, quibus contrectet, & apprehendat, neque sit ex terrestribus animalculis, de quibus hic agit *Solomon*. *Quatuor sunt*, inquit, *pusilla terra*. Itaque hæc explicatio nihil habet sanum. *Aben Ezra*, *Emmanuel*, & *Kabuenaki*, ut hæc vitarent incommoda, שממית *semamith*, maluerunt esse *simiam*, animal solertissimum, & in Regum deliciis, & manibus instructum hominis instar. Sed meo judicio majus, quam ut censeri possit קטני ארץ *in pusillis animalculis*, qualia sunt *formica*, *chœrogryllius*, & *locusta*. His enim exemplis *Solomon* anteà usus est. Allusionem vocis *semamith* ad *simiam* quidam incassum urgent. Neque enim aliunde *simia* nomen, quam *à simis* naribus. Ideo iidem *enares* (a) olim dicti. Et Πιθηκοῦσαι *Græcorum* Latinis *Enariæ* insulæ, ut in *Solinum* observat Cl. *Salmasius*. Multò aliter sentiunt *R. Levi*, *Kimchius*, & *Elias*, nempe שממית *semamith*, esse *araneam*, tam in Regum turribus, quàm in pauperum tabernis diversari solitam, atque inibi telam texere tanto pedum artificio, ut manuum vicem supplere queant. Ita etiam *Arabs* interpres manu-scriptus, qui hic habet العنكبوت *araneam*. Cui interpretationi summo consensu subscribunt *Santes*, *Arias*, *Mercerus*, *Munsterus*, *Castalio*, *Junius*, *Tremellius*, *Angli*, *Itali*, *Genevenses*, & si qui alii sunt recentiores interpretes. At observare debuerant viri *Hebraicæ* linguæ longè peritissimi, nullibi, nec in Scriptura, nec in veterum *Hebræorum* scriptis *araneam* dici שממית *semamith*; sed ubique עכביש *accabis*, unde *Chaldaicum* עכובית *accobith*; & *Arabicum* عنكبوت *ancabuths* hodieque in usu. Præterea fateor pedes aranearum quandoque vocari *digitos*. Ut in *Ranis Aristophanis* Actu quinto,

(a) Lib. 1. cap. 31 pag. 551. lin. 72.

Εἱλίσσετε δακτύλοις φάλαγγες ἱστότονα πηνίσματα,

Digitis torquete, ò araneæ, licia, quibus textorium jugum intenditur. Et *Ovidii Metamorphoseως* libri sexti Fabula secundâ,

In latere exiles digiti pro cruribus hærent.

Et in *Pisidæ Hexaemero* versu 1152.

Τίς τοὺς ἀράχνας λεπτοδακτύλους πλάσας,
Νήθειν διδάσκει, καὶ πρὸς ἔργα τοὺς μίτους
Ἐκ τῶν παρ' αὐτοῖς ἐντέρων ἀναπτύειν;

Quis araneas tenuibus digitis factas nere docet, & ad opera filos ex propriis visceribus exspuere? Sed qui manus illis tribuat neminem reperire est. Quamvis enim araneæ pedes digitos utcumque imitentur, tamen in iis nihil est, quod ad manus formam accedat. Quin apud *Symposium Ænigmate* decimo septimo aranea disertè negat ullas sibi esse manus,

Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.

Dato tamen, non concesso, araneæ pedes pro manibus posse haberi; quia manuum vice funguntur: tamen eam *manibus apprehendere* non dixisset Divinus Scriptor, sed *nere*, vel *texere*, vel *stamina ducere*: quia quod pedibus contrectat, & apprehendit, leve est, & illi commune cum multis animalibus; quod texit, peculiare, & θαυματῶδες. Sed neque eam dixisset *esse in Regum palatiis*; quia ad Regalis aulæ cultum non satis conveniunt aranearum sordes. Et diversantur potiùs in pauperis *Euclionis* ædibus, in quibus

- - - - - - *nihil est quasi furibus*,
Ità inaniis sunt oppleta, atque araneis.

Ut in *Aulularia* scribit *Plautus*. In omnium ore versatur Apologus de podagra & aranea, inter quas convenisse ajunt, ut illa in opulentiorum palatiis, hæc in pauperum tuguriis diversaretur. Proinde cum aliquis *araneas in ædibus*, aut *in arca*, aut *in vasis*, aut *in loculis habere* dicitur, idem est, ac si dicatur *in tenui re vivere*. Hinc apud *Festum Afranius*,

Tamne arcula tua plena est aranearum?

Et *Catullus*, ut se excuset apud *Fabullum*, quod vocatum ad cœnam minus lautè excipiat:

- - - - - - - *tui* Catulli

Plenus sacculus est aranearum.
Hinc *Hesiodus Operum* versu 473,

Ἐκ δ' ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια,

E vasis autem ejicies araneas, id est, *inanitatem*, *& inopiam.* Proinde sic explicat *Scholiastes*, Εἰ καλῶς ἀροτριάσεις, καὶ σπείρεις, ἁδρὰς ἕξεις στάχυς (lege στάχυας.) Ἐκ δὲ τῶν σιτοφόρων σου κιβωτίων τῶν μέχρι τότε κενῶν ἰσχνότων, καὶ διὰ τοῦτο ἀραχνιώντων, ἐξελάσειας τὰ ἀράχνια, καὶ ἐμπλήσεις δηλονότι ταῦτα τοῦ σίτου· *Si bene araveris*, *& seminaveris*, *densas habebis spicas: & ex frumentariis vasis tuis*, *quæ eò usq; vacua fuerant*, *ac proinde araneis plena*, *araneas ejicies*, *ut scilicet illa frumento impleas.* Ideo *Salomonem* araneis domum assignasse in Regum palatiis parum est verissimile.

Quid igitur erit שממית *semamith?* Plane aliud animal, nempe *stellio:* quod tam multa probant, ut in alia interpretatione quærenda docti frustrà se fatigent, cum hæc vera & certa sit, & loco maximè congrua. Hujus auctores habeo primum LXX. Interpretes, quibus שממית *semamith*, est καλαβώτης *stellio*. Fallitur enim *Mercerus* post *Complutenses*, qui καλαβώτην ibi *piscis* genus esse affirmant. In *piscium* quidem genere est καλαβώτης, sed & in *lacertorum*. Utrumque est in *Hesychio:* Καλαβώτης, ἰχθὺς ποιὸς, καὶ σαῦρος. Nimirum καλαβώτης idem, qui ἀσκαλαβώτης. Hinc *Levit.* 11. v.30. *Complutensis* & *Parisiensis* editio, pro *Hebræo* הלטאה, καλαβώτην habent, ubi reliquæ ἀσκαλαβώτην. Neque verò quisquam credat *Græcos* ita insanivisse, ut ἐν ἐλαχίστοις ἐπὶ τῆς γῆς *piscem* computaverint. 2. *Græcis* addo *Hieronymum*, apud quem שממית *semamith*, hic est *stellio*. 3. *Syrum* quoque interpretem, cui ܐܡܩܬܐ *amaktha*, vel *amkatha*, id ipsum est, ut supra (*b*) abunde probavimus in capite de אנקה *anaka*. 4. Ut & *Chaldæum* אקמתא *akmetha*, mutato literarum ordine, ut in *forma* ex μορφὴ.

b) Cap. 2. pag 1065. lin. 40. &c.

Præterea illa ipsa vox שממית *semamith*, pro *lacertæ* genere, adeoque pro *stellione*, nobis etiam aliunde nota est. Quippe *Lev.* 11, 30. legitur [Samaritan] vel [Samaritan] *semamitha*, in *Samaritano* interprete, & in *Chaldæis* duobus, *Jonathane*, & altero, cui ab urbe nomen. In illo, pro אנקה *anaka:* in his pro לטאה *letaa*, ubi in *Græca* versione καλαβώτης, & *stellio* in *Romana*. *Hebræos* denique veteres sic usurpavisse palam est ex eo, quod legitur in *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* cap. 8. pag. 77. b. אימת שממית על העקרב, *Terror* semamith *super scorpionem.* Quibus verbis innuunt, hoc animal scorpioni esse terrori. Unde apparet *semamith* non esse *araneam*. Eam enim cum scorpione inimicitias exercere, aut illi terrori esse nemo scripsit. At de scorpione sic *Plinius* libri vigesimi noni capite quarto, *Scorpionibus contrarius maximè stellio traditur*, *ut visu quoq; pavorem iis afferat*, *& torporem frigidi sudoris.* Et *Ælianus Historiæ* libri sexti capite vigesimo secundo, Ἐχθιστα δὲ τῷ μὲν λέοντι πῦρ, καὶ ἀλεκτρυών· ὕαινα δὲ τῇ παρδάλει· σκορπίος δὲ ἀσκαλαβώτῃ, νάρκη γοῦν τὸν σκορπίον καταλαμβάνει προσιόντος οἱ τοῦ ζώου τοῦ προειρημένου· *Inimicissima sunt leoni quidem ignis, & gallus; & hyæna panthera; & stellioni scorpius, quo commoto, torpore afficitur.* Et *Galenus* libri primi *De theriaca ad Pisonem* capite nono, Ὁ γὰρ ἀσκαλαβώτης, ὀφθεὶς ὑπὸ τῶν σκορπίων, ναρκοῦν αὐτοὺς, καὶ οὕτως ἀναιρεῖ· *Stellio*, *visus a scorpionibus*, *obstupefacit eos*, *atque ita interimit.* Et *Isidorus* libri duodecimi capite quarto, *Scorpionibus stellio adeo contrarius traditur*, *ut*, *viso eo*, *pavorem iis afferat*, *& torporem.* Et *Phile* capite vigesimo nono ex *Æliano*, perperam lecto, & intellecto;

\- - - - - - - ἡ δ' ὕαινα πάρδαλιν,
Καὶ ἀσκαλαβώτην ὁ φθονερὸς κλὼψ σκορπίος,
Νάρκη δὲ τοῦτον - - - - - -

Et hyæna pantheram (supple δυσμενῆ νομίζει *infensam putat*, quod è superioribus repetendum) *& stellionem perditor fur scorpius*, *torpedo autem illum.* Cùm in *Æliani* verbis, νάρκη γοῦν τὸν σκορπίον καταλαμβάνει, vox νάρκη non sit *torpedo* piscis; sed *torpor*, qui scorpionem invadit, stellione viso. Si cum nonnullis corrigas ναρκοῖ δὲ τοῦτον, *cum autem* (stellionem) *obstupefacit* (scorpius,) *Phile* rem falsissimam dixerit, nempe stellionem à scorpione obstupefieri, cum contra scorpionem obstupefaciat stellio. Quin *Democritus*, *Plinius*, *Galenus*, *Aetius*, *Diophanes*, alii stellionem dissectum, & in oleo mersum, & putrefactum, præscribunt, ut remedium efficax contra scorpionum ictus. Neque in eo leve momentum est, quod hodieque vulgari *Græcorum* linguâ *stellio* appellatur σαμιαμίθος, palam detorto nomine ex *Hebræo* שממית *semamith.* *Glossa*, Ἀσκαλαβώτης, τὸ σαμιαμίθιν. A *Gesnero* scribitur Θαμιάμιθος, & ψαμαμύθα· à *Bellonio* SAMIAMITOS, qui pro *Chalcidica lacerta* perperam sumit. Vide *Salmasium* in *Solinum* pag. 1161.

Sunt, qui שממית *schemamith*, per *Schin* scribunt, ac si fiat à שמם *schamam*, id est, *obstupefacere.* Quod ipsum rectè convenit naturæ stellionis, qui scorpionem solo visu obstupefacit, ut docuimus. Sed in *Kimchio*, & *Bibliorum* purissimis exemplaribus, שממית *semamith*, scribitur per *Sin Semol*; ut סממית per *Samech* in *Talmudicis*, & in Paraphrasi *Samaritana.* Ita ut deducatur à סמם non à שמם, id est, *à veneno*, non à *stupore*. Ut igitur vera ratio nominis intelligatur, sciendum est, duas tradi stellionum species; unam innocui morsus, alteram venenati. Quamvis, quibus nascantur locis, non conveniat inter scriptores. Venenatos *Philosophus* (*a*) *Italiæ* & *Siciliæ* adscribit, innoxios *Græciæ.* Contra, *Theophrastus* apud *Plinium* libri octavi capite trigesimo primo auctor est *stelliones*, *mortiferi in* Græcia *morsus*, *innoxios esse in* Sicilia. Etiam in *Thracia* stellio perniciosi morsus est, ut habetur in *Nicandro.* Et *Compluti Bustamantinus* stelliones tam perniciosos esse asserit, *ut*, *casu cibus permisti*, *integros populos vastaverint.* Hinc in stellionis morsum tot remedia præscribunt *Aëtius*, *Paulus*, & *Avicenna.* Et *Columella* libri decimi capite septimo alveariorum foramina vult esse angustissima, *ne venenatus stellio per laxiora spatia januæ favos populetur. Venenatus* Epithetum addidit διακριτικῶς, quia alius est innoxius. Venenato *stellionis* nomen magis convenit, si verè asserit *Verrius* apud *Varronem*, & *Festum*, *stellionem* ideo dici, *quod virus stellet.* Eidem nomen סממית *semamith*, impositum; quia סם *sam*, *Hebræis* & *Syris* est φάρμακον, seu *venenum*; & *Arabicè* سم *samma* Verbum *veneno inficere.* Ergo propriè סממית *semamith*, est σαῦρα φαρμακὶς, vel φαρμακῖτις. Quod ipsum nomen a *Græcis* usurpari video sensu parum diverso. *Nicander* in *Alexipharmacis* versu 537.

Φαρμακίδος σαύρης ποτὸν ὑμνήσειας, ἣν σαλαμάνδρην
Κλείουσιν. - - - - - - - - -

Vides ibi σαῦραν φαρμακίδα, *salamandram* esse, lacertæ genus stellioni tam simile, ut pro stellionis specie à nonnullis habeatur. Proinde ibi *Scholiastes*, Ἡ σαλαμάνδρα, εἶδος ἀσκαλαβώτου. Tamen in *Aetii Tetrab.* 4. Serm. 4. cap. 52. *salamandra*, *stellio*, & *lacerta venenata* Græcis σαῦρα φαρμακῖτις, diversa sunt animalcula, sed inter se simillima. *Salamandra*, inquit, *animal est stellioni simile*, *asperius*, *& scabrum magis lacertà venenatà.* Forte *stellionis* nomine solum innoxium, & nomine *lacertæ pharmacitidis*, seu *venenatæ*, à salamandra diversæ, stellionem morsu noxium intelligit. Sic *lacerta pharmacitis* erit eadem, quæ סממית *semamith.*

a) Hist. anim. lib 8. cap. 29. & in Mirabil.

Eodem facit, quod *Arabes* duas memorant stellionis venenati species, quæ different sola magnitudine.

Major

Major vocatur سام ابرص *sammabras*, & minor وزغة *vvezga*. Et nominis *sammabras* compositi ex سام & ابرص pars prior ex *semamith* decurtata est, & *venenatum* sonat; posterior *leprosum*, vel *lepræ maculis infectum*. Ergo, ad verbum, *sammabras* est *semamith leprosa*, vel *lacertæ species veneno & lepræ maculis insignis*. Nempe in stellione hæc duo notanda sunt: primò quod venenatus est, de quo jam actum; secundò, quod leprosus est, id est, maculis distinctus tanquam lepræ. Quorum utrumque continet *Arabicum* SAMMABRAS, *Hebraicum* SEMAMITH solum prius. *Damir*, وانما سمي هذا النوع سام ابرص لانه سم اي جعل الله فيه السم وجعله ابرص *Ut(que) hæc lacertæ species nomen habet* sammabras, *quia venenatus est*, *id est*, *venenum in eo posuit Deus*, & (insuper) *fecit eum leprosum*. Stellionis maculas *Romani* honestiori nomine *stellas* vocarunt, unde *stellionem* ipsum animal. *Ovidius Metamorphoseus* libri quinti Fabula 7.

- - - - - - - - *aptum(que) colori*
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Salonius in Proverbia: *Quod genus animalis est* stellio? *Genus lacertæ valde pigrum*, & *colore varium. Unde nomen accepit* stellio, *quia quasi* stellis. *id est*, *guttis*, *distinctus & variatus est*. In quibus *Poetam* ita sequitur, ut *stellas* pro *stillis*, seu *guttis*, accepisse videatur. Ut contrario errore מרים, *Marjam*, Syrum *Mariæ* nomen, *maris stellam* multi exponunt pro *maris stilla*. Sed & *lentigines* vocat *Plinius*, cum de *Græco* stellione scribit libri vigesimi noni capite quarto: *Est hic plenus lentigine*. Hinc eunuchus lentiginosus à *Menandro* γαλεώτης, id est, *stellio*, nuncupatus, propter faciei maculas. Quod *Terentius* in *Eunucho* (e) perperam reddidit, *colore mustelino*, quasi γαλεώτης ἀπὸ τῆς γαλῆς, id est, *à mustela*, dictus fuisset, ut *Donatus* ibi observat.

(e) Act. 4. Sc. 4.

In *Alkazuinio sammabras* definitur الوزغ الصغير الراس الطويل الذنب *alvvezgo* (seu *stellio*) *parvi capitis*, & *longa cauda*. In *Damire*, & *Alcamus*, animal من كبار الوزغ *è magnis guezgis*, seu *stellionibus*. Fabulantur *Arabes* lepram illi fuisse immissam in pœnam admissi criminis; quia scilicet flatu suo accendit ignem, in quem conjectus est *Abraham*. Lepram generari addunt esu salis, in quo volutatus est, aut mucilaginem emisit. Proinde hoc animal *Arabibus* est maximè odiosum. Et dicit *Jahius Jameri* filius, chariorem sibi esse eum, qui occidit centum stelliones, quam qui redemit ماية رقبة *centum colla*, id est, *centum servos*. In quam rem multa citantur à *Mahomete* dicta. Nec minus odiosus fuit veteribus *Græcis* stellio. *Antonius Liberalis* ubi supra de stellione, Ὑπὸ θεῶν καὶ ἀνθρώπων μισεῖται· ὅ δ' ἀποκτείνας κεχάρισμένος γίνεται Δημήτρι. *Diis & hominibus est odiosus*: & Cereri *rem gratam præstat*, *qui eum interficit*. Tamen ad multa est utilis, quæ non sunt hujus loci. Sed non possum non observare quod in capite *De sammabras* habet *Alkazuinius*, لحمه يوضع على لسع العقرب ينفع نفعا بينا *Caro ejus*, *cum ponitur super puncturam scorpionis*, *habet usum manifestum*. Ita etiam *Damir*. Ut constet idem esse animal cum stellione, de quo supra: quamvis *Avicenna* quandoque usurpet pro *vulgari lacerto*.

Jam, si ea excutiantur, quæ de *semamith* habet *Salomon*, omnia reperientur quadrare in *stellionem*. *Quatuor sunt*, inquit, *pusilla terra* (*Græci* ἐλάχιστα τῆς γῆς) *sapientia tamen*, *tanquam sapientiam edocta*. In his meritò censetur stellio, pusillum animal, & valde solers. De brevitate staturæ sic *Ovidius*,

Inq(ue) brevem formam, *ne sit vis magna nocendi*,
Contrahitur, *parvâq(ue)*, *minor mensura lacertâ est*.

Claudianus, vel quisquis est in *Cereris ærumnis*;

Apparent maculæ, *forma est brevis*, *illita cauda*
Surgit, & *exiguæ similat vaga membra lacertæ*.

Porphyrius apud *Eusebium* libro quinto *Præparationis*,

Ζώοισι λεπτοῖσι κατοικιδίοις ἀσκαλαβώταις,
Parvis animalculis, *domesticis stellionibus*.

Solertiæ stellionis multa sunt argumenta. *Hesychius*, ἐν Καλώτης, stellionem ait, εὐστόχως ἁλλόμενος περὶ τὰς μυίας, *industriè salire circa muscas*; nempe, ut eas capiat. *Phavorinus* ineptè, περὶ τὰς μῦς, *circa mures*: quibus cum stellione nihil est negotii. Sed de muscis etiam *Augustinus* libri decimi *Confessionum* capite trigesimo quinto, *Quid*, *cum me domi sedentem stellio muscas captans*, *vel aranea retibus suis irruentes implicans*, *sæpe intentum facit?* Aliud affert *Theophrastus* in libro *De anim. invid.* sed minus certum: ὅτι ὁ γαλεώτης, φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις, καταπίνει τὸ δέρμα, ὅταν ἐκδύνηται· ἔστι γὰρ βοήθημα ἐπιληπτικοῖς. *Stellionem*, *hominum utilitati invidentem*, *proprium vorare corium*, *quamprimum eo exuitur*. *Juvat enim illud comitiali morbo laborantes*. Idem habent *Antigonus Mirabilium* capite vigesimo quarto, & *Apulejus Apologia* pro se prima. Et inde concludit *Plinius* libri trigesimi capite decimo, *nullum animal fraudulentius invidere homini*. Indidem *stellionum*, & *stellionatus* nomen in maledictum translatum. Sunt & qui *Galeotas*, in *Sicilia* portentorum interpretes solertissimos, ab hujus animalis industria nomen traxisse putent. Quò hæc *Stephani* referunt, Γαλεῶται, μάντεων ἔθνος Σικελῶν· Γαλεὸς δὲ, ὁ ἀσκαλαβώτης, (ubi pro γαλεὸς legendum γαλεώτης.) Sed quia *Hebraicè* גלה *gala* est *revelare*, quod vatum maximè proprium, *Galeotarum* nomen *Hebraicum* esse suspicor, ut & alia magno numero, quæ, cum *Phœnicum* coloniis, in *Siciliam* translata fuisse alibi probavimus.

At ipse *Solomon* stellionis industriam abundè probat his verbis: *Manibus apprehendit*, & *est in palatiis Regum*. Cur illi *manus* tribuat, nemini est obscurum. Ut *lacertus* à *lacertis*, id est, brachiis, nominatur: ita *stellio Græcè* κωλώτης ἀπὸ τοῖς κώλοις. Κῶλα sunt *manus* & *pedes*. *Manus* appello pedes anteriores cum *Avicenna*, qui (f) عظاية *adhajam*, id est, *salamandram* (ex *Avicennæ* mente) non aliter in melle servari scribit, quàm si eviscceretur, & resecentur يداها ورجلاها *illius manus*, & *pedes*: pro eo, quod *Dioscorides*, φυλάσσεται ἐν μέλιτι ἐξεντερισθεῖσα, τῶν ποδῶν ἀφαιρεθέντων. Si salamandra habet manus, quidni etiam stellio animal salamandræ simillimum?

(f) Lib. 2. Can. c. 2. عظاية quod male Lagomar. interpr.

Ita *Damir* capite حردون *Chardaun*, seu *De terrestri crocodilo*, له كف ككف الانسان مقسومة الاصابع الا انامل *Illi manus est instar manus hominis*, *cum digitis in articulos divisis*. Sed & lacerti cujusvis pedes, præsertim anteriores, rectè *manus* appellaveris, cùm sint instar manuum. *Gesnerus*, ex propria inspectione; *Lacertus à similitudine*

tudine lacertorum *hominis, quod pedes eorum ſimiliter in digitos, tanquam è volis, aut palmis, ſindantur.* Idem, *Digiti perexiles ante & retrò quini cum unguiculis. In poſterioribus longiſſimus, qui indicis ſitum obtinet; pollex inferiore loco, ut in manibus hominis: anteriores verò pollicem cum cæteris eodem ſitu habent.* Vides anteriores pedes, ſeu lacertos verius, ad humani brachii & manus formam eſſe, pares numero digitos, & in eodem ſitu. Talibus lacertis *manuum* appellatio quantò convenit magis, quam phalangis aranearum?

Jam, quod ſtellio *manibus* dicitur *apprehendere*, vel ad inceſſum refero, vel ad venatum. Cum enim ſupinus incedit è laqueari pendulus, cum vel in rimulis neceſſe eſt unguiculos defigere, vel amplecti manibus quidquid eminet, aut ſcabrum eſt. Supinum autem incedere diſertis verbis aſſerit *Philoſophus Hiſtoriæ* libri noni capite nono, ubi de pico ſic agit; Πορεύεται ὕπτιος καθάπερ οἱ ἀσκαλαβῶται· *Ingreditur ſupinus ut ſtelliones.* Et in *Mirabilibus*, Τὸν δρυοκολάπτην τὸ ὄρνεον ἐπὶ τῶν δένδρων βαδίζειν φασὶν ὥσπερ τοὺς ἀσκαλαβώτας, καὶ ὕπτιον, καὶ ἐπὶ τὴν γαστέρα· *Picum in arboribus incedere ajunt, ut ſtelliones, tam ſupinum, quam pronum.* Mirum cur ἀσκαλαβώτας *feles* reddat *Plinius*. Et ὕπτιον *in ſubrectum* pro *ſupino*, cum dicit libri decimi capite decimo octavo, *arborum cavatores* (id eſt, δρυοκολάπτας: *picos*) *ſcandere in ſubrectum felium modo.* Maximè, cum idem libri vigeſimi noni capite quarto agnoſcat *ſtellionem* Græcè vocari *coloten, aſcalaboten*, & *galeoten*: ne quis *Græca* ſtellionis vocabula *Plinium* ignoraſſe putet. Tale eſt, quod legitur in *Plutarchi* libro *De facie in orbe Lunæ*, eſſe valde paradoxum, quod *Geographi* docent, ἀντίποδας οἰκεῖν, ὥσπερ θρῖπας, ἢ γαλεώτας, τετραμμένους ἄνω τὰ κάτω, τῇ γῇ προσισχομένους, *terram inhabitare antipodes, qui, inſtar teredinum, aut ſtellionum, imis corporum partibus ſurſum obverſis, terræ adhæreant.* Ubi itidem primi interpretes pro *ſtellionibus feles* ſcripſerant.

Manibus etiam ad venationem ſtellionem uti diximus, cum muſcas captat, aut araneas. *Buſtamantinus: Arripit manibus ſecura pollicentibus. Pedes imò fallaces, qui motui inſervire tenebantur, vice manuum ſuccedunt, rapinam exercent, & manus ſunt illi pedes, quibus innititur in motu, & pedes manus, quibus arripit prædam.* Meritò igitur *Solomon, Manibus apprehendit ſtellio*, ſeu gradiatur ſupinus, aut in prædam ſe conjiciat. Utrumque mirabile, & notatu digniſſimum in tenui animalculo. *Græci* hic habent, Καλαβώτης χερσὶν ἐρειδόμενος· & *Hieronymus*, *Stellio manibus nititur*; *Arabs* etiam يتنسد بيديه *nititur manibus ſuis*: tanquam ad inceſſum hæc referentes. Sed nemo facile dixerit quid in *Chaldæo* ſit אקפתא דמסככה בידיה. Neque enim capio quid ſibi velit *Latina* verſio, *Aranea manibus tegumenta facit.* Nec multò meliùs *Gabriel*, qui *Syra* Paraphraſis eadem verba ſic reddidit: *Stellio, qui ſerpit manibus ſuis.* Et legerim potius *ſepit*; quia סכך, *ſepire* eſt. Sed quorſum ſtellio *ſepire* dicatur, aut *tegumenta facere*, nullus capio. Hic quoque hæſit *Druſius Obſervationum* libri decimi capite ſexto, & locus illi eſt de mendo ſuſpectus. Et, pro מסככה, *ſepit*, aut *tegit*, modo legi vult מסבכה, per *Beth*, *implicans*, aut *perplexum opus faciens*; quod dicatur de araneæ tela: modo מסככה, *nitens*; quod de ſtellione dicatur: ut ſic *Chaldæo* conveniat cum *Græcis* & *Romano* interprete. Sed *Chaldæum* interpretem præſtat cum *Hebræo* textu conciliare, in quo תפש, eſt *apprehendere*. Proinde *Theodotion* reddiderat ἐμπεριβαλλόμενος. Mallim igitur pro מסככה, *meſacceca*, legere מפככה *mephacceca*, *Pe* pro *Sameth*, quæ literæ figura non ſunt prorſus abſimiles. Nempe פכך, *Chaldæis* idem, quod *Hebræis* תפש, *capere, apprehendere.* Sic *Prov.* 5. *v.* 22. in editione *Veneta*, *Funibus peccatorum ſuorum* אתפכך, *captus*, aut *apprehenſus eſt*.

Semamith *in palatiis Regum verſari* addit *Solomon*: quod unum habuit *Mercerus*, quod objiceret. *Semamith*, inquit, *noſter interpres ſtellionem exponit, quod quadrare non videtur; quia in aulis Regum non verſatur.* At in domibus verſari ſtellionem credo non ignoravit vir doctiſſimus, cum id uno ore clament ferè quotquot ſunt, qui de ſtellione ſcripſerunt. Proinde apud *Euſebium Porphyrius* vocat κατοικιδίους ἀσκαλαβώτας: *domeſticos ſtelliones.* *Suidas, Etymologus, Phavorinus*, & *Græcorum* alii definiunt ζωΰφιον ἐοικὸς σαύρᾳ ἐν τοῖς τοίχοις τῶν οἰκημάτων ἕρπον, *lacertæ ſimile animalculum per domorum parietes ſerpens.* Ita etiam *Elluchaſem, Bagdadenſis* Medicus, in libro *De animalibus*; *Stellio eſt lacerta inhabitans domos.* Hinc τοιχοβάτην appellat *Kiranides*. Et in *Hiſpania* Catalauni *dragon de las caſas*, id eſt, *draconem domorum*. In veteribus præſertim ædificiis habitare tradunt *Niphus* in *Ariſtotelem*, & *Ponzettus* in libro *De venenis*. Sed & in novis conſpici *Marcellinus* apud *Hermolaum* aſſerit. Juxta *Philoſophum* (g) *degit in præſepibus*: juxta *Antoninum Liberalem* (h) παρ' ὀχετόν, *prope cloacas*: juxta *Plinium*, (i) *in locis hoſtiorum, feneſtrarumque, aut cavernis, ſepulcriſve*: juxta *Arnobium*, (k) *ſub ſimulacrorum cavis nidamenta ponit.* Eadem aſſignat *Matthiolus* (l) *cava murorum prope terram.* Sed laquearia veteres, & convexa tectorum, ubi ſupinus ambulet. Proinde, præter *Ariſtophanem*, & *Dioſcoridem*, quos ſupra (m) jam citavi, etiam in *Avicenna* (n) legas quandoque ſtellionem supernè in potum cadere, & in venenum illud vertere, ſi in eo moriatur. Hæc, niſi fallor, abundè probant, agreſte animal non eſſe ſtellionem, ſed domeſticum. Porro nullus video, quo privilegio Regales domus ab hac peſte ſint immunes. Imò, quò major in illis eſt lapidum ſtrues, & congeries, eò ſunt profundiores in parietibus fiſſuræ, & rimulæ. Unde non abſurdè colligas talia animalcula, quæ in murorum foraminibus ferè verſantur, in Regum aulis, & palatiis, etiam tutius degere, quam in privata domo.

g) *Hiſt. lib.* 9. *cap.* 1.
h) *Metam.* 24.
i) *Lib.* 30. *c.* 10
k) *Lib.* 6.
l) *In Dioſ. lib.* 6. *cap.* 1.
m) *Pag.* 1082. *lin.* 65. *&c.*
n) *Avic. l. iv.* 6

CAPUT OCTAVUM.

Cur Idolorum aræ dicantur eſſe ὡς χελῶναι *ut teſtudines* in *Græca* verſione *Oſ.* 12. *v.* 12. Et de *chelonide* Holofernis *Judith.* 14. *v.* 13.

גל gal, *pro* acervo lapidum *vox notiſſima: tamen* Oſ. 12. v. 11. (*al.* 12.) *aliter à* Græcis *accepta, qui* כגלים *reddunt* ὡς χελῶναι. *Fortè legendum* ὡς κολῶναι. *Vel id ex* Syrorum *uſu ſumptum; quibus* ܓܠܐ gala *eſt* mas teſtudinis, *ut* Arabibus غيلم gailam. *Origo vocis. In* Oſea *præter* Græcos *ſic ſumunt* Syrus *&* Arabs. *Tamen recepta verſio præferenda.* Gallim *alludit ad* Galgal. *Similes alibi alluſiones.* Χελωνὶς *in libro* Judith *non eſt, quod putatur; ſed* القبة a'kobba, *hodie* alkova, *quæ olim camerati vel teſtudinei fuit operis, ut hodieque apud* Arabes. *Potuit etiam* χελωνὶς *à materia dici; quia olim in magnatum ſpondis multus fuit teſtudinis uſus.*

NUlla vox eſt *Hebræis* notior, quàm גל *gál*, pro *acervo lapidum*. Inde nomen habuit *Galaad*, mons celeberrimus in terra *Chanaan*, Gen. 31. v. 48. Et

Et *Gallim*, oppidum prope *Accaronem*, de quo 1. *Sam.* 25. *v.* 44. *Esa.* 10. *v.* 30. *Eusebius* & *Hieronymus* in locis. *Achane* lapidibus obruto, quia de anathemate acceperat, in rei memoriam super eum congestus est *lapidum magnus* גל *gal*, (seu *acervus*) *Jos.* 7. *v.* 26. Ita etiam super rebellis *Absalomi* cadaver, 2. *Sam.* 18. *v.* 17. Domus quoque, & urbes, quæ diruuntur, redigi leguntur לגל, *in gal*, (id est, *acervum*) *Esa.* 25. *v.* 2. aut לגלים, *in gallim*, (id est, *acervos*) Job. 15. v. 28. & *Jerem.* 9. *v.* 11. & 51. *v.* 37. Et fieri גלים נצים, *gallim nitsim*, (id est, *vasti acervi*) 2. *Reg.* 19. *v.* 25. Itaque nihil obscurum est in his *Ose.* 12. *v.* 11. (al. 12.) *Aræ eorum* כגלים, *ut gallim* (seu *lapidum acervi*) *super porcas agri.* Agit *Propheta* de aris, quas *Galgalis* idololatræ Diis suis non solum in urbe extruxerant, sed & in vicinis agris: & confert cum acervis lapidum ab iis congeri solitis, qui lapidosos agros expurgant. *Græci* tamen interpretes, quibus גל *gal*, alibi est βουνός, *tumulus*, χῶμα *agger*, σωρὸς *acervus*, συναγωγὴ λίθων, *collectio lapidum*, in hoc *Oseæ* loco Plurale גלים *gallim*, plane aliter, nempe χελώνας *testudines* reddunt. Τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν, (inquiunt) ὡς χελῶναι ἐπὶ χέρσον ἀγροῦ, *Altaria eorum ut testudines super desertum agri.* Et ad illa verba *Theodoretus* testudinem observat in aquis natantem piscatorum manus facilius evadere, cum eadem in terra gradiens sit εὐχείρωτος, καὶ εὐάλωτος· quomodo futurum erat, ut *Galgalitarum* aræ facilè caperentur, & ab hostibus subverterentur. Maluit *Hieronymus* quæ de altaribus dicuntur transferre ad Hæreticos, qui, testudinum instar, sunt tardi gressibus, & in uno moventur loco, *&c.* Quibus fortasse prudentior videbitur *Cyrillus*, cui χελῶναι hoc loco non sunt animalia, sed αἱ τῶν χωμάτων ἐγέρσεις, *aggerum extructiones*: ut *Drusio* etiam *testudines* significant γεωλόφους *terræ tumulos*. Et his libenter accederem, si quod daretur exemplum similis locutionis. Sed, cùm nullum proferatur, duo habeo, quæ conjiciam. Unum, pro ὡς χελῶναι, legendum esse, ὡς κολῶναι, quæ vox pro *tumulis* sæpe usurpatur. Ut *Iliad.* β'. versu 811.

Ἔστι δέ τις προπάροιθε πόληος αἰπεῖα κολώνη,

Est autem prope urbem celsus quidam tumulus. Et *Apollonii Argonauticῶν* lib. 1. versu 1114.

Φαίνετο δ' ἠερόεν στόμα Βοσπόρου, ἠδὲ κολῶναι
Μύσιαι. - - - - - - - -

Apparebat autem nebulosum os Bosphori, *& juga* Mysiæ. Utuntur & prosaici scriptores: ut *Polemo* apud *Athenæum* libro decimo tertio, & alius apud *Suidam*: & *Pausanias* in *Laconicis*, ubi de *Colona*, *Spartæ* loco. *Hesychio* κολώνη est τόπος ὑψηλὸς, καὶ ἐπανάστημα γῆς βουνοειδὲς, *locus celsus*, *& terra eminentia in tumuli modum.* Et *Homeri* Scholiastæ τόπος εἰς ὕψος ἀνήκων, καὶ γεώλοφος ἐξοχὴ, *locus in altum elatus*, *& clivosa prominentia.* Altera conjectura est גלים *gallim*, hic χελώνας, seu *testudines*, ex usu *Syræ* linguæ, reddi, qua ܓܠܐ *gala* est *testudo*. Itaque *Syrus* hic habet, ܐܝܟ ܓܠܐ, id est, *quasi testudines*, juxta *Gabrielem Sionitam*. Et in *Syro* Lexico *Johannis Baptistæ Ferrarii* pagina 107. ܓܠܐ *gala*, *testudo* redditur. Tamen in *Thesauro Thomæ à Novaria* paginâ 241, *Syræ* voces ܫܠܘܦܚܘܒܐ *seluphuba*, & ܓܠܐ *gala*, sic distinguuntur, ut illa *testudinem* in genere significet, hæc nonnisi *masculum testudinis.* Quod puto esse verius; quia eundem *Arabes* non sine allusione ad hoc verbum غيلم *gailam* vocant. Ita testantur *Giauhari*, *Alcamus*, *Damir*, alii. Et nomen *à libidine* factum. Quippe غلم *galam*, *libidinem* sonat, & غلم *galima* Verbum *libidine ardere.* Unde *marem testudinis* meritò غيلم *gailam* appellari doceant hæc *Æliani Historiæ* libri decimi quinti capite decimo nono, Χερσαία χελώνη ζῷόν ἐστι λαγνίστατον· ἀλλά γε ὁ ἄρρην. ὁμιλεῖ δὲ ἡ θήλεια ἄκουσα. *Terrestris testudo animal est salacissimum; illius mas scilicet: fœmina enim nonnisi invita coit.* Et à coitu scribit *Damostratus* illam ideò abhorrere; quia, cùm à mare resupinata propter nimium testæ pondus non possit se erigere, post coitum aquilæ in prædam patet, & aliis animantibus. Sed puto verius, quod alii scribunt, eam in ipso coitu gravi dolore affici; quia durum & aculeatum est maris veretrum. Taceo *Damostrati* fabulam, à *Damire* non prætermissam, de herba quadam ignota, quam mas in ore habens repugnantem ad se allicit. Interim licet non solis *Græcis*, sed *Syro* quoque, & *Arabi* גלים *gallim* in *Osea* sint *testudines*, causam tamen non video, cur à recepta illius loci versione discedamus. Idolorum aras, in agris passim obvias, cum propter vilitatem, tum propter frequentiam, cum iis lapidum acervis, quos diximus, rectè conferri nemo non videt. Ut taceam, eminus intuentibus non absimilem esse speciem. Sed coactum, & longè petitum est, quidquid affertur, ut inter easdem aras & testudines adstruatur similitudo. Possunt etiam *Oseæ* verba sumi tanquam Propheticè dicta, quasi vaticinetur *Galgalitarum* aras brevi futuras כגלים, ut *lapidum acervos, qui sunt in agris*, id est, brevi diruendas. Neque negligenda est allusio vocis *Galgal* ad גלים *gallim*. Ita ut *Galgal*, & illius aræ futuræ dicantur, ut *gallim*, seu *lapidum acervi*. Quomodo *Sophon.* 2. *v.* 4. *Aza* (seu *Gaza*) *erit* עזובה, (azuba) *derelicta*. *Et Accaron* תעקר (theaker) *eradicabitur*. Ut in Pseudo-*Sibyllinis*,

Καὶ Ῥώμη ῥύμη ἔσται, καὶ Δῆλος ἄδηλος·

& in historia *Susannæ* σχίσαι & πρίσαι alludunt ad arborum nomina σχῖνον & πρῖνον.

Cum truncum *Holofernis* projectum reperisse legitur *Bagoas* ἐπὶ τῆς χετλωνίδος, *Judith.* 14. *v.* 15. alii rectè observant pro χετλωνίδος, voce nihili, legendum χελωνίδος, quomodo legerunt *Hesychius & Suidas*; & χελωνίδα dici ἀπὸ τῆς χελώνης *à testudine.* Sed quid tandem sit χελωνὶς non satis constat. *Vulgatus* interpres *cortinam* reddit. Plerique recentiorum *stratum*, aut *lectum*; quos facile est refellere. *Judith* enim *Holofernis* caput amputaverat, καὶ ἀπεκύλισε τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀπὸ τῆς στρωμνῆς, *& corpus ejus à strato evolverat*, cap. 13. v. 10. Χελωνὶς igitur, in qua hoc corpus ἐῤῥιμμένον *projectum* reperit *Bagoas*, à strato, & lecto quid diversum est. *Hesychius*, in χελωνίδος, exponit οὐδὸς τῆς θύρας τῆς σκηνῆς, *limen januæ tabernaculi.* Ita etiam *Suidas* ex eo corrigendus, cum scribit ὄδυ pro οὐδοῦ. Quod parum est verisimile; cum quia nomen non quadrat, tum quia *Holofernis* corpus è strato devolutum est in chelonidem. *Chelonis* igitur non fuit prope limen januæ: sed in intimo tabernaculo, in quo etiam ipse Imperatoris lectus. Ne lectorem pluribus detineam, mihi χελωνὶς est קבה *kubba.* Vox semel in scriptura legitur, nec satis intelligitur: nempe *Num.* 25. *v.* 8. ubi, *Zimri*, & *Kozbi* scortantibus, ingressus est *Phinees* אל הקבה, *in kubba*, & utrumque transfodit. Quod varii variè explicant. Sed *Arabibus* قبة *kubba*, vel *kobba*, & cum Articulo القبة *alkobba*, *conclave est camerati operis, quo lectus circumdatur.* Hispanis *alcoba* dicitur, & *alcova*, quæ vox apud nos quoque est vicinæ significationis. Radix قب *kabba* in secunda Conjugatione *concamerare* significat, aut *cameratum opus struere.* Itaque ut Musicum instrumentum χέλυς, seu *testudo*, *Arabicè* vocatur العود *alaud*; unde Hispanis *laud*, vel *laut*, & nobis *lût*: ita القبة

alkobba,

alkobba, seu *conclave*, quod descripsimus, *Arabicè* alio nomine dicitur ام العوب *ommolaudi*, id est, *mater testudinis*; quia est camerati & testudinei operis. Apud *Arabes* in tali القبة *alkobba* est *sponsa thalamus*. Et illam eò deducere بنا *bana*, & زف *zappha* dicitur. *Holofernis* igitur thalamus, cum *Juditha*, ut putabat, concubituri, in hujusmodi *alkobba* fuit, quæ cur *Græcè* χελωνὶς appelletur, jam cuivis patet. Fortasse etiam χελωνὶς à materia dicta. Olim enim in magnatum lectis & spondis multus fuit testudinis usus. Qui luxus in *Oriente* primum usurpatus tandem ad *Romanos* devenit. Tempus à *Plinio* notatum libri noni capite undecimo, *Testudinum*, inquit, *putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria his vestire*, Carbilius Pollio *instituit*. Et libri decimi sexti capite quadragesimo tertio: *Testudo in hoc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu* Neronis *inventum, ut pigmentis perderet se, plurisq; veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quaeruntur*. Hinc *Martialis* libri duodecimi *Epigrammate* 67,

Gemmantes prima fulgent testudine lecti.

Et *Juvenalis* Satyra undecima,

Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis *factura & nobile fulcrum.*

Ubi *Scholiastes*, *Ut lectum testudineum haberet. Lectos namque antiqui testudine Oceani ornabant. Apulejus* quoque non procul à fine libri decimi, *Lectus* Indica *testudine perlucidus, plumea congerie tumidus*, &c. Sed hæc plus satis de re non magni momenti. Itaque hic definimus, jam ad aves transituri.

Finis PARTIS PRIMÆ.



lari sæpè fit Plurale Masculinum, ut עלים ex עלה, & ענים ex ענה: ita ex אנקה *anaka*, Plurale potuit esse אנקים. Et in secundo *Thargum Esther* capitis primi versu secundo, cum inter diversa animalia, quæ singula coram *Solomone* propriam vocem edunt, describuntur אנקין בכין, *anakin flentes*, aut *ejulantes*, fortasse id accipiendum est, non (ut vulgò sumitur) de aquilarum clangore, sed de stellionum clamore, & acerbo stridore, quem ad ejulatum accedere testatur ipsa vox אנקה *anaka*. Atque ob id ipsum *Arabes*, cum hoc saltem scirent *anakam* esse lacerti genus, reddiderunt الورل *alvvarlo*, qui & ipse vocem habet, quamvis fortasse minus sonoram. Hinc *Alcamus*, ضغث الورل صوت *Dhagathsa alvvarlo*, id est, *clamavit*. Quod è nostris, qui *Arabica Lexica* ediderunt, non intellexerunt satis. Alius enim reddidit, *Femur fragorem reddidit*: alius, *Sonuit coxa*. Quia legerunt الورك *alvvarco*, quod ירך, i.e. *coxam* sonat. Sed meminisse debuerant illud ipsum الورك passim occurrere pro الورل ut jam supra (*d*) notavimus. Nec dicam in exemplari τοῦ *Alcamus*, quo sum usus, optimè scribi الورل *alvvarlo*. Itaq;, quod nostros homines latuerat hactenus, hoc pro comperto maneat, in lacertarum genere quasdam esse vocales, atque in his stellionem esse, qui acutissimè stridet. Sed de stellione plura dicemus in explicatione vocis שממית *semamith*.

d) Pag. 1065, lin. 30, &c.

Tribus interpretationibus hujus vocis, quas adduximus, jungi queant tres aliæ, in quibus ne gutta quidem apparet bonæ mentis. Prima est Paraphrastarum *Arabum*, quos legi manuscriptos, ubi אנקה *anaka* est عنكبوث *ancabuthi*, id est, *aranea*. Quæ *aranea* fortasse nata est ex *Græcorum*, & *Hieronymi mygale*, seu *mure araneo*: quasi mus araneus idem sit cum aranea, quæ summa fuerit imperitia: aut ex *Syrorum* ܐܡܟܒܬܐ *amkatha*; quia *Chaldæum* אקמתא *akmetha*, huic synonymum, plerique *Hebræorum* pro *aranea* sumunt. At *aranea Hebræis* non est אנקה *anaka*; sed עכביש *accabis*. Neque *Prophetam* verisimile est hic *aranea* meminisse inter *lacertarum* species.

Secunda interpretatio est *R. Mardochai* in *Hebraicis Concordantiis*, ubi hoc animal definit שרץ העוף *reptile volans*, cum *Moses* illud disertè ponat *inter reptilia, quæ repunt super terram*, Levit. 11. v. 29. 30.

Tertia est *R. Selomonis*, qui Gallicâ voce reddidit בברא *bieure*, id est, *fibrum*, seu *castorem*, ut est in *Pomario*: animal ita amphibium, ut sit potius aquaticum. Piscis enim habet caudam, & pedes ad natatum potius quam ad incessum comparatos, degitque in fluminum ripis, unde alimentum petat. *Dioscorides*, Ζῶόν ἐστιν ἀμφίβιον, τὸ πλεῖστον ἐν ὕδασι σὺν ἰχθύσι καὶ καρκίνοις τρεφόμενον. *Animal est amphibium, plerumq; in aquis cum piscibus & cancris vescens.* Alkazuinius, القندر بري بحري يكون في الانهار العظيمة من بلاد ايسو يتخذ في البر بيتا الي جانب النهر *Alkundur* (id est, *castor*) *amphibium animal. Reperitur in magnis amnibus regionis* Aisu, *& domum sibi deligit ad amnis ripam.* Proinde *fibrum* dici volunt *Varro* & *Festus* ab extremis fluminum oris. Nam *fibrum* dicebant veteres pro *extremo*. Unde *fibra* jecoris, & vestium *fimbriæ* appellatæ. Tale igitur animal quis credat *Mosem* recensuisse inter reptilia terræ? Maximè, cum proportio sit valde dispar. *Reptilia* enim hic vocat *Moses* talpas, & mures, & lacertarum genera. Præterea ratio nulla est, cur à clamore, & ejulatu, *castor* dicatur אנקה *anaka*; cùm vox castoris nihil quidquam habeat insigne, quod quidem sciam. Sed hujus sententiæ primus auctor, quisquis fuit, promiscuè sumpsisse videtur *castores*, & *castorides*: quæ marina esse animalia dictitant, tam horrendi ejulatus, ut brevi moriatur qui audierit. *Ælianus Historiæ* libri noni capite quinquagesimo, Αἱ καστορίδες ζῷά εἰσι θαλάττια· καὶ ἐπὶ ταῖς ἀκταῖς, καὶ ταῖς πέτραις ταῖς προβεβλημέναις, δυσφημόν τινα κωκυτὸν μεθιᾶσι, καὶ ὠρύονται βαρύτατα. Τούτου τοίνυν τοῦ ἤχου ὅστις ἂν ὑπακούσῃ, ἄφυκτά οἱ ἐστι· καὶ οὐ μετὰ μακρὸν ἀποθνήσκει. *Castorides, marinum animal, ad littora, & saxa eminentia infaustum edunt ululatum, & gravissimè rugiunt. Ita ut earum clamorem qui audierit, non effugiat, quin paulo post excedat e vita.* *Oppianus* libro primo *Halieuticῶν*,

Καστορίδες τ' ὀλοαὶ δυσπενθέες, αἵ τ' ἀλεγεινὴν
Ὄσσαν ἐπὶ κροκάλοισιν ἀπαίσιον ὠρύονται
Ἀνδράσιν· ὃς δέ κε γῆρυν ἐν οὔασιν ἀλγινόεσσαν
Δέξηται, στυγερῆς τ' ἐνοπῆς κωκυτὸν ἀκούσῃ,
Οὐ τηλοῦ θανάτοιο τάχ' ἵκεται· ἀλλά οἱ ἄτην
Καὶ μόρον αἰνοτάτη κείνη μαντεύεται αὐδή.

Castoridesq́; perniciosæ & gravis luctus, quæq; in littoribus tristem vocem & hominibus infaustam emittunt. Qui vero mæstum clamorem auribus perceperit, & querulæ vocis ejulatum audierit, non procul erit à morte: sed ipsi cladem & mortem præsagit gravissima illa vox. Tzetzes *Chiliadis* sextæ Historia quadragesima septima,

Ἡ καστορὶς δ' ὠρύεται, ὃς δ' ἂν ἀκούσῃ ταύτης
Χρόνῳ βραχεῖ παρέρχεται τοῦ ταλαιπώρου βίου·

Rugit autem castoris, & quisquis illam audiverit, ex misera hac vita brevi excedet. Hæc de castoridum ejulatu & rugitu reperio. Sed falluntur, qui *castoridem* pro *fibro* aut *castore* habent, in quibus doctissimus *Rittershusius* in *Notis* ad *Oppianum*. Aliud enim *castor*, aliud *castoris*. Ille quadrupes amphibium, hæc piscis est. *Tzetzes* ubi supra,

Πάντες δ' ἰχθύες ἄφωνοι, πλὴν σκάρου, καὶ καστορίδος·

Omnes autem pisces muti sunt, *exceptis scaro, & castoride.* Ille in ripis fluminum, hæc circa maris littora describitur, & censetur ab *Oppiano* inter ea cete, quæ nonnunquam è mari in siccum exeunt: cum contra castor ex terra in amnes feratur. Denique castor est verum animal: castoris fabulosum, ut quidem puto, cùm animal in mari nullum noverim, in quod quadret hæc descriptio.

E recentioribus אנקה *anaka*, *Pagnino*, *Græcos* & *Hieronymum* sequuto, est *mygale*: & Deodatio *mus araneus*: *Munstero* & Genevensibus *ericius*, tanquam ex *Onkelo*, cujus Paraphrasis hic corrupta est: *Junio* & Buxtorfio *attelabus*, tanquam ex *Hierosolymitano* interprete, quem non satis intellexerant: *Castalioni fiber* ex *Rabbi Selomone*: Ariæ *viverra*, tanquam ex eodem. Sed בברא *Selomonis* non debuit legi *viverra*, quia *viverra* vox *Romana* est, sed בברא merè *Gallica*. *Gallus* enim fuit *Rabbi Selomo*, nec nisi *Gallicis* vocibus *Hebræas* interpretatur. Tamen ex eodem fonte *Angli* quoque *a ferret*, id est, *furonem*, hic habent, animal viverræ simile. Sed nihil mirum in devia abiisse tot interpretes, qui neque *Syram* viderant, neque *Samaritanam* Paraphrasim, neque duas illas *Arabicas*, ex quibus veram vocis אנקה *anaka*, notionem exsculpsimus.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Probatur כח *coach*, esse ورل *guaril*, lacertorum in *Arabia* maximum & validissimum.

Quam variè reddatur כח coach. *Lacerti genus esse* à robore *sic dicti: unde probatur esse* guaril, *cujus robur supra reliquos multum eminet. Maximè in pugna contra serpentes & crocodilum terrestrem. De eo* Arabum *testimonia, & Proverbia. Ejusdem peculiaris descriptio. Lacerto viridi in multis similis est, non tamen idem, cùm & colore differat* guaril, *& magnitudine; viribus, ac ferocia longe præcellat.*

Sequitur כח *coach*, quem in lacertorum genere ponunt veteres ferè quotquot sunt. *Græci*, & *Hieronymus*, *chamæleontem* reddunt. Uterque *Arabs* editus حردون *chardaun*, id est, *crocodilum terrestrem*, vel ejus speciem. Ita etiam *R. Jonas*, & *David Kimchi*. *Lacertam* R. Selomo. *Hebræam* vocem retinent *Chaldæi*, & *Samaritanus*, sola terminatione mutata. Sed magno errore *Syrus* ܚܘܠܕܐ *chulda*: & *Arabes* manuscripti الخلد *alchuld*, id est, *talpam*, hic habent. E recentioribus *Pagninus*, *Munsterus*, *Castalio*, *Angli*, *Itali* reddunt *chamæleontem*: Arias & Junius *lacertam*: Petrus Robertus *testudinem*: Pomarius *limacem*: Judæi quidam (apud *Gesnerum*) *sciurum*: Genevenses *crocodilum*. Nos iis accedimus, qui lacertæ genus intelligunt; quia de lacertis hic agitur & sic sumunt plerique veteres, iique antiquissimi. Quo semel concesso, facile erit statuere *Hebræo* nomine כח *coach* significari الورل id est, Arabum *guaril*, quomodo barbari scriptores vocant. Patet id ex ipso nomine, quod *à robore* sumptum est. Alibi enim Scripturæ locis plus centum כח *coach*, pro *robore* sumitur. Et *Arabicè* كوح iisdem literis significat *in pugna superiorem esse*. Itaque in lacertorum genere vero consentaneum est כח *coach*, illum appellari, qui robore maximè valet, & in pugna reliquis præcellit. Is autem haud dubiè est الورل *alvvarlo*, seu *guaril*, cujus robur maximè eminet in pugna contra serpentes, & crocodilum terrestrem. Quod ne quisquam in dubium vocet, en ea de re disertissima scriptorum *Arabum* testimonia! *Alkazuinius*, هو عدو للضب وللحية يدخل بيتها وياكلها وليس شي من الحيوان اقوي في قتل الحيات منه ولا يحتفر لنفسه بل يغتصب كل شي بيته لان اي بيت دخله هرب ساكنه ويغتصب بيت الحية كما يغتصب الحية بيت ساير الاجناس *Infensus est crocodilo terrestri, & serpenti, cujus latibulum ingreditur, ut eum voret. Neque ullum est animal eo fortius ad serpentes occidendos. Neque latibulum sibi ipsi fodit: sed aliorum omnium latibula invadit. Nam quodcunque latibulum adeat, ejus incola fugam capessit. Quin serpentis lustrum invadit, quomodo aliorum generum* (malim ساير الاجناس *aliorum reptilium*) *lustra invadit serpens.* *Algiahid* de eodem, وهو يقوي على الحيات وياكلها اكلا ذريعا ويخرجها من جحرها ويسكن فيه فهو اظلم من ظالم *Is serpentibus prævalet, & eos avidè comedit, & è latibulis suis expellit, ut ea occupet, & violento violentior est.* *Abdollatif*, ex quo *Damir*; وبينه وبين الضب عداوة فيغلب الورل الضب ويقتله لكنه لا ياكله كما يفعل بالحية وهو لا يتخذ بيتا لنفسه ولا يحفر جحرا بل يخرج الضب من جحره صارعا ويستولي عليه وانه كان اكثر براثن منه واقوي لكن الظلم يمنعه ولهذا يضرب به المثل في الظلم ويكفي في ظلمه انه يغصب الحية جحرها ويبلعها وربما قتل فوجد في بطنه الحية العظيمة وهو لا يتبلعها حتي يشدخ راسها *Inter eum & τὸν dhab* (seu *crocodilum terrestrem*) *gravis est inimicitia. Sed* guaril *est superior, & eum occidit. Nec tamen eum comedit, quomodo serpentes solet. Neq; domum sibi deligit, aut latibulum fodit. Sed crocodilum terrestrem ex proprio domicilio colluctando extrudit, & ei prævalet. Quamvis crocodilus unguium viribus præpolleat; tamen hic violentia potior est. Unde est, quod in Proverbium cessit ejus violentia. Quæ in illo tanta est, ut sufficiat ad serpentem è lustro suo extrudendum, ac devorandum. Ac proinde in occisi ventre magnum serpentem nonnunquam reperire est, quem non vorat, nisi prius fracto capite.* Proverbia de eo multa sunt apud *Arabes*, in quibus hæc notanda sunt. اجبر من الورل *Ferocior* (aut *superbior*) τοῦ *guaril*. Et اظلم من الورل *Iniquior* (aut *violentior*) τοῦ *guaril*: ad quod supra allusit *Abdollatif*. Et اسرع من تلظم الورل *Citiùs quàm* guaril *cibum in ore versat*. Quò pertinet, quod scribit *Algiahid* eum serpentem avidè comedere, vel اكلا ذريعا id est, ad verbum *veloci & præcipiti comestione*.

Ex

Ex hac descriptione apparet nomen כח *coach*, à *robore* sumptum, huic lacertæ apprimè convenire.

Si quis de lacerti genere, in his terris ignoto, plura scire aveat, illum describit *Ibno-saida* دابة على خلق الضب الا انه اعظم منه *animal naturâ τοῦ* dhab, *nisi quod est majus.* Et *Abdollatif*, فاما الورل وهو الحردون Guaril *utique idem est, quod* chardaun. Sed contra *Algiahid* apud *Damirem* tradit, ان الحردون غير الورل ووصفه دابة تكون غالبا بارض مصر موشاة بالوان كثير ولها كف ككف الانسان مقسومة اصابعها الى الانامل Chardaun *à* guaril *esse diversum, quem describit animal in* Ægypto *frequens, multis distinctum coloribus, manus habens, quales hominis, & digitos in articulos divisos.* Et *Alkazuinius*, هو العظيم من شكل الوزغ وسام ابرص الطويل الذنب الصغير الراس وهو سريع السير خفيف الحركة *Maximus est lacertorum, qui formam habent* guezgæ, *&* sam-mabras, (sunt stellionum species, quarum illa minor, hæc major) *longa cauda, parvi capitis, celeris incessus, & motus expediti.* *Avicenna* quoque, postquam illum cum stellionibus contulit, caudamque & caput eodem modo descripsit, quo *Alkazuinius*: وهو غير الضب والضب لا يكون او قل ما يكون الا في البادية وراسه وبدنه وذنبه خالف الورك وربما قاربة في طبايعه *Et alius est à* dhab (seu *terrestri crocodilo.*) *Nam* dhab *nunquam est, aut valde rarò est alibi, quam in deserto. Et capite, & corpore, & cauda differt à* guaril. *Natura tamen illi vicina est.* Unde *Alcamus*, الورل دابة كالضب العظيم من اشكال الوزغ طويل الذنب صغير الراس Guaril *animal, ut* dhab *magnum, in iis quæ* guezgæ *forma sunt, longa cauda, parvi capitis.* Sunt, qui ex crocodili semine nasci putant, quomodo scincum: sed eos refellit *Damir*, cum quia cute & pelle multum differunt, tum quia statura est valde dispar: والورل لا يزيد قدره على دراعين او دراع ونصف والتمساح عشرة ادرع واكثر Guaril *enim non crescit supra duos cubitos, aut unum, & semi, cum crocodilus crescat supra decem cubitos, & amplius.* Idem animal describitur ut valde libidinosum. *Abdollatif*, فليس في الحيوان اكثر سفاد منه *Nullum est animal, quod coëat frequentius.* Et, si creditur *Alcamus*, شحمه يعظم الذكر دلكا Quod qui potest intelligat. Idem de carnis esu, لحمه حار جدا يسمن بقوة *Caro ejus calidissima est, & maximè pinguefacit.* Et *Alkazuinius*, لحمه وشحمه سمن طبقات الناس *Ejus caro, & adeps mulieres inprimis pinguefacit.* Ita etiam *Avicenna*, & *Damir*. Addunt in eadem carne vim esse, qua è corpore avellit السلي والشوك *surculos & spinas.* Pilos brachio mulieris alligatos conceptum impedire. Excitari membra torpentia, si combustæ pellis cinere cum olei fæcibus misto illinantur. Stercus albugines, lentigines, & verrucas amovere. Sanguinem denique visum roborare, & acuere. Quod idem scribunt de crocodilo terrestri.

Quæri potest, an hic lacertus sit idem cum lacerto viridi: quod videbuntur multa suadere. 1. Quod lacertus viridis eorum est maximus, qui apud nos sunt. *Erasmus* in Dialogo *De Amicitia*: Italia *magnas habet lacertas, & virides.* Gesnerus: *Majores ferè duplo sunt communibus lacertis.* 2. Lacerti virides sunt ὀφιομάχοι. *Erasmus* ibidem, *Hoc animal naturâ & hominis amicum est, & serpentibus inimicum.* Et paulo post, *Quodam die vidi pergrandem, & mirè viridem, in ostio cavi decertantem cum serpente. Primum mirabamur quid esset rei. Nam serpens nobis non erat conspicuus.* Italus *admonebat in antro esse hostem. Paulo post venit ad nos lacerta, velut ostendens sua vulnera, ac remedium flagitans, &c. Serpens alterum latus penè totum eroserat, & ex viridi rubrum fecerat.* Itaque ad has lacertas id referendum, quod in *Plinio* legitur, lacertas cum serpentibus pugnare. Unde illi nomen ὀφιομάχος à recentioribus inditum. *Pandectarius*: ΟΦΙΟΝΙΚΟΣ Græcè, *id est, lacerta.* 3. Ut esu τοῦ *guaril Arabes* pinguescere se scribunt: ita phthisicis lacertam viridem esse utilissimam, & incredibiliter prodesse tradunt *Plinius* & *Marcellus.* 4. Utriusque stercora faciei illita maculas delere leguntur. Tamen *guaril* à lacerto viridi distinguit color. Varium enim describit *Algiahid.* Præterea videtur *guaril*, qualis ab *Arabibus* describitur, lacertam viridem viribus & animi ferociâ longè antecellere. Puto igitur τὸ *guaril* lacerti genus esse *Arabiæ* peculiare, & lacertum viridem ita illi similem, ut sit

Proximus huic, longo sed proximus intervallo.

CAPUT QUARTUM.

Probatur voce לטאה *letaa*, Lacertam significari stellioni similem, maximè venenatam, & terræ adhærentem; quæ *Arabicè* وحرة *vvachara* dicitur.

Ad Hebræum לטאה letaa, *vana allusiones. Varia vocis interpretationes. Lacerta genus esse docent plerique veteres, &* Talmudici. *Videtur esse A*rabum vvachara: *qua 1. stellioni similis. 2. Terra maximè adharet. 3. Veneno suo inficit quæcunque calcat. Hac tria* letaæ *convenire. Quæritur, an sit species salamandra.*

HEbræum לטאה *letaa*, conantur quidam recentiorum ex *Græca* lingua interpretari, quâ λὼτ est *talpa*. *Hesychius*, λὼτ, ἀσπάλαξ, μῦς τυφλὸς ὁ τῶν γλωττευτῶν. Et λάταξ animal amphibium, castori & lutræ congener, de quo *Philosophus Historiæ* libri octavi capite quinto. Itaque ex illorum mente לטאה *letaa*, aut *talpa* esset, aut *latax*. Alii *murem araneum* malunt, in quem Λητὼ, id est, *Latona*, mutata fuisse fingatur, propter allusionem vocum Λητὼ, & *letaa*, quæ sit μυγάλη. Atque illud quidem verum est, fingi *Latonam*, *Typhonis* metu, in murem araneum fuisse mutatam. *Antonius Liberalis*, *Metam.* 28. Ἀπόλλων μὲν ἐγένετο ἱέραξ· Ἑρμῆς δὲ ἶβις· Ἄρης δὲ λεπιδωτὸς ἰχθύς· Ἄρτεμις δὲ αἴλουρος (non σίλουρος, ut perperam habent nostræ editiones.) Τράγῳ δὲ εἰκάζετο Διόνυσος· λέοντι δ' Ἡρακλῆς· βοῒ δ' Ἥφαιστος· μυγαλῇ Λητώ. Sed non inde sequitur voce *letaá murem araneum* significari: ut neque *talpam*, aut *latacem*; quia alludunt λὼτ, & λάταξ. De talpa enim versu præcedente jam actum. Et *latax* in terræ reptilibus computari non potest (ut neque castor, de quo (*a*) supra) quia in aquis potiùs vivit, & pilos habet ex parte similes vituli marini pilis. Præstat igitur sequi veteres, qui hoc quoque animal numerant in lacertorum speciebus. Ità *Græcis* est καλαβώτης, vel ἀσκαλαβώτης, & Hieronymo *stellio*: & *Jonathani* שממיתא *semamitha*; quod id ipsum est: & *Syro* ܐܣܦܪܝܬܐ *isferaritha*, id est, *salamandra*, ut volunt: & *Arabibus* العظاة *aladha*, vel العظاية *aladhaja*, *lacertus*. Ità etiam *Selomoni*, & *Kimchio*, & *Pomario*. Quomodo etiam sumpsisse *Talmudicos* constat ex Tractatu *Oboloth* (cap. 1. fol. 45. b.) ubi pecudes quædam, & aves, post caput amputatum palpitare leguntur, כגון הזנב של הלטאה שהיא מפרכסת *quomodo cauda* τῆς letaæ, *quæ* (abscissa) *adhuc se movet*. Quo hæc alludunt in *Porta cœli*, יש מבח אם כרתו מזנבותיהם יתנענעו זמן רב אחר כן כזנב הלטאה: וזנבות השרצים *Sunt quædam animalia, quorum caudæ si abscindantur, moventur aliquamdiu, ut cauda* letaæ, *& aliorum reptilium*. Quale est, quod lacerti, virgæ ictu bifariam divisi, singulas partes vivere, & duobus pedibus repere, & nonnunquam iterùm coalescere asserunt *Ælianus Historiæ* libri secundi capite vigesimo tertio, & *Phile* capite quinquagesimo tertio. Non tamen temerè crediderim, quod habetur in *Porta cœli* de caudis ità abscissis, כי הן יגדלו אחר כרתתם *eas post abscissionem crescere*, cum nonn isitantillum temporis divisas vivere pro comperto habeatur.

(a) Cap. 2. pag. 1007. lin. 50. &c.

Constat igitur hactenus *letaam* esse in lacertorum genere, cum magno consensu veteres ità statuant. Sed speciem definire non est cujusvis. Syrus *salamandram* exponit. Recentiorum alii *stellionem*, alii *lacertam* malunt. Quorum prius sequuntur *Pagninus*, *Arias*, *Junius*, *Castalio*: posterius *Munsterus*, *Schindlerus*, *Genevenses*, *Angli*, *Itali*. Ego lacertæ speciem intelligo, quæ *Arabicè* وحرة *wachra*, vel *wachara* dicitur. De ea scilicet *Arabes* tria potissimum observant: 1. Stellioni similem esse. 2. Terræ maximè adhærere. 3. Veneno ejus cibos infici, quoscumque calcat. Quæ tria rem conficiunt, ut postmodum docebimus. Sed *Arabes* prius audiendi. *Gianhari*, الوحرة دويبة حمرا تلتصق بالارض كالعظا Alvvachra, *animalculum rubrum terræ adhærens, ut lacerta*. Damir, هي دويبة شبيهة بسام ابرص تلتصق بالارض او ضرب من العظا لا تطا طعاما ولا شرابا الا سممته *Est animalculum simile* τῷ *sammabras* (seu, *stellioni majori*) *terræ adhærens, aut lacertæ species, quemcunque cibum aut potum calcet veneno suo inficiens*. Ibidem alii, وقيل هي على شكل سام ابرص *Dicitur esse forma* sammabras. Et *Alcamus*, الوحرة وزغة كسام ابرص او ضرب من العظا لا تطا شي لا سممته Alvvachara *est* guezga, *sicut* sammabras, *aut lacertæ species, quæ nihil calcat, quod non inficiat*. Inde وحر *vvachara* Verbum est *veneno inficere*. Proinde dicunt, وحر الصدر غشه ووسواسه *Pectus infecit dolus ejus, & suggestio ejus*. Item, الغل اللازق به كما تلزق الوحرة بالارض *Dolus ipsi adhæret, ut* alvvachara *adhæret terræ*.

Jam hoc, quidquid est, *letaa* convenire nullo negotio probavero. 1. Id enim lacertæ genus stellioni esse simile, aut etiam ejus speciem, suadet, quod interpretum antiquissimi, *Græci*, *Chaldæi*, & *Romani* *stellionem* explicant. 2. Terræ adhærere colligitur ex ipso nomine. Nam *Arabicè* Verbum لطا *lataa*, vel لطئ *latia*, propriè *adhærere* sonat, non ubivis, sed *terræ*. Nusquam aliter sumitur. Hinc *Damir* in capite قبرة *Kobbara*, seu *De Alauda*, *E natura ejus est, ut strepitus eam non terreat: & quandoque lapide molari conteratur*, ولطي بالارض حتى يجاوزها الحجر *& terræ adhæreat, donec eam lapis pertransierit*. Et in capite عنكبوت seu *De Aranea*, فاذا اراد صيد الذباب لطي بالارض *Et, cum vult venari muscas, terræ adhæret*. Itaque לטאה *letaa*, inde deducta, propriè id animal significat, quod terræ adhæret. Quod in *vvachara* definitione observant *Gianhari* & *Damir*. 3. *Letaam* deniq; venenatum esse animal, & à quo maximè cavendum, docet majusculum *Lamed* initio nominis. Neq; enim scribitur לטאה sed לטאה. Unde *Buxtorfius* in *Commentario*

Masorethico cap. 14. Lamed *majusculum* Malora *parva notat in voce* הלטאה, Levit. 11, 30. *quam alii lacertam, alii stellionem reddunt. Litera autem majuscula denotat inter reliqua reptilia vel maximè ab hoc reptili esse cavendum.*

De cætero hoc animal quomodo *Græcè* vocetur nemo facilè dixerit, nisi quis putet esse *salamandræ* speciem. Nempe cum stellione salamandram veterum nonnulli conferunt, tanquam illi similem, aut etiam ejus speciem. *Aetius Tetrab.* 4. Serm. 1. cap. 52. *Salamandra animal est simile stellioni.* Nicandri *Scholiastes* in *Alexipharmaca*, Ἡ σαλαμάνδρα, εἶδος ἀσκαλαβώτου. 2. Eadem inficere legitur quidquid calcat. *Plinius* ubi suprà. *Si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno.* Item, *Si contacto ab ea ligno, vel pede, crusta panis incoquatur, idem veneficium est.* Quo pertinet, quod *Narbonenses* apud *Gesnerum* dictitant; *Si Blanda (id est, salamandra) in acervo tritici reperiatur, totum infici, adeò ut vel gallinæ vescentes inde pereant.*

Proinde الوحرة *alvvachara*, cui *Arabes* hæc eadem tribuunt, videri queat idem esse cum salamandra, nisi quod non convenit color. Is enim in *wachara* ruber est, in salamandra varius. Itaque *vvachara* aliud est *Arabica* lacertæ genus nobis ignotæ, similis tamen, in multis, stellioni, & salamandræ. Unde est, quod לטאה *letaa*, quam putamus esse *Arabum vvacharam*, à *Syro* ܫܠܡܘܢܕܪܐ *salamandra* & à veterum plerisque aliis *stellio* redditur.

CAPUT QUINTUM.

Probatur חומט *chomet*, esse lacertam in arena degentem, quæ *Arabice* حلكا *chulaca* dicitur.

Recentioribus חומט chomet, *est* limax; *sed* lacerta *veteribus.* חומטון chometon, *Hebræis* arena. *Inde, aspiratione omissa, Græcis* ἄμαθος, *&, cum* προσθέσει, ψάμαθος. *Et* חומט chomet, *lacerta arenaria. Qualis* Arabum حلكا chulaca, *vel* لحكا luchaca, *in arenis degens, quæque, cum hominem videt, iis immergitur. Itaque etiam* filia arenæ *dicitur. Aut est* العظاة aladha, *lacertæ species* ἀμμώδης, *veneno carens. Itaque falluntur, qui* salamandram, *aut* lepem, *aut* lacertam Chalcidicam *exponunt.*

HEbræis recentioribus *Selomoni, Kimchio, Pomario, & Aquinati* חומט *chomet*, est *limax*. Neque aliud volunt *Hispani* illi, qui in *Kimchio* vernaculè ... reddunt. Legendum enim ..., *caracol*, quomodo *limacem* illi appellant. Id sequuntur *Arias, Munsterus, Petrus Robertus, Genevenses*, & *Angli*, qui hic quoque *limacem* habent. Tamen aliter veteres. *Græcis* enim, & *Hieronymo*, חומט *chomet*, est σαῦρα *lacerta*. Et *Arabibus* editis حربا *chirba, chamæleon*: manu-scriptis سام ابرص *sammabras*, stellio. Neque aliud hic *Syrum* ... *chaulmata* juxta *Gabrielem Sionitam*, cui malo credere, quam *Baptistæ Ferrario*, qui reddit *avem dorsum habentem nigris & purpureis pennis distinctum*; planè ἀπροσδιόνυσος. Neque enim de avibus hic agitur, sed de terræ reptilibus. Itaque, ut superiora, ita etiam חומט *chomet*, videtur esse in lacertorum specie. Neq; latet origo vocis. *Talmudicis* enim חומטון *chometon*, est *arena*. Hinc in Tractatu *De Sabbatho* cap. 5. fol. 54. 2. (ubi *Talmudici* disputant, quorsum 1. *Reg.* 9, 13. *Hiramus*, Rex *Tyriorum*, ארץ כבול, *terram chabul* appellaverit tractum illum, quo donaverat eum *Solomon*) dicit *R. Nachman, Isaaci* filius, ארץ חומטון היתה אמאי קרו לה כבול דמשתרגה בה כרעא עד כבלא *Terra erat* chometon, *unde est, quod vocârunt eam terram* chabul; *quia in ea crus usque ad talum immergebatur.* Et *Kimchius*, hunc locum citans in *Lexico* Radice כבל, sed verbis paulùm immutatis, חומטון *chometon*, explicat חול *chol*, id est, *arenam*. Ità ut illi *terra chometon* sit *terra arena*, vel *arenosa*. *Baal Aruch* itidem totum locum ità exponit, פי' שרגלי של אדם משתקעות בה מחמת החול כאילו הן כבולין לכן אינה עושה פירות *Significat pedes hominis in ea (terra) fuisse immersos propter arenæ (copiam) ac si fuissent compediti, ac proinde illam fuisse infrugiferam.* In *Glossa Talmudis* terra *chometon* est terra מלחה ומתבקעת *salsuginosa, & diffissa*. Et ejusdem Tractatus cap. 2. fol. 31. 2. חומטון *Glossatori* est ארץ מלחה ומשמרת את הפירות מהתליע *terra salsuginosa, quæ fructus à vermiculatione servat.* Sed prior interpretatio est verior, & utrique loco apprimè convenit. Nam & incedentium pedibus arena molesta est, & in calidis locis vim habet ἀσηπτικὴν, qua res à corruptione diu servat. Itaque in *Africa* arenis cadavera condiri multi asserunt, & pro mumia distrahi. Quin vox חומטון *chometon*, quamvis non extet in libris *Propheticis*, videtur esse valde antiqua. Et *Græcos* puto, aspiratione dempta, indè deduxisse ἄμαθον, &, cum προσθέσει, ψάμαθον. Quorum utrumque in vetustissimis scriptoribus, *Homero* putà, & aliis, in *arenæ* notione reperitur. Ità tamen, ut ἄμαθον *Grammatici* velint *arenam* esse μεσόγειον *mediterraneam*, & ψάμαθον παραθαλάσσιον seu *littoralem*. Sic ferè distinguunt *Hesychius, Suidas*, alii.

Itaque ut חומטון *chometon*, est *arena*: sic חומט *chomet*, est *lacertæ species, quæ in arenis degit.* Et videtur intelligi *Arabum* حلكا *chulaca*, vel لحكا *lucha*, & *luchaca*; de qua *Alcamus*, الحلكا دويبة تغوص في الرمل او ضرب من العظا كالحلكا Alchulaca, *Animalculum, quod in arena mergitur: aut lacertæ species, quæ etiam chulaca vocatur.* Idem, اللحكا دويبة زرقا تشبه العظاءة Luchaca, *animalculum cœruleum, lacertæ simile.* Damir, الحلكا دويبة شبيهة بالعضاة تغوص في الرمل Alchulaca, *animalculum lacertæ simile, quod in arenis immergitur.* Alazhari, اللحكا دويبة كانها سمكة تكون في الرمل فاذا احست الانسان دارت في الرمل وغاصت فيه Luchaca, *animalculum in arena degens, ut piscis* (in aqua;) *quod, cum sentit hominem, in arena volvitur, atque in ea immergitur.* Et *Ibnosacith*, اللحكا دويبة شبيهة بالعظاية وقوايم خفيفة Luchaca, *animalculum lacertæ simile, pedibus levissimis.* Asseidalanius, & Arruvianus, دويبة مثل الاصبع تجري في الرمل ثم

ثم تغوص فيه وهذا يقوي قول الجوهري انه مقلوبة من الحلكا *Animalculum est digitale, quod per arenas currit, & in iis demergitur. Id confirmat dictum* Giauhari, *Nomen* luchaca *inversum esse ex* chulaca. Rursus *Damir*, العرب تسميها بنات النقا لانها تسكن نقيان Arabes *etiam appellant filias tumuli arenæ; quia in arenæ tumulis degit.*

Sed & lacerti communis una species est ἀμμώδης. *Damir* capite العظاه *Aladha*, seu *De Lacerta*, وهي انواع كثيرة منها الابيض والاحمر والاصفر وكلها منقطة بالسواد والوان بحسب مساكنها فان منها ما يسكن الرمال ومنها ما يسكن قريبا من الما والعشب *Earum multæ sunt species quædam albæ, quædam rubræ, quædam flavæ; quæ omnes sunt nigro distinctæ. Et colores illis sunt pro ratione locis, quem occupant. Aliæ enim in arenis degunt: aliæ prope aquas & in herbosis locis.* Et *Alazhari*. هي دويبة ملسا تعدوا وتتردد كثيرا تشبه سام ابرص الا انها احسن منه وتسمي العظاه وشحمة الارض وشحمة الرمل *Est animal molle, multum cursitans, & ultrò citroque commeans, simile* τῷ sammabras, *seu stellioni, nisi quod eo est pulchrius. Vocatur* aladha, *& Adeps terræ, & adeps arenæ.* Vides, lector, tam hanc lacertam, quam alteram minus vulgarem, de qua suprà, *ab arena* nomen habere, æquè ac *Hebræum* חומט *chomet*. Itaque חומט *chomet*, vel alterutrum, vel utrumque significat.

Obiter nota عظاية vel عضاية in *Avicenna* pro *salamandra* poni, & in *Abenbitare* modo pro *salamandra*, modò pro *sepe*, vel *lacerta Chalcidica*, non sine gravi errore. Utraque enim est venenata. At العظاة veneno caret, ut *Arabes* disertè docent. *Damir*, ومن خرافات العرب قالوا ان السوم لما فرق على الحيوان احتبست العظاة عند التفرقة حتى نفد السم واخذ كل حيوان قسطه منه على قدر السبق اليه فلم يكن لها فيه نصيب وفي طبعها انها تمشي مشيا سريعا ثم تقف ويقال ان ذلك يعرض لها من التذكرة والاسف على ما فاتها من السم *Est ex Arabum Apologis, quod dicunt, quod, cum divisa sunt venena inter animalia, continuit se aladha, dum divisio fiebat, donec venena defecerint, cum unumquodque animal portionem suam sumpsisset, prout ordine primum fuerat. Neque illi fuit sua portio. Proinde, cum illi naturale sit, ut citato gressu incedat, & mox subsistat, ajunt id illi accidere, quia meminit, & mœsta est, eo quod defuit ipsi venenum.* Ibidem *Damir*, وتسمي بارض مصر السحلية *In terra Ægypti vocatur* SUCHLIA, quam *Azhari* asserit *stellioni similem esse*, الا انها لا تودي وهي احسن منه *nisi quod non est noxia, & est eo pulchrior.* Eos igitur falli necesse est, qui hoc animalculum cum *salamandra* confundunt, aut cum *lacerta Chalcidica*, quæ sunt maximè noxiæ.

CAPUT SEXTUM.

Probatur תנשמת *thinsemeth*, Levit. 11, 30. esse *Chamæleontem*.

Plerique תנשמת thinsemeth, *est talpa. Sed versu præcedente* חלד choled, *esse talpam probatum est. Ergo* thinsemeth *est aliud. Neque talpæ convenit nomen ab halitu factum. Aliter reddunt multi veteres. Arabes interpretes emendati,* ברש, scolopendra, *cui pedes* XLIV. *Ejus descriptio ex* Avicenna. *Cur dicatur ἀμφίπλαξ.* תנשמת thinsemeth, *est* chamæleon, *ab aspirando sic dictus; quia hianti ore semper est, & aere vesci creditur. Nempe ferè totus pulmo est, & dissectus diu spirat. Non tamen vescitur solo aere, sed muscas & culices prætervolantes, formicas, locustas, scarabæos lingua venatur, quam habet longissimam, atque ex ore emissilem. Inde nomen* Arabicum حربا chirba. *At cur vocatur* chamæleon? Leo Iphri in *Arabibus animal chamæleonis simile. An* chamæleon *deflexum ex* Punico גמליון; gamalion; *quo sit vocatus, quia cameli gibbum in dorso habet, quod observant* Arabes. *Iidem* Magum *vocant, quasi Solem adoret. Ejus Medicæ vires. Ab* Hebræis *chamæleon avis esse creditur, & salamandra araneæ similis. In* Græca *versione quam aliena* chamæleontum *mentio* Soph. 2,14 *Fons erroris.*

IN loco, in quo versamur, sola superest תנשמת *thinsemeth*, id est, *talpa*, si *Græcos* sequimur, & *Hieronymum*; & è *Chaldæis*, *Onkelosium*; & *Hebræos* recentis ævi, *Selomonem*, *Kimchium*, *Pomarium*, *Aquinatem*; & novos *Bibliorum* interpretes, *Pagninum*, *Munsterum*, *Ariam*, *Genevenses*, *Anglos*, *Italos*, &c. Quorum omnium auctoritas cum apud me multum valeat, tamen quo minus in assensum traham, duo potissimum obstant, quæ jam alibi observavi. Unum, quod præcedenti versu de *talpa* jam actum est. Id enim esse חולד *choled*, iis rationibus probavimus (a) quas nemo facilè refellet. Alind igitur est in hoc versu תנשמת *thinsemeth*: nisi *Mosem* velimus in eadem contextus serie idem animal bis vetâsse, & eum fingamus sic loquutum; *Inter reptilia, quæ repunt super terram, hæc* erunt

(a) Lib. 3. cap. 35.

erunt vobis immunda, talpa. & mus, & crocodilus terreſtris, &c. *& talpa*. Præterea nomen תנשמת *thinſemeth*, quod ab *halitu* & *aſpiratione* ductum eſt, quomodo in talpam quadret, nullus video, cui tam tenuis eſt ſpiratio, ut totos dies ſub terra degat, quomodo piſces ſub aqua. Unde eſt, quod talpæ & muris ſubterranei cuniculi hac nota diſtinguuntur: quod terra obrutos mus ſtatim aperit, ne ſuffocetur, at talpa ſæpe nonniſi ſecunda aut tertia die reſerat. Proinde תנשמת non eſſe *talpam* viderunt multi veterum, apud quos extant hujus vocis tres aliæ verſiones diverſiſſimæ.

Primò enim *Samaritano* interpreti תנשמת eſt ࠀࠋࠔࠌࠔࠄ, id eſt, *muſtela*, quæ *Chaldæis* eſt כרכושתא, & *Syris* ܟܪܘܫܬܐ prima Radicali geminata, cum *Samaritani* ſecundam geminent.

Secundò, pro eadem voce תנשמת *Syrus* habet ܡܥܠܐ *jodaeda*, *multipedam*: & *Arabes* manu-ſcripti البدال وهو ام اربعة اربعين Albedal, *quæ mater eſt quadraginta quatuor*, ſupple *pedum*; ſeu cui ſunt pedes XLIV. id eſt, *julum*, aut *ſcolopendram*. Sed pro بدال *bedal*, voce nihili, legendum ندال *nedal*. *Chaldæis* enim, & *Talmudicis*, נדל *nedal*, vel *nedel*, eſt *ſcolopendra*. Sic infra verſu quadrageſimo ſecundo, ubi è reptilibus terræ prohibetur כל מרבה רגלים, *quodcunque reptile multos habet pedes*, Gr. πολυπληθεῖ ποσίν, *Jonathan* habet נדל דמסגי ריגלין *nedal qui eſt multipes*, id eſt, *ſcolopendram*. Et *Talmudici* in *Cholin* cap. 3. fol. 67. b. מרבה רגלים הנדל, *qui multos habet pedes, id eſt, nedal*. Et ibi *Gloſſa*, נדל מאה רגלים קורין לו *Nedal centipedam vulgò vocant*. Numero ſcilicet certo pro incerto. Sed *Arabes*, qui ſolent præciſè loqui, *matrem pedum* XLIV. appellant. Sic *Avicenna* lib. 4. *Fen.* 6. Tract. 6. ubi de animalculis, quorum morſus eſt venenoſus, capite decimo nono animal الاربعة والاربعين id eſt, *quadraginta quatuor pedum*, ita deſcribit, هو الحيوان المعروف بدخال الاذن وربما كان في طول شبر وله في كل جانب اثنان وعشرون قايمة وقد يمشي قدما وقد ينكص بحاله *Illud eſt animal notum; quia in aurem ingreditur. Plerumque eſt palmi longitudine. Ab unoquoque latere, pedes habet viginti duos, & modo incedit antrorſum, modo in poſteriora fertur*. Scolopendram in aurem ingredi alibi nuſquam legi. Sed eam ἐπὶ τὴν οὐρὰν *caudam verſus ferri* dicit *Philoſophus*, *Hiſtoriæ* libri quarti capite ſeptimo. Unde à *Nicandro Theriacῶν* verſu 812. vocatur ἀμφικάρηνος σκολόπενδρα. Ad quæ verba *Scholiaſtes*, Ἀμφικάρηνος δὲ, ὥσπερ δικέφαλος· ψευδῶς δὲ φησιν, οὐ γάρ ἐστιν. Ἀλλ᾽, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶν, εἰς τοὐπίσω πολλάκις ἕρπει, καὶ παρέχει δόξαν τοῦ δικέφαλος εἶναι. Pedum numerum quod attinet, illum alii aliter definiunt, ut ubiq; locorum eundem eſſe neceſſe non eſt. Utut ſit, *ſcolopendram* hoc nomine intelligi nos docet *Abenbitar* ad caput *Dioſcoridis* Περὶ σκολοπένδρας θαλασσίας, cujus nomen poſtquam *Arabicis* literis ita expreſſit, سقولوفندريا ثالاسيا addit, هو حيوان بحري وسمي باسم الحيوان الذي يقال له اربعة واربعون *Hoc eſt marinum animal ejus nomine appellatum, quod* XLIV. *pedum vocant*.

Tertiò, *Jonathani* תנשמת *thinſemeth*, eſt סלמנדרא *ſalamandra*. Et *Arabi Erpeniano* صنبرص *ſenabras*, corrupte pro سام ابرص *ſammabras*, quomodo habet *Pariſienſis* editio. Hos ad verum proximè acceſſiſſe puto, atque ut quinque illis, quæ præceſſerunt, ita hoc quoque nomine aliquam lacertæ ſpeciem contineri, nempe *chamæleontem*, qui à ſpiratione ita vocetur. *Hebræis* enim נשם, *ſpirare* eſt, & נשמה, non ſolum *ſpiritus*, ſed & *halitus* vel *ſpiratio*, ut & נשימה. Unde eſt, quod ad hæc verba *Pſal.* 150, 6. כל הנשמה תהלל יה, *Omnis ſpiritus laudet Deum*, ſic habet auctor *Bereſchith Rabba* cap. 14. על כל נשימה ונשימה שאדם נושם צריך לקלס לבוראו מה טעם כל הנשמה תהלל יה כל הנשימה תהלל יה, *Ad omnem halitum, quem homo ſpirat, neceſſe eſt ut laudet creatorem ſuum. Qua ratione?* (Quia dicitur) *Omnis ſpiritus laudet Dominum, id eſt, Omnis halitus laudet Dominum*. A *ſpirando* autem vel ab *aſpirando*, rectè dici *chamæleontem* fateatur, neceſſe eſt, quiſquis naturam ejus habet perſpectam: cum os diducens hiatu perpetuo, atque ſpiritu aërem ducens, à multis putetur eo ſolo veſci. *Plinius* libri octavi capite trigeſimo tertio, *Ipſe celſus, hians ſemper ore, ſolus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quam aëris alimento*. Solinus, *Hiatus ejus æternus, ac ſine ullius uſu miniſterio; quippe cum neque cibum capiat, neque potu alatur, aut alimento alio, quam hauſtu aëris, vivat*. Ovidius *Metamorphoſeω* libro decimo quinto,

Idque quoque, quod ventis animal nutritur, & aura.

Nempe pulmo eſt illi maximus. *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo, *Chamæleoni pulmo portione maximus, & nil aliud intus*. *Plutarchus* in libro *Utra anim.* Σωματοῦται γὰρ πνεύματος πλήθους, ὡς ἔοικε, φύσει. Ὅλῳ γὰρ σχεδὸν παντὶ τὸ σῶμα τοῦ ζώου πλεύμονι πληροῦται, καὶ τιμωρεῖται τὸ πνεῦμα ἐν αὐτῷ. *Accedit etiam ſpiritus in ipſo copia, ut tradit Theophraſtus. Parum enim abeſt, quin totum corpus pulmone ſit plenum, unde conjicias, quam ſit flatilis*. Bellonius, *Cum pulmonibus magnis per ventris latera exporrectis præditus ſit, ventum vero magno impetu attrahit, atque intumeſcit*. Tertullianus in De pallio, *Oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus*, &c. Sed &, quod mirere magis, etiam poſt diſſectionem diu ſpirare creditur. *Philoſophus* in eximia illa chamæleonis deſcriptione *Hiſtoriæ* libri ſecundi capite undecimo, Ἐνεργεῖ δὲ καὶ τῷ πνεύματι, ἀνατετμημένος ὅλος ἐπὶ πολὺ χρόνον, βραχείας ἔτι κινήσεως ἐν αὐτῷ οὔσης περὶ τὴν καρδίαν οὔσης. *Etiam, cum totus diſſectus eſt, flatu pollet per longum tempus, quamdiu ſcilicet motus, quantumvis exiguus, circa cor manet*. Is porro halitus *Arabicè* نسيم *naſim* vocatur ab ea ipſa Radice, à qua illi nomen תנשמת, *thinſemeth*. Damir, يغتذي بالنسيم ويعيش بالبرد الهوا *Alitur* τῷ *naſim* (id eſt, *halitu*) *& frigido aëre veſcitur*. Quod tamen per ſummum errorem is transfert ad crocodilum terreſtrem, ut ſupra (*b*) notavimus, cum ſit proprium chamæleonis. Quamvis ſ[illegible] neque chamæleon ſolo aëre veſci ſatis vere ſcribatur. Quippe linguam habet prælongam in imo glutinoſam, cujus jaculatu muſcas & culices captat è ramo arboris, cui inſidet. *Damir*, لسانه طويل

طويل جدا مقدار ذراع وذلك دليل علي انه يكون مطوي في حلقه وهو يبلع ما بعد عنه من الذباب *Lingua ejus valde longa eſt, nempe ad menſuram cubiti. Proinde eam habet in faucibus complicatam, quam emittit, ut muſcas à ſe diſſitas* (captet, &) *comedat.* Algazel *in* Mirabilibus, والحربا خلق الله لسانها بخلاف المعتاد لتلحق به ما بعد عنها بثلاث اشبار ونحوه وتصتاد به علي هذه المسافة *Chamæleoni creavit Deus linguam à ſolito prorſus diverſam, ut ea attingeret, quæ à ſe diſſita ſunt tribus circiter palmis, & venaretur quæ ſunt intra hoc ſpatium. Arabibus* ſuffragatur apud *Scaligerum* Johannes Landius, *qui in ultima* Syria *cum eſſet, ait ſe vidiſſe unum è quinque, quos emerat, chamæleontibus, lingua repentino momentaneoque jaculatu muſcam, quæ in ejus eſſet pectore, legiſſe.* Et *Bellonius*, qui in *Ægypto* & in *Arabia* vivos viderat: *Linguam habet teretem, ſeſquipalmum longam, quam à longè in inſecta, quibus maximè veſcitur, vibrat; & mucore, quem in extremo ſpongioſum habet, muſcas, ſcarabeos, locuſtas, formicas ad ſe adducit.* Indè illi nomen حربا *chirba*, quaſi *jaculatricem* dicas. Nam حربة *charba* eſt *jaculi* aut *brevioris lanceæ genus.* Proinde herba *lonchitis*, cujus ſemen eſt lanceæ cuſpidi ſimile, *Arabicè* حربة *charba* dicitur. At *Græcè* χαμαιλέων unde vocetur minus patet, cum animal pigerrimo & timidiſſimo vix quidquam videatur eſſe cum leone commune. *Tertullianus* ubi ſuprà, *Chamæleontem qui audieris, haudantè gnarus, jam timebis aliquid amplius cum leone. At, cum offenderis apud vineam fermè ſub pampino totum, ridebis illicò audaciam nominis.* Tamen etiam *Poëtis Arabibus* باقرة *bakira* dicitur, id eſt, *leæna.* Iisdem enim باقر *bakir* eſt *leo.* Et chamæleoni ſimile animalculum vocatur ليث عفرين *leo Iphrin* à loco ubi naſcitur. *Alcamus*, ليث عفرين دابة كالحربا يتعرض للراكب ويضربه بذنبه *Leo* Iphrin, *animal ut chamæleon, quod equitem invadit, & cauda ſua percutit.* Itaque *leo* meritò dicitur, cum in chamæleontis corpore leonis habeat animum. Proinde, ſi conſtaret hoc animal notum fuiſſe *Græcis*, dicerem huic primo inditum *chamæleontis* nomen, poſtmodum ad alterum ſimile fuiſſe translatum. Sed, cum hujus animalculi meminerit nemo veterum, mihi fit veriſſimilius *chamæleontem* ut *Arabes* جمل *gemel* vocant, vel جمل يهود *jemel jehoud*, id eſt, *camelum Judaicum*, ut aſſerunt *Damir*, & *Abenbitar*: ità *Pœnos* in *Africa* גמל *gamal*, appellâſſe vel גמלין *gamalion*, unde facta ſit vox χαμαιλέων *Græco* more inflexa, ut videretur eſſe *Græca.* Neque obſcurum eſt, cur *camelum Arabes* appellaverint. Quippe ut vituli caput, & piſciculi corpus, & ſtellionis pedes, ità سنام البعير *cameli gibbum* illi tribuunt apud *Damirem*; quia cameli inſtar dorſum habet tuberoſum. Sunt &, qui مجوسي vocant, id eſt, *Magum*, vel *Maguſæum*; quia Solem videtur adorare, cum ad illum perpetuò obvertatur. Dicitur in horas mutari, prout lux Solis eſt vegetior, aut calor ejus intenſior; & manè eſſe cineritius, deinde flavus, poſtremo viridis, cum Sol maximè calet. Sed & in metu, aut ſi aliquid illi objiciatur, alios colores induit. Unde Proverbium de eo, qui in eodem ſtatu non permanet. تلون الحرباء *Mutavit colorem chamæleon.* Ut olim *Alcibiades* dictus eſt χαμαιλέοντ☉ ὑμεταβολώτερ☉ *chamæleonte mutabilior.* Eſum ejus interdicunt *Arabes*; quia venenatus eſt, & ſpecies وزغ *guezga*, ſeu *ſtellionis.* Apud *Avicennam*, & *Abenbitarem*, ſanguis ejus depilat palpebras. Apud *Damirem* fel removet caliginem, & adeps ad ulcera & cicatrices adhibetur. Apud *Alkazuinium* remedia ex chamæleone præſcribuntur in epilepſiam, grandinem, locuſtas, & incantationem. Sed his immorari diutiùs noſtri non eſt otii.

Tantum obſervabo *Hebræos* uſquè adeò ignorâſſe quod animal ſit chamæleon, ut avem eſſe voluerint. Teſtem habeo *Kimchium*, qui in *Lexico* diſquirens quid ſit לילית *lilith*, Eſ. 34, 14. ſcribit quoſdam aſſerere שהוא עוף גדל מן הרוח כמו סלמנדרא מן האש שקורין לו קמליאן Lilith *avem eſſe, quæ aëre veſcitur, (ut igne ſalamandra) quam chamæleonem vocant.* Quale eſt, quod in *Tanchuma* ſectione וישב fol. 18. a. ſalamandra deſcribitur araneæ ſimilis. Verba ſic habent. *Vitrarii, qui vitrũ conficiunt, cum fornacẽ accenderunt ſeptem diebus & 7. noctibus continuis, ex vi ignis* יוצא משם בריה הדומה לעכבית והבריה קורין אותה סלמנדרא *egreditur animal ſimile araneæ, quod animal vocatur ſalamandra.* Sunt, qui pro לעכבית *araneæ*, legi volunt לעכבר, *muri*; quod nihilo eſt ſanius, cum ſalamandra non ſit muri ſimilior, quam araneæ. *Hebræis* igitur animalium natura cum ſit tam parum perſpecta, illis temerè credendum non eſt in harum vocum explicatione.

In *Græca* verſione de *Ninive* dicitur *Soph.* 2, 4. χαμαιλέοντες, καὶ ἐχῖνοι ἐν τοῖς φατνώμασιν αὐτῆς κοιταθήσονται. *Chamæleones, & hericii in laquearibus ejus cubabunt.* At in *Hebræo* textu pro *chamæleonte* eſt קאת, quod illi ipſi *pelecanum* reddunt *Levit* 11, 18. & *Pſ.* 101. (*Hebr.* 102) 7. Quorſum igitur hic vox eadem pro *chamæleonte* ſumitur? Si cum Complutenſibus λέοντες pro χαμαιλέοντες ſcribamus, malo non medebimur; quia *Hebræum* קאת, non magis *leonem* quam *chamæleontem* ſonat. *Græcos* pro קאת legiſſe ſuſpicor לטאה, lacertæ genus, quod illis in *Levitico* καλαβώτης *ſtellio*, hic χαμαιλέων fuerit, ut hæ ſpecies non rarò confunduntur: aut καλαβώτης, vel quod idem eſt, γαλεώτης, mutatum in χαμαιλέοντες. Huc facit, quod chamæleon ἐν τοῖς φατνώμασιν *in laquearibus* recubare nuſquam legitur. Sed proprium id τοῦ καλαβώτου, vel γαλεώτου, *ſtellionis.* Hinc *Dioſcorides* libri ſexti capite primo ſub dio parari jubet eſculenta, & poculenta; aut, ſi parentur ἐν ὑποστέγῳ *in loco operto*, ἐπιμελῶς καταμανθάνειν τὰς ὀροφάς. πολλάκις γὰρ ἐκ τῶν ὑπερκειμένων πίπτει ζωΰφια φθοροποιά, ὥσπερ φαλάγγια, καὶ ἄλλα τινὰ ἑρπετά, καὶ ὁ καλούμεν☉ ἀσκαλαβώτης, *tecti convexa, aut laquearia*, (ſi mavis, *ſtudiosè conſiderare: ſæpè enim supernè decidunt lethifera animalcula, ut araneæ, & alia quædam reptilia, & qui vocatur ſtellio.* Et in *Nubibus Ariſtophanis* Actu primo de *Socrate* dicitur,

Ζηλῶντ@ αὐτοῦ τῆς σελήνης τὰς ὁδοὺς,
Καὶ τὰς περιφορὰς, εἶτ' ἄνω κεχηνότ@,
Ἀπὸ τῆς ὀροφῆς νύκτωρ γαλεώτης κατέχεσεν·

Eum, lunæ vias & circuitus quærentem, & sursum hiantem, è tecti laqueari noctu concacavit stellio. Sunt, quibus τὰ φατνώματα sunt *præsepia*. In quo errore perridiculo fuisse video *Græci* textûs interpretes. Quos tamen si sequaris, nihil egeris. Quia tam in præsepibus, quam in tectorum laquearibus versari solet stellio. *Aristoteles Historiæ* libri noni capite primo, Κωλώτῃ δ' ὄν@ πολέμι@. Κοιμᾶται γὰρ ἐν τῇ φάτνῃ αὐτῆς, καὶ κωλύει ἐσθίειν, εἰς τοὺς μυκτῆρας ἐνδυόμεν@· *Stellioni asinus hostis est. In ejus enim præsepi dormit stellio, & in nares penetrans prohibet nè comedat.* Cum Chamæleon in desertis locis degat. Sed capite sequenti de *stellione* plura dicentur.

CAPUT SEPTIMUM.

Probatur שממית *semamith*, Prov. 30, 28. non esse *Simiam*, neque *Araneam*, sed *Stellionem*.

Prov. 30, 28. שממית semamith, *alii* vermem, *aut* reptile alatum; *alii* simiam *esse volunt*, *alii* araneam: *qui refelluntur. Plerique recentiorum* araneam *esse volunt, quia* manibus apprehendere *dicitur*, *&* esse in palatiis Regum. *Contrà, aranea digitos quidem habet, sed nullas manus: nec* digitis apprehendere *sed nere diceretur. Et in pauperum casis degit potius, quàm in palatiis Regum. Itaque* semamith *aliud, nempe* stellio. *Ità* Græci, Hieronymus, Syrus, Chaldæus. *Et* סממיתא semamitha, *pro* stellione *sumitur* Levit. 11, 30. *Et à* Talmudicis, *cum dicunt* τὸ semamith *scorpioni esse terrori, quod explicatur.* Phile *obiter notata. Stellio remedium contra scorpionum ictus.* Græcè *hodie vocatur* Σαμιαμίνθη. *Stellio alius venenatus, alius innoxius. Ille* semamith *Hebræis, quia* סם sam, *est* venenum. *Et Arabicè* sammabras *a veneno, & maculis tanquam lepra: ut a* stellis STELLIO; *non à* stillis, *ut vult* Salonius. *Contrà,* סרם maris stilla, *non* stella. Γαλεώτης *Menandro* lentiginosus; *non* mustelinus, *ut à* Terentio *redditur. Cur* sammabras *leprosus.* Arabum *ratio fabulosa.* Arabibus *&* Græcis *animal æquè odiosum. Stellioni convenire quidquid de* semamith *habet* Solomon. *Stellio pusillum animal, sed solertissimum. Unde* stellionatus; *&* Siciliæ *vates* Γαλεοὶ, *cujus tamen vocis* alia origo. *Manus illi tribui etiam ab* Arabibus, *&* lacertos *dici à* lacertis, *seu brachiis. His apprehendit, seu supinus incedat, aut muscas venetur, aut araneas.* Plinius *notatus, &* Plutarchi *interpres. Stellionem in domibus versari, & esse cur. Cur in Regum palatiis tutiùs & libentiùs versetur, quam in privata domo.*

E Quatuor animalibus, quorum solertiam deprædicat *Solomon Prov.* 30, 28. ultimum est שממית *semamith*, quod *manibus apprehendere* scribit, *& esse in Regum palatiis*. De hoc animali magna lis inter Doctores *Hebræos*. Quibusdam explicantibus תולעת של מטר, *pluvialem vermem*. aliis שרץ של כנפים, *reptile alatum*, aut שרץ מה מהעופים, *reptile aliquod ex eorum numero quæ volant*. R. Jonas *semamith Arabica* voce خطاف *chottaph*, id est, *hirundinem*, exponit, quasi sit idē, quod סנונית *senunith*, quomodo *hirundinem Chaldæi* vocant, & *Talmudici* Doctores. Quod est prorsus absurdum, cum hirundo non habeat manus, quibus contrectet, & apprehendat, neque sit ex terrestribus animalculis, de quibus hic agit *Solomon. Quatuor sunt*, inquit, *pusilla terræ*. Itaque hæc explicatio nihil habet sanum. *Aben Ezra, Emmanuel, & Kabuenaki*, ut hæc vitarent incommoda, שממית *semamith*, maluerunt esse *simiam*, animal solertissimum, & in Regum deliciis, & manibus instructum hominis instar. Sed meo judicio majus, quam ut censeri possit בקטני ארץ *in pusillis animalculis*, qualia sunt *formica, chærogryllius*, & *locusta*. His enim exemplis *Solomon* anteà usus est. Allusionem vocis *semamith* ad *simiam* quidam incassum urgent. Neque enim aliunde *simia* nomen, quam à *simis* naribus. Ideo iidem *enares* (a) olim dicti. Et Πιθηκοῦσαι *Græcorum* Latinis *Enariæ* insulæ, ut in *Solinum* observat Cl. *Salmasius*. Multò aliter sentiunt *R. Levi, Kimchius, & Elias*, nempe שממית *semamith*, esse *araneam*, tam in Regum turribus, quàm in pauperum tabernis diversari solitam, atque inibi telam texere tanto pedum artificio, ut manuum vicem supplere queant. Ita etiam *Arabs* interpres manu-scriptus, qui hic habet العنكبوت *araneam*. Cui interpretationi summo consensu subscribunt *Santes, Arias, Mercerus, Munsterus, Castalio, Junius, Tremellius, Angli, Itali, Genevenses*, & si qui alii sunt recentiores interpretes. At observare debuerant viri *Hebraicæ* linguæ longè peritissimi, nullibi, nec in Scriptura, nec in veterum *Hebræorum* scriptis *araneam* dici שממית *semamith*; sed ubique עכביש *accabis*, unde *Chaldaicum* עכובית *accobith*; & *Arabicum* عنكبوت *ancabuths* hodieque in usu. Prætereà fateor pedes aranearum quandoque vocari *digitos*. Ut in *Ranis Aristophanis* Actu quinto,

a) Lib. 3. cap. 31. pag. 991. lin. 72.

Εἱλίσσετε δακτύλοις φάλαγγες ἱστότονα πηνίσματα,

Digitis torquete, ô araneæ, licia, quibus textorium jugum intenditur. Et *Ovidii Metamorphoseωs* libri sexti Fabula secundâ,

In latere exiles digiti pro cruribus hærent.

Et in *Pisidæ Hexaemero* versu 1152.

Τίς τοὺς ἀράχνας λεπτοδακτύλους πλάσας,
Νήθειν διδάσκει, καὶ πρὸς ἔργα τοὺς μίτους
Ἐκ τῶν παρ' αὐτοῖς ἐντέρων ἀναπτύειν;

Quis araneas tenuibus digitis factas nere docet, & ad opera filos ex propriis visceribus exspuere? Sed qui manus illis tribuat neminem reperire est. Quamvis enim araneæ pedes digitos utcumque imitentur, tamen in iis nihil est, quod ad manus formam accedat. Quin apud *Symposium Ænigmate* decimo septimo aranea disertè negat ullas sibi esse manus,

Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.

Dato tamen, non concesso, araneæ pedes pro manibus posse haberi; quia manuum vice funguntur: tamen eam *manibus apprehendere* non dixisset Divinus Scriptor, sed *nere*, vel *texere*, vel *stamina ducere*: quia quod pedibus contrectat, & apprehendit, leve est, & illi commune cum multis animalibus; quod texit, peculiare, & θαυματῶδες. Sed neque eam dixisset *esse in Regum palatiis*; quia ad Regalis aulæ cultum non satis conveniunt aranearum sordes. Et diversantur potiùs in pauperis *Euclionis* ædibus, in quibus

- - - - - *nihil est quæsti furibus,*
Ità inaniis sunt oppleta, atque araneis.

Ut in *Aulularia* scribit *Plautus*. In omnium ore versatur Apologus de podagra & aranea, inter quas convenisse ajunt, ut illa in opulentiorum palatiis, hæc in pauperum tuguriis diversaretur. Proinde cum aliquis *araneas in ædibus*, aut *in arca*, aut *in vasis*, aut *in loculis habere* dicitur, idem est, ac si dicatur *in tenui re vivere*. Hinc apud *Festum Afranius*,

Tamne arcula tua plena est aranearum?

Et *Catullus*, ut se excuset apud *Fabullum*, quod vocatum ad cœnam minus lautè excipiat:

- - - - - - - *tui* Catulli

Plenus sacculus est aranearum.
Hinc *Hesiodus* Operum versu 473,
Ἐκ δ' ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια,
E vasis autem ejicies araneas, id est, *inanitatem*, & *inopiam*. Proinde sic explicat *Scholiastes*, Εἰ καλῶς ἀροτριάσεις, καὶ σπείρεις, ἁδροὺς ἕξεις στάχυς (lege στάχυας.) Ἐκ δὲ τῶν σιτοφόρων σου κιβωτίων τῶν μέχρι τότε κενῶν ἐσκότων, καὶ διὰ τοῦτο ἀραχνιώντων, ἐξελάσειας τὰ ἀράχνια, καὶ ἐμπλήσεις δηλονότι ταῦτα τοῦ σίτου· *Si bene araveris, & seminaveris, densas habebis spicas: & ex frumentariis vasis tuis, quæ eò usq; vacua fuerant, ac proinde araneis plena, araneas ejicies, ut scilicet illa frumento impleas.* Ideo *Solomonem* araneis domum assignasse in Regum palatiis parum est verisimile.

Quid igitur erit שממית *semamith?* Plane aliud animal, nempe *stellio:* quod tam multa probant, ut in alia interpretatione quærenda docti frustrà se fatigent, cum hæc vera & certa sit, & loco maximè congrua. Hujus auctores habeo primum LXX. Interpretes, quibus שממית *semamith*, est καλαβώτης *stellio*. Fallitur enim *Mercerus* post *Complutenses*, qui καλαβώτην ibi *piscis* genus esse affirmant. In *piscium* quidem genere est καλαβώτης, sed & in *lacertorum*. Utrumque est in *Hesychio:* Καλαβώτης, ἰχθύς ποιός, καὶ σαῦρος. Nimirum καλαβώτης idem, qui ἀσκαλαβώτης. Hinc *Levit.* 11. *v.* 30. *Complutensis* & *Parisiensis* editio, pro *Hebræo* הלטאה, καλαβώτην habent, ubi reliquæ ἀσκαλαβώτην. Neque verò quisquam credat *Græcos* ita insanivisse, ut ἐν ἐλαχίστοις ἐπὶ τῆς γῆς *piscem* computaverint. 2. *Græcis* addo *Hieronymum*, apud quem שממית *semamith*, hic est *stellio*. 3. *Syrum* quoque interpretem, cui ܐܡܩܛܐ *amakiba*, vel *amkatha*, id ipsum est, ut supra (b) abunde probavimus in capite de אנקה *anaka*. 4. Ut & *Chaldæum* אקמטא *akmetha*, mutato literarum ordine, ut in *forma* ex μορφή.

b) Cap. 2. pag. 1065. lin. 40. &c.

Præterea illa ipsa vox שממית *semamith*, pro *lacertæ* genere, adeoque pro *stellione*, nobis etiam aliunde nota est. Quippe *Lev.* 11, 30. legitur ࠔࠌࠌࠉࠕ vel ࠔࠌࠌࠉࠕࠀ *semamitha*, in *Samaritano* interprete, & in *Chaldæis* duobus, *Jonathane*, & altero, cui ab urbe nomen. In illo, pro אנקה *anaka:* in his pro לטאה *letaa*, ubi in *Græca* versione καλαβώτης, & *stellio* in *Romana*. *Hebræos* denique veteres sic usurpavisse palam est ex eo, quod legitur in *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* cap. 8. pag. 77. b. אימת שממית על העקרב, *Terror* semamith *super scorpionem*. Quibus verbis innuunt, hoc animal scorpioni esse terrori. Unde apparet *semamith* non esse *araneam*. Eam enim cum scorpione inimicitias exercere, aut illi terrori esse nemo scripsit. At de scorpione sic *Plinius* libri vigesimi noni capite quarto, *Scorpionibus contrarius maximè stellio traditur, ut visu quoq; pavorem iis afferat, & torporem frigidi sudoris.* Et *Ælianus Historiæ* libri sexti capite vigesimo secundo, Ἔχθιστα δὲ τῷ μὲν λέοντι πῦρ, καὶ ἀλεκτρυών· ὑαίνῃ δὲ τῇ παρδάλει· σκορπίῳ δὲ ἀσκαλαβώτης, ναρκῇ γοῦν τὸν σκορπίον καταλαμβάνει προσαχθέντος εἰ τὸ ζῷον τὸ προειρημένον· *Inimicissima sunt leoni quidem ignis, & gallus; & hyænæ panthera; & stellioni scorpius, quo admoto, torpore afficitur.* Et *Galenus* libri primi *De theriaca ad Pisonem* capite nono, Ὁ δὲ ἀσκαλαβώτης, ὀφθεὶς ὑπὸ τῶν σκορπίων, ναρκοῖ αὐτοὺς, καὶ οὕτως ἀναιρεῖ· *Stellio, visus a scorpionibus, obstupefacit eos, atque ita interimit.* Et *Isidorus* libri duodecimi capite quarto, *Scorpionibus stellio adeo contrarius traditur, ut, viso eo, pavorem iis afferat, & torporem.* Et *Phile* capite vigesimo nono ex *Æliano*, perperam lecto, & intellecto;

- - - - - - ἡ δ' ὕαινα πάρδαλιν,
Καὶ ἀσκαλαβώτην ὁ φθονερὸς κλὼψ σκορπίος,
Νάρκη δὲ τοῦτον - - - - - -

Et hyæna pantheram (supple δυσμενῆ κρινεῖ *infensam putat*, quod è superioribus repetendum) & *stellionem perditor fur scorpius, torpedo autem illum.* Cùm in *Æliani* verbis, νάρκῃ γοῦν τὸν σκορπίον καταλαμβάνει, vox νάρκη non sit *torpedo* piscis; sed *torpor*, qui scorpionem invadit, stellione viso. Si cum nonnullis corrigas ναρκοῖ δὲ τοῦτον, *cum autem* (stellionem) *obstupefacit* (scorpius,) *Phile* rem falsissimam dixerit, nempe stellionem à scorpione obstupefieri, cum contra scorpionem obstupefaciat stellio. Quin *Democritus*, *Plinius*, *Galenus*, *Aëtius*, *Diophanes*, alii stellionem dissectum, & in oleo mersum, & putrefactum, præscribunt, ut remedium efficax contra scorpionum ictus. Neque in eo leve momentum est, quod hodieque vulgari *Græcorum* linguâ *stellio* appellatur σαμιαμίθος, palam detorto nomine ex *Hebræo* שממית *semamith*. *Glossæ*, Ἀσκαλαβώτης, τὸ σαμιαμίθιον. A *Gesnero* scribitur Σαμιάμιθος, & ψαμαμίθα· à *Bellonio* SAMIAMITOS, qui pro *Chalcidica lacerta* perperam sumit. Vide *Salmasium* in *Solinum* pag. 1161.

Sunt, qui שממית *schemamith*, per *Schin* scribunt, ac si fiat à שמם *schamam*, id est, *obstupefacere*. Quod ipsum rectè convenit naturæ stellionis, qui scorpionem solo visu obstupefacit, ut docuimus. Sed in *Kimchio*, & *Bibliorum* purissimis exemplaribus, שממית *semamith*, scribitur per *Sin Semol;* ut סממית per *Samech* in *Talmudicis*, & in Paraphrasi *Samaritana*. Ita ut deducatur à סמם סם non à שמם, id est, *à veneno*, non à *stupore*. Ut igitur vera ratio nominis intelligatur, sciendum est, duas tradi stellionum species; unam innocui morsus, alteram venenati. Quamvis, quibus nascantur locis, non conveniat inter scriptores. Venenatos *Philosophus* (c) *Italiæ* & *Siciliæ* adscribit, innoxios *Græciæ*. Contra, *Theophrastus* apud *Plinium* libri octavi capite trigesimo primo auctor est *stelliones, mortiferi in Græcia morsus, innoxios esse in* Sicilia. Etiam in *Thracia* stellio perniciosi morsus est, ut habetur in *Nicandro*. Et *Compluti Bustamantinus* stelliones tam perniciosos esse asserit, *ut, casu cibis permisti, integros populos vastaverint.* Hinc in stellionis morsum tot remedia præscribunt *Aëtius*, *Paulus*, & *Avicenna*. Et *Columella* libri decimi capite septimo alveariorum foramina vult esse angustissima, *ne venenatus stellio per laxiora spatia januæ favos populetur. Venenati* Epithetum addidit διακριτικῶς, quia alius est innoxius. Venenato *stellionis* nomen magis convenit, si verè asserit *Verrius* apud *Varronem*, & *Festum*, *stellionem* ideo dici, *quod virus stillet*. Eidem nomen סממית *semamith*, impositum; quia סם *sam*, *Hebræis* & *Syris* est φάρμακον, seu *venenum*; & *Arabicè* سم *samma* Verbum *veneno inficere*. Ergo propriè סממית *semamith*, est σαῦρα φαρμακίς, vel φαρμακῖτις. Quod ipsum nomen a *Græcis* usurpari video sensu parum diverso. *Nicander* in *Alexipharmacis* versu 537.

Φαρμακίδος σαύρης ποτὲ ὑμνήεντος, ἣν σαλαμάνδρην
Κλείουσιν. - - - - - - - -

Vides ibi σαῦραν φαρμακίδα, *salamandram* esse, lacertæ genus stellioni tam simile, ut pro stellionis specie à nonnullis habeatur. Proinde ibi *Scholiastes*, Ἡ σαλαμάνδρα, εἶδος ἀσκαλαβώτου. Tamen in *Aëtii Tetrab.* 4. Serm. 4. cap. 52. *salamandra*, *stellio*, & *lacerta venenata* Græcis σαῦρα φαρμακῖτις, diversa sunt animalcula, sed inter se simillima. *Salamandra*, inquit, *animal est stellioni simile, aspersum, & scabrum magis lacertâ venenatâ.* Forte *stellionis* nomine solum innoxium, & nomine *lacertæ pharmacitidis*, seu *venenatæ*, à salamandra diversæ, stellionem morsu noxium intelligit. Sic *lacerta pharmacitis* erit eadem, quæ סממית *semamith*.

Eodem facit, quod *Arabes* duas memorant stellionis venenati species, quæ differunt sola magnitudine. Major

c) Hist. anim. lib. 8. cap. 29. & in Mirabil.

Major vocatur سام ابرص *sammabras*, & minor وزغة *vvezga*. Et nominis *sammabras* compositi ex سام & ابرص pars prior ex *semamith* decurtata est, & *venenatum* sonat; posterior *leprosum*, vel *lepræ maculis infectum*. Ergo, ad verbum, *sammabras* est *semamith leprosa*, vel *lacertæ species veneno & lepræ maculis insignis*. Nempe in stellione hæc duo notanda sunt: primò quod venenatus est, de quo jam actum; secundò, quod leprosus est, id est, maculis distinctus tanquam lepræ. Quorum utrumque continet *Arabicum* SAMMABRAS, *Hebraicum* SEMAMITH solum prius. *Damir*, وانما سمي هذا النوع سام ابرص لانه سم اي جعل الله فيه السم وجعله ابرص *Utiq; hæc lacertæ species nomen habet* sammabras, *quia venenatus est*, *id est*, *venenum in eo posuit Deus*, *&* (insuper) *fecit eum leprosum*. Stellionis maculas *Romani* honestiori nomine *stellas* vocarunt, unde *stellionem* ipsum animal. *Ovidius Metamorphoseus* libri quinti Fabula 7.

- - - - - - - - *aptumq; colori*
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Salonius *in* Proverbia: *Quod genus animalis est* stellio? *Genus lacertæ valde pigrum*, *& colore varium*. *Unde nomen accepit* stellio, *quia quasi* stellis. *id est*, *guttis*, *distinctus & variatus est*. In quibus *Poetam* ita sequitur, ut *stellas* pro *stillis*, seu *guttis*, accepisse videatur. Ut contrario errore מרים, *Marjam*, Syrum *Mariæ* nomen, *maris stellam* multi exponunt pro *maris stilla*. Sed & *lentigines* vocat *Plinius*, cum de *Græco* stellione scribit libri vigesimi noni capite quarto: *Est hic plenus lentigine*. Hinc eunuchus lentiginosus à *Menandro* γαλεώτης, id est, *stellio*, nuncupatus, propter faciei maculas. Quod *Terentius* in *Eunucho* (e) perperam reddidit, *colore mustelino*, quasi γαλεώτης ἀπὸ τῆς γαλῆς, id est, *à mustela*, dictus fuisset, ut *Donatus* ibi observat.

(e) Act. 4. Sc. 4.

In *Alkazuinio sammabras* definitur الـــوزغ الصغير الراس الطويل الذنــب *alvvezgo* (seu *stellio*) *parvi capitis*, *& longæ caudæ*. In *Damire*, & *Alcamus*, animal مــن كــبـار الــوزغ *è magnis guezgis*, seu *stellionibus*. Fabulantur *Arabes* lepram illi fuisse immissam in pœnam admissi criminis; quia scilicet flatu suo accendit ignem, in quem conjectus est *Abraham*. Lepram generari addunt esu salis, in quo volutatus est, aut mucilaginem emisit. Proinde hoc animal *Arabibus* est maximè odiosum. Et dicit *Jabius Jameri* filius, chariorem sibi esse eum, qui occidit centum stelliones, quam qui redemit مائة رقبة *centum colla*, id est, *centum servos*. In quam rem multa citantur à *Mahomete* dicta. Nec minus odiosus fuit veteribus *Græcis* stellio. *Antonius Liberalis* ubi supra de stellione, Ὑπὸ Θεῶν καὶ ὑπὸ ἀνθρώπων μεμίσηται· ὁ δὲ ἀποκτείνας κεχαρισμένος γίνεται Δημήτρι. *Diis & hominibus est odiosus: &* Cereri *rem gratam præstat, qui eum interficit*. Tamen ad multa est utilis, quæ non sunt hujus loci. Sed non possum non observare quod in capite *De sammabras* habet *Alkazuinius*, لحمه يوضع على لسع العقرب ينفع نفعا بينا *Caro ejus*, *cum ponitur super puncturam scorpionis*, *habet usum manifestum*. Ita etiam *Damir*. Ut constet idem esse animal cum stellione, de quo supra: quamvis *Avicenna* quandoque usurpet pro *vulgari lacerto*.

Jam, si ea excutiantur, quæ de *semamith* habet *Solomon*, omnia reperientur quadrare in *stellionem*. *Quatuor sunt*, inquit, *pusilla terræ* (*Græci* ἐλάχιστα ἐπὶ τῆς γῆς) *sapientia tamen*, *tanquam sapientiam edocta*. In his meritò censetur stellio, pusillum animal, & valde solers. De brevitate staturæ sic *Ovidius*,

Inq; brevem formam, *ne sit vis magna nocendi*,
Contrahitur, *parvâq; minor mensura lacertâ est*.

Claudianus, vel quisquis est in *Cereris ærumnis*;

Apparent maculæ, *forma est brevis*, *illita cauda*
Surgit, *& exiguæ similat vaga membra lacertæ*.

Porphyrius apud *Eusebium* libro quinto *Præparationis*,

Ζωοῖσιν λεπτοῖσι κατοικιδίοις σκαλαβώταις,
Parvis animalculis, *domesticis stellionibus*.

Solertiæ stellionis multa sunt argumenta. *Hesychius*, in Καλώτης, stellionem ait, εὐεπήβολος ἀλιεῦσαι περὶ τὰς μυίας, *industriè salire circa muscas*; nempe, ut eas capiat. *Phavorinus* ineptè, περὶ τοὺς μῦς, *circa mures*: quibus cum stellione nihil est negotii. Sed de muscis etiam *Augustinus* libri decimi *Confessionum* capite trigesimo quinto, *Quid*, *cum me domi sedentem stellio muscas captans*, *vel aranea retibus suis irruentes implicans*, *sæpe intentum facit?* Aliud affert *Theophrastus* in libro *De anim. invid.* sed minus certum: Ὅτι ὁ γαλεώτης, φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις, καταπίνει τὸ δέρμα, ὅταν ἐκδύνηται· ἔστι γὰρ βοήθημα ἐπιλήπτοις. *Stellionem*, *hominum utilitati invidentem*, *proprium vorare corium*, *quamprimum eo exuitur*. *Juvat enim illud comitiali morbo laborantes*. Idem habent *Antigonus Mirabilium* capite vigesimo quarto, & *Apulejus Apologia* pro se prima. Et inde concludit *Plinius* libri trigesimi capite decimo, *nullum animal fraudulentius invidere homini*. Indidem *stellionum*, & *stellionatus* nomen in maledictum translatum. Sunt & qui *Galeotas*, in *Sicilia* portentorum interpretes solertissimos, ab hujus animalis industria nomen traxisse putent. Quò hæc *Stephani* referunt, Γαλεῶται μάντεών εἶδος Σικελῶν· Γαλεὸς δὲ, ὁ ἀσκαλαβώτης, (ubi pro γαλεὸς legendum γαλεώτης.) Sed quia *Hebraicè* גלה *gala* est *revelare*, quod vatum maximè proprium, *Galeotarum* nomen *Hebraicum* esse suspicor, ut & alia magno numero, quæ, cum *Phœnicum* coloniis, in *Siciliam* translata fuisse alibi probavimus.

At ipse *Solomon* stellionis industriam abundè probat his verbis: *Manibus apprehendit*, *& est in palatiis Regum*. Cur illi *manus* tribuat, nemini est obscurum. Ut *lacertus* à *lacertis*, id est, brachiis, nominatur: ita *stellio Græcè* κωλώτης ἀπὸ τῶν κώλων. Κῶλα sunt *manus* & *pedes*. *Manus* appello pedes anteriores cum *Avicenna*, qui (f) عظاية *adhajam*, id est, *salamandram* (ex *Avicennæ* mente) non aliter in melle servari scribit, quàm si eviscaretur, & resecentur يداها ورجلاها *illius manus*, *& pedes*: pro eo, quod *Dioscorides*, φυλάσσεται ἐν μέλιτι ἐξεντερισθεῖσα, τῶν ποδῶν ἀφαιρεθέντων. Si salamandra habet manus, quidni etiam stellio animal salamandræ simillimum?

(f) Lib. 2. Can. c. 2. عظاية quod modo Lagomia: pro.

Ita *Damir* capite حردون *Chardaun*, seu *De terrestri crocodilo*, له كف ككف الانسان مقسومة الاصابع الا انامل *Illi manus est instar manus hominis*, *cum digitis in articulos divisis*. Sed & lacerti cujusvis pedes, præsertim anteriores, rectè *manus* appellaveris, cùm sint instar manuum. *Gesnerus*, ex propria inspectione; *Lacertus à similitudine*

tudine lacertorum *hominis, quod pedes eorum similiter in digitos, tanquam è volis, aut palmis, findantur.* Idem, *Digiti perexiles ante & retro quini cum unguiculis. In posterioribus longissimus, qui indicis situm obtinet; pollex inferiore loco, ut in manibus hominis: anteriores vero pollicem cum cæteris eodem situ habent.* Vides anteriores pedes, seu lacertos verius, ad humani brachii & manus formam esse, pares numero digitos, & in eodem situ. Talibus lacertis *manuum* appellatio quantò convenit magis, quam phalangis aranearum?

Jam, quod stellio *manibus* dicitur *apprehendere*, vel ad incessum refero, vel ad venatum. Cum enim supinus incedit è laqueari pendulus, cum vel in rimulis necesse est unguiculos defigere, vel amplecti manibus quidquid eminet, aut scabrum est. Supinum autem incedere disertis verbis asserit *Philosophus Historiæ* libri noni capite nono, ubi de pico sic agit; Πορεύεται ὕπτιος καθάπερ οἱ ἀσκαλαβῶται· *Ingreditur supinus ut stelliones.* Et in *Mirabilibus*, Τὸν δρυοκολάπτην τὸ ἔργον ὅτι τῶν δένδρων βαδίζειν φασὶν ὥσπερ τοὺς ἀσκαλαβώτας, καὶ ὕπτιον, καὶ ἐπὶ τὴν γαστέρα· *Picum in arboribus incedere ajunt, ut stelliones, tam supinum, quam pronum.* Mirum cur ἀσκαλαβώτας *feles* reddat *Plinius*, & ὕπτιον in *subrectum* pro *supino*, cum dicit libri decimi capite decimo octavo, *arborum cavatores* (id est, δρυοκολάπτας *picos*) *scandere in subrectum felium modo.* Maximè, cum idem libri vigesimi noni capite quarto agnoscat *stellionem* Græcè vocari *coloten*, *ascalaboten*, & *galeoten*: ne quis *Græca* stellionis vocabula *Plinium* ignorasse putet. Tale est, quod legitur in *Plutarchi* libro *De facie in orbe Lunæ*, esse valde paradoxum, quod *Geographi* docent, ἀντίποδας οἰκεῖν, ὥσπερ θρῖπας, ἢ γαλεώτας, τετραμμένους ἄνω τὰ κάτω, τῇ γῇ προσεχομένους, *terram inhabitare antipodes, qui, instar teredinum, aut stellionum, imis corporum partibus sursum obversis, terræ adhæreant.* Ubi itidem primi interpretes pro *stellionibus feles* scripserant.

Manibus etiam ad venationem stellionem uti diximus, cum muscas captat, aut araneas. *Bochartus*..., *Arripit manibus* ... *pollicentibus. Pedes imò fallaces, qui motui inservire tenebantur, vice manuum succedunt, rapinam exercent, & manus sunt illi pedes, quibus innititur in motu, & pedes manus, quibus arripit prædam.* Meritò igitur *Solomon*, *Manibus apprehendit stellio*, seu gradiatur supinus, aut in prædam se conjiciat. Utrumque mirabile, & notatu dignissimum in tenui animalculo. *Græci* hic habent, Καλαβώτης χερσὶν ἐρειδόμενος· & *Hieronymus*, *Stellio manibus nititur*; *Arabs* etiam ببديه يتشبث *nititur manibus suis*: tanquam ad incessum hæc referentes. Sed nemo facile dixerit quid in *Chaldæo* sit אקמתא דמסככה בידיה. Neque enim capio quid sibi velit *Latina* versio, *Aranea manibus tegumenta facit.* Nec multò melius *Gabriel*, qui *Syra* Paraphrasis eadem verba sic reddidit: *Stellio, qui serpit manibus suis.* Et legerim potius *sepit*, quia סכך, *sepire* est. Sed quorsum stellio *sepire* dicatur, aut *tegumenta facere*, nullus capio. Hic quoque hæsit *Drusius Observationum* libri decimi capite sexto, & locus illi est de mendo suspectus. Et, pro מסככה, *sepit*, aut *tegit*, modo legi vult מסבכה, per *Beth*, *implicans*, aut *perplexum opus faciens*; quod dicatur de araneæ tela: modo מספנה, *nitens*; quod de stellione dicatur: ut sic *Chaldæus* conveniat cum *Græcis* & *Romano* interprete. Sed *Chaldæum* interpretem præstat cum *Hebræo* textu conciliare, in quo תתפש, est *apprehendere*. Proinde *Theodotion* reddiderat ἐμπλεκόμενος. Malim igitur pro מסככה, *mesacceca*, legere מפככה *mephacceca*, Pe pro *Sameth*, quæ literæ figura non sunt prorsus absimiles. Nempe פכך, *Chaldæis* idem, quod *Hebræis* תפש, *capere*, *apprehendere*. Sic *Prov.* 5. *v.* 22. in editione *Veneta*, *Funibus peccatorum suorum* אתפכך, *captus*, aut *apprehensus est*.

Semamith *in palatiis Regum versatur* addit *Solomon*: quod unum habuit *Mercerus*, quod objiceret. *Semamith*, inquit, *noster interpres stellionem exponit, quod quadrare non videtur; quia in aulis Regum non versatur.* At in domibus versari stelliones credo non ignoravit vir doctissimus, cum id uno ore clament ferè quotquot sunt, qui de stellione scripserunt. Proinde apud *Eusebium* *Porphyrius* vocat κατοικιδίους ἀσκαλαβώτας *domesticos stelliones*. *Suidas*, *Etymologus*, *Phavorinus*, & *Græcorum* alii definiunt ζωΰφιον ὅμοιον σαύρᾳ ἐν τοῖς τείχεσι τῶν οἰκημάτων ἀνέρπον, *lacertæ simile animalculum per domorum parietes serpens.* Ita etiam *Elluchasem*, *Bagdadensis* Medicus, in libro *De animalibus*; *Stellio est lacerta inhabitans domos.* Hinc τειχοβάτην appellat *Kiranides*. Et in *Hispania* Catalauni *dragon de las casas*, id est, *draconem domorum*. In veteribus præsertim ædificiis habitare tradunt *Niphus* in *Aristotelem*, & *Ponzettus* in libro *De venenis*. Sed & in novis conspici *Marcellinus* apud *Hermolaum* asserit. Juxta *Philosophum* (g) degit *in præsepibus*: juxta *Antoninum Liberalem* (h) παρ' ὀχετοῖς, *prope cloacas*: juxta *Plinium*, (i) *in locis hostiorum*, *fenestrarumq́ue*, *aut cameris, sepulcrisve*: juxta *Arnobium*, (k) *sub simulacrorum cavis nidamenta ponit*. Eidem assignat *Matthiolus* (l) *cava murorum prope terram*. Sed laquearia veteres, & convexa tectorum, ubi supinus ambulet. Proinde, præter *Aristophanem*, & *Dioscoridem*, quos supra (m) jam citavi, etiam in *Avicenna* (n) legas quandoque stellionem supernè in potum cadere, & in venenum illud vertere, si in eo moriatur. Hæc, nisi fallor, abundè probant, agreste animal non esse stellionem, sed domesticum. Porro nullus video, quo privilegio Regales domus ab hac peste sint immunes. Imò, quò major in illis est lapidum strues, & congeries, eò sunt profundiores in parietibus fissuræ, & rimulæ. Unde non absurde colligas talia animalcula, quæ in murorum foraminibus ferè versantur, in Regum aulis, & palatiis, etiam tutius degere, quam in privata domo.

g) Hist. lib. 9. cap. 1.
h) Metam. 24.
i) Lib. 30. c. 10
k) Lib. 6.
l) In Diosc. lib. 6. cap. 1.
m) Pag. 1082. lin. 65. &c.
n) Avic. Lib. 6

CAPUT OCTAVUM.

Cur Idolorum aræ dicantur esse ὡς χελῶναι *ut testudines* in *Græca* versione *Os.* 12. *v.* 12. Et de *chelonide* Holofernis *Judith.* 14. *v.* 13.

גל gal, *pro acervo lapidum vox notissima: tamen* Os. 12. v. 11. (al. 12.) *aliter à* Græcis *accepta, qui* גלים *reddunt* ὡς χελῶναι. *Fortè legendum* ὡς κολῶναι. *Vel id ex* Syrorum *usu sumptum; quibus* ܓܠܐ gala *est* mas testudinis, *ut* Arabibus غيلم gailam. *Origo vocis. In* Osea *præter* Græcos *sic sumunt* Syrus & Arabs. *Tamen recepta versio præferenda. Gallim alludit ad* Galgal. *Similes alibi allusiones.* Χελωνὶς *in libro* Judith *non est, quod putatur; sed* القبة alkobba, *hodie* alkova, *quæ olim camerati vel testudines fuit operis, ut hodieq́; apud* Arabes. *Potuit etiam* χελωνὶς *à materia dici; quia olim in magnatum spondis multus fuit testudinis usus.*

Nulla vox est *Hebræis* notior, quâm גל *gal*, pro *acervo lapidum*. Inde nomen habuit *Galaad*, mons celeberrimus in terra *Chanaan*, Gen. 31. v. 48.

Et

Et *Gallim*, oppidum prope *Accaronem*, de quo 1. *Sam.* 25. *v.* 44. *Eſa.* 10. *v.* 30. *Euſebius* & *Hieronymus* in locis. *Achane* lapidibus obruto, quia de anathemate acceperat, in rei memoriam ſuper eum congeſtus eſt *lapidum magnus* גל *gal*, (*ſeu acervus*) *Joſ.* 7. *v.* 26. Ita etiam ſuper rebellis *Abſalomi* cadaver, 2. *Sam.* 18. *v.* 17. Domus quoque, & urbes, quæ diruuntur, redigi leguntur לגל, *in gal*, (id eſt, *acervum*) *Eſa.* 25. *v.* 2. aut לגלים, *in gallim*, (id eſt, *acervos*) Job. 15. v. 28. & *Jerem.* 9. *v.* 11. & 51. *v.* 37. Et fieri גלים נצים, *gallim nitſim*, (id eſt, *vaſti acervi*) 2. *Reg.* 19. *v.* 25. Itaque nihil obſcurum eſt in his *Oſe.* 12. *v.* 11. (al. 12.) *Aræ eorum* כגלים, *ut gallim* (*ſeu lapidum acervi*) *ſuper porcas agri.* Agit *Propheta* de aris, quas *Galgalus* idololatræ Diis ſuis non ſolum in urbe extruxerant, ſed & in vicinis agris: & confert cum acervis lapidum ab iis congeri ſolitis, qui lapidoſos agros expurgant. *Græci* tamen interpretes, quibus גל *gal*, alibi eſt βουνός, *tumulus*, χῶμα *agger*, σωρὸς *acervus*, συναγωγὴ λίθων, *collectio lapidum*, in hoc *Oſeæ* loco Plurale גלים *gallim*, plane aliter, nempe χελώνας *teſtudines* reddunt. Τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν, (inquiunt) ὡς χελῶναι ἐπὶ χέρσον ἀγροῦ, *Altaria eorum ut teſtudines ſuper deſertum agri.* Et ad illa verba *Theodoretus* teſtudinem obſervat in aquis natantem piſcatorum manus facilius evadere, cum eadem in terra gradiens ſit πρόχειρος, καὶ εὐάλωτος· quomodo futurum erat, ut *Galgalitarum* aræ facile caperentur, & ab hoſtibus ſubverterentur. Maluit *Hieronymus* quæ de altaribus dicuntur transferre ad Hæreticos, qui, teſtudinum inſtar, ſunt tardi greſſibus, & in uno moventur loco, *&c.* Quibus fortaſſe prudentior videbitur *Cyrillus*, cui χελῶναι hoc loco non ſunt animalia, ſed αἱ τῶν χωμάτων ἐγέρσεις, *aggerum extructiones*: ut *Druſio* etiam *teſtudines* ſignificant γεώλοφους *terræ tumulos.* Et his libenter accederem, ſi quod daretur exemplum ſimilis locutionis. Sed, cùm nullum proferatur, duo habeo, quæ conjiciam. Unum, pro ὡς χελῶναι, legendum eſſe, ὡς κολῶναι, quæ vox pro *tumulis* ſæpe uſurpatur. Ut *Iliad.* β'. verſu 811.

Ἔστι δέ τις προπάροιθε πόληος αἰπεῖα κολώνη,

Eſt autem prope urbem celſus quidam tumulus. Et Apollonii *Argonauticῶn* lib. 1. verſu 1114.

Φαίνετο δ' ἠερόεν στόμα Βοσπόρου, ἠδὲ κολῶναι
Μύσιαι. - - - - - - - -

Apparebat autem nebuloſum os Boſphori, *& juga* Myſiæ. Utuntur & proſaici ſcriptores: ut *Polemo* apud *Athenæum* libro decimo tertio, & alius apud *Suidam*: & *Pauſanias* in *Laconicis*, ubi de *Colona*, *Spartæ* loco. *Heſychio* κολώνη eſt τόπος ὑψηλός, καὶ ἐπανάστημα γῆς βουνοειδές, *locus celſus, & terræ eminentia in tumuli modum.* Et *Homeri* Scholiaſtæ τόπος εἰς ὕψος ἀνήκων, καὶ γεώλοφος ἐξοχή, *locus in altum elatus, & clivoſa prominentia.* Altera conjectura eſt גלים *gallim*, hic χελώνας, ſeu *teſtudines*, ex uſu *Syræ* linguæ, reddi, qua ܓܠܐ *gala* eſt *teſtudo*. Itaque *Syrus* hic habet, ܐܝܟ ܓܠܐ, id eſt, *quaſi teſtudines*, juxta *Gabrielem Sionitam.* Et in *Syro* Lexico *Johannis Baptiſtæ Ferrarii* pagina 107. ܓܠܐ *gala*, *teſtudo* redditur. Tamen in *Theſauro Thomæ à Novaria* paginâ 241, *Syræ* voces ܫܠܘܦܝܬܐ *ſeluphitha*, & ܓܠܐ *gala*, ſic diſtinguuntur, ut illa *teſtudinem* in genere ſignificet, hæc nonniſi *maſculum teſtudinis.* Quod puto eſſe verius; quia eundem *Arabes* non ſine alluſione ad hoc verbum غيلم *gailam* vocant. Ita teſtantur *Giauhari*, *Alcamus*, *Damir*, alii. Et nomen à *libidine* factum. Quippe غلم *galam*, *libidinem* ſonat, & غلم *galima* Verbum *libidine ardere.* Unde *marem teſtudinis* meritò غيلم *gailam* appellari doceant hæc *Æliani Hiſtoriæ* libri decimi quinti capite decimo nono, Χερσαία χελώνη ζῷον λαγνίστατον· ἀλλὰ ὅγε ἄρρην. ὁμιλεῖ δὲ ἡ θήλεια ἄκουσα. *Terreſtris teſtudo animal eſt ſalaciſſimum; illius mas ſcilicet: fœmina enim nonniſi invita coit.* Et à coitu ſcribit *Damoſtratus* illam ideò abhorrere; quia, cùm à mare reſupinata propter nimium teſtæ pondus non poſſit ſe erigere, poſt coitum aquilæ in prædam patet, & aliis animantibus. Sed puto verius, quod alii ſcribunt, eam in ipſo coitu gravi dolore affici; quia durum & aculeatum eſt maris veretrum. Taceo *Damoſtrati* fabulam, à *Damire* non prætermiſſam, de herba quadam ignota, quam mas in ore habens repugnantem ad ſe allicit. Interim licet non ſolis *Græcis*, ſed *Syro* quoque, & *Arabi* גלים *gallim* in *Oſea* ſint *teſtudines*, cauſam tamen non video, cur à recepta illius loci verſione diſcedamus. Idolorum aras, in agris paſſim obvias, cum propter vilitatem, tum propter frequentiam, cum iis lapidum acervis, quos diximus, rectè conferri nemo non videt. Ut taceam, eminus intuentibus non abſimilem eſſe ſpeciem. Sed coactum, & longè petitum eſt, quidquid affertur, ut inter eaſdem aras & teſtudines adſtruatur ſimilitudo. Poſſunt etiam *Oſeæ* verba ſumi tanquam Propheticè dicta, quaſi vaticinetur *Galgalitarum* aras brevi futuras כגלים, ut *lapidum acervos, qui ſunt in agris*, id eſt, brevi diruendas. Neque negligenda eſt alluſio vocis *Galgal* ad גלים *gallim*. Ita ut *Galgal*, & illius aræ futuræ dicantur, ut *gallim*, ſeu *lapidum acervi.* Quomodo *Sophon.* 2. *v.* 4. *Aza* (ſeu *Gaza*) *erit* עזובה, (azuba) *derelicta. Et Accaron* תעקר (theaker) *eradicabitur.* Ut in Pſeudo-*Sibyllinis*,

Καὶ Ῥώμη ῥύμη ἔσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος·

& in hiſtoria *Suſannæ* σχίσαι & πρίσαι alludunt ad arborum nomina σχῖνον & πρῖνον.

Cum truncum *Holofernis* projectum reperiſſe legitur *Bagoas* ἐπὶ τῆς χετλωνίδος, *Judith.* 14. *v.* 13. alii rectè obſervant pro χετλωνίδος, voce nihili, legendum χελωνίδος, quomodo legerunt *Heſychius & Suidas*; & χελωνίδα dici ἀπὸ τῆς χελώνης, *à teſtudine.* Sed quid tandem ſit χελωνὶς non ſatis conſtat. *Vulgatus* interpres *cortinam* reddit. Plerique recentiorum *ſtratum*, aut *lectum*; quos facile eſt refellere. *Judith* enim *Holofernis* caput amputaverat, καὶ ἀπεκύλισε τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀπὸ τῆς στρωμνῆς, *& corpus ejus à ſtrato evolverat*, cap. 13. v. 10. Χελωνὶς igitur, in qua hoc corpus ἐῤῥιμμένον *projectum* reperit *Bagoas*, à ſtrato, & lecto quid diverſum eſt. *Heſychius*, in χελωνίδος, exponit οὐδὸς τῆς θύρας τῆς σκηνῆς, *limen januæ tabernaculi.* Ita etiam *Suidas* ex eo corrigendus, cum ſcribit ὅδος pro οὐδοῦ. Quod parum eſt veriſſimile; cum quia nomen non quadrat, tum quia *Holofernis* corpus è ſtrato devolutum eſt in chelonidem. *Chelonis* igitur non fuit prope limen januæ: ſed in intimo tabernaculo, in quo etiam ipſe Imperatoris lectus. Ne lectorem pluribus detineam, mihi χελωνὶς eſt קבה *kubba.* Vox ſemel in ſcriptura legitur, nec ſatis intelligitur: nempe *Num.* 25. *v.* 8. ubi, *Zimri*, & *Kozbi* ſcortantibus, ingreſſus eſt *Phinees* אל הקבה, *in kubba*, & utrumque transfodit. Quod varii variè explicant. Sed *Arabibus* قبة *kubba*, vel *kobba*, & cum Articulo القبة *alkobba*, *conclave eſt camerati operis, quo lectus circumdatur.* Hiſpanis *alcoba* dicitur, & *alcova*, quæ vox apud nos quoque eſt vicinæ ſignificationis. Radix قبب *kabba* in ſecunda Conjugatione *concamerare* ſignificat, aut *cameratum opus ſtruere.* Itaque ut Muſicum inſtrumentum χέλυς, ſeu *teſtudo*, *Arabicè* vocatur العود *alaud*, unde Hiſpanis *laud*, vel *laut*, & nobis *lût*: ita القبة

alkobba,

alkobba, seu *conclave*, quod descripsimus, *Arabicè* alio nomine dicitur ام العوب *ommolaudi*, id est, *mater testudinis*; quia est camerati & testudinei operis. Apud *Arabes* in tali القبة *alkobba* est *sponsa thalamus*. Et illam eò deducere بنا *bana*, & زق *zappha* dicitur. *Holofernis* igitur thalamus, cum *Juditha*, ut putabat, concubituri, in hujusmodi *alkobba* fuit, quæ cur *Græcè* χελώνις appelletur, jam cuivis patet. Fortasse etiam χελώνις à materia dicta. Olim enim in magnatum lectis & spondis multus fuit testudinis usus. Qui luxus in *Oriente* primum usurpatus tandem ad *Romanos* devenit. Tempus à *Plinio* notatum libri noni capite undecimo, *Testudinum*, inquit, *putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria his vestire*, Carbilius Pollio *instituit*. Et libri decimi sexti capite quadragesimo tertio: *Testudo in hoc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu* Neronis *inventum, ut pigmentis perderet se, pluris**q**; veniret imitata lignum. Sic lectus pretia quaeruntur*. Hinc *Martialis* libri duodecimi Epigrammate 67,

Gemmantes prima fulgent testudine lecti.

Et *Juvenalis* Satyra undecima,

Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis *factura & nobile fulcrum.*

Ubi *Scholiastes*, *Ut lectum testudineum haberet. Lectos namque antiqui testudine Oceani ornabant. Apulejus* quoque non procul à fine libri decimi, *Lectus* Indica *testudine perlucidus, plumea congerie tumidus*, &c. Sed hæc plus satis de re non magni momenti. Itaque hic definimus, jam ad aves transituri.

Finis *PARTIS PRIMÆ.*



INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

Quæ in prima parte hujus operis citantur, illustrantur, explicantur, ubi c. notat col. l. verò lin.

LOCA VETERIS TESTAMENTI.

Levit.20.

INDEX.

INDEX.

Pf. 69.1.

APOCRYPHA.

INDEX AUTORUM,

Qui in prima parte hujus operis laudantur, illustrantur, notantur aut emendantur.

A.

Dionysius

Golius

Scaliger

VOCES


INDEX.

VOCES

Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Samaritanicæ, & Æthiopicæ,

Quæ explicantur in prima parte hujus Operis

DE ANIMALIBUS.



איקא

הרדוף

היאר

צרעה

INDEX

Vocum ARABICARUM quæ in huius operis prima parte explicantur.

زوفا

INDEX

GRÆCARUM Vocum aut Locutionum quæ in primo Tomo explicantur.

INDEX

Vocum aliquot aut vere LATINARUM aut etiam BARBARARUM quæ in prima parte hujus operis explicantur.

INDEX.

INDEX RERUM

De quibus agitur in prima parte hujus Operis.

Prior numerus paginam, posterior lineam docet.

Atta

Equi

Hercu-

Lupos

Orn

Reptilia

Ser-

Tau

FINIS *Tabularum* Partis Primæ.